NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
20 — N
25

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P.

MART. PEREZ
AB VNÁNOA
DE
MATRIMONIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P.
MART. PEREZ
AB VNÁNOA,
VALENTINI,
E SOCIETATE IESV,

DOCTORIS THEOLOGI, IN COLLEGIO D. PAVLI Valentino olim ſacræ Theologiæ Primarij Profeſſoris, & in Aragoniæ Corona apud Inquiſitores Apoſtolicos propoſitionum fidei Cenſoris, nunc verò Aragoniæ Prouinciæ Præpoſiti Prouincialis,

DE SANCTO MATRIMONII SACRAMENTO
Opus morale Theologicum,

Sexaginta Diſputationibus diuiſum, atque neceſſarijs INDICIBVS *inſtructum.*

PRODIT NVNC PRIMVM.

Domus professae Romanae

Societ.is Jesu



LVGDVNI,
Sumpt. Hær. PETRI PROST, PHILIPPI BORDE, & LAVRENTIJ ARNAVD.

M. DC. XLVI.
CVM PRIVILEGIO.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI,
D. DON ANTONIO
DE ARAGON;
EXCELLENTISS. DOMINI
DON ENRRIQVI DE CORDVBA,
CARDONA, FOLCH, ET ARAGON, DVCIS Segobrigæ, & Cardonæ, Marchionis Comarenſis,& Comitis Pradenſis, & Emporienſis, Filio clariſſimo, Sanctæ Eccleſiæ Cordubenſis Archidiacono,& Canonico præſtantiſſimo, ac Regiæ Catholicæ Majeſtatis in Sancta & Suprema Generali Inquiſitione, & in Sacro Ordinum Senatu Conſiliario integerrimo.

E Theologico Matrimonij argumento, Procerum maxime,prægnans iam diu gratiſſimo fœtu deſiderium, laxatis ſilentij clauſtris,ad lucem dextro, vt auguror, ſydere, bonis auibus, ſi tuæ è tot inſignibus Aquilæ regalem ad auſpicium non inficientur volatum, hodierna luce prolem expoſuit,quæ Te vel Patronum, vel, ſi Latium adnuat,Patrinum, vt nomine, & apud omnes donetur gratia,prece vagienti implorat. Permitte igitur, Auguſtiſſime vir, ad Te viam affectanti volumini facilem ſinum; & poſito ſupercilio aude tantiſper magna, quibus aſſuetus, contemnere, ac te fingere dignum hoc munere. Nam ſi grandia ſolùm admitterent Principum oculi,erubuiſſet reprehenſa temeritas: ſed Heroum conſuetudo in humiles generoſiùs prona audacem reddit,quem inertem materiæ dignitas admonuerat. Etiam in cauſa eſt, vt vel ideo ſe lucubrationes iſtæ putent eruditas, quòd quidquid aliud peccent,in deligendo certè Patrono didicerint non errare. Naſcuntur prætera nobiles ea lege deuincti præcipuè,vt litteris opem ferant;vel quia ſunt nobiles litteræ;vel quia à Ioue principium Muſæ. Et eſt non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicerunt Patritij, verùm ex natura ipſa arripuerunt; ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſunt. Vnde ſicut magnanimus, & ſtrenuus miles ad litui, tubarúmque clangorem furit impa-

ã 3 tiens,

tiens, ſtare loco neſcit, ad capulum intenta dextra, collecta in humeri m chamyde pugnaturo ſimilis, mutatis veſtigiis acer, & toruis placidè oculis vmbram fatigat victoriæ. Non aliter Heroinus, Quirinúſque ſanguis audito litterarum, & in ipſis inſudantium nomine, æſtuat pronus in fauorem. Nec ſine conſilio inſeruit hunc ductum natura nobili pectori, cùm litterarum beneficio Principes omnes ab obliuionis iniuria vindicati inter poſteros viuant glorioſi. Et lucri ſpecies eſt elogiis locupletare ſcientias, ipſíſque miniſtrare præſidium: quot enim Imperatorum res geſtæ,& Imperatores ipſi iacerent in tenebris,niſi litterarum lumen, Auctore Tullio, acceſſiſſet. Repertæ igitur poſteritatis, & nobilitatis cauſa litteræ, quæ obliuioni ſubſidio eſſe poſſent. Hæc fluctuantem ad tuum gloriæ, honoríſque ſine fundo Oceanum tranquillaut, & ſerenant animum; dum operi huic, deſtituto licèt meritis,ad nobiliſſimum inter omnes Dynaſtam facilem ſternunt viam. Accedit contentione facta: quo nobilior ſtirpis generoſæ ſit conditio,eo proniùs in litterarum ſtudia propenſuram. Quid non ſibi ſpondeat animus, Magnas ampliſſime; dum tuam generoſam veneratur ſtirpem, quam tota Hiſpania inter nobiliſſimas adorat primam; dum grandi apud Philippum Maximum honore quinquies tuæ proſapiæ mille titulis debito gentilitius tuorum ſtemmatum ſplendor, regales etiam intuentium acies perſtringit. Quid memorem tot Icaris admonitus Regium Aragonium decus. Sicut, vt ait ille, in Babylonico illo Dicaſterio ex Sapphirinis lapidibus conflato, inter cærulei coloris nubes illicibus aureis interſtinctas prominentes ex lacunari Deorum effigies pendebant ad oratorum terrorem,qui illo in loco dicere de more habebant. Sic in tuo proſapiæ Auguſtiſſimo atrio regales pendent imagines,vt obſtupeſcant, & erubeſcant potiùs, quàm extollant dicturi. Verùm quia, vt dici ſolet, epiſtola non erubeſcit: & quia nos Societatis,quæ tuam Dominationem ſuis rebus factiosè addictiſſimam ſemper experta eſt; & ego inter omnes præſertim beneficiis auctus innumeris; & quia frequentiùs,etiam dum tenera arridebas cunctis ætate, tuæ humanitatis occaſione fruitus ſum,potero liberiùs hactenus laudibus ſecundare. Quoties, vt à te ſumam exordium, in quo nomen, & ſpes familiæ nititur,quem vnicè vt gloriæverticem,& honoris faſtigium præſagis ad œſtrum oculis intuetur. Quoties, inquam, dum Barchinone Theologiæ Magiſtrum agerem,& te ad tuam Regiam prætor merita vocatus inuiſerem,auido notabam animo,vt tua Dominatio,clariſſime Dynaſta, inter teneros pueritiæ floſculos maturas ſenectutis fruges offerret; vt modeſto vultui ſeſe comitem præberet hilaritas;vt grauitas nulla obnubilata iactantia cæteros, etiam tuis ſermonibus aſſuetos ad reuerentiam cogeret non inuitos. Tunc didici quàm iure optimo nequeant imbellem columbam feroces aquilæ progenerare; quàm ſpontè etiam in leonis catulo regnet edita quamprimum ferocitas, & citiùs diſcat aſpectu imperare, quàm fremitu; fortiúſque eadem in diuerſis frontibus maieſtate belluas expugnare, quàm vnguibus. Si hæc ſtudia in prima ætate tanquam in herbis tam eximia,

&

& egregia in poſterum facinora portendebant, qualem putatis fructuum maturitatem cum annis iucundam omnibus adoleuiſſe? Quàm latum eloquentiæ ſuppeditabat campum hæc veritas: & mihi minus elaborandum foret ingenio, in cuius locum argumenti fœcunditas, & humanitas tua ſucceſſerunt,ni tam copioſa aliorum facinorum aurata ſeges agreſtis falcem oratoris expectaret impatiens. Quamobrem ſi amplitudinem tui generis intueor, obſtupeſco cum omnibus, & cum cordatis ſileo: tot enim ſunt in tuo ſanguine Reges, quot in aliis plebeia capitata. Comitum, Marchionum, Ducúmque innumeri tituli ad tuam domum, vt ſplendorem haurirent, confugerunt. Si animum conuertimus ad belli præclara facinora à maioribus tuis ſumma cum laude comparata,triumphabit in tot triumphis oratio mea. Videor mihi videre, dum hiſtorias bellicas conſulo, illum noſtri temporis Alexandrum, vel Scipionem Italum è geſtis Magnum Capitaneum,vt à ſanguine D. D. Ferdinandum de Corduba ſpoliis onuſtum inauditis, & coram ipſo triumphales currus ſub exuuiarum pondere gementes; ſimulacra reportataà Rutulis victoriæ; trophæa nudatis armata Ducibus; clypeos traiectos ignauiter; feliciter captiuos hoſtes famam, fortunámque prætendere. Quòd ſi Romani adhuc cum gratitudine vigerent mores: vel ſurgerent vicinæ cœlo pyramides; vel aëre pendentia vacuo Mauſoleia ad tanti viri cinerum cuſtodiam polirentur; vel de ſolido auro erectæ ſtatuæ; vel de marmore ſaltem Numidico, æréque cyprio fabricatæ poſteritati Ducem obiicerent, qui etiam pictus iuuentutis animos ad ſimiles plauſus admoneret, & fortitudinem viſus incuteret. Verùm in omnium mortalium memoria, & in eruditis Hiſtoriographûm libris Gratitudo.

Exegit monumentum ære perennius,
Regalique ſitu Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

Crede mihi, non omnis Imperator ille mortuus eſt, multaque pars illius vitauit Libitinam: vſque ille poſterâ creſcet laude recèns, dum Auſtriacum ſcandet Imperium, quà violens obſtrepit Aufidus,& quà pauper aquæ Daunus agreſtium regnator populorum,dicentur inauditæ victoriæ. Sume igitur ſuperbiam, vir Ampliſſime, quæſitam & debitam meritis. Aliis ſuperſedeo & Ducibus, & geſtis, ne abeat in volumen epiſtola. Si rurſus in gubernandi prudentia, & dexteritate calamum diligenter immorer: in Patre tuò D.D. Enrriquo de Corduba, Cardoña, Folchio, & Aragonio Segobrigæ, & Cardonæ Duce, Comarenſi Marchione, Pradenſi, & Emporienſi Comite, Oppidonem ſpeculi, & Luzenæ, quæ ciuitate iam donata eſt Dynaſta meritiſſimo, in quo fuerunt omnia ſumma, nec aliquid maius eſſe potuit, vel eſſe debuit, Hiſpanum Catonem, nec Soloni, nec Themiſtocli imparem vidiſſe; & beatam tunc Prouinciam Gotoloniam tanto gubernatam Præſide, velint, nolint, fatentur inimici: ille etenim vt

Ferdinandos,& Ildefonſos æquabat regio ſanguine, ipſos humanitate, iuſtitia, cæteríſque regiis virtutibus adæquare, ne dicam vincere, facilè potuit natura duce. At talem diutius in terris immorari Principem non paſſum eſt cœlum, deficiebant nobis merita; & Lacheſis aurea fila non ſecuit, ſed abſoluit.

Verùm ad te de tuis adhuc laudibus ieiunus rediens, vt redeat ad ornatum oratio: quia ſine te nihil ſummum, & grande concipimus. Et vt ad maiora gradum, locúmque faciam, inuoluens ſilentio honorem additum Salmanticæ te Collega, ſplendorem fidei te inter primarios iudice, totus iterum in priora dicta propendeo, ne faſtidio ſit quod cuperem iucunditati deuotum. Egregiè tuum ſanguinis ſplendorem æquauit erga litteras amor: vnicè ipſas diligis, quia vnice grandis. Et vt magnanimi Duces, ne à comparato cum Nobilibus Marte diſcedam, poſt victorias reportatas emeriti atria domus pictis replent phalangibus, vt, dum aſſurgunt in ictus vmbrati licèt milites, hoſtéſque cadunt ignauæ mucronum victimæ, repetant fortunam oculi, trepidulæque familiæ, & vernis, vt ait ille, habeant quid narrare poſſint attonitis; ſuſpendunt pari ſtudio è tectis vexilla hoſtibus erepta, armant parietes clypeis, ſagittis grauidas pharetras, manuaria tormenta nitrato fœta puluere, haſtas vibratas aliquando ſtrenuè, leuis, & grauis armaturæ ſupellectilem omnem in publicis conſtitutam locis diligenter exponunt, vt cæteri mirentur, & imitentur res geſtas. Non ſecus, Heros digniſſime, litterarum æquus æſtimator Bibliothecam tam eruditis, & ſelectis voluminibus locupletaſti, vt citra comparationis aleam armorum varietati, Bellonæque ſtudio voluminum inaudita varietas, & Mineruæ conatus vtiliori fructu reſpondeat. Sed per tuarum laudum Oceanum iamdudum irriſam, ſine honore ratem rudis vector impello; prudentia erit vela contrahere, & ad ſilentij portum orationis proram aduertere. Iubet etiam præter naufragij diſcrimen, verecundia, qua præditus es, vt laudibus, quæ faciliùs apud Bilbilitanam Muſam te fatigare poſſunt, quàm nos ſatiare, taciturnitatis metam præfigam. Vnum pro cunctis tamen, licèt ex omnium voto erubeſcas ad purpuram, addam præconium, quod in ea fortuna, & ſecundis auſpiciis genitus es, & in tam auguſtum honoris apicem eriges adhuc tuos, vt eminentia faſtigiati honoris purpureis inauguranda infulis cœleſti apum, & viciniori nectare potiatur. Iam meritis, & tuo ſanguine regio coniunctis gratulor, quibus natura dedit, vt non longè illis ſint inquirendi, quorum virtutes imitentur: exemplis enim domeſticis abundant, quando in oculis aſſiduè verſantur. Poterunt, humaniſſime Primas, plurimi de te, vt de Alexandro queri, quòd nihil reliquum àliis feceris, in quo ſuam ipſi generoſitatem valeant experiri. Aſt claudat, dum ſic Alexandrum refers, Alexandri factum epiſtolam. Cùm orbis domitor in Sigæo ad Achillis tumulum adſtitiſſet: O fortunate, inquit, obortis lachrymis adoleſcens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inueneris. Nollem, dum Alexander es, ad epiſtolam maiorum tuorum rude monumentum tua lachrymaretur Dominatio, quod

raucum,

raucum, & Homero penitus impar ingenium præconémque ſortita fuerit. Solatium tamen mihi conniuet egregium in Alexandro, cùm omnes, adhuc inconcinnè, & malè tornatis verſibus ipſius geſta laudantes vultu placido, & præmiis non inconcinnis afficeret. Vel tandem aderit ſolatio Valerius, cùm cætera deſint, ſi epiſtola, & volumen tuos oculos adire, & cenſuram ſubire meruerunt:

Hæc, ſi diſplicui, fuerint ſolatia nobis:
Hæc fuerint nobis præmia, ſi placui.

Vale, nobiliſſime Primas, & felix viue. E tuo Collegio Valentino, die decima menſis Aprilis, anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimoquarto.

Dominationis Tuæ ampliſſimæ

Humillimus in Chriſto
ſeruus
MARTINVS PEREZ ab Vnanoa.

Digitized by Google

AMICO LECTORI

MATRIMONIVM, *ſeptimum, ac poſtremum nouæ Legis Sacramentum, Deo duce, & auſpice, explicandum aggredior, ordine præpoſtero, ante explanationem ſex priorum Sacramentorum, quæ iam ferè parata, breui digeſta, ac perpolita in lucem mittenda habeam. Sed non potui non inſtantibus votis multorum, & precibus acquieſcere virorum etiam authoritate compellentibus, qui expetunt vehementer, vt hoc de Matrimonio Theologicum opus, quamprimum mandatum prælo, communem lucem adſpiciat. Nec difficulter illis morem gero, doctrinæ etiam ordinem aliquantulum inuertendo; cùm eorum animo, ac ſtudio, & communi vtilitati mea ſemper in hoc, & in aliis operibus deſudet induſtria. In cuius præclariſſimi, ac vtiliſſimi operis exacta tractatione, ſimili filo, pari ſtudio, non mediocri diligentia, ac perſpicuitate elaborata, qua opus Theologicum tum de Trinitate, tum de Verbo incarnato nuper editum. Sex præcipua capita breui compendio inſpicienda propono. Primum, omnia, quæ ad ſponſalia ſpectant, duodecim Diſputationibus, à prima vſque ad duodecimam incluſiuè expono. Secundum, naturam, & eſſentiam Matrimonij vt vinculum, vt contractus, & prout etiam eſt Sacramentum nouæ Legis explano, à Diſputatione decimatertia vſque ad vigeſimam. Tertium, impedimenta Matrimonij in genere, & in ſpecie tam minora impedimenta impedientia tantùm, quàm etiam maiora, ſeu dirimentia propono, à Diſputatione vigeſimaprima vſque ad quadrageſimamtertiam: vbi etiam Matrimonium clandeſtinum fusè declaro. Quartum, omnia, quæ ad impedimentorum diſpenſationes pertinent, à Diſputatione quadrageſimaquarta vſque ad quadrageſimamoctauam curiosè expendo. Quintum, vſus, ac debiti coniugalis obligationem à Diſputatione quadrageſimanona vſque ad quinquageſimamquartam diſcutio. Sextum denique, repudium, ſeu diuortium Matrimonij exactè declaro, à Diſputatione quinquageſimaquinta vſque ad ſexageſimam, quæ vltima eſt totius operis Diſputatio. Quæ autem purè ad forum externum, præſertim ciuile ſpectare videntur, præcipuè donationes inter coniuges, de quibus doctè diſputat noſter Thomas Sanchez* lib. 6. de Matrimonio, *& quædam alia, quæ tractat* lib. 10. de expenſis, *quas facto diuortio quiſque coniux debeat pendere, apud ipſum legenda, ne iuſto longius ſim, magna ex parte omitto. Hæc volui, ipſo in limine Lectorem admonere: & vnumquoque fidentiùs teſtari, me in iis omnibus nec habuiſſe præ oculis, vt conſcientias laxarem, nec vt adſtringerem, ſed vt veram, & ſimplicem veritatem inueſtigarem. Quam ſi alicubi pro voto aſſecutus ſim, vni Deo optimo refero; ſin minus, meæ ignorantiæ, ac ingenij tarditati.* VALE.

Facultas

Facultas R.P. Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Aragonia.

EGo Dominicus Langa, Præpoſitus Prouincialis Societatis IESV in Aragonia Prouincia, poteſtate ad id mihi conceſſa ab admodum Reuerẽdo Patre noſtro Mutio Vitelleſchi, Præpoſito Generali eiuſdem Societatis, facultatem concedo, vt Opus Theologicum de Matrimonij Sacramento, à Patre Martino Perez ab Vnánoa, Societatis noſtræ, Doctore Theologo, & S. Theologiæ Primario quondam in Collegio Valentino Profeſſore, & apud Inquiſitores Apoſtolicos propoſitionum Fidei Cenſore compoſitum, & eiuſdem Societatis grauium, doctorúmque virorum iudicio approbatum, typis mandetur. In quorum fidem has litteras, manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtri officij munitas dedimus. Valentiæ die vigeſima octaua Aprilis, anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimiquarti.

DOMINICVS LANGA.

CENSVRA.

PERLEGI hoc Opus, & teſtor me in eo nihil inueniſſe quod pias & Catholicas aures valeat offendere. Hoc primum. Deinde Author tanta claritate obſcura quæque elucidat: tanta vi, ac pondere rationum ſententias quas reiicit, impugnat: tanta eruditione, tantóque acumine ingenij ſua placita confirmat: tanta felicitate atque dexteritate quæ diffusè ab aliis dicta ſunt ſine vllo ſententiæ detrimento in compendium redigit: tanta grauitate iudicij inter diſcrepantes ſententias ſuam ipſe pronuntiat; vt in Cenſorem accitum in admiratorem ſui verterit. Meum ergo de Opere iudicium eſt, fore poſt tot luculentiſſimas eiuſdem argumenti ſcriptiones vtile valdè & frugiferum: digniſſimum eſſe quod publicam lucem videat, quódque fecundiſſimis Scholarum, & eruditorum hominum plauſibus excipiatur, quod non dubito euenturum. Cæſarauguſtæ, die quarto Aprilis, 1644.

PETRVS OJEA, è Societate IESV, Theologiæ Lector, in Collegio Cæſarauguſtano eiuſdem Societatis.

Approbationes Theologorum.

DISPVTATIONES ſubtiliſſimas de Matrimonio, à R. P. Martino Perez ab Vnánoa Societatis IESV, & Prouinciali Prouinciæ Aragoniæ compoſitas; Nos infrà ſignati Magiſtri in Theologia Facultatis Pariſienſis luſtrauimus, nihílque à Fide, aut bonis moribus alienum reperimus, idcircò eas approbauimus. Datum Lugduni die 17. Octobris 1645.

Fr. STEPHANVS MOLIN, Carmelita.

Fr. MICHAEL MICARD, Franciſcanus.

Digitized by Google

PERMISSIO.

EGO Procurator Regius in Præfectura Lugdunenſi conſentio, vt Liber inſcriptus in Approbatione præmiſſa,ab Hæred.Proſt,Philippo Borde, & Laurentio Arnaud, Bibliopolis Lugdunenſibus excudatur, peculiari licentia ad id ipſis conceſſa. Datum Lugduni die vigeſimaprima Octobris,anno Domini quadrageſimoquinto, ſupra milleſimum ſexcenteſimum.

LORIN.

VIſo Procuratoris Regij conſenſu, Ego non impedio ſupradictum priuilegium. Actum Lugduni eodem anno & die quo ſuprà.

LANGLOIS.

Facultas R.P.Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi.

CLAVDIVS BONIELLVS, Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico Magno dicto IV. huius nominis 20. Decemb. 1606. Ludouico XIII. 14. Febr. 1611. conceſſum,quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant:Permittit Hęred.Proſt,Philippo Borde,& Laurentio Arnaud,Bibliopolis Lugdun. vt Diſputationes de Matrimonio à P. Martino Perez ab Vnánoa,imprimere,ac liberè diuendere poſſint ad decennium.Datum Aueníone 18. Octobris 1645.

CLAVDIVS BONIELLVS.

SERIES

SERIES

Diſputationnm, & Sectionum.

DISPVTATIO PRIMA.

De mutuâ ſponſalium promiſſione; ſeu eorum eſſentiâ, & ratione formali.

SECT. I. QVID ſponſalium nomine intelligi debeat. pag. 1
2 Quænam ſit ratio, & propria ſponſalium definitio. 3
3 Quę & quanta deliberatio in promiſſione matrimonij ſponſalitia, ſit neceſſariò requiſita. 4
4 An ad ſponſalium validitatem ita neceſſaria ſit actualis deliberatio, & aduentitia, vt non ſufficiat virtualis. 7
5 An ſufficiat ad ſponſalia deliberatio habitualis, vel ſaltem indirecta, & in cauſâ. ibid.
6 An voluntas, & animus promittendi, & ſe obligādi ſit de ſponſalium neceſſitate, & eſſentiâ. 10
7 An ad valorem ſponſalium neceſſaria ſit voluntas exequendi, ſeu implendi quod ſponſi promittunt. 13
8 A quo actu, intellectúſne, an voluntatis, oriatur obligatio, & vinculum ſponſalitiæ promiſſionis. 15
9 An promiſſio ſponſalium debeat eſſe externa, & ab altero acceptata, & mutua, ſeu cum repromiſſione ipſius, ita vt in nullo euentu poſſint aliter fieri ſponſalia. 16
10 An ad ſponſalia humano modo contrahenda ſit ſufficiens repromiſſio, cùm quis fidem dat de matrimonio contrahendo, & alter acceptat, dicens: Placet, vel Accepto. 18

DISPVTATIO II.

De promiſſione externâ matrimonij fictâ, tam gratuitâ, quàm oneroſâ, ac vtriuſque obligatione.

SECT. I. VTrum fieri poſſit oretenus promiſſio voluntaria, ſine animo, ſeu intentione promittendi, quæ non ſit valida ad obligandum. 19
2 An ex fictâ promiſſione matrimonij gratuitâ, & oneroſâ oriatur obligatio illud cōtrahendi. 21
3 An ficte promittens matrimonium, & ſub eâ ſpe deflorans virginem, teneatur eam ducere, vel ſufficiat, quòd ſatisfaciat damno deflorationis dotem conſtituendo. 22
4 Ad quid teneatur fictus promiſſor matrimonij ſub conditione deflorationis, quando contrahentes ſunt inæquales. 23
5 An promiſſio ficta matrimonium contrahendi, ſi iuramento firmetur, valida ſit. 24

DISPVTATIO III.

De verâ promiſſione merè internâ contrahendi matrimonium factâ homini, vel Deo.

SECT. I. AN promiſſio interna matrimonium contrahendi homini facta pariat aliquam obligationem. 25
2 An promiſſio interna Deo facta de matrimonio contrahendo ob periculum incontinentiæ, verè obliget. 27
3 An valida ſit promiſſio Deo facta intuitu pietatis, ducendi pauperem, vel meretricem, vel ab alio defloratam, vt eam liberet ab egeſtate, vel à peccato, vel ab infamiâ. 29
4 An promiſſio Deo facta de matrimonio rato contrahendo cum expreſsâ voluntate non conſummandi, verè obliget. 31

DISPVTATIO IV.

De verbis, ſignis, & modis, quibus ſponſalia contrahuntur.

SECT. I. AN, & quibus verbis in genere ſponſalia contrahantur. 32
2 De verbis de præſenti affirmatiuis, per quæ ſponſalia contrahuntur. 33

3 De verbis de futuro affirmatiuis,quibus contrahi ſponſalia queunt. 34
4 De verbis negationis, per quæ fiunt ſponſalia. 36
5 An per verba diſiunctiua ſponſalia contrahantur. 38
6 De aliis ſignis, per quæ conſurgere ſolent ſponſalia. 39

DISPVTATIO V.

De contrahentium ſponſalia habilitate.

SECT. I. QVæ ſint impedimenta,quibus perſonæ ſunt inhabiles ad contrahenda ſponſalia. 42
2 Vtrum inter impedimenta numeranda ſint ſponſalia clandeſtina,an potiùs iſta licita ſint. 43
3 An notabilis diſparitas inter contrahentes diſparitatis conſcios irritet ſponſalia. 44
4 An ſponſalia debeant fieri in determinatam perſonam. 45
5 Quænam deſideretur ætas in contrahentibus,vt habiles ſint ad ſponſalia. 46
6 An ſi malitia ſuppleat ætatem,valida ſint ſponſalia. 47
7 An ſit peccatum contrahere ſponſalia ante legitimam ſeptennij ætatem. 48

DISPVTATIO VI.

De intrinſecâ obligatione ſponſalium ſub culpâ.

SECT. I. AN vera,& valida ſponſalia obligent ſub culpâ lethali. 49
2 Ex quâ virtute obligent ſponſalia,fidelitatiſne,an ſtrictæ iuſtitiæ. 50
3 An ſponſalia poſſint leuiter, ſeu ſub veniali tantùm obligare, ex contrahentium intentione nolentium amplius ſe obligare. 51
4 An ſponſalia obligent ſponſos ad abſtinendum à fornicatione cum aliis,ne ſpecialem malitiam committant diſtinctam à ſimplici fornicatione. 53
5 An promiſſio matrimonij gratuita,ſeu non mutua,acceptata tamen,obliget ſub mortali. 55
6 An promiſſio matrimonij gratuita non acceptata,poſſit aliquo iure obligare. 57
7 An irreuocabiliter obliget promiſſio matrimonij abſenti facta,nullo pro eo acceptante. 60

DISPVTATIO VII.

De obligatione extrinſecâ conuentionali ſponſalia adimplendi.

SECT. I. AN validè ponantur pœnæ ſoluendæ ab iniuſtè reſiliente ab ſponſalibus. 61
2 Quâ ratione poſſint arrhæ apponi ſponſalibus,vt hæc confirmentur. 63
3 An ſponſalibus adiici queant alij contractus,præſertim pactum permanendi in aliquo loco. 65

DISPVTATIO VIII.

De variis ſponſalium effectibus.

SECT. I. AN,& quomodo ſponſalia gignant impedimentum publicæ honeſtatis. ibid.
2 An impedimentum publicæ honeſtatis ceſſet,quamdiu ſponſalia valida,poſtea morte,vel mutuo conſenſu,vel aliâ de causâ diſſoluuntur. 67
3 An impedimentum publicæ honeſtatis oriatur ex ſponſalibus oretenus factis abſque conſenſu interiori. 68
4 An matrimonium clandeſtinum valeat hodie vt ſponſalia,& gignat impedimentum publicæ honeſtatis. 69
5 Quâ ratione ſit effectus ſponſalium, vt ea tranſeant in matrimonium per copulam inter ſponſos habitam. 71
6 An,& quo pacto licita ſint ſponſis de futuro oſcula,amplexus,aliique tactus. 72

DISPVTATIO IX.

De cauſis ſponſalia diſſoluentibus.

SECT. I. AN ſponſalia puberum mutuo ipſorum conſenſu diſſoluantur. 73
2 Vtrum ſponſalia impuberum ſolo eorum mutuo conſenſu poſſint diſſolui. 75
3 An per ingreſſum religionis,profeſſione non ſecutâ diſſoluantur ſponſalia. 76
An ſi ſponſalia ſint iuramento confirmata,diſſoluantur ingreſſu in religionem; an verò qui ingreditur teneatur prius matrimonium contrahere. 78
5 An votum religionis,vel caſtitatis perpetuæ diſſoluat ſponſalia. 79
6 An votum,vel ſuſceptio Ordinis ſacri diſſoluat ſponſalia. 81

7 An ſponſalia diſſoluantur per matrimonium ſubſequens factum cum aliâ perſonâ. 83
8 An prima ſponſalia diſſoluantur per poſteriora, ſaltem ſi iſtis acceſſit copula. 85
9 An diſſoluantur ſponſalia per abſentiam ſponſi, vel ſponſæ. 87
10 Vtrum ſponſalia diſſoluantur tranſacto termino ad matrimonium contrahendum. 89
11 Quæ & qualis notabilis mutatio ſuperueniens ſufficiat ad ſponſalia reſcindenda. 90
12 An diſſoluantur ſponſalia, ob impedimentum ſuperueniens, vel impediens matrimonium. 92
13 An vox publica, ſeu fama de impedimento, licet vera non ſit, dirimat ſponſalia. 94
14 An ob fornicationem ante ſponſalia commiſſam, & poſt ſponſalia cognitam, poſſint ſponſalia diſſolui. ibid.
15 An ob fornicationem ſponſalia ſubſequentem poſſint ea diſſolui ex parte ſponſi, vel ſponſæ innocentis. 95
16 Vtrum liceat vtrique ſponſo à ſponſalibus reſilire, quando vterque fornicationem commiſit poſt ſponſalia. 96
17 Vtrum ſponſus conſcius cauſæ ſufficientis fornicationis ſponſæ ad ſponſalium diſſolutionem, ius amittat reſiliendi, ſi accedat ad ſponſam. 97

DISPVTATIO X.

De ignorantia, metu, & dolo, quæ cauſas ſponſalia diſſoluentes concernere poſſunt.

Sect. 1. Vtrum præcedens ignorantia cauſæ iuſtæ diſſoluentis ſponſalia, faciat illa ipſo iure irrita. 98
2 Vtrum laborans occulto defectu, poſſit cum illius ignaro ſponſalia contrahere, & eum cogere in conſcientia, vt contracta ſponſalia impleat, quin illi talem defectum aperiat. 100
3 An ſponſalia coacta, ſeu facta ex metu ſint valida. 101

DISPVTATIO XI.

De Iudicis authoritate, an ſit neceſſaria ad ſponſalia implenda, vel ſaltem ad diſſoluenda.

Sect. 1. An qui ſponſalia implere tenetur, & renuit, ſit per iudicem cogendus. 103
2 Quis iudex poſſit cogere ſponſum renuentem ad ſeruandam fidem ſponſalium datam. Et quali cognitione cauſæ indigeat vt eum liberet ab huiuſmodi obligatione. 104
3 An iudicis authoritas adeò ſit neceſſaria ad ſponſalia diſſoluenda, vt nequeant ſponſalia valida vnquam propria authoritate diſſolui. 105
4 Qualis probatio ſufficiens ſit pro foro conſcientiæ, vt licitè ſponſalia diſſolui queant. 106

DISPVTATIO XII.

De ſponſalibus conditionatis.

Sect. 1. Qvam vim habeant ſponſalia conditionata. 107
2 Vtrum conditio contra ſubſtantiam matrimonij ſponſalibus appoſita, irritet illa. 109
3 Vtrum conditiones impoſſibiles & turpes quæ non ſunt contra ſubſtantiam matrimonij, habendæ ſint pro non adiectis, vel potius vitient ſponſaliæ. 110
4 An ſponſalia conditionata tranſeant in abſoluta, & pura, quando ante conditionis euentum ſponſi carnaliter commiſcentur. 111
5 Quid operetur tempus, demonſtratio, cauſa & modus, quando apponuntur ſponſalibus. 112
6 An licita ſint ſponſis de futuro ſub conditione oſcula, amplexus, aliique tactus. ibid.

DISPVTATIO XIII.

De natura, & eſſentia matrimonij propriè, & formaliter ſumpti.

Sect. 1. An matrimonium abſolutè & propriè ſumptum conſiſtat in vinculo, an potius in ipſo formali contractu. 114
2 An vinculum matrimonij ſit relatio rationis, vel realis, an potius denominatio extrinſeca moralis. 115
3 An vinculum matrimonij ſit mutuum ius & dominium corporum, & quale illud ſit. 116
4 An vinculum conſiſtens in mutuo radicali corporum dominio, ſpectata eius natura, includat ordinem ad copulam, vel vſum coniugalem. 117
5 An in matrimonio ex parte intentionis adiunctæ cõtrahentiũ requiratur ordo ad copulã. 118

6 An validum ſit & conſiſtens matrimonij vinculum cum conditione vitandi prolem in perpetuum, num quâ exercendo vſum coniugalem. 121
7 An intendens vinculum matrimonij neceſſariò debeat intendere vſum, vel copulam coniugalem. 124
8 Quid dicendum de caſtiſſimo matrimonij vinculo Beatæ Virginis cum S. Ioſepho, & de conſenſu vtriuſque. 125
9 De proprietatibus quæ conſequuntur vinculum coniugale, ſeu matrimonium. 127
10 Quænam ſit vera & propria matrimonij definitio. 128

DISPVTATIO XIV.

De natura & eſſentia matrimonij, vt contractus eſt maritalis.

SECT. I. AN in matrimonio ſit vera, & ſtricta ratio contractus. 129
2 Quænam ſit materia & forma intrinſeca contractus matrimonij. 130
3 An exterior expreſſio interni conſenſus contrahentium ſit ſimpliciter neceſſaria ad contractum matrimonij perficiendum. 133
4 An exterior expreſſio interni conſenſus ita pertineat intrinſecè ad contractus matrimonij naturam, vt ſit pars eſſentialis illius, an potius ſit ſolum conditio ſine qua non. 135
5 An & quomodo debeant eſſe ſimul contrahentium conſenſus, & eorum expreſſiones. 137
6 An neceſſitas mutui conſenſus contrahentium tanta ſit, vt nec reſpublica, nec Eccleſia, neque etiam ipſe Deus poſſit illam ſupplere. 138
7 In quæ obiecta, ſeu bona ferri neceſſariò debeant contrahentium conſenſus, vt validus ſit matrimonij contractus. 141
8 Quænam ſit vera & propria matrimonij contractus definitio. 143

DISPVTATIO XV.

De verbis, ſignis, & modis expreſſiuis mutui conſenſûs interni, ad naturam, & valorem contractûs matrimonij requiſitis.

SECT. I. AN verba deſiderentur in illis, qui loqui valent, vt matrimonij contractus valeat, vel ſaltem ſint ex præcepto adhibenda. 144
2 Quæ verba contrahant matrimonium, & quæ ſint in verbis dubiis obſeruanda. 146
3 De tribus ſignis ſubarrhationis, porrectionis manuum, & traditionis; an per ea contractus matrimonij validè fiat. 148
4 An copula conſummata, & etiam nixus ad illam ſit ſignum matrimonij contractûs. ibid.
5 An, & quomodo per parentes ſignificetur, & exprimatur conſenſus contrahentis, illo præſente. 150
6 An per extraneos validè matrimonium contrahatur. 152
7 An, & quomodo in abſentiâ contrahentis per Procuratorem exprimatur conſenſus. 153
8 An matrimonium contrahi poſſit per Procuratorem, ſi mandans incidat in amentiam. 155
9 An matrimonium inter abſentes contrahi poſſit per epiſtolam, & nuncium. 157

DISPVTATIO XVI.

De conſenſu conditionato contractui matrimonij appoſito.

SECT. I. AN conditiones, quæ intrinſecè inſunt conſenſibus contrahentium, reddant matrimonij contractum verè conditionalem. 158
2 An conditio extrinſeca neceſſariò futura adiecta matrimonij contractui, reddat illum conditionalem, & ſuſpendat conſenſum. 160
3 An conditio impoſſibilis vitiet matrimonij contractum, vel potiùs tanquam non adiecta habenda ſit. 162
4 An hæc conditio, contraho tecum, ſi Papa diſpenſauerit, ſit impoſſibilis; an potiùs ſit inter poſſibiles reputanda. 166
5 An conditio turpis contraria ſubſtantiæ, & naturæ matrimonij annullet ipſum, vel potiùs tanquam turpis reiiciatur. 167
6 An conditio turpis contraria tribus matrimonij bonis vitiet ipſum; an potiùs tanquam turpis, quaſi non appoſita, reiiciatur. 168
7 Quomodo intelligenda ſit prima conditio contra ſubſtantiam, ſi generationem prolis euites, quam affert Pontifex in capite finali. 170
8 Quomodo intelligendæ ſint duæ aliæ conditiones, quæ afferuntur à Pontifice, contra ſubſtantiam matrimonij. 172
9 An conditio turpis, quæ non eſt contra ſubſtantiam matrimonij, habenda ſit pro non adiecta, vel potiùs vitiet matrimonium. 173

10 De quibuſdam ſpecialibus conditionibus, quæ turpibus annumerari ſolent, an habendæ ſint pro non adiectis. 174
11 Qualis ſit hæc conditio de futuro, ſi patri placuerit, appoſita matrimonio, & quo pacto intelligi debeat. 175
12 An conditiones honeſtæ, indifferentes, & impertinentes, matrimonium ſuſpendant, an potiùs habeantur in illo pro non adiectis. 176
13 An matrimonium per verba de præſenti ſub conditione honeſta contractum, fiat validum euentu ipſo conditionis impletæ abſque nouo alio conſenſu. 177
14 An contractui matrimonij ſub conditione, vt fiat validus, abſolutus, & purus requirat, vt exiſtentia, ſeu impletio conditionis ſit nota contrahentibus, & etiam Parocho, & teſtium. 180
15 Quid operetur tẽpus, demonſtratio, cauſa, & modus, quãdo apponuntur cõſenſui maritali. 181

DISPVTATIO XVII.

De conſenſu coacto, ſeu metu extorto, contractui matrimonij appoſito.

SECT. 1. QVid, & quotuplex ſit metus, & cauſa eum incutiens. 183
2 Quis metus dicatur grauis, ſeu cadens in virum conſtantem. 185
3 An contractus lucratiui ex metu iniuſto graui celebrati, ſpectato tantum iure naturali ſint validi, an potiùs irriti. 189
4 An contractus oneroſi ex metu iniuſto graui celebrati, inſpecto iure tantùm naturali valeant, an non. 191
5 An ex iuris poſitiui diſpoſitione, tam contractus lucratiui, quàm oneroſi ſint irriti ipſo iure, vel reſcindendi. 192
6 Quem effectum habeat leuis metus iniuſtè incuſſus in contractibus tam naturali iure, quàm poſitiuo. 193
7 An contractus ex metu reuerentiali celebrati, & ex precibus importunis, ac blanditiis ſint irriti ipſo iure, vel reſcindendi. 194
8 An contractus, qui fiunt ex metu iuſtè incuſſo, iure naturali, ac poſitiuo validi ſint. 195
9 An matrimonium contractum ex metu iniuſto graui cadente in virum conſtantem, ſed non incuſſo ad illud extorquendum, ſit nullum iure naturali, & poſitiuo. 196
10 An metus cadens in virum conſtantem, iniuſtè illatus ad extorquendum matrimonium, illud irritum reddat in vtroque foro. 198
11 An matrimonium contractum ex metu graui iniuſtè illato, ſit nullum iure naturæ, vel ſolo iure Eccleſiaſtico. 199
12 An matrimonium ex metu graui iniuſtè incuſſo inducat aliquam obligationem in contrahente cogente. 201
13 Vtrum matrimonium dictum ratione metus inualidum, fiat poſtea validum ob copulam ſubſequutam, vel ob cohabitationem diuturnam. 203
14 An prædictum matrimonium inualidum ratione metus, fiat poſtea validum, & firmetur iuramento. 204
15 An matrimonium ex metu leui iniuſtè incuſſo ad extorquendum, ſit nullum. 206
16 Vtrum matrimonium ex metu iuſto cadente in virum conſtantem, incuſſo ad illud extorquendum ſit nullum. 207
17 Vtrum Princeps Eccleſiaſticus, & ſæcularis, & parentes filios poſſint ad matrimonium cogere, ſeu compellere. 208
18 Vtrum filij licitè poſſint matrimonium contrahere, parentibus inuitis, ſeu reſiſtentibus, vel ſaltem teneantur contrahere matrimonium, quod pater promiſit, vel præcepit. 212

DISPVT. XVIII. *De inſtitutione matrimonij, & eius fine.*

SECT. 1. A Quo fuerit inſtitutus contractus matrimonij, vt contractus eſt. 214
2 Quibus verbis inſtituerit Deus matrimonium. 217
3 Quibus verbis prima executio, ſeu celebratio matrimonij fuerit facta à primis parentibus. 218
4 An ſit præceptum naturale, & diuinum matrimonij contrahendi. 219
5 An matrimonium ſit homini naturale ac bonum, & licitum. 220
6 Quem finem contrahentes matrimonium debeant intendere, vt hoc validè faciant. 222
7 Quem finem contrahentes matrimoniũ debeant intẽdere, vt id licitè, & ſine culpâ faciãt. 224

DISPVT. XIX. *De matrimonio prout eſt Sacramentum nouæ Legis.*

SECT. 1. AN matrimonium ſit Sacramentum nouæ Legis à Chriſto Domino inſtitutum. 227
2 An matrimonium pro contractu ſit Sacramentum, & conferat gratiam ex opere operato; & etiam aliquando primam, necnon & gratiam ſacramentalem. 229
3 Quid in ſacramento matrimonii ſit Sacramentum, res tantùm, & res, ac Sacramentũ ſimul. 231

4 An matrimonium ab initio ſuæ inſtitutionis fuerit ſignum rei ſacræ , & aliquâ ratione verè, & propriè Sacramenti. 232
5 An matrimonium ſit vniuocè Sacramentum cum aliis nouæ legis , & ſit vnum in ſpecie, & numero in vtroque coniuge. 235
6 Quænam ſit materia & forma Sacramenti matrimonij. 236
7 Quænam ſit miniſter Sacramenti matrimonij. 237
8 Quam diſpoſitionem requirat Sacramentum matrimonij ad conferendam gratiam in coniugatis,ſeu contrahentibus. 238
9 An Sacramentum matrimonij cum fictione ſuſceptum recedente obice, ſeu fictione gratiam conferat. 240
10 Vtrum inter baptizatos poſſit celebrari contractus matrimonij , qui non ſit propriè Sacramentum. 242
11 An matrimonium in infidelitate contractum fiat denuò Sacramentum conferens gratiam, cum ambo baptizantur. 246
12 Vtrum matrimonium inter baptizatum,& non baptizatum ſit propriè Sacramentum gratiam conferens. 249
13 Vtrum matrimonium baptizatorum per Procuratores celebratum ſit propriè Sacramentum conferens gratiam. ibid,
14 Quænam ſit vera,& propria Sacramenti matrimonij metaphyſica definitio. 251

DISPVTATIO XX.

De indiſſolubilitate matrimonij.

SECT.I. Vtrum matrimonium ſit indiſſolubile,ſicut quicumque alius contractus. ibid,
2 Vtrum matrimonium ex rei natura, ſolóque iure naturali præcisè conſiderato, ſit ex ſe inſolubile,nulla ſpectatâ Dei auctoritate,diſponente, vel inſtituente. 253
3 An & quo iure ſoluatur matrimonium ratum ante conſummationem per ſolemnem profeſſionem in Religione approbata. 256
4 An matrimonium ratum baptizatorum diſſoluatur per tria vota Societatis IESV poſt biennium Nouitiatus emiſſa. 260
5 Quantum temporis concedatur coniugibus ad ingrediendum Religionem ante conſummationem matrimonij. 261
6 Qualis conſummatio matrimonij requiratur,vt nequeant coniuges Religionem ingrediendo illud diſſoluere,& ceſſare faciat licentiam ingredi Religionem. 264
7 Vtrum matrimonium ratum baptizatorum diſſolui poſſit per Pontificis diſpenſationem. 266
8 An vrgente graui neceſſitate poſſit Epiſcopus diſſoluere matrimonium ratum non conſummatum. 269
9 An & vnde proueniat vt matrimonium baptizatorum conſummatum, ſit omnino indiſſolubile. 270
10 An matrimonium legitimum infidelium conſummatum,ſit omnino indiſſolubile , ita vt nullo caſu poſſit à Pontifice diſſolui. 271

DISPVTATIO XXI.

De poteſtate ſtatuendi impedimenta matrimonij,tam impedientia,quàm dirimentia.

SECT.I. An habeat Summus Pontifex poteſtatem impedimenta matrimonij ſtatuendi. 272
2 Ad quas perſonas ſe extendat poteſtas , & lex Pontificia ſtatuens impedimenta matrimonij. 274
3 An deſideretur iuſta cauſa,vt Pōtifex ritè & rectè valeat impedimēta matrimonij indicere. ibid.
4 An poteſtas ſtatuendi impedimenta matrimonij ſit in Epiſcopo in ſua Diœceſi reſpectu ſuorum ſubditorum. 276
5 An dicta poteſtas ſtatuēdi impedimēta ſit in Principe ſæculari infideli,& etiā in baptizato 277
6 An conſuetudine poſſint introduci,& auferri impedimenta matrimonij. 278

DISPVTATIO XXII.

De impedimentis matrimonij in genere.

SECT.I. An conuenienter ſint ab Eccleſia ſtatuta varia matrimonij mpedimenta. 280
2 Quale & quotuplex peccatum ſit contrahere matrimonium cum impedimento dirimente. 281

3 Qualis

3 Qualis culpa ſit matrimonium inire cum impedimento tantum impediente. 282
4 An copula fornicaria inter affectos impedimento ad contrahendum inter ſe matrimonium, habeat ſemper aliam ſpeciei peculiarem malitiam. 283
5 An impedimenta ſiue dirimentia, ſiue impedientia, ita obligent, vt nullus metus etiam grauis, & cadens in conſtantem virum, à culpa excuſet. 284
6 An Papa prohibens matrimonium ſuo præcepto, vel conſtitutione, cenſeatur re ipſa illud dirimere. 285
7 Quot, & quæ ſint impedimenta ſolum impedientia, & quot ſint, & quæ impedimenta dirimentia. 286

DISPVTATIO XXIII.

De impedimentis minoribus impedientibus tantùm in ſpecie.

SECT. I. De impedimento interdicti tantum impediente, ſeu de Eccleſiæ vetito. 287
2 De tempore feriato, ſecundo matrimonij impedimento tantum impediente. 288
3 De tertio impedimento, ex Catechiſmo Baptiſmo præmitti ſolito. 289
4 De ſponſalibus, & voto, quarto & quinto impedimento matrimonij tantum impediente. 290
5 De ſexto impedimento tantum impediente, quod oritur ex inceſtu. 291
6 De raptu, & vxoricidio, ſeptimo, & octauo impedimento. 292
7 De ſuſceptione propriæ ſobolis, Presbyteritio, Pœnitentia ſoléni, & cõiugio monialis quę ſunt, nonum, decimum, vndecimum, & duodecimum impedimentum tantum impediens. 293
8 An leges ſtatuentes prædicta duodecim impedimenta, adhuc vigeant, & ligent, egeántque diſpenſatione; & quis diſpenſare queat. ibid.

DISPVTATIO XXIV.

De primo impedimento erroris matrimonium dirimente.

SECT. I. Vtrum error perſonæ dirimat matrimonium. 294
2 An error perſonæ dirimat iure naturæ matrimonium, an potius ſolo Eccleſiaſtico iure. 296
3 An error ſolius qualitatis, quando eſt antecedens, & dat cauſam contractui, irritet matrimonium. 297
4 An, & in quo caſu error qualitatis, aut fortunæ matrimonium dirimat. 299
5 An peccet qui per dolum, vel errorem qualitatis, v. g. virginitatis, inducit alium ad matrimonium. 301

DISPVTATIO XXV.

De ſecundo impedimento matrimonium dirimente, nempe de errore conditionis ſeruitutis.

SECT. I. An conditio ſeruitutis ignoratæ dirimat matrimonium contrahendum. 302
2 Quo iure error conditionis ſeruilis dirimat matrimonium. 303
3 Qualis error, vel ignorantia conditionis ſeruilis debeat eſſe, vt dirimat matrimonium contrahendum. 306
4 An matrimonium ob errorem conditionis ſeruilis nullum pariat obligationem ſeruo denuo contrahendi cum ipſo volente libero; & an iſte conſcius poſtea ſeruitutis ſuæ coniugis poſſit propria auctoritate ab illa recedere. 307
5 An in caſu quo mancipium contrahens cum libera ſeruitutis ignara, conſequitur libertatem, matrimonium validè fiat. 308
6 Vtrum mancipium poſſit ita validè contrahere matrimonium, etiam inuito domino, vt nullo iure poſſit illi matrimonium interdici. 309
7 Vtrum licitum ſit domino mancipium coniugatum mittere in partes longinquas, vel illum vendere ad partes remotas. 310
8 Vtrum potius teneatur ſeruus coniugatus ſatisfacere domino, an verò ipſi vxori. 312
9 An ſeruitus matrimonio ſuperuenire poſſit alterutro cõiuge ſe in mancipiũ venundãte. 313
10 Cuius parentis conditionem filij ſequantur quoad ſeruitutem & libertatem. 314

DISPVTATIO XXVI.

De impedimento voti matrimonium diſſoluente.

SECT. I. Præmittuntur nonnulla præludia ſtatus religioſi, ad præſentem diſputationem conducentia. 315

2 An ſolemnitas ſubſtantialis voti religioſæ caſtitatis poſita ſit in aliquo externo ritu. 316
3 An voti caſtitatis ſolemnitas conſiſtat in traditione, vel donatione ſui ipſius, quam Religioſus Deo, ac religioni facit. 319
4 Quid ſit ſubſtantialis ſolemnitas voti caſtitatis; & an ea ſola iure Eccleſiaſtico ſit inſtituta. 321
5 Qualis ſit ſolemnitas voti paupertatis, & voti obedientiæ in ſtatu religioſo. 322
6 An ſolo iure Eccleſiaſtico votum ſolemne caſtitatis in religionis profeſſione emiſſum, dirimat matrimonium. 324
7 An in Societate Iesv, emittentes tria vota ſimplicia poſt biennium Nouitiatus, ſint verè & propriè religioſi. 325
8 An votum caſtitatis ſimplex emiſſum in Societate Iesv poſt biennium Nouitiatus, dirimat matrimonium ſubſequens. 326

DISPVTATIO XXVII.

De impedimento Ordinis ſacri matrimonium dirimente.

Sect. I. QVo iure continentia, ſeu caſtitas ſit annexa Ordinibus ſacris; & quo tempore cœperit eſſe in Eccleſia. 327
2 Vtrum obligatio qua tenentur Clerici ſacrorum Ordinum ad caſtitatem ſeruandam, oriatur ex voto, an ex ſola ſuſceptione Ordinis ſacri, ex inſtitutione Eccleſiæ. 328
3 Vtrum inualidè infantes, & pueri ante annos pubertatis ordinati in ſacris, obligentur ad ſeruandam caſtitatem. 331
4 Vtrum ordinati in ſacris cum ignorantia obligationis ſeruandi caſtitatem, teneantur ſeruare illam. 333
5 Vtrum ad obſeruantiam caſtitatis teneatur inuitus, & iniuſtè coactus Ordinem ſacrum aſſumens. 335
6 Quo iure ſacer Ordo dirimat matrimonium ſubſequens. 338
7 Quando cœperit votum caſtitatis Clericorum eſſe ſolemne, & habere effectum irritandi matrimonium ſubſequens. 339
8 Quas pœnas incurrat Clericus in ſacris tentans matrimonium contrahere. 340
9 An, & quibus circumſtantiis, vel conditionibus liceat coniugato in ſacris ordinari. 341
10 Quomodo peccet Clericus qui poſt matrimonium in ſacris ordinatus eſt vxore viuente; & quam pœnam propterea incurrat. 343

DISPVTATIO XXVIII.

De impedimento cognationis naturalis, ſeu conſanguinitatis, matrimonium ſubſequens dirimente.

Sect. I. QVid ſit conſanguinitas, & quomodo eius gradus computentur. 345
2 An matrimonia cum conſanguineis ſint prohibita, & illicita iure naturæ. 347
3 An in primo gradu conſanguinitatis aſcendentium, & deſcendentium in recta linea, ſit matrimonium ita iure naturæ illicitum, vt etiam eodem iure ſit omnino irritum, ac nullum. 349
4 An in ſecundo gradu, tertio, & quarto, & vlterioribus gradibus aſcendentium, & deſcendentium in recta linea, ſit matrimonium. 350
5 Vtrum conſanguinitas in linea tranſuerſali iure naturali dirimat matrimonium. 352
6 An gradus aliquis conſanguinitatis dirimat matrimonium iure diuino poſitiuo in lege gratiæ. 354
7 Ad quotum conſanguinitatis gradum ſit irritum matrimonium, attento iure Eccleſiaſtico. 355

DISPVTATIO XXIX.

De impedimento dirimente cognationis ſpiritualis.

Sect. I. QVid ſit cognatio ſpiritualis, & quotuplex olim fuerit, & nunc ſit. 356
2 An non baptizatus, & fidelis non confirmatus contrahat cognationem ſpiritualem. 357

3 Vtrum ex Baptiſmo irrito, vel non ſolemni priuatim facto oriatur cognatio ſpiritualis, tam in baptizante, quàm in patrino ſuſcipiente. 359
4 Qui actus requirantur in patrinis vt cognationem ſpiritualem contrahant in Baptiſmo, & Confirmatione. 361
5 De numero & deſignatione patrinorum; & an omnes tangentes baptizatum, vel confirmatum contrahant ſpiritualem cognationem. 362
6 An coniuges filium ſuum baptizantes, aut in Baptiſmo, vel Confirmatione tenentes, impediantur ab vſu coniugali quoad petitionem & redditionem. 365
7 An qui per procuratorem exercet munus patrini contrahat cognationem ſpiritualem. 368

DISPVTATIO XXX.

De cognatione legali, impedimento dirimente.

SECT. I. QVid, & quotuplex ſit cognatio legalis. 369
2 An omnis cognatio legalis, etiam illa quæ oritur ex adoptione imperfecta, dirimat matrimonium. 370
3 An triplex legalis cognationis ſpecies impediat, ac dirimat matrimonium. 371
4 Quouſque cognatio legalis duret, & dirimat matrimonium. 372

DISPVTATIO XXXI.

De impedimento affinitatis, matrimonium dirimente.

SECT. I. QVænam requirantur, vt vera conſurgat affinitas. ibid
2 Vtrum ex quacumque copula, ſeu commixtione coniugali, aut illicita, oriatur affinitas tanquam quid naturale inſtar conſanguinitatis. 374
3 Vtrum affinitas ex copula coniugali conſurgens dirimat iure naturæ matrimonium in aliquo gradu lineæ rectæ inter aſcendentes, & deſcendentes. 375
4 Vtrum affinitas ex copula coniugali in primo gradu lineæ tranſuerſæ dirimat matrimonium iure naturali. 376
5 Vtrum affinitas ex copula fornicaria conſurgens dirimat matrimonium iure naturali in aliquo gradu cuiuſuis lineæ. 377
6 Quo iure, poſitiuo, diuino, an Eccleſiaſtico affinitas dirimat matrimonium; & ad quotum affinitatis gradum extendatur impedimentum. 378
7 An affines & conſanguinei incurrant ipſo facto excommunicationem, ineundo matrimonium. 379

DISPVTATIO XXXII.

De impedimento publicæ honeſtatis.

SECT. I. QVid, & quotuplex ſit ex iure iuſtitia publicæ honeſtatis dirimẽs matrimonium. 381
2 Quæ requirantur vt ex ſponſalibus de futuro oriatur impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis. 382
3 Ex quo matrimonio rato oriatur, vel non oriatur impedimentum publicæ honeſtatis. ibid

DISPVTATIO XXXIII.

De crimine, impedimento dirimente.

SECT. I. AN ſola duorum machinatio in mortem coniugis, quamuis non interueniat adulterium, dirimat matrimonium poſtea cum altero coniuge contrahendum. 383
2 An & quomodo machinatio vnius in mortem coniugis cum adulterio dirimat matrimonium. 385
3 An & quomodo crimen adulterij coniuncti cum matrimonio de præſenti dirimat matrimonium. 386
4 An & quomodo dirimat crimen adulterij coniuncti cum promiſſione matrimonij. 387
5 An aliqua alia requirantur vt prædicta matrimonij promiſſio inducat impedimentum criminis. 389

DISPVTATIO XXXIV.

De vi, ſeu coactione, ac metu, matrimonium dirimente.

DISPVTATIO XXXV.

De impedimento ligaminis dirimente.

SECT. I. AN iure diuino & humano matrimonium ſit neceſſariò vnius cum vnica. 391
2 An iure naturali nullum ſit matrimonium inter plures vxores, & vnũ virum. 392

3 Vtrum pluralitas vxorum ſimul reſpectu vnius viri fuerit valida, & licita aliquibus, & quibus. 394

4 An Deus poſſit concedere, vt vna vxor pluribus viris nubat. 395

5 Vtrum pluralitas coniugum ſucceſſiuè ſit valida & licita; & qualiter conſtare debeat de prioris coniugis obitu, vt quis ad ſecundum matrimonium poſſit tranſire. ibid.

DISPVTATIO XXXVI.

De diſparitate cultus matrimonium dirimente.

SECT. 1. AN inter diſpares cultu, & Baptiſmo ſit irritum matrimonium; & quo iure. 396

2 An matrimonium perſonæ fidelis baptizatæ cum hæretica, vel Apoſtata à fide ſit validum, vel ſaltem prohibitum. 398

3 An liceat coniugi iam ad fidem conuerſo cohabitare cum altero renuente conuerti. 399

4 An coniugi ad fidem conuerſo integrum ſit prius matrimonium diſſoluere, & ad aliud tranſire, vbi alter renuit cohabitare, aut nonnulli ſine Dei contumelia, aut ſine pertractione ad peccatum. 401

5 An non exiſtente prohibitione cohabitandi cum coniuge infideli, poſſit conuerſus diſſoluere matrimonium, & aliud inire, quamuis infidelis velit pacificè cohabitare, ſi non vult conuerti. 403

6 Vtrum exiſtente prohibitione cohabitandi cum infideli, poſſit fidelis conuerſus diſſoluere matrimonium, & aliud inire, quamuis velit infidelis pacificè cohabitare ſi non vult conuerti. ibid.

7 Quando in prædictis caſibus diſſoluitur matrimonium conuerſi cum infideli. 405

8 An matrimonium conuerſi cum infideli contractum ante Baptiſmum, diſſoluatur per ſolemnem profeſſionem in Religione. 406

9 An diſſoluto iam fidelis conuerſi matrimonio liceat fideli ad aliud matrimonium tranſire. 407

DISPVTATIO XXXVII.

De impedimento impotentiæ dirimente.

SECT. 1. QVid & quotuplex ſit impotentia coëundi, & quando cenſenda ſit impotentia perpetua, & quando temporalis. 408

2 An impotentia naturalis ad coëundum dirimat matrimonium contrahendum. 409

3 Vtrum impotentia naturalis ad ſeminandum dirimat matrimonium, quando eſt potentia ad penetrationem vaſis. 410

4 An impotentia coëundi perpetua, & naturalis, dirimat matrimonium etiam in ordine ad caſte viuendum. 411

5 An impotentia aliqua naturalis reſpectiua, poſſit eſſe perpetua, & matrimonium dirimat contrahendum. 413

6 An coniux naturaliter impotens, cui licitè & abſque periculo vitæ poteſt humano remedio ſubueniri, teneatur pati tale remedium altero id exigente. 415

7 Vtrum impotentia ad copulam ex maleficio dirimat matrimonium contrahendum. 416

8 An liceat à malefico parato ad tollendum maleficijs maleficium, id petere, & an quoque licitum ſit maleficij ſignum deſtruere, quo maleficij ſalus obtineatur. 418

9 An impotentia perpetua ad copulam dirimat matrimonium, etiam iure naturali. 420

10 An impotentia perpetua ſuperueniens matrimonio, illud dirimat, eiuſve vſum impediat. 421

11 Quantum tempus requiratur experientiæ ad declarationem nullitatis matrimonij ob impotentiam perpetuam. 422

12 An impotentia temporalis ex defectu ætatis, ſeu defectus ipſe ætatis dirimat matrimonium; & quo iure. 424

13 An hermaphroditus poſſit matrimonium inire, & iuxta quem ſexum. 425

14 Quid cenſendum ſit de valore matrimonij cùm in coniuge Hermaphrodito mutatur ſexus. 426

15 An validè poſſint matrimonium contrahere inter ſe duo hermaphroditi ad vſum promiſcuum. 427

DISPVTATIO XXXVIII.

De impedimento raptus dirimente.

SECT. I. QVid raptus ſit, in quove cõſiſtat eius ſpecifica malitia in confeſſione exprimẽda. 428
2 Quas conditiones exigat raptus, vt pœnis iuris antiqui ſubiaceat. 429
3 An raptus ſit impedimentum dirimens matrimonium, attento Decreto Concilij Trident. 430
4 Qualis raptus obnoxius ſit pœnis Concilij Tridentini. 431

DISPVTATIO XXXIX.

De matrimonij ſimpliciter clandeſtini prohibitione, eiuſque irritatione poſt Tridentinum.

SECT. I. QVid ſit matrimonium ſolemne, & quid ſimpliciter clandeſtinum. 433
2 An matrimonium clandeſtinum ſit illicitum iure naturæ, an potiùs ſolo iure Eccleſiaſtico. 434
3 Vtrum Eccleſia potuerit irritare matrimonia clandeſtina, & de facto illa irrita reddiderit. 435
4 An matrimonium clandeſtinum ſit in pluribus caſibus validum, præſertim ſit vigeat aliquod graue damnum. 436
5 An quando contrahentes inuincibiliter ignorant dictam legem irritantem Tridentini, validè contrahant abſque Parocho, & aliis duobus teſtibus. 439
6 Quinam teneantur ad obſeruationem Decreti Concilij Tridentini. 440

DISPVTATIO XL.

De præſentia Ordinarij, vel proprij Parochi, & teſtium, vt matrimonium non ſit clandeſtinum, ſed publicum & ſolemne.

SECT. I. QVid Ordinarij nomine in prædicto Decreto Tridentini intelligatur. 442
2 Quis debeat dici proprius Parochus in ordine ad Sacramentum matrimonij, qui & aſſiſtere illi poſſit, & licentiam concedere, vt alij aſſiſtant. 444
3 Vtrum Parochus vt validè & licitè aſſiſtat matrimonio debeat eſſe Sacerdos. 445
4 An Parochus excommunicatus validè, & licitè matrimonio aſſiſtat. 447
5 An Parochus habens titulum coloratum, & qui eſt intruſus non habens titulum, ſolo errore communi, validè matrimonio aſſiſtat, & ad id licentiam conferat. 451
6 An Parochus non proprietarius ab Epiſcopo delegatus, & amobilis ad nutum illius, poſſit matrimonio aſſiſtere, & ad id licentiam conferre. 453
7 Quis cenſeatur Parochus vagorum, ſeu vagabundorum, vt illos matrimonio coniungat. 454
8 An ſit neceſſarium ſaltem neceſſitate præcepti Parochum in matrimonio aliqua verba proferre. 456
9 Quot, & quales teſtes requirantur, & ſufficiant ad valorem matrimonij. 457
10 Qualis præſentia Parochi & teſtium requiratur, & ſufficiat ad valorem matrimonij. 458
11 Cui actui matrimonij intereſſe debeant Parochus & teſtes. 459

DISPVTATIO XLI.

De aſſiſtentia alterius Sacerdotis loco Parochi, vt ſit matrimonium ſolemne, & non clandeſtinum.

SECT. I. QVis poſſit licentiam concedere aſſiſtendi matrimonio, & an ea debeat eſſe ſpecialis, & expreſſa. 461
2 Vtrum Sacerdos habens licentiam ad aſſiſtendum, eam tamen ignorans, validè aſſiſtat. 462
3 An Sacerdos, cui Parochus committit vt matrimonio aſſiſtat, poſſit id munus obire in alia Parochia & Diœceſi. 464
4 An & quomodo ſit valida licentia aſſiſtendi matrimonio ſub conditione conceſſa. 465
5 An ſufficiat ad validitatem matrimonij licentia Parochi extorta per vim & metum. 466
6 An valida ſit licentia Sacerdotis dolo, & mendaciis impetrata à Parocho, aliàs nullatenus conceſſuro. 467

DISPVTATIO XLII.

De pœnis in iure conſtitutis matrimonio ſimpliciter clandeſtino.

SECT. I. QVibus pœnis puniantur contrahentes clandeſtinè, abſque Parocho, vel teſtibus, vbi viget Concilium Tridentinum. 468
2 Quibus pœnis ſubiiciantur validè contrahentes clandeſtinè, vbi non viget Tridentinũ. 470

3 Quibus ſubiiciantur pœnis teſtes aſſiſtentes matrimonio clandeſtino abſque Parocho. ibid.
4 Quænam ſint pœnæ Parochi, vel alterius Sacerdotis aſſiſtentis matrimonio clandeſtino inualido ex defectu numeri teſtium. 471
5 Quæ pœna ſit impoſita Parocho alieno, vel Sacerdoti, qui aſſiſtit matrimonio, ſine licentia proprij Parochi. 472

DISPVTATIO XLIII.

De denuntiationibus, ſeu monitionibus quæ ſunt præmittendæ, vt perfectam publicitatem habeat matrimonium.

Sect. I. Vtrum denunciationes ſint adeò neceſſariæ, vt ſine illis matrimonium nec valeat, nec liceat. 473
2 Vbi & quomodo debeant fieri prædictæ denuntiationes. 475
3 Quis poſſit diſpenſare, vt denuntiationes matrimonij poſtponantur, vel vt omnino omittantur. 476
4 Ob quas cauſas poſſit Ordinarius diſpenſare in denuntiationibus. 477
5 An teneatur Ordinarius diſpenſare in denuntiationibus, exiſtente cauſa iuſta; & ſi nolit, poſſint illæ omitti abſque diſpenſatione. 479
6 Ad quid teneatur ex vi denuntiationum, qui aliquod impedimentum nouit, ſed occultũ. 480
7 An ſi Ordinarius petat à volentibus contrahere, an aliquo impedimento ligati ſint, teneãtur impedimentum fateri. 482
8 Quid agendum Parocho, vel Ordinario, qui in Confeſſione ſacramentali nouit impedimentum volentium contrahere, vel quando ſoli ipſi, & occultè nouerunt impedimentum. 483
9 Quomodo ſe gerere debeãt Ordinarius, & Parochus, cũ ab alio opponitur impedimentũ. 484
10 Qua ratione requiratur benedictio nuptialis, & alia ſolemnitas. 485
11 Quas pœnas incurrant contrahentes abſque denuntiationibus illicitè omiſſis. 487
12 Quam pœnam incurrat Parochus aſſiſtens matrimonio inito abſque denuntiationibus illicitò occultis. 488

DISPVTATIO XLIV.

Quinam poſſint diſpenſare in impedimentis matrimonium dirimentibus.

Sect. I. Qvid propriè ſit diſpenſatio, & an ea latè, an potiùs ſtrictè ſit interpretanda. 489
2 An poteſtas data ad diſpenſandum, ſit ſtrictè, an latè interpretanda. 490
3 An poſſit Papa diſpenſare in impedimentis matrimonij iure naturali dirimentibus illud. 491
4 An poſſit Papa diſpenſare in impedimentis, ſi quæ ſint, iure poſitiuo diuino matrimonium dirimentibus. 493
5 An poſſit Papa diſpenſare in impedimentis matrimonij ſolo iure Canonico, vel Eccleſiaſtico illud dirimentibus, & in radice illius. 495
6 An poſſit Epiſcopus diſpenſare in impedimentis matrimonium dirimentibus. 497
7 An alij præter Epiſcopos poſſint diſpenſare in impedimẽtis matrimonium dirimentibus. 499

DISPVTATIO XLV.

De cauſis requiſitis ad diſpenſationem.

Sect. I. An cauſa requiratur pro diſpenſatione legis Superioris, vt valida ſit. 502
2 An diſpenſatio propriæ legis humanæ ſine vlla cauſa valida ſit. 503
3 An Princeps, vel legiſlator poſſit diſpenſare validè ſecum in ſua lege, ſine vlla cauſa. 504
4 An diſpenſatio in lege humana deficiente cauſa legitima ſit culpæ obnoxia in concedente, petente, acceptante, & ea vtente. 506
5 Quæ ſint iuſtæ cauſæ ad diſpenſandum in impedimentis matrimonium dirimentibus. 508
6 Quo tempore verificari debeant cauſæ diſpenſationis, vt ipſa diſpenſatio valida ſit. 510

DISPVTATIO XLVI.

De nullitate diſpenſationis, in cuius petitione reticetur verum, vel exprimitur falſum.

Sect. I. An taciturnitas veritatis pertinentis ad cauſam impulſiuam, vel ad cauſam motiuam, & finalem impetrationis, efficiat diſpenſationem ſurreptitiam, & nullam. 512
2 An diſpenſatio primò petita & negata, & poſtea iterum petita & obtenta, tacita priori negatione, ſit ſurreptitia & nulla. 514

3 An

3 An taciturnitas prioris diſpenſationis obtenta reddat poſteriorem inualidam. 515
4 An quando plura impedimenta ſunt neceſſariò exprimenda, neceſſe ſit exprimi ſimul in vna petitione vt ſimul diſpenſentur; an ſufficiat ſeparatim in diuerſis. 516
5 An quando ſunt plura impedimẽta, ſint exprimẽda, & quo pacto, ad valorẽ diſpẽſationis. 519
6 An taciturnitas copulæ habitæ inter conſanguineos, aut affines, irritet diſpenſationem conſanguinitatis, vel affinitatis. 522
7 Quænam ſint exprimendæ in diſpenſatione vt valida ſit poſt Decretum Tridentini *ſeſſ.* 24. *de matrimonio cap.* 5. 523
8 An & quando diſpenſatio reddatur nulla ex expreſſione falſi. 525

DISPVTATIO XLVII.

De modis quibus diſpenſatio ſemel obtenta expirat, tam ex parte illius cui conceditur, quàm ex parte concedentis.

Sect. 1. An & quo pacto ceſſet & expiret diſpenſatio matrimonij per renunciationem eius cui conceſſa eſt. 528
2 An per non vſum expiret diſpenſatio propter tacitam renunciationem. 530
3 An, & quomodo ceſſet diſpenſatio & finiatur per inuocationem concedentis. 531
4 An commiſſiones diſpenſandi in impedimentis matrimonij extinguantur per mortem, vel ceſſationem officij perſonæ cui committuntur. 533
5 An commiſſiones diſpenſandi in impedimentis matrimonij expirent morte concedentis, re integra. 534
6 Quæ alia requirantur, vt diſpenſationes, & cæteræ gratiarum literæ non expirent poſt mortem concedentis. 537
7 Quando ratione formæ conceſſionis, duratio priuilegij limitetur ad vitam concedentis. 538

DISPVTATIO XLVIII.

De explanatione diſpenſationum pro vtroque foro in impedimentis matrimonij.

Sect. 1. An ſemper diſpenſatio pro impedimentis matrimonij ſit ſtrictè interpretanda. 541
2 Quo pacto intelligantur clauſulæ diſpenſationum quæ circa matrimonij impedimenta Ordinario in foro externo expediendæ committuntur. 542
3 An deſideretur cognitio iudicialis veritatis precum, & an poſſit ille cui diſpenſatio in foro externo committitur alteri ſubdelegare 544
4 Cuius expenſis diſpenſatio impetranda ſit, & quando à fide matrimonij data reſiliens teneatur eas integrè ſoluere. 545
5 Qualiter ſint explicandæ quatuor priores clauſulæ diſpenſationum matrimonij pro foro conſcientiæ. 546
6 Qualiter intelligantur quinque poſteriores clauſulæ diſpenſationum matrimonij pro foro conſcientiæ. 549

DISPVTATIO XLIX.

De vſu & debito coniugali licito.

Sect. 1. An vſus, ſeu actus coniugalis ſit licitus, & gratiam conferat ex opere operato. 550
2 Quo fine exercendus ſit actus, ſeu vſus coniugalis vt licitè fiat. 553
3 An & quando actus coniugalis ſit illicitus ratione temporis. 554
4 Vtrum actus cõiugalis habitus in loco publico, vel in loco ſacro, aut benedicto fiat illicitus. 556
5 Vtrum ratione excommunicationis vtriuſque, vel alterius coniugis, vſus coniugalis reddatur illicitus. 557
6 An actus coniugalis tempore amentiæ ſit illicitus. 560
7 Quomodo & quo ſitu actus coniugalis fiat illicitus. 561
8 An ſit culpa lethalis quoties in actu coniugali, vaſe naturali omiſſo, innaturale vſurpatur: aut vtriuſque coniugis ſemen data opera non ſimul emittitur. 563
9 An ſit lethale crimen viro cum vxore concubente coitum inchoatum non abſoluere. 564

DISPVTATIO L.

De vſus ac debiti coniugalis obligatione.

Sect. 1. An ſit obligatio præcepti actus coniugalis quoad petitionem debiti, & cuius virtutis ſit. 565
2 An coniuges teneantur ad redditionem debiti. 567

3 An,& quomodo coniuges obligentur ad mutuam cohabitationem, ne impotentes conſtituantur ad reddendum debitum. 568
4 Quibus excuſetur coniux à redditione debiti. 569
5 An quoties coniux peccat exigendo, ſit coniux reddens ſimilis culpæ reus. 570

DISPVTATIO LI.

De voto ſimplici caſtitatis, Religionis, non contrahendi matrimonij, & ſacros Ordines ſuſcipiendi impediente vſum matrimonij.

Sect. 1. AN voto caſtitatis ligatus, matrimonium iniens poſſit petere debitum. 573
2 Vtrum coniux cui debiti petitio interdicta eſt ratione voti caſtitatis, poſſit aliquando, & teneatur petere. 574
3 An voto caſtitatis aſtrictus contrahens matrimonium teneatur ingredi religionem, an potius poſſit illud reddendo debitum conſummare. 575
4 An votum caſtitatis emiſſum poſt matrimonium conſummatum ab altero coniuge ſine alterius licentia ſit validum, & obliget etiam ad non reddendum. 577
5 Ad quid obligentur coniuges, qui vouerunt religionem ingredi. 579
6 Ad quid obligetur coniux qui vouit Ordines ſacros ſuſcipere, vel non contrahere matrimonium, vel non petere debitum. 580

DISPVTATIO LII.

De cognatione ſpirituali, & affinitate matrimonio contracto ſuperueniente, an impediat eius vſum.

Sect. 1. AN coniuges filium ſuum baptizantes, aut in Baptiſmo, vel Confirmatione tenentes, impediantur ab vſu coniugali quoad petitionem, & redditionem. 582
2 An affinitas poſt matrimonium inter coniuges orta impediat debiti petitionem. ibid.
3 Quoto conſanguinitatis gradu debeat perſona carnaliter cognita a coniuge, coniuncta eſſe alteri coniugi, vt coniux ille inceſtuoſus priuetur iure petendi. 583
4 An ſi vxor vi, vel metu à viri conſanguineo cognoſcatur, priuetur poteſtate debitũ petẽdi ibid.
5 Vtrum coniux qui ex ignorantia iuris prohibentis, vel facti, vel pœnæ, efficitur affinis alterius coniugis, priuetur debiti petitione. 584
6 An deſideretur iudicis ſententia, vt coniux inceſtuoſam affinitatem contrahens, debiti petendi facultate priuetur. 585

DISPVTATIO LIII.

De actu coniugali an ſit illicitus, quando eſt dubium de valore matrimonij.

Sect. 1. QVid debeat facere coniux, quæ certò ſcit matrimonium eſſe nullum, nec poteſt hoc probare, ideóque cogitur coniugi cohabitare. 586
2 An coniux qui contraxit mala fide, dubius de illius valore, poſſit licitè petere, & reddere. 587
3 An matrimonio bona fide contracto vtriuſque coniugis, & rationabiliter dubitatur de eius valore, poſſit vterque petere, & reddere. 588
4 An ſi coniux qui bona fide contraxit, poſtea non dubitet, ſed opinetur matrimonium eſſe nullum, poſſit petere, & reddere. 590

DISPVTATIO LIV.

De delectationibus moroſis, & tactibus turpibus coniugatorum.

Sect. 1. AN liceat coniugibus moroſè delectari ſecluſo periculo pollutionis in copula cogitata tanquam præſenti. ibid.
2 An tactus, aſpectus, & verba turpia inter coniuges, licita ſint, ſecluſo pollutionis periculo. 591
3 An liceant delectationes moroſæ, & tactus coniugatis, quando ob aliquod impedimentum eis non licet actum coniugalem exercere. 592
4 An ſemper ſit culpa lethalis vacare actioni in qua præuidetur pollutio præter intentionem ſubſequenda. 593
5 An delectationes moroſæ, tactus, aſpectus, verba turpia inter coniugatos, reddantur illicita ratione periculi pollutionis in alterutro coniuge præuiſi. 594

6 An

6 An ſponſis de futuro licitæ ſint delectationes captatæ ex futuræ copulæ cogitatione; & liceant illis tactus.

7 An inter omnino ſolutos liceant tactus, aſpectus, & verba turpia dicere, vel audire.

DISPVTATIO LV.

De repudio, ſeu diuortio matrimonij quoad vinculum.

SECT. 1. VTrum in lege veteri apud Hebræos per libellum repudij diſſoluebatur matrimonium quoad vinculum. 597

2 An inter Gentiles licuerit aliquando repudium, ſeu diſſolutio matrimonij quoad vinculum. 598

3 Vtrum propter adulterium alterius coniugis fiat diuortium, & diſſoluatur matrimonium quoad vinculum. 599

4 An, & in quibus euentibus nunc in lege euangelica poſſit diſſolui matrimonium quoad vinculum. 600

DISPVTATIO LVI.

De diuortio quoad torum, ob delictum adulterij.

SECT. I. AN & quo iure ratione adulterij alterius coniugis, licitum ſit diuortium perpetuum quoad torum, & cohabitationem. ibid.

2 Quid adulterij nomine ſit intelligendum, vt dicatur illud præbere iuſtam cauſam diuortio perpetuo. 602

3 In quibus caſibus adulterium non ſufficiat ad diuortium perpetuum. 603

4 Vtrum maritus teneatur dimittere vxorem adulterantem perſiſtentem in adulterio. 604

5 Qualis notitia adulterij deſideretur, vt poſſit coniux innocens in foro conſcientiæ ab adultero diuertere, ac ei debitum negare. 605

6 Quid iuris ſit coniugi innocenti poſt factum diuortium. 606

7 Quid liceat coniugi nocenti poſt diuortium, ad Religionem, vel Ordinem ſacrum tranſeundum, vel vt votum ſimplex caſtitatis emittat. 607

DISPVTATIO LVII.

De diuortio quoad torum ob alia crimina ab adulterio diſtincta.

SECT. I. AN hæreſis vnius coniugis cauſam præbeat diuortio ſufficientem. 608

2 An copula ſponte à Catholico habita cum hæretico, poſt notitiam hæreſis, ſit condonatio, ita vt ampliùs non liceat diuertere. 609

3 Vtrum detur compenſatio, ſi vterque coniux ſit reus delicti hæreſis, vel vnus ſit adulter, & alius hæreticus, ita vt neutri diuertere liceat. 610

4 An ſi coniux pertrahat alium ad peccatum, ſit ſufficiens cauſa diuortij. 611

5 An & quando coniugis ſæuitia iuſtam alteri diuortij cauſam præbeat. 612

DISPVTATIO LVIII.

De diuortio quoad torum conſummato matrimonio per ingreſſum ad Religionem.

SECT. I. AN & quo pacto requiratur in coniugato alterius coniugis conſenſus, vt licitè, & validè recipiatur ad Religionem, & ingreſſus ad Nouitiatum. 613

2 An ad professionem eiuſdem coniugati ad Nouitiatum præter licentiam alterius coniugis requiratur licentia Epiſcopi ad valorem illius, vel ſaltem ex neceſſitate præcepti.

3 An ſine licentia alterius coniugis conſummato matrimonio valeat ſecundus ingreſſus ad Religionem per ſolemnem profeſſionem.

4 Quid exigatur, vt ſecundum Iuris Canonici definitionem poſſit alter coniux de alterius licentia ad Religionem tranſire per profeſſionem.

5 Vtrum ſit neceſſaria licentia Epiſcopi ad valorem profeſſionis coniugatorum, vel ſaltem ex neceſſitate præcepti. 620

DISPVTATIO LIX.

De diuortio quoad torum, conſummato matrimonio per ſuſcepti onem ſacrorum Ordinum.

SECT. I. AN vir poſſit ad Ordines ſacros tranſire, abſque vxoris licentia expreſſa, & ſpontanea, & ad quid obligetur. 622

2 An

2 An vxor quæ voto caſtitatis emiſſo licentiam conceſſit viro Ordinis ſacri aſſumendi, reddatur inhabilis matrimonio incundo poſt viri obitum. ibid.

3 Quid exigatur, vt coniugatus fiat Epiſcopus, vel Cardinalis, vxore viuente. 624

DISPVTATIO LX. & VLT.

De neceſſaria iudicis auctoritate, vt licitè fiat diuortium, ſeu dimiſſio coniugis quoad torum, & cohabitationem.

SECT. I. QVa ratione coniuges mutuo conſenſu poſſint facere diuortium. ibid.

2 Vtrum coniux innocens poſſit propria authoritate, nullo ſpectato Eccleſiæ iudicio, debitum negare alteri coniugi propter adulterium. 625

3 An liceat coniugi innocenti propria authoritate diuertere ab adultero quoad habitationem. 626

4 An ſententia diuortij tranſeat in rem iudicatam, ita vt illa ſemel lata, & tranſacto appellationis termino, neutri coniugi liceat reclamare. 627

5 An ſi poſt latam ſententiam diuortij conſtet coniugem condemnatum fuiſſe innocentem, vel vtrumque pariter nocentem, ſit ea retractanda, & coniuges ad priſtinum ſtatum matrimonij reſtituendi. 628

6 An poſt latam ſententiam diuortij, contingat coniugem innocentem labi in adulterium, compenſentur mutuo delicta, & ſit iſte compellendus redire ad coniugem cauſa adulterij dimiſſum. 629

R. P.

R. P. MARTINVS PEREZ AB VNANOA, E SOCIETATE IESV,

DE SANCTO MATRIMONII SACRAMENTO.

DISPVTATIO PRIMA.

De mutuâ ſponſalium promiſſione, ſeu eorum eſſentiâ, & ratione formali.

DE ſponſalibus, veluti matrimonij præambulo, primo loco ſermonem inſtituo, imitatus Gregorium IX. *in* 4. *Decretalium*, vbi de matrimonio actutus, *cap.* 2. à ſponſalibus cœpit. Secutus quoque communiorem Doctorum Theologorum vſum, qui inde initium ſumunt, quia ſunt via quædam, vel quaſi præuiæ cauſæ diſponentes ad matrimonium. De ſponſalibus agunt DD. iuris Pontificij in Decreto, *cauſ.* 27. *q.* 2. Et in Decretalibus tit. *de ſponſalibus*, & tit. *de deſponſatione impuberum*. Theologi cum Magiſtro *in* 4. *à diſt.* 26. *vſque ad* 42. & cum D. Thomâ in additionibus *ad* 3. *partem*, *quæſt.* 43. & non pauci ex Theologis, & Canoniſtis variis peculiaribus tractatibus.

SECTIO I.

Quid ſponſalium nomine intelligi debeat?

RATIO dubitandi ſumitur ex variis rebus, quibus ſponſalium nomen accommodari ſolet. Sponſalium enim vox non vnius eſt ſignificationis. *Primò* enim accipitur pro donis, ſeu muneribus quæ ſponſæ à ſponſo dantur. *Secundo*, pro contracto matrimonio, rato per verba de præſenti, non adhuc conſummato. *Tertio*, pro mutua promiſſione viri, & mulieris de matrimonio contrahendo.

2 Dico itaque *primo*, priorem illam acceptionem ſponſalium pro donis, ſeu donariis, quæ viciſſim ſibi conferre ſolent ſponſus, & ſponſa, non eſſe communi vſu in eo ſenſu à Doctoribus traditam. Patet, quia eſto verum ſit ſponſalia dici aliquandò prædicta dona, ſeu munera, vt habetur *in l.* 1. *C. ſi nupt. ex reſcript. petant.* & *in rubr. & l.* 1. *C. ſi Rector Prouinciæ ſponſalia dederit*, *lib.* 3. *C. Theodoſiani*. In quem ſenſum quoque capiuntur verba illa, quæ ſerui Saulis dixerunt ad Dauid 1. Reg. 18. *Non habet Rex ſponſalia neceſſe.* id eſt, non eget Rex muneribus, quæ filiæ ſuæ dentur à genero ſuo. Denique Varro *lib.* 5. *de linguâ Latinâ* ſcribit, olim pecuniam ipsâ ſponſalium cauſâ promiſſam, ſponſalia vocari conſueuiſſe. Nihilominus tamen meritò Doctores in eâ ſignificatione nomen illud ſponſalium non vſurpant. Quia prædicta dona, ſeu donaria, alio nomine magis proprio, & accommodato donâtur; dicuntur enim, ſponſalitia largitas. Hæc enim fieri ſolet inter ſponſos de futuro, ob matrimonij ineundi ſpem, eiúſque cauſam. quam Hiſpanè vocamus, *Los dones, y joyas, que ſe embian los deſpoſados.*

Dico *ſecundo*, nomen ſponſalium, pro matrimonio rato, non adhuc conſummato, ſumi aliquando in iure, & ipſos coniuges per verba de præſenti, dici ſponſos; hanc verò ſignificationem non eſſe iuxta communiorem vſum receptam. *Prima pars* dicti conſtare videtur ex *cap. tertio loco*, *de præſumptionibus*, vbi agitur de matrimonio rato de præſenti. Fuit enim caſus 3

de quodam iuuene, qui, vt in initio capitis dicitur, in ſponſam per verba de præſenti conſenſerat, eámque volebat vxorem habere, ſeu cum illâ matrimonium conſummare. Conſtitit verò fuiſſe nullum tale matrimonium, propter impedimentum affinitatis priùs contractum, & pluribus manifeſtum. Quæſitum fuit à Papa Clemente III. quid iuris eſſet. Et ipſe reſpondit, vt matrimonialiter non coniungerentur, ſed ſolutis ſponſalibus ſepararentur. Id eſt, vt non conſumment, quia matrimonium fuit nullum; matrimonium verò per verba de præſenti ſoluatur, intellige, de facto, non de iure: quia de iure ſponſalia non tenuerunt propter affinitatem priùs contractam. Illud itaque matrimonium appellat ſponſalia. Idem conſtat ex *c. accepiſti* 2. & ex *c. tuas dudum* 5. *de ſponſà duorum*, vbi ſponſa appellatur, quæ nupta alteri per verba de præſenti, non eſt ab eo carnaliter cognita. Similiter 27. *q.* 2. *c. qui deſponſatam* 12. ſponſa appellatur, quæ contraxerat matrimonium cum viro per verba de præſenti; & *c. coniuges* 6. matrimonium ratum appellatur deſponſatio. In qua ſignificatione ſponſam, ſeu deſponſatam in ſacrâ quoque Scripturâ vſurpari eſt certum, ex *Matth* 1. vbi dicitur de Virgine Beatiſſimâ: *Cùm eſſet Maria deſponſata Ioſeph.* His locis & auctoritatibus rectè probat Vaſquez *de matrimonio. diſp.* 4. *num.* 5 ſponſam etiam dici, quæ merè matrimonio iuncta eſt. Vnde Baſilius Ponce *lib.* 12. *de ſponſalibus. cap.* 1. *num* 2. falsò attribuit noſtro Vaſquez, nullum putaſſe eſſe textum, vnde colligatur, vſurpati ſponſalia pro matrimonio, cùm expreſsè *loco citato* probet prædictis textibus, ſponſam dici, quæ per verba de præſenti matrimonium contraxit. Solùm enim contra Couarruuiam *in epitom.* 4. *libri Decretalium, c.* 1. *n.* 3. *&* 4. dicentem, promiſſiones, & ſtipulationes in matrimonio factas, ſponſalia quoque dici conſueuiſſe, ait Vaſquez, id neque ex iure aliquo, vel antiquo auctore probari. Non verò idem aſſeuerat de matrimonio rato, & de coniugatis per verba de præſenti. quod vt valdè diuerſum debuiſſet Baſilius animaduertere. Ratio verò, cur ipſe contractus matrimonij rati per verba de præſenti, & ipſi ſic contrahentes appellantur in iure *ſponſi*, traditur à S. Thoma *in additionib. q.* 43. *a.* 1. *ad* 6. Quia videlicet in ipſo matrimonij rati contractu includitur tacitè promiſſio de præſtando in futurum officio mutuo coniugali, ſaltem per ſe & communiter loquendo. Nam qui ſic, ſaltem communiter contrahunt, quodammodo ſunt adhuc promiſſi reſpectu effectûs, ſeu vsûs matrimonij; atque ideò nomine ſponſalium tale matrimonium intelligi poteſt. Nam ſponſalium nomen deducitur à verbo *ſpondeo*, quod idem eſt ac ſpontè promitto, quaſi ſponſalia ſint, & eſſe debeant promiſſiones ſpontaneę, ſeu voluntariæ. *Secunda pars* dicti manifeſta eſt, quia ex communi vſu, & modo loquendi, qui iam matrimonium actu contraxerunt, licèt illud non conſummauerint, dicuntur abſolutè, & propriè nupti, & coniugati. Et in iure vocantur vir, & vxor, vt conſtat ex c. *omnes res* 4. *& c. cùm initiatur* 5. *& c. coniuges* 6. *& c. coniux* 9. 27. *q.* 2 Et in Euangelio idem clariùs liquet ex illis verbis Matth. cap. 1. *Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ*; & ex illis aliis: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Ratio verò cur non dicantur iuxta frequentiorem vſum ſponſi, ſeu promiſſi abſolutè, eſt, quia iam non ſunt in ſpe, ſed in re matrimonium adepti. Dici verò conſueuerunt cum addito, ſponſi de præſenti.

4 Dico *tertio*, in vſu communi rigoroſiori, & propriiſſimo, nomen ſponſalium ſumi pro ipſa promiſſione mutuâ viri, & fœminæ de contrahendo inuicem matrimonio. In quo ſenſu à nobis hic accipitur ſponſalium nomen. Hanc eſſe propriam illorum ſignificationem oſtendo *primò*, ex ipſo nomine. Nam ſponſalia à ſpondendo dicuntur, iuxta Vlpianum *l.* 2. *ff. de ſponſalibus. Spondeo* autem idem eſt ac ſponte promitto; quaſi ſponſalia ſint, & eſſe debeant promiſſiones valdè ſpontaneæ, ſeu voluntariæ, vtpote quæ ordinantur ad matrimonium: quod ſicut valdè oneroſum, ita etiam ſummè voluntarium eſſe debet, vt validum ſit. Olim mos erat, vt puella nuptura ſponderetur, ſeu promitteretur viro à patre, vel à tutore, vel ab amicis. Vnde qui promittebantur, dicebantur ſponſi, qui verò promittebat ſponſor; contractus verò ſponſalia. Nunc verò ad illos, qui ſuo nomine contrahunt ſponſalia, maximè pertinet vox, & nomen *ſponſi*. Vnde vir ſponſus, & fœmina ſponſa appellantur; qui ſibi futuras nuptias inuicem promittunt. *Secundò* roboratur prædicta ſignificatio, quia ipſa ſponſalia ordine naturæ, & temporis præcedere ſolent contractum matrimonij. Quamuis enim nuſquam lege cautum ſit, vt matrimonium contracturi, promiſſionem de illo contrahendo præmittant; decenter tamé, velut honeſtum quoddam proœmium, ineundo coniugio præcedere ſolent, vt clarè ſupponitur *in c. veſtrates* 3. 30. *q.* 5. vbi dicitur matrimonia poſt ſponſalia, quæ futurarum ſunt nuptiarum promiſſa, celebrari. Et meritò, vt nimirum res ipſa tanta maiori ſolemnitate, & æſtimatione peragatur, ne vilis habeatur ſponſa ſtatim ſponſo tradita. Mirum enim auget charitatis, & amoris deſiderium, eius rei, quā appetat, dilatio. Vnde rectè habetur *c.* 29. *inſtitutum eſt* 27. *q* 2. ſpōſas iam pactas non eſſe ſtatim tradendas, ne vilē habeat ſponſus datā, quam non ſuſpirauerit ſponſus dilatam. Quoniā, vt addit Gloſſa *ibi*:

Gratior eſt fructus, quem ſpes productior edit.

Denique ſponſalium nomen propriiſſimè ſignificare futurarum nuptiarum mutuam promiſſionem, firmo quoque; quia ſponſalia ſunt quaſi via quædam, & diſpoſitio ad matrimonium, vt docet S. Thomas *in* 4. *d.* 17. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 6. Sunt enim præuia ad ipſum matrimonium meliùs, ac maturiori conſilio contrahendum, & ad indiſſolubilem matrimonij obligationem maiori præmeditatione ſuſcipiendam. Vnde Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. Decreto *de reformatione cap.* 1. prudenter decreuit, vt publicæ denunciationes matrimonio contrahendo ſint præmittendæ. Id enim moraliter vix poteſt fieri, quin expreſſa, vel ſaltem tacita matrimonij contrahendi mutua promiſſio, quam ſponſalia dicimus, contractum matrimonialem antecedat. In hoc igitur tractatu ſponſalium nomen accipio in hac rigoroſâ ſignificatione pro mutuâ de futuro matrimonio promiſſione, iuxta communiorem Theologorum, Canoniſtarum, ac Iuriſperitorum doctrinam, & ſenſum.

Ex dictis colligo cum Couarruuiâ relato *d. c.* 1. *in fine*, & aliis; quoties in diſpoſitione aliqua ſiue legis, ſiue teſtamenti, codicilli, aut cuiuſuis alterius contractus, fit mentio de ſponſis, eſſe tunc talem diſpoſitionem intelligendam ſolùm de his, qui nondum contraxerunt verum matrimonium, neque ratum, neque conſummatum, ſed tantùm ipſum ſibi mutuò promiſerunt, niſi ex circumſtantiis talis eius diſpoſitionis legalis, teſtamentariæ, aut alterius ſimilis diuerſum quid manifeſtò conſtaret. Et ratio eſſe poteſt, quia prædictarum diſpoſitionum, & legum verba debent intelligi iuxta communiorem vſum, & modum loquendi magis ab hominibus receptum, 5

Addit tamen, & rectè, noſter Sanchez *lib.* 1. *de ſponſalibus, diſp.* 1. *n.* 2. quando ob alias circumſtantias maneret adhuc eius diſpoſitionis, legis, vel ſtatuti dubia mens; tunc quidem in re fauorabili poſſet,

&

& deberet intelligi, etiam vera vxor, aut maritus per dictæ nomen ſponſi, aut ſponſæ; ſecus verò eſſet in re odioſâ. Sicut etiam pariter in eadem ſola re fauorabili, licèt non in odioſa, nomine mariti, vel vxoris, aut cõiugis venire poſſunt, & debent, non ſolùm qui verum ſuum matrimonium conſummarũt, ſed etiam illi, qui ipſum ſuũ matrimonium habent ſolùm ratum de præſenti. Imò etiam illi, qui dictum matrimonium habent ſolùm ſibi promiſſum de futuro. Quod verum iudico cum eodem Sanchez, quando in vtriſque eſt eadem fauoris ratio; ſecùs verò ſi è contra: vt videtur contingere *in c. ſi vero, de ſententiâ excommunicationis*. In quo deciſio illa, percuſſorem Clerici turpiter inuenti cum vxore, non eſſe excommunicatum, extenditur à Doctoribus, vt nomine vxoris comprehendatur quoque ſponſa de præſenti nondum cognita, quia eſt eadem ratio: nam mens Pontificis excuſantis maritum ab eâ excommunicatione fuit ob iniuriam adulterij ſibi illatam, ob quam iure ciuili conceditur ipſi accuſatio, & quia vix poteſt continere dolorem. Hæc eadem ratio militat in ſponsâ de præſenti, cùm committatur cum ea adulterium, & ius ciuile æquè concedat viro accuſationem huius adulterij. Non verò id extenditur ad ſponſam de futuro, quia non eſt eadem ratio, cùm non eſſet alieni thori violatio, ſeu adulterium, vt infrà dicetur. Notandum verò, tunc legem, vel conſtitutionem continere fauorem, quando primò, & directè intendit fauere alicui, quamuis indirectè alteri ſequatur damnum, & ſit illi odioſum: vt videre licet in ſtatuto prædicto percutientis Clericum turpiter agentem cum vxore; quod licèt ſit odioſum Clericis, cenſetur materia fauorabilis, quia in eo intendit Pontifex per ſe primò, & directè fauere iuſto dolori percutientis.

6 Opponit contra Sanchez circa hanc doctrinam Baſilius Ponce *c. 1. cit. num. 3.* dicens, eam non eſſe in vniuerſum veram: & ſibi placere quod Duarenus animaduertit, nihil periculoſius eſſe in iure, quàm per vniuerſas theſes aliquid definire, quia ſunt fallaces huiuſmodi regulæ, & ferè nihil firmi habent. Verùm non video quo fundamento pungat prædictam doctrinam, quam nec Sanchez in vniuerſum, ſed cum ſufficienti, ac debitâ tradit moderatione; nec eam impugnat ratione, vel aliquo iure eius fallaciam oſtendens, quod debuiſſet præſtare, vt, quod Duarenus obſeruauit, rectè & ad rem præſenti inſtituto applicaret. Conſtet igitur ſponſalium nomen in prædictâ tertiâ ſignificatione in hac materia eſſe vſurpandum, & de illis præſertim in his diſputationibus de ſponſalibus, prout ſunt promiſſiones matrimonij contrahendi, ſemper loquemur.

SECTIO II.

Quænam ſit ratio formalis, & propria ſponſalium definitio.

1 Rationem formalem ſponſaliũ exacta eorũ eſſentialis definitio cõprehendere debet, & explicare. Communiter Doctores cum Magiſtro *in 4. d. 27.* ſponſalia ſic definiunt: Sponſalia ſunt, viri, ac fœminæ compromiſſio de futuro matrimonio contrahendo. Alij idem exprimunt, dicentes, ſponſalia eſſe mutuam promiſſionem matrimonij inter perſonas iure habiles. Gregorius de Valentia *diſp. 10 generali q. 2. p. 1.* Toletus *lib. 7. inſtructionis Sacerdotum, c. 20.* Baſilius *lib. 12. c. 1. n. 4* & alij ſic definiunt: Sponſalia ſunt, mutua promiſſio futuri matrimonij ſigno aliquo ſenſibili expreſſa.

Perez de Matrimonio.

Eadem ſponſalia *l. 1. ff. de ſponſalibus*, ſic definiuntur: Futurarum nuptiarum repromiſſio; id eſt, reciproca, ac mutua promiſſio. Nam repromiſſio, apud Iuriſperitos, mutua promiſſio eſt. Et patet, quia in ſponſalibus ex eo quòd vnus promittat matrimonium, & alter repromittit. Neque enim repromitteret ille, cui nota non eſt præcedens alterius promiſſio.

Denique ſponſalia à Nicolao Papa *c. noſtrates 30. q. 5.* definiuntur iuxta veterem editionem; futurarum nuptiarum promiſſa. quam vltimam particulã, *promiſſa*, in plurali numero vſurpatam, docet benè noſter Ludouicus Mæratius *diſp. 11. de matrimonio, ſect. 2.* ſignificare mutuam promiſſionem duorum. Sicut etiam, meo iudicio, non aliã de cauſâ, ſponſalia dicuntur in numero plurali, niſi vt intelligatur, ſpõſalia non eſſe qualemcumque nuptiarum ſponſionẽ, ſed ſponſionem mutuam, ac reciprocam duorum, atque adeò vtrinque inter ſponſum, & ſponſam datam, & acceptam, quâ viciſſim alter alteri ad contrahendum matrimonium ſuo tempore, ſeſe obligat. Iuxta nouam verò editionem, textus citatus non habet, *promiſſa*, ſed, *promiſſio*, quod idem eſt; nam ſubintelligi debet mutua, ſeu reciproca. Quare iuxta prædictas definitiones conſtat, rationem formalem ſponſalium in hac mutuâ promiſſione de matrimonio futuro conſiſtere, & ſponſos eſſe, qui ſibi mutuò matrimonium promiſerunt.

Mihi videtur, iuxta dictum cap. *noſtrates*, accurata, exacta, ac eſſentialis ſponſalium hæc definitio. *Promiſſio mutua matrimonij futuri.* Explicantur ſingulæ partes. Dicitur, *promiſſio*. quia ad rationem ſponſalium non ſatis eſt voluntas, vel propoſitum nubendi in poſterum, niſi promiſſio accedat. Nam, vt videbimus, ſponſalia includunt obligationem de iuſtitiâ ad contrahendum; quam non inducit, nec inducere poteſt ſola voluntas, ſeu propoſitum, ſed promiſſio. Quare ſi quis fœminæ dicat: Volo te vxorem ducere, accipere, vel habere; præciſè ex vi verborum non contrahit ſponſalia; quia prædicta verba non ſignificant promiſſionem, ſed nudum deſiderium, vel propoſitum. Dixi *præciſè*; nam tales circumſtantiæ poſſunt concurrere, vt illa verba ſufficiant ad ſponſalia: ſi nimirum proferens intendat verè promittere, & alter ſimilia verba adiungat eâdem intentione, cognoſcens intentionem primi proferentis, & promittentis. Itaque promiſſio vera ipſis ſponſalibus neceſſaria eſt, ac eſſentialis. Ponitur, *mutua*, quia tametſi ſatis videtur eſſe ſimplex alterius tantùm promiſſio, vt nimirum promittens alteri obligetur; niſi tamen alterius compromiſſio accedat, non conſtituentur ſponſalia. Ratio à priori eſt, quia ſponſalia ſunt verum pactum, & contractus oneroſus, qui parem vtrinque obligationem importat; vnde eſſentialiter dicit, mutuum duorum conſenſum in idem, mutuam in eiſdem obligationem inducentem: iuxta definitionem contractus, traditam ab Vlpiano, & ab omnibus receptâ, quæ eſt, vltro, citròque obligatio; ſeu obligationem viciſſim inducens. Vel clariùs: Cõtractus eſt ſignum externum, practicum vltro, citròque obligationem ex conſenſu contrahẽtium pariens. Quare, ſponſalia, ſicut & matrimonium nullatenus claudicare debent. Vnde ſicut certiſſimum eſt, matrimonium non eſſe, niſi duorum mutuã, ſeu reciprocam ſuorum corporum tradentium poteſtatem; ita nec ſponſalia eſſe, niſi duorum mutuam ſuorum corporum promittentium poteſtatem. Quæ enim res vi matrimonij traditur, vi ſponſalium promittitur. Denique ponitur in definitione ſponſaliũ particula illa *matrimonij futuri*, tanquam ſpecificatiuum illorum, quo eſſentialiter conſtituuntur, & vt ſic diſtin-

guuntur à qualibet aliâ mutuâ promiſſione, & quolibet alio contractu. Nam ſponſalium mutua promiſſio reſpicit immediatè, & proximè vt obiectum matrimonium contrahendum, à quo ſpeciem ſumit. Vnde ſi vnus promitteret futuras nuptias, alter verò aliquid aliud valdè diuerſum: tametſi facerent contractum alium oneroſum obligantem, ſed non efficerent ſponſalia; quia illa mutua promiſſio non haberet pro obiecto immediato futurum matrimonium, nec illi duo reſpicerent idem matrimoniam, quod eſt eſſentiale ſponſalium obiectum; vnde in ordine ad ſolum illud dicuntur promiſſi ipſi, ſponſi. Prædictâ etiam particulâ clarè dignoſcitur differentia inter matrimonium, & ſponſalia. Aliud enim eſt matrimonium contrahere, aliud verò ad matrimonium contrahendum ſe obligare. Sicut multum diſtant pecuniam mutuam dare, aut promittere ſe daturum. *l.ſi pœnam, ff. de verborum obligationib.*

3 Hinc colligo *primò*, in prædictâ definitione verũ & integrum formalem, & eſſentialem conceptum ſponſalium exprimi, ac declarari. Quia in eâ explicatur genus, & differentia; nam mutua promiſſio habet locum generis, in quo conuenit iſte ſponſalium contractus cum aliis contractibus oneroſis: alia verò particula *futuri matrimonij*, præſtat locum differentiæ, per quam differt à reliquis.

4 Colligo *ſecundò*, eſſentialem ſponſalium definitionem non egere particulâ illâ, *viri, & fœminæ*; ſicut neque illâ aliâ, *inter perſonas iure habiles*. Nam totum id manifeſtè includitur, & exprimitur illâ priori noſtræ definitionis particulâ, *promiſſio mutua*. Nam mutua promiſſio vinculum exprimit vtriuſque veram inducens obligationem. At inter perſonas, quæ non ſunt vir, & fœmina, & etiam inter virum, & fœminam, qui ſunt iure inhabiles, nequit eſſe matrimonij vera, ſeu valida promiſſio, quia nequit vllum eſſe vinculum talem obligationem inducens. Ob ſimilem rationem in prædictâ ſponſalium definitione non deſideratur illa alia particula, *ſigno ſenſibili expreſſa*. Quia eſto veriſſimum ſit, neceſſarium eſſe ſponſalium promiſſionem innoteſcere contrahentibus aliquo ſigno ſenſibili, & pacto quo id infrà explicabimus; tamen id iam includitur, & exprimitur prædicta noſtræ definitionis particulâ, *mutua promiſſio*, quia aliàs non poſſet eſſe reciproca, & mutua: neque enim ex duobus repromitteret ille, cui nota non eſſet promiſſio alterius.

5 Colligo *tertiò*, ad ſponſalia eſſentialiter non requiri arrhas, neque ſponſalitiam largitatem, nec iuramentum. Quamuis enim his accidentibus firmiora reddãtur; eſſentialiter tamen ſolùm poſtulãt, vt vtrinque fiat promiſſio matrimonij contrahendi.

6 Colligo *quartò* ſolam directam, immediatam, ſeu proximam promiſſionem mutuam matrimonij futuri eſſe ſponſalia: nec ſufficere indirectam, & quaſi mediatam ac remotam. Quare qui ſibi mutuo promittunt contrahere ſponſalia, tametſi efficiant contractum obligatorium, non tamen ſponſalia; quia iſta habet pro obiecto immediato futurum matrimonium, non verò illa promiſſio. Vnde promiſſio ſponſalium longè differt à veris ſponſalibus; ſicut promiſſion rei exhibendæ, valdè differt à re exhibitâ. Et ſanè conſtat ſatis de ſe ipſaſmet promiſſiones ſponſalium, non eſſe ipſas formales promiſſiones matrimonij, quæ ſunt formaliter ipſa ſponſalia: ſicut neque etiam ipſa promiſſio faciendi, verbi gratiâ, votum caſtitatis, eſt ipſa actualis, & vera emiſſio, vel effectio eius voti, ideóque neque adhuc obligans ad eam ſeruandam pro tunc, titulo & voto religionis.

Colligo *quintò*, hunc ſponſalium contractum eſſe 7
præuium matrimonio, etiam vt Sacramento nouæ Legis, non verò eſſe Sacramentum, neque aliquid ſacramentale. *Primum* liquet, quia cùm ſponſalia ſint mutua promiſſio futuri matrimonij, neceſſariò debet eſſe contractus quidam naturalis præuius ad alterum matrimonij contractum, qui eleuatur in Lege gratiæ ad rationem Sacramenti. Non enim ſponſalia ſunt matrimonium, ſed præparatio ad illud. Nam aliud eſt matrimonium contrahere, & aliud ad matrimonium proximè contrahendum ſe obligare, & hoc præſtant ſponſalia, vt præuia ipſi matrimonio, etiam vt Sacramento. *Secundum* patet, quia ſponſalia non ſunt ſignum gratiæ à Chriſto inſtitutum; quod requiritur ad rationẽ Sacramenti nouæ Legis. Quòd verò nec ſint ſacramentalia, probatur, quia ex nullo capite conſtat, vel iure Eccleſiam ſponſalia inſtituiſſe tanquam cæremoniam ſacram ad impetrandum à Deo aliquem effectum; quod requiritur ad ſacramentale. Nec obeſt quòd D. Thomas *in 4. d. 27. q. 2. a. 1. ad 6.* dicat: Sponſalia ſunt ad ſacramentalia quædam matrimonij, ſicut exorciſmus ad Baptiſmum. Nam tantùm vult eſſe quid præuium, ſicut exorciſmus ad Baptiſmum; non verò quod ſicut exorciſmus eſt quædam cæremonia ſacra facta ab Eccleſia, quibuſdam orationibus, & ritibus ante Baptiſmum inſtituta; ſic ſimiliter ſint ſponſalia. nam ſponſalia ſolùm approbantur ab Eccleſia eo modo, quo approbantur in iure ciuili, & iure gentium, tanquam contractus quidam naturalis præuius ad matrimonium. Appellat verò hanc præuiam diſpoſitionem ſacramentalia matrimonij, id eſt, præuia ad ipſum matrimonij Sacramentum.

Colligo *vltimò*, in prædictâ mutuâ matrimonij 8
promiſſione, quam conſtituimus ſponſalitij contractus rationem formalem, & eſſentialem, multa inuolui, quæ ſunt in particulari tractanda. Nam cùm prædicta ſponſorum promiſſio debeat neceſſariò eſſe voluntaria, & libera, & verè obliget, neceſſariò debet includere actum intellectus ordinantis, & deliberantis, & voluntatis animum ſe obligandi; vnde oportet explicare ex qua deliberatione, & ex qua voluntate ſe obligandi procedere debeat: cùmque ſit mutua contrahentium, & reciproca promiſſio, non ſufficit quòd interna ſit, ſed debet etiam eſſe externa, adeò vt vtrique innoteſcere neceſſe ſit. Quæ omnia continent ſpeciales difficultates ſequentibus ſectionibus explicandas.

SECTIO III.

Quæ & quanta deliberatio in promiſſione matrimonij ſponſalitiâ, ſit neceſſariò requiſita.

SVppono quid *deliberatio* ſit. Exiſtimo enim cum 1
D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 1 deliberationem non eſſe propoſitum, vel actum voluntatis, ſed eſſe actũ intellectûs, ſeu iudicium, quo intellectus definitè iudicat, & proponit quid ſit eligibile, vel eligibilius, vel quo in materiâ præſenti iudicat expedire, prædictã fieri ſponſalitiam promiſſionem. Vnde licèt propoſitum voluntatis, quod ſubſequitur tale iudicium, ſoleat etiam denominari deliberatum: denominatur tamen deliberatum extrinſecè ab actu intellectus, quia videlicet cum ſufficienti animaduerſione, & iudicio intellectus ſit.

2 Hoc ſuppoſito, certũ eſt ad prædictam promiſſionẽ neceſſariam eſſe aliquam deliberationem. Patet, quia illa non fit ſine conſenſu libero voluntatis; voluntas verò nequit operari ſine præuiâ ratione conſiderante & diſcurrente: ergo eſt neceſſaria aliqua deliberatio, ſaltem illa, quæ ad actum perfectè humanum, & ſimpliciter liberum ſatis ſit. Firmatur, quia abſque ſufficienti deliberatione, & aduentitiâ, nullus actus poteſt eſſe voluntarius, & humanus, ac proinde nec fœcundus ad pariendam obligationem moralem, ſeu humanam; nam vis obligandi naſcitur ex voluntate. At promiſſio ſponſalitia inducit obligationem ex iuſtitiâ. Difficultas eſt, quanta deliberatio requiratur ad illam, vel quæ ſubreptio ſufficiat impedire illam.

3 Nam Felin. Tiraquel. Panormitanus, & alij relati à Sanchez *diſp.* 8. requirunt maturam deliberationem, addúntque non ſufficere plenam ſi ſit repentina, & ex feruore iracundiæ orta. Probant *primò* ex *c. diuortium* 21. *de pœnitentia diſt.* 1. vbi ſic dicitur: *Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum eſt, quàm ſi perſeuerantiâ apparuerit iudicium animi fuiſſe.* Quo canone manifeſtè ſignificari videtur, contractum ſponſalitium, & quemcumque alium calore iracundiæ factum, eſſe nullum iure poſitiuo, niſi poſt iram ſedatam fuerit approbatus.

Secundò, in c. ſicut ex litteris 13. de iureiurando, in 6. iuramentum cuiuſdam Prioris declaratur nullum, quia fuit factum à Priore calore iracundiæ ſucceenſo.

Tertiò, contractus ſponſalitius eſt res grauis, inducens obligationem ad contrahendum matrimonium, rem ex ſe perpetuam: ergo naturâ ſuâ petit maturam deliberationem; quia ſi aliter fiat, & homo maneat ligatus, ſequuntur moraliter multa pericula peccandi mortaliter, quia ſponſalia ſic facta ſtatim diſplicent, & difficilè implentur, ac facillimè violantur.

4 Alij verò, quos refert, & ſequitur Bonacina *de matrimonio q.* 1 *punct.* 4. *num.* 4. ſentiunt maiorem vſum rationis requiri ad contrahenda ſponſalia, quàm ad committendum peccatum mortale. Probant, quia ad culpam mortalem ſufficit conſenſus, & plena aduertentia mali præſentis; ad ſponſalia verò requiritur cognitio futurorum: nam cùm iſta ſint compromiſſio futuri matrimonij, exigunt etiam notitiam, & aduertentiam futurorum; at plus vſus rationis exigitur ad notitiam, & prouidentiam futurorum, quàm ad notitiam, & conſenſum alicuius obiecti, & actus præſentis; ergo. Firmatur, nam iuramentum, & votum, licèt ſit ex plenâ deliberatione, ſi tamen fiat calore iracundiæ, non ligat, vt docent communiter Canoniſtæ, & probant textibus citatis: ſolúmque excipiunt donationem piæ cauſæ, quæ valet etiam facta calore iracundiæ: ergo idem dicendum de ſponſalitiâ actione.

Veriorem iudico oppoſitam ſententiam, quæ decernit, plenam deliberationem, quæ ſufficit ad peccatum mortale, eſſe ſufficientem, & non requiri aliam maiorem ad ſponſalia contrahenda. Ita Sanchez *relatus.* Reginaldus *lib.* 31. *c.* 34. *num.* 246. Gutierrez *c.* 7. *de matrim. num.* 6. Leſſius *lib.* 2. *de Iuſtitia c.* 40. *n.* 2. Coninch *diſp.* 21. & communiter omnes recentiores. Iuxta quam

5 Dico *primo*, plenam deliberationem eſſe neceſſariò requiſitam ad contrahenda ſponſalia. Patet, quia ſponſalia futuri matrimonij ſunt res, & onera valde grauia, quæ inducunt perfectam obligationem: ergo poſtulant plenam deliberationem, & libertatem: hæc enim eſt, quæ habet proportionem cum re graui ſubeundâ ſponte, non verò ſemiplena deliberatio; aliàs enim ſi promittens perfectè non aduertat quid agat, non facit actum perfectè humanum, ac voluntarium perfectam obligationem inducentem, qualis eſt de eſſentia ſponſalium.

Dico *ſecundo*, ad ſponſalitiam promiſſionem exigi, & ſufficere plenam illam deliberationem, quæ exigitur, & ſufficiens eſt ad peccatum mortale. Patet, tum quia ſponſalia ſuapte naturâ obligant ſub peccato mortali, vt oſtendam infrà *diſp.* 6. ergo requirunt deliberationem plenam ad peccatum mortale requiſitam. Tum maximè, quia de eſſentia ſponſaliũ ſolum eſt, quòd ſit actus humanus, & ſufficienter voluntarius, ac liber ad obligationem contractam ſubeundam: ſed ad hoc ſufficit plena illa deliberatio, quæ ad peccandum mortaliter, vel ad alios contractus humanos ſatis eſt. Nam omnis inaduertentia, quæ in re graui excuſat à peccato mortali, efficit, vt actus ſit imperfectè humanus, & voluntarius: ergo è contrario, quæ ſufficit ad peccandum mortaliter, cùm efficiat actum verè humanum, & liberum, etiam ſufficiet ad veram promiſſionem, qua vnus alteri perfectè ſe obligat. Et certè, quis neget, ſi recta ratione ducatur, illam deliberationem, quæ ſufficit ad ſe ligandum reatu æternæ pœnæ, quæ eſt res grauiſſima, non eſſe etiam ſufficientem ad ſe obligandum Deo, vel hominibus vinculo promiſſionis. Firmo idem, nam ea deliberatio plena ſufficit ad obligandum pro voto Ordinis ſacri, & pro voto Religionis, quæ eſt obligatio ſtatûs perpetui: ergo potiori iure ſufficiet ad ſponſalia contrahenda. Similis etiam deliberatio ſufficit ad valorem iuramenti, & ad culpam periurij, & ad peccandum etiam mortaliter contra votum, & contra ſponſalia; ergo & ad obligationem ſponſalium: eſt enim de his omnibus conſimilis ratio. 6

Dico *tertiò*, ad contractum ſponſalitium, vltra plenam deliberationem, non requiri aliam maiorem iure naturæ, vel iure aliquo poſitiuo, atque adeò ſiſtendum eſſe in generali ratione plenæ deliberationis ſufficientis ad actum ſimpliciter liberum. Probatur, quia in primis ex natura rei, ſeu iure naturæ, contractus ſponſalitius non poſtulat, niſi eam plenam libertatem, quæ habet proportionem cum re graui ſubeunda ſponte, & quam ſimilem exigunt alij contractus onerosi, propriè contractus dicti, qui pariunt obligationem, vt non deſit ſubſtantialis conſenſus ac libertas; hæc autem ex natura rei adeſt, ſi ſit plena deliberatio. Præterea, nullum eſt ius poſitiuum, ciuile, vel canonicum, exigens aliam pleniorem, & maturiorem deliberationem. Nec iura ab aduerſariis allegata pro primâ ſententiâ eam requirunt, vt conſtabit ex declaratione ipſorum iurium; ergo. Firmatur, nam ſi vltra plenam deliberationem alia maior poſtulatur in ſponſalibus; nulla certè ratio dari poteſt ad deſignandum gradum huius deliberationis ſufficientis, ac neceſſariæ ad ſponſalitiam promiſſionem: poteſt enim hæc deliberatio eſſe magis, vel minus diuturna, & cum conſideratione plurium, vel paucarum rationum, aut difficultatum, quæ in aliquibus ſponſalibus eſſe ſolent. Item cùm non omnia ſponſalia ſint paria, ad ſponſalia grauiora, vt valida eſſent, poſtulanda eſſet maior deliberatio. Quod ex iure vllo conſtare non poteſt: imò neque moraliter fieri poteſt, itavt de valore vniuſcuiuſque contractûs ſponſalitij habeatur moralis certitudo. Addo, ex ea doctrinâ ſequi non ſolùm in ſponſalibus, ſed etiam in votis, & in omnibus actionibus, & negotiis humanis, quæ grauia ſunt, ma- 7

ſorem deliberationem eſſe ſimpliciter neceſſariam. Fieret etiam pro negotij qualitate, & differentiâ diuerſos gradus deliberationis eſſe poſtulandos ad valorem negotij, ſeu obligationis. Imò vlteriùs ſequeretur, quo peccatum mortale grauius eſt ex ſua ſpecie, vel genere, eo neceſſariam eſſe maiorem deliberationem, vt ad talem culpam imputetur. Quæ omnia falſa ſunt, & à nullo Doctore conceduntur.

8 Dico *vltimò*, plenam deliberationem ſufficere, etiamſi ex iracundiâ, vel aliâ animi paſſione procedant ſponſalia. Ita communiter Doctores. Et patet, quia ſi plena libertas, etiam ex iracundiâ orta, ſufficiens eſt ad reatum pœnæ æternæ: ergo & ad inducendam obligationem minùs grauem, qualis eſt ſponſalium, & matrimonij. Et ratio à priori eſt, quia calor iracundiæ, communiter, & moraliter loquendo, rationis vſum non ita perturbat, vt liberum iudicium non relinquat; vnde, non obſtante paſſione, homo ſatis aduertit, quid faciat, & quid commodi, vel incommodi ſit in tali actione, vt eligi debeat, vel repudiari, quamuis id fiat nimiâ celeritate, quaſi præcipitatione quadam; ergo non obſtante illâ, poteſt vnus alteri ſe perfectè obligare. Quòd ſi in aliquo caſu raro, calor iracundiæ tantus eſt, vt mentem abſorbeat, & liberum iudicium non relinquat; certum eſt, nulla eſſe ſponſalia tunc contracta; quia hæc ſunt contractus humanus, qui ſine plenâ deliberatione eſſe non poteſt; ſicut neque abſque illâ committitur culpa mortalis. Et non ſolùm in paſſione iræ, ſed etiam in amore, & quacumque aliâ ira perturbante rationem, id verum habet.

9 Hinc colligo *primò*, ſponſalia, & matrimonia facta in furiâ, & ebrietate eſſe nulla, vtpote non humana. Quod intellige, quando contractus fit tempore amentiæ; nam ſi amens habeat lucida interualla, tunc contractus celebratus tenet, quia contrahens gaudet libertate. Similiter valet, ſi contrahens ſanæ mentis ſit circa materiam matrimonij, quamuis ſit inſanus circa aliam materiam. Addo de ipſo furioſo, *c. neque furioſus 26. 32. q. 7.* ſic haberi: *Neque furioſus, neque furioſa matrimonium contrahere poſſunt; ſed ſi contractum fuerit, non ſeparentur.* Priorum verborum rationem reddit gloſſa; *quia non poſſunt conſentire*; videlicet ob defectum deliberationis, & poteſtatis. Addit verò ſtatim: *Poſſunt tamen conſentire ſi habeant dilucida interualla.* Poſtrema verba non ſignificant, matrimonium contractum à furioſis eſſe validum; vt aliqui imponunt Gloſſæ, ſed non eſſe diſſoluendum propter ſuperuenientem furiam matrimonio iam contracto. Quare ſenſus illius canonis eſt, furioſos nequire verum matrimonium efficere; tamen matrimonium ante furiam celebratum non eſſe diſſoluendum ob furiam poſtea ſuperuenientem.

10 Colligo *ſecundò*, ſponſalia cum inſufficienti, ſeu abſque plenâ deliberatione contracta, ſicut nullo modo ſunt ſponſalia, ita ne quidem ſub veniali obligare. Ratio eſt, quia id habet peculiare contractus ſponſalitius, vt nunquam poſſit etiam ex contrahentium voluntate, obligare ſub veniali tantùm: vt latè oſtendo infrà *diſp. 6.* præſertim *ſect. 3.*

11 Quæret aliquis, quo ſigno diſcerni poſſit, quando contractus ſponſalitius ſubitò factus, ſit validus, vel inualidus ex perturbatione, vel inconſideratione rationis. Breuiter dico, nullum ſignum certum, infallibile poſſe circa hoc dari, ſed prudentis arbitrio opus eſſe, quò ſpectanda eſt rationis aduertentia. Nam ſi tanta fuit paſſio, vt homo non attenderet, quid ageret, tunc indeliberata fuit actio, & inſufficiens ad ſponſalia; quia etiam ad peccandum mortaliter non ſufficeret. Si verò nec ſubita paſſio, nec breuitas temporis abſtrahit ſufficientem aduertentiam cùm aliqua collatione eius, quod agebatur cum actu oppoſito, ſine vllo ſigno perturbari diſcurſus, tunc paſſio non abſtulit ſufficientem deliberationem.

Ad argumenta primæ ſententiæ.

Ad primum, omiſſis aliorum ſolutionibus, reſpondeo cum Gloſſâ, in illo textu ſolum ſtatui, diuortiũ non deberi ratum haberi, quod animi perſeuerantiam non habet. Vnde ſi mulier calore iracundiæ, quamuis liberè, à marito ſuo diuertat, puniri non debet, niſi perſeuerantiam habuerit. Hoc autem ſpecialiter ſtatuit ius de diuortio; vt nimirum quando coniux ex ſubitâ irâ, quaſi diuortium facturus, à coniuge diſceſſit; præſumit ius, non tâm id feciſſe feriò, ac verâ voluntate diuertendi, vel accuſandi, quàm vt animi commotionem, ac iram ſignificaret: ſicut ſæpè irati coniuges ſibi mutuò diras imprecantur, cùm tamen grauiter dolerent, ſi quid eorùm, quæ alteri imprecantur, accideret. Hoc autem ſpeciale, quod ibi ſtatuitur, non debet extendi ad alia; multò minùs ad contractum ſponſalium factum cum verâ, & plenâ voluntate contrahendi. 12

Ad ſecundum dico, caſum illius textus fuiſſe, vt notat Gloſſa, quòd Prior cuiuſdam Monaſterij iracundiæ calore commotus, iurauit, ſe in clauſtro eiuſdem Monaſterij, in quo profeſſionem fecit, de cætero cum certo Monacho non moraturum. Abbas ſuus dubitauit; ſuper hoc conſuluit Papam Vrbanum III. Et ipſe reſpondet, non fuiſſe licitum illi Monacho temerarium, ſeu illicitum iuramentum facere contra fidem ſuæ profeſſionis, & ſuæ ſtabilitatis propoſitum. Vnde mandat eidem Abbati, vt pœnitentiam illi iniungat, & in clauſtro, quod abiurare non potuit, ſtabilitate perpetuâ ſuam pœnitentiam exequatur. Hinc autem nihil cõtra noſtram doctrinam probatur; quia non declaratur iuramentum illud nullum, quia factum ſit calore iracundiæ, quamuis ſic fuerit factum, ſed quia fuerit de materia illicitâ. 13

Ad tertium, conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Quamuis enim iuxta prudentem modum operandi requiratur ad ſponſalia maior deliberatio, quàm ad alias communes actiones, & quo ſponſalia ſint grauiora, eo maior ſit adhibenda conſideratio; inde tamen non fit, vt ſi in hoc defectus aliquis committatur, ſtatim ſponſalia ſint inualida, niſi tanta ſit indeliberatio, vt vſum libertatis ſimpliciter impediat. 14

Ad ſecundæ ſententiæ argumentum, negatur antecedens, quia ea futurorum prouidentia neque ex natura rei, neque ex aliquo iure requiſita eſt. Imò ſi ea deſideraretur in ſponſalibus contrahendis, incautè à iure præſcriptum eſſet tempus ſeptem annorum, vt ineantur ſponſalia, cùm in eâ ætate vix vlla poſſit eſſe cognitio, aut prouidentia futurorum. Tunc etiam vix contingit vnquam haberi rationis vſum perfectiorem eo, qui ad mortalem ſufficit culpam: nam eâ tenerrimâ ætate, neque habet puer præſentium prouidentiam, nedum futurorum. Vide quæ dicuntur infrà *diſput. 5. ſect. 6. num. 4.* 15

Ad confirmationem conſtat ex dictis, antecedens falſum eſſe, neque ex vllo textu colligi poteſt oppoſitum. Solùm enim dici poteſt, iuramenta, & vota facta ex iracundiâ, tametſi ex plenâ deliberatione, tametſi non ſint irrita, habere tamen iuſtam cauſam cur irritari, vel diſpenſari poſſint. Et quoad hoc poſſet habere locum exceptio de donatione piæ cauſæ in cuius fauorem, etiamſi mente perturbatâ fiat, non irritatur.

SECTIO

Digitized by Google

Sectio IV.

An ad ſponſalium validitatem ita neceſſaria ſit actualis deliberatio, & aduertentia, vt non ſufficiat virtualis?

1 Actualis, ſeu formalis deliberatio dicitur ipſa actualis aduertentia intellectus exiſtens in ſe ipsâ, & perſeuerans in eomet inſtanti, in quo fit opus. Virtualis verò deliberatio dicitur, quæ fundatur in præcedenti deliberatione formali eiuſdem actus, quæ licèt non exiſtat actu, & in ſe formaliter, manet tamen in virtute, & moraliter cenſetur durare, & influere tempore, in quo fit tale opus. Qui modus virtualis deliberationis ſolet explicari exemplo intentionis miniſtrandi Sacramentum, quæ formaliter aliquando præceſſit, & licèt in ſe non duret, tamen eſſe virtualiter cenſetur, quando nec retractata eſt, ſed ab illa adhuc mouetur homo ad operandum. Simile eſt in præſenti materia, ſi quis deliberauit promittere matrimonium Franciſcæ, poſtea verò eo tempore, ac momento, quo promittit, diſtrahitur ab illa actuali deliberatione, & cogitatione, nam ea diſtractione non obſtante cenſetur operari cum virtuali deliberatione, & propoſito promittendi.

2 Noſter Gaſpar Hurtado *diſp. 1. diffic. 9. num. 33.* cenſet ad valorem contractus ſponſalitij, & cuiuſcumque alterius, non ſufficere deliberationem hanc virtualem, ſed requiri deliberationem actualem, ſeu formalem; itavt qui ex inconſideratione naturali actuali fuerit factus, ſit nullus. Probat, quia quicumque contractus, vt ſit validus, & fœcundus ad cauſandam obligationem, debet eſſe humanus, ſeu liber in ſe, & ratione ſui, quia ipſe ratione ſui, & in ſe eſt moralis cauſa, ex qua oritur obligatio ipſius contractus. At in tali caſu, quando contractus fit in totali animi diſtractione, non eſt in ſe, & ratione ſui liber, aut humanus, quia tunc quando fit contractus, nulla eſt libertas, etiamſi antea fuerit, quando antea fuit actualis deliberatio, & voluntas ſe obligandi.

3 Dicendum tamen cum communiſſimâ Theologorum ſententiâ, quam vix vnus oppugnat, ſponſalia (idemque dico de matrimonio, voto, & quocumque alio contractu) vt valida ſint, non exigere expreſſam, & formalem deliberationem contrahendi tunc exiſtentem, ſed ſufficere virtualem. Moueor, quia communis modus agendi in hominibus hic eſt; & hoc modo validi ſunt contractus omnes, teſtamenta, donationes, & actus omnes humani. Quod patet exemplis. Conſtat enim, multos, ac ferè omnes, qui ſuſcipiunt Ordinem ſacrum, eo tempore, quo recipiunt Ordines, non cogitare actu de voto caſtitatis emittendo, imò nec de Ordine, quem ſuſcipiunt: & tamen nemo dubitat, quin validum votum emittant ex virtute præcedentis deliberationis, cuius virtus tunc operatur. Idem contingere poteſt in profeſſione Religionis, & in emiſſione cuiuſcumque voti ſimplicis, maximè ſi exteriori voce fiat; aliàs enim innumeri contractus, & innumera vota eſſent inualida. Igitur idem dicendum eſt de ſponſalibus, & matrimonio, quòd licèt dum celebrantur, non ſit in te ipsâ actualis deliberatio, & aduertentia, propter verecundiam, aut animi perturbationem, vel propter naturalem inaduertentiam, vel diſtractionem ad alias res; ſufficiet tamen, quòd tūc ſit virtualis deliberatio humana, in eo conſiſtens quòd cenſeatur formalis deliberatio præcedens moraliter, & humano modo perſeuerare in actionibus externis, quatenus dimanant ex formali deliberatione præteritâ, & fiunt ratione illius: vix enim fieri poteſt, vt homo aliter operetur, humano, & ordinario modo loquendo; ad valorem autem ſponſalium ab hominibus factorum non eſt exigendus modus exquiſitus, & præter humanam conditionem. Et ratio à priori concluſionis eſt manifeſta, quia in eo caſu interuenit formalis voluntas contrahendi ſponſalia ex propria actuali deliberatione illorum, & illa voluntas moraliter durat, quia retractata non eſt, vt ſupponitur, & illa eſt, quæ virtualiter influit in totam illam actionem; ergo ſufficit ad valorem, & moralem effectum talis actionis.

Hinc patet ſolutio ad argumentum Hurtadi, falſum enim eſt, nullum eſſe contractum, ſi fiat cum actuali inaduertentia. Nam eſto fiat cum illa, adhuc cenſetur contractus humanus, & liber, quatenus procedit à priori deliberatione, & voluntate moraliter permanente. Nam, vt dixi, vix fieri poteſt, vt homo, ordinariè loquendo, aliter humano modo operetur. Et iſte modus ſufficit, vt poſſit ſe obligare, quia talis deliberatio, & voluntas cenſetur moraliter perſeuerare. 4

Sectio V.

An ſufficiat ad ſponſalia deliberatio habitualis, vel ſaltem indirecta, & in cauſa.

De merâ habituali deliberatione, ſicut & de intentione ſolâ habituali conueniunt omnes, non ſufficere ad contrahendū ſponſalia, & matrimonium; ſicut neque ad adminiſtrationem Sacramentorum. Ratio eſt, quia prædicta deliberatio, & intentio habitualis non influit, nec influere poteſt in actionem illam ſponſalitiam, quæ debet eſſe moralis, & humana actio; talis verò eſſe nequit, niſi procedat ab aliquo actu intellectus, & voluntatis, vt dicatur ab illo fieri. Vnde habitibus neque meremur, neque demeremur, quia ex illis præcisè nulla procedit actio humana, & libera. 1

Obiiciet aliquis, ad applicandum ſacrificium ſufficit deliberatio, & intentio habitualis; ſi enim hodie applico Sacrum à me faciendum craſtinâ die pro anima Petri, licèt hæc voluntas non ſit cauſa, quòd ego cras faciam Sacrum; dum tamen non reuocatur, ſufficit, & efficax eſt, ac tribuit Petro fructum illius ſacrificij: ergo ſimilis voluntas ſufficiet ad valorem Sacramenti, & contractus ſponſalitij, licèt non ſit cauſa ponendi illum. Reſpondeo antecedens concedendo: ſicut enim poſſunt aliqua ex nunc donari ſub conditione, ſi craſtinâ die venerint in meam poteſtatem, quâ conditione cras poſitâ, voluntas præterita tranſit in abſolutam, & habet effectum; ita ſimiliter poteſt Sacerdos legitimus diſpenſator fructus ſacrificij donare, vel diſpenſare illum fructum, ſub conditione, ſi ponatur ſacrificium, quæ voluntas habebit effectum, poſitâ conditione. Conceſſo itaque antecedente, negatur conſequentia de ſufficientia ſimilis deliberationis, & voluntatis habitualis ad valorem Sacramenti. Eſt enim diſpar ratio: nam applicatio ſacrificij, cùm ſit quaſi donatio, & diſpenſatio emolumenti, ſequitur naturam donationum, & diſpenſationum, ad quarum valorem in humanis ſufficit voluntas habitualis. At Sacramentum eſt actio ſacra, quæ dum fit, debet fieri ex deliberatione, & intentione ſaltem implicitâ operandi nomine Chriſti, & debet id miniſter ſignificare per ſuas 2

actiones, ad quod requiritur illas eſſe humanas, & procedere humano modo à deliberatione, & intentione humanâ, ac proinde debet procedere ex deliberatione, vel intentione ſaltem virtuali præcedenti ſectione explicatâ, vt ſit actio humana.

3 Inſtabis, caſum eſſe frequentem, nimirum perfici matrimonium, quando coniux vel dormit, vel nihil cogitat de matrimonio, cùm videlicet matrimonium contrahitur per procuratorem. Tunc enim contractus perficitur à coniuge abſente, quando eius procurator alibi præſtat conſenſum; ergo tunc coniux abſens cum ſola voluntate habituali perficit contractum. Reſpondeo, voluntatem illam coniugis abſentis non eſſe merè habitualem, ſed aliquo modo virtualem, quatenus aliquo modo debet eſſe, & verè eſt cauſa operis. Nam licèt coniux ſit abſens, & dormiat, quando perficitur contractus, habet tamen voluntatem præteritam non reuocatam, & ea voluntas eſt cauſa quòd hic alius conſentiat, & ſe obliget, atque adeò quòd eius obligatio veniat ad notitiam procuratoris. Eſt etiam cauſa quòd procurator conſentiat, & eius conſenſus innoteſcat alteri coniugi præſenti, & ita perficiatur matrimonium. Quare ſemper illa voluntas præterita non eſt merè habitualis, ſed eſt aliquo modo virtualis, & cauſa operis præſentis.

Præcipua difficultas eſt de deliberatione, ſeu intentione indirectâ, vel in cauſâ. Vt cùm quis ſcit, verbi gratiâ, ſe in ebrietate, vel ſomno proferre verba ſponſalitia, & deliberat, ac vult, quando eſt ſui compos, per verba tunc poſtea prolata, validè contrahere ſponſalia, ſufficiet ne iſta voluntas in cauſâ?

4 Videtur enim pars affirmãs admittenda. *Primò*, quia ſponſalia tunc in eo caſu ſunt effectus deriuatus ex illa deliberatione, & intentione contrahendi; ergo cenſetur illa intentio virtualiter manere in illo effectu.

Secundò, verum homicidium committit in ebrietate, qui ex deliberatione, & intentione directâ occidendi hominem ſe inebriat; imò etiam & ex deliberatione, & intentione indirectâ, nimirum ſi præuideat futurum homicidium; ergo idem dicendum in præſentia. Firmatur, quia, vt ſuprà oſtendi *ſect. 3.* illa deliberatio ſufficit ad ſponſalia, quæ ſufficit ad peccandum mortaliter, ſed deliberatio prædicta ſufficit ad committendum prædictum homicidium, & conſequenter ad peccandum mortaliter: ergo & ad ſponſalia contrahenda.

Vltimò, ad ſuſcipiendum Baptiſmum ſufficit intentio præterita, etiam ſi adultus poſtea incidat in ebrietatem, vel amentiam; ergo etiam ſufficiet in miniſtro ad miniſtrandum, & in adulto ad ſponſalia contrahendum.

5 Communiter tamen omnes Theologi id negant præcipuè recentiores, qui hac de re diſputant copioſè. Et meritò. Ad cuius veritatis clariorem notitiam eſt obſeruandum, prædictam deliberationem interpretatiuam, & in cauſa, ſeu per moralem imputationem, duplicem diſtingui poſſe. Vna eſt deliberata, & volita in cauſa, ſeu in alio indirectè volito; alia & deliberata, ac volita in alio directè volito. Prior eſt, quæ nullo modo fundatur in deliberatione formali, & directâ, quæ in re ipſa præceſſerit, ſed in ſolâ præuiſione effectus futuri; qui ita moraliter imputatur, ac ſi deliberatio formalis præceſſiſſet. Ita contingit in caſu de ebrio occidente hominem, qui nunquam propoſuit, nec deliberauit formaliter tale homicidium, ſed quia deliberauit de cauſa, nempe de ebrietate non adhibitâ diligentia ſufficienti, ne ſequatur effectus, nempe homicidium quod præuiderat, & cauere debebat, ideo talis actus moraliter imputatur tanquam deliberatus. Et hoc modo dicitur interpretatiuè volitus in alio indirectè volito. Poſterior verò eſt deliberatio in cauſa, quæ verè fundatur in deliberatione formali, & directâ, quæ verè præceſſit; tota verò actio moralis finita cenſetur, cùm data fuit cauſa effectui. Vt videre licet in exemplo adducto ebrij occidentis hominem, qui ante ebrietatem habuit deliberationem, & voluntatem expreſſam, & directam committendi homicidiũ, & eo animo ſe inebriat, vt in ebrietate illud committat. In quo euentu tametſi tota actio moralis finita fuerit in ſtatu ebrietatis, nihilominus talis homicidij actus imputatur illi tanquam deliberatus, & eſt interpretatiuè deliberatus, ac volitus in alio directè volito. Hoc ita præmiſſo,

Dico *primò*, certum eſſe citra vllam controuerſiam, 6
nullam eſſe deliberationem interpretatiuam, vel in cauſa, ſi ebrietas, v. g. præuiſa non fuit, nec præuideri potuit; neque is, qui factus eſt ebrius, præuidit, nec præuidere potuit, ſe in ebrietate conſenſurum in contractum ſponſaliorum, ſeu matrimonium, & conſequenter nulla eſſe ſponſalia. Patet, quia tunc eadem eſt ratio de ebrio, ac de amente, vt contractus ab eo factus ratus, & firmus non ſit, neque vllam inducens obligationem. Cùm enim hi contractus conſenſu deliberato, & ſufficiẽti ad mortale fieri debeãt, & ſine illo nullo modo cõſtare poſſint, ſequitur à tali ebrio, & amente, in quibus talis deliberatio eſſe nequit, neque ſponſalia, neque matrimonium verè contrahi poſſe, & contracta nulla eſſe.

Dico *ſecundò*, etiam videtur clarum cum ſola de- 7
liberatione interpretatiuâ in cauſâ, ſeu in alio indirectè volito, quando non præceſſit deliberatio formalis, & directa de illo, non eſſe valida ſponſalia, & matrimonium, & idem eſt de aliis contractibus, & voto. Ita Sanchez *lib. 1. d. 8. n. 19.* Vaſquez *diſp. 5. c. 3. n. 31.* & communiter Theologi omnes. Ratio eſt, quia ad contrahenda ſponſalia neceſſaria eſt formalis deliberatio, & voluntas ſe obligandi promiſſione, quæ in ſe, ac formaliter libera ſit, & ad illud obiectum in ſe terminetur cum ſufficienti notitia illius: ſiue hæc deliberatio, & voluntas actu duret, quando fiunt ſponſalia, ſiue tantùm eius virtus; ergo niſi præceſſerit intentio, ac deliberatio formalis circa talem voluntatem, nequeunt ſponſalia valida eſſe, cùm voluntas illa debeat eſſe deliberata. Antecedens non videtur poſſe negari: nam obligatio ſponſalium non eſt ex his, quæ inuoluntariè oriri ſolent ex actionibus hominis, vt eſt obligatio ſatisfaciendi ex iniuriâ orta; vel ſuſtinendi pœnam ortam ex culpa, ſed eſt obligatio omnino voluntaria, & libera: id enim manifeſtum eſt in quauis alia obligatione vnius hominis ad alium. At prolatio verborum ſponſalium in ebrietate, licèt poſſit eſſe indirectè voluntaria, ſeu in cauſa; tamen vt eſt formalis promiſſio, & pro vt habet vim obligandi, nequit eſſe voluntaria, niſi virtute alicuius formalis volitionis, ac deliberationis, quæ præceſſerit; quia vt obligatoria ſunt verba ſponſalitia, non continentur in aliis cauſis, niſi formaliter vt talia ſunt intendantur. Quare ebrius ſi cum ſolâ hac deliberatione interpretatiuâ, vel in cauſâ indirectè volitâ contrahat ſponſalia, vel matrimonium, nihil facit, quia conſenſu libero, & debitâ deliberatione caret.

Dico *tertiò*, etiam ſi ſponſalia directè, ac formali- 8
ter intendantur per ſe, & in ſe, & ex eorum deliberatione, ac intentione eligatur cauſa, nempe ebrietas, vt medium præuiſum ad verba ſponſalitia proferenda, & in ipsâ ebrietate proferantur, adhuc non eſſe

valida

Digitized by Google

valida ſponſalia, nec matrimonium, nec votum, atque adeò nulla deliberatio in cauſa, ſeu per moralem imputationem ſufficiens eſt ad valorem ſpõſalium. Ita egregiè Vaſquez *citatus*. Ratio eſt, quia ex deliberatione, & voluntate, quæ præceſſit ebrietatem, & ex verbis in eà prolatis, nulla ratione fieri poteſt contractus: nam contractus, qui etiam verbis, aut ſignis conſtat, debet eſſe actus humanus; actio autem facta tempore ebrietatis, non eſt humana, quamuis procedat ex antecedente libera voluntate faciendi ſponſalia eo tempore, quia ea actio eo tempore facta non procedit ab homine conſtituto in ſtatu humano, ac proinde non eſt humana actio, cùm non coniungatur humano modo cum voluntate præcedente. Ex quo fit, vt prior voluntas libera non cenſeatur moraliter perſeuerare tempore ebrietatis in illa actione externâ: nam deſinit vbi primum homo ſtatum humanum amittit, vt etiam contingit quando homo moritur, vel dormit. Quod à poſteriori probatur, quia etiamſi quis habuiſſet animum dicendi conuitia in aliquem, ſi inebriaretur, & in ebrietate proferret, non cenſeretur iniuriam facere, nec conuitiari: ſicut neque cenſetur mentiri, aut fidem frangere, qui in ebrietate facit oppoſitum eius, quod promiſerat. Vnde periurium ebrij, vel dormientis, etiam præuiſum, & antea intentum, non habet formaliter maliciam periurij, cùm committitur, tametſi ſit, & dicatur effectus peccati: nec erit peccatum reſeruatum, vbi reſeruatur periurium, vt notauit Sanchez *lib. 6. in Decalogum, c. 16. n. 47*. Et quamuis ipſe Sanchez *n.* 44. exiſtimet blaſphemias in ebrietate prolatas antea præuiſas eſſe peccata formaliter; verius tamen Vaſquez 1. 2. *diſp.* 127. *c.* 3. id negat: ſicut enim contumeliæ ab ebrio prolatæ non ſunt formaliter contumeliæ; ſic nec blaſphemiæ, quia non ſunt locutiones humanæ. Et quamuis homicidium, v. g. ſi eſſet reſeruatum, vel haberet cenſuram annexam, contraheretur reſeruatio, vel cenſura, ſi fuiſſet antea præuiſum & volitum, etiamſi fieret in ebrietate, vel ſomno; non tamen periurium prædictum. Ratio diſcriminis eſt, quia iuſtitia, cui peccatum homicidij aduerſatur, non ſolùm prohibet occidere, ſed etiam cauſam apponere, ex qua eiuſmodi damnũ inferatur; ac proinde tam erit contra iuſtitiæ præceptum ponere tales actiones, quàm abſque illis ponere effectum ipſum. At præceptum religionis reſeruãs periurium, v. g. ſolùm prohibet formale periurium; non eſt autem periurium formale, ſed materiale tantùm adducere Deũ in teſtem mẽdacij per verba materialia, ſed per verba formalia, quæ ſola poſſunt eſſe vera adductio Dei in teſtem mendacij, qualia non ſunt verba prolata ab ebrio, vel dormiente. Firmo ampliùs idem tertiũ dictum. Nam prædicta deliberatio & voluntas, ſi ſit de præſenti ante ebrietatem nihil operatur, cùm ſit ſine verbis, & ea deliberatio, & voluntas in ebrietate ceſſat; ac proinde cum verbis in ebrietate prolatis non coniungitur, vt vnum actum moralem, & contractũ efficiat: ſi verò ſit de futuro; ergo pro tempore ebrietatis non eſt conſenſus ſufficiens, niſi poſt ebrietatem tranſeat in voluntatem de præſenti. nam velle in futurum contrahere, non eſt idem, quòd velle nunc contrahere. Denique idem corroboro, quia contractus ſponſalitius, cùm ſit humanus, nequit perfici, niſi per locutionem, vel actionem aliam humanam. At talis non eſt, quæ fit à dormiente, vel ebrio. Quod ſic probo, quia locutio dormientis, vel ebrij ideo non eſt locutio humana, quia non poteſt ſignificare, & exprimere more humano mentem loquentis: locutio enim humana impoſita eſt ad ſignificandam, & exprimendam mentem loquentis, mentem, inquã, præſentem, id eſt, quid nimirum ſentiat tunc de rebus, ſiue præſentibus, ſiue præteritis, ſiue futuris; omnis ergo qui loquitur intendit exprimere, quid tunc ſentiat de obiecto, quod loquitur; vnde per illam locutionem exprimit mentem, quam vel actualiter, vel virtualiter habet, deriuatam humano modo ex priori mente. At verba, quæ profert ebrius, vel dormiens, non ſunt apta ad exprimendam humanam mentem, quam tunc habeat, cùm nullam talem habeat in eo ſtatu: mentem autem humanam merè præteritam nõ ſignificãt, quia non ſunt impoſita ad hoc ſignificandum; neque ex naturà rei eam poſſunt ſignificare: non enim verba prolata à dormiente, vel ebrio poſſunt mentem humanam præteritam prudenter ſignificare cùm poſſit ex aliis cauſis prouenire, quòd illæ voces proferantur ab ebrio, vel à dormiente. Illa ergo verba non ſunt humana, id eſt, non habent modum ſignificandi humanum, prout deberent habere ad conficiendum contractum humanum.

9 Hinc colligo, Sacramentum collatum à Miniſtro in ebrietate exiſtente, non eſſe verum ſacramentum; quia forma prolata in ebrietate, non ſufficit ad effectum à Chriſto inſtitutum. Nam verba illa in ebrietate prolata non ſunt actio moralis, quia omnia, quæ fiunt in ebrietate, etiamſi fuerint præuiſa, non ſunt actiones humanæ, & liberæ; formæ autem ſacramentalis prolatio debet eſſe actio humana, & libera. Vnde ob eamdem rationem intentio illa adminiſtrandi Sacramenta, non dicitur in illis verbis humano modo manere; quia vt intentio præterita virtute dicatur manere in aliquo opere exteriori, illud exterius debet eſſe actio humana; alioquin talis voluntas omnino interrumpitur.

Ad argumenta oppoſita.

10 Ad primum negatur tunc eſſe ſponſalia moraliter deriuata ex præcedenti deliberatione contrahendi, quia tunc in ebrietate non eſt actio humana, quam omnes contractus humani, & Sacramenta poſtulant, nec in ea prolatione cùm non ſit actio humana, poteſt manere intentio virtualis ſtricta, & propria.

11 Ad ſecundum dico, non eſſe verum, & formale homicidium contractum in ebrietate, neque eſſe peccatum formaliter eo modo, quo actus exterior malus manens ſub poteſtate noſtrà cenſetur eſſe peccatũ formaliter. Quod latè oſtẽdi in tractatu *de peccatis diſp. 5. ſect. 5.* cũ Vaſquez *1. 2. diſp. 94. c. 3.* & aliis. Cuius rei hanc rationem adhibui; quia tandiu actus externus eſt capax malitiæ moralis, quandiu liber eſt, & humanus: eſt enim fundamentum bonitatis, & malitiæ voluntarium, & liberũ; atque adeò quando opus externum malum liberum ſemper manet, & ſub noſtrà poteſtate, ſemper eſt formaliter peccatum. At homicidium quod fit in ſomnis, aut in ebrietate libertatem non habet in ſe, ac proinde non eſt formaliter peccatum; quia dum fit, non exercetur humano, & libero modo. Solum ergo eſt liberum, & peccatum in cauſa, ideoque, propriè loquendo, dicitur ſolùm effectus peccati præteriri, nõ verò peccatum formaliter. Vnde propter eamdem rationem verba in ebrietate prolata, cùm non proferantur humano modo, nempe voluntario, & libero, nequeunt eſſe formaliter contractus ſponſalitius.

12 Ad confirmationem, concedo deliberationem internam ſufficientem ad peccandum mortaliter, ſufficere quoque ad contrahendum ſponſalia, cæterùm in obiectis magnum eſſe poteſt diſcrimen; nam ad peccandum non eſt neceſſe velle formaliter malitiam, neque actum vt malum, ſed ſatis eſt velle actum, cui eſt coniuncta malitia; ad ſponſalia verò ſicut & ad votum, nõ ſatis eſt velle proferre verba promiſſionis,

ſed

Digitized by Google

ſed neceſſe eſt velle illa ſub ratione promiſſionis, & obligationis; quæ voluntas manere debet virtute, cùm verba proferuntur: nequit autem manere virtute, cùm verba proferuntur ab homine, quando non eſt ſui compos, ſed eſt ligatus ſomno, vel ebrietate; quia tunc iam non operatur vt homo, ſeu humano modo, & ideo moraliter nequit perſeuerare.

Ad vltimum, optimè reſpondet Sanchez *relatus*
13 *num.* 20. eſſe diſparitatem: nam miniſter debet operari nomine Chriſti, & ſignificare per ſuas veras, & proprias actiones; ad quod requiritur eas eſſe humanas & procedere humano modo à deliberatione, & intentione humana: recipiens autem non operatur vt miniſter nomine Chriſti, nec ſignificat, & ideo non oportet, quòd agat humano modo, ſed ſolùm quòd recipiat: quæ receptio non debet procedere ab intentione; ſed ad ſummum in adultis debet ſupponere intentionem recipiendi.

Contra hanc ſolutionem Baſilius Ponce *lib.* 4. *c.* 1. *n.*
14 13. obiicit ipſi Sanchez; cùm reddit prędictam diſparitatem inter miniſtrum, & ſuſcipientem, rem inexplicatam relinquere. Cæterùm ſi noſter Sanchez in reddendâ prædictâ diſparitate rem inexplicatam reliquit; manifeſtè & ipſe Baſilius neque rem ipſam explicuit, cùm eamdem prorſus rationem diſcriminis, & non aliam reddiderit *n.* 16. vbi ait ex noſtro Vaſquio, ideo eum, qui ante ebrietatem habuit re verâ conſenſum præſentem, ſiue ſponſalium, ſiue matrimonij, non tamen expreſſit tunc verbo, expreſſit verò poſtea cùm ebrius fuit, ideo, inquam, non contrahere, quia ea prolatio verborũ non eſt humana actio, cùm non coniungatur humano modo cum deliberatione, & voluntate præcedente. Cùm ergo non ſit actio humana, quam omnes contractus humani, & Sacramenta poſtulant, non mirum, ſi non fiat contractus, aut Sacramentum; quæ ratio non militat in ſuſceptione, cùm non ſit actio. Quis autem non videat hanc diſparitatem eſſe prorſus eandem cum eâ, quam noſter Sanchez reddidit? Nec certè ad ſolutionem argumenti alia aſſignari poteſt accuratior.

Sectio VI.

An voluntas, ſeu animus promittendi, & ſe obligandi ſit de ſponſalium neceſſitate, ac eſſentia.

EGimus hactenus de actu intellectus ordinantis, ac deliberantis, qui neceſſariò præcedere debet ad contractum ſponſalitium, agẽdum modò de actu voluntatis, ſeu de intentione ſe obligandi ad eiuſmodi contractum. Conſtat enim, hanc eſſe neceſſariam; quia obligatio ſponſalium voluntaria eſt, non eſt autem voluntaria, niſi per actum voluntatis.

1 Certum eſt autem primò ſolum propoſitum contrahendi ſponſalia, etiam ſi de ſe efficax ſit, non ſufficere ad contractum ſponſalitium. Patet, tum quia in genere nemo obligatur ſine voluntate ſe obligandi, vt oſtendemus. At qui habet propoſitum aliquid faciendi, non ſtatim habet voluntatem ſe obligandi. Vt conſtat in ipſo vſu, & experientiâ, aliàs nemo proponeret aliquid, ſi ſtatim ex propoſito obligatus maneret. Et inter homines liquet, longè diuerſum eſſe proponere aliquid dare alteri, vel promittere, aut ſe obligare: quia facere aliquid, & obligare ſe ad illud faciendum, ſunt obiecta diuerſa, vnde poteſt voluntas verſari circa vnum, & nõ circa aliud. Tum etiam, quia in ſpecie obligatio ſponſalium, ſolùm oritur ex ipſis ſponſalibus; qui autem proponit tantùm, ſe contracturum mattrimonium, nondum promittit, quia nec verbis promiſſionem profitetur, neque animo cõcipit, cùm nondum habeat voluntatem ſe obligandi. Hic autem actus circa tria verſari poteſt, ſcilicet vel circa promiſſionem, vel circa obligationem, vel circa executionem, ſeu actionem. De voluntate hac vltimâ exequendi dicam *ſect. ſequenti*, nunc de priori agam; & difficultas eſt, an voluntas promittendi, & ſe obligandi ſit æquè neceſſaria, ita vt ſine vtraq; ſponſalia cõſiſtere, aut intelligi nequeant. Vel potiùs promiſſio facta ex animo promittendi, ſed non cum animo ſe obligandi, poſſit eſſe valida, & ſufficiens ad ſponſalia contrahenda.

Partem affirmantem ſequuntur Sotus, Ledeſma, 2
Aragon, Gutierrez, & alij relati à Sanchez *diſp.* 9. *n.* 4. Idem defendunt Vaſquez *diſp.* 6. *de matrim. cap.* 3. Baſilius Ponce *lib.* 12. *cap.* 2 & Gaſpar Hurtado *diſp.* 1. *diffic.* 10.

Primò, quia ſicut calefactio eſt proprietas ignis, ita & obligatio eſt proprietas promiſſionis: ſed appoſito igne ſequitur calefactio, velit nolit apponens: ergo, poſitâ promiſſione oritur obligatio, velit nolit promittens.

Secundò, qui vult antecedens, vult neceſſariò conſequens. *l.* 1. *ff. ſi vſusfructus*; ſed obligatio ſequitur neceſſariò promiſſionem: ergo qui vult iſtam, non poteſt non velle illam.

Tertiò iuramentum promiſſorium factum cum animo vero iurandi, ſed cum voluntate poſitiuâ non promittendi, nec ſe obligandi, adhuc validum eſt vi iuramenti, vt cum multis tenet Suarez *lib.* 2. *de iuramento c.* 7. *n.* 11. 12 13. & 14. ergo valebit etiam in ſponſalibus promiſſio facta animo promittendi, cum voluntate tamen poſitiuâ ſe non obligandi.

Vltimò, talis promiſſio eſt vera promiſſio, quia, vt ſupponitur, promittens offert alteri verè, & ex animo ſuam fidem contrahendi matrimonium, in quo conſiſtit natura promiſſionis: at ex verâ promiſſione nequit ex natura rei non oriri obligatio ſaltem fidelitatis ad ſtandum rei promiſſæ; ergo. Firmatur, quia ſicut veritas in dicendo obligat ad dicendum verum, ita fidelitas obligat ad ſtandum promiſſis; ſed eo ipſo, quo quis aliquid enunciat, obligatur iure naturali ad dicendum verum, nec eſt in poteſtate eius non ſe ad id obligare; ergo eo ipſo, quo quis aliquid verè promittit, obligatur ad implendum promiſſum, nec eſt in eius poteſtate tollere talem obligationem.

Addit Gaſpar Hurtado contra Vaſquez, & Baſi- 3
lium Ponce talem promiſſionem, tametſi valida ſit ad obligandum ex fidelitate, ſed non ad obligandum ex iuſtitia. Quod probat, quia in poteſtate promittentis eſt, ſuâ promiſſione tantùm offerre fidem, & non conferre ius iuſtitiæ ad rem promiſſam; nam ſufficiẽter ſaluatur natura promiſſionis in obligatione fidei: & conferre ius ad rem, pendet ex voluntate domini rei, quia ius non confertur ſolis verbis abſque animo conferendi; contractus enim, ex quo oritur ius iuſtitiæ in vno, & obligatio iuſtitiæ in altero, coaleſcit ex verbis conferendi ſufficientibus, & ex conſenſu conferendi: ergo dicta promiſſio, quamuis ſit ficta, in ratione contractus, non tamen in ratione promiſſionis, ac proinde tametſi ea obliget ex fidelitate, non tamẽ obligat ex iuſtitia. Firmatur; nam ſicut nemo poteſt abdicari propriâ re ſine proprio conſenſu; ita nemo poteſt habere ius in rem alterius, ſine conſenſu alterius: ex alio verò capite non implicat, vt quis offerat alteri hanc fidem ſine animo conferendi ius in rem promiſſam; ergo ſic promittens manebit obligatus, non ex iuſtitia, ſed ex fidelitate.

4 Partem negantem, nec eſſe tunc ſponſalia, nec ex vi promiſſionis obligare ſentiunt Ricardus, Bonauentura, Angelus, Syluester, Nauarrus, & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. diſp. 9. n. 5.* Idem ſentiunt Coninch *diſp. 21. dub. 2. n. 7.* Bonacina *q. 1. puncto 1. n. 5.* & alij. Probant, quia obligatio eſt naturalis effectus conſequens promiſſionem veram; ergo qui efficaciter vult promiſſionem, efficaciter vult obligationem; ergo è conuerſo, qui efficaciter non vult ſe obligare, ſed omnino oppoſitum, nec vult contrahere ſponſalia, neque ex animo promittere. Firmant, quia omnis obligatio, quæ non eſt ex lege, ortum habere debet ex priuatâ hominis voluntate, volentis ſe obligare; ergo vbi deeſt hæc obligandi voluntas, deeſt quoque & obligatio; & hæc multo magis deficiet, cũ promittens poſitiuè intendit ſe non obligare.

5 Hanc vltimam ſententiam iudico veriorem. Nam exiſtimo omninò repugnare poſſe dari promiſſionem ſine animo implicito, vel explicito ſe obligandi, & conſequenter eo ipſo quòd datur animus efficax non ſe obligandi, non poſſe dari promiſſionem. Ad cuius rei exactam explanationem duo ſunt dilucidanda. *Primum*, an in promiſſione voluntas promittendi ſit diſtincta, re ipſa, vel ſaltẽ ratione à voluntate ſe obligandi. *Secundum*, dato quòd non ſit vna tantùm voluntas, ſed duplex, re diſtincta, poſſit ſtare prima abſque ſecunda.

Circa primum Doctores communiter videntur ſupponere ſecundam voluntatem conſequi ad primam, & conſequenter eſſe re ipſà diſtinctas. Quod declarant in vulgari caſu, in quo fingitur aliquis contrahens ſponſalia, cum voluntate promittendi, & abſque voluntate ſe obligandi, ſed potiùs cum expreſsâ voluntate non ſe obligandi; nam hic caſus non inuoluit repugnantiam: ergo ſignum eſt has voluntates eſſe diſtinctas.

In hac re mihi videtur dicendum

6 *Primò*, voluntatem promittendi eſſe eſſentialem in contractu ſponſalium. Hoc eſt certum & omnes fatentur, & ratio eſt, quia de ratione ſponſalium eſt, vt ſint ſpontanea, & libera; ſed, hoc habent à voluntate: ergo de ratione & eſſentia ſponſalium eſt, vt includant voluntatem. Præterea conſtat ſubſtantiam, & eſſentiam ſponſalium conſiſtere in promiſſione mutuâ matrimonij, vt liquet ex eius definitione ſuprà *sect. 1.* adductâ, & dicemus *sectione vltimâ*: ergo euidens eſt de ratione, & eſſentia ſponſalium eſſe, vt includant non quamuis voluntatem, ſed voluntatem promittendi.

7 Dico *ſecundò*, voluntatem ſe obligandi in ſponſalibus eſſe ipſis eſſentialem, vt ſit vera promiſſio diſtincta à vero, & mero propoſito. Ita expreſsè Leſſius *de iuſtitia cap. 18. dub. 1. n. 5. & cap. 40. dub. 1. n. 6.* Coninch *diſp. 21. dub. 2. n. 7.* & alij. Ratio eſt, quia ſponſalia ſuapte naturâ non ſecus obligationem includunt, quàm promiſſionem; ergo ſicut voluntas promittendi eſt eſſentialis, ita & voluntas ſe obligandi. Firmo, quia qui ſolùm proponit contrahere matrimonium cum Franciſca, v. g. tametſi hoc ei dicat, nihil ei verè promittit, non ob aliam cauſam, niſi quia non intendit ſe ei obligare: ergo promiſſio matrimonij eſſentialiter requirit, vt fiat cum intentione ſe obligandi. Denique idem probo, quia in hac re lex, promiſſio, & votum æquiparantur ſecundùm omnes; nam ſicut per legem obligatur ſubditus à ſuperiore, ita per promiſſionem, vel votum homo ſe obligat homini, vel Deo; ergo ſicut voluntas obligandi ſubditum in ſuperiore eſt eſſentialis legi, vel præcepto; ita voluntas obligandi eſt ad promiſſionem, vel votum eſſentialis.

Dico *tertiò*, voluntatem ſe obligandi in quauis promiſſione eſſe eandem formaliter cum ipſa voluntate promittendi, atque adeò nec ratione ratiocinatâ poſſe has duas voluntates diſtingui, ſed tantùm appellatione nominis. Moueor ad id aſſerendum, quia non apparet ſpecialis aliqua formalitas in affectu ſe obligandi, quæ nõ imbibatur eſſentialiter in affectu promittendi: nam hic eſſentialiter includere debet aliquid, per quod diſtinguatur ab affectu proponendi; id autem nequit eſſe, neque intelligi, niſi affectus ſe obligandi, vt per ſe videtur manifeſtum. Firmo, quia nequit intelligi contractus venditionis, vel ratio donationis alicuius rei ſine affectu, & voluntate eam à ſe alienandi: ergo nequit intelligi vera voluntas promittendi matrimonium cum ſolo propoſito illud cõtrahendi, & non cum voluntate ſe obligandi ad illud contrahendum. Patet conſequentia, quia tam intimum, & intrinſecum eſt voluntati promittendi affectus ſe obligandi, atque intrinſecum eſt, & eſſentiale venditioni, ac donationi humanæ alicuius rei, eam à ſe alienare; nequit enim vlla diſparitatis ratio aſſignari, ſi rectè perpendatur. 8

Hinc dico *quartò*, eum qui promittit matrimonium cum expreſſâ intentione ſe non obligandi, re verâ non intendere promittere, ſed fingere, & ſimulare promiſſionem externâ verborum ſpecie. Patet, quia qui ſic dicit, ſe matrimonium promittere, verè, & à parte rei mentitur; quia contra mentem loquitur, cùm mens interiùs contradicat, ſciens ſe habere affectum contrarium ſe non obligandi, atque adeò non promittendi. Quòd ſi putet, ſe poſſe promittere abſque obligatione, fallitur; quia quid nomine promiſſionis ſignificetur, non intelligit. Vnde verè procedit ex errore circa ſubſtantiam, & eſſentiam actus; atque adeò talis actus nequit inducere obligationẽ. Quia quando actui apponitur aliqua conditio, vel clauſula, quæ eſt contra ſubſtantiam, & eſſentiam actûs, ille actus eſt irritus: ſicut ſi quis dicat, ſe vendere, vel donare rem, ita tamen, vt nolit eam à ſe alienare, nihil facit, quia apponit conditionem contra ſubſtantiam, & eſſentiam venditionis. Ex quo patet ſolutio ad caſum illum propoſitum. 9

Dico *vltimò*, ad ſponſalium conſtitutionem non requiri ſemper actualem intentionem promittendi, vel ſe obligandi ad matrimonium, ſed ſufficere virtualem. Patet, quia eodem modo neceſſaria eſt prædicta intentio, quo eſt neceſſaria aduertentia, ac deliberatio. Quare ſicut hæc ſufficit virtualis, & non eſt ſufficiens merè habitualis, vt latè oſtenſum eſt ſuprà *sect. 4. & 5.* ita idem dicendum de intentione. 10

Circa ſecundum datâ, & non conceſsâ duplici voluntate re ipſa diſtincta, promittendi videlicet, & ſe obligandi; videtur concedendum valida eſſe ſponſalia facta cum voluntate promittendi, etiam ſi facta ſint cum expreſsâ voluntate non ſe obligandi. Quia obligatio eſt effectus omnino naturalis promiſsionis; ergo poſitâ promiſsione non poteſt homo talem effectum impedire ſuâ voluntate: ſed ex vi prioris voluntatis ponitur promiſsio; ergo ex illa oritur obligatio, velit nolit promittens: ergo ſunt valida prædicta ſponſalia. Atque hoc manifeſtè videntur probare argumenta primæ ſententiæ. 11

Dico *primò*, cum Doctoribus ſecundæ ſententiæ, etiam datâ illa opinione de duplici illâ voluntate re ipsâ diſtinctâ, non eſſe valida ſponſalia, nec poſſe dari veram promiſsionem, ſi adſit animus efficax non ſe obligandi. Probo id *primò*, quia quamuis voluntas ſe obligandi non ſit de eſſentia promiſsionis, ſed ſit eius proprietas; tamen poſitâ promiſsione, non eſt in poteſtate promittentis auferre obligationem, quia 12

obligatio

Digitized by Google

obligatio non oritur immediatè ex voluntate, ſed ex promiſſione ipsâ: ſicut quia obligatio oritur ex contractu, non poteſt poſito contractu emptionis, vel venditionis ab eo non oriri obligatio; quòd ſi obligatio non procedat, nec ſubſiſtet contractus, nec valida erit emptio, vel venditio; ergo idem dicendum de promiſſione matrimonij. *Secundò*, id à priori oſtēdo; quia omnis obligatio ex aliqua virtute oritur, & ſine virtute nulla datur obligatio. Id inductione cōſtat; homo enim ſi obligatur ad remuneranda obſequia ſibi præſtita, ideo eſt, quia virtus gratitudinis id petit; & ſi obligatur ad reddendum pretium rei emptæ, ideo eſt, quia id poſtulat virtus iuſtitiæ; & ſi obligatur ad reuerentiam debitam parentibus, ideo eſt, quia virtus pietatis id exigit; ergo eo ipſo quòd aliqua res ſpectat ad aliquam virtutem, talis virtus ita obligat ad rem illam ſuo tempore præſtandam, vt nullatenus poſſit ab eâ obligatione ſeparari; quoniam quælibet virtus ita ſuam propriam infert obligationē, vt illa perſiſtente, hæc nequeat auferri. At promiſſio ſpectat ſaltem ad virtutem fidelitatis, v. g. ergo eo ipſo quòd datur vera promiſſio, non poteſt virtus fidelitatis non obligare: ſicut eo ipſo, quòd datur iuramentum, non poteſt virtus religionis non obligare ad illud ſeruandum. Hinc

13 Dico *ſecundò*, qui ignoraret, etiam inuincibiliter promiſſionem matrimonij contrahendi non habere vim obligandi, etiam ſi verbis promitteret, nullam pareret obligationem, & conſequenter nec verè promitteret. Ratio eſt, quia nequit eſſe vera promiſſio, niſi dependenter à liberâ voluntate promittendi, id eſt, fidem ſuam, ſeu fidelitatem alteri adſtringendi, ac proinde niſi dependenter ab aliqua voluntate obligandi ſe ad faciendum id quod promittitur; caret autem omni huius obligationis voluntate, qui caret omni eius cognitione, quia nihil aliquo modo volitum, quod nullo modo eſt cognitum. Neque enim vllus obligari poteſt, niſi ſpontaneè, ac liberè, quod nequit eſſe, vbi eſt obligationis ignorantia inuincibilis: nam talis ignorantia tollit omnino voluntarium. Nec valet dicere, eum qui vult antecedens, velle cōſequens eum eo neceſſariò cōnexum. Non, inquam, valet, quia hoc, vt ſummum verum eſt, cùm antecedentis natura probè cognoſcitur, non autem cùm ignoratur, vt hic ſupponimus ignorari à promittente, naturam promiſſionis eſſe connexā cum vi obligandi, eamque verè cauſare.

14 Dico *tertiò*, qui ſatis gnarus eſt naturæ promiſſionis, & eius, quam parit ex ſe, obligationis, impoſſibile eſt, vt ſimul habeat voluntatem efficacem propriè promittendi matrimonium; & animum efficacem ſe promiſſione non obligandi. Ratio eſt, quia impoſſibilium, quæ cognoſcuntur talia, nullus efficacem habere poteſt voluntatem: at impoſſibile eſt, poſitâ naturâ veræ promiſſionis, non poni conſequentem ex eâ neceſſariò obligationem; ergo qui vult efficaciter illam naturam ponere, non poteſt efficaciter hanc obligationem nolle; ſed ad ſummum ſimplici affectu, & inefficaci. Et vice verſâ, qui vult efficaciter hanc obligationem non eſſe, velle non poteſt efficaciter illam naturam ponere, ſed vt ſummum ſimplici tantùm, & inefficaci complacentiâ, quam proinde naturam non ponet, quia niſi ex efficaci ponendi voluntate, nequit poni.

15 Hinc colligo; ſi quis fortè reperiretur, dicens, ſe animum habuiſſe verè promittendi: at etiam animum promiſſione ſuâ ſe nullo modo obligandi, vt diiudicaretur, vtrùm eâ teneretur, an non, conſiderandum eſſe circa quod duorum iſtorum efficacem affectum habuerit, cùm circa vtrumque ſimul habere non potuerit. Nam ſi habuerit circa primum, obligatur ſuâ promiſſione, quia efficax voluntas explicita antecedentis, eſt & efficax voluntas ſaltem implicita conſequentis, quod ſcitur ex illo ſequi neceſſariò. Neque enim ſimplex complacentia, quâ vellet, nullam ex ea ſequi obligationem, impedire poteſt, ne ex illa re ipſa ſequatur obligatio; ſicut nec inefficax complacentia, quâ vellet peccans, nullam ex peccato ſequi pœnam, impedire poteſt, ne ex peccato explicitè volito ſequatur re ipſâ reatus pœnæ. Si autem circa ſecundum habuit efficacem voluntatem, non obligabitur: quia cùm tunc habuiſſet inefficacem ſolum affectum circa ponendam veræ promiſſionis naturam, re ipſa eam non poneret, quia illa nequit poni, niſi ex efficaci voluntate: non poſitâ autem re ipſâ naturâ promiſſionis, nullam re ipſâ parit obligationē. Quando verò dubitatur circa quod iſtorum duorum habuerit re ipſâ efficacem voluntatem, id diſcernendū eſt ex ea animi diſpoſitione, in qua tunc fuit. Si enim promittens ita fuit diſpoſitus, vt abſolutè nollet promiſſionem, ſi ex ea erat re ipſa ſecutura obligatio, noluit promiſſionem efficaciter; ſi verò nolens obligationem, ita nihilominus voluit promiſſionem, vt abſolutè vellet, quantumuis eſſet ex eâ re ipſâ obligatio ſecutura, eamdem efficaciter voluit, & conſequenter ipſam re ipſâ contraxit obligationem.

Dico *vltimò*, ſi quis per impoſſibile ſupponeretur habere vtramque ſimul voluntatem efficacem, futurum vt promittens promiſſione ſuâ obligaretur. In hoc conuenio cum Doctoribus primæ ſentētiæ. Moueor, quia in primis efficax voluntas promittendi poneret re ipſâ promiſſionem: nam omnis, qui efficaciter vult promittere, re ipſâ vi voluntatis huius promittit, imò ex eius hypotheſi non poteſt non promittere. At ſi ſemel ponatur vera promiſſio, neceſſariò ſecum affert veram obligationem; non enim vera promiſſio iam poſita obligat ex voluntate promittētis, quaſi vbi ſemel liberè promiſſionem poſuit, habeat in ſua liberâ poteſtate, vt obliget, vel non obliget; ſed ex ſolâ rei naturâ obligat, quam neceſſariò conſequentem ex natura promiſſionis obligationem, nulla libera promittentis voluntas, quantumuis efficaciter velit, & conetur, impedire non poteſt. Non enim aliter homini liberum eſt promiſſione obligare ſe, vel non obligare, quàm quia liberum eſt promittere, vel non promittere. Quod manifeſtè illuſtro exemplo eius, qui ſciens Sacramenta nouæ legis ex ſe cauſare gratiam in ſuſcipiente ritè diſpoſito, ſi poneretur per impoſſibile habere voluntatem efficacem conficiendi Sacramentum, & ſimul voluntatem efficacem non cauſandi per illud hunc effectum Sacramenti; nihilominus certiſſimè cauſaret illum, quia vi prioris voluntatis efficacis conficeret Sacramentum; ex hypotheſi enim huius voluntatis non poteſt non confici: confectum autem cauſat neceſſariò propriū effectum ſuum. Non enim cauſat ex voluntate miniſtri conficientis, quaſi vbi ſemel liberè Sacramentum confecit, habeat in ſuâ liberâ poteſtate, vt cauſet, vel non cauſet; ſed cauſat ex ſola rei naturâ, poſita illius inſtitutione; quam eius cauſalitatem libera miniſtri voluntas, quantumuis efficax, impedire non poteſt; quia miniſtro Sacramenti eatenus tantùm liberum eſt cauſare per Sacramentum effectum Sacramenti, vel non cauſare, quatenus eidem liberum eſt Sacramentum conficere, vel non conficere. Ex dictis facile diſſoluuntur argumenta primæ ſententiæ ſuprà propoſita *num.* 4. prout noſtram doctrinam oppugnant. 16

Ad primum enim, & ad ſecundum dico probare optimè noſtram ſententiam traditam circa ſecundum 17

punctum,

punctum, datâ opinione conſtituente in ſponſalibus eſſe diſtinctas re ipſa duas illas voluntates, ex animo promittendi, & verè ſe obligandi. Quoniam verò nos abſolutè ſentimus eſſe eandem formaliſſimè voluntatem, vt dixi circa primum punctum, ideo negamus excogitari poſſe veram promiſſiooem ſine animo ſe obligandi, cum ſolo animo promittendi.

18 Ad tertiū concedo antecedens, vt verius, nam ſi homo ex animo, & cum verâ intentione iurandi iurat, ſe aliquid ex animo facturum, eo ipſo adducit Deum in teſtem, non ſolùm præſentis veritatis, ſed etiam aſſertionis de futuro, atque ideo eo ipſo, & ex neceſſitate obligatur ad faciendam veram illam aſſertionem de futuro, quantum in ipſo fuerit, & conſequenter non poteſt excuſari ab hoc debito per quamcumque voluntatem non ſe obligandi; quia talis voluntas eſt contra naturalem legem iuramenti, & contra diuinum honorem, & contra ſui teſtimonij autoritatem. Vnde, vt talis voluntas impediret obligationem, deberet impedire, ne fieret iuramentum, ne Deus cum effectu in teſtem adduceretur; poſito verò iuramento nequit componere iuramentum validum cum non obligatiooe. Quare hac in re notanda eſt differentia inter actus humanos, nã quidam ſunt, quorum ſubſtantia conſiſtit in obligatione, vt ſunt contractus, & ſponſalia ipſa, & de his diximus, neceſſe eſſe, vt vis obligandi eſſentialiter includatur in conſenſu ipſo, & voluntate contrahendi. Alij verò ſunt, quorum ratio, & ſubſtantia non conſiſtit in obligatione, ſed ad illos ſequitur tanquam effectus reſultans, & per hos obligatur homo, etiam nolens formaliter obligari, ſi velit exercere actum, ex quo naturaliter ſequitur obligatio. Sic ex iniuriâ illatâ ſequitur obligatio ſatisfaciendi, & ex damno voluntariè, & iniuſtè illato naſcitur obligatio reſtituẽdi, etiam ſi homo in principio habuerit voluntatem non ſe obligandi. Et ex peccato naſcitur obligatio pœnitendi, & ex actu inducẽdi alium, vt pro me fideiubeat, naſcitur obligatio ſpeciali reſpectu fideiuſſoris, non ſolùm ad ſatisfaciendum illi ſi pro me ſoluat, ſed etiam ad præueniendum, faciendo quod in me eſt ad ſoluendum ſi poſſim, ne ille cogatur ſoluere; nec eſt in poteſtate meâ facere, vt ex illa actione non maneam ſic obligatus, etiam ſi velim. Et in oratiooe quoque idem inuenitur; nam licèt voluntariè orem, ſequitur neceſſariò obligatio orandi attentè; neque eſt in poteſtate mea facere, vt ex illa actione nõ maneam ſic obligatus, etiam ſi velim. Et ratio omnium eſt, quia talis obligatio non pendet directè, & proximè à voluntate meâ, ſed tantùm remotè, & in radice in alio actu, ad quem illa neceſſariò ſequitur, neque poteſt impediri. Idem conſpicitur in iuramento aſſertorio, nam ſi iurare intendo, eo ipſo obligor iurare verum, nec poſſum ſeparare hanc obligationem ab illa intentione, licèt cupiam. Similis eſt cum proportione obligatio implendi, quod facere iuraui, quia eſt obligatio pertinens ad honeſtatem actus, ad quam requiritur veritas dictorum, ſed quia hæc veritas pendet ex facto futuro, ideo obligatio illa ſemper durat, ideoque non magis poteſt ſeparari per humanam voluntatem, quàm obligatio dicendi verum de præſenti ſeparari poſſit à iuramento aſſertorio. Addo idem dicendum de promiſſione futuri matrimonij, datâ opinione, quæ in illâ diſtinguit voluntatem promittendi à voluntate ſe obligandi, nimirum poſitâ priori voluntate verè promittendi, ſequi neceſſariò obligationem implendi, vt ſatis oſtenſum eſt. In noſtrâ verò ſententiâ conſtituente eſſentiam promiſſionis in voluntate ſe obligandi, hac deficiente, cùm deſit quoq; vera promiſſio, nequeunt eſſe valida ſpõſalia.

Ad vltimum negatur antecedens, neque enim intelligi poteſt in mea ſententia, quòd promittens offerat alteri verè, & ex animo ſuam fidem contrahendi matrimonium, habens oppoſitam voluntatem non ſe obligandi; hæc enim deſtruit illam, & illa eſſentialiter conſiſtit in vi ſe obligandi. Illa verò ſimilitudo rectè procedit ſi ſemel concedatur vera promiſſio ſine vi, & voluntate ſe obligandi, imò & cum oppoſitâ, vt conſtat ex præcedenti ſolutione. 19

Ad doctrinam illam Gaſparis Hurtado dico, non eſſe ſubſiſtentem in mea ſententia, quæ negat poſſe dari promiſſionem validam ſine voluntate ſe obligandi, cùm ſit hæc eſſentialis illi. Addo repugnare omnino eſſentiæ contractus ſponſalitij, vt fiat mutua matrimonij promiſſio, & per eã oon cõferatur ius iuſtitiæ mutuum ad corpus alterius; neque id eſſe in poteſtate contrahentium. quod latè oſtendo infrà *diſp. 6. ſect. 2.*

Sectio VII.

An ad valorem ſponſalium neceſſaria ſit voluntas exequendi, ſeu implendi, quod ſponſi promittunt.

Noſter Gregorius de Valentia *tom. 1. diſp. 6. q. 6. puncto* 1. exiſtimat, non eſſe intelligibile, poſſe eſſe veram promiſſionem ſine voluntate faciendi, quod promittitur. Quod probat 1

Primò autoritate D. Thomæ 2. 2. *q.* 88. *a.* 1. aſſerentis ad votum requiri propoſitum faciendi. Nam promiſsio, ait, procedit ex propoſito faciendi.

Secundò, qui dicit, Promitto, & non habet intentionem faciendi quod promittit, mendax eſt; ergo non facit quod dicit: ergo re verà non promittit: ergo ſignum eſt promiſſionem eſſentialiter includere propoſitum implendi, & ſine illo nullam eſſe.

Tertiò, ſi quis habens illum animum, & voluntatem, quâ velit, ſe eſſe ad aliquid obligatum, non autem id facere, palam & ſincerè explicaret aliis hanc internam ſui animi diſpoſitionem, dicens: Ego volo eſſe obligatus ad faciendum hoc, quod dico me facturum, ſed tamen nihil minùs cogito, aut volo, quã illud facere: proculdubio talis non tam cenſeretur promiſſor, quàm illuſor; neque is, qui ab eo promiſſionem requireret, contentus eſſet tali promiſſione, niſi planè ſtultiſſimus eſſet: ergo verè non promittit.

Quartò, voluntas formalis non ſe obligandi in ſponſalibus, non ſtat cum eorum validitate, vt conſtat ex præcedenti ſectione: ergo nec voluntas non implendi poteſt cum ſponſalibus ſubſiſtere.

Vltimò, qui nolens, neque ſtatuens aliquid facere, vult eſſe obligatus ad illud faciendum, verè peccaret, vt eſt certum, quia turpiter, & difformiter contra rectam rationẽ faceret; ergo peccaret contra legẽ aliquam, nam omne peccatum, & turpitudo debet eſſe contra legem aliquam; ſed non peccaret contra legem extrinſecam Superioris: pono enim eſſe aliquod opus ſupererogationis, & non ex præcepto neceſſarium id quod promittit: ergo peccaret contra legem particularem ſibi à ſemetipſo impoſitam. Talis verò lex deberet eſſe deliberatio mentis, & decretum voluntatis, quibus ipſemet ſtatueret illud ſibi eſſe faciendum. Igitur ſi talem deliberationem & decretum ponimus nõ habere eiuſmodi hominem, cùm potiùs intellectu, & voluntate ſtatuat non eſſe illud ſibi faciendum, non eſſet ligatus aliquâ lege, & conſequenter nec peccaret, nec verè promitteret.

Oppoſitam ſententiam tenent communiter Doctores, vt veriorem, Sanchez *lib. 1. diſp. 9. n. 2.* Baſilius Ponce *lib. 12. cap. 2. n. 5.* Filliucius *cap. 7. n. 238.* Suarez *tom. 2. de Religione tract. 6. de voto lib. 1. c. 4.* & omnes alij Regentiores.

2 Dico *primo*, vt ſponſalia honeſtè fiant, & abſque peccato, neceſſarium eſſe propoſitum, ſeu voluntatē ea exequendi, vel implendi, ſaltem virtualē. Hoc manifeſtum eſt. *Primo.* quia promittens ſponſalia cum propoſito ea non implendi, graue, & pernicioſum profert mendacium: ergo grauiter peccat. Antecedens patet, nam qui promittit ſponſalia, exhibet ſignum ſufficiens futuri effectûs, quantum eſt ex vi præſentis cauſæ, ſeu diſpoſitionis ſui animi: ergo indicat propoſitum faciendi quod promittit; ergo ſi illud non habeat, cùm ſit in materiâ graui, & onerosâ ex iuſtitia, grauiter, & pernicioſè mentitur. *Secundò*, qui habet propoſitum non implendi promiſſionem grauem, ſicut nec votum, peccat; cùm obiectum ſit malum, & contra rationem, & contra iuſtitiam; ſed qui promittit ſponſalia cum animo ſe obligandi, hoc ipſo ligatur vera, & valida promiſſione ex iuſtitia: ergo ſi habeat ſimul propoſitum non faciendi matrimonium, quod in contractu ſponſalitio promiſit, habet propoſitum frangendi talem promiſſionem; ergo grauiter peccat: nec poterit à peccato liberari, donec tale propoſitum mutet. Dixi eſſe neceſſarium ad ſponſalium honeſtatem propoſitum implendi, ſaltem virtuale; quia certum eſt, non eſſe neceſſarium propoſitum formale poſitiuum. Quòd verò adeſſe debeat virtuale, ideo conſtat, quia qui ſimpliciter vult promittere, ſi non habeat animum omittendi, hoc ipſo habeat virtuale propoſitum faciendi, quod promittit. Tum quia vult illud in quadam morali cauſa ſufficiente. Tùm etiam, quia dum non habet contrariam, cenſetur verè promittere eo modo, quo honeſtè poteſt, & debet. Quare cùm dicimus, propoſitum ſponſalia adimplendi eſſe neceſſarium ad eorum honeſtatem, id intelligendum eſt potius negatiuè, quàm priuatiuè; quia nimirum ſolum eſt neceſſarium non habere propoſitum, non adimplendi id, quod promiſſione ſponſalitiâ promittitur; non verò eſt neceſſarium habere poſitiuum, & formale propoſitum contrarium, nempe ea faciendi, ſeu implendi.

3 Dico *ſecundò*, intentionem, vel propoſitum exequendi, ſeu implendi ſponſalia non eſſe neceſſarium ad valorem illorum, ſicut neque ad valorem voti, & cuiuſcūque alterius contractus. Probatur, *primò*, quia mala intentio non implendi rem promiſſam, non eximit ab obligatione, quæ ex ipſa promiſſione animo ſe obligandi emiſsâ, neceſſariò cōſurgit. Præterea, ſola voluntas promittendi matrimonium, & ſe obligandi, eſt ſufficiens cauſa in ſuo genere ad valorē, & obligationem ſponſalium; ergo ſponſalia emanantia à tali voluntate valida ſunt, & obligatoria, non obſtante intentione non exequendi. Antecedens patet, quia volūtas abſoluta, & efficax habet effectū ſuum, quando ille eſt in poteſtate promittentis, & nulla voluntas contraria illi reſiſtit: ſed promittere matrimonium, & ſe obligare, eſt in poteſtate promittentis, vt liquet: ex alia parte voluntas non implendi obligationem non eſt contraria alteri voluntati, vt per ſe apparet, quia non ſunt de obiectis ſimpliciter repugnātibus, ſed quæ poſſunt eſſe ſimul. Quis enim non videat cum efficaci promiſſione ſponſalitiâ poſſe ſtare propoſitum non exequendi illa? Sicut negari non poteſt cum efficaci promiſſione, & voto caſtitatis, & obligatione ſe ad illam ſeruandam, ſtare propoſitum non ſeruandi caſtitatem: quia iſti actus non ſunt oppoſiti, nec per ſe repugnantes. Exemplum clarum eſt in eo, qui ſuſcipit Ordinem ſacrum, etiamſi non habeat voluntatem ſeruandi caſtitatem, imò etiam ſi domi concubinam habeat, & tamen votum caſtitatis emittit: ergo idem eſt de promiſſione factâ cum ſimili propoſito; nihil enim minus valida eſt: ergo idem dicendum de ſponſalium promiſſione. Denique in ſuperiore, vel legiſlatore, voluntas imponendi legem, vel præceptum, & obligandi, ſtat cum voluntate, vt actus præceptus non fiat, vt conſtat in Deo præcipiente Abrahæ occiſionem filij. In vendente quoque ſtat voluntas vendendi ſine propoſito tradendi rem, & prior ſufficit ad valorem conſenſûs; ergo ſimiliter in ſponſalibus ſtare poteſt voluntas ſe obligandi ſine voluntate implendi obligationem, imò & cum oppoſitâ voluntate non implendi, maximè in contractu ſponſalitio, in quo aliud eſt dare ius ad rē, ſeu ad matrimonium, quod per promiſſionem, & voluntatem promittendi, & ſe obligandi, ſufficienter fit; aliud verò eſt dare rem ipſam, ſeu contrahere re ipsâ matrimonium, quod eſt quid poſterius, & ſeparabile à priori.

Ad argumenta oppoſita,

Ad primum dico, D. Thomam non eſſe nobis contrariū: qui ſolum vult, propoſitum faciendi rem ipsā per votum emiſſam, requiri, vt rectè, & ſine fictione votum fiat; non verò vt quid neceſſarium, & eſſentiale. Vnde hoc ſenſu ait, votum, ſeu promiſſionem procedere ex propoſito faciendi rem promiſſam, vt nimirum ea promiſſio ſit recta, & honeſta. 4

Ad ſecundum reſpondeo eſſe ibi manifeſtā æquiuocationem; nam verbum *promittendi* duas voluntates includere ſolet, videlicet promittendi promiſſum, & ſe ad illud obligandi, & ſimul illud faciendi, ſeu exequendi. Cæterùm primam includit immediatè, & directè, ac eſſentialiter; ſecundam quaſi conſequenter, & moraliter loquendo: quia qui promittit, ſignificat ſe ex animo, & fideliter promittere. Vnde qui promittit ex voluntate promittendi, & ſe obligandi, ſine intentione tamen implendi, in vno verum dicit; in alio verò fallit. At prior veritas ſufficit, vt veram promiſſionem faciat; poſterior verò falſitas facit, vt illicitè & indebito modo promittat, non verò, vt promiſſio ſponſalitia nulla, & inualida exiſtat. 5

Ad tertium, concedo totum illud antecedens, negatur tamen conſequentia; nam ad illud aſſerendum ſufficiens fundamentum eſt iniuria, quam illi infert: eſt etiam manifeſtus illuſor in ipſo contractu promiſſionis; inde tamen non ſequitur, quòd nequeat ſtare ſimul vera voluntas promittendi, & ſe obligandi cū alterâ voluntate, & intentione rem promiſſam non exequendi. 6

Ad quartum, conceſſo antecedente, negatur conſequentia: nam illa voluntas promittendi non tantùm eſt virtualis, ſed etiam eſt formaliſſimè ipſamet voluntas ſe obligandi, vt conſtat ex præcedenti ſectione; & ideo formalis voluntas, ſeu intentio non ſe obligandi nequit ſtare cum valore ſponſalium. At voluntas *non implendi* eſt voluntas, re ipsâ diuerſa à voluntate non ſe obligandi, & hæc habet effectum ſuum omnino independenter ab illa, vt iam dictū eſt. 7

Ad vltimum dico, illum verè peccaturum contra legem peculiarem iuſtitiæ, ex qua tenetur ex vi contractûs ſponſalitij ſtare promiſſioni, & obligationi reſultanti ex deliberatione, & voluntate, quam habuit promittendi. Vnde falſum eſt, non eſſe ligatum aliquâ lege; nam ex vi promiſſionis mutuæ manet ligatus fidei datæ, & verè peccat intentione non ſeruandi illam; ſicut in ſimili, qui vouet caſtitatem, manet voto ligatus; ſi nolit eam ſeruare, peccat grauiter frangendo votum contra virtutem religionis. 8

Sectio VIII.

A quo actu, intellectûs ne, an voluntatis, oriatur obligatio, & vinculum ſponſalitiæ promiſſionis.

1 SVmitur promiſſio in ſponſalibus, non pro obligatione, & vinculo quod manet in ſponſis ratione contractûs ſponſalitij, quæ eſt propriè effectus ipſius promiſſionis; ſed pro actu ſponſi, vel ſponſæ operanti humano modo, quo ſe obligat ad matrimonium contrahendum cauſante illam obligationem. Et modò inquirimus, quiſnam iſte actus ſit, à quo oritur obligatio illa, & vinculum permanens; eſt ne intellectûs, an potiùs voluntatis? Suppono enim ex hactenus dictis, ad externum actum promiſſionis liberè, ac deliberatè exercendum, præcedere in intellectu deliberationem, vel iudicium rationis de conuenientiâ talis obiecti, præcedere quoque voluntatem efficacem promittendi, vel ſe obligandi. Quærimus igitur, à quo actu ex iſtis, vel à quo alio imperetur externa ſponſalium promiſſio, ſeu oriatur obligatio, & vinculum prædictum.

2 Probabiliter dici poſſet; ſicut nonnulli Thomiſtæ dicunt de voto, poſt voluntatem ſe obligandi ad matrimonium contrahendum, interuenire actum imperij in mente, quo ſibi ſponſus imperat talem obligationem, & illum eſſe actum intellectûs. Quod firmari poteſt

Primo, quia ordinare, ad intellectum pertinet; at per ſponſalia vult quis ſuum corpus tradere alteri, ſeu corpus ſuum ſubiicere poteſtati alterius, quæ eſt quædam ordinatio; ergo.

Secundo, in voluntate nequit intelligi actus, qui ſit promiſſio inducens talem obligationem: ergo eſt actus intellectûs, qui dicitur imperium. Antecedens probatur, quia in primis nequit eſſe voluntas promittendi. Tum quia talis actus habet pro obiecto ipſam promiſſionem; repugnat autem primum obiectum alicuius actûs voluntatis eſſe ipſummet actum. Tum quia promiſſio eſt effectus illius voluntatis; ergo eſt poſterius illâ: erit ergo aliquis actus diſtinctus ab illa. Præterea, poſt actum illum, quo homo vult promittere Deo, non poteſt intelligi alius actus ipſiusmet voluntatis; quia poſt illum actum nihil ſupereſt volendum, vt neceſſariò requiſitum ad inducendam obligationem.

Tertio, iuxta communem loquendi modum, Volo promittere, & promitto, non ſignificat idem; nec qui dicit, Volo promittere, cenſetur promittere, donec dicat, Promitto; ergo ſignum eſt, actum promittendi eſſe diſtinctum ab omni voluntatis actu, qui ad promittendum interuenit; ergo eſt actus intellectus.

Vltimo, promiſſio ſponſalium eſt quaſi lex priuata, quam homo ſibi imponit matrimonij contrahendi; ſed lex eſt actus intellectûs; ergo & promiſſio.

3 Dico *primo*, certum videri, nullum eſſe actum intellectus, antecedentem voluntatem, ſeu intentionem promittendi, & ſe obligandi, qui poſſit eſſe cauſa efficax obligationis, & vinculi promiſſionis ſponſalitiæ. Patet, quia nullus talis actus excogitari poteſt, qui de ſe inducat talem obligationem, cùm ſolùm proponat conuenientiâ rei; neque eſſe poteſt tantæ efficaciæ, vt ſecum trahat neceſſariò, ſeu neceſſitet voluntatem ad talem obligationẽ; aliàs enim non eſſet ſpontanea & libera obligatio; ergo. Firmatur, quia voluntati ſe obligandi ad contrahendũ matrimonium præcedit ſolùm iudicium practicum oſtendens honeſtatem, vtilitatem, ac maximam conuenientiam talis obiecti; & licèt vocetur impropriè imperium, ex illo tamen non naſcitur propria obligatio, quia poteſt non ſequi, ſi renuat voluntas, quæ poſt tale iudicium ſemper manet libera, ac indifferens; vnde poteſt non ſequi illa obligatio, quia poteſt voluntas non obedire; ergo.

Dico *ſecundo*, actum voluntatis, ſeu intentionem ſe 4
obligandi efficaciter, & ex tunc matrimonio contrahendo, eſſe actum imperantem externam promiſſionem, & cauſam effectiuam prædictæ obligationis. Moueor ad id dicendum, quia eiuſmodi actus volũtatis per ſe ipſum ſtatim inducit ſpontaneam obligationem in ordine ad matrimonium, & voluntariè aſſumptam. Quod ſic oſtendo, quia ille effectus obligandi ſe eſt in hominis poteſtate, & illa intentio eſt abſoluta, & de ſe efficax; ergo quantum eſt ex parte illius, & ex parte hominis, ſtatim etiam per ſe ipſam inducit obligationem. Præter hanc autem efficacem voluntatem obligandi ſe alteri, requiruntur verba, aut alia ſigna externa, quibus alteri conſtet ea voluntas, vt poſſit alius obligationem acceptare, ac repromittere; ea verò ſolùm requiruntur, vt ſigna conſenſus illius, ſeu intentionis; ipſa autem intentio eſt propria, & per ſe cauſa vinculi, & obligationis. Vnde illa exterior ſignificatio eſt quaſi conditio neceſſaria ad valorem contractûs ſponſalitij.

Dicò *tertio*, poſt prædictum voluntatis actum, 5
ſeu intentionem, nullum poſſe intelligi in intellectu actum, qui neceſſarius ſit, nec per ſe conferat ad efficiendam obligationem ſponſalitiam; ac proinde ſula dicta intentio eſt, quæ & efficaciter, & immediatè illam inducit. Probatur concluſio diſcurrendo per varios actus intellectûs. Nam in primis poſt illam efficacem intentionem proximè ſequi poteſt in intellectu cognitio quaſi experimentalis, quia homo quaſi intuetur, & experitur in ſe talem actum voluntatis, qui eſt cognitio, quaſi reflexiua, quà cognoſcit homo, quòd velit, ſeu voluerit ſe obligare. Cæterùm ea cognitio non eſt actus practicus, ſed ſpeculatiuus, quo homo alium actum ſuum cognoſcit, vel effectũ eius. Vnde ea cognitio videtur iam ſupponere promiſſionem; nam eo ipſo quo vult ſe obligare homini, obligatus manet, nam illa voluntas efficax eſt; ergo cùm homo cognoſcit illam voluntatem in ſe, iam cognoſcit ſe obligatum, atque adeò ſulum eſt ſpeculatio actûs voluntatis nullam pariens obligationem, vt conſtat. Poteſt etiam intelligi poſt illam efficacem intentionem iudicium, quo homo iudicat, ſe ex vi illius eſſe obligatum alteri. Et hoc iudicium nequit eſſe cauſa effectiua illius obligationis. Tum quia illam ſupponit. Tum quia licèt ea cognitio iuuare queat ad implendam obligationem contractam, ſed non facit illam, vt eſt per ſe notum. Præterea, præter dictam intentionem, & conſenſum, intelligi poteſt locutio mentalis per conceptus verborum ſenſibilium, vt ipſe conſenſus, & promiſſio alteri innoteſcat. Cæterùm iſta locutio ſulùm requiritur vt ſignum conſenſûs & intentionis, vt nimirum alteri innoteſcat efficax volontas promittentis, quæ eſt propria, & per ſe cauſa vinculi, & obligationis. Quare inter homines, hæc verba: *Promitto tibi matrimonium*, nihil aliud ſignificant, niſi voluntate meâ me tibi obligo ad contrahendum tecum matrimonium. Vnde verbis illis nihil reſpondet in animo promittentis, niſi voluntas ſe obligandi, & in intellectu conceptus eorumdem verborum, quibus dirigitur lingua ad illa verba proferenda; nec alius actus intelligi poteſt in intellectu illis verbis reſpondens. Denique præter voluntatem ſe obligandi,

obligandi, & locutionem dictam, poſſet intelligi actus imperij, quo ſibi homo imperat talem obligationem, & illum eſſe actum intellectûs, & priuatam legem, quam ſibi homo imponit, & in illo conſiſtere promiſſionem. Verùm hoc facilè reiicitur. *Primò*, quia exiſtimo in intellectu, præter iudicium, non poſſe eſſe niſi locutionem mentalem. *Secundò*, in præſenti materia nequit admitti talis actus imperij, quia imperium proprium cadit in actum humanum, qui imperatur: hîc autem nullum tale eſſe poteſt, quia poſt prædictã intentionem, & voluntatẽ efficacem ſe obligandi non ſupereſt actus humanus imperandus, niſi fortè executio rei promiſſæ per promiſſionẽ, quę executio potius eſt effectus promiſſionis, quàm ipſa promiſſio; & eſt effectus voluntarius, & liber, qui poteſt non imperari frangendo promiſſionem. Nec poteſt fingi imperium ſe obligandi: nam ſe obligare præciſè ſumptum, vt eſt aliquid diſtinctum ab actu voluntatis, per quem cauſatur, non eſt actus imperatus, ſed eſt vinculum, ſeu effectus moralis relictus ex voluntate ſe obligandi; ergo circa illud vinculum vt ſic, non poteſt immediatè verſari aliud imperium præter voluntatem ſe obligandi. Nec denique dici poteſt imperium illud eſſe de acceptanda obligatione promiſſionis, quæ acceptatio eſt actus humanus. Ratio eſt, quia non aliter homo acceptat illam, quàm faciendo, & volendo illam; ergo acceptatio obligationis non eſt aliquid præter voluntatem ſe obligandi; at imperium huius voluntatis nequit eſſe promiſſio, quia antecedit illam voluntatem, & ante voluntatem promittendi, vel ſe obligandi, non poteſt eſſe promiſſio; ergo nullum imperium ab ea voluntate diſtinctum, eſt in hac ſpeciali materia conſtituendum.

Ad argumenta oppoſita.

6 Ad primum dico, non eſſe ſolius rationis, & mentis ordinare, ſed etiam voluntatis. Nam certè referre, ordinare eſt; voluntas verò refert actiones ad finem, vel ad alterum: vt qui vult obedire alteri, voluntatẽ ſuam voluntati alterius ſubordinat: & qui vult ſuum corpus promittere, vel tradere alteri per ſponſalia, vel matrimonium, vult ſuum corpus ſubiicere poteſtati alterius, quæ eſt quædam ordinatio. Sic ergo ex parte ordinationis non repugnat, promiſſionem eſſe actum voluntatis imperatum à voluntate promittendi, vel ſe alteri obligandi.

7 Ad ſecundum, negatur antecedens. Ad eius probationem dico, voluntatem promittendi eſſe, quæ inducat obligationem, & hanc non habere pro obiecto alium humanum actum, nec promiſſionem, ſed obligationem ipſam, vel vinculum efficiendum per promiſſionem. Et ſimiliter hoc vinculum, vel obligatio eſt quaſi effectus moralis volitionis ſe obligandi. Vnde actus ille ſe obligandi formaliter, eſt actus voluntatis, non intellectûs.

8 Ad tertium dico, illam locutionem, Volo promittere, ſi ſit de futuro ex parte promiſſionis, ſignificare præſens propoſitum voluntatis de alio futuro actu voluntatis, nempe de promiſſione; ſicut, Volo amare; aut volo pœnitere. Si autem ſit de præſenti quoad effectum volitionis, ſic velle promittere, idem eſt, quod velle obligari ſtatim cum effectu, & ibi promiſſio pro obligatione ſumitur. Addo etiam iuxta communem modum loquendi, verbum *promitto*, nihil aliud ſignificare, niſi: Volo me obligare, ſeu, voluntariè me obligo. Vnde promiſſio nihil aliud eſt, quàm ipſamet volitio obligationem inducens.

9 Ad vltimum dico, promiſſionem dici quandam legem priuatam, ſed metaphoricè, & per quandam ſimilitudinem cum lege, in producendâ obligatione per voluntatem. Veruntamen lex propriè non eſt, quia non conſtituit ius, nec eſt actus iuriſdictionis, nec habet imperium proprium cadens in actum humanum, qui imperatur. Quare dicitur lex metaphoricè, eo pacto, quo per quandam analogiam voluntas teſtatoris poteſt dici quaſi lex reſpectu hæredis, quia ex illa naſcitur obligatio in hærede implendi voluntatem teſtatoris.

Sectio IX.

An promiſsio ſponſalium debeat eſſe externa, ab altero acceptata, & mutua, ſeu cum repromiſsione ipſius, ita vt in nullo euentu poſsint aliter fieri ſponſalia.

CONſtat ex ſuperioribus, promiſſionem matrimonij ſponſalitiam, vt obliget requirere deliberationem, & fieri debere cum voluntate ſe obligandi, quia aliàs non eſſet promiſſio. Modò circa primum,

Dico *primò*, eiuſmodi promiſſionem non ſolùm debere eſſe internam, ſed etiam externam, voluntario ſigno externo, ſiue verbo, ſiue alio æquiualenti manifeſtatam. In hoc conueniunt omnes. Ratio eſt, quia prædicta promiſſio ita fieri debet, vt ad alterum dirigatur; nequit autem dirigi, ſi ſit merè interna, cùm humano modo nequeat ad alium peruenire, niſi illi exprimatur. Firmatur, quia niſi promiſſio vnius externùs ſufficienter exprimatur alteri parti, non poterit pars eam intelligere, nec acceptare, nec etiam eius intuitu repromittere, quæ ſunt ſimpliciter, & neceſſariò requiſita ad rationem ſponſalium, quorum contractus fit inter homines, & vltro, citróque obligat, & includit mutuum pactum, & promiſſionem. Cùm enim ſponſalia ſint quædam inchoatio matrimonij, & hoc ſit eſſentialiter contractus qui intrinſecè mutuam obligationem includit; illa etiam neceſſariò participant ex hac parte naturam contractûs, & conſequenter mutuam obligationem includunt. 1

Dico *ſecundò*, externam hanc promiſſionem debere eſſe coniunctam cum libera actuali, vel ſaltem virtuali intentione promittendi, vel ſe obligandi ad matrimonium, & ab hac intentione eam imperante procedere. Ratio eſt, quia externa promiſſio eſt ſignum illius internæ voluntatis, ſeu intentionis, vt habeat veram rationem promiſſionis, & cum illa vnum integrum actum humanum componit; ergo vt actus imperatus debet procedere ab ea intentione vt imperante. Firmatur, quia huiuſmodi externa promiſſio debet eſſe in ſe voluntaria, & libera per modum actûs exerciti, non enim ſufficit vt ſit voluntaria per modum obiecti voliti, quia debet eſſe ſignum ipſius liberæ voluntatis ſe obligandi ad matrimonium; ergo debet illam indicare, & exprimere, & conſequenter ab ea procedere; quia actus externi non ſunt vera ſigna internæ voluntatis, niſi ab ea procedant. Quod manifeſtè conſtat exemplo confeſſionis ſacramentalis, quæ debet eſſe ſignum doloris de peccatis; non poteſt autem illius eſſe ſignum, niſi ex eo procedat. Eiuſmodi enim actus externæ confeſſionis in Sacramento Pœnitentiæ, & externæ promiſſionis in ſpõſalibus non ſignificant formaliter internum dolorem, & internam voluntatem promittendi, vel ſe obligandi, 2

ſed

ſed tantùm quatenus ſunt eius effectus. Nec enim qui narrat ſe aliquod peccatum feciſſe, dicit formaliter, ſe de illo dolere, ſed hoc ſolùm implicitè ſignificat, quatenus hîc, & nunc tali modo hoc confitetur, vt ea confeſsio ex interno dolore cenſeatur procedere. Id eum proportione conſtat de externâ promiſsione, quæ debet ſignificare internam adeſſe, ſaltem virtualiter, dum ipſa externa promiſsio fit; aliàs enim hæc eſſet ſignum falſum, & fictitium.

3 Dico *tertiò*, ſponſalia vt firma ſint, ac valida requirere, vt promiſsio externa ſit acceptata ab eo, cui fit. Hoc etiam eſt certum. Tum quia verius eſt quod docet Molina cum aliis *de Iuſt. & iure, tract. 2. diſp. 263.* promiſſio etiam ſimplex homini facta, ſigno externo expreſſa nõ obligat antequam acceptata ſit ab eo, cui fit, vel ab alio, qui habeat ad id poteſtatem, ita vt poſſit ante acceptationem tutâ conſcientiâ reuocari. Ratio eſt, quia cùm ſimplex promiſsio, ſicut & donatio fiant ex liberalitate, certè ſi acceptatæ non ſint, nullam obligationem pariunt, reuocariq; poſſunt tanquam adhuc poſitæ in fieri, atque pendentes ex liberâ volũtate promittentis, vel donantis. Quam voluntatem mutando non facit alteri iniuriam, nec damnũ infert, quia nihil habuit quæſitum, quod inde ei pereat. Et ita videmus paſsim vſu receptum, vt liceat ſuam obligationem reuocare antequam ſit acceptata. Tum maximè, quia, vt ſtatim dicã, ſponſalia requirunt vt prædicta promiſsio ſit mutua: ergo neceſſe eſt, vt ſit vtrinque acceptata.

4 Dico *vltimò*, matrimonij promiſsionem debere eſſe mutuam, ita vt vtraque pars promittat alteri matrimonium. Ita conſtat ex definitione ſponſalium traditâ *ſect.* 2 & ex iuribus ibi relatis, quæ definiunt ſponſalia per mutuam, & reciprocam promiſsionem externam. Et certè ipſa nihil aliud ſunt, quàm mutua promiſsio futuri matrimonij, per hanc enim eſſentialiter conſtituuntur, vt vidimus ſuprà *ſect.* 2. citata. Quare ſicut matrimonium natura ſuâ poſtulat vtriuſque conſenſum traditionis corporum externum, & acceptatum, & ſine vtroque non perſiſtit; ita pariter ſponſalia, quæ ſunt via, & præparatio ad illud, naturâ ſuâ poſtulant vtriuſque promiſſionem matrimonij reciprocam, externam, & acceptatam.

5 Hinc colligo, ſponſalia numerari non debere inter ſimplices promiſſiones, ſed inter contractus, qui vltro, citróque pariunt obligationem. Ex quo ſequitur, ſi Petrus animo contrahendi ſponſalia, promittat nuptias Franciſcæ; hæc autem non repromittat, nec Petrus, nec Franciſca ad nuptias obligantur, vt docuit D. Anton. *p. 3. tit. 1. cap.* 18. *in princ.* Nauarrus *cap.* 22. *n.* 25. Molina *tom. 2. de iuſt. & iure, diſp.* 263. *verſ. quartò idem*, Enriquez *lib.* 11. *c.* 13. *n.* 2. Vaſquez *de matrim. diſp.* 4. *c.* 3. & omnes communiter. Et patet, quia in hoc caſu Franciſca nullam contraxit obligationem, vt eſt certum, quoniam actus agentium non operantur vltra intentionem eorum, argum. *cap. vlt. de præbendis.* At Franciſca, vt dixi, noluit ſe obligare Petro per repromiſſionem. Præterea nec Petrus obligatur, quia verba contrahentium accipienda ſunt iuxta naturam contractus. *l. ex conducto, §. Papinianus ff. locati.* ſponſaliorum autem contractus reſpectiuus eſt, & reciprocus, vt ex eius conſtat definitione, ideoque ſponſionem continet non ſimplicem, ſed virtute conditionatam: Promitto, ſi & tu repromiſeris. Quare Doctores rectè dicere aſſolent, contractus ſponſalium claudicare non poſſe, id eſt, vt ab vna ſolâ parte obligent.

6 Circa ſecundum, videtur poſſibilis caſus, in quo poſſit eſſe contractus ſponſalitius abſque externâ mutuâ promiſſione more humano, & ſenſibili modo, & ſigno facta. Nam ſi vir, & fœmina purè internè ſibi mutuo promitterent nuptias, & hæc promiſſio mutua interna vtrique fuiſſet per reuelationem nota, & acceptata, & ab vtroque adinuicem ad id directa, certè in hoc euentu contraherent ſponſalia. Quia tunc illi non indigerent ſigno externo ad manifeſtandum promiſſionem internam, ſed ad id ſufficerent actus interni, vnde promiſſio mutua merè interna tunc obligaret, vt patet; tum in Angelis, inter quos promiſſio interna, & acceptata obligat; tum in hominibus, in quibus promiſsio interna facta Deo, cui nota eſt, obligat; ergo & in noſtro caſu. Firmatur, quia ideo nunc de facto, & iuxta naturalem, ac humanum curſum rerum, requiritur vt promiſsio ſit nota aliquo ſigno ſenſibili, quia ille, cui fit, non poteſt eam acceptare, niſi ei innoteſcat, quod naturaliter, & citra omnem reuelationem fieri non poteſt, niſi per aliquod ſignum externum: ſed in prædicto caſu fit nota vtrique mutua promiſsio per reuelationem internam, & adinuicem dirigitur, & ab vtroque acceptatur, vt ſupponitur: ergo ea mutua promiſmiſsio verè obligabit, & conſtituet ſponſalia.

7 Dico *primò*, in euentu propoſito, ſi illa mutua promiſsio merè interna per reuelationem innoteſceret, ſed non ab vtroque adinuicem ordinaretur, nec manifeſtaretur per locutionem internam, non obligaret, nec ſponſalia conſtitueret. Ratio eſt, quia tunc non daretur integra, & perfecta promiſſio, de cuius ratione eſt, vt is qui promittit alteri internè, vel externè, loquatur cum illo, ſeu manifeſtet ſuam internam promiſſionem: nam per locutionem, ſeu affirmationem fides, quæ alteri offertur, vel datur, percipitur ab eo, cui datur. At in quo loquimur caſu neuter manifeſtat alteri ſuam internam promiſſiooem. ergo.

8 Dico *ſecundò*, ſi vterque ſuam internam promiſſionem alteri manifeſtaret, vtens reuelatione diuinâ pro locutione internâ, ſeu pro ſigno ad manifeſtaodam adinuicem ſuam ioternam promiſsionem, talis mutua promiſſio merè interna ſufficeret ad conſtituenda ſponſalia. Id manifeſtè probare videtur ratio dubitandi propoſita; quia tunc eſſet perfecta locutio vtrique per reuelationem nota, & ab vtroque ad inuicem ad id directa; ergo eſſet ſufficiens ad contrahenda ſponſalia. Huic noſtræ ſeotentiæ adhærere debet noſter Coninch, qui *diſp.* 24. *dub.* 8. *n.* 64. expreſsè ponit caſum, in quo duo merè internè promitterent, & conſentirent, & ſcirent, Deum vtrique alterius conſenſum reuelaturum, & vterque intenderet per eam reuelationem ſuum conſenſum ad alterum dirigere: vel ſi Deus miraculosè efficeret, vt more Angelico poſſent ſibi mutuo loqui per internas cogitationes; in hoc caſu docet, prædictos actus ſufficere ad rationem ciuilis contractûs parientis obligationem in foro conſcientiæ; quia iure naturæ tenetur quiſque præſtare quod promiſit, altero acceptante. Iuxta hanc ergo doctrinam in eo caſu, ſi matrimonium internè ſibi mutuo promitterent, & vterque ſuam internam promiſſionem alteri manifeſtaret per internam directionem, & locutionum, vera ſponſalia contraherent in foro conſcientiæ. Annuit eidem ſententiæ Leonardus Leſſius *lib.* 2. *de Iuſt. c.* 18. *dub.* 5. vbi poſtquam docuit actus internos non eſſe

idonea ſigna ad alteri ſignificandum, ac proinde non eſſe idonea inſtrumenta ad ſe alteri obligandum, quia hæc aptitudo fundatur in ſignificatione ad alterum; ſubdit hæc verba. Si tamen alter poſſet cognoſcere internas cogitationes, ſicut poſſunt Angeli, quando ad eos diriguntur, tunc per actum internum optimè poſſet donatio, & promiſſio fieri. Hinc enim euidenter colligitur, in noſtro illo caſu mutuam, & perfectam promiſſionem matrimonij contrahendi poſſe fieri: ergo etiam ipſum contractum ſponſalitium.

9 Hinc dico vltimò, promiſſionem mutuam matrimonij contrahendi externam, & ſenſibili ſigno factam non eſſe eſſentialiter requiſitam ad contrahenda ſponſalia abſolutè & in omni euentu poſſibili; eſſe tamen ſemper requiſitam ad illa contrahenda, ſi more humano contrahantur, & non more angelico.

Prima pars videtur certa, quia quod eſt abſolutè, ac eſſentialiter requiſitum, in nullo caſu poteſt contingere, vt fieri poſſit ſine illo; ſunt enim eſſentiæ rerum omnino conſiſtentes, & immutabiles; ſed oſtenſum eſt, in quodam caſu diuinæ reuelationis promiſſionem mutuam internam ſufficere ad ſponſalia, modo explicato in ſecundo dicto; ergo euidens eſt promiſſionem mutuam manifeſtatam more humano, & ſenſibili ſigno, non eſſe eſſentialiter requiſitã ad contrahenda ſponſalia, cùm ea etiam contrahi queant more angelico.

Secunda pars eſt manifeſta, quia eſt impoſſibile vt ſponſalia contrahantur more humano cum ſola promiſſione mutuá merè interná. Ratio eſt, quia promiſſio merè interná homini facta, nullo modo eſt perfecta promiſſio, ſed inchoata; debet enim perfecta promiſſio ita fieri, vt ad alterum dirigatur tanquam locutio; illæ autem mere internæ omnino inepta eſt ad alterum ſic dirigi, cùm humano more, & modo ad eum peruenire non poſſit. Addo cum Coninch *diſp. 22. dub. 6. n. 34.* idem dicendum eſſe de promiſſione etiam externâ loco ſecreto, nullo præſente prolatâ; propter eandem rationem: quia adhuc talis promiſſio nullo modo eſt perfecta promiſſio; quoniam eſt omnino inepta ad alterum dirigi, cùm humano modo, & more ad hominem dirigi nequeat tanquam locutio.

Sectio X.

An ad ſponſalia more humano contrahenda ſit ſufficiens repromiſſio, cùm quis fidem dat de matrimonio contrahendo, & alter acceptat, dicens: Placet, vel, Accepto.

1 Affirmant D. Antoninus, Roſella, Syluester, Paludanus, & alij, quos refert, & ſequitur Baſilius Ponce *lib. 12. c. 4. n. 10.* Probat, quia cùm promiſſio matrimonij non ſit, neque eſſe poſſit, niſi ſub conditione repromiſſionis, eo ipſo, quo aliquis acceptat, ſignificat, velle ſe in futurum contrahere, cùm non poſſit aliter promiſſionem acceptare, quæ eſt de matrimonio futuro. Exemplum eſt manifeſtum in matrimonio, quod nequit acceptari, niſi vt matrimonium, quod nullatenus claudicare poteſt; & in eo qui acceptat promiſſionem venditionis; eo enim ipſo vult in futurum emere, cùm venditio ſine emptione eſſe non poſſit, neque promiſſio venditionis ſine vlla repromiſſione emptionis.

Veriorem iudico oppoſitam ſententiam, quam tenent Sotus in *4. d. 27. q. 2.* Sanchez *lib. 1. diſp. 5. n. 5.* Gaſpar Hurtado *diſp. 1. diff. 4.* Bonacina *q. 1. p. 1. n. 7.* & alij. Probatur *primò*, nam acceptatio promiſſionis in aliis rebus non eſt formaliter repromiſſio, neque coniungitur neceſſariò cum repromiſſione, poteſtque alicuius rei facta promiſſio acceptari ab eo, cui facta eſt, quin ea acceptatio ſit vllius rei repromiſſio; ergo acceptans promiſſionem matrimonij, non eo ipſo repromittit formaliter, neque virtute, atque adeò non cenſetur repromittere. Antecedens negari non poteſt, cùm eius veritas conſtet inductione per omnes liberales, & gratuitas promiſſiones rerũ, quæ liberaliter, & merè gratis donantur; acceptatæ enim ab eo, cui factæ ſunt, obligant in conſcientia promittentem ex virtute ſaltem fidelitatis ad donandum id quod promiſit; neque tamen earum acceptatio vllius rei repromiſſio eſt: aliter enim res promiſſa, & donata neque promitteretur, neque daretur merè gratis, & liberaliter, ſed ſub conditione, & onere rei alicuius viciſſim accipiendæ; quæ conditio, ac onus euertit funditùs rationem liberalis, & gratuitæ promiſſionis, vel donationis. Conſequentia verò illa etiam eſt manifeſta, quia acceptatio promiſſionis matrimonij ſufficienter fit admittendo fidem matrimonij oblatam; hæc verò admiſſio, ſeu affirmatio non eſt promiſſio, quia non eſt oblatio fidei propriæ, ſed acceptio alienæ. Nec video cur acceptatio promiſſionis neceſſariò coniungatur cum repromiſſione, quia optimè poteſt eſſe, & intelligi nuda, & ſimplex acceptatio fidei oblatæ, quin intelligatur oblatio fidei propriæ per repromiſſionem; poteſt enim eſſe promiſſio matrimonij ſimplex, ac liberalis, & non oneroſa per modum contractùs. *Secundò*, tacens conſentire videtur, in quantum eſt in ſui fauorem, non tamen in ſui præiudicium, reg. *qui tacet, de regulis iuris in 6.* ergo in hoc caſu id verificatur, vt nimirum acceptans promiſſionem cenſeatur ſolùm acceptare in quantum eſt in ſui fauorem, vt alter maneat ſibi obligatus, non autem in ſui præiudicium, vt ipſe obligetur. Quæ ratio optima eſt, nec benè impugnatur ab ipſo Baſilio Ponce, vt patet id conſideranti. *Tertiò*, in dubio non eſt inducenda obligatio, cùm ſit contra poſſeſſionem voluntatis ſuam libertatem poſſidentis, neque enim in dubio eſt imponendum onus, quod niſi ſponte non ſuſcipitur; ſed acceptans illam promiſſionem, poteſt acceptare in quantum eſt in ſui fauorem, nempe vt ſolùm promittens ipſi obligetur; ergo ſi aliud obligationis mutuæ ſignum non interſit, non eſt dicendum ex illa acceptatione repromittere, & obligari. 2

Ad argumentum Baſilij reſpondeo, tametſi promittens matrimonium regulariter promittat ſub conditione repromiſſionis; inde ſolùm inferri poteſt, alterum acceptare promiſſionem illam ſub conditione repromiſſionis; non tamen ſequitur ſtatim repromittere eo ipſo; quia poteſt non apponere conditionem illam, ſub qua promittens promiſit, & non efficere promiſſionem promittentis abſolutam, ſed eam relinquere conditionalem. In exemplo illo de matrimonio eſt diſpar ratio: nam matrimonium nullatenus claudicare poteſt, nec aliâ ratione acceptari, quàm vt matrimonium: ſponſalia tamen, quamuis vt ſponſalia claudicare nequeant; at quatenus continent promiſſionem, poſſunt claudicare, & poteſt eſſe promiſſio vnius, quin ſit alterius repromiſſio; atque ideo poſſunt acceptari in quantum promiſſio obligat ſolùm promittentem. Quãuis enim natura matrimonij talis ſit, vt illud eſſe nõ poſſit ſine mutuâ contrahẽtiũ traditione, & obligatione; non ideo ſequitur promiſſio- 3

Digitized by Google

miſsionẽ contrahentium in futurum matrimonium, talẽ naturâ ſuâ eſſe, vt non poſſit eſſe ſine mutua repromiſſione: nam acceptatio, formaliter loquendo, ſolum eſt ſimplex, & nuda promiſſionis receptio, nullam afferens acceptanti obligationem contrahendi in futurum matrimonij; poteſt enim placere, & probari ei, cui facta eſt, etiam dum eſt anceps, & dubius, vtrũ ſit aliquando contrahendi matrimonij voluntatem habiturus, an numquam. Exemplum aliud de venditione etiam pro nobis eſt. Nam licèt per venditionem actualem nequeat equus, v. g. cum centum aureis cõmutari, quin viciſſim hi cum illo commutentur; fieri tamen poteſt, vt equi dominus hodie promittat alteri, ſe ei equum ſuum cras venditurum, ſi cras emere voluerit; hic verò alter promiſſionem ſibi factam de craſtinâ venditione acceptet hodie, ita vt vi huius acceptationis ille, qui promiſit, ſit iam ab hodierna die obligatus ad cras vendendum equum ſuum, nec ab hac obligatione poſſit ſe per ſe liberare; altero tamen, cui facta eſt promiſſio nullam habente cras emendi obligationem, ſed retinente liberam emendi, vel non emendi poteſtatem, atque adeò nec ſe cras empturum vllo modo repromittente.

DISPVTATIO II.

De promiſſione externâ matrimonij fictâ, tam gratuitâ, quàm onerosâ, ac vtriuſque obligatione.

DIximus præcedenti diſputatione de verâ promiſſione mutuâ cum animo promittendi, & ſe obligandi ad inuicem factâ, quæ verè conſtituit ſponſalia. Modò dicturi ſumus de promiſſione externâ, ſed fictâ, & ſine animo promittendi, & ſe obligandi. Dicitur verò talis promiſsio gratuita, & ſimplex, quando talis fit gratis, & per modum cuiuſdam liberalis promiſsionis, nullâ expectatâ repromiſsione ex parte alterius: Onerosa verò appellatur quæ non fit gratis, ſed reſpectiuè, & per modum contractûs cõditionalis ſpectantis alterius repromiſsionem, vt contingit in omnibus contractibus, vltro, citroque obligatoriis.

Sectio I.

Vtrum fieri poſsit ore tenus promiſsio voluntaria ſine animo, ſeu intentione promittendi, quæ non ſit valida ad obligandum.

1 PArtem negantem viriliter defendit noſter Gabriel Vaſquez *diſp. 6. c. 2.* quem ſequitur Baſilius Ponce *lib. 12. c. 1. n. 2.* exiſtimat enim, dicere poſſe eſſe promiſsionem voluntariam, ſine animo tamen promittendi, imò cum oppoſito, non minus falſum eſſe, quàm ſi quis diceret, hominem poſſe voluntariè exteriùs alium infamare coram multis ſine animo detrahendi; aut poſſe exteriùs aliquem ferire lethaliter abſque intentione lethaliter feriendi; aut poſſe rem exteriùs alicui tradere accepto pretio, ſine animo vendendi, vel tradendi. Cuius rei rationem petit à priori ex natura promiſsionis, quam docet eſſe quendam externum actum voluntatis conſiſtentem formaliter in verbo; vel mentis, vt cùm quis Deo promittit; vel oris, vt cùm promittit homini. Hoc autem verbum, ait, nihil aliud eſt, quàm affirmatio, vel enuntiatio quædam alicuius rei in futurum faciendæ, ei inſinuata, in cuius gratiam, & vtilitatem, ſeu obſequium res facienda eſt: Ex hac autem definitione manifeſtè, ait, ſequi, neminem poſſe exteriùs promittere voluntariè, ſine promittendi animo, & voluntate. Probat, quia illius verbi ſeu mentalis, ſeu vocalis prolatio, eſt externa promiſsio; ergo ſicut nemo poteſt verbum illud proferre voluntariè ſine animo, & intentione proferendi; ita nemo poteſt exteriùs promittere voluntariè ſine animo, & intentione promittendi. Nam velle proferre, velle promittere eſt; ſicut & prolatio, eſt promiſsio.

Gaſpar Hurtado *diſp. 1. diffic. 11.* ſentit cum Vaſquez & Baſilio, promiſsionem, quamuis tantùm exteriorem, ſeu verbalem, eſſe veram promiſsionem reſpectu hominis, nec poſſe eſſe fictam in ratione promiſsionis, quia promiſsio nihil aliud eſt, quàm enuntiatio, qua fidem offerimus; ſolis autem verbis ſufficienter offerimus fidem homini, imò ex animo, quia ex animo proferuntur prædicta verba. Addit tamen, hanc promiſsionem eſſe validam ad obligandum ex fidelitate, ſed non ex iuſtitia. Primum probat; quia prædicta verbalis oblatio fidei eſt vera, & ſufficiens promiſsio reſpectu hominis; ergo eſt valida ad obligandum ex fidelitate, quia contra fidelitatem eſt, non ſtare verè, & ſufficienter promiſsis. Secundum firmat, quia ius iuſtitiæ ad rem promiſſam non confertur promiſſario ſolis verbis abſque animo, & voluntate illud conferendi: ergo nequit in homine promittente ore tenus oriri obligatio iuſtitiæ. 2

Dico *primo*, optimè poſſe intelligi voluntariam promiſsionem ore tenus, ſine animo promittendi, imò cum oppoſito, atque adeò dari promiſsionem omnino fictam ore tenus ſolùm, id Sanchez ſupponit vt indubitatum *diſp. 9. n. 3.* Moueor à poſteriori. Tum, quia ex contrariâ ſententiâ manifeſtè ſequitur contra omnes, nulla eſſe poſſe ſponſalia, nulla vota Deo facta, quæ defectu interioris conſenſùs, & intentionis irrita ſint. Patet ſequela, quia quæ fiunt exteriùs Deo vota, quæque ſponſalia ab hominibus contrahuntur, fiunt ſemper, & contrahuntur verbis, quæ ſunt externa rei alicuius faciendæ promiſsio, ex aduerſariorum ſententia; ergo ſicut illa verba voluntariè proferuntur, & ex animo, & intentione proferendi; ita hæc externa promiſsio fiet voluntariè, & ex animo, & intentione promittendi. Quæ autem fit Deo promiſsio exteriùs, ſeu votum ex animo, & intentione promittendi, ſeu vouendi, valorem habet, & ſeruandi voti obligationem. Et ſimiliter quæ fit exteriùs mutua inter homines futuri matrimonij promiſsio ex animo, & intentione promittendi, valida ſponſalia perficit, ad contrahendum matrimonium obligantia. Tum etiam, quia fieret nullum poſſe eſſe matrimonium contractum defectu conſenſus interioris irritum. Quod tamen eſt apertè falſum. Probatur ſequela, quia ſimiliter non poterit eſſe mutua corporum traditio exterior voluntaria, quin ſit ex animo, & intentione tradendi; hæc autem intentio eſt interior ipſe in matrimonium conſenſus. Firmatur, nam ſicut qui verbis his, aut æquiualentibus ſponſalia contrahit, *Accipiam te in meam*, vel *in meum*, promittit exteriùs corpus ſuum coniugi; ita qui his aliis verbis de præſenti contrahit exteriùs matrimonium, *Accipio te in meam*, vel *in meum*, tradit exteriùs corpus ſuum coniugi; ergo verbum iſtud externum præſentis temporis æquè eſt verbum præſentis, & actualis traditio- 3

nis,ac verbum illud aliud futuri temporis eſt verbum promiſſionis; ergo ſi hoc verbum futuri temporis,nõ poteſt quis proferre volũtariè, niſi cum animo,& intentione proferendi,ac proinde promittẽdi;quia proferre, promittere eſt;ita ſimiliter nec illud aliud verbum præſentis temporis poterit proferre voluntariè, niſi cum animo , & intentione proferendi, ac proinde corpus ſuum coniugi tradendi; quia proferre,tradere eſt. Deinde à priori ratio noſtræ concluſionis hæc eſt , quia externum verbum , quo faciendum aliquid in alicuius gratiam, ei ipſi dicitur, non eſt promiſſio per ſe præcisè, ſed ſolùm dependeoter à liberâ intentione promittendi , ſeu fidem ſuam ei, cui dicitur , aſtringendi, & obligandi;ſicut externa verba coniugum matrimonium actu contrahentium, non ſunt per ſe præcisè corporum traditio actualis, ſed tantùm dependenter à liberâ intentione ea actu tradendi , ac proinde faciendi re ipsâ , quod verba illa ſignificant. Vnde promiſſio non eſt quæuis affirmatio , & enunciatio rei faciendæ in alicuius gratiam ; nam etiam poteſt eſſe affirmatio , & enunciatio nudi , & ſimplicis propoſiti voluntatis,faciendi alicuius operis in alterius gratiam , & obſequium. Poteſt enim qui concipit eiuſmodi propoſitum, illud declarare non ſolùm verbis his : Habeo voluntatem, ſeu propoſitum , hoc opus in tui gratiam faciendi ; ſed iſtis quoque,hoc in gratiam, & obſequium tuum faciam. Imò nos tale propoſitum declarantes, nec aliud, quàm declarare,intendentes,vix vnquam illo priori loquendi modo vtimur , ſed ſolùm poſteriori ſemper , aut ferè ſemper. Et tamen eo vti , non eſt promittere, vt eſt compertum.

4 Dico *ſecundo* promiſſionem voluntariam merè externam , cum poſitiuâ voluotate , & intentione non promittendi, non eſſe validam ad obligandum obligatione oaturali ex iuſtitiâ, vel etiam ex fidelitate;ac proinde non ſufficere ad ſponſalia. Ita Sanchez *citatus*, Coninch *diſp.* 21. *dub.* 2. *n.* 7 Leſſius *de iuſtitiâ, & iure c.* 18. *dub.* 1. *n.* 5. & communiter modò Doctores. Voco obligationem naturalem eam , quæ priuata eſt, & à nemine pendet , oiſi à ſolo promittente. Probatur efficaciter , quia promiſſio , & contractus naturalis ortum habet à naturâ rationali;huius proprij actus ſunt intellectus, & voluntatis; ergo niſi in his potentiis detur promiſſio , & contractus, non datur vera promiſsio , & contractus naturalis. Verba enim non ſunt promiſsio , & contractus , ſed eorum ſignum , ad hoc enim munus verba conceſſa ſunt à naturâ, vt per ea manifeſtentur actus interni proprij hominis. Confirmatur, oam ſi homini innoteſcerent actus interni, & videret internum conſenſum fictum, promiſsio externa non obligaret , non aliâ de causâ, niſi quia promiſsio naturalis ſtat maximè conſenſu interno. Si quis etiam verbis aliquid deuoueret externè, ſed tamen fictè,hæc promiſsio oon obligaret ; è contra verò, ſi internè voueret , quamuis verbis contrarium diceret , obligaret ; ergo promiſsio hominis naturalis ſtat maximè in conſenſu interno. Denique idem omnino eſt,nolle ſe obligare,& nolle promittere ; ergo promiſsio ficta , quæ eſt ſine animo ſe obligandi, eſt quoque ſine animo promittendi; & conſequenter nullam parit obligationem in foro interno : ſicut, qui ſolùm proponit Ioanni dare domum,& ſi hoc ei dicat, nihil ei verè promittit,idque ob eam ſolam cauſam , quia non intendit ſe ei obligare, vnde inde oulla ei reſultat obligatio in foro conſcientiæ,quia tota obligatio pendet ex ſolâ intentione promittentis.

5 Dico *tertio* , promiſsionem voluntariam merè externam cum intentione non promittendi , licèt non obliger in foro interno, quia nulla eſt obligatio naturalis; obligare tamen in foro externo obligatione ciuili. Ita omnes. Voco obligationem ciuilem,ſeu contractum ciuilem, cuius natura, & obligatio pendet à Republicâ , vel Principe humano. Probatur concluſio, quia Reſpublica habet poteſtatem ad inſtituendum validum contractum, & promiſsionem, quibus homines ex contractu , & promiſsione obligentur, id enim poſtulat boaum Reipublicæ regimen ad cõmune bonum; ſed Reſpublica ciuilis,vel Eccleſiaſtica non poteſt præcipere conſenſum , & promiſsionem internam , nec facere, vt tanquam conditio requiratur ad promiſsionem , & cootractum ciuilem, quia ſunt extra totam iuriſdictionem, & poteſtatem Reipublicæ : non enim Reſpublica,vel Princeps humanus vllam habet poteſtatem in actum internum, qui non eſt ſimpliciter neceſſarius ad faciendum actũ externum , quem poteſt præcipere, quia ſolùm indirectè poteſt præcipere actum internum,quatenus externus non poteſt fieri ſine illo; at promiſsio interna, & conſenſus internus non ſunt ſimpliciter neceſſarij ad faciendam promiſsionem,& contractũ externum, vt patet in eo,qui fictè promittit , & contrahit ; nam iſte liberè facit promiſsionem,& contractum externũ ſine interno,& ideo nequit Reſpublica directè,vel indirectè præcipere promiſsionem , & conſenſum internum ; ergo contractus , & promiſsio ciuilis obligaot independenter à promiſsione , & conſenſu interno. Firmo, quia illum contractum poteſt Reſpublica inſtituere, quem poteſt iudicare; & illum iudicare, quem poteſt cognoſcere ; ſed prædictum conſenſum internum nullo modo poteſt cognoſcere; ergo promiſsio, & contractus ciuilis obligant independenter à conſenſu interno. Quare ex ſuppoſitione, quòd quis liberè faciat contractum ciuilem,non erit in eius poteſtate oon velle ſe obligare obligatione ciuili in foro externo.

Ad argumentum Vaſquez facilè reſpondeo: nam ideo, qui voluntariè profert verbum externum diffamationis ,& lethaliter ferit, eo ipſo habet animum, & iotentionem diffamandi , & lethaliter feriendi, quia diffamatio ineſt externo verbo præcisè ſignificanti malum de proximo , independenter à voluntate proferentis verbum, quatenus ab illa non pendet huius verbi ſignificatio; ac ſimiliter lethalis ictus habet ex ſe præcisè , quòd lethalis ſit independeoter à voluntate ferientis, quatenus ex eius liberâ poteſtate non pendet, vt datus ictus ſit lethalis,aut non ſit: vnde non mirum ſi cùm res externa talis per ſe præcisè ſit ; vt qui volens eam facere , habeat eo ipſo animum, ac intentionem faciendi eam talem, qualis re ipſa per ſe eſt; atque ideo lethaliter feriendi,ſi externus ictus per ſe lethalis eſt; vel diffamandi, ſi verbum externum per ſe diffamatorium eſt. At verò promiſsio , & contractus naturalis non eſt talis , oiſi dependenter à libera promittentis intentione promittendi , vt oſtenſum eſt. Ad aliud exemplum de venditiooe dico, emptorem non teneri credere vendenti, quia prudenter iudicare poteſt adfuiſſe conſenſum internum ; & ſi illum decepit in venditione, pariter poteſt credere , modò etiam decipere. Si tamen crederet veoditionem fuiſſe fictam , teneretur in foro interno rem reſtituere , niſi lex aliqua ciuilis id prohibeat. Similiter dico,vendentem, ſi fictè vendidit, poſſe occultè, & in foro interno rem venditam accipere , & reſtituere pretium ſine peccato contra iuſtitiam, vel aliam virtutem , cùm oon tranſtulerit ius ex defectu conſensûs interni ; tamen in foro externo, quia præſumitur adfuiſſe conſenſum, non poſſet vendens rem accipere. Quare concluden- 6

dum

dum eſt, omnem promiſſionem externam non eſſe veram promiſſionem, ſed ſignum promiſſionis internæ: vnde ſi interna defuit, externa quantumuis liberè facta, non eſt re ipsâ vera, ſed ficta promiſſio.

Sectio II.

An ex fictâ promiſſione matrimonij gratuitâ, & oneroſâ, oriatur obligatio illud contrahendi.

1 Affirmant abſolutè Vaſquez & Baſilius præcedenti ſectione relati, obligare ſub mortali ad matrimonium, etiam ſecluſo damno, aut iniuria, aut ſcandalo; ſicut qui fictè matrimonium contraxit, tenetur grauiter illud contrahere ſaltem ex fidelitate. Probant, quia fidelitas eſt veritas quædam in adimplendis promiſſis, & ſicut veritas de præſenti in eo conſiſtit, vt verbis mentis reſpondeant oris verba, ita veritas de futuro in eo ſita eſt, vt impleantur promiſſa. Gaſpar Hurtado ſentit idem, ſed non obligare ſub mortali, ſed
2 ſub veniali. Petrus verò de Ledeſma *de matrimonio q. 43. a. 1. dub. 4.* ſi contrahentes ſint æquales, & alter verè promittat, teneri fictum promiſſorem contrahere; quia quamuis non teneatur ratione promiſſionis, at tenetur ratione iniuriæ factæ. Probatur, quia hic violauit iuſtitiam ficto conſenſu; ergo tenetur habere veram promiſſionem, vt iniuſtitiam auferat; nec ſatis erit pecuniis ſatisfacere, quia non ſatisfacit in eadem ſpecie debitâ, nec verè conſentiendo redderetur inæquale, quia ſicut vir ſe obligauit fœminæ, ita fœmina illi, & vtraque obligatio æqualis eſt.

3 Dico *primò*, ſi quis promiſſione fictâ, gratuitâ tamen, quæ merè gratis, & ex alterâ parte tantùm fit, matrimonium promittat fœminæ, non tenetur eam ducere, ſecluſo omni damno, ita cum Petrò de Ledeſma *citato* noſter Sanchez *diſp. 10. n. 1.* Et ratio eſt, quia, vt conſtat, ſimplex promiſſio, ſicut & ſponſalia ficta, inualida ſunt; ergò nulla eſt obligatio matrimonij ratione promiſſionis, quia ficta eſt. Nec verò fictè promittens tenetur contrahere matrimonium ratione iniuriæ: nulla enim alteri fit, cùm non ſit contractus, do vt des; vel, facio vt facias. Nec denique ratione damni, quia iam ſupponitur nullum re verà ſequi; ergo. Quo argumento rectè ſuadetur, nec ſub veniali teneri eam ducere, vt *ibidem* notauit Sanchez. Vnde quamuis venialiter peccet contra veracitatem, quatenus diſſonum eſt rectæ rationi, vt menti non reſpondeant oris verba, ſed non venialiter peccat contra iuſtitiam, nec contra fidelitatem non implendo promiſſum, quia alteri nullam iniuriam facit; & cùm prædicta verba fuerint ſine animo promittendi, nullam pariunt fidelitatis obligationem.

4 Dico *ſecundò*, per ſe loquendo eſſe culpam lethalem contra iuſtitiam fictè promittere matrimonium alteri verè & ex animo repromittenti. Quare in promiſſione fictâ oneroſâ grauiter peccatur. Sic fatentur omnes Doctores, vt notauit Veracruz *3. p. ſpeculi, a. 19. concluſ. 5.* Ratio eſt, quia in quolibet contractu vtrinque obligatorio, qualis eſt ſponſalium, lex iuſtitiæ præſcribit, vt vterque verè, & ſeriò contrahat; quia aliàs altera pars grauiter deciperetur, eique fieret grauis iniuria, dum dolo induceretur, vt in re tanti momenti, quantum eſt ex parte ſua, tam grauiter ſe alteri obligaret; quod nullo modo facere vellet, ſi ſciret partem fictè agere. Facit ergo iniuriam in re graui alteri contrahendi. Nec refert quòd verè à parte rei is, qui ſeriò promittit, non maneat grauatus, nec obligetur; quia ſatis eſt, vt contra iuſtitiam intenderit alterum decipere. Qui quandiu fictionem illam neſcit, tantum, & tam graue onus ſubit; & eodem modo cogi poteſt, vt ſtet promiſſis ſponſalibus, ac ſi decipiens verè, & ſeriò promiſiſſet. Dixi, per ſe loquendo. Nam per accidens ſi id faceret ex vrgenti cauſa, gratiâ vitandi ſcandali, vel alterius damni, non peccaret grauiter. Venialiter poſſet quis aſſerere in eo caſu peccaturum, quia ea fictio eſſet mendacium, cùm aliud verbis, quàm mente contrahens proferretur. Verùm nec venialiter peccaturum in eo euentu opinor, ſi æquiuocatione vtatur, dum verba profert; vt ſi intelligat, Accipiam te in meam, ſi ad id tenear: eſt enim communis ſententia Doctorum, licitum eſſe vti æquiuocatione, dum verba proferuntur, vbi iuſta cauſa ſubeſt. Sicut in ſimili docent communiter Doctores coactum à latrone iurare, ſe daturum illi nummos, poſſe abſque periurio id iurare, retinendo mente, ſi ad id ſecluſo iuramento tenear; nec eſſe periurum, ſi intendat non dare, ſciens minimè teneri. Doctrina etiam eſt communis, fœminam excommunicatam, eo quòd non cohabitat viro, quem nouit non eſſe ſuum, poſſe in articulo morti. conſtitutam iurare, ſe cohabitaturam, intelligendo ſi ad id teneatur, vt vel ſic excommunicationis abſolutionem obtineat; & tamen non poteſt habere intentionem, & animum cohabitandi; ergo ſimiliter in noſtro caſu licebit vti eadem æquiuocatione.

Dico *tertiò*, in eo caſu fictè promittentem non te- 5
neri matrimonium contrahere cum fœmina verè, & ſeriò repromittente. Ita Molina *tom. 2. de iuſt. & iure tract. 2. diſp. 352. ante verſ. illud eſt obſeruandum,* & Sanchez cum aliis quos refert *diſp. 10. num. 26.* Ratio à priori eſt, quia promiſſio facta animo ficto nullam inducit obligationem ex vi promiſſionis, vt conſtat. Præterea non fit in re ipſa iniuria, quia alter nihil dedit, nihil amiſit; & ſicut fictus promiſſor non eſt obligatus, ita nec alter. Sicut ſi Petrus fictè promitteret Paulo centum aureos, ſi Romam peteret, & antequam petat, diſſoluat contractum, iniuſtitiam re ipsâ, & quoad effectum non admittit. Denique ex promiſſione fictâ nullum damnum ſequitur repromittendi præter violatam fidem, vt ſupponitur. Quare rectè notauit Reginaldus *lib. 31. c. 33. n. 156.* cùm ipſi contrahentes fuerint æquales, vno verè, & altero fictè promittente, ſi nullum aliud damnum ſequatur violatæ fidei, fictum promiſſorem ad nihil aliud teneri, quàm ad pœnitentiam, qua Deo ſatisfaciat pro peccato, quod commiſit deceptione vtendo in re graui: quoniam homini non obligatur ex promiſſione, quæ vtpote ficta, nulla eſt; neque ratione iniuriæ illatæ, quia nullũ ex hypotheſi inde ſecutum eſt damnum alteri. Quòd ſi ex tali fictâ promiſſione aliquod damnum ſequeretur repromittenti, certum eſt, tunc teneri promittentem fictè illud ex iuſtitiâ reſarcire, quia eſſet cauſa iniuſta illius, vnde illud ſecundùm iuſtitiæ æqualitatem compenſari deberet.

Hinc patet ſolutio ad argumentum oppoſitum,
fictè conſentientem peccaſſe quidem contra iuſtitiam 6
quoad intentionem, nam illam violauit ficto conſenſu, intendens in re graui decipere; non verò quoad effectum, vel executionem, quia deceptio illa manſit in intentione, nec habuit effectum, ideoque nullãm in re ipſa intulit iniuriam, nec vllum damnum, ex quo aliqua in fictè promittente obligatio ſubſequi poſſit, vt ſatis oſtenſum eſt.

Sectio

Sectio III.

An fictè promittens matrimonium, & ſub eá ſpe defloraruit Virginem, teneatur eam ducere; vel ſufficiat, quòd ſatisfaciat damno deflorationis dotem conſtituendo.

1 BAſilius Ponce *c. 2. n. 14.* Sanchez *diſp. 10. n. 3.* cum pluribus aliis, quos ipſe refert, ſentiunt teneri eam ducere.

Primò, quia in omni contractu, in quo interuenit, do vt des, vel facio vt facias, vbi vnus impleuit, tenetur alter ex iuſtitia implere: vt patet in eo, qui fictè promiſit Petro centum aureos, vt eat Romam, ſi adiuit, tenetur ex iuſtitia dare centum; ergo cùm virgo impleuerit contractum ex ſua parte, obligabitur alius ex iuſtitia ad illum implendum, adhibendo eundem conſenſum ex iuſtitia debitum.

Secundò, in hoc euentu non ſatis eſt damnum pecuniâ reſarcire, ſi virgo nolit acquieſcere; ergo tenetur eam ducere. Antecedens probatur: nam iuſtitia commutatiua non tantùm petit reddi æquale, ſed vt idemmet numero reddatur ex iuſtitia debitum, vt ſi pallium furatus ſum, nullâ reſtitutâ pecuniâ ſatisfaciam: vnum enim pro alio inuito creditore ſolui non poteſt. *l. 2. §. mutui ff. ſi certum petatur*; ſed in hoc euentu tenebatur ex iuſtitia commutatiuâ habere conſenſum verum, vt contingit in omnibus contractibus, in quibus interuenit, Do vt des, vel, facio vt facias: ergo cùm poſſit reſtituere adhibendo eundem conſenſum ex iuſtitia debitum, tenebitur ad id.

Tertiò, damnum violatæ virginitatis tametſi poſſit æquè pecunia reſarciri, quia amiſſa virginitas non poteſt in eadem ſpecie reſtitui: at iniuſta ficti conſensûs deceptio non poteſt æquè compenſari, niſi auferendo iniuſtum dolum, præſtito vero conſenſu; quia poteſt in propria forma reſtitui, nec poteſt verè dici æquale, dum non ſatisfacit in propriâ ſpecie: ergo.

Quartò, iſte verè intulit damnum virgini contra eius voluntatem, quæ ſolùm conſenſit ſub conditione veræ, & non fictæ promiſſionis matrimonij; ergo tenetur ex iuſtitia ad matrimonium; quia quamuis damnum deflorationis poſſit pecuniâ compenſari, non tamen iniuſta deceptio, niſi eam in vxorem ducendo.

Vltimò probat idem Baſilius, quia promiſſio ſine animo ſe obligandi inducit obligationem, cùm ſit vera promiſſio; ergo.

2 Veriùs exiſtimo cum D. Antonino *3. p. tit. 1. c. 3.* Bartholomæo Ledeſma *de matrimonio dub. 19.* Bonacina *q. 1. p. 2. n. 9* & aliis Recentioribus, eum qui ſic virginem deflorauit, non teneri eam in vxorem ducere, ſed ſatisfacere, conſtituendo ei dotem ſufficientem ad ſupplendum defectum deflorationis. Moueor, quia ille nullam incurrit obligationem ratione promiſſionis, nam fuit ficta; & ex promiſſione fictâ præcisè non oritur obligatio, vt conſtat ex ſuperioribus; ergo ſolùm ratione damni illati; ergo ſi damnum ſine matrimonio reſarciri poteſt, vt verè poteſt, dando ſufficientem dotem, qua nubat viro ſibi ſimili in qualitate, non eſt neceſſe vt matrimonio reſarciatur. Firmo, nam aliâs ex doctrinâ & fundamento Sanchez apertè ſequi videtur, eum qui fictè promiſiſſet matrimonium fœminæ, ſub conditione veræ repromiſſionis, ſi fœmina repromitteret, teneri ex iuſtitiâ illum verè contrahere; quod tamen negat Sanchez, vt vidimus præcedenti ſectione. Quia vel teneretur ratione promiſſionis, & hoc non, quia ficta promiſſio non obligat; vel ratione damni, & hoc etiã non, quia nullũ ſecutum eſt, vt ſupponitur: ergo ſignum eſt, quòd quãdo defloratur virgo ex fictâ promiſſione, ſolùm præcisè oritur obligatio, quia ſecutum eſt damnum. nam ſi nullũ eſſet ſecutum, nulla eſſet orta obligatio; ergo, ſi damnum deflorationis reſarciri poteſt dotando, vel augendo dotem, quâ poſſit æquè bene ducere, ac ſi deflorata non fuiſſet, non tenetur eam ducere. Quòd ſi accideret, vt in aliquo euentu tale damnum aliter euitari non poſſet, ratione ſcandali, niſi nubendo; tunc teneretur per accidens ſtare promiſſioni, & complere ſponſalia.

Hinc conſtat ſolutio ad argumenta oppoſita. 3

Ad primũ dico, etiam illum, qui fictè promiſit centum aureos, ſolùm teneri reſarcire damnum eundi Romam, dando pecuniam, vel aliud æquiualens. Quamuis in foro externo, quia præſumitur contractus verus, obligabitur ad dandum centum aureos; ſicut in noſtro caſu ille alius ad ducendam virginem defloratam.

Ad ſecundum negatur antecedens. Ad eius probationem, eſt maxima diſparitas: nam contra iuſtitiam furatur latro pallium, neque ad illud habet vllum ius; ideoque tenetur non ſolùm ratione iniuſtæ acceptionis, ſed etiam ratione rei acceptæ idemmet numero reddere ex iuſtitia. At fictè promittens nullam incurrit obligationem ratione promiſſionis præcisè, quia licèt peccauerit fictè promittens, & violauerit iuſtitiam ficto conſenſu, quoad intentionem, & internum affectum; tamen exterius, & re ipsâ in nullo alio violauit iuſtitiam, præterquam in damno illato ſecuto ex illa promiſſione. Si ergo damnum integrè ſine matrimonio reſarcire poteſt, non obligabitur ad illud ipſomet matrimonio reſarciendum. Ex quo patet. 4

Ad tertium ob illam ficti conſensûs iniuſtam deceptionem nõ teneri reſarcire in propriâ ſpecie, quoad affectum internum, auferendo dolum internum, & adhibendo verum conſenſum, ſed ſolùm teneri damnum reſarcire inde alteri ſecutum & illatum. Quia nemo tenetur ex iuſtitia, niſi ad integrè reſarciendum damnum alteri illatum: nam virtutis iuſtitiæ commutatiuæ officium, ſolũm eſt conſtituere æqualitatem inter damnum, & compenſationem in re ipſa. 5

Ad quartum concedo, intuliſſe damnum virgini; illud verò eſſe damnum deflorationis, quod poteſt pecunia compenſari. Præter hoc verò damnum iniuſta deceptio interna non obligat ad verum conſenſum internum præſtandum, vt dictum eſt. 6

Ad vltimum Baſilij iam conſtat ex dictis ſuprà præcedenti diſputatione, *ſect. 6.* quàm falſa ſit illa doctrina.

Quæres, ad quid tenebitur fœmina, quæ extorſit copulam à viro fictâ promiſſiõe matrimonij. Reſpondeo, regulariter loquendo, ad nihil teneri, quia nec tenetur ratione promiſſionis, quia fuit ficta: neque ratione damni, quia nullum viro ſequitur damnum, regulariter loquendo, ex copula habitâ cum fœmina. 7

Quæres item, an vir teneatur ducere fœminam, vel ad aliquam reſtitutionem, quæ ſimulabat ſe virginem, cùm re vera non eſſet, & vir illam decepit fictâ promiſſione extorquendo copulam. Reſpondeo ad nihil teneri, vt docet Vaſquez, Reginaldus, Sanchez, Leſſius, Rebellus, & alij, quos refert, & ſequitur Bonacina *q. 1. p. 2. n. 6.* Et quidem certum videtur non teneri ducere. Tum quia in hoc caſu nulla eſt obligatio ratione fictæ promiſſionis. Tum maximè 8

ximè

ximè, quia in eo euentu habet ſufficientem cauſam diſſoluendi ſponſalia, ſi vera eſſent; ergo multo minùs tenebitur ſtare ſponſalibus fictis. Quòd verò non teneatur ad vllam reſtitutionem, vel recompenſationem, patet, quia nullum damnum vir cenſetur illi intuliſſe; & fictio viri ſatis compenſatur fictione fœminæ.

Sectio IV.

Ad quid teneatur fictus promiſſor matrimonij ſub conditione deflorationis, quando contrahentes ſunt inæquales.

Difficultas circa præſentem quæſtionẽ occurrens eſt, an ſi vir multum ſuperet virginem nobilitate, vel etiam diuitiis, & fictè matrimonium promittat ſub conditione deflorationis, teneatur eam ducere, defloratione ſecutâ.

1 Conueniunt Doctores, in hoc caſu non teneri nobilem fictum promiſſorem, quando ſigna dedit, quibus fœmina ſufficiẽter intelligere potuit dolum ſubeſſe promiſſioni: vel quando fœmina agnoſcens inæqualitatem, intellexit doloſè promitti coniugium. Ratio eſt, quia ſi fœmina verè dolum ſuſpicata eſt, ſiue hanc ſuſpicionem tacuerit, ſiue eam manifeſtauerit, ſi ſui copiam facit, non id facit ſpe promiſſionis, quam fictam eſſe verè ſuſpicatur, ſed ex merâ ſuâ voluntate. Vnde tunc non præſumitur virginem fuiſſe deceptam, ſed ſe finxiſſe decipi, & gratis, ac ſponte ſui corporis copiam feciſſe. Imò rectè addit Bonacina *p.* 1. *q.* 2. *n.* 7. ex Sanchez *diſp.* 10. *n.* 7. & aliis, nec virum in hoc caſu teneri ad illam dotandam; imò neque ad aliquid reſtituendum, quia vir non cenſetur feciſſe illi iniuriam, cùm fœmina videatur ſciens conſenſiſſe; ſcienti autem, & volenti non fit iniuria. Quare ſi fœmina ex verbis, vel ex aliis claris coniecturis facilè poterat fallacem animũ promittentis cognoſcere; tunc ſibi debet imputare, quia voluntariè videtur fraudi conſenſiſſe. Quæſtio igitur eſt, ſi fœmina ſtatum inæqualitatis, vel exceſſum illum nobilitatis prorſus ignorauit; vel ſi nouerit, tamen deflorator ita ſeriò promittit matrimonium, vt ex nullo ſigno iudicari poſſet, ſe cum dolo promittere.

2 Baſilius Ponce *c.* 2. *§. vnico n.* 15. putat teneri ad eam ducendam.

Primo, quia obligat illa promiſſio, attentâ naturâ promiſſionis.

Secundò, quia diſparitas, quæ eſt inter corpus nobile, & ignobile, non excuſat: nam ſi inæqualitas inter nobilem & ignobilem euertit ſponſalium contractum, & ad illum neceſſaria eſt æqualitas, planè etiã ſi ex animo promitteret, non teneretur. Quare nunquam valerent ſponſalia, vel matrimonium nobilis, & diuitis cum ignobili, & paupere, quod eſt falſum.

Tertiò, ad contractûs matrimonij ſubſtantiam tantùm pertinent corpora, & alia bona nobilitatis, & diuitiarum accidentaria ſunt; ergo quantacumque cognoſcatur in his diſparitas, cognoſcitur etiam nihil deeſſe intra limites matrimonij ad æqualitatem in contractu ſeruandam; aliàs enim non poſſet eſſe contractus iſte ex natura rei inter homines diſparis conditionis.

Vltimò, prædictus nobilis fictus promiſſor contra iuſtitiam fœminæ negauit conſenſum; ergo cùm lege iuſtitiæ erat debitus, neceſſariò erit modò præſtandus, cùm nulla cauſa noua eximens ab hoc iuſtitiæ debito adſit.

Oppoſitum tamen iudico verius, non teneri ad eam ducendam. Ita Sanchez *diſp.* 10. *n.* 21. cum Cordubà, Veracruz, Petro de Ledeſma, & aliis, quos ipſe refert Bonacina relatus cum multis, quos ipſe citat, & alij. Id videtur manifeſtum iuxta noſtram doctrinam, negantem eſſe veram promiſſionem; hinc enim manifeſtè colligitur, iuxta dicta præcedenti ſectione, non teneri, niſi ad compenſandum pecuniâ, vel aliâ re damnum illatum. Quia nec tenetur ad eam ducendum ratione promiſſionis, quæ fuit ficta, & inualida; nec ratione iniuſtitiæ, & iniuriæ illatæ, quia iuſtitia nõ obligat ad reſtituendum plus, quàm damnum æſtimatur; ſed damnum ablatæ dolo virginitatis non tanti æſtimatur, ac virum notabiliter digniorem eam fœminam ducere; ergo nullâ ratione tenetur. Optima etiam eſt ratio, quam adducit Sanchez, quando in contractu eſt inæqualitas, fictè promittens non tenetur integrè implere, ſed æquale reddere: ſicut promittens meretrici valdè ſuperfluum in ſui corporis pretium, fictè tamen, non tenetur ex iuſtitiâ habere conſenſum reddendi, niſi æquale. At in præſenti caſu promiſſum matrimonium eſt multo inæqualius defloratione; non ergo tenetur ad id fictè promittens. Quare ſicut ſi legitimum interuenit impedimentum, vt ſi vir ſit Sacris initiatus, ante, vel poſt deflorationem, vel matrimonio adſtrictus, vel ſi aliquod graue damnum, aut ſcandalum ex matrimonio timeatur, ſatis erit damnum reſarcire. Ita in præſenti. Ex his 3

Colligo *primò*, ſi deceptor velit virginem ſic deceptam ducere, & ipſa matrimonium renuſet, ad nihil teneri, neque alio modo illud damnum recompenſare. Patet, quia abundè, & pluſquàm debet, ſatisfacit, ſi ad ipſam ducendam paratus ſit, hoc enim in corporis pretium fictè ſpopondit; ergo cùm per ipſum non ſtet, quominus matrimonium ſequatur, liber eſt ab omni alia obligatione. Idem ſentio, ſi parentes nolint eam tradere, vt benè notauit Sanchez *diſp.* 10. *n.* 5. & Leſſius *de Iuſt. & iure l.* 2. *c.* ... *dub.* 3. *n.* 26. Quia ſi corruptor non admittitur à parente puellæ ad matrimonium, paratus alioquin promiſſorum fidem præſtare, cur in conſcientiâ tenebitur alio modo damnum reſarcire? Firmo idem, quia ſi vir verè promiſiſſet, non teneretur, niſi ad id, quod promiſit, nempe eam ducere: ergo à fortiori fictè promittens ad nihil aliud tenetur. Nec valet dicere, ſi ex animo promiſiſſet ad nihil aliud obligandum, quia nullam iniuriam intuliſſet: ſi autem animo fallaci promiſiſſet, tunc à parente, & à puellâ poſſe repudiari tanquam impoſitorem, & pudicitiæ inſidiatorem, & tamen ratione iniuriæ teneri nihilominus dãnum ſarcire. Non, inquam, valet, quia deceptor, ſeu fictè promittens non promiſit, niſi eam ducere, vnde cùm paratus ſit ad eam ducendam, in conſcientiâ ad aliud non tenetur; quia ſic abundè ſatisfacit pro iniuria per fictionem illatâ. Exemplum manifeſtũ eſt in aliis contractibus. Nam ſi quis fictè promittat Petro mutuum, & eo nomine Petrus emat merces, facit illi iniuriam, & tenetur ſarcire damnum, niſi ſeruet promiſſum: ſi tamen ſeruare velit, Petrus verò nolit accipere, non tenetur damnum ſecutum compenſare. 4 5

Colligo *ſecundò*, nec virum teneri ducere fœminam malæ famæ, cum qua ſub fictâ promiſſione matrimonij, rem habuit. Patet, quia non tenetur ratione promiſſionis, cùm ſit ficta, & ideo talem obligationem minimè inducens. Nec ratione damni, quia cùm ſit infamata, nullum damnum patitur. Quare ſatisfaciet 6

ciet ſoluendo pretium copulæ ſi illa fœmina conſueuerat corpus ſuum locare, vt bene notauit Molina *tom. 4. diſp 106. concluſ.* 8.

7 Colligo *tertiò*, virum non teneri ducere virginem, aut viduam bonæ famæ, quam deflorauit, vel cognouit, fictâ promiſſione matrimonij, quando copula eſt adeò occulta, vt nullum ſit infamiæ periculum in fœminâ: teneri tamen iniuriam fœminæ factam compenſare, ſed multo minori pretio, iuxta prudentis arbitrium, eo quòd damnum minus ſit. Addo, quod rectè notauit ex Nauarro noſter Leſſius *c.* 10. citato, *dubio* 2. *n.* 15. Si virgo fraude ficti matrimonij promiſſi violata, poſtea æquè commodis poſita eſt nuptiis, ita vt nihil detrimenti acceperit, non debet ei quidquam neceſſariò reſtitui: quia neque pro ipsâ defloratione pudicitiæ, vt quæ irreparabilis ſit, & pretio non æſtimanda; neque pro damno inde ſecuto, cùm nullum re ipsâ ſecutum ſit. Nec valet, ſi obiicias, ſtupratorem conſtituiſſe eam in periculo non inueniendi cõmodas nuptias; quod periculum eſt pretio æſtimabile, & ideo debet rependi. Non, inquam, valet, quia inferre alteri periculum, etiam vitæ, & fortunarum, non obligat ad reſtitutionem, niſi damnum re ipsâ ſequatur, nam periculum damni non eſt damnum; atque ideo periculum, etſi magni æſtimetur, ob damnum, quod poteſt ſequi, ſi tamen non ſequatur re ipsâ, nihil pro illo reſtituendum, niſi pactum interuenerit.

8 Colligo *vltimò* contra Baſilium Ponce *c.* 2. *n.* 17. dicentẽ, eum, qui fictè promiſit, ſi in iudicio interrogetur, an promiſerit, non poſſe negare ſe promiſiſſe. Contrarium iudico verius cum Nauarro, & aliis, quos refert, & ſequitur Sanchez *diſp.* 10. *n.* 27. *&* 28. Ratio eſt, quia non tenetur ille promiſſione, atque adeò cùm iudex roget, vt ad matrimonium debitum cogat, ſenſus interrogationis eſt, Promiſiſti matrimonium ita vt tenearis? verè ille reſpondet, non promiſi, intelligendo, ita vt tenear. Idem dico, quoties quis verè promiſit matrimonium, ſed non tenetur ſeruare fidem ob aliquam cauſam, vt quia altera fornicata eſt; poteſt enim iuramento negare promiſſionem, intelligendo, ita vt teneatur. Quod etiam intellige, quoties, cauſa non implendi promiſſum non ſolùm eſt certa, ſed ſolùm iudicio ſapientum probabilis: quia tutâ conſcientiâ innitens opinioni probabili, poteſt ſe non obligatum exiſtimare, atque adeò poteſt iurare, ſe non promiſiſſe ita vt teneatur. Totum id firmat Sanchez optimis exemplis, quidquid dicat Baſilius. Vt de illo interrogato à iudice an mutuo receperit nummos, quos iam verè non debet; qui poteſt iurare, ſe non recepiſſe, quia non recepit, ita vt nunc ſoluere teneatur: de clerico, qui interrogatus, an portet aliquid, de quo gabellam debeat, poteſt iuramento negare, intelligendo, ſe nihil portare, ex quo gabellam debeat: de eo, qui venit ex loco non infecto peſte, quem tamen cuſtodes falsò putant eſſe infectum; poteſt enim iurare, ſe ex eo non venire, intelligendo ex eo peſte infecto, vt cuſtodes rogare debent. Similiter ergo in præſenti, poteſt fictus promiſſor ſub iuramento negare, ſe promiſiſſe, ſubintellectâ eâ conditione, non promiſi, ita vt tenear implere, quia, vt iam probatum eſt, non tenetur.

Ad argumenta Baſilij facilis eſt ſolutio.

Ad primum conſtat iam, non obligare illam promiſſionem.

9 Ad ſecundum dico, non excuſari fictum promiſſorem propter diſparitatem præcisè, & inæqualitatem inter nobilem, & ignobilem, ſed quia ex animo non promiſit; ideo enim non tenetur ex vi promiſſionis: damnum verò deflorationis poteſt pecuniâ, vel aliâ reſarciri, vt dictum eſt. Ex quo patet

Ad tertium: conceſſo enim illo argumento, inde nihil concluditur contra noſtram doctrinam adductam, vt liquet.

10 Ad vltimum concedo, peccaſſe illum contra iuſtitiam ficto conſenſu, ſeu promiſſione, quoad intentionem; cæterùm quoniam ex illa damnum, quod ſubſecutum fuit, quoad effectum poteſt pecunia, vel alio modo reparari, ideo nulla eſt obligatio matrimonium contrahendi.

Sectio V.

An promiſsio ficta matrimonium contrahendi, ſi iuramento firmetur, valida ſit.

1 NOn procedit quæſtio quando exteriùs quis iurat, ſine animo tamen iurandi; tunc enim fatentur omnes, prædictam promiſſionem fictam, nec vi iuramenti obligare. Quia tunc non eſt verum iuramentum, quia non eſt voluntaria & humana inuocatio Dei in teſtimonium veritatis, ſeu promiſſionis: ergo nulla iuramenti obligatio: nam ſine intentione iurandi nihil fit; eſt enim interior intentio quaſi verborũ anima, dans illi eſſe, ac proinde quando deeſt interior iurandi intentio, iuramentum verbis prolatum, non eſt verè tale, ſed dumtaxat fictè, & apparenter; ſicut matrimonium exterius, vel eius promiſſio abſque interiori animo eſt fictum, ac nullam ex vi matrimonij, vel ſponſalium inducens obligationem. Quæſtio ergo procedit, quando eſt animus iurandi.

2 Non deſunt Doctores graues, inter quos Caietanus 2. 2. *q.* 89. *a.* 7. *ad* 4. Soto *lib.* 8. *de iuſt. q.* 1. *a.* 7. *ad* 4. Baſilius Ponce *lib.* 12. *c.* 2. *n.* 11. & alij, qui exiſtimant obligare promiſſionem prædictam, ſi iuramento confirmetur. Probari poteſt

Primò, quia iuramentum obligat etiam ſi non cadat in promiſſionem, ſed in ſimplicem aſſertionem faciendi aliquid, quod quis ſe facturum exiſtimat, licèt non promittat: ergo licèt fingat ſe promittere, & verba promiſſionis proferat ſine intentione promittendi; ſi tamen verè, & ex animo iurat, ex vi iuramenti manet obligatus. Patet conſequentia, quia fictio promiſſionis non tollit materiam, quam confirmare poſſit, nec ab ipſo iuramento tollit vim ad confirmandam illam; ergo non obſtante fictione promiſſionis, manebit obligatio ex vi iuramenti. Antecedens conſtat, quia cum fictâ promiſſione ſtat vera aſſertio de facto futuro. At affirmatio eſt ſufficiens materia iuramenti promiſſorij.

Secundò, ſi quis cogatur ſub iuramento promittere vſurarum ſolutionem, licèt fictè promittat ſe ſoluturum; ſi tamen id affirmat, & iurat, tenetur: vnde illa promiſſio quamuis de ſe ſit nulla, nihilominus iuramentum obligat, vt omnes fatentur: ergo promiſſio matrimonij ſiue fiat cum intentione promittendi, ſiue non, ſi iuramento firmetur, verè obligabit; quia nullo pacto eſt neceſſaria talis intentio ad obligationem iuramenti.

3 Verius exiſtimo oppoſitum cum Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 5. *n.* 9. & aliis, quos ipſe refert. Verùm non probo fundamentum Sanchez ad id aſſerendum, ex eo nimirum, quòd obligatio iuramenti ex iurantis pendeat intentione. Non, inquam, id probo, nam iuramentum ſemel factum, ipſum ex ſe, & ex naturâ ſuâ producit obligationem independenter à voluntate iurantis ſuppoſitâ materiâ capaci, vt latè in tractatu de iuramento. Fundamentum ergo concluſionis

ſionis eſt, quia nullâ exiſtente promiſſione, nulla eſt obligatio iuramenti, quæ in illa fundatur; at promiſſio ficta matrimonij contrahendi non eſt vera promiſſio, vt ſuprà oſtenſum eſt; ergo. Firmo, nam obligatio iuramenti promiſſorij intra limites Religionis ſupponit obligationem iuſtitiæ, vel ſaltem fidelitatis ex promiſſione; ergo, ſi promiſſio nulla fuerit, nulla erit obligatio iuramenti. Quod patet exemplo veriſſimo ab omnibus recepto, nã ſi ille, cui facta eſt promiſſio ſub iuramento matrimonij contrahendi, repudiet promiſſionem ſemel acceptatam, quia tunc ruit obligatio promiſſionis, ruit etiam obligatio iuramenti promiſſorij. Idem roboro ex dicto illo receptiſſimo, cùm principalis obligatio non ſubſiſtit, corruit etiam acceſſoria, *reg. cùm principalis. ff. de regulis iuru*. In præſenti caſu iuramentũ eſt acceſſorium promiſſioni, quia adducitur ad eandem promiſſionẽ confirmandam, & magis fundandam; ergo ſi corruat principale, nempe promiſſio, neceſſe eſt, vt iuramentum acceſſorium non ſubſiſtat, quia ablato fundamento cadit, quod in illo fundatur. Denique id ipſum roboro, nam prædictum iuramentum fit in confirmationem ſponſalium, vt ſuppono, & conſtat, quia ſic fit regulariter: ergo ceſſante obligatione ſponſalium, vt verè ceſſat, quando deeſt animus promittendi, etiam ceſſat obligatio iuramenti, quia iuramento deficit materia.

Ex quo patet ſolutio ad argumenta oppoſita.

4 Ad primum dico, optimè probare iuramentum obligare etiam ſi non cadat in promiſſionem, quando nimirum non fit in confirmationem promiſſionis, ſed comitanter, tunc enim tale iuramentum non adducitur ad promiſſionem confirmandam, ſed eſt principale, & per ſe ſtans, obligans ad efficiendum Deum teſtem verum illius veritatis de futuro aſſertæ.

5 Ad ſecundum dico, iuramentum illud ſoluendi vſuras, non fieri in confirmationem, ſed comitanter, & ideo per ſe ſtare, & obligare; nec deficit ei materia, quia licèt non cadat in promiſſionem, vt in materiam, in qua fundetur, cadit tamen in ſimplicem aſſertionem faciendi aliquid, quod quis ſe facturum affirmat, licèt non promittat. Vnde ſimiliter dico, ſi iuramentum contrahendi matrimonium non fieret in confirmationem promiſſionis mutuæ, ſeu ſponſalium, vt verè ſic regulariter fieri ſolet, ſed comitanter, vt fit iuramentum ſoluendi vſuras, etiam inualidâ promiſſione, ſeu fictis ſponſalibus, iuramentum non ceſſaret, & teneretur promittens vi iuramenti matrimonium contrahere, vt obiter notauit Gaſpar Hurtado *diſp. 2. diffic. 5. num. 17.*

DISPVTATIO III.

De verâ promiſſione merè internâ contrahendi matrimonium factâ homini, vel Deo.

VT clariùs conſtet, promiſſionem ſponſalitiam, ſi more humano fiat, debere eſſe mutuam, & externam, ſenſibili ſigno notam, iuxta dicta ſuprà *diſp. 1.* præſertim *ſect. 1. & vltimâ*; operæ pretium duxi peculiarem hanc diſputationem inſtituere de promiſſione matrimonij merè internâ homini factâ, & de eâ, quæ fit Deo voto, vel iuramento causâ pietatis, vel alicuius alterius finis, ſeu motiui honeſti; ac ſimul examinare, an aliquam pariat obligationem, vel certè nullam?

SECTIO I.

An promiſſio interna matrimonium contrahendi homini facta, pariat aliquam obligationem.

NOſter Molina 2. *tom. de Iuſt. tract. 2. diſp. 266. §. vt autem*, & alij multi ſentiunt, ex vi iuris naturalis promiſſionem internam homini factam obligare. 1

Primò, quia maius eſt vinculum promiſſionis internæ, quàm ſolius propoſiti, vt per ſe notum eſt; ergo illa aliquam addit obligationem: aliàs nihil inter ea duo diſtaret.

Secundò, poſſeſſio ſolâ voluntate non poſſidendi amittitur, vt ex multis iuribus nonnulli colligunt. Imò & dominium, vt quando res pro derelicta habetur: ergo promiſſio interna obligat.

Tertiò, non implere promiſſionem internam continet mendacium, & eſt genus infidelitatis iure naturali prohibitum: ergo promiſſio interna obligationem inducit.

Quartò, obligatio promiſſionis nequit reſultare, niſi ex lege priuata, quam promittens ſibimet ſpontaneè imponit; ergo à nullâ aliâ voluntate externâ pendere poteſt, præter internam.

Quintò, acceptatio non eſt neceſſaria iure naturæ, vt obliget promiſſio: ergo nec vt externè fiat. Patet conſequentia, quia ſigna externa ſolùm deſiderantur propter acceptationem; non enim expreſſio exterior neceſſaria eſt, niſi vt poſſit cognoſci, & acceptari ab altero. Antecedens probatur, tum quia naturalis obligatio meo conſenſu oritur. Tum etiam, quia promiſſio facta ciuitati ad reparandum, quod per incendium, terræmotum, aut per aliam ruinam periit, valet ante acceptationem, ita diſponente iure ciuili. At id non diſponeret ius ciuile, ſi iure naturæ deſideraretur acceptatio; nam ius ciuile non tribuit contractibus maiorem vim, quàm naturâ ſuâ habeant, quãuis interdum ob bonum commune illis vim, quam per ſe habent, adimat.

Vltimò, ſi promiſſio interna iuramento firmetur, obligat; ergo iam per actum merè internum poteſt quis homini obligari.

Dico *primò*, certum eſſe apud omnes promiſſionem internam, non mutuam, homini factam, non ſufficere ad ſponſalia. Patet; tum quia promiſſio ad ſponſalia ordinaria debet eſſe humana, de cuius ratione eſt vt humano, & ſẽſibili modo fiat, & aliquo ſigno ſenſibili innoteſcat: ergo non ſufficit promiſſio matrimonij merè interna. Tum etiã, quia contractus ſponſalium fit inter homines, & vltrò citróque obligat, & includit mutuum pactũ, & promiſſionem, vt conſtat ex diſputatione primâ; cùm enim ſponſalia ſint quædam inchoatio matrimonij, & hoc ſit eſſentialiter contractus, qui intrinſecè mutuam obligationem includit; illa etiam neceſſariò participant ex hac parte naturam contractus, ac proinde mutuam obligationem includunt. Igitur neceſſe eſt, vt promiſſio vnius interna alteri homini ſit nota, vt repromittat: ergo promiſſio interna non mutua, ſeu non reciproca, non eſt ſufficiens ad ſponſalia. 2

Dico *ſecundò*, prædictam promiſſionem merè internam, iure poſitiuo non obligare in ratione ſimpli- 3

Digitized by Google

cis, ſeu gratuitæ promiſſionis. Id omnes fatentur, & patet. Tum quia nullum extat ius poſitiuum: tum quia ius poſitiuum acceptationem petit, vt obliget, vt ſtatim dicã: ſaltem nemo negat omnino exigere ius, vt ipſa promiſſio innoteſcere poſſit; innoteſcere verò non poteſt promiſſio merè interna, nullo ſigno alteri manifeſtata.

4 Dico *tertiò*, non ſolùm ex diſpoſitione iuris poſitiui, ſed etiam attento ſolo naturæ iure, prædictã merè internam promiſſionem nullam obligationem inducere. Id planè colligitur ex D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 1. vbi dicit, promiſſionem vnius hominis non poſſe alteri fieri, niſi per ſigna externa; Deo autem poſſe fieri per internam cogitationem. Idem tenent communiter DD. Azor *tom. 3. lib. 1. c. 15.* Leſſius *lib. 2. de Iuſt. c. 18. dub. 5.* & alij plures, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. 1. diſp. 3.* Probatur manifeſtè. *Primò*, quia promiſſio propriè conſiſtit in locutione, ſeu affirmatione, qua quis alteri offert ſuam fidem, vt conſtat ex communi vſu, & intelligentiã. At per internam promiſſionem nullo ſigno manifeſtatam alteri, non loquitur, nec ſuam offert alteri fidem adæquatè & perfectè; nam locutio, & fides quæ alteri datur, debet aliquo modo percipi ab eo, cui datur; ſic autem non percipitur promiſſio purè interna, quæ homini fit. Hæc igitur non eſt ſufficiens, & perfecta promiſſio, ſed inchoata, & imperfecta. Neque enim vnus homo loquitur, neque affirmat alteri perfectè, & ſufficienter ſolã locutione, ſeu affirmatione internã intellectus, ſed tantùm inchoatiuè, vt patet: & conſequenter in ordine ad hominem non obligat; benè verò in ordine ad Deum, quia Deus iam percipit. Quare prædicta interna promiſſio eſt vera, & perfecta locutio, & affirmatio reſpectu Dei, non verò reſpectu hominis. *Secundò*, promiſſio & donatio ſunt ſigna quædam practica, efficientia id ipſum, quòd ſignificant. Qui enim dicit, Promitto tibi, do tibi, non ſolùm ſignificat internam cogitationem, & affectum promittendi, & dandi, ſed etiam ipſum actum promiſſionis, & donationis, qui in hiſce verbis ſub tali intentione prolatis formaliter conſiſtit; & effectum eius, ſcilicet obligationem, quæ naſcitur in promittente, & ius, quod naſcitur in promiſſario. Igitur cùm actus interni non ſint idonea ſigna ad alteri ſignificandum; non ſunt etiam idonea inſtrumenta ad ſe alteri obligandum: nam hæc aptitudo fundatur in ſignificatione ad alterum. Si tamen alter noſcere poſſet internas cogitationes, ſicut poſſunt Angeli, quando ad eos diriguntur; tunc per actum internum optimè poſſet promiſſio, & donatio fieri, iuxta dicta ſuprà *diſp. 1. ſect. 9.*

Tertiò talis promiſſio merè interna non eſſet à promiſſario acceptata; quod tamen neceſſarium eſt ad obligationem, vt ſtatim dicam; ſub hac enim tacità conditione fieri cenſetur: ergo.

5 Dico *quartò*, vt promiſſio matrimonij contrahendi, homini facta, habeat vim obligandi, non ſolùm debet eſſe externa, ſed etiam debet acceptari, idque prouenit non tantùm ex iure ciuili, ſed etiam ex iure naturali. Hæc eſt communior ſententia, quam tenent Leſſius *lib. 2. c. 18. dub. 6. n. 39.* & Sanchez *lib. 1. diſp. 6. n. 10.* & alij, quos ipſi referunt. Atque in primis, promiſſionem homini factam, ante acceptationem, nullam parere obligationem, ex eo conſtat, quia obligatio non naſcitur, niſi mutuo duorum conſenſu. *l. 1. ff. de pactis.* Vnde fit, vt etiam vota Deo facta obligatoria non ſint, quando Deus ipſe non acceptat, vt ſi ſint de rebus indifferentibus; ergo promittens alteri, priuſquam alterius conſenſus accedat, poteſt ordinariè pœnitere, & ſuam oblationem reuocare. Dixi *ordinariè*, quia, vt notat Leſſius *citatus*, iure ciuili ſtatutum eſt, vt conſtat ex *l. 3. ff. de pollicitationibus*, promiſſiones abſolutas factas ciuitati, etiam ante acceptationem, non poſſe reuocari pro libito, ſicut ex natura rei poſſent; atque adeò talis promiſſio ſemper poteſt acceptari, & promiſſum peti. Idem dicendum de promiſſionibus ad cauſas pias. Rurſus quòd requiratur iure ciuili prædicta acceptatio, patet *l. 1. ff. de pollicitationibus*, vbi eſt huius rei manifeſta diſpoſitio. Notatque Leſſius, ius ciuile non efficere, vt promiſſio facta ciuitati vim habeat abſolutam ante acceptationem: nihil enim tale colligi poteſt ex vllã lege totò titulo *de pollicitationibus*; ſed ne poſſit reuocari pro libito. Nam ius ciuile impedit reuocationem: indicat verò debere peti, ita vt petitio ſit neceſſaria, vt promittens teneatur ſoluere. Quare ex omni promiſſione naſcitur quædam obligatio veluti conditionata, & ſuſpenſa, donec acceptetur, vel reuocetur; quam reuocationem ius ciuile impedit in fauorem ciuitatis, vel cauſæ piæ. Denique quòd prædicta promiſſio non habeat vim obligandi ante acceptationem, idquo proueniat ex iure naturali. Probatur, quia in contractibus onerofis, ante acceptationem licitum eſt pœnitere, & reuocare ſuam oblationem, vt liquet in contractu emptionis, ſponſalium, matrimonij, & alijs, nec opus eſt expectare donec alter acceptet, vel reijciat: ergo licitum eſt idem iure naturæ in promiſſione ſimplici, & gratuitã matrimonij, niſi lex poſitiua adimat hanc poteſtatem, vt diximus. Firmatur, quia ſicut promiſſio, vel obligatio onerofa, quã quis ſe obligat, habet tacitam conditionem, nempe ſi alter viciſſim velit ſe obligare, ita etiam promiſſio ſimplex, & gratuita habet tacitam conditionem ſi acceptetur. Nam iſta promiſſio iure naturæ exigit conſenſum, & animum, ſe obligandi, vt valida ſit; qui verò promittit, non videtur conſentire, & animum ſe obligandi habere, donec alter acceptet, vt dicitur *l. qui abſenti. ff. de adquirenda poſſeſſ.* ergo ſicuti ibi conditione nondum impletã, poteſt reuocari oblatio, ita & hic.

Hinc dico *vltimò* iure Gentium requiri acceptationem, vt promiſſio ſimplex, & gratuita matrimonij, vel cuiuſuis alterius rei habeat vim obligandi. 6 Patet ob ſimilem rationem, quia in contractibus onerofis ante acceptationem, licitum eſt vbique Gentium pœnitere, & reuocare ſuam oblationem. Aliàs enim ex contrariã ſententia ſequeretur, eum, qui apud ſe, nemine audiente, diceret, Promitto, vel do Ioanni mille aureos, teneri manifeſtare hanc ſuam promiſſionem, vel donationem Ioanni, an velit acceptare, nec poſſe pœnitere. Quod tamen videtur durum, & incredibile, nuſquam gentium vſitatum. Igitur verius eſt, promiſſionem iſtam matrimonij contrahendi non habere vim obligandi vbique gentium ante acceptationem.

Ad argumenta oppoſita.

7 Ad primum dico, promiſſionem internam radicaliter, & inchoatiuè, ſeu in actu primo maiorem obligationem inducere, quàm propoſitum, non verò formaliter, & perfectè, ſeu in actu ſecundo; ad hoc enim requiritur ſaltem vt conditio ſine qua non, vt promiſſio innoteſcat alteri cui fit. Ex quo apparet diſcrimen inter propoſitum, & promiſſionem internam: nam hæc eſt radix obligationis, non verò illud; eam verò nequit exercere, donec intimetur.

8 Ad ſecundum reſpondeo, tametſi poſſeſſio, & dominium poſſit amitti actu interno, vt cùm res habetur pro derelicta; non tamen transferri in alterum:

ad

Digitized by Google

ad hoc enim plura ſunt requiſita ; facilius enim eſt aliquid deſinere , quàm incipere eſſe , aut in altero produci. Cumque more humano obligatio in contractibus,& promiſſionibus gratuitis oriatur,neceſſe eſt ſaltem,vt conditio, vt promiſſio innoteſcat alteri cui fit.Idque iura decernunt , vt oſtenſum eſt.

9 Ad tertium negatur , eſſe mendacium , vel infidelitatem ; quia illi promiſſioni internæ , vt verè obliget , ineſt ſemper tacita conditio , ſi alteri intimetur , & ab eo acceptetur. In quo differt à promiſſione internâ factâ Deo , ſeu voto interno , quod abſolutè obligat ſine illâ conditione,quia omne cor notum , & patens eſt Deo.

10 Ad quartum dico , obligationem promiſſionis pendere quidem à ſolâ voluntate internâ tanquam à radice , ac principali mouente , & tribuente vim obligandi tam promiſſioni , quàm acceptationi alterius;pendere tamen quoque à voluntate acceptantis,tanquam à conditione , ſine qua non oritur obligatio.

11 Ad quintum negatur antecedens. Ad primam probationem dico , obligationem radicaliter oriri ex conſenſu tanquam ex cauſa directâ , ac principali ; exigere tamen , vt conditionem ſine qua non,ipſam acceptationem , vt ius tribuat : ſicut ignis eſt ſufficiens cauſa calefactionis aquæ , nequit tamen ex eo naſci calefactio , niſi aqua debito modo applicetur. Ad ſecundam probationem reſpondeo , ex omni promiſſione naſci quandam obligationem veluti conditionatam , & ſuſpenſam donec acceptetur , vel reuocetur. Circa promiſſionem verò in fauorem ciuitatis , & idem eſt de pollicitationibus ad cauſas pias , ius poſitiuum diſponit , ne reuocetur. Vnde in his promiſſionibus ius ciuile non tribuit propriè illis vim , quam iure naturæ , vel gentium non habet , ſed impedit ne poſſit reuocari. Et quamuis non obſtante diſpoſitione iuris naturalis exigentis acceptionem , ſtatuiſſet ius ciuile in fauorem aliquarum cauſarum , vt in illis acceptatio non deſideraretur, nihil inde ſequeretur contra noſtram doctrinã ; nam etiam voluntas minùs ſolemnis defuncti attento naturali iure ſeruanda eſſet,& tamen ius ciuile ſeruandam non eſſe decreuit , ob bonum publicum.

12 Ad vltimum negatur antecedens , nam promiſſio matrimonij purè interna non obligat:ergo nec ſi iuramento fuerit firmata, quia cùm hoc iuramentũ cadat ſupra promiſſionem,& hæc nõ obliget abſolutè, & ſimpliciter ad exercitium actus , pariter non obligabit iuramentum;deſtructo enim fundamento deſinit id , quod ſupra ipſum fundatur. Iuramentum enim ſequitur conditionem actus , ſuper quo interponitur, ex *c. quemadmodum, de iureiur.* & ex *l. vltimâ.C de non numeratâ pecuniâ.* Obligat autem iuramentum,homini factũ cadens ſupra promiſſionem externam obligantem, quia ſequitur naturã promiſſionis,cui adiungitur : promiſſio autem obligat, ſi id quod promittitur homini eſt bonum,& commodum ipſi , etiam ſi non ſit de meliori bono.

Sectio II.

An promiſſio interna Deo facta de matrimonio contrahendo ob periculum incontinentiæ verè obliget.

1 COnueniunt Doctores *primò* promiſſionem purè internam Deo factam , ſi ſit circa materiam aptam,& idoneam,qualis eſt materia honeſta,non impeditiua melioris boni,habere rationẽ voti,& obligare.Ratio eſt,quia cùm Deo omne cor pateat,& omnis voluntas loquatur, quæuis promiſſio facta Deo, etiam purè interna verè , ligat. Idem dicendum de promiſſionibus factis Beatis circa materiam idoneam : nam hi ſunt nobis vbique , quaſi præſentes, & ſecreta noſtra percipiunt , vt benè notauit Coninch *diſp. 22. dub. 6. n. 34.* In quo maximè eſt ob- 2
ſeruandum diſcrimen hominum defunctorum , vt homines ſunt, ſeu vt ſunt creaturæ rationales præciſè ; vel vt ſunt Sancti, & beati. Nam ſi ſolùm conſiderentur , vt homines ſunt , non ſunt capaces promiſſionis,quæ illis fiat ab hominibus in hac vitâ degentibus , quia non habent cum illis conuictum,neque eorum facta cognoſcere , aut dicta poſſunt audire : at ſine mutuâ cognitione, & notitiâ non habet locum humana promiſſio , vt conſtat ex *diſp. 1. ſect. 9.* Vt ergo illis fiant promiſſiones noſtræ, & verè obligent , etiam internæ, neceſſe eſt illos conſiderare,vt Sanctos, & beatos, quibus hæc noſtra dona, & promiſſa , quatenus ad illos pertinent , nota ſunt.

Secundò, conueniunt omnes, promiſſionem inter- 3
nam (& idem eſt de externâ) de matrimonio contrahendo,Deo factam,per ſe loquendo , non obligare. Ratio eſt manifeſta,quia ſi obligaret,eſſet ratione voti;hoc autem,vt obliget,debet eſſe de meliori bono, & debet verſari circa materiam, quæ melior ſit ipſa, quàm eius oppoſitum,ſeu contradictorium,vt cõſtat ex tractatu *de voto.* At in pręſenti promiſſio Deo facta de matrimonio,non eſt de meliori bono;nam eius oppoſitum,ſeu contradictoriũ,videlicet carentia matrimonij,per ſe loquendo,melior eſt,quàm ipſũ matrimonium , vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 24. can.* 10. definiente , meliorem eſſe ſtatum virginitatis, ac cœlibatus ſtatu matrimonij.In quo differt promiſſio Deo facta à promiſſione factâ homini ; hæc 4
enim ſolum requirit , vt ſit de re bonâ , & commoda promiſſario , tametſi ſit impeditiua melioris boni : illa verò nequit eſſe de re indifferenti , quæ vt ſic à Deo non acceptatur , neque etiam poteſt eſſe de re bonâ , ſi ſit impeditiua melioris boni. Dixi , per ſe loquendo. Nam tales circumſtantiæ poſſunt concurrere,vt obliget prædicta promiſſio,videlicet, vt quando ex matrimonio ſequeretur maxima Reipublicę vtilitas,vt Principum concordia,vel magna infidelium conuerſio. Vel etiam quãdo deflorata eſſet fœmina ſub verâ promiſſione matrimonij , & teneretur eam ducere,quia cùm tũc teneatur ex præcepto iuſtitiæ matrimonium contrahere, & ſit impeditus ad perfectiorem ſtatum , ratione talium circumſtantiarum, meliùs eſt ei contrahere , quàm non contrahere. Quando enim matrimonium cadit ſub præceptum,poteſt etiam cadere ſub votum:quia tũc votum non eſt impeditiuum melioris boni,quia ſupponitur homo ſufficienter impeditus , vt non poſſit altiorem ſtatum ſumere ; vnde tali factâ hypotheſi tale votum redundat in maius bonum vouentis,quia confirmat illum in bono,quod facere tenetur,& confert, vt actus ipſe meliori modo fiat. Et certè eâ ratione , qua poteſt fieri votum de obſeruatione præcepti in alia materiâ,poteſt etiam fieri in hac. Itaque in prædictis euentibus conueniunt Doctores.

Difficultas eſt in aliis caſibus. Vt ſi fiat votum, vel matrimonij promiſſio ob ſpiritualem neceſſitatem ipſius vouentis ad vitandum periculum incontinentiæ. Vel ſi fiat causâ pietatis erga alium. Vel denique ſi fiat de matrimonio rato contrahendo , cum expreſſâ voluntate non conſummandi. De priori in hac ſectione , de aliis in ſequentibus dicemus.

Circa priorem igitur caſum ſentiunt Sotus *lib. 7.*

de iuſt.q. 1. *a.* 3. Aragon 2. 2. *q.* 88. & alij Recentiores, inualidum eſſe votum duceodi vxorem ad vitandum perieulum incootinentiæ.

Primò, quia ſemper votum illud eſt de re impediente aſcenſum ad perfectiorem ſtatum.

Secundò, ſic vouens redditur inhabilis ad ſtatum perfectionis, eriam pro tempore, & tentationes decurſu temporis ceſſare poſſunt.

Tertiò intendere actom matrimonij, propter fornicationem in ſeipſo vitandam, eſt peccatum ſaltem veniale, vt expreſsè aſſerit D. Thom. *in* 4. *d.* 31. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 2. ergo hoc fine non poteſt matrimonium fieri materia voti.

Vltimò, non obſtante tali voto, poteſt homo fragilis ingredi religionem: ergo ſignum eſt, votum fuiſſe ioualidum.

6 Secunda ſententia huic oppoſita defendit, validum eſſe tale votum. Ita Caietanus, Nauarrus, Bellarminus, Ludouicus Lopez, & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 4. *r.* 7. Probat

Primò, quia reſpectu talis hominis tale votum ſimpliciter eſt de meliori bono, cùm Paulus dicat 1. Cor. 7. *melius eſſe illi nubere, quàm vri.*

Secundò poteſt quis obligari ad matrimonium contrahendum, ſi arbitrio prudentum iodicetur illud medium moraliter neceſſarium, ad vitandum periculum lapſus; ergo ob eandem rationem poterit votum ex eodem fine factum eſſe validum.

Tertiò, votum illud videtur prudens, & licitum, quia ſumitur vt medium commodum ad honeſtum, & neceſſarium finem; ergo tale votum eſt validum: nam omne votum inualidum eſt etiam illicitum.

7 Denique tertia opinio eſt noſtri Franciſci Suarez *tom.* 2. *de Religione, tract. de voto lib.* 2. *c.* 9. *n.* 14. dicentis, non ſemper eodem modo obligare tale votum. Nam ſi omnibus penſatis tale remedium cenſeatur vel ſimpliciter neceſſarium tali perſonæ, vel ſaltem vtilius, quàm ſtatus religionis, vel quàm alia remedia, votum illud definitè obligabit ad matrimonium; quia de illo factum eſt ſub ratione Deo gratâ, & commutatio illius remedij in alia, non eſt in melius reſpectu talis perſonæ, & ideo obligat determinatè ad id, de quo factum eſt. Si verò non ſit illud medium matrimonij adeò neceſſarium, quia melius per religioois ſtatum, vel aliam vitæ mutationem fiet; tunc votum non obligabit præcisè ad contrahendum matrimonium, niſi tantùm ſub conditione illâ, quòd vouens nolit per religioois ingreſſum, vel aliud ſpirituale remediom vitare periculum animæ, in quo verſatur. Cùm enim matrimonium tunc ſolùm voueatur vt remedium, ſi aliud excellentius poſſit adhiberi, vt eſt religio, nunquam illud ita excluditur, quin poſſit vouens adhibere, ſi velit. In hac re

8 Dico *primò*, eiuſmodi votum validum eſſe, & ſimpliciter obligare, quando omnibus penſatis cenſetur matrimonium remedium, moraliter loquendo, ſimpliciter neceſſarium huic homini ad continentiam ſeruandam. Hoc eſt certum apud omnes, & patet, quia reſpectu talis hominis, & in illo, meliùs eſt oubere, quàm non nubere, & eſſe coniugatum, quàm cœlibem, vel religioſum, quia non nubendo exponit ſe manifeſto periculo damnationis. Firmatur, quia ad honorem Dei, vt gratiùs ei quid fiat, non refert quid in genere, & ſecundùm ſe conſideratum præſtantius ſit, & excellentius, ſed quid hic, & nunc viſis omnibus circumſtantiis præſtet, & excellat: nam, vt conſtat, actus humani ex circumſtantiis adiunctis ſortiuntur booitatem, & malitiam; ſed in prædicto caſu matrimonij remedium eſt moraliter ſimpliciter neceſſarium, vt viuat homo ſine manifeſto periculo damnationis, & vt ſit gratus Deo; ergo votum de illo validum eſt, & honeſtum.

9 Dico *ſecundò*, validum eſſe, & ſimpliciter obligare quoque votum nubendi, quando viſis omnibus circumſtantiis cenſetur medium vtilius ipſi homini ad vitandam incontinentiam. Ita tenent Suarez, & Sanchez *citati*. Et ratio etiam eſt aperta, quia quando alicui ſaniùs eſt ob eius fragilitatem, & lapſuum frequentiam matrimonium contrahere, quàm cœlibatus tunc reſpectu illius votum nubeodi, non impedit conſilium, ſeu maius bonum, nec continet deſcenſum à perfectiori continentiæ ſtatu ad imperfectiorem matrimonij ſtatum, ſed potiùs aſcendit ab iniquiſſimo incontinentiæ ſtatu ad matrimonium: ergo valet votum, & obligatur ad illud.

10 Dico *tertiò*, non eſſe validum votum nubendi, quando matrimonium ſolum eſt reſpectu vouentis medium vtile ad vitandam incontinentiam. Io hoc ſenſu amplector primam ſententiam. Et ratio eſt, quia tunc non cenſetur matrimonium ſimpliciter maius bonum reſpectu huius hominis, quàm cœlibatus, aut religio. etiam moraliter loquendo; oeque etiam melius, & vtilius; ergo non eſt obligandus ad matrimonium contrahendum, quia id iam eſſet ponere obicem diuinæ gratię, & ſtatui perfectiori cœlibatus, vel Ordinis ſacri, vel etiam religionis. Firmo, quia matrimonium oon promittitur propter ſe præcisè, ſed vt medicina, & remedium incontinentiæ reſpectu fragilitatis huius perſonæ; ſed noo eſt vnicum, & optimum, quia melius per religionis ſtatum, vel aliam vitæ mutationem occurret illi oeceſſitati; ergo melius eſt illi vincere perfectiori modo fragilitatem ſuam; ergo ad eam vincendam non obligatur præcisè ad matrimonium contrahendum, & conſequenter votum de nubendo validum non erit.

11 Dico *vltimò*, dato quòd in prædicto caſu validum eſſet votum, adhuc tunc votum non obligaret ad matrimonium abſolutè, ſed tantùm ſub ea conditione, niſi velit vouens per religionis ingreſſum, vel per Ordinem ſacrum, vel per aliud ſpirituale remedium occurrere ſuo periculo incontinentiæ. Id benè notauit Suarez *citatus*. Et patet, quia, prædicta conditio non ſolùm noo eſt contra obligatiooem voti, ſed eſt incluſa in tali voto; quia matrimonium tunc ſolùm vouetur vt remedium medicinale: ergo ſi aliud excellentius adhibeatur, nequibit ligare; ergo non poteſt obligare ad matrimonium abſolutè. Ex dictis conſtat, quàm vera ſit ſecunda, & tertia ſententia, quarum vtraque pro nobis eſt modo explicato.

12 Ad primum primæ ſententiæ, negandum eſt antecedens, nam in homine, qui eſt ſolutus matrimonio, & longo tempore expertus eſt fragilitatem ſuam, vel longam conſuetudioem cum concubinâ, à qua videtur, moraliter eſſe illi impoſſibile, dimoueri, quando matrimonium contrahere eſt illi moraliter neceſſarium, & medium vtilius, votum de illo ad frenandam ſuam incontinentiam non impedit conſilium, ſeu perfectiorem ſtatum, ſed continet aſcenſum à turpiſſimo incontinentiæ ſtatu, & à periculo ſuæ damnationis ad ſtatum matrimonij honeſtum, tanquam ad remedium ſuæ inordinatæ concupiſcentiæ, & vt medium ſuæ ſaluationis. Quare tametſi matrimonium ſemper impediat ſtatum de ſe perfectiorem, cæterùm quando hic ſtatus tali perſonæ cōſuli non poteſt, tunc eſt melius reſpectu eiuſdē perſonæ, atq; adeò obſtare non poteſt, quominus eius votū validū ſit. Quare ſicut ſi quis teneretur non ingredi religionē, vt ſubueniret, v.g. parentibus indigentibus, & propterea faceret vo-

tum

Digitized by Google

tum non ingrediendi religionem durante tali neceſſitate parentum, validum eſſet tale votum, quia non impediret maius bonum, & confirmaret in bono. Ita pariter in præſenti caſu.

13 Ad ſecundum dico, conſtare ex primo, & ſecundo dicto, ſtatum coniugalem in eo tempore, quo emittitur votum, vt medium ſimpliciter neceſſariũ, moraliter loquendo, vel ſaltem, vt medium vtilius, ac magis opportunum, viſis circumſtantiis perſonæ eſſe maius bonum reſpectu illius, quàm quęcumque alium ſtatum, & ideo eſſe validum. Quòd ſi poſtea decurſu temporis poſt emiſſum votum, non eſſet matrimonium contractum, nec eſſet remedium neceſſarium, vel magis vtilius ad vitandam incontinentiam; tunc ceſſaret votum, eo quòd materia eius eſſet inepta, cùm non eſſet tunc de meliori, & perfectiori bono.

14 Ad tertium dico, nullum peccatum eſſe vti matrimonio ad vitandam fornicationem, maximè quando tentatio vrget, & eſt moralis neceſſitas, vel ſaltem vtilitas, quia finis ille eſt bonus, & medium ſecundùm ſe non eſt malum, cùm ſit vſus legitimi coniugij. Nec D. Thomas, aliiue Doctores oppoſitum docent. Cùm enim aliqui dicunt, copulam coniugalem exercitam ob delectationem eſſe peccatum, intelligendi ſunt, non de temperatâ, ſed de intemperatâ delectatione.

Ad vltimum negandum eſt, non obſtante tali voto poſſe hominem fragilem ingredi religionem, quando nimirum illi eſt moraliter impoſſibile ſeruare continentiam niſi nubat.

SECTIO III.

An valida ſit promiſsio Deo facta intuitu pietatis, ducendi pauperem, vel meretricem, vel ab alio defloratam, vt eam liberet ab egeſtate, vel à peccato, vel ab infamiâ.

1 DE his promiſſionibus, ac votis quæ fiunt cauſâ pietatis in obſequium Dei, ſunt duæ extremæ ſententiæ.

Prima ſententia affirmat, prædictum votum valere. Ita Henriquez *lib. 11. de matrimonio cap. 6. n. 5.* Philarcus *de officio ſacerdotis tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 17. n. 3.* Filliucius *tract. 26. de voto, c. 1. n. 61.* & alij non pauci Recentiores. quam iudicat Suarez *lib. 2. de Relig one, c. 9. n. 18.* eſſe ſic intelligendam, vt tale votum non obliget ſimpliciter ad exercitium talis actus, ſed ad ſpecificationem, ſeu determinationem eius, quoad talem perſonæ conditionem, atque adeò valere tale votum quoad partem materiæ, vt nimirum, ſi velit vxorem ducere, teneatur illam pauperem, vel meretricem, quam vouit, accipere. Atque hanc ſententiam ſic declaratam amplectitur Suarez. Probatur

Primò, quia ſic vouens intendit ſe obligare ad opus illud pietatis, quantum poteſt: ergo tametſi nequeat obligari abſolutè ad exercitium actus, obligabitur ſaltem ad determinationem, ſeu ſpecificationem eius. Patet conſequentia, quia cùm tale votum non obliget ad exercendum actum matrimonij, ſed ad pietatem matrimonij ſi fiat, non præcludit viã perfectiori operi, ſed ſuppoſitâ propria voluntate ducendi vxorem, obligat votum ad exequendam illam voluntatem titulo pietatis eum tali conditione perſonæ.

Secundò in votis, ſicut in iuramentis, iuxta communem Doctorum aſſenſum habet locum illa regula iuris deſumpta ex *cap. vnico, de deſponſatione impuberum*; ſi non valet quod ago, vt ago, valet, vt valere poteſt: ergo cùm tale votum poſſit valere quoad determinationem actus, valebit quoad illam.

Tertiò, qui vouet impoſſibile complectens aliquid poſſibile, obligatur ad id quod poteſt, licèt non obligetur ad id quod non poteſt. Et qui vouet licitum cum modo illicito, obligatur ad licitum, excluſo modo, ſaltem quando modus non eſt præciſa ratio vouendi: ergo in præſenti caſu, qui vouet tale opus pietatis, obligatur ad illud modo licito, & poſſibili, licèt non obligetur ad id, quod ſub voti obligationem cadere non poteſt.

Quartò, quando aliquis vouet aliquid minus bonum per ſe, & ſimpliciter, obligatur ad illud, ſub tali conditione ſubintellectâ, vt liceat tranſire ad melius, ſed hoc votum eſt de opere pietatis: ergo obligat ſub ſimili conditione.

Quintò ſi quis explicitè voueret ſic. Voueo quòd ſi decreuero ducere vxorem, pauperem ducam, vt illius miſeriam ſubleuem, votum obligaret: ſed hæc conditio tacitè ineſt in voto illo facto in formâ abſolutâ, quâ quis Deo abſolutè vouet contrahere matrimonium cum paupere, in quo includitur generalis conditio, & intentio ſe obligandi ad illud opus pietatis eo modo, quo poteſt: ergo.

Sextò, regula eſt iuris 37. *de regulis iuris in 6.* ſic dicens. *Vtile non debet per inutile vitiari*; ergo licèt in voto prædicto non tenuerit illa intentio, quoad inutile, debet tenere, quoad id, in quo vtilis eſſe potuit.

Vltimò eſt argumentum à paritate variis exemplis: nam votum nunquam peccandi validum eſt, quia licèt nequeat obligare ad vitanda omnia peccata; tamen poteſt obligare ad vitanda omnia peccata deliberata ſaltem mortalia, quia hæc pars illius obiecti poſſibilis eſt, & non eſt per ſe connexa cum aliâ parte moraliter impoſſibili, vitandi omnia peccata venialia, quæ fiũt ex ſurreptione. Similiter votum ieiunandi totâ Quadrageſimâ, vel recitandi Officium canonicum, licèt fiat ab impotente totam rem promiſſam implere, tenetur implere partem illius ſibi poſſibilem. Eſt enim dictum commune iuris peritorum, iuramentum, vel votum, quod integrè obſeruari nequit, ſeruandum eſſe quoad partem poſſibilem: ſic enim puer quatuordecim annorum, qui vouit ieiunare omnibus diebus vitæ ſuæ, id minimè potens implere, tenetur ad partem, quam poteſt: ergo ſimiliter in noſtro caſu, licèt nequeat quis vouere matrimonium; tamen eùm poſſit illud vouere eum paupere ex ſuppoſitione, quod velit nubere, votum illud validum erit.

Veriorem iudico ſententiam oppoſitam eſſe, nimirum id votum omnino inualidum, tam abſolutè, quàm ex ſuppoſitione, quod vouens velit vxorem ducere. Ita optimè noſter Sanchez *lib. 1. diſp. 4. n. 12.* iuxta quam

Dico *primò*, ſi quis preſſus carnis illecebris, & videns ſe non poſſe moraliter continere, promittat Deo illud matrimonium pium, non dubium, quin in eo euentu valeat eiuſmodi votum. Hoc manifeſtum videtur, quia tunc matrimonium eſſet apta materia voti, vt conſtat ex præcedenti ſectione; & illud additum eſt opus pium, & magnæ charitatis, ac miſericordiæ: ergo. 2

3 Dico *ſecundò*, ſi tale votum expreſsè emitteretur ſub conditione, nimirum, ſi ducturus ſum, promitto Deo me ducturum pauperem, vel meretricem, in Dei obſequium, & causâ exercendæ pietatis, verè eſſet validum. In hoc etiam conueniunt Suarius, & Sanchez, ac cæteri Recentiores. Et ratio eſt, quia quod ex ſuppoſitione, quòd quis nupturus ſit, melius eſt inire matrimonium pium, quàm non pium, vt per ſe patens eſt. Et in eo caſu per eiuſmodi votum nulla præcluditur via ad maius bonum, vel ad ſtatum perfectiorem, & altiorem, cùm ſolùm ratione propriæ, ac liberæ voluntatis velit contrahere matrimonium; vnde eâ poſitâ, & non aliter, tunc obligat votum titulo pietatis ad exequendam illam voluntatem; ergo vouens quis explicitè ſic, Voueo, quòd ſi decreuero ducere vxorem, pauperem, vel meretricem ducam, verè eiuſmodi voto ligatur.

4 Dico *tertiò*, ſi quis abſolutè voueat ducere meretricem, vel pauperem, tametſi id præſtet causâ pietatis in Dei obſequium, nihil facit; inualidum quippe eſt tale votum, quando nullus habetur reſpectus ad propriâ fragilitatem. Moueor ad id aſſerēdū cum noſtro Sanchez. Ratio eſt, quia votum illud etiam pium ex ſe, & ratione ſui eſt impeditiuum maioris boni, & altioris ſtatus perfectionis, nempe cœlibatus, & religionis; qui ſtatus ſimpliciter maius eſt bonum, quàm matrimonium, etiam vt pium eſt opus: vnde facit hominem deſcendere ad imperfectiorem ſtatum; quod damnum nō compenſatur per illud pium opus: ergo inualidum eſt tale votum, ac nullum. Firmo, quia eiuſmodi votum inducit effectum repugnantem meliori bono, quale eſt ſtatus religioſus, & perpetua obſeruantia caſtitatis: ergo irritum eſt, & nullum. Patet conſequentia, quia quando actus bonus tam eſt imperfectus, vt carentia eius ſit moraliter melior, tunc nequit eſſe materia voti, nec votum de illo validum eſſe poteſt; talis enim eſt actus nubendi etiam causâ pietatis comparatus ad negationem nubendi, quia hæc per ſe melior eſt, quia magis abſtrahit hominem à ſecularibus curis, & voluptatibus carnis, vt ait Paulus 1. *Cor.* 7. conſtat autem prædictum matrimonium immediatè, & contradictoriè repugnare huic meliori bono; nequit ergo eſſe materia validi voti.

5 Dico *quartò*, neque eiuſmodi votum obligare ad talis perſonæ determinationem, vel quoad partem materiæ, vt nimirum ſi velit vxorem ducere, teneatur illam pauperem, vel meretricem ducere. Quare eiuſmodi votum omni ex parte ſemper erit irritum, & inualidum. Ita ſentio cum Sanchez cōtra Suarium. Ratio eſt, quia in prædicto euentu vouens non ſe obligauit ſub conditione, nimirum ſi vxorem ducat, vt conſtat, nam abſolutè vouit ducere pauperem: neque etiam ſe obligauit ad duo, videlicet ad ducendam vxorem, & ad eam ducendam, quæ ſit pauper, vel meretrix, ſed abſolutè, & per modum vnius ſe illo voto obſtrinxit ad ducendam pauperem, vel meretricem: ergo nequit fieri diuiſio, vt votum valeat, quoad hanc partem determinatam, vt ducenda ſit pauper, vel meretrix, non verò quoad ducendi obligationem. Firmo, quia quando totum eſt promiſſum per modum vnius, exiſtente parte aliquâ materiæ voti ineptâ propter eius impoſſibilitatem, tota materia inepta erit, ac proinde votum irritum. quod patet manifeſtis exemplis. Sic vouens ieiunium vnius diei, vel auditionem ſacram, ſi ſit impotens implere totum promiſſum, liber eſt à parte. Si quis etiam voueat ædificare templum, recitare Officium defunctorum, vel calculos virgineos, quia fuit obligatio per modum vnius, non potens implere totum, non tenetur ad partem: ergo idem dicendum eſt in præſenti, quod magis conſtabit ex ſolutione argumentorum, quæ pro alterâ oppoſitâ ſententiâ, iam ſunt adducta.

Dico *vltimò*, ſi omnibus penſatis dubium ſit de vouentis intentione, an nimirum conditionatè tale connubium promiſerit, an potiùs abſolutè, & ſimpliciter, iudicandum eſſe in fauorem libertatis vouentis, vt ad nihil teneatur, & tale votum nullum ſit. Ratio eſt optima apud Doctores, quia in hoc dubio, re benè perpenſâ, cùm non conſtat de voti obligatione, & animo vouentis, num ſic, vel ſic voluerit ſe obligare, votum non eſt in poſſeſſione; ſed libertas voluntatis. In dubio autem, vt ipſe opinor, non in ſola iuſtitiæ materiâ, ſed in quacumque melior eſt poſſidentis conditio, vt latè oſtendi in tractatu de conſcientiâ dubiâ, & videri poteſt noſter Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio diſp.* 41. *n.* 31. *& ſequentibus*. ergo. 6

Ad argumenta oppoſita. Ad primum fateor, ſic vouentem intendere ſe obligare ad opus illud pietatis, quantum poteſt; inde verò non benè inferri obligari ſaltem ad determinationem actus, quia non eſt voti materia, cùm impediat perfectius bonum, & altiorem ſtatum, vt dictum eſt *dicto* 3. *&* 4. 7

Ad ſecundum ſimiliter dico, regulam illam locum habere in voto, quando materia voti eſt apta, & idonea, ſeu, quod idem eſt, non eſt impeditiua perfectioris boni, & ſtatus. 8

Ad tertium negatur antecedens, ſi vouens intendat in illud omne per modum vnius, & res ipſa promiſſa eſt indiuidua, id eſt, quæ nec commodam patitur diuiſionem, nec ſolet communiter diuidi, vt videre licet in exemplis adductis de vouente ædificium templi, vel recitationem officij defunctorum, vel calculorum virgineorum. Cùm enim hæc communiter non diuidantur, non potens implere totum, non tenetur ad partem. Quando autem res diuidua eſt, quæ communiter ſolet diuidi, obligatio non eſt per modum vnius, atque ideo excuſatus à parte, tatione impotentiæ tenetur ad partem aliam ſibi poſſibilem. Vt ſi quis voueat ieiunium totius Quadrageſimæ, ſi non poteſt totam ieiunare, tenetur ad partem ſibi poſſibilem. Puer item quatuordecim annorum, qui vouit ieiunare omnibus diebus vitæ ſuæ, ſi non poteſt totum implere, tenetur ad partem, quam poteſt. In præſenti verò votum illud nubendi cum meretrice, non fuit per modum plurium, ſed per modum vnius abſque vlla ſeparatione, vel diuiſione, ac proinde vouens, qui impotens eſt ad implendum totum illud, liber eſt à parte. Idem dico, ſi quis voueat per modum vnius rem, cuius pars eſt illicita, tota materia inepta eſt, ac proinde votum irritum, cùm ſit partim rei illicitæ, quæ nequit eſſe grata Deo. 9

Ad quartum negatur antecedens, niſi illa conditio exprimatur. Quando enim exprimitur, votum eſt non ſe obligare ad bonum præcludens viam digniori ſtatui: at dum ea non exprimitur conditio, vt re verâ non exprimitur in ipſo voto abſolutè emiſſo nubendi meretricem, ex parte voti obligat ſe ad ſtatum imperfectiorem. Ob quam rationem votum matrimonij ſemper regulariter eſt nullum, quamuis in eo etiam tacitè includatur, niſi vouens perfectiorem viuendi normam aſſumat. 10

Ad quintum, vera eſt maior propoſitio, ſi enim ſub eâ conditione exprimatur, & emittatur votū, verum eſt votum valere, vt dixi dicto ſecundo. Cæterùm nego id ita contingere, quando emittitur tale votum abſolutè, tunc enim ex vi voti obligat ſe ad ſtatum imperfectiorem, & ideo eſt nullum. 11

Ad ſextum dico, regulam illam eſſe intelligendam, 12
quando

quando vtile eſt ab inutili ſeparabile ex ipſa rei naturâ, & modo promittendi. In noſtro verò caſu, quando quis vouet abſolutè connubium cum meretrice, non eſt ſeparabile ex modo promittendi coniugium ipſum ab opere pio, cùm cenſeatur tota obligatio indiuidua, & per modum vnius contracta.

13 Ad vltimum reſpondeo, omnia illa exempla eſſe in fauorem doctrinæ à nobis hîc traditæ. Nam in primis votum nunquam peccandi, exiſtimo tanquam rei impoſſibilis, iuxta cõmune Doctorum placitum, eſſe irritum. Quia non per modum plurium, ſed per modum vnius emiſſum eſt tale votum; vouens enim nunquam ſe peccaturum, reſpicit omnia peccata ſub vnâ ratione peccati genericâ; nec ea obligatio poteſt commodè diuidi, & ſeparari. Non enim dabitur maior ratio, cur id votum obliget ad abſtinendum à quibuſdam peccatis, quàm ab aliis. Cùm enim, ſicut poſſibile eſt euitare peccata mortalia, poſſibile etiam ſit vitare aliqua venialia, & quibuſdam ex his ſignatis, ſit etiam poſſibile, alia; & votum non potius illa, quàm hæc reſpexerit, fit vt materia ſit quaſi indiuidua, & inſeparabilis, quoad obligationem, & conſequenter promittatur per modum vnius, & cùm ſit impoſſibilis ad nihil obliget, ſed vtile per inutile vitietur tanquam non ſeparabilia. De alio voto ieiunandi totâ Quadrageſimâ, vel recitandi Officium canonicum, vel Virgineum, alia eſt ratio. Cùm enim prædicta communiter diuidantur, obligatio non erit per modum vnius; ac proinde excuſatus à parte ratione impotentiæ, tenebitur ad partem aliam ſibi poſſibilem. Quod maximè firmatur, quia obligatio, quam vouens ſuâ ſponte ſibimet imponit, qualis eſt voti, & iuramenti, vbi non reperitur contraria expreſſa intentio, cenſenda, ac iudicanda eſt inſtar obligationis impoſitæ ab Eccleſiâ de eademmet re. Quia cenſetur imponi iuxta communem vſum apprehendendi hominum, qui eſt inſtar aliorum præceptorum, vt vouens ieiunium tenetur ad illud eo pacto, quo ieiunia Eccleſiaſtica obligant. At præcepta Eccleſiæ de re indiuidua obligant per modum vnius, vt conſtat in præcepto ieiunij vnius diei, vel auditionis ſacri. De re autem diuiduâ obligant per modum plurium, vt præceptum recitandi Officium canonicum, vel ieiunandi totâ Quadrageſimâ; atque adeò in his impotens implere totum promiſſum, non eſt liber à parte. Idem dic de voto pueri ieiunandi per totam vitam, vt ſuprà in ſolutione ad tertium eſt explicatum.

Sectio IV.

An promiſſio Deo facta de matrimonio rato contrahendo cum expreſſâ voluntate non conſummandi verè obliget.

1 RAtio dubitandi eſt *primò*, quia matrimonium ratum non conſummatum non impedit tranſitum ad meliorem ſtatum religionis, vt nunc ſuppono, & ideo non impedit perpetuam obſeruantiam caſtitatis: ergo non opponitur per ſe maiori, & meliori bono, quale eſt ſtatus religioſus, & cœlibatus, ſeu perpetua obſeruantia caſtitatis: ergo promiſſio Deo facta de matrimonio rato, cum intentione non conſummandi illud, verè obligat, quia non impedit tranſitum ad maius bonum intrinſecè, ac per ſe.

Secundò, poſſent contrahentes conuenire de perpetuâ caſtitate ſeruandâ in matrimonio, & de illa Deo vouendâ, vt de ſanctiſſima Virgine, & ſancto Ioſeph dicemus infrà *diſp.* 13 *ſect.* 8. & tunc promiſſio facta de tali matrimonio eſſet valida, quia nullo modo excluderet bonum melius. Vnde Sotus *lib.* 7. *de iuſt. q.* 1. *a.* 3. cenſuit valere votum matrimonij, ſi vtrinque votum caſtitatis emiſſum ſit: ergo ſimiliter idem dicendum de promiſſione Deo factâ de matrimonio rato, cum intentione non conſummandi illud.

Tertiò, quiuis habet ius ante matrimonij conſummationem, religionem, inuitâ parte, ingrediendi; ergo poterit cum tali animo licitè contrahere: ergo & Deo promittere tale matrimonium.

Vltimò, poteſt quis matrimonium vouere, ſolùm vt ſuſcipiat hoc ſacramentum, eiuſque gratiam, & ſtatim religionem ingrediatur: ergo erit quoque validum votum, ſi matrimonium promittat ratum cum expreſſâ voluntate non conſummandi.

Verùm cenſeo cum aliis Doctoribus antiquis, & recentibus, talem promiſſionem validam non eſſe, vt rectè affirmant cum aliis noſtri Doctores, Sanchez *lib... diſp.* 4 *n.* 2. 3. & 4. Suarez *tom.* 2. *de Religione, lib.* 2. *de voto, cap.* 9. *n.* 6. Coninch *diſp.* 23. *dub.* 10. *n.* 58. & alij. Ad cuius maiorem dilucidationem,

Dico *primò*, promiſſionem Deo factam de matrimonio rato contrahendo cum expreſſâ voluntate non conſummandi, & religionem ingrediendi, ſi fiat ab vno contrahentium, ignotante altero, & bona fide contrahente, inualidam eſſe, ac nullam. Ita omnes. Et ratio eſt, quia contrahere eo modo non eſt conueniens materia voti: ergo non eſt votum. 2
Antecedens patet, quia non ſolùm eſt minus bonum impeditiuum melioris boni, nempe ſtatus cœlibatus ſimplicis, ſed etiam eſt inutilis, & illicita, & parti iniurioſa. Tum quia eſt diſpar in ipſo contractu vtriuſque intentio; & ſi pars ſciuiſſet illius animum, nullo modo voluiſſet cum eo contrahere. Tum quia facit parti grauem iniuriam; multa enim ex tali contractu ſunt nata ſequi incommoda: nam fortè multi ſuſpicabuntur eum ingredi religionem, quia aliquod vitium in parte deprehendit, ob quod eius nuptias auerſetur: cogit etiam partem magnos ſumptus facere pro nuptiis, & deinde integro anno ab aliis nuptiis abſtinere; & erit fortè cauſa, cur non ita commodas reperiat.

Dico *ſecundò* votum de matrimonio rato contrahendo, cum animo non conſummandi, etiamſi fiat ab vtroque contrahentium, inualidum eſſe, ac nullum, per ſe loquendo. Probatur *primò*, quia tale matrimonium vanum, ac inutile eſt ad finem diuini obſequij, neque aliquam confert perfectionem; imò ex naturâ ſua præcludit viam; quia ſic ducens vxorem obligat ſe ad conſummandum, niſi religionem ingrediatur: ergo non eſt cur intelligatur acceptari à Deo tale votum, per ſe loquendo: ergo eſt nullum. Dixi, per ſe loquendo, nam id intelligitur, niſi aliqua ratio ſpecialis diuini obſequij illud honeſter, vel diuina reuelatio interueniat, vt contigit inter Beatiſſimam Virginem, & ſanctum Ioſephum, vbi etiam interfuit diuina reuelatio, vt dicam inferiùs *diſp.* 13. *ſect.* 8. *Secundò* votum illud non eſt de meliori bono, nullum enim aliud melius bonum debet per votum excludi; ergo non videtur honeſtum, nec rationi conſentaneum. Antecedens patet: tum quia tametſi ſolum vinculum matrimonij per ſe non excludat caſtitatem, vel religionem, conſtituit tamen hominem in graui periculo mutandi intentionem, & permanendi in illo ſtatu; 3

vnde ex naturâ rei derogat illud matrimoniũ perfectioni caſtitatis, quia ſaltē minuitur obligatio naturalis abſtinendi à coitu; nã poſſent poſtea illi cõtrahentes impetrare diſpenſationem in tali voto, & matrimonium conſummare ſine peccato. Tum etiam, quia non ſolùm omnino excludere perfectionem, ſed etiam coarctare viam perfectionis, vel etiam difficiliorem illam reddere, contrarium eſt meliori bono, ſed cõtrahere matrimonium etiam quoad ſolum vinculum hoc præſtat: ergo eſt minus bonum, ſeu excludit maius bonum, atque adeò nequit eſſe materia voti. Tum denique, quia ex vi talis matrimonij ſaltem excluderetur ſtatus cœlibatus ſimplicis, qui etiam eſt melior, quàm ſtatus matrimonij; ergo excluderetur aliquod melius bonum.

4 Dico *tertio*, tunc matrimonium poſſe eſſe conuenientem materiam voti, quando homo tenetur ex præcepto illud contrahere, vel propter bonum commune, & pacem alicuius regni, vel ad legitimandos filios ex concubinâ genitos, & illius honori conſulendum, vel ratione nocumenti facti, ſi aliter ſatisfieri nequeat, niſi ducendo. Hoc ferè omnes Doctores prænotant, & diximus ſuprà *ſect.* 2. Et ratio eſt, quia tunc votum non eſt impeditiuum melioris boni; nam ſupponitur homo ſufficienter impeditus, vt non poſſit altiorem ſtatum ſumere. Et redundat in maius Dei obſequium, vt voto adſtringatur ad exequendum quod facere tenetur. Firmatur, quia ſi quis teneretur non ingredi religionem, vt ſubueniret, v.g. parentibus indigentibus, & faceret votum non ingrediendi religionem, durante tali neceſſitate parentum, validum eſſet votum, quia non impediret maius bonum, & confirmaret in bono in magnum Dei obſequium; ergo idem dicendum de voto in materia præſenti de matrimonio, quando ex præcepto tenetur quis illud contrahere.

Ad argumenta oppoſita.

5 Ad primum conſtat, matrimonium ratum, tametſi non impediat tranſitum ad religionem, excludere tamen ſtatum cœlibatus ſimplicis, qui eſt melior ſtatu matrimonij; & ex natura rei derogare quoque perfectioni caſtitatis, & mentem à diuinis auocare, vnde cenſetur inutile ad finem diuini obſequij. Quòd ſi illud contrahatur, ignorante aliâ parte animum non conſummandi, fit illi iniuria, & ſaltem reperitur ibi peculiaris inæqualitas, & aliquis modus deceptionis, atque ideò nequit eſſe conueniens materia voti.

6 Ad ſecundum reſpondeo, contrahere illo modo cum pacto mutuo non conſummandi, per ſe loquendo, non eſſe conſentaneum rationi; per accidens verò, ſi interueniat ſpecialis ratio, ac reuelatio diuina, vt fiat, erit per ſe honeſtum, & conueniens, vt diximus dicto ſecundo. Illa verò Soti opinio nobis non placet, ob rationes dictas in ſecundo dicto.

7 Ad tertium, conceſſo antecedente, negatur conſequentia; nam in caſu antecedentis, vterque bonâ fide contrahit, & ſine animo non conſummandi, & vtriuſque ius, & conditio paria ſunt, & alter ex illis religionem ingrediens vtitur iure ſuo, habetque grauiſſimas cauſas id faciendi, vt videlicet conſulat ſaluti animæ ſuæ, quæ præponderat in commodis, quæ pars patitur: vnde huic nulla fit iniuria, nec contrahendo, nec ingrediendo. In caſu verò, quo id fieret ab vna parte animo non conſummandi, ignorante alterâ parte, diſpar eſſet in ipſo contractu vtriuſque intentio; & habens illum animum nullam habet neceſſitatem ita contrahendi, ac prædictis damnis partem exponendi. Vnde faceret illi iniuriam, præciſè ita contrahendo: non verò poſtea ingrediendo, quia ius hoc ei ob cauſas honeſtas concedit, non autem illud.

8 Ad vltimum, negatur antecedens, nam ſacramentum matrimonij non eſt in illum finem inſtitutum, vt ſolùm propter ſe, ſiue propter gratiam, quam confert, ſuſcipiatur, ſine vllâ alia causâ; vel intentione, ſed ad procreationem prolis, & in remedium concupiſcentiæ: ideoque hac intentione ceſſante, per ſe loquendo, non conuenit ob alios fines ſuſcipere, nec poteſt eſſe materia voti. Nec refert quòd gratiam conferat, quia maior gratia poterit per alia ſacramenta, & per alia opera perfectionis comparari, quæ ipſo matrimonio impediuntur.

DISPVTATIO IV.

De verbis, ſignis, & modis, quibus ſponſalia contrahuntur.

Conſtat iã ex præcedentibus, ſponſalium promiſſionem more humano factã non poſſe eſſe purè internam, ſed debere exteriùs vtrinque exprimi ſufficienter. Qualia verò debeant eſſe verba, vel ſigna externa, vt ſponſalia contrahantur, in hac præſenti diſputatione dilucidare conabimur.

SECTIO I.

An, & quibus verbis in genere ſponſalia contrahantur.

1 Dico *primò*, iuxta omnium ſententiam, ad ſponſalia non eſſe neceſſaria verba; ſed ſufficere quodcumque ſignum externum, quo interni conſenſus ſufficienter manifeſtentur; ſi id habeat ſignum ex communi inſtitutione, ſiue ex patriæ conſuetudine, ſiue ex particulari contrahentium conuentione. Ratio eſt, quia nec Chriſtus, nec Eccleſia mutauit naturam contractus ciuilis in ſponſalibus; at contractus ciuilis non ſolùm per verba, ſed etiam per nutus, epiſtolam, internuncium, vel alia ſigna externa fieri poteſt. Et de ſponſalibus in ſpecie habetur *l. fin. D. de ſponſalibus.* Vnde nullum eſt præceptum contrahendi verbis ſponſalia, atque adeò, qui ſine verbis contrahit, nec venialiter peccat, quia nullibi continetur tale præceptum; & aliunde iſte contractus fieri poteſt ſecundùm ſe nutibus, aut aliis ſignis externis. Vtrùm verò in celebratione matrimonij ſaltem ſit neceſſarium ex præcepto, vt loqui valeant, adhibeant verba, dicam infrà *diſp.* 14. *ſect.* 2.

2 Dico *ſecundo*, certum quoque eſſe non ſufficere quæuis verba, ſed requiri talia, quæ hic, & nunc, omnibus circumſtantiis inſpectis ſufficienter parti internum conſenſum exprimant. Patet, quia aliter nullo modo poſſent eſſe ſigna interioris conceptus, ſeu conſenſus. Vbi duo notanda. Primum, non eſſe neceſſarium, vt hæc verba per ſe ſpectata habeant vim ſignificandi internum conſenſum; aut etiam vt quiuis illius linguæ peritus, poſſit intelligere per ea hic, & nunc ſignificari talem conſenſum, ſed ſufficere, vt ratione circumſtantiarum ipſis contrahentibus ſufficienter indicent præſentem conſenſum, etiam ſi per ſe ſumpta alia ſignificarent: ſiue id contingat

Google

tingat ratione cõſuetudinis particularis alicuius loci, quo pacto apud quoſdam Indos validè ſponſalia cõtrahuntur his verbis: Ego te ſepeliam, ſi ſuperuixero. Aut vno dicente: Ego te ducam, & alterà reſpondente: Ego te fortè ducam. quibus verbis ex conſuetudine loci ſignificatur præſens conſenſus in ſponſalia: ſiue etiam ratione circumſtantiarum, vt cùm ipſi priùs conueniunt, vt per talia verba conſenſum præſentem in ſponſalia intelligant. Alterum eſt, per ſe loquendo, & abſtrahendo à prædictis circunſtantiis, verba nunquam ſignificare conſenſum in maiorem obligationem, quàm quæ hic, & nunc, vt propriè ſecundùm communem acceptationem vera ſint, requiritur. Patet exemplis: nam qui promiſit alicui dare partem auream, ſatisfacit dando partem minimam, quæ reperitur: ſicut qui promiſiſſet dare alicui triticum, vel oleum, ſatisfaceret dando granum tritici, vel guttam olei. Rurſus qui dicit, Volo tibi dare hoc pallium, nullo modo illud dat, imò neque illud promittit, quia illa verba non ſignificant promiſſionem, ſed ſolum propoſitum dandi: niſi fortè ratione circumſtantiarum; vt ſi vnus ſtipuletur, Vis mihi tantum pro illa re dare? & alter reſpondeat: Volo; tunc enim ex communi ſenſu intelligitur promiſſio tantùm dandi; quia cùm ſtipulans exigat promiſſionem, cenſetur alter eius intentioni reſpondere. Imò ſi ſtipulanti abſolutè: Vis mihi dare hoc pallium, deſignando hoc præſens; reſponderem: Volo, ſignificaretur præſens donatio, quia alter per talem deſignationem videtur hoc numero petere; ſimiliter ergo in præſenti, ſi quis fœminæ dicat: Volo te vxorem ducere, accipere, habere, vel tecum contrahere, ex vi verborum non contrahit ſponſalia, vt rectè notauit Rebellus *lib. 4. q. 3. n. 5.* quia verbum, *volo*, abſolutè in quauis materià non ſignificat promiſſionem, ſed nudum deſiderium, vel propoſitum. At ex circumſtantiis fieri poteſt vt ea verba ſufficiant.

3 Dico *tertiò*, quando verba contractus ſunt omnibus inſpectis abſolutè, & verè ambigua, ita vt non magis aſſenſum, quàm diſſenſum ſignificent, nihil omnino effici. Hoc etiam eſt manifeſtum, quia tunc deeſt externum ſignum, vel verbum, quo parti hic & nunc alterius conſenſus, vt præſens, ſignificari verè poſſit. Non enim ex talibus verbis poteſt probabiliter iudicari talem conſenſum verè adeſſe. Firmo hoc idem, nam externa promiſſio tam eſſentialiter requiritur ad ſponſalia, quàm interna voluntas obligandi; ſunt enim ſponſalia contractus humani, in quibus nihil operatur intentio mente retentà, ſed vt conſtat ex diſputatione 1. *ſect. 6.* niſi adſit determinata voluntas ſe obligandi, nihil planè efficit: ergo idem dicendum, quando externa promiſſio non ſignificat determinatè præſentem conſenſum. Ex quo infero, quando externa verba, omnibus penſatis, non magis ſignificant conſenſum de præſenti ipſius matrimonij, quàm conſenſum de futuro eiuſdem, & ſatis verificantur, perficiendo ſponſalia, ſolùm contrahi ſponſalia, & non matrimonium, quia per huiuſmodi verba non contrahitur vnquam maior obligatio, quàm quæ ſit neceſſaria vt verba verificentur; ad hoc autem ſufficit ſponſalium obligatio.

4 Dico *quartò*, in foro interno ſtandum eſſe intentioni contrahentium ſponſalia; in foro verò externo ſtandum eſſe verborum, aut ſignorum ſignificationi, iuxta circumſtantias materiæ, perſonarum, locorum, & conſuetudinum. Ita omnes Doctores. *Prima* pars conſtat, quia ab intentione contrahentium, ſponſalium valor pendet, ſicut & matrimonij. *Secunda* pars etiam eſt manifeſta, quia Eccleſia non iudicat de internis, ſed de externis ſecundùm allegata, & probata, & ex eis colligit interna.

Dico *vltimò*, quando verba, & intentio dubia ſunt, non eſſe valida ſponſalia. Id etiam concedunt communiter Doctores. Ratio eſt, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, quando ius oppoſitum non diſponit. At de ſponſalibus ius nihil diſponit, atque ideò in dubio reſpectu ſponſalium ſtandum eſt pro libertate: & conſequenter quando externa promiſſio dubia eſt, tunc promittens manet in poſſeſſione ſuæ libertatis, eiuſque in dubio melior eſt conditio: in dubio autem de matrimonio, fauendum eſt matrimonio, quia ſic diſpoſitum eſt in iure, *cap. vltimo, de ſententia, & re iudicata*, & alibi, de quo infrà *diſp. 15. ſect. 2. n. 2.* 5

Ex dictis colligo, eum, qui aliquibus ſenſibus eſt deſtitutus, & non poteſt per aliquod ſignum externum manifeſtare alteri conſenſum neceſſarium ad ſponſalia; vel non poteſt percipere ſignum externum expreſſiuum conſenſus interni ab altero factum, non poſſe contrahere ſponſalia: ſi tamen aliquo ſigno poteſt internum conſenſum alteri manifeſtare, vel percipere ſignum externum ab altero factum expreſſiuum conſenſus, poteſt validè, & licitè ſponſalia celebrare. 6

Sectio II.

De verbis de præſenti affirmatiuis, per quæ contrahuntur ſponſalia.

Propoſuimus in genere, quæ ſufficere videntur ad eruendum verum ſenſum verborum, quibus ſponſalia contrahuntur. Nunc hic, & in ſequentibus in ſpecie agemus de variis formulis.

Certum videtur apud Doctores verbis de præſenti affirmatiuis ſimpliciter ſumptis abſque vllo addito de futuro, vt, Accipio te in meam, non contrahi ſponſalia, ſed matrimonium, modò adſint cætera requiſita. Conſtat id ex *cap. pen. de ſponſalibus.* Quia illis verè ſignificatur traditio corporum de præſenti. Eſt verò dubitatio, an illis, quando additur aliquid de futuro, vt, ex craſtino, vel, in craſtinum, contrahatur matrimonium, an ſponſalia. 1

Sentit Sanchez *lib. 1. diſp. 8. n. 11.* cum aliis ſolùm contrahi ſponſalia, quia ratione additi prædicti, verba illa efficiunt ſenſum de futuro, vnde conſenſus eſt de futuro, nec ſtatim accipitur in vxorem fœmina.

Verius opinor, ea verba, Accipio te in vxorem, vel in meam in craſtinum, explicare conſenſum de præſenti, eſſe tamen ſuſpenſum; ita vt non habeat effectum ſuum ante diem craſtinum; atque adeò efficere matrimonium, modò adſint cætera requiſita. Ita Coninch *diſp. 21 dub. 3. n. 33.* Bartholomæus de Ledeſma *2. p. 4. q. 47. a. 3.* Hurtado *diſp. 1. diffic. 13. n. 51.* & alij. Ratio eſt, quia ſenſus illorum verborum eſt, Nunc volo, ſeu conſentio, vt craſtinà die ſis meà vxor, quo non promittitur matrimonium, ſed traditur corpus pro craſtino die, vt craſtino die ſit alterius: Ergo per illa verba ſignificatur conſenſus de præſenti, tendens in traditionem corporum, licèt eius executio ſuſpendatur vſque in diem craſtinum; atque adeò adueniente die craſtino abſque nouo conſenſu fiet traditio corporis, & matrimonium, ſi cætera requiſita non deſint, abſque vllo nouo conſenſu fiet ratum, ac firmum. Confirmatur exemplis, nam cùm quis dicit alteri: Do tibi equum in diem craſtinum; hæc verba nõ ſignificant, me tunc equum 2

ei

ei promittere, ſed eum ipſi dare de præſenti; tametſi executio eius maneat ſuſpenſa vſque in diē ſequentem; ita tamen, vt tunc adueniente die craſtino ſine vlla aliâ donatione ipſius eſſe incipiat. Similiter ſi Petrus dicat Franciſcæ: Contraho tecum ſponſalia in craſtinum, non pollicetur Petrus, ſe contracturum ſponſalia ſequente die; ſed ſignificat, ſe ea iam contrahere pro illo tempore. Sicut etiam dicens ſic: Contraho ex hoc nunc tecum, ſi pater conſenſerit, ſignificat, ſe velle matrimonium eſſe ratum ſtatim, ac pater conſenſerit. Ergo pariter dicendum, cùm quis dicit, Accipio te in vxorem, vel in meam, ſignificare ſe iam habere voluntatem, vt die craſtino matrimonium incipiat eſſe ratum. Quare talia verba explicanda ſunt pro matrimonio, dummodo adſint cætera requiſita.

3 Maior difficultas eſt circa alia verba de præſenti, vt, Volo tecum contrahere, & volo te habere in vxorem, quid eis fiat. Sanchez cum aliis *diſput. 18. citatâ num. 25.* ſentit verbis illis fieri ſolùm ſponſalia, quia ad veritatem dictorum verborum ſufficit, quòd proferens tempore futuro ducat eam in vxorem. Rebellus *lib. 4. de ſponſalibus q. 3.* ſentit, ex vi illorum verborum nec matrimonium, nec ſponſalia contrahi, quia verbum *volo* non ſignificat promiſſionem, ſed nudum deſiderium, vel propoſitum, quod non ſufficit ad ſponſalia, vel matrimonium. Addit tamen ex circumſtantiis non modò ſponſalia, ſed matrimonium eiſdem verbis fieri poſſe: vt ſi apparatis nuptiis, conuocatiſque propinquis, eadem verba protuliſſet ante Conſilium Tridentinum; immò nunc, ſi non deeſſent quæ præſcribit, matrimonium contraxiſſe cenſeri deberet, ſi ſimilia verba fœmina adiiceret, quòd probat, quia ſi in præſentia ementis, dicas, Volo vendere, certo videlicet pretio, venditio cenſetur eſſe contracta.

4 Idem ſentire videtur Hurtado *diſp. 1. diffic. 13. n. 54* exiſtimat enim dicta verba eſſe æquiuoca, quia illis poteſt ſignificari conſenſus de præſenti in corporum traditionem, & conſenſus de futuro in promiſſionem futuræ traditionis, & etiam nudum deſiderium poſtea contrahendi, atque ideo dictis verbis poſſe pro voluntate proferentium fieri aut matrimonium, aut ſponſalia, aut nihil. In foro verò iudiciario, in quo non cognoſcitur intentio, ſed res ex verbis diſcernitur, ex prædictis verbis ſecundùm ſe ſpectatis debet iudicari nihil fuiſſe factum, quia ad eorum veritatem ſufficit deſiderium poſtea contrahendi quo nihil fit. Addit etiam, ſi prædicta verba proferantur, poſt traditionem, de matrimonio, vel de ſponſalibus, iudicabitur à iudice matrimonium factum, vel fuiſſe ſponſalia.

5 Ego verò his auctoribus Rebello, & Hurtado conſentio, & hanc rem iudico non eſſe ſpeculatiuè ſumendam, ſed practicè; attendendas eſſe circumſtantias loci, temporis, perſonarum, & alias ſimiles, in quibus prædicta verba proferuntur, & ex illis iudicādum, quid illis fiat, matrimonium ne, an ſponſalia, an nihil horum? Nam apud aliquas gentes poteſt eſſe in more poſitum, vt per huiuſmodi verba contrahantur ſponſalia, vel matrimonium. Quibus addo, ſi interrogatione, vel tractatione præmiſſa de matrimonio contrahendo, præſertim coram Parocho & teſtibus, alter ex contrahentibus profert dicta verba, ſignum eſt contrahi matrimonium; vt cùm interrogatus à Parocho, an velit ducere iſtam, reſpondet, Volo.

6 Idem meo iudicio dicendum de illis verbis: Volo te vxorem meam, ſi nimirum interrogatione, vel tractatione præmiſſa, de matrimonio contrahendo, proferantur, confici matrimonium; poſitis enim illis circumſtantiis habent conſenſum de præſenti, vt ſit vxor. Quòd ſi ex aliis circumſtantiis dignoſcatur, illo verbo, *Volo*, non ſignificari efficacem conſenſum, ſed velleitatem quandam, neque tunc fient ſponſalia. Quia appetere matrimonium nec promittere eſt, vt notàuit Sanchez *diſp. cit. 18. n. 29* Quare illa verba ex ſe, & ſecundùm ſe æquiuoca ſunt, quidquid in contrarium dicat Baſilius Ponce *lib. 2. cap. 9.* dum ait, ea verba abſolutè, & ſecundùm ſe matrimonium conficere: attendendæ enim ſunt circumſtantiæ, & iuxta illas ferendum iudicium.

Sectio III.

De verbis de futuro affirmatiuis, quibus contrahi ſponſalia queunt.

Conueniunt Doctores *primò*, verba de futuro ſimpliciter prolata, vt, Ducam te in vxorem, promitto me ducturum te, conſtituere ſponſalia. Pater, quia per ea expreſsè ſignificatur, & promittitur faciendam in poſterum corporum traditionem, quæ eſt ratio conſtitutiua ſponſalium. Quare ſicut hæc verba, Contraho tecum matrimonium, accipio te in meam, & ſimilia, ſi cæteræ adſint prærequiſitæ ſolemnitates, ſufficiunt, vt matrimonium contrahatur: ita hæc alia, Accipiam te in meam, contraham tecum matrimonium, & alia id genus, ſufficere pro ſponſalibus, cùm certum videatur eis non contrahi matrimonium, cùm communiter accipiantur, vt verba promiſſoria. 1

Quod etiam eſt verum, quamuis eis addatur aliquid de præſenti, vt eſt, Nunc te accipiam in meam; quia his verbis ſecundùm ſe neque præſuppoſitiuè, neque implicitè ſignificatur conſenſus de præſenti, ſed tantùm de futuro. Quod intelligo ſemper, niſi conſuetudo loci, vel aliæ circumſtantiæ aliquid amplius manifeſtè denotent. Præterea obſerua illa alia verba, Promitto me deſponſaturum Mariam, vel, deſponſabo Mariam, videri non eſſe ſponſalia, ſed ſolùm eſſe promiſſionem de ſponſalibus contrahendis; quia idem eſt, te deſponſabo, ac tecum ſponſalia contraham. Quod ſemper intelligo, niſi conſuetudo loci aliud habeat; vel ex aliis circumſtantiis conſtet, per ea verba contrahi ſponſalia. 2

Difficultas ergo eſt de verbis de futuro cum addito. Hæc autem duplicia ſunt; alia enim ſunt de futuro, cum addito de præſenti ſignificante executionem alicuius actus matrimonialis; vt, ex nunc tractabo te ſicut vxorem; aut, ex nunc habebo te in meam; vel, eris mea vxor; vel, ex nunc prouidebo tibi ſicut vxori. Alia verò ſunt verba futuri temporis ſignificantia executionem, ſed nullâ additâ particula faciente ſignificare de præſenti: vt, Habebo te in meam; aut, eris mea, aut tractabo te ſicut vxorem; vel, prouidebo tibi, vt vxori. 3

His poſitis, circa verba de futuro priori modo accepta ſignificantia executionem alicuius actus matrimonialis cum addito de præſenti, conuenire videntur auctores, eis contrahi matrimonium. Et meritò, nam id manifeſtè probatur ex *cap. ex parte 9. de ſponſalibus, & matrimoniis.* Vbi expreſsè declarat Alexander III. ſi vir, & mulier inuicem promittunt, quòd ab eo tempore ſe pro coniugibus habebunt, contractum eſſe matrimonium de præſenti. Hoc dicit Pontifex ob cauſam notabilem cuiuſdam Andreæ, qui iuramentum præſtitit, quod C. mulierem ab eo tempore in antea pro vxore haberet, & ei fidem 4

dem ſeruaret, & illa ſimiliter promiſit eidem. Quo facto dictus Andreas illam dimiſit, & aliam ſuperduxit; vnde illa mulier Papæ fuit conqueſta, qui mandauit, Andream compelli, vt illam, quàm ſuperduxit, dimitteret, & ad primam rediret, & affectu maritali pertractaret. Ex quo mandato manifeſtè infertur, fuiſſe antea contractum matrimonium. Nam ſi Papa præcepit, vt ſemper ſit habenda illa mulier in vxorem, & affectu maritali vt talis pertractanda; euidens eſt antea fuiſſe vxorem, ab illo tempore, quo ſe pro coniugibus habuerunt. Et quidem hæc verba: Ex nunc tractabo te ſicut vxorem, aut, Ex nunc habebo te in meam, nequeunt habere alium ſenſum, niſi matrimonij contracti: nequit enim ex tunc haberi, & tractari tanquam vxor, niſi ex tunc fiat vxor, quæ antea non erat vxor. Vnde non poſſunt verificari, niſi ſit conſenſus in præſens matrimonium.

5 Maior eſt diſceptatio apud Doctores, circa alia verba de futuro ſecundo modo accepta, ſignificantia executionem abſque vllo addito de præſenti: nam Innocentius, Oſtienſis, & alij, quos refert, & ſequitur Baſilius Ponce *lib. 2. c. 9. n. 4. & ſequentibus*, ſenſit eam formulam: Habebo te in vxorem, vel, prouidebo tibi vt vxori, licèt non addatur particula, *ex nunc*, vel alia ſimilis, verum efficere matrimonium.

Primò, quia *in cap. ſi quis diuinis. 2 q. 5.* valere dicitur matrimonium eius, qui iurauit ſe habiturum illam in vxorem.

Secundò, planum eſt in iure in materia obligationum, ſi non deſtinetur dies in contractu, in continenti obligationem contrahi. Patet ex vulgari textu *l. in omnibus 9. de regulis iuris.* Ergo iſtis verbis: Habebo te in vxorem, ſtatim contrahitur obligatio, tametſi non apponatur particula, *ex nunc*, quia ſubintelligitur, vt in ipſa obligatione.

Tertiò, habere pro legitimâ vxore non denotat initium contractus, ſiue non eſt idem, atque contrahere; aliud enim eſt habere, aliud contrahere, ſed denotat executionem matrimonij, ſeu actus conſummati, haberi enim, & tractari pro legitimâ vxore non poteſt, niſi quæ iam vxor eſt: ergo voluntas habendi non eſt omnino eadem cum voluntate contrahendi, ſed addit, & ſupponit voluntatem contrahendi; vt ſi quis dicat, Scholaſticos tractari debere tanquam ciues, ſupponit fieri ciues: ergo ſimiliter nequit quis habere quandam in vxorem, niſi priùs cum eâ contrahat, & qui vult conſequens, ſcilicet habere eam in vxorem, vult neceſſariò antecedens, nempe cum eâ contrahere.

Quartò, ſi teſtator filiis ſeruum ſuum purè tutorem dederit, eo ipſo directam libertatem conceſſiſſe videtur, quia tutor eſſe non poteſt, qui ſeruus eſt, vt conſtat ex §. 1. *Inſt. qui teſtam. tutor. dari poſſ.* atque adeò eo ipſo, quòd tutorem eum eſſe vult, ſtatim liber eſt: ergo ſimiliter eum ab eo inſtanti, in quo dicit contrahens, Tractabo te vt vxorem, habebo te vt vxorem, obligatio conſurgat ſe gerendi cum illa tanquam cum vxore, in eodem inſtanti contraxit de præſenti: quoniam ab eo inſtanti nequit erga illam, vt vxorem ſe gerere, niſi coniugio inito, atque perfecto.

6 Veriorem iudico ſententiam Sanchez *diſp. 18. n. 18.* Conincḣ *diſp. 21. dub. 3. num. 32.* Hurtado *diſp. 1. diffic. 13. n. 53.* Rebelli *lib. 4 q. 3. num. 6.* & aliorum dicentium, illis verbis contrahi ſponſalia, & non matrimonium. Moueor *primò*, quia vt hæc verba, Habebo te pro mea, vel in vxorem, in ſua proprietate vera ſint, ſufficit, vt poſtea inito matrimonio eam pro ſua habeat, quia nullum tempus deſignatur, ex quo incipiat eam habere pro ſua, vt in illis aliis, ex hoc nunc te habebo pro vxore mea, atque adeò intelligi poſſunt omnino vera tempore futuro, vt conſtat; ergo ſolùm ſignificant ſponſalia. *Secundò* illis verbis tantùm ſignificatur habitio, vt ſic dicam, de futuro; at hæc tametſi ſupponat traditionem corporum de præſenti, ſed non tunc factam, quando proferuntur verba, ſed poſtea faciendam. Vnde tametſi illa verba ſtatim producant obligationem, non tamen obligant ad ſtatim exequendum. Addo hanc doctrinam intelligendam eſſe de prædictis verbis ſecundùm ſe, & ſecundùm communem intelligentiam, & ſignificationem ſumptis. Nam ſi attendantur circumſtantiæ loci, & perſonarum, explicari poſſunt pro matrimonio: ſi enim loci conſuetudo obtineat, vt ea verba, Habebo te in vxorem, importent conſenſum de præſenti, vel ſi tunc temporis de matrimonio tractabatur, & illis verbis prolatis ſequatur traductio ad domum, vel ſi contrahentes intendebant per illa verba contrahere matrimonium de præſenti, explicanda ſunt pro matrimonio, modò adſint cætera requiſita. Si verò illa verba ſumantur ſecundùm ſe, & ſecundùm communem ſignificationem, non ſignificant conſenſum de præſenti, ſed de futuro.

Ad argumenta oppoſita.

7 Ad primum reſpondent Sanchez, & Gutierrez, illud decretum non eſſe decretum Pontificium, nec alicuius Sancti, ſed alicuius Doctoris à Gratiano iuri inſertum, ſed non ab aliquo Pontifice confirmatum. Et tunc ſolùm leges in Decreto relatas cenſeri vim canonis obtinere, quando in canone aliquo Pontificio inſertæ fuerint. Contra hanc ſolutionem inſurgit Baſilius, Thomam Sanchez prædicti argumenti robur non ſatis percepiſſe. Quia non eo decreto vtitur quaſi lege confirmatâ à Pontifice, aut robur legis obtinente, ſed tanquam explicante vim naturalis conſenſus illis verbis explicati. Cùm enim, inquit, Eccleſia non determinauerit externa ſigna in hoc contractu ad explicandum conſenſum, planum eſt, relinqui in diſpoſitione contractus naturalis, iuxta communem modum loquendi, & ſignificandi, & illa ſigna, quæ ſatis ſint explicando conſenſui, ſatis erunt ad perficiendum. Imperator autem non aliquid diſponens, ſed explicans horum verborum ſignificationem, & vim, decernit illa habere ſignificationem, & executionem, de præſenti. Addit denique Baſilius, etiam diſpoſitionem ciuilem, vbi non obuiat Eccleſiaſticæ conſtitutioni, pondus habere, tanquam quæ optimè explicet naturam contractus, circa quam Eccleſia nihil decreuit, quod non tam citò obliuiſci debebat Thomas Sanchez, cùm hanc eandem doctrinam docuiſſet eodem *lib. 1. diſp. 6. n. 24.* iuxta textum *in cap. 1. de noui operis nunciatione.* Cæterùm quis non videat Baſilium 8
immeritò ſic tam acriter carpere doctiſſimum Sanchez, qui ſufficienter ſatisfacit argumento, dicens, illud decretum non habere vim legis canonicæ. Quia proponitur ille textus tanquam ſententia, & lex, vbi valere dicitur matrimonium eius qui iurauit, ſe habiturum in vxorem, & nihil amplius dicit. Quòd ſi Baſilius eo textu vti voluit non quaſi lege decernente, ſed tantùm vt explicante vim, & ſignificationem illorum verborum, debuiſſet id ipſum exprimere in argumento; quod non fecit. Vnde Sanchez ſufficienter occurrit illi textui, id non obtinere robur legis Pontificiæ. Nec debuit Sanchez *ibi* repetere, quod iam propoſuerat antea *lib. 1. diſp. 6. n. 14* & ſæpe meminit in opere ſuo; in materia matrimonij

monij & aliis Eccleſiaſticis, vbi leges non ſunt cano-
nibus contrariæ , iudicandum eſſe ſecundùm leges.
Quia textus ille obiiciebatur non per modum legis
explicantis , ſed verè decernentis. Ad quod plenè ſa-
tisfecit negans , habere vim legis. Nos verò , qui vi-
demus poſtea Baſilium , vt oppugnaret Sanchez , ſe
explicuiſſe dicentem, robur illius argumenti eſſe, tex-
tum illum ponderare, vt explicantem vim & ſignifi-
catinnem illorum verborum, dicimus doctrinæ San-
chez, & noſtræ doctrinæ oullo modo obeſſe, vt ma-
nifeſtè conſtat ex Gloſſa illius textus, & expoſitione
caſus. Nam ibi dicitur , in eo decreto ſtatui, quòd ſi
quis iuramento interpoſito promiſit ſe habiturum
de cætero aliquam in vxorem , matrimonialiter con-
ſentiendo in ipſam, legitima erit vxor, etſi nulla dos,
vel ſcriptura interueniat. Præterea ſi verbum illud,
habiturum illam in vxorem, ſignificet idem ac habi-
tam retenturum, vt *ibidem* notatur, non dubium, quin
verum ſupponant matrimonium. quod ſic ibi expli-
catur attentis circumſtantiis perſonarum. At nihil ho-
rum eſt contra nos, qui ſumimus illa verba , habebo
te in vxorem, ſumimus, inquam, ſecundùm ſe, & ſe-
cundùm communem ſignificationem , iuxta quam
ſponſalia ſignificant, oon verò matrimonium.

9 Ad ſecundum admiſſo antecedente, negatur con-
ſequentia. nam illis verbis non ſignificatur contraxiſ-
ſe matrimonium, ſed tantùm habitio de futuro, &
obligatio traditionis corporum poſtea facienda,

10 Ad tertium rectè probatur, habere de præſenti pro
legitimâ vxore ſupponere eſſe contractum matrimo-
nium , at habere de futuro non exprimit niſi matri-
monium faciendum. Vnde verum eſt, qui vult con-
ſequens, neceſſariò velle antecedens pro eo tempore,
quo vult conſequens; at conſequens, nempe habere
vxorem, non vult ſtatim, ſed pro tempore, quo con-
trahat matrimonium; atque adeò cùm illa verba, ha-
bebo te in vxotem, ſolùm exprimant habitionem de
futuro, ſolùm ſignificant executionem actus matri-
monialis , ſeu poſſeſſionem vxoris , non tunc factam
quando illa verba pronuntiantur , ſed promiſſionem
de futuro faciendam.

11 Ad vltimum , antecedens conceditur , & conſe-
quentia negatur, nam cùm dicit contrahens, Tracta-
bo te in vxorem , præciſè ex his verbis , niſi aliæ cir-
cumſtantiæ adiungantur, ſolùm conſurgit obligatio
gerendi ſe cum illa tanquam cum vxore pro aliquo
tempore non præſenti, ſed futuro; quando nimirum
initum fuerit coniugium.

Sectio IV.

De verbis negatiuis , per quæ fiunt ſpon-ſalia.

VAriæ diſcurrendæ ſunt formulæ negatiuæ , &
de ſingulis ferendum iudicium ex vi ſignifica-
tionis verborum , ſeu ex communi vſu , iuxta quem
verba interpretamur. Atque

1 *In primis* certum videtur apud Doctores his verbis:
Nunquam aliam à te ducam , nullum contractum
fieri, nec matrimonij, nec ſponſalium. Ratio eſt, quia
conſenſus abſolutus, qualis requiritur ad prædictum
contractum, non præſtatur per meram negationem,
in qua neque explicitè , neque implicitè includitur
abſoluta affirmatio ; at in illis verbis datur hæc pura
negatio, vt conſtat. Quare ex illis ſolùm reſultat obli-
gatio, quaſi conditionata , nimirum ſi matrimonium
contrahere velit , teneri illam ducere; ad hanc enim
obligationem contrahendam, ſatis eſt omnia alia ma-
trimonia negare, aliter enim particula illa, *à te*, nihil
operaretur. Et patet manifeſtè, nam ſi quis abſolutè
promitteret, nullam ſe ducturum, teneretur ab om-
ni matrimonio abſtinere: ergo, eo ipſo quòd addidit,
aliam à te , quod eſt idem , ac , *te exceptâ* , promittit
hanc ſolam ducere caſu, quo matrimonium eligat.

Secundò , eſt certum hæc verba : Non aliam, ſed te 2
ducam, inducere ſponſalia. Patet , quia illa particu-
la , *ſed te* , eſt exceptio affirmatiua abſolutè ducendi
illam.

Tertiò, etiam eſt certum, per hæc verba, *ducam*, & 3
non aliam niſi te , contrahi ſponſalia. Ratio eſt , quia
in eâ promiſſione non tantùm eſt negatio ducendi
aliam, ſed abſoluta affirmatio ducendi hanc.

Eſt verò difficultas non parua in illâ aliâ formulâ,
qua quis ſic promittit. Nullam aliam ducam niſi te,
conſiſtitque in expoſitione ſignificationis illius parti-
culæ exceptiuæ , *niſi*, an videlicet efficiat ſenſum pu-
rè exceptiuum , & affirmatiuum , abſolutè ducendi
illam; an potiùs afferat ſẽſum non purè exceptiuum,
ſed conditionalem, id eſt, ſi aliquam ducturus ſum,
te ducam; quo tantùm contrahitur obligatio non du-
cendi aliam, ſed illam, ſi aliquam ducturus eſt.

Hoc ſecundum affirmant Sanchez *diſp.* 19. *n.* 5. 4
cum multis, quos ipſe refert, Coninch *diſput.* 21. *dub.*
3. *n.* 29. Reginaldus *lib.* 31. *n.* 51. Nauarrus *c.* 22. *n.*
51. Henriquez *lib.* 11. *c.* 12. *n.* 7. & Bonacina *q.* 2.
punct. 1. *n.* 13. Probant

Primò , quia dicta promiſſio æquiualet huic , vel
ducam te, vel nullam aliam, & abſolutè verificatur,
ſi promittens nullam vnquam ducat.

Secundò à ſimili in voto ſic facto : Non ero niſi
Carthuſianus; hæc verba non faciunt ſenſum purè
exceptiuum , ſed conditionalem : vnde ſic vouens
non tenetur ſimpliciter ingredi Carthoſiam , ſed ex
ſuppoſitione , quòd voluerit fieri Religioſus : ergo
ſimiliter in noſtro caſu.

Tertiò , quia is eſt communis modus loquendi, &
intelligendi. Conſtat id ex variis legibus, ex *l. ſi ſte-
rilis* §. *penult. ff. de actionibus empti*; ex qua Doctores
colligunt, promittenti ſe non venditurum, niſi huic,
non competere actionem, niſi in caſu, quo aliis ven-
diderit. Et ex textu *in l. Titia.* §. *fin ff. de manum. te-
ſtam.* ibi : *Oneſiphore, niſi diligenter rationes reddideris,
ne liber eſto* In quibus textibus manifeſtum eſt , par-
ticulam, *niſi* , efficere ſenſum conditionalem: ſignum
ergo eſt communi modo loquendi , conditionalem
tantùm ſenſum illâ particula exprimi.

Alij verò , vt Paludanus , Adrianus , & Palacios, 5
& ex Canoniſtis quamplures , quos refert Sanchez
cit. n. 3. abſolutè docent eam particulam , *niſi* , ex-
ceptiuum, affirmatiuum , & negatiuum ſenſum effi-
cere ; affirmatiuum quidem , ſi ſequatur poſt nega-
tionem, vt in hac propoſitione: Nullus niſi Petrus
currit. cuius ſenſus eſt , Petrus currit, & nullus alius;
negatiuum verò ſi ſequatur poſt affirmationem , vt
in hac propoſitione : Omnis niſi Petrus currit , & in
hac alia , Petrus non currit aliis currentibus. Vnde
manifeſtè colligunt, hæc eſſe ſponſalia: Non ducam
aliam , niſi te ; cuius ſenſus eſt , ducam te , & nul-
lam aliam. Huic fauet Rebellus *lib.* 4. *q.* 5. *n.* 8. di-
cens ex vi prædictorum verborum vera ſponſalia non
contrahi , eo quòd ſecundùm ſe conditionatum ſen-
ſum efficiant. At vulgariter illa accepta non efficere
ſenſum conditionatum, ſed exceptiuum abſolutum,
quaſi dicas : Nullam aliam ducam , ſed te ducam.
Quare ait in praxi , niſi aliam fuiſſe mentem contra-
hentium colligamus , contrahere voluiſſe ſponſalia
iudicabimus.

Ego verò puto in hac re faciendum eſſe diſcrimen 6
inter

inter ſponſalia, & matrimonium. Quare

Dico *primò*, his verbis: Non duco aliam niſi te, Non contraho matrimonium niſi tecum, Nolo aliam niſi te vxorem, Non habeo aliam, niſi te, vel præter te, perfici matrimonium de præſenti, ſi cætera adſint, quæ Tridentinum præſcribit. Ita Baſilius Ponce *lib. 2. c. 10. n. 9.* Hurtadus *diſp. 1. diff. 13. n. 57.* & alij. Probatur, quia in propoſitionibus ſimplicibus de præſẽti, ſemper particula exceptiua *niſi*, includit affirmationem. Patet, quia cùm dico, Non video niſi te, manifeſtum eſt, ſenſum eſſe, Te video, & nullum alium; cùm aſſero, Omnes niſi Petrus currunt, ſenſus eſt, Petrum ſolum quieſcere, & ſic de aliis. Prætereà idem conſtat in contractibus de præſenti, quando ponitur particula exceptiua *niſi*; nam ſi quis dicat, Non vendo, niſi tibi, particula illa *niſi*, affirmat venditionẽ tibi factam, & excludit alias; vel enim cùm dico, non vendo niſi tibi, teueris vendo tibi, vel non; ſi non, locutio eſt inepta, & falſa propoſitio; ſi tibi, ergo affirmat, & poſt negationem dicit affirmationem; ergo idem dicendum in contractu matrimonij. Confirmatur, nam verba illa, nullam duco, niſi te, continent propriè ſenſum exclusiuum, nempe te, & non aliam duco; ſicut cùm dicitur, nullam aliam duxi niſi te, ſignificatur te ſolam, & non aliam duxiſſe: ergo verè illis contrahitur matrimonium.

7 Dico *ſecundò*, illis aliis verbis, Non ducam niſi te, non contrahi ſponſalia. In hoc ſenſu intelligo opinionem Sanchez, & aliorum, quos ipſe ſequitur. Probatur *primò*, nam his verbis nequit commodè effici ſenſus purè exceptiuus, ſed conditionalis; nam propriè ſignificant, ſi aliquam ducturus ſum, te, & non aliam ducam. Vt in ſimili de illis verbis, nullam aliam, niſi Carthuſiam ingrediar; durum enim eſſet dicere his verbis obligatum aliquem eſſe ad ingrediendam eam religionem; ſicut & qui dicit: Non vendam, niſi tibi, non obligatur ad vendendum illi, niſi in caſu, quo vendere decreuit. *Secundò*, ea particula, Non ducam niſi te, non ponit actum cum alio contrahendi vt abſolutè futurum, ſed remoto actu, & potentiâ contrahendi cum aliis, ſi verum dicit promittens, relinquit potentiam tantùm ad contrahendum cum hac; at potentia contrahendi non efficit ſponſalia; ſed actio futura contrahendi promiſſa: ergo.

8 Atque his ex duobus dictis colligo rationem, ob quam aliter ſit iudicandum in enunciationibus, quæ reſpiciunt tempus futurum, & aliter in his, quæ reſpiciunt tempus præſens, aut præteritum. Nam cùm ſit proprium particulæ exceptiuæ tollere negationem actionis in caſu excepto, vt cùm dicitur, Nullus niſi Petrus currit, negatio currendi tollitur à Petro, qui excipitur; cumque id in præſenti, aut præterito nequeat eſſe indifferens, vt ſit, vel non ſit, vt conueniat, vel non conueniat actio; inde eſt vt in enunciationibus de præſenti, aut præterito includatur affirmatio. Cùm enim de præſenti profero hanc propoſitionem, Nullus eſt albus, niſi Petrus, nego ab omnibus præſentem exiſtentiam cum albedine, & hanc negationem albedinis remoueo à Petro, & quia de præſenti non poteſt eſſe vnum ex his duobus, vel Petrum de præſenti eſſe album, vel non eſſe, inde eſt, vt ad hoc, quòd vera ſit illa propoſitio, Petrus de præſenti debeat eſſe albus, aliàs erit falſa; ſi enim de præſenti Petrus non ſit albus, cùm non poſſit eſſe indifferens ad album, & non album, non diceretur verè, nullus niſi Petrus eſt albus. Idem eſt in illâ aliâ, Nullus niſi Petrus cucurrit: neque enim Petrus, qui iam præteriit, poteſt eſſe indifferens, vt illi curſus conueniret, aut non conueniret. At quando propoſitio reſpicit tempus futurum, eſt indifferentiæ vt ſit, vel non ſit, & ideo in propoſitionibus de futuro non includitur affirmatio. Vt, v. g. cùm dico, Non vendam niſi tibi, nego actionem vendendi in futurum omnibus determinatè, & indeterminatè tibi, non nego actionem vendendi. Cæterùm, quia indifferens eſt pro tempore futuro, vt tibi vendam, vel non: poſſum enim vendere, aut non vendere, & de te non affirmo, vera eſt propoſitio.

Dico *tertiò*, particulam exceptiuam in affirmatiuâ oratione poſitam, vt in hac, Tantùm te ducam, vel tantùm tecum contraham, efficere ſponſalia. Hoc ab omnibus videtur admitti; & ratio eſt, quia particula exceptiua in affirmatiuâ oratione verè ponit actum in caſu excepto ex vi affirmationis, aliàs non eſſet affirmans, aut eſſet falſa, & ſimul remouet actum ab omnibus aliis; id enim habet, quatenus exceptio eſt, aliàs non eſſet vera propoſitio; ergo verè illis verbis ſponſalia contrahuntur. 9

Atque ex his ſoluta manent, quæ pro ſuâ ſententiâ adducit Thomas Sanchez; nam primum, & ſecundum argumentum firmant noſtrum ſecundum dictum. Tertium quoque rectè probat, ſi oratio reſpiciat tempus futurum, particulâ *niſi*, non affirmari actum, ſed potentiam; nam reſpectu futuri non eſt actus, ſed potentia, vt dictum eſt. Eſt verò notandum in enunciationibus, quæ reſpiciunt tempus futurum, particulam exceptiuam non includere affirmationem per ſe, & ex ſe loquendo, vt oſtenſum eſt: per accidens verò, ſi ei adiungatur aliquid extrinſecum, quo affirmatio incluſa ſignificetur, vel id poſtulet ſubiecta materia, vel id eſt de quo agebatur, oſtendat, includere affirmationem, vt patet variis exemplis, *3. Regum 22.* Non pugnabitis contra maiorem quemquam, vel minorem, niſi ſolùm contra Regem Iſraël, id eſt, cõtra illum, & contra nullum alium. *2. Paralip. 18.* Ne mihi loquaris, niſi quod verum eſt, id eſt, loqueris verum, & nihil aliud, niſi verum. Idem in illa, Nullus niſi Petrus curretet; ſi Petrus non eſſet curſurus, falſa eſſet propoſitio. Quãdo enim ponitur illa particula negatiuè, includit affirmationem. Idem dicendum quando præceſſit affirmatio: vt homicidium eſt hodie committendum, & nullus niſi Petrus occidet; promitto vendere hanc domum, & nulli vendam niſi tibi. 10

Ex dictis infero, quid dicendum de dictione, *quàm*: vt cùm quis dicit, Nullam aliam, quàm te ducam; exiſtimo enim continere promiſſionem conditionalem, ac eam importare quod, *niſi*, nam vtraque dictio idem ſignificat, atque adeò illa verba ſolùm conſtringere ſic promittentem caſu, quo matrimonium eligat ad ducendam illam. Idem ſentio de particulâ, *præter*, vt cùm dicitur, Nullam ducam præter te, nimirum hanc dictionem, *præter*, eundem ſenſum exceptiuum facere, quem dictio, *niſi*; vt benè notauit Enriquez *lib. 11. de matrim. c. 13. n. 4. in fine*, & Sanchez *diſp. 19. n. 10.* idque rectè probat ex *cap. adiicimus 16. q. 1.* ibi, *ſtatuentes, vt præter Domini ſacerdotes nullus audeat prædicare*. Quibus verbis non ſignificatur poſſe omnes ſacerdotes prædicare; eſſet enim id manifeſtè falſum. Quare verba iſta, nullam aliam ducam præter te, continent propriè ſenſum conditionalem: nam propriè ſignificant, ſi aliquam ducturus ſum, te, & non aliam ducam; vt in ſimili dictum eſt de illis verbis, nullam aliam, niſi Carthuſiam ingrediar. 11

SECTIO V.

An per verba diſiunctiua contrahantur ſponſalia

1 Circa verba diſiunctiua, vt quando ſunt præſentes plures fœminæ, & Petrus dicit, Promitto, me ducturum aliquam ex vobis, & omnes fœminæ pariter repromittant, certum eſt apud Doctores, ex illis non conſurgere ſponſalia, ſed ſolùm obligationem ducendi vnam ex illis. Primum conſtat ex dicendis à nobis infrà *diſput. 5. ſequenti, ſect.* 4. vbi oſtendemus, promiſſionem requiſitam ad ſponſalia debere eſſe circa determinatam perſonam, ſicut matrimonium debet eſſe vnius cum vnâ. Poſitâ autem electione Petri promiſſoris ad quem ſpectat eligere, ſtatim conſurgunt ſponſalia, vt eſt per ſe manifeſtum. Secundum etiam eſt verum, nam illa verba continent veram promiſſionem; ergo ex illis conſurget obligatio eligendi vnam ex illis. Vnde poteſt Petrus, & debet ad id compelli à iudice, quoniam fuit vera promiſſio acceptata, & conſequenter obligans. Hinc

2 Colligo *primò*, ſponſalia incerta, non eſſe propriè & perfectè ſponſalia. Nam ex veris, & perfectis ſponſalibus, naſcitur impedimentum publicæ honeſtatis, vt dicetur *diſp.* 8. At hoc impedimentum non oritur ex ſponſalibus incertis, vt habetur *cap. vnico, de ſponſalibus, in 6.*

3 Colligo *ſecundò*, prædicta ſponſalia incerta, ſeu diſiunctiua, eſſe ſponſalia conditionata, ad eligendum, videlicet in futurum vnam ex illis, quibus ſub diſiunctione facta eſt promiſſio; reddi verò certa, & perfecta per determinationem, & electionem promiſſoris, quâ poſitâ ſtatim inducitur impedimentum publicæ honeſtatis.

4 Colligo *tertiò*, eum, qui cum vnâ & pluribus ſubdiſiunctiuè, ſeu indeterminatè contrahit, cùm penès illum liberum ſit iudicium electionis, ſi vnam eligat, & illa renuat, ab altera liberari; niſi fortè renuente vnâ, alteri ſe obligauit, vel niſi inter eos conueniret, vt penes fœminas maneret electio; tunc enim ipſæ tenebuntur vnam offerre, & in defectum aliarum, quælibet ſe offerre tenetur. Ratio illius primi, cur videlicet non teneatur vnâ recuſante, aliam ducere, eſt, quia promiſſor, quantum in ſe eſt, paratus eſt ad promiſſionem adimplendam, id eſt, ad ducendam illam, quæ renuit, nec per ipſum ſtat, ne vnam illarum ducat, ſed ſtat per illam, quæ recuſat; ad quam non pertinet electio, ſed pertinet ad promiſſorem in promiſſione alternatiuâ, *reg. in alternatiuis, de regulis iuris, in 6.* vt benè Sanchez cum aliis *lib. 1. diſp. 26. n. 2.*

5 Colligo *quartò*, ſi quis in hanc formam contrahat, Ducam ex vobis, quæ mihi nubere voluerit, promiſſio erit non reciproca, obligabitque promiſſionem, non tamen fœminas; ſi quidem nemo obligat ſe, cùm dicit, ſe facturum, ſi velit. Si tamen ita reſponderent, Nubet tibi ex nobis, quam volueris, ea tenebitur, quam elegerit. Quòd ſi dicat, Ducam ex vobis, quæ voluerit mihi nubere, & vtraque velit, quid agendum, cùm non magis vni, quàm alteri teneatur, & electionem in eas reiecerit? Reſpondet Rebellus *lib. 4. q. 4. n. 6.* ſi vna prior, quàm altera eum ſibi poſtulet, ei fore adiudicandum, cùm ex regula iuris in 6. *Qui prior eſt tempore, potior ſit iure, cæteris paribus.* & ex regulâ, *ſi Titius. ff. de verb. oblig.* vbi decernitur meliorem eſſe conditionem primò occupantis per litis conteſtationem. Addit ſi ſimul petant, ſibi videri ſorte dirimendam litem.

Colligo *vltimò*, promiſſionem ducendi vnam ex 6
pluribus, aliquando talem eſſe poſſe, vt nullam obligationem ad nuptias inducat. Vt ſi quis iuret, vel promittat, ſe ducturum vnam ex fœminis huius regni, vel vrbis, nulla & inepta erit more humano promiſſio ad contrahendum nuptiarum obligationem, & talis promiſſio à nemine acceptari ſolet. Quòd ſi ea promiſſio reſoluatur in votum de ducendâ vxore, ſi Deo fiat promiſſio: tale votum regulariter non obligat, cùm non ſit de bono conſilij, vel præcepti, vt dixi ſuprà *diſp. 3. ſect. 5.* Si tamen regno, vel vrbi expedirent huius promiſſoris nuptiæ pro bono pacis, vel alio commodo, ſi promiſſio acceptetur ab eo, qui ritè acceptare poteſt, manebit promiſſor obligatus.

Reſtat verò dubitatio, an ſponſalia incerta, ſeu ſub diſiunctione contracta reddantur certa, & determinata per copulam ſubſequentem. Vt ſi Petrus tribus, vel quatuor fœminis ſimul promittat, ſe vnam ex iis ducturum, & viciſſim promittant, ſe ipſi nupturas, & poſtea aliquam ex dictis cognoſcat carnaliter, an per talem copulam cenſeatur eam elegiſſe.

Sanchez cum multis *lib. 1. diſp. 26. à num. 8.* 7
vſque ad finem, ſentit ſecundùm ius antiquum, quo ſponſalia per copulam tranſibant in matrimonium, per ſequentem copulam, cenſenda eſſe eiuſmodi ſponſalia in foro externo tranſire in matrimonium, cum vnâ ex illis, quibus facta fuerat promiſſio ſub diſiunctione. Nunc verò poſt Tridentinum, ſecundùm ius nouum Tridentini irritantis matrimonium clandeſtinum, cenſenda non eſſe tranſire in matrimonium, vel in ſponſalia pura & abſoluta. Primum probat, quia promiſſiones illæ ſub diſiunctione continent ſponſalia conditionata, quæ fiunt abſoluta per electionem promiſſoris; hæc autem electio fit per copulam, nam per copulam purificatur conditio, & ſponſalia conditionata tranſeunt in matrimonium, *cap. de illis, de conditionibus appoſitis.* Secundum verò probat, quia ante Tridentinum ideo Eccleſia præſumebat affectum maritalem cum illâ copulâ, & conſequenter conſenſum de præſenti, ne præſumeret delictum fornicationis; ſed hodie iam non poteſt eſſe affectus coniugalis, ſed ſemper eſt fornicarius, cùm per copulam illam clandeſtinam non tranſeant ſponſalia in matrimonium: ergo.

Alij verò ſentiunt, ſufficienter præſumi, deter- 8
minari ſponſalia cum eâ, cum qua promiſſor habet copulam; præſumitur enim accepiſſe animo eligendi illam, quam carnaliter agnouit. Probat Rebellus *lib. 4. q. 4. n. 6.* quia per ſequentem copulam præſumitur electio facta in foro externo, ex vi cuius debuiſſet iudicari matrimonium iure antiquo: ergo poſt Tridentinum præſumenda ſunt ſponſalia determinata per eandem copulam.

Denique Syluester verb. *Matrimonium* 2. *n.* 11. cum 9
diſtinctione docet, ſi Petrus, v. g. tribus, vel quatuor

puellis

puellis ſimul, ſe vnam ex illis ducturum promittens; aliquam ex dictis cognoſcat, ſi ipſæ eſſent ſorores, cenſeri illam elegiſſe, non verò, ſi non eſſent cognatæ. Quia ſi eſſent ſorores, propter obortam affinitatem, non poſſet alias fœminas ducere, & conſequenter cum illâ ſolâ poſſet implere promiſſum: quando verò non eſſent cognatæ, poſſet tunc vnam aliam ex dictis ducere, & ſic implere promiſſum.

10 Ego verò veriùs iudico cum Rebello *citato*, Coninch *diſp. 21. dub. 2. n. 16.* Bonacina *q. 1. punct. 3. n. 3.* & aliis, ſiue puellæ ſint cognatæ, ſiue non, ſufficienter præſumi, determinari ſponſalia cum ea, cum qua promiſſor habuit copulam. Moueor, quia niſi de contrario manifeſtè conſter, talis puella non poteſt iudicari aliter concedere vſum ſui corporis, niſi ſub ſpe futuri matrimonij, quare alter illum ab eâ exigendo, videtur ei hanc ſpem facere, & ſuam electionem in eâ determinare.

11 Ad argumentum Sanchez dico, verum eſſe ſecundùm ius antiquum præſumi affectum maritalem ex vi illius copulæ, ne Eccleſia præſumeret delictum fornicationis; nunc verò poſt Tridentinum illam copulam ſemper eſſe fornicariam, nihilominus ſufficienter præſumi determinari per illam promiſſorem, propter rationem dictam; quia nimirum puella, niſi ſub ſpe futuri matrimonij nequit iudicari vſuram ſui corporis conceſſura, & conſequenter nec vir eam exigeret, niſi ſub hac ſpe, ſe determinando, & eam eligendo.

Sectio VI.

De aliis ſignis, per quæ conſurgunt ſponſalia.

EXplicuimus hactenus, quibus verbis ſponſalia contrahantur; at quia pro verbis ſubſtituunt homines alia ſigna, quæ vel in facto conſiſtunt, vel in aliorum verbis, quibus contrahentis conſenſus explicatur, ideo de illis eſt agendum.

1 Regula autem generalis, & vera eſt, quotieſcumque ſignum aliquod iuxta conſuetudinem loci, vel communem intelligendi modum eſt ſignum manifeſtatiuum promiſſionis mutuæ, ac reciprocæ matrimonij, ſi adhibeatur, efficit ſponſalia. quæ regula traditur à Bonifacio VIII. *in cap. vnico, de deſponſat. impub. lib. 6.*

Sunt verò tria ſigna ſpecialia declaranda, videlicet annuli donatio, quæ ſubarrhatio dicitur, porrectio manuum, & taciturnitas contrahentium, aliis eorum nomine reſpondentibus.

2 Circa primum ſignum, breuiter dico, cum communi ſententiâ ſubarrhationem, ſeu annuli donationem, vel receptionem eſſe ex ſe ſignum æquiuocum, nec ſufficiens ex ſe ad ſignificandum ſponſalia, vel ad illa contrahenda, quia propter alias cauſas fieri poteſt; vt inter concubinarios, ob turpem amorem. Dico *ex ſe*; nam per conſuetudinem receptam, vel per alias circumſtantias determinari poteſt ad ſignificandum hîc, & nunc conſenſum in ſponſalia, vt ſi in aliquo populo communiter talem conſenſum ſignificet. Aut ſi vnus offerat, aut petat annulum in ſignum talis conſenſus, & altera acceptet, aut det. Et ratio eſt, quia ſigna loco verborum ſubſtituuntur; ſi ergo ſubarrhatio eſt ſignum ſponſalium ex conſuetudine, idem per illam fit, ac ſi verbis proteſtarentur ſe contrahere ſponſalia, vt latè oſtendit Sanchez *lib. 1. diſp. 22.* Notandum verò ſi annulus puellæ mittatur ab aliis, quàm à contrahente, v. g. à parentibus, non videntur ſponſalia, ſed donatio. Quod intellige, niſi conſenſu filij, & præcedentibus verbis, aut tractatu ex parte fœminæ mittatur.

3 Idem dicendum de pecunia, aut iocalibus, ſi mittantur fœminæ, præcedente tractatu inter amicos de contrahendo matrimonio, quem ipſa etiam fœmina ſcit præceſſiſſe; præſumuntur enim ſponſalia, quia illis muneribus veluti confirmatur, ac ratum habetur, quod ab amicis ea de re geſtum eſt, atque ideò ſponſaliorum contractus initus videtur. Idem etiam dixerim, quando impuberes contrahunt, & poſtea mittunt ſibi annulos, iocalia, aut pecunias. Nam etſi antiquo iure, quando valebat matrimonium poſt ſeptennium, ſi mitterentur, conſiciebatur matrimonium, quia indicabant conſenſum de præſenti confirmari: at cùm nouo iure inter impuberes nequeant eſſe niſi ſponſalia, licèt contrahant de præſenti, ipſa etiam ſubarrhatio, & ſimilia, licèt ex loci conſuetudine eſſent ſigna matrimonij, non efficerent, niſi tantùm ſponſalia, ſicut ipſa verba de præſenti.

4 Circa ſecundum ſignum porrectionis manuum, dico cum Sanchez *cit. n. 6.* ſi cùm tractaretur de matrimonio contrahendo, viro promittenti matrimonium, fœmina requiſita ſponte manum dedit ad fidem recipiendam, eſſe ſponſalia. Ratio eſt, quia id eſt ſufficiens repromiſſionis ſignum; tacitè enim conſentire videtur, cùm agitur de obligatione cõtrahendi, ſi aliquis actus poſitiuus concurrat. Idque in fœminis facile contingere poteſt, quia non eſt difficile impediri etiam verecundia. Idem iudico cum Baſilio *lib. 2. c. 11. n. 8.* ſi vir fœminæ manũ apprehendens, dicat: Do tibi fidem de contrahendo matrimonio, & illa non retrahat manum, ſunt vera ſponſalia: ſi enim repugnaret, manum vtique retraheret. Vnde ſicut perſeuerare in cohabitatione, quãdo fuit à principio nullum matrimonium, ceſſante impedimento, cum ſcientia ſufficienti, eſt ſignum conſenſus, iure ſaltem antiquo; ita etiam non retrahere manum apprehenſam, quæ ſignum fidei datæ ſolet eſſe, eſt reuera porrigere & fidem adſtringere eo actu poſitiuo, vel perſeuerantia in eo actu poſitiuo.

Circa tertium ſignum, de taciturnitate, an ſit ſufficiens ſignum conſenſus interni, maior eſt difficultas.

5 Certum eſt, *primò*, eam taciturnitatem ſufficere, quando aliqui pro aliis tacentibus ex horum mandato contrahunt ſponſalia: ſi enim conſtat contrahi ſponſalia poſſe non modo inter præſentes, ſed & inter abſentes, per procuratorem ſcilicet, per nuntium, & litteras, ſicut & quemuis alium contractum ciuilem; multo magis ex ipſis, pro quibus contrahitur, mandato.

6 *Secundò*, etiam eſt certum, quando parentes contrahunt pro filiis præſentibus, horum taciturnitatem eſſe ſufficiens ſignum conſenſus. Ita expreſsè deciditur à Bonifacio Octauo *cap. vnic. de deſponſatione impuberum §. vltimo in 6* his verbis: *Porrò ex ſponſalibus, quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipſi filij, ſi expreſsè conſenſerint, vel tacitè, vt ſi præſentes fuerint, nec contradixerint, obligantur.* Vbi apertè dicitur, filios ſufficienter conſenſum exprimere, ſi præſentes taceant. Et ratio eſt, quia cùm parentes valdè diligant filios, præſumuntur illis rectè conſulere: ex alio capite filij tenentur illis debitam præſtare reuerentiam, atque adeò ne videantur eorum dicta contemnere, debent vel conſentire, vel diſſentire, ſeu contradicere: vnde eo ipſo, quòd filij non contradicunt, cùm facile poſſent, cenſentur conſentire, & conſequenter taciturnitas filiorũ reputatur conſenſus. Intellige tam de patre, quàm de matre, verbo *parentes* in genere. Neq; enim minus mater, quàm pater filium diligit, ne illi rectè conſulat, & de filiis

etiam emancipatis, cùm textus indefinitè loquatur, & abſolutè dicat Bonifacius pro filiis puberibus. Extenditur etiam ad filios ſpurios, cùm in hoc tantùm conſideretur reuerentia debita naturæ, non patria poteſtas, quo iure ſpurij appellantur filij. Et ideo parum refert, quòd ius ciuile cenſeat, non eſſe appellandos filios.

7 Obiicies taciturnitatem filij pro quo matrimonium ſpondet pater, poſſe prouenire ex aliâ causâ, quàm ex interiore conſenſu in iſtud matrimonium quod promittitur, vt ex metu reuerentiali eiuſdem filij erga patrem. Reſpondeo, hoc verum quidem eſſe, ſed non impedire quominus taciturnitas illius in prædicto caſu ſit conſenſus interni ſignum æquè efficax, atque verbum ore prolatum, quo ſe conſentire ſignificaret: hoc enim verbum ex eodem metu reuerentiali proferre æquè poſſet. Siue ergo ex hoc metu taceat, ſiue verbum hoc proferat, vel conſentit interiùs, vel non: ſi ſecundum, nulla ſunt ſpooſalia defectu conſenſus: ſi primum, ſunt valida, vt enim conſtabit ex dicendis infrà *diſput.10.ſect.3.* metus ille reuerentialis cadens in virum conſtantem, tametſi matrimonij validitatem poſſet impedire, ſpooſalinm tamen non poſſet.

Duplex verò reſtat dubitatio.

Prima, an ſolis conceſſum ſit parentibus, vt pro filiis præſentibus, & tacentibus validè contrahant.

8 Satis communis ſententia Doctorum affirmat, quam ſequitur Thomas Sanchez citatis aliis *lib. 1. d.* x3. *q.2. n.7.* Rebellus *lib.*2. *q.* 10. *ſect.*1. *n.* 9. & alij

Primò, quia ſpecialis Bonifacij dicta diſpoſitio eſt pro parentibus inducta; præſumit enim, cùm magis filios, quàm ſe ipſos diligant, rectè, & optimè cõſulere filiorum bono, & honeſto matrimonio, & ideò illud tanquam ſingulare de parentibus ſtatuitur.

Secundò, quia cum hac, vel illa perſonâ contrahere, poteſt contrahenti eſſe odioſum nociuum; quamuis enim contrahere matrimonium abſolutè videatur res expetibilis; ſed non quoduis matrimonium cuiuis eſt expetibile, ſed ſæpè eſt odioſum: ergo tacendo non præſumitur in hoc conſentire, niſi hoc ei à parentibus proponatur, quorum eſt filiis matrimonia procurare bona.

Tertiò, extraneus nullum ius habet in puellam: ergo quando ille pro eâ reſpondet, non tenetur puella reclamare, ac proinde tacendo non magis conſenſum, quàm diſſenſum ſignificabit, iuxta regulam iuris in *6. Is qui tacet, neque conſentire, neque diſſentire videtur*; cuius priorem partem intelliguot communiter Doctores, quando non loqui tenetur. Si enim teneatur loqui, tacendo videbitur fateri, & conſentire, iuxta aliam regulam ioris in *6. Qui tacet, conſentire videtur*; quæ vera eſt, quando is, qui tacet, tenebatur non tacere; in propoſito verò euentu, puella ſi non conſentiebat, non tenebatur reclamare reſponſionem redditam pro ſe ab extraneis. Alij verò, vt
9 Sotus *in 4. diſt. 27. q. 1. a. 5. § Præſens autem ambiguitas*, Petrus Ledeſma *q. 45 a.2. dub. 3.* & alij dicunt ſecundùm conſcientiæ forum ſufficere in propoſito euentu puellæ præſentis taciturnitatem, non tamen quoad forum Eccleſiæ, ſed vlteriùs requiri tacitam, vel expreſſam ratificationem. In hac re

10 Dico *primo*, oon eſſe id ſpeciale priuilegium parentum, ſed extendendum etiam eſſe ad tutores, curatores, alioſve, qui loco parentum curam pupillorum, aut minorum gerunt. Ita expreſsè Coninch *diſp.21.dub.3.n.37.* Baſilius *lib.2.c.14.n.7. & ſequentibus*, Bonacina *q.1. punct.1.n.12.* & alij. Ratio eſt, quia eodem modo ad hos, atque ad parentes ſpectat iſtorum bona procurare, & hoc cenſentur facere, quando de contrario non conſtat. Firmatur, nam cùm his omnibus ſingulariter incumbat procurare, ac dirigere res omnes eorum, qui ipſorum curæ commiſſi ſunt, cenſentur ea omnia, quæ pro his agunt, eorum nomine agere. Quare quando ſimile quid coram pupillis, aut minoribus ſcientibus quid agatur, faciunt, hoc ipſo quo hi non contradicunt, cum facilè poſſent, cenſentur conſentire, cùm ad alterutrum teneantur, ne videantur ſuperiorum ſuorum acta contemnere.

Dico *ſecundo*, non eſſe idem dicendum de aliis, ſiue extranei ſint, ſiue cognati, quorum curæ pupilli, vel minores non ſunt ea ratione commiſſi. Ita Coninch, & Bonacina *citati*. Idque probat benè ratio tertia pro primâ ſententia allata, quia in eo euentu neque extraneus, neque cognatus habet vllum ius in puellam, oeque eſt illi ſuperior: ergo tametſi ille pro eâ reſpondeat, non tenetur reclamare puella; atque ideo tacendo non magis conſenſum, quàm diſſenſum ſignificabit. Quare prædicta Bonifacij conſtitutio ad fratres extendi non debet, quidquid dicat Baſilius *relatus*, niſi loco parentum tanquam tutores, curatoresve curam pupillorum, aut minorum gerant. 11

Hinc patet ſolutio ad primum argumentum pro Sanchez ſententià: quamuis enim in prædicta Bonifacij conſtitutione parentum, exempli causâ, fiat mentio; nihil tamen eſt, vnde poſſit colligi, hoc de illis ſingulariter dici; cùm etiam curatores, & tutores proſpiciant bono minorum contrahentium. Ideo autem Pontifex parentum potius, quàm aliorum meminit, quia parentes pro cura, & ſollicitudine erga filios ſunt, qui de illis copulandis agunt frequentiùs; alij verò non niſi in defectum ipſorum. 12

Ad ſecundum conſtat etiam tutores, & curatores ratione ſui officij procurare bona matrimonia ſuis pupillis, vel minoribus; & ita idem præſumi debet de illis, ac de parentibus.

Ad tertium iam dictum eſt probare noſtrum ſecundum dictum.

Ad ſententiam Soto dicendum, in vtroque foro veram eſſe doctrinam traditam; nam etiam in externo foro extranei, qui curatores ſunt, vel tutores, tenentur proſpicere bono pupillorum, aut minorum; etſi illi minus proſpiciant, quàm parentes; eſt tamen in ipſis minoribus maior libertas reclamandi, quàm reſpectu patris, cui obedire ſæpè cogit reuerentialis metus. Vnde maius, & veroſimilius periculum imminere poteſt, ſi pater pro filio loquatur; ſæpè enim fieri poterit, vt ex metu taceat, neque repugnet, quàm ſi extraneus tutor, vel curator contrahat, quem minus reueretur. 13

Altera dubitatio eſt, an quando parentes, tutores, vel curatores pro filiis, pupillis, aut minoribus abſentibus cootrahunt ſponſalia, & hi poſtea ſcientes oon cootradicunt, cenſeantur conſentire, & ſpooſalia valeant. Sanchez *diſp.23.cit.n.17.* veriùs putat, id ſatis non eſſe. Probat, quia *cap. vnico, de deſponſatione impuberum in 6.* manifeſtè ponitur diſcrimen inter ſponſalia à parentibus nomine filiorum præſentium, & tacentium contracta, & inter contracta filiis abſentibus. Nam dum filij ſunt præſentes, vt ſponſalia valida ſint, requirit ſolùm textus, vt noo contradicant, eorum taciturnitatem pro ſigno ſufficienti, & efficaci cooſenſus reputans: dum autem ſunt abſentes, exigit ad ſponſalium in eorum abſentia initorum validitatem, vt accepta de iis initis certa notitia ratificent 14

Digitized by Google

ratificent ea tacitè, vel expreſsè. Ponderentur hęc vltima verba, ratificent ea tacitè, vel expreſsè; tunc enim expreſsè ratificantur, cùm conſentiunt expreſsè, id eſt, diſertis verbis; tacitè verò cùm non verbo, ſed facto aliquo, vt oſculo, munere, qualia ſolet dare ſponſus ſponſæ, aut ſimili, approbantur: ergo in hoc euentu vltra taciturnitatem exiguntur alia expreſſa, aut tacita ſigna conſenſus.

15 In hac re mihi videtur dicendum, ſi prædictum caput vnicum attentè inſpiciatur, vtrumque caſum filiorum præſentium, & abſentium, æquiparari. Ita benè notauit Ægidius Coninch *diſp. 21. dub. 3. num. 38.* Et patet, nam textus, poſtquam in priori caſu requirit, vt filij acta ratificent, ſaltem tacitè; quòd dicit, eos facere, cum præſentes, & ſcientes quid agatur, tacent, nec contradicunt: ſtatim de ſecundo caſu hæc verba ſubiungit. Et eſt idem, ſi filij tempore ſponſalium abſentes, & etiam ignorantes eadem ſponſalia pòſt ſcientes ratificauerint tacitè, vel expreſsè. Quibus verbis manifeſtè videtur inſinuari, eandem eſſe in vtroque caſu rationem, vtraque acta ab his ſimiliter ratificari. Nam in vtroque caſu ad ſponſalium validitatem requiritur, vt filij ſcientes, quid agatur, ratificent. In vtroque caſu dicitur ſufficere tacitam ratificationem, at tacita ratificatio eſt in vtroque caſu taciturnitas. De primo iam conſtat. De ſecundo patet, nam ſi filiis abſentibus, quæ acta ſunt, proponantur per ipſos parentes, v. g. cenſentur conſentire, ſi taceant, quia tenentur illa talia proponentibus mentem ſuam aperire, atque ideò vel contradicere, vel conſentire, quod cenſentur facere, dum tacent. Secus eſt ſi filij abſentes id reſciſcant per aliquem, ad quem non pertinet rem geſtam ad eos deferre: tunc enim ipſi filij tacendo non videntur conſentire, quia non tenentur huic vllo modo reſpondere. Confirmatur, quia, vt conſtat ex ſupradictis, ideo in priori caſu taciturnitas filiorum præſentium reputatur ſufficiens ſignum conſenſus, quia parentes, quorum curæ ſunt proprij filij, præſumuntur rectè illis præſentibus conſulere: & etiam ipſi filij pro reuerentiâ illis debitâ, ne videantur eorum acta contemnere, tenentur vel conſentire, vel diſſentire; ac propterea hoc ipſo quo hi non contradicunt, cùm facile poſſent, cenſentur conſentire, & ſaltem tacitè ratificare: ſed hoc idem inuenitur in ſecundo caſu, propter eandem rationem; nam etiam parentes præſumuntur rectè filiis abſentibus conſulere; & etiam ipſi filij, quando quæ acta ſunt ipſis proponuntur per ſuos parentes, pro reuerentia illis debita, ne videantur eorum acta contemnere, tenentur vel conſentire, vel contradicere: ergo ſi non contradicant, cùm faciliùs poſſint abſentes reclamare (nam patribus præſentibus obedire ſæpè cogit metus reuerentialis) cenſentur conſentire, & tacitè ratificare: ergo eodem modo ſentiendum eſt de vtroque caſu, nimirum ſufficere taciturnitatem abſque alia ratificatione facti, nempe oſculi, muneris, vel alterius rei ſimilis.

16 Ex dictis in tota hac ſectione colligo, ſi parentes rem ipſam proponant filiis præſentibus, coram parte, & ipſi non contradicant, ſtatim fieri ſponſalia; ſecus eſt, ſi eam proponant illis abſentibus, & abſente etiam parte: tunc enim non erunt ſponſalia, donec conſtet de conſenſu ſaltem tacito filiorum, & iſte notus ſit parti, eumque acceptet. Nam, vt rectè docet Sanchez *lib. 1. diſp. 7. n. 35.* nullus contractus oneroſus inter abſentes, qualis eſt ſponſalium contractus, ſine procuratoribus perfici poteſt, niſi vtraque pars ſuum conſenſum per litteras, aut certum nuntium alteri indicet, & hæc eum acceptet. Vnde neceſſe eſt, vt repromiſſio partis, vel acceptatio fiat coram nuncio à promittente miſſo, vel ſaltem per epiſtolam, vel nuncium repromittentis eidem promittenti miſſum; nam in ſponſalibus, ſicut promiſſio debet eſſe ſenſibilis ei, cui fit; ita etiam, & multo magis acceptatio, & repromiſſio debet eſſe ſenſibilis, cùm ſit vltimum complementum.

17 Quæres quam obligationem contrahant parentes, vel tutores filiorum, vel minorum nomine promittentes matrimonia, præſertim cum iuramento. Reſpondeo breuiter, validam eſſe promiſſionem alieni matrimonij, & licitum eſſe iuramento eam firmare; quia in tali euentu promiſſor ſolùm promittit, ſe curaturum, vt matrimonium fiat, nec iurat rem dubiam, vel impoſſibilem, ſed proprium factum poſſibile; promittit enim ſe facturum, & curaturum, vt alter contrahat. Vnde ex vi promiſſionis huius, tenetur in conſcientia adhibere diligentiam ſibi poſſibilem, abſque ſimulatione in negotio faciendo, vt promiſſioni, & iuramento ſatisfaciat. Quòd ſi negligens ſit in curando, vt alter contrahat, vel fingat ſolùm ſe curare, tenetur ſoluere, quantum intererat, contractum fieri cum damnis omnibus ex tali negligentia ſequutis. Ita Molina *tom. 2. de iuſtitia diſp. 268.* loquens in communi de promiſſione alieni facti, & Sanchez *lib. 1. diſp. 24. n. 11. & ſequentibus*, loquens ſpecialiter de promiſſione alieni matrimonij.

18 Ad quid verò teneatur promiſſor, ſi adiiciatur pœna. Dico eum Sanchez *diſp. 25.* non teneri ad pœnam ſoluendam, ſi debitam diligentiam adhibeat, niſi conſtaret habuiſſe animum ſe obligandi ad pœnam, ſi rem non perficeret. Ratio eſt, quia promiſſor immunis à culpâ, debet eſſe liber à pœnâ, quam ſibi impoſuit. Neque obſtat, quòd promiſſor ſpondeat, ſe cum effectu conſecuturum. Nam hæc verba adhibere ſolent promiſſores, vt oſtendant, quanto conatu, ac diligentia ſint id curaturi, & quàm ſint freti, vel aliorum amicitiâ, vel propria induſtria ad rem tranſigendam. Notat verò benè Molina, ſi promiſſor ſciebat, ſe id non conſecuturum, vel de conſecutione dubitabat, decepitque eo promittendi modo promiſſarium, vt contractum oneroſum iniret, aliàs non initurus; vt ſi aliquam duxit vxorem, quia promiſit ſe obtenturum à Rege officium. idque tanquam certum perſuaſit, cùm eſſet incertum, teneri promiſſorem in conſcientia reſtituere æſtimationem rei promiſſæ propter deceptionem iniuſtam.

19 Vtrùm autem ſponſalia contrahi poſſint inter abſentes, per procuratorem ſcilicet, per nuncium, & litteras: affirmant omnes, nam ſi matrimonium inter abſentes his modis contrahi validè poteſt, vt dicam infrà *diſp. 13. ſect. 7.* quanto magis ſponſalia. Ad præfatam diſputationem reiicio hæc, & alia, quæ circa hanc diſputationem deſiderari poſſent.

20 Ex dictis in hac & præcedenti diſputatione colligo, quinque eſſe modos ſponſalia contrahendi. *Primò*, poſſunt contrahi publicè, ſicut & matrimonium coram Parocho, & teſtibus. Poſſunt & priuatim ac clandeſtinè ſolis conſciis contrahentibus, vt oſtendam infrà *diſ. 5. ſect. 2.* *Secundò*, poſſunt ſponſalia contrahi per verba de futuro, qui eſt ordinarius ea contrahendi modus, & per verba de præſenti, vt latè oſtenſum eſt in hac diſputatione *ſectio. 2. 3. 4. & 5.*

Tertiò, contrahi poſſunt per varia ſigna, vt latè dictū eſt in hac ſectione. *Quarto* contrahi poſſunt ſponſalia non ſolùm per ipſos immediatè ſponſos, poſtea coniuges futuros, ſed etiam per parentes, tutores, vel curatores pro liberis, pupillis, ſiue minoribus, ſiue præſentibus, ſiue abſentibus, vt etiam oſtenſum eſt. *Quintò*, & poſtremò contrahi ſponſalia poſſunt non modò inter præſentes, ſed etiam inter abſentes, per procuratorem, videlicet, per nuncium, & literas, vt tactum eſt.

DISPVTATIO V.

De contrahentium ſponſalia habilitate requiſitâ.

HACTENVS explicuimus promiſſionem contractus ſponſalium mutuam, intrinſecam nempe rationem formalem requiſitam eſſentialiter ad ſponſalia perficienda: oportet in hac diſputatione de perſonarum contrahentium habilitate agamus. Hæc verò habilitas duplici ex capite penſanda eſt, nempe ex carentia impedimentorum, inſpecto ſtatu, & conditione contrahentium, & ex ipsâ ætate iure præſcriptâ.

SECTIO I.

Quæ ſint impedimenta, quibus perſonæ ſunt inhabiles ad contrahenda ſponſalia.

1 CErtum eſt *primò*, quodvis impedimentum perpetuum dirimens, abſolutè tollere habilitatem ad contrahendum ſponſalia. Ratio eſt, quia ſponſalia ſunt promiſſio futuri matrimonij: ergo inhabiles ad matrimonium ſunt inhabiles ad ſponſalia. Firmatur, quia promiſſio rei impoſſibilis nulla eſt iure naturali, & poſitiuo, vt cum communi docet noſter Molina *de iuſtitia diſp.* 271.

2 *Secundò*, etiam eſt certum impedimentum perpetuum, etiamſi ſit tãtùm impediens, dummodo ſit verè impediens ſub culpâ, irrita reddere ſponſalia præcedentia. Patet, quia promiſſio rei illicitæ obligare non poteſt. Iure enim naturæ irritæ ſunt omnes promiſſiones, quarum impletio eſt illicita: quia nemo poteſt obligari ad peccatum. At dum adeſt impedimentum, verè ſub culpa impediens, vt habet illud qui vouit, v. g. caſtitatem perpetuam, eſt illicitum matrimonium, vt conſtat: ergo ſponſalia, quæ ſunt eius promiſſio, obligare nequeunt, ſed prorſus irrita erũt.

3 Dixi, ſi impedimentum ſiue dirimens, ſiue impediens perpetuum ſit: nam ſi ſit temporale tantùm, poteſt dari mutua promiſſio matrimonij contrahendi illo impedimento ſublato, & conſequenter poſſunt contrahi ſponſalia abſoluta: ſic impuberes contrahere poſſunt ſponſalia, cùm tamen pro tunc nequeant contrahere matrimonium. Similiter qui vouit caſtitatem per biennium, non poteſt licitè pro eo tempore matrimonium inire, validè tamen contrahit ſponſalia. Habentes autem impedimentum perpetuum, quod per diſpenſationem Pontificiam tolli poteſt, tametſi poſſint ſibi promittere matrimonium ſub ea conditione, ſi nimirum obtineatur Apoſtolica diſpenſatio; ea tamen promiſſio non eſt abſoluta, donec obtineatur diſpenſatio; valida verò eſt talis promiſſio, non tanquam omnino abſoluta, ſed tanquam conditionalis. Quamuis enim tempore contractus adſit impedimentum dirimens, nihilominus contractus ſub ea conditione celebratus differtur, & prorogatur ad tempus, quo ſponſalia erunt licita; nec aderit impedimentum; actus enim factus tempore inhabili, ſed relatus ad tempus habile, valet pro tempore habili, vt docent communiter Iuriſperiti. Cæterùm ea promiſſio matrimonij, tametſi referatur ad tempus, in quo non eſt futurum impedimentum, non eſt ſufficiens ad ſponſalia, quia ad iſta requiritur abſoluta promiſſio, qualis non eſt prædicta, quæ tantùm eſt valida ſub conditione, ſi obtineatur diſpenſatio. Vnde huiuſmodi contrahentes ante obtentam diſpenſationem non ſunt ſponſi, vt communiter ſentiut Doctores, & meritò, ex quo infero, non omnes, qui ſunt apti ad promittendum matrimonium, eſſe aptos ad ſponſalia, ſeu vt ſponſi ſint.

Hoc præmiſſo difficultas eſt, an habens votum caſtitatis, vel non nubendi, vel religionis, vel ſumendi Ordinem ſacrum, quod impedit matrimonium, & facit ſponſalia nulla, faciat etiam nulla, ſi virgini, vel aliæ fœminæ honeſtæ promittat matrimonium ſub conditione copulæ ſecutæ. Et procedit difficultas, quando virgo ignara eſt voti: nam ſi conſcia ſit voti, & obligationis ex eo conſurgentis, certum eſt, non teneri eam ducere, vel damnum reſarcire, quia tunc tale damnum mulieri debet imputari, cùm ſponte illud ſubire voluerit. Vnde malâ fide permiſit ſibi damnum illud inferri. Et ob eandem rationem is, qui poſt votum ſine promiſſione matrimonij, aut alterius rei defloravit volentem virginem ſiue conſciam, ſiue ignaram voti, non tenetur eam ducere, vel damnum reſarcire, quia ſcienti, & volenti damnum ſubire, nulla fit iniuria. 4

Ad difficultatem igitur illam propoſitam ſentiunt 5
Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 45. *n.* 3. Vaſquez *de reſtitut.* 13. §. 2. *dub.* 6. *n.* 20. Baſilius Ponce *lib.* 6. *c.* 12. *n.* 10. & alij, ſi quis poſt votum religionis, aut caſtitatis, virginem corrupit ſub ſpe, vel pacto coniugij, vel aliam fœminam honeſtæ famæ, teneri illam ducere, & conſummare, niſi ea gratis remittat obligationem, aut aliâ illi ſatisfactione præſtita, liberè conſentiat.

Probari poteſt *primo*, quia votum non obligat, quando ſuperuenit aliqua notabilis mutatio, vt docent communiter Doctores *tract. de voto*; hic autem notabiliſſima eſt mutatio, nam à vouente illatum eſt magnum damnum ab ipſo reſarciendum, vnde vinculum iuſtitiæ ſuperuenit fortiſſimum.

Secundò, obligatio iuſtitiæ reparandi damnum illatum fortior eſt, quàm obligatio voti, licèt ſit antiquior promiſſio, quàm damnificatio: ergo illa debet iſti præferri. Antecedens conſtat exemplis. Si Petrus promiſit Paulo, ſe daturum centum, & poſtea infert Ioanni damnum aliorum centum, vel quia illa furatus eſt, vel quia diſſipauit, aut aliud intulit damnum; ſi non poteſt vtrique obligationi ſatisfacere, nec poteſt, niſi centum ſoluere, quia alia non habet, tenetur damnum reparare, omiſſâ obligatione, & ſolutione promiſſionis, vel voti, etiamſi prior fuiſſet promiſſio dãno illato. Similiter ſi quis vouiſſet eleemoſynam, & poſtea damnum intuliſſet proximo, nec poſſet vtrique ſatisfacere, teneretur damnum reparare, nec ſoluere promiſſum. Et ratio videtur manifeſta, quia qui damnum infert, vſurpator eſt rei alienæ. At nullus poteſt vſurpare alienum ad ſoluendam promiſſionem: ergo non poteſt vſurpatum retinere, vel damnum illatum non reparare, quod eſt etiam alienum

re-

retinere, vt ſoluat de promiſſis; nam promiſſio intelligitur ſemper de propriis.

Ex hac doctrinâ infert Baſilius Ponce; in prædicto caſu defloratorem teneri diſpenſationem voti petere; ſiquidem poteſt, & cauſa ſubeſt, vt eam, quam corrupit, vxorem ducat. Imò & vt conſummet matrimonium, ſi aliter non reſarciatur perfectè damnum, quod prudentis arbitrio relinquendum eſt, quamuis in foro externo ſemper compelletur conſummare. In hac re

6 Dico *primò*, prædictum virum non teneri fœminam illam ducere. Hoc mihi videtur verius, hâc motus ratione, vt cum multis Doctoribus dixi in ſimili ſuprà *diſput. 2. ſect. 3. n. 2. & ſequentibus.* Moueor eâdem ſimili ratione. Quia prædictus non tenetur illam ducere ratione promiſſionis, quia fuit nulla, vtpote rei illicitæ, ratione voti præmiſſi: neque tenetur ratione damni illati, quia huic ſatisfieri poteſt ratione dotis, aut aliâ viâ: ergo non tenetur illam ducere.

7 Dico *ſecundò*, prædictum virum non teneri determinatè ſeruare votum, damnum compenſando; atque adeò poſſe eligere partem, quam voluerit, nempe aut eam ducere, aut ſeruare votum compenſando damnum. Ratio eſt, quia, vt latè tractatur in materia de voto, votum non obligat, quando res promiſſa fit notabiliter grauior, & durior, quàm erat tempore, quo fuit emiſſum votum; tunc enim obſeruatio voti eſt adeò difficilis, vt nemo intentionem habeat obligandi ſe ad voti obſeruationem cum diſcrimine magnæ iacturæ in temporalibus bonis, vt in præſenti contingit, in quo homo cum magno diſpendio pecuniæ ad compenſandum damnum illatum, obligetur ad ſeruandum votum, quod non emiſiſſet, ſi hoc damnum præuidiſſet. Nec valet dicere cum Hurtado *diſp. 1. diff. 21. n. 93.* tunc ob mutationem notabilem ſuperuenientem, qua impletio voti notabiliter fit durior, ceſſare obligationem voti, quando ea mutatio non fuit voluntaria ei, qui emiſit votum, ſed euenit ineuitabiliter, quod non contingit in præſenti. Non, inquam, valet: nam, vt rectè notauit Suarez *lib. 4. de voto, c. 19. n. 7.* quandocunque tanta eſt mutatio in voto ex parte materiæ eius in ordine ad poteſtatem vouentis, vt ſi à principio extitiſſet, homo non vouiſſet; ſufficit etiam poſtea ad tollendam eius obligationem, ſiue mutatio illa fuerit voluntaria, ſiue inuoluntaria, & ſiue fuerit præuiſa, ſiue non, atque adeò ſiue fuerit cum culpâ, ſiue ſine illâ. Et ratio eſt, quia culpa præcedens non relinquit aliam obligationem, niſi faciendi pœnitentiam, & poſtea non excuſat culpa præcedens, ſed impotentia moralis, ſeu grauis difficultas præſens. Vt in eo, qui habens votum caſtitatis duxit vxorem, non peccat reddendo debitum, tametſi peccauerit mutando ſtatum.

8 Dico *tertiò*, ſi prædictus vir deflorator, damno illato fœminæ, nequit aliâ viâ ſatisfacere, vel illud compenſare, niſi ducendo illam, tenetur contrahere matrimonium cum illa. Ita Doctores ſuprà citati *num. 5.* & etiam Hurtado relatus *n. 92.* Idque probat egregiè ſecunda ratio aduerſariorum, quia ſcilicet votum non obligat, nec obligare poteſt cum damno notabili debiti alteri ex iuſtitia. In præſenti autem caſu, ſæpè impleri poteſt votum caſtitatis, licèt non teneatur, abſque damno defloratæ, quando aliâ viâ, quàm ducendo illam, poteſt ei ſatisfieri, vt ſæpè poteſt. Cæterùm quando in aliquo peculiari caſu non poſſet ei ſatisfieri, niſi eam ducendo; tunc erit obligatio eam ducendi, & tunc votum non obligabit quoad redditionem debiti coniugalis, etiam ſi quoad petitionem obligaret.

Ex dictis colligo contra Baſilium Ponce *citatum*, 9
huiuſmodi virum, licèt poſſit, & adſit ſufficiens cauſa, non tamen teneri diſpenſationem petere voti, quia diſpenſatio non requiritur, quando non obligat votum; at in præſenti ratione prædictæ notabilis mutationis ceſſat, vel ſuſpenditur obligatio voti, ſi prædictus nubere velit. Dico ceſſare, aut ſuſpendi, quia tunc votum ſimplex, non extinguitur, ſed ſuſpenditur ob iuſtam cauſam ejus obligatio, & executio. Atque adeò mortuâ vxore tenebitur ſeruare votum, cùm poſſit, niſi adſit rationabilis cauſa non ſeruandi.

Placet quod aduertit Hurtadus relatus *n. 92.* ſi co- 10
pula erat occulta, & à viro cautè facta, neque ab eo publicata; virgo tamen abſque rationabili cauſa eam publicauit, & ſic ſe ipſam infamauit, quo etiam non æquè benè nubet, niſi maiori dote; tunc deflorator ſolùm tenebitur ad ſatisfaciendum damnum deflorationis, ita ſufficienter, vt deflorata poſſit æquè benè nubere, ac nuberet, ſi defloratio ſecreta eſſet.

SECTIO II.

Vtrùm inter impedimenta numeranda ſint ſponſalia clandeſtina, an potiùs iſta licita ſint.

SPonſalia clandeſtina dicuntur, quæ non fiunt co- 1
ram Parocho, & aliis duobus, vel tribus teſtibus de quibus Matienzo, Albornoz, & Menoch. relati à Sanchez *lib. 1. diſp. 12.* dicunt eſſe nulla.

Primò, ex *l. oratio. ff. de ſponſalibus*, vbi dicitur. Oratio, quæ quaſdam nuptias ſenatorum inhibuit, de ſponſalibus nihil locura eſt: rectè tamen dicitur, ſponſalia in his caſibus ipſo iure nullius eſſe momenti. Igitur eo ipſo, quòd nuptias Tridentinum irritauerit ſine Parocho, & teſtibus, pariter etiam ſponſalia irritauit.

Secundò, inhabilis ad matrimonium, eſt inhabilis ad ſponſalia; ſed vbi Tridentinum eſt publicatum, quiuis eſt inhabilis ad matrimonium clandeſtinè contrahendum; ergo & ad ſponſalia clandeſtinè contrahenda.

Communiter Doctores, quos refert, & ſequitur 2
Sanchez *citatus*, ſentiunt valida eſſe. Et ratio eſſe poteſt, quia ſponſalia clandeſtina non ſunt irrita iure naturali, vt conſtat; neque aliquo iure poſitiuo; quia ſi aliquo, maximè Tridentini; eo autem non irritatur, niſi matrimonium, vt liquet ex ipſo decreto Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. de reformatione matrimonij cap. 1.* firmatur, nam lex Tridentini irritans matrimonium clandeſtinum, eſt correctiua iuris communis: ergo non eſt extendenda vltra caſum expreſſum, *l. præcipimus. C. de appellatio.* Ergo cùm lex. Tridentini ſolùm irritet matrimonium clandeſtinum, non eſt cur extendatur ad ſponſalia clandeſtina, quæ ſecundùm ius antiquum valida ſunr. Præſertim cùm non militet eadem ratio prohibendi; nam cauſa irritandi matrimonium clandeſtinum fuit, vt frequentes concubinatus irritarentur. Nam contrahens quis priùs clam matrimonium, & poſtea contrahens aliud publicè, cùm de priori matrimonio Eccleſiæ non conſtaret, cogebatur ad ſecundum, quod verè concubinatus erat. Quæ cauſa non militat in ſponſalibus, nam matrimonium contractum prioribus ſponſalibus contemptis, validum eſt.

Hanc ſententiam iudico veriorem. Ad cuius ma- 3

iorem explicationem,

3 Dico *primò*, promiſſionem contrahendi clandeſtinè matrimonium, particulâ *clandeſtinè*, cadente ſupra contractum matrimonij, eſſe omnino nullam. Hoc eſt certum, & ab omnibus receptum; quia promiſſio contrahendi matrimonium clandeſtinè, eſt promiſſio rei illicitæ, ac prohibitæ, vt conſtat: ergo eſt nulla. Atque hoc probant argumenta primæ ſententiæ, præcipuè lex illa, *oratio*, vbi expreſsè dicitur, orationem, ſeu legem prohibentem, irritantem matrimonium, etiam irritare promiſſionem efficiendi tali modo matrimonium. Vnde in hoc ſenſu, qui eſt inhabilis ad matrimonium, etiam eſt inhabilis ad ſponſalia, ſeu ad promiſſionem contrahendi matrimonium eo modo, quo inualidè contrahitur. Quare ſponſalia, quæ ſunt promiſſio non publicè, & ſolemniter, ſed clandeſtinè contrahendi matrimoniũ irrita ſunt, & nulla.

4 Dico *ſecundò*, ſponſalia, quæ ſunt promiſſio clandeſtina contrahendi ſolemniter & publicè matrimonium, valida ſunt. Ita, vt dixi, communis ſententia Doctorum, & ratio in eius confirmationem adducta rectè ſuadet.

5 Dico *tertiò*, hæc clandeſtina ſponſalia non ſolùm valida eſſe, ſed etiam licita. Ita Sanchez *lib. 1. diſp.* 13. cum aliis, quos ipſe citat. Coninch *diſp.* 21. *dub.* 2. *n.* 21. Gaſpar Hurtado *diſp.* 1. *difficultate* 16. *n.* 69. & communiter omnes Recentiores. Ratio eſt, quia cùm iſta ſponſalia ex naturâ ſuâ non ſint illicita, nec vllo iure poſitiuo ſint prohibita, nihil eſt cur dicamus, abſolutè eſſe illicita. Ex eo autem quòd matrimonium clandeſtinum ſit prohibitum, tantùm ſit, ſponſalia ordinata ad matrimonium clandeſtinum eſſe prohibita, quamuis ſint publica; idque, vt dixi, tantùm continetur in dicta *l. oratio*. Notat benè Coninch relatus, & alij; nihilominus eiuſmodi ſponſalia clandeſtina eſſe omnino diſſuadenda, cùm ſæpiùs fiant ſine debita circumſpectione, & prudentiâ, atque ideo ea contraxiſſe ſponſos mox valde pœniteat.

6 Adde extare in confirmationem noſtræ ſententiæ declarationem Congregationis Cardinalium apud Rebellum *ad finem lib* 4. *ſect.* 3. *n.* 56. ſic dicentem. Clandeſtina matrimonia hîc (id eſt, in Tridentino) ſolùm prohibentur; non autem illæ promiſſiones, quæ matrimonia præcedere ſolent, quæ factæ ſeruandæ ſunt, ſicut ante Concilium. Et *in eâdem ſect.* 3. *n* 49. idem dicitur à ſacrâ Congregatione declaratum, his verbis. *Decretum hoc, quo ſtatuitur, vt matrimonij contractus fiant ſolemniter coram Parocho, & teſtibus, habet dumtaxat locum in matrimonio per verba de præſenti; non autem cùm ſponſalia per verba de futuro contrahuntur.*

Sectio III.

An notabilis diſparitas inter contrahentes, diſparitatis conſcios, irritet ſponſalia.

1 Notabilem diſparitatem ſtatus, & conditionis contrahentium ſponſalia ſentiunt nonnulli irrita reddere illa.

Primò, quia ſi quis prodigè meretrici ſpondeat pro corporis vſu, non tenetur implere ita prodigè, cùm ſit peccatum, vt docent Sotus *lib. 4. de iuſtitia. q. 7. a. 1. ad* 2. Salon 2. 2. *q.* 62. *a.* 5. *controuerſ.* 4. *poſt* 2. *concluſionem*. §. *Ex quo ſequitur*, & alij. Sed promiſſio matrimonij facta notabiliter in pari eſt prodiga: ergo non obligat.

Secundò, quoties in contractu eſt notabilis inæqualitas pretij, reſcindendus eſt; qui enim promittit centum aureos per modum contractus, & pretij pro vno ouo, non tenetur totum ſoluere, ſed iuſtum, & æquale pretium: ergo neque erit obligatio adimplendi matrimonij promiſſionem factam notabiliter impari.

Verius iudicio cum Sanchez *lib. 1. diſp.* 14. Corduba, Molina, & aliis, quos ipſe refert, valida eſſe 2
prædicta ſponſalia, niſi ſcandalum magnum inde oriatur. Fauet praxis Eccleſiæ cogentis ſeruare fidem horum ſponſalium. Ratione firmo, quia cùm contrahens ſit ſui iuris, & ſciens, ac videns notabilem diſparitatem, & exceſſum, nihilominus promittat matrimonium, cenſetur liberè cedere iuri ſuo, & liberaliter donare exceſſum illum. Roboratur, quia etiam promiſſio prodiga licèt facta fuerit cum peccato, poſtquam iam eſt acceptata, & contracta obligat in executione, quia prodiga largitio, quæ eſt executio promiſſionis, licèt ſit peccatum, cùm quis non eſt ad illam adſtrictus; at poſtquam ſe obligauit promiſſione, vel iuramento, eſt adimpletio debiti iam contracti, & actus honeſtus fidelitatis, vel iuſtitiæ, vel religionis; ergo tametſi puella nobilis, v. g. contra voluntatem parentum promittens nuptias ignobili, ſeu plebeio, & pauperi, peccet promittendo; tamen niſi ſcandalum magnum inde oriatur, verè obligatur, & tenetur implere: multa enim imprudenter, & cum peccato fiunt, quæ facta tenent. Conſtat enim ex communi omnium ſententia in materiâ de promiſſione, quamuis non ſit valida promiſſio mercedis pro peccato, v. g. homicidij, vel fornicationis patrando, antequam patretur cùm ſit illicita omnino, vtpote prouocans ad malum; attamen poſt peccatum patratum obligat in conſcientiâ, quoniam tunc licita eſt promiſſionis adimpletio, hoc eſt, mercedis ſolutio, non quidem ad complacendum in peccato præterito, ſed ad fidem datam liberandam. Adiungo rationem aliam ſpecialem in matrimonio, quia nimirum, cùm ad ſubſtantiam matrimonij ex parte materiæ, de qua contrahitur, ſola ſpectent corpora coniugum apta ad generationis actum; nobilitas autem, diuitiæ, cæteraque id genus bona ſint extra ſubſtantiam hanc, eique prorſus accidentaria; non poteſt eſſe, aut dici inæqualitas ſubſtantialis, aut in promiſſione, aut in ipſo matrimonij contractu, ex eo quòd alter contrahentium nobilior, aut ditior ſit alio, & ita non poteſt eſſe nullus contractus, cùm intra proprium genus, & ſubſtantiam ipſius contractus omnem æqualitatem, & cætera requiſita contineat. Hac ratione vtitur egregiè Vaſquez *de matrimonij ſacramento diſp* 6. *c.* 4. *n.* 44. Dixi in concluſione, *niſi ſcandalum magnum inde oriatur.* Nam virtus iuſtitiæ obligare nequit ad actum, qui ſine peccato impleri non poteſt, vt eſt certum; at contrahere matrimonium cum magno illo ſcandalo eſt culpa lethalis, cùm notabiliter charitas proximi lædatur, & cognatorum amicitia diſſoluatur. Idem dic quoties eſt timor probabilis peſſimi exitus, vt odij capitalis inter ipſos contrahentes. Cautè tamen conſiderandum eſt prædictum ſcandalum; nam ſæpè vanæ minæ iactantur, & diſcordiarum pericula intentantur; quæ tamen vbi deferuit ille impetus, & matrimonium eſt iam celebratum, in nihilum reciduot, & facilè animi conciliantur, vt quotidiano experimento comprobatur.

Hinc colligo, poſſe patrem impedire ſponſalia 3
filij, vel filiæ contra eius voluntatem inita, interueniente

niente prædicto graui ſcandalo, non verò aliàs; quia cùm filius teneatur fidem ſeruare, non poteſt pater tutâ conſcientiâ impedire, ne filius exequatur quod debet.

Ad argumenta oppoſita.

4 Ad primum admitto libenter, ſi quis meretrici nolenti ſui corporis copiam facere, rem magni pretij, & valoris promiſiſſet ac proinde non teneri ad reddendum, ſed ſatis eſſe ſi pretium commune pro eo actu redderet, atque ita in foro exteriori iudicandum cenſeo; cuius rei ratio hæc eſt, quia in eo caſu vir ſolùm vt ſuæ ſatis faciat delectationi, non potens rem aliter obtinere, vltrò tradere voluit, id quod maioris valoris erat, vnde id liberali animo non præſtitit, ſed ſolùm, vt ſuæ proſpiceret cupiditati. Quare non promittit in eo euentu animo liberè donandi, ſeu faciendi exceſſus donationem, ſed tantùm promittit per modum pretij. Quòd ſi promiſſio ex liberalitate procederet, tametſi in tali promiſſione fuiſſet peccatum aliquod prodigalitatis, tamen in executione illius nulla eſſet prodigalitas, ſed adimpletio debiti iam contracti; & ideò teneret in conſcientiâ integrè eam implere.

5 Ad ſecundum ſimiliter dico, antecedens eſſe verum, quia illud promittitur per modum pretij, ſine vllâ voluntate donandi exceſſum. At in noſtro caſu nullus eſt exceſſus in contractu, ſed eſt intra proprium genus omnis æqualitas, & cætera continens requiſita. Et quamuis ſit diſparitas notabilis, & exceſſus extrinſecus, & accidentarius, contrahens cognoſcens diſparitatem hanc, non promittit matrimonium per modum pretij, ſed animo liberè donandi, vult liberè cedere iuri ſuo, & exceſſus donationem facere.

Sectio IV.

An ſponſalia debeant fieri in determinatam perſonam.

1 Communis ſententia meritò affirmat, ſponſalia neceſſe ferri debere in determinatam perſonam; quia ſicut matrimonium non eſt, niſi cum determinatâ perſonâ, ita neque ſponſalia, quæ ſunt via ad illud. Firmo, quia ſponſalia per ſe ordinantur ad matrimonium: ergo debent habere proportionem cum illo: ergo ſicut matrimonium debet eſſe vnius ad vnam certam, & determinatam, ita & ſponſalia.

2 Præterea, certum eſt ex veris, & perfectis ſponſalibus naſci impedimentum publicæ honeſtatis, vt oſtendam infrà. At hoc impedimentum non oritur ex ſponſalibus incertis, qualia ſunt, quæ non feruntur in determinatam perſonam, vt expreſsè habetur *cap. vnico, de ſponſalibus, & matrimoniis in 6.* vbi Bonifacius VIII ſic ait: *ex ſponſalibus conditionatis ante conditionem extantem, ſicuti & incertis, nulla publicæ honeſtatis iuſtitia oritur.* Igitur ſponſalia eiuſmodi indeterminata, ſeu incerta, non ſunt propriè, & perfectè ſponſalia, ſed ſunt conditionata potiùs, ad eligendum ſcilicet in futurum vnam ex illis, quibus ſub diſiunctione facta eſt promiſſio. Hinc

3 Colligo *primò*, ſponſalia incerta reddi certa, & perfecta per determinationem, & electionem promiſſoris, quâ poſitâ ſtatim inducitur impedimentum publicæ honeſtatis.

4 Colligo *ſecundò*, non contrahi ſponſalia, cùm quis promittit contrahere matrimonium cum eâ filiâ, quam pater elegerit. Quia ſic non contrahit cum determinatâ perſonâ, ſimiliter non eſt contractus ſponſalitius propter eandem rationem, cùm pater promittit alicui, ſe vnam ex pluribus filiabus daturum, & alius acceptat.

Colligo *tertiò* ſponſalia diſiunctiua vt ſic, non eſſe propriè, & ſimpliciter ſponſalia, ſed talia fieri per electionem promiſſoris exteriùs explicatam. Vt cùm quis, v.g. præſentibus plurimis fœminis, ſiue ſorores ſint, ſiue non, dicit, Promitto me ducturum aliquam ex vobis, quam elegero, & omnes pariter repromittunt ſub diſiunctione; iſta ſunt ſponſalia diſiunctiua. In hoc ergo euentu conſtat primum, nempe talia ſponſalia, non eſſe ſimpliciter talia, quia inuoluunt tacitam conditionem eligendi poſtea vnam ex illis fœminis, atque adeò non ſunt propriè ſponſalia ante impletam conditionem, ſeu ante ipſam electionem. Ea tamen poſitâ redduntur abſoluta, quod eſt ſecundum. Nam per electionem promiſſoris iam determinatur vna certa perſona ex illis, quibus ſub diſiunctione facta fuerat promiſſio, & impletur conditio; nihil ergo obſtat, quo minus fiant propria ſponſalia. Dixi *per electionem promiſſoris*, quia in omni promiſſione alternatiuâ ſiue cum diuerſæ res ſub diſiunctione debentur, ad primum promiſſorem, ſeu debitorem ſpectat eligere: *reg. in alternatiuis 70. de regulis iuris in 6.* Dixi prætereà *per electionem promiſſoris exteriùs explicatam*, quia tametſi in mente certam ſibi eligere ex illis ſtatueret, modò id nullo externo ſigno ſignificaret, non fierent propria ſponſalia; quia ad iſta requiritur, vt non ſolùm interiùs, ſed etiam exteriùs determinetur certa perſona. 5

6 Colligo *quartò*, patrem promittentem Petro vnam ex ſuis filiabus in matrimonium, ſi Petrus reſpuat, quam offert, non teneri alteram tradere, quia electio eſt primi promittentis, vt antè dixi. Quòd ſi antequam vllam offerret, omnes præter vnam morerentur, teneri ad ſuperſtitem tradendam, etiam ſi dum promiſit, non habuiſſet animum dandi illam, ſed aliam: quia nequit alio pacto implere promiſſionem. Quod intellige, ſi abſolutè promiſit, volens ſe obligare abſoluté ad dandam vnam, licèt decreuerit mente dare certam, & determinatam. Per hanc enim impletur promiſſio, vti in eâ incluſa.

7 Colligo *quintò*, ſi ſponſus cognouit aliquam ex filiabus ſub diſiunctione promiſſis, niſi filia cognita contraxerit determinatè ſponſalia cum illo, patrem nec illam, nec aliam teneri tradere. Patet, quia non poteſt aliam dare, quoniam ob copulam habitam cum vnâ, ortum eſt impedimentum affinitatis cum aliis; non illam, quia liberum erat patri dare quam vellet: non enim priuari debet iure, & libertate ſuâ, & facultate ob delictum alterius. Similiter, ſi ſponſus vnam ex filiabus à patre electam reſpuat, non tenetur pater tradere alteram, etiam ſi ſponſus nullam carnaliter cognouerit; quia electio pertinet ad patrem, qui promiſit, nec per ipſum ſtat, ne aliquam tradat.

8 Colligo *ſextò*, ſi pater promittat Petro Mariam filiam, & caſu, quo nequeat, eius ſororem Franciſcam; tenetur tradere Mariam: ſi verò non poſſit, aut Maria tacitè, vel expreſsè conſenſit ſponſalibus, non ſub conditione, ſicut pater pollicitus fuerat, ſed abſoluté, tunc non poteſt Franciſcam tradere propter impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex prioribus ſponſalibus abſolutis, & validis; ſi verò Maria non conſenſit, vel tantùm ſub conditione, quæ impleta non eſt, tenetur tunc Franciſcam dare iuxta promiſſa, cùm nullum publicæ honeſtatis impedimentum obſtet, iuxta caput prædictum, *de ſponſalibus in 6.*

9 Colligo *vltimò*, ſi quis promittat vnam ex pluribus

bus conſentientibus ducere, poteſt eligere, quam maluerit, & electa tenebitur, quia omnes illæ repromiſerunt, & promiſſoris primi eſt electiu, vt dictum eſt. Quare ſi promiſſio cœpit à patre, eius eſt electio, & alter repromittens tenetur illam ducere. Econtra verò dicendum, ſi ab alio cœpit promiſſio. Nam priori caſu pater eſt primus promiſſor; poſteriori verò alius, & ſemper primi promittentis eſt electio. Videantur dicta ſuprà *diſp. 4. ſect. 5.*

Sectio V.

Quænam deſideretur ætas in contrahentibus, vt habiles ſint ad ſponſalia.

1 Certum eſt *primò*, apud omnes ad ſponſalium valorem requiri perfectum rationis vſum, iure naturæ, & poſitiuo. Patet, quia illo deficiente non datur contractus humanus. Videantur dicta ſuprà *diſp. 1. ſect. 3. n. 5.*

2 Certum eſt *ſecundo*, de iure Canonico, ſeu Eccleſiaſtico ad ſponſalia requiri ſeptennium completum. Ita conſtat ex *cap. literas, & cap. acceſſit, de deſponſatione impuberum, & cap. vnico, eodem titulo in 6.* Et ratio eſt, quia ſeptennio completo regulariter adeſt ſemper vſus rationis, & libertas, quæ iure naturali requiritur ad hunc contractum. Vnde regulariter ante eam ætatem non eſt vſus rationis perfectus, qui iure naturæ eſt requiſitus.

Difficultas eſt inter Doctores, an ad valorem ſponſalium requiratur prædicta ætas mathematicè completa; an ſufficiat moraliter compleuiſſe ſeptimum annum, tametſi contrahentibus octo, vel decem dies deſiderentur.

3 Nam Rebellus *lib. 4. q. 5. n. 2.* & alij ſecuti Sotum *in 4. ſt. 27. q. 1. a. 2.* valida iudicant ſponſalia, etiam in foro externo, tametſi octo, decemve dies ad complendum ſeptennium deſint. Probant, quia quod parum diſtat, nihil diſtare videtur, ex Ariſtotele *1. Phyſ.* & ex Iuriſperitis, parum, & nihil æquiparantur in iure.

4 Gaſpar Hurtadus *diſp. 1. diffic. 14.* requirit ætatem ſeptennij adeò mathematicè, & perfectè completam, vt nec vnum inſtans deſideretur. Probat, quia ſicut pretium rei iure præſcriptum conſiſtit in indiuiſibili; ita etiam ætas iure præſcripta; ideo enim præſcribuntur iure, ne quiſquam poſſit illa ſuo priuato iudicio mutare; poſſet autem ſi illa poſtquam iure præſcripta ſunt, non conſiſterent in indiuiſibili. Vnde ſubdit regulam prædictam, *Quod parum diſtat, nihil diſtare videtur*, non habere locum in termino præſcripto à iure, quia eo ipſo conſiſtit in indiuiſibili, & ad id præſcribitur. Quare negat ſufficere vltimum diem ſeptennij eſſe inceptum, quia quouſque completus ſit talis dies, non eſt ſeptennium mathematicè completum, nec conſiſtens in indiuiſibili. Quod amplius probari poteſt, quia profeſſio Religioſorum non eſt valida, niſi annus ſit perfectè, ac mathematicè completus, & idem eſt de anno nouitiatus: ergo ſimiliter in præſenti contractu ſponſalitio.

5 Dico *primò*, exigi ad contrahenda ſponſalia ſeptennium metaphyſicè completum, vbi de malitiâ ætatem ſupplente non conſtaret. Ita communiter Doctores, vt benè Sanchez *lib. 1. diſp. 16. n. 4.* Et probatur, tum quia vel vnâ die deficiente verè non diceretur ſeptennium completum, ſed inceptum: at ſeptennium completum deſideratur in ſponſalibus contrahendis, vt cõſtat ex capitibus allegatis. Et ratio deſignatur optima à Doctoribus, quia ſeptennio completo, incipit communiter rationis vſus, & libertas. Tum etiam, quia ad teſtamentum, in quo requiruntur quatuordecim anni completi, ſi vna dies deeſſet, non valeret teſtamentum, vt conſtat ex *l. qua ætate, de teſtamentis.*

Dico *ſecundò*, ſufficere ſi vltima ſeptennij dies non ſit completa, ſed incepta, & hoc fauore matrimonij. Ita Sanchez citatus *n. 2.* Baſilius *lib. 12. c. 5. n. 3.* & alij. Ratio eſt, quia non minus fauorabile eſt matrimonium, quàm teſtamentum; ſed ad teſtamentum vltima dies incepta cenſetur pro completa, vt ſtatuitur *l. qua ætate, citata*: ergo. Ex his 6

Colligo *primò*, ideò definiri ſeptennium tam in viro, quàm in fœmina, quia cùm ad ſponſalia ſufficiat vſus rationis, ſeptennio iam frequens eſt rationis vſus. Quòd ſi ſeptennio nondum illuxerit rationis vſus, ſponſalia nulla ſunt: quia debent eſſe cum deliberatione; contractus enim, & promiſſio eſt actus humanus, qui rationis vſum ſupponit. 7

Colligo *ſecundò*, rationem, cur ius Canonicum eandem ætatem ad ſponſalia in viris, & fœminis præſcripſerit, cùm tamen diuerſam ad matrimonium petat, nempe in fœminis duodecim annos, & in viris quatuordecim; quia nimirum ad ſponſalia ſufficit rationis vſus, qui eodem tempore viris, & fœminis aduenit frequenter; ad matrimonium verò potentia generandi deſideratur, quæ tardius in viris reperitur. 8

Colligo *tertiò*, ſponſalia ob defectum ætatis, vel vſus rationis nulla, poſſe poſtea fieri valida, ſi poſt legitimam ætatem, & vſum rationis expreſſè, vel tacitè ratificentur à ſponſis. Quod fit conſentiendo de nouo, vel ſimul habitando, vel ſibi oſcula tanquam ſponſis impingendo, vel mittendo munera, quæ à ſponſis mitti conſueuerunt; modò ſponſi ſciant à ſe ipſis antea [illegible] ſponſalia fuiſſe inualida. Quòd ſi neſciant ſponſalia fuiſſe inualida, non fient valida per ratificationem: ſicut etiam ad ratificandam profeſſionem, vel votum inualidum, requiritur in ratificante ſcientia voti facti, vel profeſſionis, & nullitatis eius. Vnde, ſi quis ex errore, quo putat, priora ſponſalia fuiſſe valida, ea ratificet, nihil prorſus efficiet; & pariter ſi ex dubio de valore eorum ea ratificet, non tenebitur, vbi nouerit fuiſſe nulla, quia ea ratificatio fuit ex errore, nec præſumenda eſt voluntas ſe obligandi abſoluta, ſed ſolùm ex ſuppoſitione falſa valoris priorum ſponſalium; niſi conſtet voluiſſe ita ſe obligare, etiam ſi ſciret priora ſponſalia fuiſſe nulla. 9

Ad dictum Rebelli iam conſtat, hîc etiam habere locum illam vulgarem regulam, *Parum pro nihilo reputatur*, cùm non exigatur, vt vltima ſeptennij dies ſit completa. Et quamuis verum ſit, quando iura alicui rei, vel actioni præſcribunt certum pretium, id conſiſtere omnino in indiuiſibili, nec quiſquam poſſit ſuo iudicio illud mutare. Veruntamen in aliis rebus ob fauorem publici boni datur latitudo, & non reducitur res ad indiuiſibile punctum. 10

Ad ſententiam Hurtado iam eſt oſtenſum, cur ſufficiat vltimus dies ſeptennij inceptus; quia eodem modo requiritur ætas ſeptem annorum ad ſponſalia, ſicut requiritur in maribus ætas quatuordecim annorum ad condendum teſtamentum; cumque ſit manifeſtum ad hoc ſufficere inchoaſſe vltimum diem anni decimiquarti in fauorem teſtamenti, idem ſufficit in ſponſalibus, quæ non ſunt minus fauorabilia. 11

Ad rationem illam diſparitatem aſſigno: nam ideo vt profeſſio valida ſit, petit decimumſextum ætatis annum

Digitized by Google

annum completum, iuxta Tridentinum *ſeſſ.25. de Regular. c.15.* & annum illum de momento ad momentum complendum eſſe, quia id Tridentinum decreuit in fauorem minoris ætatis, vbi in ſimili de ætate minori diſponitur expreſsè *l. 3. § in norem, ff. de minoribus.* Imò & ipſius religionis cenſeo eſſe fauorem, quia cùm ſit ſtatus perfectiſſimus, fauor ipſius eſt, vt aſſumatur ætas, in qua plenior eſt deliberatio. Quod non ita contingit in ſponſalibus, in quibus non aſſignatur tempus fauore minoris ætatis, ſed matrimonij, & ſtatus iſte eſt longè inferior.

SECTIO VI.

An ſi malitia ſuppleat ætatem, valida ſint ſponſalia.

IN præſenti materiâ, malitia nihil eſt aliud, quàm diſcretio, ſeu vſus rationis perfectus. Quærimus ergo, an ſi vſus rationis ante præſcriptum tempus ſeptennij reperiatur, valida ſint ſponſalia.

1 Partem negantem defendunt Abbas *in cap. iuuenis, de ſponſalibus,* Angelus *verb. ſponſalia, n.5.* Roſella *verb. impedimentum,* & Gaſpar Hurtado *diſp.1. diffic.14 num. 61.* Probari poteſt,

Primo, quia *in cap. litteras, de deſponſatione impuberum,* Alexander III. reſpondet, puberem qui puellam minorem ſeptem, ſibi deſponſauerat, poſſe matrem puellæ in vxorem accipere, quia, vt notat Gloſſa, eiuſmodi deſponſationes, quæ infra ſeptimum annum fiunt, nullæ ſunt: ergo ſignum eſt malitiam non ſupplere ætatem, nam ſi ſuppleret, non poſſet matrem ducere ob impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus cum puellâ filiâ.

Secundò, vbi certa ætas à iure præſcribitur, præueniri nequit, vt conſtat in profeſſione.

Tertiò, ſi ſponſalia eſſent valida ante ſeptennium, fruſtrà præſcriberet ius ſeptennium. Patet, quia ſi ante ſeptennium eſt vſus rationis, valida ſunt ſponſalia ſecundùm oppſitam ſententiam, & poſt ſeptennium, ſi non eſt talis vſus rationis, non ſunt valida. ergo ad nihil deſeruit dicta iuris diſpoſitio.

Quartò, quamuis pro matrimonio ſtatutum ſit in iure malitiam ſupplere ætatem, non tamen pro ſponſalibus: ergo cùm exceptio non ſit pro ſponſalibus, & ius requirat ſeptennium completum, ante hoc tempus non erunt valida. Firmatur, nam contra ius ipſum abſolutè abſque exceptione requirens ſeptennium ad valorem ſponſalium, admittitur dicta exceptio, quæ non fuit facta à iure: quia fruſtrà fuiſſet facta dicta præſcriptio ætatis pro ſponſalibus, quæ non ſit fruſtrà in matrimonio: malitia enim ſupplens ætatem in matrimonio, non tantùm eſt vſus rationis perfectus, vt eſt in ſponſalibus, ſed etiam potentia ad generandum expedita, quæ non ſolet eſſe expedita ante ætatem requiſitam pro matrimonio; ac proinde, ſi ante eam eſt vſus rationis perfectus, & potentiæ expedita, validè fiet matrimonium, & poſt eam etiam validè fit, ſi ſit vſus rationis perfectus, quamuis non ſit potentia ad generandum expedita.

Vltimò, fieret valida eſſe ſponſalia in quacunque ætate contracta, ſi viâ ordinariâ, vel miraculosè vſus rationis acceleraretur. Quod tamen non videtur cenſendum; nam in matrimonio non ſatis eſt, vt malitia ſuppleat ætatem, id eſt, vt potentia generatiua reperiatur ante pubertatem, ſed requiritur etiam diſcretio, & prudentia ad coniugalem conſenſum, vt conſtat ex *cap. finali, de deſponſatione impuberum,* vbi hęc malitia vocatur prudentia: ergo ſimiliter in ſponſalibus non ſatis erit quilibet vſus rationis, ſed ille qui ſeptennio proximè accedit.

Dico *primò*, valere ſponſalia ante ſeptennium, ſi eo tempore rationis vſus contrahentibus adſit. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 17. q. 1. a. 1. a. 7.* Sotus, Gutierrez, & multi alij, quos refert, & ſequitur Sanchez *diſp. 16. n. 9.* Rebellus, Layman, & alij quamplurimi. Moueor *primò*, quia in matrimonio malitia ſupplet ætatem ad validè contrahendum matrimonium, ex *cap. de illis, de deſponſatione impuberum, & cap. vltimo, eodem titulo in 6.* ergo & in ſponſalibus, quæ matrimonium præcedunt, vt diſpoſitio ad formam, & via ad terminum: ideoque debent matrimonij leges ſequi. Patet conſequentia, quia ideo in matrimonio malitia ſupplet ætatem, quia potentia generandi, quam ius requirit ad matrimonium, ſolet aliquando anticipari ante ætatem à iure præſcriptam, ſed pariter vſus rationis, quem ius requirit ad ſponſalia ſolet aliquando anticipari ante ætatem à iure præſcriptam: ergo ſupplebit ætatem. *Secundò*. Idem videtur conſtare ex capite *iuuenis, de ſponſalibus*; vbi narratur iuuenem contraxiſſe ſponſalia cum conſobrinâ cuiuſdam puellæ, quam priùs ante ſeptennium duxerat, & copulam tentauit, & complere non potuit. Et declarat Pontifex matrimonium cum conſobrinâ eſſe inualidum ob impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus priùs contractis cum puella. Hinc autem manifeſtè probo intentum, nam publica honeſtas non oritur ex ſponſalibus inualidis ex defectu conſenſus, vt patet ex *cap. vnico, de ſponſalibus in 6.* ergo ſi orta fuit ex ſponſalibus cum illâ puellâ ante ſeptennium, habebat illa vſum rationis, & perfectum conſenſum, ſine quo eſſe non poſſunt ſponſalia: ergo vſus rationis ante ſeptennium, etiam iure Canonico, ſufficit ad ſponſalia, & conſequenter malitia ſupplet ætatem.

Dico *ſecundò*: Quocumque tempore plenus rationis vſus ſeptimum ætatis annum præuenerit, ſiue id naturaliter, ſiue miraculosè contigerit, valida eſſe ſponſalia. Ita Sanchez *citatus*, cum aliis *n. 14.* & Mæracius *diſp. 12. ſect. 9. n. 4.* Ratio eſt, quia iura non determinant contrahendis ſponſalibus ſeptimum ætatis annum completum, niſi quia requirunt vt pleno rationis vſu contrahantur; plenus autem vſus rationis tunc incipere ſolet, nec citiùs, nec tardiùs vtplurimum: ergo ſi tam plenus eſt ſiue naturaliter, ſiue per miraculum in puero procul diſtante à ſeptennio, quàm in illo, qui vicinus eſt ei, aut qui attigit, aut etiam eſt prætereuectus, ſicut tam in illo, quàm in hoc reperitur tota ratio præfixi temporis ad ſponſalia contrahenda; ita tam ab illo, quàm ab hoc validè contrahentur.

Dico *tertiò*, ad ſponſalia validè contrahenda ſufficere illum rationis, & libertatis vſum, qui ad lethale peccatum ſufficit. Ita Doctores communiter, præſertim illi, qui docent, vſu rationis præueniente ſeptimum ætatis annum validè ſponſalia ante hoc tempus contrahi. Sequitur etiam Sanchez relatus *n. 16.* & Mætacius *n. 7. & 8* Contrarium tenent Henriquez *lib. 11. c. 13. n. 9.* Rebellus *2. p. lib. 4. q. 5. n. 1.* Bonacina *q. 1. puncto 4. n. 4.* Quia ad peccatum mortale ſufficit conſenſus, & aduertentia mali præſentis; ad ſponſalia verò requiritur cognitio futurorum, cùm ſponſalia ſint promiſſio futuri matrimonij. At maior requiritur vſus rationis ad prouidentiam futurorum, quàm ad conſenſum alicuius actus præſentis. Cæterùm probatur noſtra concluſio. *Primò*, quia ad ſponſalia validè contrahenda ſufficit ſeptimus ætatis annus exactus, at tunc vix contingit vnquam habere rationis vſum perfectiorem eo, qui ad mortale peccatum

catum ſufficit, nam eâ tenerrimâ ætate non habet puer præſentium prouidentiam, nedum futurorum. *Secundo*, facilius videtur puero, plerumque ſaltem, aliquam ex rationis vſu de re futura ſibi vtili, vel delectabili habere prouidentiam, quàm perfectam illam grauis, ac præſentis mali, ac rectè rationi grauiter repugnantis cognitionem, quæ ad peccatum mortale neceſſaria eſt, & ſufficit: ergo qui eſt huius cognitionis capax, & particeps, eſt etiam, & illius de futuro prouidentiæ; atque adeò cùm hæc ad ſponſalia validè contrahenda ſufficiat, & illa quoque cognitio ſufficiet. *Vltimò*, vſus rationis ad culpam lethalem ſufficiens, ſatis eſt ad obligandum ſe Deo per votum ſimplex religionis: ergo & quidpiam homini promittendi; ergo & promittendi matrimonium; non enim ad hoc contrahẽdum ſub grauiori peccato obligabitur, quàm ad illud faciendum, quod Deo vouerit; nec facilius huius voti relaxationem, quàm promiſſi matrimonij conſequi poterit; ab huius enim promiſſionis obligatione cùm ad pubertatem peruenerit, ſoluere ſe ſuâ voluntate poterit, vt infrà *diſp. 7. ſect. 2.* dicetur; ab illius autem voti non niſi vi alienæ poteſtatis, nempe vel diſpenſationis Pontificiæ, vel paternæ irritationis ſolui poterit. Ex his patet ſolutio ad relatum aduerſariorum argumentum.

Ad argumenta pro parte negante initio ſectionis adducta facilis eſt reſponſio.

5 Ad primum reſpondeo, ibi ſermonem eſſe de puella carente vſu rationis; nam ibi expreſsè dicitur, quendam perfectæ ætatis deſponſaſſe quandam puellam in cunabulis.

6 Ad ſecundum dico, antecedens illud eſſe verum, cùm lex certum præſcribens tempus nihil excipit, vt euenit in profeſſione: ſecus autem dum oppoſitum eſt in iure expreſſum in caſu omnino æquiualente; vel quando ex ipſo iure manifeſtè colligitur, vt in præſenti contingit, & conſtat ex dicto primo.

7 Ad tertium negatur fruſtrà conſtitui ſeptennium: nam in ſeptennio communiter præſumitur vſus rationis, non verò ante eam ætatem, niſi contrarium manifeſtè appareat. Vnde aſſerenti malitiam ſupplere ætatem, probandum eſt. Quod ſi probari non poſſit, & res maneat dubia, præſumitur non ſupplere ætatem.

8 Ad quartum, eiuſque confirmationem dico, exceptionem etiam eſſe pro ſponſalibus, cùm ex ipſo iure manifeſtè colligatur, vt dixi; neque eſt vlla maior ratio in matrimonio, quàm in ipſis ſponſalibus, vt in illo malitia ſuppleat ætatem, & non in his; nam ſicut potentia ad generandum expedita, quam ius requirit ad matrimonium, ſolet aliquando prætueniri ante ætatem à iure præſcriptam; ita & plenus vſus rationis, quem ius ad ſponſalia requirit, ſolet aliquando præuenire ſeptimum ætatis annum.

9 Ad vltimum concedenda eſt ſequela, vt conſtat ex dicto tertio; neque inde ſequitur aliquod inconueniens. Ideo autem in matrimonio vltra potentiam generandi requiritur diſcretio, & prudentia, quia matrimonium ſemel contractus indiſſolubile eſt. At ſponſalia ab impuberibus contracta, ſolubilia ſunt, ſi alter pubertatem adeptus reclamet, atque ideo ad illa validè contrahenda ſufficit qualiſcumque vſus rationis plenus.

SECTIO VII.

An ſit peccatum contrahere ſponſalia ante legitimam ſeptennis ætatem.

1 Affirmant eſſe peccatum mortale, niſi id exigat bonum pacis, Nauarrus *in ſummâ. 22. n. 31.* Roſella *mat. 2. n. 6.* Syluester *mat. 5. n. 6.* & Rebellus *l. b. 4. de ſponſal. q. 5. concl. 4.* cum aliis. Probant ex verbis illis Nicolai primi *in cap. vbi primo, de deſponſatione impuberum. Diſtrictius*, ait, *inhibemus, ne aliqui, quorum vterque, vel alter ad ætatem legibus, vel canonibus determinatam non peruenerit, coniungantur; niſi fortè aliqua vrgentiſſimâ neceſſitate interueniente, vtpote pro bono pacis, talis coniunctio toleretur.* Quæ verba manifeſtè videntur continere præceptum obligans ſub mortali, & ea non ſolùm de matrimonio, ſed etiam de ſponſalibus intelliguntur. Nam Pontifex ibi indefinitè loquitur, & eadem ratio vtrobique militare videtur. Imò Syluester *verb. ſponſalia, n. 3.* cum aliis, putat etiam eſſe mortale ante pubertatem ſponſalia contrahere, niſi vrgente neceſſitate, & de licentia Epiſcopi, quamuis, ſi contrahantur, valida ſint. Probat, quia ex eo Pontifex dicto capite prohibet coniungi filios ante legitimam ætatem, vt ait Gloſſa, quia ſæpè poſtea mutant voluntatem, & inde oriuntur odia & rixæ inter parentes: hæc verò cauſa etiam militat in ſponſalibus poſt ſeptennium ante pubertatem contractis: ergo regulariter ante pubertatem ſponſalia non ſunt contrahenda.

Dico *primò*, nullo modo peccare, qui ante ætatem à iure præſcriptam contrahit ſponſalia. Ita Sanchez *diſp. 17. n. 4.* Coninch *diſp. 21. dub. 5. n. 54.* Hurtado *diſp. 1. diff. 14. n. 62.* & alij. Ratio eſt, quia ſi malitia ſupplet ætatem, valida ſunt dicta ſponſalia, & id illis iure conceſſum eſt, neque alij iure prohibitum, vt conſtat ex præcedenti ſectione. Quare ſic contrahentes, niſi per accidens inde oriantur grauia damna, non peccant. Quòd ſi malitia ætatem non ſuppleat, nihil agunt; quia carent rationis vſu, & conſequenter non peccant. Confirmatur, nam contrahere ſponſalia ante ſeptennium, nullo iure eſt vetitum: non naturali, quia contractus ille tunc temporis initus nihil ex natura rei continet rectæ rationi repugnans; nam eſt contractus purè ciuilis, quo nulli fit iniuria; vnde, puer nondum ſeptennis tunc ſponſalia contrahens, etſi periculo ſe exponeret faciendi ſponſalia irrita, nihil tamen peccaret; quia nullum periculum eſſet, ne faceret Sacramentum irritum, quo ſolo ex capite peccatum aliquod ex natura rei eſſe poſſet. Neque etiam poſitiuo; nam verba allata Nicolai primi nullo modo de ſponſalibus intelligenda ſunt, ſed de matrimonio: quia vetat Pontifex, ne coniungantur, ſolùm autem matrimonium eſt propriè coniunctio, eo enim ſolùm fiunt coniuges; ſponſalia autem non ſunt coniunctio, ſed coniunctionis promiſſio. Cumque illa lex à Pontifice lata, eatenus res pœnalis ſit, quatenus ſub graui peccato prohibet, id quod alioqui per ſe liceret; & coniunctionis nomen ſimpliciter, & ſine addito vſurpatum, vt ea lege vſurpatur, ſolùm matrimonium propriè ſignificet; ſint autem odia reſtringenda, vt & fauores ampliandi, non eſt cur illud nomen ſit extendendum vltra proprium ſignificatum ad ipſa ſponſalia. Amplius id roboratur; nam nulla videtur eſſe legitima cauſa præcipiendi, ne à pueris ſponſalia contrahantur ante ſeptimum ætatis annum. Patet; quia vel ante hanc ætatem erunt præditi ſufficienti rationis, & libertatis vſu ad contrahendum validè, vel non erunt. Si primum, iam malitia, ſeu ſufficiens ratio ſupplebit ætatis defectum; dum autem ſupplet, tunc contrahi ſponſalia lex præfiniens ſeptimum ætatis annum permittit, vt vidimus ſuprà. Neque quod tunc ex his ſponſalibus contractis ſit oriturum impedimentum publicæ honeſtatis, vllum, aut maius erit incommodum, cuius vitandi gratia tunc prohiberi debeant, quàm ſit dum oritur ex iiſdem contractis poſt ſeptimum annum completum. Sin autem ſecundum;

dnm, nibil incommodi ſequi poteſt ex ſponſalibus, vtpotè irritis. Vude non eſt, cur his præcipiendum ſit, ne contrahant, cùm ad contrahendum ſiut inhabiles. Et ſi illis præciperetur, peccare non poſſent, ſaltem grauiter, contrahendo contra præceprum, cùm ſupponatur, eo carere rationis, & libertatis vſu, qui ad validè contrahenda ſponſalia, atque adeò & ad lethale peccatum, neceſſarius, & ſufficiens eſt.

3 Dico *ſecundo*, pueros contrahentes ſponſalia poſt ſeptennium ante pubertatem, per ſe loquendo, non peccare. Ita communiter Doctores, & per ſe patet, quia id ipſis iure conceſſum eſt, vt vidimus præcedenti ſectione, neque alio iure prohibitum. Quare niſi per accidens indè oriantur grauia dāna, non peccant.

4 Dico *tertiò*, parentes, qui filios nondum doli capaces inducunt, vt contrahant ſponſalia, aut grandiores, qui hæc cum illis contrahuor, nullo modo, per ſe loquendo, peccare, niſi fortè per accidens aliquod inde graue damnum timeretur. Ita Sanchez, & Coninch *citati*. Ratio eſt, quia nulla irrogatur iniuria tertiæ perſonæ, cùm ex illis ſponſalibus non oriatur obligatio, ſaltem reſpectu illius, qui doli capax non eſt; nec irrogatur iniuria Sacramento, cùm ſponſalia non ſint Sacramentum, nec aliquid illicitū promittitur. Ergo.

Ex dictis conſtat reſponſio ad argumenta adducta pro parte affirmante.

DISPVTATIO VI.

De intrinſecâ obligatione ſponſaliū ſub culpâ.

EXPOSVIMVS iam ſponſalium naturam, quid videlicet ipſa ſint, & quæ requirantur, vt valeant; iam agendum eſt de eorum obligatione, quaſi intrinſecâ, & omni inſeparabili proprietate, quæ oritur ab intrinſecâ naturâ talis contractus ratione præcepti, ſeu iuris naturalis obligantis ad fidem ſeruandam. Neque verò erit diſceptatio de obligatione reſultante ex fictâ promiſſione matrimonij tam onerosâ, ſeu mutuâ, quàm etiam ex liberali, ſeu gratuitâ; nam de vtraque latè egimus *diſp.* 2. *ſect.* 1, 3. & 4. ſed de verâ promiſſione mutuâ, ſeu reciprocâ conſtituente vera, & valida ſponſalia, & etiam de promiſſione verâ gratuitâ, ſeu liberali.

SECTIO I.

An vera, & valida ſpōſalia obligēt ſub culpâ lethali.

1 DIco *primò*, certum eſſe apud omnes, ſponſalia directè obligare ad contrahendum matrimoniū, niſi rationabilis cauſa ſuperueniens excuſet à contrahendo. Ratio eſt manifeſta, quia ex quâuis promiſſione acceptatâ, & multò magis ſi fuerit reciproca, & mutua, reſultat obligatio adimplendi quod eſt in illa promiſſum. Vnde homines queri ſolent, iniuriam ſibi fieri, ſi non adimpleatur quod promiſſum eſt. At in ſponſalibus quod directè promittitur eſt matrimoniū contrahere; igitur ex illis reſultat manifeſta obligatio illud contrahendi. Dixi, niſi rationabilis cauſa ſuperueniens excuſet à contrahendo; nam ſi ex illo contrahendo timeretur vxori odium, vel aliud graue incōmodum, non teneretur tale matrimonium contrahere, vt eſt per ſe manifeſtum, & conſtabit magis ex dicendis *diſp.* 8. *ſect.* 11.

2 Dico *ſecundò*, ſpōſalia ex ſuo genere parere obligationem grauem, matrimoniū re ipsâ contrahendi ſub mali peccato. Ita S. Th. *in* 4. *d.* 27. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 2. his verbis. Dicendum, quòd ex tali promiſſione obligatur vnus alij ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non ſoluens promiſſum, niſi legitimū impedimentum interueniat. Ita etiā communiter Theologi, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 27. & Molina *tom.* 2. *de iuſt. d.* 271. Aliqui, vt Mætarius *tract. de matr. diſp.* 12. *ſect.* 4. *n.* 8. & 9. Sanchez *cit.* & Baſil. Ponce *lib.* 12. *c.* 6. *n.* 1. id probant ex *c. deſponſatos* 27. *q.* 1. vbi Ioannes VIII. iubet, mulierē cuidam viro deſponſatam, & poſtea ab alio raptam, ſi ad priſtinum ſponſum redire noluerit, omni communione priuari. Hâc verò tam graui pœnâ nō plecteretur, vt nec iuſtè plecti poſſet, niſi ſub graui peccato obligaretur ſe ſponſo reddere vt matrimoniū cum eo contraheret. Deinde ex *c. de coniugali, ibidem*, in quo Siricius Papa interrogatus, ſi puellam alteri deſponſatam, alter in matrimonium poſſit accipere, ſic reſpondet: Tale connubiū anathematizamus, & modis omnibus, ne fiat prohibemus. Idem quoque firmant ex *c. ex litteris*, 2. *de ſpōſalibus, & c. requiſiuit, ibidē*. Verùm exiſtimo, ſi prædicti textus attentè legantur, nihil probare de ſponſalibus. Nam *in c. deſponſatos*, ſermo eſt de muliere cuidā viro deſponſatâ per verba de præſenti, vt notat *ibi* Gloſſa. Præterea in alio *c. de coniugali*, euidens eſt, ſermonē, eſſe de deſponſatâ per verba de præſenti, nā *ibi* Gloſſa explicat caſum his verbis. Aliqua fuit deſponſata alij per verba de præſenti; quærebatur vtrùm alter poſſit eam accipere in vxorē. Et reſpondet Pontifex quòd non, & ſic contrahentes debent anathematizari. Firmatur, nam Pontifex reddens rationē huius rei, ſic ait, quia illa benedictio, quā Sacerdos nupturę imponit, apud fideles, cuiuſdam ſacrilegij inſtar eſt, ſi vllā traſgreſſione violetur. Vbi manifeſtè conſtat loqui de ſponsâ velatâ, & benedictâ cum ſponſo. Vocat autem illam, nupturam, vt notat *ibi* Gloſſa, non quoad matrimonium, ſed quoad copulam carnalē. Vnde explicat illud verbum, nupturæ, id eſt, carnaliter cognoſcendę. Neque etiam eſt ad rem caput, *ex litteris* 2. *de ſponſalibus*, vbi non eſt ſermo de puris ſpōſalibus, ſed de ſpōſalibus iuramento firmatis, & compellitur quis accipere illam, quam iurauit ſe ducturum in vxorē propter reuerentiam iuramenti. Similiter nullo modo probatur noſtrum dictum *cap. requiſiuit, eodem tit.* nam ibi etiam eſt ſermo de muliere, quę iuramento interpoſito promiſit cuidā viro, ſe cum eo contracturam; poſtea verò voluntate mutatâ, noluit cum eo contrahere, & decernit Papa, matrimonia libera debere eſſe, & non coacta; & ideo mulierē illam monendā eſſe potius, quā Eccleſiaſticâ cēſurâ cogēdam, quia coactiones huiuſmodi frequēter ſolēt difficiles exitus habere.

Quare ex iure Pōtificio ſolùm videtur probari conclusio ex c. *præterea, de ſponſalibus*, vbi loquens Papa de duobus, qui mutuâ promiſſione contraxerūt ſponſalia, & poſtea mutarunt intentum, & nolebant adimplere promiſſum, ſic ait: Hi qui de matrimonio cōtrahendo purè, & ſine omni conditione fidem dederunt, commonendi ſunt, & modis omnibus inducendi, vt præſtatam fidem obſeruent. Vbi ideo videtur id præcipere Papa, quia nimirum ad obſeruandam fidem ſub graui peccato tenentur, quod proinde admittent, ſi non obſeruauerint. Ratione oſtenditur dictū, quia promiſſio non ex ſolâ virtute fidelitatis, ſed etiam ſtrictæ iuſtitiæ obligans in materia graui, & ad peccatum mortale ſufficienti, ſub mortali obligat: talis autem eſt mutua de futuro matrimonio promiſſio, quę ſponſalia perficit; obligat enim ex iuſtitiâ ſtrictâ, quia contractus omnis obligat cōtrahētes ex iuſtitia, mutua autē illa promiſſio ſpōſaliū, eſſentialiter cōtractus eſt, & obligat in materiâ graui, & ad mortale ſufficiēs, quia matrimoniū ad quod cōtrahendū obligat, talis per ſe materia eſt. Firmatur, nā ex contractu oneroſo oritur obligatio iuſtitiæ commutatiuæ ſub mortali in vtroque foro, ſi res ſit grauis; omnis enim obli- 3

gatio deſcendens ex reciproco contractu, iuſtitiæ eſt ſtrictæ, ideoq; ſub mortali culpâ obligans, ſi materia grauis ſit, tantæque obligationis capax: ſed huiuſmodi ſunt ſponſalia, quæ includunt contractum reciprocum, ac oneroſum, do vt des: ergo ex illis oritur obligatio ſub mortali, cùm ſit de re graui.

Hanc doctrinam intelligendam exiſtimo de ſponſalibus puberum, niſi iuſta ſubſit cauſa ea diſſoluendi. Nam de impuberibus eſt aliqua differentia, nam, vt dicemus *diſp. 8. ſect. 2.* ſtatim atque peruenerint ad pubertatem, vterque poteſt illis renunciare, & ita ſponſalia diſſoluuntur.

4 Dico *tertiò*, quando certus dies præfixus eſt matrimonio contrahendo, hic omnino ſeruandus eſt, niſi inter eos poſtea aliter conueniat: quando verò nullus certus dies præfigitur, intelliguntur nuptiæ contrahendæ datâ proximâ commoditate. Ita communiter Doctores. Prima pars conſtat, quia illud expreſsè promiſſum eſt: ergo illud obſeruandum. Secunda pars patet ex *reg. 14. ff. de regulis iuris*, vbi dicitur. *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur.* Et ratio eſt, quia ea videtur intẽtio contrahentiũ bona fide, excipe caſũ, quo pars ſpõte dilationẽ cõcedit. Quod præſumitur, quoties cùm facile poſſet, non vrget promiſſionis impletionẽ. Nã ſicut creditor, qui debitũ nouit, & potens cõmodè petere, debitũ nõ petit, cenſetur dilationi conſentire; ſic in ſpõſalibus abſque termino cõtractis, ſi cõſcius alter ſponſus, & nõ oblitus, & potẽs cõmodè petere, nõ petat ea impleri, tutus eſt promiſſor. Quòd ſi alter impleri petat, vel ſi non petat, id eueniat ex obliuione, vel ex deſperatione profectus, vel etiã ex metu, quia non audet, quod maximè cõtingit in fœminis; tũc nõ eſt tutus promiſſor, ſed tenetur ſtatim habita cõmoda opportunitate implere.

Obiicies, qui emittit votum, nullo præfixo termino, tenetur ſtatim illud implere: ergo etiam, qui promiſit matrimonium, tenebitur ſtatim illud implere. Reſpondeo, diſparem eſſe rationem: nam in voto creditor, qui eſt Deus, ſemper petit, & ita eſt obligatio illud ſtatim, vbi cõmode poteſt, implere: at dum alter ſpõſus poteſt petere, & nõ petit, videtur liberè dilationi conſentire: atque adeò nulla ipſi irrogatur iniuria.

5 Dico *quartò*, eiuſmodi ſponſalium promiſſionẽ de contrahẽdo matrimoniũ eſſe adeò præciſã, vt nequeat pecuniã, vel alia redimi ratione, niſi per matrimonij re ipſa cõtractionem. Id inter Canoniſtas, & Theologos eſt receptum. Et ratione firmatur, quia obligatio ad matrimonium contrahendum, numeratur inter obligationes faciendi; obligatio autem faciendi tum in iure naturæ, tum poſitiuo præciſa eſt, nec poteſt promiſſor inuito petitore per pretium ſatisfacere. Ex his

6 Colligo *primò*, ſi quis poſt primam fidem in ſponſalibus etiam ſine iuramento datã, & acceptatam, contraxit ſponſalia cum aliâ; vel vice verſâ, etiam ſi interpoſuerit iuſiurandum in ſecundis, non ſolùm mortaliter peccabit, ſed etiam tenetur ſub mortali primam fidem præſtare. Ratio eſt, quia poſterior promiſſio priori, ad quam tenetur, eſt contraria: ergo non obligat, nec iuramentum eidem ſuperadditum validitatem præſtare poteſt, cùm iniquitatis vinculum eſſe non poſſit.

7 Colligo *ſecundò*, ſponſum, qui reddit impoſſibilem ſponſaliorum impletionem, vel quia contraxit cũ alia matrimonium, vel quia ſacros Ordines ſuſcepit, non ſolùm peccare mortaliter, ſed etiam teneri alteri reſtituere, quantum intererat talis contractus. Ratio eſt, quia ex vi contractus alteriter acquirit ius, vt ſibi promiſſio præſtetur ex debito iuſtitiæ commutatiuæ: ergo ſi contra eiuſmodi ius reddit contractus impletionem impoſſibilem, tantum damni infert alteri, quantum ei intererat alterum habere in coniugem.

Sectio II.

Ex qua virtute obligent ſponſalia, fidelitatiſne, an ſtrictæ iuſtitiæ?

IN hac re videtur certum, obligationem ſponſalium 1
non oriri ex virtute veracitatis. Probatur *primò*, quia ex virtute veracitatis ſolùm tenemur dicere verum, vt nimirum verba reſpondeant menti, & ex eadem virtute obligamur, vt opera reſpondeant verbis. At promittere non tantùm eſt affirmare, ſe daturum, vel facturum, ſed vlterius eſt ſe obligare alteri, & dare illi ius ad exigendum. Vnde dici ſolet promiſſionẽ parere debitum. *Secundò*, quia ex contraria ſententia fieret, eum, qui promittit, non magis obligari, quàm eum, qui abſque promiſſione affirmat ſe facturũ, quod conſtat eſſe falſum communi hominum vſu & ſenſu. Sequela probatur; nam qui tantùm affirmat, ſe facturum, tenetur ex virtute veritatis ſuum dictum verificare, ne lædat honeſtatẽ huius virtutis: ſi ergo hæc eſt tota ratio, cur promittens teneatur, non magis obligabitur. Denique ſi promiſſio ſponſalium ſolùm obligaret lege veritatis, minus peccatum eſſet violare promiſſum ſponſalium, quàm mentiri mendacio officioſo. Hoc autem quis dicet? Nã minus peccatum eſt non facere quod affirmaſti te facturũ, quàm mentiri. Illud autem quis concedet? ergo vt certum habendũ ſponſalium promiſſionem non obligare ex virtute veracitatis, tametſi hæc obligatio in ea inueniatur materialiter, ſed ex alia peculiari ratione formali alterius virtutis, nempe vel fidelitatis, vel iuſtitiæ.

Præterea ſuppono, propriè, & in rigore loquendo, 2
virtutem fidelitatis eſſe re ipſa, & ſpecie diuerſam à virtute iuſtitiæ propriè ſumptæ, vt docent multi graues Doctores. Leſſius *lib. 2. de iuſtitia c. 18. dub. 8. n. 57.* Suarez *in opuſculis diſp. de iuſt. Dei, ſect. 1. n. 23.* & alij. Et ratio eſt, quia iſtæ duæ virtutes reſpiciunt debita diuerſa ſpecie; nam virtus fidei, ſeu fidelitas reſpicit debitum ſolùm promiſſionis, pendens, & procedens ex liberalitate promittentis: per quam virtutem non rependitur æquiualens, neque ea ita adſtringit, vt ſi violes, tenearis ad compenſationem lucri ceſſantis: nemo enim ſua liberali promiſſione cenſetur, ſe ad hoc velle obligare, niſi id exprimatur. At virtus ſtrictæ iuſtitiæ reſpicit debitum ad alterum perfectum, & rigoroſum, ratione cuius cuique reſtituit, quod ei perfecto iure debetur, vt ſi ſit damnum datum, ſi ſit contractus initus, ſi ſit res aliena ablata. Vnde debitum perfectæ iuſtitiæ longè maius eſt, & ſi non ſoluatur, obligat ad lucrum ceſſans refundendum: & ſolum eſt ad eũ, qui eſt ſui iuris, & omnino diſtinctus, & impedit donationem diſtinctam. Igitur hæc debita ſunt re, & formaliter diſtincta: ergo & virtutes illa reſpicientes.

His præmiſſis, opinio eſt Gaſparis Hurtado *diſp. 1.* 3
dif. 6. ſponſalium obligationem poſſe eſſe ex ſola virtute fidelitatis. Probat, quia non repugnat fieri mutuã promiſſionẽ matrimonij non commutãdo ius ad vnũ corpus pro iure ad corpus alterius: ſed tunc ſponſalia non obligarent ex iuſtitiâ, ſed ex ſolâ fidelitate: ergo. Maior probatur, quia non repugnat priorem promiſſionem, fieri liberaliter, & gratis, & poſteriorem etiam liberaliter, & ex gratitudine, vt per ſe eſt euidens; præterea non repugnat, neutra earum promiſſione cõferri ius iuſtitiæ, quia in poteſtate promittentium eſt ſuis promiſſionibus tantùm offerre fidem, & non conferre ius iuſtitiæ ad rẽ promiſſã: ſufficiẽter nãque ſaluatur natura promiſſionis in oblatione fidei: ergo.

Secundò idem probatur, quia homines parum ſolent æſtimare violationem talium promiſſorum, vel

ſponſalium

Digitized by Google

ſponſalium, nec ideò ſolent haberi iniuſti, ſicut fures, aut qui debita iuſtitiæ non ſoluunt; ſed leues, inconſtantes, non ſatis fidi: ergo ſignum eſt ſponſalia ſolùm obligare lege fidelitatis.

Veriorem iudico oppoſitam ſententiam, quæ eſt apud Doctores communis, ſponſalium obligationem eſſe ex verà, & perfectà iuſtitià. Moueor *primò*, quia in obligatione ſponſalitià eſt vltrò, citroque obligatio, & vna promiſſio alterà compenſatur: ergo eſt quæſitum iuſtitiæ ius pro vtraque parte. *Secundò*, ſponſalia ſunt contractus mutuus, & onerosus, in quo, loco eius quod præſtatur, redditur, & præſtatur aliud; ſed omnis obligatio contractus oneroſi eſt obligatio perfectæ iuſtitiæ, quia reſpicit debitum perfectum, vnde omnis contractus oneroſus ex iuſtitia obligat, vt fatentur omnes Doctores: ergo ſponſalia inducunt obligationem perfectæ iuſtitiæ. Denique virtus fidelitatis, vt dixi ſuprà, ſolùm reſpicit debitum liberalis promiſſionis, ſine vlla recompenſatione alterius rei æquiualentis; at virtus iuſtitiæ reſpicit perfectum, & rigoroſum debitum ad alterum, ratione cuius ei datur, quod ei perfecto iure debetur; ergo cùm contractus ſponſalitius reſpiciat non debitum liberalis promiſſionis, in quo nulla eſt compenſatio, ſed debitum ad alterum perfectum & rigoroſum mutuum, & reciprocum, non procedit eius obligatio ex fidelitate, ſed ex ſtrictâ, & perfectâ iuſtitià. Hinc patet ſolutio

5 Ad primum Hurtadi argumentum. Dicimus enim repugnare eſſentiæ contractus ſponſalitij, vt fiat mutua matrimonij promiſſio, & per eam non conferatur ius iuſtitiæ mutuum ad corpus alterius: cùm enim ſit contractus mutuus, & oneroſus, nequit intelligi, quin per illum ſit adquiſitum iuſtitiæ ius pro vtraque parte. Neque enim id eſſe poteſt in poteſtate promittentium, cùm ſit contra naturam contractus.

6 Ad ſecundum dico, apud homines, eum qui ab hoc contractu ſponſalitio nullâ legitimâ cauſà reſilit, iniuſtè facere, & veram alteri, cui matrimonium promiſit, inferre iniuriam. Vnde licet offenſo ius ſuum in iudicio coram legitimo iudice repetere, & iudex contractus ſponſalitij violatorem compellere poteſt, & debet ad promiſſum matrimonium implendum, & comminatione pœnæ, & ſententia lata. Signum ergo eſt adquiſiuiſſe ius iuſtitiæ & perfectũ, ac integrum ratione contractus initi: ſicut dominus habet reſpectu furis ius repetendi ablatum ratione damni illati.

Sectio III.

An ſponſalia poſſint leuiter, ſeu ſub veniali tantùm obligare, ex contrahentium intentione nolentium amplius obligare.

1 P*Rima ſententia* affirmat poſſe dari vera, & valida ſponſalia obligantia ſub veniali tantùm ex intentione contrahentium. Ita ſentit Sanchez *lib. 1. d. 9. n. 6.* exiſtimat enim eandem rationem eſſe de ſponſalibus, ac de voto. De hoc verò ſentit in quacumque materia graui poſſe ad ſolam venialem culpam obligare ex vouentis intentione, quia in quacumque materià graui promiſſio eſt lex priuata, quam promittens ſibi imponit; ſed legiſlator poteſt ſub veniali velle obligare in materia graui; quia poteſt imponere legem de re graui ſub veniali obligantem, lex enim non obligat, niſi ſecundùm volũtatẽ legiſlatoris: ergo eſt promiſſio. Idem ſentit de voto Suarez *tom. 2. de Religione lib. 4. c. 4.* negat tamen de ſponſalibus *n. 13.* nam qui ſimpliciter profitetur facere ſponſalia, tenetur habere abſolutam voluntatem ſe obligandi, quantũ ſponſalia naturâ ſuâ obligant, quia aliàs grauiter deciperet alium contrahentem. Vnde ſi haberet aliam intentionem non ſe obligandi grauiter, perinde ferè eſſet, ac ſi fictè ſponderet.

Secunda ſententia eſt Hurtado *diſp. 1. diff. 6. n. 21. & 22.* dicentes, ſponſalia vt regulariter, & communiter fiunt, obligare ſub mortali, quia cõmuniter fiunt mutuo contrahendo, & commutando ius ad vnum corpus, pro iure ad corpus alterius, vnde obligant ex iuſtitia; obligatio autem ex iuſtitia in re graui obligat ſub mortali. Addit tamen poſſe contingere, fieri mutuam promiſſionẽ matrimonij offerendo ſolùm ſuam fidem, nolendo conferre ius iuſtitiæ ad rem promiſſam. Vnde in hoc caſu ſolùm manerent promittẽtes obligati ex fidelitate. Fidelitas autem obligat tantùm ſub veniali, quia talis mutua promiſſio ſolùm obligaret ex veracitate in operando, quæ dicitur fidelitas: at hæc veracitas non magis obligat ad conformãda facta promiſſis, quàm veritas, ſeu veracitas in dicẽdo ad cõformanda dicta menti, quæ tamẽ obligat ſub veniali. 2

Denique *tertia ſententia*, quæ eſt communior apud Doctores, quam ſequuntur Vaſquez *diſp. 6.* Coninch *diſp. 21. dub. 2. n. 12. & diſp. 22. dub. 6. n. 59.* Baſilius Ponce *lib. 12. c. 2. n. 12.* Suarez *relatus*, & alij, docet, vera ſponſalia neceſſariò obligare partes ſub peccato mortali. Quia omnes alij contractus oneroſi obligant ex vera iuſtitià, quæ obligatio neceſſariò ſtricta eſt; & conſequenter in materia graui, qualis hæc eſt ſponſalium, obligat ſub peccato mortali. 3

Imò prædicti Doctores cum Soto *lib. 7. de iuſt. q. 2. a. 1. ad 1.* Nauarro *c. 18. n. 6* Leſſio *de iuſt. c. 18. n. 15.* & aliis, ſentiunt, omnẽ promiſſionẽ rei grauis ſeriò factã ſiue homini, ſiue Deo, obligare ſub peccato mortali.

Primo, quia per talem promiſſionem promiſſarius adquirit ius ad rem promiſſam, quo ſine vllà cauſâ iniurioſè priuatur; quod ſine graui culpâ non fit, quando res eſt grauis, quia alter grauiter læditur in eo, quod iam verè ipſius erat.

Secundò, ſi, vt verè promittens rem grauem, ſe obliget ad peccatum mortale, requireretur ipſius intentio ſic ſe obligandi, nunquam ita obligaretur, niſi id expreſsè intenderet. Nam ſi voluntas ſeriò vouendi ſecundùm ſe ſit indifferens ad grauem, vel leuem obligationem inducendam, non poterit determinatè grauem inducere obligationem, niſi per aliam expreſſam intentionem ad id determinetur: nam ex cauſà ad vtramque partem indeterminatà ſemper inducitur minima obligatio, ex iis ad quas eſt indeterminata. At ſecundùm omnes certum eſt, ſeriò vouentem Deo, v.g. caſtitatẽ, & ſi non cogitet de graui, vel leui obligatione, teneri ſub peccato mortali eam ſeruare; votum igitur eam obligationem ex ſuâ naturà inducit. Et idem proportionabiliter dicendum de fide datà homini.

Tertiò, vt *diſp. 1. ſect. 6.* oſtendi, quamuis in poteſtate hominis ſit velle promittere, tamen poſitâ promiſſione non eſt in eius poteſtate non manere obligatum: quia obligatio non oritur immediatè ex voluntate hominis, ſed ex promiſſione ipsâ oritur; ergo poſitâ promiſſione circa rem grauem, quale eſt matrimonium, non erit in poteſtate promittentis, non manere grauiter obligatum.

Quartò non eſt in poteſtate iurantis promiſſionem grauem, velle iurare, & non grauiter obligari, etiam ſi velit: ergo nec eſt in poteſtate vouentis, vel matrimonium promittentis ſeruatâ proportione.

Vltimò, quia aliàs eſſet in poteſtate hominis facere promiſſionẽ, & votũ ſolemne in religione cum intentione ſe obligandi tãtùm ad veniale, & cõtrahere matrimoniũ cũ ſimili intentione, & in his ſolùm obligari

ad veniale. Quæ tamen ſunt manifeſcſtè abſurda, & contra expreſſam Eccleſiæ intentionem.

4 Difficile eſt inter has ſententias ferre iudicium. Vt declarem quid ipſe ſentiam, præmittendum eſt, materiam ex ſe grauem, circa quam verſatur votum, & quæuis etiam promiſſio homini facta, eſſe in duplici differentiâ. Alia enim eſt, quæ conſtituta eſt ab Eccleſiâ, vel Republicâ vt grauiter obligans independenter in obligatione ex priuatâ, & peculiari hominum voluntate, ſeu intentione. Talis eſt materia votorum ſolemnium in Religionibus, quæ ab Eccleſiâ conſtituta eſt, vt grauiter obligans ad eorum obſeruationem. Alia eſt materia ex ſe grauis, circa cuius obligationem nihil eſt hactenus à Deo, vel ab Eccleſia, vel à Republica ſtatutum, ſed tota obligatio eius pendens eſt ab hominis peculiari intentione, & merè introducitur per ſolam hominis voluntatem. Quo præmiſſo,

5 Dico *primò*, quando obligatio pendet ex priuatâ hominum voluntate præcisè, tunc mihi videtur verius, tam in voto Deo ſacrato, quàm etiam in promiſſione homini factâ, poſſe homines ſe obligare leuiter circa materiam ex ſe grauem. Ita ſentio cum Doctoribus primæ ſententiæ, præſertim Suario. Probatur à ſimili, nam in legiſlatore verius eſt poſſe ferre legem in materia graui, & capaci grauioris obligationis, quæ ex intentione eius non obliget ad mortale, & nihilominus ſit valida lex, & obliget ad veniale, vt rectè oſtendit Suarez *tract. de legibus lib. 3. c. 27. puncto primo, & ſecundo*; materia enim capax obligationis maioris, cur non erit capax minoris, cùm vtraque ſit quaſi extrinſecus adueniens illi per liberam voluntatem imperantis? ſic enim Eccleſia ſicut præcipit de facto ieiunium, vel Miſſam ſub mortali, cur non potuiſſet etiam præcipere ſub ſolo veniali, ſi expedire iudicaſſet? Nam ieiunare, & audire Miſſam, de ſe opus eſt honeſtum, & graue, & tamen non eſt ſub neceſſitate ſalutis ante præceptum, ſed voluntas Prælati imponit neceſſitatem, qui poteſt non omnem neceſſitatem imponere, cuius opus eſt capax, ſed minorem, ita vt non ſimpliciter ad ſalutem, ſed ad cauendam omnem culpam etiam venialem ſit neceſſarium. Ergo idem dicendum de voto, & promiſſione homini factâ. Patet conſequentia, quia in hoc æquiparantur votum, lex & promiſſio: nam horum omnium obligatio introducitur per voluntatem hominis: & ſi in obligatione legis, etiam circa eandem materiam grauem dari poteſt maior, & minor obligatio, cui in obligatione promiſſionis hoc repugnabit? Et ratio à priori concluſionis eſt, quia eſſentia voti, & promiſſionis cuiuſque perficitur voluntate ſe obligandi; hæc autem voluntas libera eſt, quia nihil eſt, quod voluntatem neceſſitet: ergo ſicut obligatio quantum ex ſe eſt, recipit magis, & minus, ita & votum ipſum poteſt recipere magis, & minus, & eſſe validum vtrumque in ſuo gradu.

6 Hinc colligo circa quancumque materiam grauem cuiuſlibet virtutis, ſiue fidelitatis, ſiue iuſtitiæ, ſiue religionis, ſiue pietatis, cuius obligatio tota pendeat ex libera hominis voluntate, poſſe homines ſe obligare leuiter. Ratio eſt, quia cùm ſponte ſe obligent circa res à propriâ voluntate pendentes, in eorum poteſtate eſt cõſtituere rem leuem, quæ aliunde poſſet eſſe grauis, id roboratur vſu religionum, in quibus plures ſunt conſtitutiones cadentes in materias de ſe ſufficientes, & capaces obligationis mortalis, ſi rigoroſa præcepta de illis imponerentur, vt ſunt, v. g. conſtitutio audiendi Sacrum quotidie, vel ieiunandi die Veneris, & nihil repugnat obligare ad veniale, ſi hoc in ipſis conſtitutionibus declaretur. Et in aliquibus religionibus tranſgreſſio, vel aliquorum, quæ præſcribuntur, obligat ſolùm ad peccatum veniale, vt expreſſè docet S. Thomas *2. 2. q. 186. a. 9 ad 1*. Neque inde inferas circa materiam leuem poſſe dari obligationem grauem: quia eo ipſo quòd in ſe materia leuis eſt, non eſt capax obligationis grauis; benè verò materia, quæ aliunde capax eſt obligationis grauis, eſt capax leuis; ſicut culpa leuis non eſt capax pœnæ grauis, benè verò culpa grauis pœnæ leuis. Sic enim Eccleſia, quæ punit aliqua crimina grauia excommunicatione maiori, potuiſſet ea punire minori.

7 Dico *ſecundò* non eſſe in poteſtate promittentis obligare ſe circa rem grauem ſub veniali tantùm, quando ea ex conſtitutione Eccleſiæ, aut Reipublicæ lege, vel conſuetudine grauiter ſub peccato mortali obligat. Hoc videtur mihi certum, & conforme tertiæ opinioni. Patet, quia hâc de causâ non poteſt quis vota ſolemnia religionis emittere cum ſolâ intentione ſe obligandi venialiter tantùm, niſi quia illa materia voti conſtituta eſt ab Eccleſia grauiter obligans; & ideo eo ipſo, quod quis ea in religione emittit, non eſt in eius poteſtate non manere grauiter obligatum ad ea ſeruanda. Idem dicendum de matrimonio, cuius obiectum cùm conſiſtat in alterutrâ traditione corporis, vinculo perpetuo, & indiſſolubili ad prolis propagationem, & eius bonam educationem, vt patet; ex illa traditione ſequitur neceſſariò obligatio grauiſſima, & ſub mortali; atque ideo qui contrahit matrimonium, tenetur habere abſolutam voluntatem ſe obligandi, quantum ipſum matrimonium obligat, quia aliàs grauiter deciperet alium contrahentẽ. Vnde ſi haberet aliâ intentionẽ non ſe obligandi grauiter, perinde eſſet, ac ſi fictè matrimoniũ contraheret.

8 Dico *tertiò* ſponſalia non poſſe obligare tantùm ſub veniali ex intentione contrahentium; atque ideò eos, qui contraherent ſponſalia eo animo ſe obligandi ſolùm ſub veniali, non efficere ſponſalia. Ita ſentio cum Doctoribus tertiæ ſententiæ. Non me mouet ad id aſſerendum ratio tradita à Suario, nam ſi contrahentes ſponſalia conuenirent mutuâ obligatione ſub veniali, nulla eſſet deceptio, nulla fraus, nulla iniuria: ſicut ſi quis diceret: Promitto tibi agrum, non me obligando grauiter, ſed leuiter tantùm; ſi tu ſub eâdem leui obligatione promittas mihi domum, & ille repromittat ſub veniali tantùm, nullus maneret deceptus, vel aliqua iniuria affectus. Ratio ergo quæ me mouet hæc vnica eſt. Quoniam ex Eccleſiæ inſtitutione, ſeu iure Eccleſiaſtico ad vera, & valida ſponſalia conſequitur impedimentum dirimens publicæ honeſtatis, quod attento iure antiquo ante Tridentinum dirimebat vſque ad quartum gradum conſanguinitatis; nunc verò iure nouo Tridentini non extenditur vltra priorem gradum, dirimitque matrimonium inter ſponſum, & ſororem ſponſæ, & econtra inter ſponſam & fratrem ſponſi, cum quo impedimento dirimente contrahere matrimonium, conueniunt Doctores eſſe peccatum mortale, quia id eſt quid graue, & impedimento ipſo grauiter prohibitum. Cùm igitur vera, & valida ſponſalia ſecum trahant hanc grauem obligationem, ſeu hoc impedimentum dirimens grauiter obligans, manifeſtè ſequitur, vera, & valida ſpõſalia neceſſariò obligare partes ſub culpa mortali, cùm ex vi ſponſalium maneant ſponſi grauiter ligati impedimento publicæ honeſtatis, obligante ex conſtitutione Eccleſiæ ſub mortali, vnde petit neceſſariò, vt ſe obligent contrahẽtes ſub peccato mortali. Quare ſi ſolùm ſub veniali culpâ vellent ſe obligare, nulla contraherent ſponſalia ex defectu conſenſus legitimi, & idem eſſet, ac ſi fictè ſponſalia contraherent.

Obuiaes

Digitized by Google

Obiicies, Excommunicatin minor eſt grauis pœna priuans magno bono, nempe participatione paſſiua Sacramentorum, & tamen incurritur leui ac veniali culpa, nempe ob cõmunicationem in rebus humanis cum excommunicato: igitur bene intelligi poteſt, quòd incurratur impedimentum dirimens, & graue publicæ honeſtatis, propter ſponſalia contracta; tametſi iſta tantùm obligent ſub veniali, ex intentione contrahentium. Reſpondeo eſſe manifeſtam diſparitatem; nam excommunicatio minor etſi priuet magno bono, cenſetur in ſuo ordine leuis pœna, quia facillimè tollitur, eiuſque facilis abſolutio, non eſt aliquibus cæremoniis, aut oneribus grauata; nec ad illam præexigitur alia ſatisfactio, vel cautio iuratoria, ſed ſolùm propoſitum obediendi Eccleſiæ. At illud impedimentum dirimens eſt perpetuum, nec poteſt tolli niſi à ſolo humano Pontifice: ſicut priuari mille aureis per quadrantem, eſt leuior pœna, quàm priuari vno in perpetuum.

9 Ad argumentum primæ opinionis negandum eſt, eandem rationem eſſe de ſponſalibus, ac de voto ſimplici in ſæculo, in quo nulla eſt obligatio ab Eccleſia grauiter ſtatuta, nam tali voto iam eſt oſtenſum dicto primo, poſſe homines leuiter ſe obligare. Solùm igitur erit eadem ratio de ſponſalibus, ac de voto ſolemni, ac etiam de matrimonio, quæ omnia neceſſariò obligant partes ſub culpa mortali, ob eaſdem, vel ſimiles rationes iam explicatas.

10 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ, conſtat ex præcedenti ſectione falſum eſſe, in vllo caſu promittentes mutuo ſponſalia manere obligatos ex fidelitate, ſed potiùs ex iuſtitia manent ſemper obligati. Falſum etiam eſſe promiſſionẽ matrimonij mutuã poſſe dari, quin conferatur ius iuſtitiæ ad rem promiſſam.

Ad argumenta tertiæ ſententiæ prout aduerſantur noſtro primn dicto.

11 Ad primum liquet probare noſtrum tertiũ dictum. Ad ſecundum dico ſolùm probare ex promiſſione abſolutâ, & ſimpliciter, & nullo modo limitatâ, ex intentione promittentis, circa materiam grauem neceſſariò ſequi obligationem grauem iuris diuini, & ſuppoſito illo modo abſolutè vouendi, non poſſe hominem minuere illam obligationẽ iuris diuini. Neque eſt neceſſaria ſemper formalis intentio ſe obligandi ſub culpa mortali, nam eo ipſo, quòd intentio fertur ſimpliciter, & abſolutè ad ferendum votũ caſtitatis, v. g. ſine vllâ limitatione eſt ſufficiens intentum, tale votum ſub graui culpa. Nam votum caſtitatis abſolutè dictum dicit votum ſimpliciter, & ideò tale votum obligat iuxta exigentiam talis materiæ, & ideò quoties quis ſimpliciter vouet caſtitatem, grauiter obligatur: ſecus verò eſſet, ſi quis nõ abſolutè vellet promittere caſtitatem, ſed tãtùm ſecundùm quid, & cum limitatione ſub veniali tantùm culpa: ſicut etiam contingit in legis latore, qui ſi definitè velit ferre legem in materia graui, & per illam in conſcientiâ abſolutè obligare, non determinando quantitatẽ obligationis, ibi etiam eſt implicitè intenta grauitas obligationis. Vnde ſi materia ſit capax grauis obligationis, & lex feratur abſoluto verbo præcipiendi, & cum prædictâ confuſâ, ſeu implicita intentione, obligatio eſt ad mortale: quia ſi legiſlator vult obligare, & non determinat modum, ex materia determinatur, quia in re non poteſt fieri ſine aliqua determinatione, & hęc non poteſt aliunde ſumi; tunc ergo talis intentio ſufficit, quia materiæ accommodatur, & per illam ſumitur. Idem dicendum de vnto. Verùm ſicut quamuis materia legis grauis ſit, ſi legiſlator ſufficienter declarat, ſe nolle obligare ſub mortali, ſed tantùm ſub veniali, talis lex non obligat ſub mortali, quia hæc obligatio eſt effectus moralis ab homine faciendus, qui non poteſt fieri ſine conſenſu voluntatis humanæ, & ibi non adeſt conſenſus ſuperioris obligãtis ſub mortali, ſed ſolùm ſub veniali. Ita pariter cùm obligatio voti ex voluntate & conſenſu promittentis, ſi iſte nõ abſolutè promittat, ſed limitatè, ac ſecũdum quid ex intentione ſub veniali tantùm, tunc etiam ex natura rei ius ipſum diuinum non obligabit cũ maiori rigore contra intentionem vouentis. Quamuis enim in voto, vel promiſſione diſtingui poſſit quaſi obligatio facti ex parte voluntatis promittentis, & obligatio iuris ex naturali lege, nihilominus hæc poſterior neceſſariò ſupponit priorem, atque adeò ſi homo nõ vult ita grauiter obligari, ſed tantùm ſub leui culpâ, non poteſt naturale per ſe ipſum immediatè illum obligare.

Ad tertium, verum eſt, poſita hominis promiſſione, non eſſe in eius poteſtate non manere obligatum; pendet tamen ex eius intentione illam limitare, ſi velit, vt ſolùm ad veniale obliget, & non ad mortale, quia non poteſt promiſſio obligare vltra intentionem promittentis. Vnde ablata omnino obligatione, tametſi tollatur omnis promiſſio tam ſimpliciter ſub mortali, quàm etiam ſecundum quid ſub veniali; tamen ablata obligatione tantùm ad mortale, & relicta ſub veniali, non tollitur omnis ratio voti, ſeu promiſſionis, ſed limitatur, ſeu minuitur. Quare circa eandem materiam grauem poſſunt eſſe varij gradus votorum, vel promiſſionum, iuxta diuerſas intentiones vouentium, vel promittentium, & conſequenter etiam diuerſitas obligationum ſub culpâ lethali, aut veniali. 12

Ad quartum, diuerſa eſt ratio, nam iuramentum non eſt directè ad obligandum, ſed ad confirmandam veritatem diuino teſtimonio. Ex qua confirmatione ſequitur naturaliter obligatio, & ideo poſitâ voluntate iurandi neceſſariò ſequitur obligatio, etiam ſi homo nolit; & ſimiliter ſequitur obligatio in tali gradu iuxta naturam iuramenti; quia non datur in iuramento magis, vel minus iurare, neque eſſe poteſt varietas in voluntate iurantis. At votum, vel promiſſio directè eſt ad obligandum, & ideo illa obligatio, quę eſt veluti facti proximè eſt à voluntate hominis, & recipit magis, & minus iuxta hominis intentionem. 13

Ad vltimum neganda eſt ſequela, vt conſtat ex dicto tertio.

Sectio IV.

An ſponſalia obligent ſponſos ad abſtinendum à fornicatione cum aliis, ne ſpecialem malitiam committant diſtinctam à ſimplici fornicatione.

Certum eſt *primò*, ſponſos obligari ſaltem mediatè ad abſtinendum ab omnibus iis, quæ à coniuge facta eſſent contra fidem matrimonij, excepto ingreſſu religionis, vel alio ſimili, quæ iure ſponſis conceduntur. Patet, quia ſicut in matrimonio traduntur mutua corpora, ita per ſponſalia promittitur, & traditur quoaddam ius remotum in ea, contra quod peccant ſponſi per fornicationem cum aliquo alio habitam; non ſecus ac qui promittit mihi ſuum equum, vel pallium, dat mihi quoddam ius in eum, & facit mihi iniuriam, ſi abſque iuſtâ cauſa reddat illum deteriorem. Quod præcipuè contingit, quando promiſſio fuit oneroſa, vt fit in ſponſalibus. 1

Secundò, etiam videtur certum, quod docent com- 2

muniter Doctores contra Palndanum *in 4. d. 27. q. 1. a. 3.* fornicationem ſponſi, vel ſponſæ de futuro cum aliis commiſſam, nõ eſſe propriè adulterium. Patet, tum quia adulterium, vt conſtat ex Gratiano *c. lex illa 36. q. 1.* & omnium doctrinâ, eſt alieni tori violatio: accedens verò ad ſponſam de futuro non violat alienum torum; quia ſponſis de futuro ante matrimonium de præſenti nondum conceditur torus. Tum etiam, quia propriè adulterium in nuptam committitur, vt conſtat ex lege *inter ff. ad legem Iuliam de adulteriis*; at ſponſa de futuro non eſt nupta: ergo acceſſus ad illam non eſt adulterinus. Ex quo rectè inferunt Doctores, filios natos ex fornicatione ſponſi, aut ſponſæ cum aliâ perſonâ, quamuis non ſint legitimi, eſſe tamen naturales, & non ſpurios. Sicut etiam ſunt filij naturales nati ab habente votum ſimplex caſtitatis in ſæculo. Ratio eſt, quia ſolùm impedimentum dirimens matrimoninm inter parentes facit filios ſpurios.

His poſitis reſtat difficultas, an ſaltem fornicatio ſponſorum cum aliis perſonis addat ſupra maliriam luxuriæ aliam nouam malitiam, ſeu culpam iniuſtitiæ grauem in confeſſione neceſſariò aperiendam.

3 *Prima ſententia* abſolutè affirmat tam in ſponsâ, quàm etiam in ſponſo fornicariis eſſe malitiam mortalem in ratione iniuriæ diſtinctam à ſimplici fornicatione. Ita Rebellus *lib. 4. q. 8. ſect. 2. n. 8.* Coninch *diſp. 22. dub. 1. n. 6.* & alij apud ipſos. Probatur, quia ſponſi per ſponſalia ſibi mutuo reddunt ius iuſtitiæ ad corpora, licèt non dominium, ſeu ius in illis; ergo violatio corporis promiſſi ſponſi, aut ſponſæ eſt iniuſta, ſeu contra iuſtitiam, vtpore contra ius, quod quilibet ſponſus habet in corpus alterius, atque ideò dicta fornicatio præter malitiam luxuriæ cootra caſtitatem, habet etiam malitiam ſpecie diſtinctam iniuſtitiæ contra iuſtitiam. quæ iniuria adeò grauis eſt, vt credita ſit tum à Doctoribus, tum à iure canonico *cap. quemadmodum, de iureiuran.* ſufficientiſſima ad diſſolutionem ſponſalium, ſi eorum contractionem ſequatur. Confirmatur. nam fornicario eſt grauis iniuſtitia in vtroque coniuge contra ius, & dominium per matrimonium adquiſitum: ergo & in ſponſis de futuro erit etiam iniuſtitia, nam per ſponſalia tamerſi non adquirant dominium, ſeu ius in corporibus, bene tamen ad corpora per matrimonium tradenda.

4 *Secunda ſententia* diſtinguit, ex parte ſponſæ fornicariæ, & ex parte fornicantis cum illa eſſe malitiam mortalem in ratione iniuriæ diſtinctam à ſimplici fornicatione, non verò ex parte ſponſi. Ita ſentit Sanchez *lib. 1. diſp. 2. n. 6.* & Molina *tom. 4. de iuſtitia tract. 3. diſp. 93. n. 8.* *Prima pars* probatur, quia ſponſa per fornicationem ſe longè viliorem reddit, ita vt nullus honeſtus eam poſtea habere velit, in quo facit grauem iniuriam ſponſo. *Secunda pars* à contrario probatur, quia in fornicatione ſponſi non eſt tale periculum, & ipſe non redditur notabiliter vilior apud hominum æſtimationem.

5 *Tertia ſententia* abſolutè negat, neque ſponſam, neque ſponſum fornicantem cum aliis peccare contra iuſtitiam, & conſequenter illam ſponſalium circumſtantiam non eſſe oeceſſariò in confeſſione explicandam. Ita Couarruuias *in epitome lib. 4. Decretalium p. 1. c. 2. n. 14.* Enriquez *lib. 11. de matrimonio cap. 13.* Mæratius *tract. de matrimonio diſp. 12. ſect. 8. n. 6. & ſequent.* Baſilius Ponce *lib. 12. de ſponſalibus c. 6. n. 8.* & alij. Probant, quia ſiue fornicetur ſponſus, ſiue ſponſa de futuro, non eſt ibi iniuſtitia ſupra fornicationis malitiam, cùm ſit vſus corporis, quod adhuc non eſt alienum: nondum enim traditum eſt corpus alteri, nec tranſlatum in dominium ipſius.

Dico *primò*, ſponſalia non addere fornicationi nouam malitiam iniuſtitiæ, ex eo quòd ſponſi adquiſierint ius ad corpora mutuò tradenda. Ita ſentio cum Doctoribus tertiæ ſentẽtiæ. Moueor *primò*, quia ſponſalia mutuò contrahentes nihil aliud ſibi mutuo promittunt, quàm futurum matrimonium: ergo ad nihil aliud illa ſuâ promiſſione ſe obligant, aut obligare poſſunt, quàm ad illud re ipsâ futuro tempore contrahendum; ſed hoc ius ad rem, quod nihil eſt aliud, quàm ius in vno habeodi alterum aliquando io coniugem, & adquirendi dominium corporis, eius non violatur fornicatione ſponſi, vel ſponſæ, quia plenè ei ſatis fit à ſponſo, & ſponſa, dum retinent voluntatẽ contrahendi, vt ſuppono eam retinere, & eſſe omninò paratos ad matrimonium ſuo tempore contrahendum: ergo nulla committitur iniuſtitia in fornicatione ratione illius iuris ad rem. *Secundò*, ſicut ſe habet votum ſimplex faciendæ aliquando in Religione profeſſionis ad ipſam profeſſionẽ; ita ſe habent ſponſalia ad matrimonium; ſunt enim hæc promiſſio futuri matrimonij, ſicut illud votum eſt promiſſio futuræ profeſſionis: & ſicut in ſponſalibus quilibet ſpõſus adquirit ius iuſtitiæ habendi alterum aliquando actu coniugem, ita ex illo ſimplici voto ius adquirit Deus, cui votum factum eſt, exigendo ab eo, qui vouit, vt faciat aliquando in religione profeſſionem. At ex eo quòd quis voueat profeſſionem aliquando in religiooe faciendam, non ſe obligat, vt tempore profeſſionem antecedente à fornicatione abſtineat, vnde ſi fornicetur, peccabit quidem contra caſtitatem, at ratione profeſſionis nullam nouam ſpeciem peccati contrahet: ergo, &c. 6

Dico *ſecundò*, ratione prædicti iuris præcisè, quod habent ſponſi ad traditionem mutuam corporum, non poſſe dici peccatum ſponſi fornicantis eſſe veniale peccatum iniuſtitiæ ratione leuis iniuriæ, quæ ſponſæ infertur; & idem ſpecie peccatum ſponſæ fornicantis eſſe mortale, ratione grauis, quæ ſponſo infertur, iniuriæ, ſed vtrumque aut mortale eſſe, aut veniale, ratione prædicti iuris, aut certè nullam eſſe iniuſtitiam, vt dixi *dicto primo*. In hoc conuenio cum auctoribus primæ ſententiæ. Ratio eſt, quia æqualis iuris violatio, æquale ex ſe peccatum eſt, vt conſtat; ſed ius ſponſi, & ſponſæ in vtroq; eſt omnino æquale: ergo illius violatio in vtroqne vel eſt mortale, vel veniale, vel nullum, quia non violatur tale ius, vt opinor, niſi modo infrà explicando. Minor patet, quia per contractum ſponſalium æquale ius adquirit ſpõſa in viri corpus ei, quod adquirit ſponſus in corpus ipſius, & vice verſâ; ſicut per matrimonij contractum æquale ius adquirit vxor in mariti corpus ei, quod hic adquirit in corpus illius, & è conuerſo. Dices ex 7 8
ſponſi fornicatione non redundare in ſponſam æquale dedecus apud homines ei, quod ex fornicatione ſponſæ redundat in ſponſum. Sed contra eſt, quia ſi id valeret, concluderetur quoque vxoris adulterium eſſe quidem graue in iuſtitiæ peccatum, quia ex eo redundat in maritum graue apud homines dedecus, & adulterium mariti leue in hoc iniuſtitiæ genere peccatum eſſe; quia ex eo non niſi leue redundat in vxorem dedecus. Quare ſicut hoc peccatum, cùm in vxore adulterante mortale ſit, eſt etiam in viro; quia æquale eſt vxoris ius in viri corpus ei, quod habet vir in corpus vxoris, ſitque proinde æqualis ab adultero coniuge alteri coniugi iniuria; ita ſi in ſponſa fornicante dicatur hæc fornicatio eſſe mortale peccatum iniuſtitiæ, erit & in ſponſo, quia ſponſa ex ſponſalium contractu ius habet in ſponſi corpus æquale ei, quod hic habet in corpus illius; atque ideo ſit iniuria ſponſæ innocen-

ti

Digitized by Google

ti à ſponſo fornicante æqualis ei, quæ fit à ſponsâ fornicante ſponſo innocenti.

9 Dico *tertio*, ratiooe iuris ſponſorum adquiſiri ad corpora mutuò contrahenda, teneri ſponſos noo reddi ineptos ad matrimonium contrahendum. Hoc videtur certum; ratio eſt, quia cùm ſponſi ſolùm promittant contrahere matrimonium, & per ſponſalia ſolùm adquiſitum ſit ius ad corpora mutuò tradenda, quoties ſponſi ad hoc parati erunt, & apti, non faciunt contra fidem datam, nec contra ius adquiſitum, & ſi redderentur inepti ad contrahendum matrimonium, facerent contra tale ius; tenentur enim ſponſi ratione contractus ſponſalium, ita ſeruare aptum ſuum corpus ad matrimonium contrahendum, vt propter aliquod ſuperueniens damnum non impediatur, vel retardetur iniuſtè ſponſus, vel ſponſa ad contrahendum; nam ſi impediatur, fit alteri iniuria eo magis, vel minus grauis, quo maius eſt impedimentum: ſicut ſi res aliqua, exempli causâ, equus, ſit debitus alicui ex contractu, grauiter peccat contra iuſtitiam, qui illum reddit grauiuiter minus aptum eruendo oculum, & leuiter peccat, ſi illud tantùm leuiter minus aptum reddat. Hinc

10 Dico *quartò*, fornicationem ſponſi, & etiam ſponſæ, ſi eſt occulta, & ignota, vt regulariter contingit, nullam addere malitiam iniuſtitiæ. Ratio eſt, quia talis fornicatio cùm ignoretur, nullo modo impedit matrimonium contrahendo, ſicut etiam ſimilis fornicatio, quia non impedit iogreſſum religionis in eo, qui nouit ſe facturum in ea profeſſionem, nullam nouam peccati ſpeciem, præter eam, quæ eſt contra caſtitatem, contrahit. Firmatur, nam ſi concubitus omnino occultus ſit, non eſt defectus ille, ex his, qui contrahenti manifeſtandi ſunt, ne committatur iniuſtitia, & inæqualitas contractus, cùm detur corpus æquale, & æquè aptum, per ſe loquendo, pro corpore æquali, & æquè apto ſecundùm ſubſtantiam, in quo conſiſtit iuſtitia contractus promiſſionis matrimonij.

11 Dico *vltimò*, ſi fornicatio tam ſponſæ, quàm etiam ſponſi, eſſet nota aliis, præter ſpeciem peccati contra caſtitatem, contrahere nouam ſpeciem iniuſtitiæ, quatenus per fornicationem redderentur inepti ad matrimonium contrahendum. In hoc ſenſu partim conuenio cum Doctoribus primæ & ſecundæ ſententiæ. Et probatur, quia in primis negari non poteſt, ſponſam per fornicationem aliis notam, apud hominum æſtimationem, ſe reddere viliorem ad matrimonium contrahendum, ita vt nullus honeſtus, & prudens vir eam poſtea habere velit: ergo verè impedit executionem matrimonij promiſſi; præſertim, quia ſeſe exponit periculo concipiendi cum dedecore ſponſi, & damno etiam temporali, ne alienam prolem alat. Idem cum proportione dico de ſponſo, ſi fornicatio eius nota ſit ſponſæ: nam licèt apud hominum æſtimationem, non ideo ille reddatur notabiliter vilior; dat tamen ſufficientem cauſam ſponſæ ſoluendi ſponſalia, quod in leuem iniuriam non debet conuenire; nam culpa leuis, quæ viro cordato non ſufficeret ad repudiandam alterius amicitiam, non poteſt ſufficere ad ſoluenda ſponſalia. Præſertim, quia talis fornicatio, meritò mouet ſponſæ ſuſpicionem, ſe minùs præ alterâ amari, & facile etiam poſt contractum matrimonium minus amandam, cùm videat ſponſum in feruore ſui primi amoris alienis amoribus implicatum, & fortè magis, quàm ſuo, quod ſponſæ ſine dubio eſt duriſſimum. Adde ſæpè eſſe periculum, ne naſcatur proles, quæ poſtea communibus ſumptibus debeat ali, & futura ſit exoſa oculis vxoris, quare omnem aleam ſponſa debet ſubire, aut ſponſalia deſerere; atque adeò hinc etiam per fornicationem ſponſi impeditur executio matrimonij promiſſi, vel ſaltem redditur ille ineptus ad illud contrahendum.

Ex dictis conſtat iuxta noſtram doctrinam, circumſtantiam ſponſalium eſſe neceſſariò fatendam in confeſſione tam ex parte ſponſæ de futuro, ſi cum alio fornicetur, quàm ex parte ſponſi, ſi ad aliam accedat, quando nimirum redduntur inepti ad matrimonium promiſſum contrahendum, & tale matrimonium impeditur. Nam, vt conſtat ex dicto tertio, cùm ſponſi ratione ſponſalium adquiſierint ius ad corpora poſtea mutuo tradenda, tenentur ratione huius iuris ſeruare corpora apta ad contractionem matrimonij. Quod ſi id impediatur, fit alteri iniuria; iuxta prudentis verò, & docti viri arbitrium, inſpectis omnibus circumſtantiis, tam perſonarum, quàm earum conditionibus, cenſenda eſt grauis, vel minus grauis iniuria; & ſi ea fuerit mortalis ex parte ſponſæ, vel etiam ex parte ſponſi præter ſpeciem fornicationis cum non ſuâ, quatenus eſt contra bonum prolis, id quod commune eſt omni copulæ fornicariæ, ibi erit noua ratio & ſpecies grauis iniuſtitiæ in confeſſione neceſſariò aperienda. 12

Argumenta oppoſita non difficilem ex dictis videntur habere ſolutionem. 13

Ad argumentum primæ ſententiæ conſtat ex primo dicto, ratione iuris præcisè, quod habent ſponſi ad traditionem mutuam corporum, nullam eſſe iniuſtitiam in fornicatione ipſorum, cùm ſit vſus corporis, quod adhuc non eſt alienum. Quòd autem ſponſus per ſponſalia ius habet, tantùm eſt, vt non impediatur iniuſtè ad illam ducendam in vxorem, quod ius non impedit, qui cum illa rem habet occultè. Ad confirmationem dico, probare rectè, ſi iniuſtitia eſſet in fornicatione ſponſæ, & etiam fuiſſet in fornicatione ſponſi; veritas tamen eſt, non eſſe ibi iniuſtitiam ſupra fornicationis malitiam, cùm non violetur ius ſponſalium, dum non impeditur matrimonij promiſſi contractio.

Ad ſecundam ſententiam, eiuſque probationem conſtat ex dicto ſecundo, quarto, & quinto, quid ſit dicendum.

Ad tertiam, eiuſque rationem, dico rectè probare noſtrum primum dictum.

Sectio V.

An promiſſio matrimonij gratuita, ſeu non mutua, acceptata tamen, obliget ſub mortali.

Recolo, nomine promiſſionis gratuitæ matrimonij contrahendi intelligi à Doctoribus eam, quæ gratis, & per modũ cuiuſdam liberalis promiſſionis fit, nullâ ex iuſtitiæ debito ſpectatâ repromiſſione. Et de hac quærimus, an licèt non ſit ſufficiens ad ſponſalia, vt conſtat ex ſuperioribus, ſit tamen ſufficiens ad obligandum ſub mortali, ſi alter acceptet præcisè, & non repromittat, vt ſæpè contingere poteſt, & ex natura rei poteſt cuiuſuis rei facta promiſſio acceptari ab eo, cui facta eſt, quin ea acceptatio ſit vllius rei repromiſſio, vt oſtendi ſuprà *diſp. 1. ſect. vltima.* 1

Circa quam difficultatem, certum eſt fractionem fidei promiſſionis ſimplicis, ſeu gratuitæ, acceptatæ tamen, eſſe per accidens mortalem culpam, ſi inde al- 2

Digitized by Google

teri ſequatur notabile damnum: vt ſi promiſiſti dare alicui centum mutuo, & ille promiſſioni fidens non quæſiuit aliunde, ex quo graue in ſuis detrimentum ſubiit. Idem ergo dicendum in promiſſione gratuitâ matrimonij. Diſceptatio igitur procedit, per ſe loquendo, quando videlicet ex tali promiſſione non impletâ nullum aliud ſequitur proximo damnum, quàm carere illo matrimonio ſibi promiſſo.

3 Caietanus 2. 2. *q.* 113. *a.* 1. *ſub finem*, ſentit eam promiſſionem ſolùm obligare ſub veniali. Probat, quia frangere hanc fidem, non opponitur iuſtitiæ, ſed virtuti veracitatis: nam ſicut ex virtute veracitatis tenemur dicere vérum, & facere, vt verba reſpondeant menti; ita ex eâdem virtute obligamur, vt opera reſpondeant verbis. At veracitatis virtus non obligat ſub mortali; mentiri enim non eſt mortale, quando mendacium non eſt pernicioſum. Firmatur, nam licèt demus, talem promiſſionem obligare ex virtute fidelitatis, vt multi volunt, at verius videtur, quod cum multis ſentit Suarius *in opuſculis*, relectione de libertate voluntatis diuinę *ſect.* 2 *n.* 26. fidelitatem non eſſe virtutem à veracitate ſpecie diuerſam, quia eiuſdem honeſtatis eſt veritatem ſeruari in dictis, eo tempore, quo dicuntur, & procurare, ſeu efficere, vt per futura facta verificetur, quando eorum veritas inde pendet; ſed fidelitas hanc honeſtatem reſpicit, & ad illam tantùm homo ſe obligat ex vi promiſſionis ſimplicis, ſeu gratuitæ: ergo talis virtus non eſt diſtincta à virtute veracitatis. Quòd ſi virtus fidelitatis, ac veracitatis eadem ſit; ſanè ſicut veracitas nunquam obligat ſub mortali, per ſe loquendo, & ſecluſis extrinſecis, vt conſtat in aſſertione factâ de præſenti, certè nec fidelitas in actu promiſſionis obligabit ſub mortali.

Alij verò communiter ſentiunt promittentem gratis, & non per modum contractus, alicui matrimonium, quamuis non accedat repromiſſio, ſed ſola acceptatio, teneri ſub mortali fidem ſeruare. Ita Bartholomæus à Ledeſma *dub.* 8. *de matrimonio* §. *annotare bi. oportet primò*, Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 5. *n.* 29. Coninch *diſp.* 22. *ſect.* 6. *n.* 39. & multi alij, qui abſolutè docent, omnem promiſſionem rei grauis ſeriò factam homini, obligare ſub peccato mortali, inter quos Leſſius *de iuſtitia c.* 18. *n.* 55.

Probatur *primò*, quia eſt promiſſio ſimplex in materiâ grauiſſima: ergo obligat ſub mortali.

Secundò, tale promiſſum acceptatum non ſeruans poteſt excommunicari, vt conſtat ex *cap.* 1. *de pactis*: at excommunicatio, intellige maior, ſolum imponitur pro mortali.

Tertiò, obligatio reſultans ex promiſſione eſt ex iuſtitiâ: ergo obligat ſub mortali. Antecedens præterquam eſt dictum commune Theologorum, vt notauit Vaſquez *tomo* 4. *in* 3. *p. diſp.* 5. *de matrimonio cap.* 1. probatur, quia tranſit ad hæredes, id eſt, hæredes promiſſoris, tenentur ad illam: quod non ita eſſet ſi obligaret tantùm ex veracitate, vel ex fidelitate, vt conſtat, in obligationem voti, quæ ad illos non tranſit. Firmatur, quia quandocumque in foro externo quis iure compellitur aliquid implere, cenſetur ad illud fuiſſe obligatus ex iuſtitia, niſi aliàs iudicium innitatur falſæ præſumptioni, aut tantùm ſit damnationis pœna; cùm iudicis ſententia eò tendat, vt vnicuique ſuum ius reddatur, & conſtituatur æqualitas, in qua conſiſtit medium iuſtitiæ. At promiſſor in foro externo, etiam Eccleſiaſtico, compellitur ad promiſſionem, vt dictum eſt *in* 1. *argumento*. Et iure ciuili datur etiam actio *l. ſi quis argentum*, § *vltimo*, *C. de donationibus*, & aliis, quæ videri poſſunt apud Molinam *diſp.* 262. Ex quo manifeſtè infertur, talem promiſſionem obligare ſub mortali: neque enim lex concederet actionem ex ſimplici promiſſione, quæ tranſiret ad hæredes, niſi ex illa ius graue acceptanti quæſitum eſſet; neque in foro exteriori vlla etiam actio concederetur; nec iudex quamquam compelleret, vt promiſſa redderet, ſi ſub veniali tantùm ad id teneretur. In hac re

Dico *primò*, ex promiſſione gratuitâ matrimonij 5
abſolutè & ſimpliciter, ſi nullo modo limitetur ex intentione promittentis, oriri obligationem ſub culpâ lethali. Ita ſentio cū Doctoribus ſecundæ ſententiæ, idque probāt illius argumēta. Et amplius roboratur, quia per talem promiſſionem, per ſe loquendo, ſi non limitetur ex intentione promittentis, promiſſarius adquirit ius ad rem promiſſam, quo ſine vllâ causâ iniuriosè priuatur. At hoc ſine graui culpâ non fit, quando res eſt grauis, quia alter grauiter læditur in eo, quod iam verè ipſius erat; ergo.

Dico *ſecundò*, poſſe ex intentione promittentis ta- 6
lem promiſſionem matrimonij gratuitam obligare ſolùm ſub veniali. Probatur, quia ſuprà *ſect.* 3. *dicto* 1. probatum eſt, obligationem pendentem ex priuatâ hominum intentione, ac voluntate præcisè, poſſe obligare leuiter, circa materiam ex ſe grauem: talis verò eſt ſimplex, & gratuita matrimonij promiſſio. In quo valdè diſtinguitur à promiſſione mutuâ, & reciprocâ matrimonij, quæ ipſa ſponſalia formaliter, & eſſentialiter conſtituit; hæc enim nequeunt obligare tantum ſub veniali, vt *ſect.* 3. *citata*, *dicto* 3. demonſtraui.

Dico *tertiò*, promiſſionem matrimonij, ſicut & 7
cuiuſuis alterius rei gratuitam, non obligare ex virtute veracitatis, ſed fidelitatis. Ita benè Leſſius *de iuſt. c.* 18. *dub.* 8. Ratio eſt, quia virtus veracitatis ſolùm nos obligat ad duò, nempe vt dicta noſtra conformemus menti, ne committamus mendacium, & vt facta conformemus dictis, ne dicamus falſum. At promittere non eſt tantùm affirmare ſe daturum, vel facturum; ſed vlteriùs eſt ſe obligare alteri, & conſequenter ius illi tribuere ad exigendum, vnde dici ſolet, *promiſſionem parere debitum*. Vnde aſſertio de futuro per ſe ſolam nullam inducit obligationem in futurum, ſed ſolùm poſtulare veritatem, quando aſſeritur, quatenus ex præſenti pendet propoſito, vt expreſsè docuit S. Thom. 2. 2. *q.* 98. *a.* 7. *ad* 1. & ideo per ſe non inducit obligationem. At promiſſio inducit ſpecialem obligationem perſeuerandi in illo propoſito, & illud implendi: ergo eiuſmodi honeſtates ſunt valdè ſpecie diuerſæ. Quare, etſi qui tantum affirmat, ſe aliquid futurum, teneatur ex virtute veracitatis ſuum dictum verificare, quatenus ex præſenti propoſito pendet, ne lædat honeſtatem huius virtutis: at ille, qui promittit, ampliùs obligatur ad perſeuerandum, nimirum in illo propoſito, illudque implendum, nam promiſſio directè reſpicit alium, vt creditorem, cui facta eſt obligatio. Atque hæc eſt ratio, cur fidelitas ex ſe obligare poſſit ſub mortali, niſi ex intentione promittentis ſit aliqua limitatio; non verò veritas, ſeu veracitas: nam hæc ſolùm obligat ad illam conformitatem verborum cum mente; & ad præſens propoſitum; quod nunquam cenſetur eſſe materia grauis, loquendo per ſe. At fidelitas inclinat hominem, vt promiſſum impleat, reddatque id, ad quod alius habet ius ex vi ſuæ promiſſionis acceptatæ, atque adeò ſi promiſſio ſit de re graui, & ex intentione promittentis, nulla ſit limitatio, & non cedat promiſſarius iuri ſuo, neceſſe eſt vt promittens ſub graui culpâ teneatur ad illius impletionem. Ex quo oritur ratio, ob quam virtus fidelitatis debeat verſari circa materiam

honeſtam,

Digitized by Google

honeſtam, vt verè obliget; nam contradictionem implicat, quempiam ad illicitum teneri; & eſſe ligatum; tunc enim illicitum liceret, aut certè daretur perplexitas, quà & faciendo id peccatum committeretur, & ſimiliter id non faciendo. Vtrumque autem conſtat eſſe valdè abſurdum.

8 Dico *vltimò*, rectè dici poſſe prædictam gratuitam promiſſionem obligare ex iuſtitiâ, ſed non ex iuſtitiâ ſtrictè ſumptâ.

Prima pars, quæ eſt apud Doctores communis, oſtenditur, tum quia promiſſarius dicit ſibi rem deberi, poteſtque debitum exigere, vel condonare, & omnis promiſſio ſi fiat per formam ſtipulationis, tribuit actionem in foro externo, & promiſſor cogitur eam implere: ergo inducit obligationem iuſtitiæ.

9 Dices, promiſſionem inducere talem obligationem, ſi fiat interueniente formulâ ſtipulationis, non verò ſi fiat ſimpliciter. Sed contrà eſt, tum quia formula ſtipulationis non reddit promiſſionem firmiorem in foro conſcientiæ, ſed ſolùm in foro externo, quia præſumitur maiore cum deliberatione facta, quando hæc interuenit: ergo non facit, vt promiſſio ſecundùm ſe ſit alterius virtutis, niſi propriæ ipſius. Tum etiam, quia tametſi iure Digeſtorum requiſita fuerit ſtipulatio, vt promiſſio ſimplex tribueret actionem in foro externo; tamen iure Codicis, vt multi ſentiunt, non videtur requiri, vt colligitur ex *l. ſi quis argentum.* 1. *C. de donationibus.* Et, quod magis vrget, iure Canonico conceditur actio ex promiſſione acceptatâ, etiam ſi formula ſtipulationis non interuenerit, vt tenent communiter Doctores, & patet ex *cap. 1. de pactis.*

Secunda pars dicti patet, quia qui facit promiſſionem gratuitam, non ſe tam ſtrictè obligat, ac qui facit promiſſionem onerosam, in hac enim perfectior eſt obligatio, eo quòd pro obligatione rependatur æqualis obligatio, eſtque contractus mutuus, in quo loco eius, quod præſtatur, redditur, vel præſtatur aliud: ergo talis promiſſio gratuita non eſt ex virtute iuſtitiæ ſtrictæ ſumptæ; hæc enim reſpicit perfectum, & rigoroſum debitum ad alterum, ratione cuius ei datur, quod ei perfectò, & rigoroſo iure debetur; in liberali autem promiſſione nulla eſt compenſatio alterius rei æquiualentis, vt conſtat. Ex dictis

10 Colligo *primò*, manifeſtum diſcrimen inter promiſſionem matrimonij gratuitam, & alteram oneroſam, ſeu ſub conditione repromiſſionis. Prior enim obligat modo explicato, etiam ſi alter non repromittat, non verò poſterior: neque enim in ſponſalibus promiſſio traditionis corporis per verba de futuro, poteſt eſſe valida, niſi ſit non ſolùm acceptata, ſed etiam mutua, vt dixi ſuprà *diſp. 1. ſect. vltima, num. 1.* Hæc enim eſt natura contractus vltro, citroque obligatorij, vt dum celebratur antequam vtraque pars ſe obliget, nondum ſit contractus perfectus, ſed ante contractus perfectionem liberè poſſit alteruter reſipiſcere.

11 Colligo *ſecundò*, ex promiſſione gratuitâ matrimonij licèt oriatur obligatio, non tamen impedimentum publicæ honeſtatis, quia hoc oritur ex ſponſalibus, ſeu ex mutuâ, & reciprocâ matrimonij promiſſione legitimè factâ, vt conſtat.

12 Inquires, quo pacto cognoſcetur, promiſſionem eſſe gratuitam, vel potiùs eſſe per modum contractus, ſeu oneroſam. Dico cum communi doctrinâ, quando apertè non conſtat ex promiſſione externâ, ſtandum eſſe intentioni promittentis. Quòd ſi de ea non conſtet, colligi debet ex circumſtantiis. Nam ſi præceſſit tractatio de matrimonio contrahendo, promiſſio non fuit gratuita, ſed oneroſa. Si verò nullatenus de eo tractatum fuit, ſed ob beneficium acceptum ratione gratitudinis promittitur matrimonium, cenſetur eſſe gratuita promiſſio. Si autem dubium ſit, iudicanda eſt per modum contractus, nam ſponſalia naturâ ſuâ poſtulant talem promiſſionem; verba enim contrahentium, niſi aliud denotetur, accipienda ſunt ſecundùm naturam contractus, *l. ex conducto. §. Papinianus. ff. locati.*

Ad ſententias oppoſitas.

Ad fundamentum Caietani iam conſtat ſolutio ex *dicto* 3. & 4. Ad confirmationem veriùs opinor fidelitatem eſſe diuerſam ſpecie virtutem à veritate, ſeu veracitatis virtute; nam hæc ſolùm intendit conformitatem verborum cum mente: at illa inclinat ad promiſſionem implendam, & ad reddendum id, ad quod alius habet ius ex vi promiſſionis acceptatæ, vt ſuprà *dicto* 3. explicui. 13

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ prout noſtræ opponuntur.

Ad primum conſtat ex *dicto* 2 promiſſionem ſimplicem in materia graui, poſſe obligare ſolùm ſub veniali, ex intentione promittentis, quia obligatio illius pendens eſt ex priuatâ hominis voluntate. 14

Ad ſecundum dico, in foro externo cenſeri ſemper promiſſum acceptatum in re graui, obligare ſub mortali, & promiſſarium grauiter lædi in iure, quod adquiſiuit ad rem promiſſam, & ideo poſſe excommunicari promittentem non ſeruantem illud, ne tali iure ſine rationabili causâ priuetur alius iniuriosè: at in foro conſcientiæ ſtandum eſt intentioni promittentis, cùm ex ipsâ pendeat formalis obligatio. 15

Ad tertium, concedo obligationem reſultantem ex gratuitâ promiſſione eſſe ex iuſtitiâ non ſtrictâ, ſed latâ. Nam cùm promiſſio ex naturâ ſuâ obliget ſupra ſimplicem aſſertionem, vt oſtenſum eſt ſuprà *dicto* 3. neceſſe eſt, vt virtus fidelitatis, cuius eſt implere promiſſum, obliget pluſquã virtus veracitatis, cuius eſt ſolum verificare aſſertum: at nequit intelligi, quæ ſit hæc maior obligatio, niſi ſit iuſtitiæ, vel virtutis iuſtitiæ valde affinis, præſertim, quia promiſſione acceptatâ datur ius ad rem, quod etiam ad hæredes promiſſarij tranſit: ſicut & obligatio promiſſoris ad ipſius hæredes traiicitur; at huiuſmodi iuri reſpondet obligatio iuſtitiæ. Promiſſarius item dicit ſibi rem deberi, poteſtque debitum exigere, vel condonare; quod ſignum eſt eſſe debitum iuſtitiæ, vel virtutis affinis. Nego tamen virtutem iuſtitiæ non poſſe circa materiã grauem obligare ſub veniali tantùm, quando nimirum conſtat ex voluntate contrahentium ſolùm leuiter voluiſſe ſe obligare; excipio ſponſalia, quæ ſemper obligant ſub mortali ob peculiarem cauſam, & rationem à me dictam ſuprà *ſect.* 3. Verum eſt in foro externo, quamlibet obligationem ex iuſtitia in re graui cenſeri grauem, & ſub mortali obligantem, vt iam dictum eſt. 16

SECTIO VI.

An promiſſio matrimonij gratuita non acceptata poſſit aliquo iure obligare.

1 DOctores conueniunt, vt bene Molina *tom. 2. de iuſtitia tract. 2. d. 263.* & Leſſius *lib. 2. c. 18. dubit. 6.* de iure ciuili, & Canonico, promiſſionem gratuitam ante acceptationem ordinariè nullam parere obligationes. Ratio eſt, quia tam iure ciuili, quàm Canonico

catum ſufficit, nam eâ tenerrimâ ætate non habet puer præſentium prouidentiam, nedum futurorum. *Secundo*, facilius videtur puero, plerumque ſaltem, aliquam ex rationis vſu de re futurà ſibi vtili, vel delectabili habere prouideotiam, quàm perfectam illam grauis, ac præſentis mali, ac rectè rationi grauiter repugnantis cognitionem, quæ ad peccatum mortale neceſſaria eſt, & ſufficit: ergo qui eſt huius cognitionis capax, & particeps, eſt etiam, & illius de futuro prouidentiæ; atque adeò cùm hæc ad ſponſalia validè contrahenda ſufficiat, & illa quoque cognitio ſufficiet. *Vltimò*, vſus rationis ad culpam lethalem ſufficiens, ſatis eſt ad obligandum ſe Deo per votum ſimplex religionis: ergo & quidpiam homini promittendi; ergo & promittendi matrimonium; oon enim ad hoc coottahēdum ſub grauiori peccato obligabitur, quàm ad illud faciendum, quod Deo vouerit; nec facilius huius voti relaxationem, quàm promiſſi mattimonij conſequi poterit; ab huius enim promiſſionis obligatione cùm ad pubertatem peruenerit, ſoluere ſe ſuâ voluntate poterit, vt infrà *diſp. 7. ſect. 2.* dicetur; ab illius autem voti non niſi vi alienæ poteſtatis, nempe vel diſpenſationis Pontificiæ, vel paternæ irritationis ſolui poterit. Ex his patet ſolurio ad relatum aduerſariotum argumentum.

Ad argumenta pro parte negante initio ſectionis adducta facilis eſt reſponſio.

5 Ad primum reſpondeo, ibi ſermonem eſſe de puellâ carente vſu rationis; nam ibi expreſsè dicitur, quendam perfectæ ætatis deſponſauiſſe quandam puellam in eunabulis.

6 Ad ſecundum dico, antecedens illud eſſe verum, cùm lex certum præſcribens tempus nihil excipit, vt euenit in profeſſione: ſecus autem dum oppoſitum eſt in iure expreſſum in caſu omnino æquiualente; vel quando ex ipſo iure manifeſtè colligitur, vt in præſenti contingit, & conſtat ex dicto primo.

7 Ad tertium negatur fruſtrà conſtitui ſeptennium: nam in ſeptennio communiter præſumitur vſus rationis, non verò ante eam ætatem, niſi contrarium manifeſtè appareat. Vnde aſſerenti malitiam ſupplere ætatem, probandum eſt. Quod ſi probari non poſſit, & res maneat dubia, præſumitur non ſupplere ætatem.

8 Ad quartum, eiuſque confirmationem dico, exceptionem etiam eſſe pro ſponſalibus, cùm ex ipſo iure manifeſtè colligatur, vt dixi; neque eſt vlla major ratio in matrimonio, quàm in ipſis ſponſalibus, vt in illo malitia ſuppleat ætatem, & non in his; nam ſicut potentia ad generandum expedita, quam ius requirit ad matrimonium, ſolet aliquando præteruehi ante ætatem à iure præſcriptam; ita & plenus vſus rationis, quem ius ad ſponſalia requirit, ſolet aliquando præuenire ſeptimum ætatis annum.

9 Ad vltimum concedenda eſt ſequela, vt conſtat ex dicto tertio; neque inde ſequitur aliquod inconueniens. Ideo autem in mattimonio vltra potentiam generandi requiritur diſcretio, & prudentia, quia matrimonium ſemel contractus indiſſolubile eſt. At ſponſalia ab impuberibus contracta, ſolubilia ſunt, ſi alter pubertatem adeptus reclamet, atque ideo ad illa validè contrahenda ſufficit qualiſcumque vſus rationis plenus.

SECTIO VII.

An ſit peccatum contrahere ſponſalia ante legitimam ſeptennis ætatem.

1 AFfirmant eſſe peccatum mortale, niſi id exigat bonum pacis, Nauarrus *in ſummâ. 22. n. 31.* Roſella *mat. 2. n. 6.* Syluester *mat. 5. n. 6.* & Rebellus *l b. 4. de ſponſal. q. 5. concl. 4.* cum aliis. Probant ex verbis illis Nicolai primi *in cap. vbi primo, de deſponſatione impuberum. Diſtrictius,* ait, *inhibemus, ne aliqui, quorum vterque, vel alter ad ætatem legibus, vel canonibus determinatam non peruenerit, coniungantur; niſi fortè aliquâ vrgentiſſimâ neceſſitate interueniente, vtpotè pro bono pacis, talis coniunctio toleretur.* Quæ verba manifeſtè videntur continere præceptum obligans ſub mortali, & ea non ſolùm de matrimonio, ſed etiam de ſponſalibus intelliguntur. Nam Pontifex ibi indefinitè loquitur, & eadem ratio vtrobique militare videtur. Imò Syluester *verb. ſponſalia, n. 3.* cum aliis, putat etiam eſſe mortale ante pubertatem ſponſalia contrahere, niſi vrgente neceſſitate, & de licentia Epiſcopi, quamuis, ſi contrahantur, valida ſint. Probat, quia ex eo Pontifex dicto capite prohibet coniungi filios ante legitimam ætatem, vt ait Gloſſa, quia ſæpè poſtea mutant voluntatem, & inde oriuntur odia & rixæ ioter parentes: hæc verò cauſa etiam militat in ſponſalibus poſt ſeptennium ante pubertatem contractis: ergo regulariter ante pubertatem ſpoosalia non ſunt contrahenda.

Dico *primò*, nullo modo peccare, qui ante ætatem 2
à iure præſeriptam contrahit ſponſalia. Ita Sanchez *diſp. 17. n. 4.* Coninch *diſp. 21. dub. 5. n. 54.* Hurtado *diſp. 1. diff. 14. n. 62.* & alij. Ratio eſt, quia ſi malitia ſupplet ætatem, valida ſunt dicta ſponſalia, & id illis iure conceſſum eſt, neque alij iure prohibitum, vt conſtat ex præcedenti ſectione. Quare ſic coorrahentes, niſi per accidens inde oriantur grauia damna, non peccant. Quòd ſi malitia ætatem non ſuppleat, nihil agunt; quia carent rationis vſu, & conſequenter non peccant. Confirmatur, nam contrahere ſponſalia ante ſeptennium, nullo iure eſt vetitum: non naturali, quia contractus ille tunc temporis initus nihil ex natura rei continet rectæ rationi repugnans; nam eſt contractus purè ciuilis, quo nulli fit iniuria; vnde, 3
puer nondum ſeptennis tunc ſponſalia contrahens, etſi periculo ſe exponeret faciendi ſponſalia irrita, nihil tamen peccaret; quia nullum periculum eſſet, ne faceret Sacramentum irritum, quo ſolo ex capite peccatum aliquod ex natura rei eſſe poſſet. Neque etiam poſitiuo; nam verba allata Nicolai primi nullo modo de ſponſalibus intelligenda ſunt, ſed de matrimonio: quia vetat Pontifex, ne coniungantur, ſolùm autem matrimonium eſt propriè coniunctio, eo enim ſolùm fiunt coniuges; ſponſalia autem non ſunt coniunctio, ſed coniunctionis promiſſio. Cumque illa lex à Pontifice lata, eatenus res pœnalis ſit, quatenus ſub graui peccato prohibet, id quod alioqui per ſe liceret; & coniunctionis nomen ſimpliciter, & ſine addito vſurpatum, vt ea lege vſurpatur, ſolùm matrimonium propriè ſignificet; ſint autem odia reſtringenda, vt & fauores ampliandi, non eſt cur illud nomen ſit extendendum vltra proprium ſignificatum ad ipſa ſponſalia. Amplius id roboratur; nam nulla videtur eſſe legitima cauſa præcipiendi, ne à pueris ſponſalia contrahantur ante ſeptimum ætatis annum. Patet; quia vel ante hanc ætatem erunt præditi ſufficienti rationis, & libertatis vſu ad contrahendum validè, vel non erunt. Si primum, iam malitia, ſeu ſufficiens ratio ſupplebit ætatis defectum; dum autem ſupplet, tunc contrahi ſponſalia lex præfiniens ſeptimum ætatis annum permittit, vt vidimus ſuprà. Neque quod tunc ex his ſponſalibus contractis ſit oriturum impedimentum publicæ honeſtatis, vllum, aut maius erit incommodum, cuius vitandi gratia tunc prohiberi debeant, quàm ſit dum oritur ex iiſdem contractis poſt ſeptimum annum completum. Sin autem ſecundum;

Digitized by Google

dum, nihil incommodi ſequi poteſt ex ſponſalibus, vtpotè irritis. Vnde non eſt, cur his præcipiendum ſit, ne contrahant, cùm ad contrahendum ſint inhabiles. Et ſi illis præciperetur, peccare non poſſent, ſaltem grauiter, contrahendo contra præceptum, cùm ſupponatur, eo carere rationis, & libertatis vſu, qui ad validè contrahenda ſponſalia, atque adeò & ad lethale peccatum, neceſſarius, & ſufficiens eſt.

3 Dico *ſecundò*, pueros contrahentes ſponſalia poſt ſeptennium ante pubertatem, per ſe loquendo, non peccare. Ita communiter Doctores, & per ſe patet, quia id ipſis iure conceſſum eſt, vt vidimus præcedenti ſectione, neque alio iure prohibitum. Quare niſi per accidens indè oriantur grauia dãna, non peccant.

4 Dico *tertiò*, parentes, qui filios nondum doli capaces inducunt, vt contrahant ſponſalia, aut grandiores, qui hæc cum illis contrahunt, nullo modo, per ſe loquendo, peccare, niſi fortè per accidens aliquod inde graue damnum timeretur. Ita Sanchez, & Coninch *citati*. Ratio eſt, quia nulla irrogatur iniuria tertiæ perſonæ, cùm ex illis ſponſalibus non oriatur obligatio, ſaltem reſpectu illius, qui doli capax non eſt; nec irrogatur iniuria Sacramento, cùm ſponſalia non ſint Sacramentum, nec aliquid illicitũ promittitur. Ergo.

Ex dictis conſtat reſponſio ad argumenta adducta pro parte affirmante.

DISPVTATIO VI.

De intrinſecâ obligatione ſponſaliũ ſub culpâ.

EXPOSVIMVS iam ſponſalium naturam, quid videlicet ipſa ſint, & quæ requirantur, vt valeant; iam agendum eſt de eorum obligatione, quaſi intrinſecâ, & omni inſeparabili proprietate, quæ oritur ab intrinſecâ naturâ talis contractus ratione præcepti, ſeu iuris naturalis obligantis ad fidem ſeruandam. Neque verò erit diſceptatio de obligatione reſultante ex fictâ promiſſione matrimonij tam onerosâ, ſeu mutuâ, quàm etiam ex liberali, ſeu gratuitâ; nam de vtraque latè egimus *diſp. 2. ſect.* 2.3. & 4. ſed de verâ promiſſione mutuâ, ſeu reciprocâ conſtituente vera, & valida ſponſalia, & etiam de promiſſione verâ gratuitâ, ſeu liberali.

SECTIO I.

An vera, & valida ſpõſalia obligẽt ſub culpâ lethali.

1 DIco *primò*, certum eſſe apud omnes, ſponſalia directè obligare ad contrahendum matrimoniũ, niſi rationabilis cauſa ſuperueniens excuſet à contrahendo. Ratio eſt manifeſta, quia ex quauis promiſſione acceptatâ, & multò magis ſi fuerit reciproca, & mutua, reſultat obligatio adimplendi quod eſt in illa promiſſum. Vnde homines queri ſolent, iniuriam ſibi fieri, ſi non adimpleatur quod promiſſum eſt. At in ſponſalibus quod directè promittitur eſt matrimoniũ contrahere; igitur ex illis reſultat manifeſta obligatio illud contrahendi. Dixi, niſi rationabilis cauſa ſuperueniens excuſet à contrahendo; nam ſi ex illo contrahendo timeretur vxori odium, vel aliud graue incõmodum, non teneretur tale matrimonium contrahere, vt eſt per ſe manifeſtum, & conſtabit magis ex dicendis *diſp.* 8. *ſect.* 11.

2 Dico *ſecundò*, ſpõſalia ex ſuo genere parere obligationem grauem, matrimoniũ re ipsâ contrahendi ſub mali peccato. Ita S. Th. *in* 4. *d.* 27. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 2. his verbis. Dicendum, quòd ex tali promiſſione obligatur vnus alij ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non ſoluens promiſſum, niſi legitimũ impedimentum interueniat. Ita etiã communiter Theologi, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 27. & Molina *tom.* 2. *de iuſt. d.* 271. Aliqui, vt Mæratius *tract. de matr. diſp.* 12. *ſect.* 4. *n.* 8. & 9. Sanchez *cit.* & Baſil. Ponce *lib.* 12. *c.* 6. *n.* 1. id probant ex *c. deſponſatos* 27. *q.* 1. vbi Ioannes VIII. iubet, mulierẽ cuidam viro deſponſatam, & poſtea ab alio raptam, ſi ad priſtinum ſponſum redire noluerit, omni communione priuari. Hâc verò tam graui pœnâ nõ plecteretur, vt nec iuſtè plecti poſſet, niſi ſub graui peccato obligaretur ſe ſponſo reddere vt matrimoniũ cum eo contraheret. Deinde ex *c. de coniugali, ibidem*, in quo Siricius Papa interrogatus, ſi puellam alteri deſponſatam, alter in matrimonium poſſit accipere, ſic reſpondet: Tale conoubiũ anathematizamus, & modis omnibus, ne fiat prohibemus. Idem quoque firmant ex *c. ex litteris. 2. de ſpõſalibus, & c. requiſiuit, ibidẽ.* Verùm exiſtimo, ſi prædicti textus attentè legantur, nihil probare de ſponſalibus. Nam *in c. deſponſatos*, ſermo eſt de muliere cuidã viro deſponſatâ per verba de præſenti, vt notat *ibi* Gloſſa. Prterea in alio *c. de coniugali*, euidens eſt, ſermonẽ, eſſe de deſponſatâ per verba de præſenti, nã *ibi* Gloſſa explicat caſum his verbis. Aliqua fuit deſponſata alij per verba de præſenti; quærebatur vtrùm alter poſſit eam accipere in vxorẽ. Et reſpondet Pontifex quòd non, & ſic contrahentes debent anathematizari. Firmatur, nam Pontifex reddens rationẽ huius rei, ſic ait, quia illa benedictio, quã Sacerdos nupturę imponit, apud fideles, cuiuſdam ſacrilegij inſtar eſt, ſi vllà trãſgreſſione violetur. Vbi manifeſtè conſtat loqui de ſponsâ velatâ, & benedictâ cum ſponſo. Vocat autem illam, nupturam, vt notat *ibi* Gloſſa, non quoad matrimonium, ſed quoad copulam carnalẽ. Vnde explicat illud verbum, nupturæ, id eſt, carnaliter cognoſcendę. Neque etiam eſt ad rem caput, *ex litteris 2. de ſponſalibus*, vbi non eſt ſermo de puris ſpõſalibus, ſed de ſpõſalibus iuramento firmatis, & compellitur quis accipere illam, quam iurauit ſe ducturum in vxorẽ propter reuerentiam iuramenti. Similiter nullo modo probatur noſtrum dictum *cap. requiſiuit, eodem tit.* nam ibi etiam eſt ſermo de muliere, quę iuramento interpoſito promiſit cuidã viro, ſe cum eo contracturam; poſtea verò voluntate mutatâ, noluit cum eo contrahere, & decernit Papa, matrimonia libera debere eſſe, & non coacta; & ideo mulierẽ illam monendã eſſe potius, quã Eccleſiaſticâ cẽſurâ cogẽdam, quia coactiones huiuſmodi frequẽter ſolẽt difficiles exitus habere.

Quare ex iure Põtificio ſolùm videtur probari conclusio ex *c. præterea, de ſponſalibus*, vbi loquens Papa de duobus, qui mutuâ promiſſione contraxerũt ſponſalia, & poſtea mutarunt intentum, & nolebant adimplere promiſſum, ſic ait: Hi qui de matrimonio cõtrahendo purè, & ſine omni conditione fidem dederunt, commonendi ſunt, & modis omnibus inducendi, vt præſtatam fidem obſeruent. Vbi ideo videtur id præcipere Papa, quia nimirum ad obſeruandam fidem ſub graui peccato tenentur, quod proinde admitterent, ſi non obſeruauerint. Ratione oſtenditur dictũ, quia promiſſio non ex ſolâ virtute fidelitatis, ſed etiam ſtrictæ iuſtitiæ obligans in materia graui, & ad peccatum mortale ſufficienti, ſub mortali obligat: talis autem eſt mutua de futuro matrimonio promiſſio, quę ſponſalia perficit; obligat enim ex iuſtitiâ ſtrictâ, quia contractus omnis obligat cõtrahẽtes ex iuſtitia, mutua autẽ illa promiſſio ſpõſaliũ, eſſentialiter cõtractus eſt, & obligat in materiâ graui, & ad mortale ſufficiẽs, quia matrimoniũ ad quod cõtrahendũ obligat, talis per ſe materia eſt. Firmatur, nã ex contractu oneroſo oritur obligatio iuſtitiæ commutatiuæ ſub mortali in vtroque foro, ſi res ſit grauis; omnis enim obli- 3

Digitized by Google

gatio deſcendens ex reciproco contractu, iuſtitiæ eſt ſtrictæ, ideoq; ſub mortali culpâ obligans, ſi materia grauis ſit, tantæque obligationis capax: ſed huiuſmodi ſunt ſponſalia, quæ includunt contractum reciprocum, ac onetoſum, do vt des: ergo ex illis oritur obligatio ſub mortali, cùm ſit de re graui.

Hanc doctrinam intelligendam exiſtimo de ſponſalibus puberum, niſi iuſta ſubſit cauſa ea diſſoluendi. Nam de impuberibus eſt aliqua differentia, oam, vt dicemus *diſp.8.ſect.2.* ſtatim atque peruenerint ad pubertatem, vterque poteſt illis tenunciare, & ita ſponſalia diſſoluuntur.

4 Dico *tertiò*, quando certus dies præfixus eſt matrimonio contrahendo, hic omnino ſeruandus eſt, niſi inter eos poſtea aliter conueniat: quando verò nullus certus dies præfigitur, intelliguntur nuptiæ contrahēdæ datâ proximâ commoditate. Ita communiter Doctores. Prima pars conſtat, quia illud expreſsè promiſſum eſt: ergo illud obſeruandum. Secunda pars patet ex *reg.14.ff.de regulis iuris*, vbi dicitur. *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur.* Et ratio eſt, quia ea videtur intētio contrahentiū bona fide, excipe casū, quo pars ſpōte dilationē cōcedit. Quod præſumitur, quoties cùm facile poſſet, non vrget promiſſionis impletionē. Nā ſicut creditor, qui debitū nouit, & potens cōmodè petere, debitū nō petit, cenſetur dilationi conſentire; ſic in ſpōſalibus abſque termino cōtractis, ſi cōſcius alter ſponſus, & nō oblitus, & potēs cōmodè petere, nō petat ea impleri, tutus eſt promiſſor. Quòd ſi alter impleri petat, vel ſi non petat, id eueniat ex obliuione, vel ex deſperatione profectus, vel etiā ex metu, quia non audet, quod maximè cōtiogit in fœminis; tūc nō eſt tutus promiſſor, ſed tenetur ſtatim habita cōmoda opportunitate implere.

Obiicies, qui emittit votum, nullo præfixo termino, tenetur ſtatim illud implere: ergo etiam, qui promiſit matrimonium, tenebitur ſtatim illud implere. Reſpondeo, diſparem eſſe rationem: nam in voto creditor, qui eſt Deus, ſemper petit, & ita eſt obligatio illud ſtatim, vbi cōmode poteſt, implere: at dum alter ſpōſus poteſt petere, & nō petit, videtur liberè dilationi conſentire: atque adeò nulla ipſi irrogatur iniuria.

5 Dico *quartò*, eiuſmodi ſponſalium promiſſionē de contrahēdo matrimoniū eſſe adeò præcisā, vt nequeat pecuniâ, vel alia redimi ratione, niſi per matrimonij re ipſa cōtractionem. Id inter Canoniſtas, & Theologos eſt receptum. Et ratione firmatur, quia obligatio ad matrimonium contrahendum, numeratur inter obligationes faciendi; obligatio autem faciendi tum in iure naturæ, tum poſitiuo præciſa eſt, nec poteſt promiſſor inuito petitore per pretium ſatisfacere. Ex his

6 Colligo *primò*, ſi quis poſt primam fidem in ſponſalibus etiam ſine iuramento datā, & acceptatam, contraxit ſponſalia cum aliâ; vel vice verſâ, etiam ſi interpoſuerit iuſiurandum in ſecundis, non ſolùm mortaliter peccabit, ſed etiam tenetur ſub mortali primam fidem præſtare. Ratio eſt, quia poſterior promiſſio priori, ad quam tenetur, eſt contraria: ergo non obligat, nec iuramentum eidem ſuperadditum validitatem præſtare poteſt, cùm iniquitatis vinculum eſſe non poſſit.

7 Colligo *ſecundò*, ſponſum, qui reddit impoſſibilem ſponſaliorum impletionem, vel quia contraxit cū alia matrimonium, vel quia ſacros Ordines ſuſcepit, non ſolùm peccare mortaliter, ſed etiam teneri alteri reſtituere, quantum intererat talis contractus. Ratio eſt, quia ex vi contractus alteruter acquirit ius, vt ſibi promiſſio præſtetur ex debito iuſtitiæ commutatiuæ: ergo ſi contra eiuſmodi ius reddit contractus impletionem impoſſibilem, tantum damni infert alteri, quantum ei intererat alterum habere in coniugem.

SECTIO II.

Ex qua virtute obligent ſponſalia, fidelitatiſne, an ſtrictæ iuſtitiæ?

IN hac re videtur certum, obligationem ſponſalium non oriri ex virtute veracitatis. Probatur *primò*, quia ex virtute veracitatis ſolùm tenemur dicere verum, vt nimirum verba reſpondeant menti, & ex eadem virtute obligamur, vt opera reſpondeant verbis. At promittere non tantùm eſt affirmare, ſe daturum, vel facturum, ſed vlterius eſt ſe obligare alteri, & dare illi ius ad exigendum. Vnde dici ſolet promiſſionē parere debitum. *Secundò*, quia ex contraria ſententia fieret, eum, qui promittit, non magis obligari, quàm eum, qui abſque promiſſione affirmat ſe facturū, quod conſtat eſſe falſum communi hominum vſu & ſenſu. Sequela probatur; nam qui tantùm affirmat, ſe facturum, tenetur ex virtute veritatis ſuum dictum verificare, ne lædat honeſtatē huius virtutis: ſi ergo hæc eſt tota ratio, cur promittens teneatur, non magis obligabitur. Denique ſi promiſſio ſponſalium ſolùm obligaret lege veritatis, minus peccatum eſſet violate promiſſum ſponſalium, quàm mentiri mendacio officioſo. Hoc autem quis dicet? Nā minus peccatum eſt non facere quod affirmaſti te facturū, quàm mentiri. Illud autem quis concedet? ergo vt certum habendū ſponſalium promiſsionem non obligare ex virtute veracitatis, tametſi hæc obligatio in ea inueniatur materialiter, ſed ex alia peculiari ratione formali alterius virtutis, nempe vel fidelitatis, vel iuſtitiæ. 1

Præterea ſuppono, propriè, & in rigore loquendo, virtutem fidelitatis eſſe re ipſa, & ſpecie diuerſam à virtute iuſtitiæ propriè ſumptæ, vt docent multi graues Doctores. Leſſius *lib.2.de iuſtitia c.18.dub.8.n.57.* Suarez *in opuſculis diſp.de iuſt. Dei ſect.1.n.23.* & alij. Et ratio eſt, quia iſtæ duæ virtutes reſpiciunt debita diuerſa ſpecie; nam virtus fidei, ſeu fidelitas reſpicit debitum ſolùm promiſſionis, pendens, & procedens ex liberalitate promittentis: per quam virtutem non rependitur æquiualens, neque ea ita adſtringit, vt ſi violes, tenearis ad compenſationem lucri ceſſantis: nemo enim ſua liberali promiſſione cenſetur, ſe ad hoc velle obligare, niſi id exprimatur. At virtus ſtrictæ iuſtitiæ reſpicit debitum ad alterum perfectum, & rigoroſum, ratione cuius cuique reſtituit, quod ei perfecto iure debetur, vt ſi ſit damnum datum, ſi ſit contractus initus, ſi ſit res aliena ablata. Vnde debitum perfectæ iuſtitiæ longè maius eſt, & ſi non ſoluatur, obligat ad lucrum ceſſans refundendum: & ſolum eſt ad eū, qui eſt ſui iuris, & omnino diſtinctus, & impedit donationem diſtinctam. Igitur hæc debita ſunt re, & formaliter diſtincta: ergo & virtutes illa reſpicientes. 2

His præmiſſis, opinio eſt Gaſparis Hurtado *diſp.1. dif.6.* ſponſalium obligationem poſſe eſſe ex ſola virtute fidelitatis. Probat, quia non repugnat fieri mutuā promiſſionē matrimonij non commutādo ius ad vnū corpus pro iure ad corpus alterius: ſed tunc ſponſalia non obligarent ex iuſtitiâ, ſed ex ſolâ fidelitate: ergo. Maior probatur, quia non repugnat priorem promiſſionem, fieri liberaliter, & gratis, & poſteriorem etiam liberaliter, & ex gratitudine, vt per ſe eſt euidens; præterea non repugnat, neutra earum promiſſione cōferri ius iuſtitiæ, quia in poteſtate promittentium eſt ſuis promiſſionibus tantùm offerre fidem, & non conferre ius iuſtitiæ ad rē promiſsā: ſufficiēter nāque ſaluatur natura promiſſionis in oblatione fidei: ergo. 3

Secundò idem probatur, quia homines parum ſolent æſtimare violationem talium promiſſorum, vel

ſponſalium

Digitized by Google

ſponſalium, nec ideò ſolent haberi iniuſti, ſicut fures, aut qui debita iuſtitiæ non ſoluunt; ſed leues, inconſtantes, non ſatis fidi: ergo ſignum eſt ſponſa lia ſolùm obligare lege fidelitatis.

4 Veriorem iudico oppoſitam ſententiam, quæ eſt apud Doctores communis, ſponſalium obligationem eſſe ex verâ, & perfectâ iuſtitiâ. Moueor *primò*, quia in obligatione ſponſalitiâ eſt vltrò, citroque obligatio, & vna promiſſio alterâ compenſatur: ergo eſt quæſitum iuſtitiæ ius pro vtraque parte. *Secundò*, ſponſalia ſunt contractus mutuus, & oneroſus, in quo, loco eius quod præſtatur, redditur, & præſtatur aliud; ſed omnis obligatio contractus oneroſi eſt obligatio perfectæ iuſtitiæ, quia reſpicit debitum perfectum, vnde omnis contractus oneroſus ex iuſtitia obligat, vt fatentur omnes Doctores: ergo ſponſalia inducunt obligationem perfectæ iuſtitiæ. Denique virtus fidelitatis, vt dixi ſuprà, ſolùm reſpicit debitum liberalis promiſſionis, ſine vlla recompenſatione alterius rei æquiualentis; at virtus iuſtitiæ reſpicit perfectum, & rigoroſum debitum ad alterum, ratione cuius ei datur, quod ei perfecto iure debetur; ergo cùm contractus ſponſalitius reſpiciat non debitum liberalis promiſſionis, in quo nulla eſt compenſatio, ſed debitum ad alterum perfectum & rigoroſum mutuum, & reciprocum, non procedit eius obligatio ex fidelitate, ſed ex ſtrictâ, & perfectâ iuſtitiâ. Hinc patet ſolutio

5 Ad primum Hurtadi argumentum. Dicimus enim repugnare eſſentiæ contractus ſponſalitij, vt fiat mutua matrimonij promiſſio, & per eam non conferatur ius iuſtitiæ mutuum ad corpus alterius: cùm enim ſit contractus mutuus, & oneroſus, nequit intelligi, quin per illum ſit adquiſitum iuſtitiæ ius pro vtraque parte. Neque enim id eſſe poteſt in poteſtate promittentium, cùm ſit contra naturam contractus.

6 Ad ſecundum dico, apud homines, eum qui ab hoc contractu ſponſalitio nullâ legitimâ causâ reſilit, iniuſtè facere, & veram alteri, cui matrimonium promiſit, inferre iniuriam. Vnde licet offenſo ius ſuum in iudicio coram legitimo iudice repetere, & iudex contractus ſponſalitij violatorem compellere poteſt, & debet ad promiſſum matrimonium implendum, & comminatione pœnæ, & ſententia lata. Signum ergo eſt adquiſiuiſſe ius iuſtitiæ & perfectũ, ac integrum ratione contractus initi: ſicut dominus habet reſpectu furis ius repetendi ablatum ratione damni illati.

SECTIO III.

An ſponſalia poſſint leuiter, ſeu ſub veniali tantùm obligare, ex contrahentium intentione nolentium amplius obligare.

1 PRima *ſententia* affirmat poſſe dari vera, & valida ſponſalia obligantia ſub veniali tantùm ex intentione contrahentium. Ita ſentit Sanchez *lib. 1. d. 9. n. 6.* exiſtimat enim eandem rationem eſſe de ſponſalibus, ac de voto. De hoc verò ſentit in quacumque materia graui poſſe ad ſolam venialem culpam obligare ex vouentis intentione, quia in quacumque materiâ graui promiſſio eſt lex priuata, quam promittens ſibi imponit; ſed legiſlator poteſt ſub veniali velle obligare in materia graui; quia poteſt imponere legem de re graui ſub veniali obligantem, lex enim non obligat, niſi ſecundùm volũtatẽ legiſlatoris: ergo eſt promiſſio. Idem ſentit de voto Suarez *tom. 2. de Religione lib. 4. c. 4.* negat tamen de ſponſalibus *n. 13.* nam qui ſimpliciter profitetur facere ſponſalia, tenetur habere abſolutam voluntatem ſe obligandi, quantũ ſponſalia naturâ ſuâ obligant, quia aliàs grauiter deciperet alium contrahentem. Vnde ſi haberet aliam intentionem non ſe obligandi grauiter, perinde ferè eſſet, ac ſi fictè ſponderet.

Secunda ſententia eſt Hurtado *diſp. 1. diſf. 6. n. 21. & 22.* dicentes ſponſalia vt regulariter, & communiter fiunt, obligare ſub mortali, quia cõmuniter fiunt mutuo contrahendo, & commutando ius ad vnum corpus, pro iure ad corpus alterius, vnde obligant ex iuſtitia; obligatio autem ex iuſtitia in re graui obligat ſub mortali. Addit tamen poſſe contingere, fieri mutuam promiſſionẽ matrimonij offerendo ſolùm ſuam fidem, nolendo conferre ius iuſtitiæ ad rem promiſſam. Vnde in hoc caſu ſolùm manerent promittẽtes obligati ex fidelitate. Fidelitas autem obligat tantùm ſub veniali, quia talis mutua promiſſio ſolùm obligaret ex veracitate in operando, quæ dicitur fidelitas: at hæc veracitas non magis obligat ad conformãda facta promiſſis, quàm veritas, ſeu veracitas in dicẽdo ad cõformanda dicta menti, quæ tamẽ obligat ſub veniali. 2

Denique *tertia ſententia*, quæ eſt communior apud Doctores, quam ſequuntur Vaſquez *diſp. 6.* Coninch *diſp. 21. dub. 2. n. 12. & diſp. 22. dub. 6. n. 39.* Baſilius Ponce *lib. 12. c. 2. n. 12.* Suarez *relatus*, & alij, docet, vera ſponſalia neceſſariò obligare partes ſub peccato mortali. Quia omnes alij contractus oneroſi obligant ex vera iuſtitiâ, quæ obligatio neceſſariò ſtricta eſt; & conſequenter in materia graui, qualis hæc eſt ſponſalium, obligat ſub peccato mortali. 3

Imò prædicti Doctores cum Soto *lib. 7. de iuſt. q. 2. a. 1. ad 1.* Nauarro *c. 18. n. 6.* Leſſio *de iuſt. c. 18. n. 5.* & aliis, ſentiunt, omnẽ promiſſionẽ rei grauis ſeriò factã ſiue homini, ſiue Deo, obligare ſub peccato mortali.

Primò, quia per talem promiſſionem promiſſarius adquirit ius ad rem promiſſam, quo ſine vllâ causâ iniurioſè priuatur; quod ſine graui culpâ non fit, quando res eſt grauis, quia alter grauiter læditur in eo, quod iam verè ipſius erat.

Secundò, ſi, vt verè promittens rem grauem, ſe obliget ad peccatum mortale, requireretur ipſius intentio ſic ſe obligandi, nunquam ita obligaretur, niſi id expreſsè intenderet. Nam ſi voluntas ſeriò vouendi ſecundùm ſe ſit indifferens ad grauem, vel leuem obligationem inducendam, non poterit determinatè grauem inducere obligationem, niſi per aliam expreſſam intentionem ad id determinetur: nam ex causâ ad vtramque partem indeterminatâ ſemper inducitur minima obligatio, ex iis ad quas eſt indeterminata. At ſecundùm omnes certum eſt, ſeriò vouentem Deo, v. g. caſtitatẽ, & ſi non cogitet de graui, vel leui obligatione, teneri ſub peccato mortali eam ſeruare; votum igitur eam obligationem ex ſuâ naturâ inducit. Et idem proportionabiliter dicendum de fide datâ homini.

Tertiò, vt *diſp. 1. ſect. 6.* oſtendi, quamuis in poteſtate hominis ſit velle promittere, tamen poſitâ promiſſione non eſt in eius poteſtate non manere obligatum: quia obligatio non oritur immediatè ex voluntate hominis, ſed ex promiſſione ipsâ oritur: ergo poſitâ promiſſione circa rem grauem, quale eſt matrimonium, non erit in poteſtate promittentis, non manere grauiter obligatum.

1 *Quartò* non eſt in poteſtate iurantis promiſſionem grauem, velle iurare, & non grauiter obligari, etiam ſi velit: ergo nec eſt in poteſtate vouentis, vel matrimonium promittentis ſeruatâ proportione.

Vltimò, quia aliàs eſſet in poteſtate hominis facere promiſſionẽ, & votũ ſolemne in religione cum intentione ſe obligandi tãtùm ad veniale, & cõtrahere matrimoniũ cũ ſimili intentione, & in his ſolùm obligari

ad veniale. Quæ tamen ſunt manifeſeſtè abſurda, & contra expreſſam Eccleſiæ intentionem.

4 Difficile eſt inter has ſententias ferre iudicium. Vt declarem quid ipſe ſentiam, præmittendum eſt, materiam ex ſe grauem, circa quam verſatur votum, & quæuis etiam promiſſio homini facta, eſſe in duplici differentiâ. Alia enim eſt, quæ conſtituta eſt ab Eccleſiâ, vel Republicâ vt grauiter obligans independenter in obligatione ex priuatâ, & peculiari hominum voluntate, ſeu intentione. Talis eſt materia votorum ſolemnium in Religionibus, quæ ab Eccleſiâ conſtituta eſt, vt grauiter obligans ad eorum obſeruationem. Alia eſt materia ex ſe grauis, circa cuius obligationem nihil eſt hactenus à Deo, vel ab Eccleſia, vel à Republica ſtatutum, ſed tota obligatio eius pendens eſt ab hominis peculiari intentione, & merè introducitur per ſolam hominis voluntatem. Quo præmiſſo,

5 Dico *primò*, quando obligatio pendet ex priuatâ hominum voluntate præcisè, tunc mihi videtur verius, tam in voto Deo ſacrato, quàm etiam in promiſſione homini factâ, poſſe homines ſe obligare leuiter circa materiam ex ſe grauem. Ita ſentio cum Doctoribus primæ ſententiæ, præſertim Suario. Probatur à ſimili, nam in legiſlatore verius eſt poſſe ferre legem in materia graui, & capaci grauioris obligationis, quæ ex intentione eius non obliget ad mortale, & nihilominus ſit valida lex, & obliget ad veniale, vt rectè oſtendit Suarez *tract. de legibus lib.3.c.27. pićlo primo, & ſecundo*; materia enim capax obligationis maioris, cur non erit capax minoris, cùm vtraque ſit quaſi extrinſecus adueniens illi per liberam voluntatem imperantis? ſic enim Eccleſia ſicut præcipit de facto ieiunium, vel Miſſam ſub mortali, cur non potuiſſet etiam præcipere ſub ſolo veniali, ſi expedire iudicaſſet? Nam ieiunare, & audire Miſſam, de ſe opus eſt honeſtum, & graue, & tamen non eſt ſub neceſſitate ſalutis ante præceptum, ſed voluntas Prælati imponit neceſſitatem, qui poteſt non omnem neceſſitatem imponere, cuius opus eſt capax, ſed minorem, ita vt non ſimpliciter ad ſalutem, ſed ad cauendam omnem culpam etiam venialem ſit neceſſarium. Ergo idem dicendum de voto, & promiſſiune homini factâ. Patet conſequentia, quia in hoc æquiparantur votum, lex & promiſſio: nam horum omnium obligatio introducitur per voluntatem hominis: & ſi in obligatione legis, etiam circa eandem materiam grauem dari poteſt maior, & minor obligatio, cur in obligatione promiſſionis hoc repugnabit? Et ratio à priori concluſionis eſt, quia eſſentia voti, & promiſſionis cuiuſque perficitur voluntate ſe obligandi; hæc autem voluntas libera eſt, quia nihil eſt, quod voluntatem neceſſitet: ergo ſicut obligatio quantum ex ſe eſt, recipit magis, & minus, ita & votum ipſum poteſt recipere magis, & minus, & eſſe validum vtrumque in ſuo gradu.

6 Hinc colligo circa quancumque materiam grauem cuiuſlibet virtutis, ſiue fidelitatis, ſiue iuſtitiæ, ſiue religionis, ſiue pietatis, cuius obligatio tota pendeat ex libera hominis voluntate, poſſe homines ſe obligare leuiter. Ratio eſt, quia cùm ſponte ſe obligent circa res à propriâ voluntate pendentes, in eorum poteſtate eſt cõſtituere rem leuem, quæ aliunde poſſet eſſe grauis, id roboratur vſu religionum, in quibus plures ſunt conſtitutiones eadentes in materias de ſe ſufficientes, & capaces obligationis mortalis, ſi rigoroſa præcepta de illis imponerentur, vt ſunt, v.g. conſtitutio audiendi Sacrum quotidie, vel ieiunandi die Veneris, & nihil repugnat obligare ad veniale, ſi hoc in ipſis conſtitutionibus declaretur. Et in aliquibus religionibus tranſgreſſio, vel aliquorum, quæ præſcribuntur, obligat ſolùm ad peccatum veniale, vt expreſsè docet S. Thomas *2.2.q.186.a.9 ad 1*. Neque inde inferas circa materiam leuem poſſe dari obligationem grauem: quia eo ipſo quòd in ſe materia leuis eſt, non eſt capax obligationis grauis; benè verò materia, quæ aliunde capax eſt obligationis grauis, eſt capax leuis; ſicut culpa leuis non eſt capax pœnæ grauis, benè verò culpa grauis pœnæ leuis. Sic enim Eccleſia, quæ punit aliqua crimina grauia excommunicatione maiori, potuiſſet ea punire minori.

7 Dico *ſecundò* non eſſe in poteſtate promittentis obligare ſe circa rem grauem ſub veniali tantùm, quando ea ex conſtitutione Eccleſiæ, aut Reipublicæ lege, vel conſuetudine grauiter ſub peccato mortali obligat. Hoc videtur mihi certum, & conforme tertiæ opinioni. Patet, quia hâc de causâ non poteſt quis vota ſolemnia religionis emittere cum ſolâ intentione ſe obligandi venialiter tantùm, niſi quia illa materia voti conſtituta eſt ab Eccleſia grauiter obligans; & ideo eo ipſo, quod quis ea in religione emittit, non eſt in eius poteſtate non manere grauiter obligatum ad ea ſeruanda. Idem dicendum de matrimonio, cuius obiectum cùm conſiſtat in alterutrâ traditione corporis, vinculo perpetuo, & indiſſolubili ad prolis propagationem, & eius bonam educationem, vt patet; ex illa traditione ſequitur neceſſariò obligatio grauiſſima, & ſub mortali; atque ideo qui contrahit matrimonium, tenetur habere abſolutam voluntatem ſe obligandi, quantum ipſum matrimonium obligat, quia aliàs grauiter deciperet alium contrahentẽ. Vnde ſi haberet aliá intentioné non ſe obligandi grauiter, perinde eſſet, ac ſi fictè matrimoniũ contraheret.

8 Dico *tertiò* ſponſalia non poſſe obligare tantùm ſub veniali ex intentione contrahentium; atque ideò eos, qui contraherent ſponſalia eo animo ſe obligandi ſolùm ſub veniali, non efficere ſponſalia. Ita ſentio cum Doctoribus tertiæ ſententiæ. Non me mouet ad id aſſerendum ratio tradita à Soario, nam ſi contrahentes ſponſalia conuenirent mutuâ obligatione ſub veniali, nulla eſſet deceptio, nulla fraus, nulla iniuria: ſicut ſi quis diceret: Promitto tibi agrum, non me obligando grauiter, ſed leuiter tantùm; ſi tu ſub eâdem leui obligatione promittas mihi domum, & ille repromittat ſub veniali tantùm, nullus maneret deceptus, vel aliqua iniuriâ affectus. Ratio ergo quæ me mouet hæc vnica eſt. Quoniam ex Eccleſiæ inſtitutione, ſeu iure Eccleſiaſtico ad vera, & valida ſponſalia conſequitur impedimentum dirimens publicæ honeſtatis, quod attento iure antiquo ante Tridentinum dirimebat vſque ad quartum gradum conſanguinitatis; nunc verò iure nouo Tridentini non extenditur vltra priorem gradum, dirimitque matrimonium inter ſponſum, & ſororem ſponſæ, & econtra inter ſponſam & fratrem ſponſi, cum quo impedimento dirimente contrahere martimonium, conueniunt Doctores eſſe peccatum mortale, quia id eſt quid graue, & impedimento ipſo grauiter prohibitum. Cùm igitur vera, & valida ſponſalia ſecum trahant hanc grauem obligationem, ſeu hoc impedimentum dirimens grauiter obligans, manifeſtè ſequitur, vera, & valida ſpõſalia neceſſariò obligare partes ſub culpa mortali, cùm ex vi ſponſalium maneant ſponſi grauiter ligati impedimento publicæ honeſtatis, obligante ex conſtitutione Eccleſiæ ſub mortali, vnde petit neceſſariò, vt ſe obligent contrahẽtes ſub peccato mortali. Quare ſi ſolùm ſub veniali culpâ vellent ſe obligare, nulla contraherent ſponſalia ex defectu conſenſus legitimi, & idem eſſet, ac ſi fictè ſponſalia contraherent.

Obuices

Google

Obiicies, Excommunicatio minor eſt grauis pœna priuans magno bono, nempe participatione paſſiua Sacramentorum, & tamen incurritur leui ac veniali culpa, nempe ob cõmunicationem in rebus humanis cum excommunicato: igitur bene intelligi poteſt, quòd incurratur impedimentum dirimens, & graue publicæ honeſtatis, propter ſponſalia contracta; tametſi iſta tantùm obligent ſub veniali, ex intentione contrahentium. Reſpondeo eſſe manifeſtam diſparitatem; nam excommunicatio minor etſi priuet magno bono, cenſetur in ſuo ordine leuis pœna, quia facillimè tollitur, eiuſque facilis abſolutio, non eſt aliquibus cæremoniis, aut oneribus grauata; nec ad illam præexigitur alia ſatisfactio, vel cautio iuratoria, ſed ſolùm propoſitum obediendi Eccleſiæ. At illud impedimentum dirimens eſt perpetuum, nec poteſt tolli niſi à ſolo humano Pontifice: ſicut priuari mille aureis per quadrantem, eſt leuior pœna, quàm priuari vno in perpetuum.

9 Ad argumentum primæ opinionis negandum eſt, eandem rationem eſſe de ſponſalibus, ac de voto ſimplici in ſæculo, in quo nulla eſt obligatio ab Eccleſia grauiter ſtatuta, nam tali voto iam eſt oſtenſum dicto primo, poſſe homines leuiter ſe obligare. Solùm igitur erit eadem ratio de ſponſalibus, ac de voto ſolemni, ac etiam de matrimonio, quæ omnia neceſſariò obligant partes ſub culpa mortali, ob eaſdem, vel ſimiles rationes iam explicatas.

10 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ, conſtat ex præcedenti ſectione falſum eſſe, in vllo caſu promittentes mutuò ſponſalia manere obligatos ex fidelitate, ſed potiùs ex iuſtitia manent ſemper obligati. Falſum etiam eſſe promiſſionẽ matrimonij mutuã poſſe dari, quin cenſeatur ius iuſtitiæ ad rem promiſſam.

Ad argumenta tertiæ ſententiæ prout aduerſantur noſtro primo dicto.

11 Ad primum liquet probare noſtrum tertiũ dictum. Ad ſecundum dico ſolùm probare ex promiſſione abſolutã, & ſimpliciter, & nullo modo limitatã, ex intentione promittentis, circa materiam grauem neceſſariò ſequi obligationem grauem iuris diuini, & ſuppoſito illo modo abſolutè vouendi, non poſſe hominem minuere illam obligationẽ iuris diuini. Neque eſt neceſſaria ſemper formalis intentio ſe obligandi ſub culpa mortali, nam eo ipſo, quòd intentio fertur ſimpliciter, & abſolutè ad ſeruandum votũ caſtitatis, v. g. ſine vllã limitatione eſt ſufficiens intentum, tale votum ſub graui culpa. Nam votum caſtitatis abſolutè dictum dicit votum ſimpliciter, & ideò tale votum obligat iuxta exigentiam talis materiæ, & ideò quoties quis ſimpliciter vouet caſtitatem, grauiter obligatur: ſecus verò eſſet, ſi quis nõ abſolutè vellet promittere caſtitatem, ſed tãtùm ſecundùm quid, & cum limitatione ſub veniali tantùm culpa: ſicut etiam contingit in legis latore, qui ſi definitè velit ferre legem in materia graui, & per illam in conſcientiã abſolutè obligare, non determinando quantitatẽ obligationis, ibi etiam eſt implicitè intenta grauitas obligationis. Vnde ſi materia ſit capax grauis obligationis, & lex feratur abſoluto verbo præcipiendi, & cum prædictã confuſã, ſeu implicita intentione, obligatio eſt ad mortale: quia ſi legiſlator vult obligare, & non determinat modum, ex materia determinatur, quia in re non poteſt fieri ſine aliqua determinatione, & hęc non poteſt aliunde ſumi; tunc ergo talis intentio ſufficit, quia materiæ accommodatur, & per illam ſumitur. Idem dicendum de voto. Verùm ſicut quamuis materia legis grauis ſit, ſi legiſlator ſufficienter declarat, ſe nolle obligare ſub mortali, ſed tantùm ſub veniali, talis lex non obligat ſub mortali, quia hæc obligatio eſt effectus moralis ab homine faciendus, qui non poteſt fieri ſine conſenſu voluntatis humanæ, & ibi non adeſt conſenſus ſuperioris obligãtis ſub mortali, ſed ſolùm ſub veniali. Ita pariter cùm obligatio voti ex voluntate & conſenſu promittentis, ſi iſte nõ abſolutè promittat, ſed limitatè, ac ſecũdum quid ex intentione ſub veniali tantùm, tunc etiam ex natura rei ius ipſum diuinum non obligabit cũ maiori rigore contra intentionem vouentis. Quamuis enim in voto, vel promiſſione diſtingui poſſit quaſi obligatio facti ex parte voluntatis promittentis, & obligatio iuris ex naturali lege, nihilominus hæc poſterior neceſſariò ſupponit priorem, atque adeò ſi homo nõ vult ita grauiter obligari, ſed tantùm ſub leui culpa, non poteſt naturale per ſe ipſum immediatè illum obligare.

Ad tertium, verum eſt, poſita hominis promiſ- 12
ſione, non eſſe in eius poteſtate non manere obligatum; pendet tamen ex eius intentione illam limitare, ſi velit, vt ſolùm ad veniale obliget, & non ad mortale, quia non poteſt promiſſio obligare vltra intentionem promittentis. Vnde ablata omnino obligatione, tametſi tollatur omnis promiſſio tam ſimpliciter ſub mortali, quàm etiam ſecundum quid ſub veniali; tamen ablata obligatione tantùm ad mortale, & relicta ſub veniali, non tollitur omnis ratio voti, ſeu promiſſionis, ſed limitatur, ſeu minuitur. Quare circa eandem materiam grauem poſſunt eſſe varij gradus votorum, vel promiſſionum, iuxta diuerſas intentiones vouentium, vel promittentium, & conſequenter etiam diuerſitas obligationum ſub culpa lethali, aut veniali.

Ad quartum, diuerſa eſt ratio, nam iuramentum 13
non eſt directè ad obligandum, ſed ad confirmandam veritatem diuino teſtimonio. Ex qua confirmatione ſequitur naturaliter obligatio, & ideo poſitã voluntate iurandi neceſſariò ſequitur obligatio, etiam ſi homo nolit; & ſimiliter ſequitur obligatio in tali gradu iuxta naturam iuramenti; quia non datur in iuramento magis, vel minus iurare, neque eſſe poteſt varietas in voluntate iurantis. At votum, vel promiſſio directè eſt ad obligandum, & ideo illa obligatio, quę eſt velut facti proximè eſt à voluntate hominis, & recipit magis, & minus iuxta hominis intentionem.

Ad vltimum neganda eſt ſequela, vt conſtat ex dicto tertio.

SECTIO IV.

An ſponſalia obligent ſponſos ad abſtinendum à fornicatione cum aliis, ne ſpecialem malitiam committant diſtinctam à ſimplici fornicatione.

CErtum eſt *primò*, ſponſos obligari ſaltem me- 1
diatè ad abſtinendum ab omnibus iis, quæ à coniuge facta eſſent contra fidem matrimonij, excepto ingreſſu religionis, vel alio ſimili, quæ iure ſponſis conceduntur. Patet, quia ſicut in matrimonio traduntur mutua corpora, ita per ſponſalia promittitur, & traditur quoddam ius remotum in ea, contra quod peccant ſponſi per fornicationem cum aliquo alio habitam; non ſecus ac qui promittit mihi ſuum equum, vel pallium, dat mihi quoddam ius in eum, & facit mihi iniuriam, ſi abſque iuſtã cauſa teddat illum deteriorem. Quod præcipuè contingit, quando promiſſio fuit oneroſa, vt fit in ſponſalibus.

Secundò, etiam videtur certum, quod docent com- 2

muniter Doctores contra Paludanum *in 4. d. 27. q. 1. a. 3.* fornicationem ſponſi, vel ſponſæ de futuro cum aliis commiſſam, nō eſſe propriè adulterium. Patet, tum quia adulterium, vt conſtat ex Gratiano *c. lex illa 36. q. 1.* & omnium doctrinâ, eſt alieni tori violatio: accedens verò ad ſponſam de futuro non violat alienum torum; quia ſponſis de futuro ante matrimonium de præſenti nondum conceditur torus. Tum etiam, quia propriè adulterium in nuptam committitur, vt conſtat ex lege *inter ff. ad legem Iuliam de adulteriis*; at ſponſa de futuro non eſt nupta: ergo acceſſus ad illam non eſt adulterinus. Ex quo rectè inferunt Doctores, filios natos ex fornicatione ſponſi, aut ſponſæ cum aliâ perſonâ, quamuis non ſint legitimi, eſſe tamen naturales, & non ſpurios. Sicut etiam ſunt filij naturales nati ab habente votum ſimplex caſtitatis in ſæculo. Ratio eſt, quia ſolùm impedimentum dirimens matrimonium inter parentes facit filios ſpurios.

His poſitis reſtat difficultas, an ſaltem fornicatio ſponſorum cum aliis perſonis addat ſupra malitiam luxuriæ aliam nouam malitiam, ſeu culpam iniuſtitiæ grauem in confeſſione neceſſariò aperiendam.

3 *Prima ſententia* abſolutè affirmat tam in ſponsâ, quàm etiam in ſponſo fornicariis eſſe malitiam mortalem in ratione iniuriæ diſtinctam à ſimplici fornicatione. Ita Rebellus *lib. 4. q. 8. ſect. 2. n.* 8. Coninch *diſp. 22. dub. 1. n. 6.* & alij apud ipſos. Probatur, quia ſponſi per ſponſalia ſibi mutuo reddunt ius iuſtitiæ ad corpora, licèt non dominium, ſeu ius in illis; ergo violatio corporis promiſſi ſponſi, aut ſponſæ eſt iniuſta, ſeu contra iuſtitiam, vtpote contra ius, quod quilibet ſponſus habet in corpus alterius, atque ideò dicta fornicatio præter malitiam luxuriæ contra caſtitatem, habet etiam malitiam ſpecie diſtinctam iniuſtitiæ contra iuſtitiam. quæ iniuria adeò grauis eſt, vt credita ſit tum à Doctoribus, tum à iure canonico *cap. quemadmodum, de iureiuran.* ſufficientiſſima ad diſſolutionem ſponſalium, ſi eorum contractionem ſequatur. Confirmatur. nam fornicario eſt grauis iniuſtitia in vtroque coniuge contra ius, & dominium per matrimonium adquiſitum: ergo & in ſponſis de futuro erit etiam iniuſtitia, nam per ſponſalia tametſi non adquirant dominium, ſeu ius in corporibus, bene tamen ad corpora per matrimonium tradenda.

4 *Secunna ſententia* diſtinguit, ex parte ſponſæ fornicariæ, & ex parte fornicantis cum illa eſſe malitiam mortalem in ratione iniuriæ diſtinctam à ſimplici fornicatione, non verò ex parte ſponſi. Ita ſentit Sanchez *lib. 1. diſp. 2. n. 6.* & Molina *tom. 4. de iuſtitia tract. 3. diſp. 93. n. 8.* *Prima pars* probatur, quia ſponſa per fornicationem ſe longè viliorem reddit, ita vt nullus honeſtus eam poſtea habere velit, in quo facit grauem iniuriam ſponſo. *Secunda pars* à contrario probatur, quia in fornicatione ſponſi non eſt tale periculum, & ipſe non redditur notabiliter vilior apud hominum æſtimationem.

5 *Tertia ſententia* abſolutè negat, neque ſponſam, neque ſponſum fornicantem cum aliis peccare contra iuſtitiam, & conſequenter illam ſponſalium circumſtantiam non eſſe neceſſariò in confeſſione explicandam. Ita Couarruuias *in epitome lib. 4. Decretalium p. 1. c. 1. n. 14.* Enriquez *lib. 11. de matrimonio cap. 13.* Mæratius *tract. de matrimonio diſp. 12. ſect. 8. n. 6. & ſequent.* Baſilius Ponce *lib. 12. de ſponſalibus c. 6. n. 8.* & alij. Probant, quia ſiue fornicetur ſponſus, ſiue ſponſa de futuro, non eſt ibi iniuſtitia ſupra fornicationis malitiam, cùm ſit vſus corporis, quod adhuc non eſt alienum: nondum enim traditum eſt corpus alteri, nec tranſlatum in dominium ipſius.

Dico *primò*, ſponſalia non addere fornicationi nouam malitiam iniuſtitiæ, ex eo quòd ſponſi adquiſierint ius ad corpora mutuò tradenda. Ita ſentio cum Doctoribus tertiæ ſentētiæ. Moueor *primò*, quia ſponſalia mutuò contrahentes nihil aliud ſibi mutuo promittunt, quàm futurum matrimonium: ergo ad nihil aliud illa ſuâ promiſſione ſe obligant, aut obligare poſſunt, quàm ad illud re ipsâ futuro tempore contrahendum; ſed hoc ius ad rem, quod nihil eſt aliud, quàm ius in vno habendi alterum aliquando in coniugem, & adquirendi dominium corporis, eius non violatur fornicatione ſponſi, vel ſponſæ, quia plenè ei ſatis fit à ſponſo, & ſponsa, dum retinent voluntatē contrahendi, vt ſuppono eam retinere, & eſſe omninò paratos ad matrimonium ſuo tempore contrahendum: ergo nulla committitur iniuſtitia in fornicatione ratione illius iuris ad rem. *Secundò*, ſicut ſe habet votum ſimplex faciendæ aliquando in Religione profeſſionis ad ipſam profeſſionē; ita ſe habent ſponſalia ad matrimonium; ſunt enim hæc promiſſio futuri matrimonij, ſicut illud votum eſt promiſſio futuræ profeſſionis: & ſicut in ſponſalibus quilibet ſpōſus adquirit ius iuſtitiæ habendi alterum aliquando actu coniugem, ita ex illo ſimplici voto ius adquirit Deus, cui votum factum eſt, exigendo ab eo, qui vouit, vt faciat aliquando in religione profeſſionem. At ex eo quòd quis voueat profeſſionem aliquando in religione faciendam, non ſe obligat, vt tempore profeſſionem antecedente à fornicatione abſtineat, vnde ſi fornicetur, peccabit quidem contra caſtitatem, at ratione profeſſionis nullam nouam ſpeciem peccati contrahet: ergo, &c.

Dico *ſecundò*, ratione prædicti iuris præcisè, quod habent ſponſi ad traditionem mutuam corporum, non poſſe dici peccatum ſponſi fornicantis eſſe veniale peccatum iniuſtitiæ ratione leuis iniuriæ, quæ ſponſæ infertur; & idem ſpecie peccatum ſponſæ fornicantis eſſe mortale, ratione grauis, quæ ſponſo infertur, iniuriæ, ſed vtrumque aut mortale eſſe, aut veniale, ratione prædicti iuris, aut certè nullam eſſe iniuſtitiam, vt dixi *dicto primo*. In hoc conuenio cum auctoribus primæ ſententiæ. Ratio eſt, quia æqualis iuris violatio, æquale ex ſe peccatum eſt, vt conſtat; ſed ius ſponſi, & ſponſæ in vtroq; eſt omnino æquale: ergo illius violatio in vtroque vel eſt mortale, vel veniale, vel nullum, quia non violatur tale ius, vt opinor, niſi modo infrà explicando. Minor patet, quia per contractum ſponſalium æquale ius adquirit ſpōſa in viri corpus ei, quod adquirit ſponſus in corpus ipſius, & vice verſâ; ſicut per matrimonij contractum æquale ius adquirit vxor in mariti corpus ei, quod hic adquirit in corpus illius, & è conuerſo. Dices ex 7

8 ſponſi fornicatione non redundare in ſponſam æquale dedecus apud homines ei, quod ex fornicatione ſponſæ redundat in ſponſum. Sed contra eſt, quia ſi id valeret, concluderetur quoque vxoris adulterium eſſe quidem graue in iuſtitiæ peccatum, quia ex eo redundat in maritum graue apud homines dedecus, & adulterium mariti leue in hoc iniuſtitiæ genere peccatum eſſe; quia ex eo non niſi leue redundat in vxorem dedecus. Quare ſicut hoc peccatum, cùm in vxore adulterante mortale ſit, eſt etiam in viro; quia æquale eſt vxoris ius in viri corpus ei, quod habet vir in corpus vxoris, ſitque proinde æqualis ab adultero coniuge alteri coniugi iniuria; ita ſi in ſponſa fornicante dicatur hæc fornicatio eſſe mortale peccatum iniuſtitiæ, erit & in ſponſo, quia ſponſa ex ſponſalium contractu ius habet in ſponſi corpus æquale ei, quod hic habet in corpus illius; atque ideo fit iniuria ſponſæ innocenti

ti à ſponſo fornicante æqualis ei, quæ fit à ſponſâ fornicante ſponſo innocenti.

9 Dico *tertio*, ratione iuris ſponſorum adquiſiti ad corpora mutuò contrahenda, teneri ſponſos non reddi ineptos ad matrimonium contrahendum. Hoc videtur certum; ratio eſt, quia cùm ſponſi ſolùm promittant contrahere matrimonium, & per ſponſalia ſolùm adquiſitum ſit ius ad corpora mutuò tradenda, quoties ſponſi ad hoc parati erunt, & apti, non faciunt contra fidem datam, nec contra ius adquiſitum, & ſi redderentur inepti ad contrahendum matrimonium, facerent contra tale ius; tenentur enim ſponſi ratione contractus ſponſalium, ita ſeruare aptum ſuum corpus ad matrimonium contrahendum, vt propter aliquod ſuperueniens damnum non impediatur, vel retardetur iniuſtè ſponſus, vel ſponſa ad contrahendum; nam ſi impediatur, fit alteri iniuria eo magis, vel minus grauis, quo maius eſt impedimentum: ſicut ſi res aliqua, exempli cauſà, equus, ſit debitus alicui ex contractu, grauiter peccat contra Iuſtitiam, qui illum reddit grauiter minus aptum eruendo oculum, & leuiter peccat, ſi illud tantùm leuiter minus aptum reddat. Hinc

10 Dico *quartò*, fornicationem ſponſi, & etiam ſponſæ, ſi eſt occulta, & ignota, vt regulariter contingit, nullam addere malitiam iniuſtitiæ. Ratio eſt, quia talis fornicatio cùm ignoretur, nullo modo impedit matrimonium contrahendo, ſicut etiam ſimilis fornicatio, quia non impedit ingreſſum religionis in eo, qui nouit ſe facturum in ea profeſſionem, nullam nouam peccati ſpeciem, præter eam, quæ eſt contra caſtitatem, contrahit. Firmatur, nam ſi concubitus omnino occultus ſit, non eſt defectus ille, ex his, qui contrahenti manifeſtandi ſunt, ne committatur iniuſtitia, & inæqualitas contractus, cùm detur corpus æquale, & æquè aptum, per ſe loquendo, pro corpore æquali, & æquè apto ſecundùm ſubſtantiam, in quo conſiſtit iuſtitia contractus promiſſionis matrimonij.

11 Dico *vltimò*, ſi fornicatio tam ſponſæ, quàm etiam ſponſi, eſſet nota aliis, præter ſpeciem peccati contra caſtitatem, contrahere nouam ſpeciem iniuſtitiæ, quatenus per fornicationem redderentur inepti ad matrimonium contrahendum. In hoc ſenſu partim conuenio cum Doctoribus primæ & ſecundæ ſententiæ. Et probatur, quia in primis negari non poteſt, ſponſam per fornicationem aliis notam, apud hominum æſtimationem, ſe reddere viliorem ad matrimonium contrahendum, ita vt nullus honeſtus, & prudens vir eam poſtea habere velit: ergo verè impedit executionem matrimònij promiſſi; præſertim, quia ſeſe exponit periculo concipiendi cum dedecore ſponſi, & damno etiam temporali, ne alienam prolem alat. Idem cum proportione dico de ſponſo, ſi fornicatio eius nota ſit ſponſæ: nam licèt apud hominum æſtimationem, non ideo ille reddatur notabiliter vilior; dat tamen ſufficientem cauſam ſponſæ ſoluendi ſponſalia, quod in leuem iniuriam non debet conuenire; nam culpa leuis, quæ viro cordato non ſufficeret ad repudiandam alterius amicitiam, non poteſt ſufficere ad ſoluenda ſponſalia. Præſertim, quia talis fornicatio, meritò mouet ſponſæ ſuſpicionem, ſe minùs præ alterâ amari, & facile etiam poſt contractum matrimonium minus amãdam, cùm videat ſponſum in feruore ſui primi amoris alienis amoribus implicatum, & fortè magis, quàm ſuo, quod ſponſæ ſine dubio eſt duriſſimum. Adde ſæpè eſſe periculum, ne naſcatur proles, quæ poſtea communibus ſumptibus debeat ali, & futura ſit exoſa oculis vxoris, quam omnem aleam ſponſa debet ſubire, aut ſponſalia deſerere; atque adeò hinc etiam per fornicationem ſponſi impeditur executio matrimonij promiſſi, vel ſaltem redditur ille ineptus ad illud contrahendum.

Ex dictis conſtat iuxta noſtram doctrinam, circumſtantiam ſponſalium eſſe neceſſariò fatendam in confeſſione tam ex parte ſponſæ de futuro, ſi cum alio fornicetur, quàm ex parte ſponſi, ſi ad aliam accedat, quando nimirum redduntur inepti ad matrimonium promiſſum contrahendum, & tale matrimonium impeditur. Nam, vt conſtat ex dicto tertio, cùm ſponſi ratione ſponſalium adquiſierint ius ad corpora poſtea mutuo tradenda, tenentur ratione huius iuris ſeruare corpora apta ad contractionem matrimonij. Quod ſi id impediatur, fit alteri iniuria; iuxta prudentis verò, & docti viri arbitrium, inſpectis omnibus circumſtantiis, tam perſonarum, quàm earum conditionibus, cenſenda eſt grauis, vel minus grauis iniuria; & ſi ea fuerit mortalis ex parte ſponſæ, vel etiam ex parte ſponſi præter ſpeciem fornicationis cum non ſuâ, quatenus eſt contra bonum prolis, id quod commune eſt omni copulæ fornicariæ, ibi erit noua ratio & ſpecies grauis iniuſtitiæ in confeſſione neceſſariò aperienda. 12

Argumenta oppoſita non difficilem ex dictis videntur habere ſolutionem. 13

Ad argumentum primæ ſententiæ conſtat ex primo dicto, ratione iuris præcisè, quod habent ſponſi ad traditionem mutuam corporum, nullam eſſe iniuſtitiam in fornicatione ipſorum, cùm ſit vſus corporis, quod adhuc non eſt alienum. Quòd autem ſponſus per ſponſalia ius habet, tantùm eſt, vt non impediatur iniuſtè ad illam ducendam in vxorem, quod ius non impedit, qui cum illa rem habet occultè. Ad confirmationem dico, probare rectè, ſi iniuſtitia eſſet in fornicatione ſponſæ, & etiam fuiſſet in fornicatione ſponſi; veritas tamen eſt, non eſſe ibi iniuſtitiam ſupra fornicationis malitiam, cùm non violetur ius ſponſalium, dum non impeditur matrimonij promiſſi contractio.

Ad ſecundam ſententiam, eiuſque probationem conſtat ex dicto ſecundo, quarto, & quinto, quid ſit dicendum.

Ad tertiam, eiuſque rationem, dico rectè probare noſtrum primum dictum.

SECTIO V.

An promiſſio matrimonij gratuita, ſeu non mutua, acceptata tamen, obliget ſub mortali.

Recolo, nomine promiſſionis gratuitæ matrimonij contrahendi intelligi à Doctoribus eam, quæ gratis, & per modũ cuiuſdam liberalis promiſſionis fit, nullâ ex iuſtitiæ debito ſpectatâ repromiſſione. Et de hac quærimus, an licèt non ſit ſufficiens ad ſponſalia, vt conſtat ex ſuperioribus, ſit tamen ſufficiens ad obligandum ſub mortali, ſi alter acceptet præcisè, & non repromittat, vt ſæpè contingere poteſt, & ex natura rei poteſt cuiuſuis rei facta promiſſio acceptari ab eo, cui facta eſt, quin ea acceptatio ſit vllius rei repromiſſio, vt oſtendi ſuprà *diſp. 1. ſect. vltimâ*. 1

Circa quam difficultatem, certum eſt fractionem fidei promiſſionis ſimplicis, ſeu gratuitæ, acceptatæ tamen, eſſe per accidens mortalem culpam, ſi inde al- 2

rei ſequatur notabile damnum: vt ſi promiſiſti dare alicui centum mutuo, & ille promiſſioni fidens non quæſiuit aliunde, ex quo graue in ſuis detrimentum ſubiit. Idem ergo dicendum in promiſſione gratuitâ matrimonij. Diſceptatio igitur procedit, per ſe loquendo, quando videlicet ex tali promiſſione non implerâ nullum aliud ſequitur proximo damnum, quàm carere illo matrimonio ſibi promiſſo.

3 Caietanus 2. 2. *q.* 113. *a.* 1. *ſub finem*, ſentit eam promiſſionem ſolùm obligare ſub veniali. Probat, quia frangere hanc fidem, non opponitur iuſtitiæ, ſed virtuti veracitatis: nam ſicut ex virtute veracitatis tenemur dicere verum, & facere, vt verba reſpondeant menti; ita ex eâdem virtute obligamur, vt opera reſpondeant verbis. At veracitatis virtus non obligat ſub mortali; mentiri enim non eſt mortale, quando mendacium non eſt pernicioſum. Firmatur, nam licèt demus, talem promiſſionem obligare ex virtute fidelitatis, vt multi volunt, at veriùs videtur, quod cum multis ſentit Suarius *in opuſculis*, relectione de libertate voluntatis diuinę *ſect.* 2 *n.* 26. fidelitatem non eſſe virtutem à veracitate ſpecie diuerſam, quia eiuſdem honeſtatis eſt veritatem ſeruari in dictis, eo tempore, quo dicuntur, & procurare, ſeu efficere, vt per futura facta verificetur, quando eorum veritas inde pendet; ſed fidelitas hanc honeſtatem reſpicit, & ad illam tantùm homo ſe obligat ex vi promiſſionis ſimplicis, ſeu gratuitæ: ergo talis virtus non eſt diſtincta à virtute veracitatis. Quòd ſi virtus fidelitatis, ac veracitatis eadem ſit; ſanè ſicut veracitas nunquam obligat ſub mortali, per ſe loquendo, & ſecluſis extrinſecis, vt conſtat in aſſertione factâ de præſenti, certè nec fidelitas in actu promiſſionis obligabit ſub mortali.

Alij verò communiter ſentiunt promittentem gratis, & non per modum contractus, alicui matrimonium, quamuis non accedat repromiſſio, ſed ſola acceptatio, teneri ſub mortali fidem ſeruare. Ita Bartholomæus à Ledeſma *dub.* 8. *de matrimonio* §. *annotare hî. oportet primò*, Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 5. *n.* 29. Coninch *diſp.* 22. *ſect.* 6. *n.* 39. & multi alij, qui abſolutè docent, omnem promiſſionem rei grauis feriò factam homini, obligare ſub peccato mortali, inter quos Leſſius *de iuſtitia c.* 18. *n.* 55.

Probatur *primò*, quia eſt promiſſio ſimplex in materiâ grauiſſima: ergo obligat ſub mortali.

Secundò, tale promiſſum acceptatum non ſeruans poteſt excommunicari, vt conſtat ex *cap.* 1. *de pactis*: at excommunicatio, intellige maior, ſolum imponitur pro mortali.

Tertiò, obligatio reſultans ex promiſſione eſt ex iuſtitiâ: ergo obligat ſub mortali. Antecedens præterquam eſt dictum commune Theologorum, vt notauit Vaſquez *tomo* 4. *in* 3. *p. diſp.* 5. *de matrimonio cap.* 1. probatur, quia tranſit ad hæredes, id eſt, hæredes promiſſoris, tenentur ad illam: quod non ita eſſet ſi obligaret tantùm ex veracitate, vel ex fidelitate, vt conſtat, in obligationem voti, quæ ad illos non tranſit. Firmatur, quia quandocumque in foro externo quis iure compellitur aliquid implere, cenſetur ad illud fuiſſe obligatus ex iuſtitia, niſi aliàs iudicium innitatur falſæ præſumptioni, aut tantùm ſit damnationis pœna; cùm iudicis ſententia eò tendat, vt vnicuique ſuum ius reddatur, & conſtituatur æqualitas, in qua conſiſtit medium iuſtitiæ. At promiſſor in foro externo, etiam Eccleſiaſtico, compellitur ad promiſſionem, vt dictum eſt *in* 1. *argumento*. Et iure ciuili datur etiam actio *l. ſi quis argentum.* § *vltimo*, *C. de donationibus*, & aliis, quæ videri poſſunt apud Molinam *diſp.* 262. Ex quo manifeſtè infertur, talem promiſſionem obligare ſub mortali: neque enim lex concederet actionem ex ſimplici promiſſione, quæ tranſiret ad hæredes, niſi ex illa ius graue acceptanti quæſitum eſſet; neque in foro exteriori vlla etiam actio concederetur; nec iudex quamquam compelleret, vt promiſſa redderet, ſi ſub veniali tantùm ad id teneretur. In hac re

Dico *primò*, ex promiſſione gratuitâ matrimonij abſolutè & ſimpliciter, ſi nullo modo limitetur ex intentione promittentis, oriri obligationem ſub culpâ lethali. Ita ſentio cũ Doctoribus ſecundæ ſententiæ, idque probãt illius argumẽta. Et amplius roboratur, quia per talem promiſſionem, per ſe loquendo, ſi non limitetur ex intentione promittentis, promiſſarius adquirit ius ad rem promiſſam, quo ſine vllâ cauſâ iniurioſè priuatur. At hoc ſine graui culpâ non fit, quando res eſt grauis, quia alter grauiter læditur in eo, quod iam verè ipſius erat; ergo. 5

Dico *ſecundò*, poſſe ex intentione promittentis talem promiſſionem matrimonij gratuitam obligare ſolùm ſub veniali. Probatur, quia ſuprà *ſect.* 3. *dicto* 1. probatum eſt, obligationem pendentem ex priuatâ hominum intentione, ac voluntate præciſè, poſſe obligare leuiter, circa materiam ex ſe grauem: talis verò eſt ſimplex, & gratuita matrimonij promiſſio. In quo valdè diſtinguitur à promiſſione mutuâ, & reciprocâ matrimonij, quæ ipſa ſponſalia formaliter, & eſſentialiter conſtituit; hæc enim nequeunt obligare tantum ſub veniali, vt *ſect.* 3. *citata*, *dicto* 3. demonſtraui. 6

Dico *tertiò*, promiſſionem matrimonij, ſicut & cuiuſuis alterius rei gratuitam, non obligare ex virtute veracitatis, ſed fidelitatis. Ita benè Leſſius *de iuſt. c.* 18. *dub.* 8. Ratio eſt, quia virtus veracitatis ſolùm nos obligat ad duo, nempe vt dicta noſtra conformemus menti, ne committamus mendacium, & vt facta conformemus dictis, ne dicamus falſum. At promittere non eſt tantùm affirmare ſe daturum, vel facturum; ſed vlteriùs eſt ſe obligare alteri, & conſequenter ius illi tribuere ad exigendum, vnde dici ſolet, *promiſſionem parere debitum*. Vnde aſſertio de futuro per ſe ſolam nullam inducit obligationem in futurum, ſed ſolùm poſtulare veritatem, quando aſſeritur, quatenus ex præſenti pendet propoſito, vt expreſsè docuit S. Thom. 2. 2. *q.* 98. *a.* 7. *ad* 1. & ideo per ſe non inducit obligationem. At promiſſio inducit ſpecialem obligationem perſeuerandi in illo propoſito, & illud implendi: ergo eiuſmodi honeſtates ſunt valdè ſpecie diuerſæ. Quare, etſi qui tantum affirmat, ſe aliquid futurum, teneatur ex virtute veracitatis ſuum dictum verificare, quatenus ex præſenti propoſito pendet, ne lædat honeſtatem huius virtutis: at ille, qui promittit, ampliùs obligatur ad perſeuerandum, nimirum in illo propoſito, illudque implendum, nam promiſſio directè reſpicit alium, vt creditorem, cui facta eſt obligatio. Atque hæc eſt ratio, cur fidelitas ex ſe obligare poſſit ſub mortali, niſi ex intentione promittentis ſit aliqua limitatio; non verò veritas, ſeu veracitas: nam hæc ſolùm obligat ad illam conformitatem verborum cum mente; & ad præſens propoſitum; quod nunquam cenſetur eſſe materia grauis, loquendo per ſe. At fidelitas inclinat hominem, vt promiſſum impleat, reddatque id, ad quod alius habet ius ex vi ſuæ promiſſionis acceptatæ, atque adeò ſi promiſſio ſit de re graui, & ex intentione promittentis, nulla ſit limitatio, & non cedat promiſſarius iuri ſuo, neceſſe eſt vt promittens ſub graui culpâ teneatur ad illius impletionem. Ex quo oritur ratio, ob quam virtus fidelitatis debeat verſari circa materiam honeſtam, 7

Google

honeſtam, vt verè obliget; nam contradictionem implicat, quempiam ad illicitum teneri, & eſſe ligatum; tunc enim illicitum liceret, aut certè datetur perplexitas, quâ & faciendo id peccatum committeretur, & ſimiliter id non faciendo. Vtrumque autem conſtat eſſe valdè abſurdum.

8 Dico *vltimò*, rectè dici poſſe prædictam gratuitam promiſſionem obligare ex iuſtitiâ, ſed non ex iuſtitiâ ſtrictè ſumptâ.

Prima pars, quæ eſt apud Doctores communis, oſtenditur, tum quia promiſſarius dicit ſibi rem deberi, poteſtque debitum exigere, vel condonare, & omnis promiſſio ſi fiat per formam ſtipulationis, tribuit actionem in foro externo, & promiſſor cogitur eam implere: ergo inducit obligationem iuſtitiæ.

9 Dices, promiſſionem inducere talem obligationem, ſi fiat interueniente formulâ ſtipulationis, non verò ſi fiat ſimpliciter. Sed contrà eſt, tum quia formula ſtipulationis non reddit promiſſionem firmiorem in foro conſcientiæ, ſed ſolùm in foro externo, quia præſumitur maiore cum deliberatione facta, quando hæc interuenit: ergo non facit, vt promiſſio ſecundùm ſe ſit alterius virtutis, niſi propriæ ipſius. Tum etiam, quia tametſi iure Digeſtorum requiſita fuerit ſtipulatio, vt promiſſio ſimplex tribueret actionem in foro externo; tamen iure Codicis, vt multi ſentiunt, non videtur requiri, vt colligitur ex *l. ſi quis argentum. 1. C. de donationibus*. Et, quod magis vrget, iure Canonico conceditur actio ex promiſſione acceptatâ, etiam ſi formula ſtipulationis non interuenerit, vt tenent communiter Doctores, & patet ex *cap. 1. de pactis*.

Secunda pars dicti patet, quia qui facit promiſſionem gratuitam, non ſe tam ſtrictè obligat, ac qui facit promiſſionem oneroſam, in hac enim perfectior eſt obligatio, eo quòd pro obligatione rependatur æqualis obligatio, eſtque contractus mutuus, in quo loco eius, quod præſtatur, redditur, vel præſtatur aliud: ergo talis promiſſio gratuita non eſt ex virtute iuſtitiæ ſtrictæ ſumptâ; hæc enim reſpicit perfectum, & rigoroſum debitum ad alterum, ratione cuius ei datur, quod ei perfecto, & rigoroſo iure debetur; in liberali autem promiſſione nulla eſt compenſatio alterius rei æquiualentis, vt conſtat. Ex dictis

10 Colligo *primò*, manifeſtum diſcrimen inter promiſſionem matrimonij gratuitam, & alteram oneroſam, ſeu ſub conditione repromiſſionis. Prior enim obligat modo explicato, etiam ſi alter non repromittat, non verò poſterior: neque enim in ſponſalibus promiſſio traditionis corporis per verba de futuro, poteſt eſſe valida, niſi ſit non ſolùm acceptata, ſed etiam mutua, vt dixi ſuprà *diſp. 1. ſect. vltima, num. 1.* Hæc enim eſt natura contractus vltro, citroque obligatorij, vt dum celebratur antequam vtraque pars ſe obliget, nondum ſit contractus perfectus, ſed ante contractus perfectionem liberè poſſit alteruter reſipiſcere.

11 Colligo *ſecundò*, ex promiſſione gratuitâ matrimonij licèt oriatur obligatio, non tamen impedimentum publicæ honeſtatis, quia hoc oritur ex ſponſalibus, ſeu ex mutuâ, & reciprocâ matrimonij promiſſione legitimè factâ, vt conſtat.

12 Inquires, quo pacto cognoſcetur, promiſſionem eſſe gratuitam, vel potiùs eſſe per modum contractus, ſeu oneroſam. Dico cum communi doctrinâ, quando apertè non conſtat ex promiſſione externâ, ſtandum eſſe intentioni promittentis. Quòd ſi de ea non conſtet, colligi debet ex circumſtantiis. Nam ſi præceſſit tractatio de matrimonio contrahendo, promiſſio non fuit gratuita, ſed oneroſa. Si verò nullatenus de eo tractatum fuit, ſed ob beneficium acceptum ratione gratitudinis promittitur matrimonium, cenſetur eſſe gratuita promiſſio. Si autem dubium ſit, iudicanda eſt per modum contractus, nam ſponſalia naturâ ſuâ poſtulant talem promiſſionem; verba enim contrahentium, niſi aliud denotetur, accipienda ſunt ſecundùm naturam contractus, *l. ex conducto. §. Papinianus. ff. locati.*

Ad ſententias oppoſitas.

Ad fundamentum Caietani iam conſtat ſolutio ex *dicto* 3. & 4. Ad confirmationem veriùs opinor fidelitatem eſſe diuerſam ſpecie virtutem à veritate, ſeu veracitatis virtute; nam hæc ſolùm intendit conformitatem verborum cum mente: at illa inclinat ad promiſſionem implendam, & ad reddendum id, ad quod alius habet ius ex vi promiſſionis acceptatæ, vt ſuprà *dicto* 3. explicui. 13

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ prout noſtræ opponuntur.

Ad primum conſtat ex *dicto* 2. promiſſionem ſimplicem in materia graui, poſſe obligare ſolùm ſub veniali, ex intentione promittentis, quia obligatio illius pendens eſt ex priuatâ hominis voluntate. 14

Ad ſecundum dico, in foro externo cenſeri ſemper promiſſum acceptatum in re graui, obligare ſub mortali, & promiſſarium grauiter lædi in iure, quod adquiſiuit ad rem promiſſam, & ideo poſſe excommunicari promittentem non ſeruantem illud, ne tali iure ſine rationabili causâ priuetur alius iniurioſè: at in foro conſcientiæ ſtandum eſt intentioni promittentis, cùm ex ipsâ pendeat formalis obligatio. 15

Ad tertium, concedo obligationem reſultantem ex gratuitâ promiſſione eſſe ex iuſtitiâ non ſtrictâ, ſed latâ. Nam cùm promiſſio ex naturâ ſuâ obliget ſupra ſimplicem aſſertionem, vt oſtenſum eſt ſuprà *dicto* 3. neceſſe eſt, vt virtus fidelitatis, cuius eſt implere promiſſum, obliget pluſquã virtus veracitatis, cuius eſt ſolum verificare aſſertum: at nequit intelligi, quæ ſit hæc maior obligatio, niſi ſit iuſtitiæ, vel virtutis iuſtitiæ valde affinis, præſertim, quia promiſſione acceptatâ datur ius ad rem, quod etiam ad hæredes promiſſarij tranſit: ſicut & obligatio promiſſoris ad ipſius hæredes traiicitur; at huiuſmodi iuri reſpondet obligatio iuſtitiæ. Promiſſarius item dicit ſibi rem deberi, poteſtque debitum exigere, vel condonare; quod ſignum eſt eſſe debitum iuſtitiæ, vel virtutis affinis. Nego tamen virtutem iuſtitiæ non poſſe circa materiã grauem obligare ſub veniali tantùm, quando nimirum conſtat ex voluntate contrahentium ſolùm leuiter voluiſſe ſe obligare; excipio ſponſalia, quæ ſemper obligant ſub mortali ob peculiarem cauſam, & rationem à me dictam ſuprà *ſect.* 3. Verum eſt in foro externo, quamlibet obligationem ex iuſtitia in re graui cenſeri grauem, & ſub mortali obligantem, vt iam dictum eſt. 16

Sectio VI.

An promiſſio matrimonij gratuita non acceptata poſſit aliquo iure obligare.

Doctores conueniunt, vt bene Molina *tom. 2. de iuſtitia tract. 2. d. 263.* & Leſſius *lib. 2. c. 18. dubit. 6.* de iure ciuili, & Canonico, promiſſionem gratuitam ante acceptationem ordinariè nullam parere obligationes. Ratio eſt, quia tam iure ciuili, quàm Canonico 1

nico obligatio non oritur, niſi ex mutuo duorum conſenſu. *l. . ff. de pactis*, & *cap. 1. de pact.*, ſtatuitur, inita pacta eſſe ſeruanda. Vnde pactum nudum iure Canonico obligat: in quo corrigitur ſolemnitas ſtipulationis in iure ciuili requiſita; non verò acceptatio neceſſaria, quia non dicitur pactum etiam nudum, niſi duorum conſenſus concurrat, *l. Labeo, ff. de verborum ſignificatione*, *l. ſi ego, ff. de negotiis geſt.* Diſceptatio ergo præcipua eſt, vtrùm iure naturali ſecluſo poſitiuo, promiſſio obligare queat ante omnem acceptationem.

2 Probabiliter ſentiunt graues Doctores, Couarruuias *in cap. quamuis pactum, p. 2. §. 2. num. vlt.* Molina *relatus*, & alij, conſiſtendo intra limites iuris naturalis ſufficere conſenſum promittentis ad obligationem independenter ab alterius acceptatione.

Primò ex *cap. ſi tibi abſenti, de præbendis, in 6.* vbi dicitur collationem beneficij abſenti factam ab Epiſcopo validam eſſe, eſto abſens nondum acceptauerit, & Epiſcopum nō poſſe eam reuocare, donec is, cui facta eſt, eam repudiet.

Secundò ex *l. pactum, & l. pretium, ff. de pollicitationibus*, manifeſtè conſtat, promiſſionem factam ciuitati ad inſtaurandas ruinas, vel ob honorem ab ea receptum, vel recipiendum, vel ad opus aliquod faciendum, ſi hoc opus iam ſit inchoatum obligare, eſto acceptata non fuerit: at ſi promiſſio non haberet naturâ ſuâ vim obligandi, ius ciuile non tribueret vim illi ſupra eius naturam; nam ius ciuile non tribuit contractibus maiorem vim, quàm naturâ ſuâ habeant; quamuis interdum ob bonum commune illis, vim quam per ſe habent, adimere ſoleat.

Tertiò obligatio naturalis gratuita ex proprio conſenſu, & voluntate pendet; ergo cùm conſenſus proprius ante acceptationem ſit perfectiſſimus, ſanè pariet obligationem independenter ab alterius acceptatione.

Quartò, ſicut proferre dicta conſona menti eſt actus virtutis veracitatis, ita conformare facta promiſſis eſt actus virtutis fidelitatis, ſed eo ipſo quo quis vult verba proferre, obligatur ex veracitate ad conformanda ea menti: ergo eo ipſo, quo quis vult aliquid alteri promittere, obligatur abſolutè ex fidelitate ad conformandum illud facto, promiſſione.

Quintò, quæuis promiſſio ſponſalium dicit ordinem ad repromiſſionem, ſine qua ſponſalia eſſe non poſſunt, & tamen poteſt dari promiſſio ſponſalium abſque actuali repromiſſione, vt vidimus *ſupra.* ergo tametſi promiſſio dicat ordinem ad acceptationem, dari poterit ſine actuali acceptatione: nam ante iſtam dari poteſt abſoluta obligatio fidei rei faciendę, quam qui reuocaret antequam à promiſſario reſpueretur, cenſeretur propriè infidelis, quia non conformaret facta promiſſis.

Sextò, diuina liberalis promiſſio facta homini obligat Deum ex fidelitate, etiamſi ab homine non acceptetur; ſimiliter Princeps & Reſpublica promittens aliquid, obligatur ex fidelitate, etiamſi ab alio non acceptetur, dummodo non reſpuatur: ergo & humana promiſſio particularis facta alteri homini, obligat promittentem, etiamſi alius eam non acceptet.

Vltimò, quia iuxta contrariam ſententiam non rectè diſtinguitur obligatio fidelitatis ab obligatione iuſtitiæ, benè verò iuxta iſtam. Patet; quia ſi non datur obligatio ex fidelitate, niſi poſt alterius acceptationem, confunditur hæc obligatio cum obligatione iuſtitiæ: nam per acceptationem adquiritur proprium à promiſſario ius, quod reſpicitur à iuſtitia, in quamcumque rem oblatam, vt inductione conſtat: ſicut enim ſi quis acceptet dignitatem, equum, & cætera ab alio oblata, habet in illa proprium ius; ita etiam & habet ius in fidem oblatam, & acceptatam. Iuxta hanc verò ſententiam rectè intelligitur diſtingui obligatio fidelitatis ab obligatione iuſtitiæ: nam per ſolam abſolutam promiſſionem ante acceptationem ſolùm datur obligatio fidelitatis; poſt acceptationem verò additur obligatio iuſtitiæ.

Veriorem iudico oppoſitam ſententiam aſſerentem, promiſſionem omnem, atque adeò & ipſius matrimonij, ſicut & donationem etiam ſiſtendo in ſolo iure naturali, non obligare ante acceptationem. Ita ſentiunt Sanchez cum multis, quos ipſe refert *lib. 1. diſp. 6. num.* 10. Vaſquez *diſp. 4. num.* 42. Leſſius *citatus num.* 39. Baſilius Ponce *lib. 12. cap. 4. num. 4. & ſequentibus* Coninch *diſp. 22. num.* 35. Hurtado *diſp. 1. diffic. 3.* & aliis. Iuxta hanc doctrinam 3

Dico *primò*, promiſſionem humanam vt obliget debere innoteſcere ei, cui fit promiſſio. Hoc mihi videtur certum; & patet, quia, vt vidimus ſuprà *diſp. 1. ſect. 1.* promiſſio humana eſſentialiter conſiſtit in oblatione, qua promittens offert alteri ſuam fidem rei faciendæ; fides enim, ſeu fidelitas eſſentialiter eſt virtus ad alterum: ergo naturâ ſuâ poſtulat, vt à promittente ſit inſinuata alteri, cui fides offertur: ergo ſi per promittentem non innoteſcit ei, cui offertur, non erit promiſſio. Firmatur, nam non videtur intelligi poſſe, vt quis alteri loquatur, vel ei aliquod munus offerat, ſi alter abſens ſit, & ignarus locutionis, vel oblationis. Quis enim dicet eum, qui exiſtit Valentiæ, eſto ſua dirigat verba ad Romanum Pontificem, & affirmet, ſe illi offerre tale munus, loqui Pontificem, & ei munus offerre, niſi valdè metaphoricè, & impropriè: ergo idem erit de promiſſione abſenti facta, cùm promiſſio conſiſtat in locutione, & oblatione propriæ fidei alteri facta rei promiſſæ. Videantur dicta à nobis ſuprà *ſect. 2. cit. n. 4. & 5.* 4

Dico *ſecundò* promiſſionem futuri matrimonij vt obliget, requirere acceptationem alterius, inſpecto etiam ipſo iure naturali. Probatur *primò*, quia promiſſio, vt dixi, eſſe non poteſt, niſi manifeſtetur ei, in cuius vtilitatem fit, cùm ſit virtus ad alterum, videlicet fidelitatis: non poteſt autem eſſe in obſequium alicuius, donec ille alter acceptet, & vtilem iudicet, nam vſque ad eam acceptationem perinde eſt, ac ſi audiiſſet promiſſionem, & nihili feciſſet. *Secundò* non poſſum alteri me obligare niſi ipſe adquirat ius in me, nec poteſt illud adquirere, niſi volens, quod fit per acceptationem per ipſum, vel alium eius nomine factam. *Tertiò*, quia aliàs fruſtrà eſſet talis obligatio: nam cùm eſſet orta ex ſola voluntate promittentis, per eandem poſſet, quandocumque vellet, tolli, quia omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur: vt habetur *cap. 1. de regul. iuris.* *Quartò*, cùm ius iuſtitiæ cuiuſlibet verſari debeat inter duos, hoc eſt, iuſtitia, quam quis ſeruare debet ad alterum ſit, quotieſcumque ius hoc vnius ad alterum ex voluntate oritur, ſicut contingit in promiſſione; non poteſt non ex conſenſu vtriuſque naſci: nam qui fieri poteſt, vt aliquid ex voluntate alterius ad me incipiat, vt meum pertinere abſque conſenſu meo; alioquin & me etiam repugnante, & contradicente, ſeu remittente promiſſionem, idem fieri poſſet, quod eſt abſurdum. Idem dicendum pro obligatione fidelitatis, quæ ex promiſſione naſcitur, nam ei, qui nihil curat de promiſſione, fidelitas non debetur in promiſſis: ſicut neque ei, qui remittit verbum promiſſionis. Quod iudico verum, etiam ſi promiſſio liberalis matrimonij facta fuerit mulieri in fauorem piæ cauſæ. Vt ſi quis promittat matrimonium fœminæ pauperi, vel meretrici in Dei obſequium, & 5

remedium

remedium eius. Ratio eſt, quia nullum ante acceptationem ius adquiritur, eſt enim acceptatio neceſſaria iure naturæ ad valorem promiſſionis. Promiſſio autem ex voto in matrimonio, locum non habet etiam in cauſà pià: non enim eſt materia voti, cùm impediat maius bonum, & melioris vitæ propoſitum, quod pugnat cum ratione voti, etiam ſi fiat intuitu miſericordiæ, vt remedium pauperis fœminæ. Verum eſt quod dixi ſuprà *diſp. 3. ſect. 3.* ſi tale votum emitteretur ſub conditione, nimirum ſi ducturus ſum, voueo me ducturum pauperem in Dei obſequium, verè eſſet validum; tamen tunc licèt non eſſet acceptatio ex parte fœminæ, ſufficeret tamen acceptatio ex parte Dei, quam bonis operibus ſemper adeſſe credimus Denique firmo dictum, nam vota Deo facta obligatoria non ſunt, quando Deus ipſe minimè acceptat, vt ſi fiant de rebus indifferentibus, vt obiter notauit Sanchez *lib. 1. diſp. 6. ad finem numeri ſecundi.* Imò ſi fiant de re bonâ, & talia vota Deus non acceptaret de poſſibili, verè obligatoria non eſſent; ergo multò minus humana promiſſio non acceptata poteſt obligationem vllam parere.

6 Dico *tertiò*, nullam promiſſionem valere iure ciuili ante aliquam acceptationem. Ita Baſilius *c. 4. cit. n. 6.* Ratio eſt, quia aliqua acceptatio eſt iure naturali requiſita, vt oſtenſum eſt, nec ſine illà promiſſio habet naturâ ſuâ vim obligandi. At ius ciuile nequit tribuere promiſſioni vim obligandi ſupra eius naturam, vt eſt per ſe manifeſtum. Quare tametſi verum ſit promiſſionem factam ciuitati ad inſtaurandas ruinas, v.g. obligare, in ea tamen promiſſione eſt acceptatio eius, cui fit, vel ipſius Reipublicæ, vel Principis acceptantis loco illius. Vnde nulla eſt promiſſio verè obligans, in qua non ſit acceptatio eius, cui fit, vel ſaltem Reipublicæ, aut Principis acceptantis loco priuatæ perſonæ; nec ius ciuile, vel aliqua lex municipalis tollit acceptationem, quam nullo pacto tollere poteſt, ſed ſolemnitates aliquas ſtipulationis.

7 Noſter verò Sanchez *lib. 1. d. 6. n. 15* excipit ab hac vniuerſali regula promiſſionem liberalem matrimonij factam infanti, ſiue præſenti, ſiue abſenti, quam putat ita ratam, & firmã eſſe, vt reuocari nequeat, ſed tempus expectandum, donec infans ad ſeptennium perueniat, & habeat vſum rationis, & tunc ſi illam repudiet, promiſſor liber erit, non verò ſi illam acceptet. Quod probat ex *l. iubemus. C. de emancipat. liber.* vbi decernitur, patrem emancipare poſſe filios infantes, ita vt ex eo tempore effectum habeat emancipatio, in qua ætate nulla poteſt eſſe acceptatio.

8 Contrarium exiſtimo verius, talem nimirum promiſſionem non eſſe validam, cum Vaſquez *citato*, quia, vt oſtenſum eſt, nulla promiſſio ante acceptationem obligat. Et certè quis non videat, quænam promiſſio infanti nec ſcienti, nec intelligenti eſſe poſſit, cùm non differat ab ea, quæ lapidi fieret. Aliter dicerem, ſi promiſſio facta eſſet parentibus infantis, aut tutoribus, & illi acceptaſſent; tunc enim non obligat, quia promiſſio ſponſalitia ſit, ſed ratione alterius promiſſionis, quæ ibi interuenit cum patribus, aut tutoribus illius.

9 Ad argumentum Sanchez rectè notat Vaſquez diuerſam eſſe rationem emancipationis, & promiſſionis, ex qua prouenit vt in emancipatione non requiratur conſenſus infantium, in promiſſione verò requiratur acceptatio. Nam emancipari eſt extrahi filium, & ſolui patria poteſtate, quæ cum iure poſitiuo ſit inducta, tam in filios adultos, quàm infantes; inde fit ſine conſenſu filiorum, imò & parentum, eodem iure poſſe liberari; ac proinde poteſt à patribus filiis concedi ſine illorum conſenſu; renunciat enim pater priuilegia iure poſitiuo ipſi conceſſa, cùm plura commoda illius proueniant ex patria poteſtate, nam ratione illius habent patres in bonis filiorum aduentitiis vſumfructum. At qui promiſit, non renunciat alicui priuilegio, ſed ex ſuo dat aliquid, in quod adquiritur ius fidelitatis, & iuſtitiæ infanti aduersùs promittentem: quòd ius nulli adquiri poteſt, ſine proprio conſenſu ex natura ipſius promiſſionis, vt dictum eſt.

Dico *vltimò*, taciturnitatem in promiſſario præſente eſſe ſignum acceptationis promiſſionis factæ. Ita communiter Doctores, & conſtat ex *cap. vnico, de deſponſat. impuber. in 6.* Et patet, quia tacens videtur conſentire, in quantum eſt in ſui fauorem, non tamen in ſui præiudicium, *reg. qui tacet, de reg. iur. in 6.* at in hoc euentu de tacentis commodo agitur. Et quamuis ex regulâ, *is qui tacet 44. de reg. iuris in 6.* taciturnitas nec ſit ſignum conſenſus, nec diſſenſus; id tamen ſic eſt intelligendum, vt taciturnitas ſit quaſi quid medium inter conſenſum, & diſſenſum; quia ad vtrumque poteſt ſe habere; in fauorabilibus enim promiſſionibus eſt conſenſus, in oneroſis autem diſſenſus. Hinc autem ſumitur optima ratio; quia quoties de tacentis commodo agitur, cenſetur tacens in ſui fauorem conſentire; at quando matrimonij promiſſio eſt gratuita, cuilibet eſt vtile, & commodum, vt abſque aliqua propriâ obligatione, alter ſibi obligatus ſit. 10

Nota taciturnitatem promiſſarij præſentis cenſeri acceptationem, dummodo ſit moralis præſentia, qua tacens intelligat ſibi fieri promiſſionem. Vnde ſi verba promiſſionis non audiat, neque eorum ſenſum percipiat, taciturnitas illa non eſt acceptationis ſignum; eſt enim acceptatio actus liber, & ideo ſupponit rei acceptatæ cognitionem. Ex quo infero, ſi verba promiſſionis accipiantur, veluti dicta per modum fictæ vrbanitatis, licèt taceat, non videri acceptare, atque adeò poſſe reuocari promiſſionem, quamuis alter vero animo promiſerit. Idem dico de eo, qui ignorat ex eiuſmodi promiſſione obligationem oriri. Ratio eſt, quia nullus acceptat, niſi quod nouit, at talis perſona non habet conceptum illius rei, quæ eſt promiſſio, ſed tantùm huius vocis, *promitto*, quod perinde eſt, ac ſi ſolùm propoſitum acceptaret. 11

Quæret aliquis, qualis requiratur continuitas acceptationis cum promiſſione. Breuiter dico, non deſiderari ſimultatem, ac continuitatem phyſicam conſenſuum, ſed ſat eſſe moralem. Vnde ſi poſt promiſſionem promiſſarius abſens acceptationem differat multo tempore, cenſetur contemnere, & promittens manet liber ex tacitâ remiſſione. Hoc autem tempus arbitrio prudentis attentis circumſtantiis occurrentibus eſt perpendendum. 12

Ad argumenta primæ ſententiæ oppoſita.

Ad primum dico collationem beneficij non eſſe propriè donationem, ſed executionem donationis, quam Epiſcopus tenetur facere, & ius voluit, vt talis collatio ante acceptationem valida ſit. Et quamuis talis collatio eſſet donatio, non eſſet perfecta, ſed inchoata; nam per perfectam is, cui fit, habet ius in beneficium; quod tamen non habet ante acceptationem, vt decernitur in eo capite. Voluit tamen Pontifex, vt etiam ſi acceptata non ſit, non poſſit ab Epiſcopo reuocari, quouſque repudietur. 13

Ad ſecundum communiter reſpondent Doctores noſtræ ſententiæ; eſto ius ciuile ob commune bonum ſtatuerit promiſſionem non obligare ſine acceptatione; ab hac tamen regula voluiſſe excipere aliquas promiſſiones, quales ſunt, quæ in argumento ponuntur. Ego verò, vt dixi *dicto tertio*, exiſtimo, nullam 14

Digitized by Google

lam promiſſionem excipere ius ciuile, nec poſſe, quæ habeat vim obligandi abſque vlla acceptarione; quia hæc requiritur ſaltem tanquam eſſentialis condictio ſine qua non, ipſo iure naturæ.

15 Ad tertium dico, in vnoquoque contractu oriri obligationem ex conſenſu adhibito, non quomodocumque, ſed iuxta naturam illius. Natura autem promiſſionis poſtulat, vt alij nota ſit, & in vtilitatem eius, quod fit per acceptationem. Quare donec illa ſit, non eſt perfectus contractus promiſſionis, neque conſenſus ad eam requiſitus ſufficienter conſtitutus.

16 Ad quartum negatur conſequentia ob peculiarem naturam promiſſioois, quæ nequit ex fidelitate obligare, niſi alteri nota ſit, tanquam vtilis, & commoda ipſi. Quod non habet virtus veracitatis, quæ non eſt ad alterum, ſed ad ſe ipſum, vt nimirum verba, quæ proferuntur, conformentur menti proferentis.

17 Ad quintum diſpar eſt ratio, nam ideo poteſt dari gratuita promiſſio ſponſalium abſque actuali repromiſſione cum ſola acceptatione, quia, vt oſtendi ſuprà *diſp. 1. ſect. vltimà*, acceptatio, formaliter loquendo, ſolùm eſt ſimplex, & nuda promiſſionis receptio, nullam afferens acceptanti obligationem, quæ receptione, & cooſenſu poteſt placere, & grata eſſe promiſſario, etiam dum eſt anceps, & dubius, vtrùm ſit aliquando tale matrimonium promiſſum contracturus. At nequit intelligi vera promiſſio alteri facta habens vim obligandi promittenti niſi ſit illi nota, & vtilis per promiſſarij conſenſum, & approbationem, quæ ſola eſt ſufficiens, & vera acceptatio.

18 Ad ſextum dico, antecedens eſſe falſum; nã etiam promiſſio facta à Deo, à Principe, & Republicâ, vt verè obliget, expoſcit expectationem ab eo, cui fit. Verum eſt noo requiri, vt ſingulis hominibus innoteſcat, & ab eis acceptetur, ſufficit enim, vt ſiot notæ communitati, & ab eâ acceptentur, vt in ſimili dicitur de lege à Principe promulgatâ.

19 Ad vltimum reſpondeo, rectè iuxta noſtram ſententiam intelligi obligationem fidelitatis eſſe valde diſtinctam ab obligatione ioſtitiæ ſtrictè acceptæ, iuxta dicta ſuprà *ſect. 5. dicto vltimo*. Nam ex ſola virtute fidelitatis circa rem promiſſam acceptatam non habet promiſſarius tam ſtrictum ius; habet verò illud, quando eſt iuſtitiæ rigoroſæ. Vnde etiam Deus virtute fidelitatis tenetur conferre pœnitentibus contritis primam gratiam ſanctificantem, quia per promiſſionem Dei, de infundendâ illis gratià, acceptatam, adquirunt ius in fidem diuinam oblatam, ſed non ius ſtrictum, & rigoroſum, quale habent iuſti ad conſequendam gloriam promiſſam ſuis meritis; nam iſtud conſiſtit præcipuè in condignitate operis cum præmio, vt in materia de gratià, & merito latè oſtendimus.

Sectio VII.

An irreuocabiliter obliget promiſſio matrimonij abſenti facta, nullo pro eo acceptante.

1 PArtem affirmantem ſequuntur D. Antoninus, Tabiena, & Armilla relati à Sanchez *diſp. 6. n. 23.* Probarique poteſt ex *cap. veniens, qui Clerici vel vouentes*, vbi promiſſio matrimonij iudicatur valida facta abſenti, & conſtat ex contextu, nullum abſentis nomine acceptaſſe.

2 Dico *primo*, promiſſionem matrimonij factam abſenti non eſſe validam, niſi acceptetur per internuntium, aut epiſtolam à promittente miſſam, vel per eum, cui ius dat poteſtatem acceptandi. Ita communis Doctorum ſententia. *Prior pars* eſt manifeſta ex præcedenti ſectione, vbi vidimus promiſſionem intrinſecè poſtulare, vt per promittentem innoteſcat ei, cui fit, & ab ipſo promiſſario acceptetur. *Poſterior pars* conſtat, quia per prædictos modos cenſetur, moraliter loquendo, promittentem alteri innoteſcere ſuam promiſſionem. Vnde in omnibus aliis promiſſionibus hoc ipſum deſideratur. Quare cùm coram nuncio à promittente miſſo alter acceptat, ſtatim eſt firma, & irreuocabilis promiſſio; nam ex eo quòd mittatur nuncius ille, vt intimet, cenſetur is quaſi procurator, & gerens promittentis vices, vt promiſſionis acceptatio coram ipſo facta conſeatur fieri coram mittente, & nomine mittentis acceptet; ſicut priuilegium, tametſi iuxta communem ſententiam non proſit abſenti ante acceptationem, dum tamen quis nuncium miſit, valet vbi priuilegium innoteſcit nuncio, & is acceptat. Similiter ſi nuncio mittam donum, ſtatim vt donatarius acceptat, irreuocabile eſt, nec opus eſt, vt mittenti de acceptatione conſtet: ergo ſimiliter in promiſſione gratuitâ. Hinc

Collige *primò*, promiſſionem matrimonij, etiam ſi innoteſcat alteri, non per epiſtolam, aut internuncium à promittente ipſius nomine miſſum, ſed per alios non miſſos, qui promiſſionem audierunt, inualidam eſſe, etiam ſi acceptetur Ratio eſt, quia promiſſio, vt ſæpè diximus, poſtulat natura ſuâ, vt per promittentem, vel per alium nomine promitteotis innoteſcat ei, cui fit. 3

Colligo *ſecundò*, promiſſionem abſenti factam, antequam ei innoteſcat, & ab ipſo acceptetur, poſſe reuocari, quia non eſt perfecta promiſſio, nec habet vim obligandi, donec ab altero noſcatur, & acceptetur. 4

Colligo *tertiò*, promiſsionem gratuitam abſenti factam, ſi fiat coram perſonis, quæ abſentis nomine ſtipulari, ſeu acceptare poſſunt, quales ſunt parentes pro filiis non emancipatis, tutores pro pupillis, curatores pro minoribus, & illi, quibus ſpeciali mandato committitur, validam eſſe, & non poſſe reuocari, vt conſtat ex titulo *de negotiis geſtis*, & ex aliis iuribus. Solùm dubitari poſſet, an prædicti abſentis nomine acceptantes, remittere valeant eam ſponſionem; videtur enim poſſe, quia omne vinculum eo modo diſſolui poteſt, quo colligatum eſt, vt conſtat ex *l. nihil tam naturale. ff. de regulis iuris*. Nihilominus oppoſitum eſt dicendum, non poſſe, quia per eorum ſtipulationem ius eſt abſenti adquiſitum. Vnde regula prædicta non procedit poſt ius comparatum tertio. 5

Colligo *quartò*, promiſſionem matrimonij reſpectiuam, ſeu ſub conditione repromiſſionis factam abſenti inualidam eſſe, & poſſe reuocari, quamuis ſit facta coram parentibus, tutoribus, & curatoribus; quia iſta promiſſio vt obliget, pendet ex alterius repromiſſione; repromiſſio autem non eſt ſine proprio conſenſu perſonæ, cui facta eſt promiſſio. 6

Colligo *vltimò*, promiſſionem liberalem matrimonij, causâ pietatis factam mulieri, reuocabilem eſſe ante abſentis acceptationem. Nam etiam, vt conſtat *præcedenti ſectione*, in causâ piâ exigitur acceptatio. Quòd ſi ea promiſſio matrimonij fieret Deo, caſu, quo valida eſt, quem caſum explicuimus ſuprà *diſp. 3. ſect. 3. n. 2. & 3.* eſſet firma, nec poſſet reuocari; tametſi poſſet illius voti diſpenſatio, vel commutatio obtineri abſque abſentis conſenſu. Vnde refert multum, an obliget vt votum, vel vt promiſſio facta homini, 7

Digitized by Google

mini, & ab ipſo acceptata: nam priori caſu poteſt commutari, & per diſpenſationem Epiſcopi tolli, inſtar aliorum votorum, cùm nullum ius per votum homini adquiratur, ſed ſoli Deo. At poſteriori non poteſt abſque hominis conſenſu tolli, cui per promiſſionem illam acceptatam eſt ius adquiſitum.

8 Dico *ſecundò*, promiſſionẽ liberalẽ matrimonij factã abſenti, reuocari poſſe ante acceptationem, quamuis adſit iuramentum, & pactum non reuocandi. Idem dico de promiſſione matrimonij onerosâ. Ita communis ſententia Doctorum. Ratio eſt, quia iuramentum ſequitur naturam, & qualitatem actus ſuper quem cadit; ergo quando actus includit aliquam eſſentialem conditionem, qualem includit promiſſio matrimonij, nempe acceptationem, eandem includit iuramentum ei adiectum. Quod intellige, niſi iuramentum factum fuerit Deo per modum voti, vt antea dixi.

9 Hinc colligo, ſi iuramentum non innitatur promiſſioni, ſed hoc pacto fiat internè, vel externè, in præſentia, vel abſentiâ alterius, Teſtor Deum, me ducturum Mariam, validum fore. Ratio, quia iuramẽtũ, vt ſit validũ, nõ requiritur, vt ſit de meliori bono, ſed ſufficit, vt ſit de re honeſtâ, circa quã verſetur ipſum iuramentum, in quo nulla eſt incluſa promiſſio. Nam in illo nulli offertur fides, ſed tantùm adducitur Deus in teſtem rei faciendæ; vnde non eſt iuramentum promiſſorium, ſed aſſertorium.

10 Ad argumentum oppoſitum, adductum initio ſectionis, dico, promiſſionem illam, quamuis abſenti factam, eſſe ab eo acceptatam. Nam in eo capite ſolùm dicitur, mulierem cuidam viro abſenti promiſiſſe ſe nupturam: poſtea tamen cùm multa de ſeueritate illius audiiſſet, ne cogeretur cum eo contrahere, votum caſtitatis emiſiſſe. Ex quo non ſequitur virum prædictam promiſſionem non acceptaſſe; quin imò cùm dicatur ibi, virum, eo audito, ſtatim aliam duxiſſe, ſignum eſt ipſum conſcium fuiſſe promiſſionis factæ à muliere, ac proinde non ſolùm eam acceptaſſe, ſed mutuâ etiam fide ſe illi adſtrinxiſſe, & ita ſponſalia inter vtrumque contracta fuiſſe. Quis enim credat virum conſcium, neque acceptaſſe, neque ſponſionem mulieris repudiaſſe, cùm potius credatur ipſum prius mulieri fidem dediſſe, ſicut fieri ſolet.

DISPVTATIO VII.

De obligatione extrinſeca conuentionali ſponſalia adimplendi.

PRæter obligationem intrinſecam ex ipſis ſponſalibus conſurgentem ab intrinſeco, ratione præcepti naturalis obligantis ad fidem ſeruandam, de qua egimus præcedenti diſputatione: datur alia obligatio proueniens ab extrinſeco ratione conuentionis, ſeu ex partium conuentione, quâ, pœna per fidem frangentem ſoluenda adiicitur; & arrhæ etiam conſtituuntur, ac pacta, de quibus hæc inſtituitur diſputatio.

SECTIO I.

An validè ponantur pœnæ ſoluendæ ab iniuſtè reſiliente à ſponſalibus.

PRocedit quæſtio in eo euẽtu, in quo duo contrahunt inter ſe ſpõſalia, ſtatutâ certâ pœnâ pecuniariâ perſoluendâ per eũ, qui à ſpõſalibus reſilit iniuſtè. 1

Cõmuniter Doctores, quos refert, & ſequitur Sãchez *diſp.* 30. & Hurtado *diſp.* 1. *diſ.* 18. quatuor dicũt.

Primum eſt, pœnam adiectam contractui ſponſalium eſſe prorſus irritam, atque adeò violantem fidem, non teneri in vtroque foro eam ſoluere, quod probant ex *cap. gemma, de ſponſalibus*, & ex *l. Titia ff. de verborum obligationibus*, vbi huiuſmodi ſtipulationes dicuntur non obligare, quia matrimonia debent eſſe libera. Quod non tantùm dicunt eſſe verum, quando ſtipulatio iſta pœnalis fit ab ipſis ſponſis, ſed etiam quando fit ab eorum parentibus, propinquis, amicis, & ab his, quibus ſponſi ſubditi ſunt, vel pati poſſunt aliquod graue damnum. Quia in dictis textibus generaliter reprobatur pœna, qua contrahẽtium libertas impediri poteſt, impeditur autem, ſi pœna à prædictis imponatur, etiamſi modica ſit. Vnde ſi apponeretur ab aliis omnino extraneis, non eſſet irrita, quia non impediretur contrahentium libertas.

Secundum, ſolam culpam venialem eſſe adiicere ſponſalibus hanc pœnam, quia cùm ea non valeat, & ſubinde non compellat ad matrimonium, non videtur res adeò grauis. 2

Tertium, iuramentum appoſitum, nec confirmare talem contractum, nec obligare ad ſolutionem pœnę, quod latè oſtendit Sanchez *diſp.* 32 *n.* 21. Quia iuramentum, cùm non ſit vinculum iniquitatis, non obligat ad rem illicitam, & prohibitam. Firmatur, nã cùm ea pœnę appoſitio prohibita ſit ob bonum publicum, eo quòd huic expediat, matrimonia liberè contrahi, lex non tantùm vetat eius contractum, ſed etiam executionem, eſt enim culpa ſaltem venialis ſoluere talẽ pœnam, tãquam debitam. Sicut Clericus, qui iurauit, ſe ſiſtere iudici ſæculari, nec ad hoc obligatur, nec poteſt facere, quonia id in pręiudicium cederet Ordinis Clericalis, vt patet ex *c. ſi diligenti* 12. *de foro cõpetenti.* 3

Quartum denique eſt, tametſi nulla ſit obligatio ſoluendi pœnam, ſi tamen ſoluatur, recipientem non teneri eam reſtituere, niſi iuridicè ad reſtitutionem condemnetur. Quia appoſitio talis pœnæ iure naturæ valet; leges autem prædictæ ſunt pœnalis, & non impediunt tranſlationem dominij, ſed tantùm liberant alterum ab obligatione ſoluendi, vnde tranſlatio dominij valida eſt. Quod ſatis firmatur exemplo pecuniæ creditæ ludo prohibito perditæ, quam iuxta graues Doctores perdens non tenetur ſoluere; ſi verò ſoluat, recipiens non tenetur reſtituere: quia leges non impediunt eum contractum, niſi quoad obligationem ſoluendi, non verò quoad tranſlationem dominij, ſi pecunia ſoluatur; poterit tamen repeti in iudicio. 4

Dico *primò*, certum eſſe apud omnes, quando pœna apponitur ſponſalibus, nõ teneri eam ſoluere iuſtè reſilientem. Hanc concluſionem ſaltem probant iura citata, quæ apertè ſequuntur de pœna, quæ liget iuſtè reſilientẽ, & hanc ſaltem annullant. Cõſtat id præcipuè ex dicto capite *gẽma*, vbi textus planè loquitur de ſpõſalibus inualidis celebratis ante ſeptẽniũ, & ideò immeritò addita fuerat pœna ad libertatem tollendã. Quare ſi caſus, & ratio deciſionis attentè ſpectetur, tãtùm agitur de reprobãdâ pœnâ, quãdo additur pro caſu, in quo iuſtè nõ ſeruantur ſponſalia, & ex legitimâ cauſâ; tunc enim improbanda eſt pœna, ſicut 5

in caſu particulari illius textus,vbi eſt, ſermo de pœnâ impoſita ſponſalibus impuberum , qui poſt pubertatem licitè poſſunt reſilire. Et ratio à priori noſtræ concluſionis hæc eſt ; nam ea pœna non debet ſolui , ſi nulla interueniat culpa.

6 Dico *ſecundò* , in ſponſalibus licitè poſſe apponi pœnam iniuſtè reſilienti. Ita latè oſtendit Coninch *diſp.*22. *dub.* 5. Baſilius Ponce *c.*19. *n.*8. & alij. Ratio eſt,quia appoſitio pœnæ iniuſtè reſilienti, nullo modo eſt prohibita : ergo licitè poteſt apponi. Antecedens oſtendo , nam in primis conſtat non eſſe prohibitam iure naturali , vt fatentur etiam DD. oppoſiti , quia ſolùm inuitat ad id, quod honeſtum , & ex iuſtitiâ debitum eſt. Neque etiam eſt prohibita iure Canonico ; nam omnia iura, quæ in contrarium afferuntur , manifeſtè ſolùm loquuntur de pœnâ, quæ liget iuſtè reſilientem ; quam ſolam annullant , vt patet diſcurrenti per ſingula. Nam *in cap. gemma* , vt dixi antea, agitur de ſponſalibus ante pubertatem , à quibus poſt pubertatem licitè poſſunt ſponſi reſilire. In lege *Titia*, agitur de puella , quæ noluit contrahere matrimonium,quod ab eius patre tunc mortuo , antea promiſſum erat ; quod certè puella iuſtè facere poterat. Similiter lex *mulier* , intelligenda eſt de pœnâ impoſita iuſtè reſilienti. Et ratio eſt aperta; nam leges irritantes hanc pœnam , eam reddunt rationem , quia nimirum matrimonia debent eſſe libera ; ſed pœna impoſita reſilienti ſolùm minuit libertatem iuſtè reſilienti , non verò iniuſtè : ergo reſpectu huius non irritatur pœna. Minor probatur, quia ſponſi tenentur ſub mortali liberè contrahere, & non iniuſtè reſilire ; ergo pœna inducens ad non iniuſtè reſiliendum, non minuit , imò potiùs conſeruat libertatem matrimonij. Firmatur , nam vbi non eſt libertas , ibi minui non poteſt : ſed nemo habet libertatem iniuſtè reſiliendi à ſponſalibus ; quia talis ſtrictiſſimo iuſtitiæ vinculo eſt adſtrictus , & neceſſariò tenetur non reſilire ſub peccato mortali , & in iure dicitur impoſſibile , quod licitè fieri nequit; ergo libertas illius per appoſitionem pœnæ in nullo minui poteſt. Et certè excommunicatio maior eſt grauiſſima pœna , quæ tamen apponi poteſt iniuſtè reſilienti , quin impediat matrimonij libertatem; item ſolutio arrharum , quarum quantitas excedere poteſt quantitatem pœnæ adiectæ , licitè apponitur iniuſtè reſilienti , vt dicetur *ſect. ſeq.* & non impedit libertatem matrimonij ; ergo neque adiectio pœnæ. Quare , ſicut conſtat apud Doctores , quia in lege Euangelica ſine iuſtâ cauſâ illicita ſunt diuortia, pœnam iniuſtè diuertenti validè apponi , vtpotè omni iuri conformem ; ita idem ſimiliter dicendum eſt de ſponſalibus ; cùm enim vtraque iam ad neceſſitatem tranſlata ſint , ceſſat generaliter ratio legis , & ipſa lex , quæ vetat eam pœnam ad neceſſitatem transferri ; atque adeò lex irritans pœnam ſolùm retinet locum in caſibus , quibus etiam modò quis licitè ſponſalibus , vel matrimonio,quoad cohabitationem, renunciat.

7 Dico *tertiò*,iurantem ſoluere pœnâ ſponſalibus appoſitâ, ſi iniuſtè reſiliat,obligari ad ſolutionem illius nouo titulo religionis.Ita Leſſius *de iuſt.c.*17.*dub.*7.*n.*56.Ratio eſt manifeſta iuxta noſtram ſententiâ , quia talis adiectio pœnæ non eſt peccatum,cùm oſtenſum ſit,ad nihil,quod aliquo iure prohibitũ ſit , obligare; ergo rectè poteſt iuramento confirmari, & ligari.

8 Ex his conſtat quid dicendum ſit ad quatuor illa propoſita pro priori , & communi ſententia.

Ad primũ iã eſt oſtenſum, adiectionem pœnæ, ſi ſit contra iuſtè reſilientẽ,nullam eſſe;eſſe verò validam, & licitam contra iniuſtè reſilientem , neque inde impediri contrahentium libertatem.

Ad ſecundum dictum ſimiliter patet,nullã eſſe culpam, nec venialem,adiicere ſponſalibus eam pœnam iniuſtè reſilientibus,vnde ſimiliter licitũ eſt,poſſe peti intereſſe lucri ceſſantis,& damni emergentis ex iniuſtâ ſponſalium diſſolutione 9

Ad tertium dico,iuramentum appoſitum pœnæ cõtra iniuſtè reſilientẽ obligare nouo titulo ad ſolutionem pœnæ,cùm ſit de re licitâ,& honeſtâ. Addo,etiã in contrariâ ſententiâ aſſerente eam ſtipulationẽ eſſe peccatum veniale,non inde ſequitur pœnæ prædictæ ſolutionẽ eſſe peccatum, & conſequenter iuramentum eam ſoluendi verè obligare. Ratio eſt,quia ſolutio talis pœnæ non eſt prohibita:patet,quia non eſt prohibita ratione ſui,vt conſtat;neque ex eo quòd ſit ſolutio pœnæ,quæ ſit illicitè appoſita,etiã ſi hoc admittatur;nam etiam ſolutio pœnæ oblatæ homicidæ, qua conductus eſt ad homicidium patrandum, eſt licita, quamuis conductio fuerit illicita, quia ex eo non approbatur conductio,ſed ſatisfit obligationi relictæ ex conductione:iuramentum autem obligat quoties licitè impleri poteſt , vt dicitur *in cap. debitores* 6. *& in cap. ſi verò* 8. *de iureiurando*. Alia autem eſt ratio clerici promittentis ſe ſiſtere iudici ſæculari;quia non ſolùm hoc promittere , ſed maximè tali ſe ſiſtere iudici eſt iniurioſum Ordini clericali. Vnde iſta actio eſt, quæ per ſe primò prohibetur,& ipſa promiſſio talis actionis ſe ſiſtendi prohibita eſt tantùm conſequenter, quatenus excitat ad rem illicitam faciendam. 10

Nec verum puto , quod ibi dicitur,eam appoſitionem pœnæ opponi bono publico,vt matrimonia liberè contrahantur , quia aliter contractis ſunt nata ſequi iurgia inter coniuges,quæ Rempublicam perturbãt. Non,inquam,probo,quia etiam ſi appoſitio pœnæ contra iniuſtè reſilientem eſſet prohibita,non eſſet ad bonum publicum primò,& per ſe, ſed tantùm ſecundariò, quatenus per eam immediatè ſolum officitur ei, qui cupit reſilire:nam aliàs ſimili modo omnia priuata ciuiũ damna cederent primò, & per ſe in dãnum Reipublicæ. Vnde ſimiliter eſſet è bono publico,ne quis ciuis ſua bona ludo vetito dilapidaret,quoniam inde ſæpe maximæ familiæ affliguntur, & graues rixæ tam domi,quàm foris naſcuntur,quæ Rempublicam turbant;quod tamen eſt falſum:nã ſic perdita tenetur ſoluere, qui hoc iurauit,quia promiſſio ſoluendi ita perdita tantùm cenſetur immediatè prohibita ob priuatum damnum. Idem ergo ferendum eſt iudicium de incommodis, quæ Reſpublica accipit ex eo,quòd priuata matrimonia male cedunt.Cõſtat enim apud graues Doctores , inter quos Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 42. *n.* 8. cùm aliquis contractus primariò irritatur in fauorem & bonum publicum , non confirmari iuramento;ſecus quando principaliter ob priuatam vtilitatem,quamuis ſecundariò, & minus principaliter publicam vtilitatem contineat. Ratio eſt,quia iuramentum confirmat contractum , dummodo non ſit contra bonos mores, nec in præiudicium tertij. *c. cùm contingat , de iureiurando.* Vnde non confirmat quando eſt contra publicam vtilitatem principaliter, quia illi tanquam tertio præiudicatur principaliter, nec priuatus fauori publico renunciare poteſt , ſed ſuo tantùm. *c. ſi diligenti, de foro competenti.* At quando eſt ſolus fauor publicus ſecundariò,& conſequenter;lex canonica de eo nõ curat,cùm non oriatur magnum præiudicium bono publico,& renuntiet is,cuius principaliter intereſt,& inde eſt,vt tunc iuramento confirmetur,vt cõſtat ex *c.* 2. *de pactis in* 6. *& Auth. Sacramenta puberum.C.ſi aduerſ.vendit.* vbi contractus minorum fauore,nullo confirmatur iuramento. Et ex *cap. cùm contingat, de iureiurando, & c.* 2. *eodem tit. in* 6. vbi alienatio fundi dotalis mulierum fauore nulla firmatur iuramento. 11

Ad

Digitized by Google

12 Ad quartum dico, in noſtrâ doctrinâ certum videri, pœnam, v. g. pecuniariam ſolutam à iuſtè reſiliente à ſponſalibus, non poſſe alterum in conſcientiâ retinere. Patet, quia eam nullo titulo retinere poteſt, quandoquidem nullum ius habet in illam, cùm iuſte reſiliens non teneatur eam ſoluere, vt dixi *dicto* 1. Quare ſicut vſurarius, vel latro, qui accepit pecunias ſibi extortè promiſſas, quamuis cum iuramento, non poteſt licitè eas retinere; ita nec ſponſus accipiens pecuniam à iuſtè reſiliente extortam, quamuis eum iuramento, nequit eam facere ſuam, & tenetur eam reſtituere. Prætereà etiam videtur certum, pœnam ſolutâm ab iniuſtè reſiliente, poſſe alterum in conſcientiâ retinere. Patet, quia, vt probatum eſt *dicto* 2. licitè, & honeſtè poteſt apponi pœna iniuſtè reſilienti: ergo, & poteſt licitè, & honeſtè retineri. In opinione verò eorum, qui dicunt pœnam adiectam contractui ſponſalium, etiam contra iniuſtè reſilientem eſſe nullam ex legum diſpoſitione, nec reſilientem teneri eam ſoluere, niſi ſit illi pœnæ appoſitum iuramentum, tametſi ſentiant nonnulli talem pœnam ſolutá à nolente implere ſponſalia, non poſſe alterum retinere, quia non apparet quo titulo eam retinere queat; mihi certè videtur verius, non teneri eam reſtituere, vt docent Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 31. *n.* 2. Leſſius *de iuſt. c.* 17. *dub.* 7. *n.* 56. Coninch *diſp.* 22. *dub.* 5. *n.* 26. Quia leges non faciunt alium incapacem talis receptionis, ſed tantùm liberant alterum ab obligatione ſoluendi. Firmatur, nam iura irritantia has ſtipulationes pœnales non impediunt domini tranſlationem, nec retentionem in recipiente, ſed ſolùm irritant ſtipulationes iſtas pœnales, quoad effectum obligationis ſoluendi pœnam; & ſoluenti eam concedunt in iudicio actionem repetendi: ergo cùm pœnalia ſint, non debent ad aliud extendi, ſed quoad tranſlationem dominij ſtandum eſt iuri naturæ, iuxta quod valida eſt illa dominij tranſlatio. Nam ſoluens non ſoluit pecuniam ſub conditione, ſi debeam, ſe abſolutè, vt pactis ſtet. Quòd verò in eo aliquo errore ducatur, putando ſe ad hoc teneri, ſibi imputet: neque enim alter tenetur eum docere ſuum ius; nec iura omnia irritant ex errore facta, ſed ſufficit quòd dent reſtitutionem in integrum, vel reſtitutionem ſoluti. Quod ſatis declarat exemplum illud de perdēte ludo pecuniâ credita, qui licèt non teneretur ſoluere, ſi tamen ſoluat, recipiens non teneretur reſtituere, niſi ad id à iudice compellatur: quia leges Caroli V. ſolùm irritant talis ludi contractum, quoad effectum obligationis ſoluendi, quod ludo amiſſum eſt, non verò quoad effectum transferendi dominium, ſi ſoluatur. Hæc omnia puto intelligenda, modò pars per iniuſtitiam alterum non cogat ad ſolutionem, vel impediat repetitionem: tunc enim per iniuriam eſſet alteri cauſa damni, & ſic teneretur ad reſtitutionem.

Sectio II.

Qua ratione poſſint arrhæ apponi ſponſalibus, vt hæc confirmentur.

1 PRo explicatione obſerua *primò*, arrham tripliciter accipi poſſe. *Primò* pro donatione, quam vir facit vxori in dotis præmium. *Secundò* pro donatione propter nuptias. *Tertiò* pro pignore, quod inter ſponſos datur in ſignum implendi ſponſalia, & perficiendi contractum matrimonij, quod vulgo appellatur, *Señal*; inſtar aliorum ſignorum, quæ in venditionibus, aliiſque contractibus dari ſolent. Atque in hac ſignificatione ſumuntur arrhæ, vt vocari ſolent arrha ſponſalitia.

Obſerua *ſecundò*, vt aliquid habeat rationem arrhæ, non ſufficere illud promittere, ſed deberi de facto dari. Id conſtat ex communi vſu in aliis contractibus, in quibus nihil habet rationem arrhæ, niſi de facto tradatur ante completum contractum. Quare ſi arrhæ non tradantur, ſed in poſterum ſoluendæ promittantur, potius pœna, quàm arrhæ dicendæ sũt. Exigitur autem dum traduntur arrhæ, vt expreſsè dicatur dari in ſignum futuri matrimonij; nam ſimpliciter tradita potiùs ſponſalitia largitas ſunt. His poſitis 2

Dico *primò*, licitum eſſe in ſponſalibus tradi arrhas amittendas ab iniuſtè reſiliente, & in quacunque quantitate de iure communi; & tam in re mobili, vt pecunia, quàm immobili, vt fundo. Ita communiter Doctores. 3

Prima pars conſtat, quia nullo iure impeditur, imò id approbatur iure ciuili, *l. arrhis*, *& l. fin. C. de ſponſalibus*; nullumque eſt ius Canonicum illud corrigens. Imò iure Pontificio licitas eſſe arrhas; probat textus *in cap. ſi quis vxorem*, *cum ſequenti*, 27. *q.* 2. *cap. noſtrates*, *cap. fœmina* 30. *q.* 5. Et ratio eſt, quia traditio arrhæ ex ſe nullo modo impedit libertatem, nam cùm ſponſi teneantur ſub mortali liberè contrahere, & non iniuſtè reſilire; arrha inducens ad non iniuſtè reſiliendum non minuit, imò potiùs conſeruat libertatem matrimonij. Firmatur, nam traditio arrhæ multo minus impedit libertatem, quàm appoſitio pœnæ, quia cæteris paribus timor amittendi arrhas, vtpote iam traditas, & non ſoluendas, minor eſt quàm ſoluendi pœnam appoſitam, vtporè nondum traditam: & regulariter arrhæ traditio, vtpotè rei, quæ de præſenti datur, eſt minor, quàm appoſitio pœnæ, vtpotè rei, quæ promittitur in futurum; & appoſitio pœnæ licita eſt, nec minuit libertatem, vt oſtendi præcedenti ſectione *dicto* 2.

Secunda pars, nempe arrhas poſſe validè conſtitui, & tradi in quacunque quantitate inſpecto iure communi, ſimiliter probatur: quia traditio arrharum nullo iure reſtringitur, ſeu limitatur, nam ius commune indefinitè loquitur de illis, nec eas reſtringit, ſeu limitat: ergo poſſunt validè in quacumque quantitate tradi, & conſtitui. Verum eſt iure ciuili Caſtellæ, arrhas non poſſe excedere decimam partem bonorum dantis illas, vt conſtat ex *l.* 1. *tit.* 2. *lib.* 3. *fori*, quæ approbatur *l.* 2. *tit.* 2. *lib.* 5. *noua recopilat.* Cæterùm iure communi non eſt determinata quantitas in arrhis conſtituendis. 4

Obiicies, eſſe limitandam quantitatem arrharum, attentâ qualitate perſonarum, propter ipſam libertatē matrimonij: ſi enim pauperes magnam arrham conſtituunt, cùm is qui accepit duplum, aut quadruplum ſoluere teneatur, quis dubitet illo infringi matrimonij libertatem, quod inter locupletes ſecus contingit. Verùm reſpondeo hoc non obſtare, cùm amiſſio imponatur reſilienti ſine cauſâ rationabili & iuſta: diximus autem in ſuperiori ſectione, licitam eſſe adiectionem pœnæ his, qui ſine iuſtâ cauſâ reſiliunt ab ſponſalibus.

Tertia pars ſimiliter probatur, quia arrharum traditio etiam in re immobili nulla lege reprobatur, quamuis *in l. final. C. de ſponſalibus*, tantùm fiat mentio earum in quantitate numerata. 5

Dico *ſecundò*, arrhas poſſe validè ab vtroque contrahente conſtitui. Ita communiter Doctores, Sanchez, Couarruuias, & alij; quia mutua arrharum traditio nullo iure irritatur; neque eſt ſuperflua, quia iniuſtè reſiliens amittit arrhas à ſe traditas, & tenetur ſibi traditas reſtituere. 6

Perez de Matrimonio.

7 Dico *tertiò*, quid circa arrhas iure ſtatutum ſit *in c. mulier, de ſponſalibus, & arrhis*. Nam *primò* ſtatuitur, vt ſi is, qui arrham accepit, iniuſtè à ſponſalibus reſiliat, duplum reſtituat, videlicet ipſam arrham, & eius valorem, idque ſine vllo alio contractu. *Secundò*, vt contrahentes poſſint inter ſe ſtatuere, vt iniuſtè reſiliens reddat arrham, & præterea duplum, aut triplum eius valorem, non tamen amplius. Is autem, qui eam tradit, iniuſtè reſiliens, eam de iure amittit. *Tertiò*, vt qui teneatur his pactis, neceſſarium eſſe vt expleuerit vigeſimum quintum annum: minores verò, niſi veniam ætatis impetrauerint, vt ſcilicet poſſint ampliùs ſe obligare, ſi iniuſtè reſiliant, tantùm teneri reddere arrham, non verò præterea ſoluere eius valorem, aut duplum. *Quartò*, ne iniuſtè reſiliens, aut arrham perdat, aut ſi eam receperit, quidquam præter eam ſoluat. *Quintò*, vt non ſolùm ſponſi, ſed etiam eorum parentes, aui, ac proaui validè pro ſuis filiis, aut nepotibus, eiuſmodi conditione arrhas dent, aut recipiant. Totum hoc habetur in dictâ lege. Notat Sanchez *lib. 1. diſp. 36.* de communi ſententiâ, prædictam legem non eſſe iure Canonico abrogatam. Si verò in aliquâ prouinciâ eſſet abrogata, non obligaret.

8 Dico *vltimò*, ſi matrimonium fiat, arrhæ debent redire ad eum, qui eas tradidit, idem eſt ſi ob iuſtam cauſam non fiat. Eſt communis apud omnes. Et ratio eſt, quia arrhæ dantur quaſi pignora matrimonij contrahendi: ergo ſicut in aliis contractibus dans ſignum illud recuperat, ſi contractum perficiat, aut ſi ob iuſtam cauſam non poteſt perficere, ita & in iſto: & ſicut in aliis contractibus is, qui iniuſtè reſilit, amit-
9 tit illud, pariter in iſto. Ex quo infero, cùm pater, v.g. filium ſuum promittit, & dat arrham, & per ipſum nõ ſtat, vt matrimonium contrahatur, nõ perdere arrhã, vt benè Sanchez *diſp. 36. n. 13.* quia hæc perditio arrhæ, aut dupli ſolutio, habet rationem pœnæ conuentionalis; hæc autem non debet ſolui, cùm nulla interuenit culpa contra pacta.

10 Circa legem prædictam *in d. c. mulier*, oritur difficultas, an factâ conuentione inter contrahentes, quòd nimirum accipiens arrhas, iniuſtè reſiliat, reddat triplum, id eſt, ipſas arrhas, & ter tantundem; factâ, inquam, hac conuentione iniuſtè reſiliens teneatur in conſcientiâ ante iudicis ſententiam reddere non tantùm arrhas, ſed etiam reliquum.

Negat Sanchez *diſp. 37.* cum aliis, quos ipſe refert,

Primò, quia ea videtur intentio contrahentium, qui ideo eas pœnas apponunt, vt metu condemnationis per iudicem faciendæ poſſint partem cogere, vt ſtet contractui.

Secundò, quia cùm prædictæ pœnæ ſint valdè rigidæ, videtur æquitas poſtulare, vt non debeantur antequam arbitrio iudicis decernatur quid debeatur, vt ipſe earum rigorem poſſit moderari.

11 Alij verò dicunt, quando clarè conſtat, ſpõſum iniuſtè reſilire, non teneri reſilientem eam pœnam ſoluere, ſi non petatur ab alio ſponſo, vel parte: ſi tamen exigatur, teneri in foro cõſcientiæ eam illi ſoluere abſque vlla contradictione, & nullâ ſpectatâ iudicis ſententiâ. Ita Couarruuias *4. Decretal. c. 6. §. 8.* Coninch *diſp. 22. dub. 4.* Baſilius *c. 19.* Molina *tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 97.* Leſſius *de iuſtit. lib. 2. c. 20. dub. 15. n. 135.* & alij.

Primam partem huius ſententiæ firmant, quia nimis rigidum apparet iniuſtè reſilientem teneri ſoluere illam pœnam conuentionalem, etiamſi nemo exigat, neque ea videtur eſſe mẽs cõtrahentium: eſt enim nimis durum, & moribus hominum non ſatis accommodatũ, vt ſolutio pœnæ debeatur ante exactionem partis, quæ hîc vicem iudicis ſupplet: ſicut neque pœna legalis, id eſt, per legem appoſita. Vnde cenſetur pars non petendo remittere.

Secundam partem probant *primò*, quia ea pœna non debetur ex diſpoſitione legis, ſed ex partium conuẽtione; ergo non exigit infligi per ſententiam iudicis, ſed exigi à parte. Patet conſequentia, quia ſicut iudex habet ius exigendi à reo pœnas legi debitas; ſic & pars habet ius exigẽdi pœnas ſibi debitas ratione pacti; quia habet ius exigendi quod ex iuſto pacto debetur. *Secundò*, hæc eſſe videtur mens contrahentium; conueniunt enim de ſolutione pœnæ, nulla factâ mentione ſententiæ iudicis: nam ideo à partibus illæ pœnæ ex pacto apponuntur, vt ſine auctoritate iudicis pars poſſit cogere, vt ſtet pactis; vt enim cogatur auctoritate iudicis, nihil opus erat appoſitione pœnæ, cùm iudex eam per ſe nolenti ſtare pactis poſſit infligere. *Vltimò*, amiſſio arrhæ datæ non minus habet rationem pœnæ conuentionalis, quàm redditio dupli, vel quadrupli; atqui eam recipiens, ſi dans iniuſtè reſiliat, ante omnem ſententiam iudicis habet ius eam retinendi: ergo ſimiliter ſi recipiens iniuſtè reſiliat, pars habet ius illud duplum, vel quadruplum exigendi: nam dans arrham non minus intendit partem obligare ad pœnam ſoluendam, quàm ſe ipſum, aliter enim nimis redderet iniquam cauſam ſuam. In hac re

Dico *primò*, certum eſſe apud omnes iniuſtè reſi- 12
lientem teneri ſoluere ante omnẽ exactionem partis, totum intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis ortum ex diſſolutione cõtractus. Patet, quia alter ſpõſus patitur iniuſtè damnum culpâ ipſius reſilientis: ergo iſte tenetur in conſcientia ante omnem petitionem illud damnum reſarcire.

Dico *ſecundò* certum etiam videri, quod etiam om- 13
nes ſentiunt, eum qui arrhas accepit, ſi iniuſtè reſiliat, teneri ante omnem exactionẽ ſoluere. Patet, quia nullum habet ius eas retinendi, neque id tanquam pura pœna iudicandum eſt, ſed eſt ipſa conditio naturæ contractus annexa.

Dico *tertiò*, ſi ſermo ſit de pœna dupli, debere ſolui 14
quoque ab iniuſtè reſiliente ante petitionem patris. Ita Paludanus *in 4. diſt. 27. q. 1. a. 2. n. 13.* Petrus Nauarra *lib. 3. de reſt. c. 2. dub. 10.* Hurtado *diſp. 1. dif. 20.* & alij. Moueor, quia prædicta pœna non eſt purè pœnalis, ſed eſt conuentionalis, ex conuentione, & contractu inita: ergo ante omnem exactionem partis debet ſtatim ſolui, ſicut quoduis aliud debitum ex aliis contractibus. Firmatur, nam tametſi lex *mulier*, ſuprà adducta, illam pœnam dupli præſcribat, eam tamen non ſtatuit in putam legalẽ punitionẽ alicuius culpæ, ſed æquitate ſecutâ, quid iuſtum ſit, quidque contrahentes videãtur intendere, explicat; nimirum vt par ſit vtriuſque partis contrahentis conditio, vt ſicut vnus, ſi deficiat iniuſtè, perdit datas arrhas; ita alter, ſi iniuſtè deficiat, tantundem perdat: quæ in omni ſimili contractu, niſi aliud exprimatur, videtur eſſe contrahentium intentio; præſertim quando illam legem non ignorant: tunc enim ſecundùm conditiones in eâ præſcriptas intendunt contrahere: ergo niſi contrarium expreſsè intendatur, vel ex conſuetudine ſit introductum, talis pœna conuentionalis cenſenda eſt: ergo idem iudicium ferendum eſt de illâ, ac de illâ alterâ amiſſionis arrharum, atque adeò vtraque ante omnem exactionem eſt in conſcientia ſoluenda.

Dico *quartò*, idem dicendum de pœnâ alia con- 15
uentionali tripli, vel quadrupli. Moueor eiſdem rationibus, ac fundamentis, nam talis pœna non debetur ex diſpoſitione legis, ſed ex partium conuentione, atque adeò idem iudicium ferendum

dum eſt de illa tripli, vel quadrupli, ac de illâ pœnâ dupli.

16 Dico *vltimò*, prædicta dicta procedere, quando clarè conſtat, partem, nempe ſponſum iniuſtè reſilire à contractu ſponſali. Nam quando de hoc eſſet aliquod dubium, certum videtur nihil deberi ante ſententiam iudicis, ſeu eius declarationem. Addo poſſe etiam contingere, vt alicubi ex conſuetudine, ad ſolutionem prædictarum pœnarum exigatur iudicis condemnatio, quæ ſeruanda eſt: eſt enim ſpectanda, & ſeruanda loci conſuetudo. Si verò ea non ſit, vrget obligatio conſcientiæ prædictam pœnam conuentionalem ſoluendi, non ſolùm ante ſententiam iudicis, ſed etiam ante omnem partis requiſitionem.

Ex dictis manent ſoluta argumenta pro aliis ſententiis oppoſita, quatenus noſtræ opponuntur.

Sectio III.

An ſponſalibus adiici queant alij contractus, præſertim pactum permanendi in aliquo loco.

1 Circa primum certum videtur apud Doctores, in contractu ſponſalium pro ſecuritate matrimonij contrahendi, poſſe interuenire fideiuſſores: quia nullo iure id prohibitum eſt. Maior controuerſia eſt de pignoribus. Verius tamen exiſtimo, poſſe ea admitti pro ſecuritate arrharum nondum traditarum, vt benè Sanchez *diſput.* 38. cum aliis. Et ratio eſt, quia cùm arrhæ admittantur in contrahendo matrimonio, pignora acceſſoria arrhis valida erunt.

2 Maior difficultas eſt de alio contractu habitandi in certo aliquo loco, de quo latè Baſilius Ponce *lib.* 12. *c.* 20. Breuiter dico, valere pactum de commorando perpetuò in aliquo loco, v.g. in aliqua ciuitate. Ratio eſt, quia non eſt cur ea poteſtas homini denegetur, vt conſtat ex iure naturali, nec etiam ex iure poſitiuo; ergo adimplendum erit tale pactum nullâ lege prohibitum, vt conſtat ex *l.* 1. *de pactis*. Neque inde ſequitur reddi hominem ſeruum. Quamuis enim eo pacto reſtringatur libertas, at ea reſtrictio talis eſt, vt liberè ſibi quis poſſit ex pacto imponere. Neque verò tale pactum ſimile eſt alteri pacto de incarcerando, & aliis ſimilibus; non enim ſunt omnia facta eiuſdem rationis.

3 Similiter dico, cùm in contractu matrimonij, vel ſponſalibus, vt ſæpè fit, apponitur pactum, vt vir teneatur perpetuò habitare in domicilio vxoris, neque poſſit alio domicilium transferre, eiuſmodi pactum valere. Patet, tum quia in traditione rei ſuæ poteſt vnuſquiſque pactum quod vult apponere, *l.* 1. *C. de pactis, & cap. verum, de condit. appoſit.* ergo idem eſt in traditione mulieris, cùm tradat ſe ipſam viro per matrimonium. Tum etiam, quia pactum iſtud non eſt contra bonos mores naturales, cùm licèt vxor parêre teneatur marito in alium locum ſe transferenti, quia iure naturali viro ſubdita eſt; poteſt tamen ille pacto ſe aſtringere ex iuſtâ cauſâ ad habitandum in aliquo loco. Quæ enim in hoc turpitudo apparet? eo ergo paciſcente de commorando in aliquo certo loco valet pactum, & compelli poteſt. Neque eſt contra libertatem ingenui, quia ille poteſt, ſi vult, illi libertati renunciare, vt dictum eſt; ſicut per clauſuræ votum ſe obligant fœminæ religioſæ ad commorandum in certo loco. Addo tale pactum non tam poni marito ad obligandum illum, quòd habitet in certo loco, quàm ne vxor cogatur dimittere ciuitatem, in qua fuit nata, atque nutrita, & ne ſeparetur à parentibus, & conſanguineis, *l. poſſeſſioni, C. commun. vtriuſque iudic.* quæ ſeparatio eſt nimis dura, *l. liberorum, de verb. ſignificat.*

Eſt verò limitanda propoſita doctrina, niſi noua cauſa emergat mutandi domicilium; tunc enim, etiam ſi pactum ſit iuramento confirmatum, licebit reſilire, & mulier tenebitur virum ſequi, vt cùm communi tenet Sanchez *diſp.* 40. *n.* 3.

Quæres, an è contrario valeat pactum, ne quis poſſit ingredi in aliquam ciuitatem, quod frequenter fit in remiſſionibus iniuriarum, & delictorum. 4
Reſpondeo valere, etiam ſi perpetuum ſit, quia hoc pactum nihil continet contra bonos mores ciuiles, & naturales, & eſt de re, quam quis facere poteſt, ſcilicet domicilium mutare. Deinde hoc pactum conducit ad quietem conſanguineorum occiſi, ad delinquentis ſecuritatem, ne oculis eorum, qui iniuriam paſſi ſunt, obuius fiat occiſor, & ex eius conſpectu iterum reuiuiſcat odium accenſo ſanguine. Quis enim oppoſitum non iudicet indecens, imò & inuerecundia plenum, & diſcordiarum ſeminarium? Reipublicæ etiam intereſt, vt aliqua pœna puniatur is, qui vltimo ſupplicio afficiendus erat, niſi remiſſionem illam conditionatam impetraſſet ab offenſo. Neque obſtat quòd eiuſmodi pactum videatur quoddam exilij genus continere, & impoſitio exilij pertineat ad iudicem: non, inquam, obſtat, quia non imponitur vt exilium, quaſi transgrediens criminaliter ſit puniendus, ſed ex pacto, & conuentione partium.

DISPVTATIO VIII.

De variis ſponſalium effectibus.

Duplex in genere diſtingui ſolet ſponſalium effectus, alius naturalis, & quaſi intrinſecus ex ipſomet ſponſalitio contractu reſultans ex natura rei; alius quaſi extrinſecus, & humanus poſitiuus vi ſolius iuris Eccleſiaſtici ex ſponſalibus ortus. Prior effectus eſt ipſa intrinſeca obligatio naturalis ſtricta, & grauis ſub culpâ reſultans ex ſponſalibus ipſis; de quo latè egi ſuprà *d ſp.* 6. *ſect.* 1. Poſterior effectus ſecundi generis, ex ſolo iure eccleſiaſtico procedens, eſt duplex; primus eſt impedimentum publicæ honeſtatis; ſecundus eſt ſponſalia ipſa per copulam tranſire in matrimonium. His duobus effectibus addunt alij tertium, nempe licita eſſe ſponſis de futuro oſcula, amplexus, alioſque tactus non impudicos. Totum hoc eſt in hac diſputatione expendendum.

Sectio I.

An, & quomodo ſponſalia gignant impedimentum publicæ honeſtatis.

Impedimentũ publicæ honeſtatis, quatenus ex ſpõſalibus oritur, ita appellatur, eo quòd æquũ ſit propter publicam honeſtatem, & decentiam, vt matrimoniũ impediatur inter aliquas perſonas, quæ factæ ſunt 1

ſibi propinquæ ob ſpóſalia. Vnde hac de cauſa appellatur propinquitas conſurgens ex ſponſalibus. Circa hoc impedimentum ex ſponſalibus ortum,

2 *Primò* certum eſt apud Doctores, non eſſe impedimentum iure naturæ, ſed iure Eccleſiaſtico ſtatutum. Patet, tum quia nuſquam gentium, præterquam in populo Chriſtiano, eius ratio habita eſt. Tum etiam, quia non reputatur notabiliter indecorum ſecundùm lumen naturæ coniugium inter ſponſum de futuro, & ſororem ſponſæ defunctæ, vel vice versâ, celebratum: ergo hoc impedimentum ſola Eccleſiæ auctoritas induxit. Quæ cenſuit propter publicam decentiam, motumque honeſtatem conuenientem, vt propter inchoationem matrimonij, quæ in ſponſalibus reperitur, conſanguineis alterutrius ſponſi interdicatur matrimonium cum altero. Et ratio congruẽs fuit, quia per ſponſalia coniunguntur ſponſi, non tamen perfectè, ſicut per matrimonium, ſed imperfectè, tanquam per quoddam matrimonij initium: ergo conueniens fuit, vt ſicut per matrimonium conſummatum affinitas contrahitur dirimens nuptias ſubſequentes, ita ex ſponſalibus aliud vinculum coniunctionis oriretur, minus tamen perfectum affinitate, quod ſimiliter ſubſequens matrimonium diſſolueret.

3 *Secundò*, etiam certum eſt ex ſponſalibus validis, & certis, oriri iure Eccleſiaſtico impedimentum publicæ honeſtatis dirimens matrimonium cum conſanguineis alterius ſponſi in primo tantùm gradu. Quare ſi quis poſt prædicta ſponſalia celebrata cum Franciſcâ, matrimonium contraheret cum illius ſorore, vel matre, vel filiâ, inualidè contraheret. Totum id conſtat ex Trid. *ſeſſ. 24. c. 3.* vbi hoc impedimentum in ſponſalibus reſtrictum eſt ad primum gradum, verùm ante Tridentinum ex iure antiquo extendebatur ad quartum, & oriebatur hoc impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus non modò validis, ſed etiam inualidis, ſeu irritis, dummodo aliunde quàm ex defectu cõſenſus eſſent irrita, vt ſi ab amente, vel infante fuiſſent contracta, cùm neuter ſit liberi conſenſus capax. Id totum ſtatuit Bonifacius VIII. *cap. vnico, de ſponſalibus, in 6.* his verbis. Ex ſponſalibus puris, & certis, etiamſi conſanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, aut aliâ quauis ratione ſint nulla, dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſus oritur efficax ad impediendum, & dirimendum ſequentia ſponſalia, vel matrimonia, nõ autẽ ad præcedentia diſſoluendum, impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis. Hæc Bonifacius. Iuſtiſſimè autem inſtituit Bonifacius, vt ex nullis, id eſt, initis re ipsâ, licèt inualidè ſponſalibus oriretur idem impedimentum publicæ honeſtatis, quod ex validis; vt hac ratione obuiam iretur fraudibus, & iniquitatibus multorum ex vehementi deſiderio ſpe matrimonij cum certis perſonis contrahendi, ſæpè contra fas, & Eccleſiæ ſtatuta, contrahere ſponſalia enitentium; quod eniti & attentare deſinent, intelligentes ex illis licèt irritis, conſurgere impedimentum, quod ſubſequens matrimonium dirimet.

Neque huic iuri antiquo Bonifacij Octaui opponendus eſt S. Th. *in 4. diſt. 41. q. 1. a. 1. quæſt. 4. ad 3.* docens ex ſponſalibus irritis non oriri hoc impedimentum. Nam, vt latè oſtendit Baſilius Ponce *lib. 7. c. 36.* ante Bonifacium Octauum, qui ſextum librum Decretalium edidit, & conſequenter ante illud *cap. vnicum, de ſponſalibus*, nulla fuit ſcripta lex, quæ ex ſponſalibus eiuſmodi diceret oriri impedimentum publicæ honeſtatis; vnde ab eo capite primum de eâ re emanauit decretum. At S. Th. ſcripſit ante illud editum à Bonifacio VIII. decretum, & ſcripſit verè, ſpectatâ ſolâ rerum naturâ, quæ cum ea ſit, vt ex nihilo nihil fiat, ex ſponſalibus nullis concluſit nullum oriri impedimentum. Quod etſi ita ſit, ſi ſola ſponſalium natura ſpectetur, minimè tamen ſi Eccleſiæ, vel Papæ poteſtas, & auctoritas, quæ illud inſtituit poſtea iuſtâ de causâ iam adductâ.

Cæterùm Tridentini auctoritate, & decreto impedimentum hoc ex ſolis validis ſponſalibus, & ad ſolum primum gradum oritur. Sic enim ſtatuit *ſeſſ. 24. decreto de reformatione matrim. c. 3.* his verbis. Iuſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, vbi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt, ſancta Synodus prorſus tollit; vbi autem valida fuerint, primum gradum non excedant; quoniam in vlterioribus gradibus iam non poteſt huiuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſeruari. Ex quibus

Colligo *primò*, ex ſponſalibus contractis inter illos, inter quos non poteſt valere matrimonium ratione alicuius impedimenti, non oriri publicam honeſtatem, iuxta diſpoſitionem Tridentini, quamuis iure antiquo conſurgeret. Quare ſi quis cum Franciſca, v. g. validè contraxit ſponſalia, & poſtea alia celebrat ſponſalia cum ſorore Franciſcæ, non afficitur impedimento publicæ honeſtatis, ratione cuius nequeat amplius cum Franciſcâ contrahere matrimonium. Ratio eſt, quia ſponſalia cum ſorore Franciſcæ ſunt inualida: ex ſponſalibus autem inualidis non conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis; ſicut conſurgit ex ſponſalibus priùs celebratis cum Franciſca, ratione cuius impedimenti efficitur, ne valida ſint poſteriora ſponſalia celebrata cum ſorore Franciſcæ, atque hoc expreſsè habetur *cap. vnico, de ſponſalibus in 6.* 4

Colligo *ſecundò* ex ſponſalibus celebratis cum perſonâ incertâ, non oriri impedimentum publicæ honeſtatis, vt conſtat ex *d. cap. vnic., de ſponſalibus, in 6.* illud enim impedimentum tantùm oritur ex ſponſalibus cum determinatâ perſonâ. Similiter ex ſponſalibus conditionatis non gignitur hoc impedimentum, niſi purificatâ conditione, quia ante euentum conditionis non ſunt pura, neque certa, *d. cap. vnico.* Quare ſi quis contraxit ſponſalia ſub conditione de futuro cum Franciſcâ, & poſtea abſolutè celebrat alia cum Mariâ ſorore Franciſcæ, non afficitur impedimento publicæ honeſtatis, diſſoluente priora ſponſalia celebrata ſub conditione cum Franciſca. Ratio eſt, quia poſteriora ſponſalia non poſſunt inducere obligationem ad aliquid illicitè faciendum. At illicitè fieret matrimonium cum Mariâ ſorore Franciſcæ; quia ex vi prioris promiſſionis adeſt obligatio expectandi euentum conditionis, ante quem euentum non poteſt ſponſus rem vni ſub conditione promiſſam tradere alteri; matrimonium tamen eſſet validum, ſi celebraretur cum Maria ante conditionis euentum; nam ante conditionis euentum non eſt inductum impedimentum publicæ honeſtatis, ratione cuius diſſoluatur matrimonium. 5

Colligo *tertiò*, ex ſponſalibus contractis ante ſeptennium, niſi poſt ſeptennium appareat, eoſdem conſenſiſſe, vel mutuâ habitatione, vel aliis ſignis, ex adductis ſuprà *diſp. 4. ſect. 6.* non oriri publicam honeſtatem, quia ſponſalia ante ſeptennium nulla ſunt. Quòd ſi poſt ſeptennium ante ætatem nubilem contrahant de præſenti, cùm illud matrimonium habeat rationem ſponſaliorum iuris interpretatione, gignerent impedimentum publicæ honeſtatis. Similiter ex ſponſalibus, quæ parentes pro filiis contraxerunt, ſi illis vel non contradicant præſentes, vel poſtea rata habeant tacitè, vel expreſsè, cùm illa valeant, naſcitur etiam publica honeſtas; ſecus minimè. Sic habetur *cap. vnico, de deſponſatione impub. in 6. §. 1. 2. & 3.* 9

Digitized by Google

7 Colligo *quartò* ex ſponſalibus oriri impedimentum publicæ honeſtatis dirimens cum conſanguineis alterius ſponſi in primo gradu, non verò cum affinibus. Vnde qui poſt ſponſalia facta cum Franciſca contrahit matrimonium cum affine Franciſcæ, vt cum ea, quæ fuit vxor fratris Franciſcæ, validè contrahit. Patet, tum quia textus ſuprà relati hoc impedimentum ſtatuentes ſolis conſanguineis nuptias interdicunt. Tum etiam, quia coniuges non arcentur à matrimonio cum affinibus alterius coniugis, vt infrà *diſp.* 31. *ſect.* 6. *n.* 4. dicemus: ergo multo minus ſponſi de futuro. Oritur autem cum conſanguineis alterius ſponſi in primo gradu, etiam cum illegitimis, quia etiam hi ſunt veri naturales conſanguinei; atque ideo eadem honeſtas naturalis verſatur in abſtinendo à matrimonio cum conſanguineis ſponſi legitimis, ac illegitimis.

8 Colligo *vltimo*, infidelem, qui tempore infidelitatis contraxit ſponſalia cum Franciſca, poſſe validè matrimonium inire cum eius matre, vel ſorore, non ſolùm ante Baptiſmum, verùm etiam poſt ſuſceptum Baptiſmum. Ratio eſt, quia prædictum impedimentum non eſt inductum iure naturæ, vel diuino, ſed iure Eccleſiaſtico, cui non ſunt ſubiecti infideles.

9 Quæres, an impedimentum publicæ honeſtatis poſſit aliquando concurrere cum impedimento affinitatis. Reſpondeo affirmatiuè; vt habetur *cap. litteras, de deſponſ. impub.* Vnde qui celebrauit ſponſalia cum Maria, & poſtea copulam habet cum Franciſca ſorore Mariæ, neutram poteſt ducere; quia non poteſt ducere Franciſcam propter impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus cum Maria celebratis, dirimens matrimonium cum conſanguineis Mariæ in primo gradu; neque poteſt ducere Mariam propter impedimentum affinitatis, conſurgens ex copula illicita habitâ cum Franciſca ſorore Mariæ, & dirimens matrimonium vſque ad ſecundum gradum.

SECTIO II.

An impedimentum publicæ honeſtatis ceſſet, quamdiu ſponſalia valida, poſtea morte, vel mutuo conſenſu, vel aliâ de cauſâ diſſoluuntur.

1 SEnſus quæſtionis eſt, an hoc impedimentum ſit perpetuum, ita vt nec morte alterius ſponſi, neque ex ſponſalibus validis mutuo conſenſu diſſolutis, alia de cauſa extinguatur. Affirmat ſemper perpetuum eſſe Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 68. *n.* 20. cum aliis. Atque in primis non diſſolui illud impedimentum per mortem alterutrius ſponſi, probat, quia id videtur expreſſè definiuiſſe Gregorius, & Iulius *c.* 14. & 15. 27. *q.* 2. cuius vtriuſque capitis verba partim ex vno, partim ex altero hæc ſunt. Si quis vxorem deſponſauerit, vel eam ſubarrhauerit, quamquam poſtmodum preueniente die mortis eius, nequiuerit eam ducere in vxorem, neque eius ſuperſtes frater, neque vllus de conſanguinitate eius eandem ſibi tollat in vxorem vllo vnquam tempore; quod ſi inuentum fuerit factum, ſeparetur omnino. Præterea quòd non diſſoluatur prædictum impedimentum ex ſponſalibus validis, mutuo tamen conſenſu diſſolutis; ideo oſtenditur, quia permanet tale impedimentum ex ſponſalibus etiam morte alterius diſſolutis: ergo multò magis ex diſſolutis mutuo conſenſu.

Alij verò ſentiunt, ex ſponſalibus, quæ mutuo conſenſu diſſoluuntur, nullum permanere impedimentum. Ita Rebellus *lib.* 3. *q.* 14. Baſilius Ponce *lib.* 7. *c.* 56. *n.* 9. Hurtado *diſp.* 21. *diffic.* 1. *n.* 5. & alij. Probant, quia Congregatio Cardinalium cenſuit eiuſmodi ſponſalia, quæ poſtea communi conſenſu diſſoluuntur, eſſe inualida, vt enim refert Rebellus *in appendice ad* 4. *librum*, *ſect.* 5. *n.* 99. Congregatio Cardinalium declarando verba illa Tridentini, decreti ſuprà adducti, *quacumque ratione valida non erunt*, ſic pronunciat: Si ſponſalia ſoluuntur de conſenſu, Congregatio cenſuit eſſe inualida. Hinc autem conficitur argumentum; nam ſi ſponſalia mutuo conſenſu diſſoluuntur, euaneſcunt immediatè, & ratione ſui redduntur inualida: ergo ſponſis viuentibus vnus deſinit ad alium pertinere, & èconta, & conſequenter impedimētum euaneſcit, cùm cōſtet ex Tridentino, non contrahi præfatum impedimentum ex ſponſalibus quācumque ratione forent inualida. Confirmatur, quia obligatio ſponſalium mutuo vtriuſque conſenſu tollitur; ergo conſequenter tollitur impedimentum ex tali propinquitate quaſi immediatè ortū. 2

Dico *primò*, quando ſponſalia per mortem alterius diſſoluuntur, præfatum impedimentum manere perpetuum. Hoc dictum commune eſt apud Doctores omnes, & rectè probatur à Doctoribus primæ ſententiæ. Amplius roboratur, quia ſoluto per mortem alterutrius coniugis matrimonio, manet ex eo contractu affinitas, vt certum omnibus eſt, & diſertè decernit Gregorius IV. 35. *q.* 10. *c.* 1. his verbis. Porrò vno defuncto, in ſuperſtite ſaltem affinitas non deletur, nec alia copula coniugalis affinitatem prioris copulæ ſoluere poteſt; ergo ſimiliter cum proportione ſolutis per alterutrius ſponſi mortem ſponſalibus, manebit contractus ex illa affinitatis nodus, qui publicæ honeſtatis iuſtitia dicitur. Vnde per mortem alterius, non tollitur illa propinquitas, & conſequenter nec tollitur impedimentum. 3

Dico *ſecundò*, quando ſponſalia diſſoluuntur mutuo conſenſu contrahentium, adhuc non ceſſare impedimentum publicæ, honeſtatis cōtractum ex ſponſalibus validis, & certis. Ita opinor cum Doctoribus primæ ſententiæ, & ratio, meo iudicio, efficacior hæc eſt; quia impedimentum matrimonij non dependet à voluntate contrahentium, ſed ab Eccleſia, quæ conſtituit, vt impedimentum publicæ honeſtatis conſurgat ex ſponſalibus validis; ſponſalia verò nō ob id non fuerunt valida, quòd poſtea diſſoluantur, vt conſtat. Ratio autem motiua, propter quam inductum eſt ab Eccleſiâ impedimentum publicæ honeſtatis, adhuc militat, quando ſponſalia mutuo conſenſu diſſoluuntur; eo quòd non deceat matrimonium contrahi inter aliquas perſonas, quæ ſibi factæ ſunt propinquæ per ſponſalia: aliàs enim poſſet hoc impedimentum ceſſare quoque poſt mortem alterius ſponſi; non enim ſponſalia videntur magis diſſolui per mutuum conſenſum, quàm per mortem, per quam perpetuò dirimuntur, vt oſtenſum eſt. Nec valet dicere cum Hurtado, eſſe diſcrimen: nam ſponſalia, quæ mutuo conſenſu diſſoluuntur, euaneſcunt immediatè, & ratione ſui, & ſponſis viuentibus vnus deſinit ad alium pertinere, & èconta; non verò, quæ morte alterius diſſoluuntur, quia iſta mediatè tantùm, & ex defectu ſubiecti, & ipſis viuentibus ſemper vnus pertinuit ad alium; & è contra, ac proinde ex iſtis vtpotè perpetuis, & ſemper validis oritur hoc impedimentum, & non ex illis. Non, inquam, valet, quia ſponſalia per mortem etiam euaneſcunt, imò etiam magis; quia per mortem perpe- 4

Digitized by Google

tuò diſſoluuntur; at diſſoluta per mutuum conſenſum, iteruoi per nouum conſenſum contrahi poſſunt. Immediatè etiam, & ratione ſui per mortem euaneſcunt, quia immediatè euaneſcit omnis conſenſus, & radix illius, nempe vita humana. Vnde ſicut ſponſis viuentibus, vnus deſinit ad alterum pertinere per mutuum conſenſum, ita multo magis mortuo alterutro. Non ergo eſt peculiaris ratio, nec ſpeciale diſcrimen.

5 Dico *tertiò*, quando ſponſalia diſſoluuntur, quia vnus propter ſufficientem cauſam reſilinit, non ceſſare adhuc impedimentum publicæ honeſtatis. Hoc manifeſtè ſequitur ex præcedentibus. Patet, quia in hoc euentu efficacius ſolui non poſſunt ſponſalia, quàm morte alterutrius ſponſi; at ne tunc quidem illud impedimentum ſoluitur, vt oſtenſum eſt: ergo nec in illo euentu.

6 Ex dictis colligo, prædictum ex ſponſalibus validis ortum publicæ honeſtatis impedimentum eſſe perpetuum, quouis modo poſtea ſolutis ſponſalibus. Neque verò dici poteſt perpetuitatem huius impedimenti ſublatam eſſe decreto Tridentini præcedenti ſectione relato. Nam illud impedimentum ſolùm fuit ſublatum, quoad gradus vlteriores primo; at non quoad primum gradum; in quo proinde remanet perinde perpetuum, ſicut antea perpetuum erat in ſecundo quoque, & vlterioribus.

7 Ad argumentum ſecuodæ ſententiæ dico verum eſſe quod illa Congregatio declarauit, nempe ſponſalia quæ mutuo conſenſu diſſoluuntur, eſſe inualida; hinc verò non ſequitur, impedimentum ortum ex illis ceſſare; nam cùm ab initio fuerint valida, ex illis ortum ab initio fuit verum publicæ honeſtatis impedimentum, quod non ceſſat per mortem, neque per mutuum conſenſum contrahentium, quia non pendet à voluntate eorum, ſed ab Eccleſia, vt oſtenſum eſt. Neque id obeſt Tridentini verbis. Illa enim verba, *quacumque ratione valida non erunt*, vt eſt manifeſtum ex ipſo contextu, referuntur ad ſponſalia, quæ in initio contractus valida non ſunt, ex illis enim nunquam oritur vlla propinquitas, atque ideo nec vllum publicæ honeſtatis impedimentum. Extat etiam modò ſuper illa verba noua Cardinalium declaratio, non ceſſare impedimentum publicæ honeſtatis, quando ſponſalia valida initio poſtea diſſoluuntur mutuo conſenſu contrahentium, vt infert Bonacina *quæſt. 3. punct. 11. ad finem numer. 7.*

8 Ad confirmationem conceſſo antecedente, negatur conſequentia. nam talis propinquitas, ſicut & affinitas ſtatuitur Eccleſiæ auctoritate, & non dependenter ex voluntate, & conſenſu contrahentium; atque ideo non debetur per diſſolutionem ſponſalium, quacumque de cauſâ diſſoluantur.

Sectio III.

An impedimentum publicæ honeſtatis oriatur ex ſponſalibus ore tenus factis abſque conſenſu interiori.

1 Senſus quæſtionis, an quando ſponſalia exteriùs apparent valida, re vera tamen irrita ſunt, & nulla ob defectum interni conſenſus, conſurgat ex illis impedimentũ publicæ honeſtatis. Similis eſt difficultas, quãdo ſpõſalia ſunt exteriùs valida, at verè sũt irrita, & nulla ex defectu alio quocũque occulto, vt ex voto caſtitatis, vel religionis, vel nõ nubendi interno.

Circa primum, quod eſt præcipuum, varij ſunt 2
opinandi modi. Primus eſt Sanchez *lib. 7. diſp. 68. n. 14.* Baſilij *lib. 7. c. 36. n. 10.* Henriquez *lib. 12. c. 10.* Hurtado *diſp. 21. diffic. 1. n. 4.* & aliorum affirmantium ex talibus ſponſalibus oriri prædictum impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis. Probant, quia motiuum, ob quod ſtatum eſt ab Eccleſia hoc impedimentum, fuit impedire ſcandala & publicam indecentiam, vt conſtat ex *cap. iuuenis 3. de ſponſalibus*; ſed hæc æquè eueniunt, quando ſponſalia exteriùs apparent valida, & ſolus conſenſus internus ad eorum valorem deſideratur, cùm defectus ille interni conſenſus lateat omnes: ergo quando defectus conſenſus non conſtat exteriùs, prædicta ſponſalia inducent illud impedimentum.

Alij verò cum Nauarro *in ſummâ latinâ c. 22. n. 57.* 3
Petro de Ledeſma *q. 55. a. 4.* Veracruz *in appendice ad ſpeculum fol. 76.* Rebello *lib. 3. q. 14.* & Coninch *diſp. 32. dub. 5. n. 69.* negant

Primò, quia hoc impedimentum oritur ex vnione, & propinquitate, quam efficiunt ſponſalia, quæ ſunt quaſi initium quoddam matrimonij; ſed vbi ficta ſunt ſponſalia, nec ſunt cauſa eius propinquitatis, nec matrimonij initium: ergo.

Secundò, ius Eccleſiaſticum in decreto relati Tridentini decernit, ſponſalia quâcumque ratione valida non ſint, minimè inducere hoc impedimentum; ergo cùm particula *quacumque*, vniuerſalis ſit, omnes cauſas irritationis comprehendet, vna autem ex his eſt defectus interni conſenſus; ergo.

Tertiò, idem probat Hurtado, quia in eius ſententia dicta ſponſalia, quamuis ſint valida ad obligandum ex fidelitate, non tamen ad obligandum ex iuſtitiâ, quia non ſufficiunt ad cooferẽdum ius iuſtitiæ ſponſis in alterutrum, ratione cuius vnus pertineat ad alterum, quaſi proprius, ex quo ſolo prouenit, quòd ſit indecens, conſanguineos vnius contrahere cum altero, & è contra, ob quod Eccleſia introduxit hoc impedimentum: ergo ex dictis ſponſalibus, vtpotè nullis ad obligandum ex iuſtitia non oritur hoc impedimentum; quia tametſi tunc exteriùs appareat eſſe indecentiam in contrahendo, non tamen eſt verè indecentia, ob quam ſolùm eſt introductum. Verùm hæc ratio nobis infirma videtur, qui ſuprà *diſp. 6. ſect. 2.* hanc doctrinam reiecimus. In hac re,

Dico *primò*, certum eſſe apud omnes ex prædictis 4
ſponſalibus, quando defectus conſenſus eſt externus, qualis eſt in amente, & infante, cùm neuter ſit liberi conſenſus capax, nullum oriri publicæ honeſtatis impedimentum. Patet, nam id clarè decreuit Bonifacius octauus *cap. vnico, de ſponſalibus in 6.* vt liquet ex verbis illius textus ſuprà adductis *ſect. 1.* Et hoc ſaltem neceſſe eſt, vt Tridentinum velit, cùm dixit, tale impedimentum non oriri ex ſponſalibus, quâcumque ratione inualidis, debet enim ſaltem intelligi, quacumque ratione externâ, & apparenti inualida ſint, & nulla.

Dico *ſecundò*, probabilius mihi videri cum Do- 5
ctoribus ſecundæ ſententiæ, ex ſponſalibus inualidis ſolius interni, & occulti conſenſus defectu, nullum conſurgere publicæ honeſtatis impedimentum. Moueor præcipuè, quia Concilium Tridentinum non potuit loqui clarius, & vniuerſalius, quàm cùm dixit, ſe prorſus tollere illud honeſtatis publicæ impedimentum dum ſponſalia non erunt valida, quacumque ratione, ſeu cauſa: verbis his vniuerſaliſſimis omnem complectẽs cauſam inualiditatis eorum, ac proinde etiã interni conſenſus defectũ; quẽ profectò ſi cum cæteris cõprehendere voluiſſet, nullis aliis clarioribus, aut vniuerſalioribus verbis vti potuiſſet.

Reſpon-

Reſpondet Sanchez, Tridentinum intelligi, quacumque ratione externâ, & apparenti ſint ſponſalia irrita: oportere autem ſic intelligi, quia tale impedimentum eſt inſtitutum ob publicam honeſtatem ad vitandum ſcandalum; atque ideò defectus conſenſus, ob quem non inducetur impedimētum, debet eſſe externus. Sed contra eſt *primò*, quia Tridentini verba illa vniuerſalia, omnem nullitatem, ſiue externam & apparentem, ſiue etiam occultam comprehendunt. *Præterea* dictum *cap. vnicum, de ſponſalibus in 6.* poſt Tridentinum manet illæſum, quoad ſponſalia irrita defectu cōſenſus, vt conſtat apud omnes; at ex ſponſalibus inualidis ſolius interni conſenſus defectu, iuxta illud Bonifacij Octaui decretum, non oritur tale impedimentum: ergo.

Tertiò, videtur ratio illa ſcandali debilis ac infirma; nam ex illâ fieret *primò*, tametſi talia ſponſalia poſſent probari per duos teſtes, quandiu tamen hi haberent rem ſecretam, nullum futurum tale impedimentum; quia ſponſalia adhuc eſſent verè occulta, nec vllum ſcandalū oriretur ex matrimonio poſtea contracto cum ſponſæ ſorore. *Secundò*, ſi ſponſalia eſſent publica, & nullitas occulta, etſi probabilis per duos teſtes, fore impedimentum, quādiu hi illam nullitatem nollent teſtari. Vnde in his euentibus, & etiam, quando tam ſponſalia, quàm eorū nullitas eſſent ſolùm duobus teſtibus nota, eſſet in teſtium poteſtate prout vellent, inducere tale impedimētum publicando ſponſalia; imò & eſſet in poteſtate ſponſorum, qui per conductos falſos teſtes poſſent modò vnum, modò alterum probare, prout vellent, nuptiis poſtea contrahendis matrimonium inducere. Itē eaſdem perſonas in vno loco, vbi priora cum alterius ſorore ſponſalia eſſent publica, eſſe inhabiles ad contrahendum inter ſe matrimonium; & in aliis locis, vbi eſſent ignota, fore habiles, quia ceſſaret ſcandalum. Denique fieret, ſponſalia etiam valida cum pleno cōſenſu, modò eſſent omnino occulta, ita vt nullâ ratione poſſent probari, præſertim ſponsâ iam defunctâ, nullum inducere impedimentum inter ſponſum, & illius ſororem; quia cùm ratio legis inducentis hoc impedimentum, ſecundùm contrariorum ſententiam ſit, tollere ſcandalum, quod ex tali matrimonio poſſit naſci, lex non comprehendetet dictum caſum, cùm in eo nullum poſſit eſſe ſcandalum; quod tamen dici non poteſt. Quare dicendum eſt, deciſionem Concilij generatim eſſe intelligendam de omnibus ſponſalibus, quâcumque ratione irritis, etiam quando deeſt conſenſus.

6 Hinc facile ſoluitur argumentum primæ contrariæ ſententiæ, quod nullam vim habet contra noſtram doctrinam, vt conſtat ex dictis: ſolùm enim ex illo concluditur, quòd dum contracta ſponſalia in exteriori foro valida videbuntur, prudentet præſumetur, ortum ex iis publicæ honeſtatis impedimentum. Vnde quandiu ſponſalia publica ſunt, & nullitas ex defectu conſenſus occulta, Eccleſia præſumet eſſe valida, ac inducere impedimentum, nec matrimonium ſponſi cum ſorore ſponſæ permittet. At ſi eo non obſtante ipſa ſponſalia ſint inualida reipſa, & in interno conſcientiæ foro, defectu conſenſus interioris; nullum quoque re ipſa, & in hoc foro orietur ex illis huiuſcemodi impedimentum: quia ſicut non videbitur Eccleſiæ oriri, niſi illi eidem Eccleſiæ valida videantur, ita nec re ipſa oritur, niſi re ipſa valida ſint.

7 Circa ſecundū ſimiliter dico, omnia ſponſalia quacumque ratione irrita, ex defectu alio quocūque occulto, non inducere impedimentum publicæ honeſtatis. Patet, quia Concilium Tridentinum generatim intelligendum eſt de omnibus ſponſalibus quacumque ratione irritis. Quare eadem eſt prorſus ratio de illis, ac de aliis ſponſalibus inualidis ex defectu conſenſus interni. Baſilius *relatus* vult diuerſam eſſe rationem, quando conſenſus deeſt, vel quando eſt aliquod impedimentum occultum, ratione huius ſunt inualida ſponſalia; priora verò illa, ait, ex defectu conſenſus interni non ſunt inualida, ſubditque hæc verba; quod non conſiderauit Thomas Sanchez *lib. 7. diſp. 68. n. 13. & ſequenti.* Cæterùm meo iudicio Sanchez rectè conſiderauit, dicens idem eſſe dicendum quoties ſponſalia eſſent nulla ex defectu alio quocumque occulto, ac quando ſunt nulla ex defectu conſenſus interni, quod etiam nos probauimus ex Tridentino. Quod verò Sanchez defendit, ex ſponſalibus, cùm deeſt animus ſe obligandi, induci iuſtitiam publicæ honeſtatis, etiam ipſe Baſilius approbat; tametſi mihi oppoſitum appareat verius. Vnde non video cur ipſi Sanchez notam inuſſerit inconſiderationis.

SECTIO IV.

An matrimonium clandeſtinum valeat hodie vt ſponſalia, & gignat impedimentum publicæ honeſtatis.

1 PRocedit difficultas in duplici caſu. *Primus* eſt, in quo contrahentes impediuntur poſt Tridentinū certo modo contrahere, nempe clandeſtinè, abſque Parocho, & teſtibus. *Secundus* eſt, in quo contrahentes ſolùm impediuntur certo tempore contrahere, v. g. dum impubetes ſunt, quando malitia non ſupplet ætatis defectum.

2 Circa primum graues Doctores, inter quos Sanchez *lib. 1. diſp. 20. n. 3.* Hurtado *diſp. 5. diffic. 2. n. 7.* negant matrimonium clandeſtinum, contractum à puberibus habere vim ſponſalium, & conſequenter dicunt, nunc poſt Tridentinum nullum gignere impedimentum publicæ honeſtatis. Probant

Primò, quia dictum matrimonium clandeſtinum non obligat iure naturali tanquam contractus ſponſalitius, quia verba de præſenti, qualia ſunt matrimonij, nullam continent promiſſionem futuri, adhuc implicitè, vt patet. Neque iure poſitiuo aliquo obligat tanquam contractus ſponſalitius, quia nullum extat niſi pro matrimonio impuberum, & non pro matrimonio puberum.

Secundò, Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 1. de reformatione matrimonij*, eum contractum omnino irritat, ac reddit perſonas inhabiles ad ſic contrahendum: at ſi poſſent contrahere ſponſalia, non eſſent omnino inhabiles, ſed aliquo modo eſſent habiles, nec contractus eſſet omnino nullus: ſicut *cap. vnicum, de deſponſatione impuberum*, non appellat eos inhabiles, ſed potiùs dicit, valere contractum, vt ſponſalia: ergo.

Tertiò, Tridentinum reſtitit huic contractui: ergo nulla inde reſultare poteſt obligatio. patet conſequentia, quia quoties ius reſtitit alicui contractui, ex eo nulla oritur obligatio, neque ciuilis, neque naturalis.

Vltimò, quamuis in aliquo actu, cùm eſt defectus ſolùm ex parte cauſæ efficientis, poſſit inde oriri aliqua obligatio, vt contingit in matrimonio impuberum habente debitam formam, & ſolùm claudicante defectu ætatis contrahentium, quod, vt dicemus, habet vim ſponſalium; ſi tamen defectus ſit in aliquo

actu

Digitized by Google

actu non ſolùm ex parte cauſæ efficientis, ſed etiam ex parte formæ, tunc nulla ex eo oritur obligatio. Atqui hoc contingit in præſenti caſu; nam matrimonium clandeſtinum non ſolùm claudicat ex parte cauſæ efficientis, cùm Tridentinum reddat contrahentes inhabiles, ſed etiam ex parte formæ, quia deeſt ſolemnitas eſſentialis ibi requiſita: ergo.

Addit Sanchez *citatus n. 5.* Si iuuenis clandeſtinè contrahens cum puellâ, eam defloraſſet, ſiue bonâ, ſiue malâ fide id feciſſet, eum non teneri eam magis ducere, quàm ſi abſque vllâ promiſſione volentem defloraſſet. Quia ipſe iuuenis nihil ei promiſit, & quòd ſit decepta, ſibi imputare debet fœmina, quòd ius tam clarum ignorauerit, cùm ſit craſſiſſima ignorantia illud neſcire.

5 Alij verò dicunt in locis, vbi Tridentinum eſt receptum, tale matrimonium clandeſtinum contractum à puberibus habere vim ſponſalium, & conſequenter ex illo oriri impedimentum publicæ honeſtatis. Ita Corduba *in ſummâ q.* 52. Bartholomæus à Ledeſma *de matrimonio dub.* 18. Vega *lib.6. ſummæ caſu* 120. *& lib. 4. caſu* 264. Henriquez *lib. 11. c. 5. n.* 4. vbi ait, Cõgregationem Cardinalium ita declaraſſe, Coninch *diſp.* 21. *dub. 4. concl.* 2. & alij. Quam ſententiam idem P. Sanchez *diſp. 20. cit. n. 2. in fine*, ait probabilem eſſe; ego verò exiſtimo veriorem. Iuxta quam

4 Dico *primò*, prædictum matrimonium clandeſtinum à puberibus contractum, ſecluſo omni iure poſitiuo, & Eccleſiæ conſtitutione, habet ex naturâ ſuâ vim ſponſalium, niſi contrahentes aliud expreſsè intendant. Id mihi videtur manifeſtum, quia prædictus contractus virtute includit vim ſponſalium. Quod ſic oſtendo. Nam licèt verba illa externa expreſsè ſolùm ſignificent hîc, & nunc contrahi matrimonium, & contrahentes hoc fortè expreſsè ſolùm intendant; tamen dum ex vi contractus intendant ſibi mutuo dare abſolutum, & perpetuum ius, & dominium in mutua corpora ad vſum matrimonij, & perpetuam cohabitationem; etiam ex vi contractus intendunt id ſibi mutuò dare, quantum, & quale hîc, & nunc poſſunt dare: ergo & remotum ius, quale datur per ſponſalia, ſi nequeunt dare propinquum, quia illud in hoc virtute continetur. Præſertim, quia hic contractus eſt bonæ fidei, à quo omnis dolus abeſſe debet; ideoque in eo non tam attenditur ſtricta verborum ſignificatio, quàm quid conueniat, vt contrahentes intendant ſignificare. Conuenit autem, eos omnino intendere, ſe ſibi mutuò, quantum poſſunt, obligare ad perpetuam coniugalem cohabitationem, cùm ſciant matrimonium quod intendunt contrahere, hoc primò, & per ſe continere. Firmat id optimè Coninch. Nam ſi his verbis prędicti contraherent: Ego te ex hoc nunc habebo perpetuò pro legitimâ vxore, aut pro legitimo marito, & perpetuò tibi cohabitabo; expreſſè ſe obligarent ad poſtea contrahendum matrimonium, ſi quo caſu illud tunc de facto non contraherent; nam expreſsè promitterent ea, quæ aliter implere nullo modo poſſunt. At dum his verbis: Ego te accipio in meam, vel in meum, aut ſimilibus contrahunt, idem implicitè promittunt. Eodem igitur modo ſe obligant, vt poſtea contrahant matrimonium, ſi illud tum fortè non contraxerint; modò perſonæ tales ſint, quæ non habeant perpetuò ſibi dirimens impedimentum. Roboratur ampliùs, nam quando actus includitur in eo quod fit, ſi non valet eo pacto quo fit; valet meliori modo, quo valere poteſt; at ſponſalia virtute clauduntur in matrimonij contractu, quia cùm matrimonium ſit vinculum perpetuum, vt deinceps coniuges vnum ſint, eo ipſo quòd aliqui conſentiunt in matrimonium, volunt tunc, & tempore futuro iungi, & ita hæc verba, Accipio te in meam, claudunt hæc, accipio te in futurum; ergo. Dixi, niſi contrahentes aliud expreſsè intendant: nam ſi nihil aliud intenderent, quàm verum de præſenti contrahere matrimonium, nullam parere poſſunt, niſi præſentis matrimonij obligationem, quam tamen non pariunt, quia per Concilium irritum effectum eſt.

Dico *ſecundò*, in locis vbi Tridentinum eſt receptum, tale matrimonium clandeſtinum habere abſolutè vim ſponſaliũ, & conſequenter ex illo conſurgere impedimentũ publicę honeſtatis. Moueor, quia Tridentinum ſolùm intendit irritare illũ contractum clãdeſtinum, quatenus habet præcisè rationẽ matrimonij: ergo cùm ex natura rei habeat vim ſponſalium, vt probatum eſt, ſequitur retinere adhuc eam vim. Antecedens probatur ex verbis ipſis Tridentini, quæ ſunt eiuſmodi. Eos ſancta Synodus ad ſic (ſcilicet clandeſtinè) contrahendum, omnino inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat. Ex quibus verbis conſtat Concilium eatenus ſolùm, ac eodem modo eos contractus reddere irritos, ſicut perſonas reddit inhabiles ad ſic clandeſtinè contrahendum: at nullo modo tales perſonas reddit inhabiles, vt clandeſtinè contrahant ſponſalia, vt cum ipſo etiam Sanchez oſtendimus ſuprà *diſp. 5. ſect.* 2. Ergo nec contractum reddit irritum, quatenus habet præcisè rationem ſponſalium. Et ratio videtur manifeſta prædicti antecedentis. Nam Concilium ſolum intendit irritare talem contractum, quatenus in Eccleſia erat prohibitus, & quatenus ex eo erant nata ſequi mala, quæ enumerat in decreto *de reformatione matrimonij cap. primo*: atqui prout habet ſolùm vim ſponſalium, nec eſt prohibitus, nec ex eo prædicta mala nata ſunt ſequi; non igitur vt ſic eum irritat. 5

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum negatur antecedens; nam illa verba 6 matrimonij, quamuis ſint de præſenti, continent virtute, & implicitè promiſſionem futuri, vt oſtenſum eſt *dicto primo*.

Ad ſecundum dico, Concilium omnino irritare 7 contractum, quatenus eſt matrimonij, vt ſic, & reddere perſonas omnino inhabiles ad ſic contrahendum, non verò prout habet præcisè rationem ſponſalium, quia neque tales perſonæ ſunt inhabiles ad contrahenda ſponſalia, nec vllum ius reſiſtit clandeſtinis ſponſalibus, vt oſtenſum eſt.

Ad tertium ſimiliter dico, Tridentinum reſiſtere 8 huic contractui, & eum reddere irritum, quatenus habet rationem matrimonij; non verò quatenus habet præcisè rationem ſponſalium.

Ad vltimum reſpondeo, illud argumentum ad 9 ſummum probare irritum eſſe matrimonium clandeſtinum ob inhabilitatem contrahentium, & etiam ob defectum formæ. At ob nullam ex his cauſis talis contractus eſt irritus quatenus præcisè habet rationem ſponſalium; quia neque tales perſonæ ſunt inhabiles ad contrahendum ſponſalia, neque ad formam ſponſalium vllo modo requiritur, vt fiant coram Parocho, & duobus teſtibus.

Ad illud verò, quod docet Sanchez de iuuene, 10 qui virginem deflorauit, dico, etiam ſi demus matrimonium clandeſtinum non habere vim ſponſalium, in eo euentu iuuenem illum obligari, fœminam illam ducere, ſi ipſa inuincibiliter credidit, matrimonium illud eſſe validum. Patet, quia quòd ipſa ignoret ius illud Tridentini tam manifeſtum, tametſi in

foro

Digitized by Google

foro externo poſſit facere ſuſpicionem, quòd ſpontè fuerit decepta, tamen in foro conſcientiæ nihil facit ad rem, ſi verè bona fide proceſſerit, & illud ius inuincibiliter ignorauerit.

11 Circa ſecundum conſtat apud omnes, matrimonium irritum inter impuberes, habere vim ſponſalium, & ex illo gigni impedimentum publicæ honeſtatis. Hoc enim apertè definiuit Clemens III. *c. finali, de deſponſatione impuberum, in 6.* Idem ſtatuit Bonifacius VIII. *c. vnico, de deſponſatione.* vbi etiam expreſsè dicitur ex eo matrimonio, tanquam ex veris ſponſalibus, oriri publicæ honeſtatis impedimentum. In modo tamen id explicandi poteſt eſſe deſidium.

12 Nam Sanchez *lib. 1. diſp. 21. n. 3.* ſentit, hæc non eſſe ſponſalia verè, & ſimpliciter, ſed ſolùm iuris interpretatione præſumentis voluiſſe, eos ſe obligare eo modo quo poſſunt. Sicut *in cap. is qui fidem, de ſponſalibus, & matr.* ſponſi, qui habent inter ſe copulam, præſumuntur accedere affectu maritali, & conſequenter voluiſſe contrahere matrimonium.

13 Ego breuiter dico, matrimonium inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem habere vim ſponſalium abſolutè, & ſimpliciter, & ex natura rei, quoties ex parte ipſorum non adeſt expreſſa contraria ſententia. Ratio eſt, quia ius ſponſalium virtute clauditur in iure perpetuo, quòd datur ex vi contractus matrimonij. Vnde ille contractus virtute includit etiam vim ſponſalium, ob rationem dictam ſuprà præcedenti caſu, *dicto primo.* Addo etiam iuris interpretatione eſſe ſponſalia, vt conſtat ex textibus allegatis. Vnde tale matrimonium clandeſtinum etiam poſt Tridentinum habet vim ſponſalium interpretatione iuris; quia Tridentinum ſolis veris matrimoniis formam præſcripſit, illiſque clandeſtinè celebratis reſiſtit: at huiuſmodi impuberum, vel quando alter eſt impubes, contractus, ſicut & contractus impuberum clandeſtinè contrahentium, nec eſt, nec fuit verum matrimonium, ſed ex natura rei, & interpretatione iuris ſponſalia. Quare ſi eiuſmodi impuberes intendant eiuſmodi matrimonium contrahere ſecundùm Canones Eccleſiæ; cùm per ipſos iam ſtatutum ſit, vt id matrimonium habeat vim ſponſalium; conſequenter intendunt, ſaltem virtute inire ſponſalia per iuris interpretationem. Quòd ſi tale ius Eccleſiaſticum ignorent, vel certè non habeant intentionem contrahendi ſecundùm omnes Canones Eccleſiæ, non contrahent ſponſalia interpretatione iuris, ſed ſolùm ex natura rei, modo ſuprà explicato.

SECTIO V.

Qua ratione ſit effectus ſponſalium, vt ea tranſeant in matrimonium per copulam inter ſponſos habitam?

1 ISte cenſetur quoque eſſe ſponſalium effectus ex præſcriptione Eccleſiæ. Circa quam breuiter dico, vbi non eſt receptum Tridentinum, talia ſponſalia tranſire in matrimonium ex præſumptione Eccleſiæ. Ita expreſsè ſtatuit *cap. is qui fidem, de ſponſalibus, & matrimoniis.* Vbi ponitur iſte caſus, quòd quidam iuuenis dederat fidem cuidam mulieri, eam ducendi in vxorem, & eam poſtmodum carnaliter cognouit; poſtea in facie Eccleſiæ cum aliâ matrimonium contraxit. Conſultus Gregorius IX. quam iſtorum deberet habere? Reſpondit, quòd ad primam redire teneatur: dans rationem his verbis, quia licèt præſumptum primum matrimonium videatur; contra præſumptionem tamen huiuſmodi non eſt probatio admittenda; ex quo ſequitur, quòd nec verum, nec aliquod cenſetur matrimonium, quod de facto eſt poſtmodum ſubſecutum. Hæc Pontifex. Ex quibus primum conſtat, non ſemper eſſe verum matrimonium; nam ſi tales ſponſi non haberent animum verè contrahendi matrimonium, ſiue, quod idem eſt, non ſe cognoſcerent affectu maritali, certum eſt, nullum omnino eſſe matrimonium; quia hoc ſine mutuo conſenſu de præſenti, nullo modo contrahi poteſt. Et ideo appellatur illud matrimonium præſumptum. Vnde conſtat ſecundum rectè dici, matrimonium præſumptum, quia Eccleſia omnino præſumit cum fundamento, eos ſe mutuo affectu maritali cognouiſſe, & conſequenter matrimonium contraxiſſe. Nam cùm tales habuerint animum inter ſe contrahendi, & ad id datâ fide ſe obligauerint; Eccleſia maximo fundamento præſumit eos voluiſſe habere copulam maritalem, & honeſtam, non verò fornicariam; quia nemo præſumitur velle peccare ſine aliquâ cauſâ; in hoc verò caſu nulla fuit cauſa fornicandi, cùm potuerint licitè ſe cognoſcere affectu maritali, ſeu coniugali, & ita ſtatim contrahere matrimonium, quod paulo pòſt intendebant contrahere. Tertiò conſtat, adeò præſumi ab Eccleſiâ inter illos verum matrimonium, vt nullam contrariam admittat probationem, & cætera omnia matrimonia ſubſecuta, ab vtraque parte iudicet eſſe irrita. Quod etiam nunc præſumitur ab Eccleſia, vbi Tridentinum non viget.

His poſitis reſtat duplex explicanda difficultas.

Prior eſt, an prædicta copula in ſponſis ſit ſignum expreſſiuum conſenſus de præſenti exiſtentis, an potius ſit tantùm ſignum, & indicium conſenſus & contractus matrimonialis antea facti. 2

Illud primum affirmat Sanchez *lib. 3. diſp. 40. n. 2.* & probat ex *cap. is qui fidem, de ſponſalibus, & cap. vnico, de deſponſatione impuberum, in 6.* per talem copulam explicari conſenſum de præſenti, iuris præſumptione.

Perplacet mihi dicere cum Baſilio *lib. 2. cap. 12.* 3
Hurtado *diſp. 3. diffic. 14.* & aliis, iuxta ius Canonicum, copulam etiam præmiſſis ſponſalibus (nam ſi hæc non fuerint præmiſſa, fatentur omnes, nec ſignum, nec indicium eſſe conſenſus de præſenti) non eſſe ſignum expreſſiuum conſenſus de præſenti exiſtentis, ſed ſolùm eſſe ſignum, & indicium conſenſus, & contractus matrimonialis antea facti. Et hac ratione accipiendum eſſe, quod communiter dicitur, ſponſalia per copulam ſubſecutam tranſire in matrimonium. Probo id ex *dicto cap. is qui fidem*; vbi Pontifex loquens de eo, qui poſtquam fidem dedit cuidam mulieri de matrimonio contrahendo, carnali copulâ ſubſecutâ, contraxit poſtea cum aliâ in facie Eccleſiæ, præcipit, vt ad primam redeat, dicens; quia licèt primum matrimonium præſumptum videatur, contra præſumptionem tamen huiuſmodi non eſt probatio admittenda. Et *in cap. finali, de ſponſalibus*, agens de adoleſcente, qui deſponſatam ſibi per verba de futuro, ſæpè niſus fuit, carnaliter tamen non cognouit, & poſtea per verba de præſenti contraxit cum aliâ, ait non primam, cum quâ non fuit verũ matrimonium ex formâ contractum, nec præſumptum, cùm conatus non habuiſſet effectum; ſed ſecundam debet habere vxorẽ. Ex quibus textibus liquidò cõſtat, copulam nõ eſſe ſignum expreſſiuũ cõſenſus, ſed ſolùm eſſe ſignũ præſumptum; nimirũ ex eâ prudẽter præſumi matrimonium fuiſſe ante ipſam cõtractũ.

Nam

Digitized by Google

Nam Eccleſia rationabiliter præſumit bonum, de quo non eſt probatum malum; cumque antea præceſſiſſent ſponſalia, & poſtea ſubſequatur copula, prudenter iudicabat Eccleſia, præceſſiſſe conſenſum mutuum per verba de præſenti expreſſum, vt excuſaret copulam à peccato, aliàs enim minimè excuſaret, quia ille acceſſus eſſet ad coniugem.

Ex his conſtat ad argumentum oppoſitum, tale ſignum ex illis textibus ſolùm colligi eſſe præſumptum, non verò expreſſiuum.

4 *Secunda* difficultas eſt, an vbi viget Concilium Tridentinum, poſſint in aliquo caſu ſponſalia per copulam ſubſecutam tranſire in matrimonium. Qua in re

Certum eſt *primò*, vbi viget Tridentinum non tranſire, quando nec ſponſalia, nec copula fuerint habita coram Parocho, & aliis teſtibus. Patet, quia abſque eorum præſentia, matrimonium nec validè contrahi, nec præſumi poteſt ab Eccleſia, quæ iam ad valorem illius, requirit prædictorum præſentiam.

5 *Secundò* etiam eſt certum, idem eſſe dicendum, quando copula non fuiſſet habita coram illis, etſi ſpõſalia fuiſſent coram eis contracta. Ratio eſt, quia tunc aſſiſterent ei, quòd habiturum eſſet rationem ſigni expreſſiui, (ſi aliquod tunc fuiſſet) cui ex Tridentino neceſſarium eſt aſſiſtere.

6 *Tertiò* quoque eſt certum, idem dicendum, quando ſponſalia non fuiſſent habita coram Parocho, & aliis teſtibus, quamuis copula fuiſſet coram illis habita; quia tunc ſolùm poſſunt teſtificari de copulâ, & non de ſponſalibus, atque adeò, non poſſent teſtificari ſponſos ſibi expreſſiſſe conſenſum, etiam ſi demus, copulam poſt ſponſalia eſſe ſufficiens ſignum; non enim eſſet tale, niſi præmiſſis ſponſalibus.

Supereſt dubitatio, an ſponſalia tranſeant in matrimonium, ſiue verum, ſiue præſumptum, quando ipſa, & copula habita ſunt coram Parocho, & teſtibus. Caſus iſte fingi potius, quàm contingere poteſt,

7 Nihilominus in eo euentu ſentiunt Sanchez *lib. 3. diſp.* 40 Coninch *diſp.* 22. *dub.* 9. & alij ſponſalia tranſire in matrimonium, & manere ius antiquum illæſum, quia ſeruaretur forma præſcripta in Tridentino.

8 Dico *primò*, adhuc in eo caſu non tranſire ſponſalia in verum matrimonium. Patet, quia copula adhuc ſponſalibus præmiſſis non erat, neque eſt verum ſignum conſenſus, vt ſuprà oſtendi, ſed ad ſummum tantùm eſſe poteſt prudens iudicium contractus ante copulam ipſam facti: ergo, quamuis ſponſalia, & copula fiant coram Parocho, & teſtibus, non tranſibunt in matrimonium verum, non ex defectu præſentiæ, ſed ex defectu ſigni exterioris, ſine quo nequit fieri contractus matrimonij.

9 Dico *ſecundò*, neque talia ſponſalia tranſire in matrimonium præſumptum. Ita Coninch *diſp.* 21. *n.* 21. Hurtado *diſp.* 3. *diff.* 14 *n.* 55. & alij. Ratio eſt, quia poſt Tridentinum vbi illud viget, ad valorem matrimonij expreſsè requiritur, quòd tam Parochus, quàm teſtes ſint præſentes, quando fit contractus per verba, aut alia ſigna exprimentia tunc conſenſum coram prædictis factum: ſed, copula, vt probatum eſt, non eſt ſignum expreſſiuum conſenſus de præſenti tunc exiſtentis, ſed eſt tantùm ſignum præſumptum, quòd extiterit antea conſenſus de præſenti per verba expreſſus: ergo ſi Parochus & teſtes non ſunt præſentes, quando adeſt mutuus conſenſus per verba de præſenti, quamuis ſint præſentes tempore copulæ, non erit matrimonium etiam præſumptum.

Eſt verò notandum, ſi contrahentes aſſumerent copulam pro ſigno expreſſiuo conſenſus de præſenti, & hoc eſſet notum Parocho, & teſtibus, exiſtimo in eo euentu per copulam coram ipſis habitam, verè fieri matrimonium, ſicut fit per quodcumque aliud ſignum expreſſiuum conſenſus de præſenti, ex conuentione contrahentium. Vnde licèt tunc copula non eſſet cauſatiua gratiæ ex opere operato propter peccatum, quod in eo acceſſu committeretur, nam intentatur acceſſus adhuc ad non ſuam; tamen remotâ fictione, ſeu peccato, copula præterita vnà cum conſenſibus conſtituentibus matrimonium, & Sacramentum, vt moraliter perſeuerantibus, cauſarent gratiam Sacramenti ex opere operato, ſicut Baptiſmus, recedente fictione, cauſat ſuam gratiam.

SECTIO VI.

An, & quo pacto licita ſint ſponſis de futuro, oſcula, amplexus, aliique tactus.

Solent eſſe effectus ſponſorum de futuro, oſcula, amplexus, aliique tactus non impudici ratione contractus ſponſalium inter ipſos initi. Nam ſicut matrimonium ipſum cauſat, & cohoneſtat copulam; ita ſponſalia, quæ quoddam ſunt matrimonij initium, cohoneſtare videntur prædicta, vt ſic magis foueatur erga matrimonium amor. Vnde Sanchez *lib. 9. diſp.* 46. *n.* 48. *&* 9 ſecutus Caietanum, Nauarrum, Toletum, & alios docet oſcula, amplexus, & alios tactus non impudicos excuſari à culpâ mortali inter ſponſos de futuro, etiam ſi intendant eam delectationem ſenſitiuam, quæ ex ipſis oritur, dummodo non ſit periculum copulæ, aut conſenſus in illam, vel pollutionis; tunc enim eſſent peccatum mortale. Probat illud, quia ſicut matrimonium cohoneſtat copulam, ita ſponſalia, quæ quoddam matrimonij ſunt initium, & inchoatio traditionis corporum, cohoneſtabit huiuſmodi, quæ ſunt quaſi via, & inchoatio ad copulam: præſertim, quia ſic magis fouetur amor in ordine ad matrimonium. 1

Alij verò, vt Rebellus *lib.* 3. *q.* 19. *ſect.* 2. Hurtado 2 *diſp.* 10. *diffic.* 10 cum pluribus aliis ſentiunt eſſe mortale peccatum. Probant, quia ex vna parte prædicta oſcula, complexus, & tactus grauiter opponuntur caſtitati, & ex alia, nondum eſt matrimonium, quo poſſint excuſari: quia ſponſalibus nequeunt excuſari, quia ſponſalia non ſunt contractus matrimonij perfectus, ſed imperfectus, & inchoatus. At per contractum imperfectum & inchoatum, nullo modo traditur dominium rei, ſed manet adhuc res aliena, & ſub dominio alterius, quamuis ſit promiſſa; quia quouſque contractus eſt perfectus, non traditur dominiũ rei. Qui autem nondum eſt dominus rei, nullatenus, adhuc imperfectè, poteſt eâ vti, vtpote adhuc aliena: ergo ex vi talis cõtractus non poteſt aliquis vti re, tanquam propriâ, etiam inchoatiuè, & conſequenter nullatenus adhuc imperfectè poteſt illâ vti. Firmatur, nam ex contractu inchoato emptionis vineæ, v. g. nemini licet occupare vineam, & vti fructibus eius, quouſque contractus ſit perfectus, aliàs ex ſola promiſſione rei tradendæ ex parte venditoris, & pretij ſoluendi ex parte emptoris liceret occupare domum, & vti fructibus, quod eſt planè falſum.

Pro explicatione dicendorum notandum eſt, ex 3 prædictis oſculis, amplexibus, & tactibus, duplicem delectationem percipi poſſe. *Prima*, conſiſtit in quâdam proportione, & conformitate rei tactæ, cum organo tactus, aut viſus, quæ appellari poteſt delectatio naturalis. *Altera* verò eſt carnalis, & libidinoſa,

quæ

quæ ſentitur in carne cum quãdam commotione carnis, aut ſpirituum vitalium incitantium ad pollutionem, quæ ſolet vocari delectatio ſenſitiua. Quo præmiſſo,

4 Diço *primò*, certum eſſe apud omnes Doctores oſcula prædicta, amplexus, & tactus ooo impudicos licitè fieri inter ſpooſos de futuro, quãdo fiunt in ſignum beneuolentiæ, ſecundùm conſuetudinem patriæ, ad conciliandum, & fouendum mutuum amorem in ordine ad matrimooium contrahendum. Et ratio eſt, quia ſunt ſigna mutuæ beneuolentiæ, pacis, & debiti obſequij, & in eis non ſolùm non apparet turpitudo, verùm etiam adeſt finis honeſtus: ergo honeſtè fiunt. Vnde colligo cum prædictis Doctoribus, delectationem ex ipſis ſequentem eſſe licitam, & honeſtam; quia licitum eſt delectari de amicitiâ, pace, ac mutuo amore ſponſorum, in ordine ad matrimonium contrahendum: ergo & licitum eſt delectari de eius ſigno, quod eſt oſculum, vel amplexus, aut tactus ſecundùm patriæ conſuetudinem.

5 Addo, prædicta oſcula, amplexus, & tactus eſſe etiã licita ob fioem prædictum, etiam ſi adſit periculum pollutionis, modò non adſit periculum conſenſus in delectationem ſenſualem, ſeu venereã. Ratio eſt, quia prædicti fines ſunt honeſti, & neceſſarij, ne inurbani, aut auſteri habeantur; & pollutio, ſi fortè ſequitur, eſt præter intentionem.

6 Dico *ſecundò*, certum etiam eſſe apud Doctores, tactus impudicos proximiores copulæ, vt tactus verendorum, & his ſimiles, non licere ſponſis de futuro, & eſſe peccatum mortale. *Primum* liquet, quia illi proximè diſponunt ad copulam: ergo illis ſolis licent, quibus ipſa copula coniugalis licita eſt: ergo ooo licet ſponſis de futuro, quibus talis copula licita non eſt. *Secundum* etiam conſtat, quia materia eſt grauis. Vnde optimè notant Doctores, non permittendos ſolos manere ſponſos de futuro, propter tactum impudicorum, & ipſius copulæ periculum.

7 Dico *tertiò*, oſcula, amplexus, & tactus etiam non impudicos inter ſponſos de futuro, qui fiunt cauſa delectationis ſenſualis, ſeu libidinoſæ, quæ percipitur in ipſis, eſſe peccatum mortale. Ita ſentio cum Doctoribus ſecundæ ſententiæ. Moueor, quia hanc delectationem natura inſtituit, vt medium ordinarium ad generationem, & ad copulam: ergo cùm copula non ſit licita inter eos, qui non ſunt cooiugati, ſequitur neque licitam eſſe huiuſmodi delectationem ſenſualem. Firmo, nam ideo ex omnium ſententiâ delectatio moroſa de copulâ præteritâ in vidua eſt illicita, quia illa commotio carnis ex delectatiooe cauſata, quædam eſt incboata copula, atque adeò cùm viduæ in eo ſtatu non liceat copula, pariter nec inchoatio ad illam. quæ ratio oon minus vrget in ſponſis de futuro.

8 Ex quo infero, ſponſalia præcisè ſpectata, non excuſare io ſponſis de futuro à culpâ mortali, vel veniali oſcula, & amplexus, & tactus non impudicos, qui in ipſis, ſi ſoluti eſſent, verè eſſent mortales, vel veniales, Hoc enim apertè conuincit argumentum pro ſententiâ Hurtado. Ex quo patet manifeſtè ſolutio ad argumentum Sanchez Dixi, ſponſalia præcisè ſpectata, nam aliunde excuſare poſſunt à culpa etiã veniali, ſi fiant ob aliquam neceſſitatem, ad excuſandam videlicet inurbanitatem, & auſteritatem, vel ad conciliandum mutuum amorem iuxta patriæ conſuetudinem modo iam ſupradicto, primo dicto.

DISPVTATIO IX.

De cauſis ſponſalia diſſoluentibus.

SPonſalia ſemel validè contracta diſſoluuntur, dum, quæ præfuerat ex illis obligatio, deſinit. Quare quæ cauſæ faciunt, vt hæc deſinat, illi diſſoluunt. Duodecim autem traduntur communiter cauſæ ſponſalia diſſoluentes. *Prima*, mutuus ſponſorum puberum diſſenſus. *Secunda*, diſſenſus impuberis pubertatem adepti. *Tertia* ingreſſus in religiooem. *Quarta* votum religionis, vel caſtitatis. *Quinta* votum, vel ſuſceptio Ordinis ſacri. *Sexta* matrimonium, vel ſponſalia cum alio contracta. *Septima*, diſceſſus iu longinquum, ſeu abſentia ſpõſi. *Octaua*, lapſus temporis præfixi ſponſalibus adimplendis. *Nona*, morbus contagioſus, vel alia ootabilis mutatio. *Decima* iuris impedimentum ſuperueniens. *Vndecima*, vox publica de impedimeoto, licèt re verâ non ſit. *Duodecima*, fornicatio alteriùs ſponſi ſuperueniens. Quæ omnia ſolent his carminibus cõprehẽdi.

Diſſenſus, crimen, fuga, tempus, & ordo, ſecunda,
Morbus, & affinis, vox publica cumque reclamãt.

Quibus tametſi videantur cootineri ſolùm nouem cauſæ, re verâ tamen io illis duodecim includuntur: nam nomine *diſſenſus*, tam mutuus ſponſorum puberum, quàm etiam impuberis pubertatem adepti diſſenſus intelligitur, & nomine *Ordinis* ſubincluditur non ſolùm ſuſceptio Ordinis ſacri, eiuſque votum, ſed etiam ingreſſus in religionem, & votum religionis, vel caſtitatis.

SECTIO I.

An ſponſalia puberum mutuo ipſorum conſenſu diſſoluantur.

PRimam cauſam ſponſalia diſſoluentem ob mutuum ſponſorum puberũ conſenſum, in hac primâ ſectione expono. Impuberes autem dicuntur pueri, qui non attingunt decimumquartum annum cõpletum; & puellæ, quæ non habent duodecimum cõpletum; puberes *verò* appellãtur, qui prædictam ætatem attingunt. Difficultas verò duplex eſt. *Prima*, an quando ſponſalia ſunt purè ſponſalia, & nullo iuramẽto firmata, poſſint mutuo puberum conſenſu diſſolui, quoad obligationem, quam ſuapte naturâ ferunt fidelitatis, & iuſtitiæ. *Secunda* eſt, an quando ſpõſalia puberũ ſunt iurata, poſſint quoque diſſolui mutuo conſenſu, quoad obligationem religionis ex iuramento ortam. 1

Circa primam, quando ſponſalia iuramento non ſunt confirmata, ratio dubij deſumitur ex *cap. 2. de ſponſalibus*, vbi ſic dicitur: eos, qui matrimonio cõtrahendo fidem dederunt, admonendos eſſe, vt præſtitã fidem ſeruent; ſi autem ſe adinuicem admittere noluerint, ne fortè inde deterius cõtingat, eſſe in patiẽtiâ tolerandos. Quibus verbis videtur inſinuari diſſolutionem ſponſalium non poſſe licitè fieri pro ſolâ voluntate ſponſorum, cùm expreſsè dicatur, tolerandã, ſeu permittendam eſſe, ne deterius aliquid contingat, & ſpooſos eſſe monendos, vt ſeruẽt ſibi fidẽ. 2

Dico *primò*, ſponſalia puberum validè poſſe ſolo mutuo ſponſorum conſenſu diſſolui. Ita omnes, conſtat id *primùm*, quia id nullo iure cenſetur irritum. *Secundo*, quia, vt dicitur *in c. 1. de reg. iuris*, Res omnis per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur. quod intelligitur, ſi res diſſolubilis ſit. At ſponſalia diſſolubilia ſunt, & ſolo mutuo ſponſorum cõ- 3

ſenſu naſcuntur,ſen fiunt. Igitur ſicut omnes alij cōtractus naturâ ſuâ diſſolubiles,mutuo contrahentium conſenſu ſoluuntur, vt inductione conſlat per omnes illos; ita & contractus ſponſalium,qui eſt naturâ ſuâ ſolubilis. Vnde Innocentius Tertius *c.2. de ſponſalibus* dicit,eos qui ſponſalia contraxerunt,poſſe cōtractum hunc reſcindere,ad inſtar eorum,qui Societatem interpoſitione fidei contrahunt, & poſtea eandem ſibi remittunt. Denique ratio à priori eſt,quia in hoc ſponſalium contractu,ſicut in quolibet alio ex ſe diſſolubili,quilibet poteſt cedere ſuo iure ad contractus diſſolutionem,in ſuum,& alterius commodum, ſicut ceſſit antea ad eiuſdem contractus celebrationē. Vnde hoc ipſo, quo vterque reſcindit, & cedit iure ſuo,nulli fit iniuria, & manet contractus diſſolutus.

4 Ex quo fit vnius conſenſum non diſſoluere ſponſalia:quia vnus alteri inuito non poteſt tollere ſuū ius. Hoc ipſo tamen,quòd vnus ſponſalia renuit perficere, quamuis ab obligatione immunis non ſit; tribuit tamē alteri ius reſiliendi,ſi velit;quia volanti fidē nō tenemur fidē ſeruare,*l.ſi conuenit* 14.*ff.pro ſocio*. Ita cū communi ſententiâ notauit Enriquez *lib*.11.*de matr.* *c*.14.*n*.6.& Sanchez *diſp*.154.*n*.4 Quando autē vnus ſponſorū reſilit,neceſſe eſt,vt alter acceptet eius remiſſionem antequā pœniteat; aliàs non maneret diſſolutus ſpōſaliū cōtractus,neq;enim ſolo vnius diſſēſu,ille qui diſſēſit,liber euadit, donec alter acceptet.

5 Dico *ſecundò* non ſolùm validè, verùm etiam licitè, poſſe ſponſos puberes contractum ſponſalium diſſoluere. Ita communiter Doctores,& expreſsè docet S. Th. *in 4.diſt.27.q.2.a.3. ad 5.* ſic dicens; non ſemper eſſe leuitatis retractare, quæ priùs firmata ſunt, quia incertæ ſunt prouidentiæ noſtræ. Et ratio eſt,quia id nullo iure, neque poſitiuo, neque naturali prohibetur:ergo licitè fieri poteſt. Verum eſt,ſi id fiat abſque causâ rationabili,vel ex animi leuitate,& inconſtātiâ, vel ex aliquâ rixâ,expedire euitari,& nō fieri abſque peccato. Et ob id euitandum dicitur in dicto *cap*. 2. ſponſos monendos eſſe, vt fidem ſibi ſeruent. Quod verò *ibidem* dicitur,ſi nolint,eſſe in patientiâ tolerandos, ne deterius aliquid contingat, non ſic accipiendum,quaſi ſponſalium diſſolutio ex mutuo ſponſorum conſenſu ſit mala,& illicita, & ideo ſit toleranda metu grauioris mali;ſed quia minus inconueniens eſt,quando nolunt,etiāſi procedat ex animi leuitate, vel etiā ex rixâ non cōiungi,ne contingat aliquis malus exitus. Quod ſcitè cohæret cum doctrina traditâ, poſſe nimirū cōtrahentes ſponſalia ſine vllâ culpâ illa diſſoluere rationabili de causâ mutuo conſenſu. Ex quo patet ſolutio ad rationem dubij ſuprà propoſitā.

6 Circa ſecundum, quando ſponſalia puberum ſunt iurata,an poſſint mutuo cōſenſu diſſolui,quoad obligationem religionis ex iuramento ortam. Conueniūt Doctores,ſatis eſſe mutuum conſenſum,ſi iuramentum illud in partis fauorem præſtitum ſit: ideſt, ſi iurans ſolùm ex animo iurat,vt adducat Deum in teſtem ad ſponſalia cōfirmanda;non vt faciat Deo promiſſionem. Quod Baſilius Ponce *lib*.12.*c*.9. firmat ex *c. debitores, de iureiurando*. Sed non ad rem,nam ibi ſolùm agitur de eo,qui promiſit ſoluere vſuras,ſi iurauit eas ſoluere,propter iuramentum debere compelli, & cùm vſuræ ſolutæ fuerint,creditores eſſe compellendos per cenſuras Eccleſiæ,vt eas reſtituant. Ratio ergo à priori eſt,quia quando iuramentum factū eſt in confirmationem ſponſalium,cadit ſupra matrimonium, vt ſubeſt promiſſioni,tanquam ſupra materiā: vnde conſenſu,& remiſſione partis,ceſſat materia iuramenti,quia ceſſant ſponſalia,quorum materia vt illis ſubeſt,erat materia iuramēti illius:ergo ceſſat obligatio iuramenti,quæ in illo fundabatur;quia hoc iuramentum non obligat, niſi in commodum partis, quâ remittente obligationem tollitur materia iuramenti. Sic autem fit iuramentum regulariter, quando iuramentum fit ſimul cum ſponſalibus.

Quæſtio verò eſt apud DD. de iuramento principaliter pręſtito in honorē Dei ad eius obſequium attendendo, tametſi tota res promiſſa cedat in cōmodū,& fauorē partis,vt cū quis promittit matrimoniū fœminę pauperi,vel ei,cuius pudicitia periclitatur,& id iurat ipſi Deo,ſeu in honorem, & obſequiū Dei. 7

Sotus *lib*.8.*de iuſt q*.1.*a*.19. negat ſponſalia tali iuramento firmata poſſe mutuo conſenſu diſſolui. Probat,quia tale iuramentum intuitu pietatis factum in honorē Dei æquiualet voto,& Deo præſtatur, vnde ſoli Deo ius adquiritur: ergo eius obligationem nequit alter relaxare,ſeu extinguere:ergo promittens,& ſic iurans,non manet liber ab obligatione iuramenti, quamuis alter remittat,ſed tenetur eâ obligatione ad contrahendum, quoties remittens velit matrimoniū, etiam poſt factam remiſſionē. Quamuis enim ſic iurans non teneatur puellam nolentē ducere,quia matrimonium,& ſponſalia ex mutuo conſenſu conſtat; tamen per remiſſionem promiſſionis alterius,nō manet liber iurans, ſi poſtea remittens velit matrimoniū.

Affirmant,ſponſalia ſic iurata puellæ, vel partis remiſſione abſolutè diſſolui,Nauarrus,Enriquez,& alij, quos refert,& ſequitur Sāchez *lib*.1.*diſp*.52.*n* 8. Quia obligatio,etiam huiuſmodi promiſſionis,tendit directè in illius fœminæ commodū,& hęc ſola directè & per ſe ius adquirit,vt impleatur;ergo ea remittēte ius ſuū tollitur materia obligationis,& cōſequēter votū. Firmāt,quia ideo pater poteſt irritare vota omnia impuberum,& realia puberum minorū,quia poteſt tollere materiā,quæ illi ſubiecta eſt,quâ ſublatâ tollitur votum:ergo etiam illa fœmina in cuius fauorē facta eſt promiſſio iurata,relaxare poterit iuramentum,tollendo materiam,nimirū remittendo,ſeu condonando ſponſionem, ſeu promiſſionem in ſui fauorem factā. 8

Denique Baſilius Ponce *lib*.12.*c*.9.*n*. 2. duo dicit. *Primum*,abſolutè Deo iurantē,ſe ducturum aliquam fœminam pauperem,non teneri ducere, ſed poſſe in cœlibatu manere: quia votum debet eſſe de meliori bono,ſeu de bono non impeditiuo melioris boni; at melius bonum eſt cœlibatus, quàm matrimonium. *Secundum*,ſic abſolutè iurantem, ſi nubat, non teneri ducere pauperem fœminam, quam abſolutè iurauit: quia ſi iuramentum de bono impeditiuo maioris boni,eo modo conceptum nullum eſt, non tenebitur ducere pauperem ex eo iuramēto, cùm nulla fuerit eius obligatio. In hac re 9

Dico *primò*,ſpōſalia etiam iurata certæ,& determinatæ perſonæ, idque præcipuè intuitu Dei propter eius amorem perſonæ,cuius intereſt,remiſſionē,verè diſſolui. Ita ſentio cum Doctoribus ſecundæ ſententię,quam etiā amplectitur Rebellus *lib*.4.*q*.8.*ſect*. 1.*n*.3. Quia Deus illud iuramentū non acceptat, niſi in gratiam partis,cui fit,etiamſi intuitu Dei factū ſit: ergo parte nolente,Deus iurantem non obligat,cùm gratia in inuitum non conferatur;atque adeò per remiſſionem alterius manet liber. Et quamuis negari non poſſit iuramentum poſſe fieri ducendi perſonā illam certam,quoties ipſa velit, etiam poſt quaſcumque nolitiones, & quaſi remiſſiones: verùm id non intendit iurans ex eo quòd intuitu pietatis, & in honorem Dei iuret: atque adeò quando id non expreſsè intendit, cenſendus eſt iuraſſe ſub conditione, quod alter nunquam reſpuat. 10

Dico *ſecundò*, quando quis promiſit, vel iurauit,ſe aliquam pauperem, vel meretricem ducturum,cauſa pietatis,& intuitu Dei; tale votum, vel iuramentum defectu materiæ debitæ non obligare, ſi abſolutè,& ſine conditione emittatur. Ita docui ſuprà *diſp*.3.*ſect*. 3.*n*. 4. 11

Digitized by Google

3.*n.*4. cum communi Theologorum ſententiâ. Atque in hoc etiam conuenio cum Baſilio *citato*, propter rationem ab ipſo allatam; nam quoties votum, vel iuramentum vergit in deteriorem exitum, neminem obligat, ex D. Th. 2. 2. *q.* 88. *a.*2. & 10. & *q.*89 *a.*7. communiter recepto: at illud votum non eſt de bono meliori, nec etiam æquali, quàm ſit oppoſitum, nimirum perpetuò continere; gratior eſt enim Deo cœlibatus, quàm nuptiæ, vt definit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *can.*10.

12 Dico *tertiò*, tale iuramētum neque obligare ad determinationem quoad talem perſonæ conditionem. Vnde non valet tale iuramentum, quoad partem materiæ, vt nimirum ſi nubat, teneatur pauperē aliquā, vel meretricem, quam iurauit, in vxorem accipere. Ita contra Suariū oſtendi de voto ſuprà *diſp.* 3. *ſect.* 3. *n.* 5. eſt enim eadē ratio de iuramēto. Videantur *ibi* dicta.

13 Dico *quartò*, ſi iurans preſſus carnis illecebris, & videns ſe non poſſe continere, promittat matrimonium illud piū, valet eiuſmodi iuramentum. Hoc conſtat apud omnes, quia in eo euētu matrimonium eſſet apta voti materia, nā melius eſſet illi nubere, quàm vri, iuxta conſilium Diui Pauli 1. *Corinth* 7. & illud additum, opus eſt pium, & egregium charitatis: ergo. Quod etiam de voto dixi ſuprà *diſp.* 3. *ſect.* 3. *cit. n.* 2.

14 Dico *vltimò*, ſi tale iuramētum emitteretur ſub cōditione, nimirum, ſi ducturus ſum, ducam pauperem, vel meretricem in Dei obſequium, verè eſſet validū. Idem probaui de voto *ſect.* 3. *cit. n.* 3. nam in eo euentu melius eſt inire matrimonium, nec præcluditur via ad maius bonum ratione voti, vel iuramenti.

15 Ex dictis facile liquet quid dicēdum ſit ad ſententias adductas.

Ad primam Soti iam conſtat ex *dicto primo*, quando materia voti, vel iuramenti cedit in alterius fauorem, poſſe illum remittere talem obligationem: ſic enim ſi promiſiſti Deo, te daturum eleemoſynam Petro pauperi, poteſt Petrus remittere tibi talem obligationē. Ad eius rationem dico, tametſi per tale votum, vel iuramentum adquiratur ius Deo, & huic iuri directè non poſſit renunciare homo, cui ſit promiſſio; at poteſt indirectè, & conſequenter: nam eo ipſo quòd cedit homo iuri ſuo, vt poteſt, conſequenter ceſſat ius Dei, quod erat annexum iuri hominis. Vnde perſonâ illâ reſpuente, ceſſat ſtatim obligatio dicti iuramenti, non directâ relaxatione, quæ nequit fieri, niſi à Deo, aut ab habente vicem illius, ſed ceſſatione conditionis, ſub quâ fuit tacitè factum, quia perſona, in cuius commodum ſit, id reſpuit, & non vult.

Secunda ſententia pro nobis eſt, vt dixi *dicto primo*.

Ad tertiam Baſilij dico, doctrinam illam me libenter amplecti, vt conſtat ex *dicto ſecundo & tertio*.

Sectio II.

Vtrum ſponſalia impuberum, ſolo eorum mutuo conſenſu poſſint diſſolui.

1 PRogredior ad ſecundam ſponſalia diſſoluentem cauſam, quæ eſt diſſenſus impuberis pubertatē adepti. In qua re

Certum eſt *primò*, eos qui infra annos pubertatis ſponſalia contraxerunt, non poſſe mutuo eorum diſſenſu ea diſſoluere, quandiu impuberes ſunt. Hoc aſſertum & rectè, in iure ſtatuitur, *c. de illis* 7. *de deſponſatione impuberum*, his verbis: De illis, qui infra annos aptos matrimoniis ſponſalia contrahunt, ſi vterque, ſiue alter reclamet, antequam ad annos matrimoniis aptos peruenerint, & poſtulent ſeparari, non ſunt vlterius audiendi. Ex quo manifeſtè conſtat, vt notat *ibi* Gloſſa, eos, qui infra nubiles annos conſtituti, maiores ſeptem annis, contrahunt ſponſalia, ante legitimam ætatem nubilem non poſſe licitè reclamare, ſeu reſilire, neque eorum alicui id licere, atque adeò nec contractum ſponſalitium mutuo diſſenſu diſſoluere, quandiu impuberes ſunt. Ratio huius diſpoſitionis non eſt ius naturæ, nam iure naturali ad id non ſunt impediti; ſicut neque puberes: ſed ius poſitiuum Canonicum impediens impuberes in fauorē ætatis fragilis, qui ob eam ſæpius contraherent ſponſalia, & diſſoluerent; vnde eo decreto occurritur puerorum impuberum leuitati, ne facilè mutantes conſilium ex inconſtantia illius ætatis, leuiter contrahant ſponſalia, & pari leuitate ab illis recedant.

2 *Secundò*, certū eſt prædictos impuberes, cùm ad pubertatem perueniunt, poſſe quemlibet ſponſalibus renuntiare. Sic habetur *in dicto c. de illis*, loquens de impuberibus, his verbis: Si autem alteruter iſtorum ad annos pubertatis peruenerit, reclamauerit, nec in alterum voluerit cōſentire, iudicio Eccleſiæ poterunt ad inuicem ſeparari. Quod etiam rectè eſt ſtatutum in fauorem ætatis fragilis, vt ſubueniatur immaturitati iudicij impuberum, vt nimirum, quia in impubertate minus prudenter ſe obligarunt, detur illis locus pœnitentiæ, vt cùm ad maturiorem pubertatis ætatē peruenerint, poſſint obligationem excutere, ne ſi ſponſalia omnino firma eſſent, coactè matrimonium contraherent. Reclamatio autem illa coram Eccleſiâ, vel iudice videtur ſolùm ad forum externū deſiderari, vt iudex pro diſſolutione ſententiam ferat. Rectè autem docent Doctores, puberem contrahentem ſponſalia cum impubere, non poſſe reſilire, benè verò impuberem peruenientem ad pubertatem; quia prædictum ius ſolùm fauet debili impuberum ætati.

3 Sunt verò quatuor obſeruāda ex cōmuni doctrinâ.

Primum, ſi ambo ſponſi ſunt impuberes, non oportere, vt qui prior ad pubertatē peruenit, ſpectet alterius pubertatem. Ratio eſt, quia nullo iure requiritur, quod pubertatem alterius ſpectet; imò oppoſitū non leuiter inſinuatur *in dicto c. de illis*. Ex alia parte, cur prior perueniens non poterit reclamare ſtatim, cùm paulò pòſt poſſit, cùm iam non amplius maturitas iudicij in eo ſpectatur?

4 *Secundum* eſt, Doctores communiter docere, factum puberē debere ſtatim reclamare; aliàs ſi in mora fuerit, cenſebitur tacitè ſponſalia confirmare. Quod etiā colligitur ex dicto *c. de illis*; nam dicitur, cùm ad annos pubertatis peruenerint, reclamauerint; nam alioquin cenſebitur approbare contractum, & non poterit reſilire. Notat benè Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 51. *n.* 14. id dici, iuxta phraſim iuris fieri ſtatim, quod fit intra triduum, *l. finali, C. de errore Aduocato*, ibi, *in continenti*, id eſt, *triduo*, & *l. finali C. de iudiciis*, ibi, *illico autem*, id eſt, *intra triduum*.

5 *Tertiū*, ſi impubes ante pubertatem diſſentit, & ſēper manſit in eodem diſſenſu, etiam cùm pubertatem attingit, diſſolui ſponſalia, non ratione diſſenſus ante pubertatem, ſed ratione perſeuerantiæ in illo, poſtquam ad pubertatem peruenit; vt rectè docet Sanchez *cit. n.* 16. Ratio eſt, quia cenſetur ille diſſenſus moraliter perſeuerare. Addo id intelligi, quādo iuxta prudentum arbitrium cenſetur ille perſeuerare moraliter in diſſenſu, ſecus non, vt contingeret quando longum tempus eſſet interiectum. Quòd ſi quis perueniens ad pubertatem, omnino fuit oblitus ſponſalium, vel ignorat, ſe perueniſſe iam ad ætatem, quâ poteſt reclamare, poteſt ſemper in foro conſcientiæ reclamare, quandocumque memor erit; quia talis non poteſt dici ea confirmaſſe; in foro tamen externo probanda eſſet obliuio, vel ignorantia.

6 *Quartum*, ſi impubes toto tempore præcedenti per-

ſtitit in ſponſalibus, at factus pubes ſtatim interiùs diſſentit, etſi exteriùs id non exprimat, diſſolui ſponſalia pro foro conſcientiæ. Ita Sanchez *citatus n.* 17. Contrarium ſentit Baſilius Ponce *lib.*12. *cap.* 9. *n.*5. ſed immeritò, quia ideo ſponſalia manent firma, dum impubes factus pubes nũ reclamat, quia tacitè videtur conſentire: at in hoc caſu nullus eſt tacitus conſenſus coram Deo, imò eſt expreſſus diſſenſus; vnde omnis deficit ratificatio in foro conſcientiæ, dum eſt diſſenſus internus; nequeunt ergo ſponſalia non manere diſſoluta.

7 His ſtatutis præcipua ſupereſt difficultas de impuberibus contrahentibus ſponſalia, ſi ea iuramento cõfirment, an nimirum poſtea, cùm ad pubertatem peruenerint, poſſint parte inuitâ illis renunciare.

Docent Thomas Sanchez *dictâ diſp.* 51. *q.* 3. *n.*22. Hurtado *diſp.* 2. *diffic.* 2. & alij prædicta ſpõſalia confirmari iuramento, & reſilire non poſſe, ſed implenda eſſe, etiamſi ad annos pubertatis peruenerint. Probat ex *c. ex litteris* 10. *de ſponſalibus, & matr.* vbi ſtatuitur impubeſcentes, qui ſponſalia contraxerunt, & iuramento confirmarunt, cogendos eſſe cenſuris ad contrahendum matrimonium. Nec valet dicere, ſuppoſitionem huius capitis intelligendam eſſe, quando non reclamarunt tempore debito. Hoc, inquam, non valet, quia quando tempore debito non reclamant, quámuis non iurauerint, cogendi ſunt ratione obligationis contractus ex fidelitate, ſeu etiam ex iuſtitiâ. Firmat, quia tametſi de aliis impuberum contractibus non conſtet inter Doctores, verùm iuramento firmentur, nec ne; id tamen prouenit, quia ſecluſo iuramento inualidi erant: at ſponſalia impuberum valida ſunt, ſecluſo iuramento, licèt diſſolubilia: ergo iuramentum addictum ea firmat, & reddit indiſſolubilia.

Addit duo Sanchez *n.*24. *&* 25. *Primum*, hoc iuramentum vt firmet ſponſalia, præſtandum eſſe ab impuberibus doli capacibus, quos ſic vocat eos, qui proximi ſunt pubertati, vt intellectum, & diſcretionem habeant ad firma omnino, & irreuocabilia reddenda ſponſalia. *Secundum*, Epiſcopum in eo iuramento poſſe diſpenſare, vt licitè reclament, eamque diſpenſationem facilè concedendam eſſe ab Epiſcopo ob ætatis imbecillitatem.

8 Dico *primò*, verius videri, ſponſalia iurata à verè impuberibus non confirmari iuramento, & conſequenter eum, qui primus ad pubertatem peruenit, poſſe licitè, & validè ab illis reſilire. Ita Paludanus *in* 4. *diſt.* 27. *q.*1. *a.*3. Baſilius Ponce *lib.*12. *c.*9. *n.*8. & alij. Quam ſententiam ipſe Sanchez indicat eſſe probabilem. Ratio eſt, quia iuramentum additum contractui ſortitur eaſdem conditiones contractus, ex *l. finali. C. de non numeratâ pecunia*; ſed ſponſalia impuberum includunt talem conditionem, vt cùm ad pubertatem peruenerint, poſſint reſilire: ergo & iuramentum illis additum. Vt enim dicamus, alium effectum habere iuramentum, deberet eſſe in hoc ſpecialis iuris Canonici diſpoſitio, quæ non eſt. Quia ex dicto *cap. ex litteris*, quod adducit Thomas Sanchez, non rectè probatur, ſponſalia impuberum iuramento confirmata, diſſolui non poſſe. Nam ibi ſermo eſt de his, qui pubertati ſunt proximi, quando malitia ſupplet ætatem, quos vocat impubeſcentes, hoc eſt, propè puberes. Quod manifeſtè colligitur ex ipſo textu: nam ibi ab Alexãdro Tertio præcipitur Epiſcopo Pictauienſi, vt cenſuris compellat virum, vt fœminam in vxorem recipiat, & maritali affectione pertractet: hoc autem fieri non poterat niſi eſſent proximi pubertati, & in illis malitia ſuppleret ætatem, inter hos enim tantùm poteſt eſſe validum matrimonium: vnde ſponſalia inter illos contracta potius erant puberum, quàm impuberum, quia erant puberum, in quibus malitia ſupplebat ætatem; atque ideo ſponſalia inter ipſos contracta erant omnino valida: nam ſi matrimonium inter ipſos validum erat, potiùs erãt valida ſponſalia: ergo ſi eo tempore iurauerunt, iuramẽtum non confirmabat ſponſalia impuberũ, ſed puberum in quibus malitia ſupplebat ætatem: ergo ex dicto *c. ex litteris*, non rectè ſumitur argumentum ad probandum iuramento confirmari ſponſalia impuberum. Hinc

Dico *ſecundò*, ſi ſponſalia verè impuberum confirmentur iuramento, & alter eorum velit reſilire poſt pubertatem, nullâ indigere relaxatione iuramenti. Patet, quia cùm ablatâ materiâ promiſſionis ſponſalitiæ, auferatur etiam obligatio iuramenti, nullâ opus eſt relaxatione altero renuente. 9

Dico *vltimò*, etiam in oppoſitâ ſententia aſſerente, impuberes cõtrahentes ſponſalia, ſi ea iuramẽto confirmant, non poſſe poſtea parte inuitâ illa reſilire, me non videre, quomodo poſſit Epiſcopus in tali iuramento diſpenſare, ſi iurans fuerit doli capax ſufficienter vt poſſit peccare mortaliter. Moueor, quia per tale iuramentum, parti fuit ius adquiſitum, vt eſt certum: ergo non poteſt in illo diſpenſare. Et certè ſi Epiſcopus in tali iuramento diſpenſare potuiſſet, non eſſet cur Pontifex *in cap. citato, ex litteris*, tam ſeuerè præciperet, & cogeret, vt vir ille ſeruaret iuramentum. 10

Ex his patet ſolutio ad argumentum Sanchez: iam enim oſtenſum eſt ex dicto *c. ex litteris*, non eſſe talẽ diſpoſitionem. Ad confirmationẽ dico, tametſi ſponſalia impuberum valida ſint, ideo tamen ratione iuramenti non reddi indiſſolubilia, quia, vt dictum eſt, iuramentum ſequitur naturam contractus, & additum contractui ſortitur eandem conditionem contractus, cùm in eius confirmationem fiat; atque adeò cùm ſponſalia impuberum iure poſitiuo includant tacitè eam conditionem, niſi facti puberes reſiliant, iuramentum illis additum ſortitur eandem conditionem. 11

SECTIO III.

An per ingreſſum religionis, profeſſione non ſequutâ, diſſoluantur ſponſalia.

TErtiam cauſam ſponſalia diſſoluentem, nempe in religionem ingreſſum, explico in hac, & ſequenti ſectione. Circa præſentem verò

Certum eſt *primò*, ſponſalia diſſolui per profeſſionem in religione approbatâ. Patet, quia matrimoniũ ratum diſſoluitur per profeſſionem, vt conſtat ex *c.* 1. *de conuerſione coniugatorum*. Vbi etiam expreſsè ſtatuitur licere vni coniugi ante matrimonij conſũmationem, altero inuito, ad religionem tranſire, de quo infrà ſuo loco: ergo potiori iure ſponſalia diſſoluentur. 1

Secundò etiam eſt certum, tametſi per ſimplicia vota in religione approbatâ facta, v.g. in Societate IESV, non diſſoluatur matrimonium ratum, vt ſuo loco dicemus; per ea tamen diſſolui ſponſalia. Ratio eſt, quia per ea homo verè conſtituitur religioſus, & inhabilis ad matrimonium contrahendum. 2

Eſt verò difficultas explicanda, an diſſoluantur ſponſalia per ſolum ingreſſum in religionem, an potiùs ſpectanda ſit profeſſio. Circa quam difficultatem variæ ſunt Doctorum ſententiæ.

Prima abſolutè negat, atque, quemlibet ex ſponſis manere adhuc æquè obligatum ex inito ſponſalium contractu, atque erat ante vnius in religionem ingreſſum. Ita Durandus, & Paludanus *in* 4. *diſt.* 27. hic *q.* 1. *a.* 3. *caſu* 5. ille *q.* 3. *a.* 3. Viguerius *c.*16. §. 7. & Veracruz 8. *p.*1. *ſpeculi coniugiorũ a.*21. Probant, quia per ingreſsũ religionis, neutra pars renunciat iuri per ſponſalia adqui- 3

Digitized by Google

quiſito pręcipuè ingrediens non ſtarim cedit iuri ſuo, ſed ſub eõditione, ſi profeſſus fuerit; ingreditur enim, vt experiatur, an ſibi expediat ; .ſiteri, vel mattimoniom contrahere. Firmatur, nam vnta ab ingrediente emiſſa ante ingreſſum religionis, non ſoluuntur per illius ingreſſum, niſi profeſſio ſubſequatur; vnde durante probationis tempore, manent illa veluti ſuſpenſa, donec nouitius aut profeſſionem emittat, & ſic diſſoluantur; aut ad ſæculum redeat, & ſic conualeſcant, ſuumque robur obtineant: ergo ſimiliter ſponſalia contracta, per religionis ingreſſum, non ſubſequente profeſſione, non diſſoluuntur ex parte ingreſſi, ſed tandiu manent ſuſpenſa, quandiu probatio durat.

4 *Secunda* ſententia abſolutè affirmat, ſponſalia diſſolui ſolo religionis ingreſſu, quoad vtrumque, nempe ingredientē, & in ſæculo manentem. Ita Cardinalis Toletus *in ſum. lib. 7. c. 21* Sanchez cum aliis *lib. 1. diſp. 42. n. 5.* Ludouicus Mæratius *tract. de matrimonio, diſp. 12. ſect. 12. n. 8.* Probatur

Primò, quia ſicut ſe habent ſponſalia ad matrimonium, ita ſe habet ingreſſus religionis, ſeu nouitiatus ad profeſſionem: ſed profeſſio diſſoluit matrimoniū ratum ex parte vtriuſque; vt conſtat ex *cap. 2. de conuerſione coniugatorum*: ergo & ingreſſus religionis diſſoluit ſponſalia ex parte vtriuſque. Id enim in fauorē ſtatus religioſi concedendum eſt ingreſſui in illum.

Secundo, ſi ingrediens religionem proteſtetur ſe nolle ſponſalibus renunciare ante profeſſionem, & alter etiam ingrederetur, non diſſoluerētur ſponſalia, cùm in vtroque eſſet mutatio æqualis: ergo diſſolutio ſpooſalium non prouenit ex notabili mutatione, ſed ex fauore ſtatus: aliàs dici poſſet etiam per profeſſionem dirimi matrimonium conſummatum, ſi eſſet notabilis mutatio, quod eſt abſurdum.

Tertiò, maior eſt obligatio voti religionis, quàm ſponſalium; ſed votum ingrediendi religionem dirimitur per ingreſſum in illam bonâ fide, & animo experiendi, nam poſtquam eſt ingreſſus, ſi experiatur eum ſtatum ſibi non conuenire, poteſt ad ſæculum redire. ergo & ſponſalia diuinuntur per ingreſſum religionis.

Vltimò in contractu ſponſalium, non minus tacitè ſubintelligitur ab vtroque ea contrahente, conditio hæc niſi ad religionis ſtatum tranſire voluero, niſi poſtea perpetuam vouero caſtitatem, vel iſta alia niſi ſacrum Ordinē ſuſcipere maluero; atqui hæc ſubintelligitur: ergo & illa. Maior probatur, quia ſicut iſtæ res ſunt ſingulare quoddam, & excellens bonum, ita & ille ad religionis ſtatum tranſitus, atque adeò ſicut prudenter iudicatur, neminem obligare ſe velle tam indiſſolubiliter ad mattimonium contrahendum, vt velit etiam cum iactura prioris illius boni, dum id disertè in cootractu non exprimitur, atque adeò in ſponſalium contractu prędicta conditio tacite ſubintelligitur, ita idem prudenter iudicandum eſt reſpectu poſterioris huius boni, & conſequēter hęc eadem etiam conditio in contractu ſubintelligitur. Cùm autem contractus aliquis à duobus celebratur, cuius valor, & obligatio pendet à conditione futurâ, ſiue expreſſâ, ſiue ſubintellectâ, neque hæc ponitur, neutrum obligat.

5 *Tertia* ſententia, quæ mihi videtur verior, ex parte negat, & ex parte affirmat: dicit enim, eum qui religionem ingreſſus eſt, manere adhuc perinde obligatum; alterum verò in ſæculo manentem eſſe planè ab hac obligatione ſolutum, ac liberum. Ita ſentiūt Hēriquez *lib. 11. de matr. cap 14. n. 3.* Rebellus *lib. 4. de ſponſalibus q. 8. ſect. 6.* Ægidius Coninch *diſp. 23. dub. 3.* Hurtado *diſput. 2. difficult. 6.* Baſilius Ponce *lib. 12. cap. 10.* & alij. Hanc ſentētiam dictis ſequētibus declaro.

Dico igitur *primò*, nullo iure poſitiuo ſtatui, vt ſponſalia diſſoluantur per ſolum religionis ingreſſum. Sic Couarruuias *p. 1. de matr. cap. 5. num. 15.* Nauarrus *in ſummâ cap. 22. n. 26.* & ex Theologis, qui ſunt modò relati. Probatur, quia reuerâ nullus eſt textus, vnde colligatur ante profeſſionem ſponſalia diſſolui; nam iura, quæ adducuntur, ſolùm diſponunt de matrimonio rato, non conſummato, & dicunt illud diſſolui profeſſione, non ſolo religionis ingreſſu. Nec valet quòd ſi ad matrimonium diſſoluēdum exigitur profeſſio, ad diſſoluēda ſponſalia ſufficiat ingreſſus. Nō, inquam, valet, quia nullum eſt fundamentum in iure ad id rectè dicendum; & in huiuſmodi rebus non licet ab vna ad aliam argumentum ſumere. Præſertim, quia ratio differentiæ inter hæc duo eſt manifeſta, vt conſtabit ex ſolutione argumentorum. Quare præſens difficultas non ex aliquo iure, quod re verâ non eſt, ſed ex natura rei dilucidanda eſt. 6

Dico *ſecundo*, ex natura rei, eum ex ſponſis, qui remanſit in ſæculo, ſolutum eſſe à ſponſalium obligatione, poſſeque ſtatim noua inire cum alio ſponſalia, & matrimonium. Hoc commune eſt dictum ſecundæ & tertiæ ſententiæ contra Doctores primæ. Probatur manifeſtè. *Primò*, quia quando in vno ex ſponſis fit magna, & notabilis mutatio cedens in graue damnum alterius, manet hic ab obligatione ſponſalium liber, vt oſtendo infrà *ſect. 11.* at ſi vnus ex ſpōſis ingrediatur religionem fit magna mutatio cedens in graue nocumentum alterius, ſi ſtare ſponſalium contractui cogitur: nā pro magno dedecore apud homines habetur, ſi mulier nubat ei, qui Monachus fuerit nouitius; vel ſi vir eam ducat in vxorem, quæ fuerit Monialis nouitia; ſuperuenit etiam illi cōditio duriſſima, vt nimirum debeat per annum expectare ipſius nuptias, quod eſt onus graue: ergo manens in ſęculo non tenebitur expectare profeſſionem illius, ſed poterit ſtatim ab ſponſalibus reſilire. *Secundò*, ingrediens religionem ipſo facto oſtendit, ſe alienum omnino ab illis nuptiis; vnde cenſetur renunciare obligationi alterius: ergo alter manens in ſæculo, manet omnino liber. Antecedens oſtendo, nam religionem ingrediens, vel ſincerè ingreditur animo permanendi, & profeſſionem ſuo tempore faciendi, vel fraudulēter, & doloſè, animo poſtea egrediendi, ſed ſuo interim ingreſſu reſiliendi ab ſponſalibus, & defraudādi ſponſum alterum. Si hoc ſecundum, manifeſte ſpōſalium contractui liberâ ſuâ voluntate renunciat; ſi primum, patet etiam renunciare: nam efficax voluntas amplectendi ſtatum illum, cum quo ſtare non poteſt matrimonij contractus, & ſtatus eſt efficax voluntas nunquam contrahendi matrimoniū, & ſponſalia implendi: ergo eſt efficax voluntas renunciandi ſponſalibus; atque adeò ipſamet actualis ſtatus ſuſceptio, eſt actualis ſponſalium cōtractui renunciatio. Firmatur, nam ſi eodem tempore ſponſus, & ſponſa religionem ingrederentur, quolibet ſciente ingreſſum alterius, eo ipſo præcisè prudenter ab omnibus iudicarentur renunciare ſponſalibus: ergo ſimiliter qui, altero inſcio, religionem ingreditur, iudicandus prudenter eſt, quātum in ſe eſt renunciare ſponſalibus. 7

Dico *tertiò*, ingrediētem religionem etiam bonâ fide, & animo profitendi, non manere liberū, ac ſolutū à ſponſalium obligatione ex natura rei ante profeſſionem ipſam, atque adeò ſponſalia ipſa ſolùm ſolui ex parte manentis in ſæculo, ita vt ingrediens religionem, ſi egrediatur, teneatur ſtare contractui, in caſu, quo alter velit. Ratio à priori eſt, quia alter ſponſus in ſæculo manens non debet ſuo iure priuari ſine ſufficienti ratione, quæ hîc non reperitur, nam ingreſſus 8

ipſe in religionem ex naturâ ſuâ, non habet, quod liberet nouitium ab obligatione ſponſalium, cùm poſſit poſtea egredi; vnde non inducit aliquem ſtatum incompoſſibilem matrimonio, quę ſola hic poſſet eſſe cauſa illa ſoluendi: ergo ſi egrediatur, & alter velit, tenetur ſtare promiſſis, quia quãuis ingrediens cedat iuri ſuo; attamen manẽs in ſæculo minimè cedit; ſicut per fornicationem ſponſi, vt dicetur infrà *ſect. vltimâ*, non omnino ſponſalia dirimuntur, ſed ſolùm ex par-

9 te innocentis. Eſt verò notandum cum Henriquez *cit.* & Petro de Ledeſma *de matrimonio q.43. dub.2.* ſi contingeret quòd etiam alter ſponſus, qui manſerat in ſæculo, aſſumeret poſtea habitum religioſum, vel alia ſponſalia iniret, tunc cenſeretur prioribus renunciare, & in eo caſu vtrinque, abſolutè ſponſalia diſſoluerentur.

Ex his facilè ſoluuntur argumenta contraria.

10 Ad illud pro primâ ſententiâ iam conſtat ſolutio ex dicto ſecundo, ingredientem perdere ius ſuum ob notabilem mutationem cedentem in graue nocumentum alterius in ſæculo remanentis, & ipſum cenſeri renunciare iuri ſuo, & obligationi alterius.

Ad confirmationem conceſſo antecedente, negatur conſequentia; nam votorum illorum, & ſponſalium diſpar eſt ratio, quia vota illa non aduerſantur ſtatui religionis, cùm in ſtatu religioſo poſſint obſeruari; diſſoluuntur verò per profeſſionem, ob ſingulare priuilegium illius. At ſponſalia contracta opponuntur ſtatui religionis, quia in illo ſtatu nequeunt adimpleri: vnde ingrediens religionem ipſo facto oſtendit ſe eſſe omnino alienum ab illis, & cenſetur renunciare iuri ſuo.

11 Ad primum ſecundæ ſententiæ dico, falſam eſſe maiorem, nam ſponſalia obligant ad matrimonium; nouitiatus autem non obligat ad profeſſionem. Conſequentia etiam nulla eſt circa præſentem materiam; quia profeſſioni in fauorem ſtatus religioſi conceſſum eſt priuilegium dirimendi matrimonium ratum, non verò ingreſſui religionis conceſſum eſt, vt ſponſalia diſſoluãtur, cùm neque id habeat ex naturâ ſuâ, neque ex aliquo iure poſitiuo, quod in hac parte nõ extat. Imò æquum non erat, vt id ingreſſui concederetur, quia non eſt conſonum rationi, vt qui à religione recedit, gaudeat fauore religionis, ſed vt cum antiquis obligationibus ad ſæculum redeat.

12 Ad ſecundum reſpondet Baſilius *citat. n.* ſi vterque religionem ingrederetur, vtrumque habere rationem reſiliendi ab ſponſalibus, ſicut ſi vterque in lepram incideret. Verùm non placet mihi hæc ſolutio, cùm vterque profiteatur, ſe nolle ſponſalibus renunciare ante profeſſionem, & in vtroque ſit mutatio æqualis, nulla eſt ratio, ob quam debeat ceſſare obligatio ſponſalium. Nec vrget exemplũ, nam tunc ideo ceſſarent ſponſalia, quia iſta mutatio reddit valdè oneroſum matrimonium, tam ex parte contrahentium, quàm ex parte prolis leproſæ educandæ; non verò mutatio alia, de qua eſt ſermo. Ad id quod in argumento infertur, diſſolui poſſe matrimonium cõſummatum, falſum omnino eſt; quia matrimonium conſummatum eſt vinculum omnino indiſſolubile, de quo plura infrà *diſp.* 20.

13 Ad tertium, conceſsâ maiori, & minori, negatur conſequentia: nam quòd votum religionis ceſſet per ingreſſum bonâ fide, & animo experiendi, non eſt ex eo quòd maior, vel minor obligatio ſit ſponſalium, quàm voti, ſed quia eo tantùm ingreſſu in religionem, & experientiâ illius impletur votum: cùm enim votum ſolùm ſit ingrediendi religionem, ceſſat per ingreſſum: ſicut votum dandi hodie eleemoſynam, ceſſat ipſa donatione eleemoſynæ, quia per illam impletur; at ingreſſus in religionem non eſt impletio ſponſaliũ, neque mutatio in melius, donec profiteatur, & perſeueret; qua profeſſione extinguitur etiam quoad profitentem obligatio ſponſalium. Quare ſolùm ſponſalia ceſſant ex parte ingredientis per profeſſionem.

Ad vltimum negandum eſt, talem conditionem 14
in contractu ſponſalium eſſe ſubintelligendam; non enim intelligitur ex natura ſuâ, vt per ſe patet: ſicut cùm Petro promitto centum, non ſubintelligitur, niſi voluero eos dare pauperibus. Aliàs qui promiſit Petro centum, & acceptauit, poſſet eos erogare pauperibus, quia hoc eſt melius, quod tamen eſt falſum. Neque etiam ſubintelligitur ex communi cõtrahentium conſenſu, quia contrahentes ſponſalia nihil minus cogitant communiter. Nec denique ex conſtitutione alicuius iuris, quia nullum tale reperitur.

Sectio IV.

An ſi ſponſalia ſint iuramento confirmata, diſſoluantur ingreſſu in religionem: an verò qui iurauerit, teneatur priùs matrimonium contrahere.

TOta præſentis quæſtionis difficultas naſcitur ex 1
cap. commiſſum 16. de ſponſalibus, vbi ponitur caſus, de quodam, qui dederat fidem cuidam mulieri, eam ducendi in vxorem infra biennium, interpoſito iuramento; poſtea verò voluit intrare religionem. Dubitatum fuit, an poſſet propter iuramentum. Conſultus Pontifex, Alexander Tertius, reſpondit, quòd tutius eſt ei, religione iuramenti ſeruatâ, priùs contrahere, & poſtea ſi elegerit, ad religionem migrare ante conſummationem. Quæ Pontificia deciſio ſatis declarare videtur, talem, ac tantam eſſe iuramenti vim, vt cogat ad prius contrahendum matrimonium, quamuis eo contractu liberum ſit ſponſalia iuranti, religionem ingredi. Cùm enim poſſit ſatisfacere obligationi iuramenti priùs contrahendo, tenebitur priùs iuramentum implere.

Veriſſima tamen, & communiſſima Doctorum 2
ſententia, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. 1. diſp. 42. n. 5.* eſt negans. Iuxta quam

Dico *primò*, nullam eſſe obligationem ex vi iuramenti ad priùs contrahendum matrimonium, ſed poſſe ingredi religionem, non contracto priùs matrimonio. Ratio eſt, quia iuramentum additum contractui, ſequitur naturam, & conditiones illius; nam eſt iuramentum factum in confirmationem contractus ſponſalitij: acceſſorium enim ſequitur ſuum principale, vt in ſimili habetur *cap. quemadmodum, de iureiurando, & l. finali. C. de non numeratâ pecuniâ*; ſed ſponſalia diſſoluuntur per ingreſſum religionis modo explicato, *præcedenti ſectione*: ergo id erit verum etiamſi ſponſalia ſint iurata iuramento facto in confirmationem ſponſalium, vt regulariter fit: ergo ceſſante obligatione ſponſalium, vt præcisè verè ceſſat ex parte manentis in ſęculo, licèt non ex parte ingredientis religionem, etiam ceſſat obligatio iuramenti, quamuis eius impletio ſit licita. Præterea idem firmo, nam ſi eſſet obligatio priùs contrahendi, maximè ex dicto *cap. commiſſum*: at in illo Pontifex nihil decernit, nec declarat eſſe priùs contrahendum, ſed tantùm dicit, tutius eſſe priùs contrahere: atque adeò licèt hoc caput, vt ſonat, intelligatur, ſolum conſilium importat: ergo poteſt tutũ oppoſitum fieri.

Dico

Digitized by Google

3 Dico *ſecundo*, per ſe loquendo, non poſſe ſponſum abſque graui culpâ poſt ſponſalia iurata matrimonium inire animo ingrediendi religionem antequam conſummet, niſi in aliquibus caſibus vrgens cauſa à peccato excuſaret. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia inferret iniuriam in re graui decipiendo coniugem, quæ ſi id ſciuiſſet, noluiſſet contrahere. Multa etiam ex hoc contractu ſunt nata ſequi incommoda. Nam forè multi ſuſpicarentur, eum ingredi religionem, quia aliquod vitium in vxore deprehendit, ob quod eius nuptias auerſetur. Item coget illam magnos ſumptus facere pro nuptiis, & deinde integro anno ab aliis nuptiis abſtinere, & erit forè cauſa, cur non ita commodas reperiat. Et quamuis vterque cum bonâ fide contraxit, habeat ius ante matrimonij conſummationem religionem ingrediendi, etiam inuitâ parte; quia vtriuſque conditio, & iura paria ſunt; & religionem ingrediens habet grauiſſimas cauſas id faciendi, vt nimirum conſulat ſaluti animæ ſuæ, quæ præponderat incommodis, quæ pars patitur, atq; adeò huic nullã facit iniuriã, nec contrahendo, nec ingrediẽdo. Attamen in caſu, quo ſponſus cõtraheret animo ingrediẽdi religionem ante cõſummationem diſpar eſſet in ipſo cõtractu vtriuſque cõtractus ratio, & habens illum animum nullam haberet neceſſitatem ita contrahendi, ac talibus periculis partem exponendi, & ideo faceret ei notabile damnum præcisè ita contrahendo, non autem poſtea ingrediendo, quia ius hoc ei ob prædictas cauſas concedit, non verò illud. Vnde contrahens matrimoniũ eo animo, ſi partem non admoneat de illo, peccat ſaltem contra charitatem, non peccato commiſſionis contrahendo, ſed omiſſionis, non admonendo partem, ſi pars ponatur periculo ſuſpicionis alicuius grauis defectus, aut ſumptibus magnis faciendis in nuptiis, aut alij graui incommodo. Dixi, niſi vrgens cauſa à peccato excuſaret, qualis eſſet grauis metus famæ, vel vitæ amittendæ, licèt non ſit cadens in virum conſtantem; legitimatio prolis antea conceptæ, parentum cuſtodia, ni fias religioſus, quam aliter euadere nõ poſſis; & graue ſcandalum impendens, quod vitari nequeat, niſi contrahendo. In his enim caſibus liceret modo prædicto matrimonium inire, partem non admonendo.

4 Ad caput *commiſſum*, varij variè reſpondent, vt videre eſt apud Suarez *tom. 2. de religione, tract. de iuramento lib. 2. c. 13.* & Baſilium *lib. 12. cap. 10* Perplacet cum Soario dicere, in eo caſu conſultum fuiſſe Pontificem de ſponſo, qui non ita firmo, & conſtanti animo ſtatuerat religionem ingredi; & cùm periculum fuiſſet, ne ante ingreſſum religionis laberetur biennij tempus, intra quod iurauerat matrimonium inire ad euitandum periculum periurij, reſpondit, tutiùs eſſe matrimonium contrahere. Quòd ſi certè ſponſus ille conſtituiſſet, religionem ingredi, non conſuleret Pontifex, vt contraheret priùs, eſſet enim inutile; ſed diceret, iuramento non obſtante, poſſe ſponſum religionem ingredi. Ideo ergo dixit Pontifex tutius eſſe, id eſt, tutum eſſe (ſæpè enim poſitiuum intelligi ſolet in comparatiuo) matrimonium contrahere, ne prætextu leuis, & inconſtantis deſiderij, deeſſet religioni iuramenti, & aliàs etiam religionem non ingrederetur, quam leuiter, & inconſtanter appetebat.

5 Quæres quid dicendum ſit de eo, qui contraxit ſponſalia cum virgine, & ſub eâ ſpe virginem deflorauit, vel fuit ei cauſa infamiæ notabilis, licèt eam non cognouerit, poterit ingredi religionem, præſertim ſi ſit voto ad id aſtrictus? Idemque dubitatur, quando eſſet vidua honeſtæ famæ, & non infimæ ſortis, cui notabilis infamia proueniret. Reſpondeo, non poſſe ingredi religionem, ſed teneri matrimonium contrahere. Ita optimè Sanchez cum aliis *lib. 1. diſp. 44.* Ratio eſt, quia licèt obligatio ſponſalium per ſe non impediat ingreſſum religionis, impedit tamen obligatio orta ex iniuriâ, vel damno illato, quod, moraliter loquendo, reſarciri nequit, niſi matrimonium contrahendo, & conſummando; & vt damnum proximi reparetur, cedit Deus promiſſioni ſibi factæ. Idem dicendum eſt, quamuis ſponſalia vera non eſſent, quia promiſſio ficta fuit; nam in his caſibus, in quibus fictus promiſſor tenetur deceptam ducere, quia aliter damnum illius reparare nequit, iuxta dicta ſuprà *diſp. 2. ſect. 3.* non poteſt religionem ingredi, ob eandem omnino rationem.

Sectio V.

An votum religionis, vel caſtitatis perpetuæ diſſoluat ſponſalia.

QVartam in ordine cauſam, quam propoſui, ſponſalia diſſoluentem, nempe votum religionis, vel caſtitatis in hac ſectione declaro.

Ac primùm, de voto religionis certum putat Sanchez *lib. 1. diſp. 46. n. 2.* ſponſalia diſſoluere. Probat, quia tale votum habet ſe reſpectu ſponſalium, ſicut votum ſolemne religionis reſpectu matrimonij rati: ſed hoc matrimonium diſſoluitur per profeſſionem; ergo & ſponſalia per illud votum. Firmatur, quia per tale votum religionis ſtatus matrimonialis inter eos redditur illicitus: ergo ceſſat tota ratio, & promiſſionis, & obligationis. Præſertim cum communiter vtrique parti in eo euentu ille contractus ſponſalium nec commodus, nec vllâ ratione expetibilis ſit. Indecens enim eſt ei, qui ſe totum Deo deuouit, dare mulieri poteſtatem in corpus ſuum ad vſum matrimonij etiam remotum, & communiter, id eſt, periculoſum; nam ferè iis imminet morale periculum, ne conſumment. 1

In hac re diſtinguendum cenſeo de voto ingrediendi religionem ſubſequente ad ſponſalia, & de voto in eâ profitendi ſubſequente quoque ad ſponſalia.

Dico ergo *primò*, votum ingrediendi religionem ſubſequens ad ſponſalia ipſa, non diſſoluere ſponſalia ex parte vouentis. Ita Hurtado *diſp. 2. diffic. 6. n. 23.* & Baſilius Ponce *lib. 12. cap. 12. n. 2.* Ratio eſt manifeſta, quia non aliter votum ingrediendi religionem poteſt diſſoluere ſponſalia præcedentia, quàm ipſe religionis ingreſſus: ſed iſte ante profeſſionem non dirimit ſponſalia ex parte ingredientis, vt ſtabilitum eſt ſuprà *ſect. 3.* ergo. Vnde DD. omnes, qui id defendunt de ingrediente religionem, vt conſequenter loquantur, debent idem docere de ipſo vouente. Quare per votum ingrediendi religionem, quamuis alter maneat liber ab ſponſalibus ob ceſſionem, quâ vouens cedit iuri ſuo, obligationi alterius, cui verè renunciat; non tamen ipſe vouens, quia per tale votum non obligatur ad profitendum, ſed tantùm ad experiendam, & probandam religionem; ſicut per ingreſſũ ipſum factũ eo animo. Vnde tale votum ex naturâ ſuâ nihil habet, quod liberet vouentem ab obligatione ſponſalium, nam poſt ingreſſum, & experientiam factam in religione, poteſt egredi licitè: ergo ſi egrediatur, & alter velit, tenetur ſtare promiſſis, atque adeò erit obligatus ad contrahendum matrimonium. Neque obſtat, quòd poſſit con- 2

Digitized by Google

trahere, & tranſire ad religionem, quia niſi honor ſponſæ exigat, abſolutè loquendo, inutilis eſt ea celebratio matrimonij, & otioſa, & ſæpe periculoſa, licèt reuerà, per ſe loquendo, & ex naturâ rei ipſa ſponſalia non præmittuntur propter ſe, ſed propter matrimonium.

3 Dico *ſecundò*, votum profitendi religionem, per ſe loquendo, ex parte etiam vouentis diſſoluere præcedentia ſponſalia. Ita Hurtado *relatus*. Ratio eſt, quia per tale votum non eſt liberum vouenti, ſed neceſſarium in eâ religione profiteri, cum quo nequit eſſe obligatio contrahendi matrimonium, quia intendit ſe obligare ad id, quod eſt incompoſſibile cum matrimonio, niſi fortè per accidens ex parte alterius occurrat aliqua rationabilis cauſa, vt fiat matrimonium ante ingreſſum religionis; tamen, per ſe loquendo, nulla eſt obligatio illud contrahendi; manent igitur ea ſponſalia omni ex parte diſſoluta.

4 Ex quo infero, hæc duo vota ingrediendi religionem, & eam profitendi, eſſe valdè diſtincta, nam primum ſolum ligat ad religionem experiendam, ingrediendo in illam: ſecundum verò ad perpetuò in illa permanendum, vnde obligatio ſponſalium cùm ſit compatibilis cum priori voto, eius que impletione; non verò cum adimpletione alterius voti, ideo hoc ſecundum votum diſſoluit ſponſalia præcedentia, non verò illud primum.

Ad argumentum oppoſitum negatur illa maior, quia ex nullo iure id conſtat, neque ex naturâ rei. Ad confirmationem, factum eſt per tale votum ingrediendi religionem, reddi ſtatum matrimonialem inter eos abſolutè illicitum: nam poteſt vouens ingredi religionem, & eam experiri, & ſic adimplere votum; & poſtea egredi, & ſic nubere cum illâ, ſi ipſa velit.

Circa votum caſtitatis conueniunt Doctores,

5 *Primò*, votum caſtitatis præcedens dirimere ſponſalia ſubſequentia. Patet, quia obſtrictis illis voto, ſtatus matrimonialis illicitus eſt, & quibus hic eſt illicitus, ipſe contractus communiter per ſe incommodus, & periculoſus eſt, ac proinde etiam illicitus. Idē dicendum de voto religionis, & ſuſcipiendi Ordines ſacros, ſi præcedant ſponſalia, ea nimirum diſſoluere: nulla enim ſunt ſponſalia poſtea ſubſequuta, cùm ſint promiſſio rei illicitæ, *cap. rurſus, qui Clerici, vel vouentes*. Iam enim poſt prædicta vota iniquè matrimonium promittitur. Quod verum eſt etiam ſi ſponſalibus ſubſequutis, iuramentum addatur, vt conſtat ex dicto cap. *rurſus*.

6 *Secundò* etiam eſt certum, hoc ipſo, quo vnus ex ſponſis vouet caſtitatem perpetuam, alterum manere liberum ab ſponſalibus præcedentibus, & ex parte illius diſſolui illa. Ratio eſt, quia vouens eo vouceſetur renuntiare ſponſalibus, & obligationi alterius, vt eſt manifeſtum, quia ex parte ſuâ obligat ſe ad id, quod cum ſtatu matrimonij non conſiſtit; ac proinde eius pars, ſiue ſponſa manet libera ab omni obligatione. Adde, in ſponſo tale votum caſtitatis emittente eſſe peculiarem rationem, ob quam ſponſa poteſt diſſoluere ſponſalia; nam eo voto fit notabiliter deterior ipſi ſponſæ, quia ſponſa cogitur non vti actibus coniugalibus, niſi ipſa petat; quia ſponſus ratione voti caſtitatis, tametſi poſſit reddere, non tamen poteſt petere debitum; quod ſanè ſponſæ eſt graue vous.

Difficultas ergo ſupereſt, an ipſe ſponſus, qui tale votum caſtitatis emiſit poſt contracta ſponſalia, maneat ſponſæ obligatus, vt cum ipsâ contrahat, ſi ipſa id exigat. Quod eſt quærere, an votum ſimplex caſtitatis præciſe cum animo manendi in ſæculo, dirimat ſponſalia præcedentia.

7 Pars affirmans eſt valdè probabilis, quam ſequuntur Sotus *in 4. diſt. 27. q. 1. a. 5. §. verum*. Henriquez *lib. 11. de matrimonio cap. 14. n. 4.* Bartholomæus à Ledeſma *de matrimonio dubio 13. caſu 2.* Ioannes Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 21. q. 10.* Suarez *lib. 2. de voto cap. 4. num. 13.* Gabriel Vaſquez *opuſculo de reſtitutione cap. 3. §. 2. dub. 6. num. 17.* Baſilius Ponce *lib. 12. c. 12. n. 4.* Bonacina *tract. 5. p. 5. n. 13.* & alij. Probant

Primò ex cap. veniens, qui Clerici, vel vouentes, vbi hæc eſt ſpecies facti. Quædam mulier ſponſalia contraxit cum alio abſente, cuius ſæuitiâ, vt fama diuulgabat, deterrita de conſilio cuiuſdam Eremitæ votū ſimplex caſtitatis emiſit. Quo audito, vir contraxit matrimonium cum alterâ. Conſulitur Pontifex Alexander Tertius, & reſpondet. Nos ita attendentes tutius eſſe, vt præfata mulier poſt fidem, & votum ſimpliciter oblatum, matrimonium contrahat, quàm reatum fornicationis incurrat; mandamus, quatenus ſi plus nō proceſſit, ſibi de fide mentitâ, & voto violato congruam ſatisfactionem indicat, & ei, cui vult, nubendi in Domino licentiam tribuere non poſtponas. Ex quo textu in primis conſtat, illam fuiſſe obligatam voto, & re verâ votum valuiſſe, tum quia imponitur pœnitentia de violato voto, & aliàs ſi votum non valeret, non peteret fœmina nubendi licentiam, neque egeret diſpenſatione ad nubendū alteri, quam eo loco Pontifex per dictū Eremitam concedit. Tum etiam, quia Doctores oppoſitæ ſententiæ, præſertim Sanchez, fatentur, ſic vouentem poſt ſponſalia contracta obligatum manere ad nō petendum debitum, & peccare contrahendo matrimonium: ergo illud votum caſtitatis emiſſum poſt ſponſalia eſt validum. Hinc autem inferri videtur per prædictū votum manere ſponſalia præcedentia diſſoluta, quia validum eſt tale votum: ergo nō poſſunt ſponſalia conſiſtere, quia incompoſſibilis eſt obligatio abſoluta voti cum obligatione ſponſalium.

Secundò, voti vinculum fortius eſt vinculo ſponſalium, cùm illud cōtineat fidelitatis obligationem reſpectu Dei; hoc verò reſpectu hominis: ergo votum caſtitatis fortius erit, atque adeò ſponſalia diſſoluet.

Tertiò, in ſponſalibus ſubintelligitur iſta conditio; niſi perfectior vitæ ſtatus eligatur, quia nō debet impedire perfectionem: ergo cùm per votum caſtitatis eligatur perfectior vitæ ſtatus, eſt enim cœlibatus perfectior ſtatu matrimonij, ſequitur ſponſalia dirimi per votum ſimplex caſtitatis, eorumque obligationem ceſſare.

Vltimò, promiſſum non infringit in melius commutans, vt conſtat ex *cap. peruenit 2. de iureiurando*.

Partem negantem, ſponſalia non diſſolui per tale 8 votum, amplectuntur multi ex Iuriſperitis, & Theologis, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. 1. diſt. 46. num. 9.* Coninch *diſput. 23. dub. 3. n. 21. & 25.* Hurtado *diſputat. 2. difficult. 5.* & alij. *Primò*, quia ſponſalia nec iure naturæ, nec iure poſitiuo includunt illam conditionem tacitam, ſeu implicitam, nempe niſi voluero ad meliorem ſtatum tranſire: ergo nō diſſoluūtur ex parte vouentis caſtitatem. Antecedens probatur, quia in primis non iure naturæ, ſeu naturâ ſponſalium, quamuis cœlibatus ſit perfectior ſtatu matrimonij, vt per ſe patet. Tum quia aliàs per votum nō nubendi dirimerentur ſponſalia, nam melior eſt actus cœlibatus, quàm matrimonij: illud autem eſt falſum, vt plures Doctores fatētur. Tum maximè; quia aliàs, qui promiſit Petro diuiti equum, & acceptauit, poſſet illum erogare pauperibus, quia hoc eſt melius, quod tamen eſt abſurdum. Deinde neque iure poſitiuo, quia nullū tale reperitur, ſicut reperitur de profeſſione in religione, in cuius fauorem datur ius, vt dirimat matrimonium ratum. *Secundò* Deus non acceptat

ceprat promiſſionem rei iam antea alteri promiſſæ, & in alterius præiudicium: ſi enim promiſiſti Petro mille aureos, & eos Petrus acceptauit, non potes poſtea vouere dare illos Eccleſiæ: ergo cùm per priora ſponſalia corpus ſit promiſſum alteri, non poteſt Deo promitti. Denique idem oſtenditur ex dicto capite *veniens*, vbi fœminæ, quæ vt ſponſalia viraret, emiſit votum caſtitatis, iniungitur pœnitentia de fide mentita, id eſt, ob fidem violatam ſponſo, cùm per ipſam ſteterit ne matrimonium ſequatur: ergo tenebatur ſtare ſponſalibus; hæc tamen emiſerat votum caſtitatis; ergo votum caſtitatis non dirimit ſponſalia.

9 Hanc ſecundam ſententiam iudico veriorem, cum hac limitatione, niſi in contractu ſponſalitio explicitè poſita eſſet mente, vel ore talis conditio transeundi ad meliorem ſtatum, nam in eo euentu per prædictum votum, poſtea emiſſum verè ceſſaret obligatio ſponſalium, cùm ea eſſet expreſſa ſponſi intentio. At, per ſe loquendo, & ex natura rei prædicta conditio ſponſalibus nullo modo ineſt, vt benè probarum eſt; neque etiam ex conſtitutione alicuius iuris, quia nullum tale extat; nec denique ſubintelligitur ex communi contrahentium conſenſu, quia contrahentes ſponſalia nihil minus cogitant communiter, quàm velle ſibi reſeruare ius ſeruandi caſtitatem. Quare prædicta ſponſalia per votum caſtitatis non diſſoluuntur ex parte ſponſi vouentis. Hinc

10 Colligo *primò*, ſponſum qui vouit caſtitatem manere obligatum ſponſæ, vt cum eâ contrahat, ſi ipſa hoc exigat, quia ſponſa per ipſa ſponſalia ad id adquiſiuit ſtrictum ius, cui non renunciauit, nec ſine legitimâ causâ priuari debet; nulla verò eſt hîc legitima cauſa eam priuandi, vt conſtat ex dictis.

11 Colligo *ſecundò*, non teneri ſponſum qui tale votum caſtitatis emiſit, ſi ſponſa nolet ei remittere ſpõſalia ingredi religionem, vt votum illud integrè ſeruet, ſicut putarunt nonnulli, vt optimè aduertit Sanchez, Coninch, & Hurtado *locis citatis*. Ratio eſt, tum quia nemo tenetur medio tam arduo, & difficili ad voti caſtitatis integram impletionem, præſertim multo difficiliori, quàm ſit impletio illius voti. Tum maximè, quia ſponſalia non ſunt diſſoluta, vt oſtenſum eſt: ergo tenetur illa implere; non ergo ligatur ad religionis ingreſſum.

12 Colligo *tertiò*, votum prædictum caſtitatis ſolum poſſe obligare ſponſum vouentem in ipſius, non tamen in ſponſæ præiudicium. Quare non poteſt illum obligare ad non ducendam illam, cui fidem dedit; tenetur tamen vel ſponsâ fidem remittente, vel ex causâ iuſtâ diſſolutis ſponſalibus, vel matrimonio diſſoluto, vel diuortio iuſtè contracto, omnimodam continentiam ſeruare. Vtrùm verò conſtante matrimonio poſſit vir ſic vouens debitum petere, dubitarunt nonnulli Recentiores, dicentes tale votum obligare ad non petendum debitum reſpectu fœminæ vouentis, non verò reſpectu viri, quia cederet in præiudicium fœminæ, nam eſſet illi graue onus, vt nunquam poſſit actui coniugali vacare, niſi ipsâ petente, quod non eſſet onus reſpectu viri. Nihilominus communiter omnes dicunt, teneri virum vouentem caſtitatem poſt ſponſalia, debitum coniugale non petere, quamuis vxori petenti teneatur reddere: quia ſponſa vxor ad id ſolum habet ius iuſtitiæ, vt ſibi reddatur, quod verè ſuum eſt. Ratio verò adducta ſolum probat omnino expedire cum tali diſpenſare, vt poſſit petere debitum; & etiam quia ipſi viro grauiſſimum imminet periculum petendi.

Ad argumenta oppoſita.

13 Ad primum dico, textum illum potius eſſe pro nobis, vt vidimus. Certè non eſt contra noſtram doctrinam, nam fatemur libenter, illud votum caſtitatis validum eſſe, & obligare ſponſum vouentem in ipſius præiudicium, non tamen ſponſæ, quæ habet ius adquiſitum per ipſa ſponſalia ad matrimonium contrahendum. Ex quo manifeſtè ſequitur eſſe compoſſibilem obligationem voti ex parte cum obligatione ſponſalium, nam illa nihil aufert de iure adquiſito ab ſponsâ ad matrimonium, ſed ſolùm adimit ſponſo vouenti ius petendi debitum; & ſi contingat vxorem mori, vel ob fornicationem, vel ſimilem cauſam, dare iuſtam cauſam diuortij, tenetur omnimodam ſeruare continentiam. Quare illud votum obligat quantum obligare poteſt, dummodo non ſit in præiudicium ſponſæ, ſed ſponſi.

Ad ſecundum etiamſi votum ſtrictius obliget, 14
quàm promiſſio homini facta ex parte perſonæ cui ſit, vnde qui violat votum, grauius peccat, quàm qui in eâdem materiâ violat iuſtitiam: tamen in modo obligandi, negari non poteſt æqualia eſſe cùm oriantur ex eodem modo promittendi. At inter æquales obligationes prior præualet; atque ideo præualebunt ſponſalia, quæ ad votum præcedunt.

Ad tertium falſum eſt antecedens, vt oſtenſum eſt. 15
Quare ius, quod concedit ſponſis, inito matrimonio rato transeundi ad religionem, non debet extendi ad alios caſus; tum quia non reperitur in iis ſimilis ratio. Tum maximè, quia cùm minuat aliquo modo ius partis, videtur debere ſtrictè intelligi.

Ad vltimum dico, textum illum nobis non aduer- 16
ſari; nam ibi eſt ſermo de iuramento, vel voto Deo facto, cui non infringitur fides, quando ei datur melius, quia ſemper acceptat Deus rem meliorem loco minoris. Apponit Gloſſa exemplum. Iuraſti ire vltra mare, intraſti religionem poſtea, & non vadis vltra mare, non frangis iuramentum. At homini, qui aliquando non acceptat rem meliorem, infringitur fides, quando non redditur res promiſſa: præſertim quando id melius, quod efficit promittens, eſt melius ipſi promittenti, non verò homini promiſſario, in cuius commodum non cedit, vt contingit in noſtro caſu, in quo ex voto caſtitatis vnius ſponſi, non reſultat commodum alteri ſponſo.

SECTIO VI.

An votum, vel ſuſceptio Ordinis ſacri diſſoluant ſponſalia.

QVinta cauſa ſponſalia diſſoluens eſt votum, vel ſuſceptio Ordinis ſacri. Quo pacto autem id intelligendum ſit, in hac ſectione expono.

Ac primum de voto ſuſcipiendi ſacros Ordines, 1
iuxta dicta *præcedenti ſectione*, conſequenter dicendum eſt cum Sanchez *lib. 1. diſp. 47.* & aliis, quos ipſe refert, non diſſoluere ſponſalia præcedentia ex parte vouentis, ex parte verò alterius non vouentis diſſolui, id eſt, hunc cenſeri liberum ab ſponſalibus. Hoc ſecundum conſtat, quia in Ordine ſacro votum incluſum per ſe, & ex naturâ ſuâ eſt votum ſimplex caſtitatis, & per accidens tantùm dicitur ſolemne; quia ex Eccleſiæ ſtatuto ſortitur effectum voti ſolẽnis, qui eſt matrimonium contrahendum dirimere; ſed votum ſimplex caſtitatis non dirimit ſponſalia, vt vidimus *præcedenti ſectione*: ergo: Vnde negandum eſt in ſponſalibus tacitè ineſſe eam conditionem, niſi voluero ad ſtatum perfectiorem Ordinis ſacri tranſire, quia id neque iure naturali, nec poſitiuo ineſt ſponſalibus. Nihilominus ſponſus, qui tale votum emiſit

Digitized by Google

emiſit, non tenebitur teligionem ingredi, vt votum adimpleat, niſi aduertens, ingreſſum religionis eſſe vnicum medium ad impletinnem voti, tenebitur tamen, mortuâ vxore, Ordinem ſacrum ſuſcipere, & etiam, ſi ipſi remittatur fides, & ſponſalia iuſtâ cauſâ dirimantur.

Quod autem attinet ad ſuſceptionem Ordinis ſacri,

2 Certum eſt *primò*, per ſuſceptionem minorum Ordinum non dirimi ſponſalia, cùm non pugnent cum ſtatu coniugij; *cap.* 1. *&* 2. *de Clericis coniugatis*, neque poſſit eſſe ſponſa rationabiliter inuita. Vnde neque peccaret, qui poſt ſponſalia Ordines minores ſuſciperet.

3 *Secundò* certum eſt, per ſacri Ordinis ſuſceptionem dirimi ſponſalia. Ratio eſt aperta, quia per ſacrum Ordinem redditur homo inhabilis ad matrimonium contrahendum: ergo potiori iute ad ſponſalia. Et quamuis vinculum matrimonij rati præponderet ſuſceptionem ſacri Ordinis, & non diſſoluatur; at vinculum ſponſalium cùm multis aliis cauſis ſolubile ſit, ratio ipſa petit, vt diluatur ex inſigni ſacrâ hominis mutatione.

Solùm ergo dubitari poteſt, an peccet, qui contraxit ſponſalia, ſi promoueatur ad ſacros Ordines.

4 Nonnulli affirmant, nullum eſſe peccatum, ſicut neque eſt, in aſſumendo ſtatu religionis. Sic Soto *in* 4. *diſt*. 27. *q*. 1. *a*. 5. Nauarrus *in ſumma cap*. 22. *n*. 25. Baſilius Ponce *lib*. 12. *cap*. 11. *n*. 3. & alij. Probant,

Primò, quia licitum eſt ſponſo ingredi teligionem: ergo & ſacros Ordines ſuſcipere, quibus eſt votum caſtitatis ſolemne annexum.

Secundò, Tridentinum *ſeſſ*. 23. *cap*. 2. *de reformatione*, ſolum præcipit diligentem fieri inquiſitionem de natalibus, ætate, moribus, & vitâ ordinandorum, non verò de eorum ſponſalibus: ergo ſignum eſt, non credidiſſe eſſe impedimentum ad licitè Ordines recipiendos.

Tertiò, licitum eſt poſt ſponſalia, obligatorium votum de ſuſcipiendis ſacris Ordinibus: ergo non eſt peccatum ſuſcipere Ordines ſacros poſt ſponſalia, quia aliàs votum eſſet de re iniquâ; atque adeò non ſeruandum. Vnde ſubdit Baſilius, cuius eſt hoc argumentum, non ſatis id attendiſſe Thomam Sanchez, cùm admittat eius voti obligationem.

Quarto, ſacerdotium præſtat longè matrimonio: ergo poſt ſponſalia licebit, hoc relicto, ad illud tranſire.

Vltimò, nullum inde præiudicium infertur promiſſario; nam in eâ ſponſalium promiſſione ſubintelligitur ea conditio, & ideo non poteſt eſſe promiſſarius rationabiliter inuitus, aliàs etiam diceretur inferre præiudicium promiſſario, ſi quis poſt ſponſalia emitteret votum caſtitatis, vel religionis, vel ad religionem tranſiret, quod falſum eſt. Firmat Baſilius, quia ſi expreſsè initio conueniſſent, vt liceret cotum vnicuique poſt ſponſalia vouere caſtitatem, vel promoueri, non poſſet alter rationabiliter queri: ita ſimiliter non poteſt iuſtè conqueri, quamuis expreſſum non ſit à principio, quia ea conditio iure ineſt, & quando aliquid ipſo iure ineſt, eundem effectum habet, ſiue exprimatur eodem modo, quo iure ineſt, ſiue etiam non exprimatur.

5 Contrarium iudico verius, nempe peccare mortaliter eum, qui poſt ſponſalia ſuſcipit Ordinem ſacrũ ſine conſenſu patris. Ita Sanchez *lib*. 1. *diſp*. 47. *n*. 3. Rebellus *lib*. 4. *q*. 8. *ſect*. 5. & apud hunc Paludanus, Antoninus, Gabriel, Syluester, & alij, quos ipſe refert. Moueor *primò*, quia ideo fas eſt vni ſponſo ſine alterius conſenſu ingredi religionem, quia hoc eſt peculiare priuilegium religionis in iure conceſſum propter eius excellentiam, quod tamen non conceditur Ordini ſacro: ergo non licebit ſponſo, inconſultâ ſponsâ, Ordinem ſacrum ſuſcipere. Firmo. nam matrimonium ratum non conſummatum ſoluitur per profeſſionem religionis, vt habetur *cap. verum*, *&* *cap. ex publico*, *de conuerſione coniugatorum*: non tamen per ſacrorum Ordinum ſuſceptionem, iuxta *Extrauagantem Antiquæ*, *de voto*, *& voti redemptione*: ergo ex eo quòd licitum ſit ſponſo ingredi religionem, non ſequitur, licitum eſſe ſuſcipere Ordinem ſacrum; atque adeò quamuis ſacer Ordo ſponſalibus ſuperueniens, ea dirimat, peccabit tamen ſponſus illum ſuſcipiens.

Rectè autem Rebellus *citatus* limitat hanc doctrinam, niſi magna eſſet penuria Sacerdotum, aut aliqua publica neceſſitas, ratione cuius iam cenſerentur ſponſalia non ſolùm non obligare, ſed etiam diſſolui, ob rerum, & circumſtantiarum notabilem mutationem. 6

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum iam conſtat ſolutio ex antea dictis.

Ad ſecundum dico, Concilium cùm præcipit inquirendum de vitâ, & moribus, ibi virtute idem præſcribere de coniugiis, & ſponſalibus ordinandorum. Quod ſatis firmatur praxi communi Ordinariorum recipientium ſponſarum exceptiones contra ſponſos ordinari volentes. 7

Ad tertium dico, non eſſe licitum ſponſo votum de ſuſcipiendis Ordinibus ſacris in præiudicium ſpõſæ; eſſe verò licitum cum licentia ſponſæ, ſeu remiſſione ab ipsâ factâ. Abſolutè verò licitum eſſe tale votum, quia ſubintelligitur ea conditio. Quare ſimiliter obligat ad eius impletionem ipsâ volente, vel defunctâ, vel ex aliquâ iuſtâ cauſa ſponſalitio contractu diſſoluto. Sicut in ſimili diximus *præcedenti ſectione*, de voto religionis, & caſtitatis. Vnde immeritò Baſilius carpit Thomam Sanchez eius voti obligationem admittentem, & optimè ſic eam declarantem *loco citato num*. 4. vt nimirum ſponſus, ſi remittatur ſibi fides ab ſponsâ, vel ſponſalia ex iuſta cauſâ dirimantur, vel matrimonium contractum diſſoluatur, tenebitur ad votum implendum. Quod valdè attentè, & perdoctè dixit, vt in ſimili de voto caſtitatis. 8

Ad quartum, conceſſo antecedente, negatur conſequentia; nam ſicut licitum non eſt in alterius præiudicium, vel votum commutare, vel iuramentum in bonum euidenter melius, ex *leg. id quod noſtrum*, *de regulis iuris*, *&* *l. mutuum. ff. ſi certum petatur*; ita nec licebit relinquere matrimonii promiſſum in alterius ſponſi præiudicium, pro Ordine ſacro, cùm id illi ſpeciali priuilegio minimè ſit conceſſum. 9

Ad vltimum negatur antecedens, quia nec talis conditio expreſſa eſt in iure, neque ineſt ex natura rei; atque ideo graue præiudicium promiſſario infertur, ſi ſacris initietur ſine eius licentiâ, aut promiſſione ab ipſo factâ. Nec rectè infertur, ſi ſponſus voueat caſtitatem, vel religionem, inferre iniuriam alteri ſponſo; nam iam ſatis ſuperque dictum de peculiari religionis priuilegio in iure cõceſſo. De voto caſtitatis iam explicatum eſt *præcedenti ſectione*, fieri poſſe, & obligare ſine præiudicio alterius partis, & idem dixi de voto ſuſcipiendi Ordines ſacros. Ad confirmationem conſtat, quàm debilis ſit, nam ſi expreſsè conueniant, quæ ratio iniuriæ, vel præiudicij concipi, vel fingi poteſt? At ſi non paciſcantur, cùm ea conditio iure non inſit, vt dictum eſt, non poteſt ſortiri eundem effectum. 10

SECTIO

Sectio VII.

Vtrùm ſponſalia diſſoluantur per matrimonium ſubſequens factum cum alia perſonâ.

Sexta cauſa ſponſalia diſſoluens eſt matrimonium, vel ſponſalia cum alio priùs contracta. Quo pacto igitur ſponſalia diſſoluantur per matrimoniū ſubſequēs in hac ſectione declaro. Quo verò modo priora ſponſalia diſſoluantur per poſteriora *ſequenti ſectione*.

1 Certum eſt, in quo omnes conueniunt, ſponſalia præcedentia diſſolui per matrimonium ſubſequēs cum aliâ perſonâ contractum, quod ſtatuitur *in cap. 1. de ſponſalibus orum, & in c fin. 27 q. 2.* Et ratio eſt, quia cōſtat matrimonij vinculum fortius eſſe, quàm ſponſalium: nam res tradita vni per contractum indiſſolubilem, non poteſt amplius tradi alteri, cui tantummodo promiſſa eſt. Hac enim de causâ in ſolutione, is cui res tradita fuit, præfertur illi, cui promiſſa eſt. At per matrimonium de præſenti corpus traditum eſt vni: non ergo poteſt ampliùs tradi ſponſæ, cui antea tantummodo promiſſum fuerat per priora ſponſalia.

2 Hoc autem intelligi debet de matrimonio valido, nam ſi ex quacumque cauſa inualidum fuerit, non diſſoluuntur ſponſalia. Quia re ipsâ nullum fuit vinculum matrimonij, quod eſſet fortius vinculo ſponſaliū, ac proinde qui inualidè contraxit matrimoniū, manet obligatus ducere eam, cum qua antea contraxerat ſponſalia: non enim præſtat impedimentū, quod de iure non ſortitur effectum, *regula, non præſtat, de regulis iuris in 6.* Ratione verò matrimonij validi, ſpōſa alia relictâ manet perpetuò libera ab omni obligatione, quia illud contrahens eo ipſo renunciat promiſſioni ſibi à relictâ factæ, & dat illi iuſtiſſimam cauſam reſiliendi. Imò licèt alter matrimonium inualidè contraxerit, cùm cēſeatur quoque ſponſalibus renunciare, poterit relicta licitè ab ſponſalibus reſilire. Ex parte verò matrimonium contrahentis, quamdiu durat matrimonium, non tenetur relictam ſponſam ducere; quia tandiu eſt ipſi impoſſibile implere promiſſionem illi factam.

Difficultas eſt an prædicta ſponſalia ita diſſoluantur per ſubſequens matrimonium validū, vt qui illud cōtraxit diſſoluto matrimonio per mortē, vel profeſſionem vxoris, teneatur implere ſponſalia præcedentia, ſi ſponſa adhuc perſeuerat innupta? ſi enim nupſiſſet, iam eſſent ſponſalia omnino diſſoluta) & ipſa velit.

3 Partem negantem defēdit Henriquez *lib. 11. de matr. c. 14.* & Sanchez plures ſequutus *lib. 1. diſp. 48.*

Primò, quia textus antea adducti expreſsè dicunt per tale matrimonium priora ſponſalia omnino extingui. At obligatio ſemel extincta, ampliùs non reuiuiſcit, & *cap. quanis, de conſecr. diſtinct. 4.*

Secundò, matrimonium ſuperueniens eſt vinculum fortius vinculo ſponſalium præcedētium, & eiuſdem rationis cum illo, & cum eo incompoſſibile: ergo extinguit illud. Patet conſequentia, quia quando ſunt obligationes eiuſdem rationis, extinguitur prior per ſubſequentē fortiorem, ſic enim votum ſtrictioris religionis omnino extinguitur per profeſſionem in laxiori religione factam. Addit Sanchez hanc ſententiā eſſe veram, tametſi priora ſponſalia iuramento firmata ſint. Quia cùm tale iuramentum firmet promiſſionē homini factam, eâ omnino extinctâ ceſſat. Limitat verò, ſi ſponſus ſub ſpe matrimonij virginem violaſſet: tunc enim niſi damnū non eſſet reparatū, teneretur eā ducere, nō vi ſponſalium, quæ iam extincta ſunt, ſed ratione damni illati, quod aliter reparari nequeat.

4 Partem affirmantem, nempe eam obligationē ſponſalium in caſu, quo alter velit, & expectet, non extingui, ſed ſuſpendi, ita vt eo matrimonio diſſoluto teneatur priora ſponſalia implere, ſequuntur etiam graues DD. Baſilius *lib. 12. c. 13. n. 4.* Coninch *diſp. 23 dub. 4 concl. 3.* Hurtado *diſp. 2. diſt. 7.* & alij, quos iſti citãt. Quia omnino iniquum videtur, vt quis per iniuriam alteri ius ſuū tollat, ſeque ab eius eximat obligatione, quādo poteſt ei ſatiſfacere; at ſi talis non teneretur priorē ducere, per iniuriam ei ius ſuum tolleret: ergo.

Præterea vinculum matrimonij cū ſecundā ex vnā parte eſt defectibile morte, aut profeſſione ſecundę, & ex aliā non eſt incompaſſibile cum obligatione ſponſaliū reſpectu primæ; tametſi quādiu durat, impediat illius adimpletionem, & ſit incompoſſibilis cum ipsā impletione, eo pacto, quo matrimonium conſummatū poſt votum ingrediendi religionem, non eſt incompoſſibile cū obligatione voti, quamuis eius impletionem impediat: ergo tametſi, quamdiu durat vinculū illud, ſopita ſit obligatio ſponſalitia reſpectu primæ, non tamen extinguitur, ac proinde deficiente vinculo matrimonij cū ſecūdâ, quaſi reuiuiſcit obligatio ſpōſalitia cum primâ ad cōtrahendū matrimoniū cū ipsâ.

5 Quamuis prima opinio ſit probabilis, veriorem iudico hanc ſecundam. Eam amplius firmo hoc argumento. Priora ſponſalia ob ſequutum matrimonium non penitus extinguuntur iure naturali, ſeu ex natura rei; neque ex aliqua diſpoſitione iuris poſitiui: ergo manent tantùm quaſi ſopita, & ſuſpenſa, & deficiente vinculo matrimonij reuiuiſcūt, & verè obligāt. Patet cōſequētia, quia nullum eſt aliud caput, ex quo omnino aboleri, & penitus extingui queant. Prior pars antecedētis manifeſtè demōſtratur, quia ex natura rei, quādo priori vinculo ſuperuenit aliud fortius, quod ex aliquo capite diſſolui poteſt, illud prius nō diſſoluitur, ſed ſuſpenditur: vt cùm quis votum caſtitatis, vel religionis emiſit, & poſtea contraxit cōiugium, & conſummauit, non extinguitur abſolutè voti obligatio, ſed ſuſpenditur. Vnde diſſoluto matrimonio tenetur religionē ingredi; ſed vinculo ſpōſaliū ſuperuenit vinculū matrimonij, quod morte vel profeſſione diſſolui poteſt; ergo vinculum ſponſalium non diſſoluitur, ſed ſuſpenditur.

Reſpondet Sanchez propoſitionē ſolùm eſſe verā, quando vinculū eſt diuerſæ rationis à primo, vt contingit in exēplo adducto voti, quod fit Deo; & matrimonij, quod fit homini, quę ſunt obligationes diuerſę rationis. Secus verò eſſe quando ſunt eiuſdem rationis, vt quando vtraque obligatio eſt iuſtitiæ, vel religionis. Sed cōtrà eſt, quia nullū apparet fundamētū, cui hæc nitatur diſtinctio: nam quòd ſint eiuſdem rationis, vel diuerſæ, parum refert, ſi vna ſit impedimētū implerioni alterius, quia adhibetur impedimētū comparatione eiuſdē perſonæ, cum qua contracta eſt prior obligatio; ergo cùm ſit matrimonium cum alia perſona diſtinctâ ab eâ, cum qua contracta ſunt ſpōſalia, impedimentum apponitur primæ obligationi, nō extinguitur. Patet manifeſto exemplo, ſi tibi prius vēdidi equum, & poſtea vēdo alteri, & trado, venditioque ſecunda ex aliquo caſu ita diſſoluitur, vt meum equum accipiam, teneor tibi eundem tradere, neque prioris venditionis obligatio diſſoluta eſt, & ſunt obligationes eiuſdem rationis, nempe virtutis iuſtitię.

Alteram partem antecedentis, nullam nimirum dari diſpoſitionem iuris poſitiui, quæ declaret, eam obligationem natam ex ſponſalibus omnino extingui, oſtendo, quia in iuribus allegatis pro primâ ſententiâ, ſolum ſtatuitur, eum, qui poſt ſpōſalia contraxit matrimonium cum aliâ, debere manere cum illa, & non poſſe cum priori contrahere; non verò declarat priora ſponſalia omnino extingui. 6

Patet,

Patet, nam *in cap. 1. de ſponſa duorum*, ſic habetur: Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere, ſi aliam duxerit, pœnitentiam debet agere de fide mentitâ, maneat tamen cum illa, quam duxit: non enim reſcindi debet tantum ſacramentum. Explicat autem *ibi* Gloſſa, fidem pactionis eſſe, quádo aliquis promittit alicui mulieri, quòd eam ducet. Præterea, totum prædictum ius eiſdem verbis reperitur *cap. finali 27. q. 2.* Neutiquam ergo ex iure canonico liquet per tale matrimonium priora ſponſalia omnino extingui.

Argumenta primæ ſententiæ facile diluuntur.

Primum ex modò dictis iam manet ſolutum: falſum enim eſt ex aliquo juris textu haberi per tale matrimonium priora ſponſalia omnino extingui.

7 Ad ſecúdum dico, parum referre, quòd obligationes ſint eiuſdem, vel diuerſæ rationis, ſeu diuerſi ordinis, ſi ſint reſpectu diuerſarum perſonarum, nam tam ſponſalia, quàm matrimonium diſſoluuntur per profeſſionem, etiam ſi ſint diuerſi Ordinis.

8 Ad exemplum quod adducitur, vt plenè diuerſa ratio in illo caſu, ac in noſtro intelligatur, declarandum eſt priùs, quid in ſe contineat; eſt enim ſciendū Bonifacium Octauum ſummum Pontificem *in cap. qui poſt votum, de regularibus, & tranſeuntibus ad religionem in 6.* ſtatuere hoc ius. Qui poſt votum à ſe de certâ religione intrandâ emiſſum, religionem aliā etiam laxiorem ingreditur, & profitetur in ipſa, poteſt (voto non obſtante priori, cui tanquam ſimplici per ſecundum ſolemne noſcitur derogatum) manere licitè in eâ. Pro voto tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda. Ex quibus verbis manifeſtè conſtat duo ſtatuere Pontificem. *Primum*, cum qui emiſit votum ſtrictioris religionis ingrediēdæ, ſi profeſſionem faciat in laxiori, poſſe in ea permanere, quia per votum ſolenne, inquit, derogatū eſt voto ſimplici. *Secundum* illi homini imponendam eſſe pœnitentiam pro voto priori non impleto. Vtrumque ingerit difficultatem. Primum, quia poſt votum ſolemne emiſſum in laxiore religione, poſſet homo ille adimplere votum ſimplex ſtrictioris religionis, niſi aliàs peculiari diſpoſitione Pontificis impediatur: ergo ex naturâ rei per tale votum ſolemne, non derogatur prædicto voto ſimplici. Vnde aliter ſe habet lex in his votis, ac ſe habet in contractu ciuili, v.g. in contractu venditionis. Secunda enim venditio ſubſequutâ traditione valida eſt, & derogat priori venditioni, quæ facta fuit ſine traditione; quia factâ ſecundâ venditione, & ſubſequuta traditione rei venditæ, non eſt in poteſtate venditoris adimplere primam venditionem. At poſt ſolemne votum factum in laxiori religione, poteſt vouens tranſire ad ſtrictiorem, niſi impediatur peculiari iure: ergo poſt votum illud ſolemne adhuc eſt in poteſtate vouentis adimplere primum votum. Propterea falſum videtur, votum ſolemne fortius eſſe voto ſimplici ex natura rei: nam ſolemnitas voti ſolâ Eccleſiæ conſtitutione fuit inuēta: ergo votum ſimplex non extinguitur per ſolenne, ſecundùm illud, quod ibi dicitur, difficile eſt, de cauſa, ob quam prædicto homini imponenda ſit pœnitētia. Nam ſi Pontifex decernit, hominem illum poſſe licitè manere in religione laxiore, non videtur cauſa aliqua iuſta, propter quam puniatur. Si enim punitur, quia non implet primum votum, cùm poſſit, ſignum eſt, eum obligari ad ingrediendam ſtrictiorem religionem, quam vouerat: ſi autem licitè poteſt permanere emittens vota ſolemnia religionis laxioris, ſine cauſa imponitur illi pœna.

Ad has difficultates diſſoluendas,

9 Dico *primò*, caput prædictum, *qui poſt votum*, intelligi poſſe, & de illo, qui emiſerat votum ingrediēdi religionem ſtrictiorem ſolo animo experiendi, an ſibi placeret ſtatus ille; & de illo, qui emiſerat votum ſtrictioris religionis, & voluit etiam obligari ad perſeuerandum. Non conſtat apud Doctores, an loquutus fuerit Pontifex in priori, vel in poſteriori caſu, nec Gloſſæ id declarant. Cæterùm ſi attendamus ad vim, & ſtrictam ſignificationem illius particulæ textûs, de certâ religione intrandâ, videtur fuiſſe votum emiſſum ingrediendi illam ſolo animo experiendi. Vnde ſi de hoc caſu loquutus ſit Pontifex, facilis eſt difficultatum oppoſitarum ſolutio. Ideo enim per profeſſionem laxioris religionis extinguitur votum ingrediendi ſtrictiorem religionem, quia hoc votum fuit commutatum in melius ex natura rei; vnde auctoritate priuatâ potuit fieri ea commutatio: nam melius eſt profiteri in religione laxiori, quàm vouere ingredi religionem ſtrictiorem; obligatur enim per votum illud ſolemne ad perſeuerandum in ſtatu religionis, cùm tamen per hoc aliud votū ſimplex prius emiſſum ſolùm obligaretur ad experiendum, an ſibi placeret ſtatus religionis. Maius autē bonum eſt velle perſeuerare in religione laxiori, & ad id obligari, quàm ſolùm obligari ad probationem ſtrictioris religionis; atque ideo votum de hac re extinguitur, quia natura voti poſtulat, vt non impediat maius bonum. Vnde in hoc euentu ſolùm poſſet imponi pœnitentia vouenti pro morâ implendi, ſi fuit tardus implendo, ſi ſtatim non fuit facta commutatio. Quòd ſi prædictum caput intelligatur de eo, qui emiſit votum ſtrictioris religionis, & voluit ſe obligare ad perſeuerandum in ea, dicendum eſt, profeſſionem in laxiore religione ex ſpeciali diſpoſitione illius iuris extinguere illud votum. Quod potuit ſtatuere Pōtifex propter bonum ipſius religioſi, qui difficultate premebatur circa impletionem prioris voti ſtrictioris religionis; & etiam propter bonum ipſius religionis, in qua emiſit profeſſionem, ad quam non admitteretur, ſi religio illa agnoſceret illum obligari ad tranſitum in aliam religionem ex vi prioris voti. Conceditur ergo ad pacem tum religionum, ſeu monaſteriorum; tum etiam & profitentium peculiari iuris diſpoſitione, vt qui in laxiori emiſit profeſſionem, non teneatur tranſire ad ſtrictiorem etiāſi vi illius fuerit votum. Quia tamen votum ſtrictioris priùs obligabat, & ille non impleuit, imponitur pœnitentia in dicto capite pro voto non impleto. Et ideo Gloſſa communiter in dicto capite, docent illum hominem peccaſſe.

Hinc manifeſtè conſtat prædictum exēplum nullo modo opponi noſtræ doctrinæ. Nam votum illud in eam profeſſionem commutatur, vel ex natura rei ab ipſo profitente, vel ex ſpeciali iuris diſpoſitione. 10
Quod non debet tradi ad ſimile de ſponſalibus, in quibus eſt præiudicium alieni iuris. Præterea eſt valde diuerſa ratio in illo caſu, & in noſtro. Nam ibi res per profeſſionem traditur Deo, cui fuerat promiſſa, licèt modo imperfectiori. Votum etiam eſt promiſſio liberalis, quam conuenit cum minori rigore exigi, accedente præſertim diſpenſatione, ſeu diſpoſitione ſpeciali iuris canonici: ſecus autem hæc omnia ſe habent in noſtro caſu, in quo prior ſponſa ſuo iure plane priuatur; & promiſſio illi facta non eſt gratuita, ſed oneroſa, neque eſt particulari lege ſtatutum, vt ipſa priuetur iure ſuo. Addit Coninch, & rectè, ad finem numeri tertij; ſi quid illud ius probaret, ſolùm ad ſummum probaret, ita contrahentem matrimonium non teneri ducere priorem ſponſam, quandiu matrimonium cum ſecundâ durat, quod nos libenter concedimus, ſicut religioſus ille tantùm liberatur ab implendo priori voto ſtrictioris religionis, quia alia

professio

Digitized by Google

profeſſio in laxiore perpetuò durat.

11 Cæterùm circa præſentem controuerſiam reſtat alia difficultas inter Doctores aſſerentes, priora ſpôſalia ita extingui per ſubſequens matrimonium, vt eo diſſoluto ſponſus non teneatur adimplere priora ſpôſalia; an nimirum ea doctrina vera ſit, etiamſi fuerint priora ſponſalia iurata. Bonacina *q.1.punct.7.n.3.* tenet ratione iuramenti, mortuâ coniuge, ſtare debere ſponſalibus celebratis. Tum quia iuramentum erat validum, nec eius obligatio erat extincta per ſubſequens matrimonium, ſed tantummodo ſuſpenſa. Tum quia, qui vouet religionem, & poſtea vxorem duxit, tenetur mortuâ vxore, religionem ingredi, eo quòd votum religionis non fuerit planè extinctum per matrimonium ſubſequens poſtea celebratum, ſed tantummodo ſuſpêſum: ergo etiam ſponſalia iurata non diſſoluuntur per ſubſequens matrimonium, ſed ſuſpenduntur.

12 Magis conſequenter Sanchez *diſp.48.n.4.* Henriquez *lib.11.de matrimonio cap.13.n.3.* & alij, qui dicũt, per ſubſequens matrimonium priora ſponſalia omninò extincta eſſe, idem fatentur, licèt priora ſponſalia iuramento firmata ſint. Quia cùm tale iuramentũ firmet promiſſionem homini factam, eâ omnino extinctâ, ceſſat. Firmatur contra Bonacinam, nam iuxta eius ſententiam, iuramentum ſequitur naturam contractus: ergo ſi contractus per ſubſequens matrimonium ruit, & iuramentum in eo fundatum; deſtructo enim fundamento, deſinunt eſſe omnia in illo fundata. Ex quo patet ſolutio ad eius argumentum, nam licèt illud iuramentum fuerit validum, cùm ſequatur naturam contractus, iſto extincto, neceſſe eſt, vt & ipſum omnino extinguatur. Neque eſt eadẽ ratio de voto illo religionis, quod non innititur alicui contractui, nec firmat promiſſionem aliam homini factam, & ideo matrimonium ſubſequens illud nequit extinguere, ſed ad ſummum tantummodò ſuſpendit. Quare hac in re non eſt loquutus conſequenter Martinus Bonacina.

Sectio VIII.

An priora ſponſalia diſſoluantur per poſteriora, ſaltem ſi iſtis acceſſit copula.

1 Certum eſt *primò*, apud Doctores per ſecunda ſponſalia non diſſolui priora, quia ſunt nullius valoris, cùm ſint de re illicitâ in præiudicium tertij; atque adeò ex illis nullum gignitur impedimentum publicæ honeſtatis, vt conſtat ex *c. vnico, de ſponſalibus, & matrimoniis, in 6.*

2 Certum eſt *ſecundò*, ſponſum contrahentem ſecunda ſponſalia dare ſufficientem cauſam ſponſæ, vt licitè à ſponſalibus reſiliat. Patet, quia ipſe prior fidem fregit, & prioribus ſponſalibus ſuo facto renunciauit: ergo habet ſponſa ſufficiẽtem rationẽ reſiliendi, & acceptandi renunciationem illius, quam alter præſetulit in ſecundis ſponſalibus contrahendis; frangenti enim fidem, aut ad id conanti, non eſt neceſſariò ſeruanda promiſſio.

3 Sunt verò tres difficultates breuiter declarandæ.

Prima, an priora ſponſalia diſſoluãtur per poſteriora, quibus acceſſit iuramentum. Conueniunt Doctores non diſſolui. Patet, quia iuramentum non eſt vinculũ iniquitatis, ſponſalium autem ſecunda promiſſio fuit illicita, vtpotè contra fidẽ datã primæ. Hoc tamen intellige, niſi ſubſit iuſta cauſa diſcedẽdi à primis ſponſalibus; tunc enim licitè eſt ſecunda promiſſio, & obſeruanda poſteriora ſponſalia etiam non iurata.

Secunda difficultas eſt, an ſi priora ſponſalia ex ali- 4
quâ causâ ceſſent, ac diſſoluantur ſiue morte, ſiue ingreſſu religionis, ſiue renunciatione prioris ſponſæ, obligent poſteriora ſponſalia, & ſint ſecũda ſeruanda.

Negant Sanchez *lib.1. diſp.50.n.6.* Coninch *diſp.22. dubio 6. concluſ.2.* Baſilius *lib.12. cap.14.num.2.* & alij.

Primò, quia ſponſalia poſteriora nulla fuerunt: ergo nulla fuit eorum obligatio: at quod ab initio validum non fuit, nequit tractu temporis cõualeſcere; vt enim habetur regula, *non firmatur, de regulis iuris, in 6.* quod ab initio validum non fuit, tractu temporis non conualeſcit, ſeu non firmatur: ergo neque conualeſcunt priora ſponſalia.

Secundò, ſi habens votum caſtitatis contrahat ſponſalia, non tenetur ad ea, etſi in voto fuerit poſtea diſpẽſatus, quia ab initio nulla fuerunt ratione impedimenti impedientis: ergo ſimiliter in noſtro caſu cùm fuerint nulla poſteriora ſponſalia ratione impedimenti priorum.

Tertiò, votum de re impoſſibili non obligat, eâ poſſibili factâ: ergo neque illa promiſſio obligauit, quæ fuit ab initio illicita, tametſi poſtea licitè impleri poſſit.

Vltimò promiſſio emiſſa tempore inhabili, nõ obligat tempore habili, vt docet Abbas *c. placuit, n.4. de conuerſ. coniugatorum.* Vnde qui inuitâ vxore poſt conſummatum matrimonium profeſſus eſt in religione, cùm eo tempore ſit inhabilis, non tenetur, eâ mortuâ, ad religionem redire, tametſi tunc ei licitum ſit, vt conſtat ex *cap. quidam, de conuerſione coniugatorum*; ergo ſimiliter in præſenti.

Alij verò, vt Couarruuias *4. Decret. 1. p. c. 4. §. 1. n. 10.* 5
Rebellus *lib.4. q.8. ſect.8. n.55.* & Hurtado *diſp.2. diff.8. n.29.* affirmant, ſi priora ſponſalia diſſoluantur, ſiue morte, ſiue ingreſſu religionis, ſiue renunciatione alterius, eum, qui poſteriora contraxit, teneri ad matrimoniũ cũ poſteriori ſpõſu. Probant, quia poſteriora ſpõſalia ſunt abſolutè facta, & abſque limitatione: ergo quamuis relata ad tempus, in quo obligant priora, ſint inualida, tamen relata ad tempus, in quo priora non obligant, valida erunt. Firmant, nã profeſſio coniugati profitẽtis in præiudiciũ vxoris, licèt nõ valeat vt profeſſio, valet tamen, & ligat in præiudiciũ ſuũ, vt votũ ſimplex caſtitatis, vt manifeſtè conſtat ex *c. quidam, de conuerſ. coniugatorum*: ergo ſimiliter poſteriora ſpõſalia valebunt in quantũ nõ redundãt in præiudiciũ priorum: quod contingit ſi illis ſolutis obligare dicamus.

Exiſtimo has duas ſententias poſſe optimè in concordiam reduci. Quare

Dico *primò*, hanc difficultatẽ eſſe diſſoluendã iux- 6
ta intentionẽ promittẽtis. Patet, quia ex eâ pendet totus valor, & bonitas, vel malitia promiſſionis, vt conſtat.

Dico *ſecundò*, ſi promiſſio poſteriorum ſponſalium 7
facta ſit abſolutè pro quouis tempore abſque vlla limitatione; vel facta fuerit pro tempore, quo promittẽs fuerit habilis ad contrahendum cum ſecundâ ſpõſa, verior eſt poſterior ſententia. Patet, quia tunc promiſſio eſt de re licita: ergo tunc poſteriora ſponſalia valida ſunt, & verè obligant.

Dico *tertiò*, ſi ſecunda promiſſio ſponſalium poſte- 8
riorum nõ ſit facta abſolutè pro quouis tẽpore, ſed relata eſt, & determinata ad ſtatũ, & conditionem promittentis, tunc nulla eſt talis promiſſio, & vera prima ſententia, vt optimè probant illius argumenta: promiſſio enim initio inualida, vtpote, quia eſt rei illi-

citæ tractu temporis nequit conualeſcere.
Eſt verò id limitandum ad ſpecialem caſum, in
quo diſſolutis prioribus ſponſalibus, teneretur ſpon-
ſam ducere ſecundam; ſi nimirum hanc ſecundam
omnino ignaram priorum ſponſalium ſpe matrimo-
nij defloraſſet, aut à viduâ honeſtâ cum periculo in-
famiæ copulam impetraſſet. Tunc enim non ratione
promiſſionis præcisè, ſed ratione damni, quod aliter
non poteſt reſarcire, vt ſuppono, eã teneretur ducere.
9 Dico *vltimò*, in dubio de intentione poſteriorum
ſponſalium, iudicanda eſſe inualida, & priorem ſentẽ-
tiam eſſe tenendam. Moueor, quia regulariter loquẽ-
do, niſi extet aliunde alia promittentis intentio, iuxta
ſtatum promittẽtis promiſſio ſolet fieri; at iuxta pro-
mittentis ſtatum, qui eſt ſponſi ligari ad contrahen-
dum cum aliâ, illicita, inualida, & nulla eſt promiſſio,
vt conſtat; ergo talia iudicanda ſunt.
10 Hinc patet ſolutio ad argumentum primæ ſẽtẽtię.
Ad confirmationem diuerſa eſt ratio: ideo enim ille
coniugatus ligatur voto ſimplici caſtitatis, quia etiam
iuxta coniugati ſtatum, & conditionem poterat illud
emittere, quia poterat ſe obligare ad non petendum
debitum, & ſeruare caſtitatem, quantum in ipſo eſt,
& ideo quoad hoc valet illa profeſſio, quia cenſetur
ille voluiſſe ſe obligare, quantum potuit in illo ſtatu,
potuit autem ab initio ſic ſe obligare.
11 *Tertia* difficultas eſt, an priora ſponſalia diſſoluan-
tur per poſteriora, copulâ ſequutâ cum ſecundâ fœ-
minâ. Quæ difficultas nõ procedit, ſi cum priori ſpõ-
sâ etiam habuerit copulam: nã in eo caſu priora ſpon-
ſalia minimè diſſoluuntur, quia damnum eſt vtrique
ęquale, & prior prius adquiſiuit ius: qui enim prior eſt
tẽpore, potior eſt in iure, ſiue ſecunda fœmina igno-
ret prima ſponſalia, ſiue non. Neque etiam eſt diffi-
cultas, quando ſecunda fœmina habuit notitiam prio-
rum ſponſalium, tunc enim certum etiã videtur, prio-
ra ſponſalia non diſſolui, quia tunc decepta dici non
poteſt, & damnum ſequutum ſibi debet imputare, nõ
viro. Quæſtio igitur eſt, quando non habita eſt copu-
la cum prima, & ſecunda cum qua habuit copulam,
ignara erat priorũ ſponſaliũ, & proceſſit bonâ fide, &
ſub fide datâ de cõiugio ſe tradidit viro. Et procedit
præcipuè quæſtio poſt Tridentinum, quando ſponſa-
lia ſubſequutâ copulâ, non tranſeunt in matrimoniũ.
Sentiunt, in eo caſu priora ſponſalia diſſolui, ex
parte vtriuſque, & cogendum eſſe ad ducendam ſe-
cundã. Maior *in 4. diſt. 27. q. 5.* Rebellus *lib. 4 q. 8. ſ. 8.
n. 56.* Coninch *diſp. 23. dub. 4. concluſione 4.* Baſilius *lib.
12. c. 14. n. 4.* & alij. Probant
Primò, quia per copulam illam fit anticipata quæ-
dam traditio corporis, quæ de iure antiquo erat ſuffi-
ciens ad faciendum matrimonium: ergo eſt ſufficiens
poſt Tridentinum ad priora ſponſalia diſſoluenda.
Secundò, vt conſtat ex *l. quoties 15. C. de rei vindicat.*
res vni vendita, & deinde alteri vẽdita, & tradita, huic
debetur: atqui in ſecũdis ſponſalibus ſequuta eſt tra-
ditio ſaltẽ ex parte; nã licèt ſponſi nõ tradiderint ſibi
mutuũ dominiũ corporum, tradiderunt tamen vſum:
ergo hæc ſecunda ſponſalia, licèt per ſe præcisè ſint
inualida, ratione tamen huius traditionis debent præ-
ualere; atque adeò, ſicut qui poſt votum religionis ab
aliquâ honeſtâ ſub ſpe matrimonij obtinuit copulam,
tenetur eam ducere; ita idem dicẽdum in noſtro caſu.
Tertiò, quando duo contẽdunt, vnus de lucro adqui-
rendo, alter de damno vitando, huic potius fauẽdum
eſt, quàm primo: at ſecunda fœmina damnum patitur,
& id agit, vt damnum euitet; prior verò, vt lucrum
adquirat: ergo huic, quæ damnum paſſa eſt, fauendũ
potius, quàm alteri, quæ vel nullum, vel leue patitur.
Sanchez verò *lib. 1. diſp. 49. n. 5.* Henriquez *lib. 11.
de matrimonio cap. 56.* Hurtado *diſp. 2. difficult. 8. num.
30.* & alij affirmant oppoſitum.
Primò, quia tam ſponſalia poſteriora, quàm damnũ 12
illatum nequeunt auferre ius priori ſponſæ per prio-
ra ſponſalia iam adquiſitum.
Secundò, qui contraxit ſponſalia poſteriora, non te-
netur ratione promiſſionis, cùm ſit nulla vt relata ad
tempus iuris alterius, quia eſt rei illicitæ præſuppoſi-
tis prioribus ſponſalibus; neque ratione damni illati
poſteriori ſponſæ, quia huic damno ſatis fieri poteſt
conſtitutione dotis, aut aliâ viâ.
Tertiò, qui fraude, vel vi cognouit fœminã, non pro-
miſſis nuptiis, nõ tenetur illã ducere, ſi aliâ viâ poſſit
dãno illato ſatisfacere: at in præſẽti caſu ita cõtingit,
quia perinde eſt nõ eſſe promiſſionẽ, & eam eſſe nul-
lã, vt eſt in caſu dicto: ergo nõ tenetur illam ducere,
ſed priorẽ, & poſteriori damnum aliâ viâ ſatisfacere.
Verùm meo iudicio facile vtraque ſentẽtia conci-
liari poteſt ſequentibus dictis.
Dico ergo *primò*, certum eſſe priora ſponſalia non 13
diſſolui ratione promiſſionis ſponſalium poſteriorũ.
Patet, quia hæc promiſſio eſt omnino nulla, inualida,
& illicita: ergo nequit auferre ius priori ſponſæ iam
adquiſitum per ſponſalia priora. Vnde in præſenti ca-
ſu perinde eſt nõ eſſe promiſſionem, & eam eſſe nul-
lam; at ſi non eſſet, priora ſponſalia valida permane-
rent: ergo etiam ſi ſit talis promiſſio.
Dico *ſecundò*, non diſſolui priora ſponſalia, quando 14
ex eorum diſſolutione prima ſponſa graue damnum
pateretur; vel quia æquè benè non nuberet ob oſcu-
la, & alios tactus, qui regulariter habẽtur inter ſpon-
ſos; vel quia illi maximũ cõmodum reſultaret ex tali
matrimonio. Ratio eſt manifeſta, quia cùm prima
ſponſa adquiſiuerit ius per verum contractum in cor-
pus alterius, nõ verò ſecunda fœmina, æquum nõ eſt,
vt eo iure priuetur cum tanto damno proprio, vt cõ-
penſetur alienum. Neque enim ad id tenetur lege iu-
ſtitiæ, vt patet; neque etiam lege charitatis, quæ non
obligat cum graui damno proprio alteri proſpicere
temporali commodo. Hinc
Dico *tertiò*, ſi prima ſponſa æquè bene nuberet, 15
virũ teneri ſecundã, quæ deflorata fuit, & graue dã-
num, & iniuriã ſubiit, ducere, vel damnum ei illatum
compenſare. Ratio eſt, quia, vt cõſtat ex omnium do-
ctrinâ, in materia de charitate, quilibet tenetur leue
damnũ pati ad impediendum, & vitandũ grauiſſimũ
proximi detrimẽtũ, quod impediri, & vitari poteſt ſi-
ne proprio graui incommodo: ergo in eo caſu tenetur
non obſtantibus prioribus ſponſalibus, vel compẽſa-
re damnũ ſecundæ fœminæ illatum, vel eam ducere.
Quamuis enim ſecũda fœmina per ſecũda ſponſalia
præcisè nullum ius ad matrimonium adquiſierit, id
tamen adquiſiuit ratione damni iniurioſè illati, quod
aliter reſtaurari nequit, niſi vel eam ducendo, vel il-
lud recompenſando; at hoc ius eſt fortius illo, quod
prior ſponſa per ſola ſponſalia adquiſiuit, quãdo ipſa
æquè benè nubere poteſt: ergo prioris ius potius ſuſ-
péditur, vel impeditur per ius ſecundæ, quàm cõtrà:
quia ius fortius ſuperueniens impedit minus forte
præcedens: eſt enim per ſe notum id, quòd fortius eſt
vincere id, quod eſt minus forte.
Dico *quartò*, ſi poſteriori fœminę defloratę, nequeat 16
vir aliâ viâ ſatisfacere, niſi eã ducẽdo, ad id tenetur nõ
obſtãtibus prioribus ſpõſalibus, ſi prima ſponſa nihil
dãni patiatur. Patet, quia cõtra æquitatẽ naturalẽ vi-
detur cũ tãto damno alieno implere priorẽ cõtractũ;
& ex cuius diſſolutione, ſeu nõ impletione pars alte-
ra nullũ damnũ patitur, quàm quod non fiat contra-
ctus, in quo ipſa eſt collatura tantum, quantũ receptu-
ra. Ex alio capite eſt obligatio iuſtitiæ damnum illud
reſar

reſarcire;ſi ergo id nequeat fieri niſi eam ducendo,neceſſe erit, vt cum eâ matrimonium contrahat. Firmo idem manifeſto exemplo, nam ſi Petro vendidiſſem pallium,& deinde idem venderem Paulo, & acceptũ pretium à Paulo ante traditionem pallij cõſumerem, neque aliam pecuniam haberem, nec habere poſſem, quam Paulo poſſem reſtituere,quis non fateatur, me potius palliũ debere tradere Paulo, quàm Petro;nulla enim ęquitas pateretur cõtrariũ fieri: ſimile autẽ eſt in noſtro caſu;imò & magis vrget dãnũ in noſtro caſu.

17 Dico *vltimò* in caſu quo teneretur matrimoniũ cõtrahere cum poſteriori fœminâ corruptâ, ceſſante eo matrimonio, teneretur poſtea contrahere cũ priori,ſi ipſa velit,& conſequenter priora ſpõſalia nõ diſſolui per poſteriora,etiã ſequutâ copulâ cũ ſecundâ fœminâ, & inito matrimonio cum illa. Ita Doctores ſecũdę ſententiæ. Ratio eſt, quia iniuria illata poſteriori fœminæ iam eſt reparata,& illa nequit auferre ius ſuum priori;neque enim homines propter iniuriã alteri illatam ſuo iure priuari volunt:ergo illa priora ſponſalia manẽt inſoluta,firma, & valida,ſi prior ſponſa velit.

18 Ex dictis facile conſtat ſolutio ad argumenta propoſita pro primâ, & ſecundâ ſententiâ,quatenus noſtræ contradicunt doctrinæ.

Ad primum primæ dico, eſſe rationem infirmam, & ex eo capite nõ rectè probari priora ſpõſalia diſſolui ex parte vtriuſque:nam ſicut modò poſt Tridentinum non fit matrimonium;ita non fit maritalis traditio corporis;atque adeò cùm ſponſalia illa ſint nulla, non manebit obligatus ex eo capite. Ex quo patet ſolutio

19 Ad ſecundum,conceſſo enim antecedente, neganda eſt conſequentia;nã in priori caſu eſt verum ius,& vera,& realis traditio,& ideo res vẽdita & tradita Petro,ipſi debetur. At in noſtro caſu,neq; ſpõſi tradiderunt ſibi mutuo dominium corporum, nec promiſſio illa valida fuit, nec fuit maritalis traditio corporis;ex nullo ergo capite priora ſponſalia diſſoluta manent.

20 Ad tertium dico, illud argumentum rectè firmare noſtrum tertium dictum.

Ad primum ſecundæ ſententiæ dico, probare noſtrum vltimum dictum.

Ad ſecundum iam conſtat,eum qui contraxit poſteriora ſponſalia non teneri contrahere cum fœminâ poſteriori defloratâ ratione promiſſionis, quæ nulla fuit, ſed ratione damni illati,& non ſemper,niſi quãdo alia viâ nequit compenſari, niſi eam ducendo. Ex quo patet ſolutio ad tertium.

21 Quæres quid dicendum de prædictis ſecundis ſpõſalibus ante Tridentinum, eane ſecutâ copulâ diſſoluunt prima,& tranſeunt in matrimonium? Modò etiam poſt Tridentinum in loco,vbi illud non eſt receptum,ſecunda ſpõſalia tranſeunt ne in matrimoniũ? Reſpondeo cum communi doctrinâ, ſi re verâ ante copulam poſteriora ſponſalia ſubſequentem, fuit verus affectus maritalis ſufficienter expreſſus, certum eſt diſſolui,ſeu ſuſpendi priora ſponſalia,non ſecus ac per matrimonium diſſoluuntur,aut ſuſpenduntur;nã tunc eſt verè matrimonium. Si verò non fuit animus maritalis ſufficienter expreſſus, non ſuſpendentur priora ſponſalia, tãquam per ſubſequens matrimoniũ reipsâ, ſed ratione damni modo ſuperiùs declarato. Quoniã verò ex copulâ prę ſumit Eccleſia,præceſſiſſe conſenſum maritalem ſufficienter expreſſum, iuxta caput, *is qui, de ſponſalibus*: quia Eccleſia magis præſumit, eos voluiſſe coniugali affectu ſe cognoſcere, quàm fornicari, ideo ex illâ copulâ iudicat prudẽter, priora ſponſalia diſſolui,vel ſuſpendi, vbi Concilium quoad hanc partem non fuerit receptum,ſemper pręſumens matrimonium re ipſa, niſi manifeſta ſit in

contrarium probatio; nam etiam contra præſumptionem iuris, & de iure admitti quandoque probationem indubitatum eſt.

SECTIO IX.

An diſſoluantur ſponſalia per abſentiam ſponſi, vel ſponſæ.

SEptima cauſa diſſolutionis contractus ſponſalitij eſt diſceſſus in longinquum, ſeu abſentia ſponſi, vel ſponſæ.

Circa quam certum eſt *primò*,ſi ſponſus ſe trãſtulit in locũ propinquum,& breui ſperatur rediturus,etiãſi diſceſſerit ſine cõſenſu ſponſę,eſſe expectãdum;quia per talem diſceſſum breui tempore nõ cenſetur cedere ſponſalibus,nec ſponſæ infertur graue damnum,nec res notabiliter mutatur: ergo eſt expectandus. 1

Secundò, certum videtur,ſi ſponſus diſcedat in remotas terras animo non redeundi,& mutandi domicilium,poſſe ſpõſam reſilire. Probatur id manifeſtè ex *c. de illis 5. de ſponſalibus, & matr.* vbi conſultus Pontifex ab Archiepiſcopo Panormitano, quid faciendum de mulieribus, quarum ſponſi poſt ſponſalia contracta, & iuramento confirmata, inſciis illis ad exteras nationes ſe contulerunt,ſic reſpondet: De illis autem, qui præſtito iuramento promittunt, ſe aliquas mulieres ducturos,& poſtea,eis incognitis dimittunt terrã, ſe ad partes alias transferentes;hoc tibi volumus innoteſcere, quòd liberum erit mulieribus ipſis ad alia ſe vota transferre. Vbi apertè conſtat, deciſionem prędictam intelligendam eſſe non de ſimplici diſceſſu ſpõſi,ſed de eo,qui fit cum mutatione domicilij,vt notat Abbas *ibi n. 2.* & indicant clarè illa verba textus: Dimittunt terram,ſe ad partes alias transferentes; nam dimittere, & transferre hîc accipiuntur cum effectu. Dicitur autem quis abſolutè dimittere terram,quando dimittit domicilium,& recedit animo non redeũdi;non verò qui animo redeundi,etiamſi per longum tempus;quia iſte tantùm dicitur eam dimittere ſecũdùm quid, & cum addito ad tempus, non abſolutè. Non enim qui de aliquo loco animi recreandi gratiâ, vel alicuius negotij causâ aliò ſe transfert, dicitur abſolutè terram dimittere, vt conſtat etiam ex *l. cum poſſidere 6. §. qui ad nundinas ff. de adquirend. vel amittend. poſſeſſione.* Sicut neque Scholaris ſtudiorum cauſâ verè dicitur domicilium mutare, vt conſtat ex *l. 2. C. de incolis.* Et ratio deciſionis eſt manifeſta, nam per talem diſceſſum animo non redeundi, vel mutandi domicilium, clarè intelligitur ſponſus ſuo iuri renunciare ex parte ſuâ; & ita poteſt fœmina eam renunciationem acceptando,ad matrimonium cum alio incundum progredi, diſſolutis ſponſalibus vtriuſque conſenſu. *cap. 2. de ſponſalibus.* 2

Ex hac deciſione infero quatuor.

Primum, id eſſe verum etiamſi ſponſalia iuramento ſtabilita ſint, vt expreſsè ibi dicitur. 3

Secundum,id etiam eſſe verum,quamuis pars dederit culpabiliter cauſam diſceſſus alterius, vt habetur ibi expreſsè;nam datâ illis mulieribus licentiã cũ aliis contrahendi,addit Pontifex, receptâ tamen de periurio pœnitentiâ,ſi per eas ſteterit quominus fuerit matrimoniũ conſummatũ. Vbi imponitur eis pœnitẽtia, ſi per eas ſteterit, vt eis imputaretur periurium.

Tertium, non eſſe ſponsã tanto vinculo adſtrictam, vt ſicut vxor virũ,ita ipſa teneatur ſequi ſponsũ:nam ſi poſt ſponſalia contracta nouerit ſponſa,velle ſponſum mutare domicilium, ſe in alium locum transferendo,non tenetur cum ipſo contrahere, ſed eſt

ſufficiens cauſa diſſoluendi ſponſalia. Quia cùm ſpõſa non teneatur ſequi ſponſum, notabilis mutatio ſuperueniens eſt ſufficiens, & iuſta cauſa reſiliendi, vt conſtabit ex dicendis infrà *ſect.* 11. Ex quo vlteriùs fit, vt minus teneatur ſequi ſponſum vagabundum.

Quartum, ad hæc ſponſalia etiam iurata diſſoluenda non requiri iudicis authoritatem, ſed vbi primum conſtiterit alterum ſpõſum abiiſſe, & mutaſſe domicilium, licebit alteri contrahere nouum matrimonium. Vbi autem liberè aliquid fieri poteſt, nulla deſideratur licentia: & vbi Pontifex abſolutè pronunciat, hoc eis eſſe liberum, apertè ſignificat, non modò in conſcientiâ, & coram Deo eſſe licitum, ſed etiam licitum, quo primum placuerit eis tempore.

4 *Tertiò*, ſimiliter videtur certum, non ſolùm ſponſam manere liberam, ob dictã diſceſſionem, & abſentiam ſponſi mutantis domicilium, ſed etiam ſponſum ea tunc manere liberum, ob ſimilem abſentiã ſponſæ, & mutationem domicilij. Patet id non iure Canonico ex dicto cap. *de illis*, quia in eo tantùm eſt ſermo de abſentia, & diſceſſu ſponſi cum mutatione domicilij; ſed iure naturali. Tum quia ſimili diſceſſu ſponſa cenſeretur cedere iuri ſuo, & obligationi ſponſi. Tũ etiã, quia tali diſceſſu fit notabilis mutatio, ob quã impletio fit ſpõſo notabiliter difficilior, & onerosior, vt cõſtat; atque ideo poteſt ſpõſus talia ſpõſalia diſſoluere.

5 *Quartò*, videtur verum, ſi ſponſus, vel ſponſa diſcedat in remotas terras, licèt non animo domicilium mutandi; ſi tamen ſit difficilis regreſſus, poſſe à ſponſalibus reſilire. Ita Sanchez *diſp.* 54. *n.* 6. cum aliis. Probat, quia ita eſt diſpoſitum in dicto cap. *de illis*. Sed hoc iudico falſum, nam, vt vidimus, & conſtat ex ipſo textu, in eo tantùm eſt ſermo de diſceſſu in terras remotas, deſerendo terram, & domicilium. Probatur ergo, quia tam longè recedens, & cum difficili regreſſu videtur cedere iuri ſponſalium, & cenſetur res notabiliter mutata. Quod etiam eſt verum, tametſi diſceſſus fuerit culpabilis, quia quamuis diſcedendo peccauerit mortaliter contra fidem datam; tamen ex ſuppoſitione, quòd receſſerit, cùm res ſit notabiliter mutata, ceſſat obligatio.

6 *Quintò*, conſtat apud Doctores, ſi ſponſus eſſet in propinquo loco, eum expectandum eſſe, vel requirendum, vt intra certum tempus contraheret matrimonium; & ſi iuſto impedimento detineretur, non eſſe temerè ſponſalia dirimenda, ſed attentâ ſponſæ qualitate, quæ fortè ex morâ fornicationis periculum pateretur.

Quibus præmiſſis ſupereſt difficultas, an quando ſponſus, v. g. abſque conſenſu ſponſæ, diſcedit in terras remotas, non animo ibi manẽdi, ſed redeũdi ſine difficili regreſſu, ſed abſque ſpe celeris reditus, ſpõſa poſſit ab ſponſalibus reſilire, & maneat libera.

7 Partem negantem ſequuntur Sylueſter, Couarruuias, & alij, quos refert Sanchez *diſp.* 54. *n.* 4. & ſequitur Layman *c.* 2. *n.* 15. Accedit etiam huic ſententiæ ex parte Rebellus *lib.* 4. *q.* 8. *ſ.* 3. *n.* 2. & 3. quod intelligunt, quando ſponſus diſcedit ob cauſam voluntariã licèt iuſtam. Nam ſi ob cauſam neceſſariam diſcedit, dicũt teneri ſponſam illum expectare, donec iuſtum impedimẽtum ceſſet, iuxta *l. ſapè, ff. de ſponſalibus*. Quę lex cùm ſit rationi conſona, non videtur correcta iure Canonico. Adhibent quoque duplicem limitationem. *Prima* eſt, niſi ſit aliter conuentum. *Secunda*, niſi ſit periculum incontinentiæ, nam aliàs cùm ſuperueniret nobilis mutatio, nõ cenſeretur ſponſa ad illud ſe obligare voluiſſe. Quòd autẽ non poſſit ſtatim reſilire ab ſponſalibus, quando cauſa diſceſſus eſt voluntaria, probant ex iure ciuili, quod pręſcribit, vt ſponſus, qui eſt extra Prouinciam, expectetur per tres annos. *l.* 2. *C. de repud.* Si verò ſit in prouincia, expectetur per biennium. Cùm enim prædictæ leges iuſtæ ſint, ſeruari debent, præſertim cùm à iure Canonico nõ ſint abrogatæ. Nã in dicto cap. *de illis*, ſermo eſt de illo, qui in alteram terrã ſe cõfert domicilio mutato. Addunt denique poſſe iudicem Eccleſiſtiacum ob cauſam iuſtam dictum tempus reſtringere.

Partem affirmantem, vt veriorẽ, ſequuntur multi, quos refert, & ſequitur Sanchez *cit. n.* 6. exiſtimantes correctum eſſe ius ciuile per Canonicũ in dicto cap. *de illis*. In hac re,

Dico *primò*, certum videri, ſi ſponſus (& idem eſt de ſpõsâ, cũ par ſit vtriuſq; ratio) diſcedat, & abſit de cõſenſu ſponſæ, tenetur expectare toto eo tempore, quo conuenerunt. Eſt enim rationi conſonum, vt quandiu inter ipſos conuentum eſt de tempore abſentiæ, tandiu ſponſus ſit expectandus ad condictum tempus, vltra quod ſi abſque legitimâ causâ abfuerit, eo ipſo renunciare ſponſalibus meritò cenſebitur, faceteque proinde ſponſę licentiam nubẽdi, cui placuerit. Quod intellige ſi ſponſus notabiliter moretur, & perſeueret abſens, ita vt prudentis iudicio videatur renuntiaſſe ſponſalibus, aut notabiliter fidem fregiſſe. Obſeruat benè Rebellus *lib.* 4. *q.* 8. *ſect.* 3. *n.* 17. ſponſum, qui diſceſſu ſuo ſine causâ iuſtâ efficit, quominus ſponſalia congruo tempore complere poſſint, mortaliter peccare, cùm in re graui fidem datam violet, niſi fortè probabiliter præſumeret, ſponſam non grauiter laturam. Ipſe tamen ſponſus non ideo ab obligatione liberabitur, quamdiu non intellexerit ſibi remiſſam eſſe, quia videlicet ſponſa alteri nupſit, vel alia legitimâ ratione: tenebitur quoque ipſi ſponſæ, etiam ſi ea alteri nubet, iniuriã, & damnũ datum, ſi quod fuerit, reſarcire. 8

Dico *ſecundò*, ſi alter ſponſus ſe transferat in terras lõginquas abſque alterius facultate, vel cõſenſu, poſſe remanentem, cùm non eſt ſpes proximi reditus, aliud matrimonium inire, atque adeò ſponſalia diſſolui per talem abſentiam. Ita Doctores ſecundæ ſententiæ, Baſilius *lib.* 12. *c.* 15. Hurtado *diſp.* 2. *diſ.* 10. Bonacina *q.* 1. *pũct.* 6 *n.* 8. & communiter omnes. Probãt id plerique, quia in prædicto cap. *de illis*, corrigitur ius ciuile, nam in eo eſt ſermo de diſceſſu in terras remotas: ergo ex vi huius capitis poterit ſponſa reſilire ab ſponſalibus, ſi ſponſus cum animo non citò redeundi diſcedat in terras remotas. Verùm hæc ratio infirma mihi videtur, quia ius Canonicũ non correxit hac in parte ius ciuile, cùm loquantur in diuersâ facti ſpecie, & abſentia ſponſi. Nam, vt oſtendi ſuprà, ius Canonicum in capite illo citato tantùm agit de diſceſſu ſponſi relictâ ſponsâ, & mutato domicilio; in iure ciuili eſt ſermo de diſceſſu abſque deſertione domicilij, quando fit animo redeundi. Ratio ergo efficax eſt, quia eo ipſo quòd ſponſus tam longè recedit, & abſque ſpe celeris reditus, cenſetur iuri proprio renuntiaſſe, aut notabiliter fregiſſe fidẽ, aut ſponsã vſque ad tãtã morã ſine ſpe celeris reditus non ſe obligaſſe: oppoſitum enim ipſi ſponſæ eſſet nimis graue, & onerosum. Neque enim cõtrahentes ſponſalia, cenſentur ſe ad tam graue onus obligare voluiſſe, niſi id manifeſtè expreſſerint. 9

Dico *tertiò*, prædictam illam diſpoſitionem iuris ciuilis expectãdi bienniũ intra Prouinciã, & triẽnium pro diſceſſu extra eam, nõ habere locũ in ſponſalibus baptizatorum, atque adeò nõ ligare. Ita notauit benè Hurtado *diſ.* 10. *cit. n.* 40. & ratio eſt manifeſta, quia cõtractus ſpõſalitius inter baptizatos habet pro materiâ, & obiecto cõtractum matrimonij eleuatũ ad eſſe ſacramẽti, atq; adeò materia illius eſt ſpiritualis: ergo ſtãdum eſt iuri canonico, & nõ ciuili, niſi quãdo ius ciuile approbatur per canonicum, quod non contingit in præsẽti. Quare in prædicto euentu poterit ſponſa ſtatum 10

tim reſilire ab ſponſalibus, nollo expectato ttiennij, vel bienuij tempore. Quod intellige, ſiue diſceſſus fiat ob neceſſariam, ſiue ob voluntariam cauſam.

11 Dico *vltimò*, prædicta eſſe vera, etiamſi ſponſalia ſint iuramento confirmata. Id etiam notant, & probant Doctores. Ratio eſt ſæpè repetita, quia iuramentum, vt tegulariter fit, tantùm additur in confirmationem ſponſalium, ac proinde iſtis diſſoluris, ceſſat etiam obligatio iuramenti.

Ex dictis conſtat, quid dicendum ſit ad primam ſententiam, & eius ſundamentum.

SECTIO X.

Vtrùm ſponſalia diſſoluantur tranſacto termino ad matrimonium contrahendum.

PErgimns iam ad explicandam octauam cauſam ſponſaiia diſſoluentem, quæ eſt lapſus termini, vel temporis ptæfixi ſponſalibus adimplendis.

1 Circa quam prænotandum eſt, ſicut in aliis contractibus, & rebus, ſic & in contractu ſponſalſorum duobus modis poſſe terminum præfigi; vno modo, & rarò tãquam terminum finientem obligationem, ita vt extra illum terminum iã nnlla maneat obligatio. Altero modo, & regulariter, tanquam terminum finientem licentiam differendi impletionem, ſed non finientem obligationẽ, ita vt nõ liceat vltra illũ terminũ differre impletionẽ, tametſi eo tranſacto perſeueret obligatio.

Quo præmiſſo certum debet eſſe,

2 *Primò*, apud Doctores, ſi terminus ptimo modo præfigatur, diſſolui ſponſalia etiam iurata. Ratio eſt, quia promiſſio non obligat vltra intentionem promittentis, nam omnes contractus ex conſenſu cõtrahentiũ vim obligãdi accipiunt: *reg. contractus, de reg. iuris in 6.* ergo ſi contrabentes noluerunt ſe obligare vltra illud tempus, non manebunt vltrà obligati.

Addunt communiter Doctores, tranſacto termino in ſpooſalibus præfixo ad finiendum obligationem contrahendi, diſſolui ſponſalia ex parte eius, per quem non ſterit, & hunc manere liberum, non verò diſſolui ſponſalia ex parte cius, per quem ſtetit, quia iſte non manet liber. Quod probant ex dicto cap. *ſicut*, in quo Innocentius Tertius decernens imponẽdã pœnitentiam cuidam, qui poſt inita cum quâdam muliere ſponſalia iuramento confirmata, cum altera poſtea matrimonium contraxerat, ob violatam fidem illi priori datam, hac exceptione vtitur. Niſi forſitã in iuramento ſuo certum terminum, intra quem dictam duceret in vxorem, præfixit, nec per eum ſterit, quin ad ſtatutum terminum martimonium conſummauerit. Hinc enim apertè concluditur, eum à ſponſalium obligatione eſſe liberum, per quem non ſtetit, quominus prę fixo tempore perficeretur, quod illo contractu promiſſum fuerat. Hanc doctrinam laudo, ſi ſponſalia facta ſint ſub eâ conditione, vt extra tempus aſſignatum ſolùm diſſolui poſſint ex parte eius, per quem ſterit, ſic enim intelligitur dictum caput. Non verò negari poteſt poſſe etiam ſponſalia diſſolui ex parte vtriuſque, ſi ambo conueniant vltra illud tempus ſe nolle obligare, tunc enim maneret vterque liber ab illa obligatione: proinde enim eſſet, atque ſi ex mutuo conſenſu ſponſalia diſſoluiſſent. Ratio generalis eſt adducta, quia ſponſalia non obligant vltra intentionem contrahentium, ac proinde iuxta cooditiones appoſitas obligant, non vltrà.

3 *Secundò* etiam videtur certum, quando terminus præfixus ſponſalibus præfigitur ſecundo modo, non ad finiendam obligationem, ſed ad finiendam licentiam differendi, ſeu ad ſolicitandam obligationem, tranſacto eo termino, per ſe loquendo, non eo ipſo diſſolui ſponſalia, adhuc ex parte illius, per quem non ſterit. Ratio eſt, quia tunc terminus non fuit præfixus ad finiendam obligationem: ergo eo finito, & ttanſacto, non eo ipſo finitur obligatio.

Tertiò, certum eſt, ſi verba ſponſalium aperta ſint clarè exprimentia modum præfigendi terminum in ſpõſalibus, nullum eſſe controuerſiæ locũ. Patet, quia tota ea obligatio pendet ex contrahentium voluntate, quæ ſibi vno modo, vel alio tempus deſignare poteſt. Difficultas ergo eſt, quando verba ambigua ſunt, & de intentionenon conſtat, quomodo iudicandum eſt, vtrùm hàc, vel illâ ratione præfixum ſit. 4

Qua in re Sanchez *diſp. 53. n. 3.* cum aliis, duas proponit regulas. 5

Prima eſt, ſi terminus ab vno tantùm contrahentium deſtinetur, vt alter intra illum impleat, cenſeri deſtinari tantùm ad ſolicitandum, non verò ad finiẽdam obligationem, vt ſi promiſi tibi vendere rem aliquam intra menſem, te non adſtricto ad vendendum.

Secunda eſt, quando terminus ab vtroque contrabentium imponitur reſpectu alicuius ab vtroque implendi, ſi adiiciatur in ipſo contractu, cẽſetur adiectus dies finiendæ obligationis. Quòd ſi terminus adiiciatur poſt perfectum, & abſolutum contractum, non finit obligationem; niſi eâ adiectione primus cõtractus ceoſeatur reuocatus, & alter denuo celebratus. Quare in ſponſalibus, ſi initio contractus adiiciatur terminus ab vtroque contrahente, mutuo dicendo: Promitto quòd intra menſem tecum contraham; ſi initio contractus adiiciatur, id eſt, antequam contractus ſit perfectè initus, & obligatio contracta; cenſetur adiectus causâ reſtringendæ obligationis, vt eo trãſacto nõ duret; quia cùm nullus ſit contractus, nullaque obligatio orta, ille terminus eſt intrinſecus, & quaſi pars obligationis, eiuſque cõditio, atque adeò eo tranſacto deficit conditionis defectu; ſi autem terminus adiiciatur poſt perfectum contractum, nõ finit obligationẽ, ſed cenſetur adiectus cauſa ſolicitãdi; quia cùm prior contractus iam ſit perfectè initus, & orta ſit abſoluta obligatio; adiectio termini extrinſeca eſt, & ideo eo termino tranſacto, nõ ceſſat prior obligatio abſoluta, & à poſteriori independens. Has etiam regulas probat Ægidius Conincb *diſp. 13. dub. 6.*

Contra eas tamen obijci poteſt, quia abſolutè negari nequit, etiamſi ab vno tantùm ponatur terminus præfixus, vt à venditore, poſſe præfigere, ita vt eo lapſo non teneatur vendere, quia moleſtum eſſet, impeditũ eſſe ad vẽdendũ pro voluntate emẽtis, cùm plures ſeſe offerre poſſint occaſiones commodè vendendi, quibus priuari contra rationem, & æquitatem eſſet. E coortario quoque, quamuis ab vno contrahentium terminus præfigatur, poteſt eſſe intentio tantùm differendi, non finiendi, vt conſtat termino præfixo ſolutioni debiti. 6

Ego certè iudico, negotium hoc, quando dubium eſt, definiendum eſſe quoque ex ſubiectâ materiâ ad prudentis arbitrium, conſideratis cauſis, motiuis, & aliis circumſtantiis. Nam in debitis pecuniariis compertum eſt, non ita præfigi, vt eo elapſo finiatur, ſed vt ſit in morâ. In aliis autem materiis ipſa materia indicat præfigi ad finiendam obligationem, vt in obligatione emendi, vel vendendi. Vnuſquiſque enim cupit expeditus eſſe, cùm poſſint ſe offerre aliæ commoditates emendi, vel vendendi; idque communis hominum ſenſus videtur 7

oſtendere. In ſponſalibus quoque communiter, quando terminus præfigitur, ſolet præfigi finiendæ obligationi; tametſi nonnunquam præfigatur differendæ obligationi, ita vt antea cogi nequeant ad contrahendum matrimonium. Neque enim volunt contrahentes alligari, vt expectare teneantur, ſed manere etiam liberi ad alias nuptias procurandas, ne tempus maturum nuptiis elabatur.

8 Quæres *primò*, vtrùm ſponſalia poſſint diſſolui per moram, & dilationem alterius, quando nullus terminus fuit præfixus ad perficienda ſponſalia. Reſpondeo cum Coninch *diſp.* 23. *dub.* 6 *n.* 43. Bonacina *q.* 1. *punct.* 6. *num.* 7. & aliis, diſſolui poſſe, quando nimirum vnius mora tanta eſt, vt iuxta prudentis arbitriũ iudicatur, alterum ſponſalibus renunciaſſe, aut mortaliter contra datam fidem peccaſſe illum; vel illum alium non ſe obligaſſe cum tantâ morâ. Tunc enim frangenti fidem, alter non tenetur eam ſeruare: quia tunc valet illa regula; frangenti fidem non tenemur fidem ſeruare, *l. ſi conuenerit* 14. *ff. pro ſocio*. Vnde in hoc euentu diſſoluuntur ſponſalia ex parte eius, qui innoxius eſt. Ille verò per quem ſtat, ne tempore præfixo matrimonium contrahatur, non liberatur obligatione, volente altero ſtare ſponſalibus; non enim æquum eſt, vt culpabiliter dilator commodum reportet. Eſt enim communiter neceſſarium, vt is, qui eſt in morâ, moneatur, idque ſub interminatione reſiliendi, niſi intra certum tempus ſtet promiſſis; quia aliter non ſatis pater, eum eſſe in morâ culpabiliter, quia poteſt habere iuſtum impedimentum, aut fortè cogitare, partem aliam in mora conſentire, cùm non contradicit.

9 Quæres *ſecundò*, quando teneatur ſponſus, vel ſponſa implere ſponſalia, nullo præfixo termino. Reſpondeo, ſi nullus ſit præfixus terminus adimplendis ſponſalibus, non teneri promiſſorem ſtatim adimplere, ſed tantùm requirente eo, cui facta eſt promiſſio; tunc verò cùm alter petit, teneri contrahere, ſi commode poteſt. Eſt enim id generale in omni debito abſque diei præfixione: ſolùm enim tenetur debitor à creditore requiſitus ſoluere, niſi fortè non petat ob verecundiam, vel impotentiam, vel etiam obliuionem. Cuius rei ratio hæc eſt, quia ex quo creditor debitum nouit, & potens commodè petere, illud non petit, videtur conſentire dilationi. Ita Sanchez cum aliis *diſp.* 28. *n.* 2. Gutierrez *de matrimonio c.* 15. *n.* 5. Bonacina *q.* 1. *punct.* 6. *n.* 7.

SECTIO XI.

Quæ, & qualis notabilis mutatio ſuperueniens ſufficiat ad ſponſalia reſcindenda.

1 NOna diſſolutionis ſponſalium cauſa eſt aliqua notabilis mutatio ſuperueniens. Circa quam conueniunt communiter Theologi, & iuris periti, quoties aliqua notabilis mutatio, ſeu cauſa de nouo ſuperuenit ſponſalibus, quæ nimirum præcognita meritò communiter talis conditionis homines prudentes à contrahendis ſponſalibus omnino auerteret, ſufficere ad illa diſſoluenda, etiam ſi celebrata ſint cum iuramento. Probatur manifeſtè, tum quia promiſſio, & iuramentum non obligant vltra intentionem promittentis, & iurantis; at promittens, & iurans non cenſetur habuiſſe intentionem promittendi & iurandi, ſuperueniente notabili mutatione, ſeu cauſa, quâ præuiſâ, iudicio prudentis non promiſiſſet, nec iuraſſet. Tum etiam, quia promiſſio, & iuramentum intelligitur factum rebus in eodem ſtatu moraliter permanentibus, in quo ſunt cùm illa contrahuntur: ergo non intendunt promittere in illis caſibus, & euentibus, in quibus ſit notabilis rerum mutatio, & tanta, vt ſi præextitiſſet, voluntatem ab illis contrahendis longè longiùs auertiſſet. Tum denique, quia cùm quiſque contrahens ſponſalia, cenſeatur ſecundùm communem aliorum intentionem contrahere, niſi de contrario conſter; cenſetur tamen excipere eos caſus, & mutationes, quas communiter omnes homines, qui eius ſunt conditionis, prudenter præuiſas, omnino exciperent. Et ſic par vtrinque eſt conditio, nec vlla pars poteſt conqueri, quòd eiuſmodi caſus excipiantur.

Ex hac doctrinâ generali, quæ vera eſt, facile eſt deſcendendo ad notabiles in ſpecie mutationes, multorum caſuum deciſiones colligere. 2

Colligo enim *primò*, ſponſum non teneri contrahere matrimonium cum ſponſa, quæ poſt ſponſalia incidit in lepram, vel paralyſim, vel morbum Gallicum, vel in amiſſionem oculorum, aut naſi, vel ob aliquam alium turpiorem defectum; ſicut neque ſponſa tenetur ob eaſdem cauſas ſponſum ducere. Ita expreſsè decernit Innocentius Tertius *cap quemadmodum*, 25. *deiureiurando*, his verbis: Quòd ſi poſt iuramentum mulier fieret non ſolùm leproſa, ſed etiam paralytica, vel oculos, vel naſum amitteret, ſeu quidquam ei turpius eueniret, nunquid vir teneretur eam ducere in vxorem? Quaſi dicat, addit Gloſſa, non tenetur. Et quamuis textus id ſolùm aſſerat de ſponſa, Doctores tamen meritò id extendunt ad ipſum ſponſum. Nam eſt vtriuſque eadem ratio, quia nimirum contractus ſponſalitius, & conſequenter etiam iuramentum in confirmationem illius factum, tacite ſit additâ conuentione, aut quaſi conditione, quòd ſi adſit notabilis mutatio, ob quam impletio ſponſalium fiat notabiliter oneroſior, is cui ſit talis, reſilire poſſit. Idem dicendum de graui infirmitate ſuperueniente incurabili: ſi etiam os malè oleat, nec arte medicâ ſubueniri poſſit, quia ſignum eſt morbi habitualis, moleſtiſſimi, & non leue deprauati, & corrupti animi indicium. Idem dixerim, ſi alter oculus tantùm amittatur, nam eſt notabilis deformitas, & mutatio talis, quæ à principio exiſtens ſponſalia impediuiſſet. Idem ſentio de deformitate ſuperueniente fœminæ, quæ tempore ſponſalium pulchra erat. Idem dic de ſponſi deformitate modò ſit valde magna, cùm in viris non habeatur tanta ratio pulchritudinis, ſicut in fœminis. Potiori iure id ſentiendum de notabili defectu. Ratio horum omnium eſt, quia ob quemlibet defectum ex dictis impletio ſponſalium ſit notabiliter oneroſior illæſo. Et quamuis in dicto capite, *quemadmodum*, tantùm fiat mẽtio deformitatis prouenientis ex amiſſione oculorum, aut naſi, non obſtat, quia in eo non negatur, poſſe ob alias deformitates ſponſalia diſſolui. Et prædicti defectus, qui à nobis adduntur, ſicut & illi, qui in eodem capite deſignantur, iure naturali ſufficiunt ad diſſolutionem ſponſalium. Prædictam doctrinam firmant Sanchez cum aliis, *diſp.* 57. Baſilius *lib.* 12. *c.* 17. *n.* 4. *&* 5. Hurtado *diſput.* 2. *diffic.* 13. Coninch *diſp.* 23. *dub.* 7. *n.* 66. & Bonacina *q.* 1. *puncto* 8. *n.* 9. *&* 10. & alij communiter Recentiores.

Colligo *ſecundò*, ob notabilem vnius aſperitatem, & ſæuitiam aduenientem poſt ſponſalia, ea poſſe diſſolui ex parte alterius. In hoc etiam conueniunt Doctores relati, & patet, tum quia, ob illam impletio ſponſalium fit alteri notabiliter durior, 3

Digitized by Google

riot. Tum maximè, quia illa eſt ſufficieus cauſa diuortij matrimonij, vt pater ex *cap. litteras 3. de reſtitutione ſpoliatorum, in fine*: ergo à foriori diſſolui poſſunt ſponſalia. Hoc enim argumento vtitur textus *in cap. quemadmodum 25. de iure iurando*, ad probandum fornicatione ſponſæ dirimi ſponſalia, quia eſt iuſta diuortij cauſa. Vnde ob eandem rationem idem dicendum eſt de qualibet ſufficienti cauſa ad faciendum matrimonij diuortium. Neque obſtat quod obiicitur ex *cap. veniens 5. qui Clerici, vel vouentes*, in quo dicitur non diſſolui ſponſalia ob ſeueritatem ſponſi: nam ibi non dicitur ſeueritatem non eſſe ſufficientem cauſam, ſed mulierem illam ex vano timore abſque ſufficienti notitiâ ſeueritatis ſponſi, eum recuſaſſe.

4 Colligo *tertiò*, idem dicendum eſſe, ſi motum ſit facta mutatio, ita vt poſt ſponſalia, ſponſum appareat valde deditum vitiis eſſe. Multò minus tenetur ſponſa contrahere cum ſponſo, qui poſt ſponſalia damnatus eſt alicuius criminis turpis, vt furti. Potiori iure diſſolui poſſent ſponſalia ob hæreſim, vel apoſtaſiam; imò tenetur ſponſus, vel ſponſa in eo caſu reſilire à ſponſalibus: nam contrahere matrimonium cum hæretico eſt peccatum mortale, vt ſuo loco dicam agens de impedimento diſparitatis cultus.

5 Colligo *quartò* cum relatis Doctoribus, ob graues inimicitias ortas inter ſponſos, diſſolui poſſe ſponſalia ex parte vtriuſque; hæc enim cenſetur notabilis mutatio ſuperueniens, quia tunc impletio ſponſalium fit vtrique notabiliter grauior, & ex eorum impletione poteſt malus exitus prudenter timeri. Idem dic, ſi alterius partis parentes obſtinatè contradicant matrimonio, ita vt ex eo contracto eſſet periculum, ne lethales inimicitiæ orirentur inter partium affines, aut inter parentes ſponſorum, & ipſos ſponſos, aut alius malus exitus omnino timeretur. Secus ſi tantùm timerentur leues aliquæ, aut non ita diuturnæ offenſiones. Quod totum colligitur ex *cap. requiſiuit 17. de ſponſalibus*, vbi loquens Lucius Tertius Papa de ſponſalibus iuratis à quadam muliere nolente adimplere promiſſionem, ait, eam monendam eſſe potius, quàm cogendam; cùm coactiones, difficiles ſoleant exitus frequenter habere.

6 Colligo *quintò*, ob paupertatem alteri ſuperuenientem etiam inculpabilem, poſſe ſponſalia diſſolui, regulariter loquendo. Ita Doctores *citati*, quia ob paupertatem impletio ſponſalium fit alteri parti notabiliter oneroſior; incumberet enim illi valdè graue onus ex propriis bonis onera matrimonij ſuſtinendi, quando vir pro dignitate ſui ſtatus poſſet facere. Vnde rectè, timorem exhæredationis ſi parentes vellent exhæredare, eo quod tale matrimonium contrahit, eſſe cauſam iuſtam, diſſolutionis ſponſalium, dicunt nonnulli. Dixi, regulariter loquendo, nam quando quis alteri promittit matrimonium ob ſolùm nobilitatem illius, vel pulchritudinem, vel aliam ſimilem qualitatem, non intendens explicitè, nec implicitè dotem, aut diuitias; tunc ſuperueniens paupertas per accidens ſe habet ad ſponſalia; nam ea fuiſſent facta, etiam ſi à principio præuiſa fuiſſet paupertas.

7 Sed quid ſi poſt ſponſalia vterque in paupertatem incidat. Sentit Bonacina *relatus n. 14.* non poſſe diſſolui abſque mutuo conſenſu. Tum quia paupertas vnius compenſatur cum paupertate alterius. Tum quia pauperes etiam contrahunt ſponſalia. Verius iudico ex parte vtriuſque poſſe diſſolui, & tenet Rebellus *lib. 14. de ſponſ. q. 8. ſect. 8. n. 70.* & Baſilius *lib. 12. c. 17. n. 8.*
8 Ratio eſt, quia per vtriuſque ſponſi inopiam non præuiſam redditur multò difficilius onus futuri matrimonij, quàm per alterius dumtaxat: ergo à fortiori, ſi per ſponſæ ſuperuenientem paupertatem poterat recedere, per vtriuſque etiam poterit; nam ſi ea paupertas eſſet tempore ſponſalium præuiſa, non fuiſſent ſponſalia contracta.

9 Ad argumentum oppoſitum reſpondeo, tametſi detur mutua compenſatio, tamen per vtriuſque inopiam redditur difficilius onus futuri matrimonij. Ideo enim dicimus, prædictos ſponſos non habuiſſe intentionem contrahendi ſuperueniente vtriuſque paupertate, quia hæc non fuerat præuiſa ab illis: pauperes verò, qui præſciunt iam ſuam paupertatem, ea non poteſt obeſſe, quominus contrahant matrimonium.

10 Sed quid præterea dicendum, ſi poſt ſponſalia veniat ingens diuitiarum copia. Sanchez *diſp. 59. n. 7.* Coninch *diſp. 23. dub. 8. n. 69.* Bonacina *relatus n. 13.* & alij cenſent teneri valdè diuitem ſtare ſponſalibus; quia ipſe non eſt effectus deterioris conditionis, nec ipſe dicitur deceptus in conditione ſponſæ, aut erraſſe circa conditionem ſponſæ, ſed circa propriam, in quam non fertur conuerſus.
11 Probo magis oppoſitum cum Hurtado *diſp. 2. diffic. 14. n. 52.* Quia ea mutatio ita facta eſt notabiliter grauior, vt ſi ab eo, qui ditior factus tempore ſponſalium fuiſſet præuiſa, non ea contraxiſſet; quæ eſt ratio præcipua, & efficax, ob quam diſſolui queunt ſponſalia in caſibus prædictis.

Ad argumentum oppoſitum dico, alterum factum eſſe deterioris conditionis, vt relatum ad ſtatum præſentem huius, ſicut ſi ad altioris dignitatis gradum Comitis, Marchionis, vel Ducis aſcendiſſet. Prædictam doctrinam intelligo, moraliter, & regulariter loquendo; nam ſi quis contraxiſſet ſponſalia ob ſolam nobilitatem, vel pulchritudinem, ingens diuitiarum copia non efficeret illi facto ditiori impletionem notabiliter grauiorem; neque illa à principio exiſtens illum à ſponſalibus retraheret in eo euentu.

12 Colligo *ſextò* non teneri ſponſum ducere ſponſam, ſi ipſa, eiuſque parentes renuiſſet dare promiſſam dotem. Ita Sanchez cum Soto, & aliis, quos ipſe refert *diſp. 59. n. 2.* Quia promiſſio dotis eſt veluti conditio ſub qua ſponſalia celebrantur: ergo deficiente conditione etiam citra fœminæ culpam non obligabunt. Idque habetur expreſsè *cap. de illis 5. de conditionibus appoſitis.* Vbi conſultus Alexander Tertius de quodam, qui promiſerat matrimonium cum iuramento cuidam mulieri, ſi tantum illi donaret: mulier verò nolebat ſoluere illud quod promiſerat, an ille eſſet periurus eam non ducens. Reſpondit Pontifex his verbis: Si quis ſub huiuſmodi verbis iuramentum alicui mulieri præſtiterit: Ego te in vxorem accipiam, ſi tantum mihi donaueris, reus periuri non habebitur, ſi eam nolentem ſibi ſoluere, quod ſibi dari petiit, non acceperit in vxorem. Hæc ibi, quæ enim ſub conditione honeſtâ, qualis eſt dotis elargitio, promittuntur, vel iurantur, non obligant, ſi à conditione recedatur.

13 Colligo *vltimò*, quando poſt contracta ſponſalia inconueniens aliquod notabile, aut noua cauſa, quæ à principio exiſtens impediret ea contrahi, ſuperuenerit præbere iuſtam diſſoluendi cauſam illi, cui redditur difficilior talis contractus. Ita communiter Doctores, Sanchez *diſp. 62. n. 3.* Coninch *diſp. 23. dub.*

8. *in principio.* Baſilius *lib.* 1 2.*c.*17.*n.*9.& alij ab his relati. Patet, quia contractus ſponſalitius eiim non ſit perfectus, ſed inchoatus, non conferens dominium, ſed ius ad rem, & factus pro re non acceptâ, ſed accipienda,& quæ non accipietur ſi diſſoluatur, tacitè ſit additâ cōuentione, vel quaſi conditione, quòd ſi abſit notabilis mutatio, ob quam impletio ſponſaliū fiat notabiliter onerōſior, reſilire poſſit, cui ſit talis, Firmatur, nam in generali, ſeu ſimplici obligatione non continentur ea, de quibus veroſimiliter non eſt cogitatum.*l. obligatione generali* 6.*ff. de pig. & l.* 1.*C. quæ res pignori obligari poſſint.* Et eſt in ſimili textus expreſſus *cap. veniens* 16. *de iureiurando.* vbi eſt in ſpecie hic caſus, Quidam Venetus nomine Alanus protulit aduerſus Mariam probra, & conuitia, propter quæ graues inter eos inimicitiæ exortæ fuerant. Quidam amici vtriuſque partis volentes eos reducere ad concordiam, ſuggeſſerunt Alano, vt in ſatisfactionem iniuriarum, iuraret ſtare mandatis conſanguineorum ipſius Mariæ: ille non credens, ſe tale quid feciſſe, propter quod aliquid graue deberet ſibi imponi, iurauit ſtare mandatis illorum: ipſi præceperunt illi ſub debito iuramenti, nunquam curiam Ducis intraturum, niſi quando omnes generaliter vocarentur. Ille recepto tali mandato acceſſit ad Papam Innocentium Tertium, exponens ſibi dicta, adiiciens, quòd erat Conſiliarius Ducis,& pluribus Eccleſiis, quarum erat Aduocatus, iuramento tenebatur in iure ſuo adeſſe, & nullo modo taliter iuraſſet, ſi mandatum contrarium ſibi præſciuiſſet, Decreuit Pontifex, non teneri ſeruare tale mandatum ratione illius iuramenti præſtiti, cuius non eſt opus petere diſpenſationem, cùm per ſe deſinat obligare. Quia, vt notat *ibi* Gloſſa, iuramentum non extenditur ad illa, de quibus non eſt cogitatum. Atque id præcipuè locum habet in ſponſalibus, nam hæc maiorem libertatem petunt, quippe ordinantur ad contrahendum vinculum matrimonij conſummati omninò indiſſolubile. Quod in cæteris contractibus naturâ ſuâ diſſolubilibus, & in ipſo iuramento,& voto, quod per diſpenſationem relaxari poteſt, minimè contingit.

14 His omnibus prædictis ad finem huius ſectionis eſt addendum, in his omnibus caſibus, & euentibus, in quibus dictum eſt, poſſe diſſolui ſponſalia, eſſe id verum, quamuis ſint iuramento confirmata, vt notat optimè Sanchez,& Coninch *relat.*,& alij; quia, vt ſæpe dictum eſt, præſertim ſuprà *diſputatione præcedente ſect.* 4. iuramentum includit omnes conditiones contractus, & ſequitur eius naturam; atque ideo remiſsâ, vel diſſolutâ mutuâ promiſſione contractus ſponſalitij, neceſſe eſt, vt ceſſet obligatio iuramenti, quæ in illa fundabatur.

Sectio XII.

An diſſoluantur ſponſalia ob impedimentum ſuperueniens, dirimens, vel impediens matrimonium.

1 Iuris impedimentum ſuperueniens matrimonio eſt decima aſſignata cauſa. Circa quam certum videtur apud Doctores, vt notant Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 56. *n.* 3. Coninch *diſp.* 23. *dub.* 5. *n.* 36. Bonacina *q.* 1. *p.* 1. *n.* 7. & alij impedimenta impedientia non diſſoluere ſponſalia, neque ea impedire; quia non ſunt in vſu talia impedimenta, neque illa indigent diſpenſatione. Excipitur votum caſtitatis, de quo quid ſentiendum ſit, diximus ſuprà *ſectione* 5.

Difficultas eſt de impedimento dirimente, quo d omnino irritare ſponſalia ſubſequētia, iam eſt oſtēſum ſuprà *diſp.* 5. *ſect.* 1. Quærimus modò, an etiam diſſoluat ſponſalia præcedentia, vt, v. g. quando Petrus ſponſus copulam habet cū conſanguineâ Franciſcæ ſponſæ in primo, vel ſecundo gradu, ſit affinis Franciſcæ; affinitas autem dirimit matrimonium vſque ad ſecundum gradum, cùm procedit ex copulâ illicitâ; quæritur an ea affinitas dirimat ſponſalia contracta inter Petrum, & Franciſcam. 2

Communis videtur eſſe Doctorum ſententia, pars affirmans. Quia tale impedimentum reddit perſonas inhabiles ad contrahendum. Firmatur, quia non eſt obligatio ad id, quod fieri non poteſt: eſſet autem obligatio, ad id, quod fieri non poteſt, ſi ſponſalia non diſſoluerentur adueniente impedimento dirimente. 3

Dico *primò*, certum eſſe, omnium doctrinâ, impedimentum iure naturæ dirimens, vt eſt impedimentum impotentiæ diſſoluere omnino ſponſalia præcedentia. Ratio eſt manifeſta, quia tale impedimentum dirimens iure naturæ reddit matrimonium omnino impoſſibile, & indiſpenſabile: ergo reſcindit ſponſalia quæuis præcedentia, etiam iurata, quæ nequeunt iam ordinari ad matrimonium contrahendum, quia tale matrimonium impoſſibile omnino eſt. 4

Dico *ſecundò*, certum etiam videri, quodlibet impedimentum dirimens iure Canonico, ſoluere poſſe ſponſalia præcedentia ex parte eius, ſine cuius culpâ interuenit. Ita intelligenda eſt communis ſententia abſolutè affirmans, ſponſalia etiam iurata diſſolui per quodlibet impedimentum dirimens matrimonium. Et tenet expreſſè Coninch *diſp.* 23. *dub.* 5. *n.* 37. & Hurtado *diſp.* 2. *diffic.* 12. *in initio.* Et ratio eſt, quia impedimento iure Canonico dirimente matrimoniū ſit impoſſibile abſque diſpenſatione facta, quam ille, qui non fuit cauſa impedimenti, non tenetur requirere, imò nec acceptare, etiamſi ei offeratur: ergo poteſt à talibus ſponſalibus reſilire. 5

Dico *tertiò*, ob prædictum impedimentum iure Canonico dirimens, non diſſolui ſponſalia ex parte eius, cuius cauſa contractum eſt, ſed tantùm ſuſpendi. Probatur apertè. Tum quia, vt oſtendi *præcedenti diſput. ſect.* 7. matrimonium ſubſequens ſponſalia, quod eſt maximum impedimentum, non dirimit ſponſalia priora, ſed ſuſpendit: ergo neque impedimentum iure Canonico dirimens matrimoniū. Tum etiam, quia æquum non eſt, vt is qui fuit cauſa impedimenti, ex ſuo peccato, ſi peccatum commiſit, vel ex ſua actione illud cauſante, commodum reportet, vt benè notauit Coninch *citatus*, non enim ex ſua culpa lucrum reportare debet; reportaret autem delinquens, ſi per delictum deobligaretur: ergo non poterit reſilire à ſponſalibus, præſertim ſi alter innoxius diſpenſationem impedimenti impetrare velit: ergo ſignum eſt, priora ſponſalia non eſſe ſoluta, ſed manere ſuſpenſam eorum obligationem pro tempore, quo durat impedimentum, & diſpenſatio impetratur. 6

Ex quo patet ſolutio ad argumentum oppoſitum, impedimentum iure Canonico dirimens non reddere in perpetuum perſonas inhabiles ad contrahendum, ſed ad tempus, donec diſpenſatio impetretur. Ad confirmationem conſtat manere ſuſpenſam obligationem pro tempore, quo durat impedimentum, non verò eſſe extinctam, cùm facile diſpenſatio poſſit obtineri.

Cæterùm alia reſtat diſceptatio, an ſponſus, qui poſt ſponſalia contraxit tale impedimentum dirimens, teneatur impetrare diſpenſationem impedimenti,

menti, alterâ parte, nempe ſponsâ id exigente.

7 Affirmant Sanchez *diſp. 56. n. 4.* Coninch, & Bonacina *citati*, & alij, ſi abſque notabili incommodo diſpenſatiooem obtinere poſſit. Quia eo ipſo quòd ſponſa ius habet ad matrimonium, comparat ius, ne iniuſtè impediatur: ergo ſponſus, qui iniuſtè impediuit, tenetur ex iuſtitiâ impedimentum auferre, ſi commodè poſſit.

8 Hurtado verò *diſp. 2. diffic. 12.* exiſtimat, eum, qui fuit cauſa impedimenti, teneri ad procurandam diſpenſationem, quando dans cauſam impedimenti aduertebat, contrahi impedimentum; quia tunc liberè dedit cauſam damno impedimenti: damnificationi autem liberæ, & humanæ, ſatisfaciendum eſt procurando diſpenſationem, ſi poſſit abſque magnis ſumptibus, aut abſque alio notabili incommodo: quòd ſi non poſſit, niſi ſic, non eſt neceſſariò procuranda, niſi id ſit neceſſarium ad ſatisfaciendum alicui alij damno defloratioois, aut famæ. Addit idem auctor, ſi dans cauſam impedimenti, tunc non aduertebat impedimentum dirimens contractum, non teneri; quia tunc liberè non damnificauit: at damnificationi quando liberè non fit, non eſt neceſſariò ſatisfaciendum. Vt enim ſupponitur ex materia de reſtitutione, quando damnum non liberè, ſed neceſſariò ſequitur, non conſurgit obligatio reparandi illud, ſed tanquam damnum fortuito datum eſt accipiendum. In hac re

9 Certum eſt *primò*, teneri ſponſum, ſi commodè poſſit, impetrare diſpenſationem. Patet, quia contra ius alterius oppoſuit impedimentum: ergo tenetur ex iuſtitiâ impedimentum auferre, ſi commodè poſſit per diſpenſationem.

10 *Secundò* etiam videtur certum apud Doctores, ſi diſpenſatio non poſſit obtineri abſque notabili incommodo, vt abſque magnis ſumptibus, & ſponſa non pateretur damnum ex non impletione ſponſalium, non teneri diſpenſationem comparare. Ratio eſt, quia ex vi ſponſalium, non videtur ſponſus ſe obligaſſe ad procurandum matrimonium per media extraordinaria, & difficilia; præſertim cùm ſponſa nihil damni patiatur, cum æquè benè poſſit cùm alio nubere, & ex ipsâ non impletione nullum aliud inconueniens ſequatur, quàm quòd non fiat contractus, in quo ipſa eſt collatura tantum, quantum receptura, vt in ſimili dixi ſuprà *præcedenti diſputatione ſect. 5. n. 11.* de eo, qui poſt contracta ſponſalia, votum caſtitatis emiſit, non teneri, ſi ſponſa nolit ei remittere ſponſalia, ingredi religionem, vt votum illud integrè ſeruet, quia hoc eſt medium difficile, ad quod non cenſetur ſe voluiſſe obligare. Neque enim ille, qui cum ſuâ ſponſa contraxit impedimentum dirimens, etiam ſuâ culpâ, magis obligatur eam ducere, quàm hic alius obligatur ad voti caſtitatis integram impletionem.

Difficultas ſolùm eſt de ſponſo, qui contraxit ſponſalia cum virgine, & ſub ſpe matrimonij virginem deflorauit, vel fuit ei cauſa infamiæ notabilis, licèt eam non cognouerit. Et ſimilis quæſtio eſt, ſi contraxit ſponſalia cum viduâ honeſtæ famæ, & non ignobilis ſortis, cui notabilis infamia proueniret, ſi eam non duceret. In hoc euentu

11 Dico *primò* cum communi ſententia Doctorum, teneri ſponſum ad procurandam diſpenſationem, etiam magnis & extraordinariis ſumptibus. Ratio eſt, quia aliter nequit ſatisfacere dãno deflorationis, aut famæ, eſtque obligatio iuſtitiæ illud reſarcire; ſi ergo id nequeat fieri, niſi ſponſam ducendo, neceſſe erit vt diſpenſationem impetret, vt cum ea matrimonium contrahat.

Dico *ſecundò*, ad id ſaltem teneri ſponſum prædi- 12
ctum ſi dans cauſam impedimẽti dirimentis aduertebat impedimentum contrahi. Hoc benè probat Hurtado, quia tunc liberè dedit cauſam damno impedimenti: ergo ex iuſtitia tenetur procurare diſpenſationem ad tollendum illud impedimentum.

Dico *tertiò*, ſponſum prædictum, qui fuit cauſa
impedimenti adhuc teneri ad procurandam diſpen- 13
ſationem, tametſi tunc inuincibiliter ignorauerit, vel non aduerterit impedimentum contrahi. Hoc dictum pono contra Hurtado. Moueor, quia tametſi in eo euentu ratione inaduertentiæ, vel ignorantiæ inuincibilis non peccauerit ſponſus ſpeciali peccato iniuſtitiæ cauſando impedimentum obſtans, & dirimens matrimonium illud promiſſum, ad quod ex iuſtitia eſt adſtrictus, quia illud nullo modo fuit voluntarium, ac proinde abſque omni culpa; ideo tamen tenetur ad compenſationem damni impedimenti, procurando diſpenſationem, quia omnino tenetur ex ſtrictâ iuſtitia ad ſatisfaciendum damno deflorationis, vel famæ ſponſæ; cumque illud nequeat aliter reparare, niſi eam ducendo, vt ſupponitur, tenetur eam te ipſa in vxorem accipere; ergo & adimere omne impedimentum, vt tale matrimonium executioni mandetur, quod fit procurando diſpenſationem maximè ipſa ſponſa adimpletionem matrimonij promiſſi ex iuſtitia exigente. Firmatur, quia, vt oſtenſum eſt, ſi damnum deflorationis, aut famæ nequeat reparari, niſi notabili incommodo, & magnis ſumptibus, tenetur ſponſus ad illos: ergo & ad procurandam diſpenſationem, quæ etiam magnis ſumptibus impetratur, cum ex iuſtitia teneatur omne auferre impedimentum, quominus eam ducat in vxorem.

Ad argumentum illud ex materia de reſtitutione 14
deſumptum, admitto libenter, ſi ex facto aliquo, vel omiſſione ſequutum eſt alteri damnum, & quis in eo nihil peccauerit ob naturalem inconſiderationem, vel obliuionem, non teneri ipſum ad reſtitutionem, ſed in eo euentu damnum computandum eſſe, tanquam fortuitò datum. Quod variis exemplis Doctores firmant, vt ſi quis egrediens cubiculum, & alia cogitatione abreptus non claudat oſtium, & tunc ingreſſi fures multa ſurripiant. Habet quis lucernam iuxta locum periculoſum, & quamuis ſolicitè propoſuerit eam extinguere; nihilominus aliquid interuenit, quo abſque culpa obliuiſcitur, vel in ſomnum incidit, & excitatur incendium. Denique aperit quis puteum, & caſu oblitus eſt tegere illum, ne aliquis incidat: tales, & ſimiles caſus ſolent ſæpè contingere inter homines, ſine vllo illorum peccato, in quibus nulla eſt obligatio reſtitutionis; quia neque ad id homo tenetur ratione rei acceptæ, cùm ipſa non extet, neque ratione iniuſtæ acceptionis, cùm non peccauerit; neque ratione contractus, cùm nullus interuenerit, vt ſupponitur. Vnde ad rem præſentem conſequenter affirmo, in eo euentu ſponſum non peccare ſpeciali peccato iniuſtitiæ, cauſando impedimentum matrimonij, ad quod tenetur, ob naturalem inaduertentiam, vel ignorantiam inuincibilem; nihilominus tamen ſentio teneri ad procurandam diſpenſationem illius impedimenti, quia tenetur ex iuſtitia ad compenſandum damnum iniurioſè illatum, quod nequit reſarcire, niſi ſponſam ducendo.

Digitized by Google

Sectio XIII.

An vox publica, ſeu fama de impedimento, licèt vera non ſit, dirimat ſponſalia.

1 VNdecimam cauſam hac ſectione explicamus, ſponſalia diſſoluẽtem, nempe vocem publicam, ſeu famam de impedimento. Prænotandum eſt, vocem publicam, ſeu famam, & rumorem valdè diſtingui; nam fama eſt, quando eſt acclamatio, ſeu opinio maioris partis viciniæ: rumor verò dicitur eſſe minoris partis, quando nimirum aliqua pars, vt tertia, vel quarta, acclamat.

2 Dico ergo *primò*, ſolum rumorem de impedimento non ſufficere ad diſſoluenda ſponſalia. Ita expreſsè Sanchez *diſp.* 71. *n.* 18. Coninch *diſput.* 23. *dub.* 11. *n.* 80. & alij. Ratio eſt, quia nullus eſt textus Canonicus aſſerens rumorem ſufficere ad impediendum matrimonij contractum. Ex alio verò capite regula eſt generalis, vt omnes poſſint contrahere, qui non reperiuntur prohibiti, vt expreſsè habetur *cap. cùm apud ſedem Apoſtolicam* 23. *de ſponſalibus, & matrimoniis.* Vbi quæſitum fuit ab Innocentio III. vtrùm mutus, & ſurdus poſſint matrimonium contrahere? & reſpondet Pontifex affirmatiuè, quia illis non eſt prohibitum. Et addit rationem, quia quicumque non prohibetur ad matrimonium contrahendum, per conſequentiam admittatur. Vbi optimè Gloſſa ad finem, id quod non prohibetur, conceſſum videtur. Cùm ergo in iure rumor ſolus de impedimento, non prohibeat matrimonij contractum, conſequenter nec prohibet contrahi ſponſalitium, atque adeò non ſufficit ad diſſoluenda ſponſalia.

3 Dico *ſecundò*, vocem publicam, id eſt, famam de Canonico aliquo inter ſponſos impedimento interueniente, ſi ea ſit certa, ita vt extingui non poſſit, diſſoluere ſponſalia propter ſcandalum vitandum, vt ſi fama ſit, ſponſi fratrem rem habuiſſe cum ſponſâ, idemque de alio ſimili impedimento. Id conſtat *primò* ex *cap. ſuper eo* 2. *de conſanguinitate, & affinitate.* Vbi conſultus Vrbanus III. de hoc caſu, quòd quidam iuuenis contraxerat ſponſalia de futuro cum quâdam puellâ, quæ non erat nubilis ætatis, ſed facta nubilis petiit illum iuuenem, & ipſe excepit, dicens, quòd illam habere non poteſt, pro eo quòd conſanguineam eius carnaliter cognouerit. Reſpondet Pontifex ſoluta eſſe ſponſalia, nec debere illum iuuenem cogi ad tale matrimonium contrahendum, ſi ſit notoria talis affinitas, vel ſi non ſit manifeſta, fama tamen loci id habeat. Vbi notat Gloſſa, quòd fama impedit matrimonium contrahendum. Conſtat igitur, famam impedimenti plenè probare illud ad effectum impediendi matrimonium. Firmatur concluſio, nam licèt ad matrimonium diſſoluendum, non valeat vnius teſtimonium; vnde vox vnius, vox nullius, ad hunc effectum ſolent dici: verumtamen ad ſponſalia diſſoluenda teſtimonium iuratum vnius fide digni, v. g. matris in cauſâ filiæ, præſertim cum ſponſo nobiliori, vel ditiori valet. Eſt textus expreſſus *cap. ſuper eo* 22. *de teſtibus, & atteſtationibus*, vbi hæc ponitur quæſtio: Quædam mulier vult contrahere cum aliquo, mater alterutrius dicit, quòd ſunt conſanguinei; quæſitum fuit ab Alexandro III. an eſſent coniungendi, vel non, propter ſolum dictum matris. Et reſpondet Papa, ſi matrimonium non eſt contractum inter eos, matre aſſerente, illos eſſe conſanguineos, non debent coniungi: ſi verò iam contractum eſt matrimonium, non debent ſeparari, ſine iuramento plurium perſonarum. Vbi notat Gloſſa multa impedire matrimonium cõtrahendum, quæ non dirimunt iam contractum; atque adeò licèt poſt contractum matrimonium nequeant ſeparari ad dictum vnius teſtis, quia in nullâ cauſâ, per ſe loquendo, dictum vnius ſufficit, tamen per dictum vnius impeditur matrimonium contrahendum. At fama æquipollet vnius teſtimonio: ergo illa interueniente de aliquo impedimento ſponſalia ſoluuntur. Dixi, ſi ea fama ſit certa, ita vt extingui non poſſit. Nam conſtat non ſufficere ad impediendũ matrimonium famam, ſi clarioribus probationibus poſſit extingui; admittitur enim probatio contra famam, vt patet ex *cap. cùm in tuà* 27. *de ſponſalibus.* Et ad deponendum contra famam hanc, admittitur etiam conſanguineorum iuramentum, vt conſtat ex dicto capite *illis verbis*: vel contra famam huiuſmodi iuramenta exhibeas propinquorum. Addit benè Sanchez *relatus n.* 17. hanc famam elidi quoque, eiuſque probationem arbitrio iudicis, ſi contra illã contrahere volentes iurent, ſe non eſſe conſanguineos; nam iudicis arbitrio relinquitur iuxta perſonarum qualitatem admittere hoc iuramentum contra famam.

4 Dico *tertiò*, famam impedimenti ſponſalia diſſoluere, etiam ſi ipſa ſponſalia ſint iuramento confirmata. Ita communiter omnes, & conſtat ex *cap. ſuper eo, de conſanguinitate.* Vbi ſermo eſt de iuuene, qui contraxerat ſponſalia fide interpoſitâ, vbi Gloſſa explicat, id eſt, iuramento. Loquitur igitur textus de ſponſalibus iuramento confirmatis, de quibus dicit, per famam diſſolui. Et ratio eſt ſæpè repetita, quia iuramentum ſequitur naturam contractus.

Contrarium docuit Paludanus *in* 4. *diſt.* 24 *q.* 1. *a.* 3. *caſu* 9. *n.* 27. Quia in capite prædicto, *cùm in tua, de ſponſalibus*, exigitur & fama, & perſonæ grauis teſtimonium, quia ſponſalia iurata erant: ergo ad hæc diſſoluenda non ſufficit ſola fama. Reſpondeo tamen hunc textum minimè probare Paludani intentum, nam ſi rectè inſpiciatur, animaduertetur, perſonam illam grauem in illo caſu non fuiſſe teſtem, ſed ſolùm perſonam denunciantem; vnde non deponebat, ſed tantùm denunciabat famam; quare hæc ſola ſufficit, cùm vera eſt, ad dirimenda ſponſalia etiam iurata.

5 Dico *vltimò*, famam priuatam impedimenti non ſufficere iudici, vt ſponſalia diſſoluat. Ita omnes: quia fama priuata, id eſt, ea fama, quæ conſtat iudici vt priuato, licèt det facultatem ad inquirendum, & recipiendum probationem de illâ, & de ipſo impedimento inquirendum; oportet tamen vt iudici conſtet vt notorium, factâ approbatione in iudicio.

Sectio XIV.

An ob fornicationem ante ſponſalia commiſſam, & poſt ſponſalia cognitam, poſſint ſponſalia diſſolui.

TAndem accedimus iam ad duodecimam, & vltimam cauſam ſponſalia diſſoluentem, quæ eſt fornicatio alterius ſponſi ſuperueniens; hæc autem quia maioris difficultatis eſt, ſectionibus quatuor dilucidanda eſt.

1 Certum eſt autem apud Doctores, fornicationem ſponſi ſponſalia præcedentem, & poſt ipſa ſponſalia ſponſæ cognitam, non dare ſponſæ ius à ſponſalibus reſilieudi,

Digitized by Google

reſiliendi. Ratio eſt manifeſta, quia ſola illa fornicatio dat poteſtatem reſiliendi, quæ fornicantem in ordine ad contractum matrimonij reddit notabiliter viliorem, ita vt alteri ſit quaſi dedecori cum tali contrahere. At fornicatio ſponſi non reddit eum notabiliter viliorem, nec eſt nota ſponſæ nupſiſſe tali homini. Quod rectè notauit noſter Molina *tom. 2. de iuſtitia, tract. 2. diſp. 272. §. Deinde ſi mulieri.* Aduertit benè Coninch *diſp. 23. dub. 7.* excipiendos eſſe aliquos caſus, ſi nimirum vir ille valdè frequenter fuiſſet lapſus, præſertim cum diuerſis, & infamibus mulieribus, quia hoc redderet eum infamem, & poſſent ſimilia poſt coniugium etiam timeri. Item ſi ex fornicatione haberet aliquot proles, quia hæ reddunt notabiliter ſtatum matrimonij difficilem, partim ratione onerum, quia incumbit patri eas alere, partim quia ſunt ſæpè cauſa diſcordiarum. Idem ſentio etiã ſi proles eſſent legitimæ, modò ſponſa ignorauerit eas eſſe, quia eædem difficultates ex his ſequuntur; & plurimæ fœminæ, niſi eſſent inferioris conditionis, nollent tali nubere.

Supereſt ergo, an ob fornicationem ab ſponſâ exiſtimatâ virgine ante ſponſalia commiſſam, & poſt ſponſalia à ſponſo cognitam, poſſint ſponſalia ex parte ſponſi diſſolui.

2 Negant Paludanus *in 4. diſtinct. 27. q. 1. art. 7.* & ſupplementum Gabrielis. Probarique poteſt

Primò, ex *cap. quemadmodum 25. de iureiurando.* Vbi Conſultus Innocentius Tertius de quodam viro, qui iurauerat, ſe ducturum quandam fœminam in vxorem, quæ ante ipſa ſponſalia ſie contracta fuerat fornicata, an nimirum teneretur eam ducere. Reſpondet Papa teneri, & firmat à ſimili, & quaſi à maiori, dicens: Si ille vir contraxiſſet cum eã matrimonium de præſenti, non poſſet illam dimittere pro fornicatione, quam ante contractum matrimonij commiſiſſet; ſimiliter ergo nec poteſt ei fornicationem opponere præcedentem, vt eam ducere non teneatur.

Secundò ideo à Doctoribus communiter aſſeritur, fornicationem ſubſequentem diſſoluere ſponſalia; quòd veriſimile non ſit, ſponſum matrimonij fidem ſeruaturum, qui ſponſalium fidem fregit. At hæc ratio deficit in fornicatione præcedenti; multi enim ante ſponſalia incontinentes reperiuntur, qui illis initis continent, & vt contineant matrimonio iunguntur.

3 Dicendum affirmatiuè, cum communiori doctrinâ, quam ſequuntur Sanchez *lib. 1. diſp. 63. n. 3.* Molina *citatus*, Nauarro, Soto, Enriquez, & alij relati à Sanchez. Ratio eſt, quia ſponſa illâ fornicatione eſt notabiliter vilior, quàm exiſtimabatur; eſt enim ignominioſum viro fœminam corruptam ducere, & prudenter magni fit, ductam virginem eſſe; & etiam vir notabile damnum incurrit, cùm bigamus fiat, & ad ordines, ſi poſtea illos eligat, promoueri nequeat. Similiter dicò propter fornicationem præcedentem viduæ exiſtimatæ honeſtæ ante ſponſalia commiſſam, & poſtea cognitam, poſſe ſponſum à ſponſalibus reſilire; quia videlicet illâ fornicatione eſt notabiliter vilior, quàm apparebat, quamuis non tam vilis, ac putata virgo; & magnâ infamiæ, ac dedecoris notâ afficitur ducens inhoneſtam, quam ipſe putabat viduã honeſtam eſſe.

4 Ad primum oppoſitum, dico in eo capite, ſermonẽ eſſe de fornicatione præcedente cognita ante ſponſalia, de qua rectè dicitur nõ poſſe obiici ſponſæ, cùm fuerit à viro cognita, & ſcienti, & volenti non fit iniuria

5 Ad ſecundum, tametſi ea ratio admittatur, adhuc negatur conſequentia, nam in fornicatione fœminæ vltra eã rationem eſt alia ſpecialis ratio dirimendi ob infamiam viri, & notabilem differentiam, quæ verſatur inter matrimonium celebratum cum muliere honeſtâ, vel inhoneſtâ, nam hæc notabiliter magis infamat.

Sectio XV.

An ob fornicationem ſponſalia ſubſequentem poſſint ea diſſolui ex parte ſponſi, vel ſponſæ innocentis.

IN hac re certum videtur apud Doctores, & meritò, poſſe ſponſalia etiam iurata ex parte ſponſi innocentis diſſolui propter fornicationem ſponſæ. Ita expreſsè decernitur *c. quemadmodum 25. de iureiurando*, his verbis. Si quis iurauerit, ſe ducturum aliquam in vxorem, poteſt ei fornicationem opponere ſubſequentem, vt illam non ducat in coniugem: quia in illo iuramento talis debet conditio ſubintelligi, videlicet, ſi illa cõtra regulã deſponſationis nõ venerit. Alioquin ſi poſt huiuſmodi iuramentum publica meretrix fieret, teneretur eam ducere in vxorem, quod eſt prorſus abſurdum. Hæc ibi. Et ratio eſt aperta, quia per fornicationem ſponſa facta eſt notabiliter vilior in ordine ad matrimonium, vnde impletio ſponſalium fit ſponſo notabiliter difficilior. Tum etiam, quia eã fornicatione ſponſa ſuſpecta redditur ſponſo de fide in futurum ſeruanda; & ſponſus probabiliter credit poſt matrimonium fidem illius fracturam. Vnde hæc eſt ratio, quam adhibet textus citatus, dum ait, iuramentum ſponſalium tacitam includere conditionem, ne videlicet ſponſa contra regulam deſponſationis venerit. Hæc autem regula eſt, vt ſponſa non reddatur inepta ad matrimonium contrahendum, ne totale matrimonium impediatur: at maximè impeditur per fornicationem, cùm apud hominum æſtimationẽ ſe reddat viliorem ad matrimonium contrahendum, ita vt nullus honeſtus, & prudens vir, eam poſtea habere velit, præſertim quia ſeſe exponit periculo cõcipiendi cum dedecore ſponſi, & damno etiam temporali, ne alienam prolem alat.

Addunt Doctores, quos refert, & ſequitur Sanchez *diſp. 55. n. 7.* Henriquez *lib. 11. c. 14.* Coninch *diſp. 23. n. 55.* & alij contra Tabienam, & Armillam, idem eſſe dicendum, etiamſi poſtea vi, & coactione comprimatur ad fornicandum omnino renuẽs. Quod manifeſtè colligitur ex *cap. raptor 23. 27. q. 2.* vbi permittitur arbitrio ſponſi, vt ſine ſuâ culpâ raptam ducat, aut dimittat. Ratio eſt eadem, quia & in eo caſu eſt notabiliſſima mutatio, & ſponſa fit notabiliter vilior in ordine ad matrimonium. Quamuis enim id ſine culpâ ſponſæ acciderit, & ex eo facto nulla poſſit generari ſuſpicio infidelitatis in poſterum; tamen ex communi hominum ſenſu notabilis eſt facta mutatio, & probroſum iudicatur, fœminam ducere vt ſtupratam ab alio. 2

Idem potiori iure dicendum, ſi ſponſa voluntariè, ac liberè permittat, ſe turpiter tangi, quia per hoc habetur omnino impudica, ac proinde notabiliter vilior, nec ſine notâ ſponſus eam poteſt ducere. 3

Maior difficultas eſt de ſponſo, an etiam poſſint ſolui ſponſalia iurata ab ipsâ ſponsâ, propter fornicationem ſponſi.

Ratio dubij eſt, nam pro parte affirmante extat communis Doctorum sẽſus, & manifeſta ratio. Tum quia ob fornicationem coniuges tam fœmina, quàm 4

vir

vir poſſunt thoro ſeparari:ergo & multò magis ſpon-
ſalia dirimere,per quæ obligatur vterque ſponſus ad
matrimonium contrahendum,& mutuam habitatio-
nem. Tum etiam, quia vterque ſponſus contrahit
ſponſalia ſub conditione ſeruandi fidem, non tra-
dendi alteri ſuum corpus:ergo ſponſo frangenti fidẽ,
non tenetur ſponſa ſeruare fidem. Tum denique,
quia promiſſio non obligat,quando ſuperuenit nota-
bilis mutatio, quâ præuiſâ,promiſſio facta non fuiſ-
ſet ; ſed ſi ſponſa præuidiſſet fornicationem ſponſi,
non promiſiſſet, nec ſe voluiſſet obligare:ergo. Pro
contrariâ parte negante eſt efficax argumentum iux-
ta noſtram doctrinam;nam ſuprà *diſp.6.ſect.4.* oſten-
dimus per ipſa ſponſalia non dari fidem abſtinendi
ab alieno concubitu, ſed ſolùm tradendi corpus alte-
ri ſponſo per matrimonium.

5 Hoc non obſtãte iudico dicendum,ſimiliter ſpon-
ſalia poſſe diſſolui ab ſponſa innocente, ſi poſt ipſa
ſponſalia ſponſus fornicetur:vnde quoad hoc non eſt
conſtituenda differentia inter fœminam,& virum. ſic
indiſtinctè omnes Doctores loquuntur:& ipſe San-
chez *diſp. citatâ* 55.*n.4.* fatetur, nullum Doctorem
reperiſſe de hoc dubitantem.Et clarè fundatur *in cap.
quemadmodum, de iureiurando* : nam *ibi* Innocentius
Tertius licèt loquatur de ſolâ ſponsâ fornicãte, ean-
dem tamen eſſe ſponſi fornicantis rationem ex men-
te Pontificis conſtat;quia ibi disertè comparat ſpon-
ſalia cum matrimonio in liberâ dimittendi ſponſam,
aut coniugem fornicantem poteſtate : habet autem
vxor eandem libertatem dimittendi maritum forni-
cantem, quoad thorum, quam maritus vxorem for-
nicantem : habebit ergo & eandem ſponſa dimitten-
di fornicantem ſponſum,quam ſponſus ſponſam for-
nicantem. Ratio verò concluſionis non eſt efficax,
quam multi aſſignant, quòd nimirum ſponſus forni-
cando frangit notabiliter fidem abſtinendi ab alieno
concubitu. Nam, vt oſtendi *diſp.6.ſect.4. citata*,per
ipſa ſponſalia non datur fides abſtinendi ab alieno
concubitu, ſed ſolùm tradendi corpus alteri ſponſo
per matrimonium, Ex matrimonio quidem iam con-
tracto, bene oritur in vtroque coniuge obligatio ab-
ſtinendi ab alieno concubitu;& ideo fornicatio eſt in
vtroque ſufficiens ad dirimẽdum matrimoniũ quoad
thorum;non verò oritur illa obligatio ex ſponſalibus
ipſis. Neque etiam efficax eſt alia ratio, quam alij
allegant, quia nimirum ſponſus per fornicationem
redditur vilior. Nam apud hominem prudentem
ſponſus per fornicationem non redditur notabi-
liter vilior, vt conſtat. Efficax ergo ratio hæc eſt:
nam ſponſa ex ſponſalium contractu ius habet in
ſponſi corpus æquale ei iuri, quod habet ſponſus in
corpus ipſius ſponſæ : ergo æqualis iniuria fit ſpon-
ſæ innocenti à ſponſo fornicante ei,quæ fit à ſpon-
ſâ fornicante ſponſo innocenti. Hæc autem iniuria
non eſt,quia per fornicationem facta fuerit fides ab-
ſtinendi ab alieno concubitu, ſed quia per fornica-
tionem redditur ſponſus ineptus ad matrimonium
promiſſum contrahendum,& iuſtè per ipſam forni-
cationem tale matrimonium impeditur, quia ſponſi
fornicatio meritò mouet ſponſæ rationabilem ſuſpi-
cionem, ſe minus præ alterâ amari,& poſt contractũ
matrimonium minus amandam,cùm videat ſponſum
in feruore ſui primi amoris alienis amoribus implica-
tum, & fortè magis quàm ſuo, quod ſponſæ valdè
durum eſt, ac perdifficile.Sæpè etiam eſt periculum,
ne naſcatur proles, quæ poſtea communibus ſump-
tibus debeat ali. Denique ex fornicatione ſponſi ti-
metur probabile periculum non ſeruandi fidem per
contractum matrimonium. Quare ſponſi fornicatio
ſufficiens eſt, vt poſſit ſponſa innocens diſſoluere
ſponſalia. Dixi, poſſe innocentem ſponſam ab obli- 6
gatione ſponſalium liberari,quia ſponſus nocens non
liberatur, ſi alter innocens velit ſponſalibus ſtare.
Quemadmodum enim in matrimonio,coniugi inno-
centi ita liberum eſt dimittere quoad thorum coniu-
gem alterum,qui fornicatus eſt, vt tamen ſi dimitte-
re nolit, ille non habeat licentiam diſcedendi,ſed re-
manere teneatur;ita in ſponſalibus,ſic licet ex ſponſis
ei, qui innocens eſt alterum nocentem ob eius forni-
cationem dimittere,vt tamen ſi nolit,hic alterâ ſpon-
ſalium contractu reſilire non poſſit, ſed eo ſicut an-
tea obligetur. Et ratio eſt manifeſta, quia delictum
proprium non debet immunitatem præſtare fornicã-
ti, & abſolutionem à contractu. Nemo enim ex ſuâ
culpa lucrum reportare debet : reportaret autem de-
linquens,ſi per delictum deobligaretur. Conſtat etiã
ex illâ regulâ,qua vritur Innocentius Tertius *cap. diſ-
cretionem tuam, de eo, qui cognouit conſanguineam vxo-
ris ſuæ*; nemo ſuo iure debet ſine ſua culpa priuari:at
priuaretur innocens iure nuptiarum, quod habebat,
ſine ſua culpa,ſi delinquens liberaretur per ſuam. Id
denique quod fauore alicuius introductum eſt, non
debet in eius damnũ retorqueri,vt conſtat ex *l. quod
fauore C. de legibus, & l. nulla ff. eodem tit.*

Notant rectè Doctores Sanchez, Coninch *citati*, 7
& Baſilius *lib. 12. c.17. n. 3.* ob fornicationem ſponſi
per vim ſibi illatam,factam, non poſſe diſſolui ſpon-
ſalia ex parte ſponſæ; quia in fornicatione per vim
extorta, nec vir fuit infidelis, neque vllum præiudi-
cium,aut iniuria, aut infamia redundat in ſponſam,
vel aliquod aliud damnum. Addit Sanchez *diſp.* 55. 8
citatâ,n.4. tactus impudicos ſponſi cum alia non eſſe
ſufficientem cauſam,vt ſponſa ſoluat ſponſaliá. Quia
id ſponſæ non eſt dedecus, nec eſt mutatio alicuius
momenti.Hoc certè probo,dummodo tactus illi tur-
pes non ſint frequentes adeò, vt indicent animum
ſponſi eſſe ita valdè propenſum in alteram, vt meri-
tò poſſit timeri; ipſum minus ſponſam ſuam amatu-
rum, aut fidem ei in poſterum poſt matrimonium
contractum non ſeruaturum,vt bene obſeruauit Co-
ninch *diſp.25.dub.7.n.56.*

Ex dictis conſtat ſolutio ad rationem dubij;admit-
to enim partem affirmantem non propter primam,
& ſecundam rationem,quæ facile diſſolutæ ſunt,ſed
propter aliam à nobis allatam in concluſione. Ad ar-
gumentum partis negantis dico,non eſſe efficax con-
tra noſtram doctrinam, nam licèt fateamur per ipſa
ſponſalia non dari fidem abſtinendi ab alieno concu-
bitu,ſed tantùm non impediendi matrimonium fu-
turum,negari tamen non poteſt quin per ipſam for-
nicationem reddatur ſponſus ineptus ad matrimoniũ
reipsâ contrahendum, cùm moueat ſponſæ rationa-
bilem ſuſpicionem, ſe minus amandam, & fidem ei
non ſeruaturum poſt contractum matrimonium.

Sectio XVI.

Vtrùm liceat vtrique ſponſo à ſponſalibus reſilire, quando vterque fornicationem commiſit poſt ſponſalia.

SAnchez *lib. 1. d. 55. n. 10.* ſequutus Enriquez *lib.* 1
11. de matrimonio c. 14. n. 6. Coninch *diſp. 23. dub.
7. n. 65.* ſentiunt non fœminam,ſed ſolum virum poſ-
ſe in eo euentu ab ſponſalibus reſilire. Probant,quia
ex parte ſponſi in eo caſu datur compenſatio delicti,
non autem reſpectu ſponſæ, quia delicta ſunt valdè
impatia,

imparia. Firmant, quia ibi fit iniqua compeoſatio, vbi detrimentum eſt inæquale: nam licèt qnoad fidei in poſterum ſeruandæ ſuſpicioοem ſit æqualis compenſatio, non verò quoad alia, nam longè ignominioſius eſt ſponſo talem ſpõſam ducere, quàm ſponſæ tali ſponſo nubere, quia ſponſa fit notabiliter vilior, non verò ſponſus, quia multò turpior eſt fornicatio in fœmina. Item ex fornicatione ſponſæ longè grauius damnum ſponſo imminet propter incertitudinem ſequuturæ prolis.

2 Veriùs exiſtimo cum Paludano *in 4. diſt. 27. q. 1. a. 3. n. 17. v. 4.* Bonacina *q. 1. punct. 8. n. 6.* & aliis, eſſe compenſationem iuſtam fornicationi ſponſæ, cum fornicatione ſponſi, quoad hunc effectum, vt neutri liceat à ſponſalibus reſilire. Ratio eſt, quia in causâ matrimonij vterque ſponſus æqualis eſt; ergo mutua fornicatio compenſatur ita, vt delictum vnius compenſetur cum delicto alterius. Firmo, quia cùm vterque coniux poſt contractum matrimonium commiſit adulterium, vir adulter non poteſt mulieré adulteram repudiare, quamuis adulterium vxoris ſit grauius adulterio viri, vtpotè ignominioſius, & periculoſius: ergo ſimiliter nec ſponſus poteſt repudiare, ſeu diſſoluere ſponſalia, quando vterque commiſit fornicationem poſt ſponſalia, tametſi ſponſus ſubeat maiorem ignominiam, ac damnum per fornicationem ſponſæ, quàm ſubeat ſponſa per fornicationem ſponſi.

Reſpondent aduerſarij longè difficiliorem eſſe ſeparationem tori, quàm ſponſalium. Sed contrà eſt, quia licèt multò faciliùs ſoluantur ſponſalia, quàm matrimonium, qnoad torum; ſponſalia enim ob quamlibet notabilem mutationem ſuperuenientem diſſoluuntur; ſeparatio verò tori non. Attamen quoad fornicationem æquiparantur in iure, vt vidimus præcedente ſectione, id conſtare ex *cap. quemadmodum, de iureiurando*, vt nimirum ſicut fornicatio, quæ matrimonio ſuperuenit, diſſoluit ipſum quoad torum; ita & omnino dirimat ſponſalia: ergo ſicut fornicatio ex parte vtriuſque coniugis compenſatur, ita vt neutri liceat ſeparatio tori, ita & fornicatio ex parte vtriuſque ſponſi. Quod amplius firmatur iuxta ſententiam Sanchez, & omnium Doctorum tenentium fornicationem ſolius ſponſi ſufficere, vt ſponſa poſſit ſponſalia diſſoluere: ergo vterque ſponſus æqualis eſt quoad hunc effectum diſſolutionis ſponſalium; ergo optimè poterit dari iuſta delicti compenſatio vtroque fornicante, vt nemini liceat ſponſalia diſſoluere; ſicut datur ex parte vtriuſque coniugis adulterantis compenſatio delicti adulterij.

3 Ex quo patet ſolutio ad argũmentum contrariæ ſententiæ; quamuis enim delicta ſponſæ, & ſponſi ſint valdè imparia, & inæqualia, quia multò turpior, ac vilior eſt, & periculoſior maioris damni fornicatio in fœminâ; tamen quia fornicatio ſponſi ſufficiens eſt, vt poſſit ſponſa innocens ſponſalia diſſoluere; ſicut & fornicatio ſponſæ, vt ſpooſus innocens poſſit à ſponſalibus reſilire, ideò quantum ad hunc effectum diſſolutionis contractus ſponſalitij, vtroque fornicante, delicta vtriuſque paria ſunt, & conſequenter dari poterit iuſta compenſatio. Simili modo dico ad confirmationem, eſto nequeat fieri compenſatio abſolutè quoad omnia, quia detrimentum eſt inæquale, & impar; fieri tamen quoad hunc effectum diſſolutionis matrimonij, vt exactè declarat exemplum adductum de adulterio vtriuſque coniugis, quamuis adulterium vxoris ſit grauius adulterio viri, & huic omnino impar.

Sectio XVII.

Vtrùm ſponſus conſcius cauſæ ſufficiẽtis fornicationis ſponſæ ad ſponſalium diſſolutionem, amittat ius reſiliendi, ſi accedat ad ſponſam.

1 CErtum videtur in hac re, ſpõſum, qui ignorat ſe habere ius reſiliendi propter fornicationẽ ſponſæ, atque idem eſt de ſponsa, etiamſi habeat copulã, non cenſetur amittere ius, vel confirmare priorem conſenſum. Patet, quia ad hoc neceſſe eſt, vt ſciat ſe poſſe reſilire, vel ſaltem vt oſtendat, ſe eo animo illam copulam habere, vt velit priorem conſenſum confirmare, eſto quòd infirmus eſſet.

2 *Secundò*, etiam videtur certum, idem dicendum de eo, qui expreſsè dicit, ſe nolle confirmare priorẽ conſenſum, vt per ſe conſtat. Idem de illo, qui poſtquam ſponſalibus omnino renunciauit, habet copulam cum ea, quæ priùs fuerat eius ſponſa, non enim diſſolutis ſponſalibus vir habens copulam cum illa, quæ fuerat ſponſa, cenſetur eam reconciliare, ita vt ad ſponſalia teneatur; ſicut diuortio celebrato conualeſcit per copulam matrimonium. Ratio eſt, quia cùm inter illas perſonas, iam nulla ſit matrimonij promiſſio, nec maneat inter illas diſſolutis ſponſalibus vllum vinculũ, nequit per eum actum cenſeri cõfirmari: at inter cõiuges, qui diuortio facto copulantur, manet vinculũ prioris matrimonij. Difficultas ergo procedit de ſpõſo, qui poſtquam cognouit ſe habere iuſtam cauſam reſiliendi à ſponſalibus ob fornicationẽ ſponſæ, v. g. vel ob aliam cauſam ſufficientem, cenſeatur cedere iuri reſiliendi, vel ratificare ſpoоſalia ſi habeat copulam cum illa.

3 Sanchez *diſp. 66* Coninch *diſp. 23. dub. 10.* Baſilius *lib. 12. c. 18. n 4* & alij communiter docent, ſponſum amittere ius diſſoluendi ſponſalia, ſi accedat ad ſponſam. Probant

Primò, quia cõiux conſcius adulterij, ſi accedat ad vxorem adulterã, amittit ius petendi diuortiũ; adeò vt etiam diuortio celebrato, cenſeantur ſe reconciliare, & in matrimonio perſeuerare teneantur, copulâ inter ipſos ſubſequutâ: ergo ſimiliter perdet ſponſus eâ copulâ ius reſiliendi à ſponſalibus.

Secundò, ſi prædictus ſponſus conſcius iuris reſiliẽdi à ſponſalibus, expreſsè priorem conſenſum confirmaret, omnem cauſam reſiliendi ſibi tolleret: ergo ſimiliter ſi ad ſponſam accedat: nam hoc actu externo oſtendit ſe priorem conſeoſum confirmare, & ſciens, & volens tanquam arrhâ quâdam cenſetur priorem conſenſum confirmare.

Tertiò, ſponſa facit copiam ſui corporis ſub ſpe futuri matrimonij: ergo vir ad eam accedens cenſetur cedere iuri reſiliẽdi, & permanere in priori volũtate. Patet conſequentia; quia cùm ſponſaliorum contractus ſit contractus oneroſus, & pars altera bonâ fide procedat, & illo actu manifeſtè oſtendat ſe priorem conſenſum confirmare, tenetur vir omnino id ſeriò facere; atque ideò obligatur ſimiliter, ac ſi id eo animo faceret: ſicut qui fide promittens alicui matrimonium, ab eâ copulam obtinet, obligatur eam ducere, ac ſi id ſeriò promiſiſſet.

Addit Sanchez *relatus*, idem eſſe dicendum etiãſi haberet ſponſus volũtatem non remittendi: ſicut nõ poteſt petere diuortiũ matrimonij cõiux, qui cõſcius fornicationis alterius, copulã habuit, licèt haberet animũ iniuriam non remittendi, quoniã ea remiſſio non à voluntate ſuâ, ſed ex iure ipſo proficiſcitur.

4 Dico *primò*, ſponſum conſcium cauſæ ſufficientis,

nempe fornicationis, amittere in foro exteriori ius reſiliendi, ſi accedat ad ſponſam. Id videtur manifeſtum, quia proculdubio ab omnibus ſemper iudicabitur, virum acceſſiſſe cum animo renuntiandi proprio iuri, cùm dictus acceſſus ſit vehemens indicium remiſſionis defectus, & ceſſionis iuris reſiliendi.

5 Dico *ſecundò*, ſi prædictus ſponſus accedat animo perſeuerandi in ſponſalibus, vel contrahendi cum ipsâ ſponsâ matrimonium, amittere ius reſiliendi in foro conſcientiæ; etiamſi priora ſponſalia fuerint inualida. Hoc etiam negari nequit, quia in eo animo continetur vera voluntas contrahendi ſponſalia: ergo cùm ex parte ſponſæ cenſeatur adhuc moraliter permanere prior voluntas permanendi, tenebitur ſic accedens, eam ducere.

6 Dico *tertiò*, in foro interiori conſcientiæ ſponſum non amittere ius reſiliendi ſi accedat ad ſponſam ſine animo perſeuerandi in ſponſalibus. Ita ſentit Hurdo *diſput. 2. difficult.* 16. Et ratio eſt, quia copula nullo iure continet explicitam, vel implicitam voluntatem renuntiandi proprio iuri; nam poteſt fieri ſine eâ voluntate, imò cum expreſſa voluntate oppoſitâ non renuntiandi; ergo accedens abſque animo cedendi proprio iuri, poterit reſilire ab ſponſalibus, & ſolum tenebitur recompenſare damnum illatum, ſi aliâ viâ, quàm ducendo ſponſam poſſit damno illato ſatisfacere. Imò exiſtimo, non teneri ad compenſandum damnum, quando accedens proteſtatur ſponſæ, ſe ad ipſam accedere cum voluntate non renuntiandi iuri reſiliendi à prioribus ſponſalibus, quia ſcienti, & volenti nulla fit iniuria. Dixi in concluſione: in foro interiori; nam quæ dixi, vera ſunt pro foro interno; pro externo verò ſemper iudicabitur, virum acceſſiſſe cum animo renuntiandi proprio iuri.

Ad argumenta oppoſita.

7 Ad primum ſumptum à ſimili de eo, qui poſt ſcientiam adulterij cognoſcit adulteram vxorem, negandum eſt antecedens, ſi vir non accedat animo remittendi iniuriam, quod intelligo ſtando in ſolo iure naturali: nam iure poſitiuo ſtatutum eſt, vt amittat ius petendi diuortium, ſi accedat ad vxorem adulteram, licèt habeat animum iniuriam non remittendi. Vnde ea remiſſio non ex voluntate ſua, ſed ex ipſo iure Canonico proficiſcitur. At in ſpõnſis nullum eſt tale ius decernens, copulam ipſam continere explicitam, vel implicitam voluntatem renuntiandi proprio iuri.

8 Ad ſecundum conceſſo antecedente negatur conſequentia; quia, vt dictum eſt, ille actus externus accedendi poteſt fieri à viro ſine voluntate renuntiandi proprio iuri; imò & cum expreſsâ voluntate oppoſitâ non renuntiandi.

9 Ad tertium. Ex illo antecedente conceſſo non ſequitur conſequentia, ſi accedat vir ſine voluntate cedendi iuri adquiſito reſiliendi à ſponſalibus. Nec obeſt contractum ſponſalitium eſſe contractum oneroſum, & ſponſam bonâ fide procedere ſub animo, & ſpe futuri matrimonij; quia quamuis ſit contractus oneroſus, quia eſt promiſſio mutuò facta ab vtroque contrahente, id non tollit, quominus ſponſus habeat ius reſiliendi ab illo contractu propter ſponſæ fornicationem. Vnde licèt ipſa, quæ fornicata eſt cum alio, accedat poſtea ad ſuũ ſponſum ſub animo, & ſpe matrimonij futuri, nullam illi infert iniuriam ſponſus accedens ad ipſam ſine tali animo, cùm habeat ius non permanendi in eo contractu propter delictum ab ipsâ commiſſum. Neque ibi reperitur vera deceptio, cùm vtatur iure ſuo, & ipſa copula ex ſe poſſit eſſe cũ expreſſa voluntate non renuntiandi: exemplũ verò fictè promittentis nihil concludit, præſertim in noſtrâ ſententiâ, nam ille nullam incurrit obligationem ratione promiſſionis, quia fuit ficta, ſed ſolùm ratione damni illati: vnde ſi damnum ſine matrimonio reſarciri poteſt, vt re verâ poteſt, dotem ſufficientem dando, qua nubat viro ſibi ſimili in qualitate, nõ eſt neceſſe vt matrimonio reſarciatur, vt oſtendi ſuprà *diſput. 2. ſect. 3.* In caſu verò noſtro præſenti, accedens ad ſponſam, quæ fornicata eſt, ſine animo renuntiandi iuri, non facit illi iniuriam cùm habeat ius; vnde ſi de nouo nõ promittat eã ducere, ex vi illius acceſſus, ſeu copulæ præcisè, in foro interno non manet ligatus ad ducẽdum eam.

Ad illud quod addit Sanchez dico, valere id in foro externo, in quo etiam coniux non poteſt ob adulterium diſcedere ab adultero, quando conſcius illius liberè accedit ad adulterum, quia tunc cenſetur in foro externo tacitè remiſiſſe iniuriam; quia talis acceſſus videtur ſufficiens ſignum externum remiſſionis. 10

DISPVTATIO X.

De ignorantia, metu, & dolo, quæ cauſas ſponſalia diſſoluentes concernere poſſunt.

PRopoſuimus hactenus, & expliuimus duodecim iuſtas cauſas, quæ communiter ex Doctorum ſenſu, ſponſalia contracta diſſoluere poſſunt. Nunc ad pleniorem earum intellectionem, de tribus in ſpecie circumſtantiis, quæ illas concernere aliquando ſolent, nempe ignorantiâ, metu, & dolo, an etiam dirimant ſponſalia ipſa, eſt diſcutiendum.

SECTIO I.

Vtrùm præcedens ignorantia cauſæ iuſtæ diſſoluentis ſponſalia, faciat illa ipſo iure irrita.

CErtum videtur apud Doctores, communiter, 1
cauſas iuſtas, quæ quando ſuperueniunt ſponſalibus, ſufficiunt ad eorum diſſolutionem, ſufficere quoque quando præceſſerunt, & tunc fuerunt ignoratæ, ſeu præceſſit quoque ignorantia earum. Id conſtat iam ex *ſect. 6.* præcedentis diſputationis de ipſa fornicatione, idemque dicendum de leprâ, morbo Gallico, & aliis, quando contingunt ante ſponſalia, & ſunt ab altero ſponſo probabiliter, & inuincibiliter ignorata. Ratio eſt generalis. Tum quia ſponſi promittentes non cenſentur voluiſſe ſe obligare in huiuſmodi euentu ad contrahendum matrimonium cognitâ tali causâ. Tum etiam, quia ſponſalia diſſolui poſſunt quando ſuperuenit notabilis mutatio; rebus enim notabiliter mutatis non obligat promiſſio, vt habetur *cap. quemadmodum, de iureiurando*, & conſtat ex dictis ſuprà *diſp. præcedenti, ſect.* 11. ergo etiam poſſunt ſponſalia diſſolui, quando aliqua mutatio, ſeu cauſa de nouo cognoſcitur, quæ tempore ſponſalium latebat. Patet conſequentia, quia in iure paria ſunt eſſe, & de nuo apparere; ſicut è contrario, paria ſunt non eſſe, & non apparere, vt colligitur *l. 77. ff. de contrahendâ emptione*; ergo cùm poſt ſponſalia vitium appareat, tunc dicitur denuo eſſe. Tum denique, quia notabile vitium in

eo

Digitized by Google

eo contractu occultatum fuit: ergo cùm contractus ſponſalium non ſit ſuapte natura inſolubilis, ſi placuerit innocenti, liberè poterit reſilire. Quare ſicut ſi quis vendat occultando vitium, eſt cauſa ſufficiens ad diſſoluendam venditionem; ita multò magis à fortiori vitium occultum notabile, eſt cauſa ſufficiens ad diſſoluende ſponſalia contracta per illius vitij ignorantiam, cùm contractus ſponſalium ſolubilis ſit, & nullus ſit alius contractus tantam exigens libertatem, ac ſponſalium, cùm ordinetur ad contrahendum matrimonium ex ſuâ naturâ indiſſolubile.

Difficultas maior eſt, an prædictæ cauſæ, non ſolùm ius ipſa diſſoluendi ſponſalia concedat, ſed ipſo iure ea irrita efficiant. Cuius difficultatis cognitio neceſſaria eſt, nam ſi ſponſalia valida ſint, quamuis poſtea diſſoluantur, oritur ſtatim ex illis publicæ honeſtatis impedimentum, quod non oritur, ſi ipſo iure irrita ſint.

2 Videtur enim pars affirmatiua tenenda, quia in prædictis cauſis deeſt conſenſus liber, nam qui ignorat tales cauſas, conſentit in illum ſponſalitium contractum ex errore inuincibili, qui facit omnino inuoluntarium, & conſequenter minimè liberum. Quod videtur conſtare manifeſto exemplo venditoris vitrum vendentis pro gemmâ, talem contractum eſſe ipſo iure irritum, quia emptor non conſentit in emptionem vitri, ſed gemmæ, quam putabat eſſe ſub illâ ſpecie: ergo idem dicendum in contractu prædicto ſponſalitio.

3 Mihi videtur dicendum *primò*, contractum ſponſalitium in prædictis euentibus, etiamſi dolus det cauſam contractui, non eſſe iure naturæ irritum. Eſt communis Doctorum ſententia, & patet; tum ex contractu matrimonij, qui dolo iritus, validus eſt, & quia naturâ ſuâ inſolubilis eſt, validus perſeuerat, nec ob iniuriam acceptam irritari poteſt. Tum etiam ex aliis contractibus ſtrictiiuris, qui validi ſunt, etiamſi dolus eis cauſam dederit, tametſi poſtea poſſint irritari pro arbitrio decepti: quia qui dolo inducit alterum ad contrahendum, iniuriam ei facit, ac proinde tenetur illum reſtituere integrum, & reddere omnia infecta, ſi deceptus voluerit. Vnde licèt talis dolus non habeat eam vim, vt reddat contractum planè irritum; tamen tribuit ius recedendi à contractu, eiuſque irritandi. Et ratio concluſionis à priori hæc eſt; quia prædictus dolus non verſatur circa ſubſtantiam contractus, vel materiæ, ſed circa accidentiam, & extrinſeca, quæ alliciunt, aut auertunt à contrahendo, nempe circa cauſam contrahendi, quæ rei extrinſeca eſt, & acceſſoria: ergo non tollit conſenſum ſubſtantialem, qui ſit aliquo modo ſufficiens ad naturam contractus. Firmatur, nam in his contractibus matrimonij, & ſponſalium, tunc eſt error in ſubſtantia, quando eſt ſolus error perſonæ; at in præſenti ſolùm eſt ignorantia, aut error, vel dolus non circa perſonam, ſed tantùm circa alias circumſtantias extrinſecas reddentes nuptias alteri parti minus expetibiles, aut etiam pernicioſas: aliter enim matrimonium tali dolo initum eſſet matrimonium irritum omnino, ſpectato ſolo iure naturæ, quod eſt apertè falſum.

4 Dico *ſecundò*, contractum ſponſalitium prædictum, neque eſſe ab initio omnino irritum, attento iure canonico. Patet, quia nullum extat canonicum ius talia ſponſalia ab initio reddens irrita. De contractu verò matrimonij dolo, vel fraude inito, quale detur ius illud irritans, ſuo loco dicetur.

Dico *tertiò*, neque iure ciuili eſſe talem contractum omnino irritum. Id latè, & egregiè defendit noſter Leſſius *de iuſtitia, & iure lib. 2. cap. 17. dub. 5.* Quod probat, tum quia nulla eſt ciuilis lex affirmans talem contractum eſſe planè nullum. Tum quia, vt dicam infrà, quando metus dat cauſam, cõtractus nõ eſt omnino irritus, ſed in irritum reuocandus: at in iure cenſentur paria metus, & dolus, *l. ſi dolo, de inutilib. ſtipul. & cap. cùm contingat 28. de iureiurando.* Tum denique, quia videtur magis expediens bono publico ad coërcendos huiuſmodi deceptores, qui interdum hac ratione capi poſſunt in aſtutiâ ſuâ, ſi is, qui deceptus fuerit, velit contractum valere, quando eſt ipſi vtilis. Ex dictis 5

Colligo *primò*, ſi dolus det cauſam contractui ſponſalitio, & proueniat ab altera parte, tametſi talis contractus non ſit ab initio irritus; tamen pro arbitrio eius, qui deceptus eſt, irritari poteſt duplici titulo, & ratione iniuriæ, & ratione defectus conſenſus, qua parte ignorauit. Patet, quia qui dolo inducit alterum ad contrahendum ſponſalia, iniuriam ei facit. Vſu quoque omnium gentium receptum eſt, vt ſi quis deprehendat, ſe penitus deceptum, nolit ſtare contractui, præſertim ſi res eſt adhuc integra: vnde omnis contractus ſolubilis iure Gentium videtur habere hanc tacitam condinionem, quòd contrahens ſtabit contractui, vt nõ poſſit retrocedere, etiamſi ex graui errore cõtraxiſſet, quia defuit plenus conſenſus: ergo duplici iure poteſt talis contractus reſcindi, & ratione iniuriæ, & ratione defectus conſenſus, qua parte fuit deceptus, & ignorauit ex iure Gentium. In quo diſtinguitur à contractu ſponſalitio per metum extorto: nam cùm metu extortus eſt, ſolùm ratione iniuriæ extortus eſt, vt infrà dicam *ſect. 3.* nam tunc adfuit conſenſus ex parte cognitionis, ſed defuit plena libertas in conſenſu, idque per iniuriam. 6

Colligo *ſecundò*, in contractu ſponſalium non teneri deceptum implere illum, ſimulátque cognouerit aliquid ſubeſſe, quod ſi ab initio ſciuiſſet, noluiſſet contrahere. Ratio eſt, quia ſi tale quid poſt contractum ſponſalitium eueniret, non teneretur illud implere, eo quòd ſtatus rerum ſit notabiliter mutatus, vt dixi ſuprà præcedenti *diſp. 8. ſect. 11.* Ergo etiam non tenebitur, ſi id quod ab initio latebat, poſtea ſe aperiat: nam paria ſunt in ordine ad contractum, ſi ſolubilis ſit, ſuperuenire de nouo, & proferri in lucem, ſeu incipere cognoſci. Neque alter poteſt conqueri de iniuriâ, cùm tacita mens contrahentium ſit, non obligare ſe ad contrahendum contractum, ſi ſe deceptos deprehendant, idque confirmat conſuetudo paſſim recepta. 7

Ad argumentum oppoſitum dico, illum conſenſum habere libertatem ſufficientem ad eſſentiam contractus, vt patet in matrimonio, quod validum eſt, etiamſi pars contrahens decipiatur circa cauſas contractus. Et ratio eſt, quia conſentit hic, & nunc in rem, quam nouit; & ignorantia, vel error ſolùm eſt circa aliquid extrinſecum. Vnde talis contractus dicitur inuoluntarius ſolùm ſecundùm quid, ratione taciti diſſenſus, qui eſſet actu, ſi error abeſſet: quia tamen nec actu eſt, nec virtute, ſed ſolùm habitu, non reddit irritum cõtractum; imò neque ſi actu eſſet, irritaret, quia ſolùm eſt ſimplex diſplicentia, nollem, ſi ſcirem. Nihilominus prędictus error, & dictum inuoluntarium ſufficit ad reuocan-

dum contractum, vel non implendum. Ad exemplum illud diſpar eſt ratio, nam in illo deeſt ſubſtantialis conſenſus, quia non conſentit in illam rem, ſed in aliam, quam putat ſubeſſe illis accidentibus: quando autem contingit in altero contrahentium eſſe errorem circa ſubſtantiam rei, contractus iure naturæ eſt irritus, vt docent omnes, & patet ex contractu matrimonij. Vnde ſicut ſi venditor gemmam putet eſſe vitrum, & pro tali vendat, tenetur emptor re compertà ad reſtitutionem gemmæ, vel ad iuſtum eius pretium, prout de nouo inter eos conuenerit, quia venditor non conſentit in alienationem gemmæ, ſed vitri. Ita ſimiliter ſi venditor vitrum vendat pro gemmâ, quia emptor non conſentit in emptionem vitri, ſed gemmæ, quam exiſtimabat ſubeſſe illis accidentibus.

Sectio II.

Vtrùm laborans occulto defectu, poſſit cum illius ignaro ſponſalia contrahere, & eum cogere in conſcientia, vt contracta ſponſalia impleat, quin illi talem defectum aperiat.

1 PRocedit quæſtio de ignato illius defectus, qui ſi tale vitium ſciret, certò conſtat apud alterum, nullo modo contracturum. Si enim conſcius illius vitij adhuc eſſet contracturus, tunc non eſt dubium: quia pars nullam ei facit iniuriam, ſi cum ignaro contrahat.

2 Præterea etiam videtur certum, quæſtionem non procedere, quando cauſa iuſta reſiliendi ob ſponſalibus conſiſtit in ſola fractione fidei occultâ, ita vt non reddat eum notabiliter viliorem in ordine ad nuptias, vt ſi ſponſus ſit ſemel fornicatus caſu, ſine periculo prolis: vel ſi alteruter à ſponſalibus iniuſtè conatus ſit reſilire volendo cum alio contrahere. Ratio eſt, quia eiuſmodi defectus, aut neceſſariò ſuperueniunt ſponſalibus iam contractis, aut contrahenda nullo modo impediunt. Vnde in illis caſibus poteſt pars illorum defectuum ignara cogere, vt ſponſalia iam antè contracta compleat contrahendo matrimonium, quia quamdiu hæc defectum illum ignorat, nullum habet ius illud negandi. Sicut in veriori ſententia adulter non priuatur ſtatim de facto iure petendi debitum coniugi ſui adulterij ignaræ. Nam ſicut lex poſitiua ſtatuens alicui crimini aliquam pœnam, non ſtatim priuat reum dominio, ac poſſeſſione rei in pœnam debitæ, ſed ſolùm dat ius iudici, vt cauſa cognitâ poſſit eum priuare: ita lex matrimonialis non ſtatim priuat adulterum iure petendi debitum, ſed ſolum dat coniugi ius, cum poſt criminis cognitionem priuandi. Vnde quando hoc legitimè non facit, non eſt libera ab obligatione reddendi debitum, ſed ſolum habet ius quaſi remotum poſtquam crimen cognouerit, eam obligationem elidendi, & verè peccat contra iuſtitiam negando debitum.

3 Difficultas ergo ſolùm reſtat de aliis defectibus ignoratis ab alterà parte. Ad cuius explanationem prænoto, eiuſmodi defectus dantes iuſtam cauſam reſiliendi à ſponſalibus eſſe in duplici genere. Quidam enim ſunt, qui reddunt nuptias notabiliter minus expetibiles, non tamen perniciosas alteri parti. Vt ſi mulier ſit corrupta ſiue ſponte, ſiue vi, aut valde turpis effecta; (quod contingere poteſt, quando abſentes contrahunt) aut ſi vir, vel fœmina ſit pauper, & ignobilis, cùm tamen putetur diues, aut nobilis. Item ſi ſit moribus improbis, vel feroci ingenio; quando ſtatuerit in poſterum ita viuere, vt hæc parti parum, aut nihil nocerent: ſi enim ſtatuiſſet improbitate, & ſæuitiâ progredi, iam tunc nuptias redderet parti pernicioſas. Alij verò ſunt defectus, & vitia, quæ reddunt nuptias alteri parti pernicioſas, vt cùm quis laborat morbo Gallico, graui leprâ, & aliis ſimilibus morbis contagioſis, quibus non ſperat ante nuptias omnino curari. Item ſi alterutra pars eſſet omnino peruerſis moribus, & ſtatueret perſeuerare, vel laboratet graui valde infamia, quæ poſſet honeſtam familiam omnino dedecorare.

Dico ergo *primò*: non tenetur pars volenti ſecum contrahere ſponſalia, aperire defectus primi generis. Ita communiter Doctores, inter quos Sanchez *lib. 6. de matrimonio diſp. 27. num.* 8. Et ratio eſt, quia nemo tenetur ſe ipſum infamare, aut defectus ſuos proclamare, quamdiu hi aliis non nocent: at prædicta vitia, ſeu defectus non impediunt ſocialem vitam, vel generationem, vel honeſtam educationem prolis, in quem vſum contrahitur matrimonium. Partis igitur eſt de illis inquirere, aut maturè proſpicere quo cum contrahat. Quòd ſi contraria ſibi perſuadens decipiatur, ſibi imputet, quòd ſuo iudicio fidens, non meliùs de totà re inquiſierit. Firmo hoc idem, nam in venditione, quando venditor celat vitia ſua, quæ non reddunt rem notabiliter minus vtilem vſui, ad quem expetitur, non peccat contra iuſtitiam, quia ſolùm tenetur ex iuſtitia, aperire illius vitia, quæ ſunt vſui, ad quem expetitur contraria, ne venditor vitio rei venditæ aliquod damnum incurrat: ergo multò minus in præſenti tenetur pars aperire alteri parti volenti ſecum contrahere, defectus, qui non impediunt ſocialem vitam, nec generationem, nec partis educationem, præſertim, quia non eſt in pretio vlla æqualitas, cùm mutua corpora tradantur æquè apta ad talem finem, quæ pretio non æſtimantur. Firmo denique, quia vſu receptum eſt ex communi contrahentium conſenſu, vt contrahentes non detegant propria vitia, neque enim fœmina detectura eſt propria vitia; aliàs innupta maneret: neque vir ſolitus eſt vitia, quæ patitur, manifeſtare: vnde æqua eſt vtriuſque conditio, & conſequenter nulla eſt iniuſtitia. 4

Notant verò prudentes Doctores, interdum, præcipuè ſponſæ periculoſum eſſe cum aliquo ita ſuâ opinione decepto contrahere, quia poſtea re cognitâ, facilè amor vertitur in odium, & vxor peſſimè tractatur. Vnde ſi crederet aliàs futurum, vt graues diſſenſiones, aliáve mala orirentur, teneretur, vel ſaltem ex charitate tales defectus ſponſo aperire, vel certè ab illius nuptiis abſtinere: quia daretur grauis cauſa ſcandali, grauiumque diſſenſionum, aliorumque malorum, & criminum, quæ ſaltem lex charitatis vitare obligat. Quare meritò Nauarrus relatus à Sanchez dixit, ſe in hoc caſu non audere oppoſitum alicui conſulere. 5

Dico *ſecundò*, patienti prædictos defectus primi generis, nullo modo licet, vel dicto, vel facto poſitiuè 6

tiuè

tiuè ſimulando contrarium, alterum vanâ ſpeâd nuptias ſuas allicete. Patet, quia eſſet manifeſtâ fraus, ac nociuũ mendaciũm, præcipuè quando quis fingeret, ſe valdè diuitem, nobilem, optimâ famâ, cùm tamen omnia eſſent contraria: quia hoc modo alterum à commodis nuptiis ad incommodâ induceret, idque per verum dolum. Dixi *poſitiuè ſimulando*, quia licitum eſt prædictos defectus, præſertim quando cum aliquâ infamiâ coniuncti ſunt, eatenus tegere, quatenus ad conſeruandam bonam famam, ac honeſtum ſtatum neceſſarium eſt: nullus enim tenetur aut famam ſuam, aut huiuſmodi ſtatum prodigere: vnde etiam interrogatus poteſt huiuſmodi defectus diſſimulare alia reſpondendo. Imò recens nupta, vt benè Sanchez *citatus*, non modò licitè, verùm etiam conſultò vtitur aliquo artificio, quo impediat, ne vir deprehendat corruptam; cùm hoc ſine vllo alicuius commodo, cùm iam ſeparari nequeat, & magno ipſius incommodo reprehenderetur. Imò etſi fœmina malè faciat promittenti ſibi nuptias vſuram ſui corporis concedendo; tamen vel nullo modo, vel leuiter peccat tali artificio tegendo ſe eſſe corruptam, ne alter hoc deprehendens eius nuptias auerſetur; quia in hoc propriè non nocet viro, neque propriè ſe fingit virginem, ſed vitium occultat.

7 Imò tametſi apertè diceret ſe virginem, per hoc per ſè non peccaturam mortaliter, quando vitium eſſet omnino occultum, nec aliud malum inde timeretur, quàm quòd alter deceptus duceret corruptam pro virgine; quia hoc propriè ei non nocet, & ſibi imputare debet, quòd affirmanti credat, cùm facile poſſit intelligere, illam numquam patefacturam ſe eſſe corruptam, quamdiu hoc poſſet celare. At ſi eſſet periculum, ne vir poſtea id deprehenderet, vt communiter contingit, quando vir aſtutus eſt; exponeret ſe illa grauibus periculis, ne grauiſſima poſtea ſequantur odia, & diſſenſiones, ideoque talia cauenda ſunt.

8 Dico *tertiò*, patiens defectus illos primi generis poteſt alterâ parte eorum ignaram cogere, vt ſponſalia iam ante contracta compleat, matrimonium contrahendo, dummodo non induxit partem dolo, vt ſecum contraheret, ſiue illi defectus præceſſerint ad illa ſponſalia, ſiue non. Hoc videtur manifeſtum; quia, vt dictum eſt, talis ſine vllâ iniuſtitiâ poteſt cum alio illius defectus ignaro contrahere ſponſalia, atque ita adquirere ius ad matrimonium: ergo poterit poſtea licitè eo iure vti, exigendo ab alio, vt promiſſa compleat. Dixi, *dummodo non induxerit partem dolo*; nam qui patiens tales defectus dolo ſimulando contrarium, partem induxerit ad ſponſalia contrahenda, non poteſt ab hac vt debitum exigere contractum matrimonij, quia hoc faciendo continuat priorem iniuriam, quâ alteri ad ſponſalia contrahenda induxit, quam tamen tenetur tollere.

9 Dico *vltimò*. Patenti defectum aliquem ſecundi generis, non licet cum huius ignaro contrahere ſponſalia, nec poſtea vrgere, vt contracta impleat, niſi iſte ſimiles defectus pateretur. *Prima pars* videtur certa; quia ita contrahens alteri innocenti adfert perniciem, quod ſimpliciter malũ eſt; eſt enim tale matrimonium parti pernicioſum in ſocietate coniugali, ac prolium ſuſceptione, & educatione, in quem vſum expreſsè patitur: ergo tenetur parti ignaræ, ideoque paratæ contrahere, vel nuptias recuſare, vel defectum aperire: ſicut is, qui volenti à me emere ligna occultè carioſa, quæ eſſent certam ruinam ædificio allatura, teneretur ante traditionem, & pecuniæ ſolutionem, aut contractum reſcindere, aut vitium aperire, ſi aliter imminens damnum non poſſet auertere: quia eſt vſui, ad quem expetitur omnino contrarium; aliàs teneretur ad omnia damna ſequuta. Ex quo manifeſta eſt *ſecunda pars*; nam ſi habens defectus ſecundi generis contrahens ſponſalia cum eorum ignarâ, grauem iniuriam intulit, vt ſuprà eſt oſtenſum, manifeſtum eſt, eam augere multum, exigendo matrimonium: ergo vel tenetur alterum ab omni obligatione ſponſalium liberare, vel defectum aperire, quia aliter iniuriam ſemel illatam non tollit.

Hinc colligo, idem dicendum, de eo, qui in 1
eiuſmodi defectus ſecundi generis incidit poſt contracta ſponſalia; nimirum teneri, aut non contrahere matrimonium, aut parti eos defectus aperire; aliàs iniurioſè ei talem perniciem adfert; ſicut dixi de eo, qui volenti ædificare, vendidiſſet ligna occultè carioſa, teneri vel reſcindere contractum, vel emptori vitium aperire.

Sectio III.

An ſponſalia coacta, ſeu facta ex metu, ſint valida.

PRæmitto metum ab extrinſeco, id eſt, à cauſâ liberâ extrinſecâ, v. g. ab homine incuſſum, de quo procedit difficultas, eſſe duplicem, vt conſtat ex *cap. veniens 15. de ſponſalibus*; vnum grauem abſolutè, ſeu cadentem in virum conſtantem, qui dici ſolet probabilis, & alium leuem, ſeu cadentem in virum inconſtantem, qui dici ſolet improbabilis. Metus grauis eſt timor probabilis, ſeu prudens mali grauis, quod ex ſe virum conſtantem meritò mouere poteſt ad præſtandum id, ad quod metus incutitur: vt metus mortis, grauis percuſſionis, vel infamiæ, amiſſionis ſtatus, vel ingentis copiæ diuitiarum, & ſimilium. Graue malum non debet ſumi abſolutè, ſed comparatum ad ſexum ætatemque. Nam idem malum, quod reſpectu vnius eſt leue, poteſt reſpectu alterius eſſe graue. Similiter vt alicui incutiatur metus grauis, ſatis eſt vt mala immineant perſonis valdè coniunctis, vt parentibus, fratribus, conſanguineis, & affinibus vſque ad quartum gradum. Metus verò leuis abſolutè, ſeu cadens in virum inconſtantem, eſt timor mali, quod virum conſtantem meritò non mouet ad faciendum id, ad quod metus incutitur, quo ſolus timidus, & non fortis, nec conſtans cogitur ad aliquid faciendum, vt malum illud euitet. Ad iudicandum autem quinam metus ſit grauis, & quinam leuis, nulla certa regula dari poteſt, ſed prudentis arbitrio eſt relinquendum.

Hoc præmiſſo, certum eſt communiter apud 2
Doctores, ſponſalia coacta, ſeu metu leui iniuſtè facta, valida eſſe. Patet, tum quia nullo iure ſunt irrita, non naturali, vt ex dicto ſecundo conſtabit: non poſitiuo, quia nullum extat: nam *cap. ex litteris, de deſponſ. impub.* irritans ſponſalia loquitur de metu cadente in virum conſtantem. Tum quia, vt infrà cum communi ſententia oſtendam *diſp. 17. ſect. 15.* matrimonium contractum ex metu leui valet: ergo multo magis ſponſalia non irritantur metu leui.

Difficultas eſt de ſponſalibus metu viri conſtantis 3
initis. Nam Sanchez cum aliis *diſp. 19. n. 3.* docet ſpõſalia metu graui iniuſto facta eſſe nulla. Probat ex *cap. ex litteris, de deſponſ. impub.* vbi conſtat ſponſalia coacta eſſe inualida ipſo iure.

4 Verius iudico oppoſitum cum Ægidio Coninch *diſp.* 28.*n.*7. Henriquez *lib.*11. *de matrim.c.*4.*n.*6. Petro de Ledeſma *de matrimonio. q* 47.*a.*3 *circa* 3.*argumentum*, Hurtado *diſputat.*1.*difficult.*15. & aliis. Iuxta horum doctrinam,

5 Dico *primò*, prædicta ſponſalia coacta valida eſſe ad obligandum ex iuſtitia, ſeu in ratione contractus iure naturali, ſeu ex natura rei. Ratio eſt manifeſta, quia ad valorem ſponſalium,& cuiuſcumque alterius contractus ſufficiunt ex natura rei, ſeu iure naturali duo, nempe titulus, & voluntarium ſimpliciter: ſed hæc duo reperiuntur in ſponſalibus factis ex metu graui iniuſtè excuſſo ad illa extorquenda: ergo erunt valida iure naturali. Minor probatur, quia in illis reperitur voluntarium ſimpliciter, quamuis admixtum cum inuoluntario ſecundùm quid, quod quantum eſt ex parte voluntarij, cùm hic & nunc ſit efficaciter voluntarium, ſufficiens eſt ex natura rei ad quemcumque contractum; non enim talis metus auſert libertatem, cùm adhuc maneat homo ſimpliciter liber: ergo promiſſio corporis à ſponsâ facta eſt ſimpliciter voluntaria, quamuis ſit inuoluntaria ſecundùm quid. Præterea in prædictis ſponſalibus reperitur titulus, quia in ſponſis datur ius ad vnum corpus pro iure ad alterum; nam tam qui promittit, quàm etiam ille, qui repromittit alteri ſuum corpus, habet verum dominium in illud, vt poſſit alteri in matrimonium promittere pro repromiſſione alterius, vel è contra: ergo habet verum titulum: ergo talia ſponſalia iure naturæ valida ſunt.

6 Dico *ſecundò*, talia ſponſalia, neque eſſe nulla iure poſitiuo, atque adeò eſſe abſolutè valida. Probatur concluſio: nam in primis non ſunt nulla iure diuino poſitiuo, vt patet; quia de eo non conſtat. Neque iure Eccleſiaſtico. Tum quia textus irritantes matrimonium metu factum nõ irritant ſponſalia; nec ſemper quod eſt diſpoſitum in matrimonio, cenſetur diſpoſitum in ſponſalibus, cùm ſit diſtincta ratio in his: ideo enim matrimonium metu graui initum Eccleſiæ irritauit, quia ſi ſemel eſt validum, amplius reſcindi non poteſt. At ſponſalia ſemel valida poſſunt diſſolui, & de facto diſſoluuntur multis de cauſis. Tum etiam, quia contractus ſponſalitius ſic factus non dicitur eſſe inualidus. *cap. ex litteris, de deſponſ. impuberum.* Tum denique, quia nulla eſt ratio cur ſponſalia metu contracta ſint excipienda, vt non valida, cùm hoc eſſet in præiudicium læſi, cui melius eſt, vt poſſit alium cogere, vt ſtet pactis, quàm id non poſſe, quod cederet in commodum lædentis; cùm tamen iura illi, non huic velint ſubuenire.

7 Dico *tertiò*, perſonam coactam ad promittendum in prædictis ſponſalibus poſſe propria auctoritate ab eis reſilire. Id rectè notauit Sanchez citatus *n.*5. & probatur: tum quia ſi perſona coacta ad promittendum, non acceptet ius oblatum ab altero, dictus contractus non erit validus ex defectu tituli, quia non fit pro iure in corpus alterius accepto, neque titulo liberalitatis, quia fit coactè; imò quamuis ſemel acceptet ius, & ſic fiat validè contractus, poteſt tamen poſtea à perſonâ coactâ diſſolui, & diſtrahi, cedendo iuri acceptato ob iniuſtitiam grauem illatam ad extorquendam promiſſionem, vt ſignificatur in dicto capite, *ex litteris*: ſicut etiam ob iniuſtitiam grauem ſuperuenientem ſponſalibus iam factis poteſt iniuſtitiam patiens ſponſalia diſſoluere cedendo iuri ſibi collato, & auferendo quod ipſe contulit. Cùm enim contractus ſponſalitius ſit contractus inchoatus, & non perfectus tendens quaſi via ad alium contractum, facile diſſolui poteſt. Tum etiam, quia alter, qui liberè abſque vlla coactione conſentit, tenetur ſponſionem coacto remittere, quamuis ipſe metum non intulerit; ſicut poſſidens rem metu graui ab alio extortam tenetur eam reſtituere: ergo coactus via quaſi compenſationis vtens, poteſt reſilire à ſponſalibus.

Dico *vltimò*, qui ex metu graui iniuſto promittit cum iuramento aliquam ducturum, obligatur ratione iuramenti ad eam ducẽdam. Negat Sanchez cum aliis *lib.*4.*diſp.*21 Quia dum contractus aliquis ob publicam vtilitatem prohibetur, ſi iuramento ſtabiliatur, nullam iuramentum parit obligationem: ſed ſponſalia coacta, quæ ſunt initium matrimonij, prohibentur ob publicam vtilitatem, ſicut & ipſum matrimonium coactum, oriuntur enim inde ſeditiones inter coniuges; ergo iuramentum illis accedens non ligat. Noſtra verò concluſio, quæ eſt Henriquez *lib.* 11.*c.*9. Hurtadi *diſp.*1.*diffic.*15*n.*66.& aliorum probatur; quia omne iuramentum obligat quoties licitè adimpleri poteſt, vt deducitur ex *cap. debitores, & ex cap. vltimo, de iureiurando.* At prædictum iuramentum licitè impleri poteſt. Nec refert quòd non ſit Reipublicæ expediens illius impletio: nam iuramentum dandi latroni inuadenti pecunias obligat, quamuis eius impletio non ſit Reipublicæ expediens, ſicut & iuramentum factum vſurario ſoluendi vſuras. Quare ad argumentum Sanchez dico, impletionem iuramenti non eſſe directè nociuam Reipublicæ, quamerſi non ſit illi expediens, neque id iuramentum eſt contra bonos mores; nullatenus enim peccat, qui ad redimendam vexationem conſentit ſponſalibus coactis, & ea iurat. Negatur quoque ſpõſalia coacta eſſe prohibita ob publicam vtilitatem, vt conſtat ex *dicto primo, & ſecundo.*

Ad caput illud *ex litteris, de deſponſ. impuberum*, dico non eſſe ibi ſermonem de puella, quæ omnino inuita contraxerit ſponſalia. Nam in eo capite ita habetur. Quædam puella anno duodecimo iurata fuit, & deſponſata cuidam puero nouem, vel decem annorum, & procedente tempore, de voluntate parentum potius, quàm de ſuá, ad domum patris pueri fuit deducta, vbi nolens, & inuita, minis parentum impulſa, moram fecit per annum. Declarat Pontifex, quòd ſi puella commonita noluerit expectare, donec puer compleat decimumquartum annum, poſſit aliud inire matrimonium. Ex quibus liquidò conſtat coactionem non fuiſſe factam tempore, quo puella fuit deſponſata, cùm de eo nulla ſit mentio ibi; ſed poſt longum tempus, quando adducta fuit in domum patris pueri, in qua ipſa habitare nolebat. Vnde manifeſtè colligi videtur, Pontificem ideo declaraſſe, puellam nolentem expectare decimumquartum annum pueri, poſſe aliud inire matrimonium, quia non celebrauerat niſi matrimonium cum puero, & hoc erat nullum ob defectum ætatis in puero. Quòd non fuerint celebrata ſponſalia, ſed matrimonium colligo, non tantùm ex eo, quòd dicatur puellam abſolutè fuiſſe iuratam, & deſponſatam; ſed præcipuè, quia ſi ſponſalia contraxiſſet, ſi ea forent valida, non poſſet puella, quæ iam ad ætatem pubertatis peruenerat, à ſponſalibus reſilire; ſed debuiſſet expectare annos pubertatis pueri, vt docent benè communiter Doctores. 9

DISPV

Digitized by Google

DISPVTATIO XI.

De iudicis auctoritate, an ſit neceſſaria ad ſponſalia adimplenda, vel ſaltem ad ea diſſoluenda.

ID oportet explicandum proponere de contractu ſponſalirio abſoluto; vt ſciamus quibus in caſibus recurrendum ſit ad iudicis auctoritatem, vt ſponſalia impleantur, vel etiam vt diſſoluantur: & qualis probatio ſufficiens ſit pro foro externo, & etiam pro foro conſcientiæ interno, vt licitè ſponſalia abſoluta diſſolui valeant.

SECTIO I.

An qui ſponſalia implere tenetur, & renuit, ſit per iudicem cogendus.

1 RAtio dubij eſt *primò*, quia *cap.2.de ſponſalibus*, ſolùm præſcribitur, vt tenuentes ſponſalia implere moneantur, & modis omnibus inducantur, vt præſtitam fidem obſeruent, ſed non eſſe compellendos. Et *cap.requiſiuit* 17. dicitur de quadam fœmina, quæ iurata promiſerat matrimonium; quod cùm libera debeant eſſe matrimonia, monenda eſt potius, quàm cogenda; cùm coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere.

Secundo, in obligatione facti nemo compelli debet, ſed perſoluto intereſſe liberatur, vt conſtat ex *l.ſtipulationes* 72. *§.Celſus, de verb.oblig.* Cùm enim facta ab inuito non rectè præſtari ſoleant, iuxta illud, non reſpondent coacta ingenia, videtur tacitè inter contrahentes id actum, vt ſi res non fiat, in locum facti ſuccedat intereſſe. Ergo idem dicendum in contractu ſponſalium, vt nimirum ad factum præcisè compelli nequeant reſilientes, ſed ſolùm ad intereſſe, ſi quod ſit.

Vltimò, metus excommunicationis cadit in virum conſtantem, & reddit matrimonium nullum; ergo iudex nequit ad illud compellere ſub prædicta cenſura.

Dico *primò*, iniuſtè recuſantem implere ſponſalia
2 iurata, per ſe, id eſt, ſecluſo periculo mali exitus, cogendum eſſe à iudice cenſuris. Hoc conſtans videtur apud omnes Doctores. Nam eſt ius expreſſum, *cap.ex literis 2.de ſponſalibus*, vbi de quodam viro, qui iuratus matrimonium promiſerat, ſtatuit ſic Alexander III. Quia periculoſum eſt contra iuramentum venire, mandamus vt eum moneas, & ſi non acquieuerit monitis, Eccleſiaſtica cenſura compellas, vt ipſam, niſi rationabilis cauſa obſtiterit, in vxorem recipiat. Et ratio eſt manifeſta, quia in reſiliente ſponſalibus iuratis, & eſt obligatio iuſtitiæ ratione iuris quod alter acquiſiuit, & eſt obligatio religionis ratione vinculi iuramenti; ergo debet à iudice compelli vt ſeruet fidem, & religionem; cùm vtriuſque violatione maximè Deus inhonoretur.

Dico *ſecundò*, idem dicendum, per ſe loquendo, de
3 recuſante implere ſponſalia non iurata. Ita Sanchez *lib.1.diſp.29.n.4.* Coninch *diſſ.22.n.9.* Hurtado *diſp.2.difficult.16.* & eſt communis Doctorum ſententia. Ratio eſt, quia iudex tenetur ſuis ſubditis petentibus ius ſuum, non negare, & iniuriam illis facientes cogere, vt ab ea deſiſtant, & petentibus ius ſuum tribuant; ſed iniuſtè nolens implere ſponſalia etiam nõ iurata facit parti iniuriam, negando ei ſuum ius; ergo poteſt, & niſi aliud obſtet, debet à iudice ad hoc cogi. Firmatur, nam ad iudicem ſpectat compellere, vt vnicuique reddatur debitum, præſertim ex iuſtitia, vt conſtat ex *cap.1.2. & 3. de pactis*, & aliis iuribus; ergo multò magis in re tanti momenti, quale eſt matrimonium. Et quamuis *in cap. ex litteris* 2. vt vidimus, ſolùm ſit ſermo de ſponſalibus iuratis; & non reddatur alia ratio coactionis faciendæ, niſi iuramentum; non ideò ſequitur non eſſe cogendum à iudice reſilientem iniuſtè ad ſponſalia non iurata implenda. Tum, quia in eo textu non negatur obligationem ex ſponſalibus, prout ex ſponſalibus ortam, non ſufficere, vt iudex compellat, ſed ſolùm adducitur iuramentum pro cauſa, quia erat ſufficiens & maior, quàm promiſſio, vt promiſſio. Tum etiam, quia ſola mutua promiſſio abſque alia iuramenti obligatione ex ſe eſt ſufficiens cauſa, & totale motiuum iuſtitiæ alium cogendi vt illam non violet, quia reſiliens ab his ſponſalibus manifeſtam facit iniuriam.

Dico *tertiò*, per accidens ob grauia incommoda, 4
quando nimirum attentis circumſtantiis prudenter iudex arbitratur ex inuitis nuptiis grauia mala & ſcandala timeri, qualia ſunt perpetuæ rixæ, deſertio vxoris, quòd coactus fictè contrahet, aut aliud ſimile damnum, non eſt cogendus iniuſtè reſiliens ad ſponſalia implenda; ſiue ſponſalia ſint firmata iuramento, ſiue non, ſed ſola fide. Ita Doctores relati *præcedenti dicto.* Et videtur apertè colligi ex *cap.ex litteris 2.citato*, vbi eſt ſermo de ſponſalibus iuratis; & dicitur renuentem eſſe cenſura compellendum niſi rationabilis cauſa obſtiterit. Nomine autem rationabilis cauſæ, quæuis illa intelligitur de his quæ ſufficiũt ad diſſoluenda ſponſalia. Inter illas autem, vt vidimus ſuprà *diſſ. 9. ſect.* 11. ea eſt, ſi ſponſa ita exhorreſcit ſponſum, vt veroſimile ſit, ſcandala, lites, perpetuaſque diſcordias ex matrimonio fore. At ſi nulla iuſta ſubſit cauſa, compelli debet recuſans ſponſalia per cenſuras Eccleſiaſticas ad contrahendum, ita vt ex nolente fiat volens. Argumento textus *in cap.videtur* 23. *q* 6. Compulſio enim ad inducendum liberum conſenſum adhibetur, non vt inuitus adigatur ad matrimonium. Præterea idem oſtenditur ex *cap.requiſiuit* 17. *de ſponſalibus*. Vbi de illa muliere, quæ iurata promiſerat matrimonium viro, & nolebat cum eo contrahere, ait Papa, monendam eſſe potius, quàm cogendam, quia coactiones huiuſmodi frequenter ſolent difficiles exitus habere. Vbi periculum mali exitus rectè cenſetur eſſe cauſa rationabilis obſiſtens coactioni. Quare in his textibus Eccleſia non tolerat minus malum, videlicet violationem fidei, & periurium, ad euitandum maius malum, videlicet perpetuas inimicitias, & rixas, vt multi opinantur. Nam potiùs iudicat Eccleſia, ſi rationabilis cauſa ſubeſt, ceſſare ſponſalium vim, & conſequenter obligationem iuramenti adductam. Quia ob mutationem ſtatus rerum, ob graues inimicitias, & ſcandala, quæ iam timeri poſſent, cùm tamen tempore contractus ſponſaliorum non timerentur, ceſſauit eorum obligatio, & iuramenti; quare non toleratur minus peccatum ad euitandum maius; ſed decernitur iam in eo caſu non habere locum obligationem promiſſionis, & iuramenti, propter notabilem factam rerum mutationem.

Hinc autem manifeſta apparet ratio concluſionis, 5
nam iudex in eo euẽtu ob rationabilem cauſam ſub-

ſiſtentem tenetur declarare vim ſponſalium ceſſare, & obligationem adiunctam iuramenti. Iudex enim non debet, imò tenetur abſtinere à coactione per cenſuras, quamdiu ex ea timetur grauius malum, quod poſſit rempublicam turbare, aut ſcandalizare; ergo quando ex matrimonio coacto timetur malum grauius, quàm ſit non implere ſponſalia, vt cùm timentur perpetuæ rixæ, aut fictio matrimonij, aut deſertio vxoris, nolens non eſt cogendus.

Firmo, nam iudicis eſt compellere, vbi fini matrimonij expediret; ex fine namque ſumitur neceſſitas mediorum. In eo autem euentu non expedit fini matrimonij vt cogat nolentem, quando nimirum ex coactione ad matrimonium grauius malum meritò timetur. Vnde tunc iudex coactionem denegans, ipſi actori fauet, nam vitat ipſius graue damnum; non ſecus ac ſi petenti proprium gladium ad ſe interficiendum, iudex denegaret.

6 Hinc colligo cum Sanchez relato, *num.* 8. & Coninch *n.* 10. Philiarco *tom.* 1. *p.* 2. *l.* 2. *cap.* 1. Layman *tract.* 10. 1. *p. c.* 1. *n.* 4. & aliis, quando iudex iniuſtè recuſantem priùs debitè monitum, & recuſantem parere, excommunicauit, ſi videat recuſari matrimonium omnino pertinaciter, debere eum abſoluere, nec poſſe in pœnis vlteriùs progredi, ne grauiora mala ſequantur. Ratio eſt, quia tunc prædictũ grauius malum eſt rationabilis cauſa deobligans nolentem; imò licèt illum non deobligaret, non debet iudex contra illum, ſi pertinax eſt, vltrà procedere, ſed eum abſoluere; imò eum abſoluere debere, quãuis non petentem. Ratio eſt, quia ex matrimonio ſic coacto nequit non timeri grauius damnum.

Ad argumenta oppoſita.

7 Ad primum dico, textum illum priorem ex *cap.* 2. *de ſponſalibus*, non eſſe ad præſens inſtitutum: nam in eo ſermo non eſt, quando vnus ex eis ſponſalia implere non vult, ſed quando ſponſalia mutuo conſenſu illorum qui contraxerunt, diſſoluuntur. Expreſsè enim ibi ſic dicitur: ſi autem ſe adinuicem admittere noluerint. Idem indicat exemplum deſumptum ex contractu ſocietatis, quo vtitur ſummus Pontifex Innocentius III. Neque opponitur huic interpretationi, quòd dicat textus, illos priùs monendos, & omnibus modis inducendos, vt præſtitam fidem obſeruent, & ſi non patuerint, patienter tolerandum eſſe. Quibus verbis inſinuare videtur Pontifex peccatum eſſe in ea diſſolutione ſponſalium. At in diſſolutione ex mutuo ſponſalium conſenſu nullũ peccatum adeſt. Reſpondeo enim dupliciter in iure aliquid diu patienter tolerari, vno modo permittendo ſolùm illud malum ad vitandum maius. Sic nimirum *in cap. ſi quod verius*, 33. *q.* 2. permittitur minus malum, nempe adulterium, vt videlicet viuente ſua vxore aliam ducat, vt euitetur maius malum, homicidium ſcilicet, ſuam vxorem occidendo. Melius enim eſt ex duobus malis quod minus eſt eligere. *cap. duo mala diſt.* 13. Alio modo aliqua in iure permittuntur, licèt impunè & abſque peccato fiant, quia mallet ius ob aliquam rationem aliud fieri. Vt *in dicto cap.* 2. *de ſponſalibus*, mallet Pontifex vitandæ inconſtantiæ cauſa in re tanti momenti matrimonium contrahi, quàm ab ſponſalibus diſcedi, mutato animo; & ideo prius monendos, & inducendos præſcribit, quàm à ſponſalibus diſcedant. Sic explicat Couarruuias 1. *p. de matr. cap.* 5 §. 1. *in principio.* vbi hanc interpretationem dicit eſſe communem. Quare *in dicto cap.* 2. non vtitur Pontifex verbo cogendi, ſed *monendi*: quia de illis agit qui ex mutuo conſenſu recedunt; quibus tametſi recedere impunè liceat, nihilominus Pontifex ne recedant, monendos dicit, vitandæ inconſtantiæ cauſa, quam præſeferunt. Ad ſecundum textum capitis *requiſiuit* 17. *de ſponſalibus*, iam dictum eſt *dicto* 3. quod ſanè egregiè illud confirmat.

Ad ſecundum argumentum dico, illud antecedens 8
locum non habere in his, quæ non recipiunt æſtimationem, vt eſt matrimonium, & alia ſpiritualia. In his enim præcisè ad factum compelli poteſt. Nam in his, quæ æſtimationem recipiunt, quòd quis liberetur præſtando intereſſe, neque ad factum præcisè obligetur, id naſcitur ex voluntate tacita contrahentium ob rationem dictam in argumento: quoniam facta ab inuito non rectè præſtari ſolent; & ideo videtur tacitè inter contrahentes id peragi, vt ſi res non fiat, in locum facti ſuccedat intereſſe. Quod ſecus eſt in his, quæ æſtimationem non recipiunt, ac proinde præciſa eorum eſt obligatio.

Ad tertium dico, metum excommunicationis iuſtè latæ non cadere in virum conſtantem: præſertim cùm iſta excommunicatio adeò ſit medicinalis pœna, vt reuera ſit auferenda, ſi ſponſus recuſans matrimonium pertinax perſeueret. Solus enim metus iniuſtus irritat matrimonium, vt infrà ſuo loco dicetur *diſput.* 17. *ſect.* 10. & *ſequentib.*

Sectio II.

Quis iudex poſſit cogere ſponſum renuentem ad ſeruandam fidem ſponſalium datam? & quaſi cognitione cauſæ indigeat, vt eum liberet ab huiuſmodi obligatione.

Circa primum, certum eſt apud omnes Doctores, 1
iudici Eccleſiaſtico competere. Patet, quia compulſio prædicta ad eum iudicem ſpectat, cuius eſt cognoſcere, & iudicare de Sacramento matrimonij, ad quod tendit contractus ſponſalitius. Id autem certiſſimum eſt pertinere ad iudicem Eccleſiaſticum, qui ſicut cognoſcit de valore matrimonij; ita & ſponſalium, quæ ad illud ordinantur.

Dico *ſecundò*, ad ſponſalia, ſeu ad ſeruandam fi- 2
dem datam, etiamſi iuramento ſint confirmata, poteſt iudex ſæcularis compellere. Ita Sanchez *diſp.* 29. *n.* 9. & communiter Doctores. Conſtat id ex vſu, & praxi. Ratio etiam eſt manifeſta, nam iudex ſæcularis cogit ad aliorum contractuum fidem non violandam, etiamſi ſit iuramento ſtabilita; ergo & poterit ad ſponſalia ſeruanda compellere, tametſi ſint iurata.

Circa ſecundum, difficultas eſt, qualis debeat eſ- 3
ſe huius cauſæ cognitio, quando videlicet iudex debet deſiſtere à conſtitutione ob ſcandali, & grauioris mali timorem, iuxta dicta *præcedenti ſectione*, *dicto* 3.

Nam credit noſter Sanchez *diſp.* 29. *citata*, *n.* 6. non eſſe neceſſe, vt id iuridicè ipſi iudici conſtet, ſed ſufficere, vt iudex ipſe ex circumſtantiis quas præ oculis habet, prudenter & probabiliter exiſtimet ea ſcandala & mala imminere. Probat, quia totum hoc negotium arbitrio, & prudentiæ iudicis videtur eſſe commiſſum, *cap. requiſiuit, de ſponſalibus*, illis verbis: monenda eſt potius, quàm cogenda.

Baſilius verò Ponce *lib.* 12. *de ſponſalibus cap.* 6. *n.* 5. cenſet huius cauſæ cognitionem debere eſſe iudicialem, cùm pronuntiandum ſit ſuper valore ſponſalium, & eorum diſſolutione.

Exiſtimo has duas ſententias facile poſſe conciliari. 4
Nam dupliciter in eo caſu poteſt iudex à coactione deſiſtere. Vel enim iudex diſpenſando reſcindit con-

tractum

tractum ſponſalium, ob rationabilem cauſam ſubſiſtentem maioris mali. Vel ex officio iudicat & declarat in eo euentu non valere ſponſalia, & ceſſare omnino eorum obligationem. Si primo modo iudex procedat, dico non eſſe opus, vt iuridicè damna imminentia probentur, ſed ſufficere vt iudex prudenter & probabiliter exiſtimet imminere. Atque in hoc ſenſu conuenio cum ipſo Sanchez. Non id probo, quia *in cap. requiſiuit*, videatur hoc relictum prudenti iudicis arbitrio. Nam ea verba, monenda eſt potius, quàm cogenda, non loquuntur de cauſæ rationabilis cognitione, ſed ſolùm ſtatuunt matrimonium illius mulieris liberum eſſe debere, & non coactum, & ideo monendam eſſe potius, quàm cogendam: quia coactiones huiuſmodi frequenter ſolent difficiles exitus habere: illud ergo ideò probo, quia in diſpenſationibus aliarum obligationum, iudicis, vel prudentis arbitrio Prælati probabile, committitur cauſæ rationabilis cognitio ad id præſtandum; idem ergo dicendum in diſpenſatione contractus ſponſalitij, dato quòd poſſit Epiſcopus diſpenſare, de quo ſtatim. Neque obeſt quòd videatur eſſe in damnum tertij. Nam ſatis eſt, vt prudenter & probabiliter iudicet non expedire fini matrimonij; & eam diſpenſationem alteri parti multum fauere, cùm vitet ipſius graue damnum; ſi verò iudex procedat ſecundo modo, vt communiter ſolent Epiſcopi procedere, iudicando in eo caſu non ligare ſponſalia; ſentio cum Baſilio cauſæ cognitionem debere eſſe iudicialem: quia cùm iuridicè debeat pronuntiare ſponſalium diſſolutionem, debet quoque illi conſtare iuridicè cauſa ratinoabilis, & ſufficiens ad illa diſſoluenda.

5 Inquires, cui iudici Eccleſiaſtico competat diſpenſare. Verius iudico quod docent Paludanus *in 4. diſt. 27. q. 1. a. 2. n. 14.* Sanchez *lib. 1. diſp. 61.* Layman *tract. 10. p. 1. c. 1. n. 4.* & alij, Papam tanquam ſupremum ſpiritualē Principem per plenitudinem poteſtatis ex graui cauſa diſpenſare poſſe in ſponſalibus; non item Epiſcopum. Quia nimirum ius eſt acquiſitum tertio, quod nullus præter ſupremum Principem auferre poteſt. Vnde hac de cauſa Doctores communiter negant poſſe Epiſcopum relaxare iuramentum tertio præſtitum, cùm id cederet in præiudicium tertiæ perſonæ. Et certè videtur hoc iure Pontificio reſeruatum, *cap. ex litteris 2. de ſponſalibus.* Nam ibi præcipit Pontifex Epiſcopis, vt compellant ad ſponſalium fidem ſeruandam. In qua lege, cùm ſit ſuperioris, Epiſcopus nequit diſpenſare. Quare ſolùm videtur ad Epiſcopum, tanquam iudicem ordinarium in huiuſmodi ſponſalium cauſa pertinere, parti poſtulanti ius dicere, & conſequenter alterum ſententiæ parere pertinaciter renitentem, ſpiritualibus pœnis, ſeu cenſuris compellere modo explicato ſectione prima huius diſputationis

Sectio III.

An iudicis auctoritas adeò ſit neceſſaria ad ſponſalia diſſoluenda, vt nequeant ſponſalia valida nunquam propria auctoritate diſſolui.

1 Communis & vera eſt Theologorum ſententia aſſerentium ſponſalia valida licere propriâ auctoritate diſſoluere, atque adeò non eſſe ſemper neceſſariam auctoritatem iudicis, id eſt, ſententiam illius ad eorum diſſolutionem. Ita Paludanus *in 4. d. 27. q. 1. a. 3.* Antoninus *2. p. tit. 1. c. 18.* Viguerius *lib. inſtit. cap 16.* Vega *lib. 6. ſummæ, caſu 105.* Petrus de Ledeſma *ad quæſtionem 43. a 3. ad finem, dubio vnico,* Henriquez *lib. 11. de matrimonio, cap. 14.* Gregorius de Valentia *q. 2. p. 5.* Rebellus *lib. 4. q. 8. ſecti. 9.* Hurtado *diſp. 2. difficultate 18.* & Sanchez *lib. 1. diſp. 69.* cum aliis, quos ipſe citat. Ratio eſt manifeſta, nam ex nullo iure poſitiuo conſtat ſpectandam eſſe ſententiam iudicis ad id: ex alio capite diſſoluens ſponſalia rectè, vtitur iure ſuo reſiliendi iuſtè à ſponſalibus, dummodo non ſit periculum ſcandali, neque reipublicæ perturbatio; ergo, per ſe loquendo, licèt ſponſalia valida propriâ auctoritate diſſoluere, cùm ſub eſt iuſta cauſa. Hinc

Colligo *primò*, licere ſponſalia propriâ auctoritate diſſoluere, dum hæc clam contracta fuere, & cauſa ea diſſoluendi occulta eſt, ſed iuſta, & certa, quia tunc ſcandala non ſunt. 2

Colligo *ſecundò*, idem dicendum eſſe, tametſi ſponſalia publica ſint, ſi iuſta etiam ea diſſoluendi cauſa publicè & clarè nota ſit. Ratio eſt, quia tunc ex diſſolutione facta priuata auctoritate nullum oritur ſcandalum. At tunc ſolum publicâ auctoritate diſſolui debent, cùm ſi priuata diſſoluerentur, ſcandali daretur occaſio, cuius vitandi ineſt obligatio. 3

Colligo *tertiò*, quando ſponſalia ſunt publica, & cauſa occulta, & ſecreta, ſi coram iudice probari non poteſt, vel non ſine magno incommodo, poſſe quem licitè propria auctoritate diſſoluere ſponſalia. Ratio eſt, quia in eo caſu petita licentia à iudice, denegabitur probationis defectu; vel non ſine magno incommodo peti poteſt ab illo. Et ex alia parte diſſoluens vtitur iure ſuo, ſicut poteſt quis, iuxta omnium ſententiam, licitè propria auctoritate ſumere ſua bona, quæ in iudicio nequeunt recuperari, vel non ſine magno incommodo. 4

Colligo *quartò*, aliquando neceſſariam eſſe ſententiam, & auctoritatem iudicis, quando nimirum abſque ea ſententia timetur probabiliter ex diſſolutione ſponſalium priuata, aliquod oriri ſcandalum. Quia ſolùm ad vitandum ſcandalum, publicâ auctoritate ſunt ſponſalia diſſoluenda. Quo proinde ſecluſo, licitum erit ſponſalia propria auctoritate diſſolui. 5

Colligo *quintò*, ſi cauſa diſſolutionis ſponſalium occulta, ex qua, ob ſcandalum, nequeat contractus ſponſalitius ſine iudicis auctoritate ſolui, afficiat infamiæ grauis nota alterum; vt cùm eſt occulta ſponſæ reputatæ virginis fornicatio; tunc non ſtatim cauſam ad iudicem deferendam eſſe, ſed potiùs monendam eſſe priùs ſponſam vt deſiſtat, vt vel ſic infamiam deuitet: ſin autem acquieſcere noluerit, adeundos eſſe parentes, vel viros pios, vel Prælatum vt patrem, ad hoc vt ipſam moneant. Quòd ſi adhuc perſiſtat, licitum erit tunc rem totam ad tribunal iudicis deferre. Sic in ſimili dicitur de habente impedimentum occultum ad Ordines ſuſcipiendos, vel ad matrimonium contrahendum. Ratio eſt, quia iſte vtitur iure ſuo ad ſe tuendum, cùm aliâ viâ ſe defendere commodè non poſſit. Et ob hanc cauſam licitum eſt detegere vitia occulta, quando nimirum id eſt medium neceſſarium ad iuſtam defenſionem. Vnde etiam eſt licitum ob ſimilem rationem denuntiare iudici latronem occultum ad vitandum proximi dãnum, ſi monitio non ſit latroni profutura. Quòd ſi ab initio nihil te profuiſſe videris per admonitionem, omiſsâ admonitione delictum occultum ad tribunal Eccleſiaſticum probare fas erit. Addit etiam Rebellus *citatus n. 78.* via accuſationis præmonitione opus non eſſe, cùm non intendatur per ſe niſi bonum commune per pœnam peccati infligendam, vt cæteri in officio contineantur. 6

Colligo

Digitized by Google

7 Colligo *ſextò*, ad diſſoluenda ſponſalia propria auctoritate, ſecluſo ſcandalo, ſufficere, cauſam diſſolutionis eſſe probabilem tantùm, vt rectè notauit Sanchez *citatus n.9.* Ratio eſt, quia ad id ſolùm requiritur certitudo moralis, nã in moralibus ad operãdũ hæc dicitur certitudo; at certitudo moralis tunc eſt, cùm quis opinionem verè probabilem amplectitur. Vnde non requiritur, vt vndequaque certa ſit phyſicè ſufficientia cauſæ, ita vt nulla ſit opinio contraria, hic enim vix caſus contingeret; requiritur ergo ſolùm certitudo moralis, ſcilicet, vt cauſa iuxta verè probabilem opinionem, ſit ſufficiens.

8 Colligo *vltimò*, quando eſt dubium purum practicum de cauſa diſſolutionis, vel de iure, quia non eſt certum cauſam eſſe ſufficientem; vel de facto, quia alter non eſt certus eam adeſſe, eſt culpa mortalis ſponſalia diſſolui propria auctoritate. Ratio eſt, quia cùm certa fuerint ſponſalia, per eam adquiſitum fuit ius tertio, quo non poteſt priuari illud poſſidens, dum manet dubium: ergo eſt iniuſtitiæ graue peccatum, dum ſpoliatur alter in puro dubio, iure ſibi adquiſito, vt impleatur fides data. Addit Hurtado, nec auctoritate iudicis queunt ſponſalia diſſolui, ſi poſt iuridicam & ſufficientem diſcuſſionem maneat purum dubium exiſtentiæ cauſæ, & eius ſufficientiæ; quia fieret contra ius comparatum aliàs certum, ortum ex ſponſalibus certis.

9 Obiici poteſt contra concluſionem noſtram *cap. duo pueri, in fine, de deſponſatione impuberum*, vbi pœnitentia imponitur cuidam, eo quòd propriâ auctoritate iudicio Eccleſiæ minimè requiſito, ſponſam dimiſerit. Et *cap. ſæculares 33. q. 2.* puniuntur, qui abſque auctoritate Eccleſiæ ſeparantur. Firmatur: nam *cap. de illis 1. de deſponſat. impuberum*, dicitur de impuberibus, ſi ad pubertatem venientes reclamant iudicio Eccleſiæ ſeparandos eſſe. Conſtat igitur ex his textibus, nunquam poſſe propria auctoritate ſponſalia validè diſſolui.

Ad caput primum, dico, manifeſtè conſtare ex ipſo textu loqui de matrimonio de præſenti, à quo alter coniux abſque cauſa receſſerat: ſine iudicio autem Eccleſiæ nullus debet dimittere vxorem ſuam, cùm hæc ſit pœna quæ nulli eſt inferenda, niſi per judicium. Quod clariùs habetur ex illo alio capite *ſæculares*, vbi præcipitur, vt nullus coniugatus dimittat vxorem ſuam, niſi cauſa diſſidij probata fuerit apud Epiſcopum. Ad confirmationem dico, certum eſſe loqui textum de impuberibus, qui infra annos aptos matrimoniis ſponſalia contraxerunt: de quibus ait, ſi alter eorum perueniat ad legitimos annos, altero in minoribus exiſtente, cùm ſponſalia contrahuntur; ſi is qui minoris ætatis eſt, cùm ad annos illos peruenerit, reclamauerit, nec in alterum voluerit conſentire, iudicio Eccleſiæ poſſe adinuicem ſeparari, id eſt, à ſponſalibus reſilire. Hoc eſt quod habetur in illo textu, ex quo non ſequitur ibi præſcribi Eccleſiæ iudicium eſſe neceſſarium ad ſponſalia diſſoluenda, ſed ſolum Eccleſiaſticum iudicem, ſi coram ipſo impubes adeptâ pubertate reclamauerit, præcipere poſſe, ac debere eos ſeparare, ac ſponſalia inter eos inita per ſententiam diſſoluere.

SECTIO IV.

Qualis probatio ſufficiens ſit pro foro externo, & etiam pro foro conſcientiæ, vt licitè ſponſalia diſſolui valeant.

1 Circa primum de foro externo, ſuppono ex dictis ſuprà *ſect. 2.* iudicem Eccleſiaſticus ſi ex officio iudicet, & vt iudex procedat, cauſæ cognitionem debere eſſe iudicialem, quia cùm iuridicè debeat pronunciare ſponſalium diſſolutionem, debet etiam illi conſtare iuridicè cauſa rationabilis, & ſufficiens ad illa diſſoluenda. Qualis verò probatio plena ac ſufficiens ſit, modò eſt elucidandum.

Ad cuius explanationem notandum eſt poſſe ſermonem eſſe de diſſolutione ſponſalium ob defectum aliquem, qui ſit impedimentum matrimonij, & etiam ob alium defectum, ex ſufficientibus ad eorum diſſolutionem, qui non ſit impedimentum, v. g. ob fornicationem. 2

Dico ergo *primò*, certum eſſe confeſſionem impedimenti in iudicio factam ab vtraque parte eſſe ſufficientem probationem ad diſſoluenda ſponſalia etiam iurata. Patet, quia in eo euentu præſumitur, vel vtrúque dicere verum, vel velle ſponſalibus renuntiare. Idem dico, quando is qui non vult ab ſponſalibus reſilire, fatetur impedimentum, quia de tali præſumitur verum dicere; ſecus de alio, qui vult reſilire; nam huic in ſua propria cauſa non creditur. 3

Dico *ſecundò*, ſi deficit propria confeſſio, vt iudex diſſoluat ſponſalia ob impedimentum aliquod matrimonij, quamuis tantùm impediens, ſufficere vnum teſtem fide dignum; vnde impedimentum ne matrimonium contrahatur, plenè probatur vnico teſte. In hoc conueniunt Doctores, colliguntque ex *cap. ſuper eo 21. de teſtibus, & in cap. præterea 12. de ſponſalibus.* Ratio eſt, quia hìc agitur præcipuè de vitando peccato, quod ſponſi committerent, ſi matrimonium contraherent, quod debet eſſe maximè fauorabile: requiritur tamen, vt notant Doctores, præſertim Sanchex *diſp. 71, n. 11.* Coninch *diſp. 23. n. 78.* & Hurtado *diſp. 2. difficult. 19.* vt talis teſtis iuratus ſit, & medio iuramento aſſerat ſe id certò ſcire: quia licèt agatur de vitando peccato, agitur quoque de præiudicio tertij, cum quo nullus creditur abſque iuramẽto in foro externo; cùm hoc ipſo quo renuit iurare, oſtendat ſe rem non ita certò ſcire. 4

Dices, ad diſſoluendum matrimonium contractum, ſeu ad declarandum matrimonium contractum fuiſſe nullum ob impedimentum, requiruntur ad minus duo teſtes, omni exceptione maiores, vt dicitur *in cap. licèt ex quadam 47. de teſtibus, & in cap. 1. de conſang.* ergo etiam ad ſponſalia diſſoluenda. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam; eſt enim diſpar ratio: nam licèt in matrimonio agatur quoque de vitando peccato, eſt tamen res grauiſſima, & cedit in magnum tertij præiudicium; & ideò requiruntur ad minus duo teſtes.

Dico *tertiò*, ſicut ad diſſoluenda ſponſalia etiam iurata ſufficit vnus teſtis, etiam ſufficere famam impedimenti. Ita omnes ex *cap. ſuper eo 2. de conſang. & affinis.* videantur à nobis ſupradicta *diſp. 8. ſect. 5.* 5

Dico *vltimò*, ad diſſoluenda ſponſalia ob defectum aliquem ex ſufficientibus ad eorum diſſolutionem, qui non ſit impedimentum, v.g. ob fornicationem, non ſufficere teſtem vnum iuratum, ſed requiri duos teſtes omni exceptione maiores. Ita Sanchex *diſp. 71. n. 7.* Coninch *diſp. 23. dub. 11. n. 81.* & alij. Ratio eſt, quia tunc præcipuè non agitur de vitando peccato, ſed de præiudicio tertij, ad quod duo teſtes ad minus requiruntur, vt contingit in communi ordine iudiciorum in aliis rebus. Quare quòd ſufficiat vnus, eſt ſpeciale priuilegium cõceſſum oppoſitioni impedimenti; quia tunc ſaltem præcipuè agitur de vitando peccato. 6

Circa ſecundum de cognitione ſufficienti pro foro interno conſcientiæ,

Dico *primò*, certum eſſe apud omnes eam notitiam ſufficere 7

ſufficere, quæ in foro externo ſatis eſſet, vt in alio ſimili, nempe ad faciendum diuortium propria auctoritate ſuo loco dicemus. Quare ſatis erit vnus teſtis de certa ſcientia ſic iutans, vel fama, quia hæc ſufficiunt pro foro externo. Et quamuis ad diſſoluenda ſponſalia ob ſponſæ, v.g. furnicationem requirantur duo teſtes in foro externo, vt dixi, tamen in foro conſcientiæ ſufficit vnus teſtis ſi ſit fide dignus de certa ſcientia teſtificans, & cui nulla ſuſpicio mendacij ſubeſſet. Hinc

Dico *ſecundò*, quamliber probationem moraliter certam ſufficere pro foro interno. Patet, quia in moralibus ad operandum exigi nequit maior certitudo. Ex quo infero multù magis eſſe ſatis ſi propria experientia quis animaduertat ſponſam non fuiſſe virginem tempore ſponſalium, vt rectè notauit noſter Molina *tom. 2. de iuſtitia, tractatu 2. diſp. 272. §. deinde ſi mulieri* Præterea ſi relatione aliarum perſonarum omni exceptione maiorum cum graui fundamento idem intelligatur. Neque huic obeſt textus *cap. veniens, qui clerici, vel vouentes*, dicens non excuſari ſponſam, quæ multa audierat de viri ſeueritate. Nam ideo ibi dicitur auditum illum non fuiſſe ſufficientem ad certam moralem notitiam requiſitam ad diſſolutionem ſponſalium, quia fuit vanus rumor vulgi.

9 Denique dico *vltimò*, in foro conſcientiæ ſufficere probationem verè probabilem tantùm. Ratio eſt, quia ad id ſufficit quælibet probatio moraliter certa, talis verò eſt quæ fundatur in uutitia verè probabili: ergo.

DISPVTATIO XII.

De ſponſalibus conditionatis.

HOc vltimum reſtat ad plenam ſponſalitij contractus explicationem, vt ſic integra maneat ſponſalium tractatio, ac omnibus numeris abſoluta. Sæpe enim in ſponſalibus ſolet adhiberi conditio, & ſub ea conditione conſentire, qui ſine conditione ſuum non præberet conſenſum. Propriè autem contractus ſponſalium conditionatus ille eſt, cuius valor dependet ab exiſtentia conditionis, cùm videlicet aliquid adiicitur ſuſpendens contractum Eſt enim de natura conditionis ſuſpendere, & facere vt actus poſſit ſe habere ad eſſe, & ad non eſſe. Vnde propriè debet eſſe conditio extrinſeca: nam conditio intrinſeca tacitè ſubintellecta non reddit actum conditionalem, vt notant Doctores iuris Pontificij *cap. ſignificaſti, de electione*; aliàs enim ſponſalia omnia eſſent conditionata, cùm tacitam includant conditionem.

SECTIO I.

Quam Vim habeant ſponſalia conditionata.

1 IN hac re certum eſt *primò*, conditionem appoſitam contractui ſponſalium, hanc vim habere, vt ſuſpendat obligationem perficiendi contractum, donec purificetur conditio. Conſtat ex *§. ſub conditione, & ex §. ex conditione, Inſtit. de verbor. oblig.* Vnde ibi duplex obligatio interuenit: vna conditionalis pendens in futurum perficiendi contractum ſi conditio eueniat; & alia pura & præſens expectandi conditionis euentum. Vnde quamuis conditio honeſta ſuſpendat ſponſalia vſque ad conditionis euentum, nec ſit vſque tunc perfecta obligatio; nequit tamen alter antequam conditio deficiat, recedere à ſponſione, ſed tenetur expectare vſque ad conditionis euentum. Id enim eſt proprium contractus conditionalis, vt ante conditionis euentum neutri liceat reſilire inuito altero. Et ratio eſt, quia ex contractu conditionali nõ minus oritur obligatio in ſpe, hoc eſt, in euentum cõditionis, quàm ex contractu abſoluto & puro, obligatio abſoluta & in re; cùm vterque contractus ſit, & in ſuo ordine & gradu perfectus: neuter igitur reſilire poteſt altero inuito; aliàs nulla obligatio ex illo contractu orta eſſet.

Secundò eſt certum, ſponſalia conditionata, vt, Contraham tecum ſi pater conſenſerit, impletâ conditione eſſe ſponſalia pura, abſque nouo alio conſenſu, niſi prior ille conſenſus ſit reuocatus. Patet manifeſtè ex *cap. vnico, in fine, de ſponſalibus & matrimonijs in 6.* vbi deciditur ex ſponſalibus conditionalibus ante conditionem extantem, ſeu ante conditionis euẽtum, nullam oriri publicæ honeſtatis iuſtitiam, defectu conſenſus. Igitur à contrario ſenſu, poſt conditionis euentum, cùm iam ſit quaſi plenus conſenſus, ſunt iam ſponſalia pura & abſoluta, ac ſi fuiſſent ſine conditione inita. Quòd verò non indigeant nouo conſenſu, liquet, quia conſenſus ille per verba de futuro præſtitus, quamuis ſub conditione, eſt verus & actualis conſenſus, tametſi inchoatus tantùm, & imperfectus vſque ad euentum conditionis, quo contrahens ex tunc conſenſit & vult alterum in coniugem ſub conditione, id eſt, ſi ponatur conditio; ergo poſitione conditionis conſenſus ille perficitur, & à conditione abſoluitur, atque adeò etiam & ipſe contractus ſponſalitius. Hoc idem oſtendam latè infrà *diſp. 16. ſect. 13.* de contractu matrimonij per verba de præſenti ſub conditione honeſta, fieri validum & purum euentu ipſo conditionis impletæ, abſque nouo aliquo conſenſu. 2

Tertiò certum eſt, contractum ſponſalitium ſub conditione de futuro contingenti fallibili, non habere vim impediendi valorẽ matrimonij poſtea cum altera perſona contracti; imò nec eam vim habere contractum ſponſalitium abſolutum. Ratio eſt, quia contractus matrimonij, cùm ſit tranſlatiuus dominij corporum, eſt multo efficacior contractu ſponſalitio, quo tantùm confertur ius ad rem, nempe ad corpora; & non ius in re, videlicet in corporibus. Nihilominus tamen, quia contractus ſponſalitius dicto modo conditionatus inducit obligationem expectandi euentum conditionis; ideo qui poſt illum contrahit matrimonium cum altera perſona, id illicitè facit, quia irrogat iniuriam, ſeu iniuſtitiam ſponſæ, aut ſponſo ſub conditione; quia facit contra ius illius, quod habet ad rem. 3

Quartò videtur certum, contractum ſponſalitium dicto modo conditionatum habere vim impediendi valorem alterius contractus ſponſalitij ſub conditione poſtea facti cum altera perſona, quando conditio huius poſterioris non impletur, aut quando impletur poſt impletionem conditionis prioris contractus. Patet, quia prior contractus conditionatus, etiam ante euentum ſuæ cõditionis, inducit obligationem abſolutam expectandi euentum conditionis; quæ non eſt minor, quàm obligatio abſoluta contrahendi matrimonium, quàm poſterior contractus, aliàs ex ſe eſt potens inducere impletâ ſuâ conditione; vnde vterque contractus pendet vt ſit abſolutus & purus ab euentu conditionis; ergo ille prior præualet, & perficitur, cuius prior conditio impleta fuit. 4

His poſitis reſtat difficultas, an ſi quis contrahat ſponſalia

ſponſalia ſub conditione cum Maria primò,& poſtea cum Franciſca, etiam ſub conditione; & impletio conditionum vtriuſque ſimul contingat, ſtandum ſit primo contractui, an ſecundo? Noſter *lib.* 5. *diſp.* 8.
5 *n.* 18. in prædicto caſu cenſet neutrum eſſe validum, cùm adimpletur conditio, atque adeò ex illo priori contractu non oriri impedimentum publicæ honeſtatis. Probat, quia cùm conditio trahat conſenſum ad tempus impletæ conditionis, & hæc ſimul impleatur in vtroque contractu; perinde eſt ac ſi in eodem tempore ſimul cum duabus contraxiſſet ſponſalia; vnde voluntas eſt incerta, cùm æquè ſit cum duabus, & ideò ratione incertitudinis vitiatur vterque contractus. Firmatur, quia ſi ille duplex contractus fuiſſet matrimonij, & vtraque conditio ſimul impleretur, tunc neutrum matrimonium eſſet validum; quia ſe mutuo impedirent, & in neutrum eſſet determinatus conſenſus, quia nulla eſſet ratio cur magis conſentiret in vnum, quàm in alterum; ergo idem dicendum de illis ſponſalibus. Addit Sanchez, quòd prior contractus quando conditio poſterioris ſimul impletur, prævalet contra poſteriorem in ratione tantùm promiſſionis, non verò in ratione contractus; nam ſic deſtruitur, ac proinde ex illo priori non oritur impedimentum publicæ honeſtatis quod oritur ex contractu ſponſalitio.

6 Ego verò exiſtimo cum Coninch *diſp.* 29. *dub.* 1. *n.* 21. Gaſpare Hurtado *diſp.* 7. *difficult.* 12. *n.* 48. & 49. & aliis, ſtandum eſſe priori contractui ſponſalitio, & ex illo oriri impedimentum publicæ honeſtatis. Moueor, quia prior ille contractus ſponſalitius conditionatus, etiam ante aduentum ſuæ conditionis, vt *ſuprà* dixi, inducit obligationem abſolutam expectandi euentum conditionis; ergo etiam habet vim impediendi valorem contractus ſponſalitij poſtea facti etiam abſoluti; ergo à fortiori prior contractus ſponſalitius ſub conditione impedit valorem poſterioris ſub conditione, quando impletio conditionum vtriuſque ſimul contingit. Firmo, quia obligatio quã inducit prior contractus expectandi euentum conditionis, eſt obligatio abſoluta, & non eſt minor, quàm altera obligatio abſoluta contrahendi matrimonium, quam poſterior contractus aliàs ex ſe eſt potens inducere impletâ conditione: nam vtraque obligatio tantum eſt promiſſoria; oritur enim ex contractu promiſſionum non conferente dominium: ergo illa obligatio expectandi cùm ſit prior, habebit vim impediendi valorem contractus ſponſalitij abſolutè poſtea facti; ergo iſte erit nullus, & prior ille prævalebit. Nec placet illud quod addit Sanchez. Nam ſi prior contractus prævalet ob rationem dictam, & obligat in ratione promiſſionis, etiam prævalet & obligat in ratione contractus ſponſalitij ex iuſtitia, quia ipſo cõtractu priori ſponſalitio collatum eſt ius iuſtitiæ ſub conditione, quòd ſemel acceptatum nequit auferre ille, qui contulit; ſicut nec ius iuſtitiæ collatum contractu ſponſalitio abſoluto, & ab altero acceptatum, poteſt ab alio contractu ſimile auferri, non enim cõtractus ſponſalitius vnius tantùm voluntate diſſoluitur; ergo in prædicto euentu prior contractus ſponſalitius conditionatus poſt impletionem conditionis, fit purus, & prævalet abſolutus, & ex illo oritur impedimentum publicæ honeſtatis. Denique idem roboratur, quia ſponſalia, vt dixi ſuprà *diſp.* 1. *ſect.* 2. nihil aliud ſunt, quàm mutua matrimonij promiſſio, ſiue mutua ad contrahendum matrimonium obligatio, ex tali promiſſione orta; hîc autem poſitâ conditione prioris contractus illud abſolutè ponitur, nam illa promiſſio conditionata tranſit in abſolutam; ergo ponuntur vera ſponſalia, ſeu verus contractus ſponſalitius. Nec verò per ſecundũ contractum poſitâ ſimul conditione iam factum abſolutum ille prior reuocatur; quia ſicut iniuſtè, ita etiam inualidè ſecundum contractum fecit: ſi enim id feciſſet validè, impediuiſſet effectum illius prioris contractus, ſcilicet obligationem ad matrimonium: fecit autem inualidè, & iniuſtè, quia tenebatur expectare euentum conditionis prioris contractus.

Ex prædicta doctrina manifeſtè colligitur ſimiliter dicendum eſſe priorem contractum ſponſalitium conditionatum, habere vim impediendi valorem alterius poſterioris contractus ſponſalitij ſub conditione poſtea facti, etiam quando conditio poſterioris prius impletur; propter rationes adductas, quæ hoc etiam efficaciter conuincunt. 7

Ad argumentum Sanchez reſpondeo, tametſi verum ſit quòd conditio trahit conſenſum ad tempus impletæ conditionis, vt illum reddat abſolutum & purum, & ea conditio ſimul impleatur in vtroque contractu; tamen ex vi prioris contractus præceſſit obligatio abſoluta expectandi euentum ſuæ conditionis, & ex vi illius fuit vis impediendi valorem poſterioris contractus etiam abſoluti, vt dictum eſt; vnde iniuſtè & inualidè hic poſterior contractus fuit initus, ac proinde prior eſt qui prævalet, & inducit impedimentum publicæ honeſtatis. 8

Confirmatio illa adducta pro ſententia Sanchez, exigit, vt videamus, circa matrimonia dicto modo conditionata ſucceſſiuè facta cum duabus, quæ in noſtra ſententia diſtincta ſunt ab ſponſalibus, quia, vt dicam infrà *diſp.* 16. *ſect.* 13. purificantur ſolo euentu conditionis abſque nouo conſenſu, quod eorum prævaleat? Qua etiam in re certum videtur, contractum illum matrimonij, ſiue priorem, ſiue poſteriorem, cuius conditio priùs impleretur, prævalere alteri. Patet, quia ex vna parte contractus ille impletione conditionis perficitur, & purificatur, ac proinde ex ſe eſt ſufficiens ad conferendum dominium abſolutum corporum inamiſſibile, & ad inducendam obligationem inextinguibilem, ſeu vinculum indiſſolubile; & ex altera parte obligatio orta ex altero contractu conditionato, quamuis priore, non inhabilitat ad contrahendum cum altera perſona, quia eius conditio nondum eſt impleta. Reſtat igitur difficultas, quod matrimonium ex illis prævaleat, quando conditio vtriuſque ſimul impletur. 9

Baſilius Ponce *lib.* 3. *cap.* 14. *n.* 20. ſentit prius matrimonium prævalere. Probat, quia cùm duo iſta matrimonia ſint æqualis efficacitatis ſecundùm ſe ante aduentum conditionis, ſecundum non reſcindit primum, ac ſi ipſi contractus eſſent abſoluti, vnde ſecundum eſt omnino nullum. Firmatur, quia prioris matrimonij potior & melior eſt conditio, ob ius acquiſitum ante poſterius, obligans ad expectandum obligationem conditionis ſibi appoſitæ, contra quam obligationem fuit initum matrimonium poſterius; ergo iſtud poſterius nequiuit priori præiudicare; *reg. qui prior* 54. *de regulis iuris in* 6. 10

Alij verò, vt Petrus de Ledeſma *de matrimonio q.* 47. *art.* 5. *dub.* 1. *concluſ.* 4. quod mouet poſt 7. *dubium principale*, ſentiũt prævalere poſterius matrimonium, ſiue ſimul, ſiue poſterius impleatur conditio ſecundi matrimonij. Probari poteſt *primò*, quia per conſenſum in poſterius matrimonium reuocatus fuit conſenſus in prius, vt conſtat ex *leg. fin. ff. de diuortiis*; at conſenſus reuocatus, licèt ſufficiat ad ſponſalia, ſed non ad matrimonium. *Secundò*, in his quæ pendent à mera voluntate, ſtamus vltimo actui, vt in procuratore, *c. ſi quem, de procurat. in* 6. & in teſtamentis. At contracto priori matrimonio conditionali, libe- 11

rum

rum' eſt ab eo recedere, ſaltem vt valeat ſecundum, quamuis recedens peccet;ergo.

12 Mihi verius videtur neutrum matrimonium valere. Ita Sanchez *cit. n.* 15. Coninch *dub.* 1. *citato n.* 20. *ad finem*, Hurtado *loco citato n.* 51. & alij. Ratio eſt, quia quando conditio vtriuſque matrimonij ſimul impletur, tunc conſenſus abſolutè & perfectè fertur ſimul in vtrumque, quia vterque conſenſus ſimultaneo conditionis euentu ſimul perficitur & abſoluitur, & purificatur; ergo neuter eſt ſufficiens ad valorem alicuius matrimonij: ſicut quando conſenſus à principio abſoluitur, ſimul fertur in duas perſonas. Firmatur, quia cùm conditio trahat conſenſum ad tempus impletæ conditionis, quæ ſimul impletur, perinde eſt ac ſi in eodem tempore ſimul cum eadem contraheretur matrimonium. Cùm enim vtraque conditio ſimul impletur, tunc vtrumque matrimonium ſe mutuò impediunt, & ideo in neutrum eſt determinatus conſenſus; nulla enim eſt ratio cur magis conſentiat in vnum, quàm in alterum: ponitur enim ſimul conditio, ob quam implicat vtrúque conſenſum eſſe efficacem & determinatum: illa enim ſimul efficit vt neuter præ altero ſit determinatè efficax. Neque enim eſt ratio, cur hic conſenſus ſit præ alio determinatè efficax, ſeu abſolutus, ac proinde neutrum valet matrimonium.

13 Ad argumentum Baſilij ex dictis patet ſolutio: nam poſita ſimul conditione vtriuſque matrimonij, neutrum ex illis matrimoniis eſſet determinatè efficax; neque enim eſt maior ratio vnius, quàm alterius, vnde hæc duo matrimonia ſe mutuò impediunt, non ſecus ac ſi ſimul eodem tempore cum duabus perſonis contraheretur matrimonium. Ad confirmationem, conceſſo antecedente, negatur conſequentia: nam dum prius matrimonium eſt conditionale, neque impleta eſt conditio, poteſt contrahens validè reuocare, quamuis peccet: cenſetur autem reuocare, quando vel priùs impleta eſt conditio ſecundi matrimonij, quia tunc manet ſecundum purum, & incompatibile cum priori: vel quando vtraque conditio ſimul impletur, & tunc ratione incertitudinis, ac indeterminationis neutrum valet, quia deberet eſſe matrimonium cum vtraque, quod fieri non poteſt. Regula verò illa 54. *Qui prior eſt tempore, potior eſt iure*; tametſi extendatur ad contractus qui à duorum voluntate dependent, tamen vt notat *ibi* Gloſſa, procedit, cùm par eſt ius vtriuſque. Vnde ſi extendatur ad matrimonium, vel ſponſalia, eſt manifeſtè intelligenda de matrimonio, vel ſponſalibus puris & abſolutis.

14 Ad primum argumentum alterius ſententiæ, dico, ſi poſterius matrimonium eſſet abſolutum, recederetur à priori voluntate, vel conſenſu, quia eſt incompatibile abſolutè contrahere matrimonium cum matrimonio conditionali cum alia inito. At quando vtrumque matrimonium eſt conditionale, cùm vtrúque ſit imperfectum, & pendeat ex futuro conditionis euentu, non eſt incompatibilis hic conſenſus: perficitur verò tunc illud matrimonium, cuius conditio primò euenerit; lex verò illa finalis manifeſtè loquitur de matrimonio, vel ſponſalibus abſolutis.

15 Ad ſecundum reſpondeo, propoſitionem illam eſſe veram, quando licitum eſt partibus ſolâ voluntate, recedere ab actu priori, vt contingit in conſtitutione procuratoris, & in teſtamentis; & etiam quando actus ſunt in ſe incompatibiles. At in matrimonio à priori conditionali non licet ex mera voluntate recedere, & vtrumque matrimonium conditionale eſt incompatibile, vt conſtat.

Sectio II.

Vtrùm conditio contra ſubſtantiam matrimonij, ſponſalibus appoſita, irritet illa.

Præmitto illas conditiones eſſe contra ſubſtantiā & naturam matrimonij præciſè, quæ ſunt contra materiam proximam & ſubſtantialem, circa quam contractus matrimonij eſſentialiter, ſeu ſubſtantialiter proximè ac immediatè verſatur, ſeu quæ ſunt impoſſibiles & repugnantes eſſe cum materia proxima: nam eo ipſo tales conditiones ſunt contra eſſentiam & ſubſtantiam contractus matrimonij, qui eſſentialiter & ſubſtantialiter circa illam verſantur. 1

Communiter Doctores affirmant vitiari ſponſalia per conditiones contrarias ſubſtātiæ matrimonij; ſicut ex omnium ſententia vitiatur matrimonium tali appoſita conditione, vt latè oſtendam de matrimonio infrà *diſp.* 16. *ſect.* 5. Ideo verò vitiari ſponſalia; quia contrariantur matrimonio ad quod ſponſalia ordinantur. 2

Dico *primò*, quando conditio contra ſubſtantiam matrimonij immediatè cadit ſupra matrimonium ipſum, vt. Promitto me contracturum tecum matrimonium quod tantùm duret per annum, vel vſque quò inueniam aliam te pulchriorem, certiſſimum eſt irritare ſponſalia. Ratio eſt manifeſta, quia qui ſic promittit contrahere, non promittit contractum matrimonij poſſibilem, vt conſtat; ergo talis promiſſio, ſeu ſponſio nulla eſt, ob ſimilem rationem, nulla ſunt ſponſalia, quibus matrimonium promittitur ſub conditione obligationis, qua tenearis poſt matrimonium procurare ſterilitatem, vel adulterari. Patet, quia eſt conditio immediatè contra matrimonij fidem, vel cōtra bonum prolis; per illam enim conditionem obligatur ſponſus ad aliquid contrarium bono prolis, vel ad aliquid contrarium bono fidei, quod per illud matrimonium promiſſum intenditur; ergo aduerſatur immediatè futuro matrimonio promiſſo, & illud deſtruit; ergo eſt irrita talis promiſſio, vel ſpōſio, cùm ſponſalia ipſa non ad deſtructionem matrimonij, ſed ad illius effectionem ſuapte natura ordinentur. 3

Vnde colligo, in ſenſu prædictæ concluſionis intelligendos eſſe Doctores, ex quibus multi communiter dicunt vitiari ſponſalia per conditionem ſubſtantiæ matrimonij contrariam; alij verò aiunt idem iudicium ferendum eſſe de prædictis conditionibus appoſitis in ſponſalibus, ac de appoſitis in matrimonio; intelligendi enim ſunt, quando prædictæ conditiones immediatè cadunt ſupra matrimonium ipſum, modo dicto. 4

Dico *ſecundò*, quando prædictæ conditiones contra ſubſtantiam matrimonij, non cadunt immediatè ſupra matrimonium, ſed ſupra ſponſalia quibus immediatè apponuntur, non irritare illa. Vt quando dicitur, Contraham tecum niſi ante initum matrimonium aliam ditiorem, aut pulchriorem inuenero. Ratio eſt manifeſta, quia talis conditio nullo modo apponitur matrimonio, cùm non tollat matrimonij inſeparabilitatem, atque adeò nec ſubſtantiam illius. Neque etiam opponitur ſponſalium naturæ, vtpote, quæ ſolubilia ſunt. Nec denique vt turpis reiicienda, quia non eſt talis, cùm ad peccandum minimè incitet; ergo valida erunt ſponſalia, impletâ eâ conditione; & erunt nulla, ea deficiente. Firmatur, quia prædictâ conditione promittitur matrimonium poſſibile, licitum, ac honeſtum; 5

ergo nequit ea conditio ſpõſalia annullare, ſeu vitiare.

6 Dico *tertiò*, ſi quis contrahat ſponſalia cum conditione hac, ſi nimirum ante matrimonij contractum fornicationem mecum commiſeris, conditione impletâ, manet obligatio abſoluta contrahendi matrimonium. Patet, quia ea conditio, licèt turpis, non contrariatur matrimonio: nam ad matrimonij fidem ſolùm pertinet, ne poſtquam tranſlatum eſt dominium corporis in coniugem, alteri tradatur: at ante matrimonium non eſt tranſlatum dominium, vt conſtat. Vnde nec talis fornicatio vllam ſpeciem habet adulterij, vt manet ſuprà probatum *diſp.6.ſect.4.*

7 Dico *quartò*, ſi quis contrahat ſponſalia cum hac conditione, ſi ante matrimonium ſterilitatem procurauerit, vel, quod idem eſt, venena quibus ſterilis efficiaris, ſumas, vitiare ſponſalia prædictam conditionem. Ita rectè notauit Sanchez *lib. 5. diſp.14. ad finem numeri tertij.* Ratio eſt, quia per eam conditionem obligatur ſponſus ad aliquid contrarium bono prolis, quod per illud matrimonium promiſſum intenditur; vnde aduerſatur futuro matrimonio promiſſo. Nec valet dicere, eam conditionem eſſe ante matrimonium executioni mandandam, & ideo eâ conditione impletâ manere obligationem abſolutam contrahendi matrimonium. Non, inquam, valet, quia tametſi ea conditio ante matrimonium executioni mandetur; afficit tamen, & tangit matrimonium in futurum, & deſtruit illud quoad bonum prolis. Semper autem intelligenda eſt noſtra concluſio, quando in prædicta conditione inuoluitur obligatio venena ſterilitatis ſumendi, nec ſufficit ſola intentio: nam fœminam, aut virum intendere venena ſterilitatis ſumere, ſicut & adulterari non aduerſatur ſubſtantiæ matrimonij, ſed ſe obligare ad ſic faciendum; nam bona matrimonij tantùm pertinent ad eius ſubſtantiam, vel naturam quoad obligationem, non verò quoad executionem.

8 Dico *vltimò*, ſolam conditionem immediatè contrariam matrimonio vitiare ſponſalia quando eſt de futuro; ſecus quando eſt de præſenti, vel præterito: tunc enim valida eſt conditio, & ea exiſtente ſponſalia valida erunt. Ratio eſt, quia propriè conditio non eſt, niſi quando eſt de futuro: & per conditionem contrariam de præterito, vel præſenti non reſultat obligatio ad aliquid matrimonio repugnans; nam quando eſt conditio de præſenti, aut præterito, tantùm continet executionem contrariam, non verò obligationem. Excipe vnum caſum, in quo ſic adiiceretur conditio contraria de præſenti, aut præterito, vt afficeret, & tangeret matrimonium in futurum. Vt, contraho tecum ſponſalia ſi inueniſti, vel habes venena ſterilitatis, vt ea ſumas ante contractum matrimonij: vitiat enim hæc conditio ſponſalia ipſa; quia perinde eſt ac obligare ſe in futurum ad ea venena ſumenda ante matrimonium.

Sectio III.

Vtrùm conditiones impoſſibiles, & turpes, quæ non ſunt contra ſubſtantiam matrimonij, habendæ ſint pro non adiectis, vel potiùs vitient ſponſalia.

1 Dicā priùs de cõditionibus impoſſibilibus, poſtea verò de turpibus. Circa priores concors videtur Doctorũ ſententia, vt refert Sanchez *lib.5.diſp.17.n.2.* affirmans conditiones impoſſibiles, qualis eſt iſta, Cõtraho tecum ſponſalia, ſi digito cœlum tetigeris, æquè eſſe reiiciendas à ſponſalibus, & à matrimonio, & habendas eſſe pro non adiectis, ac proinde ſponſalia ſub qualibet earum contracta ſtatim eſſe abſolutè valida, ac ſi tales conditiones non fuiſſent illis appoſitæ. Probant, quia ſponſalia ſunt initium quoddam matrimonij, atque ita diſpoſitum in matrimonio, cenſetur diſpoſitum in ſponſalibus, *L.oratio, ff. de ſponſalibus.* At *in cap. finali, de conditionibus appoſitis*, dictæ conditiones impoſſibiles ita reiiciuntur à matrimonio, vt iudicandum ſit de matrimonio ſub qualibet eorum contracto, ac ſi non fuiſſent appoſitæ.

Ex alio verò capite Petrus de Ledeſma *de matrimonio quæſt.47. a. 5. ad finem*, cum Doctoribus Salmanticenſibus ſentit prædictas conditiones non reiici à ſponſalibus, ſicut à matrimonio. Probat, quia *caput finale, de conditionibus appoſitis*, vbi eas conditiones ſtatuit in matrimonio eſſe reiiciendas, non debet extendi ad ſponſalia, ſed potiùs reſtringi. Quæ enim in iure communi exorbitant, reſtringenda ſunt, *reg. quæ à iure communi, de regul. iuris, in 6.* Præſertim, quia ſecluſo iure Eccleſiaſtico habente has conditiones pro non appoſitis, non reiicerentur à matrimonio conditiones impoſſibiles, ſed annullarent illud; ergo ius Eccleſiaſticum id ſtatuens tanquam correctorium iuris naturalis, & diuini, eſt reſtringendum. In hac re

Dico *primò*, ſi attendamus tantùm ius naturale, contractum ſponſalitium, ſicut & quamuis aliam diſpoſitionem celebrari poſſe ex natura rei ſub conditione impoſſibili, & ea non impletá non eſſe validum. Hoc mihi videtur euidens, quia quæuis diſpoſitio, qua quis gratuitò, vel onerosè quidpiam confert, vt vim habeat, ſtando in ſolo iure naturali, dependet à libera voluntate ita diſponentis, ſine cuius conſenſu nequit ſubſiſtere contractus vllus, vel diſpoſitio; ergo ſi contrahit ſub cõditione, quam impoſſibilem agnoſcit, neque vult vt aliter ſponſalia vim habeant, niſi dependenter ab exiſtentia talis conditionis; non aliter vim habebunt ſponſalia, quàm impletâ eâ conditione; atque adeò ſi quis apponat conditionem impoſſibilem in contractu ſponſalitio, explicans ſe nolle aliter contrahere, vel etiam ſi non explicet, eius tamen conſenſus ab ea conditione dependet, nullus eſt omnino talis contractus. 2

Dico *ſecundò*, abſolutè loquendo, & omni inſpecto quoque iure Eccleſiaſtico, prædictam conditionem impoſſibilem tollere validitatem contractus ſpõſalitij tam in conſcientiæ foro, quàm externo, cùm ea impleri nequeat. Patet, quia ſponſalia contracta ſub conditione impoſſibili immediatè afficiente illa, ſtatim ſunt nulla quoad veritatem, & quoad præſũptionem, ex defectu poſſibilitatis impletionis conditionis, quia illa impleri non poteſt. Si enim quis non conſentit niſi ſub conditione impoſſibili, reuera non conſentit; at deficiente vero conſenſu, neceſſe eſt deficiat omnis ratio & ſubſtantia contractus. *In cap.* autem *finali*, vbi de conditione impoſſibili dicitur, habendam eſſe pro non adiecta, tantùm eſt ſermo de conditione impoſſibili, quæ immediatè apponitur matrimonio; quod ita ſtatutum eſt pro illo, vt videbimus *infrà diſp.16. ſect.3.* Id verò non eſt cur extendatur ad ipſa etiam ſponſalia; ſicut neque diſpoſitio Tridentini irritans matrimonia clandeſtina extẽditur ad ſponſalia, vt vidimus *ſuprà diſp.5. ſect.2.* Ratio eſt, tum quia Pontifex eo capite ſolùm dicit, quod debeat haberi pro non adiecta, in fauorem matrimonij; qui fauor, cùm ſit in re odioſa, vtpote in præiudicium apponentis conditionẽ, non videtur ampliandus ad ſpõſalia, de quibus eo loco non agitur. Tum etiam, quia 3

in

Digitized by Google

in dubio melior eſt conditio poſſidentis; atque adeò cùm de ſponſalium validitate dubitatur, nemo ſpoliandus eſt libertate, quam habet ad quęlibet alia ſpōſalia contrahenda, ſed potius à iudice abſoluendus. Secus tamen in matrimonio iudicandum eſt etiam in dubio, in fauorem illius, propter dignitatem Sacramenti, ne fortè pro irrito habeatur, quod ratum fuit Sacramentum, quod in iniuriam Sacramenti cedit. Vnde ſumitur optima ratio, cur matrimonium ſponſalibus præſtet. Nam in matrimonio, cùm iudex dubitat ſecundùm allegata, an contrahentes intenderint abſolutè contrahere ſub illa conditione impoſſibili, an potiùs intenderint ſuſpendere conſenſum in euentum conditionis; periculum eſt ex vna parte, ne iniuria ſaltem materialis fiat apponenti conditionem, ſi contra eum iudicetur; ex altera parte ne fiat Sacramento matrimonij, ſi iudicetur non fuiſſe matrimonium, quod fortè legitimum erat. At cùm ex iis duobus magis præponderet dignitas Sacramenti, quàm cuiuſuis coniugis ius in dubio æquali; fit, vt rectè Pontifex declarauerit, vt in fauorem Sacramenti potius, quàm opponentis conditionem impoſſibilem iudicetur in propoſito dubio, habeaturque pro non adiecta affirmata conditio. In ſponſalidus autem bæc ratio non militat, cùm non ſit Sacramentum, neque tanta eorum habenda ſit ratio, vt nimirum valeant cum aliquo partis præiudicio ante conditionis impletionem. Imò ſi renuentes ſponſi cogerentur ad matrimonium, infelices exitus ſequerentur, vt dicitur *cap. requiſiuit, de ſponſalibus*. Quod fit, vt ex multis, leuioribuſque cauſis ſecundùm ius ſponſalia ſoluantur, vt *ſupra* vidimus *diſput.* 9. Atque hinc patet ſolutio ad rationem dubitandi initio traditam.

4 Circa ſecundum, de turpibus conditionibus, quæ non ſunt contra ſubſtantiam matrimonij, vt, Contraham tecum matrimonium, ſi commiſeris furtum, vel forniceris. Dicendum eſt cum communi doctrina, ſponſalia contracta ſub prædicta conditione turpi, ea impleta, fieri abſolutè valida, & ante impletionem conditionis eſſe valida ſub conditione, tametſi non ſit obligatio abſoluta expectandi conditionem, vtpote turpem. Ratio eſt, quia abſque conſenſu contrahentium, qui tunc eliceretur dependenter ab ea conditione, contrahi nequit ſponſalitius contractus, nec aliter quàm contrahentes intendunt; ergo in eo caſu dicta conditio habenda eſt pro adiecta. Firmatur, quia conſenſus eam ſolùm vim habet, quam dat contrahens; ergo ſi contrahens velit eam ſuſpendere, vſque ad impletionem conditionis turpis, verè ita fiet. Eſt verò obſeruandum, hunc contractum ante poſitionem, vel adimpletionem huius conditionis, nullam obligationem imponere, quia trahit ad peccatum, ad quod nemo obligari poteſt; obligat verò ea conditione iam impleta, quia iam non trahit ad peccatum. Vnde quod ſtatutum eſt *cap. finali, de conditionibus appoſitis*, habendam eſſe prædictam conditionem turpem pro non adiecta, non ſecus ac conditionem impoſſibilem; intelligendum eſt quando ea conditio apponitur, & cadit immediatè ſupra matrimonium ipſum, vt antea dixi de conditione impoſſibili; non verò quando dicta conditio cadit immediatè ſupra ſponſalia, & ipſis immediatè apponitur. Ex quo etiam infero, cùm eſt dubium rationabile, an prædicta conditio turpis fuerit ſeriò appoſita matrimonio, an ioco, tunc in fauorem libertatis habendam eſſe pro adiecta, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis libertatem, neque eſt poſſidens ſpoliandus eâ quam habet ad quælibet alia ſponſalia contrahenda. In quo ſponſalium contractus ſimilis eſt aliis contractibus, in quibus conditio turpis appoſita, ſi dubitatur, an ſeriò, vel ioco fuerit adhibita, verè habetur pro adiecta; quia non ſunt tantæ ſanctitatis, nec ita in iure fauorabiles, ſicut eſt contractus matrimonij. Neque enim, vt dictum eſt, in diſſoluendis ſponſalibus, ſubeſt notabile periculum, cùm poſſint etiam mutuo conſenſu diſſolui, ſicut ſubeſt in diſſoluendo matrimonio contracto.

Sectio IV.

An ſponſalia conditionata tranſeant in abſoluta, & pura, quando ante conditionis euentum ſponſi carnaliter commiſcentur.

Constat ex dictis ſuprà *diſp.* 4. *ſect.* 5. *n.* 10. ſponſalia incerta, ſeu indeterminata, reddi certa, determinata, & abſoluta per copulam ſubſecutam: quia niſi de contrario manifeſtè conſtet, non poteſt aliter iudicari puellam vſum ſui corporis concedere, niſi ſub ſpe futuri matrimonij; & conſequenter nec virum copulam ab illa exigere, niſi ſub hac ſpe, ſe determinando, & eam abſolutè in ſponſam eligendo. Difficultas eſt, an idem dicendum ſit de ſponſalibus ſub conditione honeſta initis. Et quidem ſi conditio iam defecerat ante copulam, videtur certum, non recedi à conditione per copulam ipſam, quia iam ſponſalia omnino diſſoluta erant. Quæſtio ſupereſt, quando nondum defecit conditio, ſed eſt ipſa in pendenti, an ratione copulæ maneant ſponſalia pura, & abſoluta. 1

Noſter Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 26. *n.* 12. ſentit, per eam copulam, ſi ſit occulta, non effici ſponſalia pura, nec recedi à conditione. Probat, quia talis acceſſus ab copulam occultam iam hodie poſt Tridentinum non præſumitur eſſe ex affectu coniugali, & ſubinde nequit præſumi conſenſus de præſenti, imò ſemper eſt & præſumitur fornicarius, cùm per copulam illam occultam non tranſeant ſponſalia in matrimonium; ergo nullo modo videtur recedi à conditione, vt ſpouſalia maneant pura, & abſoluta. Addit tamen, ſi promiſſio conditionata fieret coram Parocho, & teſtibus, & coram eiſdem copula affectu coniugali, eſſet tunc matrimonium, quia ſeruaretur forma præſcripta in Tridentino. 2

Ego verò oppoſitum exiſtimo verius, nimirum per talem copulam fieri receſſum à conditione manifeſtum. Id ſatis colligitur ex *cap. de illis, & cap. per tuas, de conditionibus appoſitis*. Et ratio eſt iam adducta, quia credibile non eſt, mulierem, vel puellam vſuram ſui corporis conceſſuram, niſi ſub ſpe abſoluta, & determinata futuri matrimonij, nec vir copulam ab illa exigeret, niſi ſub ea ſpe, eam nimirum in ſponſam de futuro abſolutè, & determinatè ſumendo; ergo per talem copulam factus fuit receſſus à conditione, & manſit contractus ſponſalitius purus, & abſolutus. Vnde tametſi illa copula verè ſit & præſumatur fornicaria, non obeſt, vt id prudenter dicatur, niſi aliud de contrario euidenter oſtendatur: neque enim rationabiliter præſumi poteſt, puellam aliter vſuram ſui corporis viro tradidiſſe, niſi exigendo conſenſum abſolutum ac liberum ab omni conditione, & determinatam, & abſolutam promiſſionem eam ſumendi in vxorem, & virum tale matrimonium abſolutè 3

promiſiſſe. Ex quo patet ſolutio adargumeotorum Sanchez.

Ad illud quod addit Sanchez, iam ſuprà *diſp.*8. *ſect.*5. oſtenſum eſt latè quàm falſum ſit.

Sectio V.

Quid operetur tempus, demonſtratio, cauſa, & modus quando apponuntur ſponſalibus.

1 SVppono contractui ſponſalitio, ſicut cuicumque alij, non ſolùm poſſe opponi conditioné, ſed etiam tempus, demonſtrationem, cauſam, & modum, de quibus breuiter nonnihil dicendum.

2 Circa tempus, vel diem appoſitum cõtractui ſponſalit o, vt qu ndo dicitur, Promitto me contracturum matrimonium cum Maria in craſtinum, vel poſt tres dies. Communiter ſentiunt Doctores ſuſpendere cõtractum vſque ad illud tempus, & eo tempore accedente ex tuoc valere abſque conſenſu oouo, niſi interim cooſenſos fuerit reuocatus. Ratio eſt, quia dies ita adiectus ſuſpendit contractum, non ſecus atque ipſa conditio. Patet, quia ſicut contrahens ſub conditione futura non vult contractum eſſe perfectum antequã ponatur cooditio, ita cõtrahens dicto mudo, in diem, inteodit, vt contractus oon ſit abſolutus & perfectus antè illum diẽ. Igitur ſicut conditio poſtea aduenies & cognita partibus, illis ſignificatur vtriuſque conſẽſum iam eſſe abſolutum, & ita contractum perficit; ita ſimiliter dies aduenieus faciet contractum pro eo tẽpore omnino perfectum, ita vt ex tunc incipiant eſſe ſponſi. Vode ſenſus illius contractus eſt, ex ounc volo, & cooſentio, vt cras, vel poſt tres dies incipias eſſe ſponſa mea.

3 Circa demonſtationem præmitto, eam contingere, quoties ſignificatur, vel denotatur aliqua qualitas in contrahentibus, & communiter explicatur per relatiuum, *quæ*, aut dictionem importantem aliquam qualitatem Vt, contraho tecum ſponſalia quæ diues es, vel nobilis, vel virgo.

4 Breuiter dico cum communi Doctorum ſententia, demonſtrationem adiectam ſponſalibus non ſuſpeodere illa, nec vitiare, etiamſi falſa ſit. Vnde valet contractus ſponſalitius, etſi illa ignobilis, vel pauper ſit. Ratio eſt, quia is, qui ſub demonſtratione conſentit, independenter ab accidente quod demonſtrat conſentit, alioqui non differret à conſenſu cooditionato. Vnde ipſa demonſtratio ſolùm oſtendit opinionem quam habet contrahens circa tale obiectum; ergo quamuis demonſtratio illa deficiat, non deficit conſenſus mátrimonialis ſufficiens.

5 Circa cauſam, quæ dicitur ratio, ob quam contrahitur, ſoletque explicari per dictionem, *quia*, vt, Promitto me nupturum Mariæ, quia diues eſt, vel nobilis. De qua etiam eodem modo fatentur Doctores, errorem caoſæ per ſe formaliter, qoaliſcumque ſit, non ſuſpendere, nec vitiare ſponſalia, Ratio eſt, quia cauſa non ſe habet vt pars obiecti contractus, vnde oon ſpectat ad ſubſtantiam ipſius, ſicut ſpectat conditio, ſed tantùm pertinet antecedenter ad motiuum, quod ad contrahendum mouet; ergo non tollit conſenſum abſolutum; ergo non vitiat, nec irritat contractum. Dixi, *per ſe formaliter*, quia ſi cauſa reducatur ad perſonas, vel ad errorem conditionis perſooalis, vt quando dicitur, Promitto tibi matrimoniũ, quia es Maria, & oon eſt niſi Franciſca; vel quia es libera, & non eſt libera, ſed ſerua, irritabit cootractum ſponſalicium; non ratione falſitatis cauſæ, ſed ratiooe erroris perſunæ, aut conditionis, quia quamuis non apponeretur dicta cauſa, adhuc ex tali errore ſponſalitius contractus eſſet nullus.

Addo, tametſi cauſa, ſicut & demonſtratio appoſita contractui ſponſalitio, etiamſi ſit contra ſubſtantiam matrimonij, non irritet illum, ſi verè deficiat, vt cùm dicitur, Contraho tecum ſponſalia, quæ obligaris ad adulterandum; &, contraho tecum, quia obligaris ad adulterandum, quia conſenſus iſte ſponſalitius, quamuis ei addantur demonſtratio, & cauſa, non elicitur dependenter ab illis, cùm non ſint conditiones, ac proinde quamuis deficiant, non deficit conſenſus matrimonialis ſufficiens. Nihilominùs tamen, ſi prædicta demonſtratio & cauſa verè adſint, & perſiſtant, non fiet validè contractus ſponſalitius, non quia conſenſus eliciatur dependenter ab eis; ſed quia in altero, vt ſupponitur, eſt ſimol & concomitanter intentio ſe obligandi ad aliquid contra obligationem ſubſtantialem matrimonij; qua intentione perſiſtente, impedietur dicta obligatio ſubſtantialis io eo altero. 6

Denique circa modum, ſponſalibus appoſitum, vt quando dicitur, Contraho tecum ſponſalia, vt mihi ſeruias, vel vt diuitias, vel honorem cooſequar. Breuiter dico, ſi modus adiectus contractui ſponſalitio ſit rei poſſibilis, & hooeſtæ, certum eſt nõ vitiare illum, nec ſuſpendere; quia eo modo tantùm ſignificatur aliquid poſſibile & hooeſtum faciendum poſt contractum iam perfectum. Præterea dico, etiamſi modus aliquid inuoluat impoſſibile, vt, Contraho tecom ſponſalia, vt des mihi montem aureum; vel turpe, vt fureris; vel contra ſubſtantiam matrimonij, vt obligeris ad adulterandum, adhuc omnem iſtum modum non vitiare, neque annullare ſponſalia. Ratio eſt, quia cooſenſus in ſponſalia, quibus additur modus, non elicitur dependenter à modo ipſo, cùm non ſit conditio; ergo nihil refert ad ipſa ſponſalia, ſiue ad eorum validitatem, ſiue ad eorum oullitatem. Cæterùm de bac re, ſicut & de aliis in hac ſectione dictis, magis ex profeſſo dico infrà *diſputatione decima ſextâ, ſectione vltimâ*, vbi agimus de tempore, demonſtratione, cauſa, & modo appoſitis matrimonio, attendeodo ad naturam huius contractus. Videantur *ibi* dicta. 7

Sectio VI.

An licita ſint ſponſis de futuro ſub conditione, oſcula, amplexus, aliique tactus.

DIfficultas procedit de oſculis, amplexibus, & tactibus non impudicis. Qua in re ooſter Sanchez *lib.* 5. *diſp.* 5. *num.* 38. 39. & 40 duo dicit. *Primum*, impeditis contrahentibus ſponſalia, ſub conditione, ſi Papa diſpeoſauerit, ante impetratam diſpenſationem ooo licere amplexus, oſcula, & tactus, eo modo quo licent ſponſis de futuro abſolutè. Quia hæc tantùm licent inter ſponſos de futuro, eâ ratiooe, qua ſponſalia ſunt quoddam matrimonij initium, ſeu inchoatio matrimonij, ſed illa promiſſio tunc ante impetratam diſpeoſationem oon habet vim ſponſalium: nemo enim dubitat ante impletam conditionem non eſſe ſponſalia. Quia deficit conſenſus perfectus conditione nondum impletà. Vode *capite* 1. *de ſponſalibus, in* 6. rectè deciditur, ex ſponſalibus con- 1

ditionali

ditionalibus ante impletam cooditionem non oriri publicæ honeſtatis impedimentum, eo quòd nondum valida ſint defectu conſenſus; ergo tunc ante impetratam diſpenſatiooem noo licent oſcula & tactus; benè tamen impetrata diſpenſatione. *Secundum* eſt, idē dicendum eſſe in quibuſcumque ſponſalibus conditionalibus: nimirum ante impletam conditionem, noo licere hos tactus, & oſcula; bene tamen impletâ conditione, ob rationem dictam.

2 Ad hanc difficultatem diſſoluendam, recolenda ſuot quæ ſuprà diximus *diſp.8.ſect.6.* ac præcipuè notandum, ex prædictis oſculis, amplexibus, & tactibus duplicem oriri poſſe delectationem; vnam naturalem ortam ex proportione & conformitate rei tactæ cum organo tactus, aut viſus; alteram verò carnalem & libidinoſam, dictam communiter ſenſitiuam, quæ ſeotitur in carne cum quadam commotione carnis, aut ſpirituum vitalium incitantium ad pollutionem. Iuxta ibi dicta,

3 Dico *primo*, ſponſalia quandiu manent conditionata, vt cùm celebrantur ſub conditione, ſi Papa diſpenſauerit, ante impetratam diſpenſationem, prædictis contraheotibus ſub ea conditione licita eſſe oſcula, amplexus, & tactus non impudicos, quando fiunt in ſignum beoeuolentiæ ſecundùm patriæ cōſuetudinem ad conciliandum & fouendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium contrahendum, etiamſi per accidens adſit periculum pollutionis, dummodo non ſit periculum conſenſus in delectationem illam turpem, ſeu veneream. Hoc dictum conceduntomnes. Ratio eſt, quia prædicta ſunt ſigna mutuæ beneuolentiæ & amoris ex booeſto fioe in ordine ad matrimonium contrahendum, & pollutio ſi fortè ſequatur, eſt præter intentionem. Et in prædictis impeditis contrahentibus ſub conditione, ſi Papa diſpenſet, cùm ſit ſpes diſpenſationis impetrandæ, fiunt prædicta oſcula, & tactus, noo libidinis causâ, ſed conſeruandi, & augendi mutuum amorem in ordine ad matrimonium contrahendum, ne auſteri, aut inhumani habeantur; ergo, per ſe loquendo, licita ſunt.

4 Dico *ſecundò*, certum etiam eſſe apud Doctores, tactus impudicos proximiores copulæ, vt tactos verendorum, non eſſe licitos prædictis ſponſis conditionatis, ſicut nec illos licere ſponſis de futuro. Ratio eſt, quia illi proximè diſponunt ad copulam; ergo illis ſolis licent, nempe coniugatis, quibus ipſa cōpula coniugalis licita eſt.

5 Dico *tertiò*, prædictis contrahentibus ſponſalia, etiam impleta conditione, & impetratâ diſpeoſatione, non licere oſcula, amplexus, & tactus etiam non impudicos, ſi fiant cauſa delectationis ſenſitiuæ, ſeu libidinoſæ, quæ percipitur in ipſis. Idem dixi *ſectione ſextà citata* de ſponſis omnibus de futuro. Ratio à priori eſt, quia prædictam delectationem natura inſtituit, vt medium ordinatum ad generatiooem, & ad copulam; ergo cùm copula non ſit licita inter eos, qui non ſunt coniugati, ſequitur neque licitam eſſe huiuſmodi delectationem ſenſualem.

6 Ad doctrinam Sanchez, dico *inprimis*, ſponſalibus conditionatis, etiam ante impletam conditionem, vel etiam impetratam diſpeoſationem, licita eſſe oſcula, amplexus, & tactus non impudicos, modo dicto in primo dicto, ſi fiant, non libidinis, nec delectationis ſenſitiuæ cauſa, ſed animo conſeruandi & augendi mutuum amorem in ordine ad matrimonium, cuius eſt vera ſpes, ob certam ſpem obtinendæ diſpenſationis, vel conditionis adimplendæ. Et quamuis veriſſimum ſit ante impletam conditionem, ſeu impetratam diſpenſationem, non eſſe ſponſalia inter impeditos contrahentes, neque etiam inter eos ſub conditione cootrahentes, quia deficit conſenſus perfectus cooditione nondum impletâ, vel diſpenſatione nondum impetrata: nihilominus tamen, quia ſunt in ſpe matrimonij contrahendi, licet illis fouere illud præbendo illa ſigna beneuolētiæ modo dicto in priori dicto. *Præterea* dico prædictis ſponſis de futuro, etiam impletâ conditione, ac impetratâ Papæ diſpenſatione non licere prædicta oſcula & tactus cauſa libidinis, ac delectationis ſenſitiuæ, etiā ſi ea ſponſalia ſint inchoatio quædam matrimonij, & prædicta oſcula & tactus tantùm ſint inchoatio quædam copulæ coniugalis: id enim non ſufficit ad prædicta oſcula & tactus excuſandos. Quia inchoatio contractus non ſufficit ad excuſandum vſum rei, de qua eſt contractus, quamuis ſolùm inchoatum, & imperfectum. Ratio eſt, quia quouſque contractus eſt perfectus, non traditur dominium rei: qui autem nōdum eſt dominus rei, nullatenus, adhuc imperfectè, poteſt eâ vti, vtpote adhuc alienâ, quamuis iam ſibi promiſſâ.

DISPVTATIO XIII.

De natura, & eſſentia matrimonij propriè, ac formaliter ſumpti.

POST ſponſalium tractationem, quæ ſunt quaſi præuia ad matrimonium diſpoſitio, illius aggredimur explanationem. Circa cuius nomen communiter notant Doctores, in iure quinque nominibus appellari ſolere. Dicitur enim, ſponſalia, connubium, nuptiæ, cooiugium, & matrimonium. Sponſalia non ſemel in iure matrimonium vocari docet. Couarruuias *p. 2. de matrim. cap. 1.* Vode ſpooſum pro marito accipi commune eſt, & Hiſpan. *deſpoſado*, & *caſado*. Ad tollendam verò æquiuocationem, vt diſtinguatur matrimonium à contractu ſponſalium, de quo hactenus locuti ſumus, qui eſt mutua matrimonij promiſſio; ſolet dici ſponſalia, ſeu ſponſi per verba de præſenti. Appellatur connubium, quaſi à nubendo, vel velando; vel quia mulier antiquiſſima conſuetudine velo, quaſi nube operiebatur coniugatarum more, quô ſe viro inferiorem, ac ſubditam oſtendebat; vel certè ſic dicitur modo in lege noua ob ceremoniam Eccleſiæ, quâ velamine quodam teguntur coniuges, cùm benedictionem ab Eccleſia accipiunt. Nuptiæ nomen ciuile eſt, & potius ſolennitatem, celebritatemque contractus coniugalis initi, quàm ipſum denotat coniugium. Coniugium propriè appellatur à duorum coniunctione, quia duos ſub eodem iugo ſocietatis, perpetuò coniungat, qua vna caro efficiuntur. Denique communius matrimonium nuncupatur à matre, vt matrimonium ſit, quaſi matris munus; eo quòd prolem educare, & inſtruere matris ſit munus: nam fœminæ per matrimonium initum imponitur munus, & officium educandæ prolis. Vel etiam à matre potius, quàm à marito, nomen accepit matrimonium; quia ipſa certior eſt in generatione, quàm ille; vnde etiam proles contrahit ex matre conditionem ſerui, aut liberi: ipſa etiam in partu maximos perfert dolores, & ideò quaſi præcipuum ſuſtinet onus.

Digitized by Google

Sectio I.

An matrimonium abſolutè, & propriè ſumptum conſiſtat in vinculo, an potiùs in ipſomet formali contractu.

1 Loquimur de matrimonio ſecundùm propriam ſuam naturá cõſiderato, ſeclusâ omni ratione Sacrameoti, prout nimirũ ab initio mundi inter primos parentes noſtros initum fuit, & modò apud omoes gentes, etiam infideles, ac barbaros celebratur. In matrimonio autem ſic accepto tria communiter à Doctoribus diſtinguuntur. *Primum*, contractus ipſe, quo vir, & fœmina ſibi mutuò tradunt corporum dominium. *Secundum*, vinculum ipſum, quod ex tali contractu naſcitur inter coniuges, ſignificatque mutuum ius cuiuſque coniugis in corpus alterius, ortum ex mutuo inter illos conſenſu expreſſo, quo alter alteri vt coniux coniugi manet deuinctus ac perpetuò alligatus. *Tertium* eſt conſummatio ipſa, & vſus matrimonij.

2 Certum eſt autem apud omnes Doctores non eſſe ſitam eſſentiam matrimonij eius vſu, & conſummatione. Tum, quia prædictus vſus, ne ſit fornicarius, ſopponit neceſſariò ipſum matrimonium iam in ſe conſtitutum; ergo non cõſiſtit in eo tale matrimoniũ, ſaltem odinariè. Tum etiam, quia ſæpe conſiſtit tota éſſentia matrimonij ſine vllo eius vſu, vt patet in matrimonio Beatæ Virginis, & Ioſeph; & in omni alio matrimonio rato, & non conſummato.

Difficultas ergo non leuis apud Doctores exiſtit, in quonam illorum duorum priorum, formalis, ac eſſentialis ratio matrimonij propriè accepti, conſiſtat, in contractu ne, an potiùs in vinculo ex dicto contractu reſultanre?

Sunt nonnulli Recentiores, qui negant in dicto vinculo, propriè loquendo, ſitam eſſe eſſentialem, ac formalem rationem matrimonij, atque adeò eam conſtituunt in ſolo ipſo contractu. Probant, quia id quod eſt propriè & eſſentialiter matrimonium, eſt etiam propriè, & eſſentialiter nouæ legis Sacramentum, ſed ſolus contractus matrimonij, & non vinculum eſt verè, & propriè Sacramentum, vt Doctores communiter affirmant: ergo ſolus contractus, & non vinculum eſt propriè, & eſſentialiter matrimonium. Maior videtur certa. Nam ipſum matrimonium eleuatum eſt à Chriſto in lege noua ad rationem Samenti, ſicut Baptiſmus, & pœnitentia, vt liquet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de matrimonio, cap. vnico*, vbi doctrinaliter procedens, & fidei dogma ſtatuens, ita dicit. Cùm matrimonium in lege Euangelica per Chriſtum gratiam præſtet, meritò inter oouæ legis Sacramenta eſt enumerandum. Vnde ex ſententia Concilij, id quod eſt verè, & propriè matrimonium, eſt verè, & propriè Sacramentum. Imò ex oppoſita ſeotentia ſequeretur contra Tridentinum, quod, loquendo propriè, eſſet verum dicere, id quod eſt verè, & propriè matrimonium, oon eſſe verè, & propriè Sacramentum; & e contra, quod non eſt verè, & propriè matrimoniom, eſſe verè, & propriè Sacramentum. Dicere autem Tridentinum loqui ibi impropriè, & latè, admitti non debet; quia in doctrinalibus, & dogmaticis, qualia ſunt prædicta, non admittuntur à Theologis locutiooes impropriæ, & latæ; ſed propriæ, & rigoroſæ ſumuntur in definitionibus Conciliorum. Aliàs enim omnes Conciliorum definitiones poſſent eludi. Et ſanè, cùm Baptiſmus, & Pœnitentia ooo tantùm impropriè, & latè ſint Sacramenta; ſed etiam propriè, & ſecundùm ſuam rationem formalem ſtrictam; non videtur cur etiam matrimonium non ſit, & eſſe debeat Sacramentum propriè, & ſecundùm ſuam rationem formalem ſtrictam; nec tantùm impropriè, aut ſolùm iuxta aliquem ſui effectum, vel cauſam, præſertim cùm Concilia, & Patres eodem modo dicant ipſum matrimonium eſſe Sacramentum, ſicut id dicunt de Baptiſmo, & Pœnitentia. Quare dicendum eſt cùm in ſolo contractu conſiſtat ratio formalis, & propria Sacramenti; in ſolo illo, & non in vinculo ſitam eſſe formalem, & eſſentialem rationem matrimonij.

Secundo, poſito contractu viri, & vxoris, non poteſt non poni matrimonium; & eo non poſito, nequit poni matrimonium, nec proprium vinculum eius: ergo in illo ſolo conſiſtit eſſeotialiter matrimonium.

Veriorem iudico ſententiam communiſſimam conſtituentem eſſentiam matrimonij, ſeu matrimonium ipſum in vinculo illo mutuo, quod reſultat ex mutuo coniugum coотractu. Ita D. Thom. *in 4. d. 27. q. 1. a. 2. quæſtiuncula 1. ad 2.* Bartholomæus Ledeſma *de matrimonio, difficultate 15.* Enriquez *lib. 11. de matrimonio cap. 18. n. 1.* Sanchez *lib. 2. diſp. 1. n. 6.* Gregorius de Valentia *diſp. 10. q. 1. p. 1* & alij. Probatur efficaciter. *Primo*, quia contractus eſt cauſa efficiens matrimonij abſolute ſumpti: ergo illud nequit conſiſtere in contractù ipſo. Conſequentia euidens eſt, quia effectus nequit conſtitui formaliter, & eſſeotialiter per cauſam effectiuam, quæ extrinſeca eſt. Antecedens manifeſtè oſtenditur ex Concilio Florẽtino, vbi Eugenius IV. in Decreto ſuo poſt Florẽtini Concilij ſeſſionem vltimam, expreſsè ait, mutuum coniugum conſenſum per verba de præſenti, vel ſimilia ſigna externa expreſſum, eſſe cauſam efficientem matrimonij. Cumque manifeſtum ſit, nihil poſſe eſſe cauſam efficientem ſui ipſius; euidens eſt conſenſum prædictum, qui à Pontifice dicitur efficiens cauſa matrimooij, non poſſe eſſe cauſam formalem, & intrinſecam matrimonij. *Secundo*, matrimonium eſt quid permanens durans totius vitæ coniugum tempore; ſed vinculum ſolum durat morale, & non contractus, qui citò tranſit: ergo in ſolo illo vinculo, & non in contractu, conſiſtit formalis, & eſſentialis ratio matrimonij. Reſpondebis, non ſolùm vinculum, ſed etiam contractum durare ſufficienter toto vitæ tempore, non quidem phyſicè, ſed moraliter. Sed contra eſt: nam matrimonium ſumptum pro vinculo eſt quod realiter moraliter permanet, ſicut vinculum ſtatus religioſi cenſetur in Religioſo moraliter permanere. Non verò cenſetur moraliter permanere coοtractus præteritus; quia iſte nullo modo influit moraliter in vinculi conſeruationem, ac indiſſolubilitatem: ſolùm enim fuit cauſa efficiens moralis ipſius vinculi poſitionis, ſed non eſt cauſa conſeruatiua illius; hæc enim eſt ipſum ius naturale, vel inſtitutio Dei, de quo ſuprà *diſp. 18.* Vnde obſeruandum eſt hac in parte diſcrimen vinculi matrimonij ab aliis vinculis aliorum contractuum ciuilium: hæc enim cùm ſola contrahentium voluntate ſoluantur, cenſentur conſeruati à contractu præterito oon retractato; & ideo ille contractus cenſetur moraliter permanere, quia influit moraliter in ipſius vinculi permanentiam. At vinculum matrimooij permanet indiſſolubile ſuapte natura, vel ex Dei inſtitutiooe, omnino independenter à contractu præterito, à quo tantùm dependet in fieri, non in conſeruari. *Tertio*, ſine vllo conſenſu coniugum præcedente poteſt eſſentialiter conſiſtere matrimonium,

monium, eo ſolo quòd adſit inter virum, & fœminam prædictum vinculum: ergo in ſolo iſto vinculo, & non in contractu conſiſtit eſſentia matrimonij. Antecedens probatur, quia poteſt Deus per ſe ſolum efficere, vt vir & fœmioa ſint coniuges producendo motaliter inter eos vinculum, dando nimirum eis mutuum ius, & dominium in corpota ipſorum ſine vllo contractu, & conſenſu cooiugum, vt maniſeſtè oſtendam *diſput. ſeq. ſect. 6.* ergo matrimonium abſolutè, & generaliter acceptum, prout quid naturale eſt commune omnibus gentibus, ſecluſa ſemper ratione Sacramenti, quæ ſolùm eſt propria Legis nouæ, eſt vinculum prædictum, quod ſemper manet ac perſeoerat, & eſſentialiter conſtituit ſtatum ipſum matrimonialem, qui tranſacto contractu perſiſtit.

5 Ad argumenta oppoſita.

Ad primum, concedo libenter, non vinculom, ſed matrimonij contractum eſſe verè, ae propriè Sacramentum: quia nequit eſſe Sacramentum id quod permanens eſt, nempe vinculũ, ſed id quod tranſiens eſt, qualis eſt prędictus coniugũ conſenſus per verba de præſenti, vel ſimilia externa ſigna manifeſtatus; cùm omnes Theologi vnicum agnoſcant Euchariſtiæ ſacramentum permanens. Quare id quod eſt formalitet, & eſſentialiter matrimonium, non eſt Sacramentum, ſed id quod eſt cauſaliter matrimonium. Neque id opponitur decreto, vel doctrinæ alicui Tridentini, quia conſtat ex communi ſenſu, & modo loquendi Theologorum, ſumi propriè, & verè matrimonium, noo ſolùm prout eſt vinculum permanens, ac motaliter perſeuerans io coniugatis vſque ad mortem, ſed etiam prout eſt quid tranſiens, ſeu ſub ratione contractus. Nam Eugenius IV. in Decreto ſuprà memorato loquens de matrimonio propriè, & in rigore, illud vtroque ſenſu ſumpſit. Pro cootractu enim, ſeu mutuo coniugum conſenſu externo accepit, cùm dixit, ſeptimum Eccleſiæ Sacramentum eſſe matrimonium: pro vinculo verò cùm addidit, conſenſum illum exteriùs expreſſum eſſe cauſam efficientem matrimonij. Quare non impropriè, & latè, ſed propriè, & verè locutum eſt Tridentinum, non ſecus ac Florentinum, cùm dixit matrimonium eſſe verè, & propriè Sacramentum. Adde ſicut ſponſalium nomen ſumitur propriè in iure, non ſolùm pro cootractu ſponſalitio, ſed etiam pro matrimonio, vt oſtendi ſuprà *diſp. 1. ſect. 1* Ita pariter & matrimonij nomen propriè accipitur in eodem iute, pro contractu inter coniuges inito, & etiam pro vinculo, ſicut & pro coniugio.

6 Ad ſecundum, reſpondeo, poſito illo contractu, tanquam cauſa effectiua, poni matrimonium; & eo non poſito, naturaliter non poni; non verò poſito contractu, tanquam cauſa formali, & intrinſeca poni matrimonium; hoc enim formaliſſimè, & eſſentialitet ſumptum vinculum eſt prædictum, & noo aliquid aliud.

Sectio II.

An vinculum matrimoniale ſit relatio rationis, vel realis, aut potiùs determinatio extrinſeca moralis.

1 Scotus *in 4. diſt. 26. q. vnica*, & Sotus *in 4. d. 27. q. 1. a. 1. ad 2.* quos ſequitur noſter Rebello *lib. 1. quæſt. 1.* cenſuerunt vinculum, quo formaliter ſunt coniuges vniti, in quo diximus ſitam eſſe matrimonij eſſentiam, eſſe relationem rationis. Probant, quia tale vinculum oritur ex conttahentium conſenſu, qui cùm ſit immanens, nihil in re ipſa ponit, ſeu producit: ergo ſolum eſt ens rationis. Firmant, quia ratio illa vinculi matrimonialis eſt quædam denominatio, quæ nihil reale eſt intrinſecum in rę denominata, nempe in coniugatis, includit tamen opus rationis; quia denominare pertinet ad rationem, quæ denominat: ergo prædictum vinculum, eſt ens rationis relatiuum.

Sanchez verò *lib. 2. diſp. 1. num. 7.* ſecutus Enriquez, & alios, ſentit eſſe relationem realem. Probat, quia coniunctio reſpicit vtrumque coniugem, & fundatur in actione externa, & reali, videlicet in contractu externo; non enim ſufficiens eſt conſenſus internus: ergo.

2 Dico *primò*, vinculum matrimonij nullo modo eſſe poſſe relationem rationis. Ita communitet ferè omnes tecentiores. Ratio eſt, quia telatio rationis non datur abſque fictione intellectus; non enim habet eſſe, niſi dum actu cognoſcitur, & fingitur ab iotellectu. At poſitis legitimis contraheotium conſenſibus, nihil prorſus inrellectu fingente, reſultat vinculum matrimonij; vnde & ipſum matrimonium datur à parte rei citra omnem fictionem, & verè permanet; ergo noo eſt relatio rationis. Firmatur idem, ac explicatur: nam intellectus noſtet, dum cognoſcit vinculum matrimoniale in coniugatis, tametſi habeat fundamentum coocipiendi, & confingendi in illis aliquem reſpectum intrinſecum, qualem alij effectus ſolent habere in ordine ad ſuas cauſas; poteſt tamen vinculum illud verè concipi, & explicari à nobis abſque vllo reſpectu rationis, quatenus eſt denominatio quædam moralis, prout re vera eſt in ſe ipſa, & eſt denominatio extrinſeca rebus denominatis, nempe coniugibus. Quemadmodum enim quando concipio parietem videri à Petro, noo neceſſariò concipio, aut fingo in pariete aliquid intrinſecum, per quod ſit viſus, ſed concipio viſionem tranſeuntem ad parietem, & parietem terminatum ad actum viſionis. Similiter etiam, quando concipio in Baptiſmo ablutionem eſſe inſtitutam, vt ſit ſignum gratiæ, non concipio, aut fingo aliquid intrinſecum in ablutione, per quod ſignificet gratiam, ſed concipio inſtitutionem Dei extrinſecam ablutioni, à qua denominatur extrinſecè eſſe ſignum gratiæ. Ita ſimiliter, quando concipio vinculum matrimoniale Petri, & Franciſcæ, non concipio aliquid intrinſecum in illis, per quod ſint coniugati, ſed concipio contractum matrimonialem intet eos irritum, à quo moraliter proceſſit morale vinculum extrinſecum, quod eſt inter illos. Et certè Deus, & Angeli abſque vlla fictione cognoſcunt prædictum vinculum coniugatotum, neque coguntur vt id cognoſcant, fingere in coniugatis aliquam virtutem intrinſecam, quâ ſint ligati. Et nos ipſi experimur hunc modum cognoſcendi in oobis; poſſumus enim conſiderate parietem denominari extrinſecè à viſiooe, abſque eo quòd fingamus hoc eſſe intrinſecum parieti; & ablutiooeio denominari extrinſecè ab inſtitutione diuinà ſignum gratiæ, abſque eo quòd fingam, hoc eſſe intrinſecum, & inhærens ablutioni. Sic ergo conſideratur vinculum matrimoniale, denominari quidem extrinſecè à contractu coniugum præterito, abſqoe eo quòd mente fingatur illud eſſe quid intrinſecum in coniugatis.

3 Dico *ſecundò*, prædictum vinculum non eſſe relationem realem. Patet manifeſtè, quia in contrahentibus matrimonium noo eſt fundamentum natu-

Digitized by Google

tale phyſicum, & reale, ſed ſolùm morale. At morale, cùm potius ex libera hominum voluntate, ac inſtituto pendeat humano, quàm ex propria rerum naturali conditione, non ponit in eiſdem rebus quippiam naturale; ergo non facit eas inter ſe naturaliter, ac re ipſâ phyſicè dependentes, vel ordinatas, ac proinde fundare nequit relationem realem. Quo ſimili argumento clarè oſtenditur prædictum vinculum non eſſe modum realem: quia modus realis poſtulat cauſam realem phyſicam illius productiuam, quam non habet matrimonium, ſed moralem ſolum.

Dico *tertiò*, vinculum matrimonij nihil aliud eſſe, quàm denominationem extrinſecam moralem, quâ coniuges denominantur vniti inſeparabiliter, prouenientem à conſenſibus, quibus tradiderunt ſibi mutuò dominium ſuorum corporum. Ita communis Theologorum doctina. Ratio eſt, quia conſenſus contrahentium ſolùm ſunt cauſa moralis huius vinculi; non aliter ac votum emiſſum à Religioſo eſt cauſa moralis, cur teneatur illud obſeruare; atque adeò ſicut Religioſus denominatur obligatus, & vinctus extrinſecâ denominatione morali à ſolo actu morali vouendi præterito, ita coniuges denominantur vincti, & obligati à ſolis conſenſibus præteritis, & conſequenter vinculum iſtud erit denominatio à propriis conſenſibus prouenieus moralis; indiſſolubilis tamen ſuapte naturâ, vel ex Dei inſtitutione, ac independens in conſeruari ab illis.

5 Ad argumentum *primæ ſententiæ*, iam explicatum eſt, quo pacto vinculum ſit denominatio extrinſeca, nihil ponens reale intrinſecum, quio ſit relatio rationis. Ad confirmationem, vt omnis è medio tollatur æquiuocatio, duplex eſt diſtinguenda denominatio; alia enim eſt formalis, & alia obiectiua. Formalis denominatio eſt, ipſa prædicatio, ſeu propoſitio formalis, quâ prædico vnum de alio: denominatio obiectiua, eſt ipſum obiectum, quod per formalem prædicationem concipitur. Denominatio ergo formalis eſt opus rationis, vt conſtat, cùm non poſſit fieri, niſi à ratione; non eſt tamen ens rationis, quia non eſt aliquid fictum à ratione, ſed eſt verum ens reale, nempe actus intellectus, qui eſt qualitas vera, realis, & poſitiua. Denominatio ergo obiectiua, in præſenti materia, ſunt vera entia realia, nempe contractus coniugatorum præteritus, ex quo reſultat vinculum coniugale, quod eſt quid reale extrinſecum morale, modo explicato.

6 Ad *ſecundam ſententiam* iam dictum eſt, vinculum prædictum fundari in contractu externo, tanquam in cauſa, & fundamento morali; ex quo cùm ſit quid morale, nequit reſultare quidpiam naturale intrinſecum, ac phyſicum reſpectiuum.

Sectio III.

An vinculum matrimonij ſit mutuum ius, & dominium corporum, & quale illud ſit?

1 Ratio dubitandi eſt, quia fieri poteſt vt coniuges non teneantur ſibi mutuò reddere debitum, nec poſſint: nam ſi conſummato matrimonio de vtriuſque conſenſu profiteantur religionem, adhuc manet vinculum matrimonij inter illos; ſine vllo tamẽ iure, & dominio petẽdi, & reddẽdi debitũ; ergo. Firmatur, nam permanente vero, ac valido matrimonio poteſt coniux abdicare à ſe prædictum dominium, quia coniugum alter poteſt alteri ſe obſtringere ad actum cõiugij nunquam exercendum, & ad nunquam petendum debitum, quo caſu ſi petat poſtea, & exerceat, grauiter peccabit; non ergo videtur poſſe matrimonium conſiſtere io tali iure, & corporum dominio.

Dico *primò*, non videri negari poſſe vinculum matrimonij ex mutuis conſenſibus viri, & fœminę prouueniens, conſiſtere neceſſariò, ac eſſentialiter in mutuo iure, & dominio corporum radicali. Id ſatis expreſsè ſignificauit Paulus 1. *ad Cor.* 7. ſic dicens, *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* quibus verbis explicuit Paulus vinculum matrimonij per mutuam corporum poteſtatem, ſeu ius, ac dominium illorum. Et ratio eſt, quia prædictum vinculum reſultans ex conſenſu mutuo, & traditione, & acceptatione mutua corporum præterita, nequit conſiſtere in obligatione proxima reddendi debitum: nam hæc præſupponit verum, ac reale ius, & dominium mutuum corporum in ordine ad prolis generationem, ex quo oritur obligatio mutua in vtroque coniuge reddendi debitum: ergo vinculum illud, quod eſt eſſentialiter matrimonium, nihil aliud eſſe poteſt, quàm ius mutuum, & radicale dominium corporum. 2

Dico *ſecundò*, in matrimonio prædictum ius, ſeu mutuum corporum dominium radicale, eſſe rigoroſum & ſtrictæ iuſtitiæ. Ita omnes. Ratio eſt, quia tale ius, & dominium naſcitur ex legitimo, & valido matrimonij contractu inter eas perſonas initu, quarũ quælibet eſt ſimpliciter ſui iuris, & poteſtatis, in ea re, ſeu materia, de qua cum altera contrahit; ergo tale ius, eſt ius ſimpliciter, ſeu ſtrictæ iuſtitiæ. Firmo, quia actus ex illo iure, & dominio debitus eſt rigoroſæ, & ſtrictæ iuſtitiæ proprius; ex hac enim iuſtitia debetur redditio debiti, per ſe loquendo. Vnde ſi iſtud debitum ex prædicto iure exigenti coniugi non redditur ab altero, peccatum iniuſtitiæ à nõ reddente contra hunc iuſtitiam committitur: ergo euidens eſt tale mutuum ius, & dominium eſſe ſtrictæ iuſtitiæ. 3

Dico *tertiò*, prædictum ius, & dominium corporum eſſe ius in re, & non eſſe ius ad rem. Hoc etiam eſt certum apud Doctores. Pono ius acceptum pro legitima poteſtate, ſeu dominio proprietaris, vt modò accipitur, ſolere à Doctoribus communiter diuidi ex parte termini, quem reſpicit, in ius ad rem, & ius in re. Ius ad rem dicitur quod non tribuit actionem in rem, ſed tantùm in perſonam: tale ius eſt quod Petro, v. g. competit per emptionem, vel alios contractus, ante traditionem rei. Si enim res illa alteri vendatur, & re ipſa tradatur, manet illi, nec poteſt Petrus illam vendicare, quia non erat res illi obligata, ſed tantùm habet actionem perſonalem in eum, qui illum fraudauit. Ius in re dicitur, quod tribuit actionem realem, ſeu quod tem obligatam habet; tale eſt, quod habetur per emptionem, & alios contractus, ſecutâ rei traditione. Quo præmiſſo probatur dictum: nam ius in re eſt ius circa rem aliquam, cui res ipſa deuincta eſt; dicitur verò res deuincta iuri alicuius, quæ perſonæ tale ius habenti ita addicta eſt, vbicumque locorum ea res ſit, & cuiuſcumque in manus venerit, & repetendi à quocumque qui eam acceperit, & iſte eam illis teſtituendi. At ex vi contractus matrimonij initi, quilibet contrahentium ita corporis ſui dominium alteri tradit, vt eorum quilibet circa alterum, ſeu circa corpus alterius, tale compater ius, vt alter alteri ſit mutuò deuinctus, tanquam res propria eius, vbicumque ſit. Igitur tale ius, & dominium corporum verè eſt ius in re. Firmatur, nam 4

ex

ex vi contractus venditionis, & emptionis inter duos celebrati, ſi fiat mutua traditio rei venditæ, & pretij pro ea perſoluti, verè adquiritur ius in re circa rem illam, & circa pretium: ergo ſimiliter, cum ex vi contractus matrimonij ſit mutua donatio, & traditio, & acceptatio corporum, ius in re mutuum circa vtriuſque corpus adquiritur. In quo valde differt matrimonium ab ſponſalibus: nam ſponſalia in ordine ad corpora ſponſorum, ſolùm dant ius ad rem; matrimonium verò, ius in re ſtrictum, & rigoroſum.

5 Ad rationem dubitandi, conceditur antecedens, inde verò nihil ſequitur contra noſtram doctrinam. Nam per profeſſionem non deſtruitur illud ius & radicale dominium, ſed ſolùm impeditur, ne prodeat in actum. Vnde manet illud ius, non vt liberum, ſeu expeditum ad actualem coniugij vſum, vel ad copulam carnalem, ſed vt ligatum, & impeditum per votum caſtitatis emiſſum in profeſſione. Ex quo fit, vt ſi copula inter eos haberetur, non eſſet fornicatio, quia non eſſet acceſſus ad non ſuam, ſed eſſet ſacrilegium contra votum, & ius à Deo per tale votum adquiſitum. Quare, ſi impedimentum voti per diſpenſationem Papæ tolleretur, ſtatim maneret illud ius & dominium omnino liberum, & expeditum ad copulam. Ad confirmationem, negatur, permanente vero, ac valido matrimooio, poſſe coniugem abdicare à ſe ius, & dominium radicale, cùm in hoc conſiſtat eſſentialiter vinculum matrimonij coniugale. Poteſt quidem matrimonium validum eſſe, & nullam eſſe ex pacto, vel voto obligationem proximam formalem reddendi debitum; tamen vinculum maritale conſiſtens in mutuo corporum dominio ſemper perſiſtit, quia poteſt transferri dominium directum corporum, non transferendo dominium vtile quoad vſum, vt magis conſtabit ex dicendis in ſequentibus.

Sectio IV.

An Vinculum conſiſtens in mutuo radicali corporum dominio, ſpectatâ eius naturâ, includat ordinem ad copulam, vel vſum coniugalem.

1 HÆc & ſequens difficultas diſcutienda eſt, vt plenè intelligatur quidditas, & natura prædicti iuris, & dominij radicalis, in quo diximus ſitam eſſe rationem formalem vinculi matrimonij. Procedit quæſtio inſpectâ natura, & ratione formali matrimonij ſecundùm ſe. Nam ex parte intentionis contrahentium quid ſit dicam *ſectione ſequenti*.

2 Ratio dubitandi circa præſentem difficultatem, eſt, quia ſicut poſt contractum vinculum matrimonij, ſaluâ & integrâ ſubſtantiâ, & eſſentiâ illius, poteſt tolli ius petendi debitum, hoc eſt, perpetuò impediri: nam poſſunt coniuges ſe priuare iure petendi, vel ex mutuo pacto, vel ex voto caſtitatis, vel ex profeſſione religionis, manente in eis dominio in corpora, & radicali facultate ad copulam perpetuò impedita: ita à principio cùm tale vinculum initur, fieri poteſt ſaluâ ſubſtantiâ matrimonij, vt nimirum poſſit quis tradere alteri dominium ſui corporis perpetuò impeditum: ergo in eo caſu tale dominium non haberet ordinem & reſpectum ad filiorum procreationem: ergo neque ad copulam, cùm ſit omnino impedita.

3 Dico *primò*, certum eſſe copulam non eſſe partem eſſentialem matrimonij vt vinculum eſt reſultans ex *contractu*. Dictum eſt omnium Theologorum *in* 4. *diſt.* 30. Probatur, tum ex Nicolao Papa *in cap. ſufficiat.* 27. *quaſt.* 2. vbi expreſsè decernit, ſolum mutuum conſenſum, quo coniuges adinuicem ſibi tradunt ius, & poteſtatem in ſua corpora, facere matrimonium: ergo cauſa efficiens matrimonij, hoc eſt, vinculi coniugalis, eſt mutuus conſenſus expreſſus: ergo ante conſummationem, ſolo conſenſu legitimo matrimonium reſultat. Tum ex Concilio Florentino *in decreto Eugenij*, vbi quoque decernit matrimonium perfici mutuo conſenſu, qui ſine dubio copulam antecedit. Et ex Tridentino *ſeſſ.* 24. vbi diſtinguit matrimoniũ ratum à conſũmato, & ſupponit illud eſſe verum matrimonium. Et idem habet communis traditio, & conſenſus Eccleſiæ. Tum quia certum eſt matrimonium in Paradiſo & in ſtatu innocentiæ verum fuiſſe inter Adam, & Euam, vt ſtatutum fuit à Bonifacio VIII. *cap. vnico, de voto, in* 6. Et ſatis colligitur ex illis verbis Chriſti Domini *Matthæi*. 19. Nonne legiſtis, quia qui fecit eos ab initio, maſculum & fœminam fecit eos. At conſtat in ſtatu innocentiæ, & in Paradiſo illo terreſtri carnalem copulam non habuiſſe. Nam quòd Adam cognouerit Euam, dicitur *Gen*. 4. poſtquam eiectus fuerat cum ea de Paradiſo. Igitur verum & legitimum matrimonium non includit eſſentialiter copulam. Quare ſicut in rebus, quæ vſu non conſumuntur, dominium diſtinguitur ab vſu, & abſque illo haberi poteſt; ita in matrimonio poteſt dari poteſtas & dominium in corpus coniugis abſque vſu copulæ carnis.

Dico *ſecundò*, copulam non eſſe partem integra- 4
lem matrimonij, ſeu vinculi reſultantis ex contractu. Ita omnes. Et ratio eſt, quia, vt ſentiunt Doctores in materia de contractibus, vſus rei traditæ in nullo contractu pertinet ad eſſentiam, vel integritatem contractus, vt eſt per ſe manifeſtum in emptione, venditione, & aliis ſimilibus: ergo neque in matrimonij contractu: ergo multo minùs integrabit ipſius contractus effectum, nempe vinculum ipſum.

Dico *tertio*, matrimonij vinculum ex ſe, & ex ſua 5
ratione formali non poſſe eſſe, neque intelligi abſque ordine, ſeu connotatione ad copulam. Ita Scholaſtici omnes. Et ratio eſt, quia nequit vinculum prædictum conſiſtere in ſola coniunctione animorum per dilectionem, & habitationem, quia aliàs poſſet inter fratrem, & ſororem, imò & inter duos fratres iure ipſo naturali eſſe matrimonium, cùm poſſit eſſe inter illos animorum ſocietas in charitate ad perpetuam habitationem: ergo ideò inter illos nequit matrimonium eſſe, nec intelligi, quia ipſa matrimonij coniunctio, ſeu vinculum ipſius ſuapte naturâ ad hoc eſt, vt filij generentur; ergo matrimonium ſecundùm ſe ordinem habet ad copulam ſecundùm carnem. Firmo, quia ſi in ſola animorum coniunctione per charitatem, & habitationem conſiſteret matrimonium; verum non eſſet quod habetur *Gen. cap.* 1. *&* *Matth.* 19. Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ. Nam propter huiuſmodi vinculum tantùm, neque natura, neque charitas ipſa prohiberet cum alio coniungi, quin potiùs ad manendum cum patre, & matre, & eos diligendos inclinaret, niſi talis eſſet coniunctio, propter quam iure optimo relinquitur pater, & mater; qualis eſt coniunctio maritalis per ordinem ad copulam carnalem. Roboro magis dictum; nam in matrimonio, ſicut in quouis alio contractu, in quo res datur, & accipitur, duo ſunt: alterum eſt tranſlatio dominij, quæ eſt poteſtas radicalis, & facultas vtendi re illa; alterum eſt vſus ipſius rei. Prius eſt radix poſterioris, & ita ad illud ſuapte natura refertur. Igitur in matrimonio, in quo ratione contractus matrimonialis datur, & accipitur

pitur corpus, duo hæc inueniuntur, nempe tranſlatio dominij corporum vnius in alterum, quæ ſuapte naturâ refertur ad vſum, & conſuetudinem coniugalem ſecundùm carnem, & eſt vſus ipſe coniugalis, ſiue copula. Illa ergo radicalis facultas in matrimonio ad vtendum, ita vt ſi vtatur non accedat ad alienum corpus, nec fornicatio ſit, nec iniuſtitia, eſt in quo conſiſtit matrimonij natura, & eſſentia.

6 Reſpondebis, poſſe intelligi rationem matrimonij ſine ordine ad copulam, per ſolam animorum coniunctionem cum obligatione ad non vtendum corpore alterius coniugis, vel ad non ſumendam alteram partem in coniugem, viuente priori parte. Sed contra eſt, quia iſta obligatio negatiua non ſumendi aliam in coniugem, viuente prima parte, non poteſt eſſe eſſentialis, ſeu omnium prima in matrimonio, quia neceſſariò ſupponere debet aliam priorem obligationem reſultantem ex tranſlatione dominij corporum vnius in alterum; hæc autem ſuapte natura refertur ad vſum, & conſuetudinem coniugalem ſecundùm carnem: ergo nequit intelligi natura, & eſſentia matrimonij ſine ordine, & connotatione ad copulam carnalem. Adde in lege veteri polygamiam non tantùm fuiſſe permiſſam, ſed licitam: ergo erat tunc matrimonium ſine vlla obligatione non ducendi alteram coniugem viuente primâ: igitur neque eſſe, neque intelligi poteſt natura & eſſentia matrimonij ſine ordine, & cõnotatione ad copulam. Et certè cùm vinculum matrimonij prædictum eſſentialiter ſit mutuum corporum dominium in ordine ad prolis propagationem, vt eſt commune Doctorum, & omnium proloquium; neceſſariò fertur intrinſecè in copulam, ac proinde matrimonium de ſe, ſuapte natura ad talem copulam ordinari neceſſe eſt.

7 Dico *vltimo*, tametſi nequeat intelligi matrimonij vinculum abſque ordine, & connotatione ad copulam; poſſe tamen intelligi, vt eam connotet perpetuò impeditam, non per ſe, ſed ex aliquo accidente. Ita ſentiunt Maior *in 4.d.* 30.*q*.4.§.1. in ſeptima ratione ſuæ concluſionis, Paludanus *in 4.d.* 30.*q*.1.*a*.1. *concluſ.* 2. *n*.6. ſupplementum Gabrielis *in 4.diſt.* 28. *q*.1.*a*.3.*dub*.1. & optimè Vaſquez *tom*.2.*in* 3.*p.diſp.* 125.*cap*.7.*n*. 81. *& ſequentibus.* Idem etiam attingit Suarez *tom*.2.*in* 3.*p.diſp*.7.*ſect*.1.§. *Ad ſecundam confirmationem.* Contrarium ſenſit Almaious *in 4.diſt*.1.*q*.2.§. *dicunt alij.* Quia impoſſibile ipſi videtur, vt quis habeat dominium alicuius rei, quin aliquo tempore, aut modo ipſa vti poſſit, cùm dominium ſit poteſtas & facultas vtendi re; fruſtrà autem videatur poteſtas & facultas, quæ nunquam in actum prodire poſſet. Cæterùm hoc non obſtante, verum eſt noſtrum dictum propoſitum. Quod vt rectè intelligatur & probetur, notandum eſt, duobus modis poſſe impediri perpetuò vſum alicuius rei; vel ex rigoroſa iuſtitia, ita vt ſi quis ea vtatur, faciat contra iuſtitiam ſtrictè ſumptam, vel etiam poteſt impediri perpetuò ex alia virtute, vel ex virtute religionis, vel fide promiſſionis, vel ex deuotione, vel ex accidenti aliquo. Dico igitur prius impedimentum non poſſe intelligi cum matrimonij vinculo, bene tamen poſterius. Quod ſic probo. Nam intelligi nequit vinculum matrimonij ſine tranſlatione dominij corporum, vt conſtat; at nequit ſtare, neque intelligi impedimentum perpetuum vſus ipſorum, ita vt ſi quis illis vtatur, faciat contra rigoroſam iuſtitiam, cum tranſlatione dominij. Patet, quia non poſſet in eo vſu eſſe peccatum contra iuſtitiam rigoroſam, niſi eſſet vſus rei alienæ; implicat autem dominium corporum eſſe tranſlatum, & rem eſſe alienam; atque ideò matrimonium nequaquam iniri poteſt ſub ea conditione, vt debitum non exigatur, ſi ita intelligatur, vt talis vſus eſſet peccatum fornicationis, aut adulteri. Quod autem intelligi poſſet à principio transferri dominium corporum, impedito perpetuo vſu ex alia virtute, vel ex ſola fidelitate erga coniugem, promittens ſe nunquam debitum ab ea petiturum, vel ex fidelitate erga Deum ratione voti caſtitatis, patet manifeſtè: quia ſi aliqui cõiugati iã conſũmato matrimonio, quò vel emitterẽt votum caſtitatis, vel ad religionem tranſierint, & profeſſionem facerent, perpetuò eſſent impediti ab vſu matrimonij per accidens ratione voti caſtitatis, vel profeſſionis emiſſæ, & tamen eſſent verè coniugati: ergo rectè intelligitur idem à principio cùm vinculũ matrimonij initur, cùm ſit eadem ratio. Firmo, quia videmus in noſtra Societate in Religioſis, qui tantùm emiſerunt tria vota ſimplicia ſubſtantialia, tranſacto Nouitiatus biennio, manere dominium ſuorum bonorum, impedito tamen vſu illorum perpetuo, per votum paupertatis. Id quod in Religioſis profeſſis prioribus ſeculis contingebat, vt volunt multi graues Doctores, qui retento dominio rerum carebant vſu perpetuo per votum paupertatis. Vnde modò prædicti Societatis religioſi nequeunt aliquâ re ſuâ vti ſine licentia Præpoſiti, aut Rectoris; adeò vt ſi aliqua re vterentur, peccarent, non quidem peccato furti contra iuſtitiam; nam veri domini ſunt, ita vt contractus ſine ſuperioris facultate celebrati de ſuis rebus, validi cenſeantur; ſed peccato ſacrilegij contra religionem ratione voti priùs nuncupati: ergo etiam ſimiliter idem dicendum in noſtro caſu.

Ex quo patet ſolutio ad rationem dubitandi initio 8
adductam, concedendo antecedens, & conſequentiam primam; negando verò ſecundam conſequentiam. nam ex vltimo dicto iam conſtat in eo caſu tale dominium habiturum ordinem, & reſpectum ad filiorum procreationem, & ad ipſam copulam; cùm hæc, etiam in illo caſu, non eſſet per ſe impedita ex virtute caſtitatis; quoniam hæc duo nequeunt ſimul ſtare, vt nimirum transferatur dominium corporum, & illud non excuſet à peccato fornicationis, vt iam explicatum eſt; eſſet tamen impedita per accidens ex voto caſtitatis, vel ex mutuo pacto.

Sectio V.

An in matrimonio, ex parte intentionis adiunctæ contrahentium requiratur ordo in copulam.

Baſilius Ponce ex profeſſo defendit *lib*.1. *de ma-* 1
trimonio cap. 18. *num*. 7. *& ſequentibus*, vt validè contrahatur matrimonium non requiri ex parte contrahentium etiam implicitum conſenſum in copulam. Idem docet noſter Sanchez *lib*.2. *de matrimonio diſp*. 28.*n*.4. vbi diſtinguit finem implicitum ex parte contractus, & conſenſum implicitum ex parte contrahentis, & ait illum requiri implicitum in copulam ex parte contractus, non verò ex parte contrahentis.

Probat hanc ſententiam Baſilius

Primò aliquibus D. Auguſtini teſtimoniis, dicentis, ſolam animorum coniunctionem amicabilem, & germanam ſine commixtione carnali ſatis eſſe ad verum matrimonium, atque adeò poſſe conſiſtere veram rationem coniugij ſine ordine ad commixtionem carnalem.

Secundò, matrimonium contractum ſub conditione

ne expreſsâ caſtè viuendi validum eſt, atque legitimum & licitum: ergo verum eſſe matrimonium poteſt abſque conſenſu in copulam; aliàs enim tale matrimonium eſſet peccatum contra caſtitatis votum. Firmatur, quia poſt caſtitatis votum, velle nubere, aut nubere, damnabile eſt, vt docuit Auguſtinus *lib. de bono viduitatis c.* 8. & habetur *in cap. nuptiarum bonum 27. q.* 1. non longè à principio, his verbis. Quâ expetitâ, & electâ (nempe viduitate, & voti debito oblata,) iam non ſolùm capeſſere nuptias, ſed etiamſi non nubant, velle nubere damnabile eſt. Vbi clarè conſpicitur damnabile eſſe poſt caſtitatis votum velle nubere, aut nubere, non alia de cauſa, niſi ſi celebretur in ordine ad copulam ex parte contrahentis, quam poſt votum non poteſt habere ſine peccato, aut, quia ſe exponat periculo illam habendi.

Tertio idem probatur in matrimonio impotentis cum impotente, cognita impotentia, quod validum eſt; & tamen qui contrahit cum impotenti cognitâ impotentia, nullatenus poteſt in copulam conſentire, cùm impoſſibilis ſit, atque adeò debet contrahere ſub conditione caſtè viuendi: ergo.

Quartò, ad eſſentiam matrimonij ſolùm requiritur quòd ſit mutua coniunctio in indiuiduam vitæ ſocietatem cum diuerſitate ſexus; ſed totum hoc reperiri poteſt im matrimonio contracto ſine vllo ordine ad copulam ex parte contrahentis: ergo ſine tali ordine validum conſtare poteſt matrimonium. Maior probatur ex generali ratione contractus, in quo eſt traditio dominij. Vbi dominium diſtinguitur ab vſu, & poteſt eſſe contractus circa materiam dominij ſine vllo ordine ad vſum, & etiamſi aliàs deficiat vſus: tã enim vſus, quàm dominium poteſt eſſe vnumquodque ſeparatim integra materia contractus. Vnde duplex dominium in fundo, verbi gratia, diſtingui ſolet, vnum directum, ac proprietatis, alterum vtile, quod pertinet ad vſumfructuum: ergo ſimiliter in matrimonio nihil repugnat, eſſe matrimonium, in quo ſit mutua coniugum traditio, & dominium directum, ac proprium, ſine vllo tamen ordine ad vſum, & copulam ex parte contrahentium.

Vltimo, inter beatiſſimam Virginem, & Sanctum Ioſephum fuit verum matrimonium, illudque fuit celebratum poſt emiſſum votũ caſtitatis ab vtroque: ergo non potuit eſſe cum conſenſu in copulam, etiam implicito, ex parte contrahentis. Pro rei explicatione

2 Notandum *primò*, in matrimonio obiectiuo eſſe tria diſtinguenda, *primum* id quod eſt ipſi eſſentiale. *Secundum*, id quod eſt proprietas eius. *Tertium*, id quod eſt effectus quaſi merè contingens ipſius. *Primum*, iuxta noſtram ſententiam ſitum eſt in vinculo maritali conſiſtente in mutuo corporum dominio, ſeu, quod idem eſt, in dominio proprio fideli, & indiſſolubili corporum. *Secundum*, ſitum eſt mutuis obligationibus ſeruandi fidem, nempe non cognoſcendi alterum, & reddendi debitum copulæ, ſi petatur ab alio coniuge. *Tertium* tandem, ſitum eſt in ipſa copula.

3 *Secundo* notandum ex prædictis obligationibus, conſequentibus eſſentiam matrimonij, mutuam obligationem negatiuam ſeruandi fidem, id eſt, non cognoſcendi alienum, eſſe inſeparabilem proprietatem, ſiue talis obligatio ſit radicalis, ſiue formalis, & actualis, vt eſt certum. nam hæc tendit ad hoc vt nullo modo committatur adulterium. Vnde obligatio fluit neceſſariò, nec poteſt à matrimonio ſeparari: hęc enim iure naturali, diuino, & humano omnino inſeparabilis eſt, nec proinde in poteſtate coniugum eſt vt remittatur.

4 *Tertio* notandum mutuam obligationem poſitiuam ſeruandi fidem, id eſt, reddendi debitum, ſiue copulam, ſi ab altero coniuge exigatur, eſſe duplicem, aliam radicalem & aptitudinalem, ſeu remotam; aliam formalem proximam, & actualem; ex quibus prima obligatio radicalis inſeparabilis eſt ab ipſo vinculo, ſeu dominio, neque ab ea differt re ipsâ, niſi ad ſummum ratione, ob diuerſum connotatum, vel tanquam conceptus clarus, vel confuſus. Nam eo ipſo quòd vni traditur dominium corporis alterius, huic alteri neceſſariò cõcomitanter, ac inſeparabiliter ineſt radicalis, ſeu aptitudinalis obligatio reſpectu illius, cui traditum eſt dominium. Altera verò obligatio actualis, & formalis ſeparabilis eſt; fluit enim à natura matrimonij impedibiliter, cùm mutuâ cõuentione ſeparari poſſit huiuſmodi obligatio. Hoc adeò eſt certum, vt ſine magna ſaltem temeritate non videatur poſſe negari. *Primò*, quia ſi coniuges poſt conſummatum matrimonium pari conſenſu profeſſionẽ faciãt, neuter habet iam obligationem actualem reddendi propter votum ſolemne, vt patet ex *cap. cùm ſis, cap. vxoratus, cap. veniens, de conuerſ. coniugatorum*: at vinculum matrimonij inter eos adhuc permanet inſolubile, vt apertè colligitur ex octaua Synodo, & refertur *27. quæſt. 2. can. ſi quis coniugatus*; vbi definitur adulteram eſſe vxorem eius, qui religionem profeſſus eſt, ſi eo viuente alteri nubat, intellige poſt conſummationem. Tum ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. can. 6.* vbi cùm ſub anathemate definiat matrimonium ratum, non conſummatum per ſolemnem religionis profeſſionem alterius coniugis, dirimi; à contrario ſenſu vult colligamus, ſi conſummatum ſit, non dirimi. quod etiam habet communis ſententia. Præterea ipſi coniuges, etiamſi profeſſionem non faciant, ſi tamen pari conſenſu votum ſimplex caſtitatis emittant, vel voueant mutuò renuntiare iuri petendi debitum, deobligantur mutuò à redditione debiti. Rurſus vno coniugum lapſo in adulterium, ipſo iure alter deobligatur à redditione debiti, ex *cap. ſignificaſti, & cap. gaudemus, de diuortiis*. In contractu enim non tenetur quis ſeruare fidem, ſi alter non ſeruet eam, iuxta regulam iuris; conſtante igitur matrimonio tolli poteſt obligatio actualis reddendi debitum, ſaltem ex vna parte. Denique hodie more Eccleſiæ contrahentes non habent actualem obligationem reddendi debitum, ſi alter velit ingredi religionem, niſi poſt certum tempus ab Eccleſia præfixum, vt Doctores vno conſenſu aſſerunt, iuxta *c. ex publico, de conuerſ. coniugatorum*. Vnde ſi alter ingrediatur ante conſummationem, præcedens matrimonium nunquam ſortietur obligationem actualem reddendi debitum alteri coniugi petenti; huiuſmodi enim obligatio non conſurgit, niſi poſt terminum temporis lapſum; cùm tamen ſubſtantia, & eſſentia matrimonij ab initio contractus ſemper ſtet. Quibus addo, non ſolùm poſt contractum matrimonium, ſed etiam ante illud ex pacto mutuo contrahentium nunquam ſe cognoſcendi, auferri poſſe à matrimonio obligationem formalem, & actualem ad copulam, vt conſtabit ex dicendis ſectione ſequenti. His prænotatis,

5 Dico *primò*, ad valorem matrimonij neceſſariò requiri, vt ſaltem implicitè conſenſus contrahentium feratur in obligationem aptitudinalem, ſeu radicalem reddendi debitum, non ſolùm ex parte contractus, ſed etiam ex parte contrahentium. Ita optimè Rebellus *lib. 2. ſect. 4. n. 41.* Et mihi videtur certum, quia quando duo ſunt inſeparabila, & neceſſariò connexa, eo ipſo quòd conſenſus ad vnum explicitè fertur, ad aliud ſaltem implicitè; iuxta commune illud Philoſophorum dictum: *Qui vult formam, vult conſequentia ad formam*; ſed conſenſus coniugatorum neceſſariò

Digitized by Google

ceſſariò debet ferri explicitè in vinculum coniugale, quia coonſenſus neceſſariò debet ferri in id quod eſt de eſſentia matrimonij, quale eſt vinculum: ergo neceſſariò eo ipſo ferri debet ſaltem implicitè ad obligationem aptitudinalem, ſeu radicalem teddendi debitum, quæ re ipſa inſeparabilis eſt à vinculo, & neceſſariò connexa cum illo. Firmatur, quia io mutuo corporum dominio ſub vinculo coniugali inſolubili, in quibus poſita eſt eſſentia matrimonij, remanet idemrificata tadicalis obligatio ad concubitum, etiam poſt ſublatam obligationem formalem actualem teddendi copulam per mutuam iuris renũtiationem, vel aliam ob cauſam, in quantum ſcilicet, ſi ruſus reuocaretur titè ea renuntiatio, tollerenturque impedimenta, conſurgeret illico vtrimque obligatio formalis actualis reddendi debitum, non ſecus ac poſt ſublatam ab vxore adultera ius petendi, & à marito obligationem teddendi; turſus per remiſſionem iniuriæ reſultat in adultera ius petendi, & in marito obligatio actualis teddendi; ergo in hanc radicalem obligationem neceſſariò ſaltem implicitè cõſentire debent coniugati, licèt ab actuali, & formali obligatione diſſentiant, quando contraxerunt: quia hæc obligatio radicalis non præiudicat voto caſtitatis abſoluto, imò eo ſtante, poteſt coniungi cum contraria obligatione actuali ad non teddendum debitum, quantumcumque petatur; & ex alio capite nequit diſtingui à vinculo, & dominio, niſi ad ſummum ratione ob diuerſum connotatum, ſeu ob idem magis, vel minùs expreſſum, vt ſuprà notatum eſt.

6 Dico *ſecundò*, hoc manifeſtè ſequi conſenſum, tam ex parte contractus, quàm ex parte contrahentium dicere ordinem, ſeu connotationem ad copulam. Patet manifeſtè, quia cùm obligatio tadicalis teddendi debitum oriatur neceſſariò, & inſeparabiliter ex vinculo matrimonij, neceſſe eſt vt hoc natura ſua ordinetur ad prolis propagationem; non enim matrimonij vinculum eſt inſtitutum, vt ſit tantùm coniunctio, & ſocietas inter duos ad vitam traducendam, quia aliàs inter duas fœminas, vel inter duos viros poſſet dari vinculum matrimonij; debet ergo eſſe inter virum, & fœminam cum tranſlatione corporum dominij mutua, quorum diuerſitas ſexus, & potentia generatiua vtrique indicta cum prædicto dominio natura ſua ordinatur ad prolis propagationem; ergo natura ſua connotat copulam ſine qua non datur prolis procreatio; conſenſus igitur tendens in vinculum matrimonij, & in obligationem illam radicalem teddendi debitum, neceſſe eſt vt tendat quoque ſaltem connotatiuè in prolis propagationem, & ad ipſam copulam tanquam in terminum, & obiectum, ſine quo propagatio prolis non datur. Firmatur, nam ad matrimonium neceſſariò requiritur conſenſus in tranſlationem dominij corporum mutuam: ergo cùm hæc facultas, ſicut & tranſlatio dominij corporum referatur ad copulam, neceſſe eſt vt idem conſenſus ſecundariè, & implicitè, ſeu connotatiuè connotet ipſam cupulam, quia eſt ad facultatem, & ius ipſius copulæ, vt rectè notauit noſter Vaſquez *Tom. 2. in 3. partem, diſp. 125. cap. 7. n. 79.* Idque neceſſe eſt procedat tam ex parte contractus, quàm etiam ex parte contrahentium.

7 Dico *tertio*, neque ex parte contractus matrimonij, neque ex parte contrahentium requiri ad valorem illius, vt conſenſus etiam implicitè feratur in formalem, actualem, & proximam obligationem vſus ipſius coniugalis, ſeu copulæ. Ita Vaſquez, & Rebellus *citati*, & communiter omnes Doctores. Et patet manifeſtè, quia quando duo in re ipſa ſunt ſeparabilia, & minimè connexa, & aliquando re ipsâ ſeparantur, non eſt neceſſe, vt eo ipſo quòd vnum ametur, ametur etiam aliud explicitè, vel implicitè: nam eo ipſo quòd duo ſunt in ſe realiter diſtincta, & minimè inter ſe connexa, ſunt quoque in ſe, & per ſe, ac ſeorſum amabilia; poteſt igitur vnum expreſsè amari, quin expreſsè, & etiam implicitè ametur aliud; ſed obligatio formalis, & actualis reddendi debitum eſt in re ſeparabilis à vinculo matrimonij, & ab obligatione radicali teddendi debitum, vt ſuprà notaui; ergo eo ipſo quo conſenſus, & contractus contrahentiom fertur in vinculum matrimoniale, neceſſe non eſt vt explicitè, vel implicitè feratur in actualem illam obligationem formalem reddendi debitum. Quando enim ex amore efficaci vnius implicitè amatur aliud, ideo eſt (quia hoc aliud eſt inſeparabile à priori, vel cum illo neceſſariò connexum: at prædicta actualis obligatio reddendi debitum eſt in re ſeparabilis à vinculo, & minimè cum illo connexa. Firmo ampliùs: nam in ipſo contractu matrimonij ſimul cum vinculo, & obligatione radicali poteſt ſimul ſtare mutuus expreſſus diſſenſus petendi, & reddendi debitum: validum enim eſt matrimonium contractum à duobus voto caſtitatis adſtrictis, & cum renunciatione obligationis teddendi debitum, vt conſtabit ex profeſſo *ſectione ſequenti.* Tunc ergo in vſum, & copulam non ſolùm expreſsè non conſentirent, ſed expreſsè diſſentirent, & ſtatuerent nunquam ſe cognoſcituros; ergo.

Dico *vltimo*, ſuperuacaneum eſſe, & ſine fundamẽto vllo propoſitam diſtinctionem illam adhibitam 8
à Baſilio, & à Sanchez de conſenſu implicito ad copulam ex parte contractus, vel ex parte contrahentium, illumque requiri neceſſariò ex parte contractus, non verò ex parte contrahentium. Colligitur ex dictis præcedentibus. Nam ſi illud intelligatur de obligatione radicali, conſenſus ipſe tã ex parte cõtractus, quàm etiam ex parte contrahentium dicit neceſſariũ ordinem ad illam, adeò vt ſine illa nequeant ſubſiſtere, nec intelligi matrimonij contractus, nec vinculum ipſum. Si verò intelligatur de obligatione actuali formali, nullus ad illam conſenſus requiritur, neque ex parte contractus, neque ex parte intentionis contrahentium, cùm poſſit conſiſtere cũ expreſſo illius obligationis diſſenſu. Firmatur id amplius, quia cõſenſus, qui ex parte contractus matrimonij neceſſarius eſt, ex parte quoque contrahentiũ vt ſic, neceſſarius etiã iudicandus eſt: nam iidem ſunt qui conſentiunt, & qui contrahunt; & ſicut conſenſus proprius actus eſt conſentientis; ita & contractus eſt proprius actus contrahentis. Quod autem alicui agẽti ex parte proprij actus neceſſarium eſt, etiam ex parte agentis ipſius eidem ipſi verè neceſſarium eſt, & eſſe dicitur: ergo quod neceſſarium eſt contrahenti ex parte contractus, ex parte quoque contrahentis neceſſarium eſt; neque enim id aliter intelligi, aut concipi poteſt.

Ad argumenta Baſilij facilis eſt ſolutio.

Ad primum dico in nullo ex illis teſtimoniis D.
Auguſtini, quæ ab ipſo Baſilio adducuntur, ſi benè 9
ponderentur, dixiſſe Sanctum Doctorem, eſſentiam matrimonij ſitam eſſe in ſola illa animorũ cõiunctione per amorem, ſeu dilectionẽ, & habitationem; cùm omnes Scholaſtici tãti Doctoris diſcipuli in hoc vnũ conſpirent, vt matrimonium ſuapte natura ad conſuetudinem, & ad vſum coniugalem ordinem habeat, & connotationem. Quare tantus Doctor, vel vult matrimonium ſtare poſſe ſine ordine ad actualem obligationem formalem reddẽdi debitum, ex pacto mutuo, vel voto etiam mutuo caſtè viuendi; quod nos libenter fatemur. Vel intendit, poſſe contrahi matrimoniũ à ſenibus habentibus lãguida, ac propè emortua corpura, nec dare operam volentibus rei vxoriæ, nec ab

extrinſeco

Digitized by Google

extrinſeco potentibus vſum ipſum coniugalem exercere; quod nos etiam concedimus. Vel denique contendit, non ſolùm poſt contractum matrimonium poſſe abſtineri ab vſu manente coniugio, ſed etiam ante contractum poſſe amoueri omnem conſenſum ad proximum vſum, & copulam; quod etiam nos admitrimus, vt conſtabit magis ex dicencendis infrà *ſect. ſeptima.*

10 Ad ſecundum, concedo, matrimonium contractum ſub illa conditione caſtè viuendi ex voto, eſſe verum, ac legitimum matrimonium; tunc verò ſic illud contrahentes, conſentirent expreſsè in vinculum, ſeu mutuum corporum dominium, & implicitè in obligationem radicalem reddendi debitum, non verò in obligationem actualem, formalem, & proximam. Vnde qui ſic contraherent, nec poſſent petere, nec reddere debitum: non enim pugnat voluntas tradendi, vel accipiendi dominium, & nonvtendi. Ad confirmationem rectè dixiſſe Auguſtinum velle nubere, aut nubere poſtvotum caſtitatis damnabile eſſe, quando nimirum adeſt voluntas, vel periculum vtendi matrimonio, qui vſus ratione voti adiuncti illicitus eſt, & contra virtutem religionis.

11 Ad tertium, dico impotentes non ab extrinſeco, ſed ab intrinſeco, & ſuapte naturâ non eſſe ſubiecta capacia vinculi coniugalis; ad validè enim contrahendum perſonæ babiles à natura exiguntur, quæ habilitas ex intrinſeca impotentia ad copulam impeditur iure naturali; ſicut impeditur iure poſitiuo per Ordinis ſuſceptionem, per affinitatem ſpiritualem, & ſimilia. Etenim ſubiecta matrimonij ita capacia eſſe debent, vt ſublatis impedimentis extrinſecis, ſiue voti per diſpenſionem, ſiue pacti de continendo per mutuá reuocationem, ritè poſſint habere rem ex vi præcisè præcedentis contractus coniugalis; ſiquidem, vt dixi, in omni matrimonio ſuapte naturâ inſeparabiliter ineſt aptitudinalis, ſeu radicalis obligatio ad copulam licitam coniugalem, quod nemo negabit. Id autẽ inter impotentes natura ſua reperiri non poteſt.

12 Ad quartum, negatur maior: non enim poteſt omnino excludi ordo ad copulam, ſaltem in radice propter dominium corporum ordinatum ad illam, quod eſſentialiter ingreditur naturam, & eſſentiam matrimonij, vt ſatis explicatum eſt. Neque verò huic noſtræ doctrinæ obeſt generalis illa ratio contractus; nã admitto libenter duplex illud dominium in fundo, nego tamen non eſſe in vtroque verum, & realem ordinem ad vſum fructuum, hoc pacto, vt nimirum dominiũ vtile proximè reſpiciat vſum fructuũ; directũ verò, ſeu proprium dicat ordinem ad talem vſum, non quidem proximum, ac immediatum, ſed remotum, & in radice, ſeu in cauſa, cùm ex hoc dominio directo, ſeu proprio oriatur aliud dominium vtile.

13 Ad vltimum, ſatisfiet infrà *ſect. ſeptima*, vbi de matrimonio puriſſimo beatiſſimæ Virginis cum Sancto Ioſepho copiosè agetur.

Sectio VI.

An validum ſit, & conſiſtens matrimonij vinculum, cum conditione vitandi prolem in perpetuum, nunquam exercendo vſum coniugalem.

1 Certum eſt apud Doctores, matrimonium initum ſub conditione contra ſubſtantiam & naturã ipſius, eſſe inualidum, & nullum. Vt ſi quis contraheret ſub conditione non transferendi dominium corporum ad vſum coniugalem; vel ſub conditione non ſe obligandi radicaliter ad vſum coniugalem, vel ſub conditione non transferendi dominium in perpetuum, ſed ad tempus certum. Quia prædictæ conditiones deſtruunt naturam, & ſubſtantiam matrimonij, vt ſuo loco latè tractabitur. Difficultas ergo controuertitur eſt, an prædicta conditio in contrahentibus nunquam ſe cognoſcendi, quæ videtur eſſe cõtra bonum prolis, ſit contra ſubſtantiam, & naturam matrimonij, & conſequenter vitiet illius contractum. Quæ controuerſia ideo hîc declaranda eſt, vt meliùs intelligantur dicta præcedenti ſectione.

Ad cuius dilucidationem prænotandum eſt, prolẽ dupliciter euitari poſſe ab ineuntibus matrimonium. *Primò* poſitiuè, ſeu contrariè, faciendo aliquid, quod ſit directè contrarium generationi prolis, & omnino illicitum, nempe eiiciendo ſemen extra vas, vel ſumẽdo potionem ſterilitatis, vel prolẽ enecando per abortum, & ſimilia. *Secundò* vitari poteſt pro es negatiuè, vitando copulam, & numquam ſe cognoſcendo ex pacto, vel voto. 2

Quo prænotato, certum eſt apud Doctores, matrimonium initum cum expreſſo pacto, & conditione vitandi prolem poſitiuè, ſeu contrariè, vitiare illud, & eſſe contra ſubſtantiam illius, ac eſſe inualidum. Ratio eſt, quia quamuis ex contractu matrimonij non ſẽper ſequatur actualis formalis obligatio proxima incumbendæ generationi; attamen naſcitur ſemper ex illo obligatio ad nihil agendũ illicitè contra prolis generationẽ, cùm ad hãc poſitiuè, & naturâ ſua matrimonium ordinetur; ergo cum tali obligatione, ac conſẽſu ad illam non eſt compoſſibilis obligatio vitandi prolẽ poſitiuè, niſi matrimoniũ vitietur, & reddatur nullũ. Patet conſequentia, quia duæ obligationes incõpoſſibiles, & inter ſe pugnãtes non poſſunt eſſe ſimul: ſed obligatio non vitandi prolẽ poſitiuè, ſeu contrariè eſt incõpoſſibilis, & naturâ ſuâ pugnat cum pacto & obligandi vitandi prolem poſitiuè, & contrariè; ergo huiuſmodi obligationes nõ poſſunt eſſe ſimul. Firmatur, quia prædicta conditio eſt contra proprietatem, ſeu paſſionẽ, quæ neceſſariò, & inſeparabiliter conſequitur matrimonium; nam ex matrimonio naſcitur obligatio inſeparabilis ad nihil poſitiuè efficiendum, quo proles impediatur poſitiuè, propter ablligationẽ radicalẽ dicentem ordinem, & connotationẽ ad vſum cõiugalem, & ad prolem ipſam; ergo prædicta conditio eſt contra ſubſtantiam matrimonij, & deſtruit illam. Quare ſicut in naturalibus natura, & ſubſtantia rei ita eſt neceſſariò cõnexa cum ſuis proprietatibus, vt ſine illis nequeat eſſe; & ſi illis deſtituatur, connaturaliter deſinere eſſe neceſſe ſit; ita pariter in matrimonio, ſi deſtituatur proprietatibus inſeparabilibus, vel earũ aliqua, qualis eſt prædicta obligatio de nihil agendo poſitiuè, & illicitè contra prolis generationẽ, conſiſtere nõ poteſt eius ſubſtãtia, & natura; & ideo talis cõditio appoſita in contractu matrimonij vitandi prolem poſitiuè, rectè dicitur eſſe contra ſubſtantiã matrimonij, quia illa adiuncta, ſeu appoſita deſtruitur tota ſubſtãtia matrimonij, iſtudque nullo modo cõſiſtere poteſt. 3

Difficultas igitur eſt apud Doctores, an cõditio de euitanda prolis generatione, non poſitiuè, ſed negatiuè, nempè non reddendi debitum, nec vnquam petẽdi, & ſe inuicẽ numquã copulandi, adcò ſit cõtra ſubſtantiã matrimonij, vt illud vitiet, ac omnino deſtruat.

Prima opinio affirmat, quæ eſt grauium Doctorũ, quos refert, & ſequitur noſter Sanchez *lib. 5. diſp.* 10. *num.* 2. & Enriquez *lib.* 11. *cap.* 4. Probant *primò*, quia Pontifex *in cap. finali, de conditionibus*, expreſsè dicit conditionem hanc, ſi prolem euites, vitiare matrimonium; ergo cùm prædicta conditio ſit contra bonum prolis, quia numquã ſe copulando, ſeu ſeruando ſemper caſtitatem, impeditur proles, vitiat matrimoninm. Neque enim Pontifex attendit, & diſtinguit, an conditio, quæ eſt contra bonum prolis, ſit honeſta, vel turpis, ſed tantùm quòd opponatur fini matrimonij: 4

at æquè illi repugnat, ſiue honeſta, ſiue turpis ſit.

Secundò, ſubſtantia matrimonij conſiſtit in mutuo iure petendi,& mutua obligatione reddēdi,ſed dicta coodirio nequit conſiſtere cum iure petendi, & cum obligatione reddendi,quia ex ea condiōooe oritur vera & realis obligatio reddeodi, & oritur priuatio iuris ad petendum:ergo dicta conditio eſt contra ſubſtantiam matrimonij, & illud irritat.

Tertiò, impoſſibilis videtur tranſlatio corporum mutua,ſine aliquo vſu; oam fruſtrà eſſet ea potentia ad copulam,quæ nunquam poſſet abſque mortali culpa in actum reduci.Firmatur, quia tale dominium in mutua corpora nullum haberet vſum : ergo eſſet omnino ioutile : ergo etiam nullum.

Quartè,ſi contrahentes in pactū deducant,& ſe adſtringant nunquam petendi,nec reddendi debitū,manifeſtè impediunt trāſlationē dominij corporū mutui: ergo nequaquā ineunt matrimoniū quod conſiſtit in ea tranſlatiooe corporum. Antecedens probatur, quia in eo euentu tenerentur non ſe cognoſcere ex iuſtitia, & ex caſtitate ratione pacti acceptati,& ſub eo matrimonij initi : ergo eâ cooditione ſic intellecta oullum transfertur dominium.Patet conſequentia, quia hæc duo ſtare non poſſunt, vt quis velit transferre dominium,& quòd non excuſentur à peccato iniuſtitiæ,& fornicationis. Qui ergo vellet vt ab eo geoere peccati non excuſarentur,profectò vellet, vt non fieret tranſlatio corporum, atque adeò vt nequaquam eſſet matrimonium,quod conſiſtit in ea corporum trāſlatione.

Quintè,commune eſt Doctorum proloquium, aliquid oocere poſſe matrimonio in initio,cùm cootrahitur,quod verè nō nocet, ſi fiat poſtea.Hoc autem verificatur de illa conditione, vt non ſe cognoſcant,vel vt nunquam ſibi inuicem debitum reddant. Sicut videmus impedimentum dirimens antecedens, matrimonium,illud irritare,& quando matrimonio iam facto ſuperuenit,non diſſoluere illud.

Vltimò, impotentes ad vſum matrimonij inualidè contrahunt : ſed qui cootrahunt cum mutua obligatione ſeruandi perpetuò caſtitatem, ſunt impotentes: ergo inualidè hoc contrahunt.

Secunda opinio huic oppoſita,negat eam conditionem nunquam ſe cognoſcendi, & ſemper caſtitatem ſeruandi antecedenter poſitam repugnare matrimonio contrahendo.Eam ſequuntur Paludanus, Abulenſis, & Barbatius, relati à Sanchez, Vaſquez *tom. 1. in 3 p. diſp.* 125.*c*.6.Rebellus *lib. 2. quæſt.* 10. *sect.* 3. Coninch *diſp*.24.*dub*.4. Gaſpar Hurtado *diff*. 7.*diffic*.9.Baſilius Ponce *lib.* 3.*c*.11.*n*.5.*& ſeq.* aliique nō pauci ex Recētioribus.Ratio à priori eſt,quia talis conditio,ſeu obligatiu non eſt contra eſſentiam & ſubſtantiam matrimonij.Quod inde patet, quia ſi eſſet,nec poſſet cum ea conſiſtere matrimonium iam contractum,quia nihil poteſt conſiſtere cum eo, qood ſuæ eſſentiæ contrariatur:ergo conditiooes, ſiue obligationes, quæ repugnant eſſentiæ matrimonij, ſicut eſſentialiter repugnant matrimonio cootrahendo, ita etiam & matrimonio cōtracto;quia eadē eſt eſſentia rei in fieri, & in facto eſſe. Ex quo fit, vt quia votū religionis in marito repugnat iuri coniugis,hàc inuitâ inualidè ab illo emittitur.Item,quia duo matrimonia nequeunt ſimul conſiſtere; ſecuodum, durante primo, inualidè & promittitur, & contrahitur. Igitur ſi mutua coniugum obligatio ad ſeruandam omnimodam caſtitatem, aut ad numquam petendum debitum repugnaret eſſentiæ matrimonij, non poſſet durante matrimonio ea validè ſuſcipi. At poteſt cum eo conſiſtere, vt patet, quando coniuges manente vinculo matrimonij ex mutuo conſenſu vouent omnimodam caſtitatem: ergo ei non repugnat, & conſequenter nec ipſum irritat.

Hanc ſententiam iudico veriorem, quam probo, & ſequentibus dictis magis declaro.

6 Dico igitur *primò*, ſi illa conditio, vt contrahentes matrimonium numquam ſe cognoſcant, nec reddant debitum,ita ab ipſis intelligatur,cùm contrahunt,vt ſi re ipsâ inuicē acceſſerint,& copulentur,ſit fornicatio, quaſi ab hoc peccato ratione contractus non excuſentur,manifeſtum videtur talem conditionem eſſe contra ſubſtātiam matrimonij,& illud vitiare,ac deſtruere.Ita rectè notauit Vaſquez *diſp*.125.*cit.c*.7.*n*.85.*&* 86.Ratio eſt,quia conditione ſic intellecta,nullū trāſfertur dominium,quod eſt de ſubſtantia matrimonij. Nam hæc duo ſecum conſtare non poſſunt, vt transferatur dominiū corporum,& illud nō excuſet à peccato fornicationis : ergo qui vellet, vt ab hoc genere peccati non ſe excuſaret,vellet neceſſariò,vt nō fieret tranſlatio domioij corporum,nec poteſtas illa conferretur, atque adeò vt nequaquam eſſet matrimonium, quod conſiſtit in ea tranſlatione corporum. Aliter iodicandum eſt,ſi eam conditionem apponeret poſt cōtractum matrimonium.Si enim coniuges iam contracto matrimooio vellent ita ab vſu coniugij abſtinere, & de hoc inter ſe coouenirent, vt ſi ſe cognoſcerent, peccarent peccato fornicationis,aut adulterij,nihil ſanè efficerent, neque obligatio vllius momenti eſſet, vinculum autem matrimonij firmum permaneret;firmum enim à principio vinculum non diſſoluitur ſuperueniente cooditione,neque vllo poſtea contractu, aut conuentione partium diſſolui poteſt. Quare non habet eundem effectum poſita in principio matrimonij,& poſtea. Vnde de illa cōditione verum eſt, obſtare quidem contractui matrimonij,& illud impedire ſi in principio apponatur; ſi verò poſtea ponatur, nihil operari;ac proinde hoc modo,& hoc ſenſu non eſt eadem ratio de illa,ſi initio apponatur, & poſtea. Et ita verū eſt aliquid nocere poſſe matrimonio in initio,dū contrahitur,quod tamen nō nocet,ſi fiat poſtea.Quod intelligi debet de his,quę ſi poſtea fiāt,nullius ſūt momenti,aut obligationis,qualis eſt hæc conditio : nam ea,quæ poſt contractum matrimonium facta manent, & obligant,qualis eſt conditio de voto caſtitatis, eodem modo debent cum matrimonio comparari,quādo contrahitur, & poſtquam contractum eſt, vt ſtatim dicam,

7 Dico *ſecundò*, conditiooem de vitanda copula in perpetuum ex voto, poſitam in cōtractu matrimonij, cum primo contrahitur, non eſſe contra eius ſubſtantiam; & conſequenter validum permanere, & conſiſteos vinculum matrimoniale. Ita Doctores ſecundæ ſententiæ,cui fauent illi,qui aſſerunt Beatam Virginē ſub ea conditione expreſsè conſenſiſſe;& tamen eius matrimonium verum fuiſſe,& certum.Probatur concluſio, quia dicta conditio non eſt contra materiam ſubſtantialem proximam matrimonij, cùm ſit compoſſibilis cum illa : ergo non eſt contra ſubſtantiam matrimonij,neque illud irritat. Antecedens patet,quia materia ſubſtantialis,circa quam contractus matrimonij proximè eſſentialiter verſatur, conſiſtit in mutuo corporum dominio in ordine ad vſum coniugalē, & in mutua radicali obligatione ad eundem;cum his autem non eſt incōpoſſibilis prædicta conditio ex voto; quia tametſi ex ea conditione non maneat expedita in ordine ad vſum obligatio radicalis ad reddendum, & etiam ius remotum, ſeu dominium ad petendum;imò potiùs impedita,cùm ex ea conditione oriatur poſitiua obligatio actualis,& formalis non petendi, & non reddendi; hæc tamen non ſunt incompoſſibilia cum dicto dominio, & cum prædicta obligatione radicali: quia dominiū iſtud poteſt eſſe,& perſeuerare cū obligatione proxima nō petēdi,& dicta radicalis obligatio reddēdi,cū poſitiua obligatione proxima nō reddēdi,

vt

Digitized by Google

vt patet in iam coniugibus, qui poſt initum matrimoniũ vouent de non petendo, & non reddendo in quibus verè manet mutuũ dominium, ſeu ius radicale, & mutua radicalis obligatio abſque iure proximo ad petendum, & abſque obligatione proxima ad reddendũ, imò & cum obligatione actuali poſitiua non petendi, & nõ reddendi; ergo dicta conditio ex voto nõ repugnat materiæ ſubſtantiali proximæ matrimonij conſiſtentis in dicto mutuo dominio, & in dicta mutua obligatione radicali, quamuis repugnet expeditioni, tam dicti dominij, quàm etiam dictæ mutuæ obligationis radicalis.

8 Ad hoc argumẽtũ cõmuniter reſpondẽt Doctores contrariæ ſententiæ, verũ eſſe prædictã ex mutuo voto conditionẽ non repugnare dominio in corpora iam tranſlato, & poſt contractum matrimoniũ; repugnare tamen dominio transferendo, ſeu dominio in fieri, & in transferri, atque adeò vitiare matrimonium. Sicut impedimentum dirimens, antecedẽs matrimonium, illud irritat; & quando matrimonio iam facto ſuperuenit, illud non diſſoluit.

9 Verùm contra iſtã ſolutionẽ ſic arguo. *Primò*, quia quãdo in aliquo eſt defectus repugnans ſubſtantiæ, & eſſentiæ rei, ſi defectus ille repugnat eſſentiæ in fieri, etiã repugnabit eſſẽtiæ in facto eſſe; & ſi nõ repugnat eſſentiæ in facto eſſe, non repugnabit eſſentiæ in fieri; quia ſubſtantia, & eſſentia rei eadem eſt quando fit, & quando eſt in facto eſſe; & nihil poteſt conſiſtere cũ eo quod ſuæ eſſentiæ cõtrariatur: ergo ſi prædicta cõditio ex mutuo voto caſtè viuendi repugnat eſſentiæ, & ſubſtãtiæ matrimonij, æquè repugnabit ei, tã in fieri, quàm in factu eſſe; atque adeò ſi prædicta conditio non repugnat matrimonio in facto eſſe, quia nõ eſt incompoſſibilis cum dicto dominio iam tranſlato, & cũ dicta obligatione radicali iam inductã, neque etiã repugnabit dictæ tranſlationi dominij, & inductioni radicalis obligationis dictæ. Firmo argumẽtum, nã licet verum ſit, quãdo eſt aliquis defectus in cauſa efficiẽte, hæc habeat vim impediẽdi effectũ ſecuturũ, nõ tamẽ deſtruẽdi iã factum, quia effectus pendet ab illa dum fit, nõ tamen dũ factus eſt. Vnde hac de cauſa impedimẽtũ dirimens, quia reddit perſonas inhabiles ad contrahendũ, irritat matrimoniũ cõtrahendum, non tamẽ contractũ, quia eſt defectus in cauſa efficiente, nẽpe in contrahentibus eos inhabilitans ad matrimonium, à quibus matrimoniũ dependet in fieri tantùm, non in conſeruari. At ſecus omnino eſt in conditionibus, quæ repugnant eſſentiæ ipſius contractus: nam iſtæ ſicut eſſentialiter repugnant matrimonio contrahendo, ita etiã contracto; nam eadẽ eſt eſſentia rei in fieri, & in facto eſſe, vt probat ratio adducta pro ſecunda ſententia, & exempla ibi adducta confirmant. Quare prædicta conditio ex mutuo voto ſemper caſtitatem ſeruãdi, ſicut matrimoniũ iam factum, ſeu vinculum matrimonij non elidit, ita nec repugnabit matrimonio contrahendo, ſeu in fieri. Vrgeo hoc ipſum. Nam aliquæ conditiones, quæ dicuntur eſſe poſitiuè contra finem matrimonij, ſicut etiã contra eius ſubſtantiam, qualis eſt illa conditio, de impedienda poſitiuè generatione, & prole, ſeminando extra vas, v.g. quæ opponuntur fini matrimonij contrariè, & poſitiuè; & ideo illud irritant, ſi in ipſo cõtractu apponãtur, quia deſtruũt verum conſenſũ ad matrimonium requiſitum; quæ conditiones etiã poſt contractum ipſum matrimonium & perfectum apponi non poſſunt ſine peccato, ac proinde initio appoſitæ mirum non eſt, ſi matrimonium irritent, quamuis non poſtea; quia cùm iam non poſſint auferre conſenſum, qui initio pro contractu præſtitus fuit, ſine peccato non apponuntur; matrimonium verò initum ſemel diſſoluere nequeunt. At conditiones aliæ, quæ ſolùm negatiuè apponuntur fini matrimonij, vt eſt conditio caſtè viuendi, vel abſtinendi ab omnimodo vſu coniugij, tametſi videantur matrimonij fini aduerſari; tamen nõ ita opponuntur fini matrimonij, vt contra ſubſtantiam ipſius verè ſint; ſolùm enim opponuntur fini, vt aiunt, negatiuè, cùm ſit ſola ceſſatio, & negatio actus coniugalis, quæ ex mutuo conſenſu ſancta, & licita eſt, non tamen contrariè, videlicet, referendo matrimonium ad finem illi poſitiuè cõtrarium, qualis eſt impedire prolem; cumque hæ conditiones licitè poſtea apponantur poſt conſummatum matrimoniũ, mirum non eſt, ſi initio appoſitæ, quãdo matrimoniũ contrahitur, non tollãt neceſſariũ conſẽſum, & conſequenter nec matrimonium ipſum irritẽt. Denique eandem concluſionẽ probo, quia obligatio actualis, & formalis ad reddẽdum fluit impedibiliter, vt dixi *præcedenti ſect.* à vinculo coniugali: ergo ſicut illa tolli omnino poteſt remanẽte vero coniugio quoad eſſentiam, per profeſſionem emiſſam poſt matrimonij conſummationẽ; ita & tolli poteſt, quando matrimonium initur, ſi ab vtroque pactũ inſeratur, vt liberum ſit cuique non reddere debitum, vtroque cedente iuri, quod alioquin ad petendum illud haberent: ergo contrahere poterũt ſub cõditione ſeruãdi ex voto perpetuã abſtinentiam ab actu carnali. Nam ſẽper illud veriſſimum eſt, quoties à contractu aliquo ſeparabilis eſt peculiaris aliqua obligatio, ſaluâ eius naturâ poſtquam ſemel eſt celebratus, eadem optimè poteſt tolli ab illo, antequam celebretur; atque adeò ſi obligatio ad copulam ſeparari poteſt à nuptiis, poſtquam ſunt contractæ, poterit quoque tolli ab eiſdem antequam contrahantur, ſalua earum ſubſtantia permanente.

Dico *tertiò*, conditionem mutuam nunquam ſe cognoſcendi ortam ex mutuo pacto; & contractu iuſtitiæ poſitam in contractu matrimonij, cùm primò contrahitur, non vitiare, nec irritare vinculum matrimoniale. Ita ſentio cum Hurtado *citato*. Moueor ob eandem rationem præcedentis dicti, quia iſta poſitiua obligatio non ſe cognoſcendi etiam ſi oriatur ex contractu iuſtitiæ, & mutua contrahentium pactione, non eſt incompoſſibilis cum obligatione radicali orta ex matrimonio, nec cum mutua tranſlatione corporũ dominij, in quibus conſiſtit materia ſubſtãtialis proxima contractus matrimonij, ex quo reſultat vinculũ matrimoniale. Nam, vt conſtat ex hac, & præcedenti ſectione, in rebus, quæ non conſumuntur vſu, manifeſtum eſt, diſtingui vſum à dominio, & contractũ aliquem verſari poſſe circa vnum, & non circa aliud. Eſt accommodatum, & euidens exemplum in dominio reſpectu mancipij: nam poteſt dominus omnem operam ſui mancipij locare alteri retinendo dominium mancipij, ſeu ius radicale in ordine ad operas illius, & in ipſo mancipio poteſt perſeuerare obligatio radicalis reſpectu domini ſui. In quo caſu maneret in domino dominium mancipij, impeditum tamen; quia non maneret ius proximum, quod certè eſſet in conductore abſque dominio; & ſimiliter in mancipio non eſſet actualis, & proxima obligatio obediendi domino in ordine ad ſuas operas, ſed conductori, quamuis in eo eſſet obligatio remota, aptitudinalis, ſeu radicalis, correſpondens dominio domini ſui. Vnde in domino poſſet manere obligatio poſitiua nõ occupãdi mancipiũ & in mãcipio nõ obediẽdi illi, ſi de eo cõuenirent dominus, & conductor, aut mancipium, & dominus. Cuius rei ratio eſt, quia vbi dominium diſtinguitur ab vſu, tam dominium, quàm vſus ſeorſim ſumpta, poteſt vnumquodque ſeparatim, eſſe integra materia contractus. Vnde duplex dominium ibi, ſicut in fundo diſtingui, & diuidi poteſt, vnum directum proprietatis, & alterũ vtile, quod 10

pertinet ad vſum fructuum, ſeu operarum mancipij; & vtriuſque procedere poteſt ex conuentione, & pacto inito ex iuſtitia. Similiter ergo in præsẽti, nihil pugnat eſſe matrimoniũ, & vinculum indiſſolubile, in quo ſit mutua coniugũ traditio, & dominiũ corporũ directũ, ac propriũ, & ſimul impediri omnino vſũ actus coniugalis in perpetuũ ex pacto, & ſpeciali conuentione iuſtitiæ. Quid enim repugnare, vel obeſſe poteſt, quominùs in corpore vtriuſque coniugis diſtingui poſſit dominiũ directum à dominio vtili quoad vſũ copulę, quorum vnum ab alio ſeparari ſimiliter poſſit ex mutuo pacto inter coniuges, concedendo dominiũ directum ſuorum corporum cum radicali obligatione, per quod vnus reddatur proprius coniux alterius, denegato tamen vtili dominio quoad vſum copulæ, etiam in perpetuum.

Ad argumenta oppoſita.

11 Ad primum, negatur antecedens, non enim eſt propriè contra bonum prolis. Nam bonũ prolis non obligat coniuges vt dent operam generationi, aut vt non obligent ſe ad non dandam ei operam; ſed ſolùm vt dum vtuntur matrimonio, nõ impediant eius generationẽ, etſi naſcatur proles, vt rectè eã educẽt. Ad confirmationẽ dico, caſus ſecũdi, & tertij dicti nullo modo comprehendi à Pontifice, *cap. fin. de conditionibus appoſitis*. Nã ibi ſolùm agitur de conditionibus, quæ repugnant ſubſtantiæ matrimonij; illæ verò conditiones poſitæ in ſecundo & tertio dicto nullo modo ei repugnant. Quia cõditio illa, ſi prolẽ euites, id eſt, ſi te obliges ad eam euitandam, tantùm eſt contra ſubſtantiam matrimonij, quando eſt ad euitãdam prolem poſitiuè, medio illicito poſitiuo, non verò quãdo euitatur proles licitè negatiuè; nam ſola obligatio ad illicitè vitãdam prolem eſt incompoſſibilis cum obligatione radicali orta ex matrimonio: quia ſicut licitè vitare prolẽ non petendo, & etiam non reddendo, quando licitè fieri poteſt, non eſt contra obligationem ortam ex cõtractu matrimonij in ipſo, qui euitat, & conſequenter neque contra dominiũ ortum in altero; ita etiam priuatio iuris proximi ad petendum, & priuatio obligationis proximę ad reddendum, imò poſitiua obligatio, ſiue iuſtitiæ, orta ex contractu ſuperaddito cõtractui matrimonij, ſiue religionis, orta ex voto ad non petẽdum, & ad non reddendum, quo proles impeditur, non eſt incompoſſibilis cum obligatione radicali orta ex matrimonio.

12 Ad ſecundum, negatur minor, quia tantùm ex illa conditione oritur priuatio iuris proximi ad petendũ, & priuatio obligationis proximæ ad reddendum; & ad ſummum etiam poſitiua obligatio proxima ad non petendum, & ad non reddendum, quæ non ſunt incompoſſibiles cum dicto dominio, quod eſt ius remotum ad petendum, & cum ipſa obligatione radicali ad reddendum; nam talis obligatio, ac ius remotum poſſunt conſiſtere cum pacto, & obligatione nunquam reddendi debitum, vt diximus de coniugibus vouentibus mutuo conſenſu caſtitatem.

13 Ad tertium, negatur antecedens: nam cùm dominiũ diſtinguatur ab vſu, nihil videtur repugnare, vt quis habeat dominiũ inutile. Addo etiam tale dominiũ in mutua corpora aliquẽ habere vſum; nam tale dominiũ efficit, vt coniuges nequeãt aliud cõtrahere matrimoniũ, & cum aliis dormiẽdo adulteriũ cõmittãt; & ſi ſe mutuò cognoſcant, non fornicẽtur; imò ſi non vouerint caſtitatẽ, nec ſe obligauerint aliquã pactione, vel illius voti diſpenſationẽ habuerint, aut eã obligationem mutuo conſẽſu diſſoluerint, ſi ſpõte ſe cognoſcãt, nullo modo peccẽt. Ex quo patet ad cõfirmationem.

14 Ad quartũ negatur antecedens, vt conſtat ex tertio dicto: nã in eo euentu tenerentur non ſe cognoſcere ex peculiari pacto mutuo; nihilominus verè daretur inter eos tranſlatio dominij, ratione cuius, ſi ſe cognoſcerent, tametſi peccarent contra pactũ initum, ſed nõ contra caſtitatem cùm excuſarentur à peccato fornicationis, vt conſtat ex primo dicto: poſſunt verò hæc duo optimè cohærere inter ſe, nimirum vt ſit in vtroque mutuum corporum dominium, & peccent ſe cognoſcendo cõtra iuſtitiam ratione pacti initi non ſe cognoſcendi, & non peccent contra caſtitatem.

Ad quintum, iam dixi dicto primo, proloquiũ illud eſſe verũ de conditione circa ea, quæ ſi poſt contractũ 15
matrimonium fiant, nullius ſunt momenti, vel obligationis. In dicto verò ſecundo iam explicui, quando eſt aliqua conditio, vel defectus in cauſa efficiente, poſſe impedire, ac dirimere effectum ſecuturũ, nõ verò deſtruere iam factum; vt de impedimentis dirimentibus manifeſtè conſtat.

Ad vltimum, dico maiorem vt vera ſit debere intelligi de illis, qui phyſicè impotẽtes ſũt vti matrimonio, quia hoc non poſſunt licitè facere: aliàs enim, qui emiſerunt votum caſtitatis, inualidè contraherent, quod falſiſſimum eſt.

Sectio VII.

An intendens vinculum matrimoniale, neceſſariò debeat intendere vſum, vel copulam coniugalem.

Videtur ex dictis in præcedentibus pars affirmans tenenda. Nam dictum eſt matrimonium tam ex 1
parte contractus, quàm etiam ex parte contrahentium dicere ordinem ad copulam, & connotare illam; dictum eſt quoque ad valorem matrimonij neceſſariò requiri vt conſenſus ſaltem implicitè feratur in obligationem radicalem reddendi debitum: ergo manifeſtè infertur conſenſum contrahentium implicitè, ſeu tacitè ferri in ipſam copulam. Patet conſequentia, quia ſi conſenſus contrahentium matrimonium neceſſariò debet ferri directè in mutuam corporum traditionem in ordine ad copulam, & in mutuam radicalem obligationem ad eandem copulam, neceſſe eſt vt aliquo modo, ſaltem virtute, & implicitè feratur in copulam ipſam coniugalem. Ita ſentire videtur noſter Vaſquez *tom. 2. in 3. p. diſp. 125. c. 7. n. 79* ſic dicens, ad eſſentiam matrimonij requiri ſolùm conſenſum in tranſlationem dominij, ſeu facultatis illius ad vtendum matrimonio; & cùm hæc tranſlatio dominij ad copulam referatur, idem conſenſus ſecundariè, & implicitè eſt ad copulam, quia eſt ad facultatem, & ius ipſius copulæ. Sanchez *lib. 2. diſp. 28.* ſentit conſenſum ex parte contractus matrimonialis ferri implicitè in copulam.

Ego verò exiſtimo nullo modo eſſe dicendum, matrimonium contrahentium conſenſum debere neceſ- 2
ſariò ferri implicitè, ſeu tacitè, ac virtute in copulam ipſam. Itaque conſenſus matrimonij directè tendens in mutuam dominij corporum traditionem, & in mutuam rationalem obligationem, non neceſſariò debet ferri virtute, implicitè, vel tacitè in copulam, cùm expreſsè ſimul cum illo poſſit eſſe diſſenſus de ipſa copula coniugali. Id obiter notauit noſter Suarez *tom. 2. in 3. p. diſp. 7. ſect. 1. ad finem*, vbi poſtquam dixerat, conſentire in matrimonium verum, non eſt conſentire in carnalem copulam, niſi tantùm in radice, & in cauſa conſentiendo in matrimonium, quod ad talem copulam ordinatur; poſtea ſic ſubdit: ſed velle hoc modo in radice nõ eſt propriè velle, & maximè quãdo per contrariam volũtatẽ directè quis proponit vitare actũ. Id ipſum eſt, quod ipſe affirmo, & probo. *Primò*, quia conſenſus contrahentiũ, tametſi feratur in radica-

lem

Digitized by Google

lem obligationem reddendi debitum,non tamen fertur tacitè,implicitè,& virtute in formalem, & proximá copulæ obligationem,vt oſtendi ſuprà *ſect.5.dicto 3.*ergo multò minus fertur implicitè,ſeu tacitè in copulá ipsá.Patet conſequétia,quia ipſe vſus copulæ nõ minus eſt in re ſeparabilis à vinculo matrimonij,& ab ipſa radicali obligatione,quàm ſit ipſa formalis,&proxima obligatio talis vſus,vt per ſe conſtat.Præterea cũ ipſo vinculo matrimonij , & radicali obligatione poteſt ſimul eſſe perpetuus diſſenſus actualis,& expreſſus reddendi,& petendi debitum,etiá cùm matrimoniũ contrahitur, vt probatum eſt *præcedenti ſect.* ergo nequit in ipſo contractu matrimonij contineri implicitè,vel tacitè volitio aliqua,vel affectus, ſeu conſenſus ad copulam.*Secundò*, id quod non eſt effectus neceſſariò reſultans ex aliqua cauſa,ſed tantùm eſt purũ obiectum,aut purum extremum,non implicatur,nec virtute,nec tacitè continetur in eo cuius eſt obiectum & extremum;ſed copula ipſa non eſt neceſſarius effectus vinculi matrimonij , & radicalis obligationis ex ipſo neceſſariò reſultans, ſed tantùm eſt purum obiectum, aut extremũ quod reſpiciunt;ergo talis copula non implicatur, nec virtute , nec tacitè continetur in vinculo matrimonij,eiuſque radicali obligatione:ergo quãuis cõſenſus ad valoré contractus matrimonij requiſitus, debeat ferri directè in vinculũ matrimoniale,& in dictam obligationem radicalem,non inde fit, vt debeat neceſſariò ferri quoque implicitè, & tacitè in ipsá còpulá,tametſi connotatiuè, & in obliquo tãtùm illá attingat.*Tertiò*,volitio tendens in naturá intellectualẽ hominis,vel Angeli, quæ eſt principiũ radicale intelligendi,& volendi, ideò implicitè tẽdit in potentiam intellectiuá, & volitiuá,non verò in ipſas ſpeciales intellectiooes,& volitiones,niſi tantùm connotatiuè;quia nimirum potentiæ intellectiuæ babent neceſſariam cõnexionem cũ tali natura intellectuali; actus verò vitales intellectionis, & volitionis contingenter ab illa procedũt.Quãdo enim ex amore efficaci vnius amatur aliud virtute,vel tacitè,ideo eſt, quia hoc aliud eſt neceſſariò connexum,& inſeparabile ab illo priori:ſic enim ex amore efficaci finis virtute , & implicitè amatur mediũ neceſſariò connexum cũ tali fine:ergo cùm copula cõiugalis,ſicut & obligatio proxima reddendi debitum,nullam habeat connexionem cum conſenſu requiſito ad valorem contractus matrimonij;ſequitur talem conſenſum nec implicitè tendere in ipſam,ſed tantùm connotatiuè.*Vltimo*, idem firmatur,nam ex eo quòd affectus voluntatis in aliquod obiectũ feratur connotatiuè,præcisè ex hoc,nõ ſequitur quòd tale obiectũ tacitè,implicitè,& virtute illud amet.Eſt euidẽs exemplum gaudij, & complacentiæ, quá habet iudex integerrimus de ſciẽtia, & cognitione peccati à Petro cõmiſſi,v.g.homicidij, vt eum ſeuerè puniat.Quamuis enim talis cõplacentia terminatiuè,& connotatiuè attingat remotè tale peccatũ homicidij vt obiectum,& extremum ſcientiæ,& cognitionis, cuius habet immediatá cõplaceotiam, & gaudium;non ideò tamẽ ipſum homicidium implicitè,& virtute amat,imò illud odio habet,& punire intendit; quia nimirum id non eſt cõnexum cũ illo priori.Cùm igitur ad valoré contractus matrimonij ſufficiat,quòd conſenſus expreſsè feratur,& amet id,quod per ipsũ fit,vel id quod ex ſuâ naturâ,& eſſentiâ,ac ſaltem virtute diligat id,quod ex ipſo neceſſariò reſultat;copula autem nec fiat per contractum matrimonij , neque ex illo reſultet neceſſariò,ideò conſenſus ille,tametſi feratur in illam,tanquam in terminum, & extremum, non tamen,nec tacitè,nec implicitè,vel virtute fertur in copulam , vt in rem volitam , vel amatam.

3 Ex quo patet ſolutio ad argumentum initio adductum. Illud enim ſolum probat prædictum conſenſũ ferri debere remotè,& cũnotatiuè in copulá,quia debet ferri directè in mutuam corporũ traditionem in ordine ad copulam,& in mutuam obligationem radicalem ad ipſam copulam ; hinc tamen non ſequitur neceſſariò intendi debere ſaltem implicitè , vel tacitè copulam ipſam , vt ſatis eſt demonſtratum.

SECTIO VIII.

Quid dicendum de caſtiſſimo matrimonij vinculo Beatæ Virginis cum Sancto Ioſeph, & de conſenſu vtriuſque.

Circa priorem ſectionis partem,

Dico *primò* , certum eſt apud Theologos, verum , ac proprium matrimonium ratum cum Ioſeph Beatam Virginem contraxiſſe. Quod ſatis firmant.Nã *Luc.& Mat.*1.vocatur Virgo Maria deſponſata,& Ioſeph vir eius:vbi verbum illud *deſponſata* matrimoniũ ratum ſignificat , & conſtat manifeſtè ex illis verbis ſequẽtibus,*antequam conuenirent*.Quibus ſignificatur, quantum erat ex parte vinculi, potuiſſe honeſtè conuenire. Vnde neſcio quomodo illud verbum *deſponſata*,intelligi queat de ſponſalitio cõtractu ſolùm:ſicut nec illud aliud verbum , *vir* , *Ioſeph autem vir eius*; nam in rigore hæc vox,*vir*,vinculum quoque ſignificat matrimonij. Præterea idem confirmat illa ſolicitudo Ioſeph propter Mariæ conceptionem, quá propterea voluit occultè dimittere:quia propriè non dicitur dimitti,niſi vera vxor. Vnde Angelus rectè dixit, Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuá , *Mat.*1.Vbi Angelus vocat Mariam vxorem Ioſeph,ad ſignificandum vinculum coniugale,& fidele coniugium vtriuſque.Denique addo,ex prædictis verbis,quibus vocatur Maria deſponſata , & Ioſeph vir eius,ſaltem colligi inter Mariam, & Ioſephũ ſponſalia ſaltem fuiſſe inita ; ex quo manifeſtè deducitur fuiſſe etiam matrimonium ſubſecutum:nã cùm ſponſalia ſint futurarum nuptiarum promiſſio , certè dicendum eſſet,aut ipſos ſibi inuicem non ſeruaſſe fidem , quam ſibi ſponſalitio contractu obſtrinxerant, aut ſibi mutuò relaxaſſe;quorum quoduis abſurdiſſimum eſt. 1

Dico *ſecundò*,commune eſſe inter Patres,ac Theologos,matrimonium inter Mariam,ac Ioſephũ quoad contractum,& eius eſſentiam, ante Filij Dei incarnationem,perfectum eſſe. Id ſatis colligitur ex illis verbis Lucæ 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Virginem deſponſatam viro.* Iam enim antea dixi illam deſponſationem fuiſſe verũ matrimonium ratũ.Et certè quis id negare poteſt , ſi attendat ad finem huius matrimonij.Illud enim Deus ordinauit , ne aliqua infamia ex parte filij Virgini accreſceret:ergo oportuit,vt eo tempore, quo concepit, iam haberet ſponſum , ex quo poſſet exiſtimari honeſtè , & abſque turpitudine concepiſſe. 2

Dico *tertiò* , Beatam Virginem ante Annuntiationem emiſiſſe votum de ſeruanda virginitate.Id etiam commune eſt apud Scholaſticos Doctores. Atqoe inprimis beatam Virgioem habuiſſe ſaltem abſolutum, & firmum propoſitum ſeruandi perpetuam virginitatem , ideò conſtat , quia beatæ Virgini tribuendus eſt perfectiſſimus virtutis,caſtitatis,& virginitatis gradus,hic enim Dei matrem decebat,& quia poſt Chriſtũ futura erat perfectiſſimũ exterioris&interioris caſtitatis exẽplar;ad hanc verò perfectionẽ ſpectat perpetuum ſeruandi virginitatem propoſitum. Præterea quòd Beata Virgo ante Annuotiationem emiſerit votum de ſeruanda virginitate , manifeſtè colligitur ex verbis eius , Lucæ 1. *Quomodo fiet iſtud , quoniam* 3

virum non cognoſco. Nam illud, *non cognoſco*, idem eſt, ac non poſſum, ob votum ſcilicet, vt multis probat Noſter Chriſtophorus à Caſtro *in lib. de beata Virgine cap. 9.*

4 Dico *quartò*, Virginem emiſiſſe votum virginitatis, antequam deſponſaretur Ioſepho. Ita SS. PP. & communiter Doctores. Et ratio ſuadet, quia niſi Virgo vouiſſet caſtitatem ante matrimonium, deberemus dicere Virginem, quando matrimonium contraxit, animo procreandi filios contraxiſſe, quod horret animus de Virgine vel leuiter cogitare.

5 Dico *quintò*, beatam Virginem ex diuina reuelatione, & inſpiratione matrimonium contraxiſſe. Id certum puto cum Scholaſticis Doctoribus, Et moueor, quia Virgo in omnibus rebus ſpeciali Spiritus ſancti directione regebatur; ergo potiori iure in re adeò graui, & quæ ad ſtatum totius vitæ pertinebat, & ad myſterium Incarnationis proximè ordinabatur. Vnde eâdem reuelatione intellexit beata Virgo ſuum ſponſum libenter in perpetuam virginitatē fuiſſe conſenſurum, nullumque detrimentum perfectioni ſuæ virginitatis allaturum; ac proinde potuit beata Virgo conſentire in verum matrimonium cum Ioſepho, quia iam erat certa, illum numquam petiturum. Vnde

6 Dico *vltimò*, beatam Virginem cum Ioſepho contraxiſſe matrimonium cum conditione ſeruandæ virginitatis. Id videtur certum, ſiue dicamus vtrumque iam ante nuptias habuiſſe abſolutum virginitatis votum, ſiue dicamus ſolam Virginem habuiſſe tale votum: nam in hoc euentu neceſſariò manifeſtare debuiſſet ſuo ſponſo decretum, vel votum de integritate omnino ſeruanda: vel ergo Ioſeph votum Virginis acceptauit, vel non; ſi non acceptauit, nec ipſi Virgo nuberet, nec ipſe Virginem in eo decreto perſiſtentem acciperet coniugem, cùm eſſet vir ſanctiſſimus; ſi verò acceptauit, quod dicendum eſt, ſiue expreſsè, ſiue tacitè, ipſo iure ceſſit ſuo iuri de petenda copula, deobligauitque Virginem à reddenda: nam deobligatio neceſſariò ſequitur ceſſionem iuris, ſicut obligatio reddendi naſcitur poſito iure petendi.

7 Maior difficultas eſt circa ſecundam ſectionis partem, in quod obiectum ferri potuerit, ac debuerit conſenſus beatæ Virginis, & ſui ſponſi Ioſephi. Qua in re certum eſt prædictum conſenſum expreſsè debuiſſe neceſſariò ferri in vinculum indiſſolubile, ſeu radicale dominium corporum adinuicem. Patet, quia conſenſus formalis matrimonij debet neceſſariò ferri expreſsè in eſſentiale ſuum obiectum, ſiue in id, in quo per ſe, & eſſentialiter conſiſtit matrimonium obiectiuum; ſed hoc, vt dixi, ſitum eſt in vinculo indiſſolubili, ſeu in mutuo illo dominio directo corporum: ergo. Ex quo infero, ſi aliqui contrahentes nollent ſibi inuicem dare dominium ſaltem directum in corpus, non poſſent efficere verum matrimonium, Eſſet enim perinde, ac velle vendere, & ſimul nolle tradere dominium rei venditæ; quod eo ipſo deſtrueret venditionem, & voluntatem efficacem vendendi.

8 Reſtat ſolùm difficultas de obligatione radicali, ſeu aptitudinali in ordine ad copulam, & de aſſenſu ſaltem implicito in obligationem actualem, vel etiam in copulam ipſam. Non deſunt aliqui Recentiores, qui in fauorem caſtiſſimi matrimonij beatæ Virginis ſentiunt, eius conſenſum nec debuiſſe ferri adhuc implicitè, & confusè in obligationem radicalem copulæ, ne dum in obligationem actualem, & in ipſam copulam. Probari poteſt;

Primò, quia matrimonium beatæ Virginis fuit puriſſimum; id enim eſt omnino concedendum puriſſimis, & caſtiſſimis coniugibus; at nihil purius excogitari poteſt intra eſſentiam matrimonij, quàm iſta quoque deobligatio radicalis copulæ: ergo.

Secundò, quia in tantum eſſentia alicuius matrimonij eſt radicalis obligatio ad copulam, in quantum eſt radix obligationis formalis, & proximæ ad ipſam; ergo quoties non aderit talis obligationis formalis radix, ex eo quòd hæc non adſit, nec adeſſe poſſit, non aderit, nec adeſſe poterit etiā ea obligatio radicalis; ſed in matrimonio beatæ Virginis, & Ioſephi, non ordinato ad copulam, ex eo quòd fuerit inter nolentes, ſeu poſitiuè excludentes obligationem proximam ad copulam, non fuit, nec eſſe potuit obligatio formalis ad copulam, neque vllus conſenſus in eam, vt dixi: ergo neque etiam aderit, nec adeſſe poterit radix talis obligationis formalis: ergo neque talis obligatio radicalis prout actu, & formaliter talis, ex defectu termini, ſeu connotati eſſentialiter ad id requiſiti, & intentionaliter, ſiue in eſſe obiectiuo per actum efficacem oppoſitum deſtructi. Quare cōſenſus Virginis, qui præcisè fertur in eſſentiam matrimonij, non eſt cur feratur, etiam implicitè, & confusè in talem radicalem obligationem.

Tertiò, implicat quòd quis conſentiat explicitè in obligationem radicalem ad copulam, quin ſaltem implicitè, & indirectè velit talem copulam, quæ eſt connotatum, & terminus eſſentialis illius, vt conſtat multis exemplis omnipotentiæ, ſcientiæ diuinæ, finis, & medij ad neceſſariam connexionem talium conceptuum reſpectiuorum cum ſuis terminis,

Dico *primò*, meo iudicio negari non poſſe conſenſiſſe Virginem in obligationem radicalem, ſeu aptitudinalem, ſiue radicalem ad copulam carnalem, etiam 9
ſublatâ obligatione actuali ad copulam. Ita Rebellus *lib. 2. q. 13. ſect. 5. n. 42.* & obiter tetigit Suarius *tom. 1. in 3. p. diſp. 7. ſect. 1. ad finem*, vbi poſtquam rectè dixerat potuiſſe Virginem conſentire in verum matrimonium, non conſentiendo in carnalem copulam, neque abſolutè, neque ſub conditione, ſi Ioſeph debitum petiiſſet; quia iam erat certa illum nunquam petiturum, vnde ſuperuacaneus, & ocioſus fuiſſet talis actus. Addidit, in radice, & in cauſa habuiſſe Virginem hunc conſenſum, conſentiendo in matrimonium, quod de ſe ad talem copulam ordinatur Idem docet Vaſquez *tom. 2. in 3. p. diſp. 125. cap. 7. n. 9. & ſequentibus*. Et ratio eſt, quia hæc radicalis obligatio eſt in re ipſa inſeparabilis à vinculo matrimonij, vel dominio corporum, ſolumque ratione ad ſummum differt ab illo, vnde remanet illa neceſſariò etiam poſt ſublatam obligationem formalem actualem reddendi copulam per mutuam iuris renunciationem, vel aliam ob cauſam; ex alio capite hæc radicalis obligatio non præiudicat voto caſtitatis abſoluto, imò ſtare poteſt cum contraria obligatione actuali ad non reddendum debitum, quantumcumque petatur, vt conſtat ex *ſectione ſexta, & ſeptima*: ergo in hanc radicalem obligationem neceſſariò beata Virgo conſentire debuit, licèt ab actuali, formalique obligatione diſſenſerit, quando contraxit.

Dico *ſecundò*, beatam Virginem nullo modo, ne- 10
que implicitè conſenſiſſe in obligationem actualem ad copulam; imò potiùs ab ea diſſenſiſſe, dum contraxit cum beato Ioſepho. Hoc certum eſt apud Doctores Scholaſticos, præſertim Rebellum memoratum, & valde decens matrimonium Virginis puriſſimum. Et ratio eſt, quia, vt conſtat ex præcedentibus ſectionibus, obligatio formalis reddendi debitum, eiuſquè redditio eſt in re ipſa ſeparabilis à matrimonio tam in fieri, quàm in facto eſſe, & ab ipſa

quoque

Digitized by Google

quoque radicali obligatione; ex alio capite, liquet habuiſſe ex voto beatam Virginem perpetuam obligationem ſeruandi virginitatem: ergo nullo modo potuit nec virtute, ſeu implicitè velle obligationem actualem formalem reddendi debitum. Patet conſequentia, quia obligatio formalis ad copulam ex matrimonio reſultans, & obligatio formalis ad non copulam ex voto caſtitatis reſultans ſe inuicem deſtruuntur ob contradictionem terminorum; quia non poſſunt non ſumi formaliter, & in ordine ad eoſdem terminos. Firmo, nam obligatio actualis reddendi copulam repugnat ex natura rei cum voto abſolutæ virginitatis, quod includit obligationem contrariam, abſtinendi ſcilicet ab omni copula, tales enim obligationes ſunt ad contrarios actus, vna ad reddendam copulam, altera ad eam cauendam, atque ideo tales obligationes nequeunt omnino ſimul cohærere. Igitur cum beata Virgo habuerit votum abſolutum ante nuptias, vt ſuprà dixi, ſi matrimonium contraxit, neceſſariò, vel in voto aliquo ex parte diſpenſatum fuit, vel obligatio reddendi debitum ſublata fuit. At indignum erat, quòd votum, quo Virgo illuſtrior, & Deo gratior reddebatur, detrimentum potius pateretur, quàm obligatio actualis ad copulam, quæ inferioris multo conditionis erat: ergo hæc potius per prædictam ceſſionem, quàm obligatio voti ſublata fuit: ergo nullus in eam conſenſus etiam implicitus in Virgine fuit, ſed magnus diſſenſus.

11 Dico *tertiò*, beatam Virginem nullo pacto, neque implicitè, ſeu tacitè, nec virtute conſenſiſſe in copulam coniugalem, neque eam vllo pacto amaniſſe. Ita ſentire videtur Suarez *citatus*, qui tametſi dixerit Virginem in radice, & in cauſa habuiſſe conſenſum in copulam, conſentiendo in matrimonium, quod de ſe ad talem copulam ordinatur; addit tamen ſic: Velle hoc modo in radice, non eſt propriè velle, & maximè quando per contrariam voluntatem directè quis proponit vitare actum; & hoc modo conſenſus in coniugale vinculum nihil omnino derogat virginitati; & propoſitum virginitatis non pugnat cum conſenſu contrahendi vinculum coniugale: ſicut non repugnat voluntas tradendi, vel accipiendi dominium, & non vtendi. Hæc concluſio probatur argumentis ſuprà in præcedenti ſectione adductis, quibus oſtendi manifeſtè, intendentem vinculum matrimoniale, non neceſſariò debere intendere etiam implicitè, vel tacitè copulam ipſam coniugalem: ergo id neceſſariò eſt Virgini concedendum, tanquam valde conueniens, ac decens eius ſummam puritatem, & ſanctimoniam.

Ad argumenta oppoſita.

12 Ad primum, concedo matrimonium Virginis fuiſſe omnium puriſſimum, ita vt nihil purius excogitari poſſit intra naturam matrimonij; nego tamen poſſibilem eſſe illam deobligationem radicalem permanente matrimonio, cùm ſit prorſus idem re cum vinculo coniugali ipſa radicalis obligatio, ex qua nihil abſurdi, vel indecentiæ ſequitur, vt oſtenſum eſt.

13 Ad ſecundum, conceſſo antecedente negatur conſequentia: nam obligatio radicalis, quamuis ſit radix obligationis formalis, & copulæ actualis; & tam illa obligatio, quàm vſus impedibiliter fluat ab illa, & ita poſſit vtraque non eſſe, vt reuera non fuit in beata Virgine; nihilominus obligatio radicalis, cùm ſit re ipsâ ipſamet entitas, & natura matrimonij; nequit hoc conſiſtere ipsâ non perſiſtente. Vnde falſum eſt hanc obligationem radicalem non habere terminũ, vel connotatum, etiam in Virgine; nam etiam habet illum, ſaltem remotè, & dicit ordinem ad illum, tanquam ad purum extremum, & terminum, ſed non tanquam ad abiectum volitum etiam indirectè, & implicitè.

Ad tertium, negatur antecedens: nam aliud eſt obligationem radicalem dicere ordinem ad debitum coniugale, tanquam ad illius connotatum; aliud verò eſt non poſſe ferri conſenſum, & amorem in obligationem radicalem, quin neceſſariò feratur implicitè in ipſum debitum, ſeu vſum cõiugalem, illum virtute, & implicitè diligendo. *Primum* enim verum eſt, & negari non poteſt, ac ſatis firmatur illis exemplis omnipotentiæ, & ſcientiæ diuinæ, quæ connotant ſuos proprios terminos, & obiecta, circa quæ feruntur. *Secundum* verò falſum eſt, & conſtat apertè exemplo gaudij, & complacentiæ, quam habet Deus de ſcientia, & cognitione omnium peccatorum, quæ ab hominibus committuntur. Quamuis enim talis complacentia terminatiuè, & connotatiuè attingat remotè illa peccata, quatenus ſunt obiecta, terminus, & extremum ſcientiæ, & cognitionis, cuius habet immediatam complacentiam, & gaudium, non ideò tamen ipſa peccata implicitè, & virtute amat, cùm potiùs ea omnia odio habeat. 14

SECTIO IX.

De proprietatibus, quæ conſequuntur vinculum coniugale, ſeu matrimonium.

HActenus explicuimus totam naturam, & eſſentiam matrimonij conſiſtentem in vinculo, ſeu iure, & dominio corporum; nunc videndum, quæ accidentia propria conſequantur prædictam naturam neceſſariò, & inſeparabiliter.

Dico ergo *primò*, obligationem radicalem reddendi debitum, eſſe proprietatem re ipſa inſeparabilem matrimonij. Ita DD. communiter. Et ratio eſt, quia ante prædictam obligationem intelligitur ratio formalis vinculi, & mutui iuris, ac corporum dominij pariens obligationem radicalem; nam ex illa neceſſariò ſequitur talis obligatio: ergo hæc eſt illius proprietas inſeparabilis. Vnde infero ad valorem matrimonij neceſſariò requiri, vt conſenſus feratur explicitè in vinculum, ſeu dominium corporum coniugale, & implicitè in obligationem radicalem reddendi debitum. Ratio eſt, quia conſenſus neceſſariò ferri debet in id quod eſt de eſſentia matrimonij, quale eſt vinculum, ſeu mutuum corporum dominium; & ad eius valorem ſufficit, vt expreſsè ad eſſentiam ſolùm feratur; ad alia verò, quæ conſequuntur eſſentiam, neceſſe eſt, vt implicitè feratur, ea non excludendo: quando enim duo ſunt inſeparabilia, eo ipſo quòd conſenſus ad vnum explicitè fertur, neceſſe eſt, vt implicitè ſaltem, ac virtute feratur in aliud. 1

Dico *ſecundò*, obligationem ſeruandi tria bona matrimonij, eſſe etiam proprietatem illius inſeparabilem. Ita omnes, & patet, quia tria bona matrimonij, ſunt bonum prolis, nempè non vitandi illam poſitiuè medio illicito; bonum fidei, ſeu fidelitatis, id eſt, non adulterandi; & bonum Sacramenti, ſeu perpetuitas, niſi ingrediatur religionem ante conſummationem: hæc, inquam, tria bona ſunt materia proxima, circa quam matrimonium verſatur, & quæ matrimonio valido inducitur neceſſariò. Vnde matrimonium contractum ſub obligatione vitandi prolem medio illicito, per emiſſionem ſeminis extra vas, ſeu ſumendo potionem ſterilitatis, vel ſub obligatione 2

non

non ſeruandi fidem, ſeu adulterandi, vel ſub obligatione temporaria pro ſuo libito contra indiſſolubilitatem matrimonij, ſunt incompoſſibiles cum valido matrimonio, & cum obligatione radicali ad vſum coniugalem, ordinatum ad prolis generationem, & bonam educationem. Igitur obligatio ſeruandi illa tria prædicta matrimonij bona, neceſſariò conſequitur matr monium ipſum, tanquam eius proprietas in ſeparabilis.

3 Vnde ſimiliter infero, conſenſum requiſitum ad valorem matrimonij tendentem explicitè in ipſius eſſentiam, implicitè ſaltem tendere quoque in obligationem prædictorum bonorum, nempe perpetuitatis, prolis, & fidelitatis. Patet, quia hæc tria inſeparabilia ſunt à vinculo matrimonij: nam matrimonij vinculum cùm natura ſua ordinetur ad prolis propagationem, & in copulam, tanquam in medium, ſine quo non datur prolis procreatio, & bona educatio; ex ea oritur, vt maneat coniugatus ligatus ad bonum fidei, ſeu ad non adulterandum, & ad bonum prolis, illam nempe non vitando medio poſitiuo illicito, & ad bonum ſacramenti, ſeu ad matrimonij indiſſolubilitatem.

4 Dico *tertiò*, obligationem ſeruandi bonum prolis negatiuè, ſeu non vitandi copulam, vel vtendi vſu coniugali, & obligationem ſeruandi ſibi fidem, id eſt, reddendi ſibi ipſis debitum, non eſſe matrimonij proprietatem, ſed accidens ſeparabile, ac merè contingens. Patet, quia prædicta vtraque obligatio reſultat ex vinculo coniugali impedibiliter, ac ſeparabiliter, tanquam effectus contingens; nam à contrahentibus poteſt vtraque obligatio tolli ex pacto, vel ex voto, ſeruandi nimirum perpetuam abſtinentiam à copula coniugali, vt conſtat ex dictis in hac diſputatione, præſertim *ſectione ſextâ, ſeptimâ, & octauâ*; ergo nequit eſſe proprietas inſeparabilis à matrimonio.

5 Dico *vltimò*, certum quoque eſſe, neque proximam, & formalem obligationem reddendi debitum, nedum ipſum vſum, ſeu conſummationem matrimonij eſſe proprietatem ipſius matrimonij. Patet, quia nihil horum eſt neceſſariò connexum cum matrimonio ipſo. De vſu iam eſt manifeſtum. De proxima obligatione etiam conſtat ex ſuperioribus, quia ex mutuo pacto tam poſt nuptias, quàm ante nuptias ea formalis obligatio auferri à matrimonio, & conditio appoſita, tanquam res accidentaria, & contingens, hoc eſt, obligatio de non petendo, nec reddendo, ritè & ſanctè inſeri poteſt. Vnde obligatio illa formalis fluit impedibiliter à coniugali, adaò vt ſicut illa omnino tolli poteſt, remanente coniugio per profeſſionem emiſſam poſt matrimonij conſummationem; ita & tolli poteſt, quando matrimonium initur, ſi ab vtroque pactum inferatur, vt liberum ſit cuique non reddere debitum cedente vtroque iuri, & conſequenter contrahere poſſunt ſub conditione, & voto ſeruandi perpetuam abſtinentiam ab actu carnali, vt ſæpe dictum eſt in hac diſputatione.

6 Obiicies, obligationem proximam, & actualem reddendi debitum, inſeparabilem eſſe à matrimonio, dicente Paulo 1. *Cor.* 7. hæc verba. *Vxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & vxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Reſpondeo manifeſtè Paulum agere de matrimonio, quod communiter, ac ſemper moraliter contrahi ſolet, abſque vlla conditione de connnendo inſerta, qua ratione alter in alterius corpus liberam habet vtendi facultatem. Præcipit enim reddendum eſſe debitum alteri, quia neuter habet poteſtatem ſui corporis, ſed alter; vnde manifeſtè ſequitur loqui de poteſtate matrimonij libera ab omni conuentione continendi. Addo dici etiam poſſe, nomine *poteſtatis* ſignificari eo loco, illud ius remotum, & dominium proprium, ac directum, quod vnus coniux habet in corpus alterius; quod tamen ſeparabile eſt ex mutuo pacto à dominio quaſi vtili ad vſum copulæ.

Ex dictis, colligo ex vinculo matrimonij in quo formalem rationem coniugij conſtituimus, fluere varias obligationes ad fidem coniugalem pertinentes; ex quibus quædam fluunt inimpedibiliter ac neceſſariò, & eiuſmodi ſunt obligatio radicalis reddendi debitum, & obligationes trium bonorum matrimonij, nempe perpetuitatis, prolis, & fidelitatis, atque ideò ſunt iſtæ, propriè & in rigore proprietates conſequentes naturam, & eſſentiam matrimonij; quæ nullo modo ab illo ſeparari poſſunt. Alia verò eſt obligatio actualis, & formalis, ſeu proxima reddendi debitum, ſi ab altero coniuge exigatur. Hæc verò fluit impedibiliter, ſi quidem ex mutua conuentione auferri omnino poteſt ab ipſo vinculo coniugali permanente, non ſolùm poſt matrimonium contractum, ſed etiam quando contrahitur, vt ſæpè dictum eſt, & ideò hæc obligatio, ſicut & ipſe vſus coniugalis, tametſi oriatur ex vinculo coniugali tanquam effectus ex propria cauſa, ſed non tanquam proprietas, quia fluit ab illa impedibiliter. 7

SECTIO X.

Quænam ſit vera, & propria matrimonij definitio.

OMiſſa definitione matrimonij pro contractu ipſo, de quo modò non agimus, loquendo de matrimonio abſolutè, & ſecundùm ſuam naturam hactenus explicata, & conſiſtente in mutuo corporum vinculo. 1

Communis, & magis recepta definitio eſt illa, quam tradit Magiſter *in 4. diſt.* 17. & S. Thom. *q.* 44. *a.* 3. ex *cap. illud* 11. *de præſumptionibus* Coniunctio maris & fœminæ, inter legitimas perſonas, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinés. Dicitur *coniunctio*, quia eſt vinculum, ſeu vnio *maritalis*, id eſt, orta ex mutua corporum traditione. Dicitur *viri, & mulieris*, vt explicetur ſubiectum capax coniunctionis maritalis, nam inter perſonas eiuſdem ſexus non poteſt eſſe maritalis coniunctio; & etiam vt exprimatur vnius tantùm cum vna tantùm debere eſſe matrimonium. Vnde cùm olim in vetere lege viri ducebant plures vxores, totidem matrimonia conſtituebant. Additur, *inter legitimas perſonas*, quia non inter quaſcumque promiſcuè, ſexu diſpares matrimonium conſtare poteſt, ſed inter habiles perſonas ſecundùm leges, ſeu inter perſonas omni carentes impedimento dirimente. Denique ponitur, *indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens*, id eſt, perſeuerantem. Quo ſignificatur finis matrimonij, qui eſt mutua habitatio, & indiſſolubilitas vinculi, ita vt per voluntatem ipſorum coniugum diſſolui nequeat more aliorum contractuum, v.g. ſponſalium, qui mutuo contrahentium conſenſu poſſunt diſſolui, non verò matrimonium. Hæc definitio non placet Cardinali Zabarella *de ſponſalibus*. *n.* 1. eo quòd videatur eſſe communis, etiam brutis. Sed immeritò. Nam bruta, neque conſuetudinem habent, neque indiuiſam ſocietatem; neque etiam eſt inter bruta, nec eſſe poteſt ea coniunctio, ſeu coniunctionis obligatio, id eſt, vinculum iuris, & dominij,

minij, ac radicalis obligatio coniunctionis, ſeu copulæ, quæ omne matrimonium neceſſariò, ac inſeparabiliter comitatur.

Diſplicet quoque, quod dicit Thomas de Argentina *in 4.d. 27.q.1.a.1.* poſt ſolutionem ad quintum, prædictam definitionem non conuenire matrimonio infidelium, neque etiam matrimonio rato non conſummato, quia in aliquo caſu vtrumque diſſoluitur. Diſplicet, inquam, quia matrimonium ex ſe, & ex ſua natura poſita rei inſtitutione ſemper eſt perpetuum, vt dicam ſuo loco, tametſi in aliquo caſu quaſi per accidens diſſoluatur.

2 Similis eſt prædictæ matrimonij definitioni alia quæ habetur *l.1.ff.de ritu nuptiarum.* Nuptiæ ſunt coniunctio maris, & fœminæ, conſortium omnis vitæ, diuini, & humani iuris communicatio: cuius meminit quoque D. Thomas, eamque explicat *q. 44. citata art. 3.* Prior illa pars, *coniunctio maris, & fœminæ*, idem denotat, quod in altera definitione explicatur illis verbis, *coniunctio maritalis viri, & mulieris inter legitimas perſonas.* Nam nomine *coniunctionis* non intelligitur coniunctio carnalis, ſed maris, & fœminæ vinculum conſiſtens in dominio corporum mutuo. Altera verò pars, nempe conſortium omnis vitæ, idem ſignificat, quod indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens, nimirum perpetuitatem matrimonij per totam vitam. Vltima verò pars, diuini, & humani iuris communicatio, declarant potiùs effectum matrimonij, quàm naturam eius; nam per communicationẽ diuini, & humani iuris intelligitur obligatio coniugum ſeruandi ſibi mutuò fidelitatem in thoro; diuino namque, & humano iure coniuges ex æquo aſtringuntur ad fidelitatem ſeruandam. Hæc communiter Doctores.

Ipſe verò prænoto, hîc ſolùm inquiri veram, & propriam definitionem matrimonij ſecundùm ſuam naturam communem omnibus coniugibus, tam fidelibus, quàm infidelibus; nam de eo, quatenus ſacramenti rationem habet, infrà ſuo loco. Quo præmiſſo,

3 Dico *primò*, neutram ex duabus allatis definitionibus eſſe in rigore vnam & ſimplicem definitionem, ſed mixtam & compoſitam ex definitione eſſentiali, & deſcriptiua. Patet, quia vtraque definitio traditur per genus, & differentiam eſſentialem, & accidentariam ſimul. Nam illa prior particula, *coniunctio*, ponitur loco generis, illa verò alia, *maritalis*, vel *maris, & fœminæ*, explicat differentiam eſſentialem vinculi maritalis in ordine ad prolis generationem: illæ verò aliæ particulæ, *viri, & mulieris*, inter legitimas perſonas ad maiorem differentiæ eſſentialis declarationem adhibentur. Tandem reliquæ aliæ particulæ, *indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens*; vel etiam illæ aliæ, *conſortium omnis vitæ, diuini & humani iuris communicatio*, exprimunt proprietatem, ſeu paſſionem ab ipſo matrimonio inſeparabilem, nempe illius indiſſolubilitatem, ac perpetuitatem. Quare

4 Dico *ſecundò*, definitionem propriam matrimonij, hanc vnicam eſſe: matrimonium eſt coniunctio maritalis. Explicantur ſingulæ partes. Prima illa, quæ eſt coniunctio, non ſignificatur ipſa copula carnalis, quæ neque eſt de eſſentia, neque de integritate matrimonij, vt oſtenſum eſt ſuprà *ſect.4.* eſt enim illius effectus euitabilis, & contingens; ſed ſignificatur vinculum ordinatum ad aliquod vnum. Sicut enim ea quæ ordinantur ad aliquod vnum, dicuntur coniungi & ordinari in ordine ad illud; vt multi homines ad vnam militiam, vel negotiationem exequendam; ita cùm vir, & fœmina per matrimonium ordinentur ad vnam, eandemque prolis generationem; meritò matrimonium dicitur coniunctio, vel vnio duorum, ſeu vinculum. Additur *maritalis*, vt exprimatur propria ratio, & ſpecifica matrimonij, quæ eſt vinculum duorum in ordine ad prolis generationem. Quâ etiam particulâ excluduntur aliæ obligationes, quibus viri, ac mulieres inter ſe, vel pretij, vel alterius rei gratia ex pactione ſe obligare poſſunt, vt ſibi mutuò operam præſtent; quæ non ſunt de ratione matrimonij. Hinc

5 Dico *tertiò*, prædictam matrimonij definitionem eſſe eſſentialem, & formalem, ac eſſentialem integrum conceptum matrimonij exprimentem, ac declarantem. Patet, quia in ea explicatur genus, & differentia matrimonij: nam coniunctio, ſeu vinculum habet locum generis, in quo conuenit matrimonium cum aliis vinculis ſtatus religioſi, negotiationis, militiæ, & ſimilium. Maritalis verò præſtat locum differentiæ, per quam differt à reliquis, & explicat propriam coniunctionem, vel vinculum corporum in ordine ad prolis generationem.

6 Vnde colligo, omnia alia, præter hæc duo verba, coniunctio maritalis, ſuperfluere; atque ideò eſſentialis matrimonij definitio non eget particulâ illâ, viri, & fœminæ, ſicut neque illâ alia, inter perſonas iure habiles: nam totum iſtud manifeſtè includitur, & exprimitur per coniunctionem, vel vinculum maritale. Nam vinculum maritale exprimit corporum ſtrictũ dominium in ordine ad prolis generationem, veram inducens obligationem. At inter perſonas, quę non ſunt vir & fœmina, & etiam inter virum, & fœminam, qui ſunt aliquo iure inhabiles, nequit eſſe matrimonij vera, & realis coniunctio, quia nequit vllum eſſe vinculum talem obligationem inducens. Quare prædictæ particulæ in rigore ſuperfluunt. Aliæ verò declarant matrimonij proprietatem, non eſſentiam, vt dictum eſt.

DISPVTATIO XIV.

De natura, & eſſentia matrimonij vt contractus eſt maritalis.

EXplicatâ matrimonij eſſentia, conſiſtente in vinculo maritali, ſeu coniugali, agendum eſt de contractu matrimonij, qui eſt immediata, & propria cauſa illius. Agimus autem de illo modò, non prout eleuatus eſt ad rationem ſacramenti, ſeu prout eſt ſacramentum, de quo infrà *diſp.19.* ſed prout eſt contractus ciuilis, & humanus, qui de facto apud homines initur modo naturali, ac humano more abſque vllo miraculo.

SECTIO I.

An in matrimonio ſit vera, & ſtricta ratio contractus.

1 PArs affirmatiua certa eſt apud omnes. Ad quam meliùs intelligendam,

Notandum eſt *primò*, contractum in genere ſtrictè ſumptum, ſic communiter à Doctoribus definiri. Cõtractus eſt vltrò, citroque obligatio. Dicitur autem obligatio non formaliter, ſed cauſaliter: non enim

contractus

contractus eſt ipſamet formalis obligatio; hæc enim potiùs eſt effectus per contractum productus in contrahentibus, ſed eſt cauſa obligationis: nam eſt formaliter locutio, vel ſcriptura, vel aliud externum ſignum, quo homines exprimunt mentem ſuam, & ſeſe viciſſim alter alteri obligationem inducunt. Quare contractus propriè eſt ſignum externum prædictum vltrò, citróque obligationem ex conſenſu contrahentium pariens; obligationem, inquam, ex vera, & propria iuſtitia commutatiua.

2 *Præterea* eſt obſeruandum, ad præſens inſtitutum, contractum diſtribui in lucratiuum, & oneroſum. Lucratiuus eſt, in quo nihil rependitur, ſed merè gratis aliquid alicui remittitur, abſque vllo onere, atque recompenſatione: vt eſt promiſſio gratuita, & ſimplex donatio. Oneroſus eſt, in quo aliquid loco eius quod datur, debet reddi, vel præſtari: vnde per illum ex vtraque parte onus imponitur, vt cernitur in emptione inter ementem, & vendentem, & in aliis. Atque hic eſt, qui proprio nomine contractus continetur. qui etiam ſolet appellari contractus reſpectiuus, quia in eo vtrinque cernitur obligatio.

3 *Denique* eſt obſeruandum, circa obligationem, quæ oritur ex ipſo contractu, eam eſſe duplicem: vna eſt naturalis, non tamen ciuilis; & altera eſt ciuilis, ac naturalis ſimul. Prior ea dicitur, quæ etſi ita ex natura rei oriatur, vt à iure poſitiuo non impediatur quin naſcatur, non tamen ab eo fouetur per conceſſionem actionis aduersùs eum, in quo talis obligatio exiſtit. Vt ſi rem vendidiſti maiori pretio, quàm valebat, infra tamen dimidium iuſti pretij, teneris quidem ex iuſtitia reſtituere exceſſum iuſti pretij; contra te tamen actionem, nec ius ciuile, nec canonicum emptori concedit, ne videlicet lites multiplicentur. Poſterior verò, nempe ciuilis, ac naturalis ſimul, ea eſt, quæ ſiue ex natura rei oriatur, ſiue ſuppoſito iure poſitiuo, ab eo tamen fouetur concedendo liberam actionem læſi, vt ſi rem vendidiſti maiori pretio, quàm valebat, ſupra dimidium iuſti pretij. His præmiſſis,

4 Dico *primò*, omnium vnanimi conſenſu, contractum matrimonij eſſe propriè, & ſtrictè contractum oneroſum inducentem obligationem naturalem, ac ciuilem ſimul. Patet, quia matrimonij contractus eſt reciprocus mutuum conſenſum requirens, & obligationem pariens in vtraque parte: nam per matrimonij contractum ex vtraque parte onus imponitur; ergo eſt propriè, & in rigore contractus oneroſus. Ideò enim donatio, & ſimplex promiſſio non ſunt propriè contractus, quia non inducunt obligationem, niſi in donante, & promittente. Quòd verò matrimonium inducat obligationem naturalem, ac ciuilem ſimul, claret, quia parit obligationem iure naturali, ac poſitiuo, & ex ſe indiſſolubilem.

5 Dico *ſecundo*, matrimonij contractum antecellere cæteris contractibus, tum neceſſitate, tum dignitate, tum antiquitate. Patet, quia inprimis eſt neceſſarius propter generis humani propagationem: ergo antecellit neceſſitate. Eſt etiam dignior; quia alij contractus circa res inferioris ordinis verſantur; per contractũ verò matrimonij mutua fit traditio propriorum corporum inter coniuges. Adde ipſius obligandi vim longè reliquos ſuperare contractus, & à Chriſto Domino in lege noua in ſacramentum fuiſſe inſtitutum. Denique antiquitate præcedit, quia fuit ante omnes à primis parentibus in ſtatu innocentiæ Deo ipſo inſtitutore, & conciliatore celebratus, vt dicemus infrà *diſputatione decimaoctaua.*

SECTIO II.

Quænam ſit materia, & forma intrinſeca contractus matrimonij

IN quolibet contractu duplex ſolet materia diſtingui, *altera* quaſi extrinſeca, circa quam verſatur ipſe contractus; *altera* verò intrinſeca, quæ eſt pars eſſentialis contractus, ex quo ipſe contractus intrinſecè componitur. Certum eſt autem corpora contrahentium legitima non poſſe eſſe materiam intrinſecam, & ex qua contractus matrimonij intrinſecè cõponatur, ſed eſſe materiam circa quam extrinſecam. Ratio eſt, quia materia circa quam, ſunt res ipſæ circa quas verſantur contractus: ſic enim in contractu venditionis, aut permutationis, res ipſæ, quæ venduntur, aut permutantur, ſunt materia circa quam verſatur emptio, aut permutatio: ergo in contractu matrimonij, cuius vinculi eſſentia conſiſtit in mutuo corporum dominio, corpora ipſa erunt materia circa quam. Vnde ſicut in aliis contractibus, materia eorum debet eſſe legitima, id eſt, non impedita lege antiqua, ſic pariter in matrimonij contractu corpora debent eſſe legitima, hoc eſt, non impedita, vel naturali, vel humanâ lege. Hinc autem manifeſtè ſequitur contrahentium corpora non poſſe eſſe intrinſecam, & eſſentialem partem contractus. Quis enim dicet emptionem componi eſſentialiter ex re empta? Et ratio eſt manifeſta, quia obiectum non poteſt eſſe pars intrinſeca, & eſſentialis actus, qui verſatur circa illud. At corpora contrahentium ſunt obiectum contractus matrimonij, qui verſatur circa ipſa. Præterea omnis contractus immediatè gignit obligationem, vt conſtat. At nemo dicet rem emptam, vel pretium me obligare, ſed conſenſum per verba expreſſum; ex hoc enim omnes concipiunt intrinſecè perfici contractum. Idem igitur dicendum in matrimonij contractu, qui conſiſtit in nuda pactione, ſeu conuentione partium, & eſt quaſi integrum pactum, quod conſenſum duorum expreſſum intrinſecè includit. Iſtæ autem partes, etſi diſtinctæ ſint, tamen ſe mutuò reſpiciunt, adeò vt altera ſine alterâ non poſſit intelligi, ſicut in aliis relatis accidit. Vnde clarè colligitur, in contractu matrimonij eſſe neceſſariò conſtituendam materiam *ex qua*, diuerſam à materia *circa quam*. Quia, vt dixi, materia *ex qua* proxima, & intrinſeca contractûs, non ſunt res ipſæ, circa quas verſantur; hæc enim ſunt obiectum contractûs, quod nequit eſſe intrinſeca pars actûs, qui circa illud verſatur; atque ideo diuerſa eſt materia *ex qua* intrinſeca contractûs, à materia *circa quam*. 1

Quo præmiſſo, in aſſignanda eiuſmodi materiâ *ex qua* intrinſecâ matrimonij contractûs, & etiam in deſignanda formâ eiuſdem, diuiſi ſunt Doctores. 2

Prima ſententia affirmat, conſenſum internum contrahentium eſſe materiam intrinſecam contractûs, verba autem, ſiue ſigna exteriora illum exprimentia, eſſe formam. Ita Nauarrus *in ſumma cap.* 22. *n.* 20. Gregorius de Valẽtia *diſp.* 10. *q.* 2. *p.* 6. Rebellus *lib.* 2. *q.* 4. *ſect.* 3. & alij, probant, quia mutuo contrahentium conſenſu per verba de præſenti expreſſo efficitur matrimonium, vt conſtat: ergo ibi nullo extrinſecùs aſſumpto, debet dari materia, & forma. Cùm ergo non conſtituatur per conſenſum tanquam per formam, eo quòd præſuppunatur verbis, vel ſignis, quibus exprimitur, per aliud conſtituetur tanquam per formam; ergo verba, quibus completur, rationem formæ habebunt.

3 *Secunda ſententia* aſſerit è conuerſo, conſenſum eſſe formam, verba autem exprimentia materiam. Ita Maior *in 4. d. 26. q. 1.* & alij. Probat, quia conſenſus determinat, & perficit verba, quæ eo ſecluſo nihil efficerent.

4 *Tertia ſententia* docet, verba ab vno priùs prolata eſſe materiam, alterius verò verba eſſe formam. Ita Victoria *in ſumma de matrimonio n. 245.* & alij. Probant, quia poſteriora verba determinant priora; at determinare eſt proprium formæ.

5 Denique communior ſententia defendit vtriuſque conſenſum ſignis externis expreſſum, mutuò ſibi ſub diuerſa ratione eſſe materiam, & formam; materiam quidem, prout mutuus contrahentium conſenſus expreſſus habet rationem traditionis corporum; formam verò eſſe eundem prout habet rationem acceptationis eorundem corporum. Ita Cardinalis Bellarminus *lib. 1. de matrimonio, cap. 6.* Suarez *tom. 3. de ſacramentis diſp. 2. ſect. 1. & diſp. 23. ſect. 3.* Sanchez *lib. 2. diſp. 5.* Coninch *diſp. 24. dub. 3. n. 32.* & alij. Atque hæc ſententia ſemper mihi placuit.

6 Ad cuius pleniorem explicationem, notandum eſt *primò*, contractum omnem eſſentialiter conſtare alicuius rei oblatione, & acceptatione. Ratio eſt, quia omnis promiſſio, & traditio vt valida ſit, requirit obligationem alicuius rei ex vna parte, & acceptationem ex altera.

7 Præterea eſt obſeruandum, in omni contractu oneroſo, atque adeò & in matrimonio, eſſe diſtinguendam duplicem oblationem, ſeu traditionem partialem, & duplicem etiam acceptationem, ſibi mutuò reſpondentes. In quo valdè diſtinguitur à ſimplici promiſſione gratuita, in qua ſolùm reperitur oblatio vnius, & acceptatio alterius. In contractu verò omni oneroſo, debet dari duplex oblatio, ſeu traditio, & duplex acceptatio. Patet, quia in emptione, v.g. ab vna parte offertur, & traditur pretium, ab altera parte res empta, & vtrumque à contraria parte acceptatur. Quare in quouis coniuge, ſaltem virtualiter debet diſtingui duplex conſenſus, tum acceptandi corpus alterius, tum tradendi ſuum; & ſigna externa debent vtrumque explicitè, vel implicitè ſignificare. Vnde traditio, & acceptatio vt ſic non confunduntur, ſed ſemper aliquo modo differunt. Imò vt ſe inuicem perficiunt, & correſpondent ſibi, ſemper realiter diſtinguuntur. Nam acceptatio mulieris eſt quæ perficit traditionem viri; & econtra acceptatio viri perficit quoque traditionem mulieris, quæ duo realiter differunt inter ſe.

Denique obſeruandum eſt circa præſentem controuerſiam, oportere priùs oſtendere, quid non ſit materia, & forma contractus matrimonij, vt ex confutatione aliarum ſententiarum clariùs conſtet quid ſit.

8 Dico ergo *primò*, non conſiſtere materiam contractus matrimonij in conſenſibus internis contrahentium, & formam in verbis, aliiſque ſignis externis eos exprimentibus. Probatur, tum quia materia contractus humani naturaliter, & more humano initi, debet eſſe ſenſibilis, vt per ſe conſtat. At talis non eſt conſenſus internus, qui non percipitur, niſi per verba, aut ſigna externa, quæ iuxta contrariam ſententiam non ſunt materia, ſed forma; vnde manet tota materia omnino inſenſibilis. Nec obeſt huic, quòd in ſacramento ſenſibili Pœnitentiæ, contritio ſit materia, & non ſit ſenſibilis. Non, inquam, obeſt, quia licèt non ſit in ſe, & per ſe ſenſibilis, eſt tamen ſenſibilis per verba, vel ſigna externa, quæ etiam ſunt materia, & nullo pacto ſunt forma. Tum etiam, quia ſigna externa videntur ſe tenere ex parte conſenſuum, quos exprimunt, & ſignificant, & cum eiſdem per modum vnius, vel eodem quaſi modo concurrunt. Sunt enim illa ſigna vt ſic merè expreſſiones conſenſuum, & nihil amplius: ergo eandem partem contractus componunt, & conſequenter ſi conſenſus ſunt huius contractus matrimonij materia, talis etiam erunt ſigna externa.

Hoc eodem argumento ſimiliter probatur, neque internum conſenſum contrahentium eſſe formam, & verba, ſeu ſigna externa eſſe materiam. Nam propter rationem dictam, ſi conſenſus ſunt forma, erunt ſigna etiam forma. Firmatur vtrumque; nam vtraque pars, nempe materia, & forma contractus matrimonij debet concurrere ad conſtituendum contractum ſenſibilem in ratione perfecti ſenſibilis, quia concurrunt ad perficiendum contractum humanum modo naturali, & non more angelico, ſed more humano; quod fieri non poſſet, ſi alterutra pars eſſet tota inſenſibilis; quia omnino inſenſibile ſicut non poteſt dare alteri eſſe ſenſibile, quia nemo dat quod non habet; ita nec poteſt cum alio concurrere ad aliquid conſtituendum ſub ratione ſenſibilis; non ſecus ac omnino ſpirituale non poteſt compoſito dare eſſe materiale, nec concurrere ad illud conſtituendum ſub ratione materialis; ergo nec internus conſenſus contrahentium poteſt eſſe materia, & verba, ſeu ſigna externa, forma; neque è conuerſo, verba eſſe materia, & conſenſus forma.

Dico *ſecundò*, nec verba vnius contrahentis, vt priùs prolata eſſe materiam contractus matrimonij, nec verba alterius, vt poſterius expreſſa eſſe formam. Probo id, quia ſi vtriuſque contrahentis verba ſimul proferrentur, fieret verus matrimonij contractus: ergo fieret vera materia, & forma illius; ſed tunc non poſſent iſtæ conſiſtere in verbis prout prius, vel prout poſterius prolatis: ergo nunquam in eis eodem ordine prolatis conſiſtent. Patet hæc vltima cõſequentia, quia matrimonij contractus debet habere materiam, & formam certas, ac determinatas, & non vagas, ſicut certas habent alij humani contractus; neque in contrahentium poteſtate debet eſſe ex materia facere formam, & è contra. Firmatur: nam verba ex parte vniuſcuiuſque contrahentis æquè idẽ ſignificant, & æquè determinata ſunt ad corporis traditionem, & acceptationem: ergo non eſt maior ratio, cur potius ex parte vnius, quàm ex parte alterius, habeant rationem formæ, & materiæ. Quòd maximè verum eſt, quando vterque contrahens ſimul verba proferrẽt. Vrgeo idem amplius: nam ante Concilium Tridentinum fieri poterat, vt per ſolam copulam carnalem, præmiſſis ſponſalibus, matrimonium contraheretur, vt conſtat ex *cap. is, qui, de ſponſalibus*, & ex ſimili caſu *in cap. 2. & cap. finali, de coniugio ſeruorum.* Et nunc etiam, vbi Tridentinum non eſt receptum, eo modo contrahi poſſet matrimonium. Imò etiam vbi Tridentinum receptum eſt, contingere poteſt, vt per copulam maritali affectu habitam aliquod matrimonium priùs inualidum incipiat habere valorem; vt doctè defendit noſter Sanchez *lib. 2. diſp. 37. n. 14.* Tunc ergo neuter coniux ſuum conſenſum prior exprimeret, ſed vterque ſimul. Igitur fieret illud matrimonium abſque vlla materiâ, & forma; quod minimè eſt concedendum. 9

Dico *tertiò*, materiam intrinſecam, & ex qua conſtituitur contractus matrimonij, eſſe mutuos conſenſus contrahentium expreſſos, prout habent rationem traditionis corporum; eoſdem verò prout habent rationem acceptationis eorundem corporum eſſe formam. Moueor, quia proprium eſt materiæ, tam phyſicæ, quàm moralis, vt ſit quid imperfectum, & indifferens 10

Digitized by Google

differens adhuc determinabile, ac perfectibile per formam; formæ verò econtra proprium eſt, vt ſit quid determinatiuum, & perfectiuum materiæ, eam complens ad ſpeciale aliquod eſſe. At in contractu matrimonij, ſicut & in omni alio contractu, traditio corporum, quæ fit per conſenſus expreſſos, antequam accedat acceptatio eorundem, eſt quid imperfectum, ac indifferens ad hoc vt matrimonij contractus ſit ratus, ac validus; vel irritus, ſeu inualidus ad hoc vt verè ſubſiſtat, vel non. Econtra verò acceptatio illam traditionem complet, perficit, ac determinat ad eſſe ratum ac ſubſiſtens contractus matrimonij, productiui obligationis: ergo illa habebit rationem materiæ, hæc verò rationem formæ.

11 Obiicies *primò* contra hanc noſtram doctrinam, quia iuxta illam confundi videtur materia cum forma in contractu matrimonij. Probatur, quia in contractibus mutuis, qualis eſt iſte, ille qui tradit, non tradit abſolutè, ſed ſub cõditione, ſi alter tradat etiam ex parte ſua: ergo ille, qui acceptat traditionem alterius, cùm non acceptet traditionem abſolutam, ſed conditionem, eo ipſo quòd illam acceptat, vult ponere ex parte ſua conditionem, videlicet, reciprocam traditionem ſui; quare ipſamet acceptatio, conſiderata, quatenus acceptatio eſt, videtur iam includere traditionem: ergo ſi quatenus acceptatio eſt forma, & quatenus traditio eſt materia, ſequitur quòd quatenus forma ſit etiam materia; ergo confunditur forma cum materia. Reſpondeo negando vllam eſſe cõfuſionem formæ cum materia, vel materiæ cum forma. Quamuis enim traditio coniugis non ſit abſoluta, ſed ſub conditione reciprocæ traditionis; adhuc in acceptatione alterius coniugis inueniuntur duæ rationes formales adæquatè diſtinctæ, nempe traditionis, & acceptationis, quas poſſet coniux diuerſis verbis exprimere. Nam ſi Petrus, verbi gratia, promittit mihi pallium, ſi ego volo dare ei librum, poſſum ei reſpondere, Volo tibi dare librum, & nolo acceptare promiſſionem pallij, ecce promiſſionem reciprocam ſine acceptatione: poſſem item reſpondere, Accepto promiſſionem tuam conditionalem, & cogitabo pauliſper de conditione ponenda, vel non ponenda; ecce acceptationem ſine repromiſſione: poſſem denique dicere: Promitto tibi librum, & accepto promiſſionem tuam pallij; ecce promiſſionem, & acceptationem, ſignificantes tamen per diuerſa verba: nam per priora verba ſolùm ſignifico promiſſionem, non acceptationem; per poſteriora, acceptationem, non promiſſionem. Cùm ergo coniux de facto dicit, Accipio te in coniugem, illa verba æquiualent his, Trado tibi corpus, & accepto traditionem tuam. Vnde illa verba, quatenus ſignificant traditionem, habent rationem materiæ; & quatenus ſignificant acceptationem, habent rationem formæ ſolius, abſque vlla confuſione materiæ cum forma, vel formæ cum materia.

12 Obiicies *ſecũdò*, acceptatio non habet in ſe aliquam maiorem determinationem, ratione cuius ipſa potius determinet ſignificationem traditionis, quàm è contra, tam enim determinata eſt traditio corporis, quàm acceptatio corporis: ergo non eſt cur magis acceptatio ſit forma reſpectu traditionis, quàm ſit traditio reſpectu acceptationis. Reſpondeo negando antecedens; nam traditio corporis licèt ſit in ſe æquè determinata in ratione traditionis, ac eſt determinata acceptatio corporis in ratione acceptationis; tamen reſpectu matrimonij contractus, vt verè ſubſiſtat, & ratus, ac firmus ſit, non eſt traditio æquè determinata, ac eſt acceptatio; quia traditio corporum, antequam accedat acceptatio eorundem, eſt quid imperfectum, ac indifferens ad hoc vt matrimonij contractus validus ſit, & completus, vel non ſit: at verò acceptatio traditionem ipſam complet, perficit, & determinat ad eſſe ratum, & ſubſiſtens contractus matrimonij; & ideò meritò cenſetur eſſe forma reſpectu traditionis.

Obiicies *tertiò*, ideo mutuus conſenſus contrahentium expreſſus, vt traditio corporum eſt materia, & vt acceptatio eorundem eſt forma, quia illius indifferentia determinatur per iſtam; ſed ſæpè contingit è contra vt acceptatio determinetur per traditionem: ergo ſaltem tunc illa erit materia, & hæc forma. Minor probatur, quia ſi ego poſtulem aliquid ab alio, illa poſtulatio eſt indifferens, nec habet effectum contractus donec alter concedat rem poſtulatam; habet verò poſt ipſam, ſed tunc illa poſtulatio habet rationem acceptationis, & conceſſio rationem traditionis: ergo tunc hæc determinabit illam: ergo erit forma illius, & illa materia huius. Firmatur, nam poteſt vir vt ſic contrahere matrimonium, Accepto te in vxorem, & mulier poteſt reſpondere, Trado tibi meum corpus in matrimonium. In hoc caſu acceptatio non determinat traditionem, ſed è contra, traditio acceptationem determinat; nam acceptatio præcedens erat indifferens, vt ex ea fieret, vel non fieret contractus, neque eum complebat; accedente verò traditione iam completur contractus, & habet effectum: ergo in hoc euentu traditio habebit rationem formæ, & acceptatio rationem materiæ. Reſpondeo, acceptationem, quamuis poſſit eſſe prior in exiſtentia, tamen in officio, vt ſic dicam, & quaſi in effectu ſemper eſſe poſteriorem; nam in tantum ipſa acceptatio vim habet, in quantum alius tradit ſuum corpus: vnde ſemper cenſetur habere rationem perficientis, ſicut in phyſicis ſemper cenſeretur eſſe poſterior. Vnde acceptatio vt ſic formaliter ſumpta petit ex natura ſua ſobſequi traditionem; nam propriè non acceptatur niſi quod priùs ratione intelligitur offerri, aut tradi; quãuis per accidens id quod eſt acceptatio quaſi materialiter poſſit tempore præcedere ipſam obligationem rei. Similiter dico poſtulationem, prout formaliter poſtulatio eſt, non habere rationem acceptationis. Quamuis enim illud quod eſt poſtulatio, ſit etiam & reputetur acceptatio rei, prout eſt voluntas quædam, vt ea res fiat ſua, ſi tradatur ſibi ab alio: at non eſt acceptatio formaliter, prout formaliter eſt poſtulatio; quia hæc eſt ſua natura vt ſic petit præcedere traditionem rei, cùm ſit petitio eius vt ſibi tradendæ. 13

Obiicies *quartò*, in donatione, & venditione, acceptatio non habet rationem formæ, & vltimi perficientis, ſed tantùm eſt pars intrinſecè conſtituens: ergo neque in contractu matrimonij. Antecedẽs probatur, quia poſita donatione, & acceptatione (& idẽ eſt de venditione,) non adquiritur de iure ciuili dominium rei, niſi accedat actualis traditio rei, vt colligitur apertè ex *l. traditionibus* 20. *C. de pactis*, vbi ſic dicitur, *traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*. Et tamen nemo dicet actualem traditionem rei datæ, vel venditæ eſſe propriè formam contractus donationis, vel venditionis; nam ſolùm eſt ex ipſa legum diſpoſitione, vel conditio, vel quid neceſſariò requiſitum, vt ex donatione, vel venditione reſultet dominium in donatario, vel emptore. Similiter igitur in matrimonij contractu, licèt non reſultet dominium, niſi poſitâ acceptatione, non inde ſequitur accceptationem eſſe propriè formam, ſed ſolùm eſſe conditionem prærequiſitam ad rationem contractus. Præſertim, quia natura contractus eò tendit, vt dominium rei propriè alteri transferatur, 14

quod

quod maximè fit per traditionem, & non per acceptationem: ergo hæc non eſt propriè forma cõtractus; nam ei quod eſt forma, præcipuè conuenit id, quod eſt proprium rei quam conſtituit. Reſpondeo negãdo antecedens. Ad probationem dico *in primis*, ſi loquamur de aliis contractibus, præter matrimonium, eſt magis neceſſaria acceptatio ipſa traditione. Nam in omni contractu, ipſa acceptatio eſt ſimpliciter, & eſſentialiter neceſſaria iure naturæ ad contractus valorem, vt vidimus ſuprà *diſp. 1. ſect.* 10. Vnde etiam iure ciuili nullum ante acceptationem ius adquiritur. At traditio iure naturæ neceſſaria non eſt: ſolùm enim in aliquibus cõtractibus ex ipſa legum diſpoſitione eſt traditio neceſſaria ad dominium, & ius in re adquirendũ; non verò in omnibus, vt benè tradit Leſſius *lib. 2. de iuſt. c. 3. dub. 3.* Nam ex ſola voluntate humana Principis, vel reipublicæ eſt quòd requiratur traditio, vnde etiã ipſius arbitrio poteſt omitti. Vnde ſi loquamur in ſpecie de contractu emptionis, & venditionis conſtat apud Doctores eſſe perfectum in ratione contractus ante rei traditionem: nam hic contractus conſiſtit in nuda pactione, ſeu conuentione partium, nec requirit ad ſui ſubſtantiam traditionem rei, aut pretium: dicitur enim propriè res empta, & vendita ſimul atque inter emptorem, & venditorem conuenit de pretio. Vnde inter abſentes contrahi poteſt, & per nũtium, & per litteras. Verum eſt, vt transferatur actuale dominiũ, & ius in re per hunc contractum, requiri traditionem ex lege poſitiua, adeò vt ſi non ſit ſecuta vtrinque traditio, tametſi contractus ſit ſecundùm ſubſtantiam perfectus, non tamen habet vltimum ſuum complementum, ad quod contrahentes peruenire intendunt, nempe vt transferatur dominium, & adquiratur ius in re. Euidens tamen eſt non eſſe id eſſentialiter neceſſariũ; nã quando aliquid donatur, aut relinquitur ciuitatibus, Eccleſiis, aut locis piis, aut in redemptionem captiuorum, neque ex iure ciuili neceſſaria eſt traditio ad dominium adquirendum, vt notant Doctores. Quòd ſi loquamur de matrimonij contractu, cùm is fiat reali corporum traditione, & verè incipiat eſſentialiter in ratione contractus, quando corpora ipſa traduntur; certum eſt includere eſſentialiter ipſorum corporum traditionem realem, ſumpta traditione non pro actuali vſu coniugali, ſed pro dominio corporum, & ipſorum iure in re. Cæterùm iam cõſtat eam corporum traditionem eſſe materiã intrinſecam, & ex qua ipſius contractus matrimonij. Hinc verò non ſequitur acceptationem corporum non eſſe quoque formã intrinſecam illius, cùm ipſa ſit, quæ verè compleat, ac determinet ad eſſe ratum, ac ſubſiſtens contractus prædicti, productiui obligationis.

15 Obiicies *vltimo*, ea res, quæ eſt materia, & forma contractus matrimonij, eſt materia, & forma Sacramenti, vt communiter Doctores fatentur; ſed verba nullius Sacramenti ſunt materia: ergo in verbis nequit conſiſtere materia huius contractus. Minor probatur ex decreto Eugenij IV. ſtatuente omnia Sacramenta perfici rebus tãquam materia, & verbis tanquã forma. Vbi ſatis inſinuat quoque, id quod eſt materia ſaltem eſſe realiter diſtinctum à verbis, quæ ſunt forma. Vnde eadem verba non videntur poſſe eſſe materia, & forma Sacramenti matrimonij. Reſpondeo, eſto concedamus Eugenium ſtatuiſſe in omnibus Sacramentis materiam diſtingui realiter à forma; ad eius veritatem ſatis eſt, vt nomine materiæ intellexerit, vel materiam ex qua intrinſecam, & proximam; vel extrinſecam, & remotam, & circa quam. Hæc autem in Sacramento, & contractu matrimonij diſtinguitur realiter à verbis, & à conſenſu expreſſo contrahentium, vt patet; quia corpora contrahentium mutuò tradita, & accepta, ſunt materia extrinſeca, & remota, vt ſuprà dixi. Vnde etiam in Sacramento Pœnitentiæ idem Eugenius dicit peccata eſſe materiam, & tamen ſunt materia remota, & circa quam. Et in Sacramento Euchariſtiæ verba conſecrationis dicuntur eſſe forma; cùm tamen iuxta valde probabilem grauiſſimorum Doctorum ſententiam, inter quos noſter Vaſquez, ipſa verba non ſunt forma intrinſeca, ſed extrinſeca, & cauſa efficiens Sacramenti. Denique in Sacramento, & contractu matrimonij, vt dixi, materia ex qua intrinſeca realiter diſtinguitur à forma; nam traditio & acceptatio vt ſibi correſpondent, realiter differunt; acceptatio enim mulieris, quæ perficit traditionem viri, realiter diſtinguitur à viri traditione; & è contra acceptatio viri quæ perficit traditionem mulieris, differt quoque re ipſa à mulieris traditione, & ea acceptatio eſt forma, ipſa verò traditio eſt materia.

Sectio III.

An exterior expreſſio interni conſenſus contrahentium ſit ſimpliciter neceſſaria ad contractum matrimonij perficiendum.

CErtum eſt *primò*, in hac re, mutuum contrahentium conſenſum eſſe eſſentialiter requiſitum ad contractum matrimonij. Ratio eſt, quia alij contractus non fiunt niſi mutuo conſenſu; eſt enim omnis contractus quoddam pactum: pactum verò eſt duorum, vel plurium in idem placitum, & conſenſus; ergo à fortiori matrimonij contractus, in quo eſt mutua corporum traditio; & quod eſt vnius, non traditur alteri abſque proprio conſenſu. 1

Secundò etiam eſt certum, huiuſmodi conſenſus debere eſſe liberos plenà libertate, & deliberatione, quæ ſatis ſit ad peccatum mortale. Patet, quia ſi ſponſalia naturà ſua poſtulant hanc plenam libertatem, vt oſtendi ſuprà *diſput. 1. ſect.* 3. potiori iure matrimonij contractus, qui fortior eſt, ac indiſſolubilis. Et ratio eſt, quia ſubire onus matrimonij perpetuum, ac indiſſolubile, eſt res grauiſſima, vtpotè contractus humanus grauiſſimus, tranſlatiuus dominij corporis in alterã perſonam, & inductiuus obligationis grauis in ipſo dominium transferente: ergo nequit talis obligatio procedere: niſi ex plena aduertentia, ſeu deliberatione. Vnde amentes, ebrij, dormiẽtes, & pueri, qui nondum ad perfectum vſum rationis peruenerunt, non poſſunt ex natura rei contractum matrimonij validè celebrare, ex defectu plenæ deliberationis. 2

Tertiò verius videtur, non ſemper requiri, quòd cõſenſus contrahẽtium ſint liberi in ſe, & à ſe actualiter, ſed ſufficere aliquando, quòd ſint virtute liberi in voluntate libera antecedente, quæ verè fuerit intentio efficax traditionis dominij corporis, in aliquo effectu proprio virtute perſeuerans, vt latè oſtendi ſuprà *diſput. 1. cit. ſect.* 4. 3

Quartò mihi videtur probabilius, ad contractum matrimonij non ſufficere conſenſum fictum, ſed requiri in vtroque contrahente verũ conſenſum, & voluntatem efficacẽ mutuò tradẽdi corpora; atque adeò conſenſum merè externum cum poſitiua voluntate, & intentione non cõtrahendi, non eſſe validũ ad obligãdum obligatione naturali. Ratio eſt, quia contractus naturalis ſtat maximè conſenſu interno: verba enim 4

ſola non ſunt contractus, ſed ſignum contractus; ad hoc enim munus conceſſit natura verba, vt per ea actus interni proprij hominis manifeſtentur; ergo deficiente conſenſu interno, nulla eſt obligatio naturalis. Videantur dicta ſuprà *diſp. 2. ſect. 2.*

5 Denique certum videtur, ad valorem contractus matrimonij requiri, vt conſenſus internus per aliquod ſignum alteri manifeſtatus, & expreſſus ſit. Patet, quia nemo poteſt alteri obligari per ſolum conſenſum internum ſuum; imò quamuis quis velit, nulla orietur obligatio quoad vſque alius acceptet; ſed conſenſus merè internus alteri non expreſſus nequit ab alio acceptari, cùm per ſe ſit inſenſibilis; ergo nec poterit obligationem parere, & ſic nec contractum perficere.

6 His poſitis, reſtat difficultas, An videlicet exterior expreſſio mutui conſenſus interni per aliquod ſignum externum ſit adeò neceſſariò requiſita ad contractum matrimonij, vt abſque illa nequeat ille conſiſtere. Ratio dubitandi eſt, quia ſi miraculosè innoteſcerent conſenſus mutui ſine aliquo ſigno externo, poſſet matrimonij contractus celebrari, & induceretur obligatio ſolo conſenſu interno.

7 Dico *primò*, contractum matrimonij, qui modò naturaliter fit, & modo humano, neceſſariò requirere aliquam externam manifeſtationem internorum conſenſuum. Ita omnes. Et patet, quia ad communem rationem contractus humani inter duos, qui contrahunt modo naturali, & more humano, neceſſaria eſt aliqua ſenſibilis manifeſtatio, vt nimirum eis innoteſcat interna voluntas; ergo idem potiori iure dicendum de matrimnnio. Firmo, quia in obligationibus contrahendis ea debet eſſe internorum conſenſuum expreſſio, per quam contrahentes ſciant ſe eſſe obligatos; nullus enim adquirit ius nouum in rem aliquam per conſenſum alterius, cuius eſt res illa, niſi ſibi conſtet de tali conſenſu. Hoc autem in republica humana, quæ ſenſibilis eſt, naturaliter, & abſque miraculo, conſtare nequit ſine ſignis externis. Igitur cùm in matrimonio ſit obligatio mutua, & ius mutuum in corpora contrahentium, neceſſariò requiritur ex ipſa natura contractus humani, qui ordinario modo fit, & more humano, vt externis, ac ſenſibilibus ſignis exprimatur; neque enim eſt contractus angelicus, ſed humanus; & actus internus non ſufficit ad dominium transferendum ab vnico in alterum, cùm contractus humani forma ſint verba, vel ſigna extrema, quibus res traditur. Ex ipſa ergo naturali inſtitutione ſunt neceſſaria ſigna externa ſenſibilia; quandoquidem natura nos animo, & ſenſu conſtare voluit, neque in hoc reipublicæ ſtatu intelligere, niſi per ſenſus.

8 Dico *ſecūdò*, poſſe diuinitus fieri contractum matrimonij abſque ſigno aliquo externo conſenſus internos exprimente. Hoc videtur certum, ſi ſemel ſupponatur, quod negari non poteſt; nimirum fieri poſſe vt homines contrahentes, ſaltem diuina virtute manifeſtent ſibi inuicem ſuos internos conceptus, loquendo mutuò per ſolos actus internos, eo modo quo Angeli id præſtant, abſque vllo ſigno externo. Quæ enim implicantia apparere poteſt in hoc quòd homines more angelico poſſint ſibi mutuò loqui per internas cogitationes? Quis etiam neget, ſi duo merè internè, quantū poſſent in ſe mutuò conſentirent ad matrimonij contractum peragendum, ſi vterque ſciret Deum ipſis reuelaturum mutuos conſenſus, poſſe intēdere per eam reuelationem ſuum conſenſum ad alterum dirigere, ita vt verè haberent rationem mutuæ traditionis, & acceptationis. In his ergo euentibus, futurum verum matrimonialem contractum naturalem oſtendo, quia nihil obſtat, cur nequeant ſic obligari inuicem contrahentes per ſuum efficacem conſenſum eo modo manifeſtatum, vel per internam locutionem modo angelico, vel per Dei reuelationem ad vtrumque directam, nulla enim hac in re aſſignari poteſt repugnantia. Perfici ergo poſſet matrimonialis contractus naturalis ſine vllo ſigno externo. Firmo dictum; nam Angeli ſic poſſunt contrahere, & obligari; ergo & homines diuina virtute more angelico contrahentes. Et ratio à priori eſt, quia in vtroque caſu eſſet perfectus mutuus conſenſus, eſſet quoque perfecta locutio vtrique nota, vel per reuelationem, vel per internas cogitationes ab vtroque ad inuicem directas ad perficiendum contractum matrimonialem: ergo eſſent omnia requiſita ſufficientia ad talem contractū ex natura rei. Videantur dicta ſuprà *diſp. 1. ſect. 9. n. 6. & ſeqq.* Atque huius noſtræ ſentētiæ eſt Baſilius Ponce *lib. 1. de matr. cap. 6. n.* 14. ſic dicens: Si Deus miraculosè efficeret, vt homines ſibi per conceptus loquerentur, ſicut & Angeli loquuntur, non dubito conſenſum internum per ſigna intellectus tunc manifeſtatum, ſufficientem eſſe ad contrahendam obligationē. Idem ſentit Coninch *diſp. 24. dub. 8. n. 64.* dicens, tunc illos actus ſufficere ad rationem ciuilis contractus. Annuit quoque Leſſius *lib. 2. de iuſtitia, & iure, c. 18. dub. 5.* vbi poſtquam docuit actus internos non eſſe idonea ſigna ad alteri ſignificandum; ſubdit poſtea: ſi tamen alter poſſet cognoſcere internas cogitationes, ſicut poſſunt Angeli, quando ad eos diriguntur, tunc per actum internum optimè poſſet donatio, & promiſſio fieri. Hinc enim manifeſtè colligitur in prædictis euentibus poſſe fieri contractus, atque adeò & matrimonij.

Obiicies: Ad ſubſtantiam contractus matrimonij pertinere non ſolùm locutionem, & manifeſtationem internorum conſenſuum, ſed etiam alias ſolemnitates, quas Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 1.* in decreto de reformatione matrimonij decernit, nempe præſentiam Parochi, duorumque teſtium, quas ita exigit, vt ſine illis reddat contrahentium cōſenſus expreſſos omnino inſufficientes ad contractum matrimonij perficiendum, & ipſos contrahentes efficit inhabiles ad ſic contrahendum. Reſpondeo, veriſſimam eſſe prædictā doctrinā; noſtro verò caſui, in quo loquimur de poſſibili, non obeſſe, quia in eo euentu diſpenſaret Deus quoque in contrahentibus baptizatis, vt poſſent contrahere matrimonium abſque illa ſolemnitate. 9

Hinc

Dico *tertiò*, mutuum conſenſum ſigno externo, & 10 ſenſibili expreſſum, non eſſe eſſentialiter requiſitum ad ineundum matrimonij contractum, abſolutè, & in omni euentu poſſibili, ſed ſolum ex natura rei, & ſpectata ipſa inſtitutione humana cōtractuum, qui fiunt, non more Angelico, ſed humano. Patet, quia quod eſt abſolutè, & eſſentialiter requiſitum, in nullo caſu poteſt contingere, vt fieri poſſit ſine illo; ſunt enim eſſentiæ rerum omnino conſiſtentes, & immutabiliter. Hac enim de cauſa internus mutuus conſenſus dicitur eſſentialiter requiſitus ad matrimonij contractum, quia abſque illo in nullo euentu fieri poteſt. At oſtenſum eſt in euentu, in quo poſſent vir, & fœmina contrahentes, diuinâ virtute, manifeſtare ſibi inuicem ſuos internos conſenſus, loquendo mutuò per ſolos actus internos, eo modo quo Angeli id præſtant, vel in euentu diuinæ relationis internæ ad vtrumque mutuò directæ, poſſe fieri contractum matrimonij abſque vllo externo ſigno, ergo euidens eſt externam expreſſionem humano, & ſenſibili modo factam non eſſe eſſentialiter requiſitam ad contrahendum matrimonium abſolutè, & in omni euentu, ſed ſolùm illud eſſe neceſſarium in contractu matrimonij, qui de facto

fit

Digitized by Google

ſit accommodato naturæ contrahentium, & ipſi humanæ inſtitutioni contractuum. Vnde ob hanc eandem rationem dixi ſuprà *diſp...ſect. 9. n. 9.* promiſſionem mutuam, & acceptatam ſigno externo humano, & ſenſibili, non eſſe eſſentialiter requiſitam ad contrahenda ſponſalia abſolutè, & in omni euentu poſſibili, tametſi ſit ſemper requiſita ad illa contrahenda, ſi more humano contrahantur, & non more angelico.

11 Dico *vltimò*, conſenſus prædicti mutui merè interni, tametſi ſufficerent ad rationem contractus naturalis matrimonij, ſed non ſufficerent ad rationem Sacramenti à Chriſto inſtituti in contrahentibus baptizatis. Id rectè notauit obiter noſter Coninch *diſp. 24. dub. 8. ad finem numeri ſexageſimi quarti.* Et ratio eſt manifeſta, quia Sacramentis nouæ legis de facto à Chriſto inſtitutis conuenit neceſſariò, ac eſſentialiter eſſe ſigna ſenſibilia gratiæ ſanctificātis ex inſtitutione Chriſti, qui de facto res ſenſibiles in Sacramenta inſtituit. Neque inde ſequitur, ſi prædicti actus interni oon ſunt Sacramentum de facto inſtitutum, oec perficere quoque verum, & legitimum matrimonij contractum, ex eo quòd inter baptizatos oequeat contrahi matrimonium ſine Sacramento. Non, inquam, ſequitur; quia dato quòd oon poſſit ſeparari ratio contractus matrimonij à Sacramento, facile dici poteſt ſaltem inter contrahentes noo baptizatos conſiſtere verum matrimonij contractum. Et inter baptizatos Deum diſpenſaturum in eo euentu, vt poſſent contrahere matrimonium ſine Sacramento.

12 Verùm verò prædicti actus potuiſſent eſſe Sacramentum quaſi alterius ſpeciei, & ordinis, quod eſſet ſignum gratiæ inſenſibile, noo video negari poſſe, quia nullam concipio repugnantiam, à Deo inſtitui poſſe Sacramentum in actu aliquo interno ſpirituali, medio quo ſignificetur, & conferatur gratia ipſi habenti eum actum. Poteſt enim Deus aliquas actiones internas conſtituere, ad quarum poſitionem gratiam conferat ex opere operato; & potuiſſet ſtatuere, vt talia Sacramenta fuiſſent communia Angelis, & hominibus.

Sectio IV.

An exterior expreſſio interni conſenſus ita pertineat intrinſecè ad contractus matrimonij naturam, vt ſit pars eſſentialis illius; an potiùs ſit ſolùm conditio, ſine qua non.

1 PRocedit quæſtio de contractu matrimonij, qui de facto fit ſenſibili modo, & bumano more. De quo ſentiunt nonnulli ſecuti Maiorem *in 4. diſt. 26. q. 1. ad 3.* eſſe tantùm conditionem; conſtituunt enim totam eſſentiam cootractus matrimonij in conſenſu interno. Probant

Primò, ex *cap. cùm locum 14. de ſponſalibus*, vbi expreſsè dicitur, matrimonium ſolo conſenſu contrahitur. Et ex *cap. tua 25. eodem titulo*, dum dicitur, matrimonium in veritate contrahi per legitimum viri, & mulieris conſenſum; ſed oeceſſaria eſſe, quantum ad Eccleſiam, verba, conſenſum exprimentia de præſenti.

Secundò, quando contrahitur matrimonium inter abſentes per Procuratorem, expreſſio conſenſuum abſentium facta per procuratores eſt tantùm conditio ſine qua non; per eam enim innoteſcit voluntas abſentium: ergo ſimiliter quando cootrahentur inter præſentes, expreſſio conſenſuum erit cōditio ſioe qua non, vt nimirum vtrique conſtet mutua voluntas.

Tertiò, præſentia Parochi, duorumque teſtium, quam Tridentinum requirit, efficitque neceſſariam vt matrimonium validum ſit, non ſpectat ad ſubſtantiam matrimonij inter fideles, quos obligat, ſed eſt tantùm conditio ſine qua, non ergo ſimiliter externa ſigna, quibus mutui contrahentium conſenſus exprimuntur, erunt tantùm conditio, ſine qua non. Patet conſequentia, quia ſicut coniugum interni conſenſus matrimonij contractum non conſtituunt, niſi verbis, aut æquiualeotibus ſignis exprimantur, ita bæc eadem externa ſigna nullius ad conſtituendum matrimonium ſunt valoris, niſi in præſentia Parochi, aliorumque teſtium exhibeantur.

Veriorem exiſtimo ſententiam affirmantem expreſſionem interni conſenſus mutui per aliquod ſignum externum, eſſe partem eſſentialem contractus matrimonij more humano facti. Ita Dominicus Soto *in 4. diſt. 27. q. 1. art.* 1. Franciſcus à Victoria *in ſumma de matrimonio n.* 250. Petrus de Ledeſma *ad quæſt. 45. a. 2. dub. 1. §. ex quo ſequitur*, Sanchez *lib. 2. diſp. 30. n. 3.* Coninch *diſp. 24. dub. 8. n. 63.* Gaſpar Hurtado *diſp. 3. diffic. 12. n. 46.* Baſilius Ponce *lib. 2. c. 6. n.* 10. & alij. Probo id 2

Primò, quia de humani contractus eſſentia eſt vt ſit quidpiam ſenſibile: ergo eſſentialiter debet verbis, vel aliis ſignis ſēſibilibus perfici; niſi enim his perficiatur, ſenſibilis eſſe non poteſt: ergo cùm matrimonium ſit contractus bumanus, ſigna externa eruot de eſſentia matrimonij. Maior illa videtur nota, quia contractus humanus eſt eſſentialiter actus duorum hominum inter ſeſe de re aliqua paciſcentiū, & conuenientiū ex libera volūtate, & ex notitia quā habet eorū quilibet, tū liberæ voluntatis eius cū quo paciſcitur, & conuenit, tum obligationis, quā in ſui commodum ſubire vult, & re ipsâ ſubit, eo modo quo homo cum bomine agere, paciſci, & conuenire naturaliter poteſt, quod non poteſt niſi ſenſibilibus ſignis.

Secundò, ſigna externa ſenſibilia pertinent intrinſecè, & eſſentialiter ad ſubſtantiam matrimonij, vt Sacramenti: ergo & ad ſubſtantiā matrimonij, vt contractus humanus eſt. Conſequentia patet, quia idem, quod Sacramentum eſſentialiter eſt, eſt quoque contractus matrimonij eſſentialiter: nibil enim aliud quā contractum hunc inſtituit Chriſtus in hoc Sacramentum. Antecedens conſtat, quia de Sacramenti eſſentia eſt, vt ſit ſignum ſenſibile. At matrimonium nihil ſenſibile habet, quo conſtituatur Sacramentum, niſi verbis, vel aliis ſignis per ſe ſenſibilibus contrahatur.

Tertiò, in obligationibus contrahendis ea debet eſſe eſſentialis expreſſio in republica bac politica bumana, & ſenſibili, per quam contrahentes ſufficiant cognoſcere ſe eſſe obligatos, nam aliàs oulla in illa conſiſtere poſſet obligatio; nullus enim adquirit ius nouum in rem aliquam per conſenſum alterius, cuius eſt res illa, niſi ſibi conſtet de tali conſenſu. Hoc autem in republica humana ex natura rei eſſe noo poteſt ſine ſignis externis: ergo cùm in matrimonio ſit obligatio mutua, & ius mutuum in corpora contrahentium, neceſſariò, & eſſentialiter requiritur ex ipſa natura cōtractus humani, vt bumanis verbis, vel aliis externis ſignis exprimatur. Quamuis enim ſi Deus miraculosè efficeret, vt homines ſibi per conceptus loquerentur, ſicut Angeli loquuntur, conſenſus ille internus per ſigna mentalia intellectus tunc manifeſtatus, ſufficiens eſſet ad contrahendam obligationem, vt dixi *præcedenti ſectione*, quia non repugnat naturæ dominij, quòd transferatur per conſenſum

Digitized by Google

internum, directum Iam, ſcilicet, & manifeſtum per conceptum alteri, cui innoteſceret ex conceptu, ſeclusis corporeis ſignis. Verumtamen ex ipſa naturali inſtitutione contractus humani, humano more, & naturali modo facti, neceſſaria ſunt eſſentialiter externa verba, vel alia ſenſibilia ſigna, quia in hoc reipublicæ ſtatu politico, & externo non intelligimus niſi per ſenſus, ſecundùm modum noſtrum connaturalem, & humanum. Tandem idem oſtenditur, quia in profeſſione Religioſorum, vota religionis ſine externa expreſſione non ſunt profeſſio; eſt ipſa externa expreſſio eſſentialiter neceſſaria ad ſolemnem profeſſionem, & ad ſtatum illum religioſum conſtituendum. Vnde exterior aliqua forma, quæ mutuum conſenſum religionis, & Religioſi ſufficienter explicet, eſt eſſentialiter neceſſaria, vt perficiatur profeſſio, & vt vinculum eius conſurgat, & conſtituatur ille religioſus ſtatus, qui eſt peculiaris gradus, ſeu ordo perſonarum Eccleſiæ viſibilis, & ideò neceſſe eſt, vt aliqua ſenſibili forma conſtituatur. Igitur ſimili modo conſenſus interni abſque externa expreſſione non ſufficient ad matrimonium, eritque expreſſio externa eſſentialiter neceſſaria ad talem coniugij ſtatum fixum, & firmum conſtituendum.

Ad argumenta oppoſita.

3 Ad primum, dico illa iura non intendere conſenſum internum præciſum ab omni ſigno ſenſibili ſufficere ad contractum. Nam in priori capite, dictio illa excluſiua, *ſolùm*, non excludit concomitantia, & ita non excludit expreſſionem per ſigna externa, quæ concomitatur ipſum conſenſum in omni humano contractu. Per illam ergo particulam excluditur metus, vel coactio, vt conſtat ex ipſa ſpecie textus. Vbi condiſtinguitur conſenſus liber à conſenſu, qui per metum præſtatur, vel coactionem, & dicitur hunc non ſufficere, benè tamen priorem. Fuit enim mota quæſtio inter duos ciues Papiẽſes ſuper matrimonio cuiuſdam puellæ. Vterque dicebat ſe matrimonium cum illa contraxiſſe, mulier timebat violentiam ſibi inferri à prædictis, qui illam petebant; quæſitum fuit ab Alexandro III. quid fieri deberet. Reſpondet Pontifex, vbi metus, vel coactio intercedit, conſenſus locum habere non poteſt, ſed vbi conſenſus requiritur, metus, vel coactio debet repelli, & matrimonium ſolo conſenſu contrahitur. Vnde per illam particulam, *ſolo*, conſtat excludi metum, vel coactionem à Pontifice, vt nimirum fiat matrimonium ſine metu, vel coactione, non verò ſine ſignis. Ad alterum ius ex *cap. tua*, dico ibi condiſtingui conſenſum verbis expreſſum ab illo, qui nutibus, & ſignis exprimitur; & dicitur, per quemlibet fieri poſſe matrimonium, vt patet ex ipſo contextu. Dicitur autem ibi neceſſaria eſſe verba conſenſum exprimentia quantum ad Eccleſiam, id eſt, exigi verba ad faciliorem probationem in foro externo.

4 Ad ſecundum, reſpondet Sanchez expreſſionem conſenſuum, vt proficiſcitur ab ipſis contrahentibus, eſſe de matrimonij eſſentia, tanquam materiam, & formam ipſius. Vt autem explicatur per Procuratorẽ, eſſe tantùm conditionem ſine qua non. Cæterùm verius exiſtimo cũ noſtro Coninch *diſp.24.dub.9.n.* 74. ipſum actum Procuratoris, ſeu expreſſionem, quâ exterius declarat ſe nomine talis cum tali matrimonium contrahere, idque ita vt ij quorum intereſt, id intelligant, eſſe veram partem eſſentialem ipſius contractus. Moueor eius ratione, quæ mihi videtur efficax, quia ideò externa ſigna inter præſentes ſunt pars eſſentialis contractus, quia contrahentes per ea ſuum conſenſum neceſſariò ad partem dirigunt: atque abſentes eodem modo dirigunt ſuum cõſenſum ad partem per actus procuratoris, ita vt ſine his illorum actus nullo modo poſſint habere veram rationem traditionis, aut contractus. igitur hi etiam ſunt de intrinſeca ratione contractus; non quidem quatenus procedunt à procuratore, ſed quatenus mediatè procedunt à contrahentibus, ideoque hi ſoli dicuntur contrahere, non autem procuratores. Vnde ipſe actus Procuratoris cõſtituit in genere moris vnũ numero actũ cum conſenſu mandantis, ſicut externa donatio eleemoſynæ iuſſu domini facta per famulum, conſtituit in genere moris vnum actum cum interna voluntate domini. Ex quo etiam fit, cur nihil referat, an Procuratores ſint duo viri, vel duæ fœminæ, vel vir, & fœmina, quia non Procuratores, ſed ſoli contrahentes dicuntur contrahere, & ipſi Procuratores debent exprimere ſe nomine talis cum tali contrahere. Quare ad argumentum reſpondeo negando antecedens: nequit enim contractus matrimonij per Procuratorem celebratus perfici eſſentialiter abſque verbis, vel ſignis ſenſibilibus ipſius.

5 Ad tertium, negatur antecedens: nam ad ſubſtantiam contractus intrinſecè pertinent, non ſolùm verba vel alia externa ſigna, quibus mutui contrahentium conſenſus exprimũtur, ſed etiam illę ſolẽnitates, quas humana lex aliquando conſtituit, & facit neceſſarias ad cõtractus validitatem. Præſentiam autem Parochi, & duorum teſtium ita exigit Tridentinum, vt ſine tali ſolemnitate reddat contrahẽtium conſenſus expreſſos omnino inſufficientes ad contractum matrimonij perficiendum, & ipſos contrahentes efficit inhabiles ad ſic contrahendum, atque adeò hanc ſolemnitatem tanquam eſſentialem requirit.

Sectio V.

An, & quomodo debeant eſſe ſimul contrahentium conſenſus, & eorum expreſſiones.

1 Certum eſt apud omnes Doctores, ad valorem contractus matrimonij non requiri ſimultatem phyſicam vtriuſque contractus actualis. Patet, quia contractus hic ſequitur naturam cæterorum contractuum; in quibus neceſſe non eſt vt vtriuſque conſenſus ſit actu ſimul phyſicè eodem inſtanti, vel tempore; aliàs enim inter abſentes celebrari non poſſent, quod eſt falſum. Et ratio à priori eſt, quia contractus matrimonij humano, & ſenſibili modo factus, de quo loquimur, eſt quoddam vnum morale: ergo non petit contrahentium conſenſuum ſimultatem phyſicam, ſed moralem.

Qualis verò debeat eſſe hæc moralis ſimultas, diſſidium eſt apud Doctores, vt videri poteſt apud Sanchez *lib.2.diſp.32.* Coninch *diſp.24. dub. 7.* Gaſparem Hurtado *diſp.3. diffic.8.* & Baſilium Ponce *lib.2. cap.16.*

2 Ipſe verò, vt rem hanc clariùs explicem, prænoto, triplicem diſtingui poſſe ſimultatem moralem, ſcilicet actualem, virtualem, & habitualem. Simultas moralis actualis, ſeu formalis eſt, cùm nimirum conſenſus actualis vtriuſque contrahentis eſt ſimul quaſi continuè, vnus ſtatim poſt alterum; nam parua diſtantia inter vtrumque non obeſt huic actuali ſimultati morali, cùm in hoc diſtinguatur à ſimultate phyſica. Virtualis eſt, quando conſenſus vtriuſque contrahẽtis nõ eſt ſimul cõtinuè, ſed permanet moraliter in aliquo effectu ab ipſo emanãte, ratione cuius cẽſetur, moraliter loquendo, perſeuerare prior deliberatio, & volũ-

tas

Digitized by Google

tas. Habirualis deniqoe dicitur, quando nec in ſe, nec in aliquo effectu ab ipſa deriuaro moraliter exiſtit, ſed præceſſit, & non eſt reuocata explicitè, nec implicitè per actum oppoſitum. Id enim ſatis eſt, vt non omnino deſinat, ſed aliquo modo, ſaltem habirualiter permaneat, ex eo quòd præceſſerit, & reuocata noo ſit. Hoc præmiſſo,

3 Dico *primò*, certum eſſe apud omnes, conſenſus contrahentium debere eſſe aliquo modo ſimul ad contractom mattimonij perficiendum. Probatur, quia contractus matrimonij ex mutuo conſenſû expreſſo, tanquam ex partibus eſſentialibus componitur: ergo cùm ille verè perficitur, ſeu conſtituirur, debet mutuus cõſenſus expreſſus aliquo modo ſimul exiſtere, quia nihil poteſt vetè te ipſa componi ex tebus, quæ nullo modo exiſtunt: ergo neque vtriuſque partis conſenſus expreſſus poſſunt ſimul io vnum contractum coaleſcere, niſi aliquo modo ſimul ſint.

4 Dico *ſecundò*, noo opus eſſe vt contrahentium conſenſus, & expreſſiones eorum ſint actu ſimul, ſeu, vt coëxiſtant moraliter, ſeu quaſi continuè. Ita communiter Doctores contra Panormitanum. Et ratio eſt, quia neque id requirit matrimonium, quà contractus eſt, neque quà Sacramentum eſt. Patet *primum*, quia oeque illud requiritur in aliis contractibus. *l. 1. §. qui præſens, D. de verb. oblig. & l. 1. §. ſed verior. D. de contrah. empt.* & liquet in omnihus contractibus per nuncium, litteras, vel procuratorem initis: ergo neque in matrimonio, cùm videamus non ſolùm per ipſos contrahentes præſentes, ſed etiam ipſis abſentibus, per nuncium, epiſtolam, & procurarorem, coofenſum manifeſtari. Neque id neceſſarium eſt ex aliqua conſtitutione Eccleſiaſtica, quæ nulla extat. Patet *ſecundum*, non requiri eam ſimultatem, quà Sacramentum eſt. Tum quia ſi id non exigit vt contractus, neque vt Sacramentum exiget; quia ad conferendam gratiam eleuatus eſt à Chriſto contractus matrimonij ſuæ diſpoſitioni relictus, & non immuratus. Tum etiam, quia in aliis Sacramentis in prolatione formæ, & applicatione materiæ non modica diſtantia temporis eſſe ſolet; vt in Sacramento Pœnitentiæ, ſæpè multò poſt peccatorum confeſſionem exprimitur abſolutio. Et in Sacramenro Ordinis Diaconatus, confertur Ordo, cùm profertur forma; profertur autem, cùm iam omnes, materiam, nempe, calicem vacuum cum patena tetigerunt.

5 Dico *tertiò*, nec requiri ad valorem contractus matrimonij, vt conſenſus vtriuſque ſimul ſit virtuali ſimultate. Ratio eſt, quia contractus matrimonij eſt quoddam ens morale, ex quo non reſultat effectus aliquis, ſeu operatio phyſica, & ralis; ſed ſolùm moralis obligatio mutui corporum dominij: ergo non exigir ſimultatem conſenſuum virtualem, ſed ſolùm quòd ipſi conſenſus permaneant, ſeu non ſint reuocati. Firmo, quia ex coorractu matrimonij tranſacto, nec etiam virtute manente, ſemper moraliter permanet ranquam illius effectus moralis ipſum mattimonij vinculum indiſſolubile: ergo ſimiliter vt contractus matrimonij coaleſcat ex mutuo cenſenſu, non requiret huius virtualem coëxiſtentiam, ſed eius talem permanentiàm moralem, vt nullo pacto fuerit reuocatus.

6 Hinc dico *vltimò*, ſatis eſſe ad valorem matrimonij, vt conſenſus fiat ſimul habituali ſimultate. Ita Doctores *ſupra* relati, & eſt omnium communiſſima doctrina. Ratio eſt, quia mutous conſenſus, quamuis ſolùm habitualiter permanens, ſufficiens eſt ad effectum contractus matrimonij, nempe ad traditionem dominij corporum ad vſum coniugalem, & ad inductionem obligationis radicalis ad illum: ergo ſufficiés erit quoque ad perficiendum contractum, ex quo oritur prædictus effectus. Aotecedens probo, quia ille effectus tantùm conſiſtit in denominatione quadam morali extrinſeca; hæc autem ſufficienter poteſt conſurgere ex conſenſu multò ante emiſſo, nec actu, oec virtute permanente, abhibito poſtea alterius conſenſu. Sicut etiam ad applicandum valorem ſacrificij pro aliquo, ſufficit inreotio ſui conſenſus multò antea præcedens, habitualiter tantùm perſeuerans: poſſum enim hodie efficaciter applicare alicui ſacrificiũ, quod cras celebrabo, manebitque ei applicarum, & ſi de illo nihil amplius cogitem, modò oon habeam voluntatem contrariam ante celebrationem.

Obiicies, intentio habitualis non ſufficit ad efficiendum Sacramentum, neque ad efficicodum ſacrificium, vt eſt communis Doctorum ſententia in materia de Sacramentis, & de Sacrificio Miſſæ: ergo neque ſufficiet ad efficiendum contractum matrimonij. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negandam eſſe conſequentiam: eſt enim manifeſta diſparitatis ratio; nam ad efficiendum Sacramentum, vel ſacrificium, requiritur intentio factiua, ſeu operatiua operatiooum realium; intentio enim, v. g. efficiendi ſacrificium eſt intentio proferendi verba conſecrationis, & conſtituendi Chriſtum in Euchariſtia; & intentio efficiendi Sacramentum, eſt intentio proferendi verba, & ſæpè etiam efficiendi alteram actionem phyſicam, vt abluendi, vel vngendi. Cùm ergo libera voluntas in confectione Sacramenti, vel ſacrificij, debeat phyſicè cauſare operationem realem, applicando potentiam motiuam ad actum externum operandũ, neceſſe eſt, vt ea voluntas phyſicè exiſtat, aut in ſe, aut in aliquo effectu deriuato ex illa; vnde neceſſaria eſt, ſaltem virtualis intentio, nec ſufficiens eſt habitualis. At intentio, ſeu conſenſus matrimonialis non eſt factiuus, vel operatiuus alicuius actionis realis, quæ debeat ex ipſa intentione procedere, ſed tantùm ea voluntas eſt traditiua dominij corporis, quæ non eſt actio phyſica, & realis, ſed tantùm eſt extrinſeca quædam denominatio moralis; ad quod ſufficit ipſa intentio tradendi dominium, quamuis præterita ſit, & non maneat niſi habitualiter tantùm. Quod rectè explicatur exemplo adbibito voluntatis, ſeu intentionis applicandi alicui Sacrificium Miſſæ, quæ noo mouet ſacerdotem ad aliquod vlterius operandom, ſed ſolùm mouet diuinam volũtatem, vt ſtatim ac ſacrificium fiat, eius fructum alteri applicet. Vnde intentio applicatiua valoris ſacrificij reſpicit ipſum valorem, vt purum obiectum, & noo vt effectum; quia ex eo ſolùm quòd celebrans tunc quando fit ſacrificium, aut antea, velit ſuum ſacrificium tunc exiſtens, aut poſtea futurum alicui prodeſſe, dicitur illi ſufficienter applicare valorem; ad id autem ſufficit intentio habitualis, quia ſufficit intentio non factiua, ſed purè volitiua. Ex dictis 7

Colligo *primò*, dum prior conſenſus permanet ſaltem habitualiter, adueniente poſtea conſenſu alterius, perfici matrimonij contractum. Cùm enim matrimonium magna ex parte ſit ens quoddam morale, ad eius eſſe nihil amplius requiritur, quàm hæc ſimultas habitualis, & moralis. 8

Colligo *ſecundò*, conſenſum ipſum tandiu cenſeri habitualiter, & moraliter permanere, donec ſaltem implicitè reuocetur. Quod patet ex communi hominum æſtimatione morali, vt nimirum quando quis in aliquam rem conſentit, eius cooſenſus habitualiter cenſeatur tandiu perſeuerare, donec explicitè, vel implicitè reuocetur. Vnde tunc deſinit prior conſenſus permanere adhuc habitualiter, quando quis ante in vnã cõſẽſerat, & poſtea conſẽtit io aliã. Cùm etiam 9

Digitized by Google

quis, vel explicitè, vel implicitè pro certo tantùm tempore conſenſit, ita vt niſi intra illud tempus fuerit perfectus contractus, noluerit vlteriùs in eum conſentire; tunc enim manifeſtum eſt lapſo eo tempore conſenſum omnino deſinere.

10 Colligo *tertiò*, quoties quis conſenſit, & non expreſsè in perpetuum, nec tempus aliquod determinatum ſuo conſenſui præſcribit, cenſeri implicitè tempus aliquod limitatum ſuo conſenſui præſcribere: quia nullus eſt qui velit perpetuum conſenſum alterius expectare, & quoad hoc ſuſpenſus manere.

11 Quantum verò temporis inter expreſſionem conſenſus vtriuſque intercedere debeat, cenſeo cum Petro Ledeſma, id prudentis arbitrio, attentis circumſtantiis, penſandum eſſe. Quia poteſt fieri, vt quandoque ſit breue, ac etiam leuiſſimum; vt cùm quis conſentit in præſentem, à quo citò, aut ſtatim expectat conſenſum; aliquando longum, etiam vbi Tridentinum viget, vt cùm quis per litteras conſentit in procul abſentem, & quem ſcit habere multas difficultes, ob quas nequeat facile ſe reſoluere, an velit eius matrimonium acceptare; tunc enim cenſetur conſenſum ſuum velle diu durare.

12 Quæ hactenus dicta ſunt, locum habent etiam poſt Tridentinum, vbi illius decretum eſt receptum. Nam poteſt ita fieri, vt Parochus, vt teſtes de vtriuſque conſenſu teſtificentur, vt ſi quis coram Parocho, & teſtibus conſentiat, & alter die ſequenti coram eiſdem reſpondeat. Similiter ſi quis mandatum dedit alicui, vt pro eo conſentiret in aliquam ſpecialiter, cuius conſenſus, & mandatum fuerunt teſtis Parochus, & teſtes, & poſtea fuerunt etiam teſtes & executionis mandati, & acceptationis alterius, & traditionis.

Sectio VI.

An neceſſitas mutui conſenſus contrahentium tanta ſit, vt nec reſpublica, nec Eccleſia, neque etiam ipſe Deus poſſit illum ſupplere.

1 TRiplex hîc quæſtio verti poteſt. *Prima*, an contractus ipſe matrimonij fieri poſſit ſine conſenſu mutuo contrahentium. *Secunda*, an ius, & dominium remanens poſt conſenſum, ex quo vnuſquiſque coniugum habet poteſtatem in corpus alterius, poſſit ab Eccleſia, vel ſaltem à Deo ſuppleri, ita vt Deus poſſit dare viro poteſtatem in corpus fœminæ, & è contra abſque illorum conſenſu. *Tertia*, an vinculum, quo coniuges copulantur, & in quo conſiſtit eſſentia matrimonij, conſiſtere poſſit de potentia Dei abſoluta abſque illorum conſenſu. Quæ tria optimè diſtinguit noſter Thomas Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 26. *n.* 1. 2. *&* 3. Vnde immeritò illum carpit Baſilius *cap.* 3. *n.* 4. dicens, non ſatis videri Thomam Sanchez percepiſſe quæſtionis ſenſum, eo quòd dixerit *num.* 3. de iure, ſeu dominio poſſe ferri à ſolo Deo; & poſtea *num.* 5. aſſeruit non poſſe vinculum eſſe ſine matrimonio; cùm tamen idem ſit vinculum in facto eſſe, & ius mutuum ad vtendum corpore alterius, quod haberent hi, quibus Deus mutuam in alterutrum poteſtatem concederet. Immeritò, inquam, illum ſic carpit. Tum quia Sanchez ita perfectè, & adæquatè percepit quæſtionis ſenſum, prædictas tres quæſtiones, ſeu difficultates diuidens, ac præſcindens, vt nulla alia ſuperſit circa eam rem difficultas exagitanda, neque aliam diſtinctam à prædictis tribus ipſe propo-nit Baſilius, neque alius Doctor. Tum etiam, quia ſatis apertè proponit Sanchez ſe opinari, diſtinctum quid eſſe vinculum à iure illo mutuo. Vnde non ſibi contrarius apparet, dum concedit hoc ſecundum poſſe fieri à Deo, non verò illud primum, quæ certè debuiſſet animaduertere Baſilius, nec tantum virum eâ nota iniuſtè afficere.

Ad primam igitur quæſtionem accedens, conſtat 2
apud Doctores contractum matrimonij non poſſe fieri etiam diuinitus ſine mutuo contrahentium conſenſu. Ratio eſt, quia eiuſmodi contractus conſiſtit in mutuo conſenſu libero, verbis, aut aliis ſignis expreſſo. At Deus non poteſt ſe ſolo conſenſum liberum efficere. Firmo, quia contractus iſte, ſicut & quilibet alius, coaleſcit eſſentialiter ex dicto libero conſenſu, & ex ipſius exteriori expreſſione, non ſecus ac homo ex animo rationali, & corpore: ergo per nullam potentiam ſine illo conſtare poteſt; ſicut nihil poteſt eſſe homo ſine animo rationali, & corpore. Omnis enim actualis inter aliquos contractus actualem contrahentium conſenſum eſſentialiter inuoluit; ſicut votum ab homine factum Deo, ſumptum non pro vinculo, ſed obligatione, qua conſtringitur is, qui vouit ad faciendum id, quod vouit, ſed pro humana promiſſione facta Deo, ex qua vinculum illud exoritur, ita neceſſariò requirit actum liberum voluntatis humanæ, vt illud abſque hoc actu nullâ poteſtate eſſe valeat, quia promiſſio libera hunc actum liberum in eſſentia ſua includit.

Obiices, conſenſus eſt cauſa efficiens, ſed Deus cuiuſcumque cauſæ efficientis locum ſupplere poteſt: ergo contractum matrimonij perficere inter duos abſque eorum conſenſu. Reſpondeo Deum quamcumque cauſam efficientem ſupplere poſſe, niſi in eo inuoluatur ſpecialis ratio repugnantiæ, vt videmus in actione vitali, aut libera, quæ actio eſt à voluntate, & tamen non poteſt ſecundùm modum libertatis à Deo geri. Addo conſenſum liberum eſſe de intrinſeca ratione formali contractus matrimonij, atque adeò non poſſe à Deo ſuppleri.

Circa ſecundum, de poteſtate, & dominio corpo- 3
rum, conueniunt Doctores non poſſe transferri à republica, vel Eccleſia, abſque conſenſu contrahentium. Ratio eſt, quia reſpublica tantùm habet poteſtatem ſupra res, & corpora ciuium, quatenus publico bono id expediens eſt. At bono publico non expedit, vt ſine proprio conſenſu libero viri, & fœminæ transferantur dominia in ipſorum corpora ex poteſtate humana publicâ, quia matrimonia ita facta ſẽper haberent infelices exitus. Vnde rectè Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de matrimonio cap.* 9. excommunicat omnes Principes ſæculares ad matrimonium compellentes. Quo videtur ſupponere non habere poteſtatem ad compellendum. Concilia quoque, & ſacri Canones ſemper aſſeuerant neceſſarios eſſe conſenſus contrahentium ad matrimonium; & Eccleſia nunquam vſa eſt tali poteſtate, quantumuis vrgerent cauſæ grauiſſimæ. Igitur ſignum eſt illam non habere. Neque enim eam poteſtatem Deus commiſit Eccleſiæ, neque expediens erat vlli poteſtati humanæ tale dominium concedi, vt rectè notarunt Coninch *diſp.* 24. *dub.* 5. *n.* 51. & Rebellus *lib.* 2. *q.* 10. *n.* 26. Verum eſt poſſe Eccleſiam, imò etiam & alios Principes, ſeu iudices ſeculares iuſtis de cauſis præcipere, vt patet quando ipſe fidem dedit. Nec ipſa iura vnquam ſupplent, nec ſupplere poſſunt contrahentium conſenſus; cùm oppoſitum expreſsè definiatur *cap. fin. de ſponſa duorum*, nempe nunquam eſſe verum matrimonium in caſu quo deficit conſenſus. Solùm ergo de nonnullis matrimoniis decernunt valida eſſe, quia

omnino præſumunt verum con ſenſum de præſenti adfuiſſe, idque ita vehementer, vt nullam probationem contrariam admittant, vt conſtat in illo caſu capitis *is qui fidem*, *de ſponſalibus*, vbi decernitur per copulam ſponſalia tranſire in matrimonium, neque admittendam probationem diſſenſus in contrarium. Vnde infero, Republicam, vel Principem maius habere dominium erga alios contractus, quàm erga matrimonium. Nam in aliis contractibus poteſt aliquando ſupplere conſenſum, & transferre verum dominium ſine conſenſu dominorum; imò & ciues inuitos ſubiicere ſeruituti ob communem vtilitatem, & bonum publicum; nunquam tamen poteſt transferre dominium corporum, & matrimonium efficere ſupplendo conſenſus, ob excellentiam matrimonij, & maximam eius libertatem; quam requirit, ne proprio fine fruſtretur, nempe prole, vel prolis educatione, ad quod obligantur coniugati. Tum etiam, vt euitentur innumera incommoda, quæ ex tali matrimonio inuito tollerentur. Diſceptatio ergo reſtat ſolùm, an poſſit à Deo transferri dominium corporum viri, & mulieris independenter ab eorum conſenſu.

4 Negat Baſilius Ponce cum aliis poſſe Deum ſe ſolo mutuum corporum dominium viri, & fœminæ ſine eorum conſenſu tradere. Probat, quia vt non eſſet peccatum fornicationis acceſſus illorum, quibus Deus ſe ſolo mutuum corporum dominium traderet, deberet eis eſſe nota eiuſmodi corporum traditio, aliàs nunquam licitè copulari poſſent: ergo acceptaret vterque traditionem, nam acceptaret ad vſum non alieni corporis, & conſequenter vellet etiam ſuum corpus non eſſe alienum: ergo ibi interueniret mutua traditio, & acceptatio, quæ ſine mutuo conſenſu eſſe non poteſt; quia circunſtantia corporis alieni, aliter quàm per matrimonium mutuo conſenſu celebratum, tolli non poteſt. Firmat, quia quando Deus traderet viro corpus fœminæ, & fœminam viro, vterque conſentiret in eam traditionem, & cum eo conſenſu præmiſſo copularentur: ergo ibi interueniret matrimonium cum conſenſu mutuo. Quòd enim Deus fuerit, qui prius tradiderit, parum refert; quando quidem conſenſerunt inuicem illi traditioni, & cum illo conſenſu, quo voluerunt vnum transferri in poteſtatem alterius mutuam, copulati ſunt. Vnde diuerſa videtur eſſe ratio traditionis corporum, quæ à Deo fieret, & traditionis aliarum rerum. Non enim repugnat vas auri, vel ſeruum mihi à Deo tradi; nam in hac re non eſt mutua traditio, ſed tantùm acceptatio ex parte mea, ex parte vaſis, aut ſerui nihil requiritur. At, cùm in traditione corporum ad vſum generationis, non tantùm corpus fœminæ non debeat eſſe alienum viro, ſed neque corpus viri alienum fœminæ, neceſſaria eſt acceptatio, & conſenſus ex parte vtriuſque, quô velint mutuo vnum transferri in poteſtatem alterius; quod ſolùm ad matrimonium ſufficit, & requiritur.

5 Affirmant oppoſitum Sotus *in 4. diſt. 27. q. 1. art. 2. concluſ. 1.* Enriquez *lib. 11. c. 1. n. 3.* Vega *lib. 4. ſumma, caſu 27.* Rebellus & Coninchius *locis citatis ſuprà*, Gaſpar Hurtado *diſp. 3. difficultate 6.* Mæratius *diſp. 7. ſect. 1.* Sanchez *diſp. cit. 26. n. 2.* & alij. Id iudico verius, hoc nixus fundamento. Nam Deus habet ſupremum, & abſolutiſſimum dominium, ac independens in res omnes creatas: ergo multò perfectius habet in hominem, & in totum, & quidquid eſt hominis, quàm habeat homo, vel habere poſſit, ſiue in actus ſuos, ſiue in membra ſua, & facultates in ordine ad hos actus, ſiue in quidlibet aliud ſui, ſiue denique in ea omnia quorum actu dominus eſt, aut eſſe poteſt. Igitur cùm poſſit vir propter illud ſuum in ſuos actus, & in vſum membrorum ſuorum, ac facultatum dominium, tradere liberâ ſuâ voluntate mulieri ius ſtrictæ iuſtitiæ proprium in corpus ſuum in ordine ad actum cõiugalem, & prolis generationem, & viciſſim mulier viro ob eandem rationem; multò magis poterit Deus ob illius dominij ſui ſupereminentem excellentiam, libero ſuæ voluntatis arbitrio, idẽ ius tradere viro in corpus mulieris, & huic in viri corpus, iis non modò conſentientibus, verùm etiã & repugnantibus. Firmatur, quia Deus eſt magis dominus noſtrorum corporum, quàm vnuſquiſque coniugatorum in ordine ad prolis procreationem, ſed ex eo quòd vir, ac fœmina habeant dictum dominium quod ſibi mutuò tradiderunt, reſultat matrimonium: ergo & reſultabit etiam iſtud, ſi Deus independenter à conſenſu viri, & fœminæ prædictum dominium traderet illis.

Ad argumentum contrariæ ſententiæ facilis eſt 6
ſolutio, concedendo illam traditionem corporum factam à ſolo Deo, debere eſſe coniugibus notam, ne acceſſus ille ex conſcientia erronea eſſet fornicatio. Inde tamen non benè infertur eam corporum traditionem non poſſe fieri à ſolo Deo. Et quamuis concedatur, quòd ſi ea traditio fieret à ſolo Deo, adhuc requiretur acceptatio ab ipſis coniugibus, inde nihil concluditur contra noſtram ſententiam; quia tunc corpus non acceptaretur vt à viro, vel à fœmina traditur, ſed vt traditur à ſolo Deo independenter à conſenſu humano. Ad confirmationem ſimiliter dico, quando Deus traderet viro corpus fœminæ, & fœminæ corpus viri, tametſi vterque conſentiret acceptando eam traditionem, ſeu rem traditam, nempe corpus; attamen ipſum corpus non acceptaretur vt ab vtroque coniuge per mutuum proprium conſenſum traditum, ſed vt traditum à ſolo Deo, eiuſque libera voluntate, omnino independenter ab humana. Vnde hac in re eadem eſſet ratio traditionis corporum, quæ à Deo fieret, ac aliarum rerum, auri, verbi cauſa, vel ſerui traditionis: nam in vtraque requiritur traditio dominij; & notitia iuris, & dominij à Deo collati, vt illis rebus, ſi velit, vtatur, vt verè ſuis, abſque vlla alia formali acceptatione, vel conſenſu.

Circa tertiam quæſtionem de vinculo maritali, 7
quod eſt eſſentiale matrimonij, an Dei virtute abſque proprio conſenſu coniugum poſſit conſtare. Sentit Sanchez cum aliis non poſſe.

Primò, quia matrimonium eſſentialiter eſt coniunctio animorum coniugum; ſed iſta coniunctio animorum, ſeu mutui amoris, nequit eſſe, neque intelligi niſi per conſenſuum vnionem: ergo.

Secundò, coniunctio animorum coniugum pendet ab illorum voluntate conſentiente, non tantùm in genere cauſæ efficientis, ſed quodammodo etiam in genere cauſæ formalis, ſicut viſio pendet à potentia viſiua, & coniunctio affectiua amantis & amati, ab amore voluntatis; hæc autem fieri nequeunt abſque propriis cauſis, vt conſtat: ergo neque illa.

Tertiò, vinculum matrimonij eſt relatio quædam conſurgens ex mutuo coniugum conſenſu, tanquam ex fundamento: ergo nequit abſque illo fieri à Deo; ſicut neque paternitas in Petro abſque virtute, vel actu generandi, in quo fundatur; nequit enim Deus ponere relationem ſine ſuo fundamento.

Vltimò, ſtatus religioſus non poteſt in aliquo eſſe ſine libero eius voto: ergo nec matrimonium ſine libero contrahentium conſenſu. Firmatur, quia ſicut ſolemne votum religionis eſt traditio ad ſtatum religioſum, ita & matrimonium eſt traditio ad ſtatum

Digitized by Google

maritalem, ſeu matrimonij: ergo ſicut illud eſt eſſentialiter pẽdens, & reſpiciens cõſenſum humanum, vtpote voluntarium, & ex animo factum, ita & iſtud.

Verius exiſtimo oppoſitum.

8 Dico ergo *primò*, Deum de potentia abſoluta poſſe efficere vinculum matrimonij ſine vllo coniugum conſenſu. Ita Sotus, Enriquez, Vega, Rebellus, Coninck, Mæratius, & alij ſuprà relati. Id conſequenter à me dicendum, quia exiſtimo vinculum iſtud nihil aliud eſſe, quàm mutuum ius, & dominium corporum, vt oſtendi ſuprà diſputatione præcedenti *ſect.* 1. Neque enim aliter ipſi coniuges mutuo ſuo conſenſu ſe matrimonij vinculo cõſtringunt, quàm quia poſſunt mutuò ſibi ius, & dominium corporum tribuere; nec aliter, nec alia de cauſa ſe re ipſa conſtringunt, quàm quia re ipſa tribuunt hoc ius. At iam oſtenſum eſt, poſſe Deum tradere iiſdem mutuum corporum dominium independenter à libero conſenſu ipſorum; poterit ergo eoſdem matrimonij vinculo colligare, vt ſi actu illud traderet, verè illos actu colligaret. Et ratio à priori eſt, quia matrimonij vinculum eſſentialiter in prædicto mutuo iure & corporum dominio poſitum eſt, & hinc naturaliter, ac prorſus neceſſarariò conſequitur mutua vnius erga alterum obligatio radicalis, vt cõſtat ex præcedenti diſputatione, *ſect.* 3. Ergo qui iuris illius mutui auctor, & cauſa eſt, & neceſſariò mutuæ iſtius obligationis radicalis tanta neceſſitate cum illo connexæ, erit etiam auctor, & cauſa vinculi matrimonij. Remoueãtur enim vel re, vel mẽte, cætera omnia, retineatur dumtaxat illud mutuum ius viri in fœminam, & fœminæ in virum, & ex hoc iure conſequens prædicta vnius erga alterum obligatio radicalis, ſanè habebitur eo ipſo vinculum, quo alter alteri deuinctus eſt, quod certè aliud eſſe non poteſt, quàm coniugale. Vnde meo iudicio noſter Sanchez, & alij concedentes illud primum Deo, non debuiſſent negare hoc ſecundum. Tum quia matrimonij vinculum alia in re, quàm in prædicto iure ſitum non eſt. Tum etiam, quia licèt alia in re poſitum eſſet, cùm eam rem non poſſet ipſum ius, & ex eo conſequens neceſſariò prædicta mutua obligatio radicalis non concomitari, ac ſubſequi; verum eſſet ſemper, illum qui iuris illius, & obligationis radicalis cauſa eſt, aut eſſe poteſt, eſſe quoque, vel eſſe poſſe cauſam vinculi coniugalis.

9 Dico *ſecundò* Deum de facto, neque primos parentes, neque Oſeam, vel alios matrimonialiter coniunxiſſe abſque eorum conſenſu. Probant id omnes contra Paludanum *in 4. diſt. 26. quæſt. 2. art. 2.* Quia nulla fuit neceſſitas vtendi illa abſoluta poteſtate: nec fuit expediens, vt matrimonium primorum parentum, quod futurum erat norma cæterorum quæ fiunt ex conſenſu coniugum, fieri abſque illorum conſenſu. Illud autem *Matth. 19.* quod obiicitur, *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*, non obeſt noſtræ concluſioni. Quia illud non fuit dictum de matrimonio ſolo primorum parentum, ſed etiam generaliter de omni matrimonio, vt deducitur ex contextu: ſolumque illis verbis ſignificatur Deum eſſe auctorem matrimonij excitando ad celebrandum illud, eo modo quo infrà *diſp. 18. ſect. 1. & 2.* dicam, non quia Deus ſe ſolo effecerit vinculum matrimonij.

10 Dico *tertiò*, vinculum coniugale, quod poſſet Deus ſe ſolo cauſare, ſi re ipſa illud cauſaret, eſſet eiuſdem rationis formalis cum vinculo coniugali, quod de facto fit per conſenſus mutuos contrahentium circa præcipuum & formale, quod in hoc vinculo ſpectari ſolet, nempe circa ipſum corporum ius, ac dominium. Probatur hoc ſimul, ac explicatur. Nam vinculum coniugale, tametſi ſi ſpectetur phyſicè, quatenus eſt eſſentialiter moralis quædam extrinſeca denominatio, neceſſariò ſit diſtinctum vinculum pro diuerſitate volũtatum, à quibus cauſatur; nam denominatio extrinſeca non differt à forma denominante, & ea eſt multiplex ſpecie ad multiplicationem huius; vinculum tamen illud prout coniugale eſt, cùm ſit eſſentialiter mutuum ius, & dominium corporum; & quodlibet illud ſit, ſiue fiat à Deo, ſiue ab ipſis coniugibus, id eſſentialiter dicat, & verſetur ſemper circa materiam eiuſdem rationis, nempe circa eadem corpora; hinc eſt vt cenſeatur eſſe eiuſdem rationis formalis, moraliter loquendo. Quod firmo manifeſto exemplo in ipſis hominibus contrahẽtibus: nam ſi ſint qui contrahere velint propter diuerſa motiua formalia eſſentialiter, & ſpecie diuerſa; v.g. duo propter motiuum miſericordiæ, & alij duo propter motiuum iuſtitiæ; tametſi tunc certum eſſet actus horum contrahentium, ſi phyſicè, & metaphyſicè ſpectentur, eſſe ſpecie diuerſos propter præfata motiua ſpecie diſtincta; nihilominus tamen nullus diceret in ratione contractuum matrimonij eſſe ſpecie diuerſos; neque vincula coniugalia ex illis contractibus reſultantia, tametſi in ratione denominationis extrinſecæ eſſent ſpecie phyſica diſtincta, eſſe abſolutè, & formaliter ſpecie diuerſa, quia nimirum tam vtrique contractus, quàm etiam vincula ex illis naſcentia verſantur circa materiam eiuſdẽ rationis. Igitur ſimili modo dicendum eſt de vinculo coniugali à ſolo Deo procedente, & de vinculo iſto à voluntate contrahentium reſultante; vt nimirum, quatenus ſunt diuerſæ denominationes morales, ſint phyſicè diuerſa, pro diuerſitate formarum denominantium; quatenus verò ſunt vincula coniugalia & abſolutè, ſint eiuſdem rationis formalis, quia vt ſic, & abſolutè loquendo, ſpectantur in ordine ad materiam circa quam verſantur, quæ eſt eiuſdẽ rationis.

Obiicies, vinculum coniugale factum à ſolo Deo, 11
ideò non poſſe eſſe eiuſdem rationis cum vinculo facto ab ipſis coniugibus, quia iſtud eſt eſſentialiter pendens & reſpiciens conſenſum humanum, vtpote voluntarium, & ex animo factum; non verò illud, quod fieri poſſet, coniugibus non ſolùm non ex animo conſentientibus, verùm etiam & repugnantibus: ſicut contractus matrimonialis, qui fieret more angelico ſine aliqua expreſſione externa, & ſenſibili, non eſſet eiuſdem rationis formalis cum contractu ordinario, & naturali qui fit more humano, & aliquo ſigno externo ſenſibili. Reſpondeo negando vinculum coniugale ex ſe abſolutè, & eſſentialiter pendere, ac reſpicere conſenſum humanum, quoniam ad eſſentiam & rationem formalem vinculi coniugalis abſolutè nihil aliud ſpectat, quàm præfatum ius & dominium corporum, & ex eo conſequens illa obligatio radicalis. Id autem, tametſi mutuo coniugum conſenſu libero ac humano fiat naturaliter, nõ tamen id in ſua eſſentia inuoluit. Vnde ille conſenſus non eſt de eſſentia ſtatus, & vinculi matrimonij, ſed tantùm eſt cauſa efficiens illius, moralis, ſed non ſimpliciter, ſed tantùm naturaliter & citra miraculum neceſſaria; quia iam eſt dictum tale vinculum poſſe conſurgere, & non minùs, ex ſola voluntate, & conſenſu Dei, qui etiam eſt Dominus præſtantiori titulo corporum contrahentium, omnino independens ab ipſis. Neque eſt eadem ratio de illis contractibus. Nam ideò contractus ille, qui fieret more angelico, cenſeretur eſſe diuerſæ rationis, quia ad communem rationem contractus humani abſolutè, cùm fiat inter homines conſtantes animo & corpore, & in hac republica humana ac ſenſibili, neceſſaria eſt aliqua externa

terna

terna manifeſtatio internorũ conſenſuum modo ſenſibili & humano, non verò modo ſpirituali, ſeu more Angelico. At de ratione ſtatus, & vinculi coniugalis, præcisè ſumpti non eſt niſi mutuum corporum ius, & domininm in vtroque coniuge; hoc autem cenſetur eſſe effectus moralis alicuius actionis, ſiue ea ſit creaturæ, vel ipſorum contrahentium, ſiue ipſius Dei ſolius idem ius tradentis viro in corpus mulieris, & mulieri in corpus viri.

Ad argumenta ſuprà in contrarium propoſita facile reſpondemus.

12 Ad primum negatur antecedens: non enim matrimonium ſiſtit in mutuo animorum conſenſu, nec in mutuo amore; nam etiam inter eos, qui animis maximè diſſident, matrimonium perſeuerat; conſiſtit ergo in mutuo corporum dominio. Dicitur autem matrimonium coniunctio, ſeu vinculum animorum; non quia mutuus conſenſus, & coniunctio animorum inde reſultans ſit de illius eſſentia; nam cùm ſit purè cauſa efficiens, omnino eſt extra eiuſdem eſſentiam; nulla enim efficiens cauſa de ſui effectus eſſentia eſſe poteſt, cùm illa, eo ipſo quo eſt efficiens, ſit extrinſeca effectui; quod autem alicui eſſentiale eſt, eidem debet eſſe maximè intrinſecum. Appellatur ergo matrimonium, ſeu ſtatus coniugalis, vinculum animorum, vel quia eſt vinculum corporis animati, vel quia ſolet eſſe occaſio mutui amoris inter coniuges.

13 Ad ſecundum dico, verum eſſe, coniunctionem animorum, ſeu coniunctionem affectiuam, & amorem mutuum non pendere ſolùm in genere cauſæ efficientis à voluntate. Cæterùm vinculum coniugale conſtat non conſiſtere in ea coniunctione, ſed in iure & dominio mutuo corporum, ſiue illud tradatur ordinario modo à contrahentibus, ſiue miraculosè à ſolo Deo.

14 Ad tertium, falſum eſt antecedens, vt oſtendi ſuprà diſputatione præcedenti, *ſect.* 2. Dato verò antecedenti, quòd vinculum coniugale ſit relatio conſurgens proximè ex mutuo coniugum conſenſu, adhuc conſequentia non eſt bona. Nam poteſt conſurgere, & non minus ex ſola voluntate, & conſenſu Dei, qui etiam eſt dominos corporum contrahentium omnino independens ab ipſis. Vnde tametſi relationis huius, ſeu vinculi proprium, & connaturale fundamentum ſit mutuus coniugum conſenſus; tamen præternaturale aliud eſſe poteſt, nimirum, illud omne, vi cuius oriri poteſt in vtroque coniugum mutuum ius & dominium; cuiuſmodi eſſe diuinam voluntatem, ob abſolutum, & ſupremum quod habet Deus in eorum corpora dominium, iam dictum eſt. Itaque ſicut prædictum vinculum, vel relatio poteſt oriri ex traditione quam homines faciunt; ita etiã & ex traditione quam Deus poteſt facere. Id manifeſtè illuſtratur exemplo relationis ſerui, vt ſeruus eſt, ad dominum, vt dominus eſt; cuius fundamentum eſt libera hominis voluntas ſe vel gratis, vel pro pretio tradentis alteri in ſeruum; at non ſola, ſed etiã diuina, quæ pro abſoluto in eum dominio, eundem non modò non conſentientem, ſed inuitum quoque ac repugnantem, poteſt tradere cui placuerit in ſeruum.

15 Ad vltimum negatur antecedens, ſi ſtatus religioſus ſumatur, vt ſumi debet, pro ipſo vinculo permanente. Hoc enim eſt effectus alicuius actionis, ſiue Dei, ſiue hominis. Et quidem hominis connaturaliter, quia natura ſua ex promiſſione libera, quæ ab homine ſit Deo, ortum habere poſtulat: Dei verò præternaturaliter, & de abſoluta potentia, quia quam religionis obligationem poteſt homo liberâ ſua voluntate ſibi imponere, poteſt abſolutè Deus eidem imponere, ferendo præceptum, quo illam ad idem, & ex eadem virtute obliget, ad quod ipſe ſe homo obligat, dum vouet. Maximè, quia vinculum illud, ſeu obligatio non oritur ſolùm ex voto, ſeu ex promiſſione libera Deo facta, niſi quia ſtatim vt facta eſt, exoritur iuris naturalis præceptum obligans ad id faciendum quod promiſſum eſt; ex quo præcepto proximè illud naſcitur vinculum, ſeu obligatio; quæ ſi naſci poteſt ex præcepto iuris naturalis, poterit & ex poſitiuo, quod Deus liberâ ſuâ voluntate conſtitueret. Ad confirmationem diſtinguo antecedens; matrimonium ſumptum eſt ſaliter pro actuali contractu, eſt à contrahentibus traditio corporum ad ſtatum matrimonialem, verum eſt; quam traditionem eſſe non poſſe ſine mutuo contrahentium conſenſu admitto: matrimonium verò formaliter ſumptum pro vinculo coniugali eſt illa traditio, eſt falſum, quia hoc pacto ſumptum non eſt traditio, quia non eſt aliqua formaliter actio, qualis tamen eſt ipſa traditio, vt ipſa vox traditionis ſonat; ſed eſt effectus alicuius actionis, ſiue Dei, ſiue hominis, nempe vinculum coniugale, nam prædictum vinculum, ſiue ius & dominium mutuum, connaturaliter fit actione & contractu vtriuſque coniugis; præternaturaliter verò, ac diuinâ virtute ſolius Dei actione fieri poteſt. Similiter dico ad exẽplum illud voti ſolemnis; ſumptum enim votum pro actuali promiſſione quæ Deo fit, eſt traditio ad ſtatum religioſum; qualis traditio non magis eſſe poteſt ſine vouentis actu, atque conſenſu, quàm illa promiſſio, quæ eſt eſſentialiter quidam actus, & conſenſus creatæ voluntatis. At ſumptum pro vinculo, & obligatione reſultante naturaliter ex illa promiſſione, non eſt eiuſmodi traditio, quia non eſt vlla actio, ſed eſt effectus alicuius actionis, ſiue Dei, ſiue hominis, vt explicatum eſt.

Sectio VII.

In quæ obiecta, ſeu bona ferri neceſſariò debeat contrahentium conſenſus, vt validus ſit matrimonij contractus.

EX dictis diſputatione præcedenti, *ſect.* 5.

Certum eſt *primò*, mutuum contrahentium conſenſum expreſſum ferri debere explicitè in mutuum corporum ius ac dominium. Patet, quia conſenſus formalis matrimonij neceſſariò ferri debet expreſsè in eſſentiale ſuum obiectum, ſeu in id in quo per ſe, & eſſentialiter conſiſtit matrimonium obiectiuum; ſed hoc ſitum eſt in mutuo corporum iure ac dominio, vt conſtat ex præcedenti diſputatione, *ſectione tertiâ*: ergo. Vnde manifeſtè claret, ſi duo nollent ſibi inuicem dare dominium in corpus, non poſſe nec diuinitus matrimoniũ efficere verum. Nam eſſet perinde ac velle vendere, & nolle tradere dominium rei venditæ; quod deſtrueret eſſentiam venditionis.

Secundò etiam eſt certum, prædictum conſenſum neceſſariò ferri debere ſaltem implicitè in obligationem radicalem reddendi debitum. Quoniam hæc inſeparabilis eſt à dominio, & neceſſariò connexa cum illo, ſolumque ratione diſtinguitur ab illo; conſtat autem quando duo ſunt inſeparabilia, ac neceſſariò connexa, & realiter indiſtincta, eo ipſo quo conſenſus ad vnum explicitè fertur, neceſſe eſt vt ad aliud

ſaltem

ſaltem feratur implicitè: ſic enim ex amore efficaci finis amatur ſaltem implicitè ac virtute medium neceſſariò connexum cum tali fine.

3 *Tertiò* etiam eſt certum, nullo modo neceſſarium eſſe vt conſenſus matrimonij feratur neque explicitè, neque implicitè in proximam, vel formalem obligationem reddendi debitum, ne dum in copulam ipſam. Id latè explicui ſuprà præcedenti diſputatione, *ſectione quinta*, *dicto tertio*, & liquet ex dictis *ſectione 6. 7. & 8.* Et ratio à priori eſt, quia totum illud eſt effectus contingens reſpectu matrimonij; fluit enim illa obligatio impedibiliter à vinculo coniugali; & tolli poteſt non ſolùm remanente matrimonio, ſed etiam dum illud initur ab ipſis contrahentibus, ſi paciſcantur inter ſe ex voto, vel ex pacto perpetuam ſeruare caſtitatem.

4 Reſtat difficultas circa tria matrimonij bona, nempe circa bonum prolis, non vitando illam poſitiuè medio illicito; circa bonum fidei, vel fidelitatis, id eſt, non adulterandi, & circa bonum ſacramenti, ſeu perpetuitatem, niſi religionem ingrediatur ante conſummationem; quo pacto nimirum ferri debeat circa illa conſenſus contrahentium, vt validus ſit matrimonij contractus.

5 Atque in primis circa bonum ſacramenti, ſeu perpetuitatem, ac indiſſolubilitatem matrimonij, conueniunt Doctores, præter caſum in religione profitendi ante conſummationem, requiri eſſentialiter ad contractum matrimonij vt conſenſus, ſeu intentio feratur ſaltem implicitè in perpetuitatem traditionis corporum vſque ad mortem coniugis. Ratio eſt, quia prædicta traditio perpetua, & non temporaria, præter dictum caſum eſt neceſſariò connexa cum matrimonio, ac proprietas illius inſeparabilis, vt dixi præcedenti diſputatione *ſect. 9. num. 2.* Temporalis autem traditio eſt valde nociua ipſi proli: ergo vt quis validè matrimonium contrahat, neceſſe eſt, vt ſaltem implicitè perpetuitatem intendat. Qui enim vult formam, neceſſariò debet intendere ſaltem implicitè ea quæ neceſſariò conſequuntur ad formam. Quare ſicut intentio, quæ opponitur primò, & per ſe ſubſtantiæ matrimonij, ſubſtantiam illius primò & per ſe deſtruit; ita ea intentio ad tempus contrahendi, quæ repugnaret primò, & per ſe proprietati matrimonij inſeparabili, perimeret primò, ac per ſe hanc proprietatem, & conſequenter matrimonij ſubſtantiam; quandoquidem hæc ab illa inſeparabilis eſt, nec poteſt conſiſtere ſine illa. Dixi, præter caſum in religione profitendi ante conſummationem: nam, vt ſuo loco dicemus, fas eſt vtrique coniugi, & in poteſtate vtriuſque eſt, ingredi religionem ante conſummationem, & tunc per ipſam profeſſionem vinculi perpetuitas & conſequens omnis obligatio eliditur omnino. Vnde nemo præcisè per contractum matrimonij, abſolutè obligatur ad perpetuandum illud vinculum, ſed tantùm ſub conditione, niſi velit religionem ingredi, ac profiteri ante conſummationem. Præciſo autem hoc caſu, ad matrimonij valorem eſſentialiter requiritur, vt conſenſus, ſeu intentio feratur ſaltem implicitè in perpetuitatem traditionis corporum. Feruntur autem contrahentes implicitè in prædictam matrimonij perpetuitatem, eo ipſo quo efficere intendant, quod ipſo contractu fieri poteſt. Eſt verò notandum ad bonum ſacramenti non pertinere, vt non ſeparetur vir ab vxore quoad thorum, ſed ſolùm vt vinculum matrimonij ſit indiſſolubile modo explicato. Quare ſi quis cõtrahat animo ſe obligandi ad vinculum indiſſolubile, tametſi intendat vxorem dimittere, non habitando cum illa, verè matrimonium contrahit.

Circa alia duo bona prolis, & fidei, quæſtio eſt inter Doctores, an intentio contraria proli, eam nimirum poſitiuè vitandi medio illicito, & alia intentio contraria fidei, ſeu fidelitati, nempe intentio adulterandi, obſtet naturæ, & valori contractus matrimonij.

Affirmant Angelus *verb. matrimonium 2. num. 23.* Enriquez *lib. 11. de matrimonio cap. 12.* Petrus Soto, & alij. Probant, quia prædicta duo, nempe procreatio prolis, & ſeruare fidem ſpectant ad naturam & ſubſtantiam huius contractus: ergo intentio contraria ipſis, vel cuilibet illorum impediet valorem contractus.

Negant Sanchez *lib. 2. diſp. 29. n. 11. & 12.* Coninch *diſp. 24. dub. 4.* Gaſpar Hurtado *diſp. 3. difficultate 4.* & communiter omnes Recentiores. 6

Primò, quia valor huius contractus non impeditur niſi per intentionem incompoſſibilem cum intentione neceſſaria ad valorem illius: ſed neutra ex prædictis intentionibus eſt incompoſſibilis cum intentione neceſſaria ad valorem matrimonij: ergo. Minor patet, quia eſſentia matrimonij conſiſtit in mutuo corporum dominio; ergo ſola intentio quæ eſt incompoſſibilis cum voluntate tradendi dominium, impedit valorem matrimonij: ſed prædictæ duæ intentiones non ſunt deſtructiuæ dominij, nec impeditiuæ obligationis reſultantis ex illo dominio, nempe prolis procreandæ, & non adulterandi, quia ſolum impediunt executionem harum obligationum: ergo.

Secundò, doctrina eſt apud Theologos communiter recepta, voluntatem promittendi, & ſe obligandi benè ſtare cum intentione non implendi promiſſum; benè enim ſtat velle obligari ad aliquid faciendum, & adeſſe animum non implendi. Vt qui verè iurat animo violandi iuramentum; neque enim ea intentio tollit obligationis valorem. Igitur benè poterit ſtare voluntas tradendi corporum dominium cum intentione non generandi prolem, & alteri commiſcendi.

Hanc ſecundam ſententiam iudico veriorem. Ad cuius maiorem explicationem obſeruandum eſt circa prædicta duo matrimonij bona duplicem eſſe diſtinguendam contrahentium intentionem. Alia eſt enim intentio obligationis, ſeu illis bonis ſe obligandi cùm matrimonium contrahitur, & alia eſt intentio quoad executionem in ſe ipſis, nempe vitandi prolem poſitiuè, & contrariè, & intentio ſimiliter adulterandi. Hæc enim duo valde diuerſa ſunt. Vnde aliud eſt loqui de bono fidei, & prolis quoad obligationem, & aliud quoad executionem, & in ſe ipſis. 7

Dico ergo *primò*, In ordine ad bonum prolis contrahentes matrimonium debent neceſſariò habere intentionem ſaltem implicitam obligandi ſe ad non impediendam poſitiuè generationem, & ad prolem, ſi naſcatur, procreandam. Ita omnes. Ratio eſt, quia eiuſmodi obligatio neceſſariò cum eſſentia matrimonij coniuncta eſt: ergo contrahentes conſentire debent in illam, ſaltem implicitè, propter doctrinam certam & receptam: qui vult bonum abſolutè, neceſſariò vult ſaltem implicitè, quæ ipſi neceſſariò ſunt connexa. 8

Dico *ſecundò*, in ordine ad fidelitatem debere quoque contrahentes habere intentionem ſaltem implicitam obligandi ſe ad ſeruandam fidem, non tradendo alteri corpus. Patet ob eandem rationem, quia prædicta obligatio ad eſſentiam matrimonij neceſſariò conſequitur, tanquam eius proprietas. 9

Dico *tertiò*, in ordine ad fidelitatẽ, ſeu obligationem reddendi ſibi ipſis debitum, opus non eſt, vt contrahentes habeant eam intentionem & conſenſum etiam implicitum. 10

implicitum. Ratio eſt, quia, vt conſtat ex præcedenti diſputatione, matrimonij contractus poteſt coaſiſtere cum pacto, vel voto ſemper caſtitatem ſeruandi, vel nunquam reddendi debitum, vnde ea conditio, vel obligatio non eſt contra ſubſtaotiã matrimonij, aliàs non poſſet cum ea conſiſtere; nihil enim conſiſtere poteſt cum eo quod ſuæ eſſentiæ contrariatur: ergo validè cootrahitur matrimonium cum intentione, vt neuter alteri reddat debitum; imò & cum contrario diſſenſu ac intentione ſemper caſtitatem ſeruandi, & abſtinendi ſe ab omni vſu, & copulà coniugali.

11 Dico *vltimò*, ſi ſermo ſit de prædictis duobus matrimonij bonis, non quoad obligationem, ſed quoad executionem, & in ſe ipſis, intentio contraria bono fidei, & prolis, non irritat matrimonium contractum, ſed cum ea intentione poteſt conſiſtere contractus matrimonij. Hæc eſt doctrina Doctorum ſecundæ ſententiæ, quæ rectè firmatur illius rationibus. Magis eam roboro, quia intentio vitandi prolem poſitiuè & contrariè, & habitam non educandi, & intentio ſimiliter adulterandi, non aduerſatur ſubſtantiæ matrimonij, neque eius contractui; non enim aduerſatur radicali obligationi reddendi debitum, & obligationi ſeruandi fidem, & educandi prolem, quæ eſt proprietas neceſſariò connexa cum ſubſtantia, & eſſentia matrimonij, quia voluntas & intentio non procurandi ea bona quoad executionem, non deſtruit voluntatem ad illa ſe obligandi; bene enim ſtat voluntas ſe obligandi ad ſoluendum debitum creditori cum animo & voluntate non implendi: ergo cum prædicta intentione non procurandi ea bona quoad executionem, poterit conſiſtere matrimonij contractus. Quare ſicut promiſſio volentis ſe obligare, non verò obligationem adimplendi, valida eſt, quia voluntas non adimplendi non deſtruit voluntatem ſe obligandi, quæ eſt eſſentialis ipſi promiſſioni; ita pariter validum erit matrimonium volentis ſe obligare radicaliter ad hæc bona, & nolentis eam obligationem implere quoad executionem: nam hæc ſecunda intentio minimè deſtruit primam, quæ eſt neceſſariò requiſita ad valorem matrimonij.

12 Ad argumentum primæ ſententiæ conſtat ex dictis ſolutio; nam antecedens illud falſum eſt. Quamuis enim vitare prolem, & non ſeruare fidem, ſint violatio iuris traditi, & obligationis contractæ ex contractu matrimonij, & in hoc ſenſu eſt contra illud ius, & contra obligationem contractam; non tamen ſunt incompoſibilia cum eis, nempe cum mutuo iure, & dominio corporum tradito, & cum obligatione radicali, quæ ſunt obiecta intentionis neceſſariæ ad valorem contractus matrimonij, atque adeò non ſpectant ad naturam & ſubſtantiam huius contractus.

Diximus in hac quæſtione de intentione contraria prædictis matrimonij bonis, mente ſolùm, & corde retenta, nec in pactum deducta. Vtrùm verò intentio ſe obligandi ad vitandam prolem poſitiuè, & contrariè, & ad non ſeruandam fidem tradendi alteri ſuum corpus, & deductio eorum in pactum, obſtet valori matrimonij; examinabimus infrà *diſp.* 16. *ſect.* 6. agentes de conſenſu conditionato.

Sectio VIII.

Quænam ſit vera, & propria matrimonij contractus definitio.

1 De matrimonio formaliter ſumpto pro vinculo, quid ſit, & quænam ſit propria eius definitio, dixi præcedenti diſputatione, *ſect.* 5. De matrimonio verò cauſaliter accepto, ſumpto pro cootractu ipſo, non prout habet rationem Sacramenti, ſed præciſè prout eſt purus contractus naturalis ac ciuilis, nunc eſt ſermo.

Hugo Victorinus *lib.* 1. *de Sacramentis*, *cap.* 4. explicans actionem ipſam contrahendi, ait matrimonij contractum nihil eſſe aliud, quàm duarum perſonarum legitimum conſenſum.

Guillermus Rubion *in* 4. *diſt.* 26. *q.* 2. *a.* 1. ſic deſcribit: Eſt expreſſio quorumcumque ſignorum ſenſibilium, maris & fœminæ ſibi inuicem ſignificantium traditionem mutuæ poteſtatis corporum perpetuam ad prolem debite procreandam.

Concilium Florentinum in literis Eugenij, ſic ait. Cauſa efficiens matrimonij regulariter eſt mutuus cõſenſus per verba de præſenti expreſſus. Vbi notandũ illud, *regulariter*, apponi propter expreſſionem per verba de præſenti; nam prædicta verba non ſunt ſimpliciter neceſſaria, quia validè contrahi poteſt matrimonium per nuda ſigna ſine vllis verbis.

Communis definioo eſſe videtur quam tradidit noſter Cardinalis Toletus *in ſumma lib.* 7. *cap.* 1. Eſt contractus viri & fœminæ legitimus, quo mutua corporum traditur poteſtas. In priori parte explicat perſonas, quæ poſſunt hunc contrahere contractum. In poſteriori deſcribit, circa quid verſetur iſte contractus, & dicit per ipſum accipere virum poteſtatem ſuper corpus fœminæ, & fœminam accipere poteſtatem ſuper viri corpus in his quæ ad vitam communẽ & filiorum procreationem pertinẽt. Appoſuit autem illud verbum, *traditur*, de præſenti, quia cùm ſit ſolùm promiſſio quædam futuræ traditionis; tunc non matrimonium, ſed ſponſalia dicuntur. 2

Non deſunt aliqui Recentiores, qui contractui matrimonij adſcribunt communem illam ac valdè celebrem in vtroque iure Canonico, & ciuili, matrimonij definitionem, quâ dicitur matrimonium, coniunctio maris & fœminæ inter perſonas legitimas, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens. Aiuntque dici coniunctionem, quia eſt vnio, & vinculum, licèt non tam corporum, quàm animorum, conſiſtens potius in actibus voluntatis animæ, quibus coniuges ſeſe mutuò tradunt, & acceptant, quàm in aliis effectibus inde ſecutis. Ea verò coniunctio, vtpote formaliter humana, voluntaria, vitabilis, & ex animo, eſt multò perfectior vnio, aut vinculum, quàm quælibet alia, quæ iſta non habet. Illa vox, *legitimas*, indicat perſonas debere eſſe habiles, nec impeditas. Reliqua verò inſolubilitatem & finem indicant matrimonij, tam primarium, nempe generationem prolis, quæ fit per vſum; quàm ſecundarium, nempe educationem ipſius, quæ fit per mutuum auxilium, ac per indiuiduum conuictum inſolubilem. Denique alij matrimonij contractum ſic indicant definiendum: Contractus viri, & fœminæ vt ſic, quo ſibi mutuò corpora tradunt ad vſum eorum proprium. 3

Ego verò cenſeo *primò*, nullam ex allatis definitionibus eſſe in rigore vnam & ſimplicem definitionem, ſed mixtam & compoſitam ex definitiooe eſſentiali & deſcriptiua, vel non ſufficientem. Patet diſcurrendo per illas. Nam inprimis definitio Hugonis Victorini inſufficiens eſt: nam cùm matrimonij contractus ſit ſenſibilis & humanus, nequit eſſe eius adæquata ratio eſſentialis quòd ſit conſenſus legitimus; deeſt enim illi quòd ſit exteriùs expreſſus per aliquod ſignũ externum; quia, vt ſuprà oſtendi *ſect.* 4. exterior expreſſio interni cõſẽſus ita pertinet ad illius naturã, vt ſit pars eſſentialis ipſius. Præterea illa alia definioo Rubion, continet plura verba, quæ declarationis gratia 4

tia apponuntur. Alia verò quæ adducitur Concilij Florentini, optima eſt contractus matrimonij deſcriptio, iuxta intentum Concilij,quod fuit nobis ſignificare quid dē facto,& regulariter loquendo, contingat in contractu matrimonij, qui ſolet contrahi per verba de præſenti, atque ideò dixi eſſe mutuum conſenſum per verba de præſenti expreſſum. Non curauit Concilium de eſſentiali, ac metaphyſica contractus matrimonij definitione. Rurſus illa alia celebris matrimonij deſcriptio per coniunctionem maris ac fœminæ, &c. potius eſt explicatio matrimonij formaliter ſumpti pro vinculo maritali, quàm contractus matrimonij; cui non ita commode aptari videtur; atque ipſius matrimonij formaliter ſumpti non eſt vna ac ſimplex definitio, ſed mixta, & compoſita ex definitione eſſentiali, & deſcriptiua, vt dixi diſp. præcedenti, *ſectione vltimâ*, *num. 3.* Accommodatior eſt Toleti deſcriptio, & illa alia, quæ propoſita eſt vltimo loco; eſt tamen nimis longa, & ſuperfluunt verba illa, legitimus, & ad vſum duorum proprium; quæ definitionem non complent, ſed declarationis gratia adduntur

5 Quare dico *ſecundò*, definitionem propriam, ac breuiſſimam contractus matrimonij hanc vnicam eſſe: eſt contractus maritalis. Prima particula declarat genus, nempe eſſe contractum, in quo conuenit cum aliis omnibus contractibus oneroſis. Alia verò particula, *maritalis*, præſtat locum differentiæ, per quam differt à reliquis contractibus, & explicat propriam traditionem, & acceptationem mutuam corporum in ordine ad prolis generationem. Vnde omnia alia, præter hæc duo verba, *contractus maritalis*, ſuperflue videntur. Neque enim neceſſaria eſt particula, *viri & fœmina*, ſicut neque illa alia inter perſonas legitimas, neque quòd ipſe contractus ſit legitimus; quia totum id manifeſtè includitur, & exprimitur per contractum maritalem. Nam contractus maritalis exprimit materiam contractus, nempe contrahentium corpora, & ipſorum corporum traditionem & acceptationem in ordine ad prolis generationem veram inducentem obligationem. At inter perſonas, quæ non ſunt vir & fœmina, & etiam inter virum & fœminam qui ſunt aliquo iure inhabiles, nequit eſſe prædictus contractus, qui nullam obligationem induceret.

DISPVTATIO XV.

De verbis, ſignis, & modis expreſſiuis mutui conſenſus interni ad naturam, & valorem contractus matrimonij requiſitis.

PRocedit diſputatio de contractu matrimonij humano, qui fit modo naturali, & morte ſenſibili, qui neceſſariò fieri debet cum manifeſta expreſſione mutui conſenſus interni per aliquod ſignum exterius ſenſibile. Quoniã verò internus matrimonij conſenſus exprimi & ſignificari poteſt, & ſolet non ſolùm verbis, ſed etiam ſignis æquipollentibus; hæc autem ſigna, vel in facto contrahentium conſiſtant, vel etiam in aliorum verbis; nam contingere ſolet, vt alius pro contrahente eius conſenſum exprimat, ipſo contrahente præſente, vel etiam abſente; hæc omnia nunc ſunt dilucidanda. de quibus multa diximus ſuprà integra diſputatione quarta, cùm verba, ſigna, & modos, quibus ſponſalia contrahuntur, expoſuimus, quæ hic repetenda non ſunt. Ea igitur ſolùm quæ propria ſunt contractus matrimonij, & ſatis ibi explicata non fuerint, in hac diſputatione ſigillatim examinabimus, ac declarabimus.

SECTIO I.

An verba deſiderentur in illis qui loqui valent, vt matrimonij contractus valeat; vel ſaltem ſint ex præcepto adhibenda.

CErtum eſt apud Doctores, in mutis non eſſe neceſſaria verba, ſed ſufficere alia ſigna exteriora. 1
Quod manifeſtè liquet ex *cap. cùm apud 23. de ſponſalibus & matrimoniis*; vbi expreſſè decernit Innocentius III. mutum, & ſurdum poſſe matrimonium contrahere, cùm quod verbis non poteſt, ſignis valeat declarare, ait Pontifex. Idem præſcribit *cap. tua fraternitati 25. eodem tit.* Nam ſurdi, inquit, & muti poſſunt contrahere matrimonium per conſenſum mutuum, ſine verbis. Difficultas eſt in his qui loqui poſſunt,

Circa primam ſectionis partem, ſunt nonnulli 2
Iuriſperiti, qui in his ſentiunt verba neceſſaria eſſe pro forma contractus ab Eccleſia deſignata, præterquam in nonnullis caſibus à iure expreſſis, vt cùm abſentes per litteras, nuntium, & procuratorem celebrant. Probant id *primò* ex dicto capite *tua fraternitati*. Vbi Innocentius III. tametſi dicat poſſe eſſe matrimonium ſine verbis, vt in mutis; de loquentibus tamen ſic ait: neceſſaria ſunt quantum ad Eccleſiam verba conſenſum exprimentia de præſenti. Expendenda eſt vocis proprietas, *neceſſaria*, non dixit vtilia, ſed neceſſaria: propriè ergo accipienda eſt, niſi neceſſitas vrgeat, quæ hic non apparet. Nec nomine verborum intelligenda ſunt æquipollentia, videlicet etiam ſigna. Agit enim de verbis, vt diſtinguuntur à ſignis. Nam expreſſè dicit, nec verba ſine conſenſu ſufficere, vt in pueris; neque conſenſum ſine verbis inutilem, quia muti, & ſurdi ſine verbis contrahere poſſunt. In aliis verò, ait, eſſe neceſſaria verba, quantùm ad Eccleſiam, ideſt, ex Eccleſiæ conſtitutione id optimè ſtatuente.

Secundò, conſtat requiri verba ex *cap. ſi inter, de ſponſa duorum*. Ibi enim dicit Innocentius III. matrimonium contrahi, ſi talis legitimus conſenſus interueniat de præſenti, ita quòd vnus alterum mutuo conſenſu verbis conſuetis expreſſè recipiat. Hoc idem in aliis iuribus inſinuatur.

Tertiò, Eugenius IV. in Concilio Florentino, in decreto de ſacramentis, cùm ſingula ſacramenta ſigillatim exponeret, §. *ſeptimum ſacramentum*, dixit ſic: Conſenſus per verba regulariter expreſſus facit matrimonium. Ex quo ſequitur aliquando neceſſaria eſſe verba, alias matrimonium regulariter non conſtaret verbis, ſed poſſet perfici ſine illis. Vnde voluit dicere Eugenius neceſſaria eſſe verba in matrimonio, ſicut in aliis ſacramentis, nonnullis caſibus exceptis in iure. Firmatur à paritate. Nam ſi Eugenius dixiſſet in ſacramento Pœnitentiæ formam eſſe verba regulariter; nullus aſſeruiſſet in nullo caſu eſſe neceſſaria verba. Cùm igitur in ſacramento matrimonij adhibeat illam particulam, *regulariter*, neceſſariò

Digitized by Google

ceſſariò fatendum eſt in aliquibus caſibus, imò communiter, ac ordinariè eſſe neceſſaria verba.

3 Verior ſententia docet in loqui valentibus, in nullo caſu verba eſſe neceſſariam formam, ſed eos validè contrahere per nuda ſigna, ſine vllis verbis, modò illa ſufficienter exprimant internum mutuum conſenſum de præſenti. Ita D. Thom. Paludanus, Maior, Gabriel, Sotus, Cano, & alij Theologi, & ex Iuriſperitis quamplurimi, quos refert,& ſequitur noſter Sanchez *lib.2. diſp.31. n.5.* Idem defendunt Vaſquez *de matr. diſp.3. cap.7.* Coninchius *diſp.24. dub.8.num.65.*Baſilius Ponce *lib.2.cap.7.*Gaſpar Hurtado *diſp.3. difficultate 13.* Mætatius *diſp.7. ſect.15. dub.2.* & alij.

Iuxta horum doctrinam,

4 Dico *primò* certum videri non exigi neceſſariò verba, neque ad validitatem,neque ad honeſtatem contractus matrimonij, iure naturæ, ſeu ex natura ipſius contractus. Probatur,quia contractus ex natura rei eſt quoduis ſignum externum practicum,quo homines exprimunt mentem ſuam,& ſeſe viciſſim alter alteri obligant, & iura commutant. Vnde formaliter vel eſt locutio, vel ſcriptura, vel nutus,vel aliud externum ſignum, quibus contrahentes ex natura rei poſſunt paciſci; atque ideò ad contractus naturales ciuiles & humanos non ſunt neceſſaria abſolutè verba, ſed ſufficiunt alia externa ſigna idem ſignificantia, quod verbis ſignificaretur. Idem igitur dicendum eſt de humano,ciuilique matrimonij contractu; quoniam huius, ac cæterorum omnium contractuum vna eademque quoad hoc ex natura rei ratio eſt. Et à priori ratio hæc eſt, quia contractus humani validitas ex natura ſua nihil aliud exigit, quàm mutuum contrahentium in rem de qua contrahunt, conſenſum,ſic expreſſum exteriùs, vt ipſis contrahentibus innoteſcat; qui ſignis aliis exterioribus æquè innoteſcere ac verbis poteſt; vnde tam inter abſentes per litteras, quàm inter præſentes per verba, vel ſigna celebrari ex natura rei poteſt. At eadem eſt ratio hac in parte contractus matrimonialis; nam ſicut ille,ſic & iſte per procuratores,æquè & per matrimonium, & per litteras contrahi validè, ac honeſtè poteſt. Igitur iure naturæ verba prolata ore contrahentium matrimonium,& loqui valentium,neceſſaria non ſunt ad eius validitatem,& honeſtatem.

5 Dico *ſecundò*, nec verba neceſſaria eſſe iure diuino ad contractum matrimonialem. Ita omnes. Ratio eſt, quia nulla diuina lex proferri poteſt quæ matrimonium inter loqui valentes, imò etiam inter præſentes, irritum ſine eorum verbis eſſe decernat. Nec ſūt verba neceſſaria ex Chriſti inſtitutione. Nam licèt Chriſtus Dominus eleuauerit contractum matrimonij in lege noua ad eſſe ſacramenti; nihil tamen innouauit circa naturam illius. Non enim Chriſtus inſtituēs matrimonij ſacramentum mutauit naturam contractus naturalis, ſed ſolùm eleuauit ad eſſe ſacramenti, ipſummet naturalem contractum; ergo ſicut matrimonium ex natura rei validum eſſe poteſt ſine verbis in ratione contractus, ita poteſt eſſe in ratione ſacramenti formaliter.Præſertim,quia ſignum exterius quo conſenſus interior exprimitur inter matrimonium contrahentes, tam eſt per ſe ſenſibile, quàm verbum ore prolatum; ergo æquè eſſe poteſt ſignum ſenſibile gratiæ ſanctificantis. Quod ſatis firmatur dicto relato Eugenij IV. Nam cùm ageret de matrimonio, dixit eius cauſam efficientem eſſe conſenſum regulariter per verba expreſſum. Quibus indicauit poſſe etiam ſine verbis contrahi. Particula enim, *regulariter*, ſatis indicat non neceſſariò faciendum per verba. Neque eſt ſimile de aliis ſacramentis, quia matrimonium eſt contractus, de cuius natura eſt vt poſſit etiam nutibus celebrari.

Dico *tertiò*,Eccleſiam potuiſſe quidem in nonnullis caſibus aſſignare pro forma neceſſaria matrimonij ipſa verba; de facto tamen id nunquam aliqua lege ſtatuiſſe. 6

Prima pars certa videtur, quia matrimonium cùm ſit contractus quidam naturalis, ſicut poteſt Eccleſia contrahentes inhabiles reddere, & formam contrahendi præſcribere,ac ſolemnitatem;poterit etiam formam verborum prædinare,ita vt ea poſita forma,& non aliter, eſſet contractus, & ſacramentum. Sicut præſcribit olim ius ciuile ſtipulationi, verba,Quod ſi in cōtractu matrimonij ſtatuiſſet verba eſſe formam in aliquo caſu, non poſſet ſuppleri per æquipollens. Sicut, quia ſtipulatio pro forma exigit verba, nequit obligari per nutus, neque ciuiliter, neque naturaliter; quamuis nutu poſſit quis aliàs obligari naturaliter.

Secunda pars ideò ſtabilitur, quia de facto nullum extat ius eccleſiaſticum irritans matrimonium in aliquo caſu verbis contractum, vt magis conſtabit ex ſolutione eorum iurium, quæ obiecta ſunt pro contraria ſententia. Et certè credibile non eſt, Eccleſiam in re tanti momenti,ſi ſentiret neceſſaria eſſe verba in aliquo caſu,id clarè non explicaturam, maximè cùm celebratio matrimonij ſit ex rebus quę frequentiſſimè occurrunt,ne fideles fruſtrarentur fructu ſacramenti, & ne adulteria, ſtupra, vel contubernia pro coniugiis haberentur. Nam ſi vel in aliquo caſu verba ſunt de ſubſtantia neceſſaria formæ matrimonij, non poteſt ignorantia defectum eorum ſupplere; atque adeò qui eam conſtitutionem ignorans contraheret, neque ſacramentum, neque contractum perficeret; quod non eſt veroſimile paſſuram Eccleſiam. Roboro hoc idem firmiter, quia ſunt quamplurima eccleſiaſtica iura, quæ manifeſtè ſignificant non eſſe verba neceſſaria etiam in loquentibus, ſed per ſigna alia externa contractum poſſe fieri matrimonialem. Nam *cap. veniens 15. de ſponſalibus, & cap.* is qui *fidem 30, & cap. finali, eodem titulo*, & alibi ſæpè decernitur, ſponſalia de futuro ſubſecuta copula tranſire in matrimonium. Vbi illud ſignum copulæ exteriùs præcedentibus ſponſalibus, ſufficiens iudicatur ad matrimonium, quæ Pontificis diſpoſitio vniuerſalis eſt, & ideò non eſt reſtringenda ad eos, qui loqui non poſſunt. Nec refert quòd præceſſerint ſponſalia verbis;nam verba ſponſalium non ſunt verba contractus matrimonij:agitur autem de verbis explicantibus matrimonij contractū. Præterea *cap.vnico,de deſponſatione impuberum in 6.*decernit Bonifacius VIII. matrimonium de præſenti contractum ante pubertatem, quæ ſponſalia tantùm cenſentur, tranſire in matrimonium, vel per copulam, vel per alium modum, quo ſignificetur illum in priori voluntate perſeuerare. Item *cap. finali, de coniugio ſeruorum*,expendit Pontifex quendam militem, neque verbo, neque facto conſenſiſſe. Quibus ſatis indicat conſenſum matrimonialē oſtēdi,& manifeſtari poſſe ſine verbis. 7

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum, aliis omiſſis ſolutionibus, vel interpretationibus, placet dicere, Pontificem ſolùm velle verba eſſe neceſſaria quantum ad Eccleſiam,in hunc finem, vt nimirum facilior & certior ſit matrimonij contracti probatio in externo Eccleſiæ foro,& matrimoniū ipſum clariùs conſtet ipſi Eccleſiæ. Quare ſolùm dixit, verba neceſſaria eſſe ad probationē veri matrimonij. At quod requiritur non ad ſubſtantiam actus,ſed ad eius probationem,etiamſi dicatur ipſum eſſe neceſſarium, poteſt per æquipollens expediri.

8 Ad ſecundnm reſponden, in illo & ſimilibus iuribus, narrari quod factum ſit: ſolùm enim exprimitur modus ordinarius quo matrimonium per verba de præſenti actu contrahitur; non ideò verò lex conſtituitur talem modum præſcribens.

9 Ad tertium dico, eo ipſo quòd Eugenius dixit matrimonium regulariter cootrahi per verba de præſenti, expreſsè ſignificare, poſſe etiam ſine verbis contrahi, nempe aliis ſignis. Quo etiam declarat, & limitat Pontifex quod anteadixerat, omnia Sacramenta perfici verbis vt forma, & rebus vt materia, limitat, inquam, quoad matrimonium. Inde ergo nequaquam licet colligere in aliquo ſaltem caſu eſſe ſimpliciter neceſſaria verba; ſed ſolùm colligitur vel ipſa verba, vel alia externa ſigna eſſe neceſſaria. Vnde ad confirmationem dico, idem quoque eſſe dicendum, ſi in forma Sacramenti Pœnitentiæ dixiſſet Pontifex, regulariter per verba fieri debere. Nam diceremus non ſemper verba, neque ſemper nutus, aut litteras, ſed vnum, vel aliud eſſe neceſſarium.

Circa ſecundam ſectionis partem, an verba ſint ex præcepto adhibenda, vel ſaltem ex communi, & recepto Eccleſiæ vſu, adeò, vt ſit peccatum, ſaltem veniale, abſque vlla iuſta cauſa contrahere matrimonium ſine verbis.

10 Noſter Sanchez *diſp.* 31. *n.* 10. tametſi fateatur nullum eſſe præceptum prohibẽs matrimoninm contrahere ſine verbis, cenſet eſſe culpam venialem non exprimere verbis, ſed ſolis ſignis conſenſum mutuum, niſi iuſta excuſet cauſa. Quia à ratione videtur alienum in hoc grauiſſimo contractu non exprimere conſenſus commodiori modo poſſibili; verba autem melius & clarius, quàm ſigna exprimunt conſenſus. Idem ſentit Mæratius *diſp.7.ſect.*15.*n.6.* Probat, quia in Sacramentorũ adminiſtratione ex iure naturali diuino non poteſt non eſſe aliqua obligatio non recedendi abſque legitima cauſa à communi & recepto in Eccleſia vſu & modo ea adminiſtrandi: modus autem hic eſt, vt loqui valẽtes coniuges, qui Sacramenti matrimonij ſunt miniſtri, conſenſum ſuum verbis ipſi per ſe exprimant. Cui fauet Tridentinum *ſeſſ.24.c.1. de reformatione matr.* præſcribẽs vt Parochus faciat interrogationem, & intelligat contrahentium conſenſus. At interrogatio per verba fieri ſolet. Eidem ſententiæ fauet Coninch *diſp.*24.*dub.*8.*n.*66. vbi duo dicit. *Primum* omnino decere eos qui loqui poſſunt, verbis ſuum cõſenſum exprimere, quia hoc eſt ferè neceſſarium, vt omnino clarè tam partibus, quàm Eccleſiæ de eo conſtet, quod in re tanti momenti omnino fieri conuenit. Atque ideo Parochi nullo modo deberent permittere, vt aliter fiat. *Secundum* eſt, ſi ex aliqua cauſa ſine ſcandalo, aliove periculo aliter fiat, ſatis probabile eſſe non eſſe peccatum mortale; quia nullibi eſt expreſsè prohibitum. Quibus ſatis indicare videtur eſſe veniale peccatum, non exprimere verbis conſenſum. Idem tenet Fillucius *tract.* 10. *p.* 1. *cap.* 3. *n.* 82.

11 Dico *primò*, cum communiori doctrina, nullum dari præceptum Eccleſiaſticum ſimpliciter prohibens etiam in loqui valentibus vt matrimonium verbis contrahatur. Hoc etiam concedunt Sanchez, Mæratius, Bonacina, & alij. Ratio eſt, quia nullus textus iurium id cogit expreſsè. Imò, vt vidimus, ſunt quamplurimi qui contrarium videntur proponere. Et aliqui qui magis premunt, ſolùm narrant factum; & exemplificatiuè loquuntur, non verò legem conſtituunt.

12 Dico *ſecundò*, per ſe loquendo nullum eſſe peccatum, nec veniale, ſignis aliis externis, non verbis, celebrare matrimonij contractum. Quod intelligo, dummodò externa ſigna benè, & ſufficienter conſenſum mutuum exprimant. Ita Gaſpar Hurtado *citatus*, & Baſilius Ponce *cap.* 7. *cit. n.* 14. Ratio eſt, quia Doctores contrariæ opinionis nullum agnoſcunt præceptum prohibens in dicto cap. *tua*, neque in aliis; & reuera nullum extat tale præceptum: ergo conſequenter negandum eſt eſſe vllam culpam etiam venialem, in omiſſione verborum. Patet conſequentia, quia peccatum omne, tam mortale, quàm veniale non poteſt eſſe, niſi vbi lex, & præceptum eſt, vt oſtendi latè in materia de peccatis, & docuit D. Paulus dicens ad Rom.4.15. *Vbi non eſt lex, nec præuaricatio.* Si ergo nullibi continetur præceptum, nulla culpa eſt, per ſe loquendo; maximè cùm aliunde contractus matrimonij ſecundùm ſe fieri poſſit ſufficienter, clarè, & benè, nutibus, aut aliis externis ſignis. Vnde, vt rectè notauit Diana *p.3.tract.4.reſol.*248. audiẽdi non ſunt Petrus de Ledeſma *in ſumma de matrimonio quæſt.* 45. *a.* 2. *concluſ.* 2. & Rodriquez *in ſumma tom.* 1. *caſu* 216. *n.* 5. qui ſentiunt prædictos contrahentes ſine verbis peccare mortaliter. Dixi, *per ſe loquendo*, nam per accidens, ſi ex eo quòd non adhiberentur verba, redderetur dubius matrimonij contractus; vel ratione ſcandali, ſi inde orirentur grauiſſimæ lites, poſſet eſſe peccatum mortale, & non tantùm veniale.

13 Ad argumentum Sanchez dico, tametſi verba ipſa ſint omnium clariſſima, & conuenientiſſima, maximè ad rem tanti ponderis & momenti, & ideò magis deceat eos qui loqui poſſunt, verbis ſuum conſenſum exprimere; & vt ſic fiat, oportere vt Parochi conentur. Verumtamen cùm non extet huius rei præceptum vllum, non eſt illicitum, vti etiam ſignis, vel nutibus benè, & ſufficienter conſenſum exprimentibus. Neque enim ſemper quæ meliora ſunt, & conuenientiora, cadunt ſub præceptum, ſed conſuluntur tanquam opera Concilij, & ſupererogationis.

14 Argumentum Mæratij non habet vim: nam licèt miniſtri Sacramentorum teneantur in eorum adminiſtratione non multum recedere à communi vſu, quando ille habet vim legis. Attamen in adminiſtratione Sacramenti matrimonij, qui adminiſtratur per modum contractus, non datur vſus verborum, qui habeat vim legis: ſolùm enim poſtulat vſum qui ſolet exhiberi in aliis contractibus perficiendis; is verò eſt, vt etiam fieri poſſit benè nutibus, vel aliis ſignis externis. Nec obeſt illud Concilij Tridentini; nam Concilium non dicit vt interrogatio fiat per verba, cùm ſurdi, & muti percipere nequeant verba Parochi. Et quando Parochus interrogat eos qui loqui poſſunt, & audire, non definit Concilium, nec præcepit, vt reſponſio etiam verbis fiat, ſed ſolùm vt Parochus intelligat contrahentium conſenſus, quos certè poteſt ex ſignis æquiualentibus ſufficienter, & clarè percipere.

SECTIO II.

Quæ verba contrahant matrimonium; & quæ ſint in verbis dubiis obſeruanda.

1 CIrca primum, conſtans eſt apud Doctores conſenſus, ea verba requiri ad matrimonium, quæ ſufficienter exprimãt conſensũ de præſenti. Patet, quia aliter nullo modo poſſent eſſe ſigna interioris conſenſus. Eiuſmodi ſunt ea, quæ habentur in iure, vt, Ego te in meam accipio, & ego te accipio in meum; *cap. penult. de ſponſalibus.* Similiter quoque ſignificant conſenſum de præſenti hæc verba: Habeo te

te in vxorem: teneo te: ex nunc prouideo tibi vt vxbri. Ab hoc tempore ſeruabo tibi fidem vt vxori; ex *cap. ex parte 9. de ſponſalibus*. Idem dic ſi viro dicenti, Accipio te in meam; reſpondeat, placet. Nam illud eſt acceptare; & quia matrimonium claudicare nullatenus poteſt, nequit alia ratione acceptari, quàm vt matrimonium. Item illis verbis, Volo te in vxoré. Quare ſi verba ſint de præſenti in ſono, & ſignificatione, non additâ particulâ quæ ſuſpendat executionem in futurum, contractus matrimonij perficitur. Similiter perficitur quoque per verba de futuro quæ habeant ſignificationem de præſenti ratione adiũcti, vt, Habeo te ex nunc, poſthac, omnibus diebus vitæ meæ; vir meus eſto ab hoc tempore. Illa verò alia verba, Accipio te in craſtinum, ſuſpendunt executionem in diem ſequentem. Videantur dicta ſuprà *diſp. 4. ſect. 2. 3. 4. & 5.* vbi variæ formulæ contrahendi proponuntur, & in ſpecie expenduntur.

Circa ſecundum oportet examinare, quid & quomodo iudicandum ſit, quando verba ſunt dubia.

2 Et quidem in foro externo conueniunt Doctores, in dubio ſit ne matrimonium, ferendam eſſe ſententiá in fauorem matrimonij. Quia in iure matrimonij fauor multus eſt, vt conſtat ex *c. ex litteris 3. de probationibus*, vbi dicitur, exiſtentibus probationibus paribus iudicé abſoluere debere, præterquã in liberali cauſa, vbi Gloſſa, *verb. in liberali*, ait, *in cauſa matrimoniali* Et *c. fin. de ſent. & re indicata*, decidit ius, duobus iudicibus ordinariis diuerſas ſentẽtias proferentibus, præferri ſẽtentiam in fauorem rei, non actoris, niſi in cauſa fauorabili, puta matrimonio. Difficultas eſt, an hoc etiam ſit verum in foro conſcientiæ interno.

Nam ſunt nonnulli Doctores, inter quos Enriquez *lib. 11 de matr. cap. 13. n. 4.* qui ſentiunt in foro conſcientiæ neminem in dubio teneri ad onus matrimonij. Probant generali doctrina, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, vt in voto, & in ipſo ſponſalium contractu, poſſeſſio enim ſtat pro libertate: ergo huic, & non matrimonio fauendum eſt.

3 Prænoto *primò*, dubium hîc propriè, & ſtrictè ſumi, dum videlicet pro vtraque parte contradictionis, quòd ſcilicet fuerit conſenſus, & quòd non fuerit, tales ſunt coniecturæ, vt intellectus inter vtramque partem maneat anceps, atque ſuſpenſus, nec vni potius, quàm alteri per aſſenſum probabilem poſſit adhęrere. quod ſolet appellari à Doctoribus dubium practicũ, & dici etiam ſolet, negatiuum, quia intellectus ita eſt in vtramque partem ſuſpenſus, vt neutri det aſſensũ, quoniam pro neutra habet rationes, quæ ad iudicium ſaltem probabile ferendum ſufficiant. Et hoc eſt verũ dubium morale, de quo eſt quæſtio. Vnde non eſt quæſtio de dubio ſpeculatiuo, vel poſitiuo. Nã ſi dubiũ ſit poſitiuum, id eſt, per iudiciũ probabile vtriuſque partis, tunc conueniũt Doctores, ſi homo iudicet probabiliter ſe non conſenſiſſe, nõ eſſe matrimonium ratum, etiamſi fortaſſe habeat rationes probabiles, quę contrarium ſuadeant; nam inter probabilia poteſt homo tutâ conſcientiâ ſequi quam partẽ maluerit, quod eſt certum, quando probabilitas vtrinque eſt æqualis. At verò ſi iudicium poſitiuum ſit, fuiſſe conſenſum, & dubium ſit tantùm formidinis, non ſufficit ad cõſtituendum hominem in vero dubio morali: vt ſi quis probabiliter credat ſe conſenſiſſe, & ad contrariũ credẽdũ nõ habeat probabilia motiua, ſed ſolã formidinẽ, quia nõ habet euidẽtiam, ſed probabiles rationes, tunc non eſt dubium quin ſit validum matrimonium. Quia illa probabilitas facit certitudinem moralem, quando non eſt alia ſimilis in cõtrarium, quia in rebus humanis non eſt maior certitudo exigenda, cùm vix aliquid per infallibilem euidentiam cognoſcamus.

Agimus ergo de dubio negatiuo, practico, & morali quod durat, quamdiu pro neutra parte ferri poteſt probabile iudicium.

Præterea eſt notandum, duplicem eſſe diſtinguendum ſtatum, in quo dubitans eſſe poſſet de contractu matrimonij an cõſenſerit. *Vnus* eſt quando homo dubitat, & diligentiã non fecit ad expellendũ dubium, & veritaté inueniendã. *Alter* eſt, quando poſtquã in dubiũ incidit, moralem diligentiam fecit, & non potuit dubium expellere, nec probabilitatem inuenire, ſed ſuſpenſus, ſicut in principio, manet. His præmiſſis 4

Dico *primò*, certum eſſe, ſi dubium ſumatur in priori ſtatu, ſtandum eſſe in fauorem matrimonij, priuſquam diligentiam adhibeat ad veritatem cognoſcendam. Ratio eſt manifeſta, quia eſſet magna temeritas, aliud agere, ſine alio examine, & cum manifeſta iniuſtitia alterius partis. Vnde ſic operans euidenti periculo errandi ſe exponeret. Qua de cauſa dubitans de veritate matrimonij, & an hæc ſit vxor ſua, non poteſt ante debitam diligentiam petere debitum, quia ſe exponit periculo agendi contra naturale ius probibens fornicationem accedendo ſine præuio examine ad vxorem dubiam. Sicut etiam eſt nota temeritas agere contra votum dubium nullâ prius adhibitâ diligentiâ expellendi dubium, & veritatem inueniendi. 5

Dico *ſecundò*, etiam poſt moralem diligentiam dubium practicum de conſenſu adhibito, & conſequenter de matrimonio contracto, non liberare à matrimonio, ſed ſtandum eſſe in fauorem matrimonij. Ita ex Couarruuia *4. decr. 2. p. cap. 5. 1 n. 9.* ſentit noſter Sanchez *lib. 1. diſp. 18. n. 6* Idem defendit Baſilius Ponce *lib. 2. cap. 8. n 16.* Ratio eſt, quia in cauſa matrimonij, id quod non eſt matrimonium in foro conſcientiæ, non poteſt eſſe matrimonium in foro externo Eccleſiæ, neque econtra; neque enim Eccleſia poteſt efficere matrimonium, quod reuera inualidum eſt, & verè non eſt. Solùm enim in cognoſcendi modo differẽtia eſſe poteſt: nam in foro interno ſtandum eſt confeſſioni propriæ; in externo verò allegatis, & probatis. Sicut ergo conſtita veritate dubij valoris matrimonij, & non ex falſa præſumptione iudex in foro externo iudicare debet eſſe matrimoniũ; ita idem in foro interno ſentiendum eſt, quia vtrumque forum idem iudicat, vbi externum non innititur falſæ præſumptioni. 6

Ad argumentum oppoſitum dico dictum illud eſſe verum, quando ius oppoſitum non diſponit; conſtat enim ex *cap. vltimo, de ſententia, & re iudicata*, & ex aliis iuribus in dubiis fauorabiliorem eſſe cauſam matrimonij. Vnde in dubio reſpectu ſponſalium, ſtandum eſt pro libertate, quia ius ipſum circa hanc rem nihil de ſponſalibus diſponit. Id ipſum dico de voto ſimplici emiſſo in ſæculo, in dubio non obligare, quia ille ſic dubitans poſſidet ſuam libertatem, & ideò eſt melioris conditionis, vt nõ ſubiiciatur obligationi voti propter ſolã dubitationem, quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis. Ex alio verò capite non eſt diſpoſitio iuris contraria, circa tale votum, ſicut eſt circa matrimonium. Vnde non placet diſparitas adducta à Sanchez, ideò tale votum in dubio non obligare, quia ibi nulla eſt traditio, & ſic non eſt poſſeſſio ex parte alterius, quæ præualeat, qualis eſt in matrimonio. Non, inquam, placet, quia ſicut in illo voto ſimplici nulla eſt traditio, nec obligatio voti propter dubietatem, ita & in matrimonij dubio ob defectũ conſenſus, non eſt propriè traditio, quia de hac eſt dubitatio, & ideò poſſeſſio eſt pro libertate, niſi ius aliud diſpoſuiſſet, in fauorem matrimonij, vt dictum eſt. 7

Eſt verò obſeruandum circa præſentem controuerſiam, quando verba matrimonij dubia sũt, ſed cõſtat 8

de intentione cõtrahentium quidnam illis ſignificare voluerint, ſtandum eſſe ipſi ioteotioni. Quando enim de voluntate contrabeotium conſtat, licet à verborum proprietate recedere, & ea abuſiuè interpretari, *reg. in ambiguis 96. ff. de regulis iuris, l. cùm de Canonis 18. §. optimum ergo. ff. de instructo, & instrum. leg. l. quoniam. C. de teſtam.* Et ratio eſt, quia ſicut in homine, qui animâ conſtat & corpore, animæ præcipua habetur ratio; ita animus orationis ſenſus eſt, verba corpus; corpus igitur ſenſui loquentis ſeruiat neceſſe eſt, iuxta Gregorium *in cap. humanæ aures 22. q. 5.* vbi ſic dicitur. Non debet aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem & intentionem; quia non debet intentio verbis deſeruire, ſed verba intentioni. Et *cap. intelligentia 6. de verborum ſignificatione*, decernitur verba eſſe intelligenda, non ſecundùm quod ſonant, ſed ſecundùm mentem proferentis. Et in hac re fauendum eſt regulariter illi, qui ſimpliciter fuerit locutus; & fauendum magis fœminis, quæ ſimpliciùs loqui ſolent. Quòd ſi de intentione cootrahentium non conſtat, inſpicienda eſt propria, & communis verborum ſignificatio apud eas gentes recepta. Si verba autem plures ſignificationes habeant etiam in communi ſenſu, propria ſignificatio retinenda eſt, non impropria. Quòd ſi habeat plures ſignificationes proprias, fauendum eſt matrimonio, ſi contractum iam ſit, & in illius fauorem iudicandum; quia ſemper in dubiis fauorabilior eſt cauſa matrimonij.

SECTIO III.

De tribus ſignis ſubarrhationis, porrectionis manuum, & traductionis; an per ea contractus matrimonij validè fiat.

PRo verbis ſubſtituũt homines alia ſigna, inter quæ numerantur tria prædicta, quæ in facto conſiſtunt, nempe ſubarrhatio, porrectio manuum, & traductio ſponſæ io domum ſponſi, de quibus nonnihil egimus ſuprà *diſput. 4. ſect. 6.*

1 Circa primum ſignum de ſubarrhatiooe, vel annuli dooatiooe, vel receptione, dicendum, ſubarrhationem ex ſe eſſe ſignum æquiuocum, nec ſufficiens; at iuxta loci cooſuetudinem & eſſe ſignum ſponſaliorum, & etiam matrimooij. Ita Sanchez *lib. 1. diſp. 22.* Baſilius Pooce *lib. 2. cap. 11.* & Rebellus *lib. 2. q. 10. ſect. 1. Primum* conſtat, quia ſubarrhatio propter alias cauſas fieri poteſt, vt inter cõcubinarios ob turpẽ amorem: ergo ex ſe ſignum æquiuocum eſt: ergo ſi oihil præceſſit, ex quo matrimonium valeat præſumi, nullo pacto erit ſignum illius. *Secundum* patet, nam ſi iuxta loci conſuetudinem eſt tantùm ſignum ſponſalium, etiamſi ex parte vnius præcedat conſenſus matrimonij, efficiet tantùm ſponſalia. Cùm enim ſigna ſubſtituantur pro rebus, idem eſt, ac ſi fœminæ diceoti de præſenti, conſentio, alius reſponderet ſe conſenſurum eſſe; tunc enim non fieret matrimonium, quia nequit claudicare; eſſentialiter enim petit mutuum conſenſum de præſenti. Quòd ſi alicubi iuxta loci conſuetudinem ſignum ſit matrimonij, ipſa annuli donatio, vel receptio, idem erit, ac ſi verbis proteſtarentur ſe contrahere matrimonium. Id intellige de puberibus. Nam inter impuberes ſubarrhatio, & ſimilia, licèt ex loci conſuetudine eſſent ſigna matrimonij, non efficerent niſi tantùm ſponſalia. Quia nouo iure inter impuberes nequeunt eſſe niſi ſponſalia, licèt contrahant verbis de præſenti.

Circa ſecundum ſignum de porrectione manuum, breuiter dico, ſi viro exprimenti conſenſum matrimooij, fœmina porrigat manum, ſignum eſſe matrimonij. Ratio eſt, quia qui tacet, conſentire videtur; cùm agitur de obligatione contrahendi, & concurrit actus publicus. Quod in fœminis facile contingere poteſt; quæ ſolent impediri etiam verecundiâ. Idem dico, cum Baſilio *citato*, ſi vir fœminæ manum apprehendens dicat, Tecum contraho matrimonium, & ipſa non retrahat manum, erit matrimonium; nam ſi repugnaret, manum vtique retraheret. Sicut enim perſeuerare in cohabitatione, quando fuit à principio nullum matrimoniũ, ceſſante impedimento, cum ſcientia ſufficienti, eſt ſignum conſenſus, iure ſaltem antiquo: ita etiam non retrahere manum apprehenſam, eſt reuera ſe obligare illo actu publico. 2

Circa tertium ſigoom de traductione ſponſæ in domum ſponſi, an inducat matrimonium. Dico iure Canonico inſpecto, traductionem etiam ſolemnem non eſſe ſignum matrimooij etiam ſponſalibus præcedentibus; poſſe tamen eſſe ex regionis conſuetudine. Primum probo, quia in nullo iure Canonico videtur cautum, vt ſpooſalia tranſeant io matrimonium per traductionem, vel aliter, quàm per copulam. Cumque ea diſpoſitio ſit exorbitans à iure, non eſt ad aliũ caſum extendẽda. Secundũ patet, quia vbi traductio ea ſolemnis recepta fuerit pro ſigno nuptiali, eo ritu adhibito ſufficienter præſumitur initum iam matrimonij contractum de præſenti. Ratio eſt, quia adhibetur ea traductio loco verborum de præſenti, ex regionis conſuetudine. Vnde in eiuſmodi ſolemni traductione, militat eadem ratio, quæ in ſubarrhatiooe. 3

SECTIO IV.

An copula conſummata, & etiam nixus ad illam, ſit ſignum contractus matrimonij.

CIrca primum de copula, quæ eſt ſignum, de quo ſatis frequens mentio eſt in iure,

Dico *primò*, certum videri, copulam etiam conſummatam ooo poſſe eſſe vllo modo ſignum cooſenſus matrimonij, ſi antea non præceſſit tractatus de matrimonio. Ratio eſt, qoia copula ex ſe eſt ſignum anceps affectus maritalis, niſi ſibi inuicem antea explicuerint eum cõtractum matrimonialẽ: ergo neque vllo modo ſignũ conſenſus mutui matrimonialis, ſeu coniugalis. 1

Dico *ſecundò*, prædictam copulam poſt tractationẽ matrimonij, in ſpooſis de futuro oon poſſe eſſe ſignũ ſufficiens expreſſiuum interni mutui conſenſus de præſenti; poſſe tamen eſſe ex peculiari conuentione cootrahentium. *Primum* probaui ſuprà *diſp. 8. ſect. 5.* ex variis iuribus, quibus oſteodi ſolum eſſe ſignum præſumptum, noo verò expreſſiuum, quia ſolùm eſt prudens iudicium ante copulam ipſam contractus matrimonialis iam facti. *Secundum* patet, quia ſi contrahentes aſſumerent copulam pro ſigno expreſſiuo conſenſus de præſenti, in eo euentu iuxta ius antiquum fieret matrimonium, ſicut fieri poteſt, & fit per quodcumque aliud ſigoum expreſſiuum conſenſus de præſenti, ex conuentione contrahentium. 2

Dico *tertiò*, copulam, quando ſponſalia præceſſerunt, 3

Digitized by Google

runt, eſſe ſignum matrimonij præſumpti, ſecundùm antiqui iuris diſpoſitionem, id eſt, eſſe ſignum, & indicium conſenſus, & contractus matrimonialis antea facti. Ita communiter Doctores. Nam qui promiſit aliquam accipere in vxorem, & eum ea poſtmodum cõſummat copulam, tametſi dubitari poſſet, an voluerit fornicari, an verò tanquam cum vxore coniungi, & hæc res occulta ſit, ipſa Eccleſia, quæ de occultis non iudicat, & de vnoquoque præſumit eſſe bonum, quãdo non conſtat eſſe malum, præſumit quòd peccare noluerunt, ſed affectu maritali fuiſſe coniunctos, & ideò induci matrimonium præſumptum. quod non ita accipiendum eſt, quaſi Eccleſia ſentiat ex vi copulæ matrimonium fieri; vel quia præſumat quòd illa copula ſit licita, niſi præceſſerit conſenſus mutuus de præſenti expreſſus per verba, vel ſigna certa; ſed quia conſenſum expreſſum iudicat, & præſupponit Eccleſia præceſſiſſe, dum rationaliter præſumit bonum, de quo non eſt probatum malum, & ideo iudicat matrimonium conſummatum per copulam.

4 Atque in hoc ſenſu accipiendum eſt, quod communiter dicere ſolent Doctores, ſponſalia per copulã ſubſecutam tranſire in matrimonium; nimirũ ex præſumptione, & benigna Eccleſiæ quaſi interpretatione: quia videlicet ex ſecuta copula tanquam cum cõiuge præſumit Eccleſia iam inter illos præceſſiſſe conſenſũ mutuum vtrique per verba de præſenti expreſſum. Hinc fit, vt in iure matrimoniũ ſecundùm contractũ, nullũ ſit contra matrimoniũ primùm præſumptum.

Verum eſt, ſi tempore quo ſponſus accedit ad ſpõſam de futuro, proteſtetur ſe nõ accedere animo coniugali, ſed fornicario, tunc non tranſire copulam in matrimonium modo dicto. Nam talis proteſtatio, ſeu conditio verè eſt contra ſubſtãtiam matrimonij. Sicut enim ſi ille verbis ſic diceret: Ego ad te accedo, cum animo tamen tecum fornicandi, nullum ius, nec dominium corporum trãsferret, atque ideò copula ſequens fuiſſet manifeſta fornicatio, quandoquidem accederet ad non ſuam. Ita ſimiliter, cùm loco verborum ſubſtituatur copula, & priùs ſuum animum explicuerit non accedendi animo coniugali, ſed fornicario; iam non poteſt copula illa eſſe ſignum, vel præſumptio conſenſus de præſenti ſufficienter expreſſi, cùm expreſſus ſit contrarius.

5 Dico *quartò*, iure nouo Concilij Tridentini, vbi illud viget de præſentia Parochi & teſtium, copulam adhuc ſponſalibus præmiſſis, non eſſe indicium matrimonij præſumpti, etiamſi ſponſalia, & copula fierẽt coram Parocho, & teſtibus. Hoc ipſum ſuprà oſtendi *diſp. 8. sect. 5. n. 9.* & videtur manifeſtum, quia copula, adhuc præſuppoſitis ſponſalibus, non eſt indicium quòd contractus fuerit coram Parocho, & teſtibus aliis factus; at poſt Tridentinum, vbi viget decretum illud, ad valorem contractus matrimonij requiritur, quòd fiat coram Parocho, & teſtibus; ergo Eccleſia ex illa copula, quamuis habita corã Parocho, & teſtibus, & poſt ſponſalia etiam coram eiſdem habita, non præſumet contractum matrimonij factum, vbi Tridentinum viget; quia eo ipſo quòd requiſiuit præſentiam Parochi, & aliorum teſtium, non vult matrimonium præſumi, niſi expreſſione conſenſus facta coram prædictis; & aliter potiùs præſumet peccatum in ipſa copula. Atque hoc ipſum declarauit Congregatio Cardinalium, vt habetur apud Rebellum *r. 42.* ſic dicẽs. Decretum hoc (intellige Tridentini) annullat ſolùm contractus matrimonij per verba de præſenti clandeſtinè factos; ſponſalia verò per verba de futuro, relinquit in terminis iuris communis, præterquam quòd per copulam præfatam ſponſalia in matrimonium non tranſibunt. Itaque iure antiquo ante Tridentinum ſponſalia per copulam ſubſecutam tranſibant in matrimonium non verum, ſeu expreſſiuum illius, ſed in matrimonium præſumptum. Modò verò iure nouo poſt Tridentinum, vbi illius viget decretum, ſponſalia prædicta non tranſeunt in matrimonium præſumptum. Ex dictis

6 Colligo primò, ſponſalia iuramento confirmata, quamuis facta coram Parocho, & aliis teſtibus, ſine vlla tamen copula ſubſecuta, non tranſire in matrimonium adhuc præſumptum. Patet, quia illa non tranſeunt in matrimonium adhuc vbi Tridentinum viget, neque vnquam tranſierunt iure antiquo; ergo multò minus iure nouo poſt Tridentinum. Antecedens probatur, quia conſtat illa non tranſire iure naturæ; nam iuramentum contractui ſponſalium ſuperadditum, non mutat contractum ex natura rei; ſolùm enim illum confirmat ſuperaddita obligatione religionis orta ex ipſo iuramento. Neque verò tranſeunt iure poſitiuo, quod nullum extare videtur.

7 Obiicies, extare caput, *ſi quis 9. 30. quæſt. 5.* vbi ſic dicitur. Si quis diuinis tactis Scripturis iurauerit mulieri legitimam ſe eam vxorem habiturum, ſit illa legitima vxor. Reſpondet Hurtado *diſput. 3. difficul. 15. num. 56.* in eo canone non ſignificari, illam ex tunc eſſe vxorem iurantis, ſed iurantem teneri ad illam ducendam, vt particula illa *ſit*, denotatur. Verùm hæc ſolutio opponitur textui; nam ea lege, vt notat *ibid.* Gloſſa, clarè decernitur, ibi eſſe matrimonium de præſenti: & patet ex poſitione caſus ibi, quæ ſic habetur. Si quis iuramento interpoſito promiſerit ſe habiturum de cætero aliquam in vxorem, matrimonialiter conſentiendo in ipſam, legitima erit vxor. Quare dicendum eſt ibi interfuiſſe matrimonium. Vnde illam particulam, *habiturum*, exponit Gloſa, id eſt, habitam retenturum.

Minùs obſtat illud aliud quod obiici ſolet ex *cap. 9. de ſponſalibus*, in quo agitur de verbis ſponſalitiis de futuro firmatis iuramento, & præcipitur viro, vt in matrimonio perſiſtat, & ſponſam vt vxorem tractet. Nam ibi manifeſtum eſt fieri matrimonium æquiualentibus verbis de præſenti; ratione particulæ, ab eo tempore eam pro coniuge teneret, quibus non fiunt ſponſalia, ſed matrimonium.

8 Colligo *ſecundò*, quid ſit dicendum, in eo caſu, quo quis poſt contracta ſponſalia cum Franciſca, contrahit etiam ſponſalia poſtea cum Ioanna, renuente Franciſca; & poſt ſecunda ſponſalia copulatur primæ, nempe Franciſcæ, tranſeunt ne priora ſponſalia poſt prædictam copulam, in matrimonium præſumptum, iuxta ius antiquum? Dico enim matrimonium non præſumi ab Eccleſia, quia præſumptionis ratio ceſſat in hoc caſu; nam per ſecunda ſponſalia oſtendit ſe à prima velle recedere, atque adeò interpoſitis ſecundis ſponſalibus, copula non eſt ſufficiens ſignum quòd perſeueret in conſenſu cum prima: tota enim diſpoſitio iuris de ſigno copulæ, fundatur, vt dictum eſt, in præſumptione quadam acceſſus maritali affectu; in hoc caſu non eſt ſufficiens genus eiuſmodi præſumptionis, propter explicatum conſenſum recedẽdi à prima, per ſecunda ſponſalia cum altera. Quid ſi contingat vt ille poſt ſecunda ſponſalia contracta, vtramque cognouerit, certè cum ſecunda nullum præſumitur matrimomonium in iure: quia ſponſalia ſecunda fuere inualida conſtantibus primis.

9 Circa ſecundum, de niſu in copulam, an ſit ſufficiens ſignum contracti matrimonij præſumpti. Ratio dubitandi eſt, quia ideò Eccleſia iure antiquo decernit ſponſalia ſubſecuta copula tranſi-

re in matrimoniũ, quia quando eſt præſumptio quòd homo velit euitare copulam & pœnam, aut quòd nolit euitare; præſumitur euitare velle, & ita Eccleſia ne præſumat acceſſiſſe animo peccandi, præſumit maritalem affectum. At eadem ratio eſt in præſenti caſu, vt nimirum vitetur ſuſpicio fornicandi, præſumatur conatus ad copulam præcedens ex affectu maritali.

10 Dico *primò*, iuxta veriorem, & communiorem ſententiam, conatum ad copulam non inducere matrimonium præſumptum, poſt contracta ſponſalia de futuro re, & verbis. Eſt aperta deciſio Pontificis Gregorij IX. *cap. fin. de ſponſalibus.* Vbi eſt caſus in ſpecie de quodam adoleſcente, qui contraxit cum quadam fœmina per verba de futuro, niſus fuit ſæpè illam cognoſcere, ſed non potuit; poſtmodum cum alia contraxit per verba de præſenti, quæſitum fuit à Papa, quam illarum deberet habere. Reſpondit, ſecundã debere habere, & primã habere nõ potuiſſe, quia cum iſta nec fuit verum matrimonium ex forma contractus, nec præſumptum, quia conatus nõ habuit effectum, & conſequenter niſus ad copulam non facit ſponſalia de futuro tranſire in matrimonium. Firmatur, nam diſpoſitio, quæ exorbitat à iure, qualis eſt hæc, requirit factum, & quando lex inducit aliquid ex certa præſumptione & facto, non ſatis ſit illi iuri, niſi illud factum ſit perfectum, & ita non ſufficit inchoatio. Vnde etiam in delictis non punitur pœna ordinaria, ſed tantùm arbitraria. Cùm enim hæc ſint odioſa, & deuiantia à iure communi, reſtringi debent, vt *in cap. pœnæ, de pœnitentia, diſtinct.* 1. dicitur his verbis. Pœnæ legum interpretatione molliendæ ſunt potius, quàm exaſperandæ. *Molliendæ* declarat Gloſſa, ſcilicet *tolerandæ*, & non ad alios caſus extendendæ.

11 Hinc colligo multò minus cohabitationem, amplexus, oſcula, tactus & ſimilia citra copulam conſummatam poſt ſponſalia de futuro re, & verbis, eſſe indicia matrimonij præſumpti, vt rectè notauit Rebellus *lib. 2. q. 10. ſect. 1. n. 5.* ex Panormitano, Soto, & aliis, propter eandem rationem.

12 Dico *ſecundò*, ſponſalia de præſenti inter impuberes contracta, vel puberis cum impubere, quamuis diſpoſitione iuris reputentur ſponſalia, nihilominus per conatum copulæ, amplexus, & oſcula, cohabitationem, & traductionem, dummodo poſt pubertatem ea ſigna adhibeantur, tranſire in matrimonium, quod ſemper intelligo iuxta diſpoſitionem iuris antiqui. Ita Rebellus *citat. n. 6.* Baſilius *lib. 2. cap. 13. n. 6. & 7.* & alij. Probatur efficaciter ex diſpoſitione iuris, *cap. vnico, de deſponſat. impuberum in 6. §. finali.* Vbi dicitur matrimonium inter impuberes contractum de præſenti, quod fictione iuris cenſetur ſponſalia, lapſu temporis impuberum non conualeſcere, niſi vel per copulam, vel per alium modum contrahẽtes eoſdem in eodem conſenſu perſeuerare oſtẽdatur. Eſt ergo præter copulam & verba alius modus exprimendi valorem eorum ſponſaliorum, vt tranſeant in matrimonium. Si enim alius modus tantùm eſſent verba, facilius diceret Pontifex, niſi per copulam, aut verba: ergo vox illa etiam in conatu copulæ, amplexibus, oſculis, cohabitatione, & traductione locũ habet. Loquitur enim Pontifex nõ de omnimoda euidentia, nam hæc etiam nec verbis, nec copula ipsâ haberi poteſt, cùm ſit profundum cor hominis, & inſcrutabile, ſed de euidentia morali & prudenti, quæ etiam locum habet in prædictis ſignis. Vnde apparet manifeſtum diſcrimen inter ſponſalia re, & nomine, ſeu verbis de futuro, etiam in adultis & puberibus, & inter ſponſalia de præſenti impuberum, cur nimirum illa non tranſeant in matrimonium, niſi ſecutâ copulâ; hæc verò ex conatu copulæ. Quia nimirum in ſponſalibus de futuro, cùm non habeant de præſenti conſenſum contrahendi, non nimirum, ſi lex ad hunc animum præſumendum requirat aliquod factum completum, videlicet copulam; neque vult quòd ſufficiat inchoatum aliquod, nimirum, amplexus, oſcula, conatus ad copulam. At in matrimonio contracto inter impuberes per verba de præſenti, adeſt voluntas contrahendi de præſenti, ſed voluntas contrahendi non perfecta propter defectum ætatis; & ideo ex aliquo actu, per quem demonſtretur, poſt perfectam ætatem conſentire, inducitur matrimonium. Et quidem actus ſuperueniens declarat conſenſum ſecũdùm naturam verborum præcedentium: cùm igitur ille conſenſus impuberum ſenſu, & ſignificatione verborum ſufficeret ad matrimonium, niſi lege impediretur, non verò conſenſus de futuro; inde eſt, vt accedente poſt pubertatem aliquo, quo indicetur perſeuerare idem animus, etiamſi non ſit copula conſummata, valeat matrimonium. Dixi in concluſione id eſſe intelligendum, iuxta diſpoſitionem iuris antiqui: nam poſt Tridentinum non iudicat Eccleſia eſſe matrimonium, niſi ſub forma Concilij iterum contrahatur.

Ad rationem dubitandi propoſitam. Dico potiorem eſſe rationem cur Eccleſia in vno caſu præſumat affectum maritalem, ſeu præceſſiſſe conſenſum verbis expreſſum, & non in alio. Nam per copulam conſummatam fœmina tradit vſum ſui corporis, quo nihil in illa ſecundùm rectam rationem æſtimabilius eſt; quod non reperitur in conatu copulæ; atque ideò iure præſumit Eccleſia copiam ſui corporis fœminam non facere ei in quem non conſenſerit de præſenti poſt inita ſponſalia. Vnde non præcisè ad euitandam ſuſpicionem peccati id præſumit Eccleſia, ſed ad euitandam in tali materia ſubiecta cum tali circumſtantia, plena nimirum corporis copia. Hoc enim factum poſt ſponſalia iudicat Eccleſia vehementem, & idoneam præſumptionem conſenſus, non verò alia quæ minora ſunt, ac leuiora, & facilè poſſent præ hominum fragilitate etiam ſine conſenſu matrimonij interuenire, vt cohabitatio, oſcula, amplexus, & etiam niſus ad copulam. 13

Sectio V.

An, & quomodo per parentes ſignificetur, & exprimatur conſenſus contrahentis, illo præſente.

Hactenus dictum eſt de verbis, & factis quibus contrahentes ſignificare poſſunt conſenſum matrimonij; videndum modò, an etiam explicetur aliorum verbis, ipſo contrahente præſente.

Suppono *primò*, quod eſt certum, ad valorem ma- 1
trimonij filiorum non requiri conſenſum parentum, ſed abſque eo, imò contra eum poſſe validè fieri. Quod dicunt nonnulli, vt Sanchez *lib. 4. diſp. 22. num. 3.* Hurtado *diſput. 6. difficult.* 10. definiri *in cap. cùm virum 12. de regularibus.* Verùm ſi rectè expendatur textus, non eſt ad rem: nam ibi agitur primùm de puella impuberi à parẽtibus Monaſterio tradita, quæ poſtea in ætate habili profeſſionem fecit; de qua decernit Clemens III. ad ſæculum redire non poſſe. Additque in fine capituli, de puella iam pube-

beri;

Digitized by Google

ri; quia liberum habet arbitrium in electione propoſiti, ſequi parentum non cogitur voluntatem. Efficaciter ergo id oſtenditur decreto Tridentini ex *ſeſſ. 24. cap. vnico, de reformatione matrimonij*, ſic dicente. Tametſi dubitandum non eſt clandeſtina matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata, & vera eſſe matrimonia, quandiu Eccleſia irrita non fecit, & proinde iure damnandi ſunt illi, prout eos ſancta Synodus, anathemate damnat, quia ea vera & rata eſſe negant, quique falsò affirmant matrimonia à filiis familias ſine parentum conſenſu contracta irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe. Hæc ibi, de qua te videri poteſt Cardin. Bellarminus *lib. 1. de matrimonio à cap. 19.*

Verùm autem aliquando de iure veteri Eccleſiaſtico, & ciuili fuerit neceſſarius conſenſus parentum, vt filiorum matrimonium validum cenſeretur, latè tractat Baſilius Ponce *lib. 2. cap. 1.* Qui probabiliter docet, ex vtroque iure tam ciuili, quàm Canonico fuiſſe olim in Eccleſia irritũ matrimonium filiorum ſine conſenſu parentum. Tunc enim volebat Eccleſia vt ſine ea ſolemnitate non ſtaret. Nunc verò, præſertim poſt Tridentinum, validè matrimonium contrahitur ſine parentum conſenſu.

2 Suppono *ſecundò*, quod docent omnes Doctores cum D. Thom. *in 4. d. 29. q. vnica, art. 4.* non poſſe parentes cogere filios ad matrimonium, ſed liberè cõtrahere debere, vel alium ſtatum eligere. Ratio eſt, quia matrimonium eſt quaſi perpetua quædam ſeruitus, à qua natura ſumus liberi, nec ſine proprio conſenſu poſſumus ei ſubiici. Vnde peccant parentes abſque iuſta cauſa impedientes matrimonia filiorum, quia filius ſui iuris eſt circa ſtatus electionem. Nec pater debet, nec poteſt abſque iuſta cauſa in foro conſcientiæ exhæredare filiam, ſi nupſerit contra eius voluntatem; nec poteſt confeſſarius abſoluere patrem in articulo mortis, niſi priùs reuocet teſtamentum vbi eam iniuſtè exhæredauit, vt notauit Diana *tract. 2. de immunitate Eccleſiæ, reſolut. 74.*

3 Vnde infero laicos dominos cuiuſcumque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant, non poſſe quidquam ſtatuere, quod matrimoniis liberum conſenſum impediat, etiam circa accidentia ipſi matrimonio. Vnde in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 9.* ſic habetur. Præcipit ſancta Synodus omnibus cuiuſcũque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrant, ne quouis modo, directè, vel indirectè ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios cogant, quominus liberè matrimonia contrahant.

4 Suppono *tertiò*, quod mihi probabilius videtur, & docent Sanchez *lib. 4. diſp. 23.* Coninch *diſp. 28.* Vaſquez *diſp. 4. n. 24.* Hurtado *diſp. 7. difficult. 20.* & alij, filios non teneri contrahere matrimonium, quod patres promiſerunt, vel eis præcipiunt. Quod intelligo, dummodo parentibus graue aliquod incommodum non ſequatur; & filius æquè bene nubat, ac ſi nuberet cum ea quam parentes offerunt. Ratio eſt, quia quilibet, adhuc ex ſuppoſitione quòd velit contrahere, eſt liber quoad ſtatum matrimonialem ob eius perpetuitatem & onera, quæ pendere à voluntate alterius, quamuis patris, duriſſimum eſſet. Vnde valde alienum videtur à natura matrimonij contractus quòd contrahatur alienâ potius, quàm propriâ voluntate. Ex oppoſito enim ſolent ſequi infelices exitus, cùm filij ducunt eas quas non amant, aut econtra. Quare potiùs parentes ſe debent accõmodare in hoc inclinationi filiorum, quoad commodè fieri poterit.

5 Suppono *quartò*, cum prædictis Doctoribus, filios poſſe licitè inire matrimoniũ inuitis parentibus, cum prædicta tamen limitatione, ne inde aliquod graue damnum parentibus ſequatur. Nam ratio præcedenti ſuppoſitione adducta hoc idem conuincit, quia matrimonium eſt quaſi quædam perpetua ſeruitus: ergo quilibet eſt liber & ſui iuris, & à cuiuſcumque alterius voluntate independens ad illud contrahendum. Firmatur, quia cùm pater impedit filium ne cum aliqua contrahat matrimonium, filius ſuccurritur à Prælato per cenſuras: ergo non peccat filius tale matrimonium inuito parente ineundo; quia non eſt credendum Prælatum malitiæ patrocinari.

Denique ſuppono, quod etiam Doctores ſignificant, peccare filios ineundo matrimonium ſi contrahant inconſultis parentibus, ſeu non certioribus factis. Patet, quia eligere ſine eorum conſenſu ſtatum adeò grauem, quem parentes debent prouidere filiis magna pietate, abſque vlla vi & coactione, videtur includere defectum grauem non ſolùm irreuerentiæ, ſed etiam contemptus & diffidentiæ ipſorum, quod valdè ægrè ferunt parentes. Verum eſt, ſi timeant filij, impedituros iniuſtè parentes matrimonium, vel etiam ſi adſit alia rationabilis cauſa occultandi parentibus matrimonium; tunc poterunt ipſum inire, etiam patribus inconſultis. At, per ſe loquendo, conſulendi ſunt, licèt non teneantur ſequi illorum conſilium. Neque hæc duo inter ſe pugnant: quia in non petendo conſilio fit grauis irreuerentiæ iniuria, quæ non fit in non ſequendo eo; cùm in ea re plus agatur negotium filiorum in re tanti momenti; vnde eſt vt de eo iuſtè conqueri nequeant parentes. 6

His poſitis difficultas eſt, an & quomodo per parentes ſignificetur conſenſus filiorum cõtrahentium, ipſis præſentibus, & tacentibus. Ratio dubitandi eſt, quia taciturnitas in re tam graui, non videtur ſatis exprimere conſenſum, cùm ex verecundia, aliiſque de cauſis poſſit oriri.

Communis ſententia, vt videre eſt apud noſtrum Sanchez *lib. 2 diſp. 23.* docet, quando parentes ita contrahunt matrimonium pro filiis præſentibus, & tacentibus, cùm contractum intelligant, horum taciturnitatem eſſe ſufficiens ſignum conſenſus. Quia ſic expreſsè deciditur à Bonifacio VIII. *cap. vnico. §. fin. de deſponſ. impub. in 6.* vbi apertè dicitur, tales ſufficienter conſenſum exprimere, ſi præſentes taceant. 7

Hanc communem ſententiam ſequor. Exiſtimo tamen, in prædicta conſtitutione non loqui Bonifacium de matrimonio, ſed de ſponſalibus de futuro; neque illam de ſponſalibus deciſionem ex vi illius capitis eſſe extendendam ad matrimonia, vt rectè notauit Baſilius Ponce *lib. 2. cap. 14. n. 13.* *Primum* conſtat ex verbis ipſius conſtitutionis, quæ retuli ſuprà *diſp. 4. ſect. vlt. n. 5.* *Secundum* probatur, quia non omnia quæ de ſponſalibus dicuntur, extendi ſemper debent ad ipſum matrimonium. Nam cùm ſtrictior ſit ipſa obligatio matrimonij, quàm ſponſalium, multò plura requiruntur ad matrimonium, quàm ad ſponſalia: hæc enim multis de cauſis diſſolui poſſunt, at matrimonium indiſſolubile eſt. 8

Moueor igitur ad non diſcedendũ à communi ſententia; quia ea fundatur in quadam rationabili præſumptione conſenſus tacentis. Eſt enim idem ac firmum fundamentum talis præſumptionis in ordine ad validitatem matrimonij, atque in ordine ad validitatem ſponſalium. Quia cùm parentes plus filios, quàm ſe ipſos diligant, *l. iſti quidem 8 ff. de eo quod met. cauſ.* præſumitur rectè eos filiis conſulere; & ideò tam in ſponſalibus, quàm etiam in matrimonio, præſentia & taciturnitas filij rectè conſenſus reputatur. Quod etiam firmatur ex illa regula iuris in 6. *Qui ta-*

 cet,

Digitized by Google

cet, conſentire videtur. Quæ vera eſt, quando is, qui tacet, tenebatur non tacere; in propoſito verò euentu, ſi altera conſentiente, v.g. filia tacet, & pro ea pater, vel mater ſimilem exprimendo conſenſum reſpondeat, filia ipſa, ſi non conſentiebat, reclamare tenebatur reſponſionem redditam pro ſe à ſuis parentibus, alioqui ſilendo interpretatiuè conſentire iudicanda erit. Cùm enim filij teneantur ſuis parentibus debitam præſtare reuerentiam, ne videantur eorum dicta contemnere, debent vel conſentire, vel diſſentire, ſeu contradicere; atque adeò eo ipſo quod filij non contradicunt, cùm facile poſſent, cenſentur conſentire, & conſequenter taciturnitas filiorum reputatur conſenſus.

9 Ex hac doctrina colligo idem dicendum eſſe de tutoribus, & curatoribus, qui loco parentum curam pupillorum, vel minorum gerunt; non verò de aliis cognatis qui nec ſunt tutores, vel curatores, vt rectè notarunt Coninch *diſp.21. dub.3.n.37.* & Rebellus *lib 2 q.10. ſect. 1.n. 8. & 9.* Ratio eſt, quia eodem modo ad illos atque ad parentes ſpectat iſtorum bona procurare; & illis ſingulariter incumbit dirigere res omnes eorum, qui ipſorum curæ commiſſi ſunt, ac proinde cenſentur ea omnia, quæ pro his agunt, eorum nomine agere; & conſequenter quando ſimile quid coram pupillis, aut minoribus ſcientibus agatur, faciunt hoc ipſo quo hi non contradicant, cùm facile poſſent, cenſentur conſentire, cùm etiam ad alterutrum teneantur, ne videantur ſuperiorum ſuorum acta contemnere. Non verò eſt idem dicendum de aliis cognatis, etiam fratribus, ſi eorum curæ pupilli, vel minores non ſunt ea ratione commiſſi, quidquid dicat Baſilius Ponce *relatus*; quia cognati vt ſic nullum habent ius in illos, neque ſunt illis ſuperiores, ac proinde tametſi ipſi pro illis reſpondeant, non tenentur reclamare, & ſic tacendo non magis conſenſum, quàm diſſenſum ſignificabunt, iuxta aliam regulam iuris in 6. *Qui tacet, neque conſentire, neque diſſentire videtur.* Cuius priorem partem intelligunt communiter Doctores, quando non loqui tenetur, ſi enim teneatur loqui, tacendo videtur fateri & conſentire, vt dixi. Eſt verò notandum prædictam doctrinam veram eſſe etiam poſt decretum Tridentini, dummodo prædicta fiant coram Parocho, & teſtibus. Nam quoad modum ſignificandi, & exprimendi conſenſum, nihil immutauit Concilium.

10 Ad rationem dubitandi fateor illam taciturnitatem poſſe procedere ex verecundia, & timore reuerentiali, id verò non impedire, quominus illa taciturnitas in prædicto caſu ſit ex ſe ſignum conſenſus interni æquè efficax, ac eſt verbum ore prolatum quo ſe conſentire ſignificaret; nam etiam hoc verbum ex eodem metu reuerentiali proferre æquè poteſt. Vnde colligo hunc diſcurſum: ſiue ex hoc metu taceat filius, vel filia, ſiue ex eodem metu proferat verbum, vel conſentit internè, vel non; ſi hoc ſecundum nullum eſt matrimonium defectu conſenſus; ſi primum, erit validum, data opinione valde probabili; quæ affirmat metum reuerentialem cadentem in virum conſtantem, matrimonij validitatem non impedire. Quòd ſi ſequamur aliam opinionem contrariam, nihil inde contra præſentem noſtram doctrinam infertur; nam ſicut taciturnitas procedere poteſt ex timore reuerentiali; ita ſimiliter verbum ore prolatum poteſt filius, vel filia ex eodem metu reuerentiali æquè proferre.

11 Quæres, quid dicendum, quando parentes, tutores, aut curatores pro filiis, pupillis, aut minoribus abſentibus contrahunt matrimonium, & hi poſtea id ſcientes non contradicunt; taciturnitas in hoc caſu erit ſufficiens ſignum conſenſus, & validitatis matrimonij? Reſpondeo ſufficere in hoc caſu taciturnitatem, vt ſuprà *diſp.4. ſect. vlt. num.13. & 14.* latè oſtenſum eſt.

SECTIO VI.

An per extraneos validè matrimonium contrahatur.

Sentit Baſilius Ponce *cap.14. citato num.7. & ſequentibus*, pro filiis præſentibus, & tacentibus validè contrahi matrimonium in vtroque foro per extraneos. 1 Probat, quia ſi naturam huius contractus ſpectemus, negari non poteſt, verba alterius à contrahentibus eſſe ſignum ſufficiens ad exprimendum conſenſum de præſenti; aliàs ſi ex ſe non eſſet ſignum ſufficiens, non poſſet Pontifex id decernere, *dicto cap. vnico*, dum ait verba parentum pro filiis ſufficere; nam contractus iſte matrimonij cùm ſit humanus, & ſacramentum ſenſibile, conſtare debet conſenſu exteriùs ſufficienter expreſſo; ergo ſi ſpectetur natura contractus, valere poteſt etiam matrimonium per extraneos factum, ipſo contrahente præſente, & tacente; ex alio capite nulla lege eccleſiaſtica oppoſitum eſt ſtatutum; ergo. Firmatur, nam ideò apud Indos ſufficienter contrahitur matrimonium, ſi præſentes gubernatori contrahenti pro illis non contradicant, nec repugnent, quia nimirum iure naturali valet, eo quòd ſufficienter exprimatur conſenſus, & nulla lege eccleſiaſtica, vel ciuili id prohibitum eſt; ergo ſimiliter in præſentia idem eſt dicendum de quocumque extraneo.

Communior ſententia Doctorum, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.1. diſp.23. num.7.* contrarium defendit. Quia deficit externum ſignum ſufficienter manifeſtans internum illum conſenſum. quam ipſe iudico veriorem, iuxta modum explicandum ſequentibus dictis.

Dico *primò*, filiis præſentibus, & tacentibus, validè contrahi matrimonium per extraneos, ad id negotium peragendum vocatos. 2 In hoc conuenio cum prima ſententia, nec ei opponitur ſecunda. Patet, quia in hoc euentu extranei ſunt vocati veluti procuratores & internuntij, habentque expreſſam voluntatem contrahentium; ergo ſi eam verbis exprimant nomine contrahentium, his præſentibus & tacentibus, ſufficienter reperitur externum ſignum manifeſtans horum internum conſenſum. Firmatur; nam certum eſt filiorum taciturnitatē ſufficere, quando alij extranei pro illis tacentibus, ex eorum mandato, contrahunt matrimonium, ſeruata forma Tridentini. Si enim conſtat, contrahi matrimonium poſſe non modo inter præſentes, ſed inter abſentes, per procuratorem videlicet, per nuntium, & litteras, ſicut & quémuis alium contractum ciuilem; de quo ſectione ſequenti; multò magis ex ipſorum pro quibus contrahitur, mandato. Igitur filiorum taciturnitas ſufficiet, quando alij extranei vocati, veluti procuratores, & internuntij, pro illis præſentibus, & tacentibus contrahunt matrimonium.

Dico *ſecundò*, per extraneos ad matrimonium peragendum minimè vocatos, validè non contrahi matrimonium pro filiis præſentibus, & tacentibus. 3 Mouet, quia horum taciturnitas reſpectu extraneorum non eſt ſufficiens ſignum conſenſus ipſorum expreſſiuum. Quod ſic probo, quia nulla eſt in hoc euentu rationabilis præſumptio conſenſus tacentium; ergo

Digitized by Google

taciturnitas filiorum non reputatur conſenſus. Antecedens patet, quia eiuſmodi extranei nec proſpiciunt bono filiorum, nec ſunt procura, & ſolicitudine erga illos, neque illis incumbit procurare, ac dirigere res eorum: ergo ea, quæ pro illis agunt, non cenſentur eorum nomine agere: ergo nequit rationabiliter præſumi eorum conſenſum exprimere. Firmatur, nam quamuis matrimonium ex ſe appetibile ſit: at cum certa muliere, vel viro contrahere, poteſt eſſe nociuum; & ideò cùm parentum munus ſit præ nimio amore, quo illos proſequuntur, rectè & optimè conſulere filiorum bono, & honeſto matrimonio, facile præſumitur conſenſus ex præſentia filij tacentis. At hæc ratio in extraneis puris nullo modo vocatis, nullo pacto militat: ergo nec rationabilis præſumptio expreſſionis conſenſus ex filiorum taciturnitate. Adde, cùm prædicti extranei nullum habeant ius in filios, tametſi illi pro ipſis reſpondeant, non tenentur iſti reclamare, nec de eorum verbis curare; ac proinde tacendo non magis conſenſum, quàm diſſenſum ſignificabunt.

4 Ex quo patet ſolutio ad argumentum Baſilij; fatemur enim ex natura contractus verba aliorum à contrahentibus præſentibus, poſſe eſſe ſignum ſufficiens ad exprimendum conſenſum de præſenti, quando nimirum, illi ea proferunt nomine contrahentium aliquo titulo, vel parentum, vel tutorum, vel curatorum, vel procuratorum, vel internuntiorum, vel ex mandato, & commiſſione ipſorum. Hi namque exprimunt nomine eorum, & conſequenter ipſorum taciturnitas rectè præſumitur manifeſtus eorum conſenſus. At nihil horum habent extranei non vocati. Ad confirmationem dico verum eſſe, Indos, qui ita ſerui ſunt ac timidi, vt nec minimum præſtent abſque gubernatoris conſenſu, dum matrimonium contrahunt, minimè ſolere ipſos verba proferre, ſed eorum nomine gubernatorem, ex patriæ conſuetudine; & ideo eſt ſignum externum ſufficiens ad exprimendum conſenſum internum, ex conſuetudine patriæ, dum ipſi præſentes ſunt, & tacent; præſumitur enim matrimonium iuxta loci conſuetudinem: ſicut ſi conſuetudo loci eſſet, vt annuli traditio ſignificaret matrimonium, præſumeretur illud iuxta conſuetudinem loci; tametſi aliâs per ſe loquendo annuli repetitio, vel ſubarrhatio ſignum ſit æquiuocum, nec ſufficiens ad exprimendum conſenſum matrimonij, vt diximus ſuprà *ſectio 3. n. 1.*

SECTIO VII.

An, & quomodo in abſentia contrahentis per procuratorem conſenſus exprimatur.

1 IN hac re dicendum *primò*, certum eſſe matrimonium validè contrahi per procuratorem ſaltem in locis vbi Tridentinum non eſt receptum. Ita decernitur *cap. finali, de Procuratoribus, in ſexto.* Et ratio eſt, quia alij contractus iure naturæ fieri poſſunt inter abſentes per procuratorem: ergo & contractus matrimonij.

Notandum verò, in dicto capite quatuor notari, vt validè matrimonium per procuratorem celebretur. *Primum*, vt procurator habeat ad id ſpeciale mandatum; non enim ſufficit generalis commiſſio ad omnia negotia: nam res tam grauis, quale eſt matrimonium, à quo totius vitæ ſtatus pendet, exigit, vt id ſpecialiter exprimatur. Neque excedere debet fines mandati; vt habetur *l. diligenter. ff. mandati*, Vt, v.g. ſi mandatum ſit procuratori vt contrahat cum Maria, certâ dote conſtitutâ, inualidè contrahit, aut nullâ dote, aut minore conſtituta. *Secundum*, procuratorem debere id præſtare nomine principalis, & per ſe ipſum ſolum, nec poſſe alium ſubſiſtere, niſi expreſsè haberet facultatem ſubſtituendi ad hoc: In eo enim cenſetur communiter eligi induſtria perſonæ. Datur enim mandatum in contractu matrimoniali ob familiaritatem quæ interuenit, vel vt maiori cum honore fiat; vnde videtur ſemper eligi perſonæ induſtria. *Tertium*, debere non eſſe reuocatam commiſſionem à principali, tempore quo celebratur contractus à procuratore. Cuius optimam rationem aſſignat Bonifacius VIII. *in dicto capite fin.* quia ad matrimonium verus conſenſus requiritur, qui eſt cauſa illius, non fictus, neque præſumptus. *Quartum* non eſſe neceſſarium, vt reuocatio mandati proueniat ad notitiam procuratoris: id quod iure optimo affirmat Bonifacius, non nouam concedens legem, ſed ius naturale explicans. Nam conſenſus in matrimonio nullo pacto per rempublicam ſuppleri poteſt, vt oſtendi ſuprà diſp. præcedenti, *ſect. 5.* cumque procurator, tunc cùm contrahit, vices gerat contrahentis, & pro cauſa eius matrimonij ſit conſenſus mandantis, & expreſſus per verba procuratoris; tuncque reuera nullus ſit mandantis cõſenſus, ſed contrarius, inde fit vt nullus fiat contractus. Vnde idem a
exiſtimo dicendum, cum Baſilio *lib. 1. cap. 15. §. 1.* in omnibus aliis actibus à matrimonio, in quibus reſpublica ſupplere conſenſum non poteſt. Ratio eſt eadem, quia quicunque actus fuerit, qui ſecundùm ſuam rationem conſenſum verum exigat, ita vt à republica, vel Principe ſæculari, aut eccleſiaſtico ſuppleri non poſſit, nullus planè erit eo reuocato mandato ex defectu conſenſus, ſine quo firmitatem habere non poteſt. Sic in cognatione ſpirituali, quæ contrahi poteſt per procuratorem deſignatum ad officium patrini, ſi reuocetur mandatum, etiam ſi ignoretur à procuratore. Quia ſine conſenſu illud officium exerceri non poteſt, nec cognatio illa contrahi. Idem dico, ſi mandatum daretur ad vouendum rem aliquam, ſi reuocaretur mandatum, etiam id ignorante mandatario, & hic votum emitteret, nulla eſſet eiuſmodi voti obligatio, quia votum ſine animo promittendi eſſe non poteſt. Idem dic ſi aliquis mandatum haberet vt in aliquem ſententiam excommunicationis ab ipſo prolatam intimaret, ſi ceſſaſſet voluntas in iudice ligandi excommunicatione, reuera excommunicatio coram Deo nulla eſt, quia eſſentialiter pendet ex vero animo, & voluntate obligantis. In aliis verò actibus, in quibus conſenſum reſpublica ſupplere poteſt, iudicandum eſt in illis iuxta ſpecialis iuris diſpoſitionem. Quod in quibuſdam caſibus conſenſum ſupplet, & valere vult geſta poſt reuocationem, etiam illa ignorata: in aliis verò non valere, etiamſi reuocatio ignoretur. de qua re videantur varia exempla apud Baſilium citatum à *num. 22. vſque ad 31.*

Colligo *primò*, ſi mandans procuratori contrahi 3
matrimonium iurauerit ſe non reuocaturum conſenſum; tametſi peccet eum reuocando ſine iuſta cauſa, validè tamen reuocare, nec poſſe matrimonium validè fieri per procuratorem; quia tunc verè non perſiſtit conſenſus, quem dedit procuratori. In foro autem conſcientiæ ſufficit ſola mentalis reuocatio mandati, quia hæc omnino tollit conſenſum: in foro externo neceſſarium eſt, vt reuocatio probetur facta ante contractum initum. Sufficit item implicita reuocatio, vt ſi mandans contrahat ſponſalia cum altera; idque etiam in foro externo, modò probari poſſit.

Colligo

Digitized by Google

4 Colligo *ſecundò*, cenſeri principalem validè perſiſtere in conſenſu quem dedit procuratori, etiamſi quo tempore contractus ab iſto fit, ſit ille diſtractus animo, dormiens, ebrius, modò mandatum nunquam reuocauerit: vt bene notarunt Enriquez *lib.11. cap.4.* & Coninch *diſput.24. dub.9. num.7.* & Sanchez *lib.2. diſput.11. num.12.* Ratio eſt, quia manet virtute prior conſenſus, cùm reuocatus non ſit.

5 Obiicies, ſi Petrus ante ebrietatem aduerteret ſe ebrium factum contracturum cum Maria, non teneret matrimonium cum ipſa, quamuis eo animo, & aduertentia ſe inebriaret, quia careret debito conſenſu pro eo tunc quo fieret contractus; vt etiam conſtat ex doctrina à nobis tradita de ſponſalibus, ſuprà *diſp.1. ſect.5.* Sed pari modo videtur ſe res habere in noſtro caſu; ergo. Reſpondeo eſſe diſparem rationem, quia in primo illo caſu talis contractus nullo modo fieret ab habente vſum rationis, quod opus eſt; ſecus verò eſt in ſecundo, quia procurator, in cuius actione ille principalis facit contractum, iam tunc liber eſſet; cumque talis contractus reſpiciat ſolum illum actum, qui fuit in imperante, quando dedit mandatum; verè cenſetur eſſe liber, tam vt factus eſt à procuratore, quàm etiam vt imperatus ab illo. Eſt enim procurator, quaſi organum vitale, per quod coniux ſuum conſenſum manifeſtat, ſed tale, vt eodem modo operetur, & moueatur ab influxu mandantis, ſiue mandans tunc vigilet, ſiue dormiat, ſiue ſit ebrius. Vnde fit, vt propter hanc prædictam rationem, ſi contingeret, quod procurator tunc eſſet vel dormiens, aut ebrius, etiam ſi talis non eſſet principalis, nullum tunc futurum talem matrimonij contractum, quia procurator non aſſumitur à principali, niſi vt inſtrumentum rationale, ac liberum ſui, quod tale tunc non eſſet. Vnde hæc eſt efficax ratio, cur ebrius poſſit contrahere matrimonium per procuratorem, non verò per ſe ipſum: quia cùm contrahit per ſe, externus contractus nullo modo eſt actus liber, & humanus; quod tamen ad eſſentiam actus requiritur: at cùm contrahit per procuratorem, ſi iſte dum contrahit vtatur ratione, contractus externus verè eſt liber & humanus, etiam prout tanquam actus imperatus ſecundùm moralem æſtimationem procedit à mandante, ad quod ſufficit vt liberè hic eum mandauerit; iſte enim ſolus actus ex parte mandantis eſt cauſa illius contractus; atque ideo cæteri omnes actus ſequentes ab ipſo mandante exerciti, dummodo non intercedat mandati reuocatio, ſunt omnino impertinentes.

6 Colligo *tertiò*, ipſum actum procuratoris conſtituere in genere moris vnum numero actum cum conſenſu mandantis; ſicut externa donatio eleemoſynæ iuſſu domini facta per famulum conſtituit in genere moris vnum actum cum interna domini voluntate: ipſum etiam actum procuratoris eſſe veram partem eſſentialẽ ipſius contractus, non ſecus ac externa ſigna inter præſentes ſunt pars eſſentialis contractus, quia contrahentes abſentes eodem modo dirigunt ſuum conſenſum ad partem per actus procuratoris, ita vt ſine his illorum actus nullo modo poſſint habere veram rationem traditionis, aut contractus, vt ſuprà oſtendi *diſp.14. ſect.4. num.4.* Vnde procuratores debent exteriùs exprimere ſe nomine talis cum tali contrahere; idque ita, vt ij quorum interest id intelligant.

7 Colligo *vltimo*, quid dicendum ſit in eo caſu, in quo quis fictè daret ſuo procuratori mandatum contrahendi cum aliqua; valeret ne tunc contractus ille, ſi principalis, antequam ille ineatur contractus, verè in eum conſentiat, ac ratum habeat. Sanchez affirmat *lib.2. diſp.11. n.13.* Exiſtimo tamen, nullum fore talem contractum cum Coninch *cit. n.72.* Qui optimè id probat, quia vt contractus valeat, actus procuratoris imperati debet procedere ab imperante, ſeu à libero conſenſu imperantis, tanquam eius ſignum; habet ſe enim procurator tanquam index, & interpres conſenſus ipſius mandantis. At in illo caſu hoc non fieret; nam verus conſenſus qui in mandante ſequitur ipſum mandatum, nullo modo poteſt huius eſſe cauſa, aut mouere procuratorem ad contrahendum. Quare ſicut ſi Petrus, v.g. primò fictè diceret Mariæ præſenti ſe in eam conſentire, contractus eſſet nullus, tametſi ille antequam ipſa ſuum conſenſum exprimeret, verè in eam conſentiret, modo id nullo externo ſigno exprimeret, quia externa traditio nullo modo eſſet ſignum veri interni conſenſus; non prioris, quia hic eſſet fictus; non etiam ſecundi, quia cùm ab hoc non procederet, non poſſet eius eſſe ſignum. Ita ſimiliter idem eſt dicendum de eo qui fictè mandaſſet per procuratorem contrahi matrimonium: nam hic ſine nouo mandato nullo modo poſſet ſuum conſenſum parti per procuratorem ſignificare; quia dum mandauit, nullus erat conſenſus, & verba procuratoris nullo modo poſſunt eſſe ſignum conſenſus poſterius habiti.

Dico *ſecundò*, matrimonium validè contrahi per procuratores, etiam vbi receptum eſt Tridentinum. 8
Ita communiter Doctores, ex praxi recepta in Eccleſia. Ratio eſt, quia id ante Tridentinum erat licitum, vt probatum eſt. At per Tridentinum non eſt reuocatum. Quod ſic probo, quia Tridentinum, vt liquet ex *proœmio ſeſſionis 24. cap. 1. de reformatione matrimonij*, ſolùm irritauit matrimonia quæ iure antiquo erant prohibita, & ex quibus, eo quòd in facie Eccleſiæ probari non poſſent, incommoda, quæ ibi enumerat, nata erant ſequi. At iure antiquo nunquã fuit prohibitum contrahere per procuratorem, & ex ipſo matrimonio ſic contracto ea incommoda non ſunt nata ſequi, nam poteſt probari in facie Eccleſiæ, poteſt enim Eccleſiæ conſtare de mutuo contrahentium conſenſu ex inſtrumentis quibus datum eſt procuratoribus mandatum contrahendi. Secus eſt de matrimonio clandeſtino. Neque verò vnquam credetur dicenti ſe reuocaſſe mandatum, niſi id probet; ſicut nec creditur dicenti ſe fictè contraxiſſe. Firmatur, nam ibi Tridentinum non petit, vt contrahentes per ſe ipſos exprimant ſuum conſenſum coram Parocho, & teſtibus; id enim in nullo eius verbo probari poteſt, ſed ſolùm vt conſenſum exprimant coram Parocho, & teſtibus, quod per procuratores, tanquam per ſuos interpretes, verè, & propriè faciunt.

Dico *tertiò*, vt validè matrimonium contrahatur per procuratorem, non oportere, vt coram Parocho, & teſtibus detur procuratori mandatum ita pro altero contrahendi. Ita ex communi ſententia Sanchez *lib.2. diſp.11. num.13.* Coninch *relatus, num.78.* Et ratio eſt, quia Tridentinum ſolùm requirit, vt Parochus & alij aſſiſtant præſentes, teſtes externi contractus, ad quod ſufficit, vt adſint præſentes, dum ipſe contractus celebretur à procuratoribus, & ipſi teſtes intelligant ſufficienter, quid, & quorum nomine celebratur. Firmatur ratio; nam Tridentinum ſolùm irritat matrimonium, quando ipſemet contractus non celebratur coram parocho, & teſtibus, ſed mandatum contrahendi non eſt ipſe matrimonij contractus; ergo non requirit eandem ſolemnitatem; maximè, quia ſi voluiſſet Tridentinum dictum mandatum abſque ea ſolemnitate annullare, expreſſiſſet vtique, ne aliàs decretum maximè correctorium, valde eſſet extendendum. 9

Digitized by Google

10 Sunt verò duo obſeruanda. *Primum*, opus eſſe, vt mandans ſuo procuratori ea ratione det commiſſionem ſuo nomine cum tali perſona contrahendi, vt id poſſit in foro externo clarè probari, vel per inſtrumentum publicum, vel per aliam legitimam rationem. Patet, quia aliàs ex tali matrimonio eadem incommoda ſequerentur, quæ ſequuntur ex matrimonio clandeſtino, & conſequenter ſecundùm mentem Tridentini eſſet verè clandeſtinum, quia de eo in facie Eccleſiæ conſtare non poſſet; ſi enim mandans negaſſet ſe tali dediſſe eam commiſſionem, nullo modo coram Eccleſia probari poſſet ipſum cum tali contraxiſſe. *Secundum*, opus etiam eſſe, vt Parocho, aliiſque teſtibus, ſiue per inſpectionem inſtrumenti, ſiue per ſufficientia teſtimonia, vel per aliam legitimam rationem, moraliter conſtet Petrum, v.g. dediſſe commiſſionem Paulo, vt cum Maria, ſuo nomine, contraheret de præſenti. Ratio eſt, quia illi teſtes non ſolùm debent teſtari, Paulum procuratorem dixiſſe Mariæ, Petrum eam accipere in vxorem, ſed eum hoc ex mandato Petri dixiſſe, ſeu, quod idem eſt, Petrum per talem procuratorem matrimonium cum Maria contraxiſſe; ad quod neceſſarium eſt, vt ſufficienter ſciant Petrum hoc mandatum Paulo dixiſſe, vt ſic poſſint teſtari Paulum illud feciſſe nomine Petri, ſeu Petrum per procuratorem, Paulum nomine, cum Maria contraxiſſe: quod certè tanquam matrimonio eſſentiale requirit Tridentinum: vult enim vt Parochus & alij poſſint teſtari, eos verè ſecundùm omnem externam apparentiam in ſe mutuò de præſenti conſenſiſſe, & ab eis externum actum contractus fuiſſe legitimè celebratum.

11 Dico *quartò*, ſi omiſſis denuntiationibus contrahat procurator, valere matrimonium, etiam ſi illi dicatur, Do tibi facultatem contrahendi matrimonium, ſeruatâ formâ Tridentini, vt ſemper dici ſolet. Ita bene noſter Sanchez *lib. 2. diſp.* 11.*n.*18. Probat optimè, quia quoties exprimitur in commiſſione forma iuris communis, eo modo quo iure ineſt, non eſt intentio committentis inducere nouam formam, & conditionem, ſed eſt ſolùm admonitio quædam, vt ſeruetur forma iuris communis; vnde eâ prætermiſſa non irritatur actus, qui aliàs validus eſſet, niſi in commiſſione ea forma exprimeretur. Cùm ergo iure communi, & Tridentini decreto expreſſa ſit illa forma Tridentini, non eſt conditio, & reſtrictio licentiæ, ſeu commiſſionis, ſed admonitio, vt ſeruetur. Cumque in neutro iure antiquo, & nouo præſcribantur monitiones tanquam de eſſentia matrimonij; illarum omiſſio, nec matrimonium, nec licentiam inualidam reddet.

12 Dico *vltimò*, ſexuum diuerſitatem in procuratoribus ad matrimonium contrahendum, eſſe omnino impertinentem. Ita omnes, & conſtat ex vſu, & praxi Eccleſiæ. Et ratio eſt, quia ea ſexuum diuerſitas ſolum requiritur in ipſis, qui matrimonio coniunguntur: quod verò duæ fœminæ, vel duo viri poſſint eſſe contrahentium procuratores, quid obeſt? cùm ſolùm deſeruiant ad ſignificandum, & exprimendum conſenſum ſuorum principalium, ſeu mandantium; vnde ſunt tantùm inſtrumentum miniſtrans verba, quibus contrahitur matrimonium.
Ad quod nihil refert, an hi ſint duo viri, an duæ fœminæ, an verò vir, & fœmina.

* * *

Sectio VIII.

An matrimonium contrahi poſſit per procuratorem, ſi mandans incidat in amentiam

HÆc difficultas appendix eſt præcedentis ſectionis, quam ex profeſſo intendo modò dilucidare.

Communis ſententia cum Sanchez *lib. 2. diſp.* 11. *n.* 12. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 4. *n.* 4. Coninch *diſp.* 24. *dub.* 9. *n.* 70. Bonacina *de matr. q.* 2. *p.* 5. *n.* 15. & aliis, affirmat, eum qui ſemel validè alicui procuratori dedit mandatum ſuo nomine cum aliqua contrahendi, validè per ipſum cum ea contrahere, tametſi paulò pòſt amens fiat, modò mandatum nunquam reuocauerit. Probatur 1

Primò à priori, quia vt quis validè per procuratorem cum fœmina contrahat, non requiritur vt vtatur ratione dum contractus celebratur; aliter enim ſi tunc dormiret, inualidè contraheret, quod falſiſſimum eſt, & nemo dixit: ergo ſufficit vt omninò liberè illud mandatum dederit, ne id poſtea reuocauerit: manet enim tunc ille conſenſus, cùm reuocatus non ſit: ergo ſi procuratore miſſo, dans mandatum in amentiam incidat, & talis perſeuerat, dum procurator nomine ſuo contrahit, valet matrimonium.

Secundò, ex *cap. maiores*, *de Baptiſmo, in fine*, conſtat valere Baptiſmum receptum in amentia ab adultò, qui ante eam ipſum petierat: ergo idem dicendum in noſtro caſu valere matrimonium.

Baſilius verò Ponce *lib* 2. *cap.* 15. *n.* 14. contrarium ſentit. 2

Primò, quia pro forma, & cauſa contractus eſt conſenſus expreſſus per verba procuratoris, at tempore amentiæ impoſſibilis eſt conſenſus: ergo nullum matrimonium.

Secundò, ſi moreretur mandans, eo tempore nihil ageret procurator, vt eſt certum; nam ipſa morte ceſſaret conſenſus: ergo etiam & amentia; nam hæc æquiparatur morti, quoad conſenſum. Vnde longè eſt diuerſa ratio de mandante, ſi in amentiam incidat, aut ſi dormiat: nam ille omnino incapax eſt habendi conſenſum, hic verò minimè.

Tertiò, ideo Baptiſmus petitus ante amentiam, validè confertur in amentia, quia vt Baptiſmus effectum habeat, ſatis eſt voluntatem præceſſiſſe, neque reuocatam; eo enim ipſo ponitur effectus poſita materia & forma. At in matrimonio neceſſarius eſt conſenſus perſeuerans etiam in ipſo fieri contractus, quia conſenſus per verba expreſſus, vel ſigna, eſt materia & forma matrimonij, vt etiam nos ſuprà oſtendimus *diſp.* 14. *ſect.* 2. ergo in tali caſu matrimonium minimè contrahitur.

Quartò, ſi incidens in amentiam eſſet præſens, & explicuiſſet antea conſenſum, adhuc matrimonium non contraheret: ergo neque per procuratorem contrahere poteſt, ſi in amentiam incidat.

Denique obiicit noſter Ioannes de Lugo *de ſacramentis in genere, diſp.* 8. *ſect.* 6. *n.* 107. qui eſt etiam opinionis Baſilij Ponce, ſed non propter eius rationes, quas putat ſatis efficaces non eſſe, ſed propter hanc rationem, quia nimirum in aliis contractibus, regula generalis eſt, quod mandatum, ſicut expirat morte mandantis, ſic etiam expirat mandante facto furioſo, vel amente, vt habetur in lege, *qui ſeruum ſuum, num.* 47. & in lege, *ſi quis alicui* 48. *ff. de adquirenda hæreditate*, & notat noſter Molina *tom.* 2. *de iuſtitia, diſp.*

diſp. 552. in fine; quia nimirum iam ab eo tempore videtur expiraſſe voluntas mandantis, cùm iam non cenſeatur capax celebrandi contractus. Vnde hac de cauſa idem dicit Lugo de profeſſione religioſa facta per procuratorem, caſu quo profeſſurus poſt datum mandatum incidiſſet in amentiam.

3 Adhæreo primæ ſententiæ, quæ eſt magis communis, ac verior. Cenſeo enim principalem, etiamſi in amentiam tempore contractus inciderit, adhuc validè perſiſtere in conſenſu, quem dedit procuratori liberè, cùm erat ſui compos. Moueor, quia ad id ſat eſt, vt principalis cùm erat ſui compos, liberè dederit mandatum procuratori: nam omnia acta ipſius procuratoris ſolùm ab illo primo conſenſu principalis nunquam reuocato dependent, non verò ex aliis, quæ impertinenter ſe habent, nec influunt moraliter in contractum ipſum matrimonij. Quod ſic probo, nam in eo euentu voluntas principalis præterita non reuocata non eſt merè habitualis, ſed eſt aliquo modo virtualis influens moraliter in contractum matrimonij, non ſecus ac ſi dormiret tempore contractus: ergo validè per procuratorem cum fœmina contrahit, non aliter ac ſi tempore contractus dormiret. Conſequentia claret: quia voluntas virtualis ſufficit ad contrahendum ex parte coniugis cuiuſuis contrahentis, vt latè oſtendi ſuprà *diſp. 1. ſect. 5.* & eſt euidens, vt quis validè per procuratorem contrahat, non requiri, vt vtatur ratione, dum contractus celebratur, nam etiamſi tunc dormiat, validè contrahit, vt eſt apud omnes Doctores indubitatum. Antecedens probo, quia illa voluntas, ſeu conſenſus, qui nunquam fuit retractatus, verè exprimitur per verba procuratoris, non ſecus ac ſi eſſet ille dormiens. Vnde licèt tempore amentiæ impoſſibilis ſit nouus conſenſus, ſicut etiam & tempore ſomni; tamen eo tẽpore perſtat ille alius conſenſus, quem antea dederat cùm erat ſui compos, ſuo procuratori: perſtat, inquam, moraliter influens in opus; nam ille eſt cauſa quòd alius coniux coram ſuo procuratore conſentiat, & obliget ſe, & quòd eius obligatio veniat ad notitiam procuratoris; eſt etiam cauſa quòd procurator conſentiat, ſeu exprimat conſenſum principalis, & acceptet conſenſum alterius coniugis cui eſt præſens, & ille conſenſus, atque acceptatio innoteſcat coniugi præſenti, & ſic perficiatur matrimonium: ergo illa voluntas non eſt voluntas merè habitualis, ſed eſt eodem modo virtualis, ac ſi eſſet ille dormiens tempore contractus.

4 Dices, diuerſũ quid eſſe de principali, ſeu mandante, ſi in amentiam incidat, aut ſi dormiat, nam ille incapax eſt habendi conſenſum, hic verò minimè. Sed cõtrà eſt, quia tametſi amens incapax ſit habendi nouum conſenſum, poteſt tamen in illo ſtatu moraliter conſeruari ille prior conſenſus, quem habuit, ac mandatũ quod dedit procuratori vt ſuo nomine contraheret; quod totum, dum erat ſui compos, non retractauit; ab illo autem ſolo conſenſu fluunt moraliter omnia acta à procuratore, & ideò contractus matrimonij validus eſt, hic enim reſpicit ſolùm illum cõſenſum liberum, qui fuit in principali imperante quando dedit mãdatum, qui verè cenſetur eſſe liber, tam vt factus eſt à procuratore, quà vt imperatus ab illo. Vnde ipſe procurator non eget nouo cõſenſu ſui principalis; ac proinde quòd principalis poſtea tempore amentiæ ſuperuenientis incapax ſit habendi nouum conſenſum, parum, ac nihil refert ad perficiendum matrimonium: atque adeò ſiue dormiat, ſiue ebrius ſit, ſiue amens, nihil obeſſe poteſt contractui matrimonij. Atque hæc eſt ratio à priori huius noſtræ ſentẽtiæ. Vnde nõ approbo aliam rationem adductam de Baptiſmo, pro prima

5 ſententia. Neque enim ſimile eſt, quòd Baptiſuus petitus ab adulto ante amentiam, validè conferatur in amentia. Nam, vt Baptiſmus effectum in adultis habeat, ſatis eſt voluntatem præceſſiſſe, neque reuocatam; eo enim ipſo, poſitâ materiâ, & formâ, ponitur effectus. Et ratio eſt, quia ſuſcipiens Baptiſmum, non ſe habet vt agens, & operans, ſicut ſe habet miniſter, ſed tantùm ſe habet vt patiens, atque ideò neceſſe non eſt vt conſenſus ſit actualiter, aut virtualiter, ita vt ex eo tanquam ex efficienti deriuetur, & fiat Sacramẽtum, ſed ſufficit vt ſuſcipiens aliquo modo conſentiat in ſuſceptionem Sacramenti, ad quod ſufficit conſenſus præteritus non reuocatus. At in matrimonio neceſſarius eſt cõſenſus virtute perſeuerans, etiam in ipſo fieri contractus, quia conſenſus per verba expreſſus, vel ſigna, eſt materia & forma matrimonij, vt oſtenſum eſt ſuprà *diſp. 14. ſect. 2.* Et in contractu matrimonij qui fit per procuratorem, expreſſio conſenſus principalis facta per procuratorem, quâ exteriùs declarat ſe nomine ſui principalis contrahere matrimooium, ſunt vera pats eſſentialis ipſius contractus, non ſecus ac ſigna inter præſentes, vt probaui ſuprà *in prædicta diſput. 14. ſect. 4. n. 4.* & ideò debet ille conſenſus principalis manere non ſolùm habitualiter, id eſt, non reuocatus ſed etiam virtualiter, vt cauſa moralis operis; talis verò eſt ille conſenſus, etiamſi poſtea principalis fiat amens. Præterea principalis eſt contrahens per procuratorem agens, & operans per ſe ipſum, & ideò eius conſenſus præteritus non reuocatus, non ſufficit quòd ſit habitualis, ſed debet eſſe, & vere eſt virtualis, & cauſa matrimonij contractus modo dicto, & probato.

Ex his patet ſolutio ad argumenta Baſilij Ponce.

6 Ad primum conceditur maior, & minor, negatur verò conſequentia; quia, vt dictum eſt, ad hoc vt perficiatur matrimonium per procuratorem, nihil refert quòd tempore amentiæ perficiatur, in quo eſt impoſſibilis conſenſus; cùm tempore contractus non requirat nouum conſenſum, ſed ſolùm permanentiam moralem, ac virtualem illius prioris conſenſus quem habuit, cùm erat ſui compos; quam oſtendimus verè perſtare.

7 Ad ſecundum, diſpar eſt valde ratio de morte mandantis, ac de illius amentia; nam iure naturali, & Canonico euidens eſt, mandatum procuratoris miſſi ad matrimonium contrahendum omnino expirare morte mandantis, quia iſte eſt matrimonium contrahens. At mandans, licèt ſit amens, adhuc verè exiſtit, & in eo ſtatu adhuc eſt capax matrimonij quod contrahitur per procuratorem ab eo miſſum, cùm erat ſui compos, nec vnquam ab ipſo reuocatum.

Ad tertium, iam conſtat ex noſtra concluſionis probatione ſolutio.

Ad quartum, diſpar eſt ratio, vt in ſimili dixi præcedenti ſectione *num.* 4. de ebrio, idem dic modò de amente.

8 Ad vltimum negatur, dari ius Canonicum, imò nec ciuile diſponens, vt mandatum procuratoris ad coorrahendum matrimonium, ſicut expirat morte mandantis, ſic etiam expiret mandante facto furioſo, vel amente. Quamuis enim demus, quòd ſit aliquod ius ciuile ſic diſponens in aliquo peculiari contractu ob aliquam peculiarem rationem; non tamen conſtat eſſe ius generale in omnibus cõtractibus, & quòd ſit in vſu. Quando enim ſunt peculiaris iuris diſpoſitiones in peculiaribus caſibus, non licet ab vno ad alium argumentari. Multo minus in contractu matrimonij per procuratorem, qui eſt in iure valde fauorabilis, & nihil circa illum innouauit Tridentinum,

Digitized by Google

num, ſed tantùm aliquid addit ex parte formæ, nempe ſolemnitatem illam aſſiſtétiæ Parochi, & teſtiu. Vnde falſum eſt à tempore amentiæ expiraſſe voluntatem mandantis matrimonium. Quamuis enim ea expiret ad celebrandum nouum matrimonij contractum; non tamen ad perficiendum contractum matrimonij antea iam ſanâ mente inchoatum, & eo fine vt perficeretur contractus, miſerit procuratorem, cùm eſſet ſui cõpos. De illo verò alio caſu, nempe de profeſſione Religioſi facta per procuratorem, ſimiliter dico, ex vi iuris naturalis, & ex vi iuris communis, validam fore, etiamſi poſt datum mandatum ab ipſo, poſtea tempore profeſſionis incidiſſet in amentiam. Eſt enim eadem ratio de profeſſione, ac de matrimonio. Dico, *ex vi iuris communis*. nam ſi in aliqua religione eſſet ſpecialis lex, vel ius irritans talem profeſſionem, tunc ſtandum eſſet diſpoſitioni illius ſpecialis iuris. At de matrimonij contractu non conſtat tale ius extitiſſe, vel modò extare, & ligare.

Sectio IX.

An matrimonium inter abſentes contrahi poſſit per epiſtolam, & nuntium.

1 VAlidè celebrari matrimonium inter abſentes per nuncium, etiam poſt Tridentinum, affirmant cõmuniter Doctores. Et meritò; quia ſi cæteri contractus ita facti valent, non eſt cur non etiam & matrimoniũ. Neque circa hoc, aliud innouauit Tridentinum, niſi illud de præſentia Parochi, & teſtium, quod rectè obſeruari poteſt in contractu matrimonij facto per nuncium, dummodo animo aduertatur, eſſe omnino neceſſarium, vt nuncius ſit deſtinatus ab ipſo mittẽte, vt ſignificet ſuum conſenſum; neque ſatis eſſe, ſi caſu perueniat in notitiam alterius. Nam id exigit natura contractus, & vt verè dicatur inter ſe coniungi contrahentes quoad conſenſum; non enim coniunguntur abſentium voluntates, niſi voluntas vnius alteri intimetur; quod neceſſe eſt per nuntium ab eo miſſum fieri, vt rectè notauit Sanchez *lib. 1. diſput. 6. n. 3. &* 20 Nuncius autẽ ad hoc miſſus cõmuniter mitti ſolet cum poteſtate acceptandi conſenſum cum alterius nomine mittentis. Neque enim matrimonij contractus perficitur, donec acceptatio traditionis conſtet ipſi tradenti, per nuntium, vel certè ipſi nuntio ab eodem miſſo cum poteſtate acceptandi, vt etiam ſtatim magis dilucidabo. Et tunc dum nuncius acceptat coram Parocho, & teſtibus, perficitur contractus, formâ Tridentini ſeruatâ. Vnde de nuncio nihil amplius occurrit dicendum, quàm quod dictum eſt de procuratore, à quo nihil, vel parum differre videtur. Quamuis in alijs diſpoſitionibus iuris poſſit aliquod diſcrimen eſſe inter procuratorem, & nuncium; tamen quoad matrimonij contractum, rationem diſcriminis vix aſſequor vllam, cùm tam nunnius, quàm procurator ſint inſtrumenta contrahentis, & agant alieno nomine. Solùm in modo contrahendi inuenio aliquid diſcriminis; nam per nuncium celebratur matrimonium referendo, & exprimendo, vt nuncius eſt nomine mittentis, conſenſum ipſius dicendo, Paulus miſit me, vt ſuo nomine nuntiem tibi, ipſum te velle in vxorem. Quando verò celebratur matrimonium per procuratorem, ſolet iſte dicere, Ego nomine Petri accipio te in vxorem.

2 Quoad reuocationem autem nuntij in cauſa matrimonij, idem omnino dicendum eſt, quod dictum eſt ſuprà *ſect. 7.* de reuocatione procuratoris, ſcilicet, neque eſſe neceſſariam intimationem reuocationis, & ſufficere quamcumque, etiam internam.

Quod verò attinet ad epiſtolam, maior eſt difficultas. Nam minimè videtur, quo pacto vtriuſque matrimonium contrahentis conſenſus poſſit præſtari coram eodem Parocho, & teſtibus mediâ epiſtolâ: procurator enim poteſtatem habet acceptandi, & etiam ea datur nuntio ad id miſſo; epiſtola verò nequaquam. 3

Nihilominus tamen cum communi ſententia Doctorum, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. 2. diſp. 12. n. 1.* etiam poſt Tridentinum validè contrahi poſſe matrimonium per epiſtolam, vel litteras. Et ratio eſt, quia alij contractus iure naturæ fieri poſſunt inter abſentes per litteras: ergo & contractus matrimonij. Neque id eſt per Tridentinum reuocatum. Patet, quia, vt conſtat, Tridentinum non requirit vt contrahentes per ſuum conſenſum coram Parocho, & teſtibus exprimant; hoc enim ex nullo illius verbo probari poteſt; ſed ſolùm vt eum coram prædictis exprimant; quod certè, ſicut per procuratores, & nuntios, ita & per litteras facere poſſunt. Nam inprimis ſi Franciſca prior ſcripſit Petro, ſe in eum de præſenti conſentire, & inde Petrus remiſſis eiſdem litteris ſcribat ſe eius conſenſum acceptare, & in eam ſimiliter de præſenti conſentire, & vtræque litteræ à Franciſca coram Parocho, & teſtibus leguntur, & ab ipſa Petri conſenſus acceptetur. Vel etiam hoc alio modo fieri poteſt, ſi Petrus, v.g. ſcribat Franciſcæ ſe in eam de præſenti conſentire, & ipſius conſenſum ex hoc nunc acceptare pro eo tempore, quo eum legitimè præſtabit legendo litteras ſuas coram Parocho, & teſtibus, & Franciſca acceptas litteras coram illis legens, coram iiſdem in Petrum de præſenti conſentiat. In quo caſu nihil deeſſe videtur, vt ſic perficiatur matrimonij contractus: nam licet neceſſarium ſit, vt Petrus aliquẽ deſignet corã quo Franciſca debeat ſuum exprimere conſenſum, vt hic nomine Petri illum acceptet; alioquin enim ex parte Franciſcæ nullum eſſet interioris conſenſus externum ſignum, quod Petrus ad ſe directũ, per ſe, vel per alium acceptare poſſet; & ad omnem conſenſum in contractu eſſentialiter requiritur, vt exteriùs dirigatur ad eum, qui illum acceptare debet; tamen hoc ipſo quo Petrus ſcripſerat Franciſcæ, vt litteras ſuas coram Parocho, & teſtibus legeret, & conſenſum exprimeret, cenſetur his committere, vt eum ſuo nomine acceptarent: hanc enim vim, neque vllam aliam videntur habere illa verba, quibus ſcribit ſe Franciſcæ conſenſum acceptare. Vnde hoc pacto conſtat mutuam eſſe vtriuſque coniugis acceptationem, & rectè contractum perfici coram Parocho, & teſtibus. Neceſſe eſt autem, vt Parocho, & teſtibus morali aliquo modo certò conſtaret illas litteras eſſe Petri. Eſt tamen in praxi obſeruandum, hæc extra neceſſitatem non eſſe practicanda, quia aliæ viæ commodiores poſſunt facilè reperiri. Denique de reuocatione epiſtolæ idem dicendum quod dixi de reuocatione nuntij. 4

Vt verò præſens difficultas de matrimonio contracto miſſo nuntio, vel epiſtolâ, maneat exactè diſcuſſa, operæ pretium eſt, examinare, an quando ſic matrimonium contrahitur, ſatis ſit ad perficiendum matrimonium, ſi acceptet traditionem alterius coram nuntio, & vbi Tridentinum obſeruatur, vt acceptet coram Parocho, & teſtibus, neque opus ſit vt mittenti conſenſum, mittatur acceptatio, vel traditio alterius, vt qui nuntiũ deſtinauit, acceptet. Nã Baſilius Ponce ſecutus Henriquez *lib. 11. de matr. cap. 6. n. 6.* 5

num.6.& in commentario *litt. N.* exiſtimat, eo ipſo quòd ille, cui miſſa eſt traditio, acceptauit de præſenti, perfectum eſſe contractum matrimonij. Probat, quia tunc adeſt vnius conſenſus poſtulans, & acceptans, cùm ipſa poſtulatio ſit intrinſecè acceptatio; adeſt etiam conſenſus alterius acceptantis, & tradentis, cùm ea acceptatio ſit traditio. Natura enim acceptationis in huiuſmodi cōtractu matrimonij habet intrinſecè rationē etiam traditionis iuxta naturā contractus; ergo ſi ea traditio explicetur coram nuntio, vel aliquo, nihil deeſt ad verum, & perfectū matrimonium. Firmat, quia ſi facta priori traditione, & acceptata ab alio, adhuc eſſet neceſſaria intimatio traditionis, & acceptatio illius, ſequeretur etiam cum præſentes contrahunt, ſi vir prior dicat, Trado me tibi, & vxor reſpondeat, Accepto, adhuc matrimonium perfectum non eſſe, ſed poſſe virum dicere, Ego non accepto tuam traditionem, & conſequenter reſilire.

6 Sanchez verò alios graues Doctores ſecutus *lib.*1. *diſp.*7.*n.*35. ſentit, matrimonium (atque idem affirmat de ſponſalibus) non ſolùm exigere duarum perſonarum legitimum conſenſum, ſed etiam vt vtrique conſtet alterum in eum conſentire, atque adeò requiri intimari eidem mittenti, vel alteri ab ipſo ad id deſtinato, & poteſtatem habenti. Probat *primò*, quia ſicut in matrimonio traditio debet eſſe ſenſibilis ei cui fit, ita & multò magis acceptatio, cùm ea ſit veluti complementum contractus; ergo non perficitur matrimonium, donec acceptatio traditionis conſtet ſe tradenti, per nuntium ad id deſtinatum, vel nuntio ab eodem miſſo ad id poteſtatem habenti. *Secundò*, ſi quando matrimonium inter præſentes contrahitur, vir diceret, Accipio te in meam, & fœmina reſponderet ita ſecretò, vt nec verbis, nec ſignis viro innoteſceret eius conſenſus, non eſſet matrimonium; quia perinde eſt, ac ſi conſenſus internus eſſet, cùm verba, vel ſigna requiſita ad id ordinentur, vt notus ſit conſenſus ipſis contrahentibus qui ſe tradere, & acceptare debent; ergo. *Vltimò*, nemo acceptare poteſt, quod ſibi ignotum eſt; ergo ſi non manifeſtetur acceptatio priori tradenti, vel eius nuntio poteſtatem habenti, ſed alij qui non mittatur, vt illi intimet, non ſufficiet.

7 Huic ſententiæ Sanchez adhæreo vt veriori. Moueor hac ratione, quæ eſt apud me efficacior. Nam ad omnem promiſſionem, vel conſenſum, in contractu ſponſaliorum, vel matrimonij, neceſſariò, & eſſentialiter requiritur, vt exteriùs dirigatur ad eum, qui ea acceptare debet: promiſſio enim, vel conſenſus humanus ac ſenſibilis propriè conſiſtit in locutione, ſeu affirmatione, qua quis alteri offert ſuam fidem, vel tradit ſuum corpus; at per promiſſionem, vel conſenſum alteri contrahenti nullo pacto manifeſtatum eſt, & directum, non adæquatè, & perfectè alteri loquitur, nec ſuam illi offert fidem, nec ei ſuom tradit corpus; quia locutio, & fides, vel traditio quæ alteri datur, debet aliquo modo perfici ab eo cui datur; ergo tametſi Petrus, v. gr. mittat nuntium Franciſcæ, qui dicat ſe eam in vxorem accipere. niſi nuntium eundem deſignet vt coram ipſo Franciſca ſuom conſenſum exprimat, & nomine ipſius Petri conſenſum Franciſcæ acceptet, etiam ſi talem conſenſum exprimat coram alijs, nullo pacto cenſetur Franciſca manifeſtare & dirigere ſuum conſenſum ad Petrum, neque vllo pacto cum eo loqui, cùm nequeat à Petro perfici vllo modo; ergo ex huius defectu non perficitur matrimonium. Bene ergo in hac re locutus eſt Sanchez, rectè intelligens naturam contractus. Vnde immeritò Baſilius illum carpit, dicens nec rectè locutum, nec aduertiſſe naturam acceptationis; cùm potius ipſe Baſilius vtrumque defectum habuerit, vt conſtat ex ratione adducta.

Hinc colligo, ad perficiendum matrimonium per nuntium, ſi iſte habeat poteſtatem acceptandi nomine mittentis, vt communiter dari ſolet, ſi illum acceptet coram Parocho & teſtibus, perficitur matrimonium. Quòd ſi non habeat eam facultatem, contractus ſuſpenditur, donec mittens acceptet illum. Idem dico de matrimonio per litteras cōtracto, debere fieri vno ex illis duobus modis ſuprà traditis, vt ſit mutua vtriuſque coniugis acceptatio. 8

Ad argumentum Baſilij facilis eſt ſolutio; nam licèt detur ex parte vtriuſque coniugis conſenſus, ſed ex parte vnius non datur conſenſus, vel traditio alteri coniugi manifeſtata, & explicata, niſi nuntius habeat à mittente poteſtatē acceptandi. Quod certè requiritur vt ſit ex parte vtriuſque coniugis perfecta directio, manifeſtatio, & locutio. Ad confirmationem negatur ſequela, quia matrimonium inter præſentes acceptari non poteſt, niſi vt matrimonium; non enim claudicare poteſt: ac proinde eo ipſo quo acceptatur traditio viri ab vxore, matrimonium perficitur, cùm iā ſit perfecta directio, locutio, & manifeſtatio ex parte vtriuſque coniugis præſentis vtrique nota; vnde iam non eſt locus viro reſiliendi. 9

DISPVTATIO XVI.

De conſenſu conditionato contractui matrimonij appoſito.

VT conſenſus ad matrimonij contractus natură requiſitus, pleniùs intelligatur, operæ pretium eſt, poſtquam explicuimus duabus diſputationibus præcedentibus ea quæ ad conſenſum abſolutum externum & humanum pertinere videbantur; vt in præſenti diſputatione dicamus de his quæ ſpectant ad conſenſum, cui aduenit conditio. Solet enim non ſemel apponi conditio, & ſub ea conditione conſentire, qui ſine conditione non conſentiret. De his conditionibus agitur in iure Canonico *cap. ſolet, & cap. aliquando* 22. *q.* 2. & in Decretalibus *de conditionibus appoſitis*. Propè autem contractus matrimonij conditionatus ille eſt, cuius valor dependet ab exiſtētia conditionis, cùm videlicet aliquid adijcitur ſuſpendens contractum. Eſt enim de natura conditionis ſuſpendere, & facere, vt actus poſſit ſe habere ad eſſe, & ad nō eſſe. Vt ergo videamus quando conditio appoſita conſenſibus contrahentium matrimonij contractum, tunc verè ſuſpendat, & quando non; neceſſe eſt diſcurramus per varia genera cōditionum, quæ prædictis conſenſibus addi poſſunt, agamuſque de conditionibus neceſſariis, ac intrinſecis, de extrinſecis, de impoſſibilibus, de honeſtis, de turpibus, de indifferentibus, ac impertinentibus, de illis omnibus ſigillatim differendo variis ſectionibus ſequentibus. De qua re nonnihil in genere diximus ſuprà *diſp.* 2. de ſponſalibus conditionatis; nunc verò in ſpecie de matrimonio, omnia in particulari tractanda.

SECTIO I.

An conditiones, quæ intrinſecè inſunt conſenſibus contrahentium, reddant matrimonij contractum verè conditionalem.

PRo explicatione obſeruandum eſt *primò*, ex conditionibus, alias dici intrinſecas, & alias extrinſecas. 1

Digitized by Google

ſetas. Intrinſecæ, quæ etiam in iure appellantur cõditio generales es, quæ in omni contractu intelliguntur, dicuntur illæ, quæ tacitè inſunt contractui, quamuis non exprimantur à contrahẽtibus. Vnde hac de cauſa vocantur etiam tacitæ conditiones, quia non pendent ex contrahentium expreſſa diſpoſitione. Extrinſecæ verò ſunt, quæ ſpecialiter & expreſsè exprimuntur à contrahentibus, nec adſunt intrinſecè ipſi contractui, & ideò extrinſecæ appellantur reſpectu ipſius contractus, quatenus ſi non exprimerentur, illi non adeſſent. De prioribus cõditionibus intrinſecis, quærimus modò an habeantur pro conditionibus, ita vt ſuſpendant contractum, & illum reddant conditionatum; an potiùs non habeantur pro conditionibus, ſed ſuperuacaneè exprimantur, nec magis ſuſpendant contractum, quàm ſi non exprimantur.

2 *Præterea* eſt obſeruandum, ex conditionibus intrinſecis, alias dici tales ex natura rei, alias verò ex poteſtate, ſeu diſpoſitione iuris, aut legis. Prioris generis ſunt, quæ nimirum tacitè inſunt natura ſua, vel iuri naturæ ipſi contractui: vt cùm dicitur, Contraho tecum ſi conſentis, vel ſi nnn habes impedimentum dirimens iure naturæ. Poſterioris generis appellantur, quæ verè inſunt tacitè eidem contractui, non natura ipſa, ſed diſpoſitione iuris, quia iure ipſo conſtitutæ ſunt ad valorem contractus matrimooij, vt, Contraho tecum ſi non es conſanguinea, vel affinis, vel monialis voto ſolemni aſtricta.

3 His præmiſſis, certum eſt apud omnes, conditiones intrinſecas ex natura rei non ſuſpendere contractum matrimonij, nec illum reddere conditionatũ. Vt cùm quis dicit, Contraho tecum, ſi conſentis. Ratio eſt manifeſta, quia prædictæ conditiones intelliguntur neceſſariò incluſæ in ipſo matrimonij contractu, & tacitè inſunt valori illius, & ita neceſſariò inſunt, vt clarè appareat, contrahentes, ſi ſeriò agere velint, non poſſe intendere aliquid noui per illarum adiectionem operari: ergo nnn tollunt abſolutum conſenſum de præſenti, vnde nec illum ſuſpendunt. Firmo, quia conditiones, quæ tacitè inſunt ex natura rei, exprimuntur à contrahente ſuperuacaneè, & fruſtrà, & ideò perinde eſt ac ſi expreſſæ non eſſent, quia expreſſæ nihil amplius operantur, quàm ſi non fuiſſent expreſſæ: ergo nullo modo ſuſpendunt, nec facere poſſunt contractum conditionalem. Quare prædictæ conditiones, ſi conſentis, vel ſi non habes impedimentum iure naturæ dirimens, non magis ſuſpendunt conſenſum, quàm ſi non exprimantur: ſiue enim expreſsè ponantur, ſiue non, eundem effectum ſortiuntur. Similiter in his aliis conditionibus, Duco te, ſi poſſum, ſi Deus non impediat; contractum hoc modo initum eſſe abſolutum, quia conditio intrinſeca eſt, & ſemper ſubeſſe intelligitur contractui, & ea conditio non aliter apponitur, quàm per ſe inſit: ergo illum non ſuſpendit.

4 Difficultas eſt de conditionibus intrinſecis contractui non ex natura rei, ſed ſula poteſtate ac diſpoſitione legis, vt, Contraho tecum ſi non es conſanguinea, an ſuſpendant, & efficiant contractum matrimonij conditionalem.

Qua in re noſter Sanchez *lib. 5. diſp. 1. n.* 13. quem ſequitur Baſilius *lib. 3. cap. 2. n.* 10. cum aliis exiſtimat non reddere matrimonium conditionale. Probat, quia eiuſmodi conditiones tacitè, & intrinſecè includuntur in ipſo cõtractu matrimonij, & in ipſa eſſentia imbibitæ ſunt, cum iis ſecluſis contractus corruat; atque adeò, quando exprimuntur eo modo quo inſunt, nihil operantur; ergo. Addit tamen Sanchez, quod & ipſi Baſilio placet, eam cõditionem, ſi nõ es conſanguinea; tametſi non reddat matrimoniũ conditionale, operari tamen vt ſcienter contrahens cum conſanguinea, ſub ea conditione, non incidere in excommunicationem latam *in Clementina vnica de conſanguinitate*. Quia ea non punit effectum, cùm is ſequi nequeat, non enim poteſt eſſe validum matrimonium inter conſanguineos; ſed punit affectum contrahentium, quem non oſtendunt conſanguinei ineuntes matrimonium ſub ea conditinne, ſi conſanguinei non ſint, cùm contrarius affectus oſtendatur, etiamſi contrahant ſcientes ſe eſſe conſanguineos.

Dico *primo*, conditiones intrinſecas & eſſentiales contractui, ob ſolam legis poſitiuæ diſpoſitionem, ſi alium ſenſum efficiant diſtinctum ab eſſentiali & intrinſeco ipſi contractui, cùm exprimuntur ſuſpendere & efficere contractum matrimonij conditionalem. Hoc mihi videtur negari non poſſe. Et patet, quia in eo euentu ipſa verba per ſe expreſse ſignificent conſenſum tantùm fieri in obiectum ſub illa conditione; ex alio capite alium ſenſum efficiunt, vt ſupponitur, & per illorum adiectionem intendunt contrahentes aliquid noui operari, quod rectè non ineſt tacitè ipſi contractui intrinſecè; ergo nulla eſt ratio, aut circunſtantia cur hîc, & tunc ſignificent conſenſum abſolutum; ergo dicendum eſt in eo caſu ſolùm ſignificare conſensũ conditionatum, & ſuſpendere, ac efficere contractum matrimonij conditionalem. quod clariùs in ſpecie conſtabit ex ſequentibus dictis. 5

Dico ergo *ſecundo*, ſuſpendi contractum matrimonij, & fieri conditionatum, cùm dicitur, Contraho tecum, ſi non fueris inuenta conſanginea. Hoc etiam concedunt Sanchez *diſp. 1. citata, num.* 13. & Baſilius *cap. 2. n.* 10. Et ratio eſt, quia in hoc caſu apponitur conditio, non eo modo quo tacitè ineſt intrinſecè in ipſo contractu, ſed adiicitur alio modo, & ſenſu; nam ſignificat expreſsè inueſtigationem faciendam de tali impedimento, & ſolertem indaginem præmittendam, quæ expreſſio contractui intrinſecè non ineſt; ergo vult ſic contrahens vt ſuſpendatur contractus vſque ad inueſtigationem Eccleſiæ. Sicut in ſimili eſt manifeſtum exemplum in collatione beneficij, ſi dicatur, Confero tibi beneficium ſi inuentus fueris idoneus; tunc enim talis clauſula conditionem importat, quia petitur informationem fieri, & ſolertem indaginem indoneitatis, quod iure non inerat, & ideò reddit actum conditionalem, vt rectè docuit Sanchez *lib. 3. diſp.* 33. *num.* 4. 6

Dico *tertiò*, ſuſpendi quoque contractum, & fieri conditionatum per iſtam aliam conditionem, ſi quis dicat, Contraho tecum ſi conſanguinea non es. Sic ſtatuo contra Sanchez & Baſilium, cum noſtro Coninch id inſinuante *diſput.* 19. *dub.* 2. *n.* 24. 25. *&* 30. Moueor, quia verba illa appoſita ſignificant intentionem ſolùm ſub cõditione fieri nouo peculiari ſenſu, ratione, & motiuo, vt nimirum contrahentes non cõſentiant, vel non videantur conſenſiſſe in matrimonium quod eſt ab Eccleſia prohibitum, vt ita exteriùs non puniantur ab ea per excommunicationem latam Clemẽtina adiecta de conſanguinitate, quam non incurrunt ſic contrahentes cum ea cõditione adiecta, tametſi contrahant ſcientes ſe eſſe conſanguineos, vt ex Sanchez, & Baſilio dictum eſt *ſupra*; ergo in eo caſu intẽdunt ſignificare ſolùm conſenſum conditionatũ; ergo non ſufficiunt contractum abſolutum. Vnde 7

Colligo *primò*, quando certũ eſt contrahentes prædicta intentione eam conditionem adieciſſe, huic eſſe ſtandum, & contractum eſſe conditionatũ, vt probatũ eſt. Quando verò id non ita liquet, conditio illa non aliter apponitur, quàm per ſe inſit, & conſequenter contractus eo modo initus eſt ab initio abſolutus. 8

9 Colligo *ſecundò*, idem dicendum de alia conditione adiecta, Contraho tecum, ſi non habeas impedimentum dirimens legis diſpoſitione. Si enim ea conditio non aliter adiicitur, quàm per ſe ineſt contractui, illum non facit conditionatum, ſed abſolutum; quãdo verò certum eſt alia intentione contrahentes cõditionem illam adieciſſe, vt nimirum non videantur conſenſiſſe in id matrimonium cõtra Eccleſiæ prohibitionem, conſenſum efficiunt conditionatum. Itaque ſpectanda eſt intentio, & finis ob quẽ conditio eſt addita.

10 Ad argumentum Sanchez prout infringit noſtrum tertium dictum, iam oſtenſum eſt, cùm dicitur, Contraho tecum, ſi non es conſanguinea, poſſe eam conditionem apponi aliter, quàm per ſe inſit contractui, & poſſe aliquid de nouo operari, quod totum pendet ab intentione contrahentium.

11 Quæres *primò*, quid ſit dicendum de illa alia conditione, Contraho tecum, ſi Deus voluerit, vel ſi Deo placuerit. Reſpondeo varium eſſe ſenſum. Nam ſi intelligatur de voluntate Dei generali, qua Deus omnia quæ fiunt, aut vult, aut permittit, ſeu nõ impedit; tunc ea conditio generalis eſt, & intrinſeca, quæ tacitè ineſt, & in omni contractu intelligitur, & ſic non ſuſpendit contractum. Atque hoc ſenſu, & modo exiſtimo communiter debere intelligi, niſi aliod conſtet de mente, & intentione contrahentis. At ſi intelligat contrahẽs de voluntate Dei expreſsè approbantis per manifeſtationem aliquam, diſtinguendum eſt. Nam ſi ſit ſenſus, ſi Deus ſuam voluntatem reuelauerit, & manifeſtauerit per reuelationem, non eſt conſenſus conditionatus, ſed purus, & quia turpis conditio eſt poſtulatio reuelationis; reiicitur autem turpis conditio à matrimonio, vt infrà dicam. At ſi ſenſus ſit, ſi conſtiterit facta ſufficienti diligentia id matrimonium Deo placere ſecundùm ea, quæ exteriùs iudicari poſſunt, conſenſus conditionalis eſt, & ſuſpenditur, donc illud conſtet.

12 Quæres *ſecundò*, quid dicendum de alia ſimili conditione, ſi Eccleſiæ placuerit. Sentit Sanchez *n.* 12. eſſe verè conditionem, & ſuſpendere conſenſum. Quia ſemper intelligitur de voluntate approbatiua, atque ideo ſuſpendit conſenſum, donec conſtet Eccleſiam approbare facta indagine.

13 Perplacet magis diſtinguere hanc Eccleſiæ approbationem. Vel enim ea conditione ſolùm ſignificatur generalis Eccleſiæ approbatio, vel aliqua ſpecialis. Si generalis ſolùm, qua probantur omnia matrimonia legitimè contracta, certum videtur non ſuſpendere conſenſum, quia illa conditio generalis eſt, & intrinſeca, quæ tacitè ineſt omni matrimonij contractui. At ſi intelligatur ſpecialis Eccleſiæ approbatio verè ſuſpendit conſenſum, quia requirit expreſsè ſpecialem Eccleſiæ inueſtigationem, & approbationem iuxta Canonicas ſanctiones, ac proinde ſuſpẽdit conſenſum, donec conſtet Eccleſiam approbare facta indagine modo dicto. Cenſeo tamen, ſi talis conditio in contractu matrimonij apponatur, debere communiter intelligi priori ſenſu, niſi aliunde certò conſtet aliud contrahentem intendiſſe.

Sectio II.

An conditio extrinſeca neceſſariò futura adiecta matrimonij contractui, reddat illum conditionalem, & ſuſpendat conſenſum.

1 Certum eſt apud omnes conditionem de præſenti, vel de præterito, non ſuſpendere contractum matrimonij; ſed vel ſtatim eſſe, ſi ſubſiſtat conditio, vel nunquam, aut nullum eſſe, ſi non ſubſiſtat. Ratio eſt manifeſta, quia ſponſi intendunt abſolutè contrahere poſita conditione, & verba iam hoc ſufficienter ſignificant; vnde ſi illa non ſubſit conditio, irritus eſt contractus, quia deeſt conſenſus, cùm ſponſi non intendant contrahere niſi illa ſubſit. Solùm ergo diſceptatio apud Doctores de conditionibus futuris.

Variæ autem ſunt conditiones extrinſecæ futuræ. 2
Quædam enim ſunt neceſſariò euenturæ; vt, Contraho tecum, ſi ſol cras oriatur. Aliæ impoſſibiles; vt, Contraho tecum, ſi digito cœlum tangas, vel ſi lunam dentibus apprehenderis. Aliæ denique poſſibiles, & contingentes. Quæ adhuc, vel ſunt honeſtæ, vt, Contraho tecum, ſi chriſtianè vixeris, vel ſi parentes conſenſerint; aliæ indifferentes, & ad matrimonium impertinentes; vt, Contraho tecum, ſi pluat, vel ſaltes. Aliæ denique turpes, ſeu obligantes, vel inuitantes alterum ex contrahentibus ad peccatum aliquod futurum admittendum. Et ex his poſterioribus, quædam ſunt contra ſubſtantiam matrimonij, vt Contraho tecum, ſi prolem euites, vel poſitiuè impedias; vel, Cõtraho tecum ſi fratrem occideris, vel ſi furtum cõmiſeris. de quibus omnibus ſuus erit peculiaris ſermo.

Quod attinet ad præſentem quæſtionem de conditionibus extrinſecis neceſſariò futuris; vt, Cõtraho tecũ, ſi ſol cras orietur, vel ſi cras cœlum mouebitur,

Noſter Sanchez *lib.* 5. *diſp.* 2. *n.* 2. cum communi do- 3
ctrina D. Thomæ, Bonauenturæ, Durandi, Paludani, Soti, Enriquez, & aliorum, quos ipſe refert, matrimonij contractum initum ſub eiuſmodi conditione vt tali cognita, ſentit non eſſe conditionatum, ſed abſolutum, & purum, nec conditionem illam ſuſpendere, ſed perinde eſſe ac ſi appoſita non eſſet. Probat, quia cùm iam illa futura conditio ſit præſens, & determinata in ſua cauſa naturali, ita vt impoſſibile ſit oppoſitum eſſe, naturaliter loquendo, cenſetur iam impleta: cumque contrahentes certò ſciant neceſſariò futuram eſſe eam conditionem, in eorum cognitione, & apprehenſione iam præſens eſſe videtur; ergo non videtur ab illis communiter aliter adiici, quàm vt oſtendãt ſe iam tam certò contrahere, quàm illa conditio certò futura eſt; atque adeò iuxta communem ſenſum, & intentionem contrahentium, conditio eiuſmodi non tam apponitur ad ſuſpendendum conſenſum, quàm ad ſignificandam certitudinem conſenſus de præſenti abſoluti. Quare dum non conſtat appoſitam eſſe contractui, non tanquam conditionem, ſed tanquam temporis præfinitionem ad illum ſuſpendendum vſque ad præfinitum tempus; vt ſi quis diceret, Contraho tecum, ſi, & quando, vel cùm ſol cras orietur, iudicandum eſt ſtatim abſolutè valere, & obligare pro foro interno, & externo. Similiter docet idem Sanchez *n.* 7. non ſuſpendere conſenſum, nec contractum, ſi apponatur conditio de futuro contingenti ſecundùm naturam; per accidens verò ex ſuppoſitione neceſſaria, vt, Contraho tecum ſi Antichriſtus venerit. Ratio eſt, quia contrahentes tam neceſſariam eſſe iudicant hanc conditionem, ſi Antichriſtus venerit ſuppoſito ſacræ Scripturæ teſtimonio ac ſolem cras oriturum; vnde ſicut hæc eſt iam præſens in ſua cauſa proxima, ita illa in præſentia diuina eſt tota contrahentibus ex Scriptura ſacra; ergo æquè in neutro euentu videntur conſenſum ſuſpendere.

Baſilius Ponce *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 12. ſentit, ſi quis ita con- 4
trahat, Ego tecum contraho, ſi ſol cras oriatur, contractum eſſe purum, & abſolutum; ſuſpendi verò non conditione, ſed mora tẽporis; & tunc eſſe huius conditionis ſenſum, vt nimirum obligatio ab eo tempore

iam

iam ſit, ſuſpenſa tamen vſque ad dié craſtinum. Contractui enim, & obligationi puræ non tepugnat ſuſpendi morâ, ſed ſuſpendi conditione. Conditio enim ponir in incerto, atque ideo non eſt obligatio contractus ante euentum conditionis. Ptobat ſuam ſententiam à ſimili. Nam ſi quis dicat, Contraho tecum ſi morieris, purũ contractum efficit, nec cõditione ſuſpendirur, ſed morâ, nimirum tempore mortis. Debetur enim contractus matrimonij, vnde non poteſt eſſe ſub conditione, quæ ponir in incerto, vtrum res debeatur, an non, dcbetur tamen tempore mortis, non antè. Is enim ſenſus eſt illius conditionis, Contraham tecum cùm egeris animam, apponendo diem mortis tanquam tempus deſtinatum.

De altera verò conditione, Contraho tecum, ſi Antichriſtus veniet, vel naſcetur, cenſet *n.* 14. cum Couarruuia, Enriquez, & aliis non eſſe purum contractum, ſed verè conditionalem. Probat, quia licèt certũ ſit Antichriſtum venturum, vel naſciturum; at incertum eſt quo tempote, & die; & poteſt contingete vt non naſcatur viuo eo, cum quo contrahitur: ergo habet effectum ſuſpendendi omnem obligationem, & contractum. Quod enim in incerto ponit, non poteſt non eſſe conditio ſuſpendens.

Vt res hæc radicitus intelligatur, obſeruandnm eſt
5 *primò*, in his quæ per naturam neceſſaria ſunt, & futura ſunt, duplicem apponi poſſe conditionem. *Primò* enim poteſt poni omnino neceſſaria, & certò futura conditio, ita vt res ipſa ſit certa, & dies quoque ac tempus ſit certum. Vt ſi quis dicat, Contraho tecum ſi cras ſol oriatur; adhibet conditionem omnino certam: uam & certum eſt futurum ottum Solis, & craſtina die naſciturum. Quamuis enim incertum ſit, an ſir naſciturus ſol craſtinà die viuente eo cum quo contrahitur, quia poteſt mori hodie ante diem craſtinum; tamen viuente ipſo, eſt certus craſtinâ die ortus Solis, nec poreſt id à cauſis naturalibus impediri. *Secundò* poteſt apponi conditio circa rem ipſam in ſe certam, ex aliqua tamen parte incertam, quoad diem, & rempus. Vt ſi quis dicat, Contraho tecum ſi Antichriſtus naſcetut; ponit conditionem certam quoad rem ipſam: nam certum eſt ex Scripturæ ſactæ teſtimonio Antichriſtum futurum, & naſciturum; eſt tamen incertum quo tempore, & quo dic ſit naſciturus; nam eſt incertum, an ſit naſciturus viuente eo cum quo conttahitur, vel mortuo. Poteſt enim contingere vt non naſcarur viuente eo cum quo contrahitur, & ita conditio illa ponir in incerto. Similis eſt tlla alia conditio: Contraho tecum ſi pater motiatur; licèt enim certum ſit patrem moriturum, incertum tamen eſt tempus, & dies, & poteſt contingere vt is cum quo contrahitur, decedat viuente patre.

Præterea obſeruandum eſt, iuxta iuris diſpoſitio-
6 nem, & rectam ex natura rei rationem, niſi ex mente, & intentione contrahentium aliunde aliud conſter, nõ eodem modo loquendum eſſe in his omnibus conditionibus. Nam quando res certa eſt, & dies, ac tempus quoque certũ, ita vt nullo modo res, nec ex ſe ipſa, nec ſecundùm ordinarias naturæ leges ſit impedibilis, tunc propriè illa conditio non eſt verè & propriè conditio, nec vim habere poteſt conditionis, neque effectum ſuſpendendi contractum, vel obligationem. Hac enim de cauſa, quæ ſunt præſentia, & præterita, nequeunt ſuſpendere, nec vim veræ conditionis habere, quia hæc iam in nullo cauſarum concurſu impediri poſſunt, cùm facta infecta eſſe non poſſint. Quando verò res eſt certa, & tépus, ac dies incertus, non cenſerur conditio neceſſaria, ſed contingens, quia impediri poteſt, & ideo incerta, & ita habet effectum ſuſpendendi contractum, vel obligationé. Quod enim in incerto ré ponit, non poteſt non eſſe conditio ſuſpendés. Sic liquer manifeſtè exemplo ſumpto ex legato relicto: ſi enim quis relinquat legatum Petro, ſi Francíſcus moriatur; prædicta conditio propriè vim habet conditionis ſuſpenſiuæ, vnde non debetur legatũ, niſi Franciſcus moriatur, & ſi Petrus legatarius decedat ante Franciſci mortem, non debetur legatum, quia poteſt viuo legatario non venire ea conditio, vt probat textus *l.* 1. *§.* 1. *D. de condition. & demonſtrat.* Idé dico, ſi contrahatur matrimonium ſub hac conditione, ſi pater moriatur, ſuſpendi conſenſum, & contractũ matrimonij conditionalé eſſe, quia poteſt contingere vt is cũ quo contrahitur, decedat, viuo patre, vnde appoſita eſt vera, & propria conditio ſuſpendens. His præmiſſis,

Dico *primò*, ſi contrahens, cùm dicit, Conttaho te- 7
cum ſi ſol cras oriatur, intendat nou dare conſenſum niſi adimpletâ ea conditione, contractũ ſuſpendi verè vſque ad exiſtentiam conditionis. Hoc videtur certum apud omnes. Ratio eſt, quia conſenſus eam ſolùm vim habet, quam contrahens intendit, vt liquer; ergo ſi intendat eo vſque non conſentire, ſuſpendet conſenſum, & contractum. Vnde ea conditio tunc haberet propriè rationem veræ conditionis ſuſpendentis cõtractum, & obligationé, nec erit contractus quoùſque ponatur conditio; quia valor conſenſus, & matrimonij contractus pendet ex intentione contrahentiũ. Idem dicendum de aliis conditionibus, Contraho tecũ ſi pater moriatut, vel ſi Antichriſtus naſcatur, ſi contrahentes velint ſuſpendere ſuum conſenſum.

Vnde colligo, quãdo certũ eſt, qua intentione cõ- 8
trahentes conditioné illam adiecerint, huic eſſe ſtandum. Quando verò id non ita liquer, hoc ſpectandũ eſt, ac dignoſcendũ ex verbis ipſotum, & fine ob qué eá conditioné adiecerint. In dubio verò cõmunis ſenſus, & intentio contrahentium hoc modo, ſpectanda eſt, & colligenda iuxta ſequentia tria dicta.

Dico ergo *ſecundo*, ſi quis ita contrahat, Ego tecum 9
contraho, ſi ſol cras otiatur, niſi aliud conſtet de mente contrahentiũ, non ſuſpendi conſenſum eâ códitione, ſed fieti contractũ abſolutum, & purum. Ita ſentio cum communi doctrina, quã ſequuntur Sanchez, & Baſilius *citati*. Ratio eſt optima adbibita à Sanchex, quia illa conditio cùm ſir præſens, & determinata in ſua cauſa, & ſit omnino neceſſaria, naturaliter loquendo, iam cenſetur impleta in ſua cauſa: ergo nequit eſſe ſuſpenſiua cõtractus, ſed oſtériua certitudinis illius.

Dico *tertiò*, aliquãdo poſſe appooi in contractu eá 10
conditionem, ſi ſol eras naſcatut, vt obligatio contractus ſuſpendatur, non vera conditione, ſed mora, & temporis præſioitione vſque in diem craſtinũ. Id rectè notauit Baſilius Ponce, nec Sanchex negauit. Ratio eſt, quia non repugnat contractui abſoluto, & puræ obligationi, ſuſpendi morâ, ſed ſolùm ſuſpendi verâ conditione Nam quod eſt certum, vt verè eſt, ſolem naſciturum craſtinâ die, non eſt ſub conditione; neque enim conditio ponit in incerto; ac proinde non ſuſpendit conſenſum, nec contractum, nec obligationem quæ ab eo tempore iam eſt; poteſt tamen ea obligatio eſſe ſuſpenſa vſque in diem craſtinum tanquam morâ, & temporis præfinitione adiectâ. Quod clarè illuſtratur exemplo legati. Si enim quis ſic legaret: Lego tibi centum ſi morieris; putum quidem legatum efficeret, nec conditiooe ſuſpenditur, ſed morâ, vt ait Papinianus *l. hæres meus* 78. *de condit. & demonſtrat.* Quamuis enim incertum ſit, quo die ſit moriturus, quia tamen non poteſt dies mortis nõ venire, & qui de viuo legatario, cùm certũ ſit viuenti debitum iri, non poteſt eſſe ſub conditione, quæ ponit in incerto, vtrùm tes dcbeatur, an non.

Vnde debetur legatum, tempore tamen mortis, non antè. Quare ſenſus illius conditionis, ſi morieris, non eſt, ſi mortuus fueris, eſſet enim impoſſibilis conditio, & haberetur pro non adiecta, ſed refertur in diem mortis, tanquam in tempus præfixum, cùm nimirùm agit animam. Idem dic de eo, qui ſic contraheret, Contraho tecum, ſi morieris, purus contractus eſt matrimonij, tempore tamen mortis, ſeu animam agentis, non antè, vt ſuprà dictum eſt *num.* 4. Dixi id Sanchez non negare, nam *diſp.* 2. citatâ, *n.* 6. expreſsè docet ſæpè apponi prædictam conditionem neceſſariam, ſi cras ſol oriatur, non tanquam conditionem, ſed tanquam temporis præfinitionem.

11 Dico *vltimo*, ſi quis dicat, Contraho tecum ſi Antichriſtus naſcetur, non efficere contractum purum, ſed verè conditionalem. Hoc dictum eſt Baſilij Ponce, quod mihi placet, & iuxta doctrinam traditam *n.* 5. *&* 6. videtur manifeſtum. Quia ea conditio eſt incerta, & contingens; poteſt enim contingere, vt naſcatur, vel non naſcatur Antichriſtus viuente eo cum quo contrahitur. At conditio quæ ponit rem in incerto, habet effectum ſuſpendendi conſenſum, contractum, & obligationem, vt dixi, & oſtendi varijs exemplis.

12 Argumentum Sanchez contra hoc dictum, propoſitum ſuprà *n.* 3. facile ſoluitur. Nam licèt contrahentes quoad rem ipſam æquè iudicent neceſſarium, Antichriſtum naſciturum, non ſecus ac ſolem craſtino die oriturum; tamen quoad tempus & diem non eſt æquè certum. nam, vt notaui ſuprà *n.* 3. in priori conditione ſi Antichriſtus naſcetur, eſt incertum quo tempore, & quo die ſit naſciturus, & an ſit naſciturus viuente eo cum quo contrahitur, vel mortuo; & ideò conditio illa ponit in incerto, & conſequenter eſt conditio ſuſpendens conſenſum, & cõtractum. At in poſteriori conditione, ſi ſol cras oriatur, certus eſt ortus Solis, viuente eo cum quo contrahitur, & ideò nequit habere vim conditionis ſuſpendentis conſenſum, contractum, vel obligationem.

Sectio III.

An conditio impoſſibilis vitiet matrimonij contractum, vel potiùs tanquam non adiecta habenda ſit?

1 VT præſens cõtrouerſia exactè pertractetur, obſeruandum eſt *primò* multiplicem eſſe conditionem impoſſibilem. Quædam enim eſt per naturam impoſſibilis, vt ſi quis dicat, Contraho tecum ſi cœlum digito tetigeris. Quædam iure impoſſibilis, quãdo videlicet ius oppoſitum iubet, vt, Contraho tecum ſi licet inter conſanguineos contrahere. Quædam eſt facto ipſo impoſſibilis: vt ſi quis pauperi dicat, Contraho tecum ſi centum mille aureos in dotem dederis. Quædam eſt naturâ ſuâ poſſibilis, at ex accidenti, vel lapſu temporis eſt impoſſibilis: vt, Contraho tecum ſi es virgo. Quæ conditio impoſſibilis eſt, ex accidenti; nam ſi iam deflorata eſt ex accidenti, virgo eſſe non poteſt; ad præteritum enim non eſt potentia. Quædam denique ſunt conditiones impoſſibiles contra ſubſtantiam matrimonij, vt, Contraho tecum ſi veneris ad exequias meas, quod eſt idẽ, ac poſt obitum meum. Similiter, Contraho tecum ſi Angelus fueris, conditio eſt eius ſubſtantiæ contraria.

2 *Secundo* eſt obſeruandum, conditiones impoſſibiles poſſe apprehendi à contrahẽtibus vt tales; poſſe etiam reputari poſſibiles & contingentes, adeò vt in eorum animis & apprehenſione eandem vim habeant, ac ſi verè eſſent poſſibiles.

3 *Tertiò* nota, præſentem controuerſiam exagitari non ſolùm attendendo ad ius naturale contractus matrimonij, ſed etiam ad diſpoſitionem iuris Canonici. Nam *in cap. fin de conditionibus appoſitis*, diſpoſuit Gregorius IX ſic. Aliæ conditiones appoſitæ in matrimonio, ſi impoſſibiles fuerint, debeant propter eius fauorem pro non adiectis haberi. Cuius decreti intelligentia valde difficilis eſt explicatu apud Doctores, propter varias interpretationes ab ipſis aſſignatas.

His præmiſſis, ad quinque præcipua capita reducuntur omnia, quæ ad præſentem controuerſiam explicandam ſpectare videntur. *Primum*, quid circa conditiones impoſſibiles in genere ſit dicendum, attendẽdo ad ſolum ius naturale. *Secundum*, an prædicta diſpoſitio Gregorij IX. ſit ſolùm explicatio iuris naturalis, an potiùs nouũ ius, & noua diſpoſitio, & quænam illa ſit in fauorem matrimonij. *Tertium*, an prædictum ius, & noua Eccleſiæ diſpoſitio locum habeat, etiamſi ignoretur à contrahentibus. *Quartum*, an nomine conditionis impoſſibilis intelligatur ſolùm conditio impoſſibilis de futuro, an etiam impoſſibilis de præſenti, aut præterito. *Quintum* denique, quid de ſingulis conditionibus in ſpecie ſit dicendum, inſpectata iuris prædicti Pontificij diſpoſitione.

Circa primum, ſi attendamus tantùm ius naturale,

4 Dico *primò* tam contractum matrimonij, quàm quemuis alium, aut diſpoſitionem, aut teſtamentum celebrari poſſe ex natura rei ſub conditione impoſſibili; & ea non impletâ non habere vim contractus, neque eſſe diſpoſitionem, neque vltimam voluntatem. Ita communiter Doctores. Et ratio eſt euidens, quia quæuis diſpoſitio, qua quis gratuitò, vel onerosè quidpiam confert, vt vim habeat, ſtando in ſolo iure naturali dependet à libera voluntate ita diſponente, ſine cuius conſenſu nequit ſubſiſtere diſpoſitio, vel contractus vllus: ergo ſi diſponit ſub conditione, quã impoſſibilem cognoſcit, neque vult vt aliter diſpoſitio vim habeat, niſi dependenter ab exiſtentia talis conditionis, non aliter vim habebit contractus, aut diſpoſitio, quàm impleta eâ conditione, atque adeò ſi quis apponat conditionem impoſſibilem, explicans ſe nolle aliter contrahere, vel diſponere; vel, etiamſi non explicet, eius tamen conſenſus ab ea conditione dependet, nullus eſt omnino contractus, ſiue diſpoſitio, quæcumque illa ſit.

5 Dico *ſecundo*, ſi conditio impoſſibilis ſeriò apponatur, ita vt eâ non impletâ, contractus matrimonij inualidus ſit, iure naturali ita inualidus in foro conſcientiæ redditur, vt nullo iure Eccleſiaſtico validus effici queat. Hoc etiam eſt certum, quia ſi quis non conſentiat, niſi ſub conditione impoſſibili, reuera non conſentit. At deficiente vero conſenſu nulla humanâ poteſtate etiã Eccleſiæ, matrimonium fieri poteſt, vt oſtendi ſuprà *diſp.* 14. *ſect.* 6.

6 Vnde dico *tertiò*, ſi vterque, vel alter contrahentium appoſitâ conditione impoſſibili, declaret nolle ſe contrahere, niſi in conditionis euentu; tunc tam quoad Deum, quàm quoad Eccleſiam inualidum eſt matrimonium. Patet, quia quoties Eccleſiæ conſtat de tali intentione contrahentium ſub conditione impoſſibili, ſimul ei conſtat matrimonium validum non eſſe; nec tunc datur locus ad præſumendam contrariam voluntatem, niſi fortè aliud pactum interueniat, quo à conditione illa receſſiſſe præſumatur: ergo non poteſt iudicare validum eſſe matrimonium, alioquin eſſet error intolerabilis.

7 Dico *vltimò*, conditionem impoſſibilem non tollere

lere validitatem matrimonij tam in conſcientiæ foro, quàm externo, ſi modò aliunde conſtet acceſſiſſe conſenſum abſolutum, eumque expreſſum. Patet, quia iure naturali deſiderabatur conſenſus expreſſus ad validitatem matrimonij; ergo abſoluto conſenſu expreſſo accedente, iam non impeditur matrimonium ex defectu conſenſus per conditiones impoſſibiles, quæ iure naturæ nec ſunt circumſtantiæ naturales talis contractus, vt conſtat; nec ſunt impedimenta iuridica; imò, vt videbimus, iure etiam canonico huiuſmodi conditiones habentur prò non adiectis; ergo.

8 Circa ſecundum, noſter Rebellus *lib.1.q.10.ſect.4. n.27.* exiſtimat Gregorium eo cap. finali de conditionibus appoſitis, nullum ius nouum ſtatuiſſe, ſed id declaraſſe, quod ſecluſo omni iure poſitiuo erat, ſemperque idem erit ſeruandum. Idem ſentit Baſilius Ponce *lib.3. cap.4. num.10.* dicens eam conſtitutionem Pontificis in dicto capite non eſſe nouam conſtitutionem. Probant

Primò, quia non dicit, ſtatuimus, aut decernimus, vt conditiones impoſſibiles in poſterum pro non adiectis habeantur; ſed tantùm dicit, debeant pro non adiectis haberi; ipſa videlicet natura contractus ſpectata.

Secundò, ſi denuò ſtatueret Pontifex, vt quando adhiberentur conditiones impoſſibiles, matrimonia haberentur valida, quæ alioquin ſpectata rei natura, & conditionato conſenſu, quem Papa ſupplere non poteſt, haberentur inualida, iniquum conderet ſtatum, præberetque occaſionem ſic contrahentibus accedendi ad non ſuas vxores, cùm reuera tales non ſint, ſi conſenſus non ſit purus, ſed conditionatus, vt regulariter contingere poteſt propter ignorantiam præfati iuris. Simulque præberet occaſionē iudicibus judicandi contra iuſtitiam, ſi ſemper deberent ferre ſententiam, iuxta præfatam deciſionem Gregorij.

9 Cenſeo oppoſitum, nempe Gregorium IX. in dicto cap finali nouum ius ſtatuiſſe in fauorem matrimonij, quod minimè ſtatuit io fauorem aliorum contractuum, vt eruditè defendit noſter Sanchez *lib.5. diſp.3. à num.8. vſque ad finem.* Idem ſentiunt Leſſius *lib.2. de iuſtitia cap.18. dubit.15. num.122.* Coninch *diſput.29. dub.3. num.42.* & alij. Iuxta quam ſententiam,

10 Dico *primò*, in dicto cap. finali ſtatui de nouo in fauorem matrimonij, conditionem impoſſibilem adiectam matrimonij contractui eſſe habendam por noo adiecta, ita vt nihil penitus operetur, & conſequenter ea non obſtante cenſeri conſenſum matrimonij abſolutum, & purum. Patet, quia conditio impoſſibilis, ex natura ſua, & attento frequenti vſu & modo loquendi, importat diſſenſum potius quàm conſenſum; dum enim petita negare volumus, dicere ſolemus: Dabo tibi, ſi cœlum digito tetigeris. Vnde cæteri contractus initi ſub conditione impoſſibili inualidi ſunt etiam in foro exteino, quia talis conditio index eſt, & præſumptio ſufficiens diſſenſus, vt habetur *l. non ſolum 30. ff. de action. & oblig.* Vbi ratio quæ redditur, cur omnes contractus ſub conditione impoſſibili geſti minimè valeant, hæc eſt, quia in ea re quæ ex duorum, pluriumve conſenſu agitur, omnium voluntas ſpectatur, quorum proculdubio in huiuſmodi actu, talis cogitatio eſt, vt nihil agi exiſtiment, appoſita ea conditione, qua ſciant eſſe impoſſibilem. Vbi manifeſtum eſt adiectionem conditionis impoſſibilis in aliis contractibus eſſe indubitatum diſſenſus ſignum. At pro matrimonij contractu in dicto cap. finali ſtatutum eſt ab Eccleſia, vel Papa in fauorem matrimonij, vt conditio impoſſibilis, quæ aliàs relicta ſuæ naturæ & communi vſui vitiaret, ac irritaret talem contractum, illum non irritet, debeatque haberi pro non adiecta, ita vt nihil penitus operetur. Igitur euidens eſt aliquid noui fauoris ſtatui in eo capite reſpectu contractus matrimonij, nempe eſſe habendam conditionem impoſſibilem pro non adiecta. Firmatur; nam potuit ius in cæteris contractibus diſponere, vt conditio impoſſibilis haberetur pro non adiecta, & ſi id diſponeret, valeret contractus initus ſub tali conditiooe, ſaltem à ſcientibus talem conditionem eſſe impoſſibilem, & reiici à iure. Cumque id non ſtatuerit, cæteri contractus corruunt, ſi ſub conditione impoſſibili celebrentur. At de contractu matrimonij hoc ſpeciale ſtatutum eſt ab Eccleſia, vt ab eo impoſſibilis conditio reiiciatur, & tanquam non adiecta habeatur; ergo matrimonij contractus ex ſtatuto Eccleſiæ, hunc habet ſpecialem & proprium fauorem.

Dico *ſecundò*, in prædicto contractus matrimonij 11
fauore, Eccleſiam non ſupplere defectum conſenſus, ſed præſumere, ac declarare fuiſſe obſolutum, & purum conſenſum independenter ab ea impoſſibili conditione appoſita *Prima pars* eſt certa, quia matrimonij contractus ſolo contrahentium conſenſu perficitur; hunc verò conſenſum nequit ſupplere Eccleſia, nec vllum ius, vt conſtat ex *diſp.14. ſect.6. num.3* Vnde licèt in cæteris contractibus poſſit ius ſupplere conſenſum, ſed non in matrimonio, vt ibi explicui. *Secunda pars* liquet; nam cùm iam Eccleſia ſtatuerit in prædicto cap. finali, vt conditio impoſſibilis habeatur pro non adiecta, & nihil penitus operante, & ideò declaret conſenſum contrahentium eſſe abſolutum & purum, & non conditionalem; conſequenter valde prudenter præſumit, ea cognitione ſtante in contrahentibus, ſi volunt inire matrimonium, tametſi apponant eam conditionem impoſſibilem, illam non ſeriò, ſed iocosè addere, & velle vt ex parte rei babeatur pro non adiecta, ſicut ſciunt illam à iure haberi, & conſequenter præſciuit Eccleſia contrahentes contrahere iuxta mentem Eccleſiæ. Huius autem prudentis præſumptionis magna, & grauis coniectura hæc eſt, quia quando contrarium ex aliqua ratione prudenti non conſtat, præſumit Eccleſia contrahentes in re adeò graui & ſancta nolle nugari, & ſuum actum irritum reddere, aut velle peccatum committere; & conſequenter præſumit habuiſſe contrahentes verum conſenſum abſolutum independenter à conditione impoſſibili. Vnde quando aliunde non conſtat, contrahentes ſeriò appoſuiſſe conditionem impoſſibilem, reiicietur ab Eccleſia, & cogentur ab ipſa procedere vt coniuges, ſi alteruter ad ipſam recurrat, & tunc ipſi, vt in hoc licitè procedant, tenebuntur verè contrahere, quod non impediet Eccleſia. Quòd ſi ex aliqua prudenti coniectura conſtet conditionem impoſſibilem fuiſſe ſeriò appoſitam, non reiicietur ab Eccleſia. Id autem poterit prudenter coniici, ſi contrahentes, quando contrahunt, clarè exprimant ſeriò, & non iocosè appoſuiſſe eam conditionem impoſſibilem, ex eo maximè quòd ſit inter ipſos magna diſparitas. Tunc ergo ea conditio habenda eſt pro adiecta, & conſequenter nullum erit matrimonium, quia conditio, vtpote impoſſibilis, adimpleri non poteſt.

Dico *tertiò*, in dubio, an conditio impoſſibilis fue- 12
rit ſeriò appoſita, an verò iocosè, tunc præſumitur in foro exteriori fuiſſe iocosè appoſitam, & præſumit Eccleſia verba contrahentium accipi debere in ſenſu abſoluto, perinde ac ſi conditio appoſita non eſſet, ita vt conditio nihil penitus operetur. Ita notauit Sanchez *diſput.3. num.15.* Coninch *diſp.29. dub.3. num.42.*

n. 42. Gaſpar Hurtado *diſp.* 7. *difficult.* 10. *n.* 43. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 15. *n.* 122. & alij. Probant Sanchez, & Leſſius id Eccleſiam præſumere ad euitandum animæ periculum, ne videlicet contrahentes ſeparati, & aliis iuncti, in adulterio viuant, ſi à parte rei prior contractus validus fuit. Non placet ratio, nam etiam è contrario, ſi prior contractus à parte rei non fuit validus, exponunt ſe periculo cohabitandi, & accedendi ad non coniugem. Quare ſicut in boc euêtu excuſaret à peccato bona fides, ita & in priori. Ratio ergo à priori noſtri dicti eſt diſpoſitio iuris *in cap. fin. de ſent. & re indicata*, vbi in fauorem matrimonij, in dubio ſemper pro eius valore iudicandum eſſe decernitur. Et fauet ratio, quia nemo præſumitur, niſi de contrario conſtet, cùm contrahit matrimonium, aut velle peccare, aut in re adeò graui, ac ſancta velle nugari, ac ſuum actum reddere irritum. Vnde cùm id Eccleſia noo præſumat, rectè arbitratur in dubio eam cooditionem impoſſibilem baberi pro oon adiecta, & cenſeri purum matrimonium.

13 Dico *quartò*, etiam in foro interiori conſcientiæ, dum contrahentes incerti ſunt ac dubij, an conditio impoſſibilis fuerit ſeriò, vel iocosè appoſita, ſtandum pro matrimonio, & iudicandum de illa ac ſi non fuiſſet appoſita. Ita Sanchez *citatus*, cum aliis *n.* 2. Contrarium tenet Gaſpar Hurtado *difficult.* 10. relatâ *n* 43. dicens in eo foro conſcientiæ procedendum eſſe ac ſi fuerit conditio impoſſibilis ſeriò appoſita, & ac ſi matrimonium fuerit nullum; & conſequenter non poſſunt coniuges procedere, ne ſe exponant periculo accedendi ad non coniugem, niſi priùs contrahant ſub condirione, nempe ſi matrimonium ſub conditione impoſſibili antea celebratum, non fuit validum. Cæterùm noſtrum dictum probatur, quia in prædicto dubio iudicat Eccleſia in foro externo eſſe matrimonium, vt vidimus: ergo idem iudicandum eſt in foro interno. Patet conſequentia, quia idem in vtroque foro ſeruandum eſt, vbi forum externum non innititur falſæ præſumptioni, nec proceditur ex falſa præſumptione, ſed veritas cognita eſt, vt contingit in præſenti. Quare ſicut de Baptiſmo, & cæteris Sacramentis, dum ea recipiens non eſt certus de contraria intentione, iudicandum eſt in vtroque foro, iuxta intentionem Eccleſiæ recepiſſe, ac proinde valida eſſe, ſic de matrimonio idem iudicium ferendum eſt in vtroquo foro.

Ad argumenta oppoſita.

14 Ad primum dico illis verbis ſufficientet declarari eſſe nouam conſtitutionem, cùm decernat ius conditiones impoſſibiles in matrimonio debere propter eius fauorem pro noo adiectis haberi. Vbi notanda eſt particula illa, *propter eius fauorem*; non enim dixit debere baberi pro non adiectis, ſpectatâ ipsâ naturâ cõtractus, ſed propter eius fauorem. Quibus verbis manifeſtè oſtendit Pontifex fuiſſe peculiarem fauorem matrimonij nõ communem aliis contractibus prædictam conſtitutionem, atque adeò non ex natura contractus, ſed ex noua diſpoſitione Eccleſiæ ſtatutam.

Ad ſecundum negatur antecedens; nullum enim
15 ſequitur inconueniens; nam ſi conſtet contrahentes ſeriò appoſuiſſe conditionem impoſſibilem, ita vt noluerint cõtrahere niſi depẽdenter ab exiſtentia illius, tunc ipſa Eccleſia non reiicit conditiones, & decernit nullum eſſe matrimonium ex defectu conſenſus, quia conditio adimpleri non poteſt. Si verò conſtat contrahentes non habuiſſe contrarium diſſenſum ob eam conditionem, declarat fuiſſe conſenſum abſolutum & purum; & io dubio de intentione talis conditionis præſumit in fauorem matrimonij, & decernit fuiſſe puram & abſolutam. Quod ergo damoum, vel periculum animæ, vel quæ iniuſtitia inde oriri, vel timeri poteſt, ſatis eſt explicatum.

Circa tertium, ſentit Sanchez cum aliis, quos ipſe 16
refert *lib.* 5. *diſp.* 3. *n.* 11. 12. 13. & 14. vt conditio impoſſibilis babeatur pro oon adiecta, exigi vt contrahentes conſcij ſint conſtitutionis nouæ dicti capitis finalis, ſtatuentis eam conditionem habendam pro non adiecta. Probat, quia conditio impoſſibilis, ex natura ſua, importat diſſenſum, & etiam attento frequenti loquendi modo; ſolùm ergo nouâ Eccleſiæ conditione ac peculiari ſtatuto in dicto *cap. finali*, in fauorem contractus matrimonij decretum eſt vt habeatur in illo pro noo adiecta, & cenſeatur purus contractus: ergo vt contrahentes matrimonium ſub ea conditione impoſſibili habeant eam in vtroque foro pro non adiecta, & cenſeantur purè contraxiſſe, neceſſarium eſt vt huius conſtitutionis conſcij ſint. Nam conſtitutio non obligat ignorantes, *cap.* 2. *de conſtitutionibus*. Ex alio capite cùm conditio impoſſibilis ex ſe diſſenſum explicet; ſi contrahentes ignorant ius ſtatuens haberi pro non adiecta, ex parte illorum non erit conſenſus, ſed diſſenſus. Idem ſentit Leſſius *lib.* 2. *cap.* 18. *dubit.* 15 *n.* 122. ſic dicens, quando vterque contrahentium ſcit conditionem eſſe impoſſibilem, & iure ſtaturum eſſe, vt habeantur pro non adiecta, contractum matrimonij non reddere irritum. Quia eâ cognitione ſtante, ſi volunt contrahere, additâ tali conditione, præſumuntur illam ioco addere, & velle, vt ex parte rei habeatur pro non adiecta, ſicut ſciunt illam à iure haberi. addit Sanchez *n.* 12. & quidem conſequenter, non ſufficere ſi alter ex contrahentibus nouerit ius ſtatuens haberi pro non adiecta conditionem impoſſibilem, ſed oportere vt id notum ſit ambobus contrahentibus. Quia cùm matrimonium conſtet ex vtriuſque conſenſu, & conditio impoſſibilis ex ſe diſſenſum explicet, ſi alter contrahens ignoret ius ſtatuens haberi pro non adiecta, ex parte illius non erit conſenſus, ſed diſſenſus. Ex quo infert, moraliter loquendo, nunquam euenturum caſum, in quo iudicandum ſit etiam in foro externo matrimonium, contractum ſub conditione impoſſibili: quia cùm requiratur vt ſit hoc ius vtrique cognitum, nunquam illud notum erit ſaltem fœminæ contrahenti.

Dico *primò*, tunc maximè conditionem impoſſibi- 17
lem additam matrimonij contractui habendam pro non adiecta, quando contrahentes norunt dictam iuris diſpoſitionem dicti cap. finalis. Patet, quia tunc ſecundùm eam diſpoſitionem cenſentur velle contrahere; niſi de contrario expreſsè conſtet. Nam, vt iam dictum eſt, ſi contrahentes verè intendant nullo modo contrahere niſi eâ poſitâ conditione, manifeſtum eſt, nunquam contrahere matrimonium. Quia matrimonij contractus nullo modo poteſt ſubſiſtere ſine conſenſu contrahentium, qui conditione non poſitâ omnino deficit, & cùm ſit impoſſibilis, nunquam ipſa ponitur. Veruntamen, quando id non conſtat, & ſciũr diſpoſitionem iuris io fauorem matrimonij, præſumendom eſt prudenti iudicio eam conditionem ſolùm ioco adieciſſe, & ſecundùm eam diſpoſitionem contraherè voluiſſe.

Dico *ſecundò*, conditionem impoſſibilem etiam
habendam eſſe pro non adiecta, in contractu matri- 18
monij, quando oppoſitum non conſtat, tametſi contrahentes ignorent dictam iuris diſpoſitionem. Ita tenent multi graues Doctores, inter quos Rebellus *dictâ q.* 10. *sect.* 4. *n.* 26. Baſilius *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 8. Gaſpar Hurtado *diſp.* 7. *difficult.* 10. *n.* 42. & alij. Probatur *primò*, quia in hoc euentu eadem eſt etiam cõuenientia, & ratio id præſumendi, quia niſi de contrario

trario expreſsè conſtet, præſumit Eccleſia contrahentes in re adeò graui & ſanctà nolle nugari, & ſuum actum irritum reddere. *Secundò*, quia omnes fideles contrahere debent iuxta intentionem Eccleſiæ: ergo id credendum eſt facere contrahentes ignotâtes illud ius, & conſequenter eam conditionem habendam eſſe tanquam non adiectam, cùm ipſa Eccleſia id decreuerit. Nec valet obiectio adhibita à Rebello non omnes de facto contrahere iuxta intentionem Eccleſiæ, cùm eas quas volunt conditiones apponant interdum contra intentionem Eccleſiæ, imò etiam contra legem diuinam, vt patet, cùm apponunt conditiones turpes, vel contra ſubſtantiam matrimonij. Non, inquam, valet, quia iam dictum eſt, ſi conſtet expreſsè non contrahere iuxta intentionem Eccleſiæ, & apponere ſeriò illam conditionem impoſſibilem, ita vt noluerint contrahere niſi dependenter ab exiſtentia illius, tunc certum eſſe nullum eſſe matrimonium ex defectu conſenſus. Cæterùm quando id non conſtat, credendum eſt contrahere iuxta intentionem Eccleſiæ, & ſaltem implicitè intendere facere quod Eccleſia vera facit, ſiue quod Chriſtus inſtituit. Cùm enim contrahant matrimonium quod eſt Sacramentum, vt miniſtri Chriſti; neceſſe eſt vt eam habeant intentionem. Nemo enim agit vt miniſter alterius, niſi intendat agere quod alter inſtituit, & quidem eâ ratione, qua fieri inſtituit. Hinc patet ſolutio ad argumentum Sanchez: nam licèt ignoretur ea Eccleſiæ conſtitutio in fauorem matrimonij, vt nimirum habeatur conditio impoſſibilis pro non adiecta; cæterùm cùm verè fiat matrimonij contractus iuxta intentionem Eccleſiæ, ſequitur eam conditionem habendam eſſe à contrahentibus tanquam non adiectam, niſi de contrario expreſsè conſtet. Vnde ea conſtitutio obligat quoque ignorantes, quatenus hi etiam tenentur contrahere iuxta mentem & intentionem Eccleſiæ. Addo etiam aliam rationem, nam ſi intelligeretur contrahentes apponere cōditionem impoſſibilem, non iocosè, ſed ſeriò, verè non contraherent matrimonium, vt eſt manifeſtum: ergo ſi ex ſufficientibus aliis indiciis conuincatur illos per iocum appoſuiſſe conditionem illam, parum refert, an ſcientiam, vel ignorantiam habuerint eius conſtitutionis.

19 Circa quartum, Baſilius de Leon ſecutus Petrum de Ledeſma *de matr. q. 47. art. 5. dub. 1. 5. hoc poſito fundamento*, nomine impoſſibilis conditionis in illo iure non intelligit conditionem impoſſibilem de præſenti, aut præterito, vt cùm dicitur, Contraho tecum, ſi cœlum digito tangis, aut tetigiſti, ſed tantùm impoſſibilem de futuro, vt, Contraho tecum ſi cœlum digito tetigeris. Probari poteſt

Primò, quia ſola conditio impoſſibilis de futuro poteſt apponi in matrimonio vt modus & pactum, non verò ea quæ eſt impoſſibilis de præſenti, aut præterito.

Secundò, in dicto cap. finali, loquitur ius de conditionibus impoſſibilibus: ergo intelligi debet de propriè conditionibus; nam verba iuris ſunt propriè intelligenda: ſed conditiones de præterito, aut de præſenti non ſunt propriè conditiones, quia non ſuſpendunt quod eſt proprium conditionis: ergo ſolum intelligendum de propriè conditionibus, quando videlicet ſunt per verba de futuro.

Tertiò, eodem tenore decernit ibi Gregorius IX. reiiciendas eſſe à matrimonio conditiones impoſſibiles, & turpes; ſed hæ non reiiciuntur, quando ſunt de præterito, aut de præſenti, vt dicemus infrà: ergo.

Vltimò, eodem capite aſſerit Pontifex conditionem contrariam ſubſtantiæ matrimonij annullare illud; ſed non annullat, quando eſt de præterito, aut de præſenti, ſed tantùm quando eſt de futuro: ergo ſimiliter cùm decernit eſſe reiiciendas conditiones impoſſibiles, intelligit de conditionibus de futuro.

Verius iudico cum Sanchez & aliis quos ipſe refert *lib. 5. diſp. 4. n. 13.* prædictas conditiones, quamuis ſint de præterito, aut præſenti eſſe, quoque reiiciendas. Moueor, quia intentum Pontificis in dicto cap. finali, dum decernit conditiones impoſſibiles eſſe reiiciendas, non eſt id decernere, quia obligant ad aliquid impoſſibile, ſed quia omnino impoſſibiles ſunt. At tam impoſſibiles ſunt ſiue apponantur de præterito, præſenti, aut de futuro. Quare ſicut in conditionibus neceſſariis non eſt differentia, an apponantur de præſenti, præterito, aut futuro, quia ſemper ſunt neceſſariæ ac præſentes in ſuis cauſis; ita idem dicendum de conditionibus impoſſibilibus. 20

Hinc patet ſolutio ad argumenta oppoſita.

Ad primum, negatur antecedens, nam impoſſibilitas non minus extenditur ad conditiones de præſenti, aut de præterito, quàm ad conditiones de futuro. Pontifex autem vult in cap. illo finali, vt omnes illæ habeantur pro non adiectis, quia omnes illæ omnino impoſſibiles ſunt.

Ad ſecundum, dico, tametſi verum ſit conditiones de præſenti, aut præterito non eſſe propriè, & ſtrictè conditiones, cùm nequeant ſuſpendere contractum; at ius ipſum dum reiicit conditiones impoſſibiles, non attendit ad proprietatem conditionis quæ eſt ſuſpendere, ſed ad ipſam impoſſibilitatem, quæ æquè propriè reperitur in conditione impoſſibili de præterito, & præſenti.

Ad tertium, diuerſa eſt ratio de conditionibus turpibus, ac de impoſſibilibus: nam illæ reiiciuntur, quia incitant ad peccandum, & ad aliquid turpe faciendum inducunt; cumque hoc ſolum inueniatur in turpibus de futuro, ideò ſolùm turpes de futuro reiiciuntur. At impoſſibiles reiiciuntur præcisè, quia impoſſibiles ſunt, quæ impoſſibilitas æquè reperitur in conditione de præſenti, & de præterito.

Ad vltimum ſimiliter reſpondeo, aſſignando eandem diſparitatem; nam conditio contra ſubſtantiam matrimonij ideò annullat, quia eſt obligatoria ad implendum aliquid contra ſubſtantiam, vel contra matrimonij bona; quæ ratio ſolùm habet locum in conditione de futuro. At impoſſibilitas in vtraque conditione præterita, vel præſenti & futura, æquè reperitur.

Circa quintum & vltimum, diſcurramus oportet per varias, & multiplices conditiones attenta diſpoſitione iuris in dicto cap. finali. In quo pono ſolum eſſe ſermonem de conditionibus impoſſibilibus reputatis vt talibus. Nam conditio impoſſibilis reputata poſſibilis, non reiicitur à contractu matrimonij, vel ſponſalium, ſed ſuum ſortitur effectum vt ſupponunt communiter Doctores. Et ratio eſt, tum quia licèt conditio ſit impoſſibilis in ſe, ſi tamen à contrahentibus reputetur poſſibilis, & contingens, eandem vim habet in eorum animis, & apprehenſione, ac ſi verè eſſet poſſibilis & contingens; at ſi poſſibilis eſſet, non reiiceretur: ergo nec reiiceretur dum poſſibilis exiſtimatur. Tum etiam, quia in dicto cap. finali eodem modo loquitur ius de conditione turpi & de impoſſibili; at turpis reputata honeſta non reiicitur, ſed ſortitur naturam aliarum conditionum honeſtarum, vt implerâ conditione, & non aliter obligatio matrimonij conſurgat. Igitur idem dicendum eſt de conditione impoſſibili, reputatâ poſſibili. Tum denique, quia in eo euentu vitiatur contractus matrimonij ex defectu conſenſus. Cùm enim contrahentes crederent poſſe euenire conditionem, quam iudicant poſſibilem 21

eſſe,

eſſe, non videntur conſentire niſi in illius euentum, vt contingit in aliis conditionibus verè, & re ipſa poſſibilibus. Quo præmiſſo,

22 Dico *primò*, in dicto cap finali conditiones impoſſibiles per naturam reiici à matrimonio, & haberi tanquam non adiectas. Ita communiter Doctores. Et ratio eſt, quia dum in cap. finali deciditur conditiones impoſſibiles reiiciendas eſſe, vt ſuprà docuimus, intelligi debet præcipuè de conditionibus verè impoſſibilibus, quales ſunt naturâ impoſſibiles, vt eſt illa, Contraho tecum ſi cœlum digito tetigeris.

23 Dico *ſecundò*, de conditionibus iure impoſſibilibus, v.g. de hac conditione, Contraho tecum ſi inter conſanguineos intra quartum gradum poteſt, ac licet matrimonium contrahi, idem eſſe ſentiendum, ac de cõditionibus impoſſibilibus per naturã, nimirum eſſe reiiciendas, & tanquam non adiectas eſſe habendas. Ita Sanchez *dicto lib. 5. diſp. 4. n. 7.* Et ratio eſt, quia id dicitur impoſſibile quod de iure fieri non poteſt, cùm id poſſimus quod iure poſſumus, vt habetur *l. nepos Proculo. ff. de verb. ſignificatione.* Et patet à ſimili, nam teſtamentum à quo ſimiliter reiicitur conditio impoſſibilis, valet reiecta conditione, non tantùm per naturam, ſed iure impoſſibili, vt habetur *l. 1. ff. de conditio. inſtit.* & optimè oſtendit noſter Molina *tom. 1. de iuſtitia tract. 2. diſp. 106. concl. 2.* Et quamuis ius variari poſſit, vt conſanguinitatis gradus variati ſunt, *cap. non debet, de conſanguin.* ſatis eſt conditio dicatur de iure impoſſibilis, vt ſecundùm præſentem iuris diſpoſitionem ſit prohibita; ſicut conditio hæc, ſi ſol quieſcet, dicitur impoſſibilis naturâ, quia talis eſt attento præſenti naturæ curſu, quamuis illum Deus immutare poſſit. Concluſio prædicta intelligenda eſt quoque quando eſt certum, conditionẽ eſſe contra ius, vt in exemplo ibi allato. Nam ſi fuerit dubium, non debet tunc haberi conditio pro non adiecta, quia non eſt cur præſumatur tunc conſenſus abſolutus.

24 Dico *tertiò*, conditiones impoſſibiles de facto, ſimiliter reiici à matrimonio in dicto cap. finali. Eiuſmodi eſt illa conditio, ſi quis pauperi dicat, Contraho tecum ſi centum mille aureos in dotem dederis. Moueor, quia pluſquam moraliter tam impoſſibile eſt pauperi dare centum mille aureos, ac cœlum digito tangere, vnde tam irriſorium videtur illud, ac hoc petere: ergo eadem habenda eſt ratio vtriuſque. Vnde prædicta conditio de facto non tantùm difficilis, ſed pluſquam moraliter impoſſibilis cenſenda eſt, & ideo reiicitur tanquam impoſſibilis fauore matrimonij. Similiter ob eandem rationem reiicitur conditio illa, ſi dederis mihi regnum, vel imperium, tanquam impoſſibilis de facto: quia eſt pluſquam moraliter impoſſibile. Vnde ob prædictam rationem reiiciuntur quoque prædictæ conditiones ab vltimis voluntatibus, vt probat noſter Molina *diſp. 106. citata.*

25 Dico *quartò*, iuxta deciſionem dicti capitis finalis, non eſſe reiiciendam à matrimonio conditionem, quæ ex natura ſua poſſibilis eſt; at ex accidenti, vel ex lapſu temporis eſt impoſſibilis. Vnde ſi vera eſt, valebit matrimonium; ſi verò falſa, vitiabitur. Id docet citatis multis noſter Sanchez *diſp. 4. n. 16.* Ratio eſt, quia talis conditio ex ſe poſſibilis & honeſta, quamuis per accidens impoſſibilis ſit. Vnde ob hanc cauſam hæc conditio, Contraho tecum ſi virgo es, non reiicitur, ſed ſi talis eſt, valebit ſtatim matrimonium, ſecus ſi talis non ſit. Nam prædicta conditio eſt honeſta & poſſibilis, tametſi per accidens ſuppoſitâ defloratione, impoſſibilis ſit.

26 Dico *vltimo*, conditionem impoſſibilem contrariam ſubſtantiæ matrimonij, vt, Contraho tecum ſi veneris ad exequias meas, id eſt, poſt obitum meum; vel ſi Angelus fueris, non eſſe adiiciendam vt non oppoſitam, ſed potiùs annullare matrimonium. Ita communiter Doctores. Et ratio eſt, quia talis conditio tollit ſubſtantiam matrimonij, cùm ſit eius ſubſtantiæ contraria: ergo excludit conſenſum neceſſarium ſine quo matrimonium conſiſtere nequit. Atque hoc etiam meo iudicio decernitur prædicto cap. finali *de conditionibus appoſitis*, cùm ſic dicatur. Si conditiones contra ſubſtantiam coniugij inſerantur, matrimonialis contractus, quantumcumque ſit fauorabilis, caret effectu. Quod eſt dicere, ſi contrahatur matrimonium ſub conditione incompoſſibili cum eo quod contractu ipſo matrimonij effici intenditur, ac proinde appoſitione dictæ conditionis deſtruitur, aut impeditur id quod contractu ipſo conſtrui, & effici intenditur, neceſſe eſt vt ſub ea conditione contractum careat effectu, ſeu nullum ſit; quia ea conditio ſub qua contrahitur, directè, & adæquatè, & contradictoriè opponitur materiæ proximæ, circa quam matrimonium ſubſtantialiter verſatur, atque adeò eſt incompoſſibilis, & repugnans eſſe cum ea materia proxima: & ideò eo ipſo talis conditio eſt contra eſſentiam, & ſubſtantiam contractus matrimonij, qui eſſentialiter & ſubſtantialiter circa illam materiã verſatur. Certum igitur debet eſſe matrimonium contractum ſub conditione impoſſibili contra ſubſtantiam matrimonij eſſe nullum & irritum, cùm fiat dependenter ab exiſtentia conditionis impoſſibilis cum ipſo contractu, & cum eius materia proxima.

Sectio IV.

An hæc conditio: Contraho tecum, ſi Papa diſpenſauerit, ſit impoſſibilis, an potius ſit inter poſſibiles reputanda.

Controuerſia hæc appendix eſt præcedentis, & neceſſaria; nam tam matrimonium, quàm ſponſalia, & alij contractus fieri poſſunt ſub ea conditione, Contraho tecum ſi Papa diſpenſauerit in impedimento conſanguinitatis; vel inſtituo te filium ſpurium, ſi Princeps legitimauerit; videndum ergo an prædicta conditio cenſeri debeat impoſſibilis, an verò poſſibilis & licita, vt inde colligamus quæ ſit vis & valor prædictorum contractuum. 1

Ratio autem dubitandi eſt, quia hæc conditio, ſi Papa diſpenſet, pendet à voluntate Principis mutantis ius, & ideo in iure cenſetur impoſſibilis, vt habetur *l. idem Iulianus. D. de leg. 1.* vbi dicitur, id quod non poteſt fieri ſine diſpenſatione Principis, cenſetur iure impoſſibile: ſed conditio impoſſibilis de iure habetur pro non appoſita, atque ita contractus fit abſolutus: ergo.

Dico *primo*, ſi matrimonium celebretur de præſenti ſub conditione, ſi Papa diſpenſauerit inter eos, in quorum impedimento Papa nunquam diſpenſat, vt inter patrem & filiam, inter duos fratres, eam conditionem reputandam impoſſibilem; & matrimonium nullum eſſe omnino, neque vim habere ſponſalium. Hoc vt certum ſupponunt Doctores. *Prima pars* conſtat, quia pendens à voluntate Principis reputatur impoſſibile, quando Princeps id concedere nunquam ſolet, vt conſtat ex lege *apud Iulianus 4. §. finali ff. de legat. 1.* & notant communiter Iuriſperiti: ergo talis conditio dicitur impoſſibilis, & vt talis reiicienda, iuxta *cap. finale, de conditionibus appoſitis*, vbi ſumi- 2

tur

tur impoſſibile pro eo quod natura, vel iure impoſſibile eſt, vt dixi *ſect. præcedenti*. *Secunda pars* liquet ex præcedenti; quia cùm conditio prædicta cenſeatur impoſſibilis, & huiuſmodi diſpenſatio ſit turpis, & contra leges, manet contractus purus inter inhabiles, & ideo nullus. Idem eſt etiamſi Papa diſpenſare ſoleat ex cauſa; attamen ea cauſa, ex qua ſolet diſpenſare, non eſt inter huiuſmodi contrahentes. Ratio eſt, quia ea diſpenſatio non poteſt eſſe licita, & ex conſequenti conditio eius diſpenſationis turpis eſt. Vnde nec poſſunt contrahentes abſque graui culpa diſpenſationem petere, nec ea vti, etiamſi tali contractui, vel promiſſioni iuramentum accedat; quia tale iuramentum eſt contra bonos mores, nec iuramentum eſt vinculum iniquitatis, *cap. quanto, de iureiurando*; manet igitur contractus ille purus inter inhabiles, & ideò omnino nullus.

3 Dico *ſecundò* matrimonium contractum inter duos impeditos eo impedimento conſanguinitatis, v. g. in quo ſolet ex cauſa Papa diſpenſare, & habentes iuſtã diſpenſationis cauſam, validum eſſe in ratione contractus conditionalis. Ita communiter Doctores, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 5. diſp. 5. n. 12.* Ratio videtur manifeſta, quia conditio eſt poſſibilis & honeſta, & nihil ibi contra legem fit: lege enim non eſt prohibitum contrahere ſub illa conditione, ſed contrahere tempore quo non ſunt capaces purè, & abſolutè, quod tamen iſti contrahentes non faciunt. In contractu enim conditionali, duæ inſunt obligationes, *prima* eſt pura expectandi diſpenſationem; *altera* conditionalis, cuius effectus ſuſpenditur vſque ad euentum conditionis; cumque prius ſit conditionem impleri, quàm contractum perfici, cùm perficitur obligatio matrimonij, iam eſt tempus habile. Firmo idem varijs exemplis: nam inſtitutio ſpurij facta ſub conditione, ſi Princeps eum legitimauerit, eſt valida iuxta communiſſimam ſententiam; quia ea conditio honeſta eſt, ac pendens à voluntate Principis, in quo ſolet diſpenſare. Ob eandem rationem venditio rei feudalis, ſeu maioratus, ſimpliciter facta inualida eſt, valet tamen ſi fiat ſub conditione, ſi dominus feudi, aut Princeps voluerit. Similiter votum Epiſcopi tranſeundi ad religionem, ſi Papa diſpenſauerit, validum eſt, ſecundùm omnes. Quia nimirum hæ conditiones pendent à Principis voluntate, facilè & honeſtè id concedentis. Denique quando eſt controuerſia de aliquo beneficio, licitum eſt contendentibus, paciſci de penſione concedenda ſub conditione, ſi Papa diſpenſauerit, & vetè obligat; cùm tamen ea ſecluſa pactum eſſet illicitum, & ſimoniacum. Igitur idem dicendum in noſtro caſu. Vtrùm verò perficiatur contractus prædictus matrimonij in plena conditione, ſeu facta diſpenſatione abſque nouo conſenſu, infrà *ſect. 13.* examinabitur. Ex his

4 Colligo *primò* prædictum contractum conditionatum optimè firmari iuramento. Patet, quia, vt dictũ eſt, in petenda ea diſpenſatione nullum eſt peccatum, neque in concedenda: ergo nihil obeſt quominus iuramento corroborari queat.

5 Colligo *ſecundò*, conſanguineos eo modo contrahentes matrimonium non incurrere excommunicationem latam *Clementinâ vnicâ, de conſanguineis*, contra conſanguineos contrahentes. Patet, quia ea excommunicatio lata eſt contra eos, qui de facto & abſolutè contrahunt; iſti autem non contrahunt de facto abſolutè & purè, nam ea conditio non reputatur impoſſibilis, ſed eſt poſſibilis & honeſta, & ideò non reiicitur, & conſequenter contractus non remanet purus & abſolutus.

6 Colligo *tertiò*, valere conditionem legato, vel maioratui adiectam, vt legatarius, vel ſuccedens maioratui ducat conſanguineam, præmiſſa Papæ diſpenſatione. Quia ea conditio non reputatur impoſſibilis, & exprimitur diſpenſatio, quam ſolitus eſt Papa concedere; etiam ſi conſanguinitas ſit in ſecundo gradu, quia licet in hoc gradu difficile diſpenſet Papa, ſæpè tamen ſolet diſpenſare. Sic noſter Sanchez cum aliis *diſp. 5. n. 19. & 20.* Pertinebit autem ad legatarium, vel ſucceſſorem maioratus onus petendi diſpenſationem: cùm ipſe teneatur niti implere conditionem, ſi vult legatum, vel maioratum, ſicut ipſi incumberet quoque ſubire quodcumque aliud onus legato adiectum, vel maioratui. Vnde in genere loquendo, illius erit procurare diſpenſationem, qui cupit contractum perfici, quia eius res propriè agitur.

Ad rationem dubitandi reſpondeo maiorem illam tantùm eſſe veram in caſu quo Princeps nunquam ſolet conſentire, vt *ibidem* additur; ſecus vbi ſolet conſentire, ſeu diſpenſare, vt in noſtro caſu.

Sectio V.

An conditio turpis contraria ſubſtantiæ, & naturæ matrimonij, ipſum annullet, vel potiùs tanquam turpis reiiciatur.

Impoſſibilibus cõditionibus ſunt valde affines conditiones turpes, quæ etiam impoſſibiles iudicantur, non natura, ſed iure. Nam id poſſumus quod iure poſſumus, *l. nepos Proculo, 125. de verb. ſignificatione*. Huiuſmodi autem conditiones turpes, quædam ſunt contrariæ ſubſtantiæ matrimonij, aut bonis eius; quædam verò non ſunt contrariæ, ſed ſunt contra bonos mores. De illis ergo in hac ſectione agendum, & non de omnibus, ſed de illis ſolis quæ ſunt contra ſubſtantiam & naturam matrimonij præciſè. Dicuntur autem conditiones quæ ſunt contra ſubſtantiam matrimonij præciſè, quæ ſunt contra materiam proximam & ſubſtantialem, circa quam contractus eſſentialiter, ſeu ſubſtantialiter proximè ac immediatè verſatur; ſeu quæ ſunt impoſſibiles & repugnantes eſſe cum materia proxima: nam eo ipſo tales conditiones ſunt contra eſſentiam & ſubſtantiam contractus matrimonij, qui eſſentialiter, & ſubſtantialiter circa illam verſatur. Quo præmiſſo, 1

Dico *primò*, certum eſſe apud omnes contractum matrimonij ſub conditione non transferendi dominium corporum ad vſum coniugalem, neque ſe obligandi ad illum obligatione radicali, eſſe nullum & irritum. Ratio eſt, quia prædicta conditio directè & adæquatè & contradictoriè opponitur materiæ proximæ circa quam matrimonium ſubſtantialiter verſatur, nempe dictæ tranſlationi dominij, quæ eſt de eſſentia & ſubſtantia matrimonij, & dictæ radicali obligationi, quæ ab illa eſſentia re ipſa inſeparabilis eſt: ergo matrimonium ſub ea conditione contractum contrahitur ſub conditione incompoſſibili cum eo quod contractu ipſo matrimonij neceſſariò ac eſſentialiter intenditur effici: ergo appoſitione dictæ conditionis neceſſariò, ac eſſentialiter deſtruitur. Firmatur, quia ſine ſubſtantia nihil poteſt ſubſiſtere, *cap. tua nos, de ſponſal. & cap. detrahe 1. q. 1.* multò minus poterit ſubſiſtere ſine eſſentia: ſed ſubſtantia & eſſentia contractus matrimonij conſiſtit in conſenſu tranſlationis mutui dominij corporum: ergo conditio huic cõtraria deſtruit ſubſtantiam matrimonij, 2

nij, & illum annullat. Quare ſicut contractus venditionis deſtruitur, ſi eâ conditione fiat, vt empta rei venditæ dominium non comparet, quia repugnat ſubſtantiæ talis contractus; ita ſimiliter conditio non transferendi mutuò corporum dominium repugnans ſubſtantiæ matrimonij, illius contractum vitabit, & annullabit. Atque hoc expreſsè decernitur *cap. finali, de conditionibus appoſitis*, ibi: ſi conditiones contra ſubſtantiam coniugij inſerantur, matrimonialis contractus quantumcumque ſit fauorabilis, caret effectu. Addo in confirmationem dicti, etiam conditionem impoſſibilem, quæ eſt contra ſubſtantiam matrimonij, non eſſe vt impoſſibilem reiiciendam, ſed vitiare & annullare matrimonium, vt probaui ſectione præcedenti, dicto vltimo, quia tollit ſubſtantiam matrimonij.

3 Dico *ſecundò*, prædictam conditionem matrimonij contractum irritare, & annullare, tametſi ab vno tantùm contrahentium apponatur. Hoc videtur manifeſtum, vt notauit Sanchez *diſp. 15. n. 3.* Quia ad matrimonium requiritur mutua corporum traditio. At in eo euentu non inuenitur, cùm alter non abſolutè tradat corpus, imò diſſentiat in tali traditione, & conſequenter excludit verum ac neceſſarium conſenſum: ergo nullo modo eſt verum matrimonium. Firmo, quia valor matrimonij eſſentialiter pendet à conſenſu vtriuſque in materiam ſubſtantialem illius: ergo ſi conſenſus vnius elicitur dependenter à conditione contra ſubſtantiam, ſeu materiam ſubſtantialem matrimonij, qualis eſt prædicta conditio, nihil fiet.

4 Dico *tertiò*, prædictam conditionem contrariam ſubſtantiæ matrimonij, illud irritare ex natura rei, ſeu iure naturali. Ita rectè notarunt Sanchez *diſp. 9. n. 4.* & Gaſpar Hurtado *diſp. 7. difficul. 8. n. 30.* Et ratio eſt, quia prædicta conditio ex natura rei opponitur ſubſtantiæ & naturæ matrimonij.

Vnde colligo, Pontificem, dum dicto cap. finali definiuit conditionem prædictam vitiare matrimonium, nihil noui ſtatuere circa hoc, ſed ius ipſum naturale illud dictans accurate explicare. Ex quo etiã fit matrimonium non baptizatorum ſub prædicta conditione contractum, etiam eſſe nullum; quia iſti etiam comprehenduntur ipſo iure naturali.

Obiicies *primò*, conditio retinendi proprietatem eſt contra ſubſtantiam profeſſionis *cap. cum ad monaſterium. in fine, de ſtatu monachorum*; & tamen non vitiat profeſſionem, vt conſtat ex *cap. finali, qui clerici, vel vouentes*. vbi approbatur profeſſio cum conditione manendi in domo cum omni ſubſtãtia propria. Igitur conditio contraria ſubſtantiæ matrimonij non annullabit ipſum.

Secundò, ex *cap. Diaconi 28. diſt.* valet ſacer Ordo collatus alicui, eâ lege, vt poſſit vxorem ducere, reiicitur que conditio. Et *cap. 2. 10. q. 1.* valet conſecratio Eccleſiæ reiecta conditione, vt non ſubſit Epiſcopi curæ: ergo idem dicendum in matrimonio.

Tertiò, de ſubſtantia contractus precarij eſt, vt ſolùm duret, quandiu voluntas concedentis fuerit; at conditio contra hanc ſubſtantiam eſt vt res precarij conceſſa vſque ad certum tempus teneatur, neque liceat concedenti reuocare; & ea conditio precarij contractum non vitiat, vt habetur *l. Lucius Titius 32.* ibi, *quando volueris, D. de donat.* ergo etiam conditiones contrariæ ſubſtantiæ matrimonij ipſum non vitiant.

Vltimò, de ratione donationis cauſa mortis eſt, vt quotieſcumque donantem pœnituerit, poſſit reuocari. Et tamen ſi contra eam ſubſtantiam ponatur conditio in donatione cauſa mortis, vt irreuocabilis ſit, tam donatio, quàm conditio ſuſtinetur. *l. vbi ita donatur 27. D. eod. tit.*

Ad primum, concedo quod veriſſimum eſt per votum paupertatis in ſolemni profeſſione fieri perſonam incapacem dominij & proprietatis; nego tamen in alio textu approbari profeſſionem cum conditione manendi in domo cum omni ſubſtantia quoad proprietatem, ſeu dominium: ſolùm enim conditio eſt, vt de licentia Prælati, & domi ſuæ remanere poſſet, & bona ſua haberet ad vſum, dependentem tamen à voluntate Prælati; quod totum non eſt contra naturam ſtatus religioſi. 5

Ad ſecundum, verum eſt neutrum vitiare, quia nec conditio ducendi vxorem eſt contra ſubſtantiam Ordinis, ſed cõtra præceptum Eccleſiæ illi annexum; nec conditio vt Eccleſia conſecrata non ſubſit Epiſcopo, eſt contra ſubſtantiam conſecrationis, vt per ſe liquet. 6

Ad tertium, dico verum eſſe precarium eſſe rei alicuius quoad ſolum vſum gratuitam conceſſionem reuocabilem ad nutum concedentis, vt habetur *cap. finali, de precariis*; eſt enim precarium quod precibus ad vtendum datur, & tamdiu durat, quamdiu patitur qui conceſſit; vnde illa conditio, ne poſſit precarium quandocumque reuocari ad nutum concedentis, repugnat ſubſtantiæ ipſius contractus. Illa verò lex non eſt contra hanc doctrinam: nam ibi nullum eſt verbum quod oſtendat agi de precario; eſt enim ſub titulo de donationibus, quare de illis intelligenda eſt. Vnde ſenſus legis illius eſt, vt in mera donatione, donato, gratiſque conceſſo vſus domi, vel hoſpitij, ea donatio non extendatur vltra donantis vitam contra hæredis voluntatem, niſi eius etiam voluntas accederet; quamuis dictũ ſit vt quãdiu vellet, hoſpitio vteretur. Id enim ſtrictè accipitur; id eſt, quandiu vellet ſe viuo, vel ſe mortuo eius hæres. 7

Ad vltimum, dico, ſæpè contingere vt vna, vel alia appoſita conditione mutetur natura illius contractus, & transeat in alium. Cùm enim iſti contractus ſint iure humano inuenti, vnâ adiectâ, vel detractâ conditione, fit alius nouus contractus. Hinc eſt, cùm iura velint, diſponentium, aut contrahentium voluntates non perire, ſæpè fieri vt vna conditio contra ſubſtantiam huius contractus ſuſtineatur, quia transfertur in alium. Sic ergo intelligitur textus *in dicta l.* vbi ita donatur. Nam cùm conditio, de qua in eo textu, repugnet donationibus cauſa mortis, fit tranſlatio ad donationem inter viuos, quæ ei ſimilis eſt. Quod rectè expendit Baſilius Ponce *lib. 3. cap. 10. n. 6.* Conſtat igitur, tam in matrimonio, quàm in aliis contractibus certum eſſe, vt conditio contra ſubſtantiam actus illum vitiet; deſtructâ enim ſubſtantiâ, & naturâ, nihil remanere poteſt. 8

Sectio VI.

An conditio turpis contraria tribus matrimonij bonis ipſum vitiet; an potiùs tanquam turpis quaſi non appoſita reiiciatur.

TRia matrimonij bona ſunt, bonum prolis, nempe non vitandi illam poſitiuè medio illicito; bonum fidei, ſeu fidelitatis, id eſt, non adulterandi; & bonum ſacramenti, ſeu inſolubilitas, & perpetuitas.

Dico ergo *primò*, certum eſſe conditiones turpes contra tria prædicta matrimonij bona eſſe cõtra ſub- 1

ſtantiam

ſtantiam matrimonij , & ob id matrimonium ſub eis contractum eſſe nullum. In hoc conueniunt Doctores omnes , quod totum clarè decernitur à Gregorio I X. *in cap. finali , de conditionibus appoſitis* , his verbis. Si conditiones contra ſubſtantiam coniugij inſerantur ; puta ſi alter dicat alteri , Contraho tecum ſi generationem prolis euites ; vel donec inueniam aliam honore , vel facultatibus ditiorem , aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas ; matrimonialis contractus quantumcumque ſit fauorabilis , caret effectu. Hæc Pontifex *ibi*. Et probatur manifeſtè prædictas conditiones turpes eſſe , & optimè dici contra ſubſtantiam matrimonij , ſumptas pro obligationibus ad executiones , & non pro executionibus ipſis ; non enim executiooes , vt vitatio prolis illicita , & adulteratio , ſiue præteritæ , ſiue præſentes , ſiue futuræ , ſunt incompoſſibiles cum ipſa matrimonij ſubſtantia , vt patet , ſed tantùm obligationes ad eas executiones. Quod ſic oſtendo , quia ſunt contra materiam proximam , circa quam matrimonij contractus eſſentialiter & proximè verſatur. Patet , quia prædicta conditio , & obligatio euitandi prolem illicitè , ſeu medio illicito , ſumendo potionem ſterilitatis , & emittendo ſemen extra vas ; ſicut & illa alia obligatio non ſeruandi fidem , & procurandi quæſtum , ſiue adulterandi , directè eſt repugnans , & incompoſſibilis cum obligatione radicali ad vſum coniugalem , ordinarum ad prolis generationem , & ad ſeruandam fidelitatem ; hæc autem obligatio , ſicut & dominium ei correſpondens , eſt materia proxima , circa quam matrimonij contractus eſſentialiter verſatur, & quæ matrimonio valido omnino neceſſariò inducitur. Vnde clarè infertur reddi illis obligationibus , & conditionibus matrimonij contractum omnino nullum , quia oppoountur dictæ ſubſtantiæ matrimonij contractus. Pariter quoque conditio, ſeu obligatio contra indiſſolubilitatem matrimonij , vt quando dicitur , Contraho tecum donec inueniam aliam pulchriorem te , eſt etiam contra ſubſtantiam matrimonij ; & ob id matrimonium ſub ea contractum eſt nullum. Patet , quia qui eo modo , & eam conditionem apponendo , contrahit , non tradit ſuum corpus , nec ſe obligat abſolutè in perpetuum , ſed tantùm ad tempus , quod eſt contra materiam proximam , circa quam matrimonij contractus eſſentialiter & proximè verſatur , nempe contra perpetuam traditionem corporis , quæ ſola, & non temporaria , effici poteſt contractu matrimonij. Firmatur id totum ; nam tria prædicta matrimonij bona , ſeu obligatio ſeruandi tria prædicta bona , quamuis non ſit formaliter de eſſentia matrimonij , eſt tamen proprietas illius inſeparabilis , non ſecus atque ipſa obligatio radicalis reddendi debitum. Vnde conſenſus requiritur ad valorem matrimonij tendens explicitè in illius eſſentiam , virtute & implicitè ſaltem tendere debet in obligationem prædictorum bonorum , vt oſtendi ſuprà *diſputat.* 13. *ſect.* 9. ergo nequit cum eo conſenſu cunſiſtere , & rectè componi conſenſus expreſſus directè contrarius , & repugnans , nempe vitandi prolem illicitè , non ſeruandi fidem , ac perpetuitatem. Igitur conditiones & pacta , per quæ contrahentes matrimonium ad hæc bonis matrimonij contraria obligantur , tollunt debitum conſenſum , & conſequenter matrimonij ſubſtantiam & naturam. Amplius hoc idem roboratur : nam conſenſus in prædicto caſu conditionis & obligationis contra prædicta tria bona , haberet pro obiecto id quod eſt initium duarum obligationum omnino inter ſe pugnantium. Nam eo ipſo quòd vult matrimonium perfici , vult obligari ſaltem implicitè ad ſeruandam fidem , prolem , & Sacramentum. At eo ipſo quòd vult ſub illa conditione & pactione contrahere , vult teneri ad omnino oppoſita. Implicat autem has duas obligationes ſimul naſci ; nam qui vult obligari ad vnum, eo ipſo vult non obligari ad aliud quod oppoſitum eſt ; cùm ad oppoſita ſimul velle obligare non poſſit. Cùm ergo exprimat conditiooem , & pactionem , ad quam reuera vult obligationem conſurgere , quæ oppoſita eſt obligationi legitimæ matrimonij , planum eſt eo ipſo nolle obligationem quæ naſcitur ex matrimonio , quæ eſt oppoſita illi obligationi , quam vult induci ex obligatione & expreſſa pactione. Hinc

Dico *ſecundo* , vitium ac nullitatem quam affert a
conditio appoſita contra prædicta matrimonij bona, & contraria illius ſubſtantiæ , non eſſe ex aliqua iuris humani conſtitutione, ſed iure naturæ , ex ipſa rei natura , ita vt aliter eſſe non poſſit. Ita omnes. Et conſtat ex præcedenti dicto ; quia ex natura rei pugnant & opponuntur dictæ conditiones inter ſe , & prædictæ conditiones , ſeu obligatiooes contra prædicta tria matrimonij bona directè opponuntur ſubſtantiæ matrimonij. Vnde diſpoſitio Pontificia ſuprà allata, nihil noui ſtatuit circa hoc , ſed ſolum ius ipſum naturale declarat. Quare Ethnici quoque hoc modo inualidè contrahunt ; quia ipſi quoque ligantur iure naturæ. Eſt etiam ſimiliter notandum , quamlibet conditionem ex dictis matrimonium irritare , quamuis ab vno tantùm contrahentium apponatur, propter rationes traditas præcedenti ſectione , *dicto* a Ex his

Colligo *primò* , quoties prædictæ conditiones ita 3
ponuntur , vt non naſcatur obligatio ex ipſo conſenſu , qui ad matrimonium adhibetur , non vitiare tanquam contrarias. Vt ſi dicas , Contraho tecum ſi feceris vt aliorum matrimonium diſſoluatur. Item, Contraho tecum quia ſumpſiſti iam venena ſterilitatis , vel tuum corpus aliis tradidiſti. Nam iſta non pugnant cum conſenſu matrimonij , cùm nulla naſcatur obligatio oppoſita matrimonio , quod contrahitur. Solùm ergo poſſunt vitiare , quando referuntur in futurum , & reſpiciunt obligationem in futurum , aut æquipollent. Vt , ſi dicas , Contraho tecum ſi inueniſti venena ſterilitatis , & ad vtendum illis in matrimonio : vitiat enim matrimonium conditio hæc , quia perinde eſt ac obligare ſe in futurum ad ea venena ſumenda : ſicut etiam vitiat hæc alia conditio , Contraho tecum ſi modò per biennium contrahimus; quia æquiualet propoſitioni de futuro, nempe , ſi poſt biennium ſoluatur matrimonium.

Colligo *ſecundò* , vt matrimonium irritum fiat 4
adiectâ conditiooe eius ſubſtantiæ contrariâ , debet ea conditio adiici non ſuſpenſiuè , ſed in vim obligationis. Hæc enim verba , Contraho tecum , ſi ſterilitatem procuraueris , aut corpore quæſtum feceris , dupliciter accipi poſſunt. *Primò* ſuſpenſiuè , ita vt ſuſpendant conſenſum , donec conditio ſit impleta , vt contrahens nolit matrimonium eſſe contractum donec fœmina ita fecerit. *Secundo* , in vim obligationis , ita vt ſignificent idem atque hæc , Contraho tecum ea conditione, vt ſterilitatem procures , te adulterandam præbeas, ſiue vt te iam obliges vt illa facias. Et hic eſt cõmunior ſenſus ita contrahentium. Nam intendunt vt

matrimonium ſtatim valeat, eoque vt valido vtuntur. Et neceſſariò ita intelligenda eſt ea conditio, ſi te adulterandam præbeas. Nam adulterari nequit, niſi iam nupta. Atque in hoc ſecundo ſenſu intelligendum eſt primum & ſecundum dictum, propter intrinſecam repugnantiam adiunctæ obligationis cum alia obligatione eſſentialiter incluſa in matrimonio. Non verò in priori ſenſu ſuſpenſiuo, ſi contrahentes, cùm dicunt, Accipio te in meam ſi in poſterum ſterilitatẽ procuraueris, ſuſpendant conſenſum donec ſterilitas procurata ſit, quia tunc nõ inducitur obligatio contraria matrimonio, quæ cum ipſo debeat coofiſtere, ſed prærequiritur procuratio ſterilitatis tanquam conditio, ante cuius poſitionem matrimooium non ſit ponendom. Verum eſt noſtrum Coninchium *diſput. 19. dub. 3. num. 40. ad finem*, credere in odium tam peruerſæ inteutionis cap. illo finali etiam talem contractum irritari. Cæterùm ipſe non credo, nec aſſentire poſſum, quia, vt dixi, non eſt in dicto cap. finali mera iuris humani diſpoſitio circa prædictas conditiones, ſed ſolùm declaratio iuris naturalis. At ſpectato ſolo iure naturæ talis contractus validus eſt, & oon irritus. Vnde non conſequenter loquitur Coninch, nec Thomas Sanchez *diſput. 9. num. 9.* exiſtimantes, etiam quando ea conditio ponitur ſuſpenſiuè, adhuc vitiare quod ea ſub conditione contractum eſt; idque in dicto cap. finali generaliter definiri. Ego verò ſentio oppoſitum, quia prædicta conditio ſuſpenſiua non inducit obligationem repugnantem matrimonio, ſed ſuſpendit matrimonium donec illa eueniat; ac proinde non annullat matrimonium, ſed tanquam turpis reiicitur, manetque validum. Et dicto cap. finali, vt dixi, circa conditiones contrarias ſubſtantiæ matrimonij nihil nouum decernitur, ſed ſolùm quod ius naturale dictat ac præſcribit, accuratè declaratur.

5 Colligo *tertiò*, intentionem non ſeruandi fidem, & vitandi generationem, & ſumendi venena ſterilitatis, non repugnare ſubſtantiæ matrimonij; nam ſtante prædicta intentione ſtat ſubſtantia matrimonij, ſicut cum matrimonio ſtat ſterilitatis venena ſumere, proliſque generationem vitare; repugnare tamen ad hoc ſe obligare, pacto inter contrahentes inito.

6 Colligo *vltimò*, conditionem contrariam ſubſtantiæ matrimonij vitiare illud quando apponitur in ipſo contractu, non verò ſi apponatur matrimonio iam contracto. Ratio eſt, quia quando apponitur in initio contractus, ideò repugnat eius ſubſtantiæ, quia apponitur tanquam pars contractus omnino pugnans cum altera parte, quo ſolo modo repugnat ſubſtantiæ matrimonij. At quando apponitur matrimonio iam contracto, cùm iam diſſolui nequeat, non eſt pars ipſius contractus, nec illum immutare poteſt, & ſic non aduerſatur ei, neque ipſum vitiat. In quo valde diſtinguitur matrimonij contractus ab aliis contractibus, qui poſſunt mutuo cõſenſu diſſolui, & poteſt etiam mutuo conſenſu adiici conditio, qua ipſi diſſoluantur. Vt, v. gr. ſi poſt initum contractum ſocietatis abſolutè, communi conſenſu partium, nec ineundo alium contractum aſſecurationis, adiiciatur conditio, vt nec lucrum, nec damnum ſit commune ſociis, deſtruetur ſocietas, quia ea conditio apponitur eo modo quo repugnabat eſſentiæ contractus, nempe tanquam pars illius, & contractus ipſe poteſt mutuo conſenſu diſſolui.

Sectio VII.

Quomodo intelligenda ſit prima conditio, ſi generationem prolis euites, quam affert Pontifex in capite finali.

EGimus hactenus duabus ſectionibus præcedentibus io genere de conditionibus contrariis ſubſtantiæ matrimonij. Cæterùm vt magis ſupradicta Ponficis deciſio *in cap. finali*, maneat declarata, oportet in ſingulari explicemus, in hac & ſequenti ſectiooe, quid contineatur in vnaquaque eorum conditionum, quas in exemplum adhibuit, & dixit eſſe contra ſubſtantiam matrimonij. Primum exemplum quod adducit Pontifex in hac ſectione explicandum eſt, ſi generationem prolis euites, quæ conditio dicitur eſſe contra bonum prolis, & ideò contra ſubſtantiam. Circa id verò certum eſt, & commune apud Doctores, intelligi ſaltem debere de euitatione prolis poſitiuè, & contrariè, faciendo aliquid quod ſit contrarium generationi prolis, & illicitum. Quod rectè dicitur eſſe contra ſubſtantiam matrimonij, quia eſt contra paſſionem, ſeu proprietatem inſeparabilem, quæ conſequitur matrimonium. Nam in matrimonio naſcitur ex eius natura obligatio radicalis ad vacandum generationi, vt oſtenſum eſt ſuprà *diſputat. 13. ſect. 9.* & conſequenter ad nihil efficiendum quo proles impediatur poſitiuè. Implicat autem ex eodem couſenſu naſci obligationem ad impediendam generationem poſitiuè, qualis naſceretur, ſi ea conditio exprimeretur, & deduceretur in pactom & obligationem, vt ſatis cooſtat ex dictis præcedenti ſectione. Vnde, quamuis proles non ſit de eſſentia matrimonij, eſt tamen quantum ad prædictam obligationem radicalem, quia eſt paſſio conſequens eſſentiam matrimonij. Et quamuis ex eo contractu non ſemper ſequatur obligatio proxima & formalis ad incumbendum generationi, vt contingit in matrimonio contracto ad caſtè viuendum, & conſtat ex dictis ſuprà *diſputat. 13. ſect. 6. 7. & 8.* attamen ſemper naſcitur obligatio ad nihil agendum illicitè contra prolis generationem, vt explicui *diſput. 13. citata, ſect. 9.* obligatio autem ad aliquid contra illam agendum non poteſt ſtare cum hac obligatione, quæ ex matrimonij natura naſcitur, & ideo rectè dicitur à Pontifice vitiare matrimonium.

Impeditur autem generatio poſitiuè, & illicitè, 2
Primo ſterilitate. Vnde non licet apponere conditionem de ſumenda potione ſterilitatis, vt dixi *præcedenti ſectione*. Quamuis enim non repugnet matrimonio hæc conditio, Contraho tecum ſi es ſterilis; quia ea conditio prius debet verificari, quàm matrimonium perficiatur, atque ideò non concurrit cum conſenſu matrimonij; pugnat tamen ſi in vim obligationis ea conditio ſterilitatis procurandæ ponatur.

Secundo impeditur generatio poſitiuè & illicitè per emiſſionem ſeminis extra vas, vt liquet. Vnde non eſt licita illa conditio, ſeu obligatio, vt nunquam couſummetur actus intra vas; & vitiat matrimonium propter eandem rationem.

Tertiò

Tertiò, impeditur proles poſitiuè, illam enecando, vel per aborſum, vel ſtatim natam, & in lucem editam. Vnde, vt optimè notauit ex communi ſententia Ludouicus Lopez *in instructione conſcientiæ 2. part. cap.42. de condit.* circa bona matrimonij, conditio in vim obligationis de abortu, vel nece prolis natæ eſt manifeſtè contra ſubſtantiam matrimonij.

3 Quæres, an etiam conditio in vim obligationis de exponendis infantibus ſit contra bonum prolis, & contra ſubſtantiam matrimonij. Mihi videtur eſſe conditionem turpem, & vt talem reiiciendam; cæterùm non eſſe contra ſubſtantiam, nec contra bonum prolis, nec matrimonium vitiare. Ratio eſt, quia expoſitio illa infantis non opponitur ſuſceptioni prolis, & eius vitæ, ſed tantùm commodæ educationi. Vnde tametſi ſuffocatio prolis obſtet omnino fini matrimonij, & illum deſtruat; expoſitio tamen filij non obſtat eidem fini, ſed maiori prolis commoditati. Sic docent Petrus de Ledeſma *de matr. quæſt.47. cap.1. dub.4.* in ſolutione ad quintum argumentum, & Ludouicus Lopez *citatus*. Prædictis igitur tribus modis conſtat apud Doctores intelligi debere exemplum Pontificis, ſi generationem prolis euites, & eſſe illas conditiones manifeſtè contra ſubſtantiam matrimonij, illúdque vitiare & annullare. Supereſt igitur difficultas & grauis, an conditio in vim obligationis de euitanda generatione negatiuè; videlicet nunquam petendi, nec reddendi debitum, neque copulandi ſe inuicem, ex voto, vel pacto; ſit contra ſubſtantiam matrimonij, & illud vitiet.

4 Hanc verò difficultatem latè ſuprà examinaui *diſp. 13. ſect. 6.* præſertim dicto ſecundo, & tertio, vbi oſtendi conditionem de vitanda copula coniugali in perpetuum, ex pacto, vel ex voto poſitam in contractu matrimonij, cùm primò contrahitur, non eſſe contra eius ſubſtantiam, nec illud vitiare videantur ibi dicta. Iuxta quam doctrinam

5 Colligo *primò*, ſi quis ita contrahat, Contraho tecum ſi priùs te voto caſtitatis adſtrinxeris, vt nunquam à me petas, neque reddas debitum, matrimonium initum valere. Quia in eo caſu non apponitur ſubſtantiæ matrimonij, quia non concurrit cum conſenſu matrimonij, cùm priùs debeat eſſe emiſſum votum, quàm perficiatur matrimonium. Vnde ſicut conditio de priùs ſumenda potione ſterilitatis, non aduerſatur ſubſtantiæ matrimonij, quia non concurrit obligatio conditionis cum obligatione matrimonij, vt dixi ſuprà *ſect. præcedenti, num.3.* & docet Sanchez *diſp.11.9. num.6.* ita etiam votum factum ante perfectum matrimonium non aduerſatur, cùm non concurrat, eſt enim eadem vtriuſque ratio. Aliàs enim duo, qui voto ſimplici caſtitatis adſtricti eſſent, & vtrique notum eſſet, non poſſent validè contrahere, quod nequit concedi. Sicut enim in iſto caſu prius eſt emiſſum votum, quàm contrahatur matrimonium; ita etiam in illo alio prius natura, quàm perficiatur matrimonium, eſt iam per votum impeditus vſus matrimonij.

6 Colligo *ſecundò*, idem dicendum, ſi quis apponat conditionem de non exigendo debito, non vitiare matrimonium; quia, vt dictum eſt, ea conditio non eſt contra ſubſtantiam matrimonij. Idem dicendum de conditione non cohabitandi, ſignificando ſeparationem perpetuam quoad torum; vel etiam ſeparationem domus ob ſeruandam caſtitatem ad euitandum periculum lapſus; de hoc enim idem eſt iudicium, atque de conditione non copulandi, & ea non vitiat, vt dictum eſt. Idem à fortiori dicendum de conditione abſtinendi aliquibus diebus ab actu coniugij.

Colligo *vltimò*, quid ſit dicendum, in eo quod quæri ſolet, an valeat matrimonium ſub hac forma: Contraho tecum, ſi ego minimè tenear debitum reddere, quoties tibi non licet exigere. 7
Indicat Sanchez *lib 5 diſput 11 num.2.* eam conditionem eſſe contra ſubſtantiam matrimonij, atque ita illud vitiare. *Primò*, quia ea conditio iure non ineſt; occurrunt enim multi caſus, in quibus vir peccet mortaliter exigendo, & vxor negare non poſſit. Vt ſi vir emiſerit votum caſtitatis, vel petat affectu fornicario, vel credat matrimonium non tenere, vxore ſciente eſſe validum. *Secundò*, per matrimonium transfertur ius iuſtitiæ in corpus alterius, quamuis exigens aliquando peccet contra religionem, vel contra temperantiam; ergo conditio auferens hoc ius iuſtitiæ eſt contra matrimonij ſubſtantiam, atque ita illud vitiabit. Talis verò eſt conditio non reddendi in iſtis caſibus, tollit enim ius iuſtitiæ quod alter coniux per matrimonium acquirere debebat, vt ſibi debitum petenti ſoluatur.

Cenſeo oppoſitum verius cum Baſilio Ponce 8
lib.13. cap.11. num.14. nempe eam conditionem non vitiare matrimonium. Moueor 1, quia talis conditio iure ineſt, & licita eſt, & honeſta, & ad quam tenetur coniux, etiam ſi non exprimatur. Sicut enim coniux, etiam ſi non explicetur, tenetur non reddere coniugi petenti cum manifeſto periculo vitæ corporalis petentis; ita etiam tenetur non reddere cum periculo animæ petentis. Firmo, quia vera doctrina eſt, quoties actus aliquis non poteſt ab alio fieri niſi malè, ſi fiat, non licet illi cooperari; ſicut neque petere ab aliquo actum, qui ab illo non poteſt fieri benè, vel malè, ſed neceſſariò malè. Quod adeò verum eſt, vt nequeat aſſignari exceptio, aut caſus, in quo id liceat Igitur coniugi illicitè petenti debitum non ſolùm non tenetur reddere alter, ſed potiùs tenetur non reddere, quando ſi actus tunc fiat, non poteſt benè fieri ab eo qui petit. Ponamus caſum, aliquem emiſiſſe votum caſtitatis, poteſt qui non emiſit petere, non verò reddere; quia ille qui votum emiſit, impeditus eſt ad petendum, non verò ad reddendum, & ita qui ſolutus voto petit debitum, non exigit ab alio qui ligatus eſt voto, actum, quem non poſſit benè efficere, cùm votum non impediat debiti redditionem. Atqui impeditus voto, petit, actum petit, qui non poteſt ab altero coniuge benè fieri, videlicet cooperationem ad actum petentis qui malus eſt contra religionem.

Ex quo patet ſolutio ad primum, nullum eſſe 9
caſum, in quo coniugi peccanti in petitione debiti, alter teneatur reddere. Nam ſi impeditus eſt voto, non poteſt petere, nec tenetur reddere; imò tenetur non reddere. Similiter ſi ille qui petit, exiſtimet matrimonium non valere, non poteſt exigere, neque alter coniux tenetur petenti annuere, donec dubius coniux deponat dubium, cùm petit. Poteſt verò in his euentibus coniux qui neque eſt impeditus voto, nec dubius, licitè exigere; & impeditum, vel dubium teneri reddere: quia in eo coniuge impedito, aut dubio, petitio debiti eſt illicita, redditio au-

tem licita, & ita coniux non impeditus petit ab impedito, quod licitè facere poteſt impeditus; quod tamen ſecus contingit, quando impeditus exigit.

Ad ſecundum, negatur eâ conditione impediri transferri ius iuſtitiæ, ſed tranſlato iure iuſtitiæ impediri vſum voto, vel conditione, quæ ineſt ex ipſa natura matrimonij, quia nequit transferri ius niſi ad licitum vſum corporum, vt eſt manifeſtum.

Sectio VIII.

Quomodo intelligendæ ſint duæ aliæ conditiones quæ afferuntur à Pontifice contra ſubſtantiam matrimonij.

1 SEcundum exemplum conditionis contrariæ ſubſtantiæ matrimonij, quod adducit Pontifex in dicto capite finali, eſt; Contraho tecum donec inueniam aliam honore, vel facultatibus ditiorem. Quæ conditio non poteſt accipi implenda ante perfectum contractum matrimonij. Nam ea conditio eius generis eſt, vt niſi conſtante matrimonio non poſſit non eſſe turpis. Circa quam certum eſt apud omnes, ſiue ſumatur reſolutiuè, ſiue verè conditionatè in vim obligationis, & pacti vitiare contractum, quia eſt contra eius ſubſtantiam, quæ perpetuitatem includit.

2 Hinc conſtat quid dicendum ſit de matrimonio contracto à Iudæo, vel Pagano nunc, ſub conditione dandi libellum repudij iuxta eorum leges. Quamuis enim verum ſit Iudæis permiſſum fuiſſe libellum repudij, vt teſtatur Chriſtus Dominus *Matth.* 19. & fuerit id permiſſum tanquam licitum Deo diſpenſante, vel potiùs concedente. At hodie nullo modo eſt licitum, nec validum matrimonium. Quia ea conditio eſt contra matrimonij ſubſtantiam, cùm contineat poſſe diſſolui matrimonij vinculum contra eius firmitatem, ac perpetuitatem. Nec iure ineſt Iudæis talis conditio; quia iam poſt Chriſtum ſublatum eſt repudium, nec licet, ſicut licebat antea. Vnde Iudæorum lex quæ omnino ceſſauit, nunc à copula non excuſat, nec dare poteſt ius aliud ineundi matrimonium. A fortiori idem dicendum eſt de alijs infidelibus, quibus nunquam licuit libellum repudij dare.

3 Sunt verò duo obſeruanda. *Primum* eſt, diſcrimen manifeſtum contra intentionem contrariam huic bono ſacramenti, ſeu perpetuitatis, & aliam intentionem contrariam bono prolis, & fidei. Nam ſi quis haberet animum etiam corde retentum aduerſum bono ſacramenti, ſeu perpetuitati, quia videlicet intenderet non contrahere matrimonium, niſi ad tempus, non eſſet verum, ſeu validum matrimonium; ſi autem haberet intentionem contrariam aliis duobus bonis matrimonij, corde ſolo retentam, nec in pactum deductam, vt ſi intenderet vitare prolem, debitum negare, & adulterari, valeret matrimonium. Ratio primi eſt, quia de ratione matrimonij eſt, vinculum eſſe perpetuum, vel ſaltem eius proprietas neceſſaria & inſeparabilis; ergo qui intendit matrimonium inire diſſolubile, & ad tempus, vere non intendit matrimonium; cùm intentio aduerſetur eſſentiæ, vel proprietati adeò connexæ cum eſſentia, vt nequeat hæc conſiſtere ſine illa; ergo. Ratio ſecundi eſt, quia ea intentio nihil aufert ſpectans ad contractus ſubſtantiam; nam ſi contrahens velit abſolutè contrahere, obligatur ex vi contractus, ad non agendum aliquid contra prædicta bona, ſtante ſua intentione. Firmatur, quia ſtat velle obligari ad aliquod faciendum, & adeſſe animum non implendi; vt qui verè iurat animo violandi iuramentum, nec ea intentio tollit obligationis valorem: ergo ſimiliter ſtare poteſt matrimonium validum contrahere, cum intentione non ſeruandi fidem, vel prolem necandi, dummodo id non deducat in pactum. Alterum obſeruatione dignum eſt, ſi quis contraheret cum animo dandi libellum repudij, & deſerendi vxorem quoad vinculum, cùm Deus id reuelaret, validum matrimonium perficeret. Ratio eſt, quia ea conditio non eſt contra ſubſtantiam matrimonij; & iure ineſt, cùm Deus poſſit matrimonium diſſoluere. Sicut neque eſt contra eius ſubſtantiam conditio de diſſoluendo matrimonio rato per profeſſionem ſolemnem in religione: neque in infideli conditio de matrimonio diſſoluendo per tranſitum ad fidem catholicam, altero renuente tranſire, & cohabitare, cùm hæc ipſo iure inſint.

Tertium exemplum conditionis contrariæ ſubſtantiæ matrimonij adductum à Pontifice in cap. finali, eſt, Contraho tecum, ſi pro quæſtu adulterandam te tradas.

Circa quam conditionem Angelus *in ſumma, verb. matrimonium, numer.* 11. dicit eam non eſſe contrariam matrimonio, niſi addatur, & mihi debitum non ſolueris, atque ideò non vitiare matrimonium, ſed tantùm reiicit vt turpem. Probat, quia ad fidem matrimonij ſufficit, quòd vxor debitum viro reddat, quoties exiget: ergo ſubſtantiæ matrimonij non repugnat quòd illa adulterium committat, & conſequenter illa conditio non eſt contraria matrimonio. Vitiaret quidem matrimonium, ſi ita intelligeretur, vt mihi non tenearis reddere: quia id eſſet contra ſubſtantiam; nam eſſet contra tranſlationem dominij corporis. 4

Dico *primò*, certum eſſe, ſenſum prædictæ conditionis, ſi pro quæſtu adulterandam te tradas, non poſſe eſſe, vt ipſa non teneatur ex iuſtitia reddere debitum. Patet, quia ſi apponeretur tanquam conditio, vt non teneretur ex iuſtitia reddere debitum, vellet proculdubio non transferri dominium corporum, atque adeò nec matrimonium contrahere. Quia impoſſibile eſt transferri mutuò corporum dominium, & non teneri ex iuſtitia, ſeu non habere radicalem obligationem ex iuſtitia, neque habere radicalem obligationem ad reddendum, vult etiam non tranſire dominium corporis, & eo ipſo deſtruitur conſenſus requiſitus ad matrimonium. Præterea qui vult, non eſſe iniuſtitiam in eo quòd ſuum corpus tradat aliis, cùm velit non transferri dominium corporum, conſequenter ſi fornicetur cum aliis, non committit adulterium. At conditio eſt, ſi pro quæſtu adulterandam te præbeas: ergo ſenſus huius conditionis, non eſt, vt coniux non teneatur ex iuſtitia reddere debitum ſaltem obligatione radicali. 5

Dico *ſecundò*, ſi ea conditio, ſi pro quæſtu adulterandam te tradas, intelligatur poſita in vim conditionis ſuſpendentis contractum matrimonij, inuoluit manifeſtam repugnantiam, vnde non videtur eſſe proprius ſenſus illius. Patet, quia cum tali conditione ſi ſuſpendat, nequit eſſe voluntas matrimonij, nec matrimonium; nequit etiam eſſe verum, 6

adulterium

adulterium niſi conſtante matrimonio, vt per ſe liquet: ergo pugnantia inuoluit. Quòd ſi talis conditio non ſuſpendat, ſed ponatur implenda ante matrimonium, ita vt ſenſus ſit, Contraho tecum ſi ante forniceris,erit turpis tantùm & reiicienda, ſed non contra ſubſtantiam matrimonij; quia ea ratione non pugnat cum conſenſu matrimonij,cùm prius debeat eſſe fornicatio, quàm matrimonium perficiatur. Vnde non videtur hic legitimus ſenſus prædictæ conditionis; quæ intelligenda eſt de vero adulterio, & in eo ſenſu nequit adulterium committi.

7 Dico *tertiò* eam conditionem intelligi debere reſolutiuè, vel in modum pacti implendi poſt matrimonium contractum; ſic verò intellectam vitiare matrimonium. Eſt communis Doctorum ſententia. *Prima pars* conſtat, quia benè intellecta nequit habere vllum alium ſenſum, vt per ſe liquet. *Secunda pars* eſt manifeſta, quia ex vero matrimonij contractu ſequitur neceſſariò, ac inſeparabiliter tanquam paſſio, ſeu proprietas,obligatio ſeruandi fidem coniugalem, ſeu alterum non cognoſcendi, vel non adulterandi, vt oſtendi ſuprà *diſp.* 13. *sect.* 9. ergo conſenſus requiſitus ad valorem matrimonij tẽdit ſaltem implicitè in prædictam fidelitatis obligationem; ergo nequit eiuſmodi conſenſus ſtare cum voluntate obligationis ad oppoſitum prædictæ obligationis;eſſet enim manifeſta repugnantia; ergo. Ex quo patet minus benè dixiſſe Angelum, eiuſque fundamentum nullum eſſe.

SECTIO IX.

An conditio turpis, quæ non eſt contra ſubſtantiam matrimonij, habenda ſit pro non adiecta, vel potiùs vitiet matrimonium.

1 Diximus iam de conditione turpi & illicita, quæ eſt contraria ſubſtantiæ matrimonij; dicamus oportet de alio genere conditionis turpis, quæ non eſt contra ſubſtantiam matrimonij, v. gr. Contraho tecum ſi furtum commiſeris, an nimirum habenda ſit pro adiecta, matrimonium irritante, an potiùs pro non adiecta, matrimonio ſtante puro, & abſoluto.

De hac conditione idem iudicium ferendum eſt quod tulimus ſuprà *sect.* 5. de conditione impoſſibili. Nam eodem modo loquitur Pontifex de vtroque genere conditionis *cap. finali, de conditionibus appoſitis*, his verbis: aliæ conditiones appoſitæ in matrimonio, ſi turpes, aut impoſſibiles fuerint, debeant propter eius fauorem pro non adiectis haberi. Quare

2 Dico *primò*, quando contrahentes ita ſeriò apponunt matrimonio dictam conditionem turpem, vt contrahere nolint, niſi illa exiſtat, tunc verè ſuſpendi matrimonium vſque ad impletionem conditionis turpis, & illa non exiſtente, omnino euaneſcere. Hoc eſt certum apud Doctores, & ratio eſt, quia abſque conſenſu contrahentium, qui tunc eliceretur dependenter ab ea conditione, & quem Eccleſia in matrimonio ſupplere non poteſt, contrahi nequit aliter, quàm contrahentes intendunt; ergo in eo caſu dicta conditio habenda eſt pro adiecta. Firmo, quia conſenſus eam ſolùm vim habet, quem dat contrahens; ergo ſi contrahens velit illum ſuſpendere vſque ad impletionem conditionis turpis, verè ita fiet. Verum quidem eſt hunc contractum ante poſitionem, vel adimpletionem huius conditionis, nullam obligationem imponere; quia trahit ad peccatum, ad quod nemo obligari poteſt: obligat verò ea iam impleta, quia iam non trahit ad peccatum. Neque verò in hoc caſu habet locum decretum Pontificis allatum, quo decernitur, conditionem turpem matrimonio adiectam, habendam eſſe pro non adiecta, ac proinde matrimonium ex tunc abſolutè valere etiam ante euentum conditionis, imò quamuis non impleatur. Non, inquam, locum habet, quia iam conſtat exteriùs ex contrahentibus, quid expreſſerunt, quando contrahebant, conditionem turpem fuiſſe ſeriò, & ex animo appoſitam. Vnde in eo euentu nequit Eccleſia oppoſitum præſumere, & ideò nequit ea conditio ab Eccleſia reiici, & conſequenter matrimonium ſub ea conditione contractum, tantùm erit validum ſub conditione, & ſi conditio deficiat, omnino euaneſcet, quia tunc contra rationem poteſt oppoſitum præſumi. Idem dico in aliis euentibus; quoties exterius conſtet ex aliqua prudenti coniectura, conditionem turpem fuiſſe ſeriò appoſitam.

Dico *ſecundò*, quando non conſtat exteriùs, ex prudenti ſaltem coniectura, conditionem turpem ſeriò fuiſſe matrimonio appoſitam, habendam eſſe pro non adiecta, & ioco fuiſſe appoſitam, ſicut & impoſſibilem conditionem; & conſequenter matrimonium manere abſolutum & purum. Ita docent omnes vt certum, quia ſic ſtatutum eſt à Gregorio IX. *in dicto capite finali*. Ratio verò huius deciſionis, cur nimirum Eccleſia talem conditionem excludat, vnica eſt, quia ea conditio, vtpote turpis, ad peccatum incitat; quare cenſetur ac impoſſibilis. Id enim poſſumus, quod iuſtè poſſumus. *l. nepos Proculo* 125. *ff. de verb. ſignif.* eſt enim matrimonium Sacramentum quoddam, & res tanti momenti, vt ſicut ab eo ius excludit conditiones verè impoſſibiles, ita etiam quæ moraliter ſunt impoſſibiles, eo quòd ſine peccato ad quod incitant, impleri non poſſunt. Ex quo fit vt non reüciatur conditio turpis, quando eſt de præſenti, aut præterito, vt, Contraho tecum ſi es inimica Petri, vel ſi Petrum occidiſti; illâ enim verificatâ valet matrimonium, ſecus autem non: quia non inducit ad aliquid turpe faciendum, ſed factum eſſe ſupponit. Si enim conditio eſt de præterito, vel præſenti, iam ipſum matrimonium non inducit ad illud peccatum, ſed fit cum illo, quod eſt omnino accidentarium. Neque enim per conditionem turpem de præterito, aut de præſenti naſcitur obligatio ad peccatum, neque occaſio peccati, ſed ſupponit iam præſens, aut præteritum peccatum.

4 Obiicies, conditio turpis contraria ſubſtantiæ matrimonij, vt, Contraho tecum ſi te adulterandam tradideris, tametſi incitet ad peccandum, non reiicitur, ſed vitiat matrimonium, vt vidimus *ſectione præcedenti*, & expreſsè definitur eo *cap. finali*; ergo non ideò reiicitur conditio turpis, quod ad peccatum incitet. Reſpondeo eſſe manifeſtam diſparitatem; nam vbi adiicitur conditio contraria ſubſtantiæ matrimonij, eſt clara, & euidens contrahentis intentio, quia eo ipſo quòd eam conditionem adiicit, & vult, eſt ſignum euidens diſſenſus matrimonij,cuius conſenſus nequit ſtare cũ tali conditione repugnante naturæ & ſubſtantiæ matrimonij quam deſtruit. At cum illa alia conditione turpi adiecta poteſt ſtare intentio contrahendi iuxta mentem Eccle-

ſiæ, quæ talem conditionem tanquam non adiectam habet, ſicut & impoſſibilem. Quare rectè Eccleſia quando oppoſitum clarè non conſtat, præſumit contrahentes in re adeò graui conditionem turpem ſicut & impoſſibilem non fuiſſe ſeriò appoſitam, ſed tantùm iocosè. Et id non præſumit abſque prudenti congruentia, quia quando oppoſitum non conſtat, præſumit contrahentes in re adeò graui & ſancta nolle nugari, & ſuum actum irritum reddere; & ideò præſumit contrahentes perficere matrimonium iuxta mentem Eccleſiæ, illamque turpem conditionem ioco fuiſſe appoſitam. Quod certè præſumit, ſiue decretum capitis finalis ignoretur à contrahentibus, ſiue non; in vtroque enim euentu, putat prudenter prædictam conditionem turpem eſſe adiectam per iocum, & noluiſſe contrahentes ei adhærere; cùm intendant contrahere iuxta Eccleſiæ intentionem.

5 Dico *tertiò*, cùm eſt dubium rationabile, an prædicta conditio turpis fuerit ſeriò appoſita matrimonio, an ioco; tunc in fauorem matrimonij habendam eſſe pro non adiecta, ſeu pro adiecta per iocum. Patet, quia deciſio dicti capitis finalis locum obtinet, vbi dubium eſt de contrahentis intentione. Quia expreſsè dicitur propter fauorem matrimonij, conditionem turpem pro non adiecta eſſe habendam, & indicat matrimonium eſſe validum, ac purè, & abſolutè contractum eſſe. Firmo, quia ex eo quòd matrimonium ſit contractus fauorabilis, in dubio oportet conſeruari, vt valeat, vt conſtat ex *cap. final. de ſententia & re iudicata.* Nam fauore matrimonij præfertur pars illius conſeruatrix; & quando eſt dubia intentio contrahentium circa appoſitionem conditionis turpis, præſumitur matrimonium voluiſſe contrahere purè, iuxta Eccleſiæ mentem, eam conditionem reiicientis. In quo matrimonij contractus præſtat aliis contractibus, in quibus conditio turpis appoſita habetur pro adiecta; quia non ſunt tantæ ſanctitatis, nec ita in iure fauorabiles, ſicut eſt matrimonij contractus.

6 Cæterùm eſt obſeruandum, prædictum Eccleſiæ decretum eſſe intelligendum, modò contrahentes cognouerint conditionem eſſe turpem: ſi enim honeſtam eſſe crederent, non reijceretur ea conditio, ſed ſortiretur naturam aliarum conditionum honeſtarum, vt impleta conditione, & non aliter obligatio matrimonij conſurgeret; ſicut diximus idem ſuprà *ſect. 3. n. 11*, de conditione impoſſibili.

Sectio X.

De quibuſdam ſpecialibus conditionibus, quæ turpibus annumerari ſolent, an habendæ ſint pro non adiectis.

OPortet ſigillatim in hac ſectione quinque examinare conditiones, quæ turpibus ſolent annumerari. Quid igitur turpitudinis habeant, & quid operentur in contractu matrimonij quando apponuntur, ſequentibus dubiis quinque eſt accuratè diſcutiendum.

1 *Primò* igitur dubitatur de hac conditione: Contraho tecum ſi mecum concubueris, an ſit turpis conditio, & reijcienda. de qua ſentit Baſilius Ponce *lib. 3. cap. 8. n. 5.* nunquam intelligi poſſe de conſenſu licito, vel copulâ licita, atque ideo nunquam poſſe contractum matrimonij eſſe ſuſpenſum, ſed omnino eſſe perfectum & purum. Probat, quia neceſſe eſt, vt id, quod ſub conditione fit, ſit poſterius ratione, & natura conditionis euentu, prius eſt enim adimpleri conditionem, quàm perfici contractum: ergo contractus perfectus matrimonij poſterior eſſe debet copulâ, vel conſenſu in copulam. At tunc tam conſenſus in copulam, quàm copula ipſa eſſent illicita. Ergo nunquam poteſt eſſe licita, niſi prius ſit perfectum matrimonium. Nam ea conditio eius generis eſt, vt niſi conſtante matrimonio non poſſit non eſſe turpis. Ergo vt non ſit turpis, iam debet eſſe perfectum matrimonium, & conſequenter non poteſt eſſe ſuſpenſum vſque ad aduentum conditionis. Sanchez verò *lib. 5. diſp. 16. n. 3.* meliùs opinatur poſſe etiam intelligi prædictam conditionem de conſenſu, & concubitu licito & ſuſpendente contractum vſque ad aduentum conditionis.

Dico *primo*, ſi prædicta conditio intelligatur de conſenſu, aut coitu, ſeu concubitu illicito, præcedente aliquo pacto matrimonij contractum, non ſuſpendere ipſum, ſed eſſe purum & abſolutum ante euentum conditionis. In hoc conueniunt omnes Doctores; quia tunc talis conditio reiicitur à contractu tanquam turpis conditio. Idque probat argumentum Baſilij. Atque hoc idem eſt dicendum de quacumque conditione, quæ niſi perfecto matrimonio, non poteſt non eſſe turpis, vt oſcula, amplexus & tactus. 2

Dico *ſecundò*, ſi ea conditio intelligatur de concubitu matrimoniali debito coniugibus poſt bimeſtre, etiamſi talis conditio turpis non ſit, ſed honeſta, non ſuſpendere matrimonij contractum, ſed illum manere purum. Ratio eſt manifeſta, quia talis conditio iure ipſo ineſt, cùm coniuges per ſe loquendo mutuò ſibi debitum reddere teneantur: ergo non ſuſpendit. 3

Dico *tertiò*, ſi ea conditio intelligatur de concubitu licito ſtatim inito contractu ante bimeſtre, ſuſpendere contractum vſque ad aduentum conditionis. 4 Ita cum aliis Sanchez *citatus*. Ratio eſt, quia talis conditio licita eſt & honeſta, & cenſetur alio modo appoſita, quàm iure inſit: iure enim poſt contractum matrimonium datur bimeſtre; at ea conditio intelligitur ſi ſtatim inito contractu ſit coitus, vel copula ante bimeſtre. Igitur verè ſuſpendit contractum matrimonij. Quare ſi contractus celebretur per verba de præſenti ſub prædicta conditione, verè perficitur impleta eâ conditione, & non antea.

Dubitabis *ſecundò* de alia conditione: Contraho tecum ſi te inuenero virginem. 5 Noſter Sanchez *lib. 5. diſp. 16. n. 7.* cum multis quos ipſe refert, ſub diſtinctione reſpondet. Nam ſi intelligatur conditio, ſi te inuenero virginẽ per explorationem matronarum, vel aliam iuſtam indaginem, ſic ſuſpendit, quia eſt conditio honeſta. Si verò intelligatur per concubitum, eſt turpis, quia incitat ad peccandum, atque adeò eâ reiectâ remanet contractus purus.

Opponitur huic Doctori Baſilius *cap. 8. citato, n. 6. & 7.* duo dicens. *Primum* eſt, non conſtare ſibi. Probat, quia hæc conditio, ſi te virginem inuenero per concubitũ, æquiualet huic, ſi tecum concubuero ad explorandam virginitatem. Ergo idem Thomas Sanchez iudicare debet de iſta, ac de illa; ergo ſicut dixit de illa aliquando ſuſpendere ſi ſermo ſit de copula licita, idem etiam de iſta dicere debuiſſet. *Secundum* eſt, eam conditionem non ſolùm cùm intelligitur de exploranda virginitate per concubitum illicitum eſſe turpem, & reijciendam, ſed etiam cùm intelligitur de exploranda virginitate per concubitum licitum; quia vt perfectus ſit contractus, neceſſe eſt vt concubitus liceat, attamen tunc non licet.

Dico *primò*, certum eſſe in prædicta conditione 6 non

non ſecus ac in præcedenti, ſemper ſtandum eſſe intentioni contrahentis, pro foro conſcientiæ. Patet, quia ex ea intentione pendet conſenſus eſſentialiter requiſitus ad contractum maritalem. Quare ſuſpenſus erit matrimonij contractus, vel non, ſi id intendat contrahens, vel non intendat.

7 Dico *ſecundò*, ſi ſenſus eius conditionis ſit: Contraho tecum, ſi te inuenero virginem per iuſtam & honeſtam matronarum explorationem, tunc verè ſuſpendere matrimonium. Ita Sanchez; nec videtur negari poſſe à Baſilio, neque ab vllo alio Doctore. Patet, quia ea conditio eſt honeſta, vt poſſit eo modo vitare irregularitatem; & modus ille explorandi poteſt honeſtè fieri: nam vtrùm ſit virgo honeſtis mediis tentari poteſt, vt inſpectione matronarum honeſtarum; ergo non eſt cur hæc conditio ſi reiicienda, & vt turpis tanquam non adiecta ſit habenda, ſed ſuſpendet conſenſum matrimonij, quia eſt conditio honeſta.

8 Dico *tertiò*, ſi ſenſus ſit, Contraho tecum ſi te inuenero virginem per concubitum, eſt turpis conditio, & ſic habenda pro non adiecta, & ea reiecta remanet contractus purus. Ratio eſt, quia talis concubitus animo explorandi eo modo, ſeu experiendi virginitatem, eſt illicitus, & malus. Vnde prædictus concubitus eo animo factus non poteſt eſſe matrimonialis, cùm ſit animus anceps, & exponat ſe periculo non inueniendi eam virginem, & conſequenter exponit ſe periculo fornicationis.

9 Vnde colligo manifeſtum diſcrimen inter has duas conditiones, Contraho tecum ſi mecum concubueris, &, Contraho tecum ſi te per concubitum experiar virginem. Nam in priori conditione, poteſt concubitus eſſe illicitus: vt ſi intelligatur ante matrimonium; & poteſt eſſe licitus, ſi intelligatur, ſtatim matrimonio contracto, ante bimeſtre. At concubitus animo experiendi virginitatē, nunquā eſt licitus. Ex quo fit Thomam Sanchez ſibi non eſſe contrarium, cùm non eodem modo, ſed diuerſo ferat iudicium de hac conditione, & de illa. Nam de illa rectè dixit ſuſpendere aliquando conſenſum, quia poteſt eſſe licita; de hac verò meritò dixit, ſemper vt turpem eſſe reiiciendam, quia nunquam poteſt eſſe licita, & honeſta. Vnde hac in parte manifeſte deceptus eſt Baſilius Ponce cùm dixit de noſtro Sanchez, hac in re non conſtare ſibi.

10 Dubitatur *tertiò*, quid dicendum de ea conditione, Contraho tecum ſi mihi in primo conenbitu placueris. Reſpondeo omnium doctrinâ, eam conditionem eſſe reiiciendam tanquam turpem. Patet ex dictis, quia concubitus ſub ea conditione experiendi an placeat fœmina, ſemper eſt turpis, nec vnquam poteſt eſſe matrimonialis, ac licitus, cùm animus eſſet anceps. Vnde idem iudicium ferendum eſt de hac conditione, ac de illa alia, ſi te inuenero virginem per coitum.

11 Dubitatur *quartò*, quid dicendum de ea conditione, Contraho tecum, ſi centum mihi dederis. Videtur enim conditio turpis, & à iure reprobata tanquam turpis, cùm per illam reddantur quodammodo venalia matrimonia contra bonos mores. *l. 2. D. de donationibus inter.*

12 Dico tamen, eam conditionem non eſſe habendam vt turpem: intelligitur enim cauſa honeſta, nempe dotis ad onera matrimonij, vel ad compenſandum ætatis, aut qualitatis exceſſum. Cognitâ ergo honeſta & iuſta cauſa, valet ea conditio, vt rectè notauit noſter Sanchez *lib. 1. diſp. 33. n. 4.* Et firmatur, quia in hoc certa iuris diſpoſitio eſt, eam conditionem non eſſe turpem, cùm valeat apponi in ſponſalibus etiam iuratis, iuramentum autem non poteſt eſſe iniquitatis vinculum. Sic conſtat ex *cap. de illis autem 3. de conditionibus appoſitis.* Vbi in ſpecie quis iurauit cuidam mulieri ſub hac forma verborum: Ego accipiam te in meam, ſi tantum mihi donaueris; mulier nolebat ſoluere illud quod petiit Quæſitum fuit, vtrùm vir ſit periurus ſi eam non acceperit. Reſpondit Alexander III. Panormitano Archiepiſcopo, non eſſe periurum. Vbi notat Gloſſa, dans huius rationem, quia conditio honeſta poteſt interuenire in matrimonio: eſt verò illa cauſa iuſta, nempe dotis in ſubſidium onerum matrimonij. Vnde ſi in *l. ſi ita ſtipulatus fuero 97. §. ſi tibi nupſero. D. de verb. oblig.* ea conditio probatur; intelligatur, quando non ſubeſt probabilis cauſa eius promiſſionis, & honeſta, dotis ſcilicet, aut ſimilis. Et ideò expreſſè dicitur in textu, cauſâ cognitâ actionem denegandam, id eſt, ſi non repetiatur iuſta cauſa eius ſtipulationis. Ex quo patet ſolutio ad rationem dubitandi propoſitam.

13 Obiicies contra expoſitionem datam. Nam textus in caſu adducto, dicit, ſi mihi donaueris. Ad quod dotis gratia largitum eſt, non cenſetur donatum, cùm ad onera matrimonij ſuſtinenda detur, *l. pro oneribus. C. de iure dot.* Reſpondeo textum non vſurpare verbum, *donaueris*, in rigoroſa ſignificatione, ſed pro eo quod eſt, dare ex aliqua cauſa, vt liquet; quia ea donatio deducta eſt in pactum, & conditionem matrimonij contrahendi; non igitur fuit gratuita, ſed oneroſa.

14 Dubitatur *quintò*, an ſit conditio turpis, vel honeſta, ſi teſtator præcipiat fœminæ vt nubat certæ perſonæ de familia, ſub pœna hæreditatis, aut legati amiſſionis, de hac re latè Sanchez *lib. 1. diſp. 33. n. 6. & ſeqq.* & Baſilius Ponce *lib. 3. c. 7.* Breuiter

Dico *primò*, eam conditionem, cùm relinquitur legatum, v. g. ſi nupſerit, non eſſe turpem, neque habendam pro non adiecta, ſed illam valere. Patet, quia tametſi ea conditione impediatur maius bonum, nempe cœlibatus, & vita religioſa, non ideò valida non eſt; quia in conditionibus vt honeſtæ ſint, non requiritur quod in materia voti ſpectatur, vt ſint de meliori bono, ſed ſatis eſt ſint de re honeſta ex ſuo genere, & circumſtantiis: at nubere, etſi impediat religionem, bonum eſt.

15 Dico *ſecundò*, valere conditionem, ſi teſtator præcipiat fœminæ, vt alicui nubat ſub pœna amiſſionis legati, vel hæreditatis. Ratio eſt, quia hæc non eſt vera pœna, ſed potiùs eſt ſpe lucri comparandi ad matrimonium inuitari. Neque verò priuari lucro acquiſito eſt verè pœna, niſi acquirens priuetur ab eo, qui lucrum non abſolutè, ſed pacto aliquo, vel conditione adiecta conceſſit. Reiicitur verò prædicta conditio ſi ille cui iniungitur nubere, ſit verè indignus; turpis enim conditio eſt, vt indigna nubat.

Sectio XI.

Qualis ſit hæc conditio de futuro, ſi patri placuerit, appoſita matrimonio, & quo pacto intelligi debeat.

1 CErtum eſt *primò*, apud omnes Doctores, prædictam conditionem, Contraho tecum ſi patri placuerit, non eſſe habeodam vt turpem, cùm nec ſit contra ſnbſtantiam matrimonij, nec contra bonos mores. Vnde qnamuis ea conditio ab alio apponi non poſſit; attamen ab ipſis contrahentibus apponi poſſe, & honeſtè, quis neget?

2 Certum eſt *ſecundò*, talem conditionem reddere contractum conditionatum, & manere ſuſpenſum quouſque impleatur conditio. Id enim præſtat quæuis conditio honeſta adiecta matrimonij contractui; quia non fit abſolutè, ſed dependenter ab exiſtentia conditionis. Vnde poſito beneplacito patris manet abſolutus. Quo pacto verò tale beneplacitum ſit intelligendum, oportet explicemus.

3 Dico ergo *primò*, ſi pater conſentiat, ſiue non diſſentiat, eſſe validum matrimonium, quia verè tunc verificatur conditio. Non enim ea conditione ſignificatur in rigore poſitiuus conſenſus, ſed iuxta communem ſenſum contrahentium eâ conditione tantùm ſignificatur non repugnantia patris, quia ipſi dictâ conditione non tam intendunt quòd pater poſitiuè faueat, quàm quòd non repugnet, & ægrè ferat. Ita Sanchez *lib. 5. diſp. 7. n. 4. & 12.* Coninch *diſp. 29. dub. 2. n. 19.* Gaſpar Hurtado *diſp. 7. difficult. 5. n. 19.* & alij.

4 Dico *ſecundò*, ſi pater primò diſſentiat, ſi tamen poſtea conſentiat, conſenſu iſto poſteriori impleri dictam conditionem, & perfici matrimonium. Ita Nauarrus *cap. 22. n. 61.* Petrus Ledeſma *q. 47. art. 5. dub. 7.* Coninch *diſp. 29 dubio 2. n. 28.* Hurtado *citatus, n. 16.* Negant Sanchez *diſp. 7. n. 9.* & Baſilius Ponce *lib. 3. cap. 17. in fine*, quia per priorem diſſenſum defecit conditio. Nihilominus probatur noſtrum dictum: quia iuxta communem ſenſum, & intentionem contrahentium verba dictæ conditionis non ſumuntur in rigore, ſed morali quodam modo, ita vt ſenſus ſit, ſi à patre obtentus fuerit conſenſus intra tempus aliquod arbitrio prudentis, attentis circumſtantiis aſſignandum; ergo ſi intra iſtud tempus conſentiat, conditio cenſebitur impleta. Quod firmo ſimili exemplo: nam ſi duo contraherent ſub hac conditione, ſi Papa in impedimento diſpenſet, mitterentque procuratorem qui primò pateretur repulſam, & deinde meliùs cauſam proponens obtineret, non videtur dubium contractum valere; ergo idem dicendum in noſtro caſu, niſi aliud expreſſè conſtet de intentione contrahentium. Firmatur ampliùs noſtrum dictum: nam conditio illa, Contraho tecum ſi pater conſentiat, videtur habere eundem ſenſum, ac ſi diceretur, Contraho tecum ſi poſſis patris mei conſenſum obtinere. At in hoc caſu tametſi parens initio negaſſet, & tamen ſecundò, vel tertiò intra breue tempus rogatus, annuiſſet, valeret contractus, quia verè ille potuiſſet obtinere conſenſum, nec poſſet abſolutè dici id non potuiſſe; ergo etiam in altero caſu valet. Hinc

5 Dico *tertiò* cum prædictis Doctoribus, matrimonium factum ſub dicta conditione, ſi patri placuerit, non valere, tametſi pater primò conſentiat, ſi poſtea intra tempus aliquod ſaltem breue diſſentiat, & repugnet. Patet ob eandem rationem, quia nimirum iuxta communem intentionem contrahentium extenditur conſenſus conditionatus vſque ad aliquod tempus tantùm, aut tantùm aſſignandum prudentis arbitrio, attentis variis circumſtantiis. Quia procul dubio ſenſus, & intentio contrahentium eſt valere ipſorum matrimonium ſi pater intra aliquod tempus tandem acquieſcat, & non repugnet; quod deficit ſi intra tempu illud maneat repugnans. Vnde infero deficere conditionem, ſtatim ac contrahentes deſperant poſſe conſenſum patris obtinere, & non niſi cum offenſione eius poſſe contrahere, ita vt nolint eum amplius rogari; quia vlteriùs non intenderunt conſenſum extendere, alioqui deberent perpetuò manere ſuſpenſi.

6 Dico *quartò* impleri quoque conditionem appoſitam, ſi pater conſcius nec conſenſum, nec diſſenſum exprimat per ſolam eam taciturnitatem. Ita cum multis Sanchez *diſp. 7. n. 12.* Et patet, quia ea conditio eò tendit ne pater contradicat, aut ægrè ferat; id enim intendunt filij ſub ea conditione; at quamuis taciturnitas non indicet expreſſum conſenſum, indicat ſaltem patrem non negare, nec contradicere, atque adeò non ægrè ferre; tunc enim id exprimeret; vnde in iure taciturnitas eſt ſignum non contradictionis; ergo id ſatis eſt vt impleatur conditio. Sunt verò duo obſeruanda. *Primum*, id eſſe intelligendum niſi ex coniecturis aliud conſtet. Nam ſi ſint coniecturæ, ideò tacere, quia diſſentit, habenda eſt taciturnitas pro diſſenſu; ſi verò ſint coniecturæ, ideo tacere, quia placet ſibi, habenda eſt pro aſſenſu. Et in dubio, an iudicandum ſit pro aſſenſu ſufficienti vt cenſeatur impleta conditio, ſat erit, vt dixi, prædicta taciturnitas. *Secundum* eſt, ſi conditio eſſet, ſi pater dicat ſe conſentire, tunc non ſufficere prædictam taciturnitatem, ſed oportere vt pater exprimeret ſuum conſenſum, vt ſonant ipſa verba.

7 Dico *vltimò*, quando apponitur ea conditio, ſi pater ſit mortuus, vel moriatur antequam rogatus ſit, an ipſi placeat, valere matrimonium. Ita conſtituo contra Baſilium *dicto cap. 17. n. 15.* cum noſtro Sanchez *diſp. 7. n. 19.* Coninch & Caſtro *citatis.* Ratio eſt, quia tunc repugnare non poteſt pater, quod contrahentes maximè quærunt. Firmo, nam contrahentes quando appoſuerunt conditionem prædictam, vel ſciebant mortem patris, vel eam ignorabant. Si illam ſciebant, validum eſt matrimonium, quia habenda eſt ea conditio tanquam non adiecta, eo quod eſt impoſſibilis. Si ignorabant patris mortem, etiam validum cenſetur, quia illi intendunt abſolutè contrahere niſi ſtet per patris diſplicentiam, quia ſolùm volunt ne parentes id ægrè ferant, quod benè verificatur obitu patris. Addo contrahentes in tantum ſolere apponere eam conditionem, in quantum volunt non inferre iniuriam patri, quâ ablatâ, abſolutè intendunt contrahere matrimonium: in prædicto autem caſu nulla interuenire poteſt iniuria illata patri, ergo.

Sectio XII.

An conditiones honeſtæ, indifferentes, & impertinentes ſuſpendant matrimonium, vel habeantur in illo pro non adiectis.

1 Dico *primò*, conditionem poſſibilem & honeſtam de futuro, qualis eſt illa, ſi patri placuerit, præcedenti ſectione explicata, etiamſi contrahentes vtantur de præſenti verbis, ſuſpendere conſenſum, & reddere contractum conditionatum quouſque impleatur conditio. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia ea eſt natura conditionis, vt ſuſpendat valorem contractus ſub ea initi, in euentum conditionis, *l. ſi ita ſtipulatus fuero. ff. de verborum oblig. & l. 1. tit. 4. p. 4.* talis enim contractus non fit abſolutè, ſed dependenter ab exiſtentia conditionis. Ex alio capite nullo iure reiiciuntur à matrimonio conditiones honeſtæ & poſſibiles, ſed tantùm turpes, & impoſſibiles, vt conſtat ex ſuperioribus ſectionibus. Igitur conditio honeſta & poſſibilis ſuſpendet matrimonium, & efficiet vt validum non ſit donec impleatur conditio. Firmatur exemplo aliorum contractuum ciuilium, qui celebrantur ſub conditione, vt contractus emptionis

Digitized by Google

emptionis, donationis, & alij; & ſimiliter legata ſub conditione relinquuntur. Ergo idem de contractu matrimonij dicendum eſt. Cur enim non dicatur, nulla eſt ratio.

2 Cæterùm ſunt duo obſeruanda. *Primum* eſt, hoc dictum debere intelligi, ſi conditio adiiciatur in ipſo actu contrahendi matrimonium, ſecus ſi ex interuallo. Ratio eſt, quia vbi matrimonium ſemel contractum eſt, cùm iam ſuum effectum ſortitum ſit, neque ex communi conſenſu liceat ab eo recedere, non poteſt poſtquam ſemel contractum eſt, pati conditionem, etiam ex vtriuſque conſenſu. In quo valde differt à cæteris contractibus, qui cùm mutuo conſenſu diſſolui valeant, poſſunt etiam mutuo conſenſu admittere conditionem. *Secundum* eſt, quamuis conditio honeſta ſuſpendat contractum, vſque ad conditionis euentum, nec ſit vſque tunc perfecta obligatio: at non poteſt alter antequam conditio deficiat, recedere à contractu, ſed tenetur expectare vſque ad conditionis euentum. Id enim eſt proprium contractus conditionalis, vt ante conditionis euentum neutri liceat reſilire, inuito altero. Nam ex contractu conditionali non minus oritur obligatio in ſpe, hoc eſt, in euentum conditionis, quàm ex contractu abſoluto & puro, & in re, cùm vterque contractus ſit, & in ſuo ordine & gradu perfectus.

3 Dico *ſecundo*, idem dicendum de conditione indifferenti ſuſpendere contractum matrimonij. Ratio eſt, quia ea conditio non eſt illicita & turpis, cùm ſit indifferens; ergo non eſt cur à matrimonij contractu ſit reiicienda.

4 Dico *tertiò*, ſi conditio ſit impertinens, etiam ſuſpendere contractum matrimonij. Ita cum communiorē doctrina Sanchez *lib. 5. diſp.* 18. *n. 3.* Et probat optimè, quia omnis conditio iure non improbata poteſt apponi matrimonio, vt colligitur à contrario ſenſu ex *cap. ſuper eo, de conditionibus appoſitis*, ibi, at conditionem ipſam canonica non improbent ſtatuta. At conditio impertinens nullo iure reprobatur, quia cap. finale de conditionibus appoſitis, vt vidimus ſuprà *ſectione nona*, reiicit conditiones turpes, quia incitant ad peccandum. At conditio impertinens ad nullum inducit peccatum. Vnde licèt talem conditionem impertinentem adiicere matrimonio ſit aliqualis culpa, & turpe videatur contractui tam ſancto, & qui ſacramentum eſt, impertinentem conditionem adiicere; non tamen eſt ex turpibus, quæ reiiciuntur à matrimonio, quia non obligat, nec incitat alterum contrahētem ad aliquod peccatum in futurum committendum, qualis eſt illa, ſi furtum feceris.

Sectio XIII.

An matrimonij contractus per verba de præſenti, ſub conditione honeſta, fiat validus & purus euentu ipſo conditionis impletæ abſque nouo aliquo conſenſu.

1 SVppono *primò*, vt omnis æquiuocatio tollatur, conditionem honeſtam apponi poſſe conſenſu requiſito eſſentialiter matrimonij contractui, non verò matrimonio ipſi formaliter ſumpto, vnde abſolutè nullum eſt matrimonium conditionale concedēdum: quia donec eueniat conditio, nōdum conſenſus completus eſt, neque contractus eſt purus & abſolutus, neque iſte obligationem parit, nec cauſat vinculum formale in quo formaliter conſiſtit matrimonium iuxta noſtram ſententiam, vt dixi ſuprà *diſp. 13. ſect. 1.* Quam etiam defendit noſter Sanchez, & ideò rectè dixit *lib. 5. diſp. 1. n. 5* matrimonium ipſum conditionem non recipere, benè tamen conſenſum præſtitum ad matrimonium poſſe ex conditione pendere. Quia non conſurgit vinculum maritale in quo cōſiſtit matrimonij eſſentia, niſi poſt impletam conditionem, quando iam contractus eſt purus. Et ita conſenſui quaſi pendenti appoſita eſt conditio, non verò matrimonio, hoc eſt, vinculo, quoniam iſtud conſurgit, & ſupponit impletam conditionem, & contractum iam abſolutum, & purum. Vnde noſter Sanchez non ſolùm non ſibi pugnat, ſed conſequenter docuit, cùm dixit *eodem libro 5. diſp. 8 n. 5.* adueniente conditione ſtatim abſque nouo conſenſu effici matrimonium: ſumit enim ibi matrimonium non pro vinculo, ſed pro contractu, de quo ſolùm eſt quæſtio, an purificetur adueniente conditione abſque nouo conſenſu. Vnde immeritò Baſilius Ponce *lib. 3. cap. 13. n. 18.* carpit illum vi conſecutionis; nam verè, & conſequenter locutus eſt.

2 Suppono *ſecundò* quod eſt certum apud Doctores, conditionem appoſitam contractui matrimonij, & aliis contractibus hanc vim habere vt ſuſpendant obligationem perficiendi contractum, donec purificetur conditio, *§. ſub conditione, & §. ex conditionis, Inſt. de verbor. oblig.* Inde tamen oritur obligatio expectandi euentum conditionis. Vnde ibi duplex obligatio interuenit. Vna conditionalis pendens in futurum perficiendi contractum, ſi conditio eueniat; alia pura & præſens expectandi conditionis euentum.

3 His poſitis præſens controuerſia in duplici ſenſu agitanda eſt. *Primus* eſt, an quando contrahentes ſunt habiles abſque diſpenſatione ad contrahendum, & contrahunt per verba de præſenti ſub conditione honeſta, vt ſi pater voluerit, vel dotem dederit, & permaneant in eodem conſenſu, vſque ad tempus euentus conditionis, fiat purus matrimonij contractus impleta conditione, abſque nouo conſenſu, virtute ſolius prioris conſenſus. *Secundus* eſt, an idem dicendum ſit, quando contrahentes erant inhabiles ad contrahendum abſque diſpenſatione; vt ſi duo conſanguinei contrahant per verba de præſenti, hac conditione, ſi Papa diſpenſauerit. Circa priorem ſenſum probabilis multorum opinio eſt, requiri nouum conſenſum poſt conditionem exhibitam, quam viriliter defendit Baſilius Ponce *lib. 3. c. 13. & 14.* & noſter Ludouicus Mæratius *tractat. de Matri. diſp. 7. ſect. 11.* Probatur

4 *Primò*, quia conſenſus ille ſub conditione celebratus non eſt conſenſus matrimonij contractus de præſenti, ſed tantùm ſponſalium de futuro: ergo eueniente conditione neceſſarius eſt nouus conſenſus de præſenti ad perficiendum matrimonij contractum, quia adhuc certum eſt requiri conſenſum verè de præſenti. Antecedens probatur ex *cap. 5. ſuper eo verò, de conditionibus appoſitis*, vbi cùm quæſitum eſſet ab Vrbano III. An qui in quandam mulierem conſentit, ſi pater eius ſuum præſtaret aſſenſum, ſit ad matrimonium contrahendum compellendus? Reſpondet Pontifex, deficiente conditione nō eſſe compellendum ad contrahendum, & ſubdit ſic, cùm huiuſmodi conſenſus non ſit de præſenti habendus, licèt per verba de præſenti euidentiùs exprimatur. quibus verbis apertè docet, illum fuiſſe conſenſum de futuro; ergo non fuit de præſenti, & conſequenter neque matrimonij contractus, ſed ſponſalium.

Secundò ſi quis eo modo conditionatè contrahat cum aliqua, & dum pendet conditio, contrahat cum alia conſenſu abſoluto, iſte ſecundus matrimonij contractus,

tractus valet; ergo primus conſenſus non erat ſufficiens ad matrimonij contractum.

Tertiò, ſemel præſtito conſenſu matrimonium diſſolui non poteſt, ſaltem voluntate contrahentium; ſed in hoc caſu ante conditionem impletam poſſunt mutuo conſenſu reſilire à contractu, imò & renuente altero poteſt alter validè reſilire, & contrahere cum alia; ergo ſignum eſt ante tantum eſſe conſenſum ſponſalium.

Quartò. Nemo poteſt contrahere cum duabus ſimul, ſed ſi oppoſitum eſſet verum, poſſet hoc fieri, vt ſi quis contrahat ſimul cum duabus mulieribus cum conditione tantæ dotis, & quæ prior dotem afferret, coniugata maneret; ſi ambæ ſimul id præſtarent, com ambabus coniugaretur, ergo.

Vltimò, Sacramenta nouæ legis non poſſunt ſuſpendi, ſed ſtatim valent, aut non valent. Sic enim, quamuis dicam, Abſoluo te, ſi reſtitueris; nõ propterea ſuſpenditur abſolutio. Sed ſtatim vel non eſt Sacramentum, vel eſt, ſi eſt diſpoſitio; ſed matrimonij contractus eſt Sacramentum; ergo erit quando eſt conſenſus ſub ea conditione, vel ſi tunc non eſt, neque erit poſtea eueniente conditione, niſi iterum ponat conſenſus.

Verius iudico oppoſitum, matrimonij contractum ſub conditione initum, hac poſita non indigere nouo conſenſu. Ita multi Iuriſperiti, & Theologi, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.* 5. *diſp.* 8. *n.* 5. Idem defendunt Coninch *diſput.* 29 *dub.* 1. *num.* 11. Hurtado *diſput.* 7. *diffic.* 3. *num.* 10. & alij. Probatur

Primò à priori, quia conſenſus per verba de præſenti præſtitus, quamuis ſub conditione honeſta de futuro, & contingenti, eſt verè conſenſus de præſenti, tametſi inchoatus tantùm, & imperfectus vſque ad euẽtum conditionis, quo contrahens ex tunc conſentit, & vult alterum in coniugem, ſub conditione, id eſt, ſi ponatur conditio; ergo poſitione conditionis conſenſus ille perficitur, & à conditione abſoluitur, ac proinde etiam contractus. Conſequentia patet, quia conſenſus ille conditionatus ſaltem habitualiter manet, vtpotè non reuocatus, & iam poſitione conditionis ab ea abſolutus, & independens; imò manet moraliter præſens, vtpote elicitus dependenter ab aduentu conditionis, quem expectat, & iam euentu cõditionis ab ea abſolutus. Firmo magis antecedens ex ſenſu verborum; longè enim aliud ſignificant hæc verba, Accipio te ex nunc in meam, ſi centum dederis in dotem; aliud hæc, Accipiam te in meam ſub eadem conditione: ſicut longè aliud hæc alia verba ſignificant, Inſtituo Petrum hæredem, ſi nomen, & arma ſumpſerit; vel inſtituam hæredem: atqui vtraque verba prout ſunt coniuncta interno cõſenſui, ſunt verè practica, & efficiunt, quod ſignificant; ergo vtraque habent diuerſum effectum; ſed verba illa poſteriora in omnium ſententia faciunt ſponſalia; ergo priora cùm ſint de præſenti, faciunt matrimonij contractum, cùm ambæ propoſitiones ſint practicæ, & operatiuæ; ergo poſita conditione ſine nouo conſenſu fit completè matrimonij contractus; illa autem pendente, ſicut conſenſus ille eſt incompletus, ita & contractus ponitur incompletè.

Secundo, cæteri contractus, etiam ſponſalia ſub conditione inita, ſtatim atque hæc eſt ſufficienter poſita, ſunt omnino valida, ſine nouo conſenſu, ac ſi tunc purè, ſiue ſine conditione fuiſſent inita, vt patet ex l. *hæc venditio 7. ff. de contrahenda emptione*; ergo etiam matrimonij contractus. Nec valet dicere in contractu matrimonij requiri maiorem libertatem, quàm in cæteris contractibus. Nam ſpectato iure naturæ id non eſt verum, cùm ex errore, qui non ſit contra eius ſubſtantiam, initum, ſit validum, vt ſuo loco dicetur, imò etiam metu contractum, ſpectato ſolo iure naturæ valet, vt dicam *diſput. ſequenti*. Ius autem poſitiuum nullam hîc ponit diuerſitatẽ, nec ſupplet conſenſum in aliis contractibus. Et matrimonij contractus tam liberè initur ſub conditione futura, ita vt ea poſita ſtatim valeat, ac ſi ab initio purè iniretur.

Tertio, in aliis rebus, vt in donationibus, & legatis dominium poteſt transferri per conſenſum conditionatum, vt ſi dono, vel lego Petro centum, ſi ipſe fiat Sacerdos, impleta conditione ſtatim fit dominus illorum abſque nouo conſenſu. Firmo in voto. Nam ſi æger vouet peregrinationem, ſi conualeſcat, recuperata valetudine ſine nouo conſenſu manet obligatus, in quo ius conſenſum abſolutum non ſupplet; ergo idem dicendum in matrimonij contractu.

Vltimò non implicat, vt hîc & nunc quis efficaciter velit tradere ſuum corpus, dependenter tamen à poſitione alicuius conditionis; ergo hac poſita, illa voluntas, quæ cenſetur virtualiter permanere, cùm non ſit retractata, erit abſoluta. Antecedens patet, tum quia conſenſus eius, qui primò verba pronuntiat in contractu matrimonij, eſt efficax volitio tradendi ſuum corpus alteri, & ſemper quaſi intrinſecè includit hanc conditionem, ſi alter etiam conſentiat & velit etiam efficaciter tradere ſuum corpus. Quod magis vrget in eo qui dat ſuum conſenſum per epiſtolam, aut internuntium. Tum etiam, quia, vt ipſe verius cenſeo, voluntas, qua Deus efficaciter vult concurrere cum cauſis ſecundis liberis ad ſuos actus, eſt conditionata, nam Deus vult cum ipſis concurrere, ſi ipſæ ſe determinare voluerint. Igitur ſicut poſita determinatione voluntatis creatæ non requiritur in Deo alia voluntas, ſed ſufficit illa prior; & in alio exemplo ſtatim ac alter conſentit, manet conſenſus perfectus, & abſolutus, ita idem dicendum eſt in præſenti.

Ex his facile ſoluuntur argumenta oppoſita.

Ad primum negatur antecedens. Ad eius proba- 6
tionem, dico ſolum fuiſſe petitum à Pontifice, An qui conditionatè contraxerat, teneretur conſummare ante impletam conditionem, vnde interrogatio de conſummatione propoſita fuit. Reſpondet autem Põtifex talem non eſſe cogendum, vt ante conditionem contrahat abſolutè, & abſque conditione, & conſequenter non poſſe conſummare matrimonium ante eam. Nec verò ex eo quod dicitur, talẽ ante impletã conditionem, non eſſe cogendum ad contrahendum; ſequitur, ea impleta, ipſum cogendum, vt contrahat; ſed tantùm ſequitur, eum contractum, ante impletam conditionem non habere vim matrimonij contractus, & conſequenter alterum non teneri ad matrimonium conſummandum, vel contrahendum abſolutè. Argumentum enim à contrario ſenſu ſæpè fallit, præſertim quando id quod infertur ſupponit grandem ſtatus mutationem, nec facit ad reſponſionem rei propoſitæ, vt contingit in præſenti caſu, in quo conſequens ſupponit impletionem conditionis.

Ad ſecundum diſtinguitur antecedens, completè, 7
vel incompletè; ille conſenſus non ſufficit completè ad contractum matrimonij perficiendum; completur autem, tanquam per ſui partem per conditionem.

Ex quo patet ſolutio ad tertium admittendo totum 8
illud, quia pendente conditione adhuc matrimonij contractus non eſt completus, & ideo poteſt reuocari, quia nondum eſt perfectus, & abſolutus, ſed à conditione dependens. Vnde circa hanc rem duo ſunt notanda. *Primum* conſenſum in matrimonium, ſub conditione de futuro, illud ſuſpendente in futu-

tum,

rum, ſi reuocetur ante euentum conditionis, non ſufficere ad matrimonium: quia reuocatione deſinit eſſe conſenſus, ac proinde non exiſtit adhuc habitualiter quando impletur conditio, vt illius impletione perfici poſſit, & à conditione abſolui. *Auctum* eſt, eam reuocationem eſſe iniuſtam contra obligationem iuſtitiæ expectandi impletionem conditionis. Et ob hanc rationem in aliis contractibus conſenſus ſub cõditione de futuro, ſi reuocetur, tametſi non ſufficiat ex iure naturæ ad eorum valorem; ſufficit tamen, de facto, ex iure poſitiuo, quòd ob iniuriam reuocationis, vult ſupplere defectum conſenſus ad illos requiſiti: quod non fit, nec fieri poteſt in contractu matrimonij, quia poteſtas humana nequit ſupplere defectum conſenſus ad eum requiſiti, vt oſtendi ſuprà *diſp.* 14. *ſect.* 6.

9 Ad quartum conceſſa maiori, negatur minor; nam in illo caſu non poſſet quis velle perficere matrimonij contractum eum duabus ſimul, quia hoc iudicatet impoſſibile prohibita polygamiâ. Vnde mulier, quæ primò impleret conditionem, eſſet ſtatim coniux, & fieret matrimonium: ſi verò ambæ ſimul implerent conditionem, cum nulla contraheret; quia vnum matrimonium impediret aliud. Vt in ſimili, ſi duo ſimul baptizarent puerum, & quiſque ſolùm vellet baptizare in caſu quo prius abſolueret vnus verba, quàm alius; ſi ſimul abſoluerent prolationem verborum, non fieret Baptiſmus, quia vnus alium impedit; ita in noſtro caſu, ille non poteſt ſimul intendere contrahere cum duabus, ſed cum vna, quæ prior impleuerit conditionem, niſi ille exprimeret, in caſu quo ambæ ſimul implerent, ſe in Mariam, & non in Franciſcam conſentire.

10 Ad vltimum communis ſolutio eſt hoc eſſe peculiare in ſacramento matrimonij, vt nimirum pendeat à conditione futura, quia fundatur in ratione contractus qui pendere poteſt ab illa, vnde ſequitur eius naturam. Ego verò aliter reſpondeo, nullum ſacramentum poſſe immediatè pendere à conditione de futuro, neque etiam matrimonium, vt ſacramentum eſt; nam ratio ſacramenti non fundatur in contractu matrimonij, vt eſt conditionatus, ſeu inchoatus contractus, ſed vt eſt abſolutus, & perfectus. Itaque in omnibus ſacramentis ſtatim atque materia, & forma integrè poſita ſunt, neceſſariò ponuntur, vel nunquam, ſine vlla dependentia à re futura. Impoſſibile enim eſt, vt infuſio aquæ in Baptiſmo, vel pronuntiatio formæ ita dependeat à re futura, vt hac poſita, vel non poſita, illæ etiam fuerint poſitæ, aut non poſitæ. Idem eſt cum proportione in matrimonio, in quo conſenſus internus completus, eſt pars eſſentialis, qui factus ſub conditione, ita ab ea pendet, vt ea poſita verè à parte rei completè ponatur, aliàs non: ſimiliter cõſenſus externus in ratione ſigni ab eadem conditione pendet, vt ſit completus. Quare ſacramentum matrimonij pendet non immediatè à conditione, ſed à parte ſui eſſentiali, nempe à conſenſu perfecto, & completo, qui ante conditionem impletam non ponitur in eſſe.

11 Circa poſteriorem ſenſum de matrimonio contracto inter perſonas inhabiles, v. g. inter conſanguineos ſub conditione, ſi Papa diſpenſauerit, eſt ſpecialis difficultas, ob peculiarem rationé contrahentium, & conditionis ſub qua contrahunt. Multi, & graues Doctores, inter quos Sotus *diſt.* 29. *a.* 1. *q.* 1. & Henriquez *cap.* 12. ſentiunt in dicto caſu contractum matrimonij non perfici abſque nouo conſenſu, quamuis diſpenſatio obtineatur. Probant

Primò, quia iſte contractus conſanguinei cum conſanguinea, v.g. Contraho tecum, ſi Papa diſpenſet, hic & nunc eſt inter perſonas inhabiles; ergo hic, & nunc de præſenti nullam habet veram rationem contractus materialis; ergo nec poſtea adimpleta conditione, ſeu obtenta diſpenſatione. Patet hæc vltima conſequentia, quia conſenſus de præſenti conditionati eo modo ſuſpenduntur, quo ſunt de præſenti, ſed de præſenti non ſunt contractus maritalis; ergo nec ſuſpenduntur vt talis; ergo adimpleta conditione non perficientur in ratione talis contractus.

Secundò ſuſpendi contractum nihil eſt aliud, quàm non parere obligationem, quam conſenſus illi de præſenti nati erant parere, ſi eſſent abſoluti; ſed de præſenti etiamſi eſſent abſoluti, non erant nati parere obligationem matrimonij; ergo nec poſita conditione; quia ea poſita ſolum oritur ea obligatio, quæ erat ſuſpenſa; at non erat ſuſpenſa matrimonialis obligatio.

Tertiò conſenſus clandeſtini de præſenti eo ipſo quòd ſint irriti, licèt addatur eis conditio de eiſdem poſtea manifeſtandis corã Parocho & teſtibus, adhuc nõ ſunt verum matrimonium de præſẽti ſuſpenſum, & perficiendum per ſolam manifeſtationem prædictam; ergo idem dicendum de aliis conſenſibus aliarum perſonarum inhabilium.

Veriorem iudico oppoſitam ſentẽtiam, adueniente diſpenſatione ſtatim, abſque alio nouo conſenſu, contractum perfici maritalem. Ita multi, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.* 5. *diſp.* 8. *n.* 10. Hurt. *diſp.* 7. *difficul.* 5. & alij. Ratio à priori eſt, quia in dicto caſu obtenta diſpenſatione datur conſenſus de præſenti abſolutus, & inter perſonas habiles; ergo abſque nouo conſenſu eſt ſufficiens ad contractum maritalem perficiendum. Conſequentia euidens eſt. Antecedens probatur, quia conſenſus ille conditionatus eſt de præſenti, & eſt inter perſonas habiles ad contrahendum non abſolutè, ſed ſub dicta conditione, & aliàs moraliter perſeuerat vſque ad impletionem conditionis, nempe diſpenſationis, qua ille conſenſus de præſenti fit abſolutus, & contrahentes fiunt habiles ad conſenſum abſolutum; ergo verè adeſt conſenſus de præſenti abſolutus, & inter perſonas habiles. Ex quo fit, vt effectus mutuæ traditionis corporum, qui ante impletionem conditionis eſt ſuſpenſus, & non cauſatur à conſenſu; poſtea ſtatim conditione adueniente, cauſetur & fiat vinculum matrimonij. 12

Hinc patet ſolutio ad argumenta oppoſita.

Ad primum negatur antecedens, quia non fuit conſenſus inter perſonas inhabiles, cùm non fuerit præſtitus pro eo tempore, quo tales erant, ſed pro eo tempore, quo Pontifex iam diſpenſaſſet, & tunc iam erant legitimæ, & habiles. Vnde ille conſenſus ab initio fertur in perſonam legitimam, & habilem, cumque ſit ab initio conditionatus, verè ſuſpendit, quia hæc eſt natura conditionis ſuſpendere conſenſum, vſque ad illius euentum, & poſt euentum conditionis, nempe vbi Pontifex diſpenſauit, eſt habilis. Ex quo patet 13

Ad ſecundum, ſupendi videlicet obligationem vſque ad impletionem conditionis, & tempus, quo conſenſus eſt iam abſolutus, & contrahentes ſunt habiles ad illum.

Ad tertium negatur, illum conſenſum ſi fiat cum conditione manifeſtandi illum coram Parocho & teſtibus, eſſe abſolutum, & clandeſtinum, ſed eſſe verè conditionatum

***

SECTIO

Google

Sectio XIV.

An contractus matrimonij ſub conditione, vt fiat validus, abſolutus, & purus, requirat, vt exiſtentia, ſeu impletio conditionis ſit nota contrahentibus, & etiam Parocho, & teſtibus?

Conſtat ex præcedentibus exiſtentiam conditionis, quæ apponitur contractui matrimonij, eſſe neceſſariam ad valorem illius, quia ſit dependenter ab eius exiſtentia. Eſt verò *primo* difficultas, An etiam ſit neceſſaria notitia exiſtentiæ ac impletionis eius habita à contrahentibus?

1 Affirmat noſter Coninch *diſp.* 29 *dub. primo.* Probat, quia ad contrahendum matrimonium eſſentialiter requiruntur verba, quibus contrahentes ſibi mutuo ſignificent determinatè conſenſum; ſed quando non eſt nota à contrahentibus impletio conditionis appoſitæ, verba non ſignificant magis conſenſum, quàm diſſenſum, quia ſub diſiunctione ſignificant, vel conſenſum, ſi conditio extiterit, vel diſſenſum, ſi non exiſtit; ex dictis enim verbis quouſque exiſtentia conditionis ſit nota, non magis colligitur conſenſus, quàm diſſenſus; ergo vt verba ſignificent conſenſum, & vt ex illis cognoſcatur, neceſſe eſt, vt exiſtentia conditionis ſit contrahentibus nota.

2 Alij ſentiunt cum Sanchez *lib.* 5. *diſp.* . *n.* 19. Hurt. *diſp.* 7 *diff.* 3. *num.* 7. & aliis, contractum maritalem per dictum mutuum conſenſum perfici, poſita, & exiſtente conditione, antequam eius exiſtentia, ſeu impletio à contrahentibus cognoſcatur. Probant, quia prædictus mutuus conſenſus ſolùm pendet à conditione, & non à notitia ipſius, quia non eſt datus dependenter ab iſta; ergo perficitur talis contractus, nec erit ſuſpenſus ante eam notitiam. Firmant, quia, regulariter loquendo, qui contrahit ſub aliqua conditione, non contrahit ſub conditione notitiæ rei ſignificatæ per conditionem, ſed ſub conditione exiſtentiæ rei ſignificatæ; ergo vbi primum res ſignificata per conditionem exiſtit, conſenſus conditionatus tranſit in abſolutum. Quòd verò cognoſcatur, vel non cognoſcatur à contrahentibus per accidens ſe habet ad valorem talis contractus; quia verba determinatè conſenſum ſub illa conditione tantùm ſignificant, quamuis ignorando exiſtentiam conditionis, ignorent contrahentes, contractum, vel conſenſum iam abſolutè valere, ſtipulatio facta ſub conditione valida eſt, quamuis contrahentes ignorent eſſe poſitam conditionem, vt expreſſè habetur *in l. cum hær. ff. de rebus creditis*, ergo idem erit in matrimonij contractu. Denique idem roboratur, quia conſenſus actualis ſub conditione, ſi Procurator conſenſerit, perficit contractum ante notitiam conſenſus Procuratoris; ergo & in præſenti caſu.

3 Nihilominus ipſe adhæreo priori opinioni Coninchi. Moueor, quia contractus matrimonij non perficitur, niſi vterque contrahentium percipiat illud ſignum externum, quo declaratur conſenſus ſufficiens, vt conſtat ex *diſp.* 14. *ſect.* 3. & 4. Sed iſta verba ſola, Accipio te in meam, ſi pater conſenſerit, non declarant ſufficienter, & complerè hunc conſenſum, dum non cognoſcitur conditio, quia ſignum ſufficiens non ſunt verba ſola, ſed illa ſimul cum conditione; ergo vtrumque debet cognoſci à contrahentibus, & conſenſus mutuus, & adimpletio conditionis. In quo eſt diſcrimen inter eum, qui contrahit per ſe ipſum, & illum, qui contrahit per alium, nempe per procuratorem; nam qui contrahunt per procuratorem, exprimunt, & acceptant conſenſus per alium, & ideo ſolum eſt opus, vt noti ſint procuratori, qui eſt veluti perſona contrahentis; at quando quis immediatè per ſe ipſum contrahit, debet ipſe ſignum externum ſufficiens percipere, & dum hoc non perficit, non ſatis explicat conſenſum.

Addit Rebellus *lib.* 2. *quæſt.* 10 *ſect.* 6. *num.* 44. opus 4 eſſe vt ipſi contrahentes expreſſè voluerint, & declarauerint ſe velle vt ſtatim poſita, & cognita conditione matrimonium foret ratum. Cæterùm non iudico id neceſſarium eſſe, ſed ſatis eſt, quòd conditionatè conſenſerint, hoc enim ipſo declarant, ſe velle, vt conditio illa ſit vltimum ſignum ſui conſenſus.

Maior difficultas eſt ſecunda, an hodie, vbi Tridentinum viget, ad valorem abſolutum contractus maritalis conditionati, neceſſarium ſit conditionem coram Parocho, & teſtibus adimpleri, & illis eſſe notam. Difficultas verò procedit iuxta opinionem noſtram, qua diximus ſuprà *ſect.* 14. contractum matrimonij conditionatum, conditione de futuro, purificari impletione conditionis abſque nouo conſenſu. Nam iuxta opinionem contrariam aſſerentem non purificari impletione conditionis, ſed requiri nouum conſenſum, videtur apertè neceſſariũ nouum illum conſenſum exprimi coram Parocho, & aliis teſtibus, quia tunc fit verè matrimonij contractus, & antea in ea opinione tantùm erant ſponſalia, vnde Parochus & teſtes ſolis ſponſalibus aſſiſterent. Qua in re noſter Sanchez *lib.* 5. *diſp.* 8. *num.* 24. *& ſequentibus*, cum Nauarro, & aliis inclinat in partem negantem. 5 Quia Tridentinum requirens aſſiſtentiam Parochi, & teſtium, ſolùm intendit eam, vt poſſint teſtificari de conſenſu de præſenti, tametſi valor eius pendeat ex alicuius veritatis poſitione, vt nequeant plenè teſtari de matrimonio, niſi ſuppoſita notitia talis veritatis. Sic conſtat in matrimonio contracto per procuratorem, ad quod non requirit, vt Parochus & teſtes videant litteras continentes poteſtatem procuratoris. Similiter quando conſanguinei contrahunt ex Papæ diſpenſatione, non requiritur, vt diſpenſatio videatur à Parocho, & teſtibus, & tamen valor vtriuſque matrimonij pendet ex poteſtate procuratoris, & ex diſpenſatione Pontificis; ergo licèt valor conditionati matrimonij pendeat ex poſitione conditionis, non erit neceſſe, vt Parocho, & teſtibus innoteſcat. Firmat, quia decretum Tridentini eo tantùm fine ſtatutum eſt, ne nouum matrimonium contrahatur relicto priori; ſed hic finis ſatis comparatur ſi Parochus, & teſtes interſint mutuo conſenſui de præſenti conditionato, & quamuis valor dependeat ex verificatione conditionis. Nam cùm conſenſus mutuus conſtet Eccleſiæ, non permittet contrahentes ad aliud tranſire matrimonium, relicto priori, niſi præmiſſo diligenti examine, an fuerit impleta conditio, & an iuſtè fiat diſceſſus à priori matrimonio. Ex qua doctrina infert Sanchez duo. *Primum*, ſi pendente conditione matrimonij initi coram Parocho, & teſtibus, contrahentes habeant copulã, præſumere Eccleſiam receſſiſſe à conditione, & perfici contractum maritalem, ex *cap. per tuas, de conditionibus appoſitis*, quod idem erit in foro interno etiam poſt Tridentinum ſi affectu coniugali commixti ſunt, quia iam eſt ſeruata forma Tridentini in priori contractu, & iudicandum erit, ac ſi impleta eſſet conditio occultè. *Secundum* eſt, ſi duo conſanguinei contrahant coram Parocho & teſtibus per verba de præſenti, ſub hac conditione, ſi Pa-

pa

pa diſpenſauerit, idem dicendum modò poſt Tridentinum, ſuppoſita dicta opinione, eſſe matrimonium, abſque nouo conſenſu. Si verò ſolùm contraxiſſent ſponſalia, quamuis antiquitus adueniente diſpenſatione per copulam tranſibant in matrimonium, iuxta *cap. is qui, de ſponſal.* At per Tridentinum eſt iam correctum, cùm ceſſarint matrimonia præſumpta. Habent tamen locum poſt Tridentinum ſi ſponſalia illa, & copula fierent coram Parocho, & teſtibus, quia iam ſeruatur forma.

6 Alij verò, vt Coninch *diſp. 29. dub. 1. n. 15.* Hurt. *diſp. 7. difficult. 8 n. 24.* & Rebellus *lib. 2. q. 10. ſect. 6. n. 44.* affirmant. *Primò*, quia Parochus & teſtes debent eſſe teſtes non modò inchoati, ſed perfecti & abſoluti contractus, ſaltem externi. Vnde aſſiſtere debent matrimonio eſſentialiter perfecto quoad exterius ipſum; & non ſufficit matrimonio eſſentialiter tantùm inchoato; at hoc fieri non poteſt, niſi interſint impletioni conditionis; quia contractus antea inchoatus, ac planè incompletus per hanc perficitur, nam dum illa non exiſtit, ſolùm eſt inchoatus; igitur debent etiam huic intereſſe. *Secundò*, quia facile poſſet alteruter negare conditionem impletam, cùm non poſſet in foro externo probari, & ita ſequerentur omnia incommoda quæ Tridentinum cupit euitari. *Tertiò*, quia ad valorem matrimonij requiritur vt Parochus & teſtes ita aſſiſtant, vt intelligant quid agatur, ſeu ſponſos hic & nunc in matrimonium conſentire; ad hoc autem non ſufficit vt audiant eos conſentientes ſub conditione, niſi ſciant etiam conditionem eſſe impletam; nam quandiu veritas conditionis eſt illis ignota, illis verbis non magis colligunt contrahentes perfectè, & plenè conſentire, quàm diſſentire; ergo illud eſt etiam neceſſarium.

7 Hanc ſecundam ſententiam iudico veriorem, & in praxi ſecutiorem, ob primam, & ſecundam rationem adhibitam. Vtramque magis declaro, ac firmo. Nam in primis firmatur ratio prima, quia Parochus, & teſtes, licèt non ſit neceſſarium vt poſſint teſtificari de omnibus his quoquo modo requiſitis ad valorem matrimonij, atque ideo neceſſe non ſit, vt videant litteras continentes diſpenſationem, vel poteſtatem, & aſſignationem procuratoris; eſt tamen ſimpliciter neceſſarium, vt poſſint teſtificari de valore matrimonij, & iudicare de matrimonio eſſentialiter perfecto quoad exterius ipſum; in quo conſiſtit eſſentia exterior matrimonij. At eſſentia exterior matrimonij conditionati perficitur eſſentialiter impletione conditionis, quia talis contractus vltimò completur, & perficitur eſſentialiter per impletionem conditionis; nam exterior expreſſio mutui conſenſus, in qua conſiſtit contractus maritalis, quoad exterius ipſum eſt ex voluntate contrahentium alligata impletioni conditionis; carentia autem impedimenti inter contrahentes, vel diſpenſatio Papæ, vel poteſtas, ſeu aſſignatio Procuratoris, non perficiunt eſſentialiter exteriorem expreſſionem conſenſus, quamuis ſint requiſitæ, vt exterior expreſſio conſenſus ſit valida, & vt habeat effectum. Igitur neceſſarium eſt vt aſſiſtant impletioni conditionis, & de illa iudicent, ac teſtificentur eſſe impletam, tametſi neceſſe non ſit, vt aſſiſtant omnibus quolibet modo requiſitis ad prædicti contractus valorem. Præterea firmatur ſecunda ratio, nam Concilium tametſi non requirat vt Parochus & teſtes poſſint teſtificari ipſos contrahentes validè in ipſa contraxiſſe, requirere tamen vt teſtificentur [illegible] contractum maritalem ſecundùm exteriorem ſpeciem eſſe legitimè factum, vt nimirum vitentur omnia inconuenientia, ad quod neceſſe eſt, vt conſtet ipſis conditionem fuiſſe impletam, cogentur enim ſimul manere, & qui vellet reſilire à matrimonio, huic incumberet probare interceſſiſſe aliquod impedimentum, vel diſpenſationem fuiſſe ſubreptitiam; & ſi ante probationem tentaret contrahere cum alia, compelleretur manere cum prima. At verò qui negaret impletam conditionem, non ad ipſum ſpectaret probare hoc, ſed ad alium; & ſi interim contraheret, non cogeretur ſtare ad primum matrimonium, ſed permitteretur manere in ſecundo. Debet igitur Parocho & teſtibus conſtare de impletione conditionis, vt vitentur hæc damna.

Sectio XV.

Quid operetur tempus, demonſtratio, cauſa, & modus, quando apponuntur conſenſui maritali?

Dictum eſt de conſenſu conditionali, nunc ad finem huius diſputationis de modali, & cæteris affirmatis breuiter dicam. 1

Circa tempus, vel diem appoſitum contractui matrimonij, vt, Accipio te in meam poſt tres dies, ſentit Sanchez *lib. 5. diſp. 19. n. 11.* non ſuſpendere conſenſum, ſed ſtatim eſſe purum, & obligare; quia eſt conditio neceſſaria, nam talis dies certò ſcitur ventura, & ideo non reddit actum conditionalem. Quare de hoc idem dicendum videtur, quod diximus ſuprà *ſect. 2.* de conditionibus neceſſariis, vel infallibiliter futuris.

Contrarium tenent Coninch *diſp. 29. dub. 4.* & Hurt. *diſp. 8. difficult. 15. n. 59.* nempe ſuſpendere contractum matrimonij vſque ad illud tempus, quia tempus ad id apponitur, vt vſque illud ſuſpendatur id cui apponitur; & vt ex eo incipiat valere, quia ſenſus eſt, Ex nunc volo, & conſentio, vt poſt tres dies incipias eſſe mea. 2

Placet mihi hæc ſententia. Probo, quia dies ita adiectus ſuſpendit contractum, non ſecus atque conditio; ergo dies adiecta contractui matrimonij per verba de præſenti, non efficit illum ratum, niſi ſtatim vt aduenit, non antè. Antecedens patet, quia ſicut contrahens ſub conditione futura non vult contractum eſſe perfectum, antequam ponatur conditio, ita contrahens dicto modo, in diem, intendit, vt contractus non ſit perfectus ante illum diem; ergo ſicut conditio poſtea adueniens, & cognita partibus, his ſignificat vtriuſque conſenſum iam eſſe abſolutum, & ita contractum perficit; ita etiam dies adueniens faciet contractum pro eo tempore omnino perfectum, ita vt ex tunc incipiant eſſe coniuges. Solùm hæc eſt differentia inter adiectam conditionem, & diem, nam conditio contingens futura, cùm poſſit eſſe, & non eſſe, efficit vt partim conſenſus ſit adhuc ambiguus, nec habeat magis rationem abſoluti conſenſus, quàm diſſenſus. At tempus, vel dies cùm certò ſciatur ventura, efficit conſenſum ab initio determinatum, & abſolutum; ſed qui ante tale tempus non ſit perfectus, & ſufficiens, vt cauſet ſuum effectum. 3

Google

effectum. Vnde ſi alteruter ante diem conſtitutum moreretur, aut reuocaret conſenſum, nunquam inter eos eſſet matrimonium, vt rectè notauit Coninchius *citatus*.

4 Circa demonſtrationem præmitto eam contingere, quoties ſignificatur, vel denotatur aliqua qualitas in contrahentibus, & communiter explicatur per relatiuum *quæ*, aut dictionem importantem aliquam qualitatem, vt, Duco te, quæ diues es, aut virgo. Quare demonſtratio eſt diſpoſitio accidentis indicantis rem de qua diſponitur, vel eum in quem diſpoſitio confertur, vt, Vendo tibi equum, quem ex Bethica attuli: Contraho tecum, quæ nobilis es, vel virgo, ſeu quæ venenum ſterilitatis ſumpſiſti.

5 Quo præmiſſo, communis Doctorum ſententia affirmat demonſtrationem adiectam matrimonio non ſuſpendere illud, nec vitiare, etſi falſa ſit. Quare, ſi quis ſic contrahat, Contraho tecum, quæ es nobilis, vel diues, valet contractus, etſi ignobilis, vel pauper ſit. Quia is, qui ſub demonſtratione conſentit independenter ab accidente quod demonſtratur, vel demonſtrat, conſentit; alioqui non differret à conſenſu conditionato. Vnde demonſtratio ſolùm oſtendit opinionem, quam habet contrahens circa tale obiectum.

6 Perplacet prædicta doctrina, ad cuius maiorem explicationem

Dico *primò* demonſtrationem adiectam matrimonio, quæ non eſt contra ſubſtantiam illius, vt, Contraho tecum, quæ diues es, quamuis deficiat, & falſa ſit, ex eius defectu formaliter non irritare illud. Ratio eſt, quia ex defectu huius demonſtrationis formaliter, vt ſic, nec deficit materia ſubſtantialis ad matrimonium, quia ea demonſtratio non neceſſariò ſignificat aliquid incluſum in materia ſubſtantiali matrimonij, vt conſtat; neque deficit conſenſus, quia conſenſus iſte matrimonialis, quamuis ei addatur ea demonſtratio, non elicitur dependenter ab illa, cùm non ſit conditio, ſed tantùm ſignificat iudicium, & exiſtimationem circa materiam; exprimit enim opinionem contrahentis circa tale obiectum; ergo quamuis demonſtratio illa deficiat, non deficit conſenſus matrimonialis ſufficiens.

7 Dico *ſecundò* nec demonſtrationem contra ſubſtantiam matrimonij appoſitam contractui matrimoniali irritare illum, ſi deficiat, vt quando dicitur, Contraho tecum, quæ obligaris ad adulterandum. Patet, quia prædictus conſenſus matrimonialis, quamuis ei addatur ea demonſtratio, non elicitur dependenter ab illa, aliàs non differret à conditione, quod eſt falſum. Nec refert, quòd non conſentiret, ſi ſciret ſponſam non eſſe talem, quia voluntas ſub conditione ponenda nihil operatur in re, nec impedit, quin modò abſolutè velit, licèt ex errore talis iudicij & exiſtimationis.

8 Dico *tertio* prædictam demonſtrationem contra ſubſtantiam matrimonij appoſitam illi, irritare illud, ſi talis demonſtratio verè adſit, & perſiſtat. Ratio eſt, quia tametſi à contrahente non eliciatur conſenſus dependenter ab ea demonſtratione; tamen, quia in altero contrahente, vt ſupponitur, eſt ſimul, & concomitanter volitio ſe obligandi ad aliquid contra obligationem ſubſtantialem matrimonij, qua volitione perſiſtente impeditur dicta obligatio ſubſtantialis in eo altero, ideo ſi verè adſit & perſiſtat, non fiet validè contractus matrimonialis. Vnde notanda eſt differentia inter demonſtrationem contra ſubſtantiam matrimonij, & reliquas alias: nam illa habenda eſt pro adiecta, vt dicto modo impediat valorem matrimonij; reliquæ verò, etiam poſſibiles, & honeſtæ, non ſunt habendæ pro adiectis, quia iſtæ ſunt impertinentes ad valorem, & ad vitium matrimonij.

9 Dico *vltimò*, quando demonſtratione demonſtratur materia ſubſtantialis, & deficit ob ſuppoſitionem erroris perſonæ, vel conditionis, vt quando dicitur, Contraho tecum, quæ es Catharina, cùm ſit Paula, vel quæ es libera, cùm reuera ſit ſerua, tunc matrimonium irritum eſt. Patet, quia tunc eſt error, & defectus ſubſtantialis in materia eſſentialiter requiſita, & deficit ſtatus eſſentialiter requiſitus. Cæterùm id non prouenit, quia formaliter appoſita ſit demonſtratio, & ipſa deficiat, ſed quia deficit materia eſſentialiter requiſita: quamuis enim non apponeretur dicta demonſtratio, etiam eſſet nullum matrimonium, ob prædictum defectum.

10 Circa cauſam. Cauſa dicitur ratio, ob quam contrahitur, ſoletque explicari per dictionem *quia*, vt, Contraho tecum, quia diues, vel pulchra es, de qua etiam eſt communis ſenſus Doctorum, errorem cauſæ per ſe, qualiſcunque ſit, non ſuſpendere, nec vitiare matrimonium. Ratio eſt, quia cauſa non ſe habet vt obiectum, vel pars obiecti contractus, vnde non ſpectat ad ſubſtantiam ipſius, ſicut ſpectat conditio, ſed tantùm pertinet antecedenter ad motiuum, quod ad contrahendum mouet; ergo non tollit conſenſum abſolutum; ergo nec vitiat, nec irritat contractum. Dixi *per ſe*, quia ſi cauſa reducatur ad perſonas, vel conditionis perſonalis errorẽ irritabit matrimonij contractum, vt, Contraho tecum, quia es primogenita Petri, vel quia libera es; ſi non eſſet primogenita, vel non eſſet libera, eſſet matrimoniũ nullum, non ratione falſitatis cauſæ, ſed ratione erroris, perſonæ, aut conditionis, quia quamuis ea cauſa non adüceretur adhuc, ex tali errore matrimonium contractum eſſet inualidum.

11 Denique circa modum notandum eſt, modum propriè vt diſtinguitur à demonſtratione, & cauſa, eſſe quaſi adiectionem oneris, ad quod vult obligari contrahens, & communiter explicatur per coniunctionem: vt, v.g. Duco te, vt mihi ſeruias, vt diuitias vel honorem conſequar.

12 Conueniunt Doctores, ſi modus adiectus contractui matrimoniali, ſit rei poſſibilis, & honeſtæ, non vitiare illum, nec ſuſpendere. Ratio eſt, quia eo modo tantùm ſignificatur aliquid poſſibile, & honeſtum faciendum poſt matrimonium iam abſolutè, & perfectè factum. Difficultas eſt quando modus inuoluit aliquid impoſſibile, v.g. Contraho tecum, vt des mihi montem aureum; vel turpe, vt furteris; vel contra ſubſtantiam matrimonij, vt obligeris ad adulterandum.

13 Sanchez *lib. 5. diſp. 19. n. 5.* Coninchius *diſp. 29. ad finem*, & alij defendunt partem affirmatiuam. Quia dicto modo appoſito intenditur in altero obligatio contraria obligationi ſubſtantiali matrimonij; in eodem ergo non minus irritat matrimonium, quàm conditio appoſita contra ſubſtantiam matrimonij. Firmatur, quia ea eſt modi natura, vt licèt contractum non ſuſpendat, veruntamen alter recipiens ſub modo tenetur illum obſeruare, vt in donatione, vt, Do tibi equum, vt facias iter aliquod, valet ſtatim donatio; tenetur tamen donatarius implere modum. *l. 1. 2. & finali, C. de donat. quæ ſub modo*, ergo ſi apponatur contractui matrimoniali modus contrarius ſubſtantiæ matrimonij, vt per illum inducatur alteri obligatio ad eius obſeruantiam, vitiabit contractum.

14 Gaſpar verò Hurtado ſecutus Sotũ, & Petrũ Ledeſ-

ma

ma defendit, nullum modum, ſiue honeſtum, ſiue turpem, ſiue poſſibilem, ſiue impoſſibilem, ſiue contra ſubſtantiam matrimonij, ſiue non contra ſubſtantiam, vitiare, ſeu annullare matrimonium, atque adeò omnem illum haberi pro non adiecto, quod obtinet ad valorem, ſeu ad vitium matrimonij. Idque mihi videtur verius. Ratio à priori eſt, quia cõſenſus in matrimonium, cui additur modus, non elicitur dependenter à modo ipſo, cùm non ſit conditio; ergo non elicitur dependenter ab aliquo contra ſubſtantiam matrimonij; ergo nihil refert ad matrimonium ipſum, ſiue ad eius validitatem, ſiue ad eius nullitatem. Idem firmo manifeſtè, quia, eſto ita ſit, quòd apponens dictum modum, intendat in altero contrahente obligationem contrariam ſubſtantiæ matrimonij; adhuc talis obligatio poteſt non eſſe in altero, abſque præiudicio valoris conſenſus ipſius, & conſenſus apponentis modum, quia neuter contrahentium conſenſus elicitur dependenter ab eo modo, cùm non ſit propriè conditio, ſed ſolùm modus; & quamuis in altero futura ſit intentio ſe obligandi ad contrarium ſubſtantiæ matrimonij, non impediet in illo intentionem ſe obligandi obligatione ſubſtantiali matrimonij, nec inualidabit conſenſum ſui: tum quia non elicit illum dependenter ab eo modo, cùm non ſit conditio, ſed modus; tum etiam, quia illa obligatio ſubſtantialis eſt prior, & præſupponitur tam ad eam intentionem obligationis ad oppoſitum ſubſtantiæ matrimonij, atque adeò etiam & obligatio ſubſtantialis matrimonij, quæ ex ea intentione neceſſariò oritur, ſicut intentio contractus, & eius obligatio præcedunt, ac præſupponuntur ad intentionem obligationis modo ipſo ſignificatæ, quia intentio, & obligatio modalis, annectuntur, & ſuperadduntur contractui, cui apponitur modus.

15 Hinc patet ſolutio ad argumentum oppoſitæ ſententiæ. Admiſſo enim antecedente, negatur conſequentia, quia tametſi apponens dictum modum intendat in altero obligationem contrariam ſubſtantiæ matrimonij, inde tamen non ſequitur irritare matrimonium, non ſecus ac conditionem appoſitam contra ſubſtantiam matrimonij; quia neuter contrahentium conſenſus in matrimonij contractum fit dependenter à tali modo, ſicut pendet à conditione. Et quamuis alter haberet intentionem ſe obligãdi ad contrarium ſubſtantiæ matrimonij, illa obligatio eſſet ſuperaddita, & poſt conſenſum, & contractum matrimonialem, quia modus in hoc differt à conditione, quia conditio ſuſpendit actus perfectionem, ita vt ante ipſius poſitionem, ſeu impletionem validus minimè ſit. At modus non ſuſpendit, ſed aduenit actui perfecto, ſtatimque valet actus, & ſolùm manet alter obligatus ad modi impletionem. Ex quo facile reſpõderetur ad confirmationem, eſto enim demus teneri alterum implere modum, verùm cùm iſta obligatio ſit poſt conſenſum, & contractum iam perfectum, & abſolutum, nihil obeſt huic, nec attinet ad valorem, aut ad vitium illius præciſè. Exemplum donationis pro nobis eſt, nam ſicut illa donatio æquiualet ſtatim, & abſolutè acceptatur à donatario, manetque valida, & perfecta donatio independenter à modo, tametſi aliàs poſtea teneatur donatarius implere modum; ita contractus matrimonij, & mutuus conſenſus vtriuſque contrahentis, valet, & manet perfectus, & abſolutus independenter à modo, tametſi alter maneret obligatus ad implendum modum. Addo conditionem contrariam ſubſtantiæ matrimonij nõ vitiare illud, ſi apponatur matrimonio iã contracto perfecto, & abſoluto, vt dixi ſuprà *ſect. 6. n. 5.* quia quãdo apponitur matrimonio iam contracto, cùm iam diſſolui nequeat, nõ eſt pars ipſius contractus, nec illum immutare poteſt, & ſic non aduerſatur ei, neque ipſum vitiat. Quòd ſi conditio hæc nullo modo vitiat matrimonium, multo minus vitiabit illud modus, à quo fit independenter contractus, & iſte eſt iam abſolutus, & perfectus poſt illius obligationem.

DISPVTATIO XVII.

De conſenſu coacto, ſeu metu extorto, contractui matrimonij appoſito.

IN omni cõtractu, maximè in matrimoniali, libertas eſt neceſſariò requiſita. Solet autem diſtingui triplex libertas, ab obligatione, à neceſſitate, à coactione metu extorta. *Prima* parũ refert ad præſentem diſputationem; ſolùm enim cõſiſtit in carẽtia, vel negatione præcepti ad matrimonium contrahendum, de quo modò non eſt quæſtio, & regulariter, ac per ſe loquendo, talis inuenitur carentia in contractu matrimonij; ea tamen nihil conducit ad illius rationem. De libertate autem à neceſſitate, quæ dicitur libertas indifferentiæ, iam conſtat ex dictis ſuprà *diſp. 14. ſect. 3. n. 2.* Et ex *diſp. 1. ſect. 3.* conſenſum in contractu matrimonij, & ſponſalium debere eſſe liberum plena libertate, ac deliberatione, quæ ſatis ſit ad peccatum mortale. De ſola ergo libertate à coactione, & metu extorta, quæ excludit neceſſitatem metus, vel violentiæ humanæ, inſtituitur præſens diſputatio. Ad cuius vberiorem explanationem tria præcipua præſtabimus. *Primum ſect. 1. & 2.* agemus de metu in genere, eiuſque ſpeciebus præſertim de metu graui cadente in conſtantem virum, eiuſque obiecto. *Secundum ſect. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.* de aliis contractibus metu celebratis, quomodo valeant, vel reſcindi debeant. *Tertium* denique *ſect. 8. & ſequentibus, vſque ad finem*, de contractu matrimonij, per metum, & coactionem inito, an, & quo iure ſit inualidus.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit metus, & cauſa illum incutiens?

CErtum eſt *primò* ex communi doctrina Theologorum, voluntatem, quoad actum elicitum, eiuſmodi eſt conſenſus internus, non poſſe ſimpliciter, & abſolutè cogi per metum, vel coactionem; quia ſuus actus elicitus eſt eſſentialiter voluntarius; quid enim magis voluntarium, quàm velle? Homo autem interdum quoad factum, ſiue opus externum, cogi poteſt, & tunc conſenſus dicitur coactus ſaltem indirectè, vt cùm per metum extorquetur. Quare cùm duplex poſſit eſſe coactio, vna abſoluta, ſeu ſufficiens, alia inductiua, ſeu conditionata; metus quidem non gignit coactionem primam, quam Ariſtoteles *3. Eth. c. 1.* violentum vocat, ſed ſecundam. Patet, quia repugnat conſenſui voluntatis, id eſt, actum elicitum à voluntate eſſe abſolutè violentum, ſeu coactum: nam violentum abſolutè eſt, quod fit ab extrinſeco paſſo, non conferente vim; at cùm voluntas conſentit, vel diſſentit, iam confert vim, cùm eliciat illum actum conſenſus, vel diſſenſus; & certè cùm ille actus ſit vitalis, non 1

Google

poteſt niſi à principio vitali intrinſeco dimanare: repugnat enim vt voluntas illi volitioni oon conferat vim, & conſequenter repugnat eſſe ſimpliciter violentam. Cogi tamen poteſt voluntas inductiua, & conditionata coactione, quia propter metum quarundam rerum oonnulla eligit, quibus ſublatis, eadem nollet.

2 *Secundo* ſuppooo verum eſſe, ſi rectè intelligatur, quod communiter dici ſolet, ea quæ fiunt ex metu, eſſe aliquo modo inuoluntaria, & voluotaria ſimul; id enim intelligi non debet de ipſa fuga mali interiori, quæ eſt diſplicentia, voluntas noo incidendi in illud. Nam ſicut proſecutio, hoc eſt, complacentia boni, eſt omnino voluntaria, cùm nullo modo ſit contra iotemum impetum voluntaris; ſic etiam fuga mali per diſplicentiam eſt voluntaria. Neque etiam debet intelligi de ipſa exteriori fuga mali, quatenus fuga mali eſt, ob eandem rationem. Cùm ergo dicimus, ea quæ fiunt ex metu, eſſe voluntaria, ſimul & inuoluntaria aliquo modo; intelligimus de aliquo opere exteriori, quod aſſumitur, vt medium ad fugiendum, & vitandum malum; quod quidem ea ſola bonitate nos mouet, qua vtile eſt ad fugiendum malum; ex alia verò parte ſecundùm ſe malum eſt. Sic in his, quæ fiunt ex metu, contingit, vt propter vitaudum grauius malum, alterum eligamus, quod iudicamus minus, aut quod minus nos mouet, & terret. Vt cùm proiicit quis merces in mare, quod ſibi malum putat, quia exiſtimat vtile, & neceſſarium ad ſeruandam vitam. Igitur de opere exteriori, quod fit ex metu ſolùm, & aliàs moleſtum nobis eſt, dixit Ariſtoteles 3. *Eth. cap.* 1. eſſe aliquo modo inuoluntarium, & voluntarium ſimul, non de ipſa fuga mali, & diſplicentia. Vnde infero, vt tale opus ſit voluotarium, & inuoluntarium ſimul, neceſſe eſſe in eo conſiderari duplicem rationem, nempe vtilitatis ad vitandum malum, qua ratione bonum eſt, & amatur, & rationem mali, ſeu malitiæ, quam habet ſecundùm ſe, qua ratione moleſtum eſt & diſplicet, ratione cuius is qui operatur, dicitur inuitus agere, quia cum dolore operatur. Quare rectè dicitur à Doctoribus, ea, quæ fiuot ex metu, eſſe mixta ex voluotario, & inuoluntario, quia fiunt à principio intrioſeco cognoſcente ſingula, & ex hac parte voluntaria ſunt, & fiunt repugnante aliquo modo voluotate, & hac ratione inuoluntaria ſunt,

3 *Tertio* ſuppono, ea quæ per metum extorquentur, tametſi ſint mixta ex voluntario, & inuoluntario, ſimpliciter tamen præcipuè, & magis eſſe voluntaria, quàm inuoluntaria, vt rectè docuit Ariſtoteles 3. *Eth. cap.* 1. & Diuus Thom. 1. 2. *quæſt.* 6. *art.* 6. cuius ratio optima eſt, quia vnumquodque ſimpliciter, & abſolutè dicitur, ſecundùm hoc quod eſt in actu reipſa: at ſecundùm id quod eſt in apprehenſione, non dicitur ſimpliciter tale, ſed ſecundùm quid. At id quod eſt metu extortum ſecundùm id quod eſt in actu, eſt io ſingulari, ſecundùm quod fit, attentis particularibus circunſtantiis, eſt voluntarium, & electum, prout ſcilicet in eo caſu eſt impedimentum maioris mali, quod timebatur; eſt autem inuoluntarium, vt eſt in apprehenſione, in quantum apprehenſum extra hunc caſum, & excluſis his ſingularibus circumſtantiis oon eligeretur. Igitur ſimpliciter eſt voluntarium, quod firmat S. Doctor exemplo proiectionis mercium in mare, quæ voluntaria eſt tempore tempeſtatis propter timorem periculi, & eſt à principio intrinſeco, & hìc, & nunc abſolutè volita, & ideo eſt ſimpliciter voluntaria; cæterùm quia extra hunc caſum exiſtens, & in apprehenſione ſecluſis iis ſiogularibus circumſtantiis, repugnaret voluntati, ideo dicitur, & eſt inuoluntaria ſecundùm quid, id eſt, prout conſideratur extra hunc caſum exiſtens. Quare concludendum eſt voluntatem faciendi aliquid ex metu, etiamſi ſit metus mortis, eſſe voluntatem ſimpliciter. Vnde voluntas coacta abſolutè, & ſimpliciter eſt voluntas.

Quartò ſuppono, quod ex præcedenti manifeſtè infertur, voluntatem coactam eſſe ſufficientem conſenſum requiſitum ad mortale, quia ea eſt cum plena & vera libertate, quæ requiritur ad mortale, niſi metus aliquando tollat conſiderationem neceſſariam, in hoc enim caſu oon loquimur, quod etiam intelligendum eſt, ſi cætera adſint ex parte materiæ; nam propter metum incuſſum ſolet aliquando mutari obligatio materiæ. Quia lex poſitiua communiter non obligat cum tanto diſpendio, niſi in caſu aliquo peculiari, vt dicitur in materia de legibus. Imò interdum lex ipſa naturalis non obligat in ſua materia cum metu & periculo grauis damoi; neque enim ſuccurrere debeo proximo, aut ſeruare apud me enſem depoſitum, nec reddere illum domino, qui vult alium occidere, ſi mihi incutiat metum mortis. 4

Denique ſuppono ex dictis prædictam voluntatem enactam, ſeu metu graui extortam, iure naturali ſufficere ad inducendam obligationem, in votis, & ad perficiendos contractus io quibus non deſuit titulus legitimus. *Primum* latè oſtendit Soarius *tom.* 2. *de Religione lib.* 1. *de voto, cap.* 7. quia ad valorem voti ſufficit ex natura rei voluntarium ſimpliciter, etiamſi alioqui miſceatur inuoluntarium ſecundùm quid. *Secundum* notauit rectè Vaſquez 1. *tom. in* 1. 2. *diſputat.* 27. *cap.* 2. *numer.* 18. quia in contractibus duo requiruotur, oempe titulus, vel dari, & accepti, iuxta varias ſpecies contractus, aut titulus liberalis donationis, aut gratitudinis; & conſenſus ſimpliciter liber, & voluntarius ex parte contraheotium: nihil enim aliud ad contrahendum naturali iure videtur requiſitum. Vude inuoluntarium ſecundùm quid non nocet contractui, ne validus ſit: alioquin ſi quis venderet domum ſuam coactus egeſtate, non efficeret firmum contractum, quia voluntas eius eſſet mixta cum inuoluntario. Vnde ſimiliter ſi eſſent vir, & mulier nullo modo impediti ad contrahendum, validum eſſet matrimonium etiam metu mortis, quia titulus adeſſet contractui, ſiquidem legitima materia mutuo traderetur, & conſenſus eſſet ſimpliciter liber, & voluntarius, ſi ad hoc genus contractus ſatis eſſet voluntarium ſimpliciter, & non requireretur iure poſitiuo voluntarium perfectum ſine metu, quod infrà *ſect.* 10. expendemus. Ex quo fit vt vſurarius, cùm accipit vſuras, ſeu lucrum ex mutuo, nequeat legitimè illud retinere, ſed reſtituere illud debeat, oon quia non fuit ſimpliciter voluntarium ex parte dantis illud, ſed quia oon fuit titulus legitimus, vt illud retinere, & accipere poſſet. Non enim fuit titulus dari, & accepti; nam ille qui lucrum dedit pro mutuo, id eſt, pro vſu pecuniæ, nihil omnino accepit pro quo daret, 5

niſi

niſi vſum pecuniæ; vſus aurem pecuniæ non eſt alterius valoris, quàm dominium ipſum; neque fuit titulus donationis, quia hæc deber fieri liberaliter, id verò quod datum fuit intuitu mutui, & aliàs non daretur, non fuit liberaliter datum, neque titulus gratitudinis, vt conſtat.

6 His poſitis ad præſentem quæſtionem accedens, breuiter dico quid metus in genere ſit: Eſt inſtantis periculi, vel futuri mali mentis trepidatio. Sic definit metum Vlpianus Iuriſconſultus *l. 1. ff. de eo quod metus cauſa*, dicitur mentis trepidatio, quia oritur metus ex forti imaginatione periculi propè iam imminentis. Hæc enim horret & refugit malum quod inſtare apprehendit. Vnde valde remota mala, vel pericula etiam mortis, ſi eam tanquam valde diſtantem ioſpiciamus, non timentur, neque mentem perturbant.

7 Præterea dico ad noſtrum inſtitutum celebrem eſſe illam diuiſionem metus, in metum cadentem in virum conſtantem, qui etiam dicitur grauis, iuſtus, & probabilis; & in metum non cadentem in virum conſtantem, qui etiam vocatur leuis, vanus, iniuſtus, & improbabilis. Ille eſt timor mali grauis, quod ex ſe virum conſtantem meritò mouere poſſit; bic verò, qui non ita ſe habet. Vnde ille dicetur metus talis mali, qui ſpectatis regulis prudentiæ, & fortitudinis meritò trepidationem cauſet: hic verò, qui immeritò trepidationem moucat. quod magis conſtabit ex dicendis *ſect. ſequenti*

8 Denique de cauſa metum incutiente, breui moneo, metum incuti poſſe à duplici vniuerſim cauſa, vna naturali, ſiue intrinſeca proueniente ex cauſis naturalibus intrinſecis, vt ex morbo, ſeu periculoſa corporis ægritudine, ſiue extrinſeca, vt à graſſante lue, aut ab imminente naufragio: altera libera, vt ab homine, vt cùm quis minatur alteri mortem. Homo verò duobus in genere modis metum poteſt incutere. *Primò* iuſtè; vt cùm legitima poteſtate præditus minatur ei mortem, qui ob crimen mortis eſt reus. *Secũ to* iniuſtè, vt cùm quis mortem, aliúdve malum comminatur alicui ſine legitima inferendi poteſtate; ſiue autem iuſtè, ſiue iniuſtè homo metum incutiat, id duobus facere poteſt modis, *vno* directè in eum finem, vt conſenſum in matrimonium extorqueat; *altero*, alterius finis gratia. Priori modo metum iniuſtè incutiens, aut eſt ille, qui matrimonium contrahit, ſuumque coniugem iniuſtè incuſſo metu adigit, vt ſecum contrahat, vel eſt quiſpiam alius.

Sectio II.

Quis metus dicatur grauis, ſiu cadens in conſtantem virum?

1 HÆc controuerſia præmittenda eſt ad pleniorem notitiam dicendorum circa præcipuum huius diſputationis caput de nullitate contractus matrimonij graui metu extorti, in qua multa ſunt examinanda. *Primum*, quale malum timeri debeat, vt metus dicatur cadens in conſtantem virum. *Secundum*, an reſpectu omnium requiratur æquale malum ad conſtituendum metum grauem. *Tertium*, quæ ſint mala grauia ſufficientia ad metum cadentem in conſtantem virum. *Quartum*, an prædicta mala, vt prædictum metum incutiant, timeri debeant in propria perſona, vel etiam in perſona conſanguineorum. *Quintum*, an timor reuerentialis cadat in conſtantem virum. *Sextum* denique, an preces importunæ incutiant quoque prædictum metum grauem.

2 Circa primum ſentiunt ex Iuriſperitis multi, & ex Theologis nonnulli, vt malum cenſeatur graue, & timeri debeat metu cadente in virum conſtantem, debere eſſe maius illo, præ quo eligitur. Quare ſi quis ad vitandam mortem ſibi imminentem eligat culpam mortalem, aut venialem; talis metus nequit cenſeri eſſe conſtantis viri. Probant, quia non decet conſtantem virum aliquid contra tationem eligere ad vitandum temporale malum, omnis enim qui eligit peccare, vt euitet aliud malum ioconſtanter agit. Aliqui, vt Henriquez *lib. 11. cap. 9. n. 3* id docent verum eſſe cùm peccatum mortale committitur, non verò ſi culpa venialis ſit. Quod certè non dicitur conſequenter, nam committens venialem culpam ex metu, inconſtanter agit, & illa grauius malum eſt, quàm quodcumque pœnæ temporalis malum.

3 Dico *primò*, vt metus dicatur cadere in conſtantem virum, ſat eſt vt timeatur graue malum in ſe, ſeu ex parte obiecti, ſiue illud eligatur præ alio minus graui, ſiue magis graui, ita communiter Doctores, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. 3. diſputat. 2. numer. 3.* Ratio à priori eſt, quia tunc metus alicuius mali minuit libertatem, quando homo ad aggrediendum malum, opus eſt vt ſibi inferat vim; ſi enim ſibi infert vim, non ita liberè operatur; ſed ſolùm quando malum eſt in ſe graue ſibi tantum infert vim; ergo ſolùm id malum minuit libertatem: ergo ſolùm requiritur, quòd in ſe graue ſit, vt timeatur timore cadente in conſtantem virum: id enim quod liberum conſenſum impedit, aut minuit, ex ſe virum conſtantem mouere poteſt, ac facit trepidare.

4 Dico *ſecundò*. Malum in ſe, & ex obiecto graue eſſe malum ſufficiens quoad contractus irritandos, incutiens metum cadentem in cõſtantem virum. Patet, quia, vt videbimus infrà, leges, & iura annullant matrimonium, & concedunt reſciſſionem cæterorum contractuum, quando incutitur metus alicuius mali, quod virum abſolutè conſtantem ita poteſt mouere, vt vim illi inferre debeat, quo libertas conſenſus impeditur, vel minuitur, & ipſe conſenſus iniurioſè extorquetur. Ad hoc manifeſtè contingit, quando malum, quod timetur ex ſe, & ex ſuo obiecto eſt graue; ergo illud eſt quod incutit metum grauem cadentem in conſtantem virum. Hinc

5 Dico *tertiò*. Vt malum impendens cenſeatur abſolutè graue, non requiritur, vt ſit maius eo, ad quod vitandum eſt ſubeundum. Patet euidenter. Nam Chriſtus Dominus in horto apprehendens inſtantem mortem crucis, cœpit pauere, & præ anguſtia animi ſudare guttas ſanguinis, vnde metu graui concuſſus fuit, tametſi nullo modo terrori ceſſerit, & ipſam mortem conſtantiſſime ſuperauerit. Martyribus quoque quando proponebantur horrenda tormenta, vt fidem negarent, multi ex illis terrebantur, & cum horrore quodam ea conſiderabant, etſi vim ſibi inferendo diuina gratia metum ſuperarent, & in fide conſtanter perſiſterent; & nihilominus in Martyribus hæc omnia mala pœnæ erant leuiora, & minora malo culpæ, ad quod euitandum illa ſubeunda erant. Et ratio à priori eſt, quia prædictorum malorum pœnæ minis, licèt ſint minora, & leuiora malo culpæ, verè inferebatur Martyribus, vis, & coactio,

& quamuis ipſi libenti animo eligebant prius mori, quàm peccare, eligebant tamen mortem acerbiſſimam, quod eſt malum grauiſſimum, quod ipſa natura tantum horret, atque ideo malum illud cenſendum eſt abſolutè graue, licèt leuius ſit peccato ipſo, ad quod euitandum illud eſt ſubeundum, & cum difficultate ſuperandum.

6 Vnde colligo, quod rectè notauit Coninchius *diſp.* 28.*d.*2.*n.*28. poſſe quem inconſtanter agere ex metu cadente in conſtantem virum. Nam aliud eſt aliquem inconſtanter in aliqua re agere, & aliud id agere ex metu non cadente in conſtantem virum. Qui enim ne viuus comburatur peccat, inconſtanter agit, & hoc probat argumentum adductum *n.* 2. Nemo tamen negare poteſt timorem illius horrendæ pœnæ eſſe grauem, ſeu cadere in virum conſtantem, quia mors illa acerbiſſima graue malum eſt in ſe, & ex ſuo obiecto; & videmus Martyres ſimilis ſupplicij metu concuſſos fuiſſe, licèt eam conſtantiſſimè ſuperauerint.

7 Dico *vltimò*, leges, & iura, quæ de contractibus reſcindendis loquuntur, & matrimonia annullant, tantùm reſpicere graue malùm ex parte obiecti incutiens timorem grauem, ſeu cadentem in virum conſtantem. hoc eſt certum apud omnes. Ratio eſt, quia leges, ſiue Eccleſiaſticæ, ſiue ciuiles, quæ contractum ex metu reſcindunt, vel reſcindendum concedunt, tantùm eò reſpiciunt, ne faueant extorquenti conſenſum vim inferendo, & per iniuriam, vt huiuſmodi violentiæ repellantur à Republica; integrum enim ac illæſum volunt vnicuique remanere conſenſum. At graue malum ex obiecto infert vim, & per iniuriam extorquet conſenſum, cuius libertas eo malo minuitur; igitur illud eſt quod intendunt vitare leges in contractibus ineundis, & conſequenter euidens eſt prædictas leges metum conſtantis viri conſideraſſe tantùm ex parte obiecti.

8 Vnde colligo id eſſe proprium contractus, vt, per ſe loquendo, etiamſi metus grauis incutiatur, poſſit celebrari à patiente illum metum ſine vllo peccato, accidentaleque eſſe, ſi in eo interueniat peccatum, ex fragilitate celebrantis, vnde non mirum, ſi leges, quæ de contractibus loquuntur. tantùm reſpiciant graue malum ex parte obiecti, quia ſine peccato poſſunt contractus ex ſe celebrari, etiamſi ex metu ſint. Ita rectè notauit Baſilius Ponce *lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 3. Ratio eſt, quia ſi quis metu graui ducatur ad contrahendum, vnà cum verbis habere poteſt animum contrahendi, vt abſit mendacium, & verba vera ſint; eo autem conſenſu nihil efficitur, vt legibus conſtitutum eſt, atque ita ſine vllo mendacio nihil efficit, & euitat malum. Quòd ſi cum verbis non habeat conſenſum, ſed potiùs animum oppoſitum, & mentiatur, id mendacium non euenit quidem ex exigentia metus, cum ſine illo damnum euitari poſſit, ſed ex fragilitate, aut ignorantia contrahentis.

9 Circa ſecundum dico, cum communiori, & vera Iuriſperitorum, & Theologorum doctrina, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.* 4.*diſp.* 4. eſſe attendendam circunſtantiam perſonæ patientis malum, ratione cuius malum, quod reſpectu vnius perſonæ eſt leue, cenſetur eſſe graue reſpectu alterius, quod etiam rectè notauit Coninchius *diſp.* 28. *dub.*2.*n.* 29. Aragon 2.2. *q.* 88. & Salon *q.*62.*a.*2. *contron.* 5. Et ratio eſt, quia malum quod reſpectu viri reputabitur leue, erit graue reſpectu fœminæ, propter naturæ imbecillitatem: nam fœminæ propter conſtitutionem corporis illi ſexui naturalem, ſunt ſuapte natura valde imbecilles, & conſequenter timidiores, vnde minus poſſunt reſiſtere metui, quàm viri; imò intra idem genus, ſi comparetur vir cum puero, & nobilis, & ingenuus cum vili, & rudi, idem contingere ſolet. Vnde in leg. *metus autem* 3. *ff. ex quibus cauſis maiores*, rectè dicitur, iuſtum metum intelligi ex effectu eius, qui eum patitur: quaſi pro diuerſo affectu, & mentis affectione, ac firmitate diuerſus metus dicatur iuſtus: debet igitur fieri comparatiò inter perſonas ſimilis ſtatus, & perpendendum, an hoc malum hîc, & nunc tale ſit, vt fœminam conſtantem, & hominem huius ætatis, vel ſortis iure trepidare faciat prudentis arbitrio: non enim ſtandum eſt in hac re imaginationi, & apprehenſioni perſonæ timentis, quaſi quoduis malum ſufficiat, ſi illud hîc, & nunc tanquam valde graue ipſe metuens concipiat, ſed quòd ſiue in foro externo iudex, ſiue in foro conſcientiæ vir prudens tale iudicauerit. Ad quod iudicium duo ſunt perpendenda, & quòd malum in ſe ſit graue, & quòd timens probabiliter, ſiue prudenter credat illud ſibi imminere.

Circa tertium, quæ nam ſint hæc grauia mala, quæ incutiunt iuſtum metum cadentem in virum, ſeu fœminam conſtantem. 10

Certum eſt *primò* ad huius rei deciſionem valde requiri prudentis iudicis arbitrium, tam in expendenda grauitate mali, quod in iure expreſſum non eſt, quàm in conſideranda qualitate perſonæ. 11

Certum eſt *ſecundo* mortem, & grauem corporis cruciatum eſſe mala incutientia iuſtum metum cadentem in virum conſtantem; habetur *c. cum dilectus, de his quæ vi metuſve cauſa fiunt.* Et ratio eſt, quia omnium terribilium finis eſt mors; idem dic de mutilatione, quæ eſt mors partialis membri. De graui corporis cruciatu expreſsè habetur *dicto cap. cùm dilectus*; ad quem grauia verbera reducuntur, cùm grauiter crucient. Idem dic de ſeruitute, de captiuitate, de carcere diuturno & vinculis atrocibus, de amiſſione ſtatus, & honoris amittendi, cùm honoris iactura prudentibus ipſa vita carior ſit. Idem iudicium eſto de comminatione ſtupri, ſiue in viro, ſiue in fœmina. Denique de metu armorum. Hæc itaque certa ſunt, & communiter recepta.

His poſitis de tribus ſolùm dubitabimus, 12

Primum de metu infamiæ, an cadat in conſtantem virum. Circa quod omiſſis opinionibus, cum communiori Doctorum, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 5. Dico tam infamiam iuris, quàm infamiam facti, ſi grauis ſit, eſſe obiectum metus cadentis in virum conſtantem. Patet, quia iuxta prudentem æſtimationem vtraque infamia eſt graue malum, & proculdubio eſt obiectum metus cadentis in virum conſtantem, ſimile enim eſt periculo vitæ, vt inquit Gloſſa *l. iuſta, de manumiſſis vindicta.*

Secundum eſt de excommunicationis metu. Mihi videtur dicendum cum Sanchez, & Baſilio *citatis*, cõmuniorem Doctorum ſententiam ſequentibus, ſi excommunicatio iuſta eſt, eius metum non eſſe cadentem in virum conſtantem. Patet, quia tunc eſt medicinalis, vt excommunicatus à pertinacia, & inobedientiæ culpa reſipiſcat, teneturque ſibi conſulere obediendo; ſi verò iniuſta eſt ſecundùm rem, aut omnino, eius metus cadit in conſtantem virum. Ratio eſt, quia excommunicatio quamuis iniuſta, & in foro animæ, & apud Deum non liget, attamen eſt timenda, 11. *quæſt.* 5. *cap.* 1. & aliquam infamiæ notam irrogat, ſaltem apud eos, qui excommunicationis 13

iniuſtitiam

iniuſtitiam non bene perceperunt, & multis abſtinere debet ob ſcandalum cuitandum, multis etiam priuatur apud homines, quæ moleſtiſſima ſunt, & quouis exilio grauiora. Id tamen intelligi volo, ſi ipſi excommunicationi facilè nequit occurri, vt ſi non poteſt ſibi excommunicatus conſulere appellando, quia timet excommunicantis potentiam, vel adeundo ſuperiorem, quia diſtat, & ſunt neceſſarij ſumptus, & eſt pauper, aut certè appellando eſt periculum in mora obtinendi abſolutionem; & impendet aliquod damnum de præſenti ob ipſam excommunicationem.

14 *Tertium* eſt de metu amiſſionis bonorum, vel alicuius lucri in qua re, omiſſis variis dicendi modis, mihi placet dicere, amiſſionem omnium bonorum, & etiam maioris partis bonorum incutere metum grauem. Ratio eſt, quia amiſſio omnium bonorum, aut maioris partis metui mortis æquiparatur; nam bona ſunt quædam hominis vita, eſt etiam grauis iactura, & ideo virum conſtantem meritò mouere poteſt. Non verò hoc idem dicendum de metu amittendi lucrum, aut hæreditatem, aut beneficium quod quis ſperat ab aliquo: nam ſi ad id non habeat ius ad rem, minimè cadit in virum conſtantem. Ratio eſt, quia id non tam eſt metu deterreri, quàm inuitari ſpe lucri; ſpes autem & concupiſcentia, vt aiunt Doctores cum D. Thom. *lib.2. quæſt.6. art.7.* non minuit, ſed auget voluntarium. Vnde profeſſio facta ob ſpem lucri, aut, quod idem eſt, metu amittendi lucrum, valet. Similiter in ſponſalibus, tametſi omnis pœna excludatur ab illis tanquam impediens libertatem matrimonij; at quando apponitur pœna lucri perdendi valet, nec timor eam incurrendi vitiat matrimonium; quia hæc non eſt vera pœna, ſed inuitari ſpe lucri. Igitur timor perdendi lucrum non eſt verè timor cadens in virum conſtantem. Dixi, *niſi habeat ius ad rem*, quia dum arcetur à lucro ad quod habet ius, iniuriam patitur. Vnde ſi pater minetur filio ablaturum à maioratu ea quæ auxerat, iuſtum incutit metum, quia cùm hæreditas ſit debita filio, potius huiuſmodi minæ continent damnum, quàm lucri miſſionem. Similiter etiam, ſi quis vellet ſe opponere beneficio pingui, & vi impediretur niſi iniret aliquem contractum, talis eſſet metus viri conſtantis, quia contra iuſtitiam impeditur ne lucrum comparet, ad quod intendendum verum habet ius.

15 Circa quartum, an prædicta mala vt metum grauem incutiant timeri debeant in propria perſona, an etiam ſatis ſit vt timeantur in aliena conſanguineorum, videatur Sanchez *lib.4. diſp.4.* & Baſilius Ponce *lib.4. cap.4.* Breuiter dico, ſi graue malum immineat vxori, grauis metus eſt comparatione viri, ſunt enim vna caro; idem dic ſi immineat filiis, & etiam conſanguineis intra quartum gradum; eſt enim vehemens amor ingenitus erga illos, & vſque ad illum gradum communi ſenſu, & affectu conſanguinei reputantur. Idem extende ad affines intra eundem quartum gradum; affines, inquam, ex matrimonio, non verò ex fornicatione. Huiuſmodi enim affines non agnoſcuntur quaſi affines, nec eos natura quaſi ingenerauit amorem, ſed odium, tanquam erga eos, qui turpitudinem in memoriam reuocant. Extende idem ad viros arctiſſimo amicitiæ vinculo coniunctos; appellatur enim amicus dimidium animæ amici. Denique extendunt idem aliqui ad domeſticos. quod ipſe intelligerem, quando inde grauis iniuria, vel ſimile damnum ſequeretur domino. Hæc omnia dicta intelligo ſpectata tantùm natura, non peculiaribus circumſtantiis. Nam contingere poteſt, vt ſit aliquis ita malè affectus erga conſanguineos ſuos, vel affines, vel domeſticos, vt non cenſeatur reſpectu illius grauis metus, tametſi illis inferatur graue malum.

Circa quintum de timore, ſeu metu reuerentiali, 16
quo filius timet offenſionem parentum, pupillus tutorum, ſubditus Principis, vxor viri, Monachus Abbatis, ſeu Prioris, & Clericus Epiſcopi, an ſit grauis, & cadens in virum conſtantem? Sentit noſter Sanchez *lib. 4. diſput. 6. n. 7.* ſolum metum reuerentialem, niſi minæ, aut verbera, aut alius metus grauis illi adiungatur, non cadere in virum conſtantem. Probat ex duobus potiſſimè textibus. *Primus* eſt ex *c. ex litteris, de deſponſ. impub.* ibi, *nolens & inuita, minis parentum impulſa.* Vbi textus ponderat cauſam cur ſponſalia illa metu reuerentiali parentum inita ſint irrita, & hanc ait eſſe non ſolùm paternam reuerentiam, ſed ſimul minas. *Alter* eſt ex *cap.2. de pactis, in 6.* vbi dicitur valere renuntiationem filiæ in fauorem patris factam, ſi iuramento muniatur, niſi vi, aut dolo ſit præſtitum, & tamen ibi concurrit paterna reuerentia; ergo ea ſola non inducit metum. Nomine autem *vis* non intelligitur metus grauis, ſed coactio, & violentia, quæ infertur, quod propriè ſignificat tale nomen, quodque eſt obiectum, & cauſa timoris grauis.

Baſilius Ponce *lib.4 cap.5. n. 6.* carpens prædictum 17
Thomam Sanchez, dicens confudiſſe quæſtionem, & eam non intellexiſſe, verius iudicat ſolum metum reuerentialem eſſe grauem, quod ipſi videtur luce clarius demonſtrari hac conſideratione. Metus eſt impendentis mali opinio, & cùm quis operatur ex metu, reuera eligit aliquid, quod minus malum iudicat, vt euitet id, quod ipſius iudicio maius eſt. Vnde qui operatur ex metu reuerentiæ, planè agit aliquid vt euitet aliud maius malum, quod ſequi exiſtimat, ex eo quòd non impleat voluntatem patris, vel ſuperioris. Hoc autem malum, quod vitiare contendit, non eſt peccatum; ſæpè enim in eo nullum peccatum committitur: eſt ergo patris ira, & indignatio, quam euitare contendit; indignationis autem nomine intelligitur toruus aſpectus, vultus inſenſus, exprobratio verbis durioribus; hæc autem ſi citò tranſeant, & placidus ſtatim vultus, & dulcia verba redeant, graue malum non eſt, vt fatentur omnes, qui reuerentiæ metum grauem putant; ſi verò perſeuerent, graue malum eſſe fatentur, & eius metum cenſeri iuſtum & grauem.

Perplacet magis doctrina Sanchez, quem immeritò 18
Baſilius tam acriter obiurgauit. Pro explicatione notandum eſt, quid nomine *timoris reuerentialis* præciſè intelligi debeat. Intelligo enim cum communiori Doctorum ſenſu, nomine timoris reuerentialis, metum, quo filius, v. g. timet offenſionem patris, vt ſic, non ob punitionem, vel aliud damnum, ſed præciſè ob reuerentiam illi debitum. Vnde habet pro obiecto fugam mali præciſè ne offendatur pater. In hoc enim diſtinguitur timor reuerentialis ab amore reuerentiali, ſi non ſpecie, ſaltem materialiter ex parte obiecti. Nam cùm filius, v. g. amat ſubiici patri, & complacere illi ob honorem & reuerentiam illi debitam, exercet libenter, & ex animo pietatem abſque vllo metu, nullumque eſt ibi inuoluntarium mixtum, ſed plena voluntatis propenſio, & inclinatio. At verò cùm timet timore reuerentiali, neceſſe eſt, vt adſit illi cogitatio imminentis mali; metus enim eſt cum impendentis mali cogitatione, & trepidatione, & fugiat illud propter offenſionem patris, ne videatur contemni reuerentia debita patri. Idem eſt de ſubdito reſpectu ſuperioris. Vnde ad hunc actum ti-

moris reuerentialis erga patrem, vel ſuperiorem, tametſi pater, vel ſuperior, nec verbera impouat, nec minetur, nec ſit ſuperciliosſus, toruè aſpiciens, ſed loquens placidè, ſolùm mouetur filius ſola conſideratione eius offenſionis. Explicatur hæc doctrina accurato exemplo timoris filialis in iuſtis, qui eſt valde diſtinctus à timore ſeruili, nam timor ille eſt fuga mali culpæ, quod eſt res ardua, & difficilis ad vitandum, & ideo timetur tale malum, non verò habet pro obiecto Deum minantem, aut punientem, ſed eſt fuga mali præcisè ne offendatur Deus, ob maximam reuerentiam tantæ maieſtati debitam. Idem dicendum cum proportione de timore, ſeu metu reuerentiali. Quo præmiſſo,

19 Dico *primò*, ſolum metum reuerentialem præcisè non cadere in conſtantem virum. Id ſentio cum Sanchez *citato*. Et probo ratione, quia metus reuerentialis non videtur tantam vim habere ad cogendam voluntatem, vt vir conſtans eo terreri debeat, quod manifeſtè conſtat exemplo timoris filialis in iuſto, qui propriè eſt de malo culpæ, nam illud propriè eſt offenſa Dei; eo verò timore non terretur homo grauiter; ergo idem dicendum de timore, ſeu metu reuerentiali præcisè ſumpto.

Obiicies, metum reuerentialem in filio præcisè non eſſe propriè metum, ac proinde non cadere in conſtantem virum, quia ille metus propriè eſt de malo culpæ contra pietatem, & reuerentiam debitam patri, at culpa non eſt obiectum timoris, ex D. Thom. *1. 2. q. 42. a. 3.* & ex Ariſtotele *1. Ethicor. c. 5.* Nam timor eſt de malo arduo, quod vitare non eſt in noſtra poteſtate; culpa autem cùm ſit in noſtra voluntate, non eſt malum arduum. Reſpondeo negando metum reuerentialem eſſe ſemper de malo culpæ; nam qui operatur ex metu reuerentiali, planè agit aliquid vt euitet aliud maius malum, quod ſequi exiſtimat ex eo quòd non impleat voluntatem patris, vel ſuperioris; hoc autem malum, quod vitare contendit, non ſemper eſt peccatum aliquod, quod ſit in non implendo patris voluntatem, ſæpè enim in eo nullum eſt peccatum cùm ſit res conſilij, non obligans ſub culpa ad eius impletionem: eſt ergo patris aliqua offenſio, ac leuis indignatio, quam bonus filius vitare contendit. Addo malum culpæ etiam eſſe obiectum metus reuerentialis, ſicut eſt obiectum timoris filialis. Filialis enim timor propriè dicitur, qui eſt de malo aliquo, quatenus ſcilicet in Deum redundat, videlicet de offenſione eius, vel de auerſione ab illo. Vnde propriè eſt de malo culpæ, nam illud propriè eſt offenſa Dei, & licet vitare culpam ſit in noſtra poteſtate ſimpliciter, nihilominus res ardua eſt, & difficilis, & ideò timeri ſimpliciter poteſt. D. autem Thom. & Ariſtoteles ſolùm dicunt culpam, vt voluntariam non eſſe obiectum timoris, ſecus verò ſi conſideretur, vt ex aliqua extrinſeca ratione eſt difficilis ad euitandum.

20 Dico *ſecundò*, ſi metui reuerentiali adiungatur patris ira, & indignatio diuturna, etiam ſemotis minis & verberibus, cadere in conſtantem virum, atque adeò in actibus & contractibus eum effectum habere, quẽ metus grauis. Ita Sanchex *cit. num. 14.* & Baſilius *relato*. Probat Sanchex, quia nullus eſt vir conſtans, ac prudens, qui non reputet graue malum ſemper coram oculis habere infenſum patrem, aut virum, aut alium, à quo dependet, aut cum quo verſaturus eſt, maximè cùm vix inuenias, qui linguam moderari valeat ne malè ſentiat, peiuſque loquatur de eo, cui infenſus eſt. Ita enim graue hoc exiſtimatur, vt potiùs eligeret vir prudens relictâ patriâ, domóque paternâ, exul eſſe. Quod graue malum eſſe quis neget? Firmo, quia prædicta indignatio æquiualet minis; quia indignatio diuturna æquè graue, imò aliquando grauius malum cenſetur minis: dixi *diuturna*. nam de leui, quæ citò tranſit, & placidus ſtatim vultus patris, & dulcia verba redeunt, certum eſt apud omnes non eſſe obiectum timoris grauis in virum conſtantem cadentis.

Dico *tertiò*. Si metui reuerentiali adiungantur minæ veræ à patre ſolito illas exequi, certum videri, eſſe metum grauem cadentem in virum conſtantem. Ita omnes, & bene Sanchex *diſp. 6. n. 21. &* 21
22. Patet, quia prædictæ minæ rei grauis, ſunt graue malum. Dixi id intelligi debere de minis veris: nam ſi pater ſoleat minas iactare ore tenus, & non conſueſcat illas exequi, perinde eſt, ac ſi non minaretur, & virum prudentem nihil, aut parum mouent huiuſmodi minæ tanquam vanæ, & nullius momenti. In dubio autem de conditione minantis, an ſoleat executioni minas mandare, dico incutere metum grauem; quia æquum non eſt tali periculo ſeſe exponere.

Ad argumentum Baſilij, prout opponitur primo dicto, facilis eſt ex dictis ſolutio, iam enim ſuprà *num. 17. & 18.* explicui quid præcisè dicat timor, ſeu metus reuerentialis; neque enim ira & indignatio, ſicut nec minæ eius rationem ingrediuntur, atque adeò non eſt metus grauis cadens in conſtantem virum. quod bene intellexit Thomas Sanchez, nec ipſe Baſilius diſtinxit.

Circa ſextum & vltimum de precibus importu- 22
nis, an ſecluſa omni alia ratione timendi inferant metum grauem cadentem in virum conſtantem, affirmant multi ex Iuriſperitis, quos refert Sanchez *diſp. 7. n. 4.* & ſequitur Baſilius Leon. *lib. 4. c. 5. n. 17.* Probat, quia ſpectata natura ipſa rei & rationis iudicio, adeò grauem moleſtiam inferunt inſtantiſſimæ preces, vt meritò mouere debeant virum conſtantem ad aliquid efficiendum. *Primò*, quia prudentes id grauiſſimam moleſtiam ſemper iudicarunt, vt conſtat ex illo Lucæ 11. *propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi*. Interpretatio Syriaca, habet, *propter importunitatẽ*; vbi de homine illo petẽte ab amico panes, amicoque negante ponderat Chriſtus, vim precũ importunarũ & qualiter promant. Vrget magis illud *Iudic. 16.* vbi fortiſſimum Sanſonem importunis vxoris precibus coactum, detegiſſe veritatem Scriptura docet, his verbis, *cumque moleſta eſſet ei, & per multos dies iugiter adhæreret*; vbi LXX. interpretes vertunt, *& factum eſt quando vexauit illum ſermonibus ſuis.* Paraphraſis Chaldaica, *cùm moleſtaret illum in verbo ſuo, & oppreſſit eum.* Vatablus vertit, *cùm coarctaret, & pene cogeret.*

Secundò idem conſtat ex *Extrauaganti Execrabilis, Ioan. XXII. de præbendis*, ibi, *& improbitas importuna petentium à nobis, & prædeceſſoribus noſtris non tam obtinuiſſe, quàm extorſiſſe plerumque noſcuntur.* Vbi Gloſſa verba, *quàm extorſiſſe*, ait, ab inuito per talem importunitatem. Et *l. 1. C. de petitione bonorum lib. 10. ibi, inuerecunda petentium inhiatione conſtringimur.* vbi Principes ſe cõſtringi ſentiunt importunitate petentium. Si ergo apud Principes, quorum ſuprema in Republica authoritas eſt, importunæ preces adeò grauem moleſtiam afferunt, vt ſæpe annuant votis poſtulantium; quis dubitet etiam ſecundùm rectæ rationis iudicium adeò moleſtas eſſe inſtantes preces, vt meritò metui cadenti in virum conſtantem æquipari poſſint?

Tertiò metus alicuius corporalis cruciatus eſt cadens in virum conſtantem: ergo & inſtantia precum aſſidua, quæ eſt grauior animæ cruciatus.

Dico *primò*, preces importunas, id eſt, quæ ſunt 23

inſtantiſſimæ,

inſtantiſſimæ, & ſæpiùs repetitæ ac inculcatæ, de his enim eſt ſermo, ſi metui reuerentiali coniunctæ ſint, inferre metum viri conſtantis. Id tenent multi, quos refert, & ſequitur Sanchez *diſp 7. n. 5.* Probatur, quia cùm ex vno capite importunitas precum vrgeat, & opprimat, vt probant textus adducti; & ex altero capite reuerentia perſonæ petentis debita, puſillanimem, ac timidum, nec audentem contradicere rogatum reddat. Sanè hæc duo coniuncta prudentem ac conſtantem metum probabilem iniicient. Atque hoc idem docet Leſſius *de Iuſt. lib. 2. c. 17. dubit. 6. n. 35.* ſic dicens: *Preces importunæ*, id eſt, vehementes, & ſæpiùs repetitæ, dum iunguntur illi reuerentiæ, quæ ſuperioribus deferri ſolet, æquiualent metui graui. Idem dicendum ſi eiuſmodi preces coniungantur cum præcepto eius cui reuerentia debetur, propter rationem adductam, quæ à fortiori idem vincit.

24 Dico *ſecundò*, idem dicendum, ſi preces importunæ minis coniungantur, etiamſi minæ oon adeò graues ſint. Patet ob eandem rationem præcedentis dicti, quoniam hæc duo, tametſi ſeorſim non ſufficiant, tamen coniuncta cadere vident in conſtantem virum, quia grauem moleſtiam inferunt.

25 Dico *tertiò* preces importunas ſeorſim conſideratas non efficere metum iuſtum & cadentem iu conſtantem virum. Ita Sanchez *citatus*. Moueor, quia tametſi preces importunæ contineant in ſe aliquod grauaminis, vexationis genus; ſi tamen abſit reuerentia perſonæ petentis, cui debeatur, non ita grauiter opprimunt, vt inferant abſolutè vim & virum prudentem ac conſtantem cogant, & ipſius conſenſum extorqueant. Firmo, quia decens non eſt virum prudentem ac conſtantem cogi ſolis precibus importunis hominis, cui nulla peculiaris reuerentia, nec peculiaris honor debetur. Id enim de viro graui dicere indecorum eſt, ne dicam ignominioſum, quia eſt manifeſta animi exiguitas & puſillanimitas, ac nimia timiditas ſolis precibus cuiuſuis ordinarij hominis, cui nullus debetur metus reuerentialis moueri, & conſtringi, ac etiam cogi ad faciendum opus, vnde cenſetur eſſe actio temeraria, & imprudens, qualis induatur à ſanctis Patribus, & Doctoribus fuiſſe actio Samſonis, qui nec conſtanter, nec prudenter egit, dum victus amore & importunitate mulierculæ ſecretum ſuæ fortitudinis propalauit.

Ad argumenta propoſita *n. 22.*

Ad primum dico illo argumento bene probari preces importunas continere in ſe aliquid moleſtiæ & coactionis, ſeu violentiæ, non verò oſtendi ei metum cadentem in conſtantem virum, vt dixi antea, & exemplo Samſonis oſtendi.

Ad ſecundum reſpondeo illis textibus probari importunitatem precum aliquo modo cogere, abſolutè tamen non continere violentiam, atque adeò nec ſufficientem, ad infligendum metum cadentem in virum conſtantem.

26 Ad tertium dico, ſi attendant motus primi iræ, & tædij, quorum nimia importunitas cauſa eſſe ſolet; plus affligere ſæpè etiam virum prudentem nimiam precum importunitatem, quàm corporis cruciatum, & quàm etiam minas, cùm ſæpè veluti cogatur ad opus aliquod ſtultum, & ineptum faciendum, vt importunitatem, & tædium illud repellat; ſi verò attendamus ad motus rationis, & prudentiæ & conſtantiæ conformes, id verum non eſt, quia, vt dixi *n. 25.* decens non eſt virum prudentem ac conſtantem precibus ſolùm importunis moueri, duci, & quaſi cogi.

SECTIO III.

An contractus lucratiui ex metu iniuſto graui celebrati ſpectato tantùm iure naturali ſint validi, an potiùs irriti?

AD ſecundum caput huius diſputationis accedo, & antequam de matrimonij contractu dicam, in hac ſectione, & tribus ſequentibus de aliis contractibus ex metu graui iniuſto initis agam, vt ſic conſtet diſcrimen inter matrimonium, & cæteros contractus. Cúmque ex contractibus quidam ſint lucratiui, in quibus nihil rependitur, vt ſunt ſimplex promiſſio, & donatio; quidam verò oneroſi, in quibus aliquid loco eius quod datur debet reddi, vel præſtari, vt eſt contractus emptionis & venditionis: de illis in hac ſectione erit diſceptatio; de aliis in ſequenti. 1

Probabilis eſt opinio aſſerentium contractum lucratiuum liberalis donationis, videlicet, & promiſſionis, metu graui extortum, inualidum eſſe omnino iure naturæ, ita vt neque naturalis obligatio ex eo ſequi poſſit. Ita ex Theologis Ioannes Medina [illegible] *de reſtitutione, q. 3. cauſa 2. verſic. ſi ſuit remiſſio.* Aragon *2. 2. q. 89 a. 7. in dubio circa ſolutionem, ad 3. concl. 1.* Molina *tom. 2. de iuſtitia, diſp. 267. n. 3 & 6.* Rebellus *p. 2. de obligationibus iuſtitiæ, lib. 1. q. 5. concl. 1.* Ioannes Azor *tom 1. inſtit. moral. lib. 1. c. 11. q. 15.* & latè Baſilius Ponce *lib. 4. c. 6. n. 4. & ſequentibus.* Probatur 2

Primò, quia in prædicta donatione, aut promiſſione deeſt titulus ſufficiens, vt transferatur dominium in alterum, cui promittitur, aut donatur; ergo contractus iſte iure naturæ inualidus eſt. Conſequentia patet, qnia deficiente titulo legitimo, nequit dominium transferri; hac enim de cauſa vſurarius cùm accipit vſuras ex mutuo, non poteſt eas retinere, ſed debet reſtituere, non quia deſit ſimpliciter voluntarium, ſed quia non adeſt legitimus titulus, vt poſſit eas accipere, & retinere. Antecedens probatur, quia in primis non eſt titulus rei pro te, cùm non ſit donatio ob cauſam, neque eſt titulus ipſius donationis, aut promiſſionis, quia non donatur voluntariè, & liberaliter, ſed coactè. Ad liberalem autem donationem maius voluntarium requiritur iure naturæ, quàm ad alios contractus, imò & plenum voluntarium. Neque enim æquitas naturalis patitur, vt quis liberaliter omnino ex iniquitate reportet, cùm quis ea via illud intendit.

Secundò, liberalitati repugnat donatio coacta, ſed talis eſt quæ extorquetur per metum. ergo. Maior conſtat ex Ariſtotele, qui *4. Topicor. c. 4.* donum vocat eſſe datum irreddibile; at inuitus donans nihil minus vult, quàm eſſe irreddibile ex affectu. Deinde IC. *in l. donationes, ff. de donat.* ibi, *vt ſtatim velit accipientis fieri, & in nullo caſu ad ſe reuerti* Expendantur verba: at qui inuitus donat, nollet in nullo caſu ad ſe reuerti? imò vellet etiam cùm donat; ergo ea donatio coacta deficit à donationis ratione. Firmatur ex liberalitatis definitione, nam liberalitas eſt virtus beneficiorum erogatrix, quæ pro affectu habet benignitatem, & pro effectu beneficentiam. At in eo qui inuitus donat, nequaquam beneficinm eſt: ergo ex liberalitatis natura liquet repugnare coactam donationem.

Tertiò, qui iniuſtè aliquid extorquet per metum & vim à donante, tenetur in foro conſcientiæ ad reſtitutionem,

tutionem, vt concedunt Doctores contrariæ ſententiæ; ergo ſignum eſt, per donationem coactam non transferri dominium, neque valere illum contractum. Patet conſequentia, quia ſi talis contractus valeret iure naturali, non eſſet obligatio reſtituendi ante ſententiam, vel poſtulationem reſtitutionis talis contractus, quia per illum transferretur dominium, ſolumque eſſet actio in perſonam, non bona.

Quartò, ex contraria ſententia ſequeretur, vſurarium non teneri iure naturæ ad reſtitutionem, quia dici poſſet ibi interuenire donationem exceſſus. At omnes Doctores id vno ore reiiciunt, non ex alio capite, niſi quia inuitus donat; ergo ratio inuiti, ſiue coacti deſtruit naturam donationis.

Quintò, vna ex conditionibus humanæ promiſſionis, eſt, vt variata quacunque circumſtantia non ſit infidelis qui promiſſionem non implet. At ſi ſequeretur vis & metus poſt promiſſionem, omnes concedunt nullam fore, & poſſe non impleri; ergo & à fortiori ſi ea conditio ſit in promiſſione ipſa. Cur enim quòd illam nullam redderet, poſtquam facta eſt, non reddet nullam à principio.

3 Mihi magis placet oppoſita ſententia, quam tenent multi iuriſperiti. Et ex Theologis Richardus, Paludanus, Sotus, Henriquez, Philiarchus, Petrus de Ledeſma, Ludouicus Lopez, & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. 4. diſp. 8. n. 4.* Eandem tenet noſter Leſſius *lib. 2. de Iuſtit. cap. 17. dubit. 6. n. 36.* Moueor hoc argumento, nam ſi contractus lucratiuus metu graui extortus, eſt iure naturæ omnino irritus, id prouenit, vel defectu conſenſus, vel defectu tituli iuſti, ac legitimi, vel quia interuenit manifeſta iniuria; at nihil horum efficit eſſe iure naturæ irritum; quod ſic probo, nam in primis id non prouenit ex defectu conſenſus, quia donans, v. g. vel promittens dicto metu coactus conſentit, abſolutè conſentit voluntariè, omnibus enim enim conſideratis vult, tametſi illi volitioni adiungitur nolitio, qua nollet ſi timor mali abeſſet. Vnde licet intercedat voluntarium admixtum alicui inuoluntario, tamen quia voluntas donandi, vel promittendi eſt abſoluta, & efficax, diſplicentia verò donationis, vel promiſſionis eſt tantum per voluntatem conditionatam, ſeu ſimplicem affectum, quem nolleitatem vocant Theologi, ideo talis donatio, vel promiſſio abſolutè, & ſimpliciter voluntaria eſt. Nam cùm homo eſt affectus duobus actibus, vel qualitatibus aliquo modo repugnantibus, illa ſimpliciter vincit, quæ efficaciter eſt; ad valorem autem donationis, & promiſſionis, ſicut & voti, ſufficit voluntarium ſimpliciter, etiamſi alioquin miſceatur inuoluntarium ſecundum quid; ergo ex hoc capite validus eſt contractus lucratiuus. Firmatur, quia quando quis iuſtè cogitur, valet contractus, & tamen non minus miſcetur inuoluntarium ſecundùm quid voluntario ſimpliciter, quàm ſi iniuſtè, & iniuria cogeretur, vt aperte conſtat. Non igitur ob defectum voluntarij inualidus eſt iure naturæ talis contractus. Præterea nec defectus tituli legitimi inualidus eſt iure naturæ; tum quia ſubſtantia contractus lucratiui, ſicut & cuiuſuis alterius, conſiſtit in conſenſu, & voluntate. *l. obligationum ſubſtantia. ff. de actio. & oblig.* At in conſenſu metu extorto eſt verus conſenſus, veraque voluntas. *l. ſi vt vitam* [illegible], & conſtat ex *l. ſi mulier. §. ſi metu coactus 2. ff. de eo quod metus cauſa*; ergo. Tum etiam, quia in tali contractu donationis, & promiſſionis metu graui extortæ adeſt quoque, & concurrit titulus validus, qui iure naturæ inualidus non eſt; nam titulus, qui ex tali contractu lucratiuo acquiritur, non eſt nullus ipſa rei natura ſpectatus, neque eſt nullus ipſo iure, ſed ſolùm venit reſcindendus. Vnde eſt titulus iuſtus, id eſt, titulus, cui non reſiſtit ius ipſum annullans, & ideò eſt validus, & tamen eſt annullandus iuris remedio, vt infrà dicam. Denique non eſt inualidus eiuſmodi contractus ratione iniuriæ, quæ fit donanti, vel promittenti; quia talis iniuria impertinens eſt ad valorem, & inualiditatem donationis, vel promiſſionis. Patet, tum quia iniuria non eſt immediata cauſa contractus, ſed conſenſus contrahentis. Tum quia etſi iniuria poſſit eſſe ſufficiens cauſa ad reuocandum conſenſum, & contractum irritandum, non tamen eſt ſufficiens, vt ipſum reddat omnino irritum, vt patet in contractu cui dolus cauſam dedit, qui etſi iniuria interueniat, non eſt tamen iure natura irritus, ſed irritandus, quia talis dolus verſatur non circa ſubſtantiam contractus, aut materiæ, ſed circa cauſam contrahendi, quæ rei eſt extrinſeca, & acceſſoria, & proinde non tollit conſenſum, qui ſit ſufficiens ad naturam contractus. Tum denique, quia in contractibus duo ſolùm requiruntur, nempe & conſenſus ſimpliciter, & abſolutè &, titulus iuxta varias ſpecies contractuum. Vtrumque reperitur in contractu lucratiuo, verbi cauſa, donationis, nempe conſenſus abſolutus, & efficax, & etiam titulus legitimus, nempe titulus donationis, qui ſolum importat dationem liberalem, ideſt, nullo pretio recepto, tametſi, non ſit omnino libera, ſed cum admixtione inuoluntarij.

Ex prædicta doctrina infero per contractum lucratiuum donationis metu graui extortum transferri dominium. Patet, quia ad acquiſitionem dominij ordinariè duo requiruntur, titulus, & traditio. Vtrumque habet prædicta donatio, quæ ſolet definiri, datio liberalis. Per donationem intelligitur actio donantis natura ſua ſufficiens ad dominium transferendum, quæ fit traditione rei; nam iure poſitiuo impeditur, ne dominium transferat, niſi ſecuta reali traditione. Dicitur liberalis datio, quia fit nullo pretio recepto; neque enim fit tanquam iure debita, neque vt aliquid reddatur, tanquam iure debitum. Vnde excluditur omnis donatio, quæ habet rationem ſolutionis debiti, vel permutationis; neutra enim eſt liberalis. 4

Ex his facilè ſoluuntur argumenta primæ ſententiæ. 5

Ad primum negatur antecedens; nam eſt titulus donationis, qui ſolùm importat, vt dictum eſt, dationem liberalem, id eſt, nullo pretio recepto, quæ fiat tanquam iure debita; quare vt ea datio dicatur liberalis, ſufficit vt non ſit debita ex iuſtitia, neque ad tale debitum alteri imponendum ordinetur, non verò requiritur, vt non habeat aliquid inuoluntarij admixtum.

Ad ſecundum dico, illud argumentum rectè probare per donationem, ordinariè loquendo, donatarium acquirere ius irreuocabile à donante, & eſſe datum illud irreddibile. Cæterùm negari non poteſt in aliquibus euentibus adquiri ius reuocabile ab ipſo donante. Vt ſi Petrus det Paulo domum ſuam cum onere dandi ipſi viginti, vel triginta aureos ſingulis annis, & non aliter; ſi onus non impleat, poteſt domum ſuam repetere, & eam ſibi reaſſumere. Potiori iure in præſenti caſu, dat Petrus ex metu graui extortus hæreditatem Paulo, datum illud nequit eſſe irreddibile, quia ob timorem incuſſum poteſt illud repetere beneficio iuris. Ad confirmationem, verum eſt donationem ordinariè procedere ex affectu benignitatis, & beneficentiæ, ex quo fonte, ſiue affectu non videtur ſequi, quòd donat inuitus, ſeu metu graui coactus; quia tamen eius donatio fit ab illo, nullo 6

lo

Digitized by Google

lo pretio recepto, neque vt aliquid ipſi reddatur, tanquam iure debitum, ideo abſolutè eſt datio liberalis, quæ eſt intrinſeca ratio formalis donationis.

7 Ad tertium conceſſo antecedente, negatur conſequentia; nam ea reſtitutio non fit, quia non fuerit validus contractus, vel quia non fuit tranſlatum dominium, ſed quia qui metum intulit, ratione iniuriæ tenetur omnia in priſtinum ſtatum reſtituere, & proinde reddere quod conſecutus eſt, & alter ius habet etiam naturale exigendi hanc reſtitutionem, & etiam conceditur illi à iure reſtitutio in integrum. *c. 2. in fine, de his quæ vi. ibi, quia quæ metu, & vi fiunt, de iure debent in irritum reuocari. Mandamus cum integritate reſtituas vniuerſa.*

8 Ad quartum negatur ſequela, nam titulus vſurarius eſt omnino inualidus, imò nullus eſt titulus: at titulus metum inferentis eſt ipſo iure validus, & tantùm eſt annullandus ope, ac remedio iuris.

Ad quintum verum eſt in humanis promiſſionibus eas deſinere obligare, ſi ſtatus rerum, vel perſonarum ita mutetur, vt promiſſor ſecundùm iudicium prudentum non videatur illum euentum voluiſſe cõprehendere, quod ex conditione rei promiſſionis & promiſſarij diſpoſitione, cæteriſque circunſtantiis iudicandum eſt. Inde tamen non ſequitur promiſſionem metu graui extortam deſinere obligare, ſpectato ſolo iure naturali. Ratio diſcriminis eſt aperta, quia promiſſio non habet vim, niſi ex voluntate & intentione promittentis, quam expreſsè, vel implicitè habet dum promittit, & ideo vltra hanc intentionem expreſſam, vel prudenter interpretatam, non poteſt obligare. At in promiſſione metu graui extorta, non obſtante vi & coactione, inuenitur voluntas, & intentio abſoluta & efficax promittendi, & ideo obligat, inſpecto tantùm iure naturali.

Sectio IV.

An contractus oneroſi ex metu iniuſto graui celebrati, inſpecto iure tantùm naturali, valeant, an non?

1 SVnt nonnulli, inter quos noſter Rebellus *2. p. lib. 1. q. 5. num. 15.* qui exiſtimant, iure naturali ſpectato contractus oneroſos ex metu graui iniuſto initos ita inualidos eſſe, vt nullam coacto afferant obligationem, aut ab eo propriè rei dominium in cogentem transferant. Probant

Primò, quia in foro conſcientiæ res per grauem metum extorta cum fructibus reſtituenda eſt metum paſſo; at hoc non fieret ſi dominium rei foret tranſlatum, cùm res vero domino fructificare debeat. Ergo ſignum eſt per eiuſmodi contractum minimè transferri dominium.

Secundò, ſi metum paſſus rem illam propria authoritate recuperaret, abſque ſcandalo minimè peccaret: ergo manet eius dominus, aliàs non daretur rei vendicatio.

Tertiò, qui per metum iniuſtum extorquet conſenſum, infert manifeſtam iniuſtitiam, cui iniuſtitiæ non poteſt ſatisfieri, niſi iterum res ſua reddatur ei, qui coactus contractum celebrauit; ergo contractus ille eſt nullus iure naturæ.

Oppoſitam ſententiam iudico veriorem, quam tenent Soto *in 4. d. 29. quæſt. 1. art. 3.* Henriquez *lib. 11. cap. 9.* Syluester *ver. metus quæſt. 8.* Nauarrus *in ſumm. cap. 22.* Molina *tom. 2. de iuſtit. diſp. 326.* Vazquez *lib. 2. diſp. 27. cap. vlt.* Baſilius Ponce *lib. 4. cap. 7.* & alij. Iuxta quam

Dico *primò*, contractus oneroſos, in quibus datur res pro re, validos eſſe iure naturæ, etiamſi fiant ex metu graui iniuſtè incuſſo. Ratio à priori eſt, quia, vt conſtat ex præcedenti ſectione, ſubſtantia horum contractuum ſolùm requirit titulum legitimum, & ſimpliciter voluntarium: vt, v. g. venditio vt ſit valida, iure naturæ ſolùm requiritur vt ſit ſimpliciter voluntaria, & ſit titulus pretij pro re; vtrumque reperitur, etiamſi coactè fiat; nam de titulo nullus dubitare poteſt, quem adeſſe ſupponunt omnes. Ex parte verò voluntarij non eſt defectus, quia contractus eſt ſimpliciter voluntarius, etiamſi aliquo modo diſpliceat; ergo validus eſt. Hinc 2

Dico *ſecundò*, per eiuſmodi contractus, tametſi metu graui iniuſto celebratos, transferri dominium. Probatur, quia ſi venditio tali metu facta valida eſt, dominium neceſſe eſt transferatur, aliàs enim ſi per illam venditionem dominium non transferretur, irrita eſſet. Et firmatur, quia per traditionem deſinit tradens eſſe dominus, traditione enim transfertur dominium quando concurrit titulus, qui iure inualidus non eſt, *l. traditionibus, C. de pactis, §. per traditionem, Inſtit. de rerum diuiſ.* Sed hîc concurrit traditio, & titulus, qui ex contractu per metum celebrato acquiritur, non eſt nullus ipſo iure; ergo verè transfertur dominium. 3

Dico *tertiò*, prædictum contractum eſſe naturali iure reſcindendum, ſi velit is, qui coactus contraxit, etiamſi fuerit ſecuta traditio rei cum ea coactione. Ratio eſt, quia tametſi traditio rei etiam cum ea coactione valida ſit, quia adeſt ſimpliciter voluntarium & titulus, & contractus eſt omnino perfectus; tamen in eo caſu iniuſtum eſt, vt coactus quis contraxerit; factum enim eſt contra ius quod quilibet habet non alienandi ſua bona, niſi cùm voluerit omnino liberè, ſine vi, & coactione extrinſeca. Hæc autem iniuſtitia compenſari poteſt ſine damno alterius contrahentis, quia emens, v. g. poteſt reſtituere rem ſuam domino, & accipere pecuniam, quam dedit pro re, & ita res in priſtinum ſtatum reſtituatur. Ergo ad id tenetur emens, ſi alius velit, & ſic ea iniuſtitia compenſanda eſt. Firmatur, nam hæc duo, validitas contractus, & obligatio reſcindendi, ſi alter velit, non pugnant, ſed cubætent, quia ex diuerſis capitibus oriuntur. Nam valor contractus oritur ex iuſto titulo, & ex voluntario ſimpliciter, quæ ſufficiunt ad valorem contractus. At obligatio conditionis reſcindendi contractum, nempe, ſi alius velit, orta eſt ex coactione iniuſtè illata, quia factum eſt contra ius illius, quæ obligatio non impedit emptorem eſſe dominum rei traditæ, dum is qui vendidit, non petit reſciſſionem. Et ita fructus rei pro illo tempore ad emptorem pertinent, cui tradita res eſt, & ſi eo tempore res periret, ipſi ſine dubio periret. Conſtat igitur longè alium habere effectum venditionem coactam, & obligationem reſcindendi, ſi alius velit, in qua reſciſſione ſeruanda eſt æqualitas in dato & accepto, & poteſt etiam obligari is qui vim intulit ad reſarcienda damna quæ per ſe ex ea coactione illata ſecuta ſunt.

Hinc patet ſolutio ad argumenta oppoſita.

Ad primum concedo reſtituendam eſſe rem cum fructibus ſi ſtatim contractu celebrato velit is qui coactus contraxit, non quia dominium in accipientem non tranſierit, ſed quia ob manifeſtam iniuriam illatam habet ius naturale, vt talis contractus reſcindatur, & etiam illi conceditur à iure poſitiuo reſtitutio in integrum. 5

Ad

6 Ad ſecundū concedo poſſe occultè recuperare propria authoritate: id tamen non euenit, quaſi concedatur rei vendicatio, propriè loquendo, ſed quia actionem habet metus iure etiam naturæ ad rem illam recuperandam. Vnde ſicut equum mihi promiſſum, cuius dominus nondum effectus ſum, poſſum occultè abſque ſcandalo capere, quando aliàs obtinere nequeo, eo quòd actionem habeam ad illum, ſitque mihi debitus, ita ſimiliter licèt metum paſſus non maneat dominus rei metu ab illo extortæ, at quià ſibi eſt debita, poteſt recuperare occultè.

7 Ad tertium dico eo argumento rectè probari noſtrum tertium dictum, nempe prædictum contractum eſſe naturali iure reſcindendum, ſi velit is, qui coactus contraxit, non tamen probari talem contractum irritum ac nullum eſſe, vt dictum eſt.

Sectio V.

An ex iuris poſitiui diſpoſitione contractus tam lucratiui, quàm oneroſi ſint irriti ipſo iure, vel reſcindendi?

1 QVod attinet ad contractus lucratiuos & liberales donationes, ſentiunt multi graues Doctores, Soto, Palacios, Molina, Rebellus, & alij, quos refert & ſequitur Baſilius Ponce *lib. 4. c. 8.* omnes illos graui & iniuſto metu factos eſſe iure poſitiuo nullos, & irritos. Probant, quia ſunt complures actus ex liberali donatione prouenientes, in quibus apertè iura diſponunt non valere ob grauem metum iniuſte incuſſum, vt dos promiſſa, vel ſoluta, iuriſdictio, votum metu extorta.

Secundò ex *l. qui in carcerem 22. ff. de eo quod metus cauſa.* ibi, *qui in carcerem quem detruſit, vt aliquid ei extorqueret, quidquid ob hanc cauſam factum eſt, nullius momenti eſt.* id eſt, nullius vigoris. Hunc enim eſſe eius particulæ ſenſum, conſtat ex *cap. ordinarij, in fin. de offic. ordinarij, in 6.* vbi aliter, inquit, facta collatio nullius ſit momenti, id eſt, vigoris & efficaciæ, ſecundùm Archidiaconum, Geminianum & alios præclaros Iuriſperitos.

2 Dico *primò* contractus lucratiuos, ſeu donationes, & promiſſiones, exceptis aliquot caſibus, metu graui extortos, eſſe iure poſitiuo validos. Ita tenent multi & graues Iuriſperiti, & Theologi, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 4. diſp. 18. n. 4.* Probatur *primò Inſtit. de exceptionibus, in principio.* Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapſus ſtipulanti Titio promiſiſti quod non debueras promittere, palam eſt iure ciuili te obligatum eſſe, & actio qua intenditur dare te oportere, efficax eſt. Vbi Gloſſa obligatum eſſe, inſpecto iuris rigore, efficax eſt, ſcilicet in ſui ſubſtantia. In hoc ergo textu ſermo eſt de promiſſione. Igitur promiſſio metu extorta, valida eſt iure poſitiuo. *Secundò* probatur *l. ſi mulier. §. fin. ff. quod metus cauſa.* ibi, *ſi metu coactus adiui hæreditatem, puto me hæredem effici, quia quamuis ſi liberum eſſet, noluiſſem, tamen coactus volui, & per Prætorem reſtituendus ſum vt abſtinendi mihi poteſtas tribuatur. Tertio* ex *l. vlt. C. de his quæ vi.* Venditiones, donationes, tranſactiones, quæ per potentiam extortæ ſunt, præcipimus infirmari. Vbi expendendum eſt idem ſtatui de donationibus, ac de venditionibus, atque adeò nullum eſſe diſcrimen inter donationes, & alios contractus, de quibus omnibus ait valere mero iure, & iuris remedio eſſe infirmandos. Denique ex *cap. 2. de his quæ vi, in fine.* ibi, *quæ metu & vi fiunt, de iure debent in irritum reuocari.* Ergo tantùm ſunt reuocanda, & dum non reuocantur, ſunt rata & valida. Et ratio eſſe poteſt, quia non video cur in iure donatio, & promiſſio metu facta ſint irrita, & alij contractus oneroſi ipſo iure ſint validi: non enim ad illorum ſubſtantiam requiritur maior libertas, quàm ad contractus oneroſos, neque donationi liberali propriè repugnat coactio, ſed donatio oneroſa, vt oſtendi ſuprà *ſect. 3.* Dixi in concluſione, exceptis aliquibus caſibus in iure expreſſis. Quales verò hi ſint, non eſt præſentis inſtituti. Solùm dico in iure clarè haberi, vt infrà dicetur, matrimonium metu iniuſto contractum inualidum eſſe, ac nullum, & dotem quoque ſi ſit ſoluta, vel promiſſa per metum, quia eſt acceſſoria ad matrimonium.

Dico *ſecundò*, tametſi prædicti contractus lucratiui non ſint ipſo iure poſitiuo irriti, eſſe tamen irritandos pro arbitrio eius, qui metum iniuſtè paſſus eſt ad contractum extorquendum. Ita communiter Doctores, & patet ex *cap. 2. & cap. 4. de his quæ vi.* Ratio eſt, quia qui metum iniuſtè incuſſit, iniuriam alteri intulit, vnde tenetur illum in priorem ſtatum reſtituere, & alter habet ius exigendi hanc reſtitutionem. 3

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum iam dictum eſt, excipi aliquas actiones in iure. Cæterùm conſtat de aliis non eſſe iure irritas.

Ad ſecundum dico illud fuiſſe ſpeciale in illo caſu, quia vltra metum adfuit ibi dolus, & calliditas peſſima illius, qui detruſit in carcerem, qui grauius delictum admiſit, quàm alius metum incutiens, nam ſub prætextu iuſtitiæ falsò aſſeueratæ iudex, cuius officium eſt reddere vnicuique ius, fecit inſtrumentum iniquitatis. 4

Quod attinet ad contractus oneroſos, in quibus datur res pro re cum communiori DD. ſententia, dicendum ſimiliter valere iure poſitiuo, ſicut & naturali; dari tamen actionem remedio iuris, *c. 2. de his quæ.* Hoc à fortiori liquet in his contractibus, cùm de aliis lucratiuis idem ſatis oſtenſum ſit. Ex his 5

Colligo *primò* omnes venditiones, promiſſiones, donationes, tranſactiones, conceſſiones, contractus, & diſtractus, ſeu contractuum reſciſſiones, & generaliter omnes conſenſus per metum grauem iniuſtè extortos, poſſe in irritum reuocari, & quidquid ex illis eſt ſecutum. 6

Colligo *ſecundò*, eum qui ex huiuſmodi contractu vel conſenſu aliquid eſt conſecutus, teneri ad reſtitutionem, ſiue ipſe, ſiue alius metum intulerit. Ratio eſt, quia qui talem intulit metum, ratione iniuriæ tenetur omnia in priſtinum ſtatum reſtituere, atque adeò reddere quod conſecutus eſt. Qui autem rem habet, & non fuit particeps iniuriæ, tenetur ratione iuris poſitiui, quo non ſolùm datur actio in perſonam quæ iniuriam intulit, ſed etiam in rem apud quemcumque exiſtat, vt expreſsè habetur *l. metum 9. §. ſed quod, & §. volenti. ff. quod metus cauſa*; imò & tenetur quoque iure naturali, quia ratione iniuriæ eadem res in priſtinum ſtatum eſt reſtituenda; ergo eſt obnoxia reſtitutioni vbicunque fuerit. Placet tamen dicere, quod rectè notauit Leſſius *lib. 2. de iuſtit. cap. 17. dubit. 6. num. 39.* eum qui bona fide rem talem emit, ignarus iniuriæ quæ interceſſit, non teneri ad reſtitutionem, niſi quando is, qui iniuriam paſſus eſt, in rem agere cœperit, quia conſecutus eſt dominium rei, & ipſe nullam iniuriam intulit. 7

Colligo *tertiò*, ſi non pateret alia via illius rei recuperandæ, priorem dominum poſſe ea occultè ſurripere 8

pere, vel ſi id non daretur, vti occulta compenſatione, ſicut in aliis debitis. Quo pacto etiam dum res aliqua mihi promiſſa eſt, ſi illam aliter conſequi nequeo, poſſum mihi occultè conſulere.

9 Colligo *quartò*, prædictam doctrinam habere locum, ſi metus grauis iniuſtè incuſſus ſit ad contractum eliciendum; nam ſi ob alium finem incuſſus fuit, & ad illud malum euadendum, contractus initus non poteſt reſcindi: vt, v.g. ſi captus à latrone promittas tertio, qui iniuriæ non eſt particeps, centum, vt te liberet, tunc metus non eſt propriè cauſa contractus, ſed solùm occaſio, nec poteſt dici metu extortus, ſed cùm iam metus ob aliam cauſam eſt iniectus, adhibetur contractus, tanquam medium ad illum expellendum, vnde non meretur, vt contractus ei reſcindatur. Vnde

10 Colligo *vltimò*, vt diſpoſitio iuris ciuilis circa actus metu graui iniuſtè factos locum habeat, neceſſarium eſſe, vt geſtum ſit eius metus cauſa. Si enim aliquis quid geſſerit metu prædicto compulſus, & deinde ſine nouo metu id fecerit, quod ex priore contractu ſequebatur, non reſtituetur. Conſtat id in eo, qui ex metu promiſit, & poſtea nullo nouo metu adhibito ſoluit. *l. 2. C. de his, quæ vi.* in ea enim ſolutione reſtitutio nõ datur, neque repetitio, vt liquet ex *l. 4. C. eodem.*

Sectio VI.

Quem effectum habeat leuis metus iniuſtè incuſſus in contractibus, tam naturali iure, quàm poſitiuo?

1 Circa primum quid ſentiendum ſit, ſi ſermo ſit de naturali iure, atque in conſcientiæ foro de timore leui quo vir cõſtans & prudens permoueri nõ ſolet. Nam multi, inter quos noſter Leſſius *lib. 2. c. 17. dubit. 6. n. 46* & Sanchez *lib. 4. diſp. 9. n. 4.* cum Syluestro, Nauarro, & aliis quos referunt, ſentiunt acta per metũ leuẽ iniurioſũ eſſe in foro conſcientiæ reuocanda. & quæ tradita ſunt repetenda, & reſtituenda.

Primò, quia in deceptione intra dimidium iuſti pretij, tametſi ius ciuile ad vitandas lites deneget actionem, cùm tamen eam non approbet, tenetur decipiens reſtituere; ergo ſimiliter in noſtro caſu.

Secundò, quod hoc metu obtinetur, per iniuriam obtinetur, cùm à renitente dare res accipiatur; ergo tali metu contractum extorquens tenetur reſtituere reducens rem ad priſtinum ſtatum, reſtituens quod accepit, & accipiens quod dedit; id enim quod per iniuriam comparatum eſt, obnoxium eſt reſtitutioni, quia vt fiat æqualitas, debet reſtitui ei à quo ablatum eſt.

Tertiò ſæpe metus leuis, id eſt, minoris mali, non minus perturbat hominem, & impellit nolentem ad conſenſum, quàm metus mali grandis cadens in virum conſtantem; ergo ſi hic tribuit poteſtatem reſcindendi contractum, etiam ille.

Vltimò, qui metu cogitur, priuatur per iniuriam ſua libertate; ergo debet in priſtinum ſtatum reſtitui, vt probet, vel improbet liberè contractum, & ipſe ius habet hunc ſtatum ſibi aſſumendi, & quæ geſta ſunt confirmandi, vel irritandi.

2 Oppoſitam ſententiam, nempe in omnibus contractibus ex leui metu factis, nullam eſſe obligationem reſtituendi ex natura rei, neque in foro conſcientiæ, defendunt Ioannes Medina *C. de reſtitutione, quæſt. 3. cauſa 9.* Baſilius Põce *lib. 4. c. 10. n. 5.* & alij, hoc nixi fundamento, quia metus leuis eſt in poteſtate patientis metum, quem reiicere poteſt, & debet, iuxta regulas prudentiæ; non enim qui ex metu leui operatur, prudenter agit; quare in eius poteſtate eſt imprudentiam metus repellere, habetque in ſe ſufficiens principium, vt repellat, & ſine metu agat; ergo voluntariè omnino videtur operari, qui cùm poſſit facile repellere non vult. Idem conſtat in eo, qui ex metu peccat, & in eo qui ab intrinſeco metum patitur.

Huic magis adhæreo opinioni; iuxta quam

3 Dico *primò* in contractibus lucratiuis, vt in donatione, vel promiſſione, ſi interueniat ſolùm metus leuis, non datur iure naturæ actio, vt is qui coactus contraxit, poſſit petere reſciſſionem. Moueor, quia in huiuſmodi contractibus, cùm non ſit rei pro re, nulla intercedere poteſt inæqualitas ex parte rei, atque adeò nulla committitur in re ipſa iniuſtitia. Ex alio capite eſt ſufficiens voluntarium, & iniuria illata ex metu leui, non cenſetur eſſe alicuius conſiderationis, cùm operans in ſua poteſtate habeat ſe ex eo metu liberare, & ſufficiens principium intrinſecum eam iniuriam repellendi; ergo.

4 Dico *ſecundò*, in contractibus onerosis ex tali metu factis, in quibus datur res pro re, ſi non ſit ſeruata æqualitas in ipſa re, datur iure naturæ obligatio naturalis reſtituendi exceſſum, donec ipſa res ad æqualitatem reducatur. Hoc manifeſtè probat primum argumentum prioris ſententiæ, & patet, quia ſicut in læſione intra dimidium iuſti pretij, licèt non detur actio iure ciuili, eſt tamen naturalis obligatio reſtituendi exceſſum, quia nimirum in eo contractu non fuit æqualitas rei ad rem, vnde qui ſic fuit cauſa per metum, etſi leuem, ſic contrahendi tenetur id ad æqualitatem reducere, quia deeſt titulus iuſtus accipiendi exceſſum illum, cùm nihil pro illo dederit: ita in noſtro caſu eſt pariter obligatio naturalis reſtituendi, quia non datur æquale, pro æquali.

5 Dico *ſecundò*, quæ leui metu extorquentur in contractibus oneroſis, cùm ſeruatur æqualitas inter rem, & rem, non eſſe obnoxia ex natura rei reſtitutioni naturali. Ratio eſt iam dicta, quia iniuria illata perſonæ ex illo metu leui, eſt parui momenti, quæ facile vinci poteſt. Vnde hac de cauſa *l. metum. 9. ff. quod metus cauſa*, habetur metum vani hominis non eſſe ſpectandum, ſed eum, qui in conſtantiſſimum cadit. & *ff. de regulis iuris*, vani timoris nulla eſt excuſatio.

Ex quo patet ſolutio ad argumenta oppoſita.

Ad primum iam dictum eſt ſolùm probare noſtrum ſecundum dictum.

Ad ſecundum fateor eſſe aliquam iniuriam, cæterùm leuem, & parui momenti, quam facile patiens metum repellere poteſt.

6 Ad tertium falſa eſt propoſitio, ſi homo ſit prudens, & conſtans animo, hunc enim nequit æquè perturbare metus leuis, ac metus grauis, cùm facile poſſit metum leuem reiicere. Quòd ſi ſit imprudens, puſillanimis, ac timidus nimis, ac facilè compellatur ad conſenſum ex metu leui, tribuendum eſt eius imprudentiæ ac ſtultitiæ, non verò grauitati iniuriæ, quæ leuiſſima eſt.

7 Ad vltimum dico eum, qui metu leui cogitur, non priuari per iniuriam ſua libertate, nec inuitum operari, nec verè cogi, ſed voluntariè omnino, & abſque metu, quia cùm poſſit facilè repellere eam iniuriam, paruipendere illam, vtpote leuiſſimam, & ſit in eius facili, ac morali poteſtate talem timorem excutere, voluntariè ac omnino liberè vult

illum non teiicete. Vnde ſibi imputetur,& ipſius imprudentiæ quod operetur,non ipſi metui.

8 Circa ſecundum, an actus ex leui metu ioiuſto ſint irriti,vel irritandi iute poſitiuo, Sanchez *lib.* 4. *diſp.* 9 *n.* 5.cum multis,ſentit,tametſi non detur actio, quod merus cauſa,niſi metus cadat in conſtantem virum; cæterùm metum leuem poſſe ſuccurri officio iudicis, vt reſcindarur contractus,quia æquum non eſt iudicem pati, vt metum inferens commodum importet ex culpa ſua.

9 Mihi viderur dicendum *primò* cum omnium doctrina nullam iure ciuili dari reſciſſionem in his quæ metu leui geſta ſunt. Patet, tum quia omnia iura ad reſciſſiooem petunt metum cadentem in virum conſtantem, tum etiam vt vitentur lites, quæ paſſim ſuboriri poſſent, cùm metus leuis facillimo negotio probari valeat, & ſic fora litibus implerentur. Tum denique, quia iudices rectè exiſtimant eiuſmodi metum non eſſe propriè cauſam rei geſtæ, & ideo non audiuntur in iudiciis, qui obiiciunt metum leuem.

10 Dico *ſecundò*, mihi probabilius videri non eſſe neceſſarium, vt metum leuem paſſis ſubueniatur officio iudicis, vt reſcindatur contractus, quia,vt oſtenſum eſt, nulla, aut ferè nulla illata eſt iniuria. Vnde qui ex metu leui operatus eſt, non tam metum ab alio paſſus eſt, quàm ipſe ſibimet intulit metum; cùm in ſua poreſtate habuerit ex principio intrinſeco ſufficienter, & facile eum metum repellere:non ergo eſt cur ſuccurratur officio iudicis,nec enim illud pertinet ad eum, qui ſibi merum intulit.

11 Dico *tertiò*, ſi in contractu oneroſo ex leui metu extorto eſſet inæqualitas in ipſa re,nec ineuriens metum illum veller reſtituere exceſſum, vt vere tenetur obligatione naturali, poſſet tunc adiri iudex, vt contractus reſcinderetur. Patet, quia iniuſtum eſt retinere exceſſum illum, & non eſt æquitati conſonum, vt commodum reportet ex ſua culpa,ſine vllo titulo iuſto.

Sectio VII.

An contractus ex metu reuerentiali, & ex precibus importunis,ac blanditiis celebrati ſint irriti ipſo iure,vel reſcindendi?

CIrca primum, omiſſis aliorum ſententiis, iuxta doctrinam à nobis traditam ſuprà *ſect.* 2. *n.* 18. 19, *&* 20. facile præſeoti quæſtioni occurro.

1 Dico itaque *primò*, ſolum metum reuerentialem præcipue, oec iure naturali, nec poſitiuo irriros reddere contractus. Moueor, quia, vt ibi oſtenſum eſt, metus reuerẽtialis non eſt propriè metus,nec eſt metus cadens in conſtantem virum;non enim videtur tantam vim habere ad cogendum voluntatem, vt vir conſtans eo terreri debeat, quod latè oſtendit Sanchez *lib.* 4. *diſp.* 6, *n.* 7. Hinc

2 Dico *ſecundò* nullam eſſe obligatiooem naturalem reſcindendi ea,quæ ſolo metu reuerentiali acta ſunt. Conſtat ex præcedenri ſectione, & patet, quia hic metus grauis non eſt, ſed leuis, neque eſt iniurioſus, nec cauſa actus; quare ſi filius non audens contradicere patri,aliquid promittat, doner, vel alicui iuri renunciet, ob ſolum timorem reuerentialem, quando aliud malum non timet, nequit petere reſciſſionem, nec pater iniuriam intulit,nec tenetur ad reſtitutionem eius quod per talem conſenſum conſecutus eſt. Idem dico de vxore reſpectu mariti, ſi ſolùm fiat præcisè ex metu reuerenriali.

3 Dico *tertiò*, ſi metui reuerentiali, patris, v.g. adiungatur ira illius, & indignatio diururna, vel adiungantur verbera, vel minæ veræ à patre ſolito illas exequi in his caſibus, ea quæ acta ſunt ex tali metu eſſe reſcindenda. Paret, quia tunc metus reuerentialis eum prædictis adiunctis grauis eſt, & iniurioſus, vt *loco citato* oſtendi, & ideo in actibus, & contractibus eum effectum habere debet, quem diximus habere in illis metum grauem.

4 Dico *vltimò*. Idem dicendum, ſi metui reuerentiali adiungatur enormis læſio, in actis, vel contractibus, nimirum dari reſciſſionem. Ratio eſt, quia enormis læſio dolum arguit re ipſa, quia perinde contractui nocet, ac ſi fraudantis conſilium interueniſſet. *l. ſi quis* 36. *ff. de verb. obligat. l.* 5. *C. de dolo*, & dolus hic re ipſa interueniens, ita officit actui, vel contractui, ac ſi ex propoſito accederet, *l. ſi quis cum aliter ff. de verb. oblig. l.* 2. *ff. de dolo except. l. ſi ſuperſtite ff. de dolo malo.* Non ergo mirum eſt ſi contractus reſcindantur ex metu reuerentiali, eum enormi læſione ratione doli illi adiuncti.

5 Circa ſecundum, de precibus importunis, reuocanda ſunt in memoriam, quæ ſuprà diximus *ſect.* 2. *n.* 23. *& ſequentibus*, & iuxta doctrinam ibi traditam, dicendum eſt in illis caſibus, & euentibus,in quibus prædictæ preces prout adiunctæ metui reuerentiali, vel minis, cauſant metum grauem, cadentem in virum conſtantem, tametſi acta ex tali metu valida ſint iure naturali, & poſitiuo, eſſe tamen irritanda pro arbitrio eius, qui talem metum iniuſtè paſſus eſt ad contractum extorquendum. Ita conſtat ex dictis ſuprà *ſect.* 3. 4. *&* 5. In illis aurem caſibus, in quibus preces importunæ ſeorſim conſideratæ, & ſine vllo adiuncto cauſant metum leuem, & non cadentem in conſtantem virum, acta ex tali metu, non ſolùm eſſe valida, ſed neque eſſe obnoxia alicui irritationi, nec reſtitutioni naturali,vt conſtat ex *ſect.* 6.

6 De blanditiis verò,vt ex communi doctrina docet Sanchez *lib.* 4. *diſp.* 11, certum videtur nec leuem metum inferre,cùm potiùs faciant voluntarium,nihil enim magis voluntariè fit, quàm quod amore efficitur. Imò idem Sanchez ex D. Thom. 1. 2. *q.* 6. *a.* 7. concupiſcentiam,& amorem, nõ efficere inuoluntarium, imò valde augere voluntarium. Quod ſano modo intelligendum eſt, nam concupiſcentia antecedens videtur abſolutè minuere voluntarium,& liberũ. Quia quo magis à paſſione incitamur, eo conſenſus voluntatis minus eſt in nobis,& ex nobis à principio intrinſeco cum cognitione. Qua de cauſa etiam inter homines dicere conſueuimus,eum magis ſponte aliquid feciſſe,qui nec precibus,nec vllo modo ab extrinſeco motus, ſed ſola ſua ratione & voluntate ductus aliquid fecit, quia,quo magis excludimus extrinſecum aliquod principium, qualis eſt etiam paſſio reſpectu animæ,& ſuaſio reſpectu hominis, magis ſponte aliquid à nobis fit, quare exiſtimo nunquam D. Thom. dixiſſe concupiſcentiam augere volũtarium, nam expreſsè S. Doctor 1. 2. *q.* 77. *a.* 6. docet ex paſſione antecedenti minui peccatum, quia ex illa minuitur voluntarium,& peccatũ eatenus eſt peccatum, quatenus eſt voluntariũ, ſeu liberum. Cùm verò dixit D. Thom. *q.* 6. *citat. a.* 7. concupiſcentiam non cauſare inuoluntarium,ſed magis facere aliquid voluntarium, illa particula *magis* non ſignificat augmentum voluntarij,ſed habet notam comparationis voluntarij, non cũ minus volũtario,ſed cum inuoluntario,& vſurpatur pro *potius*,vt ſẽſus ſit,tãtũ abeſt, vt faciat inuoluntarium,

tarium, vt potius faciat voluntarium, quàm inuoluntarium. Erat enim propoſita quæſt. An concupiſcentia faceret inuoluntarium, & rectè reſpondet potius facere voluntarium, quàm inuoluntarium, ex quo non ſequitur concupiſcentiam augere voluntariũ, & quáuis minuat voluorariũ, non ſequitur facere inuoluntarium, quia non facit eſſe aliquid contra internum aliquem imperum, & motum voluntatjs. Poſſe autem minui voluntarium ſine inuoluntario, videtur manifeſtum, quia voluntarium minni poteſt ſine inuoluntario ex aliis capitibus, nempe ex eo quòd quis remittat animi intenſionem, aut ex eo quòd non à ſeipſo, ſed ab extrinſeco motus, velit; qua ratione minuitur voluntarium, quod oritur ex paſſione: minuitur quoque voluntarium, quia per paſſionem minuitur cognitio, vt manifeſtum eſt.

7 Obiicies concupiſcentiam non minus eſſe cauſam inuoluntarij, ſicut eſt metus. Patet, quia ſicut metus dicitur facere inuoluntarium, eo quòd mouet ad opus, nempe ad eligendum aliquod minus malum propter vitandum maius, renitente aliquo affectu diſplicentiæ, quo nollet homo illud efficere: eodẽ modo cõcupiſcẽtia allicere poteſt voluntatẽ ad appetendũ, & faciendum aliquid cum dolore, & diſplicentia, circa illud, ratione cuius renitatur aliquo modo volũtas, & ita ei ſit inuoluntarium ſequi concupiſcentiam. Veluti cùm alicui ex conſideratione dãnationis æternæ diſplicet committere peccatum, poſtea verò allectus à delectatione illud facit, manet in eo nihilominus timor ille inferni, atque ideo operatur, renitente aliquo modo voluntate, non ſecus, ac cùm ex timore maioris mali, aliquod, quod minus eſt, eligit. Reſpõdeo tamen ſemper veriſſimũ eſſe omnibus Philoſophis, & Theologis probatum dictum, concupiſcẽtiam non eſſe cauſam inuoluntarij Eſt enim diſcrimẽ hoc inter ea, quæ fiunt ex metu, & ex concupiſcentia; nam quoties quis operatur ex metu, eligit aliquid, quod fugiebat vt malum, metu maioris mali, vt vitet id quod maius eſt. Vnde tametſi amore feratur in minus malum, quatenus vtile eſt ad vitandum maius malum: ſicut etiam amat, & deſiderat fugere, & euitare malum illud, quod maius eſt; tamen ſemper manet in illo diſplicentia illa prior de malo, quod eligit, eo quòd prima radix qua trahitur ad electionem minoris mali, non eſt ratio aliqua ex ſe delectabilis, ſed ſola fuga mali, quæ ex ſe non eſt potens tollere omnem acerbitatem, quam ex ſe habet minus malum, quod aſſumitur, vt medium. Sic enim ipſo medio, quod eſt minus malum, non conſideratur ratio aliqua vtilis ad finem delectabilem, vt eam reddat ſuauem, ſed ſola vtilitas, ad vitandum malum, quod eſt in ſola priuatione boni, non in poſitiua aliqua, & ſuaui ratione delectabilis. At verò cùm aliquod medium, quod aliàs ex ſe eſſet cauſa triſtitiæ, aſſumitur ad conſequendam voluptatem, aut vindictam, in qua etiam ſuauis quædam delectatio eſſe ſolet, ſuauitate ipſa finis, vincitur ratio ipſa mali, quæ erat in medio, vt iam non ſit cauſa triſtitiæ, cùm actu homo ipſa voluptate trahitur. Vnde fuga vnius mali, cùm ex ſe non afferat delectationem, non abſumit triſtitiam de medio quod aſſumitur ad ipſum malum fugiendum; delectatio autem, quam ſecum affert res voluptuoſa, vel iracundia, abſumit triſtitiam, quæ aliàs eſſet, ex medio, quod aſſumitur, aut non ſinit eam eſſe, quod quidem non ſolet efficere amor virtutis & honeſtatis, niſi ſit perfectiſſimus. Id totum experimento comprobatur, ſi res ipſa exacte, & attentè ponderetur.

Sectio VIII.

An contractus, qui fiunt ex metu iuſtè incuſſo, iure naturali, & poſitiuo, validi ſint?

Ratio dubitandi eſt, quia in prædictis contractibus ex metu iuſtè incuſſo videtur eſſe defectus conſenſus, & voluntarij; nam dum metus iuſtè incutitur, ſæpè non minus inuoluntariè conſentit, quàm dum iniuſtè: ergo prædicti contractus, inualidi conſendi ſunt. 1

Firmatur, quia metus grauis, quamuis iuſtus, impedit plenam libertatem, non minus quàm iniuſtus; ergo non minus quàm iſte irritat contractum. Vnde ex iure conſtat in contractibus requiri conſenſum liberum, & coactionem repugnare libertati contractuum. *in cap. cum locum, de ſponſal* dicitur, ibi, locum non habet conſenſus, vbi metus, & coactio intercedit. Et in regulis habetur, Nihil conſenſui tam contrarium, quàm vis & metus.

Dico *primo*, certum videri, iuxta Doctorum communem ſententiam, quando ex metu iuſtè illato 2 patiens illum aliquid contrahit, vel facit, valere, quod ex eo metu geſtum eſt, & iure naturali & poſitiuo, in omni contractus genere ſiue lucratiuo, ſiue oneroſo. Probatur *primo*, quia prædicti contractus ex tali metu non ſunt inualidi iure naturali, vt conſtat, quia metus iſte neque aufert ſufficientem libertatem, neque titulum. Non ſunt etiam inualidi iure poſitiuo, quia non conſtat eos eſſe irritandos, niſi quando procedunt ex metu graui iniuſto, & ad id exteriùs incuſſo; ergo. *Secundo*, hi contractus non poſſunt eſſe inualidi, niſi ratione iniuriæ illatæ metum paſſo; hæc autem omnino abeſt, cùm metus iuſtè infertur. *Tertiò* eiuſmodi metus iuſtè illatus non eſt abſolut. grauis, neque enim cadit in virum conſtantem, cùm iuſtè ille metus incutiatur ſi quidem malum quod illi minatur, poteſt iuſtè inferri, & ita ille cui minatur non obediendo iniuſtè agit, non eſt autem viri conſtantis iniuſte agere, atque adcò metus qui infertur, ne quis iniuſtè agat, non cadit in virum conſtantem. *Vltimo* prædictus metus iuſtè illatus non efficit inuoluntarium. nam talem metum paſſus debet illi conformari, quod ſecus eſt quando metus fertur iniuſtè. Vnde talis metus iuſtus aſſimilatur metui, qui eſt ab intrinſeco, habet enim in ſe principium ſufficiens ad expellendum eum metum, ſi iuſtè agat, quòd ſi iuſtè non agit, ſibi imputet, non incutienti metum. Explico id magis; nam ſi phyſicè res conſideretur, non minus inuoluntariè conſentit, qui iuſtè cogitur, quàm qui iniuſtè, quia vterque conſentit repugnante voluntate per ſimplicem affectum nolitionis, & per animi dolorem; tamen, moraliter loquendo, is qui iuſte cogitur, non cenſetur inuoluntariè conſentire, quia voluntariè cauſam dedit metui & coactioni, vnde timor illius mali non cenſetur extrinſecus inferri, ſed ab illomet naſci, ac proinde conſenſus inde ſecutus non cenſetur inuoluntarius, cùm ſit omnino voluntarius in ſua cauſa; qui verò iniuſtè cogitur, cenſetur inuoluntariè conſentire, quia cauſa metus non eſt illi voluntaria, nec ab ipſo ortum habuit, ſed ſolùm à cauſa extrinſeca oritur, cenſetur inuoluntarius Hinc

Dico *ſecundò* non poſſe in irritum reuocari contractus ex metu iuſtè illato celebratos. Patet eiſdem rationibus, & vnico verbo, quia nulla iniuria interuenit, ratione cuius hæc poteſtas reſciſſionis competat, contractus enim metu initi reſcinduntur ratione iniuriæ illatæ metũ paſſo, quæ omnino ceſſat cũ metus iuſtè infertur. Verum eſt, ſi nimis grauis ſit obligatio, vel res, quam metum inferẽs exigit, poſſe conſenſum 3

reuocari quoad illũ exceſſum, vt contractus ad æqualitatem reducatur. Vt ſi ne accuſem te furti, vel alterius criminis, vt iuſtè poteram, exigam maiorem partem bonorum: ſi dum hoſtem fugis, vt concedam latebras, petam à te aliquem contractum valde damnoſum; in his enim & ſimilibus caſibus ſeruanda eſt proportio & æqualitas, iuxta iudicium prudentis viri; quæ ſi excedatur, committitur iniuſtitia, & tenetur alter ad reſtitutionem exceſſus, quam ſi non fecerit, poteſt læſus vti occulta compenſatione à non ſuppetente alia recuperandi via. Ex dictis

4 Colligo *primo* eum, qui contraxit ſponſalia, poſſe compelli metu excommunicationis, vel alterius pœnæ contrahere matrimonium. *cap. ex literis* 10. *de ſponſal.* Similiter qui violauit virginem, iure compelli eam dotare, vel ducere. Qui etiam promiſit aliquid, ne accuſaretur de crimine, de quo iure poterat teneri. Ratio eſt, quia in his omnibus, in quibus metus iuſtè incuti poteſt, nulla interuenit ratio iniuriæ. Vnde etiam addo potentem aliquem iuſtè accuſare, eoque timore illato aliquid extorquentem ne accuſet, quamuis abſque animo accuſandi minaretur accuſationem, adhuc non teneri eo metu extortum reſtituere, vt notarunt Coninch *lib. 2. c. 17. dub. 6. n. 42.* & Sanchez *lib. 4. diſp. 9. n. 9.* Ratio eſt, quia etſi non habeat animum, habet tamen ius accuſandi, eoque iure vti poteſt, quod ius eſt pretio æſtimabile, ſiue habeat animum eo vtendi, ſiue non; ac proinde ſi aliquid illi datur, vt eo iure non vtatur, poterit id retinere. Et quamuis dolus dederit cauſam contractui, noluiſſet enim alter dare, niſi fuiſſet deceptus, non eſt tamen dolus malus, ſeu iniuſtus, ſed iuſtus; nam iuſtè poterat minari accuſationẽ, ſiue haberet animum, ſiue oon, nec ille præciſè dedit, vt deponat animum, ſed vt re ipſa non accuſet, & iure accuſandi cedat, quorum vtrumque ille præſtat; poteſt ergo pro eo aliquid accipere. Idem dico cùm quis iuſtè minatur alteri repetitionem eorum, quæ perdidit, ſiue enim ex animo minetur, ſiue fictè, poteſt retinere, quod ille hac de cauſa dederit, quia dat, vt cedat iure repetendi, & vt re ipſa non repetat.

5 Colligo *ſecundo*, præcedens corollarium eſſe etiã verum, quando quis pretiũ recipit, ne iudici deferat crimẽ, ſiue crimẽ ſit iam perpetratum, ſiue viderit perpetrãdũ, vt docet Sanchez citatus *n.* 10. Quia in vtroque caſu priuatur metum inferens iure quod habet accuſandi, quod ius pretio æſtimabile eſt, ac proinde non tenetur reſtituere pretium acceptum, vt illo iure cedat. Quamuis enim turpiter faciat id pactum ineũdo, & verè dignus ſit vt pretio recepto ſpolietur; ea tamen eſt pœna, quam ante iudicis ſententiam ſubire non eſt conſtringendus.

6 Colligo *tertiò*, teneri virum reſtituere pretium extortum ab adultero reperto cum vxore, ne illum interficiat, quia cùm non poſſit iuſtè occidere adulterũ priuata authoritate, iniuſtè eum timorem incutit, atque ideo eo timore extortum tenebitur reſtituere, ſecus quando extorquet, ne ad iudicem deferat, id enim poteſt iuſtè facere. Vnde ob hanc rationem rectè colligunt Doctores ex *cap. veniens* 2. *de ſponſalib.* nullum eſſe matrimonium contractum à iuuene, quem, quia pater cum filia deprehendit, interficere voluit, & ideo illam duxit, quia reuera non potuit iuſtè occidere, ſicut poterat iuſtè accuſare, vel in vincula coniicere. Vnde metus mortis in eo caſu, eſt metus iniuſtè incuſſus ad extorquendum conſenſum. At minari carcerem, accuſationem, vincula, metus eſt iuſtus, in quo nulla fit ei iniuria, & ſibi imputet, quòd ſe in illas anguſtias coniecerit.

7 Colligo *quartò*, quamcumque compoſitionem, cõcordiam, pactum, ſi aliàs iuſta ſint, ac debita, ſi fiant ab aliquo incarcerato: etiamſi ad eum finem mittatur in carcerem, omni iure, naturali, ac poſitiuo valere, quia nimirum aliàs ad ea faciẽda tenebatur. Vis enim, & coactio propriè non dicitur, quæ ab alio iuſtè, & licitè fit, ſed quæ contra bonos mores, ſeu contra rectam rationem fit.

Ad rationem dubitandi. Concedo metum grauem, quamuis iuſtum, aliquo modo cauſare aliquid inuoluntarij, quia tamen ille non cenſetur extrinſecus inferri, ſed ab ipſo patiente metum naſcitur, conſenſus inde ſecutus non cenſetur moraliter inuoluntarius, cùm ſit omnino voluntarius in ſua cauſa, vt dictũ eſt. Ad confirmationem negatur antecedens. Cùm verò iura ſtatuunt ad contractus requiri conſenſum liberum, & coactionem, vim, ac metum repugnare libertati contractuum, loquuntur de coactione iniuſta à cauſa extrinſeca non habente ortum ab intrinſeca ſimiliter liberum vocant, non coactum à cauſa extrinſeca, ſeu per metum iniuſtum, & dolo non inductum. Si enim cogaris ex cauſa iuſta, id non officit libertati coottractuum. 8

Sectio IX.

An matrimonium contractum ex metu iniuſto graui cadente in conſtantem virum, ſed non incuſſo ad illud extorquendum, ſit nullum iure naturali, & poſitiuo?

EX his quæ diximus metum operari in aliis contractibus, facilè erit explicare quid efficiat in contractu matrimonij, quod eſt vltimum huius diſputationis argumentũ, ad quod ferè omnia quæ dicta ſunt in præcedentibus, ordinantur. Ad cuius dilucidationẽ *primò* recolenda eſt diſtinctio illa tradita ſuprà *ſect.* 1. de metu proueniente ab intrinſeco, ſeu ex cauſis naturalibus non liberis, vt morbo, tempeſtate ac feris naturalibus; & de metu proueniẽte ab extrinſeco, id eſt, à cauſa libera, vt cùm quis minatur alteri mortem. 1

Præterea notandum eſt hunc ſecundum metũ adhuc eſſe duplicem, vnus eſt incuſſus non ad extorquendum conſenſum matrimonij, ſed ad alium finẽ; alius eſt incuſſus ad extorquendum conſenſum matrimonij; & hic poteſt incuti iuſtè, vt cùm iudex minatur mortem, niſi nubat cum ea, quam per vim deflorauit: vel iniuſtè, vt cùm quis priuata authoritate minatur mortem, niſi cum aliquo nubat. Nunc ſolùm in hac ſectione agimus de metu, qui infertur à cauſa libera, ſed non ad extorquendum matrimonium, cætera verò tractabimus in ſequentibus. Et quamuis præſentis rei deciſio facilis ſit, ea tamen ſeorſum dilucidatur, propter varia corollaria ex illa deducta, quæ hîc ſunt dilucidanda. 2

Vera igitur eſt communiſſima Doctorum aſſertio, matrimonium, contractum metu graui ab extrinſeco, etiam iniuſto, cadente in virum conſtantem, ſed non ad extorquendum coonſenſum matrimonij, ſed ad aliũ finem diuerſum, eſſe validum iure naturali, & poſitiuo. Probatur *primò*, quia iure naturali conſtat eſſe validum, cùm habeat abſolutè plenam rationem voluntarij ac liberi, iure quoque Eccleſiaſtico patet, quia ex nullo iure, vel capite conſtare poteſt Eccleſiam irritaſſe matrimonium contractum metu, quamuis graui, & iniuſto, quando non fuit ad id incuſſus, quia tunc contrahens non impellitur ad id ab alio, ſed ex ſe ipſo eligit matrimonium, tanquam medium ad euadendum periculum animæ, vel corporis. *Secundò* iura ideò irritant matrimonia metu contracta, vt auertant alios, ne metu quemquam ma- 3

trimo

trimonium inire cogant, & vt ſubueniant patienti metum, ne per iniuriam ad rem ſibi odioſam compellatur: quæ rationes in præſenti caſu deficiunt; nam irritando huiuſmodi matrimoniũ nullo modo à metu inferendo auerterent, & patienti eriperent modũ, quo periculum poſſet effugere, quod aliter quàm contrahendo matrimonium nequit vitare. *Tertiò*, talis metus non eſt cauſa matrimonij, ſed matrimoniũ propria voluntate eligitur ad tollendum talem metum, vnde eligitur tãquam medium, quo redimat vexationẽ. Vnde inuolũtarium, quod in eo matrimonio inuenitur, non eſt intentum ab incutiente metum, ſed tantùm habet occaſionem ex ipſius nequitia; ergo. Hinc

4 Colligo *primò*, ſi damnatus ad mortem, vel detruſus in carcerem ob alias cauſas, quamuis iniuſtas, liberetur ab his malis, ſi ducat meretricem, validum eſſe matrimoniũ. Ratio eſt, quia metus ille grauis non eſt iniuſtus ab matrimoniu, ſed iam erat homo in iſtis malis, & oblata conditione matrimonium ab his liberatur.

5 Colligo *ſecundò*, iniuſtè ab aliquo detruſũ in carcerem, non ob matrimonium, ſed ob aliam omnino cauſam diuerſam validè cum detrudentis filia contrahere, vt hoc modo ſe eximat, ſiue ipſe, ſiue pater primò hanc offerat conditionem. Patet, quia tunc metus non eſt per ſe cauſa directè matrimonij, ſed potiùs eſt via euadendi illud periculum. Vnde ſi iura eo caſu matrimonium irritarent, periclitanti omnem viam ſalutis præcluderent, cùm tamen intendant ei ſuccurrere.

6 Colligo *tertiò*, ſi ipſe iudex, capto, mortéque timenti, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè promittat vitę cõdonationem, ſi ducat ipſius iudicis filiam, aut aliam fœminã, valere matrimoniũ; quia metus non iniicitur ad matrimoniũ ineundum, ſed iam conceptus aufertur, traditurque modus euadẽdi periculum. Vnde parum refert ad matrimonij huius valorem, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè dãnatus ſit. Quia hoc matrimonium ideo non redditur irritũ ob hunc metum, quia metus non iniicitur ad illud extorquendũ, ſed metus iam conceptus aufertur: ergo impertinens eſt an metus ille conceptus fuerit ex cauſa iuſta, necne, ſolus enim metus iniuſtè illatus ad extorquendum matrimonium irritat illud. Et quidem, ſi alius tertius offerret illam immunitatem ab illa morte iniuſta valeret vtique; cur ergo non valebit quoque, licèt ipſemet iudex offerat? Quia quando metus vitiat matrimonium, idem eſt à quocunque offeratur ille. Ratio eſt, quia metus irritat matrimoniũ, eo quòd tollit libertatem cõſenſus, ſed non minus tollit eam, ſiue per contrahentem, ſiue per alium inferatur; ergo non minus irritat, ita noſter Sanchez *lib 4 diſp. 12. num.* 11. Contrarium ſenſit Baſilius Ponce *lib. 4. c. 19. n* 13 quia in eo caſu eſt manifeſta turpitudo ex parte iudicis, cùm non poſſit reum abſoluere à ſententia ſiue iniuſtitia, ſed ideo abſoluat, vt nubat. Vnde ſi rectè, & attentè conſideretur, non tam auferetur metus iam antea cõceptus, ſed inferetur denuo, niſi faciat. Cæterùm non video hoc obeſſe, quia parum refert ad præſentem caſum quòd iudex hoc faciat licitè, aut illicitè. Sat nobis eſt, vt metus ille conceptus auferatur, immunitatem illam offerens.

7 Colligo *quartò*, ſi plectendo capite, aut alio graui ſupplicio condonetur ea pœna à conſanguineis occiſi, ea lege vt conſanguineam occiſi, aut aliam eius conſanguineam ducat; & ſimiliter ſi vir de adulterio vxorem accuſans mortis pœnam remittat ſi religionem profiteatur, eſſe matrimonium ratum, & profeſſionem firmam. Ita Sanchez *n.* 12. Ratio eſt, quia metus non incutitur ad matrimonium, vel ad profeſſionem extorquendam, ſed metus iam conceptus aufertur, oblata timenti norma, vt immunis à pœna euadat. Sic conſuetudo, quæ in hac re ſolet eſſe, firmatur tanquam licita, & honeſta.

Colligo *quintò*, ſi Princeps obſeſſus matrimonium 8
offerat cum filia obſidentis, vt ſic animi concilientur, obſidionéque ſoluat, validum eſſe, vt rectè idẽ Sanchez *n.* 13 Quia obſidio non erat ad eum finem, ſecus ſi fuiſſet facta ad extorquendum matrimonium, quod etiam verum eſt, quamuis iniuſta eſſet obſidio.

Colligo *ſextò*, ſi patres, vel conſanguinei interficere 9
vellent iuuenem in ſtupro inuentum, & ipſe ſua ſponte, & à nemine exactus offerat matrimoniũ cum ſtuprata, vt mortem vitet. Patet, tum quia iniuria comminatæ mortis, cùm non inferatur ad extorquendum matrimonium, per accidens ſe habet ad illud, tũ etiam, quia iniuria, & metus non tendebat ad matrimonium, ſed ad mortẽ, & ita nulla coactio circa matrimonium verſatur, ſecus ſi parentes, aut alij minarentur mortem, niſi eam ducat, ita cum Henriquez, & aliis noſter Sanchez *n.* 14.

Colligo *ſeptimò*, quid dicendum de Medico, an 10
validè contrahat eam, quam aliàs periclitantem non vult curare; qua in re ſunt varij dicendi modi: nam noſter Sanchez *diſp.* 12. *n.* 15. ſentit matrimonium contractum ab ægro, morbo lethali oppreſſo cum filia Medici aliter ei mederi nolentis, eſſe validum, quia Medicus non incutit timorem mortis, ſed morbus, petit autem matrimonium, tanquam ſtipendium. Baſil. verò *lib* 4 *c.* 19. *n.* 15. exiſtimat, ſi Medicus, qui ex iuſtitia curare tenetur, minetur alicui fœminæ ſe deſerturum illam, niſi cum ipſo contrahat, vel cum alio, quẽ ipſe elegerit, nullum eſſe matrimonium; quia contra bonos mores metus illatus eſt, atque adeò iniuſtè. Rebellus autem *lib.* 2. *q* 11 *ſect.* 2 *n.* 15 veriſimilius iudicat validũ eſſe matrimonium, quia in eo caſu metus oritur ex cauſa naturali, non à Medico incutitur; redditurque tunc matrimonium tanquam pretium pro medicatione. Nec verò ita deſerẽdo eam metum incutit iniuſtè contra iuſtitiam commutatiuam, ſed ſolùm contra charitatem delinquit, cùm non teneatur ex iuſtitia eam curare. Mihi magis placet hac in re reſolutio noſtri Coninch *diſp.* 8 *dub.* 1. *n.* 11. 12. *&* 13. Vbi 11
tria docet. *Primum* eſt, ſi Medicus in eodem loco habitat, vbi eſt iam certo pretio ab ægroto, vel ciuitate conductus ad curandum, nec ob aliam cauſam negat ægroto ſuam operã, niſi vt matrimonium extorqueat, illud eſſe irritum. Ratio eſt, quia Medicus tunc negando ſuam operam ſubtrahit alteri ſuum ius, ac ita metum, & periculum infert, vt matrimonium extorqueat, ſubtrahendo enim ægroto media vitæ neceſſaria, quæ antea, vnà cum reliqua ciuitate, communiter poſſidebat, verè infert metum cadentem in virũ conſtantem Vnde metus non ſolùm à morbo, ſed à Medico ægrotum nequiter deſtituente, partim oritur, ſi grauis morbus foret, & alter Medicus non eſſet, idque directè, vt matrimonium extorqueat. Sicut ſi vnus, & alter ſolùm haberẽt omnia victualia in aliqua ciuitate, quæ aliunde, quàm ab ipſis alij ſibi cõparare non poſſent, grauem illis metum inferret ſi ea nollent ciuibus vẽdere. Quod etiam firmat rectè Coninch alio exemplo nautæ qui ſuſcepiſſet nobilẽ virginem vehendam per mare, & vellet eam in tempeſtate ſolùm deſerere, niſi contraheret matrimonium cum ipſo, omnino videtur certum tale matrimonium futurum irritum; igitur idem dicendum in noſtro caſu. *Secundum* ait, ſi Medicus eſſet ex alia ciuitate, & non teneretur ægroto operam ſuam impendere, & nollet ei mederi, niſi contraheret matrimonium, petens illud tanquam pretium pro medicatione, peccaret contra iuſtitiam, matrimonium tamen eſſet irritum. *Primum* conſtat, quia eſt iniuſtitia manifeſta pro medicatione tantũ pretium exigere. Sicut dicimus de vſu-

rario, tametſi non faciat iniuſtitiam nolendo pecuniam mutuare, iniuſtè tamen exigit tantum ſuæ mutuationis pretium. *Secundum* probatur, quia iniuſtè infert metum grauem cadentem in virum conſtantem, ſi grauis morbus foret, & alter Medicus non eſſet ita peritus, idque directè, vt matrimonium extorqueat; ſicut ſi viatores iter facerẽt cum aliqua fœmina, & illam vellent deſerere ſolam in horrida aliqua ſolitudine cum periculo vitæ, niſi contraheret matrimonium cum vno ex illis, iniuſtè metum incuterent grauem, & tale matrimonium eſſet irritum. *Tertium* eſt, ſi Medicus accederet ad curandum ægrum, & ipſe æger, quo Medicum diligentiorem redderet, matrimonium ſponte promitteret, vel contraheret, clarum eſt fore validum, quia tunc nullus ei incutitur metus ab extrinſeco, & ipſe ægrotus ſponte, & ab intrinſeco vult ob ſuam maiorem vitæ ſecuritatem cum Medico contrahere.

12 Colligo *vltimò*, doctrinam traditam in concluſione, & in prædictis Corollariis habere locum etiam quando quis merè internè incutit metum ad extorquendum cõſenſum matrimonij, dummodo id externè nullo pacto manifeſtet. Ratio eſt, quia illa voluntas purè interna nullo pacto exteriùs manifeſtata, neque indicata, nullo modo mouet, nec mouere poteſt alium ad conſenſum. Ergo neque hunc extorquet, neque extorquere poteſt, neque ex ea voluntate ſi ſit merè interna, poteſt colligi probabilis ſuſpicio metus incutiendi ad extorquendum matrimonij conſenſum.

Sectio X.

An metus cadens in virum conſtantem iniuſtè illatus ad extorquendum matrimonium, illud irritum reddat in vtroque foro?

1 Non defuere aliqui qui exiſtimarunt tale matrimonium validum eſſe in foro interno conſcientiæ, ſeu re ipſa, & ſolùm in foro externo, ſeu quoad præſumptionem irritum eſſe probant.

Primò, quia Eccleſia præſumit illum, qui cogitur contrahere, mendaciter protuliſſe verba, & abſque conſenſu interno; ergo vbi verè conſenſus eſt, cùm ceſſet præſumptio, erit matrimonium. Antecedens probatur ex *cap. cum locum, de ſponſalibus*, vbi redditur ratio cur matrimonium coactum ſit nullum, quia matrimonium ſolo conſenſu perficitur, & vbi coactio eſt, deficit conſenſus.

Secundò. Nemo poteſt cogi, vt interiùs conſentiat. Vnde ad internum conſenſum in matrimonio non poteſt dari coactio, ſed ſolùm ad prolationem verborum; ergo ſi verè eſt conſenſus internus, is liber eſt; ergo matrimonium eo conſenſu factum liberè factum eſt; ergo validum eſt in foro conſcientiæ, & quoad Deum.

2 Cardinalis verò *cap. 1. de his quæ vi, quæſt. 1.* docet matrimonium ſic factum non eſſe ipſo iure irritum, ſed reſcindendum.

Primò, quia alij contractus quando ſic fiunt, validi ſunt, quamuis ſint per iudicem reſcindendi; ergo etiam contractus matrimonij.

Secundò, alia Sacramenta, vt Baptiſmus, Confirmatio, Ordo, Extrema vnctio ſic collata, & metu ſuſcepta, valida ſunt; ergo & matrimonij Sacramentum.

Tertiò idem oſtenditur ex *cap. conſultationi, de ſponſalibus*, vbi de quibuſdam fœminis, quæ conquerebantur compulſas per metum protuliſſe verba conſenſus, animo diſſentiente: ſic decernit Honorius III. De illato metu eſt cum diligentia inquirendum, & ſi talis metus inueniatur illatus, qui cadere poſſit in cõſtantem virum, erunt non immeritò exaudiendæ: igitur metus non irritat ipſo iure matrimonium, cùm diſponat Pontifex fœminas metum paſſas exaudiendas eſſe vt matrimonium irritetur.

Dico *primò*, matrimonium contractum metu graui iniuſto, cadente in virum conſtantem, incuſſo ad extorquendum matrimonij conſenſum, inualidum eſſe ac nullum, ita omnes Doctores contra Cardinalem. Conſtat id ex multis Canonibus relatis à Sanchez *diſput. 12. num. 18.* Expreſſior habetur *cap. ſignificauit. de eo qui duxit in matrimonium*, vbi eſt caſus: Quidam metu cõpulſus duxit vxorem, deinde propria ſponte aliud iniit matrimonium, & rogatus Pontifex quale horum validum ſit? reſpondet, ſi conſtiterit quòd tanta vis ei illata fuerit quòd non ſponte in primam conſenſerit, propter hoc non dimittas, quin ad aliam, quam poſtea in vxorem accepit, reuertendi liberam tribuas facultatem. Quibus verbis manifeſtè conſtat prius matrimonium ratione metus iniuſtè illati ad extorquendum illud inualidum fuiſſe omnino ac irritum; aliàs non daretur libera facultas permanendi in poſteriori matrimonio, ſed hoc inualidum prorſus eſſet. Et ratio optima eſt, quia omnino expediebat matrimonia eſſe libera, nec quemquam aliena iniuria ad ea poſſe cogi; cùm autem ſemel contracta inſolubilia ſint, debebant ab initio irritari. 3

Dico *ſecundò*, matrimonium ſic factum non tantùm in foro exteriori, ſeu quoad præſumptionem, ſed etiam in foro interiori, ſeu re ipſa, eſſe nullum ac irritum. Ita omnes, & ratio videtur manifeſta, quia in dicto *cap. ſignificauit*, abſolutè & ſine vlla reſtrictione ſupponitur primum illud matrimonium eſſe nullum, imò & ſupponitur quoque eo matrimonio non obſtante poſſe eum alia validè contrahere, & cum ea licitè perſeuerare, quod eſſet plus quàm falſum, ſi in foro interiori, & re ipſa non eſſet nullum. Reſpondebis iura illud dicere quia ſupponunt metu coactum non conſenſiſſe, ſed id finxiſſe. Sed contrà eſt, quia Eccleſia nullum præſumit delinquere in aliquo facto, niſi per legitimas probationes id conſtiterit, ſemper enim Eccleſia præſumit pro meliori parte, *cap. eſtote miſericordes, de regul. iuris.* qua de cauſa olim ſponſalia tranſibant in matrimonia per copulam, *cap. is qui fidem, de ſponſal.* Præſumebat enim Eccleſia acceſſum animo maritali, vt fornicationis præſumptionem effugeret. At exprimere verba abſque interno conſenſu eſt peccatum mendacij. Non igitur præſumit Eccleſia contrahentes non conſentire. Præterea conuenientiſſima fuit irritatio talis matrimonij ex metu facta in vtroque foro. Tum quia metus prædictus aduerſatur ſobolis procreationi, & mutuæ coniugum habitationi, ſi enim vi coniugantur, deficit mutuus amor, & facile coniuges ſeparantur; quod enim quis non diligit, facile contemnit. 20. *q. 3. cap. præſens.* Tum etiam, quia, vt habetur *cap. requiſiuit. de ſponſal.* libera debent eſſe matrimonia, cùm coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere. 4

Dico *tertiò*, prædictum matrimonium eſſe omnino irritũ ob metum iniuſtè illatum, etiamſi metus fuerit incuſſus ab alio tertio, & non ab vno cõiugum cõtrahentium. Ita communiter DD. & conſtat ex *c. veniens 15. de ſponſ.* vbi declaratur matrimonium illud metu contractum fuiſſe irritum, cùm tamen neuter ex contrahentibus metum illum incuſſerit, & ratio eſt, quia nunquam attendit Eccleſia in dirimendis metu initis matrimonijs, 5

Digitized by Google

matrimoniis, an iſte metus ſit ab altero contrahentium illatus, ſed an verè ſit illatus, vt conſtat tum ex eius praxi; tum quia ratio dirimendi eſt grauis iniuria, quia læditur eius plena libertas, cui metus incutitur, quæ æquè grauis eſt, aut eſſe poteſt à quocumque metus iſte incutiatur.

6 . Dico *quartò* matrimonium ex metu factum eſſe etiã omnino irritũ, quamuis contrahens cogatur enim incerta de certis contrahere, vt cum aliqua ex quatuor, vel ſex Petri filiabus. Ita notauit rectè Sanchez *diſp.* 12. *n.* 10. Ratio eſt, quia matrimonium debet plena libertate gaudere, quod in eo caſu non contingeret, cùm contrahens in ſua plena libertate conſtitutus, ſecluſoque omni metu, nullam ex illis eligeret in vxorem. Idem dico ſi quis cogeretur tali metu iniuſtè incuſſo ducere vxorem abſolutè; inualidè enim eam contraheret.

7 Obiicies, ex conſuetudine, ſiue lege, poteſt quis obligari, vt ex certo genere perſonarum fiat electio ab eo, ex *c. cùm dilectus, de conſuetudine*; ergo ſufficiens eſt libertas, ſi detur facultas eligendi vnam ex certis, tametſi id procedat ex metu. Reſpondeo diuerſam eſſe rationem, nam per conſuetudinem eligendi, vel legem, non tollitur libertas, cùm ortum habuerit illa quidem à libera eligentium voluntate, hæc verò à libera legis acceptatione, vel ſaltem à libero multitudinis in conditorem legis conſenſu. At metus iniuſtè illatus, & directè conſenſus extorquendi gratia non habet ortum à voluntate, vel libero conſenſu contrahentis. Vnde ſi conſuetudine alicubi inductum eſſet, vt aliqui non contraherent, niſi cum aliqua ex certo genere, vel ſi etiam lege inductum eſſet, nulla vis, vel coactio inferretur, quia lex illa, & conſuetudo acceptata eſſet voluntate, & moribus vtentium, & cùm iuſta ſit, non infertur vis ab extrinſeco.

8 Dico *vltimò* non ſolùm matrimonium prædicto metu viri conſtantis iniuſtè initum eſt nullum, ſed etiam conſtitutio procuratoris ad illud ineundum ſimili metu viri conſtantis facta. Patet, quia matrimonium celebratur poſtea virtute prioris conſenſus, qui cenſetur adhuc durare, niſi ſit reuocatus. *cap. finali, de procuratorib. in 6*. Atque adeò cùm prior ille conſenſus eo ipſo quòd eſt ad procuratoris matrimonium conſtitutionem, ſit ad ipſummet matrimonium contrahendum: ſicut eſt irritus ratione metus reſpectu matrimonij, erit etiam reſpectu conſtitutionis procuratoris ad illud, ratione libertatis ad matrimonium requiſitæ, nam in ea conſtitutione procuratoris includitur conſtituentis conſenſus ad matrimonium, in cuius virtute operaturus eſt poſtea, & contracturus procurator conſtitutus.

9 Ad argumenta primæ ſententiæ.

Ad primum iam oſtenſum eſt *dicto ſecundo*, falſum eſſe Eccleſiam præſumere in matrimonio coacto non adeſſe conſenſum, & *cap. cùm locum*, dum negat textus adeſſe conſenſum, intelligit de omnino libero, & de ſufficienti ad valorem matrimonij requiſito.

10 Ad ſecundum, verum eſt non poſſe nos compelli per ſe & directè ad internum conſenſum. Vnde internus conſenſus ſemper eſt liber, vt diſtinguitur, contra omnino coactum, & violentum; at non eſt plenè liber, cùm indirectè, & per accidens ad eum compellimur. Nam per accidens aliqui in ordine ad matrimonium contrahendum ad actus internos compelluntur: vel quia non ſciunt ſe poſſe ſine mendacio externa verba proferre, abſque interno conſenſu; vel quia ob periculum conſummationis, ad quam ſciunt ſe etiam eſſe compellendos, vel ob aliam cauſam, putant hîc, & nunc eſſe minus malum verè conſentire, quàm fictè, atque ita conſentiunt compulſi metu maioris mali.

Ad primum ſecundæ ſententiæ dico, diſparem 11
eſſe rationem contractus matrimonij, ac cæterorum; ſecundi enim ſemel validi poſſunt diſſolui, ac reſcindi, & ideo non eſt cur ſint ipſo iure irriti: at contractus matrimonij ex ſe eſt perpetuus, ac proinde eſt maximè conueniens quòd fiat à contrahentibus ex ſe ipſis abſque dicto metu.

Ad ſecundum conceſſo antecedente, negatur con- 12
ſequentia, quia Eccleſia non irritauit alia Sacramenta, imò non potuit; irritauit verò Sacramentum matrimonij, quod potuit efficere irritando contractum, cui ſolùm quando validus eſt, conuenit ratio ſacramenti ex Chriſti inſtitutione. Addo conuenientiam maximam cur ſufficiat ad alia ſacramenta voluntas coacta, non verò ad matrimonium. Nam voluntas coacta ſimpliciter eſt voluntas, & ideo ſufficit ad alia ſacramenta, ſicut & ad votum, & iuramentum, quod obligat apud Deum. Præterea cùm ex ſacramentis, v. g. ex Baptiſmo, conſurgat potiſſima obligatio in ordine ad Deum, & conſequẽter in ordine ad Eccleſiam, ſufficit ad illum ſuſcipiendum voluntarium illud, quod ad peccatum mortale ſatis eſt, maximè cùm in magnam cedat baptizati vtilitatem. At verò ad matrimonium non ſatis eſt voluntarium quod ſufficit ad merendum coram Deo, vel dimerendum, ſed vt cum perpetuitate, & reciproco amore cohæreant. Cum eo autem non congruit voluntarium graui metu extortum.

Ad tertium dico, textum illum ſolùm præſcribere fœminas illas eſſe audiendas, non quidem vt iudex reſcindat matrimonium metu contractum, ſed vt declaret eſſe irritum ipſo iure.

SECTIO XI.

An matrimonium contractum ex metu graui iniuſtè illato ſit nullum iure naturæ, vel ſolo iure Eccleſiaſtico?

CErtum eſt apud Doctores prædictum matrimonium non eſſe nullum iure aliquo diuino, quia de eo iure nullibi conſtat. Quæſtio eſt, an ſit nullum iure naturali, an ſolo poſitiuo humano Eccleſiaſtico? an vtroque.

Eſſe nullum iure naturali affirmant ex Antonino, 1
& Couarruuia, Rebellus *q.* 11. *ſect.* 1. *n* 8. Marratius *tract. de Matrimonio*, *diſp.* 7. *ſect.* 8. Baſilius Ponce *lib.* 2. *c.* 14. *n.* 4. Molina *tom.* 2. *de Iuſt. tract.* 2. *diſp.* 326. in ſolutione ſecundi argumenti, & alij.

Primò, quia ius Eccleſiaſticum nullibi irritat eiuſmodi matrimonium, ſed vbique ſupponit irritum eſſe; ergo alio iure eſt irritum, & non diuino, vt patet; neque etiam Eccleſiaſtico, quia iura eccleſiaſtica, in quibus ſit mentio nullitatis prædicti matrimonij, non irritant matrimonia ſic facta, quia in eis eſt ſermo de matrimoniis antea contractis, quæ ſemel valida ab Eccleſia nequeunt irritari, & in eis ſupponuntur antea fuiſſe nulla; ergo non ipſis, ſed iure alio antiquiore, nempe naturali, ſunt irrita.

Secundò in dictis iuribus nullitas eorum matrimoniorum non oſtenditur ex iure aliquo Eccleſiaſtico, quo fuerint irritata, ſed ex eo quòd in eis matrimoniis defuerit conſenſus. At conſenſus iure naturali requiritur ad valorem matrimonij; igitur in prædictis iuribus ſatis innuitur matrimonia ſic facta eſſe nulla iure naturali.

Tertiò matrimonium ex natura ſua eſt perpetuum, & indiſſolubile ſua naturâ ordinatum ad mutuum amorem, & ad mutua obſequia præſtanda, & ad alendam, & honeſtè educandam prolem. Ad hoc autem requiritur voluntarium plenum, & perfectum, & non ſufficit voluntarium ex metu, aut coactione, quia coactio repugnat perpetuitati, cùm nullum violentum poſſit eſſe perpetuum.

Quartò contra ius naturæ eſt, vt quis per iniuriam in alterum ius acquirat, aut, vt non teneatur reſtituere ei libertatem, quam abſtulit, ſed vtrumque fiet, ſi matrimonium iniuſto metu contractum ſit validum; ergo hoc repugnat iuri naturali.

Quintò, Contractus matrimonij eſt libera datio, do, vt des; ergo exigit ſpecialem libertatem præ cæteris contractibus vt validè fiat, ſed hæc per metum prædictum ſine culpa contrahentis excluditur, quia nihil magis contrarium dationi liberali, quàm coactio; ergo matrimonium erit iure naturæ nullum ſi talis metus interueniat.

Vltimò, quando metus iniuſtè, & directè incutitur ad extorquendum votum, iſtud ſic factum eſt iure naturæ nullum. quia nemo debet obligari ex iniuria, quam paſſus eſt; nec Deus promiſſionem per iniuriam extortam acceptat, ne illam approbare videatur, vnde nec inter homines poteſt talis promiſſio rationabiliter acceptari; ergo idem dicendum in matrimonio.

2 Veriorem iudico oppoſitam ſententiam, quam tenent Durandus *in 4. diſt. 29. q. 2.* Sotus *ibi q. 1. a. 3.* Henriquez *lib. 11. de matrimonio cap. 9. n. 1. & 2.* & Sanchez cum multis aliis *lib. 4. diſp. 14. n. 2.* Coninchus *diſp. 28. dub. 1. n. 10.* & Gaſpar Hurt. *diſp. 6. de matrimonio, difficult. 2. n. 2.* iuxta quam

3 Dico *primò* validum eſſe matrimonium per prædictum metum grauem extortum ſtando præciſè in iure naturali. Moueor duplici argumento efficaci. *Primum* eſt, quia nullam inuenio naturalem rationem, quæ ſufficienter oſtendat matrimonium ſic factum eſſe inualidum; non poſſumus autem affirmare eſſe actum inualidum iure naturæ ſine ratione ſufficienter id oſtendente. Illud autem ſic oſtendo, nam in illo modo extorquendi conſenſum circa matrimonium vel conſideratur ratio iniuriæ, aut ratio inuoluntarij; quod ex illa reſultat. Ex neutro autem capite ſumi poteſt ratio ſufficiens annullandi tale matrimonium. De iniuria patet primò, quia etiam in alio caſu de metu proueniente ex actione hominis iniurioſa, quamuis non directè ordinata ad extorquendum matrimonij conſenſum intercedit grauis iniuria, quæ tamen non obſtat valori matrimonij ea occaſione facti. *Secundò*, & maximè, quia etiam matrimonium factum ex metu leui iniuſtè incuſſo, & cum iniuria ſufficiente ad peccatum mortale contra iuſtitiam, eſſet inualidum iure naturali. Sequela eſt clara, quia ius naturæ non aliter inter hos metus diſtinguit, quàm quòd vnus grauiorem inferat iniuriam, quàm alius. Vnde in aliis contractibus iure naturæ tam tenetur ad reſtitutionem, qui extorſit aliquid metu leui, quàm qui graui, ſi verè metus fuerit cauſa damni: conſequens autem eſt manifeſtè falſum ex ipſo iure; quia, vt videbimus *ſect. 15.* non irritat ius poſitiuum matrimonia iſta leui metu facta, ergo ſignum euidens eſt non eſſe inualida iure naturæ: aliàs iniuſtè cogeretur homo ad talia matrimonia ſeruanda. Nec dici poteſt Eccleſiam in hoc procedere ex præſumptione. Nam contra eſt, quia de qualitate metus ſatis poteſt conſtare, & de iniuria; ergo ſi hæc ſufficit ad irritandum tale matrimonium ex natura rei, cur nõ in foro Eccleſiæ. *Tertiò*, iuramentum per metum grauem extortum ad confirmandam promiſſionem homini factam, validum eſt, & obligat in conſcientia, tametſi coactus metu graui iurare patiatur grauem iniuriam; ergo idem de ſimili matrimonio dicendum.

De altera verò parte, nempe de inuoluntario, tametſi aliquod inuoluntarium intercedat; eſt tamen certum voluntatem illam contrahendi eſſe abſolutam, & efficacem; diſplicentiam verò illius eſſe tantùm per ſimplicem affectum, ſeu nolleitatem, atque ideo tale matrimonium eſt ſimpliciter voluntarium, & conſequenter non erit nullum iure naturali ex defectu voluntarij; ſeu libertatis. Præterea conſtat etiam matrimonium ex metu leui iniuſto, imò & ex iuſto graui incuſſo ad illud extorquendum, & ex graui iniuſto non incuſſo ad id non eſſe omnino voluntarium, imò aliquando eſſe minus liberum, & voluntarium, quàm factum ex dicto graui metu iniuſtè incuſſo ad id, & tamen matrimonium ex illis aliis metibus validum eſt iure naturali; ergo & matrimonium factum ex dicto metu eſt validum, etiamſi ſit talis voluntarij & libertatis defectus. Reſpondebis nec ſolam iniuriam, nec ſolum inuoluntarium ſecundùm quid ſufficere, vt tale matrimonium reddatur inualidum ex natura rei; illas verò duas conditiones ſimul iunctas ſatis eſſe, vt illud reddatur nullum. Sed contrà eſt, quia id liberè, & abſque vllo fundamento dicitur, nam cùm illæ conditiones ſint diuerſarum rationum, & neutra in ſuo ordine habeat vim ad illum effectum, quamuis ſimul concurrant non componunt vnam cauſam fortiorem, aut validam ad impediendum matrimonium ex natura rei, ſed quaſi per accidens aggregantur. Et patet, quia, vt oſtenſum eſt, voluntarium illud in ſuo ordine ſufficit non exiſtente iniuria, & talis iniuria impertinens eſt ad valorem & inualiditatem matrimonij ex natura rei; ergo quòd illa duo ſimul concurrant, eſt omnino impertinens.

Alterum argumentum ad hoc idem probandum dictum ſatis efficax eſt à priori. Nam ad valorem omnium aliorum contractuum, & etiam ipſius matrimonij ex aliis prædictis metibus facti ſufficiunt ex natura rei duo, nempe titulus & voluntarium ſimpliciter, & abſolutè, quæ in eis reperiuntur; ſed hæc duo etiam reperiuntur in matrimonio facto ex metu graui iniuſtè incuſſo ad illud extorquendum. Ergo etiam erit iure naturali validum. Minor probatur, quia prædictus metus non adimit à matrimonio facto eo ipſo titulum, qui eſt corpus alterius, quia eo matrimonio confertur corpus pro corpore. Deinde talis metus non aufert libertatem, nec voluntarium ſimpliciter, & abſolutè, quia hic, & nunc eſt efficaciter voluntarium, quamuis ſit inuoluntarium ſecundùm quid. Igitur matrimonium ex dicto metu contractum habet omnia requiſita ex natura rei, vt validum ſit iure naturali.

Dico *ſecundò* nec iure gentium matrimonium ex prædicto metu factum inualidum eſt, ac nullum. 4
Probatur, quia ius gentium nihil eſt aliud, quàm commune hominum iudicium, & gentium conſenſus, vel eſt conceſſio & ius ex communi iudicio, & conſenſu proueniens. Quòd cùm non proueniat ex eo quòd homines ſimul in aliquem conflüant locum; id enim eſſet impoſſibile, reſultat ex ipſa ratione naturali id ſingulos per ſe docente. Vnde ius gentium dicitur, quo ex principiis naturalibus rerum conſideratarum in ordine ad aliquem finem per viam illationis, ſeu concluſionis elicitur. Quare ius gentium eſt quod naturalis ratio inter homines conſtituit, & apud omnes per æquè cuſtoditur. Igitur tali iure gentium

gentium nequeunt matrimonia coacta, & metu extorta eſſe irrita, quia ſequeretur eorum nullitatem deduci tanquam concluſionem ex principiis naturalibus, vnde ex ſe & ex ſua natura haberent eſſe irrita contra dicta præcedenti dicto.

5 Dico *tertio*, ſolo iure Eccleſiaſtico eſſe irritum, & nullum matrimonium ex prædicto metu factum. Colligitur ex præcedentibus. Quare ſicut Eccleſia irritauit matrimonia clandeſtina inhabiles reddendo contrahentes ad ſic contrahendum, tametſi habiles ſint ad contrahendum publicè, ita ſtatuit vt contrahentes ex metu graui iniuſtè incuſſo ad extorquendum conſenſum ſint perſonæ inhabiles & illegitimæ ad contrahendum, tametſi poſſint poſtea ceſſante metu liberè contrahere.

6 Dico *vltimò* ius Eccleſiaſticum irritans prædicta matrimonia ex metu eſſe quod nunc habemus, & ſupponere aliud ius antiquius. Conſtat id ex quatuor capitibus, ex *cap. ſignificauit 2. de eo qui duxit in matrimonium*; ex *cap. cum locum.* 14. ex *cap. veniens*, 15. & ex *cap. conſultationi tuæ* 28. *de ſponſal.* In quibus expreſsè dicitur matrimonia dicto metu facta eſſe nulla prorſus & irrita. Quoniam verò prædicti textus non habent ſtatutorum formam, qualem habet Tridentinum, cùm clādeſtina matrimonia voluit vi ſuæ poteſtatis, & conſtitutionis irrita reddere, & re ipſa reddidit; ideo rectè nutant Doctores in prædictis capitibus ſupponi aliud ius eis antiquius, quo id fuerit primò ſtatutum. Vnde quamuis modò nullum ius reperiatur, quod primò ſtatuerit, ac irritauerit prædicta matrimonia metu contracta, tamen ex ipſo iure & ex textibus allegatis, & ex ipſa ratione euidenter colligitur tale dictum decretum in Eccleſia aliquando fuiſſe vel ſcripto, vel traditione ex viuæ vocis oraculo, aut alia via introductum; cùm in prædictis decretis adductis Pontifices oſtendant more & vſu id ſemper obſeruatum eſſe, vt matrimonium metu graui extortum ſit irritum. Nec mirū hoc videatur, quia etiam nullum extat expreſsè decretum irritans matrimonium fidelis cum infideli, id tamen ita eſſe conſtat ex antiquiſſima Eccleſiæ traditione; quoniam non conſtat diuino iure id irritari, cùm neque hoc nobis reuelatum ſit, nec Eccleſia vnquam ex reuelatione illud habere cenſuerit.

7 Ex dictis colligo inter non baptizatos, metum non irritare matrimonium, niſi alicubi ex peculiari lege ciuili hoc fuerit ſtatutum, quia non reperitur aliud ius irritans matrimonium ſic factum, niſi Eccleſiaſticum, cui ſicut & aliis Eccleſiaſticis legibus, non baptizati non ſint ſubiecti.

Ad argumenta oppoſita.

8 Ad primum iam dictum eſt, nullum modò ſtare ius ſcriptum, quo ſtatutum fuerit huiuſmodi matrimonia ex metu irrita eſſe, quia omnia iura ſcripta ſupponunt irrita eſſe alio iure; cumque probatum ſit non eſſe ius naturæ, nec ius diuinum, reſtat vt debeat eſſe neceſſariò ius Eccleſiaſticum, vel iam perditum, vel traditione acceptum, vel vſu & conſuetudine introductum, vel viuæ vocis oraculo trāditum.

9 Ad ſecundum negandum eſt prædicti matrimonij nullitatem in illis iuribus oſtendi, quia deficiat conſenſus ad eorum valorem iure naturali neceſſarius, ſed quia deficit conſenſus conueniens, & expediens, nempe omnino liber à vi, & coactione, ob quod iure Eccleſiaſtico ſit factus ſufficiens.

10 Ad tertium conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia, nam metus & coactio, quæ non facit inuoluntarium ſimpliciter, ſeu violentum, vt non facit coactio quæ reperitur in dicto matrimonio; non repugnat perpetuitati ipſius, neque eius finibus, quamuis eis expediens non ſit matrimonium cum tali metu celebrare, & ob hanc cauſam Eccleſia illud irritauit.

Ad quartum dico, poſſe quem validè per iniuriam in alterum ius acquirere ex natura rei, vt conſtat in eo qui dolo induxit alterum ad contrahendum matrimonium, quo caſu acquirit ius per iniuriam; cæterùm nequit quis in contractu matrimonij per vim extorto transferri alteri ius in corpus ſuum ob nullitatem, & inualiditatem ab Eccleſia poſitam, non verò ob inualiditatem iure naturali ibi exiſtentem. 11

Ad quintum reſpondeo donationem dicere dationem liberalem, videlicet nullo pretio interueniente, non tamen dicere, quod omnimodè libera ſit abſque metu, & coactione, ſæpè enim plura donantur non omnino libera voluntate, ſed ex aliquo motiuo, & reſpectu extrinſeco, quo deficiente, nullatenus darentur. 12

Ad vltimum verius eſt in eo caſu validum eſſe votum ſtando præciſè in iure naturali, vel diuino, quia Deus, cui fit votum, non eſt autor iniuriæ, & quamuis illam permittat, iure tamen, ac meritò poteſt illam permittere, etiam propter illum finem eliciendo ab homine voti conſenſum. Vnde iniuria quæ ab homine infertur, impertinens eſt, vt votum Deo factum irritum fiat, non enim iniuria hominis impedit, quominus ius acquiratur Deo per promiſſionem ex vero conſenſu factam. Sicut non impedit quominus grauiter offendatur Deus propter peccatum ex metu factum. Addo etiam eſſe validum iure Eccleſiaſtico. Quia tametſi Eccleſia potuiſſet irritare vota ſimplicia metu facta, quia ſicut poteſt præſcribere certam ætatem antequam ſimplicia vota validè non fiant, ita etiam potuiſſet præſcribere modum libertatis à coactione, ſine qua ea vota non tenerent; de facto tamen hucuſque ea non irritauit, & ita obligant donec diſpenſentur, vt rectè docet noſter Suarez *tom. 2. de Relig. tract. 1. de voto lib. 1. cap. 8.* matrimonium verò metu factum non iure naturæ, ſed Eccleſiaſtico fuit meritò irritum, non quia eſt contractus humanus præciſè, ſed quia eſt vinculum perpetuum & indiſſolubile, & habet alia onera, ratione quorum fuit validè expediens vt Eccleſia poſtulet integram libertatem, ad illius valorem. 13

Sectio XII.

An matrimonium ex metu graui iniuſtè incuſſo inducat aliquam obligationem in contrahente cogente, vel matrimonij huius poſtea ineundi, vel ſaltem, vt ſponſalia valeant?

Certum eſt *primò* hoc matrimonium, reuera nullum, nullam poſſe inducere obligationem conſtantis matrimonij in vno, & non in altero, nam indubitatum eſt matrimonij vinculum non poſſe claudicare, & tantùm ex vna parte valere, & non ex altera. 1

Secundò eſt certum, eum qui omnino liberè, & ſine vlla coactione contraxit cum coacto ex metu irritante matrimonium, non teneri poſtea contrahere cum illo, quando non fuit cauſa talis metus, & ignorauit alteri metum fuiſſe incuſſum. Patet, quia ex nullo capite videtur obligatus. Nam immunis eſt culpæ, nec ſe obligauit, niſi altero ſe illi obligante.

Tertiò etiam eſt certum ſi coactus poſtea omnino liberè conſentiat in priſtinum matrimonium, nondum reuocato conſenſu per alterum qui coactus non fuit, 3

conualeſcere

conualeſcere illud matrimonium abſque nouo huius conſenſu, vt oſtendi ſuprà.

Circa primum igitur, an quando cogens fuit particeps culpæ metus alteri illati, maneat obligatus ad non reſiliendum, & teneatur poſtea contrahere cum coacto ſi velit.

4 Affirmant cum multis Doctoribus Baſilius Ponce *lib. 4. cap. 15.* & Coninch *diſp. 28. dub. 1. n. 7.*

Primò, quia cogens intulit iniuriam coacto, quam reſarcire tenetur, & nequit aliter, quàm ſtando contractui matrimoniali, ſi coactus velit; ergo ad id tenetur. Firmatur, quia ad id non eſt neceſſaria iudicis ſententia, cùm ex iniuria illata naſcatur naturalis obligatio reparandi, & ideo ante omnem iudicis ſententiam ea obligatione tenetur.

Secundò, in aliis contractibus coactis cogens, v. g. ad venditionem tenetur venditioni ſtare, ſi coactus venditor velit: ergo idem dicendum in contractu matrimonij.

Tertiò id deduci videtur ex *cap. 1. de eo qui duxit*, vbi habetur eum, qui cùm iam eſſet coniugatus, duxit vxorem ignaram prioris matrimonij, mortua iam prima coniuge non eſſe ſeparandum, niſi ad petitionem deceptæ, ne ex dolo commodum deceptor reperiat. Quod idem habet *lex fin. tit. 2. parte 4.* optionem enim relinquit decepto, non decipienti.

Oppoſitum docet noſter Sanchez *diſp. 15. num. 5.* & firmat Gaſpar Hurtado *diſp. 6. diffic. 4. num. 16.* & Ochagauia *de matrimonio tract. 3. quæſt. 30.* atque hoc iudico verius, modo in ſequentibus dictis explicando.

5 Dico ergo *primò*, ex vi talis matrimonij in ratione contractus præciſè, non teneri cogentem poſtea contrahere cum coacto ſi velit, ſed liberè altero inuito poſſe reſilire. Probatur, quia matrimonium, vt conſtat, contractus eſt oneroſus: ergo eſt ex vtraque parte ſuaptè natura obligatorius; ergo vt in eo ſeruetur æqualitas, aut vtraque pars manere debet obligata, aut neutra. At in coacto nulla conſurgit obligatio, vt liquet; ergo nulla etiam conſurget obligatio in cogente ex parte contractus præciſè. Firmo, nam ſi ſub hac conditione compellens contraxiſſet, Obligo me tibi, ſi tu te mihi obligas, non maneret compellens ea obligatione conſtrictus, niſi alter maneret obligatus. At in matrimonio ea ineſt tacita conditio, ſi alter ſe mihi obliget, eſt enim contractus oneroſus, do, vt des, id eſt, trado tibi meum corpus, ſi tu mihi tradas tuum; ergo altero non manente obligato, neuter obligatur.

Reſpondet Baſilius hoc argumento ſolùm probari non conſurgere obligationem illius matrimonij, quæ debet eſſe mutua, non tamen probari, non conſurgere obligationem naturalem aliam, ratione iniuriæ illatæ. Sed contrà eſt, quia ſaltem manifeſtè conſtat ex vi contractus non conſurgere obligationem naturalem ad non reſiliendum, & ex conſenſu præſtito in contractu mutuo non manere quem obligatum niſi quando alter etiam obligatur, quod eſt intentum primi dicti, quod meo iudicio manet efficaciter firmatum. Quòd verò neque conſurgat ea obligatio naturalis ex vi iniuriæ illatæ, oſtendo *dicto ſequenti*.

6 Dico ergo *ſecundò* prædictum cogentem neque ratione iniuriæ illatæ coacto manere obligatum ad contrahendum, ſi velit coactus, ſed poſſe in conſcientia reſilire, etiamſi coactus velit renouare conſenſum. Moueor, quia non tenetur cogens in pœnam iniuriæ, quia nullo iure talis pœna ſtatuta eſt, & ſi talis pœna eſſet, præcedere deberet iudicis condemnatio, & ſententia; neque ex natura rei ratione iniuriæ præciſè, nam tametſi illata fuerit iniuria in coactione conſenſus ad rem adeò grauem, qualis eſt matrimonij contractus, quia vnuſquiſque ex ſua natura ius habet, vt id quod ſuum eſt, ſine eius facto, vel conſenſu omnino libero minime auferatur; tamen id intelligi debet, quando res illa natura ſua reparabilis eſt, ob damnum aliquod intrinſecum reſultans ex illa, & cum illius violatione neceſſariò connexum: at hoc pacto illa iniuria coactionis reſarcibilis non eſt, quia coactus nihil amiſit niſi diſſolutionem matrimonij, quæ ex ſe nullum affert intrinſecum damnum, cùm æquè poſſit alteri nubere; ergo nulla fit in re ipſa iniuria, & conſequenter iniuria illa ratione ſui nullam exigit recompenſationem. Vnde cogens peccabit quidem cõtra iuſtitiam quoad intentionem, quia illam violauit cogendo, & vim inferendo alteri in conſenſu ad matrimonium; non verò iuſtitiam violauit quoad effectum, vel executionem, inferendo aliquod intrinſecum damnum præciſè ratione iniuriæ, quia coactio illa nullum aliud intulit damnum, niſi matrimonij diſſolutionem, per ſe loquendo, ex quo aliqua obligatio quaſi intrinſeca ſubſequi poſſit. Quare prædictus contrahens qui coëgit, ſi nullum inde damnum extrinſecum ſecutum eſt, ratione iniuriæ præciſè, & peccati commiſſi ad nihil aliud tenetur, quàm ad pœnitentiam, qua Deo ſatisfaciat pro peccato, quod commiſit, coactione, vtendo iure adeò graui.

Dico *tertiò*, tunc contrahentem cogentem manere obligatum ad denuo contrahendum cum ipſo coacto, ſi iſte poſtea omnino liberè velit, quando ex matrimonio coacto ſecutum eſt aliud damnum extrinſecum, quod nequeat aliter reſarciri, & eſt adeò graue, vt ob eius recompenſationem non iudicetur rigidum ad tantum obligari. In hoc conueniunt omnes Doctores, & æquitas naturalis id poſtulare videtur, quia in eo euentu tale damnum aliter vitari non poteſt. Exemplo firmatur fictè promittentis matrimonium, & ſub ea ſpe deflorantis virginem, qui, vt dixi ſuprà *diſp. 2. ſect. 3.* nullam incurrere obligationem cõtrahendi cum illa, ratione promiſſionis præciſè, quia fuit ficta, & ex promiſſione ficta nulla oritur obligatio, neque etiam ratione damni illati, ſi damnum ſine matrimonio reſarciri poteſt, vt verè poteſt dando ſufficientem dotem, quo nubat viro ſibi ſimili in qualitate; ſi verò accideret, vt in aliquo euentu tale damnũ aliter reſarciri, aut euitari non poſſet ratione ſcandali, niſi nubendo cum illa, tunc teneretur per accidens ſtare promiſſioni, & cum illa matrimonium cõtrahere. Idem dico in præſenti caſu cum proportione. Dixi in concluſione, ſi non iudicetur rigidum, ad tantum obligari, quia non eſt tanta iniuria coactionis, nec tale damnum inde ordinariè ſequitur, vt aliter quàm per matrimonium reſarciri nequeat. 7

Ex his patet ſolutio ad argumenta oppoſita.

Ad primum, nego dictam iniuriam debere reſarciri, quia ipſa præciſè ratione ſui non eſt reſarcibilis, vt dictum eſt. Ad confirmationem negatur antecedens, nam in iure nulla eſt pœna pro coactione, & ſi eſſet, prius deſideraretur iudicis ſententia, & condemnatio, antequam nullus teneretur ſubire pœnam. 8

Ad ſecundum verum eſt in aliis contractibus coactis teneri cogentem illis ſtare, ſi coactus velit, quia ſunt validi ipſo iure, & ſolum metum paſſo datur vis ad reſcindendum, non verò in contractu matrimonij metu extorto, quia iure Eccleſiaſtico ſit nullus. 9

Ad tertium dico, illud meritò ſtatutum fuiſſe in pœnam deceptionis, ad quam pœnam incurrendam deſiderare quoque iudicis ſententiam; non enim incurritur ipſo facto ante iudicis ſententiam. Pro coactione verò non eſt impoſita ſimilis pœna. Et ſi eſſet impoſita, non eſſet ipſo facto incurrenda, ſed exigeret 10

ret

ret iudicis condemnationem, antequam nullus tenetur ſubire pœnam. Conſtat igitur matrimonium ex tali metu extortum, ac irritum, uullam prorſus obligationem parere matrimonij poſtea ineundi.

11 Reſtat verò, vt ſecundò breui explicemus, An prædictum matrimonium ſaltem valeat, vt ſponſalia, & ad contrahendum obliget. Affirmat Coninchius *diſput.* 28. *dub.* 1. *n.* 7. contrarium opinor verius. Quia ex prædicto matrimonio nulla conſurgit obligatio neque in coacto, neque in cogente. Addo mihi quoque videri verius, vt ſuo loco oſtendam, matrimonium puberum clandeſtinum abſque Parocho, & aliis teſtibus, quod poſt Tridentinum vbi viget, & inualidum, non valere, vt ſponſalia, neque obligare ad contrahendum, idemque dico de alio matrimonio puberum nullo. Ratio à priori præſentis quæſtionis hæc eſſe videtur, quia dictum matrimonium ex metu nullum non obligat iure naturali tanquam contractus ſponſalitius, quia verba de præſenti, quibus fuit contractum, nullam continent promiſſionem futuri matrimonij adhuc implicitè, vt liquet, neque iure aliquo poſitioo obligat tanquam cõtractus ſponſalitius, quia nullum extat niſi pro matrimonio impuberum clandeſtino, quod eſt nullum, & non pro matrimonio puberum nullo, nedum pro matrimonio coacto, & ex metu iniuſtè illato, de quo modo egimus.

12 Quæret aliquis an contrahens coactus ex metu ſciens nullitatem matrimonij peccet. Ad hanc difficultatem cum Sanchio *diſput.* 16. Coninch *diſput.* 28. *dub.* 3. Baſilio *lib* 4. *cap.* 18. & aliis.

Dico *primò*, dictus coactus, ſi conſenſu vero, & non ficto contraxit, nullum peccatum commiſiſſe ſacrilegij, quia non irritauit Sacramentum applicando formam materiæ incapaci valoris; non enim fecit id cui ex Chriſti inſtitutione cõuenit ratio Sacramenti, nempe contractum validum, atque ideo neqoe applicat veram formam Sacramenti, neque veram materiam.

13 Obiicies, Sacerdos etiam metu mortis abſoluens illum quem ſcit indiſpoſitum, graue ſacrilegium committit, tametſi ſciat ſe tunc non facere Sacramentum, vt eſt certum; ergo ſimiliter in præſenti contrahens coactus, tametſi ſciat certò irritum eſſe Sacramentum, ſacrilegium committet. Reſpondeo conceſſo antecedente, negandam eſſe conſequentiam; nam Sacerdos in illo caſu verè profert verba, quæ ſunt forma Sacramenti, & ideò peccat, quia non cadunt ſupra materiam diſpoſitam: at contrahens coactus non profert verba, vel ſigna quæ ſint materia, vel forma, & itanon facit ſacrilegium, quia non quicunque conſenſus, ſed ſolus legitimus eſt forma, & materia Sacramenti matrimonij; at legitimitas ablata eſt per Eccleſiam à conſenſu metu graui extorto.

14 Dico *ſecundò*, non peccaſſe contra ius Eccleſiaſticum annullans talem contractum. Ratio eſt, tum quia hnc ius non obligat ad ſui obſeruantiam cum mortis periculo, vel alterius granis damni, niſi metu incuſſo in Eccleſiæ contemptum, vt habet communis ſententia. Tum maximè, qoia qui metu graui contrahit, id efficit iure permittente, quo incolumis euadat, vt conſtat ex *c. cùm locum*, *& cap. veniens* 2 *de ſponſalib.*

Dico *tertiò*, nec peccare eum, qui fictè conſenſit
15 in eo contractu, dummodo æquiuocè verba proferat, cum interna reſtrictione, vt, Contraho tecum, intelligendo ſi teneor. Ratio eſt, quia nullam iniuriam irrogat alteri enm decipiendo, quia quamuis abſque fictinne contraheret, nihil magis efficeret, ac quando fictè loquitur, efficeret enim matrimonium nullum ob metum irritantem; profert etiam illa verba, quibus alter decipitur ex iuſta cauſa, ac propterea nec venialiter peccabit ſic fingendo, ſi mentali reſtrictione vtatur, quia tunc ex iuſta cauſa æquiuocat alterum; neque enim faceret iniuriam Sacramento, quia non redderet illud irritum, cùm iam ſit irritum iure Eccleſiaſtico etiam factum ſine fictione. Quòd ſi neque materialiter, nec æquiuocè verba protuliſſet, ſi intercederet iuramentum, peccaret mortaliter, ratione periurij; ſecluſo verò iuramento ſolùm venialiter, quia mendacium illud non eſſet perniciosum.

Sectio XIII.

Vtrùm matrimonium ratione metus inualidum, fiat poſtea validum ob copulam ſubſecutam, vel ob cohabitationem diuturnam?

Circa primum de copula intellige ſponte habita affectu non fornicario, ſed maritali, communis 1
eſt Doctorum conſenſus, matrimonium ratione metus inualidum poſtea reualidari copula ſubſecuta abſque coactione, quod probat Sanchez *lib.* 4. *diſput.* 18. *num.* 2. quia cùm non oporteat conſenſus eſſe ſimul, & conſenſus illius qui metum paſſus non eſt, fuerit legitimus, ſolùm deſiderabatur ad valorem matrimonij conſenſus omnino ſpontaneus illius qui metu conſenſerat; ſed hic conſenſus ſufficienter exprimitur per copulam ſpontaneam affectu maritali habitam. *cap. is, qui fidem, de ſponſal.* ergo ea ſecuta ratificatur prius matrimonium.

Ego verò iuxta dicta ſuprà *diſput.* 8. *ſect.* 5. *& diſp.* 2
15. *ſect.* 4. conſequenter dico prædictum matrimonium reualidari, non quoad veritatem, & re ipſa, & in foro conſcientiæ, ſed tantùm in foro externo, & quoad præſumptionem. Ratio eſt, quia affectus ille coniugalis, ex quo ſuppnnitur copula ſpontanea, procedere non eſt formaliter conſenſus, ſeu intentio ineundi, ſeu ratificandi matrimonium, cùm talis affectus videatur ſupponere iam matrimonium reualidatum. Et quàmuis reuera ſit, non ſufficit niſi exteriùs exprimatur; at copula illa non eſt ſignum exterius, ſeu expreſſio exterior conſenſus, ſed tantùm eſt pium, & prudens iudicium expreſſionis exterioris antea factæ, vt locis citatis fusè oſtendi.

Notandum verò prædictum matrimonium reualidari quoad præſumptionem, etiam poſt Tridentinum; ſi impedimentum metus erat occultum, & Parocho, & teſtibus ignotum; nam, vt ſuo loco dicam, matrimonium omne, quod propter impedimentum occultum oullum fuit, poſt Tridentinum poteſt reualidari copula affectu maritali inter coniuges habita, vel reipſa, & quoad veritatem, iuxta ſententiam Sanchez, vel tantùm in foro externo, & quoad præſumptionem in mea opinione.

Quæres, an ſicut matrimonium metu initum reualidatur modo dicto per copulam ſpontaneam affe- 3
ctu maritali habitam, ita reualidetur quoque eadem copnla metu graui extorta, de quo latè Sanchez *diſput.* 18. *num.* 13. *& ſequentibus*, qui optimè negantem ſequitur partem. Ratio eſt, quia Eccleſia irritans matrimoninm metu graui extortum, illud irritat inhabilitãdo contrahentes pro tempore quo metus durat, ſed accedente copula coacta non aufertur metus, quin potiùs augetur, cùm præter metum illatum ad contrahendum addatur nouus ad conſummandum; ergo matrimonium erit oullum. Firmo, quia copula metũ graui extorta nequit eſſe ſignum ſufficiens ex-

ternum,

tetnum exprimens conſenſum coniugalem validum iuxta opinionem Sanchez, quia ſignum conſenſus ex metu graui, vtpotè pars contractus, eſt nullius valoris. Nequit etiam eſſe indicium matrimonij antea validè facti in mea opinione, quia copula extorta ex metu graui, ſeu magni mali, non eſt prudens indicium matrimonij antea validè facti, quamuis ſit quando ex metu magni mali non extorquetur.

4 Circa ſecundum de diutina habitatione mutua, ſpontanea, data opportunitate recedendi, ſentit Sanchez *prædicta diſput.* 18. *num.* 3. *& ſequentibus*, per illam ratificari prius matrimonium metu graui extortum, quod probat ex *cap. ad id, de ſponſal.* vbi textus ſolùm põderat babitationem abſque copula, dummodo ea ſit diutina, & babitatio ea ſit omnino ſpontanea, ceſſaueritque omnino timoris cauſa. Aſſignat etiam rationem, quia ſufficiens eſt ſignum conſenſus ſpontanei denuo habiti, qui ſolùm deſiderabatur ad matrimonij valorem, cùm metum paſſus recedere poſſit à matrimonio, & ſponte in eo perſeueret.

5 Conſequenter dico tale matrimonium reualidari tantùm in foro exteriori, & quoad præſumptionem, quando ex affectu maritali perſeuerat cohabitatio ſpontanea omnino, & ſine vllo metu. Id ſolum vult *cap. citatum, ad id, de ſponſal.* Nam caſus in ſpecie fuit de quadam muliere, quæ vndecimum annum habens inuita, & renitens contraxit cum quodam vito matrimonium, poſtea per annum & dimidium cohabitauit eidem, tandem receſſit ab illo, & tam vir, quàm mulier ad illicitos concubitus tranſiuit, & dicebat mulier, quòd inuita, & renitens contraxit cum illo, & hoc volebat probare, vnde ab illo ſeparari debebat. Quæſitum fuit à Clemente III. quid iuris in hoc caſu? Reſpondet Papa, quamuis vndecim annos babens ab initio fuiſſet ei tradita, & renitens, tamen quia poſtmodum per annum & dimidium ſibi cohabitans conſenſiſſe videtur, ad ipſum eſt cogenda redire, nec de cætero cogendi ſunt teſtes, ſi quos memorata mulier ad probandum quòd non conſenſerit in eundem, nominauerit producendos; cùm mora tãti temporis huiuſmodi probationem excludat. Vbi Gloſſa narrato caſu optime addidit. Nota ex iſta Decretali præſumptionem iuris, & vbi textus ait conſenſiſſe videtur, explicat Gloſſa, præſumitur conſenſiſſe. Contra quam præſumptionem, addit, probatio in contrarium dimittitur. Ecce quàm manifeſtè clareat prædictum matrimonium reualidari tantùm quoad præſumptionem per dictam cohabitationem diuturnam. Et ratio eſt, quia diuturna cohabitatio non eſt ſignum exterius, vel exterior expreſſio conſenſus, ſicut nec ipſa copula: ſolùm enim eſt pium, ac prudens iudicium expreſſionis exterioris ante eam factæ, & contractus matrimonij antea iam perfecti. Ex quo patet ſolutio ad rationẽ oppoſitam.

6 Hinc colligo idem dicendum de aliis actibus & ſignis, quibus olim ante Tridentinum præſumebatur conſenſus, & ſponſalia in matrimonium tranſibant, quando ij ſpontanei ſunt, vt ſi omnino ceſſante metu ſe amplexentur, vt coniuges, vel ſe tales affectu maritali appellent, hæc enim ſigna ſunt indicium matrimonij præſumpti.

Sectio XIV.

Am prædictum matrimonium inualidum ratione metus, fiat poſtea validum, ac firmetur iuramento?

Vt hæc res elariùs innoteſcat, ſupponenda ſunt nonnulla ex materia de contractibus, quæ videntur eſſe veriora.

Suppono ergo *primò* aliud eſſe iuramentum eſſe validum, & aliud contractum firmari iuramento, nam iuramentum validum dicitur, & obligare quandocunque ſeruandum eſt ob honorem Dei, etiamſi ei, in cuius fauorem fit, nullum ius per illud acquitatur; confirmat verò contractum, quando non ſolùm ſeruandum eſt ob honorem Dei; ſed etiam alteri, in cuius fauorem fit, ius tribuit, & contractum in ſua ſpecie validum efficit. 1

Suppono *ſecundò*, quando id quod iuramento alicui promittitur, ſine vllo promittentis peccato ſeruari poteſt, iuramentum eſſe validum, & ſeruandum; ſecus verò eſſe inualidum, & irritum. Hoc eſt certum ex *cap. cùm contingat, de iureiurando.* Vbi dicitur ſeruari debere huiuſmodi iuramenta ſi obſeruata non vergant in diſpendium ſalutis æternæ. Vergit autem ſi eſt peccatum mortiferum, aut veniale. Idem deducitur ex illa regula iuris, Non eſt obligatorium iuramentum contra bonos mores præſtitum. Quod intelligendum eſt non de bonis moribus ciuilibus, quos tantùm expedit eſſe in Republica, vt benè ſit ordinata publicè, ſed de bonis moribus naturalibus, ac ſtudioſis, quibus homo redditur bonus, ac ſtudioſus. Ratio eſt aperta, quia honor, & reuerentia diuinæ maieſtatis, quam iuramento in teſtem adduximus, poſtulat, vt efficiamus verum eſſe quod promiſimus, ne illam teſtem falſi faciamus, dummodo id licitè fieri poſſit, quia nemo obligari poteſt ad peccatum, id enim contradictionem implicat. 2

Suppono *tertiò*, dupliciter poſſe iuramentum addi contractui, *primò* tanquam aſſertorium eius, quod fit, vt ſi iures te donare, vendere, promittere, &c. Et hoc modo non confirmat contractum, nec vllum ei robur tribuit, quia eſt pure tantùm aſſertorium iuramentum, vnde non minus poteſt contractus reuocari, quàm ſi tale iuramentum additum non eſſet. *Secundò* ſi apponatur contractui, tanquam promiſſorium, & confirmatorium, vt ſi iures te ſemper contractum ratum habiturum, nec vnquam reuocaturum, hoc modo intelligi debet iuramentum vt confirmet contractum. 3

His præmiſſis accedens ad præſentem difficultatem duo ſunt explicanda. *Primum*, an matrimonium prædicto metu contractum reddatur validum iuramento ſimili metu extorto, eo videlicet, quo contrahens iurat ſe eo animo contrahere, & ſemper tale matrimonium ratum habiturum. Vel ſaltem id matrimonium reddatur validum ſimili iuramento plenè voluntariè, abſque vlla coactione adhibito. *Secundum* eſt, an quando ex dicto metu contrahens ex eodem iurat ſe ſemper tale matrimonium ratum habiturum, ſeu de nouo illud contracturum ad id obligetur? & teneatur ratione iuramenti, ac relaxatione indigeat, non ſecus ac iurans vſuras ſoluere, qui verè tenetur ac obligatur ad illas ſoluendas, donec tale iuramentum relaxetur. 4

Circa primum dico cum communiſſima Doctorum ſententia, vt videre eſt apud Sanchez *diſput.* 20. *num.* 12. nullo iuramento, neque metu extorto, neque abſque coactione adhibito, validari matrimoniũ metu graui extortum, & irritum. Ratio eſt, quia iuramento adhuc abſque coactione adhibito non validatur tale matrimonium ex natura rei, nec iure aliquo poſitiuo; ergo nullo modo validatur. Antecedentis *prior pars* videtur manifeſta, quia oppoſitum conſtat ratione naturali, nam cùm ſic iuratur, vel iuratur aliquid præteritum; & tunc ex natura rei conſtat iuramentum non poſſe efficere validum matrimonium præteritum, quia illud ratione metus irritum erat: aut iuratur aliquid futurum, & tunc non po- 5

teſt

teſt efficere matrimonium, ſed ad ſummum ſponſalia; vel denique aliquid præſens, vt quòd iurans conſentit in tale matrimonium, & tunc eſt ſola teſtificatio conſenſus præſentis, qui eſt inualidus, vnde non minus talis contractus manet inualidus, quàm ſi tale iuramentum additum non eſſet, eſt enim purè tantùm aſſertorium iuramentum, & ideò nec firmat contractum, nec vllum ei tribuit robur; nullo ergo modo ex natura rei talis contractus poteſt firmari iuramento. *Secunda pars* antecedentis, quòd non validetur id matrimonium iuramento ex iure poſitiuo, euidens eſt, quia non extat tale ius, imò oppoſitum probatur iure. Quia iuramentum metu extortum non confirmat contractum, qui aliàs ſecluſo iuramento erat inualidus; ergo nec confirmat matrimonium inualidum eo metu contractum; antecedens patet ex *cap. quamuis pactum, de pactis, in 6. & cap. 2. de iureiurando, in 6. & cap. cùm contingat*, in quibus eſt ſermo de renunciatione legitimæ, & alienatione fundi dotalis, quæ pacta ſecluſo iuramento ſunt irrita, & tamen iuramento antecedente decidunt hi textus ſeruanda eſſe, ſi tamen iuramentum abſque vi, & dolo præſtitum ſit; ergo à contrario ſenſu ſi metu ſit extortum, nullam vim habebit. Præterea *cap. a de eo qui duxit in matrimonium*, expreſsè habetur, eum qui poſt matrimonium metu contractum, & iuratum aliam duxit permanſurum cum ſecunda, priuſque matrimonium fuiſſe inualidum. Conſtat igitur matrimonium inualidum ex metu extorto nullo modo validari iuramento. Quare ſicut matrimonium clandeſtinum nequit iuramento firmari, ita neque matrimonium graui metu extortum, ſunt enim perſonæ inhabiles ad contrahendum matrimonium durante metu, ſicut ſunt inhabiles ad contrahendum clandeſtinè ex Decreto Eccleſiæ talia irritantis matrimonia; per iuramentum autem non efficiuntur habiles, & certè ſi iuramentum redderet validum matrimonium metu contractũ, Eccleſia nullum attuliſſet remedium coactionibus, quod maximè intendit in annullatione matrimonij ex graui metu extorti, nam compellens aliquem ad contrahendum, facillimè quoque eum compelleret ad iurandum.

6 Circa ſecundum maior eſt difficultas. nam Sanchez *diſp. 21. n. 3.* veriorem iudicat, cum multis aliis, partem negantem. Probat præcipuè, quia impletio dicti iuramenti quamuis ſit licita, eſt tamen contra commune bonum, at cùm contractus aliquis ob publicam authoritatem prohibetur ni iuramento ſtabiliatur, nullam parit obligationem, nec indiget relaxatione. Alij verò, vt Henriquez *lib. 11. cap. 9. n. 6.* Coninch *diſp. 28. dub. 4. n. 45. & 46* Hurt. *diſp. 6. diffic. 6. n. 23.* affirmant tale iuramentum obligare. Quia illius iuramenti impletio eſt licita; ergo ſeruanda, nam omne iuramentum obligat quando eius expletio eſt licita, vt habetur *cap. debitores 6. & cap. ſi verò* 8. *de iureiurando.* Neque eius expletio directè nocet Reipublicæ, vel publicę vtilitati, quamuis ei non ſit expediens, quod non ſufficit vt non obliget; ſic enim impletio iuramenti facti latroni inuadenti dandi ei pecunias, non eſt Reipublicæ expediens, & tamen id non ſufficit, vt non obliget, atque hanc doctrinam iudico veriorem, quam vt magis explicem,

7 Dico *primò*, ſi iuramentum apponatur matrimonio ex metu graui extorto contracto per verba de præſenti, vt, Duco te, & iuro me ducere, ſicut matrimoniũ eſt omnino nullum, ita etiam & iuramentum nihil obligat in futurum, nec vlla indiget relaxatione. Ratio eſt, quia ex iuramento purè aſſertorio nulla conſurgit in futurum obligatio, ſed ſtatim eſt verum, vel falſum: at tale iuramentum eſt purè aſſertorium. Firmatur, quia metu iurans ſe verè ex animo contrahere, tali iuramento ſolùm obligatur, vt quantum eſt in ſe illum animum habeat circa præſentem contractum, non verò obligatur ad quidquam in futurum, quia id expreſsè non promittitur.

Dico *ſecundò*, ex tali matrimonio metu coacto contracto, & iurato per verba de præſenti, nullum conſurgere obligationem ſponſaliũ: ita Coninch citatus *n. 45.* Et probat optimè, quia tametſi matrimonium liberè contractum, etſi inualidè, v.g. quia clandeſtinè, aut inter impuberes, habeat vim ſponſalium, vt volunt multi; tamen in præſenti caſu hoc dici nequit ex parte metum paſſi, quia cùm tale matrimonium reſpectu huius ſit valde odioſum, omnino ſtrictiſſimè interpretanda ſunt eius verba, vt ſignificent ſolum conſenſum in præſens matrimonium, quia cùm inuitus ſe obliget, intendit ſe obligare quàm minimum poteſt, nec plus quàm externa verba neceſſariò ſignificent prout ſtrictiſſimè ſumuntur. 8

Dico *tertiò*, ſi iuramentum apponatur matrimonio coacto per verba de futuro de non contraueniendo illi matrimonio abſque nouo conſenſu, & ratificatione illius, non obligare, nec reuelatione indigere. Patet, quia tale iuramentum eſſet contra bonos mores honeſtos, & eſſet culpa mortalis, vti matrimonio nullo, quale eſt illud metu initum, nec conualeſcere poteſt, vel reualidari abſque nouo conſenſu; ergo tale iuramentum nullum eſſet, nec obligare poſſet. 9

Dico *quartò*, ſi iuramentum ſit de futuro de rato habendo prædicto matrimonio nouo conſenſu libero, tunc idem eſſe ac iurare ſe denuo matrimonium contracturum. Vnde ſic iuramentum præſtare eſt ſponſalia iurare, atque adeò obligare tale iuramentum. Ratio eſt, quia, vt oſtenſum eſt ſuprà *diſp. 10 ſect. 3.* ſponſalia metu contracta iuramento firmantur. Hinc 10

Dico *vltimò*, qui ex metu graui iniuſto promittit aliquam ducturum, obligari ad eam ducendam; ita Henriquez, Coninch & Hurtado *relati*, & eſt cõmunis Doctorum ſententia. Ratio à priori eſt, quia omne iuramentum homini factum, licèt ſit per iniuriam extortum, ſi abſque peccato parentis impleri poſſit, validum eſt, & obligationem inducit, vt definitum eſt *in cap. debitores, de iureiurando*, vbi de his, qui de ſoluendis vſuris iurauerunt dicitur, *Cogendi ſunt domino reddere iuramentum.* Idem ſupponitur *cap. 1* cùm dicitur, cogendos eſſe debitores ad huiuſmodi iuramenta relaxanda; vbi autem relaxatio neceſſaria eſt, validum ſupponitur iuramentum; & ratio, quæ in eiſdem iuribus aſſignatur, optima eſt, quia talia iuramẽta ſeruari poſſunt ſine diſcrimine ſalutis æternæ, & ideò ſeruanda ſunt, donec relaxatio obtineatur. Sic iuramentum factum latroni, de danda illi certâ pecuniâ, ſeruandum eſt; quia in ſoluenda illa nullum peccatum committitur. Ad quod explicandum, notandum eſt duplex à Doctoribus diſtingui iuramentum; vnum introductorium obligationis, quia nullam ſupponit, ſed per ſe illam innoducit aliud confirmatorium; quia ſupponit obligationem pacti, vel promiſſionis, & illam confirmat addendo nouam obligationem altioris rationis. Iuramentum ergo promiſſorium de pecunia ſoluenda latroni exigenti, non eſt iuramentum conformatorium propriè & ſtrictè ſumptum, ſed eſt introductorium obligationis. ad quod ſatis eſt, vt adhærens cuidam aſſertioni de futuro, quæ licitè & ſine vllo morali incommodo poteſt fieri vera ab illo, qui eam iurauit. Idem dicendum de iuramento de vſuris ſoluendis, quod etiam non eſt contra bonos mores, quia ſine vllo actu contrario bonis moribus impleri poteſt à iurante. 11

* * *

Sectio XV.

An matrimonium ex metu leui iniuſtè incuſſo ad illud extorquendum ſit validum?

LOcuti ſumus hactenus de matrimonio metu graui iniuſtè extorto, nunc agimus de metu, qui inſpectis omnibus circumſtantiis reputatur leuis.

1 Sunt nonnulli Doctores, quos refert Sanchez *lib.* 4. *diſp.* 17. *n.* 2. qui affirmant leuem metum reddere nullum matrimonium, quando reuera ita extorquet conſenſum, vt ſine eo metu non fieret. Probant,

Primò, quia cæteri contractus ex metu leui celebrati ſunt inualidi in foro conſcientiæ; hoc ſenſu vt per illos adquiſita ſint reſtituenda, quia non ſunt plenè liberi, ſed matrimonium maiorem petit libertatem; ergo à fortiori irritabitur ex metu leui. Firmatur, nã idem metus ſufficiens ad cæteros contractus reſcindendos annullat de facto matrimonium, ſed cæteri cõtractus metu leui reſcinduntur in foro conſcientiæ; ergo & matrimonium.

Secundò, ideo metus grauis irritat matrimoniũ, quòd plenam conſenſus libertatem impediat in viro conſtanti; ergo ſimiliter irritabit metus leuis, tantum libertatis auferens in viro, qui natura ſuâ non eſt adeò conſtans.

Tertiò, ideo minor metus ſufficit in fœmina, vt ſit grauis, & matrimonium irritet, quàm in viro, quia propter ſubiecti imbecillitatem minor metus eundem effectum in illa operatur, quàm maior in viro; ergo ſi leuis metus eundem effectum coactionis & ablationem plenitudinis libertatis operatur in fœmina, vel in homine imbecilli, irritabit etiam matrimonium; vnde vir inconſtans ita cogitur per leuem metum, ac conſtans per grauem.

Vltimò, ius conſtituens diſcrimen inter metum grauem, & leuem, nititur præſumptioni; præſumit enim metum grauem cauſam eſſe actus, qui ex metu fit, leuem autem minimè. Ius autem nitens præſumptioni non habet locum in foro conſcientiæ, ſi ſtet veritas in contrarium. *cap. tua, & cap. is qui fidem, de ſponſal.* ergo ſi metus ille leuis cauſa fuit matrimonij, reuera nullum erit.

2 Verior eſt oppoſita ſententia, quæ eſt communior Iuriſperitorum, & Theologorum, quos ſequitur Sanchez *lib.* 4. *diſput.* 17. & Baſil. Leon *lib.* 4. *cap.* 18. Coninch *diſput.* 28. *dubit.* 1. *num.* 8. & alij. Probatur *primò*, quia prædictum matrimonium metu leui extortum nullo iure eſt irritum. Non naturali, vt manifeſtè conſtat ex dictis ſuprà *ſect.* 11. vbi matrimonium metu graui extortum oſtendimus non eſſe iure naturæ irritum, neque etiam iure poſitiuo, quia nullum extat, imò ex iſto oppoſitum colligitur ex *cap. conſultationi, & cap. veniens* 2. *de ſponſal.* vbi deciditur allegantem metum cadentem in conſtantem virum eſſe audiendum, matrimoniumque tali metu initum eſſe nullum; ergo à contrario ſenſu, aliud diuerſum dicendum eſt, quando metus non cadit in virum conſtantem. Et certè ſi ſentiret Eccleſia matrimonium ex metu leui non valere, præciperet etiam audiri, ne in concubinatu remanerent. *Secundò* metum leuem iura non conſiderant, vt patet ex *l. nec timorem. ff. de eo quod metus cauſa, & cap. cùm dilectus* 6. *de his quæ vi metuſve cauſa fiunt*; & certè eſt optima ratio, & cauſa cur poſitiuum ius ſola faciat irrita matrimonia, quæ ex graui metu iniuſto illato contrahuntur, non item quæ ex leui, ſanè quia eo ipſo quo metus grauis eſt qui ei cedit, agit nihilominus viriliter, & conſtanter; eo autem ipſo quo leuis eſt, quiſquis ei cedit agit inconſtanter, & leuiter; poſtulat autem ratio, vt irritatione matrimonij ſubueniatur agentibus, vt viros fortes, & conſtantes decet: non autem agentibus incõſtãter ac leuiter; tum etiam, quia aliàs omnia eſſent incerta, plenaque controuerſiis, & litibus, cùm metus leuis facile interuenire, aut fingi, aut probari poſſit. Quæ omnia ceſſant in metu graui. *Tertiò*, metus leuis non multum libertatis detrahit; nam qui operatur ex metu leui, non dicitur neque vi, neque metu, abſolutè operari, quia habet in ſua poteſtate facile, ac ſufficiens principium, quo poſſit talem metum pellere leuem, cùm operetur imprudenter, imprudentiam autem, cùm vitium ſit, facile expellere poſſet. Quare qui cùm adeò facile ſe eo metu liberari poſſit, non liberat, iure optimo cenſetur liberè operari; nulla ergo eſt ratio, propter quam dicamus leuem metum reddere matrimonium irritum. *Quartò* tametſi aliquando contingat, vt metus leuis non minus libertatem minuat, quàm iuſtus, & cadens in virum conſtantem; id tamen non proficiſcitur ex natura rei, ſed per accidens, ac vitio & imprudentia timentis contingit; non igitur per leuem & iniuſtum timorem dirimi debet matrimonium, diſparia enim ſunt merita iuſtè, ac iniuſtè timentis, nec vanis timoribus fauendum eſt in præiudicium matrimonij. *Quintò* accedit quòd multis grauibuſque ſcrupulis oſtium aperiretur, cùm ſæpè filij ex metu reuerentiali parentum contrahant, qui alioqui non eſſent contracturi; per metum autem reuerentialem tantùm, qui cenſetur eſſe metus leuis, dixi ſuprà *ſect.* 7. non irritari matrimonium, niſi accedant minæ, vel alia, quæ iuſtum timorem efficiunt. *Vltimò* id manifeſtè demonſtrat, vſus Eccleſiæ talia matrimonia facta ex metu leui, vt valida approbantis, & meritò, quia metus leuis, ſeu non cadens in virum conſtantem, non ita afficit conſenſum, vt prudenter minuat eius libertatem, ac poteſtatem.

Ad argumenta oppoſita.

3 Ad primum dico ex diuerſa radice conſurgere reſtitutionem, ac irritationem in matrimonio metu extorto, nam reſtitutio conſurgit ex iniuria admiſſa, & damno illato; quòd ſi tale inueniatur in metu graui & leui, & ſit verè reparabile, in vtroque metu erit obligatio in conſcientia ad reſtituendum. At matrimonij irritatio proximè, & formaliter non oritur ex iniuria illata, neque ex damno inde alteri reſultante, ſed ex iure Eccleſiaſtico irritante, quod meritò irritauit matrimonium quando metus eſt grauis, ſed non quando eſt leuis. Ad confirmationem reſpondeo cæteros contractus ex metu leui factos, neque iure naturali, neque poſitiuo reſcindendos eſſe. Illa verò propoſitio, nempe eundem metum ſufficientem ad cæteros contractus reſcindendos annullare de facto matrimonia, intelligenda eſt, quoties metus ſufficit ad reſcindendos contractus in foro externo, quod tunc euenit, quando eſt metus iniuſtus, & cadit in conſtantem virum; aliter verò intellecta propoſitio falſa eſt, & neganda.

4 Ad ſecundum reſpondeo non eſſe præciſam rationem irritationis matrimonij, quia metus quouis modo tollat plenam libertatem, ſed quia quaſi rationabiliter, & ſeruata cõſtantia id faciat. Cùm ergo metus leuis irrationabiliter, ac læsâ conſtantia, ac valde imprudenter id præſtet, non irritat iure Eccleſiaſtico id meritò ſtatuente. Neque enim metus leuis auferr plenam libertatem ex ſua ratione, ſed ex culpa imprudenter, ac leuiter operantis, nam cùm is in ſua poteſtate habeat

poſſe

poſſe facilè repellere metum leuem, non poteſt dici operati ex eo, ſed ex mera ſua voluntate. Vnde nunquam iſte metus leuis dat cauſam contractui, ſi rectè conſideretur. Quod autem inconſtans eo moueatur, non efficit vt geſtum illud re ipſa dicatur vi, aut metu fieri, poteſt enim, & debet prudenter operari, & vt operaretur prudenter, in ſe habet principium repellendi metum, quod ſecus eſt in metu graui iniuſtè illato.

5 Ad tertium conſtat ex dictis ſuprà *ſect.* 2. intra terminos grauis metus minus motiuum ſufficere in fœmina, quàm in viro, dummodo tamen maneat operatio intra terminos conſtantis fœminæ attentis omnibus circunſtantiis. Vnde ſi ille minor metus attenta imbecillitate perſonæ reputatur cadens in virum conſtantem, conſtanter, & quaſi rationabiliter operatur illum effectum; at quando reputatur adhuc metus leuis & imprudens, non habet eundem effectum, id que manifeſtè conſtar, quia in ſua poteſtate habet facile leuem metũ repellere. quare ſi non repellit, ideo eſt, quia non vult repellere, ac proinde inconſtans eſt, & imprudenter operatur.

6 Ad vltimum negatur nullitatem contractus matrimonij graui metu extorti ex iuris diſpoſitione fundati in præſumptione iuris, ſed inniti ius cuidã naturali æquitati, poſtulanti ſubueniri conſtanter, & viriliter operantibus, non autem in conſtantibus, & leuibus, nõ enim præſumitur, ſed re vera ita eſt, eũ qui ex graui metu contrahit, ex metu operari, cùm nõ ſit in eius poteſtate grauem illũ metum facilè expellere, & præterea etiam ex graui illo metu operãs ſit conſtans. At cùm operatur ex leui metu, non præſumitur, ſed reuera ita eſt illum non operari propriè ex metu, neque leuem metum dediſſe cauſam contractui, quia facile in ſua poteſtate habet illum à ſe repellere,

Sectio XVI.

Vtrùm matrimonium ex metu iuſto cadente in virum conſtantem, incuſſo ad illud extorquendum, ſit nullum?

RECOLENDA ſunt, quæ dixi ſuprà *ſect.* 8 de contractibus, qui fiunt ex metu iuſtè incuſſo, eſſe nimirum validos iure naturali, & poſitiuo, nec poſſe in irritum reuocari. Iuxta quam doctrinam dicẽdum eſt, matrimonium ſic factum validum eſſe, quod tenent cõmuniter Doctores, Sanchez *lib. 4. diſp.* 13. *n.* 3. Henriquez 11. *de matr. cap.* 9. Petrus Ledeſma *de mat. q.* 47. *a.* 3. *dub.* 1. Coninch *diſp.* 28. *dub.* 1. *n.* 14. Hurt. *diſp* 6. *diffic.* 3 & alij. Ad cuius veritatis maiorẽ explicationẽ

1 Dico *primo*, matrimonium ex metu iuſto, ſiue fiat cum occaſione & cauſa ad id inducente data, ſiue fiat abſque vlla occaſione, non eſſe iure naturæ inualidum, ac nullum Ita omnes, ac conſtat ex dictis ſuprà *ſect.* 9. & patet, quia ad talis matrimonij valorem ſufficiunt duo ex natura rei, ſeu iure naturali, nempe titulus, & voluntarium ſimpliciter, & abſolute, quæ duo in illo reperiuntur, nam titulus eſt corpus alterius, & eo matrimonio confertur corpus pro corpore, & eſt ibi voluntarium ſimpliciter, quia hîc & nunc eſt efficaciter voluntarium; ergo ex dicto metu factum non eſt nullum iure naturali. Hoc eſt certũ apud Doctores, ſupereſt an iure poſitiuo irritũ ſit?

2 Dico ergo *ſecundò*, ſi metus ſit lege incuſſus ad finem matrimonij extorquendi, vt, v.g. Si fuerit lex vt violator virginis compellatur eam ducere, vel dotare, valere matrimonium iure poſitiuo, quamuis iudex metu mortis ad illud compellat. Id conſtat manifeſtè ex *l. continet* 3 §. *ſed vim ff. de eo quod metus cauſa*, ibi, *ſed vim accipimus atrocem, & eam, quæ aduerſus bonos mores fiat, non eam, quam magiſtratus intulit, ſcilicet iure licito, & iure honoris, quem ſuſtinet.* Et ratio dicti euidens eſt, quia iudex iuridicè procedens, non dicitur inferre vim, vel metum, quia tunc nulla irrogatur iniuria metum paſſo, cùm ſua ſponte delictũ admitẽs illi pœnæ ſe ſubiecerit. Vnde tunc iudex non dicitur propriè iniicere metũ, ſed potiùs liberat à timore pœnæ virtute legis cõcepto. Firmo, quia metus excõmunicationis, quãdo iuſta eſt, nõ cadit in virũ cõſtãtẽ, quia tũc eſt medicinalis, vt obſtinatus à pertinaciȩ & inobediẽtiȩ culpa reſipiſcat, & facilè poteſt ac tenetur ſibi cõſulere obediẽdo, quòd ſi nolit, ſibi imputet, ipſe enim in cauſa eſt, & culpa illius talẽ patitur metũ: ergo dũ iudex violatori virginis minatur mortem, niſi eã ducat, verè non eſt metus viri conſtantis ab alio incuſſus, qui ſolus matrimoniũ irritat, ſed eſt ab intrinſeco ex natura ipſius delicti perpetrati conceptus. Hinc

3 Colligo *primò* validam eſſe profeſſionem dum vir minatur vxori in adulterio repertæ mortem, niſi religionem profiteatur, quando minatur mortem authoritate iudicis infligendam, quia eſt metus ex iuſta lege, & cauſa incuſſus; ſecus verò ſi minaretur propria authoritate mortem illi infligendam, non valeret; quia iniuſtè illi metus incuteretur.

4 Colligo *ſecundò*, ſi quis minetur reo, v.g. latroni iuſtam accuſationem, niſi certum contrahat matrimonium, id valere, quia non eſt metus viri conſtantis ab alio incuſſus iniuſtè.

5 Colligo *tertiò* non ſolùm valere matrimoniũ quãdo iudex re ipſa, & verè compellit ad matrimonium. Sed etiam quando iuſtè ſecundùm allegata, & probata, tametſi ſecundùm rem, & à parte rei ſit ea cõpulſio iniuſta. Ratio eſt, quia nullam facit alteri iniuriã; econtra verò ſi iudex iniuſtè ſecundùm allegata, & probata compelleret, quamuis in re iuſtum eſſet, non valeret matrimonium, quia eſt iniuria, vt rectè notauit Sanchez *lib. 4. diſp.* 15. *n.* 8.

6 Dico *tertiò*, ſi metus ſit ex aliqua occaſione iuſtè incuſſus ad matrimonium extorquendum, non redditur irritum. Exemplum eſt patris reperientis aliquem dormientem cum filia, ſi minetur ei accuſationem niſi eam ducat, validè contrahere, quia iuſtè minatur, & ratio eſt, quia tunc nulla eſt cauſa, nec ratio ſubueniendi metum patienti, quia iuſtè eum patitur, nec etiam tunc metus tam infertur ab extrinſeco, quàm ab ipſo patiente, qui ſponte dedit occaſionem vnde talis metus poſſet inferri. Vnde tunc non tam inferens metum adfert alteri neceſſitatem contrahendi, quàm ipſe ſibi dando cauſã, vel occaſionẽ cur alius inferat ei metum, non ſecus ac ſi ſponſa exigens promiſſas nuptias, non tam infert ſponſo neceſſitatem metu peccati mortalis cõtrahendi, quàm ipſe ſibi. Iura autem ad contrahendũ ſolùm requirunt illã libertatẽ quæ excludit neceſſitatem ita ab intrinſeco illatã, vt metuens non poſſit dici ſibi eſſe cauſa, vel occaſio illius, ſiue liberè eam ſibi acceſſiuiſſe. nam quando ſe ſponte in eam neceſſitatem coniecit, quidquid inde iuſtè ſequitur, ei abſolutè voluntarium, vel liberum eſt in cauſa, vel occaſione. Vnde quando quis inuentus cum fœmina cum ea coactus contrahit, ex metu accuſationis incuſſo validè contrahit, quia contrahit ex metu iuſtè illato; inualidè tamen, ſi contrahit ex metu mortis incuſſo ad id, quia mortem iniuſtè minatur, & hic eſt caſus *cap veniens* 15. *de ſponſal.* de iuuene illo, vbi etſi non dicatur in particulari quis metus fuerit incuſſus, tamẽ videtur omnino de ſimili metu intelligẽdũ eſſe, quia aliàs nõ facile cõformiter cũ aliis iuribus poſſet intelligi. Nec eſt vlla ratio cur id aliter intelligamus, & omnino procliue

eſt, & hominum motibus conſonum, talem ibi metum ſubintelligere.

7 Dico *vltimo* matrimonium ex metu iuſto cadente in virum conſtantem, ioeuſſo ad illud extorquendú, adhuc abſque occaſione ad id inducente data, eſſe validum: ratio eſt, quia tunc matrimonium non eſt inualidum iure naturali, vt conſtat ex dicto primo, neque eſt inualidum iure Eccleſiaſtico, quia non conſtat eo irritati, niſi matrimoniũ factum ex metu graui iniuſto, & ad id exteriùs incuſſo, vt conſtat præſertim ex iuribus *ſect.* 11. adductis, in quibus ſupponitur matrimonium ex hoc metu factum eſſe irritum, & meritò, quia iſtud fit omnino ab extrinſeco, & quòd ex metu iuſto non tã dicitur fieri ab extrinſeco, quàm ab ipſo qui cogitur; cùm ipſe dederit cauſam vt ſibi licitè & iuſtè poſſit coactio inferri, quamuis cauſa non ſit ex ſe inducens ad eam coactionem. Vnde quáuis metus grauis iuſtus aliquo modo impediat libertatem, ſicut & iniuſtus, nihilominus matrimonium ex iuſto contractum eſt validum, quamuis ſit nullum cótractum ex iniuſto, quia illud cùm ſit omoino ab extrinſeco, iure Eccleſiaſtico irritatur, illud verò cùm non tam ſit ab extrinſeco, quàm ab ipſo patiente metum, non irritatur Eccleſiaſtico iure.

8 Ex dictis colligo quid ſit dicendum, ſi iudex capto iuſtè, mortémque timenti vitæ condonationem promittat, ſi ducat ipſius iudicis filiam, aut aliam fœminam, alioquin ei mortem iuſtè inferendam comminetur, an valeat iſtud matrimonium? Quamuis enim Baſilius Ponce *lib.* 4. *c.* 19. *n.* 13. ſentiat non valere, quia iudex tunc infert metum, abutitúrque poteſtate, cùm non fiat vlla delicti compenſatio, ratione cuius metus iuſtè poſſit inferri; nihilominus verius exiſtimo contrarium, vt docet Sanchez *lib.* 4. *diſp.* 12. & Coninch *diſp.* 17. *dub.* 1. *num.* 9. & 10. Ratio eſt, quia eo euentu metus non iniicitur ad matrimonium ineundum, ſed iam conceptus aufertur, traditúrque modus euadendi periculum, vnde ſi iura eo caſu illud irritarent, periclitanti omnem viam ſalutis præcluderent, cùm tamen intendant ei ſuccurrere. Vnde licèt demus eo caſu iudicem non iuſte procedere in ea promiſſione, quin fiat vlla delicti compenſatio; attamen cùm metum patienti præbeat modum quo poſſit vitæ periculum effugere, quod aliter quàm contrahẽdo matrimonium nequit vitare, ideò valebit matrimoniũ.

SECTIO XVII.

Vtrùm Princeps Eccleſiaſticus & ſæcularis poſſit ſubditos & parentes filios ad matrimonium cogere, vel compellere?

1 PRima difficultas eſt de Principibus ſupremis, ſiue Eccleſiaſticis, ſiue ſecularibus, de quibus

Dico *primò*, certum eſt poſſe prædictos Principes ſubditis ea matrimonia præcipere, ad quæ aliàs tenentur iure naturæ: vt ſi expediant ad pacem publicam conciliandam, vel ad tollendas capitales amicorum inimicitias, vel ſi ſub nuptiarum promiſſione virgo fuerit deflorata, vel ob alias ſimiles iuſtiſſimas cauſas. Patet, quia in Principibus poteſtas eſt, & iuriſdictio cogendi ſubditos ad id, ad quod iure naturæ obligantur, nec cuiquam debet videri durum, ſi cogatur ſatisfacere ſuæ obligationi, nam tenetur Princeps ſuis ſubditis petentibus ſuum ius, illud non negare, & ioiuriam illis facientes cogere, vt ab ea deſiſtant, & petentibus ſuum ius tribuant. Verum eſt prædictam coactionem debere eſſe communiter moderatam, niſi neceſſitas, aut rei magnitudo aliud exigat, ne grauiora mala ſequantur, quia ex matrimonio vehementi coactione contracto nihil niſi malum timeri poteſt.

2 Dico *ſecundò*, deficientibus prædictis cauſis iuſtis non poſſe Principes ſubditis ſuis præcipere matrimonium. Hoc etiam eſt certum, quia cùm matrimoniũ ſit onus grauiſſimum, & quaſi quædã perpetua ſeruitus, requiritur vt ſit valdè ſecundùm animi propenſioné mutuo amore contractum, aliter enim eſſet talis ſocietas plena rixis & diſcordiis. Vnde ſemper horret, & refugit alienum imperium, quia raro amamus ea, in quæ ſponte noſtro iudicio non propendemus. Firmo, quia electio ſtatus maximè coniugalis, libera eſt quátum eſt ex ſe: & ſubditi ſui iuris ſunt circa dicti ſtatus electionem; vnde duriſſimum eſt, ac periculoſiſſimum alieno imperio ad ipsũ adigi ipſis inuitis. Igitur Principes, & domini etiam ſupremi, ſiue Eccleſiaſtici, ſiue ſeculares, nihil tale poſsũt præcipere abſq; iuſtâ causâ.

3 Dico *tertiò*, multò minùs licere Principibus, dominis temporalibus, & Magiſtratibus, ſuos ſubditos iniuſtè, ſeu abſque iuſtâ causâ ad matrimonium cogere, vel compellere. Patet, quia id expreſsè probibet Coocilium Trideot. *ſeſſ.* 24. *de matr. c.* 9. vbi loquens de dominis temporalibus, ac magiſtratibus, ſic ait, cùm maximè nefarium ſit matrimonij libertaté violare, & ab eis iniuriam naſci, à quibus iura expectantur, præcipit ſancta Synodus omnibus, (intellige dominis, ac magiſtratibus) cuiuſcumque gradus, dignitatis, & códitionis exiſtant, ſub anathematis pœná, quam ipſo facto incurrant, ne quouis modo directè, vel indirectè ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios cogant, quo minus liberè matrimonia contrahant.

Circa quæ verba ſunt quædam obſeruanda.

4 *Primum* prædicta decreti verba, intelligenda eſſe de graui coactione, ſeu vi iniuſta, iuxta communem ſenſum. Patet, tum quia aliàs nunquam poſſet quis iuſtè cogi ad matrimonium, quod abſurdum eſt. Tum quia prædicta verba debent iotelligi de coactione moraliter peccaminosâ, vt etiam ex ipsâ anathematis liquet pœna; ergo iniuſta. Tum denique de vi iniuſta ſermonem eſſe tantùm, clarè ſignificát priora illa verba decreti, cùm maximè nefarium ſit, &c. Addo cum noſtro Hurtado *diſp.* 6. *diffic.* 7. *n.* 26. id decretum intelligi debere de coactione iniuſta, quæ ſit mortaliter mala, ſeu mortifera, quamuis non ſit cadens in virum conſtantem: quia illa etiam nefaria eſt ac iniurioſa; ergo ſub illa pœna prohibita: & quamuis implicitè tantùm ſit incuſſa, & ooo expreſsè ad id, quia puniũtur domini, & magiſtratus, etiamſi indirectè tantùm ad id cogãt.

Secundum eſt prædictâ anathematis pœna puniri dominos temporales, & magiſtratus, ex eo quòd cogãt iniuſtè ad matrimonium, non verò, quia impediát matrimonium, quamuis iniuſtè, vt rectè notauit Henriq. *c.* 6. & Hurtado *loco cit.* Ratio eſt, quia ex verbis Concilij allatis tantùm puniuntur, qui cogunt ad matrimonium, quo minus liberè illud non contrahant, oon verò qui illud impediant, odia enim, ſeu pœnæ ſunt reſtringendæ.

Tertium eſt pœnam iſtam anathematis, eſſe pœnam excommunicationis maioris, vt notarunt Henriquez & Hurtado *relati*, & Sanchez *lib.* 4. *diſp.* 22. *n.* 8. & ratio eſt, tum quia in ipſo iure oomine anathematis ſignificatur excommunicatio maior, vt manifeſtè conſtat ex *cap.* 106 *debent.* 11. *q.* 3 vbi ſermo eſt de modo & forma excómunicarionis maioris, & ſic habetur: Debẽt duodecim Sacerdotes Epiſcopũ circũſtare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas io cóclusione anathematis, vel excómunicationis proiicere debent io terra, & conculcare pedibus. Ecce ibi pro eodé ſumitur anathematis nomen & excómuoicationis. Tum etiã, quia illis diuerſis nominibus vtitur Concilium ad excómunicandum, & in dicto decreto dicit ſub anathematis

pœna

pœna, quam ipſo facto incurrant; quibus verbis nequit intelligi maledictio ſolemnis, ſed excommunicatio maior, quia maledictio ſolemnis nequit ipſo facto incurri, quia ferenda eſt ab Eccleſia, vnde anathema non ſignificat maledictionem ſolemnem, ſed excommunicationem maiorem, & ad ſummum eam cui quādo infertur ab homine, additur maledictio ſolēnis.

Quartum denique eſt Reges, & Imperatores qui coactione iniuſta & graui ſufficiente ad mortale cōpellerent ſubditos, aut quoſcunque alios ad matrimonium, non incurrere prædictam pœnam anathematis, ſeu excommunicationis maioris, vt optimè Sanchez, Henriquez & Hurtado. Ratio eſt, quia tametſi ſint domini ſupremi temporales, habeantque iuriſdictionem ſupremam in foro externo ſæculari, habent hoc peculiare ob eorum ſupremam dignitatem, vt debeant clarè exprimi, vt exprimuntur in Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 11. de Reformatione*, & in Bulla cœnæ Domini. In prædicto autem decreto non exprimuntur, vt conſtat. Vt enim dixi in tractatu *de cenſuris*, Imperatores, & Reges nunquam comprehenduntur, niſi fiat ſpecialis eorum mentio.

5 *Secunda* difficultas eſt de parentibus, an poſſint cogere, vel compellere filios ad matrimonium. Ratio dubitandi eſt, quia poſſunt parentes vendere filios. *l. 2. C. de patribus, qui filios*, &c. ergo & cogere ad matrimonium metu graui. Ex alio verò capite videtur parentes nec poſſe iuſtè compellere, aut impedire filios ne nubant, prout ipſi voluerint.

Primo, quia cùm pater præcipit, vel impedit filium ne cum aliqua etiam ſibi ignominioſa contrahat, etiamſi aliam digniorem ei afferat, ſuccurritur filio à Prælato per cenſuras, ne impediatur; ergo ne demus bellum iuſtum ex vtraque parte, potiùs dicendum erit filium iniuſtè à patre impediri.

Secundo, videtur etiam eſſe contra libertatem matrimonij, quod etiam ex iuſta cauſa, inuita filia patet diſſolui faciat ſponſalia; ergo multo magis vt diſſoluat, vel impediat matrimonium.

Tertiò, per matrimonium homo perpetuæ ſeruituti obligatur; ergo recta ratio poſtulat, vt in illo contrahendo omnino liber ſit, & à nullius pendeat voluntate; ergo licitè poteſt inuitis parentibus inire matrimonium, atque adeò nequeunt iſti licitè filium impedire ne illud contrahere velit. In hac re

6 Dico *primo*, certum eſſe apud Doctores poſſe parentes compellere filios ſub præcepto ad ea matrimonia, ad quæ aliàs tenentur iure naturæ, vt cùm quis filius tenetur certas nuptias inire, quia ſub earum promiſſione virginem defflorauit, vel quia neceſſariæ ſunt ad pacem publicam conciliandam, vel ad tollendas capitales inimicitias, vel ob aliam legitimam cauſam iure naturæ obligantem. Ratio eſt manifeſta, quia poſſunt patres compellere filios ſub præcepto ad id, ad quod iure naturæ obligantur, nec debet illis durum videri, ſi cogantur ſatisfacere ſuæ obligationi. Vnde ſimiliter colligo, caſu, quo ob parentum indigentiam tenetur filius abſtinere à religionis ingreſſu, & offertur illi matrimonium locuples, quod eſſet medium neceſſarium parentum ſubuentioni, cui aliter non poſſet conſulere, poſſe parentes cogere illum ſub præcepto ad illud matrimoniū ineundū, quandoquidē ſecluſo præcepto tenebatur iā filius illud cōtrahere matrimoniū. In his verò caſibus poſſūt parētes cogere filios ad matrimoniū, coactione tātū moderata, vt decet patrē.

7 Dico *ſecundò*, non concurrentibus prædictis obligationibus iuris naturalis, non poſſe parentes præcipere filiis, vt contrahant matrimonium, ſic fatetur omnes cū D. Thom. *in 4. d. 29. q. vni. a. 4.* vbi rationē aſſignat. quia matrimonium eſt quaſi perpetua ſeruitus, à qua, natura filij ſunt liberi, nec niſi proprio conſenſu poſſunt ei ſubijci, præſertim cùm coniugum requirat indiuiduam vitæ ſocietatem, mutuo amore conglutinatam, atque ideo duriſſimum eſſet, & periculoſiſſimum rixarū & diſcordiarū alieno imperio ad ipſum adigi. Firmo, quia filius ſui iuris eſt circa ſtatus electionem, vt eſt certum; ergo liberum eſt illi vel contrahere, vel aliū ſtatum eligere. Nequeunt ergo filij præcepto cōpelli à parētibus, vel cogi ad matrimoniū, metu cadēte in virum conſtantē. Vnde quando filij aliàs non tenentur, & nolunt ſtatum matrimonij eligere, ſed meliorem, vt cœlibatus, aut religionis, non poſſunt à parentibus, adhuc paterna increpatione ad matrimoniū cogi, quia contra rationem eſt, filium, qui eſt ſui iuris, ad eligendum ſtatum, & vult meliorem eligere, cogi adhuc leuiter ad ſtatum minorem.

Dico *tertiò*, poſſe patres mediis ſuauibus, abſque vlla vi & coactione impedire matrimoniū filij, ex ſuppoſitione quòd filius velit nubere, quando aliàs non tenetur ad id matrimonium. Id notauit ex communi doctrina Sanchez *lib. 4. diſp. 22. n. 2.* & ratio eſſe poteſt, quia iure naturali, quo patentes in liberos funguntur ſub quorum ſunt poteſtate, conforme videtur vt in re tam graui, vt eſt matrimonij vinculum, à quo totum vitæ inſtitutū pendet, filij deliberent cum volūtate parentum, eorumque ſequantur conſilium & voluntatem, ſi non ex præcepto, de quo *ſequenti ſect.* ſaltem ex debita congruentia; ergo poſſunt parentes mediis ſuauibus id poſtulare, & contrarium impedire eiſdem mediis. 8

Vnde colligo. Ex ſuppoſitione quòd filius velit matrimonium contrahere, poſſe à parētibus cogi, quamuis paternè tantùm, & leuiter ad matrimonium ipſi maximè ex pediēs, & ſimili coactione retrahi à matrimonio ipſi indigno, quia non eſt multum id concedere parētibus, quibus maximè incūbit proſpicere bono filij, & cuius malū, & bonū quodāmodo eſt malū, & bonum parentū, cæterùm nō poterit licitè cogi adhuc leui coactione ad matrimonium ordinariè expediens, neque retrahi à ſimili matrimonio, niſi adſit aliqua rationabilis cauſa ob omnimodam libertatem filij ad electionem ſtatus perpetui. 9

Ad rationem dubitandi, ad primam eius partem dico conceſſo antecedēte, negandam eſſe conſequentiā, quia ſeruitus illa titulo vēditionis comparata non exigit mutuum amorem, nec eſt ex ſe perpetua, cùm poſſit pecunia redimi. Secus eſt in onere matrimonij, in quo eſt perpetua, ac indiſſolubilis ſeruitus poſtulans mutuū amorē, & maximā animorum coniunctionem. 10

Ad primum argumentum pro ſecunda dubij parte dico Prælatos nūquam præcipere, nec cōiungere eos, quos conſtat in contrahendo iniuriam aliis facere, atque adeò ſine peccato tale matrimonium inire nō poſſe, cuiuſmodi ſunt illi, qui cū noua iniuria parentum contrahere volunt. Dico *noua iniuria*, quia contingere poteſt vt matrimonium ſit quidem parentibus iniurioſum, ex obligatione tamen conſcientiæ neceſſariò ineundum propter præcedentia ſponſalia per copulā cōfirmata, vel ob aliā vrgētem cauſam, in qua primum peccatum fuit, & iniuria illata eſt, non tamen iam iniuria ſit in impletione obligationis naturalis inde conſequentis. Vnde non datur bellum iuſtum ex vtraque parte inter Prælatos talia coniugia conciliantes, & inter patres ad eadem diſſoluenda contendentes, quia nec debent, nec poſſunt Prælati coniungere illos, quos conſtat in contrahendo iniuriam aliis facere, & verè peccare, & patres habent ius impediendi nuptias filiorum ob cauſas iuſtas, qualis eſt illa ne filij malè & cum peccato nubant. 11

Ad ſecundum negatur aſſumptū, non enim minui- 12

tur libertas nubendi, ſed potiùs regulatur & perficitur libertas filiæ, quando pater ex officio, quo tenetur, curat, vt non malè, ſed benè nubat; eſſe enim liberum ad malum faciendum potius eſt imperfectio libertatis & defectus, quàm conditio neceſſaria, alioquin ſi neceſſarium eſſet ad libertatem, vt quis poſſet facere malum, nec Deus nec Angeli ſancti liberi dicerentur, vt inquit D. Bernardus *lib. de gratia & libero arbitrio*; ſiquidem nec Deus, nec Angeli ſancti poſſunt malè vti ſua libertate, cùm libertate perfectiſſima præditi ſint; itaque non debet ab Eccleſia bonorum morum, & libertatis, magiſtra facultas concedi filiabus in poteſtate parentum manentibus ad contrahendum cum peccato, ſed potiùs diſſuadere debet talia connubia, ad idque tenentur Prælati non ſolùm ex præcepto correctionis fraternæ, ſed etiam ex proprio paſtorali officio. Vnde cautè Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat.* decreuit, vt quando probabilis eſſet ſuſpicio matrimonium malitioſè impeditum iri, non omnes denuntiationes adhiberentur, vbi clarè inſinuat, ſi iuſtè, & non malitioſè, vel à parentibus, vel ab aliis impediatur, non eſſe tali matrimonio fauorem præſtandum ab Eccleſia, ſed potiùs audiendos fore impedientes. Et *c. 11. eadem ſeſſ.* prohibuit dominis temporalibus, ne ad matrimonium cogerent ſubditos, non tamen ne impedirent, iuſtis ex cauſis. Quanto minus ergo prohiberet parentibus, ne iure paterno vterentur in prohibendis filiorum vtriuſque ſexus indignis connubiis. Nam licèt ius habeat filius contrahendi ſimpliciter, non tamen habet ius ad contrahendum indignè, & cum peccato; pater verò ſimpliciter & ſemper habet ius ex quarto præcepto naturali Decalogi, vt non afficiatur aliqua ignominia à ſuis filiis in malè contrahendo matrimonio, præſertim cùm illæſam aliàs libertatem retineant ad ſibi conuenientes nuptias quærendas; melior ergo debet eſſe conditio patris repellentis à ſe iniuriam, quàm filij, vel filiæ volentis cum parentibus ignominia contrahere.

Ad tertium conceditur aſſumptum, quando filius non contrahit indignè, nec iniuria parentum, vel aliorum, de quo *ſect. ſequenti.*

13 *Tertia* difficultas eſt, an parentes poſſint negare hæreditatem, aut dotem filiis inuitis contrahentibus nuptias, de qua re latè Sanchez *lib. 4. diſput. 24. 25. & 26.* Breuiter dicam quod ſentio, prænotando triplex ius ſpectari poſſe, commune, Cæſareum, proprium mancipale noſtri Regni Valentini, & ius Canonicum. Circa quæ iura duo examinanda ſunt. *Primum* quid de hac re ius commune, vel Cæſareum, & leges municipales Valentinæ decernunt. *Secundum*, num præfata iura, ſeu leges ſecundùm ius Canonicum recipiendæ ſint, an potiùs per iſtud corrigantur?

14 Circa primum dico dum *primò*, cum communi Iuriſperitorum & Theologorum ſententia, filiam inuitis parentibus nubentem poſſe exhæredari. Sic conſtat expreſsè ex *Auth. vt cum de appellatione cognoſc. §. aliud quoque, & l. 5 tit. 7. q. 6.* Tribus tamen interuenientibus conditionibus, *Prima* eſt, vt parentes velint eam matrimonio collocare, & dotem ſecundùm vires ſuæ ſubſtantiæ tradere, *Secunda*, vt filia illi matrimonio repugnet, & ſimul vitam luxurioſam eligat. *Tertia*, vt ſit minor viginti quinque annis, Vnde fit *primò* vt filia quæ poſt vigeſimumquintum annum nupſit, ſine conſenſu parẽtum, ſiue nupſerit digno, ſiue indigno, non poſſit exhæredari, vt probatur ex generalitate Authent. Quin etiam nec tunc exhæredari poterit ſi in corpus ſuum peccet, turpemque vitam eligat, vt eadem Authent. habetur. Imputari enim totum hoc debet patri qui tanto tempore filiæ nuptias diſtulit, & cùm culpa patris factum videatur, iuris interpretatione perinde habetur, ac ſi de conſenſu patris factum fuiſſet, atque adeò non eſt, quòd ob iniuriam patris ab eo exhæredari debeat ſic nubendo, vel vitam turpem eligendo. Fit *ſecundò*, id dicendum non eſſe de filio. Nam filius quamuis renitentibus parẽtibus matrimonium ineat, & luxurioſè viuat, nequit exhæredari. Ratio eſt, quia prædicta Authentica de ſola filia meminit, & cùm res ſit odioſa, multoque grauius ſit delictum in fœmina, non debet extendi ad filium. Fit *tertiò*, quando filia in poteſtate patris permanens ſine eius conſenſu ante vigeſimum quintum nubit digno, non poſſe exhæredari de iure Cæſareo. Id certum eſt, quando pater volebat filiam dare viro indigno, & illa nubit digno ſine eius cõſenſo, *l. ſed ea. ff. de ſponſal.* quòd ſi pater volebat eam cum digno iungere, & illa alium ſibi virum, dignum tamen, eligit, id etiam eſt verum, quia, vt dixi, ad præfatam exhæredationem requiritur, vt filia vitam turpem eligat, & licèt quod ad patris iniuriam attinet, perinde ſit nubere indigno, ac turpem vitam eligere, vt volunt nonnulli Iuriſtæ, non tamen ſi virum dignum eligat, vt notauit Barboſa *p. 4. l. prima. ff ſolut. matrim. num. 35.* videantur de hac re Noſter Rebellus *lib. 2. quaſt. 14. ſect. 2. a num. 14. vſque ad 19.* incluſiuè.

15 Dico *ſecundò*, de iure municipali noſtri regni Valẽtini certum eſſe etiam extra caſum matrimonij poſſe parentes exhæredare filios pro libito, vt ſic filij contineantur in officio, & grata erga parentes obedientia. Circa matrimonium verò plures ſunt leges, quibus parentes poſſunt exhæredare filios contrahentes ſine conſenſu, & contra voluntatem illorum, quæ videri poſſunt apud Magiſtrum Michaelem Salon Valentinum *2. 2. q. 61. tract. de dominio, q. 5. a. 5.* plures verò ac potiores leges ſunt contra filias, quàm contra filios ſic contrahentes.

Circa ſecundum tres ſunt ſententiæ.

16 *Prima* tenet non eſſe prædicta iura, ſeu leges iure Canonico correctas, ſed habere vim. Ita Bartholomæus Ledeſma *de matrimonio dub. 24.* Molina *tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 176.* Salon *citatus*, cum multis aliis quos illi referunt. Quia non tollitur his legibus libertas ad matrimonium ineundum, ſed eam moderantur, ne in Reipublicæ diſpendium, & perturbationem ea contrahentes abutantur, ſtatuentes pœnas in abutentes ineundo matrimonium inuitis parentibus. Vnde perturbationes, & rixæ in Republica ſolent oriri; ergo iuſtæ ſunt, nec iuri Canonico aduerſantur.

17 *Secunda* ſententia omnino oppoſita tenet prædicta iura ſimpliciter eſſe correcta, & reuocata. Ita Victoria, Corduba, Henriquez, & multi alij, quos refert & ſequitur Sanchez *diſp. 25. n. 2.* *Primò*, quia Eccleſia non ſolùm permittit, ſed etiam iuuat & defendit, vt parentibus etiam inuitis contrahant filij, idque propterea quòd iuris ſui ſint ad id faciendum; ergo non poteſt ius ciuile eos punire pœna adeò acerba, ac eſt exhæredatio. *Secundò* pœna, & quidquid minuit libertatem in matrimonio, à iure Canonico prohibetur, vt conſtat ex *cap. gemma, de ſponſal.* vbi textus annullat pœnam in ſponſalibus appoſitam, at per exhæredationem valde minuitur hæc libertas, & ideo ius Canonicum corrigit leges eam pœnam ſtatuentes. *Tertiò*, quia *cap. tuam, de ordine cognit. & cap. cauſam el 2. qui filij ſint legitimi, & cap. 1. de ſponſal* definitur cauſas matrimoniales, & condere leges circa matrimonia, non ſpectare ad poteſtatem ſæcularem, ſed ad iudices Eccleſiaſticos, quod vltimum in Concilio Tridẽtino *ſeſſ. 24. can. 12.* ſub anathemate eſt definitũ.

Tertia

Digitized by Google

18 *Tertia* ſententia diſtinguit ſi nubat indigno non renocari, ſecus verò, ſi nubat digno, ita cum aliis Baſilius Ponce *lib. 2. cap. 1. §. 3.* Probat, quia prædictæ leges pacem publicam, & commune bonum perturbantes impediunt, neque opponuntur libertati matrimonij iuſtæ: libertas enim in matrimonio requiſita rationabilis, & iuſta eſſe debet. Vnde illa non tollit quòd aliquando Principes poſſint aliquos deterrere à matrimonio, neque quòd iudex iuſtè poſſit adigere aliquem ad matrimonium, neque quòd Eccleſia potuerit iuſtè eam libertatem reſtringere quòd clandeſtina non valeant.

19 Dico *primò*; ſequendo communem ſententiam, quam iudico veriorem, leges ciuiles Cæſareas prædictas quatenus exhæredant filios, vel filias contrahentes ſine facultate parentum, aut etiam contra ipſorum rationabilem voluntatem, iuſtas eſſe, neque ab Eccleſia abrogatas. Ita egregiè noſter Molina *citatim.* Moueor potiſſimum eius ratione, quia licèt cauſæ matrimoniales ad Eccleſiaſticas poteſtates pertineant, eo quòd matrimonium ſit ſacramentum, quia tamen ratio ſacramenti fundatur in contractu merè naturali, quem perſonæ ad Rempublicam ſæcularem pertinentes inter ſe celebrant, & in modo contrahendi interuenire poſſunt abuſus, & delicta, quæ ſæcularem Rempublicam perturbent, vtique ad eam ſpectat hos abuſus & delicta, quatenus in illius præiudicium cedunt, prohibere, ac certis ſtatutis pœnis illa punire. Hac quippe ratione mixti fori eſt delictum, quo viuente altero coniuge tranſit quis ad ſecundas nuptias. Et certè quando ſtatuta, & pœnæ nullum matrimonio, quatenus ſacramentum eſt, nec ſpirituali contrahentium bono præiudicium afferunt, & ex alia parte abuſus ſæcularem Rempublicam fœdantes, ac perturbantes impediunt conducùntque ad ſpirituale ſimul ac temporale eorum bonum, quibus ſtatuuntur, vt pœnæ timore contineantur, ne cum peccato inobedientes ſint parentibus, & tam eos, quàm alios conſanguineos inhonorent, & periculis ſeditionum, odiorum, ac necium exponant, atque etiam ne imprudenter ipſimet ſe ipſos perdant, non leuem famæ ac bonorum temporalium iacturam ea ratione faciendo; non videtur Eccleſiam vnquam prohibere Principibus ſæcularibus intendiſſe ne ſimiles leges ac pœnas in ſuis rebus publicis conderent. Tales verò eſſe leges, de quibus nunc eſſe ſermo facillimè oſtenditur. Nam in primis quid, quæſo, præiudicium vel ſacramento matrimonij, vel ſpirituali Eccleſiæ bono, vel ſaluti animarum affert, quòd filiæ ante decimumquintum annum, vel etiam filij eo quaſi fræno conſtricti teneantur, ne cum tanto ſuo proprio, ſuorúmque parentum ſpirituali, ac temporali damno, ac cum perturbatione ac dedecore Reipublicæ inuitis parentibus matrimonium imprudenter contrahere audeant? Nónne ſi nihilominus contraxerint, ſacramentum validum erit, ſi idem illud vterque contrahentium poſtulet in facie Eccleſiæ, vel inuitis parentibus, eo quòd tametſi per accidens cum peccato iure ſuo vtantur, illis concedetur? At verò quod eo appoſito fræno pauciora eiuſmodi matrimonia, præ timore, in Republica contrahantur, certè non id in detrimentum, ſed in maximum commodum, & decentiam ipſius ſacramenti, & boni ſpiritualis Eccleſiæ, & animarum redundat. Firmo, nam demus prædictas leges inualidas eſſe, & tam filios, quàm filiasfamilias contrahere poſſe, inuitis parentibus, omnino impunè; tenerique parentes non ſecus eas dotare, quàm ſi ex ipſorum voluntate nupſiſſent, nec minus ſuccedere parentibus etiam inuitis in integra hæreditate, quàm ſi ex eorum voluntate nupſiſſent, quis non videat qualis eſſet in Republica & Eccleſia perturbatio, & quot mala, ſeditiones, neces, & ſcandala inde orirentur. Poteſtas igitur eſt in Republica ſæculari ad vetas & proprias pœnas, ea de cauſa, ſtatuendas. Quod ſi negari non poteſt iuſtas eſſe eas conditiones, quæ in maioratibus apponi ſolent, vt ad alios tranſeant ſucceſſiuè, dummodo non nupſerint impari, vel infecto Iudæorum, vel Saracenorum ſanguine, cùm ſit priuata quadam lex. Cur etiam non licebit Reipublicæ, vel Principibus ſæcularibus poteſtatem facere parentibus, vt hæreditatis beneficio priuent filios contra eorum rationabilem volútatem nubentes. Denique addo, tametſi filiis alimenta debeantur à parentibus iure naturæ, dum ipſis non ſuppetit vnde viuant, aut comparare ipſi ſuo honeſto, aut decenti labore poſſint, attamen ad hæreditatem paternam non vocat ius naturale: non enim ſunt hæredes neceſſariò ex iuris naturalis præſcripto, ſed vocat ius humanum æquitati iuris naturalis valde conforme. Igitur iure humano tolli poteſt quoque ea ſucceſſio; ergo quando lata eſt lex iuſta de cauſa, vt in caſu de quo loquimur, iure valere & obſeruari debet.

Dico *ſecundò*, potiore iure habere vim leges municipales noſtri Regni Valentini, neque eſſe correctas iure Canonico. Patet ob rationes dictas præcedenti dicto, ac potiſſimum, quia in hoc Regno Valentino non conduntur leges ſolius Regis ac magnatum ſæcularium voluntate, niſi conueniant etiam tria, quæ nos vocamus Brachia, Militare, videlicet Regium & Eccleſiaſticum, in quo ſunt Epiſcopi, Abbates, & alij Eccleſiaſtici etiam militares in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti. Vnde non minus videtur contra libertatem Eccleſiaſticam, quod à perſonis Eccleſiaſticis, ſimul cum ſæcularibus fit, cùm in his quæ res Eccleſiaſticas & ſæculares concernunt, ex quibus eſt vſus matrimonij contractus, valeat conſuetudo legitimè inducta ſimul ab Eccleſiaſticis & ſæcularibus. 20

Ad argumenta Sanchez.

Ad primum, conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Quia filij ſic nubendo contra rationabilem ac valdè iuſtam voluntatem parentum verè peccant, cum ſuo parentum ac Reipublicæ detrimento, & ideo poſſunt iure à parentibus & Republica hæreditatis priuatione iuſtè puniri, ne ſimilia flagitia paſſim in Republica deinceps fiant. Quare non ponitur contractus matrimonij, & vſus iuris in tradenda mutua poteſtate corporum, ſed inobedientia, & inordinatio in vtendo tunc, cum illis circumſtantiis cum tanto detrimento proprio, parentum, ac Reipublicæ, quod nequaquam Eccleſia approbat, ſed vituperat ac deteſtatur, vt patet *30. q. 5. c. 1. 3. & 4.* 21

Ad ſecundum dico, tametſi matrimonia libera eſſe debeant, non tollere, quo minus Reſpublica ſtatuere poſſit rationabiles pœnas ad retrahédum ab abuſibus, & peccatis, quæ in eis celebrandis cum Reipublicæ, & ipſorum contrahentium detrimento interuenire poſſunt. Sicut antequam matrimonia clandeſtina à Tridentina Synodo irrita eſſent effecta, quòd matrimonia libera eſſe deberent, nihil impediebat, quominus pecuniaria, & excommunicationis pœna ab Eccleſia ipſa clandeſtinè contrahere intendentibus ſtatueretur, vt ab eo contrahendi modo, qui occaſio multorum erat malorum homines abſtinerent, cùm tamen multi & multæ non aliter quàm clandeſtinè contrahere cum eis poſſent, cum quibus volebant. Item quòd matrimonia libera eſſe debeant, non tollit quominus is cogatur pœnis cum ea contrahere, cui ſe eandem ducturum vxorem promiſit. Pœna verò quæ iuxta *cap. gemma*, locum in matrimonio non habet, eſt conuentionalis, quam priuati appo- 22

nunt, aut quæ matrimonio præiudicium afferat: non autem Eccleſiæ in eo capite, aut in quouis alio iure in mentem venit irritas facere leges, aut pœnas, quas Reſpublicæ ſeculares ad impediendos abuſus & peccata ipſiſmet contrahentibus, & Reipublicæ noxia, & ſacramento minus decentia, meritò ſtatuerent.

13 Ad tertium reſpondeo aliud eſſe cauſam matrimonialem, aliud verò abuſum Reipublicæ ſæculari & ipſiſmet contrahentibus noxium. Illud primum ſpectare ad Eccleſiaſticas poteſtates; puniri verò hoc ſecundum, poſtquam matrimonium eſt celebratum, nihil ſe immiſcendo, validus ne fuerit, an non, matrimonij contractus, pertinere ad laicas poteſtates, ad quas eadem ratione ſpectat ſtatuere priùs leges & pœnas, quibus idem abuſus puniatur.

Quarta, & vltima difficultas, an parentes qui coactione iniuſta & graui ſufficiente ad mortale compellunt filium, vel filiam ad matrimonium, incurrant pœnam illam Anathematis, ſeu excommunicationem maiorem latam à Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 9.

14 Cui difficultati breuiter dico cum Sanchez *lib.* 4. *diſp.* 22. *n.* 9. Coninch *diſput.* 28. *dub.* 5. *n.* 48. Henriquez *cap.* 6. Hurt. *diſp* 6. *difficultate* 8. *n.* 30. Molina *tom.* 2. *de iuſtitia tract.* 2. *diſp.* 2~6. *n.* 30. & aliis, nec parentes, nec alios priuatos coactione iniuſta, & graui compellentes ad matrimonium ſuorum liberorum, aut aliorum incurrere eam excommunicationem. Patet, quia Tridentinum *vbi ſuprà*, tantùm loquitur de dominis temporalibus, & magiſtratibus habentibus iuriſdictionem in foro exteriori ſæculari, vt conſtat ex prioribus verbis, in quibus tantùm loquitur de prædictis, & ex particula *quare* immediatè antecedente ad decretum, in quo id præcipitur, quæ eſt cauſalis præcedentium, & ex poſterioribus verbis, nempe ne ſubditos ſuos cogant. Vnde illæ aliæ particulæ, *præcipit ſancta Synodus omnibus cuiuſcunque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant*, &c. tantùm appellant ſuprà antea dictos dominos, & magiſtratus. Firmo, quia Concilium expreſse ibi ſolùm eos qui habét iuriſdictionem ſæcularem in foro externo, ſingulariter punit, quia illorum factum continet ſingularem iniuſtitiam, cùm ipſi in re tanta iniuſtitiam inferant, quorum erat iuſtitiam tueri, ac iniuriam paſſis ius dicere; quæ ratio in parentes & alios priuatos non conuenit. Hinc perſpicuè conſtat neque in eo capite eſſe ſermonem de dominis temporalibus, & magiſtratibus, qui filiabus familias, aut filiis qui ſine parentum conſenſu, aut ipſis inuitis pœnas ſtatuunt exhæredationis, vt rectè notauit Molina. Idque Patres, ad dubia quæ circa Tridentinum occurrunt, expedienda deputati, expreſſerunt. Neque enim illo in loco vlla fit mentio de parentibus, qui ea de cauſa filias exhæredant, ſed eſt ſolùm ſermo de his Principibus, aut magiſtratibus, qui ſibi ſubditos cum iis matrimonia inuitos celebrare cogunt, quos ea ratione ditare volunt. Ex his

15 Colligo *primo* ad incurrendam illam excommunicationem requiri, vt cogentes ſubditos habeant iuriſdictionem in foro externo. Vnde hac de cauſa Parochus, tametſi cogat iniuſtè, non incurrit dictam excommunicationem, quia non habet iuriſdictionem in foro externo ſaltem ſæculari.

16 Colligo *ſecundò*, non rectè dixiſſe Sanchez *loco citato n.* 10. cum Henriquez, & aliis Epiſcopum, ſi iniuſtè cogat, incurrere illam excommunicationem, non enim, vt bene notat Hurtado, incurrit illam Epiſcopus, qui non eſt dominus temporalis, quia non habet iuriſdictionem in foro externo ſæculari, ſolùm enim prædicta cenſura afficiuntur domini temporales, & magiſtratus habentes iuriſdictionem in foro exteriori ſæculari, vt conſtat ex prioribus verbis, in quibus ſolùm de illis loquitur.

Sectio XVIII.

Vtrùm filij licitè poſſint matrimonium contrahere parentibus inuitis, ſeu reſiſtentibus, vel ſaltem teneantur contrahere matrimonium, quod pater promiſit, vel præcepit?

Circa primam ſectionis partem certum eſt *primò* post Tridentinum matrimonium à filiis contractum validum eſſe, nõ ſpectato parentum conſenſu, imò contra eum poſſe validè fieri. Conſtat id ex *ſeſſ.* 24. *cap. vnico, de Reformatione matrimonij cap.* 1. his verbis: Sancta Synodus anathemate damnat, qui falsè affirmant matrimonia à filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe. Vtrùm autem iure veteri Eccleſiaſtico matrimonia filiifamilias ſine parentum conſenſu fuerint irrita primis Eccleſiæ temporibus, quæſtio eſt ad præſentem ſtatum non pertinens, tractat illam latè Baſilius Ponce *lib.* 2. *de matrimonio cap.* 1. §. 1. 1

Secundò videtur certum ob parentum indigentiam, vel ob graues inimicitias componendas, vel ob aliam ſimilem cauſam iuſtam filium vxorem ducturum teneri obedire parentibus, indigentibus tali matrimonio ad eum finem. Patet, quia ex virtute pietatis tenentur filij ſubuenire parẽtum neceſſitati. ergo quando parentes indigent tali matrimonio, cùm filiis conſulere debeant, paternæ indigentiæ tenebuntur obedire. 2

Tertiò etiam conueniunt Doctores, exiſtente iuſta cauſa in filio nõ teneri filium inire matrimonium, quod appetit pater; vt ſi velit pater filium ducere vxorem ægram, imprudentem, infamem, vel durioris conditionis, cum qua credit pacem non habiturum. Patet, quia in eo, & ſimilibus caſibus non tenetur filius obedire parentibus. 3

Difficultas eſt prædictis ſecluſis caſibus, an filius lethaliter peccet inuitis parentibus matrimonium contrahens.

Non poſſe licitè filios parentibus inuitis matrimonium contrahere, ſentiunt Rebellus *q.* 14. *ſect.* 1. *n.* 8. Sotus, Nauarrus, & alij, quos refert Sanches *lib.* 4. *diſp.* 23. *n.* 9. 4

Primò, quia *cap. aliter.* 30. *q.* 5. ad ſignificandum quàm æquum ſit puellam ex parentum conſenſu nubere, ſtatuitur vt pro nupta non habeatur puella quam pater non deſponſat. Idem conſtat ex *cap. honorantur.* 32. *quæſt.* 2.

Secundò videtur contrarium eſſe contra pietatem & reuerentiam parentibus debitam, qui communiter grauiſſimè offenditur.

Tertiò parentum eſt procurare liberis nuptias; ergo hi tenentur illis hac in re obedire.

Vltimò, tenentur filij petere conſilium à parentibus; ergo & ſequi. Vt quid enim conſilium eſt petendum?

Dico *primò*, teneri filios conſulere, vel certiores facere ſuos parentes de matrimonio, quod contrahere volunt. Ita Sanchez *cit. n.* 10. Coninch *diſp.* 28. *dub.* 9. *n.* 52. Hurt. *diſp.* 6. *difficult.* 10. *n.* 36. & communiter Doctores omnes. Ratio eſt, quia parentes meritò 5

meritò ægrè ferunt ſi priùs non conſulantur. Cùm enim filij ſub eorum ſint poteſtate. Et conſonum iuri naturæ quo parentes in liberos funguntur, ne citra parentum conſilium aliquid de re tam graui, vt eſt matrimonij vinculum, à quo totum vitæ inſtitutum pendet, filij deliberent. Vnde eſt contra reuerentiam parentibus debitam, & grauis defectus illos non conſulere, niſi quando filij timent parentes iniuſtè impedituros matrimonium, aut quando adeſt alia rationabilis cauſa occultandi parentibus matrimonium.

6 Dico *ſecundò* filios licitè poſſe inuitis parentibus, priùs tamen conſultis, inire matrimonium quod volunt. Ita Doctores *relati*, quos refert, & ſequitur Sanchez. Ratio eſt, quia filij in matrimonio contrahendo, ſicut in diligenda religione, ſui iuris ſunt, & duriſſimum eſſet quoad ſtatum matrimonialem, ob eius perpetuitatem & onera pendere à voluntate alterius etiam patris; ergo filij liberè & licitè poſſunt non ſolùm non inire matrimonium quod parentes volunt, ſed etiam contrahere quod ſibi placuerit. Firmo, quia contrahendo contra voluntatem parentis, hoc, aut illud matrimonium nullam in eos irrogant impietatẽ & irreuerentiam, cùm vtantur iure ſuo. Vnde immeritò parentes ægrè ferunt ſi filij eorum conſilia non ſequantur, niſi ipſi ad hoc ob alias graues cauſas, vt dixi, obligentur. Igitur nullo modo peccant.

Ex quo patet ſolutio ad argumenta oppoſita.

7 Ad primũ dico ex illis capitibus ſolùm colligi eſſe debitum honeſtatis, ſeu decentiæ, filias præſertim in nubendo ſpectare, ac ſequi iudicium, ac conſilium parentum, cùm ipſis incumbat prouidere nuptias filiabus, non verò eſſe debitum pietatis, & reuerentiæ rigoroſæ ac ſtrictè obligantis. Quod facile conſtabit ſi attentè legantur, & ponderentur verba textuum prædictorum, ex quibus ſolùm infertur eſſe valde honeſtum ſequi parentum conſenſum, & eſſe præceptum conſilium petere.

8 Ad ſecundum reſpondeo, tametſi aliquando parentes quando matrimonium filiorum ſit contra eorum voluntatem, offendantur, & ægrè id ferant; cæterùm verè & reipſa non offenduntur tanquam offenſi ac iniuriati contra debitum pietatis ac reuerentiæ ſtrictè obligantis, ſed contra debitum honeſtatis, ſeu decentiæ, quia decens eſt filios, præſertim filias conformari voluntati ſuorum parentum. Quod ſi non faciant, nullam iniuriam irrogant, quia vtuntur iure ſuo; nulli enim iniuriam irrogat vtens iure ſibi conceſſo. Eſſet itaque grauis iniuria quando inconſulto patre filius, vel filia contraheret, ſecus quando ipſo conſulto, quamuis non conſentiente. Cùm enim homo per matrimonium perpetuæ ſeruituti obligetur, recta ratio poſtulat, vt in illo contrahendo omnino ſit liber, & à nullius pendeat voluntate.

9 Ad tertium, tametſi proprium ſit parentum procurare liberis nuptias (quamuis non magis, quàm alium ſtatum) tenentur ipſorum curam habere, non inde ſequitur teneri filios in hoc omnino obedire, ſed tantùm quoad conſilium petendum. Nam in ſimili tenetur pater prouidere filio ſtudere volenti, vel ſacerdotium, aut Religionem eligenti, & tamen filius non tenetur patri hæc volenti, vel præcipienti obedire, vel obtemperare propter ius naturale, quod habent filij circa proprij ſtatus liberam & abſolutam electionem.

10 Ad vltimum conceſſo antecedente, negatur conſequentia, non enim parum refert filios à parentibus conſilium petere in re adeò graui, quale eſt onus matrimonij. Nam poſſunt parentes aliqua aperire, & manifeſtare, ob quæ non ſit licitum filiis, hoc vel illud inire matrimonium; debitumque eſt pietati ac reuerentiæ parentum eis inconſultis, ſeu non certioribus factis, minimè contrahere aliquod matrimonium.

11 Circa ſecundam ſectionis partem, an filius teneatur ad contrahendum matrimonium quod pater promittit, aut præcipit, procedit difficultas ex ſuppoſitione, quòd filius non eligat meliorem ſtatum, quia ſi eligat, non tenetur, vt liquet, & ex ſuppoſitione quòd matrimonium à patre promiſſum, aut præceptum non ſit filio indignum, quia ſi ei ſit indignum, conſtat non poſſe à patre ad illud obligari.

12 Iuxta dicta à nobis in prima huius ſectionis parte cum Doctoribus allegatis, conſequenter dicendum eſt filium nõ teneri, nam etiam ex ſuppoſitione quòd filius eligat ſtatum matrimonialem, tametſi pater illi præcipiat matrimonium non ipſo indignum, eſt liber & ſui iuris, & independens ab illius voluntate ad cõtrahendum hoc, vel illud, quia adhuc ex ſuppoſitione quòd quis velit contrahere, eſt liber ac ſui iuris, ac durum eſt ac contra rationem fieri quaſi ſeruus pro ſola voluntate alterius adigi & obligari ad hanc, vel ad illam quaſi ſeruitutem perpetuam; ergo nequit filius pro ſola voluntate, vel præcepto parentum obligari ad hoc, aut ad illud matrimonium, tametſi velit matrimonium contrahere. Firmo, quia coniugium exigit indiſſolubilem vitæ ſocietatem mutuo amore cõglutinatam; ergo ab eius natura eſt valde alienum, aliquem aliena voluntate obligari ad hoc, aut ad illud; præſertim cùm ratò amemus ea in quæ aliorum imperio adigimur. Neque huic doctrinæ obſtat *cap. primum, de deſponſatione impuberum*, vbi ſermo eſt de deſponſatione contrahẽdi matrimonium facta à patre pro filio, & ibi ſic concluditur. Et poſtquam filius venerit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc adimpleri, non, inquam, obeſt, quia hæc vltima verba meritò exponuntur à Gloſſa, & communiter à Doctoribus de debito honeſtatis, non neceſſitatis, ſeu præcepti, vel obligationis, & patet ex doctrina tradita *ibidem* à Gloſſa, vbi ſic ait, tametſi filium nondum adultum poſſit pater, cui vult, ad matrimonium promittere; cæterùm filius poſtquam venerit ad legitimam ætatem, debet factum patris ratum habere, ſi ſibi placuerit, ſed non compellitur, non enim pater poteſt cogere filium adultum ad contrahendum, quia libera debet eſſe voluntas in matrimonio contrahẽdo.

De conſenſu autem per errorem, vel ignorantiam, ſeu per aſtutiam, & dolum extorto, & de conſenſu clandeſtino, conſtabit annullare contractum matrimonij, ex his quæ dicemus infrà agentes de impedimento erroris, *diſput.* 24. & de impedimento matrimonij clandeſtini *diſput.* 39.

DISPVTATIO XVIII.

De inſtitutore matrimonij, vt contractus eſt, & de eius fine.

EXPLICVIMVS hactenus vinculi matrimonij, ſeu coniugij cauſam efficientem immediatam & propriam, nempe conſenſum mutuum contrahentium, de quo multa diſcuſſa sũt ſcitu digna quatuor diſputationibus præcedentibus, à diſputatione decimaquarta, vſque ad decimamſeptimam incluſiuè. Modò oportet exponamus eiuſdem matrimonij cauſam efficientem remotam & mediatam, hoc eſt, ipſum inſtitutorem matrimonij contractus, & finem prædictæ inſtitutionis.

Vbi

Vbi etiam dicemus de fine, qui intendi debet in ipſomet matrimonij contractu ab ipſis contrahentibus, vt validus ſit contractus, & omnis vitetur culpa.

Sectio I.

A quo fuerit inſtitutum matrimonium in ratione contractus.

NOmen inſtitutionis contractus matrimonij ſumo non latè pro prima executiooe, vel celebratiooe contractus matrimonij, de quo *ſect. 3.* ſed strictè pro ordinatione, ſeu lege, quà ordinetur contra-

1 ctuim matrimonij fieri. De qua ſic ſumpta ſentiunt nonnulli graues Doctores, inter quos Petrus de Ledeſma *de matrimonio quæſt. 41. art. 1. dub 1. & 2.* Gabriel Vaſquez *diſp. 1. de matr. c. 1.* Baſilius Ponce *lib. 1. de matr. c. 3. n. 4. & 5.* Gaſpar Hutrado *diſp. 4. diffic. 1. n. 2.* & alij, inſtitutionem contractus matrimonij non fuiſſe factam à Deo, neque ab hominibus nouà aliquâ ordinatione ſuperaddita creationi naturæ humanæ, ſed ſolo naturæ iure, ex natura ipſa humana, eius creatione ſuppoſita. Probant

Primò, quia ſuppoſita hominum creatione, eſt in ipſis facultas ad celebrandum contractum matrimonij, ſeu ad permutanda corpora ad prolis generationem independenter à noua aliqua ordinatione Dei, & hominum, ſuperaddita creationi ipſorum, non minus, quàm ad permutandas quaslibet alias res. Naturalis enim iuris eſt, & ab ipſo naturæ dictamine ortum habet, etiam ſeclusa quacumque diſpoſitione poſitiuâ extrinſecâ, ſiue humanâ, ſiue diuinâ, poſſe coniûgi conſenſu mutuo marem & fœminam ad perpetuam vitæ ſocietatem, ad eamque coniunctionem ineundam in ordine ad prolis generationem facultatem habere. Firmatur, quia inſtitutio matrimonij nihil aliud eſt, quàm ipſa ratio & eſſentia contractus matrimonij ſecundùm ſe, ad quem ineundum, ius, ſeu facultas vnicuique cnnuenit; ſicut inſtitutio contractus emptionis, venditionis, aut alterius, eſt ipſa ſubſtantia & natura contractus ſecundùm ſe, ad quam quiſque facultatem, & ius habet, vt eam opere exequatur. Cùm igitur abſque vlla libera cnnſtitutione etiam Dei vnicuique ſuaptè natura conueniat ius, ſeu facultas matrimonium incundi, ſequitur planè, ioſtitutinnem matrimonij in ratione contractus, natura ipſa abſque illa libera Dei voluntate conſtare.

Secundò id colligitur ex *cap. ius naturale, diſtinct. 1.* deſumpto ex Iſidoro, in quo poſt iuris naturalis definitionem, nempe quòd inſtinctu naturæ conſtitutione aliqna habetur, in exemplum adducitur viri, & fœminæ coniunctio, in matrimonio ſcilicet.

Tertiò, quæuis res naturaliter inclinatur ad ſui conſeruationem: ergo creaturæ corruptibiles, quæ non poſſunt ſe perpetuò conſeruare in iodiuiduo, omnes inclinantur ad conſeruationem ſuæ ſpeciei per geoerationem: ergo in homine eſt quoque inclinatio neceſſaria, honeſta, & naturæ rationali conueniens ad ſpeciei decentem conſeruationem: ergo & inclinatio ad matrimonium tanquam ad medium neceſſarium, & conuenientiſſimum abſque vlla diuina inſtitutione. Valdè enim diminuta fuiſſet natura, ſi non conceſſiſſet media neceſſaria ad comparandum finem in quem ipſa inclinat.

Quartò, omnes hnmines habent dominium vſus ſuorum corporum ad actum generationis, non minus quàm ad alias operationes laborioſas; vnde meretrices pro hoc vſu quem alteri cnncedunt, poſſunt accipere pretium ex iuſtitia, quod eſt ſignum dominij: nullus enim poteſt propriè recipere pretium, niſi pro eo quod erat ſuum, quatenus videlicet dedit aliquid pretio æſtimabile pro iuſto pretio. Poſſunt igitur homines à natura inuicem contrahere, obligando & tradendo huiuſmodi vſum, ſicut poſſunt reſpectu aliarum operationum.

Vltimò, matrimonium licitum eſt, & honeſtum iure, & lege naturali, vt eſt certum. At lex naturalis non eſt à Deo, vt à Legiſlatore, quia non pendet ex voluntate Dei, & ita ex vi illius non ſe gerit Deus vt ſuperior præcipiens, aut prohibens; adeò vt ſi Deus per impoſſibile non eſſet, vel non vteretur ratione, vel non rectè de rebus iudicaret, ſi in homine eſſet dictamen rationis rectæ dictantis bonum eſſe nubere, illud habiturum eandem rationem legis, quam nunc habet, quia eſſet lex oſtenſiua bonitatis, quæ in obiecto ab extrinſeco exiſtit.

Addunt prædicti Doctores Deum dici poſſe contractum matrimonij inſtituiſſe, quia eſt auctor naturæ humanæ, cui ex ſe conuenit facultas ad contrahendum matrimonium, ſeclusâ quacumque Dei alia ſuperaddita ordinatione.

Oppoſitam ſententiam iudico veriorem, Deum 2
fuiſſe inſtitutorem, auctorem, ac legiſlatorem matrimonij in ratione contractus per veram ac propriam ordinationem ac legem, vt tenent communiter Doctores Theologi cum Scoto *in 4. diſt. 26. lit. D. & lit. E.* & eam tenent Doctores omnes, qui ſentiunt indiſſolubilitatem matrimonij eſſe ex inſtitutione diuina. Et multi alij Doctores, qui ſentiunt repudium fuiſſe licitum Hebræis Deo diſpenſante, quos refert & ſequitur Sanchez *tom. 3. de matr. lib. 10. diſp. 1.* Denique Deũ inſtituiſſe matrimonium, diſertè tradidit Bonifacius VIII. *de voto & voti redemptione, in ſexto, cap. 1.* ſic inter cætera ſcribens. Nos attendentes quòd voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inuenta; matrimonij verò vinculum ab ipſo Eccleſiæ capite rerum omnium conditore ipſum in paradiſo, & in ſtatu innocentiæ conſtituente vnionem & indiſſolubilitatem acceperit, &c. Sanctus item Auguſtinus *lib. 14. de ciuit. cap. 22.* Nos autem, ait, nullo modo dubitamus, ſecundùm benedictionem Dei creſcere, & multiplicari, & implere terram, donum eſſe nuptiarum, quas Deus ante peccatum hominis ab initio conſtituit, creando maſculum, & fœminam. Ac prædictum caput ſic concludit. Nam & Apoſtolus per hoc primum quod Deo inſtituente præceſſit exemplum, ſingulos quoque admonet, vt viri vxores ſuas diligant.

Vt autem prædictæ ſententiæ verum ſenſum ape- 3
riam, & explicem præcipuam rationem, ob quam Deus matrimonij primus auctor habendus ſit, & inſtitutor, quatuor præmittenda ſunt à me latè in tractatu de legibus tradita.

Primum eſt, legem naturalem non ſolùm eſſe indicatiuam boni & mali, ſed etiam continere diuinam boni præceptionem, & prohibitionem mali. Quod patet, tum quia lex naturalis eſt propriè lex à ſuperiore præſcripta, vt ſtatim dicam. At iudicium mentis quod iodicat bonitatem, vel malitiam obiecti, nequit habere rationem legis, nec prohibitionis, ſed eſt mera notitia eius, quod iam eſſe ſupponitur tale, vel tale. Aliàs enim haberet Deus legem ſibi naturalem reſpectu ſuæ voluntatis, quia etiam in Deo voluntatem antecedit ſecundùm rationẽ & iudicium mentis, indicans mentiri eſſe malum, ſeruare promiſſum eſſe omnino rectum: ideò verò in Deo non eſt vera lex naturalis, quia Deus non habet ſuperiorem, & lex naturalis imponi debet ab aliquo ſuperiore. Tum maximè,

quia

quia omnia quæ lex naturalis dictat eſſe mala, v. g. prohibentur à Deo ſpeciali præcepto & voluntate qua vult nos teneri, & obligari in vi actoritatis eius ad ea ſeruanda: ergo lex naturalis eſt proprie lex præceptiua, vel prohibitiua. Antecedens patet, quia Deus habet perfectam prouidentiam hominum: ergo ad illum vt ad ſupremum gubernatorem naturæ ſpectat vetare mala, & præcipere bona: ergo quamuis ratio naturalis indicet, quid ſit bonum, vel malum naturæ rationali; nihilominus Deus vt auctor, & gubernator talis naturæ præcipit id facere, vel vetare, quod ratio dicat eſſe faciendum, vel vetandum. Vnde in Deo eſt voluntas, per quam vult ſubditos obligare vt id faciant, vel non faciant, atque adeò eſt voluntas obligans; nam hoc modo prouidet ſubditis in hoc genere, quantum ad rectam & prudentem prouidentiam ſpectat.

4 *Secundum* eſt, Dei prohibitionem, vel præceptionem non eſſe totam rationem bonitatis, vel malitiæ, quæ eſt in tranſgreſſione, vel obſeruantia legis naturæ, ſed ſuppnnere neceſſariam quandam honeſtatem, vel turpitudinem in obiecto, & adiungi illi ſpecialem legis diuinæ obligationem. Id affine eſt communi Theologorum axiomati, quædam mala eſſe prohibita, quia mala: ſi enim probibentur quia mala, nequeunt primam rationem malitiæ accipere à prohibitione, quia effectus non eſt ratio à priori ſuæ cauſæ. Fundatur quoque in illo metaphyſico principio, quòd naturæ rerum quoad eſſe eſſentiæ ſunt immutabiles, & conſequenter etiam quoad conuenientiam, vel diſconuenientiam proprietatum naturalium. Quòd verò tali malitiæ, vel bonitati, quam ex ſe habet materia, adiungatur ſpecialis præceptio, vel prohibitio, patet, tum quia lex naturalis prohibet ea, quæ ſecundùm ſe mala ſunt: ſed lex eſt vera lex diuina, veraque prohibitio: ergo neceſſe eſt vt addat aliquam obligatinnem vitandi illud malum, quod de ſe & natura ſua tale eſt. Tum etiam, quia nihil repugnat, vt rei de ſe honeſtæ addatur obligatio vitandi illam. Imò exiſtente vnâ obligatione poteſt addi alia maximè alterius rationis, vt conſtat de voto, de lege humana, & ſimilibus: ergo etiam poteſt lex naturalis, vt eſt vera lex diuina, addere obligationem propriam moralem, ortam ex præcepto vltra naturalem, vt dicam, malitiam, vel honeſtatem, quam ex ſe habet materia, in quam cadit tale præceptum.

5 *Tertium* eſt, legem naturalem eſſe veram ac propriam legem, & Deum eſſe legiſlatorem illius, & conſequenter eſſe legem diuinam. Id conſtat ex præcedenti; & amplius declaro, nam lex naturalis in Deo conſiderata, ſupponit ſecundùm rationem iudicium ipſius Dei de conuenientia, vel diſconuenientia obiecti; additque voluntatem obligandi homines ad id ſeruandum, quod recta ratio dictat; nam ex vi ſolius iudicij nõ inducitur propria prohibitio, vel obligatio præcepti, quia hoc ſine voluntate intelligi nõ poteſt, ideo adiungitur volũtas prohibendi illud, quia malum eſt. Vnde lex naturalis in nobis conſiderata non tantùm eſt indicans bonum, vel malum, ſed etiam eſt obligans ad illud amandum, vel cauendum, atque adeò non ſolùm repræſentat naturalem conuenientiam, vel diſconuenientiam talis obiecti cum natura rationali; ſed etiam eſt ſignum diuinæ voluntatis præcipientis, vel vetantis illud.

6 *Quartum* denique ac vltimum quod ſuppono eſt, Dei præceptionem, vel prohibitionem intrinſecè, & per ſe pertinere ad legem naturæ, adeò vt impoſſibile ſit Deum non prohibere id quod eſt intrinſecè malum, & inordinatum in natura rationali, & non præcipere contrarium. Patet, quia lex naturalis eſt illa, quæ eſt conformis naturis rerum, ſeu naturæ rationali hominum; at iuxta eorum naturas rationales neceſſariò eſt conforme, vt Deus gubernans illos ſecundùm prouidentiam perfectam & conſentaneam ſuæ bonitati & ſapientiæ, non poſſit non velle prohibere illis actus intrinſecè malos, ac difformes naturis ipſorum, & præcipere honeſtos neceſſariò illis conformes. Vnde iuxta modum conſentaneum ſuæ bonitati, & iuſtitiæ, ac prouidentiæ, non poſſunt non diſplicere Deo actus difformes naturæ rationali vt ſic, & non poſſunt non complacere illi actus honeſti neceſſarij.

Dices, voluntas diuina libera eſt in omnibus actionibus ad extra: ergo etiam erit libera in voluntate præcipiendi quod honeſtum eſt, & prohibendi quod de ſe malum eſt: ergo potuiſſet illam non habere, atque adeò nec imponere tale præceptum. Sed contrà eſt, quia diuina voluntas, licèt ſimpliciter libera ſit ad extra, tamen ex ſuppoſitione vnius actus liberi poteſt neceſſitari ad alium. Sic enim Deus ſi vult promittere abſolutè, neceſſitatur ad implendum promiſſum; & ſi vult loqui, aut reuelare, neceſſariò debet reuelare verum. Ita pariter cum eadem proportione ſi vult creare mundum, & illum conſeruare in ordine ad finem ſuum, non poteſt non habere prouidentiam illius, & ſuppoſità prouidendi voluntate non poteſt non habere prouidentiam perfectam, & conſentaneum ſuæ bonitati & ſapientiæ. Atque adeò ſuppoſita voluntate creandi naturam rationalem cum ſufficienti cognitione ad operandum bonum & malum, & cum ſufficienti concurſu ex parte Dei ad vtrumque, non potuit Deus non velle prohibere tali creaturæ actus intrinſecè malos, vel nolle præcipere honeſtos neceſſarios. Quia ſicut non poteſt Deus mentiri, ita non poteſt inſipienter, vel iniuſtè gubernare: eſſet autem prouidentia valdè aliena à diuina ſapientia, & bonitate non prohibere, vel præcipere ſuis ſubditis, quæ talia ſunt. Quare tametſi abſolutè potuiſſet Deus nihil præcipere, vel prohibere, tamen ex ſuppoſitione, quòd voluit habere ſubditos ratione vtentes, non potuit non eſſe legiſlator eorum, ſaltem in his, quæ ad honeſtatem naturalem morum neceſſaria ſunt.

His præmiſſis facile erit prædictam præſentem 7
controuerſiam ſequentibus dictis explicare.

Dico ergo *primò*, certum eſſe, in natura humana eſſe naturalem inclinationem & neceſſariam conuenientiam ad matrimonium contrahendum. Ita omnes. Et ratio eſt euidens, quia naturæ humanæ ſumma inclinatio eſt, ac intentio ſe ipſam conſeruare ac perficere. Vnde ſicut eſt in ipſa inclinatio naturalis ad cibum capiendum, ſine quo nequit vita conſeruari, ita cùm ex ſe ſit corruptibilis, eſt ſimilis inclinatio ac intentio ad generationem, per quam natura humana multiplicatur, & eius ſpecies conſeruatur. Vnde recta ratio naturalis exigit neceſſariò propagationem generis humani per generationem. Id autem abſque matrimonio non poteſt licitè propagari, atque ideo contractus matrimonij eſt medium aptum & ordinatum, ac ſimpliciter neceſſarium ad multiplicationem generis humani modo rationi conſono.

Hinc tamen inferendum non eſt, virginitatem, & 8
cælibatum eſſe contra inclinationem naturæ; quia illa alia inclinatio ad matrimonium non eſt ita naturalis homini per modum naturæ, ſicut eſt lapidi deſcenſus in centrum, ſed tanquam id in quod inclinat ad conſeruandam naturam ſpecificam; exequendum tamen per liberum arbitrium, ſi ratio id poſtulet. Quare ſi maius occurrat bonum, illud amplecti poteſt,

vnde ineſt etiam homini prout rationalis eſt, inclinatio naturalis ad virginitatem, & cœlibatum, prout eſt actus virtutis præſtantiſſimæ.

9 Dico *ſecundo*, contractum matrimonij ſecundùm ſe eſſe de iure naturæ, præciſâ quauis Dei inſtitutione, & ordinatione; atque adeò poſſent homines ſeclusâ omni lege ac inſtitutione diuinà validè & licitè contractum matrimonij ſecundùm ſe inire ac perficere. Prob..tur, quia natura humana ex ſuo iure præcisè, ſeu naturali inclinatione intendit efficaciter generationem honeſtam, & rectam educationem prolis ad ſuæ ſpeciei conſeruationem: ergo habet etiam medium accommodatum ex ſe ad eum finem, ſed non eſt aliud rationi conſonum, niſi matrimonium; ergo. Firmo, quia habens dominium bonorum ſuorum, poteſt ea commutare, vel abſolutè donare, etiamſi nulla eſſet inſtitutio Dei poſitiua, ſed quiuis habet ius in ſuum corpus; ergo poteſt licitè ipſum tradere per matrimonium de ſolo iure naturæ, ſi nullum aliud eſſet ius poſitiuum diuinum. Non enim habet minus dominium in illud, quàm in alias ſuas operationes, pro quarum vſu poteſt pretium accipere iure naturæ. Dixi *contractum matrimonij ſecundùm ſe*, ſeu in ratione contractus præcisè; nam ſi ille conſideretur eâ ratione, qua à Deo fuit de facto inſtitutus, neceſſariò habens ſuam adiunctam inſolubilitatem ex diuina inſtitutione, non potuit licitè & validè contrahi niſi ſub ratione vinculi indiſſolubilis.

10 Dico *tertiò*, prædicti matrimonij contractus Deum eſſe legiſlatorem, ac inſtitutorem, ſuppoſitâ hominum creatione ac recta gubernatione. Moueor ad id aſſerendum efficaciter. *Primo*, quia, vt conſtat ex præmiſſis ſuprà adductis, omnis lex naturalis eſt vera lex diuina habens neceſſariò Deum legiſlatorem, & anctorem: ſed matrimonij contractus eſt de lege naturali; nam ius naturale complectitur matrimonium, per ſe & ab intrinſeco habens honeſtatem, etiam ſeclusa omni lege poſitiua extrinſeca, & eſt bonum naturæ rationali neceſſariò conforme, & conſentaneum ad licitam & honeſtam generis humani propagationem, & ſuæ ſpeciei conſeruationem; ergo habet Deum legiſlatorem, & auctorem. *Secundo*, contractus matrimonij eâ ratione qua fit, & quomodo ad eius valorem neceſſariò fieri debet, non eſt de ſolo iure naturæ, ſed multò magis de iure diuino poſitiuo: ergo habet Deum anctorem illius. Antecedens probatur, quia hic contractus prout nunc fit, & fieri debet, neceſſariò ſuam iniunctam inſolubilitatem habet; ita enim habet communis ſenſus Eccleſiæ expreſſus *in c. vnico, de voto in 6* hanc verò appoſuit Deus vt ſupremus legiſlator tanquam formam & ſolemnitatem eſſentialem ipſius, ſine qua modò non vult vt validus ſit, & eam inſolubilitatem non habet inſpecto præcisè ſolo iure naturæ. Vt enim multi DD. affirmant, de quo *tempore ſequenti*, nulla eſt ratio efficax ob quam ex mero iure naturæ nequeat mutuo conſenſu diſſolui iſte contractus, ſicut & alij contractus, vt ſponſalia; præſertim, ſi contractus matrimonij ſolùm ſit ratus; tunc enim nulli fit iniuria; & res per eaſdem cauſas dicitur diſſolui, per quas dicitur naſci. *Tertiò*, Deus naturam humanam, quam condidit, gubernans ſecundùm prouidentiam perfectam, & conſentaneam ſuæ bonitati, nõ potuit non prouidere de illius propagatione, & conſeruatione; ergo non potuit noo prouidere de medio ſimpliciter neceſſario ad illius licitam, & honeſtam conſeruationem: ſed hoc non eſt aliud niſi matrimonium ordinatum ad licitam & honeſtam prolis generationem: ergo hoc fuit à Deo neceſſariò præſcriptum, ſuppoſita voluntate creandi & conſeruandi naturam humanam; aliter enim inſipienter gubernaſſet, & defeciſſet in modo prouidendi conformi ſuæ diuinæ ſapientiæ, & bonitati, quod dici non poteſt. Igitur dicendum eſt Deum eſſe legiſlatorem, inſtitutorem & auctorem matrimonij. Vnde

Colligo *primò*, contra Doctores primæ ſententiæ, 11
Deum dici contractum matrimonij inſtituiſſe, non ſolùm in eo ſenſu, quia eſt auctor humanæ naturæ, cui ex ſe conuenit inclinatio ad contrahendum matrimonium, & quia primos parentes interiùs excitauit, & fortè etiam exteriùs ſuaſit ad primam celebrationem matrimonij, & quia ipſum matrimonium iam factum approbauit, ſed maximè quia fuit legiſlator, & auctor matrimonij, modo explicato præcedenti dicto cum vinculo iodiſſolubili.

Colligo *ſecundò*, contractum matrimonij non ſolùm eſſe de iure naturæ, ſed etiam de iure diuino poſitiuo. Patet ex dictis.

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum libenter concedo in natura humana 12
eſſe inſitam & innatam inclinationem, & facultatem contrahendi matrimonij ad licitam prolis generationem, & ſuæ ſpeciei conſeruationem; non ſecus ac eſt in ſingulis hominibus inclinatio & facultas ad cibum capiendum, quo vita conſeruetur. Id tamen non tollit quominus matrimonium fuerit à Deo præſcriptum & ordinatum, ſicut ab eodem Deo præſcribitur temperata cibi ſumptio ad vitam conſeruandam; quia, vt dictum eſt, nihil repugnat, quòd rei de ſe honeſtæ addatur alia obligatio moralis orta ex præcepto ſupremi Domini ac legiſlatoris, vltra naturalẽ honeſtatem, quam ex ſe habet materia, in quam cadit tale præceptum. Ex quo patet ſolutio ad cõfirmationem. Addo inſolubilitatem matrimonij non eſſe ex mero 13
iure naturæ, ſed ex Dei ordioatiooe, ac præceptione; vnde fuit peculiaris cauſa & ratio inſtituendi à Deo matrimonium cum illa ſolemnitate inſolubilitatis, quæ eſt neceſſaria matrimonio, prout ordinatur in bonum prolis: nam vt ſic petit neceſſariò, & includit eſſe vinculum indiſſolubile maris & fœminæ, cuius cùm ſit cauſa diuina inſtitutio, erit etiam & ipſius contractus prout conducens eſt ad generationem. In quo valde differt ab aliis contractibus, qui non petunt eam indiſſolubilitatem, quam petit matrimonium; quia matrimonium prout ordinatur in bonum prolis, maximum pateretur detrimentum, ſi poſſet ſola coniugum voluntate diſſolui.

Ad ſecundum, admitto vt verum, ius naturale 14
ex ipſis rerum naturis oriri, videlicet ex natura rationali, & naturali rectitudine operum; atque adeò eius rectitudinem quaſi naturalem & inſitam, ſuppoſitâ exiſtentiâ naturæ humanæ, non pendere ex aliqua Dei ordinatione, vel hominis, ſed ex ipſa rerum natura. Quod ille textus docet egregiè. Nam ſicut naturæ conditio eſt immutabilis, ita quoque lex, vel ius naturale immutabile eſt, manentibus iiſdem rerum circumſtantiis, vt bonum faciendum, malum vitandum, Deum colendum, & cætera quæ cootinentur in Decalogo, vel euidenter ex eo deducuntur. Id tamen noo impedit quominus poſſit Dei cultus, & quænis alia res contenta in Decalogo, vel ex eo euidenter deducta, & matrimonium ipſum poſſit cadere ſub Dei præceptum, vt conſtat ex dictis: multò minus impedire poteſt vt Deus inſtituerit matrimonij indiſſolubilitatem tanquam valde conuenientem ad honeſtam ac naturæ rationali conformem prolis educationem, & decentem matrimonij contractum.

Ad tertium dico, manifeſtè probare noſtrum pri- 15
mum dictum, nec aliquid inde inferri contra tertium dictum; cùm potiùs manifeſtè colligatur pertinuiſſe

ad

ad diuinam prouidentiam, vt Deus ipſe, cùm ſit auctor naturæ, prouideret de huiuſmodi matrimonij medio ad prolis generationem: ſicut ſecundùm inclinationem hominis eſt vindicare iniuriam ſibi illatam, cùm ad id babeat ius, & nihilominus non eſt ſecundùm ius naturæ, vt quiſque propria auctoritate poſſit illam vindicare, qnoniam id aduerſatur communi paci & ſocietati bominum, ad quam natura bumana habet naturalem inclinationem, cùm ſuâ naturâ ſit animal ſociabile. Vnde Deus, qui eſt auctor naturæ, prouidit, vt iure Gentium inſtituerentur reſpublicæ, peoes quas eſſet poteſtas ad vindicandas particularium iniurias, & ad reddendum vnicuique ſnum ius; repugnat enim rectæ rationi, vt in quolibet ſit poteſtas vindicandi iniuriam, & dicendi ſibi ius; quia hoc modo neque potentiores poſſent puniri, neque minus potentibus redderetur proprium ius.

Ad quartum dico, tametſi demus bominem habere dominium vſus corporis, non ideo poſſe ad illud ſe obligare niſi vinculo indiſſolubili ob bonum prolis, & ideò nec talem contractum inire, niſi ex Dei inſtitntione qui fecit matrimooium indiſſolubile.

16 Ad vltimum, nego legem naturalem non eſſe à Deo vt Legiſlatore; nam, vt conſtat ex præmiſſis ſuprà allatis, etiam lex naturalis pendet à Deo, vt ſuperiore præcipiente, vel prohibeote. Dato verò illo impoſſibili, quòd Deus non vteretur ratione, vel non rectè de rebus iudicaret, & quòd homo rectè iudicaret ſibi bonum eſſe nubere, & ſic matrimonium contraheret, certè illud non eſſet eiuſdem rationis ac modò eſt, quia non eſſet vinculum indiſſolubile ac modò eſt; hanc enim formam, & ſolemnitatem indiſſolnbilitatis habet matrimonij contractus ex inſtitutione, & ordinatione Dei, vt oſtenſum eſt.

Sectio II.

Quibus verbis inſtituerit Deus matrimonium.

1 Circa hanc rem varij ſunt Doctores. Nam Sanchez *lib. 2 diſp. 4.* cum multis quos ipſe refert, ſentit matrimonium fuiſſe inſtitutum ac præceptum à Deo illis verbis Geneſeos *cap. 1. Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Probat, tum quia Deus prædictis verbis videtur facultatem feciſſe Adamo & Euæ ad mutuum vſum corporum ſuorum pro generatione prolis, in quo matrimonium conſiſlit. Tum etiam, quia opus non erat inſtitutione diſtincta à præcepto, ſed ipſo præcepto inſtitui potuit: ſicut ſacramentum Euchariſtiæ à Cbriſto Domino eſt inſtitutum, præcipiendo illud illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem.*

2 Alij verò, vt Coninch *diſp. 25. dub. 1. n. 5.* cum Magiſtro *in 4. diſt. 26. initio*, ſentiunt Deum inſtituiſſe matrimonium, dum immiſſo in Adamum ſopore Euã ex eius latere formauit. Quæ videtur eſſe ſeotentia D. Auguſtini *lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 22.* vbi loquens de nuptiis, ait: *Quas Deus ante peccatum hominis ab initio conſtituit, creando maſculum & fœminam.* Vbi apertè dicit Deum nuptias inſtituiſſe creando, ſiue in vtriuſque creatione. Probari poteſt, quia tunc Adamo matrimonij naturam & finem reuelauit. Vnde expergefactus videns Euam, ſtatim dixit: *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*; videlicet per copulam coniugalem. Firmatur, quia *Matth. cap. 19.* videtur dictis verbis inſtitutio matrimonij tribui. Sic enim ibi dixit Chriſtus Dominus Phariſæis. *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos? & dixit, Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Vbi expreſsè videtur facto illi tribui inſtitutio matrimonij.

Denique alij docent matrimonium inſtitutum fuiſſe illis verbis, quæ poſt creationem Euæ protulit Adamus Geneſ. 2. *Hoc nũc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Probant, quia Chriſtus *cap. 19. Matthæi*, volens cõprobare matrimonij perpetuitatẽ, refert prędicta Adami verba, & ea dicit fuiſſe verba Dei. Nam licèt dicta fuerint ab Adamo, ſed ſine dubio diuino Spiritu illa ei verba dictante; vnde Adam nomine Dei, ſeu potiùs Deus per os Adami illa pronuntiauit: ergo ſatis indicatur Deum eiſdem verbis ipſum matrimonij contractum inſtituiſſe. 3

Magis inclino in primam ſententiam Sanchez, quã veriorem iudico, & eam firmo, quia *Gen. 1. cap.* poſtquã ſic docuit Moyſes: *Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & fœminam creauit eos*; ſubdit ſtatim: *Benedixitque illis Deus*, & ait: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris*, &c. Quæ verba vim obligandi ex ſua forma continent: ergo tanquam lex & præceptum accipienda ſunt: ergo tali præcepto inſtitutum fuit matrimonium. Et quamuis prædicta verba, per recapitulationem fuerint primò poſita à Moyſe *primo cap. Geneſeos*, nihilominus tamen à Deo pronuntiata fuere, & dicta per anticipationem primis parentibus ſtatim poſt eorum creationem, vt conſtat ex verbis allatis, benedictionem impertiens illis, & præceptum de matrimonio imponens. Neque obſtat quòd talia verba videantur ſignificare vſum tantùm: nam præcipiendo vſum legitimum, præcipiunt matrimonium, ſine quo talis vſus nequit eſſe legitimus & licitus. Et hanc ſententiam tenet Sotus *in 4. diſt. 26. q. 1. art. 1. & 2.* vbi expreſsè docet matrimonium primum à Deo fuiſſe inſtitutum quando Deus *Geneſis 1. cap.* benedixit Adamo & Euæ, dicens: *Creſcite & multiplicamini*; quia tunc iis explicuit finem, ob quem matrimonium inſtitutum eſt, & dedit præceptum contrahendi. 4

Obiicit Baſilius, prædictis verbis non fuiſſe impoſitum præceptum matrimonij primis parentibus: nam iterum Deus dixiſſe fertur *Gen. 9.* Noë & filiis eius eadem illa verba: *Benedixitque Deus Noë, & filiis eius. Et dixit ad eos: Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* At iſta verba ſupponunt iam matrimonium: nam conſtat ex *Geneſis 7. cap.* vxoratos Noë, & filios eius in arcam ingreſſos eſſe, & ex *c. ſequenti octauo*, eoſdem cum vxoribus egreſſos: ergo illis eiſdem verbis quæ dicta fuere primis parentibus, nullum præceptũ nubendi continetur, ſed vel benedictio conceditur proli generandæ, vel matrimoniũ illorum approbatur. Cæterùm reſpondeo diſparem eſſe rationẽ: nam illa verba dicta fuere primis parentibus ſtatim poſt eorũ creationem, vt dixi, atque adeò ante celebrationẽ nuptiarum. Vnde tũc illis verbis fecit copiam primis parentibus vt iungerentur, & mutuam, ac indiſſolubilẽ corporum traditionem conceſſit, in quo matrimoniũ conſiſtit. Poſtmodum verò Adamus matrimoniũ contraxit verbo, vel alio ſigno externo nobis ignoto, & matrimonium iam ab ipſo contractum cum Eua declarauit, ac promulgauit, cùm dixit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* At cùm eadem verba protulit Deus Noë, & filiis eius, protulit illis, cùm iam erant vxorati, vt conſtat ex locis citatis *Gen. c. 7. & 8.* atque adeò ſupponebant iam matrimonium contractum. Vnde in illis verbis non poterat con- 5

tineri ſpeciale præceptum nubendi, ſed ſolùm vſum illius firmauit, obligans ſingulos illos homines ob neceſſitatem tūc occurrentem, cùm pauci homines etāt, atque ad id benedictionem illis impertiuit. Hinc conſtat ſolutio ad argumentum ſecundæ ſententiæ, quo & eius confirmatione ſolùm probatur, matrimonium fuiſſe promulgatum, & magis declaratum ab Adamo illis verbis ibi in argumento poſitis.

Similiter dico ad tertiam ſententiam, illis verbis, *hoc nunc os ex oſſibus meis*, declaratas fuiſſe conditiones & bona matrimonij, vt conſtabit ex dicendis ſectione ſequenti *num.* 6.

SECTIO III.

Quibus verbis prima executio, ſeu celebratio matrimonij fuerit facta à primis parentibus.

1 SVppono *primò*, vt certum apud Doctores, primam executionem, ſeu celebrationem matrimonij factam à primis parentibus fuiſſe factam à primis parentibus liberè conſentientibus, & non à Deo independenter ab eorum cōſenſu. Vt docui ſuprà *diſp.* 14. *ſect.* 6. *n.* 9 In hunc enim finem creauit Deus eos, maſculum & fœminam, & hanc adduxit ad Adamum, eiſque declarauit ſuum intentum, & matrimonij naturam, & vtriſque dedit facultatem generandi, eoſque excitauit ad matrimonium ineundum eius leges approbando, & declarando.

2 Suppono *ſecundò*, matrimonium fuiſſe contractum à primis parentibus ante peccatum in ſtatu innocentiæ, in paradiſo. Ita docuit D. Auguſtinus *lib* 14. *de ciuitate Dei cap.* 12. Idque expreſſit Bonifacius VIII. *in cap vnico, de voto & voti redemptione, in* 6 his verbis. Matrimonij verò vinculum ab ipſo Eccleſiæ capite rerum omnium conditore, ipſum (intellige Adamum) in paradiſo, & in ſtatu innocentiæ conſtituente, vnionem & indiſſolubilitatem acceperit. Quibus verbis & auctorem, & locum celebrationis matrimonij explicuit.

3 Vnde ſuppono *tertiò*, non fuiſſe duas inſtitutiones, vel celebrationes primi matrimonij; vnam ante peccatum ad propagandum genus humanum, & alteram poſt ad remedium concupiſcentiæ, vt indicauit Magiſter *in* 4. *diſt.* 26. & Hugo de Sancto Victore *lib.* 2. *de Sacramentis p.* 11. *c.* 3. ſed vnam & eandem fuiſſe celebrationem, ante peccatum in officium naturæ, & poſt peccatum in remedium concupiſcentiæ. Ratio eſt, quia primi parentes ſemel tantùm contraxerunt; neque enim poſt peccatum iterum coniuges eſſe voluerunt, ſed in matrimonio antea contracto permanere ſtatuerunt. Quòd verò matrimonium ante peccatum non deſeruiret in remedium concupiſcentiæ, quia tunc nullus erat inordinatus motus carnis, ſed tantùm in officium naturæ ad generandam prolem, poſtea verò ad vtrūque; ſatis non eſt, vt dicamus duas illius fuiſſe celebrationes, cùm vna & eadem pro diuerſis ſtatibus diuerſo modo deſeruire poſſit. Vnde matrimonium idem inſtitutum fuit in ſtatu innocentiæ, & in officium naturæ, & in remedium concupiſcentiæ; nam idem matrimonium quod contraxerunt primi parentes in ſtatu innocentiæ, permanſit poſtea poſt peccatum, & illo ſunt vſi & in officium naturæ, & in remedium concupiſcentiæ, atque adeò ad vtrūque finem fuit inſtitutum. Quemadmodum enim herbæ medicatrices vbi primum productæ ſunt, fuerunt inſtitutæ non ſolùm ad alios fines naturæ integræ, ſed etiam ad curādos morbos ex futuro peccato profecturos; ita de matrimonio dici debet ab initio inſtitutum fuiſſe, & in officium naturæ, & in remedium concupiſcentiæ poſt Adæ peccatum. Quare vt certum ſupponendum eſt matrimonium in paradiſo inſtitutum fuiſſe.

His poſitis, reſtat difficultas inter DD. Scholaſticos, quibus verbis in paradiſo inſtitutio, & celebratio matrimonij facta fuerit. Nam de inſtitutione, ſeu præcepto, quibus verbis impoſitum fuit à Deo, dictum eſt ſectione præcedenti.

Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 4. Vaſquez *diſp.* 1. *cap.* 2. *n.* 15. & 4
alij communiter docent, matrimonium contraxiſſe Adamum cùm dixit, *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, &c. Nam illis verbis conſenſum maritalem rectè Adam explicuit, cui Euam aliis ſimilibus reſpondiſſe, & ſuum expreſſiſſe conſenſum, credibile valde eſt. Firmari poteſt. Tum quia Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de matr.* ait in verbis illis diuino inſtinctu pronuntiaſſe primū parentem nexum perpetuum & indiſſolubilem matrimonij: ergo ſi tunc primò pronuntiauit, ſequitur etiam tunc primò conſenſiſſe eius obligationi. Tum etiā, quia nulla ſunt alia verba, aut ſigna externa, quibus ſuum Adamus expreſſit matrimonium: ergo cùm neceſſaria fuerit, ad eum cōtractum humanū externa expreſſio, erit ſine dubio prædicta; maximè cum per eam ſatis declaretur cōiunctio corporum, & vna caro.

Breuiter dico *primò*, non fuiſſe celebratum matri- 5
monium à primis parentibus ipſa creatione Euæ. Ita Vaſquez *diſp.* 1. *cap.* 2. Baſilius *lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 8. & communiter Doctores. Patet, quia tametſi Deus ſolâ ſua omnipotentiâ ſine conſenſu viri & mulieris poſſet eos matrimonij vinculo copulare; tamen, vt dixi, de facto ſic eos noluit coniungere ſine ipſorū libero cōſenſu; coniūxiſſet autē illo alio modo, ſi ipſa ſolâ creatione Euæ eos copulaſſet; nam creatio Euæ nō eſt facta conſenſu Adami, ſed potius immiſſo ſopore in ipſum, ſicut dicitur *Gen. c.* 2. quod quidem non ſecundùm metaphoram, ſed verè & propriè de ſomno intelligēdum eſt, vt communiter omnes exponūt. Adamus enim verè dormiebat, licèt ſimul in ecſtaſim raptus fuerit, & cognouerit ſignificari tunc ſuum matrimonium carnale, tum etiam & myſticum Chriſti cum Eccleſia. Præterea claret, creationem Euæ nec factam fuiſſe conſenſu ipſius Euæ. Igitur dicendum eſt ipſâ creatione Euæ minimè cōtractū fuiſſe matrimonium.

Dico *ſecundò*, per verba illa, *hoc nūc os ex oſſibus meis*, 6
primos parentes non contraxiſſe matrimonium, ſed Adamum declaraſſe conditiones & bona matrimonij iam contracti promulgaſſe. Ita ſentit Henriquez *lib.* 11, *de matr. cap.* 1. *num.* 3. & alij, quos ipſe refert. *Prima pars* probatur, quia in illis verbis nullum eſt quod ſignificet conſenſus traditionis mutuæ corporum, quod eſt eſſentialiter requiſitum ad contractus matrimonij executionem, qui nequit ſtare ſine conſenſu vtriuſque cōiugis verbo, vel alio ſigno externo manifeſtato, *Secunda pars* certa eſt. Nam Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de matr. ad initium*, ſic ait. Matrimonij perpetuum, indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens diuini Spiritus inſtinctu pronuntiauit, cùm dixit, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrē, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Quibus verbis Adamus licèt conſenſus maritales non expreſſerit; explicuit tamen Deo inſpirante matrimonij indiſſolubilitatem, & finem; ac eius tria præcipua bona expreſſit; bonū videlicet indiſſolubilitatis, illis verbis: *quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem*: bonum fidei, illis aliis, *& adhærebit vxori ſuæ*: denique prolis bonū, cùm addidit, *& erunt duo in carne vna*: videlicet per copulā coniugalem, vt declarat caput *debitum* 5. *de bigamis*.

Dico

7 Dico *tertiò*, non cõſtare quibus ſingulariter verbis, vel ſignis expreſſerint primi parentes ſuos conſenſus maritales, & matrimonium contraxerint, ſed ſolùm in genere aliquibus verbis, vel ſignis illud cõtraxiſſe. Ita ſequitur ex præcedentibus dictis. Nec mirum alicui videatur, non extare in Scriptura ſacra verba in particulari, quibus ſignificetur Adamum cõtraxiſſe matrimoniũ; nam etiam eſt conſtans apud Doctores, nullũ in ea eſſe verbũ quo Eua contraxerit. Igitur ſicut Eua alio ſigno externo, aut verbo nobis ignoto contraxit, ita dicendum eſt de Adamo. Ex quo manifeſtè infertur, verbo, vel alio ſigno externo, licèt nobis non conſtet quale illud fuerit, primos parentes matrimonium contraxiſſe, quia contractus matrimonij ſtare non poteſt ſine conſenſu vtriuſque coniugis, verbo, vel alio ſigno externo manifeſto. Argumenta contrariæ ſententiæ ex dictis manent ſoluta.

Sectio IV.

An ſit præceptum naturale, & diuinum, matrimonium contrahendi.

NOſter Coninch *diſp. 25. dub. 1. n. 6.* exiſtimat, nullum eſſe, nec fuiſſe præceptum, nec ius naturæ ad matrimonium obligans.

1 *Primò*, quia per ſe loquendo, ex natura rei, ſpectato fine ad quem natura rationalis creata eſt, non minus ipſa, imò multò magis inclinat ad ſeruandam virginitatem, quàm ad propagandum genus humanũ; nam finis præcipuus creationis hominis eſt, vt ſe totum diuino ſeruitio tradat, ad quod vita cælebs ex natura ſua eſt multò aptior, vt eſt manifeſtum, & docet Paulus 1. *Cor.* 7. ergo ſicut hoc non obſtante nullus tenetur iure naturæ ſeruare virginitatem, tametſi ipſa ad id inclinet, ita neque eodem iure tenebitur matrimonium inire.

Secundò, vt aliquid ſit de iure naturæ, id eſt, vt lex aliqua naturalis aliquid præcipiat, neceſſe eſt, vt ratio naturalis per ſe ſpectata dictet id eſſe neceſſarium ad morum honeſtatem, ſed hoc pacto nequit dictare eſſe neceſſarium matrimonium, nequit enim id dictare ratio naturalis, cùm ſit matrimonium contra conſilium, & perfectionem euangelicam Chriſti, quæ omnibus abſolutè ſuadet caſtitatem, & vitam cælibem. Et Paulus 1. *Cor.* 7. vult omnes homines eſſe ſibi ſimiles, ſiue cælibes: ergo.

Tertiò, Ius naturæ ſemper eſt immutabile, ac idem erga omnes: ergo cùm nequeat obligare omnes homines, vt eſt certum, etiam quando eſt neceſſitas propagandi genus humanum, neque etiam aliquos; quia nulla eſt ratio cur hos magis cogat, quàm illos, niſi id determinet diuinum ius, ſeu præceptum, vel humana auctoritas.

Quartò, ſi in Adamo fuiſſet & in nobis eſt obligatio naturalis propagandi genus humanum vrgente neceſſitate talis propagationis, maximè quia natura ſingulos ad hoc inclinat, & ideò dedit omnibus poteſtatem generandi: atqui non tenemur omnia facere, ad quæ natura inclinat; aliàs enim omnes deberent inire matrimonium, quia natura ſingulos ad hoc inclinat; & Deus ad hoc dedit ſingulis potentiam generandi non vt per alios, ſed per ſe generent, & ad ſuam naturam, non autem ad aliorum in ſpecie conſeruandam; ergo.

Vltimò, ſi nemo iam vellet generare, quos tandem communitas ad hoc cogeret? Non omnes, quia nulla eſt ratio ad id dicendũ; neque etiam aliquos, quia nulla eſt ratio, cur hos magis cogat, quàm illos; ergo.

2 Dico *primò*, præceptum eſſe naturale nubendi. Ita communiter Doctores, D. Thomas, Bonauentura, Richardus, Paludanus, Durandus, Ledeſma, Sotus, Henriquez, & alij, quos referunt, & ſequuntur Sanchez *lib. 2. diſp. 3.* & Rebellus *lib. 2. q. 2.* & Vaſquez *diſp. 1. cap. 3.* Ratio efficax deducta ex principiis naturæ hæc eſt; quia ſicut eſt neceſſarius cibus ad honeſtam indiuidui conſeruationem, ita & legitima generatio ad honeſtam ſpeciei conſeruationem: ergo ſicut eſt præceptum naturale ſumendi cibum in homine ad ſeipſum conſeruandum; ita eſt præceptum in eodem homine conſeruandi ſpeciem legitimâ generatione, quæ non niſi in matrimonio reperitur. Firmo; nam ipſa natura conſtituit diuerſum ſexum, ad hoc vt propagaretur genus humanum, nequit autem hoc propagari vago concubitu, ſed legitimo orto ex matrimonij contractu: corruptibilitas quoque ipſa naturæ humanæ ſuadet propagatione opus eſſe, ne in duobus hominibus creatum à Deo genus humanum extinguatur; ideoque eſt illis conceſſa propagandi potentia, quæ Angelis negata eſt, vtpotè naturæ incorruptibilis. Hinc autem euidens eſt non minus requiri legitimâ generationẽ prolis ad honeſtam generationem ſpeciei, quàm cibum ad honeſtam indiuidui conſeruationem: ergo ſicut propter iſtam datur in homine præceptum obligans ad cibum ſumendum ex lege naturæ, ita & propter illam ad matrimonium contrahendum. Vnde hoc præceptum de matrimonio contrahendo non minus eſt per ſe notum, ſeu ex per ſe notis deductum, ac eſt præceptum de cibo ſumendo.

Dico *ſecundò*, prædictum præceptum naturale obligare vrgente neceſſitate ſingulis, non copulatiuè, hunc, & iſtum, & illum, & omnes alios, ſed tantùm diuiſiuè, hunc, vel illum. Probatur dictum, quia cùm quis extremè indiget, vel reſpublica periclitatur, ſinguli tenentur iure naturæ illi neceſſitati occurrere: ergo quando vrget neceſſitas conſeruandi ſpeciem humanam per matrimonium, tenentur ſinguli contrahere, non omnes copulatiuè, ſed tantùm diuiſiuè, quia cùm per matrimonium paucorum poſſit ſubueniri illi neceſſitati, non eſt neceſſe vt omnes contrahant. Firmatur, nam in caſu quo prudenter timerentur ſeditiones & bella contra bonum commune inter aliqua regna, niſi aliquis ex filiis Regis vxorem duceret, teneretur ille cælibem vitam non agere, ſed illud matrimonium contrahere, vt concedunt omnes, & eſt certum, quia bonum commune Reipublicæ præferendum eſt particulari bono virginitatis, vel cœlibatus: ergo ſimiliter ſi vrgeret neceſſitas propagandi genus humanum, tenerentur ſinguli diuiſim iure naturæ contrahere; quia tunc ſtrictiùs obligaret bonum commune, & publicum, nempe ſpeciei humanæ conſeruatio: ergo id præferendum eſſet bono priuato caſtitatis, vel cœlibatus. Verum eſt in initio mundi, & tempore diluuij omnes prædicto præcepto fuiſſe obligatos copulatiuè, quia tunc maxima vrgebat neceſſitas propagationis ſpeciei humanæ. Poſtea verò cùm iam cœperunt homines multiplicari, & multi eſſent, qui vltrò matrimonio vterentur, genus humanum ſatis ſuperque propagarunt, ceſſauit in ſingulis ea obligatio. Hinc 3

Dico *tertiò*, præceptum iſtud naturale nec reuocatũ eſſe, nec vnquam ceſſaſſe, ſed nunc extare ſicut antea; ceſſaſſe tamen eius obligationem modò tot iam multiplicatis hominibus. *Prima pars* dicti eſt communior inter Doctores, vt bene notauit Vaſquez *citatus*. Ratio à priori eſt, quia hoc eſt præceptum naturale: ergo de eo philoſophandum eſt ac de aliis præceptis naturalibus. At præcepta naturalia non extinguuntur, nec dicuntur reuocari, aut ceſſare, ceſſante causâ, aut circumſtantiâ aliâ neceſſariâ, vt conſtat in præcepto naturali dandi eleemoſynam. 4

Explico ſimul ac firmo: nam aliud eſt non eſſe præceptum, aliud autem eſt in hac, aut illa occaſione non obligare. Præceptum enim correptionis fraternæ naturale quidem eſt; tamen quia non obligat abſolutè in omni euentu, ſed cum quibuſdam circumſtantiis requiſitis, & hæ non ſemper concurrunt, ideò non ſemper obligat: id quod proprium eſt præceptorũ affirmatiuorum: ob id tamen non dicimus, aut præceptũ correptionis ceſſare, aut reuocatum fuiſſe; nam iudicium illud rationis in vniuerſum ſemper manet, vt exiſtente eâ circumſtantiâ præceptum obliget; ceſſatio autem præcepti, ſeu reuocatio propriè dicitur permanente etiam circumſtantia ſub qua aliàs obligaret, vt conſtat in reuocatione legum humanarum; quæ tamen reuocatio nequit reperiri legum naturaliũ, quæ irreuocabiles ſunt Ita ergo in præſenti dictum eſt; nam circumſtantia ſub qua obligat præceptum naturale vtendi matrimonio, eſt neceſſitas propagandi genus humanum, qualis fuit in prima hominum creatione, & tempore diluuij, & nunc non eſt.

5 Dico *quartò*, prædictum naturale præceptum obligaret etiam Religioſos, ſi in mundo omnes homines præter illos interirent. Caſus iſte videtur fictus, neque vnquam futurus; eo tamen poſito firmat noſtrum dictum Sanchez *cit* & Sotus *in 4.d.26.q 1.a.2.* Oppoſitum ſentit Vaſquez *cit.* etiam in eo caſu non obligare, quia in eo euentu Religioſi rectè credere poſſẽt inſtare iam finem mundi. Probatur tamen illud, quia præceptum nubendi in ea neceſſitate ſtrictiùs obligaret, quàm votum etiam ſolemne, pertinet enim ad bonum commune & publicum, videlicet ad conſeruationem ſpeciei humanæ: ergo ſeruandum eſſet, voto prætermiſſo: nam occurrentibus duobus præceptis incompoſſibilibus, illud quod ſtrictiùs obligat, ſeruãdũ eſt. Neque verò ſine ſpeciali reuelatione poſſet tunc conſtare finem mundi adeſſe. Cumque tunc certum eſſet humanam ſpeciem omnino periclitari, incertum autem an adeſſet finis mundi, tenerentur homines nubere: quia obligatio certa non tollitur per remiſſionem, vel liberationem incertam; ſicut nec debitum certum per ſolutionem incertam.

6 Dico *vltimò*, eſſe quoque præceptum diuinum poſitiuum matrimonij, quod obligauit primos parentẽs, & tempore diluuij; nunc verò non obligat. Ita cõmuniter Doctores. *Prima pars*, nempe eſſe tale præceptũ, conſtat ex verbis illis Gen. 8. *Creſcite & multiplicamini*, vt vidimus *sect. 1.* Nec valet obijcere, quia ſicut id Deus dixit hominibus, dixit etiam aliis animalibus, quibus tale præceptum impoſitum non eſt: quia licèt etiam aliis animalibus verba illa dicta fuerint; attamẽ diuerſimodè intelligenda, iuxta diuerſitatem eorum, quibus dicuntur. *Secunda pars*, nempe tale præceptũ obligaſſe primos parẽtes: patet, quia Deus volebat abſolutè per eos genus humanum propagari, idque per matrimoniũ; ergo illis id præcepit, & obligauit; quia hic erat modus conuenientiſſimus ſuam voluntatem exequendi; aliàs enim fuiſſet primis parentibus planè liberum diuinam inſtitutionem circa propagationem hominum fruſtrari, quod videtur abſurdũ. *Tertia pars*, quòd nimirum tale præceptum obligauerit ſub mortali Noë, & filios eius poſt diluuium ante genus humanum ſufficienter propagatum, conſtat ob eandem rationem; & liquet etiã ex verbis illis, quæ Dominus dixit Noë, & filiis eius, Gen. 8. *Creſcite, & multiplicamini, ac replete terram.* Quibus verbis tametſi non impoſuerit illis nouum præceptum diſtinctũ ab illo priori impoſito primis parentibus, neque etiam illud renouauerit, quaſi illud antea reuocatu fuiſſet, aut ceſſaſſet; explicuit tamen tunc eſſe tempus obligationis eius; in quo quidem obligaret, etiamſi Dominus non explicuiſſet. Quare olim ante ſufficientem humani generis propagationem in omni ſtatu obligauit hoc præceptũ ſub mortali. Ex quo patet vltima pars, nunc iã ceſſare obligationem contrahendi matrimonium, quia nulla eſt iam neceſſitas modò propagandi genus humanũ. Vnde D. Auguſtinus *lib. 9. de Geneſi ad literam cap. 7.* egregiè dixit: ideò hoc tempore virginitatem apud Deum magnum meritum habet, quia iam ex omnibus gentibus ad implendum Sanctorum numerum largiſſima hominum copia ſuppetat.

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum, conceſſo antecedente, negatur conſequentia, ſi vrgeat neceſſitas propagandi genus humanum. Quare negandũ eſt, ſpectato fine hominis multò magis inclinari ad ſeruandam virginitatem, quàm ad propagandum genus humanum, ſi vrgeat neceſſitas talis propagationis, cùm id ſit bonum commune, ad quod magis inclinat natura, quàm ad ſuũ bonum, & commodum particulare. Quare notandum eſt, nũc non pugnare conſilium de virginitate, & votum continentiæ cum præcepto nubendi: quia ceſſauit hoc tẽpore talis præcepti obligatio, Vnde quãdo ceſſat prædicti præcepti obligatio, virginitas & cælibatus eſt in conſilio. Quando autem vigebat obligatio, non fuit in conſilio; tenebantur enim eiuſmodi præcepto etiam in ſtatu innocentiæ. 7

Ad ſecundum, negatur minor: nam ratio naturalis dictat maius bonum eſſe attendere vniuerſali bono, quàm propriæ, ac particulari perfectioni. Paulus verò rectè modò ſuadet caſtimoniã, & cælibatũ, & hunc præfert coniugio, & vult vt homines ſint cælibes; quia de facto modò nulla eſt neceſſitas propagandi genus humanum; neque morale ſit vt omnes ſpontè matrimonio abſtineãt, cùm ferè innumerabiles ſint nuptiarum amatores; & ideò eos ad caſtitatem nunc inuitat, ſeclusâ neceſſitate conſeruationis ſpeciei humanæ, quia caſtitatis virtus præſtantior eſt matrimonio, & excellentior, ac maior naturæ rationalis perfectio. 9

Ad tertium conceditur antecedens, & negatur cõſequentia: quando enim vrget neceſſitas propagandi genus humanum, obligat præceptum nubendi ſingulos non copulatiuè, ſed diuiſiuè, quando videlicet per matrimonium nonnullorũ poteſt ſufficiẽter ſubueniri huic neceſſitati. In eo verò caſu ſpectaret ad Principem, vel ad Rempublicã hos compellere, & nõ illos, vel ſorte extrahendo aliquos, vel decimatione, vel alio modo, prout expedire iudicauerit abſque vlla perſonarum contra iuſtitiam acceptione. Sicut quando neceſſe eſt aliquos tantùm ſubire capitis periculum propter defenſionem Reipublicæ, tenentur ſinguli diuiſim illud ſubire, non verò copulatiuè; & ad Principem, vel ad Rempublicam ſpectat eos deſignare qui neceſſarij fuerint, qui etiam iure naturæ tenebuntur ea in re Principi, vel Reipublicæ obedire.

Ad quartum, negandum eſt ideò præceptum naturale nubendi obligare, quia inclinat natura ad talem actum, ſed quia cum ipſa natura rationali eſt neceſſariò connexus vſus matrimonij, quando id efflagitat bonum commune ſpeciei humanæ propagationis, vt ſatis declaratum eſt.

Ad vltimum, iam conſtat ſolutio ex reſponſione adhibita tertio argumento.

Sectio V.

An matrimonium ſit homini naturale, & bonum, ac licitum.

Circa primum ratio dubitandi eſt, 1

Primò, quia ſi matrimoniũ eſſet homini naturale, illud

illud non contrahere, vel vouere caſtitatem, vel virginitatem, eſſet contra hominis naturam; ſicut quia eſt naturale homini conſeruare vitam, eſt contra eius naturam vitam abbreuiare, atque adeò & illicitum.

Secundò, ſi eſſet naturale homini matrimoniũ, fuiſſet contractum in ſtatu innocentiæ: at nec Adamus in eo ſtatu ante peccatum cognouit Euam, neque cum eo ſtatu videtur matrimonium componi poſſe, quia matrimonium eſſe nequit ſine aliqua corruptione, & omnis corruptio pugnat cum ſtatu innocentiæ.

2 Certum tamen eſt apud omnes, hominem quâ animal rationale eſt, naturaliter inclinari ad matrimoniũ, tanquam ad medium conuenientiſſimum ad ſpeciei humanæ propagationem. Probo id, quia quælibet res naturaliter inclinatur ad ſui conſeruationem: ergo cùm res corruptibiles nequeant ſe perpetuò conſeruare in indiuiduo, omnes inclinantur ad conſeruationem ſpeciei ſuæ per generationem, & ad rem genitam perducendam ad ſtatum ſuæ naturæ conuenientem: ergo hoc ipſo quòd natura humana inclinat ad ſpeciei decẽtem conſeruationem, inclinat etiã ad matrimoniũ tanquam ad medium neceſſarium: ad honeſtam enim & naturæ rationali conuenientem educationẽ, & patris & matris opera neceſſarium eſt, vt vterque perpetuâ ſocietate inter ſe cõiungantur, quod per matrimonium fit: ex vago namque concubitu magnum detrimentum pateretur ſubolis nutritio & educatio. Firmatur, nam inclinatio ad cibum eſt homini naturalis, quia cibus eſt neceſſarius ad vitę conſeruationẽ: ergo & inclinatio ad generationem, & matrimonium, quia per hanc conſeruatur ſpecies; & ideò natura vtrique actioni addidit delectationem, quæ ſolet eſſe condimentum operationum, vt docuit Ariſtoteles 10. *Eth. cap.* 4.

3 Hinc colligo, in ſtatu innocentiæ non omnes permanſuros virgines, ſed futurum tũc matrimonium, & illius vſum. claret id, quia quæ naturalia ſunt, non fuerunt homini collata, nec ablata per peccatum; ſed naturale eſt generi humano vt ſe per connubia mutiplicet: ergo fuiſſet matrimonium etiam ſi non fuiſſet peccatum. Verum eſt in ſtatu innocentiæ non futurã inordinationem vſus rationis, ardorem effrenatum, inobedientiam membrorum, & alios defectus, qui modò in matrimonio experiuntur coniugati, & reperiẽtur etiam in ſtatu puræ naturæ. Vnde hac de cauſa dicitur homo per peccatum iumentis comparatus, quia in pœnam peccati iſtam diſſolutionem ſentit. In ſtatu verò puræ naturæ non eſſet pœna peccati, ſed tanquam defectus naturæ.

4 Ad primum argumentum oppoſitum dico, non ſemper eſſe cõtra aliquam inclinationem naturæ, agere contra illam, vt comparetur maius aliquod bonum naturæ ipſi conueniens. Sic enim ſecundùm hominis inclinationem eſt abſtinere aliquando à cibo propter bonum virtutis & mortificationis, quod eſt maius bonum: pariter etiam erit, non nubere, vel caſtitatem vouere, ob præſtantiam & excellentiam huius virtutis.

5 Ad ſecundum, conſtat in ſtatu innocentiæ fuiſſe matrimonium contractum; quòd ſi Adamus in eo ſtatu ante peccatum non cognouit Euam, ideo fuit, quia ſtatim vt Eua fuit creata, peccauere, & perdidere innocentiam. Verum eſt omnem corruptionem pugnare cũ ſtatu innocentiæ. At matrimonium nullam corruptionem includit, nec illius membri diruptionem, ſed ſolùm virginei clauſtri apertionem, per quam tunc etiam virginitas amitteretur; hæc enim neceſſariò includit clauſtrum non apertum ex vi actus venerei.

6 Circa ſecundum, antiqui hæretici, vt videre eſt apud Vaſquez *diſput. 1. cap. 3* damnarunt nuptias, & *Perez de Matrimonio*.

catum vſum licitũ eſſe negarũt. Quod vrgeri poteſt,

Primò, quia res bona & honeſta poteſt eſſe materia voti, ſed votum de matrimonio ineundo eſt nullum in omni euentu, ergo.

Secundò, vſus matrimonij aduerſatur feruori charitatis, vt orationi, iuxta Paulum 1. *Cor.* 7. priuat etiam vſu rationis; ob quam cauſam ebrietas cenſetur eſſe peccatum, & præterea habet turpitudinem; ergo nequit eſſe honeſtus.

Tertiò, vſus matrimonij indiget excuſatione, nec conceditur à Paulo 1. *Cor.* 7 niſi ſecundùm indulgentiam: at quòd indiget excuſatione, & indulgentia, non eſt bonum. Vnde Paulus id ſolùm permittere videtur.

Vltimò, vſus matrimonij aduerſatur virginitati, quæ eſt præſtantiſſima virtus: ergo nihil habet boni & honeſti.

Certum tamen eſt, & de fide, matrimonium & 7
eius vſum licitum eſſe. Conſtat ex Paulo 1. *Cor.* 7. 24. *Si acceperis vxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccauit.* Et ibidem *n.* 38. *Igitur & qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit, & qui non iungit, melius facit.* Et 1. *ad Timoth.* 4. *&* 5. *& ad Hebræos* 13. laudat Apoſtolus matrimonium. Scriptura quoque plena eſt exemplis virorum, qui Deo in matrimonio mirum in modum placuerunt. Præterea Deus ab initio inſtituit matrimonium, & ipſum approbauit, & benedixit in ſtatu innocentiæ ante peccatum, vt videtur in præcedentibus ſectionibus. Christus etiam Dominus ſuâ præſentia cum Matre, & Diſcipulis cohoneſtauit nuptias *Ioan. cap.* 2. & ipſe inſtituit in Sacramentum nouæ legis contractum ipſum matrimonij; ergo nequit hoc eſſe illicitum & malum. Denique ratio eſt euidens, quia quoties res aliqua per ſe eſt ordinata, accommodata, & neceſſaria ad aliquem finem honeſtum & per ſe bonum, talis res eſt licita & bona, nam bonitas, vel malitia actus, vel medij ex bonitate, vel malitia finis penſanda eſt. At præcipuus & intrinſecus matrimonij finis eſt procreatio, & educatio prolis modo conuenienti perfectioni hominis, vt homo eſt, dando ſcilicet eſſe, nutrimentum, & diſciplinam, vt per ſe notum eſt, qui finis eſt per ſe, & ab intrinſecu bonus, & neceſſariò conformis rectæ rationi; ergo & matrimonij vſus ex ſe bonus erit; tametſi per accidens ex coniugum malitia poſſit prauo fine vitiari. Vtrùm autem actus coniugij meritorius eſſe poſſit augmenti gratiæ & gloriæ, conſtat ex dictis meritorium eſſe poſſe: nam cùm ex ſe ſit actus honeſtus, ſi cætera habeat ad meritum requiſita, quæ in materia de merito docuimus, non ſecus quàm aliis honeſtus, vitæ æternæ meritorius eſſe poteſt.

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum, conſtat, vt aliquid ſit materia voti, 8
non ſufficere quòd res ſit bona, ſed requiri, vt non ſit maioris boni impeditiua, atque adeò cùm matrimonium ex ſe ſit impeditiuum caſtitatis, votum de illo nullum eſt, per ſe loquendo.

Ad ſecundum dico, quod opponitur directè & 9
per ſe feruori charitatis eſſe malum, & peccatum ſaltẽ veniale; quod verò opponitur indirectè, & quaſi negatiuè, non eſſe ex ſe malum & peccatũ. At matrimonij vſus non opponitur directè & per ſe feruori charitatis, cùm neceſſarius ſit ad procreationem prolis; ſicut ſumptio cibi & potus, quæ neceſſaria eſt ad conſeruationem vitæ, honeſta eſt & licita, tametſi ſuâ delectatione impediat negatiuè actum feruoris. Priuat etiam vſus matrimonij, ſi ita contingat, vſu rationis, cum cauſa, nempe procreandi prolem; & ideò non eſt malus; ſicut ſomnus non eſt malus, licèt priuet vſu rationis, quia id eſt medium per ſe neceſſarium

rium ad conſeruandam ſanitatem. At ebrietas, quia non eſt per ſe neceſſaria ad bonum aliquem finem, & ſine cauſa priuat vſu rationis, ideò eſt ex ſe mala. quòd ſi aliquando iudicio medicorum eſſet per ſe neceſſaria ad ſanitatem tuendam, non eſſet tunc illicita, quia cum cauſa iuſta id faceret. Denique turpitudo illa vſus matrimonij ſolùm eſt pœna peccati, & defectus naturæ, atque adeò non eſt mala moraliter.

10 Ad tertium, iam conſtat Paulum laudaſſe & approbaſſe matrimonium; ideò verò dixiſſe permitti ſecundùm indulgentiam, tum quia impedit ſtatum virginitatis, & cælibatus, qui perfectior eſt: tum maximè, quia vſus matrimonij frequenter exercetur cum peccato veniali ex malitia coniugum, non verò ex eo quòd ex genere ſuo malus ſit. Ad illud de excuſatione, dico, vſum matrimonij indigere excuſatione, & compenſatione, non quia malus ſit, ſed quia adfert aliqua detrimenta, vt amiſſionem virginitatis, & cælibatus, quæ prudens non eligeret, niſi compenſaretur aliquibus bonis. Addo, id quod excuſatur non ex parte actus, ſed ex parte operantis malum eſſe, vt cùm dicimus, actum mendacij, v.g. ex ſuo genere malum eſſe, excuſari tamen ob ignorantiam, vel inaduertentiam naturalem operantis; quod verò excuſatur ex parte actus, non eſſe malum, atque hoc modo ſe habet matrimonium, & eius vſus.

Ad vltimum, verum eſt vſum matrimonij aduerſari virginitati, & cælibatui, ſed non quia malum, ſed quia minus bonum, incompoſſibile cum illa: homo verò non ſemper tenetur ad id quod perfectius eſt,

Sectio VI

Quem finem contrahentes matrimonium debeant intendere, vt hoc validè faciant.

1 NOs hîc non agimus de matrimonio vt ſacramentum eſt, cuius finis vt ſic, non eſt generatio prolis, ſed ſanctificatio ſuſcipientium, quam nolle procul dubio eſt peccatum; ſed prout eſt contractus quidam cauſans vinculum coniugij, & vt ſic inquiritur, qualis finis deſideretur vt validum ſit matrimonium, an neceſſarium ſit tria matrimonij bona intendere, ita vt non ſit matrimonium ſi contrahentes explicite ea excludant, vt ſi intendant contrahere non in perpetuum, ſed ad tempus, quod eſt excludere bonum ſacramenti, ſeu eius indiſſolubilitatem; vel intendant non generare, nec educare prolem, ſed procurare ſterilitatis venena, quod eſt contra bonum prolis; vel denique intendant negare ſibi inuicem corpus, aliiſque illud concedere, quod bono fidei aduerſatur.

Eſt verò notandum, dupliciter poſſe eſſe ſermonem de prædicta intentione, *primò*, quando ea deducitur in pactum, & conditionem obligantem. *Secundò*, quando talis intentio adhibetur, cæterùm ea non deducitur in pactum, ſed ſolùm eſt mente retenta.

2 Circa primum, facilè me expedio iuxta communiorem doctrinam latè ſuprà exagitatam *diſputat.* 16. Iuxta quam

Dico *primò*, certum eſſe contrahentes matrimonium debere intendere ſaltem implicitè tranſlationē dominij corporum ad vſum coniugalem, & ſe obligare ad illum obligatione radicali, ita vt ſi oppoſitum deducatur in pactum, ſit irritum, & nullum ex natura rei. Hoc latè oſtendi prædictâ *diſput.* 16. *ſect.* 5. Et ratio eſt, quia nihil poteſt ſubſiſtere ſine ſubſtantia & eſſentia rei: at ſubſtantia & eſſentia matrimonij contractus conſiſtit in conſenſu tranſlationis mutui dominij corporum; ergo intentio huic contraria deducta in pactum deſtruit ſubſtantiam matrimonij & illum annullat.

Dico *ſecundò*, ſi contrahentes matrimonium intendant ſe obligare contra tria prædicta matrimonij bona, contractum eſſe nullum ex ipſa rei natura. Id latè oſtendi prædictâ *diſp.* 16. *ſect.* 6. Ratio eſt, quia obligatio ſeruandi tria prædicta matrimonij bona, quamuis non ſit formaliter de eſſentia contractus matrimonij, eſt tamen proprietas illius inſeparabilis, non ſecus atque ipſa obligatio radicalis reddendi debitū, vt claret, & oſtendi ſuprà *diſp.* 13. *ſect.* 9 ergo conſenſus & intentio requiſita ad valorem matrimonij tendens explicite in illius eſſentiam, virtute & implicitè ſaltem tendere debet in obligationem prædictorum bonorum; ergo nequit cum eo conſenſu ac intentione conſiſtere, & componi conſenſus & expreſſa intentio deducta in pactum, directè contraria & repugans prædictis tribus matrimonij bonis: ſunt enim hæc duo omnino oppoſita, ac incompoſſibilia, atque ideò nequit contrahens intendere & ſe obligare ad oppoſita ſimul. Hinc 3

Dico *tertiò*, intentionem in contrahentibus contra bonum prolis, cum pacto & obligatione euitandi prolem poſitiuè efficere contractum matrimonij nullum. Id latè oſtendi ſuprà *dicta diſput.* 16. *ſect.* 7. Ratio eſt, quia quamuis proles non ſit de eſſentia matrimonij, eſt tamen quantum ad obligationem radicalem, in ordine ad illam, quia eſt paſſio conſequens neceſſariò eſſentiam matrimonij. At obligatio ad aliquid contra illam agendum non poteſt ſtare cum hac obligatione, quæ ex matrimonij natura naſcitur, & ideò rectè dicitur vitiare, ac annullare matrimonij contractum. 4

Dico *quartò*; intentionem contrahendi matrimonium cum pacto & obligatione illud diſſoluendi cōtra bonum ſacramenti, omnino illud irritum ac nullum reddere. Hoc etiam eſt certum, vt docui prædicta *diſp.* 16 *ſect.* 8. Ratio eſt, quia talis intentio eſt contra ſubſtantiam matrimonij quæ perpetuitatem includit. 5

Dico *vltimò*, intentionem contrahendi matrimonium cum pacto & obligatione non ſeruandi fidem coniugalem, ſeu alterum cognoſcendi, vel adulterandi, ſimiliter reddere nullum matrimonij contractum, Ita cum omnium doctrina ſuprà *diſp.* 16 *ſect.* 8. *dicto tertio* demonſtro. Quia ex vero matrimonij contractu ſequitur neceſſariò ac inſeparabiliter tanquam paſſio, ſeu proprietas, obligatio ſeruandi fidem coniugalem, ſeu alterum non cognoſcendi, vel non adulterandi: ergo conſenſus & intentio requiſita ad valorem matrimonij tendit ſaltem implicitè in prædictam fidelitatis obligationem; ergo nequit eiuſmodi intentio ſtare ſimul cum voluntate ac intentione obligationis ad oppoſitum prædictæ obligationis; eſſet enim manifeſta repugnantia; ergo. 6

Hinc colligo intentionem contrahendi matrimonium cum obligatione & conditione aliquid illicitum faciendi quod non eſt contra ſubſtantiam matrimonij, nullo pacto reddere irritum matrimonium. Id latè oſtendo ſuprà *diſp.* 16. *ſect.* 9. Et ratio eſt, quia cum tali obligatione non pugnat natura & ſubſtantia matrimonij, vt ſupponitur, & eſt certum; neque enim ex matrimonio naſcitur obligatio euitandi fur- 7

tum,

tum, vel homicidium, v g. ergo poteſt enim illa ſtare intentio & voluntas contrahendi matrimonium, iuxta mentem Eccleſiæ, quæ talem obligationem & conditionem tanquam non adiectam habet, ſicut & impoſſibilem. Firmo, quia omnes alij contractus & ſacramenta ex peſſimo fine adiuncto, ſeruatis ſubſtantialibus nunquam annullatur; ergo matrimonium minimè irritatur ob quemcumque peruerſum finem in pactum deductum, qui eius ſubſtantiæ, & tribus bonis dictis non aduerſatur.

8 Maior difficultas eſt circa ſecundum, qualis finis deſideretur in matrimonio vt validum ſit, an neceſſarium ſit tria matrimonij bona intendere ſaltem implicitè, ita vt ſi contrahentes ea explicitè excludant, tametſi non deducatur in pactum, ſed tantùm id mente retineatur, reuera ſit nullum, & irritum. Qua in re Sanchez cum multis *lib. 2. diſp. 29. n. 11. & 12.* docet duo. *Primum* eſt contrahentes matrimonium ſaltem implicitè debere intendere bonum ſacramenti, quod euenit quando non habent intentionem contrariam. Quare ſi quis intendat contrahere non in perpetuum, ſed ad tempus, nihil facit. Probat, quia de ratione matrimonij eſt vinculum eſſe perpetuum; ergo qui intendit matrimonium inire diſſolubile, & ad tempus, verè non intendit matrimonium; cùm intentio aduerſetur eſſentiæ & naturæ ipſius. Vnde ſi quis ſub ea ratione conſentiret, reuera non haberet conſenſum ad matrimonium neceſſarium. *Secundum* eſt de intentione aduerſa aliis duobus matrimonij bonis, corde ſolùm retenta, nec in pactum deducta, vt ſi quis intenderet vitare prolem poſitiuè, debitum negare & adulterari, ſentit eam non vitiare matrimonium, ſed illud valere. Probat, quia ea intentio nihil conducens ad contractus ſubſtantiã aufert, quia ſi ille velit abſolutè contrahere, obligatur ex vi contractus ad non agendum aliquid contra prædicta bona, non obſtante ſuà intentione. Optimè enim ſtat velle obligari ad aliquid faciendum, & adeſſe animum non implendi, vt qui verè iurat animo violandi iuramentum, nec ea intentio tollit obligationis valorem; ergo ſimiliter ſtare poteſt matrimonium validum contrahere cum intentione ſeruandi fidem. Quare ponit Sanchez differentiam ac diſtinctionem, vt intentio contraria bono ſacramenti irritet matrimonium, non autem intentio contraria bono fidei & prolis.

Hanc diſtinctionem non approbat Baſilius Ponce
9 *lib. 1. cap. 20. n. 9. &* 10. Quia ſi ſemel ponatur eam cõditionem & intentionem eſſe contra ſubſtantiam matrimonij, parum refert an mente retineatur, an exprimatur verbis, & in pactũ deducatur; nam quouis modo deeſt conſenſus neceſſarius, & adeſt conſenſus omnino contrarius illi, qui requiritur ad matrimonium, cùm ſit conſenſus iſte celebrandi contractum diuerſæ rationis, atque contrariæ omninò ſubſtantiæ. Firmat hoc idem minutiùs diſcurrendo per duas conditiones contrarias bono prolis, & fidei. Nam contra bonum prolis, ſi quis contrahat & intendat poſitiuè & contrariè inducere ſterilitatis venena, vel foras emittere ſemen, tunc refert matrimonium ad finem contrarium cum fine operis; nam contractus matrimonij finis ex ſe, etiam ſine intentione operantis, eſt proles & via ad generationem: ergo qui eo modo & non alio conſentire vult, non ſolùm habet alium finẽ in matrimonio, ſed contrarium fini illi, ſiquidem cum eo fine contrahit. Cumque non ſit talis contractus cum eo fine, eo ipſo quòd ille conſentit in eum contractum ſub eo fine euitandi generationem per actũ contrarium, non habet conſenſum ad contractum matrimonij neceſſarium, & ex conſequenti, ſiue retineatur in mente, ſiue exprimatur verbis, vitiat matrimonium. Præterea idem oſtendit in intentione contraria bono fidei, ſcilicet, ſi ex quæſtu te adulterandam tradideris. Nam ſi huius ſenſus ſit, ſi ſine iniuſtitia me te adulterandam tradideris; planè euertit naturam matrimonij, & vult contractum, ex quo non oriatur obligatio fidelitatis, atque ideò etiamſi mente retineatur, vitiat contractum. Si verò ſenſus ſit, dũmodo quamuis cum iniuſtitia mea tuum corpus tradas cui voluero, & commiſcearis illi. Et in hoc ſenſu, vel hæc tantùm eſt turpis conditio, quæ non eſt contra ſubſtantiam & fidem, hoc eſt, obligationem fidelitatis; & ſic non vitiat etiam expreſſa; habetur enim pro non adiecta. Aut ſi reuera eſt contra ſubſtantiam, quia refert matrimonium ad finem contrarium, in quo vxor vnius tantùm eſſe debet, & non vſus corporis communis, quamuis mente retineatur, nocet. Quia non deſtruit contractum ex diſpoſitione iuris poſitiui Eccleſiaſtici, ſed naturali, atque adeò eodem iure repellitur. Vnde & in foro interno nullum erit illud matrimonium ex defectu conſenſus neceſſarij habentis eum finem, & non aliter contrahentis.

Ego verò dico *primò*, circa duo bona fidei & pro- 10
lis veram eſſe Sanchez doctrinam, & diſtinctionem ab illo allatam optimam eſſe, nec video cur eam improbauerit Baſilius, cùm ipſe tandem in eius ſententiam incidere videatur. Probo ſingula. In primis dico multum referre, ac conducere, quòd ea intentio ſit ſolùm mente retenta, & quòd non ſit verbis expreſſa, & in pactum deducta. Nam ſi talis intentio deducatur in pactum, conſurgit inde obligatio omnino contraria obligationi radicali illorum bonorum matrimonij, ſine qua nequit conſiſtere matrimonij contractus, & ideò eſt manifeſtè pugnans naturæ illius, eamque deſtruens. Si autem ſit ea intentio ſolùm mente retenta, tametſi ſi ſit contra bonum ſacramenti, verè irritet matrimonium, quia ad bonum ſacramenti eſt intrinſecum, & eſſentiale, vt vinculum ſit indiſſolubile, & vt tale ſaltem implicitè intendatur; & ideò excludit actum intentionis contrahendi ad tempus; tamen ad bonum fidei & prolis, nihil obeſt in radice: nam per eam intentionem non excluduntur bona fidei, & prolis quoad ſua principia, id eſt, quoad obligationem radicalem vſus eorum, ſed tantùm quoad executionem, quia eſt ſimplex intentio non ponendi in executione prædictorum bonorum vſum. Nam ſicut promiſſio volentis ſe obligare, non verò illam adimplere, valida eſt, quia voluntas non adimplendi non deſtruit voluntatem ſe obligandi, quæ eſt de eſſentia veræ promiſſionis, vel ſaltem eius proprietas inſeparabilis: ita pariter intentio ſe obligandi radicaliter ad bona fidei & prolis, quæ eſt neceſſaria ad validitatem contractus matrimonij, valida eſt, tametſi coniuncta ſit cum voluntate & intentione ea non exequendi, quia hæc ſecunda intentio non deſtruit primam, quæ eſt ſimpliciter neceſſaria ad valorem matrimonij. Vnde rectè notauit Sanchez in hoc caſu, duplicem eſſe intentionem, vnam per ſe obligandi radicaliter ad bonum fidei & prolis, aliam nolendi in executione adimplere eam obligationem radicalem; & hanc rectè dicit, dum ſolùm eſt mente retenta, & in pactum non deducta, non vitiare, nec deſtruere matrimonium, quia non opponitur bonis fidei, & prolis in ſuis principiis, id eſt, quoad obligationem radicalem, ſed tantùm quoad executionem ea nolle ſeruare. Quapropter idem Sanchez docet *ibidem num.* 12. Si quis contraheret non intendens ſe obligare ad procreandam & educandam prolem, vel non impediendam poſitiuè, vel ad ſeruandam fidem, & ad non adulterandum, eſſet irritum matrimonium; quia cùm horum obligatio radicalis ſit

intrinſeca & inſeparabilis ab eſſentia matrimonij contractus, talis intentio eius naturam excluderet. Et hoc apertè voluit D. Thomas *in 4. d. 31. a. 1. q. 3. in corpore*, ſic dicens: Fides & proles ſecundùm quod conſiderantur in ſuis principijs, vt pro prole accipiatur intentio prolis, & pro fide debitum ſeruandi fidem, ſine quibus matrimonium eſſe non poteſt, & ſic accipiendo fidem & prolem ſunt eſſentialiſſima in matrimonio. Quare ſententia Sanchez adducta veriſſima eſt. Tandem in eammet incidere Baſilium probo; nam iſte auctor *n.* 11. duo expreſsè docet quæ certè negari non poſſunt. *Primum*, aliud eſſe expreſsè conſentire, vel intendere per contractum matrimonij non opponi bonis ipſius; aliud verò conſentire illis, cum propoſito tamen non adimplendi id quod debetur proli & fidei. Vnde hæc duo ponit tanquam omninò diuerſa, ſicut nos poſuimus, & ponit Sanchez ab eo perperam impugnatus. *Secundum* eſt, ad obligationem contractus matrimonij, non eſſe neceſſarium animum adimplendi, quod eſt dicere, voluntatem & intentionem non implendi vſum bonorum matrimonij non obeſſe naturæ ipſius, nec vitiare, nec annullare matrimonium. Hoc autem eſt omnino idem quod nos dicimus, & quod dicit Sanchez, nempe valere matrimonium contractum, etiamſi habeat adiunctam intentionem non adimplendi, neque exequendi vſum bonorum fidei & prolis.

11 Dico *ſecundò*, circa bonum ſacramenti præcisè vt ſic non poſſe haberi intentionem illud non adimplendi, ſi validus ſit matrimonij contractus. Ita communiter Doctores, & expreſsè D. Thomas *in 4. diſt. 31. q. 1. a. 3.* vbi dicit, ſine bono ſacramenti nunquam eſt matrimonium, at poteſt eſſe ſine fide, & prole. Ratio eſt adducta iam ſuprà, quia bonum ſacramenti eſt bonum indiſſolubilitatis, quod eſt adeò intrinſecum contractui matrimonij, vt nequeat quis illum contrahere cum diſſolubilitate ad tempus.

Dices, ſicut in illis duobus bonis fidei & prolis diſtinximus inter obligationem radicalem, & adimpletionem, ſeu executionem, cur & in bono ſacramenti, ſeu indiſſolubilitatis non ſunt hæc duo diſtinguenda abſque vlla differentia, nam benè poteſt quis contrahere cum animo ſe obligandi ad perpetuò viuendum cum vxore, & tamen habere propoſitum nunquam habitandi cum illa. Reſpondeo indiſſolubilitatem coniugati, ſeu bonum ſacramenti non conſiſtere in hoc quod ſimul viuat cum vxore, ſed in hoc quòd vinculum ex ſe ſit perpetuum, vt viuente illa non poſſit contrahere cum alia; & ita idem eſſe vinculum, & eſſe indiſſolubile. Quare non pertinet ad bonum ſacramenti non ſeparari ab vxore quoad thorum, ſed tantùm vt vinculum ſit indiſſolubile. At verò ad bonum fidei & prolis pertinet, non tantùm obligatio radicalis ad ea ſeruanda, ſed etiam ipſorum bonorum executio, & adimpletio, & hæc duo ſunt diſtinguibilia, & ſeparabilia, vt vidimus.

Sectio VII.

Quem finem contrahentes matrimonium debeant intendere, vt id licitè & ſine culpa faciant.

1 PRæmitto claritatis gratia duplicem diſtinguendum matrimonij contractum, alium ordinarium, qui ordinariè ferè ſemper fit animo conſummandi ordinatum ad prolis generationem; & alium extraordinarium, qui contrahitur animo & voluntate expreſſa non conſummandi, non intendendo ſobolem, nec remedium concupiſcentiæ. De vtroque contractu videndum quis finis deſideretur in contrahentibus, vt omnis vitetur culpa.

Circa contractum matrimonij ordinarium qui ordinariè fit ab hominibus, varij ſunt modi dicendi Doctorum, qui videri poſſunt apud noſtrum Sanchez *lib. 1. diſp. 29. q. 3.* & Baſilium Ponce *lib. 1. c. 21.* Vt quid ipſe ſentiam, faciliùs dicam: prænoto, prædictum matrimonij contractum habere pro fine proprio per ſe primario, naturæ officiũ, ſeu ſobolis propagationẽ. Vt enim vidimus *ſect. 2. & 3.* primò & per ſe fuit inſtitutus ad honeſtã multiplicationẽ generis humani. Habere quoque pro fine proprio ſecundario ex ſuppoſitione peccati Adami, ratione cuius eſt in nobis rebellio carnis, remedium cõcupiſcentiæ, & omnẽ vitare fornicationẽ. Vltra hos fines poteſt cõtrahens alios extraneos intendere, vt pulchritudinem, diuitias, ſalutem, delectationem, pacem, & alia ſimilia. 2

Dico ergo *primò*, eſſe peccatum ex genere ſuo mortale contrahentes excludere ſobolis propagationem, ac generationem eam impediẽdo poſitiua actione contraria, vel rei debitæ omiſſione, hoc eſt certum apud omnes. Ratio eſt, quia hoc fit, vel illicitè negando debitum, vel procurando abortum, aut ſterilitatem, quæ ſunt manifeſte peccata mortalia. 3

Dico *ſecundò*, nullam eſſe culpam ex ſe contrahere matrimonium ob naturæ officium, vel ſobolis propagationem. Hoc etiam eſt indubitatum, quia iſte eſt finis præcipuus & honeſtus, ob quem inſtitutum eſt matrimonium, aliàs Deus aliquid illicitum inſtituiſſet; ergo recta eſt ordinatio, & valde honeſta, dirigere contractum ad hunc finem, ad quem eſt inſtitutus. Vnde etiam infero, licitum eſſe contrahere matrimonium intendendo ſecundariò, & minus principaliter remedium concupiſcentiæ, habendo pro primario fine prolis generationem, quia ſecundario in hoc remedium quoque ordinatur. 4

Dico *tertiò*, poſſe contrahi matrimonium ſine peccato, optando generationem non ſequi, ex honeſto fine. Ita ſentire videtur Soto *in 4. d. 30. q. 1. a. 2. concluſ. 3.* Plaza *de delictis lib. 1. cap. 6. n. 34.* Coninch *diſp. 25. dub. 2. concluſ. 3.* Baſilius Ponce *lib. 10. c. 8. n. 3.* & alij. Ratio eſt, quia tale deſiderium accipit honeſtatem ex fine honeſto; ergo eſt licitum & honeſtum. Firmo exemplo pauperis, qui ſentit magnos ſtimulos carnis, & timens ne labatur, ducit vxorem, & quia non habet media vnde poſſit alere proles, optat ſibi eas non naſci. Vel etiam ducit vxorem aliquam, quam credit iam ſterilem, ne prolium multitudine grauetur. Hoc ergo licitè fieri poſſe oſtenditur, quia coniugati ob iuſtam cauſam, videlicet ſi ob paupertatem non poſſunt bene alere proles, licitè optant, dum vtuntur matrimonio vt illis plures liberi non naſcantur; neque enim ea voluntas non habendi plures filios quàm alere poſſunt, vitioſa eſt, cùm bono fine veſtiatur, nempe ratione defectus diuitiarum ad eos liberos alendos. Imò licitè in hunc finem ex mutuo conſenſu poſſunt ſe abſtinere ab actu coniugali, vt hæc omnia oſtendam *diſp. 49. ſect. 2.* de debito coniugali, & docet Sanchez cum multis *lib. 9. diſp. 8. n. 10. & diſp. 25. n. 1.* ſi ergo poſſunt coniuges ob iuſtas cauſas vti copula, cum deſiderio ne naſcatur illis proles, manifeſtè ſequitur poſſe licitè velle matrimonium, eiuſque vſum, non intendendo generationem, & optando ne ſequatur ex honeſto fine. 5

Dico *quartò*, licitè & honeſtè contrahi matrimonium, nihil aliud intendendo, quàm concupiſcentiæ remedium. Ita multi, quos refert & ſequitur Baſilius 6

lib.

lib.1.cap.21.n.4. Idem docet Coninch *citatus,n.16.* & Hurtado *diſp.4.difficult. 3.n.9.* Probatur *primò* ex Paulo 1. *Cor.* 7. ſic dicente. *Propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquaeque ſuum virum habeat* Vbi nulla facta mentione generationis, nec alterius finis, conſulit Apoſtolus propter vitandam fornicationem habere vxorem. Illud verò quod ſubdit, *Hoc ſecundùm indulgentiam dico, non ſecundùm imperium*, quo innuere videtur ſe id dicere ſecundùm permiſſionem; non obeſt vllo modo: quia non ſignificat in eo contractu, vel vſu eſſe culpam; aliàs non ſuaderet ad illum, ſed ſignificat eſſe minorem perfectionem, quàm in abſtinentia à copula: ſicut quando ſubdens, ait, & ſi nupſerit virgo, non peccabit, ego autem vobis parco; non ſignificat reperiri culpam in nuptiis, cùm immediatè antea dixerit non reperiri peccatum, ſed in eis eſſe minorem perfectionem, quàm in cælibatu. *Secundò*, finis iſte licitus eſt & honeſtus, & proprius huius contractus, quamuis in eum ſua natura ſecundariò ordinetur; ergo poterit licitè iſte ſolus intendi à contrahēte matrimonium: patet conſequentia, quia nulla lex cogit vt opus aliquod aſſumatur ob finem principalem, ſatis eſt vt aſſumatur propter finem honeſtum, ad quem obtinendum habeat aptitudinem. Sic enim oculi præcipuè nobis dati ſunt ad viuendum, & tamen rectè deſeruire poſſunt vt alteri aliquid innuamus, dum hoc honeſta vtilitas poſtulat. Vox etiam articulata nobis præcipuè data eſt, vt noſtros conceptus aliis explicemus, & tamen ſine peccato ea vtimur ad cantandum. *Tertiò*, ad vitandam fornicationem in altero coniuge licitè poteſt contrahi matrimonium, vt concedunt omnes: ergo potiori iure licebit ad vitandam fornicationem in ſe, cùm multò magis, & ſaltem primariò teneatur quis ſuæ ſaluti conſulere.

Dices pro Sanchez contrarium aſſerente, eſſe aliquam inordinationem, quamuis leuem, quando contrahentes poſſunt ſecundùm communem ſpem generare filios, ſolum ordinare matrimonium ad vitandam fornicationem; quando enim non poſſunt generare, quid mirum ſi non ſit contra rationem ſolum intendere remedium concupiſcentiæ? Sed contra eſt, quia ſi iuuenis ſterilis poteſt licitè ob vitandam fornicationem, relicto fine generationis matrimonium inire; ergo poterit etiam qui eſt fœcundus, quia contractus matrimonij in vtroque ex natura ſua ordinatur ad eoſdem fines, & eodem modo. Firmo, quia ſi ratio exigeret, vt in aſſumptione alicuius operis eius finis principalis principaliùs intenderetur, certè qui non poſſet illum principaliter intendere, non poſſet licitè opus illud aſſumere: ergo iuuenis ſterilis & ſenex qui non poteſt in aſſumptione contractus matrimonij efficaciter intendere prolis generationem, non poſſet licitè contrahere matrimonium; quod tamen dici non poteſt.

7 Dico *quintò*, licitum eſſe & honeſtum contrahere matrimonium ob alios fines contractus matrimonij extraneos, aliàs licitos & honeſtos, v g. propter pacem, vel ob ſalutem, ob nobilitatem, & ob diuitias. Ita DD. relati *præcedenti dicto*. Ratio eſt, quia prædicti fines non ſunt mali, & poſſunt eſſe honeſti; ex alio capite non tenentur contrahentes alios fines per ſe intrinſecos matrimonio intendere; nam inde fieret ſenes, vel qui ſunt eâ prouecta ætate, vt non apti ſint ad prolis generationem, nec iam patiantur graues ſtimulos carnis, non poſſe licitè contrahere matrimonium, quia ob neutrum finem intrinſecum prædictum contrahere poſſunt. Firmo, quia abſque vllo fundamento dicitur eſſe contra rationem, quòd aſſumens aliquod opus, relicto eius proprio fine, illud aſſumat, & ordinet ad alium finem & effectum, quem poſſit communicare & habere, dummodo ſit licitus & honeſtus, quamuis minus honeſtus quàm proprius. In hoc enim nulla apparet inordinatio. Nam qui orationem, qui eſt actus religionis quo Deum colimus, fundit, vt à Deo caſtitatem obtineat, quæ eſt minus honeſta quàm religio, nihil inordinatum facit, quia verè ordinat ad id, ad quod poteſt ordinari, & aliàs eſt licitum & honeſtum. Hinc colligo contrahentes ob pacem publicam, honeſtius intendere hanc, quàm generationem, vel concupiſcentiæ remedium: quia ille finis honeſtior eſt, & magis obligat quàm hi alij fines; hi enim exiguum bonum priuatum ſpectant, ille verò publicum reſpicit bonum magni momenti.

Obiicies, eſſe inordinationem & peccatum ſaltem veniale, vt contrahentes ſic matrimonium, ordinent illud cùm ſit ſacramentum, ad res inferioris ordinis, vt ad diuitias, nobilitatem, & ſimilia. Cæterùm reſpondeo eos qui contrahunt matrimonium ab fines prædictos ei extraneos, non ordinare illud vt ſacramentum in prædictos fines, ſed vt contractum, in quo nullam irrogat iniuriam ſacramento. Quemadmodum enim matrimonium per ſe primò habet rationem contractus, qui conſequenter eleuatus eſt ad eſſe ſacramenti; ita contrahentes communiter intendunt per ſe primò contractum, & tantùm conſequēter ſacramentum. Quando igitur contrahunt propter diuitias, nobilitatem, vel ſimiles cauſas, propriè ſolùm dirigunt matrimonium in hos fines, prout eſt contractus quidam cauſans vinculum coniugale; atque adeò ea ratione nequeunt dici vti ſacramento in finem indebitum, aut ei inferre iniuriam. Imò, vt rectè notauit Gaſpar Hurtado *difficult. 3.* citatâ ad finem, qui ſic contraheret matrimonium ordinando illud vt ſacramentum in prædictos fines, nullam irrogaret iniuriam ſacramento, dum poſitiuè non excluderet finem recipiendi gratiam, quem nullus excludit. Nam finis matrimonij vt ſacramentum eſt, non eſt generatio prolis, ſed ſanctificatio ſuſcipientium, quam nolle, proculdubio eſt mortale peccatum ſacrilegij, grauem irrogans iniuriam ſacramento. 8

Dico *ſexto*, licitum ex ſe eſſe contrahere matrimonium ob capiēdam delectationem carnalem ipſi actui annexam, vt auidiùs appetatur ad conſeruationem ſpeciei, tametſi, moraliter loquendo, & vt in plurimum, ſiue per accidens, ſit venialis culpa. Primam partem dicti defendunt Baſilius Ponce *lib.1.c.21. n.7.* & Gaſpar Hurtado *diſp. 10. difficultate ſecundâ, prope finem.* Ratio eſt, meo iudicio, euidens, quia ſi in tali delectatione ex ſe eſſet culpa venialis, etiam minima, actus coniugij ex ſe habens illam delectationem ſibi annexam, nullo pacto licitus eſſe poſſet. Vnde ſimiliter nec potuiſſet eſſe licitus contractus matrimonij ordinatus ad prædictum actum coniugalem, propter generationem prolis, cùm nulla poſſit eſſe obligatio ad culpam venialem; ergo dicta delectatio & voluptas carnalis ex ſe verè eſt licita, ſicut & actus coniugij. Igitur per ſe licitum eſt contrahere gratia voluptatis ipſi actui coniugali annexæ. Firmo, quia ſicut in natura rationali eſt appetitus honeſtus ad cibum quo vita conſeruatur, ita etiam eſt appetitus moderatus ad generationem, per quam ipſa natura multiplicatur; & ſicut vt auidiùs appetatur cibus, natura addidit in cibo delectationē, ita vt auidiùs quoque appetatur generatio, addidit quoque eadem natura delectationem; eſt enim voluptas & delectatio condimentum operationum, vt dixit Ariſtoteles 10. *Ethic. c.4.* ergo ſicut licitum eſt ex ſe intendere 9

delectationem

Google

delectationem illam, quæ eſt in cibo, vt auidiùs cibus appetatur,& eo fine cibum ſumere;ita licitum eſt ex ſe contrahentes matrimonium intendere delectationem illam, quæ eſt annexa generationi,& propter illam capiendam inire matrimonium, & actum coniugalem exercere. Quæ enim diſparitas aſſignari potest, ſeruata moderata delectatione in vtroque appetitu, & vtraque operatione? Vnde Sanchez *lib.9.de matrim. diſp.12. n.6* loquens de delectatione actui coniugali annexa, optimè ſic dixit, delectatio illa non eſt in ſe praua, imò natura ipſa ſagaciter adiunxit illi actui delectationem, propter bonum prolis, vt eius generationi auidiùs homines vacarent, ſicque ſpecies conſeruaretur: ſicut in ciborum eſu delectationem poſuit ob indiuidui conſeruationem. Quare dicendū eſt omni vacare culpa, niſi nimius voluptatis exceſſus procuretur; quia nulla eſt culpa vti matrimonio, fruēdo delectatione, quam natura adiunxit propter honeſti finis neceſſitatem. Hæc noſter Sanchez. Secunda pars dicti conſtans eſt apud Doctores, quia rarò accidit ſine peccato veniali exerceri actum coniugalem, propter vehementiam voluptatis & nimium voluptatis exceſſum qui in eo actu procuratur à coniugibus, vnde, moraliter loquendo, ferè ſemper eſt exceſſus in tali actu. Atque ob hanc cauſam ſæpè D. Auguſtinus affirmat in vſu coniugij eſſe venialem culpam. Præcipuum illius teſtimonium eſt *lib de bono coniugali, cap.6. tom.6* ibi, Coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiſcentiæ verò ſatiandæ; ſed tamen cum coniuge propter fidem thori, venialem habet culpam. Atque eodem modo accipienda ſunt & intelligenda dicta SS. PP. Fulgentij, Chryſoſtomi, & Baſilij, quæ expendit Baſilius *cap. 21. citato num. 9.*

10 Noſter verò Sanchez *lib.9 diſp.11. n.4.* ideò exiſtimat actum coniugalem ſolius voluptatis tali actui annexæ, exercitum eſſe culpam venialem ob delicti ordinis peruerſionem, cùm actus ſuaptè natura tendens ad prolis bonum, referatur ad finem voluptatis capiendæ. Et firmat, quia bonum delectabile quod eſt naturæ ſenſitiuæ conſonum, non poteſt rectè eſſe finis operationis humanæ, ſed ſolùm bonum honeſtū, quod naturæ rationali conforme eſt. Addit, abuſum rei eſſe, quærere actum propter delectationem illi adiunctam; cùm delectatio ſit propter ipſum actum, non verò actus propter delectationem illi adhærentem. His tamen non obſtantibus adhæreo ſemper dicto tradito, licitum eſſe ex ſe, & omni culpa vacare, contrahere matrimonium ob capiendam delectationem ipſi actui coniugali annexam. Quoniam finis iſte non eſt malus, ſed licitus & honeſtus, nempe delectatio illa annexa; medium etiam eſt licitum, ſcilicet actus coniugalis; non ergo eſt, vnde malitia deriuetur. Neque enim eſt inordinatio aliqua, quòd referatur actus coniugij ad alium finem ex ſe honeſtum, præter intrinſecos fines: eſſet quidem inordinatio ſi hos poſitiuè excluderet, aut reſpueret, non verò tenetur illos intendere; ſatis eſt vt moueatur ex fine ex ſe non malo, ſed honeſto. Nam, vt dixi *ſupra*, penitus omiſſo alicuius operationis fine primario, poſſumus illam rectè exercere propter alios fines honeſtos. Vnde in hac re nullus eſt abuſus rectæ rationi difformis, cùm intendatur operatio propter finem honeſtum; poteſt quidem actus eſſe minus perfectus, ſed non difformis, nec contrarius rectæ rationi. Denique falſum eſt bonum delectabile, quod eſt naturæ ſenſitiuæ conſonum, prout etiam eſt naturæ rationali conforme, non poſſe eſſe rectum & honeſtum finem operationis humanæ: ſicut autem delectatio annexa cibo eſt conformis naturæ rationali, vt cibus ſumatur neceſſarius ad vitæ conſeruationem; ita & delectatio actui coniugali annexa ex ſe poteſt eſſe conformis eidem naturæ, vt exerceatur generatio neceſſaria ad multiplicationem naturæ.

Dico vltimo, licitum eſſe contrahere matrimonium ob motiuum & cauſam tuendæ, aut reſtaurandæ ſalutis. Id docet Almaynus *in 4. d. 31. q. vnica.* Maior *ibidem concluſ.4* Emanuel Sà *v. Debitum coniugale, n.5.* Henriquez *lib.11. c.15. n.5.* Coninch *diſp. 34. dub.1.* Baſilius Ponce *lib 10. c 8. num.9* Hurtado *diſp.10. difficult.1. n.6.* & alij. Clarè conſtat ex dictis, nam ob finē honeſtum extrinſecum, relicto adhuc omni fine proprio, licèt inire matrimonium, illúdque conſummare. Nulla enim eſt neque oſtendi poteſt inordinatio in eo quòd quis relicto proprio fine operis id aſſumat ad alium finem honeſtum, ad quem habet proportionem. Eſt verò matrimonium, & eius vſus naturaliter proportionatus ad eum effectum, vt & Medici docent. Quòd autem alio etiam modo poſſit conſeruari ſanitas, vel recuperari, parum refert, neque conuincit culpam venialem etiam minimam; quia ſatis eſt ad omnem illam vitandam vti medio ex ſe licito, & aliàs conuenienti, & proportionato. 11

Circa aliud matrimonium quod non eſt ordinarium, ſed omnino extraordinarium, & rarò initur, cum animo & voluntate expreſſa per votum, vel pactum non conſummandi, & nunquam ſe cognoſcendi. Suppono tale matrimonium fieri poſſe validè & licitè, & ratione illius verè eſſe dominium directum in mutua corpora, imò & habere aliquem vſum, vnde non eſſet prorſus dominium inutile; quia tale matrimonium ratione dominij tranſlati efficeret, vt coniuges nequirent aliud contrahere matrimonium, & cum aliis dormiendo adulterium committerent; & ſi ſe mutuò cognoſcerent, non fornicarentur; & ſi non vouiſſent caſtitatem, nec ſe obligaſſent aliqua pactione, vel illius voti diſpenſationem habuiſſent, aut eam obligationem mutuo conſenſu diſſoluiſſent, poſſent ſponte ſe cognoſcere abſque vllo peccato. quæ omnia latè oſtendi ſuprà *diſp.16. ſect.6.* De hoc ergo contractu matrimonij, ſi contrahentes ſunt impediti ad generandum per votum, vel pactum in ipſo contractu matrimonij initum, & graues ſtimulos carnis non ſentiant, certum eſt non poſſe intendere illum propter intrinſecos duos matrimonij fines, nempe bonum prolis, & remedium concupiſcentiæ, quia expreſsè à tali contractu excluduntur prædicti fines. Quare præter mutuam corporum traditionem quà adſtricti ſunt, alios fines extraneos intendere poſſunt ritè & honeſtè, vt mutuam animorum coniunctionem, cohabitationem in eadem domo, cum mutuis obſequiis ad hanc vitam tranſigendam neceſſariis, & ad familiam ſuſtentandam; diuitias, nobilitatem, & ſimilia, quæ ex ſe mala non ſunt, & honeſta eſſe poſſunt, vt conſtat ex dictis in hac ſectione. 12

De fine autem & motiuo quod habuit SS. Virgo ad matrimonium contrahendum cum S. Ioſepho, cùm ipſa virginitatem vouiſſet, conſtat apud SS. Patres, & DD. B. Virginem ex diuina reuelatione, ac ſpeciali Spiritus ſancti directione contraxiſſe matrimonium, vt dixi ſuprà *diſp.13. ſect.8.* Vnde potiſſima ratio nubendi illi fuit, quia intellexit hanc fuiſſe diuinam voluntatem. Et quamuis nubere voluerit, vt in externo ſtatu & vitæ genere ſuæ genti ſeſe accommodaret, & morem gereret; & fortaſsè etiam vt Sacerdotibus, & parentibus ſi viuebant (hoc enim incertum eſt) obediret: tamen præcipuum motiuum fuit diuinum beneplacitum. Ex parte verò Dei, & diuinæ prouidentiæ quæ hoc matrimonium ſpecialiter ordinauit, fuerunt multæ congruentes rationes, 13

Digitized by Google

nes, quas congerit, & rectè ponderat D. Thomas *3.p.q.29.a.1.*

DISPVTATIO XIX.

De matrimonio prout eſt Sacramenmentum nouæ Legis.

HACTENVS egimus de matrimonio prout contractus eſt, & vinculum naturale commune omnibus etiam iofidelibus, eiuſque naturam, & cauſas, ac conditiones explicuimus. Quoniam verò in lege Euangelica eleuatum eſt matrimonium à Chriſto Domino, vt ſit ſacramentum nouæ legis, cauſans gratiam ex opere operato in omni illud contrahente ſufficienter diſpoſito, ſiue noo habente obicem; ideò de illo vt habet rationem ſacramenti ſic ſumptiinſtituitur diſputatio præſens, & de omnibus ad ill ud ſpectantibus in ratione ſacramenti.

SEOTIO I.

An matrimonium ſit ſacramentum nouæ legis à Chriſto Domino inſtitutum.

1 NEgant antiqui hæretici, quos refert ooſter Cardinalis Bellaminus *lib.1. de matrim.cap.1.* & noui Lutherus, & Caluinus multa obiiciunt, quæ quia oullius ſunt roboris, omitto. Solùm proponam nonnulla vt res ipſa magis declaretur. Obiici itaque poteſt,

Primò, quia vnum ſacramentum non pugnat eum altero, ſed matrimonium pugnat cum ſacerdotio; ergo non eſt ſacramentum.

Secundò, ſi eſſet ſacramentum, non poſſet pro illo accipi pecunia, vt verè accipitur, quæ pro ſacramento accipi non poteſt abſque ſimonia, quia pecuniæ donatio, & acceptio pro ſanctificante gtaria, vel re eam conferente, ſimonia eſt.

Tertio, Eccleſia materiam ſacramentorum mutare nequit, non enim poteſt mutare eſſentialia ſacramentorum; ergo cùm efficiat aliquas perſonas matrimonij incapaces, illud non erit ſacramentum. Firmatur, quia materia & forma omnium ſacramentorum tradita eſt certa, & determinata in decretis Pontificum, in Conciliis, præſertim Florentino, & Tridentino: at de materia & forma matrimonij certa nec verbum dicunt; ergo ſigoum eſt non eſſe ſacramentum.

Vltimò, reliqua ſactamenta conſiſtunt in re ſacra, quæ à miniſtro applicantur ipſo ſuſcipienti: adhibentur ad aliquid ſupernaturale: debent ab alio conferri ſoſcipienti. Quæ omnia contraria ſunt in matrimonio, quod ſolùm videtur primariò inſtitutum ad generationem; & in eo contrahentes ſimul ſunt eius miniſtri & ſuſcipientes.

2 Dico *primo*, de fide eſſe, matrimonium eſſe propriè Sacramentum oouæ legis. Multi id probant ex illo Pauli ad *Epheſ.5.* vbi Apoſtolus vt ſuadeat viris diligere vxores ſuas tanquam carnem propriam, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, adducit verba illa quæ Adam *Geneſ.2.* proountiauit in paradiſo, dicens: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſoæ, & erunt duo in carne vna. Ipſe verò proximè ſubiungit, ſacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & Eccleſia. Cæterùm ooſter Vaſquez late probat *diſp.2. de matrimonij ſacramento cap. 6.* ex hoc loco nō cōuinci matrimoniū eſſe ſtrictè & propriè ſacramentum ſignificatiuum, vel cauſatiuum gratiæ ſanctificantis dandæ per ipſum, ſed tantùm eſſe ſacramentum lato modo pro ſigno rei ſactæ diuinitùs inſtituto: ſignificat enim coniunctionem Chriſti eum Eccleſia. Efficax igitur huius veritatis probatio ſumenda eſt ex conſenſu vniuerſalis Eccleſiæ tam Græcæ, quàm Latinæ, quæ in Coocilio Florentino ſine contradictione definiuit matrimonium eſſe verum legis nouæ ſacramentum. Id enim definitum fuit ab Eugenio I V. *in dicto Concilio.* Nam in decreto fidei pro Græcis & Armenis, quod eſt poſt vltimam ſeſſionem, inter Eccleſiæ ſacramenta, quæ dixit eſſe ſigna gratiæ, & illam continere, atque conferre, matrimonium oumerauit. Idem definiuit Lucius I I I. *in cap. ad abolendam, de hæreticis*, vbi præcipit, tanquam verè hæreticos puniri eos, qui de ſacramento corporis & ſanguinis Domioi ooſtri Ieſu Chriſti, vel de Baptiſmate, ſeu peccatorum confeſſione, matrimonio, vel reliquis Eccleſiaſticis ſacramentis aliter ſentiunt, quàm ſacroſancta Romana Eccleſia: connumerans enim matrimonium inter reliqua ſacramenta, planè indicauit hunc eſſe ſenſum ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ; ac proinde eos qui ſentiunt matrimonium non eſſe ſacramentum, manifeſtè errare. Extat etiam præclara Concilij Tridentini definitio de hac re *ſeſſ. 7.can.1. de ſacramentis.* Vbi damnatur qui negauerit ſeptenarium numerum ſacramentorum, inter quæ numerat Coocilium *ibidem* matrimonium, & qui negauerit ea fuiſſe à Chriſto inſtituta. *Et ſeſſ.24. cap. vnico, & can.1.* vbi ſpeciatim de matrimooio definitur eſſe vnum ex ſeptem Eccleſiæ ſacramentis à Chriſto Domino inſtitutum. Fundamentum verò huius definitionis fuit traditio conſtans Eccleſiæ, quam aliqui ex Patribus nobis ſcripturam reliquerunt. Conſtat enim ex eis matrimooium in Eccleſia à tempore Chriſti tanquam rem ſacram tractari, atque adeo ritibus ſacris ſemper celebrari conſueuiſſe, vt tradit Euariſtus *in epiſtola prima*, quæ eſt ad omnes Epiſcopos Africanos *cap.2.* & refertur *canone aliter 30.q.5.* affirmans hanc eſſe traditionem ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus acceptam. Sic manet concluſio vt fidei dogma firmata. Neque enim, vt rectè notauit Vaſquez *citatus*, omnia fidei noſtræ dogmata Scripturæ teſtimoniis confirmari poſſunt, quando multa ſolâ traditione nobis conſtant, & hac ſolâ ducta Eccleſia ea definierit. Sic ea de cauſa definiuit, matrimonium in lege gratiæ eſſe ſacramentum. Non enim video id clarè demonſtrari poſſe ex aliquo ſacræ Scripturæ loco. Vnde notandum, Tridentinum, quod ſemper afferre ſolet aliquem Scripturæ locum ad probandam veritatem aliorum ſacramentorum, id nō præſtare in matrimonio. Ratio etiam & congruentia ſuadens prædictam concluſionem eſt, quia ad ſuaue iugum Euangelij ſpectabat, vt iugom matrimonij de ſe ſatis difficile ac graue haberet annexam rationem ſacramenti, vt haberet etiam ex opere operato annexam gratiam, eiuſque auxilia quæ conferret ad alleuianda onera matrimonij, & ad prolem rectè & piè educandam, ad conciliandos item coniuges per amorem, & tandem ad medendum concupiſcentiæ; ergo credi debet ita eſſe factum à Chriſto. Firmo hoc idem ex Chriſti erga Eccleſiam ſingulari charitate, ac prouidentia. Quæ cùm augetur corporaliter per matrimonium, ſicut per Ordinem ſpiritualiter, congrouum

fuit

fuit quòd ſicut hunc Ordinē Sacramentum eſſe voluit, ita idem de matrimonio voluerit; cùm ad proprios huius Ordinis actus magis neceſſaria gratia eſſe non poſſit, quàm ad proprios matrimonij, qui ſunt vnios viri cum vna coniuge totâ vita conuictus in pace & concordia, mutua vtriuſque dilectio, coniugalis fides, prolis non ex libidine, ſed ex honeſtate generatio, genitæ educatio & inſtitutio in fide, religione, & pietate Chriſtiana.

3 Dico *ſecundo*, matrimonij Sacramentum à Chriſto Domino fuiſſe inſtitutum. Hoc etiam eſt de fide, definitum in Concilio Tridentino *ſeſſ.7.can.* 1. Idem ſpecialiter definitum eſt *ſeſſ.* 24 *de Sacramento matrimonij can.* 1. his verbis. Si quis dixerit matrimonium non eſſe verè & propriè vnum ex ſeptem legis Euágelicæ Sacramentis, à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inuentum, neque gratiam conferre, anathema ſit. Conſtat igitur certum eſſe de fide, illud Chriſtum inſtituiſſe.

4 Quando verò illud inſtituerit Chriſtus, incertum eſt. Nam Viguerius *lib. inſtit. cap.* 16. §. 7. exiſtimat inſtituiſſe, dum, vt refertur *Ioan.*2 interfuit nuptiis. Verùm eo loco nihil aliud de Chriſto legimus, quàm quòd eas ſuâ præſentiâ, & mirabili aquæ in vinum conuerſione cohoneſtarit; ibi verò nullum ſignum huius inſtitutionis à ſe tunc factæ, vel faciendæ, nec argumentum præbuit. Communiter Doctores, quos ſequitur Sanchez *lib.* 2. *diſput.* 4. *num.* 5 ſentiunt, matrimonij Sacramentum tunc fuiſſe à Chriſto inſtitutum, cùm *Matth.* 19. dixit, *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Verùm cum his verbis, vt & proximè præcedentibus, Chriſtus matrimonij naturam ſolùm expreſſerit, & indiſſolubilitatem vinculi, & non amplius, in poſterum vinculum prædictum per diſpenſationem ab hominibus, ex auctoritate Dei eſſe ſoluendum; quod certè haberet, vel habere poſſet, tametſi non eſſet, aut nunquam foret Sacramentum, propterea cenſeo ex prædictis Chriſti verbis non benè probari poſſe tunc matrimonij Sacramentum fuiſſe à Chriſto inſtitutum. Firmo, quia ibi Chriſtus locutus eſt de omni vniuerſim matrimonio, non Chriſtianorum modò, ſed & Iudæorum quoque tunc temporis, & nunc etiam omnium infidelium abſque vlla exceptione; vnde alioquin probaretur, omne, de quo Chriſtus loquebatur, matrimonium eſſe Sacramentum. Alij, in nocte cœnæ dicunt inſtitutū fuiſ-
5 ſe. Sed non video ex Scripturis, aut Conciliis, aut Patribus ſufficiens fundamentum exiſtimandi Sacramentum hoc inſtitutum fuiſſe ante Chriſti paſſionem & mortem. Quare probabilius iudico cum noſtro Ludouico Meratio *tract. de matrim. diſp.* 1. *ſect.* 7. *ad finem*, fuiſſe inſtitutum à Chriſto Domino poſt reſurrectionem, aliquo nimirum dierum illorum quadraginta, quæ ab eiuſdem reſurrectione ad aſcenſionem vſque fluxerunt. Moueor, quia nullum habemus argumentum fuiſſe alio tempore inſtitutum; & eo tempore poſt reſurrectionem, vt conſtat ex Actor. cap. 1. *Apparuit Chriſtus Apoſtolis, loquens cum eis de regno Dei*, hoc eſt, de rebus ad Eccleſiæ ſuæ ſtatum pertinentibus; vnde ſatis probabile indicium inde colligitur, locuturum quoque de ſtatu coniugatorum, eiuſque inſtitutione in Sacramentum; præſertim, cùm certum ſit fuiſſe eo tempore à Chriſto poſt reſurrectionem inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ, vt conſtat ex *Ioan.* 20. *cap.*

Ad argumenta oppoſita.

6 Ad primum negatur minor: illa enim Sacramenta non pugnant ratione ſui; nam ex coniugibus poſt conſummatum etiam matrimonium perpetuam continentiam mutuo conſenſu profeſſis poſſunt viri ad ſacros Ordines aſſumi, qua eorum ordinatione, non diſſoluitur eorundem cum viuentibus adhuc vxoribus matrimonium. Verum eſt interdici ſacris Ordinibus initiatis vt nubant, ratione ſtatus quem induerunt, idque ex Apoſtolorum inſtitutione, vt toti vacent Deo, rebuſque diuinis. Qui enim cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt, vt dicitur 1. *Cor.*7. Qui autem militat Deo, non debet ſe implicare negotiis ſæcularibus, vt dicitur 2. *Timoth.* 2. Addo tametſi matrimonium cum ſacro Ordine conſiſtere ſimul non poſſit, non inde ſequi hunc, aut illud non eſſe Sacramentum, ſed ſolùm ita vtrumque fuiſſe à Deo inſtitutum, vt non vnus & idem ſimul vtriuſque capax eſſet, ſed alterutrius dumtaxat. Itaque nihil vel abſurdum, vel naturæ Sacramenti violentum, minuſque conſentaneum reperitur; modò enim in eo inſtitutione, mulieres Sacramenti matrimonij capaces eſſe voluit Chriſtus; Sacramenti Ordines noluit.

Ad ſecundum, dico in matrimonio duo ſpectan- 7
da eſſe, formalem ſcilicet rationem ſacramenti habentis ſignificationem, & virtutem efficiendæ ſanctificantis gratiæ, & ciuilem contractum ſecundùm ſe præciſè, qualis erat antequam in ſacramentū à Chriſto inſtitueretur, & eſſet, ſi nunquam in illud inſtitutus fuiſſet. Quamuis ergo illicitum ſit paciſci, vel ex pacto dare, vel accipere pecuniam pro matrimonio vt ſacramento; licitum tamen eſt pro eo, vt ciuili contractu, ad ferenda quæ ſecum affert onera; non ſecus ac licitum erat antequam eſſet Sacramentum, & nunc licitum eſt inter infideles, inter quos ſacramentum non eſt.

Ad tertium, reſpondeo Eccleſiam nihil ſtatuere, 8
aut mutare ad ſubſtantiam Sacramenti matrimonij à Chriſto inſtituti pertinens. Nam quod Chriſtus inſtituit, eſt, vt matrimonij contractus validus inter Chriſtianos initus Sacramentum ſit: at Eccleſia non facit, nec facere poteſt vt aliquando hic inter eos contractus, verè exiſtens contractus validus, ſacramentum non ſit: ſolùm enim pro poteſtate quam habet, efficit, vt qui aliquando validus eſt, aliquando non ſit; & vt perſonæ quæ ſunt aliquo tempore habiles ad validè contrahendum, alio non ſint. Hoc autem non eſt, poſſe inſtitutam à Chriſto materiam, aut formam, aut ſubſtantiam ſacramenti mutare. Quemadmodum ſi poſſet Eccleſia aquam in vinum, panem in aurum vertere, non propterea vel Baptiſmi, vel Euchariſtiæ poſſet immutare præſcriptam à Chriſto materiam, quæ eſt aqua, & panis; quia non propterea poſſet efficere, vt aqua manens aqua, & panis manens panis, non eſſet idonea materia vel ad baptizandum, vel ad conſecrandum, ſed tantùm facere poſſet, vt quæ res vno tempore eſt aqua, vel panis, alio non ſit, quia in aliud conuerſa eſt. Similiter in ſacramento matrimonij, nihil poteſt Eccleſia immutare de materia & forma illius; ea enim eſt, legitimi contrahentes, legitimè conſenſum exprimentes. Vnde Eccleſia efficere non poteſt, vt hæc non ſit materia & forma, aut non ſit Sacramentum verum. Cæterùm, quia hoc Sacramentum ſimul eſt contractus ſubditus Eccleſiæ iuriſdictioni, poteſt circa illum ſtatuere, vt hæc, aut illa non ſit legitima perſona, & hoc aut illo modo ſolùm exprimi debeat conſenſus, vt legitimus cenſeatur, & firmus ſit contractus. Sicut etiam in materia Sacramenti Confeſſionis ſecundùm ſe non poteſt Eccleſia quidquam immutare; efficere tamen poteſt vt hæc perſona non ſit huic Sacerdoti ſubdita, ac proinde ab eo abſolui nequeat; ex quo fiet vt Sacramentum ab eo miniſtratum in eam perſonam verum non ſit.

9 Ad confirmationem, falſum eſt non eſſe aſſignatam materiam & formam certam ipſi matrimonio. Nam, vt infrà dicam, corpora contrahentium ſunt materia circa quam, & remota contractus matrimonij & ſacramenti; materia verò proxima intrinſeca, & ex qua ſacramenti matrimonij ſunt legitimi contrahentium conſenſus expreſſi, prout habent traditionem corporum; & eidem, prout habent rationem acceptationis eorundem corporum ſunt forma.

10 Ad vltimum, dico ſingula Sacramenta habere aliquid ſingulare. Euchariſtia ſola conſiſtit in re permanenti: in Confeſſione actus pœnitentis ſunt illius materia; & in Extrema vnctione forma eſt deprecatoria. Non ergo mirum ſi ſacramentum matrimonij habeat aliquid omnino diſtinctum ab aliis. Præterea dico illud antecedens non eſſe omnino verum: nam ſacramentum Euchariſtiæ non conſiſtit in re, quæ alicui neceſſariò à conficiente applicetur, nam poteſt eſſe, rametſi nemini diſtribuatur, & poteſt diſtribui ab alio, quàm à conficiente; conſecrans autem eam ſibi confert. Præterea nec verum eſt matrimonium in lege noua tantùm eſſe inſtitutum ad generationem, quia etiam inſtitutum eſt ad ſignificandam, & conferendam gratiam huic ſtatui conuenientem.

Sectio II.

An matrimonium pro contractu conferat gratiam ſanctificantem ex opere operato, & etiam aliquando primam gratiam, nec non & gratiam ſacramentalem.

1 Pono, quo mihi videtur certum, & quod ab omnibus circumfertur, contractum ipſum matrimonij eſſe qui in lege noua eleuatur in Sacramentũ propriè dictum cauſatiuum gratiæ, non verò matrimonium ſumptum pro ipſo vinculo. Quod iam ſuprà notaui *diſp.* 13. *ſect.* 1. Et patet, quia omne ſacramentum nouæ Legis, vt conſtat ex Concilio Florentino in literis Eugenij, eſt inſtitutum vt ſuo vſu ex opere operato ſuo modo ſanctificet. At matrimonium quâ vinculum eſt, & in facto eſſe nullo modo ita ſanctificat ſuo vſu; aliàs quoties coniuges in ſtatu gratiæ vterentur matrimonio, nouam gratiam ex opere operato acciperent, quod manifeſtè eſt abſurdum. Igitur matrimonium ſumptum pro vinculo non eſt propriè Sacramentum nouæ Legis; erit ergo prout habet rationem contractus. Firmo, quia omnes Theologi vnum agnoſcunt Euchariſtiæ ſacramentum permanens; ergo matrimonium non prout eſt vinculum permanens, ac moraliter perſeuerans in coniugatis, ſed prout eſt quid tranſiens, ſeu ſub ratione contractus eſt Sacramentum. Fruſtrà enim inſtitueretur Sacramentum aliquid permanens, & perſeuerans, quod poſtquam factum eſt, non confert gratiam; ac proinde ſolus contractus ipſe inſtitutus eſt in Sacramentum gratiam conferens: ſolùm igitur matrimonium ſumptum pro vinculo relicto ex contractu eſt Sacramentum latiori ſignificatione, quia vt ſic eſt ſignum rei ſacræ repræſentans vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia in Incarnatione factam, vt dicam infrà *ſect.* 4.

Hoc præmiſſo, tria ſunt breuiter explicanda. *Primum*, an matrimonij ſacramentum producat per ſe gratiam, ſeu augmentum gratiæ. *Secundum*, an det aliquando per accidens primam gratiam. *Tertium*, qualem conferat gratiam ſacramentalem.

2 Circa primum, præmitto ex materia de Sacramentis, cum communi Scholaſticorum ſenſu, quid ſit, Sacramenta conferre gatiam ex opere operato. Nihil enim eſt aliud, quàm ex vi ipſius operis, nempe Sacramenti ſuſcepti gratiam produci, non attento merito conferentis, nec recipientis. Vnde Sacramentum eo modo ſuſceptum habet ſe in ordine ad conferendam gratiam, velut cauſa quædam ex neceſſitate naturæ ſuum producens effectũ in ſubiecto apto & approximato; ſicut ignis producens ignem in ligno debitè approximato. Itaque inter hæc duo, opus nẽpe cauſare gratiam ex opere operato, & illam cauſare ex opere operãtis, hoc eſt manifeſtum diſcrimen: nã illud opus dicitur cauſare gratiam ex opere operato, vt Sacramentum, quando eſt verè ſuſceptum, non attento merito dantis, vel recipientis, quia ſæpè contingit vt Sacramenta conferens & recipiens in illo opere meritum habeant, vt quando iuſtus cum contritione, & peccator cum attritione pœnitentiam obit, ille condignè, iſte congruè gratiam aliquam meretur. Cæterùm gratia quæ ex opere operato illis tribuitur, non tribuitur attento ſubiecti merito, ſed opere Sacramẽti iuxta diuinam inſtitutionem ſuſcepti. Quod ideò dictũ eſt agere, velut cauſam quandã naturalem, ſeu ex neceſſitate naturæ producentẽ, quia ſolùm requirit ſubiecti aptitudinem, & approximationem à Deo inſtitutam, non meritũ ipſius & miniſtri. Contrà verò illud opus dicitur cauſare gratiam ex opere operantis, quod eam cauſat quatenus eſt actio habens rationem meriti ſaltem de congruo. Eſt verò notandum, inſtitutionẽ diuinam quandoque nullam requirere ſuſcipientis diſpoſitionẽ, vt videre eſt in Baptiſmo collato paruulis, qui confert gratiam illis ex opere operato, nullâ prærequiſita diſpoſitione ex parte ipſorum, ad eum modũ quo ſol producit lucem in aëre nullâ prærequiſita diſpoſitione, ſed ſola debita applicatione. Econtra verò cùm diuina inſtitutio in adultis ad Baptiſmum, pœnitentiam, & reliqua Sacramenta, propriam ſubiecti diſpoſitionem requirat, Sacramẽta in adultis producere gratiam ex opere operato, nihil eſt aliud, quàm illam producere poſita propria ipſorũ applicatione, & propria diſpoſitione, ita vt diſpoſitio non ſit cauſa productiua gratiæ Sacramenti, nec menſura eiuſdẽ conferendæ, ſed ſolùm mera conditio, ad eum modũ, quo iuxta valdè probabilem philoſophicam opinionem ignis producit formam ſubſtãtialem igneã præuiis in ligno diſpoſitionibus requiſitis, non vt cauſis præcipuis, nec inſtrumentalibus, ſed vt meris cõditionibus. Verum eſt, quòd ſicut ignis eo celerius & perfectius agit, quò repetit materiam meliùs diſpoſitam: ita Sacramenta perfectiorem producunt gratiam, quo ſuſcipiens eſt meliùs diſpoſitus. Hoc præmiſſo,

3 Dico *primò*, de fide eſſe ſacramentum matrimonij conferre gratiam, quam ſignificat nõ ponentibus obicem. Patet, quia Concilium Florentinun *in Decreto Eugenij IV. §. Quinto Eccleſiaſticorum*, definit, antiqua Sacramenta gratiam non dediſſe, ſed dandam ſignificaſſe; noua verò continere io ſe ipſis gratiam, & dignè ſuſcipientibus eam conferre. Idem definit Tridentinum, nam *ſeſſ.* 7. *can.* 6. Si quis dixerit, ait, Sacramenta nouæ Legis non continere gratiam quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non cooferre, quaſi ſigna tantùm externa ſine, &c. anathema ſit. Et *can.* 7. ſic ait, Si quis dixerit non dari gratiam per huiuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiamſi ritè ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus, anathema ſit.

4 Dico *ſecundo*, Sacramentum matrimonij conferre gratiam ex opere operato. Eſt etiam de fide. Patet, quia

quia de omnibus Sacramentis nouæ legis id definiuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 7. citatâ, can.* 8. his verbis. Si quis dixerit per ipſa nouæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem diuinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit. Et ratio optima eſt, quia Sacramenta ex Chriſti inſtitutione ſignificãt per ipſum Sacramentum conferri gratiá, v. g. in Baptiſmo per ablutionem corporalem tribui ſpiritualem, in Confirmatione per chriſmationem & ſignationem tribui fortitudinem ad fidem proteſtandam, & ſic in aliis: ergo Sacramenta conferunt ex opere operato gratiam; alioquin verba ipſorum vera non eſſent.

5 Ex dictis colligo, matrimonij Sacramentum cùm ſit Sacramentum viuorum ad inſtar Confirmationis, Euchariſtiæ, Vnctionis, & Ordinis, ſaltem, per ſe loquendo, ſupponere ſui ſuſceptores gratiæ vita fruẽtes ſicut prædicta alia Sacramenta, & conſequenter per ſe non dare primam gratiam ſanctificantem, ſed ſecundam, id eſt, gratiæ ſanctificantis augmentum.

Circa ſecundum, an per accidens in aliquo euentu tribuat primam gratiam, quando videlicet matrimoniũ contrahentes accedunt ad hoc Sacramentum attriti, exiſtimantes bonâ fide eſſe contritos.

Baſilius Ponce partem negantem defendit *lib.* 1. *c.* 6. *n.* 10. & omnes illi, qui idem negant Euchariſtiæ, & aliis Sacramentis viuorum propter rationis paritatem. Præcipuum fundamẽtum eſt, quia prima gratia, quæ eſt effectus in ſe nobiliſſimus, & omnium ſacramentalium longè præſtantiſſimus, & à Dei voluntate, & libera Chriſti inſtitutione dependens; ergo non eum poſſumus alicui Sacramento aſſignare, niſi vel ex ipſius Sacramenti natura & inſtitutione, vel ex diuina Scriptura, vel ex Eccleſiæ definitione, vel traditione, ſaltem per efficacem illationem conſter: ſed quinque Sacramenta viuorum, aut ipſorum aliqund conferre per accidens ex opere operato primam gratiam, ex nullo illorum capitum ita conſtar: igitur non poſſumus id eis tribuere. Minor probatur, quia id non conſtat ex natura, ſeu inſtitutione Sacramentorum; nam ex eis potiùs oppoſitum liquet; ſiquidem hoc ipſo, quòd hæc ſunt Sacramenta viuorum, indicatur non prodeſſe ſuſcitandis mortuis: quippe ea ſubſidia quæ vitæ corporali vel roborandæ, vel defendeudæ, vel perficiendæ, aut fœcundandæ comparata, & idonea ſunt, profectò nec per ſe, nec per accidens mortuis proſunt ad vitam recuperandam.

6 Alij verò, & antiquiores Theologi, inter quos D. Thomas 3. *p. q.* 79. *a.* 8 *&* *q.* 80. *a.* 4. *ad* 3. de Euchariſtia ac de aliis Sacramentis viuorum ſentiunt interdum per accidens cõferre gratiam primam, & peccatum mortale delere. Quia quòd aliqua Sacramenta ſint inſtitura à Chriſto ad conferendam primam gratiam, alia ad eius augmcutum, non eſt ita intelligendum, quaſi nullo modo poſſint conferre aliam gratiam, ſed quia illorum proprius effectus per ſe eſt prima gratia, horum autem ſecunda gratia, ſeu augmentum illius. Sicut tamen per accidens illa aliquando conferunt ſecundam gratiã, ita hæc primam.

7 Hæc controuerſia ſpectat ad materiam de Sacramentis. Mihi perplacet breuiter duo dicere. *Primum* eſt certum non eſſe Sacramenta viuorum conferre per accidens primam gratiam. Hoc probat argumentũ primę ſentẽtiæ. Nã proculdubio id pẽdet ex Chriſti voluntate & inſtitutione. Hæc autem non eſt nobis nota certa aliquâ auctoritate, neque ex reuelatis poteſt certâ & euidenti ratione colligi. *Secundum* eſt, probabilius eſſe prædicta Sacramenta, atque adeò & matrimonium producere ex accidenti primam gratiam. Moueor, tum quia prima & ſecunda gratia non differunt in ſua entitate ſpecifica; ergo à quouis Sacramento poſſunt produci; nam quodcis abſolutè à Chriſto eſt inſtitutum ad conferendam gratiam ſuſcipienti non ponenti obicem; fieri autem poteſt, vt quis carens gratia accedat bona fide, & cum ſufficienti diſpoſitione veræ attritionis exiſtimatæ contritionis; ergo probabilius eſt eum conſequi gratiam in Sacramenti ſuſceptione. Tum etiam, quia commune eſt omnibus Sacramentis, vt habeant vim conferendi gratiam ex opere operato, vt conſtat ex *præcedenti puncto, dicto* 2. ergo habent vim conferendi gratiam præter meritum ſuſcipientis; quia, vt explicatum eſt ſuprà, mereri gratiam ex opere operato, nihil eſt aliud, quàm illam mereri non attento merito ſuſcipientis; ergo vim habent conferendi primam gratiam præciſè. Patet conſequentia, quia accedens cum attritione bonâ fide accedit cum diſpoſitione, quæ nullo modo eſt meritoria primæ gratiæ, atque adeò ea eſt ſufficiens ad recipiendam primam gratiam. Quare ſicut pœnitentia, quæ per ſe primò inſtituta eſt ad remittẽda peccata, quæ in confeſſione explicantur, nihilominus in ea ſaltem indirectè remittuntur omnia peccata mortalia bona fide in confeſſione omiſſa; ita ſimiliter per Sacramenta viuorum confertur prima gratia attrito bonâ fide ea ſuſcipienti. Neque enim pœnitentia eſt magis inſtituta ad remittenda peccata, quæ in confeſſione non explicantur, quàm dicta Sacramenta ad conferendam primam gratiam.

Hinc patet ſolutio ad argumentum primæ ſententiæ; conceſſo enim antecedente negatur conſequentia; nam, vt dictum eſt, iuxta diuinam inſtitutionem Sacramenta viuorum per ſe non producunt primam gratiam, neque ad hunc finem per ſe ſuſcipiuntur; ex accidenti verò id poſſunt præſtare, intercedente bonâ fide, aut aliqua diſpoſitione ſufficiente, atque adeò non reſiſtente, nec obicem ponente. Nec obeſt quod mortuis nequeant eadem ſubſidia deſeruire, quæ viuis: cùm enim non ſint ita mortui, quin poſſint aliquem actum vitæ exercere ſpiritualiter, ſuſcipiendo Sacramentum aliqua diſpoſitione; poſſunt etiam illis Sacramenta primam gratiam, ſeu vitam ipſam conferre. 8

Circa tertium, qualem conferat gratiam ſacramentalem matrimonij Sacramentum: tota difficultas eſt in explicando quid eiuſmodi gratia ſit, & qua in re conſiſtat; quod à nobis latè in materia de Sacramentis in genere, perueſtigatum eſt. Ex qua ſuppono quinque. 9

Primum eſt, quodlibet Sacramentum peculiarem tribuere gratiam ſuſceptori ſuo, ſeu peculiare bonum ordinis & vitæ ſupernaturalis. Quod Eugenius IV. poſt ſeſſionem vltimam Concilij Florentini *in Armenorum inſtructione.* §. 5. *Eccleſiaſticorum*, ſic poſt enumerata ſeptem Sacramenta, optimè expoſuit, dicens. Horum quinque prima ad ſpiritualem vniuſcuiuſque hominis in ſe ipſo perfectionem; duo vltima ad totius Eccleſiæ regimen, multiplicationemque ordinata ſunt. Per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur: per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem & roborati, nutrimur diuina Euchariſtiæ alimonia. Quòd ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur. Spiritualiter etiã, & corporaliter prout animæ expedit per extremam vnctionem. Per ordinem verò Eccleſia gubernatur, & multiplicatur ſpiritualiter. Per matrimonium corporaliter augetur. Hæc Florentinum.

Suppono *ſecundo*, hoc ipſum bonum ſpeciale, & 10
quaſi

quaſi munus cuiuſque Sacramenti proprium, non conſiſtere in ſola entitate gratiæ habitualis vt ſic, ſed includere radicem & exigentiam actuum ſpecialium, ad quos vnumquodque Sacramentum ex vi ſuæ inſtitutionis dirigitur. Ita omnes, & quia gratia habitualis eſt communis effectus ac fructus Sacramentorum omnium, & ſæpiùs extra Sacramenta, & ſine Sacramenti influxu confertur; ergo illud proprium & ſpeciale bonum neceſſe eſt includat radicem, & exigentiam actuum ſpecialium, ad quos vnumquodque ſpeciale Sacramentum ex vi ſuæ inſtitutionis dirigitur. Vnde conſequens eſt, vt gratia propria vniuſcuiuſque Sacramenti, ſit quoddam auxiliare principium ad eiuſmodi ſpeciales actiones, ſeu actus, & ad vincendas tentationes, & ſuperandas difficultates, quæ in contrarium occurrunt.

11 Suppono *tertiò*, gratiam ſacramentalem eſſe ipſam gratiam habitualem communem cum ſpeciali exigentia ſpecialium auxiliorum ad ſpeciales actus in ordine, ad quos Sacramentum inſtitutum eſt. Ita Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. 7. ſect. 3.* Vaſquez *diſp. 132. c. 7.* Lugo *diſp. 4. ſect.*... Coninch *q. 61. a. 1.* & communiter omnes. Ratio eſt, quia ſacramentalis gratia nequit eſſe ſpecialis habitus elicitiuus peculiarium actuum: nam gratiam habitualem, ſiue per Sacramenta, ſiue extra Sacramenta collatam, comitantur omnes omnium virtutum habitus infuſi, etiam dona ipſa Spiritus ſancti, quæ ſunt ad exercendos actus nobiliſſimos & extraordinarios, ac proinde nullus eſt habitus ſupernaturalis in vno iuſto, qui non ſit in quouis alio; cùm tamen non omnis iuſtus omnia Sacramenta receperit, aut recepturus ſit, neque in re, neque in voto. Præterea gratia ſacramentalis non eſt gratia quædam habitualis & ſanctificans, eſſentialiter diſtincta à communi; ſeu non ſacramentali, quia communiſſima Theologorum ſchola non agnoſcit ſaltem de facto gratias habituales ſpecie diſtinctas, & nihil opus eſt diſtinctione iſtarum gratiarum. Igitur neceſſariò dicendum eſt gratiam ſacramentalem eſſe eiuſdem ſpeciei cum gratia habituali ſanctificante non ſacramentali; addat verò reſpectum & exigentiam auxiliorum ad prædictos actus ſpeciales, præſertim, quia entitas phyſica habitualis gratiæ communis, cum iſta exigentia auxiliorum peculiari, ſufficit ad omnia quæ in gratia ſacramentali requiri poſſunt. Igitur illa conſtituit gratiam ſacramentalem.

12 Suppono *quartò*, prædictum reſpectum & exigentiam ſpecialium auxiliorum ad ſpeciales actus non eſſe quidpiam intrinſecum entitati gratiæ, nec ipſius ſubiecto. Patet, quia ſi eſſet aliquid intrinſecum, vel eſſet differentia gratiæ ſacramentalis ſpecifica, & iſta iam explodimus. Vel eſſet differentia indiuidualis inæqualis; & hæc in præſenti reiicitur; quia ſpecialis ille cumulus auxiliorum non eſt terminus ſolùm indiuidualiter, ſed etiam eſſentialiter diſtinctus, atque adeò ſi reſpectus ad ipſum intrinſecus eſſet, non eſt differentia indiuidualis, ſed ſpecifica, ſiue eſſentialis, quæ iam eſt reiecta. Vel denique eſſet maior intentio ipſius gratiæ, vel habitus virtutis ad ſpeciales illos actus concurrentis. Nec iſtud affirmari poteſt, tum quia omnes habitus gratiam comitantes parem inter ſe habent intentionem; vnde per Sacramentum non magis intenditur vnus, quàm alij. Tum etiã, quia gradus intentionis communiter cenſentur eſſe eiuſdem ſpeciei, & ad ſummum habere inæqualitatem indiuidualem, quæ hîc non ſufficeret ad ſpecialem prædictum cumulum auxiliorum, qui eſt terminus, vt dixi, non ſolùm indiuidualiter, ſed eſſentialiter diſtinctus. Quare

Suppono *quintò* & vltimò, gratiam ſacramentalem ſupra non ſacramentalem, ſolùm addere reſpectum ipſi gratiæ, & ſubiecto extrinſecum, & moralem, ſumptum ex ſola Dei inſtitutione volentis intuitu talis Sacramenti ritè ſuſcepti conferre ſuo tempore ſpecialia auxilia in ordine ad tales actus. Patet ex dictis, quia nihil eſt gratiæ, vel ſubiecto intrinſecum, in quo poſſit gratia ſacramentalis vt ſic formaliter conſiſtere, vt iam eſt oſtenſum; nec item aliquid extrinſecum præter iſtud, vt quiſque deprehendet; illud verò quod aſſignaui ſufficientiſſimum eſt; non eſt ergo cur aliud exigatur. 13

His poſitis conſtat quid ſit gratia ſacramentalis in ſacramento matrimonij. Dico itaque eſſe ipſam gratiã habitualem quæ datur ex opere operato per huiuſmodi Sacramentum, quatenus includit ſpecialem exigentiam, vel reſpectum ſpecialium auxiliorum ex ſola Dei inſtitutione volentis intuitu talis Sacramenti conferre ſpecialia auxilia in ordine ad proprios matrimonij actus; quales ſunt, concordia viri cum vxore, mutua vtriuſque dilectio, fides coniugalis, prolis honeſta generatio, & genitæ educatio, & inſtitutio in fide & pietate Chriſtiana. Sic liquet maniſeſtè ex hactenus dictis. 14

Sectio III.

Quid in ſacramento matrimonij ſit ſacramentum tantùm, res tantùm, ac res & ſacramentum ſimul.

Circa hanc rem *primùm* in genere ſupponendum eſt, in ſingulis Sacramentis eſſe omnino neceſſarium admittere diuiſionem bimembrem, nempe in Sacramentum, & rem Sacramenti, ſacramentúmque dicere illud quod rem ſacram ſignificat, & producit: rem autem Sacramenti vocare illam rem, quæ Sacramento ſignificatur & producitur. Quare in ſingulis Sacramentis aſſignatur illud pro Sacramento, quod propriè Sacramentum eſt: vt in Baptiſmo, v.g. coniunctum ex ablutione, & verbis, *te baptizo*; & pro re Sacramenti, id eſt, effectu Sacramenti, qui etiam ſolet vocari ab Auguſtino multis in locis *virtus Sacramenti*, aſſignatur gratia ſanctificans, quam quodlibet Sacramentum ſignificat, & confert, e. g. in Baptiſmo gratiam generatricem. Hæc duo neceſſariò concedenda eſſe in ſingulis Sacramentis liquet, quia planè id continetur in ipſa doctrina fidei tradentis omne Sacramentum nouæ Legis ex Chriſti inſtitutione ſignificare, & conferre gratiam ſanctificantem. 1

Suppono *ſecundò*, in Sacramentis nouæ Legis Theologos communiter bono ſenſu diſtinguere illa tria memorata in titulo ſectionis, videlicet aliquid quod ſit Sacramentum tantùm, aliquid quod ſit res tantùm, & aliquid quod ſit res ſimul & Sacramentum. Nomen autem Sacramenti in hac diuiſione trimembri non ſignificat id ſolùm quod eſt ſignum practicum gratiæ, ſed extendi etiam & accipi latiùs pro ſigno rei ſacræ pertinente ad Sacramentum, licèt reuera non ſit pars intrinſeca Sacramenti. nam character, qui dicitur communiter res & Sacramentum, trium Sacramentorum, verè non eſt pars, ſed effectus Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis, eſt tamen ſignum, & ideo in latiori ſignificatione appellatur Sacramentum pro ſigno rei ſacræ. Præterea quando aliquid appellatur Sacramentum tantùm, non eſt ſenſus quòd in illo ſolo conſiſtat tota ratio illius Sacramenti, ſed quòd illud ita ſit ſignum rei ſacræ, vt nõ ſit 2

ſimul res ſignificata. Quare per hunc loquendi modum volunt Theologi explicare, in ſacramentis dari aliquid, quod ſignificat & non ſignificatur, & hoc appellant ſacramentum tantùm; rurſus dari aliquid, quod ſignificatur & non ſignificat, & hoc appellant rem tantùm; denique dari aliquid quod ſignificat,& ſignificatur, & hoc appellant rem ſimul & Sacramentum.

3 Suppono *tertiò*, prædicta tria facilè aſſignari in Baptiſmo,Confirmatione,&Ordine: nam materia & forma dicuntur Sacramentum tantùm; ſignificant enim gratiam, characterem, & alios effectus, & non ſignificantur: gratia verò dicitur res Sacramenti, quia ſignificatur & non ſignificat: character denique dicitur res ſimul & Sacramentum, quia ſignificat gratiam, & ſignificatur ab ipſo Sacramento ex Chriſti inſtitutione. Eadem tria faciliùs diſtinguuntur in Eucharistia: nam ſpecies ſunt Sacramentum tantùm, quia ſignificant Corpus Chriſti, & gratiam, cùm ipſæ non ſignificentur; gratia verò eſt res tantùm, quia ſignificatur, & non ſignificat: denique Corpus Chriſti eſt Sacramentum ſimul & res, quia ſignificat gratiam, & ſigoificatur à verbis & ſpeciebus.

4 His poſitis, quærimus in ſacramento matrimonij quænam ſint hæc tria aſſignanda. Communiter Doctores antiqui, & recentes docent, & meritò, in hoc Sacramento, materiam & formam, ſeu actus exteriores quibus conſenſus exprimitur, vel etiam contractum ipſum eſſe ſacramentum tantùm, quia ſignificant, & non ſignificantur: rem tantùm eſſe gratiam quæ virtute ſacramenti confertur, & eſt tantùm effectus; vnde eſt res tantùm, quia ſignificatur & non ſignificat. Denique rem & Sacramentum ſimul, eſſe vinculum, ſeu obligationem indiſſolubilem quæ remanet ex actione contrahendi. Quod vinculum indiſſolubile eſt quidem res Sacramenti, quia eſt effectus ipſius contractus matrimonij cui ſoli conuenit ratio Sacramenti, vt oſtendi præcedenti ſectione *num.* 1. vnde ſignificatur per coniunctionem conſenſuum; eſt etiam latè Sacramentum ſignificans rem ſacram, nam ob ſui indiſſolubilitatem ſignificat coniunctionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia, vel Verbi diuini cum natura humana Sic enim D. Auguſtinus *lib. 1. de nuptiis & concupiſc. cap.* 10. dicit hanc omnimodam indiſſolubilitatem eſſe rem Sacramenti. Huius, inquit, proculdubio Sacramenti res eſt, vt mas & fœmina connubio copolati, quamdio viuant, inſeparabiliter perſeuerent. Et *lib. de bon. coniug. cap.* 7. ſignificat eandem indiſſolubilitatem eſſe etiam Sacramentum, his verbis: Quid ſibi velit tanta firmitas vinculi coniugalis, quod nequaquam puto tantùm valere potuiſſe, niſi alicuius rei maioris quoddam Sacramentum adhiberetur. de quo plura *diſp. ſeq.* vbi videbimus maiorem indiſſolubilitatem matrimonio aduenisſe ex ratione Sacramenti. Et quamuis matrimonium ratum, tametſi ſit Sacramentum, adhuc tamen non ſit omnino indiſſolubile; habet tamen ex eo quod Sacramentum eſt, indiſſolubilitatem omnimodam ſaltem radicaliter, hoc eſt, inſtitutionem diuinam, vt ſecuta copula reſultet omnimoda indiſſolubilitas; quam tamen non radicaliter habet matrimonium conſummatum, nedum non conſummatum, inter infideles, eo quòd Sacramentum non eſt.

Sectio IV.

An matrimonium ab initio ſuæ inſtitutionis fuerit ſignum rei ſacræ, & aliqua ratione verè, & propriè Sacramentum?

Circa primum Baſilius Ponce *lib. 1. cap.* 11. *num.* 9 1
& 11. cum aliquibus Doctoribus, quos ipſe refert, cenſet matrimonium ab initio ſuæ inſtitutionis, non fuiſſe ſignum alicuius rei ſacræ, ſed id habuiſſe tantùm matrimonium nouæ Legis. Probat, quia id non conuenit matrimonio ex natura ipſa coniugij, vt liquet, cùm ſit res ſuperaddita illi; cùm ergo ſit res facti, oſtendi debet vnde conſtet Deum inſtituiſſe matrimonium ab initio, ad ſignificandam rem ſacram. Nihil autem eſt vnde probetur inſtitutum fuiſſe matrimooium ad eam ſignificandam.

Vaſquez verò cum alijs *diſp.* 2. *cap.* 6. oppoſitum 2
adeò ſentit verum eſſe, vt dicat *num.* 58. ſine nota aliqua negari non poſſe. Probat, quia non ſolùm fideliũ, ſed etiam infidelium matrimonium habet quidquid neceſſarium eſt, vt ſit ſignum coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ, quæ eſt res ſacratiſſima. Et firmat teſtimonio Pauli *ad Epheſ.* 5. vbi de omni matrimonio legitimo etiam infidelium locutus eſt, dicens: *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.*

Dico *primò*, negari non poſſe in omni matrimonio 3
Adami & Euæ, & omnium poſterorum ſiue fidelium, ſiue infidelium, fuiſſe aptitudinem ad hoc vt eſſet ſignum rei ſacræ, ad ſignificandam nimirum coniunctionem Dei cum anima per gratiam, coniunctionem Chriſti cum Eccleſia per fidem, & coniũctionem indiſſolubilem Verbi cum natura humana per vnionem hypoſtaticam. Ita omnes. Ratio eſt manifeſta, quia in omni matrimonio eſt ſufficiens fundamentum ad fundandam huiuſmodi repræſentationem, vel ſignificationem. Quoniam fundamẽtum ſolùm eſt mutuus conſenſus, & amor per quem in matrimonio eorum quilibet alteri vt coniugi ſic adhæret, vt propter eum amorem patrem & matrem deſerat; qui certè conſenſus & amor illam Dei cum anima, & Chriſti cum Eccleſia, & Verbi cum natura humana ſibi hypoſtaticè vnitâ coniunctionem non ſolùm ſufficienter, ſed aptiſſimè repræſentare poteſt. Reſpondebis ſolùm matrimonium Chriſtianorum poſſe repræſentare Chriſti cum Eccleſia coniunctionem; quia ſoli Chriſtiani cõiuges ſimul inter ſe ſupernaturali dilectione vniũtur. Sed contrà eſt, quia ad prædictam ſignificationem & repræſentationem nullo modo eſt neceſſaria in cõiugatis etiam iuſtis, charitas ſupernaturalis, ſed ſolus mutuus in matrimonium conſenſus, & ad inuicem amor naturalis ex quo patrem & matrem deſerunt, vt ſibi mutuò adhæreant: aliàs enim improborum Chriſtianorum coniugium, ac mutuus amor, & in matrimonium conſenſus naturalis non poſſet ſatis expreſsè referre, & aptè ſignificare prædictam Chriſti coniunctionem; quod eſt abſurdum manifeſtum, & à nemine conceditur, nec concedi poteſt.

Dico *ſecundò*, in omni matrimonio, ſiue ſit fide- 4
lium, ſiue infidelium, eſſe actualem repræſentationem & ſignificationem, vel charitatis Dei cum anima, & coniunctionis Chriſti cum Eccleſia per charitatẽ, vel Verbi cum natura humana per Incarnationem, atque adeò matrimonium ab initio ſuæ inſtitutionis fuiſſe, & eſſe ſignum rei ſacræ. Ita Vaſquez *citatus*, Ludouicus Mꝛtatius *tract. de matr. diſp.* 2. *ſect.* 6.

&

& eſt communior inter Doctores ſentētia. Probatur id *Primò* auctoritate trium ſummorum Pōtificu, imò Eccleſiæ totius dicentis, omnia matrimonia iam à mūdi principio inita eſſe Sacramenta: vel ſignum cōiunctionis Chriſti cum Eccleſia. *Primum* ſit Leo I. *in epiſt.* 90. aliàs 92. *c.* 4 ſic ait. Vnde cùm ſocietas nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, vt præter ſexuum coniunctionem haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum, dubium non eſt eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuiſſe myſterium. Quibus verbis clariſſimè docet matrimonia omnia iam à mundi principio inita habuiſſe in ſe Chriſti, & Eccleſiæ Sacramentum, id eſt, Chriſti cum Eccleſia coniunctionis ſignum fuiſſe, eaque ſola matrimonia carere hoc ſigno, ſeu Sacramento, quæ legitima non ſunt: quia, vt primis & poſtremis illius capitis quarti verbis loquitur, Non omnis mulier iuncta viro vxor eſt viri, quia aliud eſt nupta, aliud concubina. *Secundum* eſt Innocentius III. *cap. gaudemus, de diuortiis*, vt oſtendat per Baptiſmum non ſolui coniugium infidelium, præmittit hæc verba: Quòd cùm Sacramentum coniugij apud fideles & infideles exiſtat, &c. Quibus verbis, non de Sacramento propriè & ſtrictè, prout eſt ſignum gratiæ, ſed laxè, prout eſt ſignum rei ſacræ, vel coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, Innocentium loqui, inficiari nemo poteſt; nam alia ratione Sacramentum non eſt; priori autem illo modo nemo dixit inter infideles Sacramentum eſſe. Denique Innocentius I. in *epiſt.* 22. *cap.* 2. & refertur *canone deinde, diſt.* 26. decernit bigamos ob bigamiam à ſuſceptione ſacrorum Ordinum excludendos eſſe, non eos ſolùm, qui iam fideles & baptizati duas ſucceſſiuè vxores duxerunt, ſed illos quoque, quibus adhuc infidelibus idem contigit, & poſtea baptizantur, neque ipſo Baptiſmo purgari, cuius rei ratio vnica eſt tradita ab Innocentio III. *c. debitum, de bigam. non ordinandis*, quia nimirū eo ipſo quo bigamus eſt, aliquid de norma, ſeu perfectione Sacramēti amiſerit, neceſſarium profectò eſt ſecundùm cuiuſuis bigami cum altera vxore matrimonium adhuc Sacramentum eſſe, ſed aliquid perdidiſſe de Sacramenti perfectione. quam primum eiuſdem matrimoniū habuit. At ſi matrimonium infidelium non eſſet Sacramentum, ſeu ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, infideles plures ducentes vxores non amitterent vllam normam, aut aliquid de hac ſignificatione, ac proinde bigamia in eis impedimento non eſſet, quominus rectè ordinari poſſent: nam impedimentum non aliunde niſi ex defectu ſignificationis oritur, vt *in dicto cap.* Innocentius III. definit. Conſtat igitur huiuſmodi infidelium matrimonium, atque adeò & omne verū matrimonium ab initio eſſe ſignum coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ.

5 *Secundo* id probo teſtimonio D. Pauli *ad Ephes.* 5. vbi Paulus vt ſuadeat viris diligere vxores ſuas tanquam carnem propriam, ſicut Chriſtus dixit Eccleſiam, adducit verba illa matrimonij, quæ Adam *Geneſ.* 2. pronuntiauit in paradiſo, dicens. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Ipſe verò proximè ſubiungit. *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Circa quem locum conſtat *primò* loqui Apoſtolum de matrimonio Adami & Euæ; vt declarat pronomen illud *hoc*; quod ſanè demonſtrat id quod præceſſit, videlicet dictum matrimonium illis verbis Geneſeos explicatum: *propter hoc relinquet homo*, &c. Præterea liquet, Sacramentum, ſeu myſterium hoc loco à Paulo appellari non ipſam Chriſti cum Eccleſia coniunctionem, ſed ipſum viri & fœminæ matrimonium, prout denotat & ſignificat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia. Tum, quia illud pronomen *hoc*, referre debet id quod proximè præceſſerat, cùm ait Paulus *Sacramentum hoc*; nihil autem præceſſerat de cōiunctione Chriſti & Eccleſiæ, ſed de matrimonio viri tantùm & mulieris, illis verbis: *Propter hoc relinquet homo patrem*, &c. Ergo Paulus non coniunctionem Chriſti & Eccleſiæ, ſed matrimonium viri & mulieris, *propter quod relinquet homo patrem & matrem*, Sacramentum, ſeu ſignum prædictæ rei ſacræ appellauit. Tum etiam, quia alioquin ratio Pauli nullius eſſet roboris ad ſuadendum id, quod volebat: nam ſuadebat viris vt diligerent vxores ſuas tanquam carnem propriam, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam ſuam; hoc autem non rectè ſuaderet, ex eo quòd coniunctio Chriſti cum Eccleſia magnum eſſet Sacramentum, ſeu myſterium. Quis hoc non videat? rectè tamen intentum ſuadet, ex eo quòd matrimonium ipſorum eſſet Sacramentum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia: ſic enim imitari ipſum Chriſtum deberent, diligendo nimirum vxores ſuas tanquam carnem propriam, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam. Tum denique, quia in Græco non dicitur, *in Chriſto & in Eccleſia, ſed in Chriſtum & in Eccleſiam*, intellige, tendens, ad horum nimirum coniunctionem ſignificandam. Vt denotet Paulus, myſterium, ſeu Sacramentum, de quo loquitur, ad Chriſtum, & Eccleſiam eius, tanquam ad rem ſignificatam, referri, & terminari; & in eo eſſe, vt ipſum Chriſtum, & Eccleſiam occultâ quadam & myſtica ſignificatione repræſentet. Rurſus libeat animaduertere quomodo matrimonium appelletur à Paulo *magnum Sacramentum*; ſic enim denominatur, quatenus eſt ſignum rei ſacræ, ſignificans coniunctionem Chriſti & Eccleſiæ; quatenus enim ſignificat vnionem illam magnam, & admirabilem Chriſti & Eccleſiæ, eatenus magnum eſt Sacramentum, magnum, inquam, ſua ſignificatione & repræſentatione rei magnæ. Ex quibus vltimò infero, matrimonium Adæ & aliorum ante Chriſtum fuiſſe Sacramentum, ſeu ſignum, id eſt, typum futuræ vnionionis Chriſti & Eccleſiæ; matrimonium verò fidelium legis nouæ poſt Chriſtum, qui moriens in cruce ex ſe ipſo formauit Eccleſiam ſponſam ſuam, eſt Sacramentum, id eſt, ſignum perfectiſſimum eiuſdem vnionis iam factæ.

Denique probatur concluſio ratione: quia eſt 6
magna ſimilitudo & proportio ad prædictam ſignificationem; ergo eam expreſsè refert. Antecedens conſtat, quia quodlibet matrimonium verum in fieri, ſeu in ratione contractus præcisè, quo pacto eſt diſſolubile in aliquibus caſibus ab Eccleſia, benè ſignificat coniunctionem Dei cum anima per gratiam, quæ ſeparabilis eſt: idem verò in facto eſſe prout eſt conſummatum, & vinculum matrimonij inter baptizatos redditur adeò indiſſolubile, vt non ſolùm in coniugatis, ſed neque in tota Eccleſia poteſtas ſit ad illud diſſoluendum, ſignificat coniunctionē Chriſti cum Eccleſia per fidem, & per vnionem hypoſtaticam. Idque voluit Paulus *loco ſupra explicato*. Quare matrimonio generatim ſūpto nō vna tantùm, ſed multiplex & diuerſa ſignificatio, conuenit; ſignificat enim coniunctionē Dei cū anima fideli per gratiā; ſignificat etiā coniūctionem Chriſti cum tota Eccleſia, quā ſibi deſpōſauit per fidē in Baptiſmo; ſignificat denique coniunctionem hypoſtaticā verbi cum Eccleſia per naturæ conformitatem, nam ex ea oritur, vt fratres nos vocet; ſicut enim communicauimus carni & ſanguini, ſic etiam ipſe ſimiliter participauit

pauit iiſdem. Conſtat autem has diſtinguendas eſſe ſignificationes; quia prima eſt vnionis per modum connubij, quæ eſt gratia, ſignificata per quodlibet matrimonium in fieri, quod ſicut verè tranſit & diſſolubile eſt aliquando, ſic etiam ea vnio diſſolubilis eſt. Aliæ duæ ſignificationes quæ omnino indiſſolubiles ſunt vinculo matrimonij in facto eſſe poſt conſummationem, inter baptizatos aptè conueniunt.

Ex quibus manifeſtè colligitur aliquas dictas ſignificatiooes conuenire matrimonio à ſui initio, ſeu ab eius inſtitutione. Quamuis enim id non conueniat matrimonio ex natura ipſa coniugij, vt liquet, cùm ſit res ſuperaddita illi; conuenit tamen ex eius diuina inſtitutione, nam Deus inſtituit matrimonium ad prædicta ſignificaoda. Conſtat enim ex loco Pauli expoſito, & ex Pontificum dictis inſtitutum fuiſſe matrimonium ad eas referendas ſignificatiooes, non ſolùm in lege noua, quando fuit eleuatum à Chriſto ſacramentum nouæ legis, ſed etiam à ſui initio, modo dicto. Ex quo patet ſolutio ad argumentum Baſilij.

7 Dico *vltimò* perfectius habere prædictas ſignificationes matrimonium baptizatorum. Ratio eſt, quia hoc eſt magis indiſſolubile. Vnde hac de cauſa D. Auguſtinus aliquando dixit illud huic ſoli conuenire. Aliter tamen matrimonium ratum, aliter conſummatum ſignificat vnionem Chriſti cum Eccleſia: nam quod eſt ratum, cùm ſit diſſolubile ante conſummationem, tunc tantùm ſignificat vnionem Chriſti cum Eccleſia ſecundùm gratiam & charitatem, quæ cum ſingulis membris in particulari, dum ſunt in via, poteſt diſſolui. At poſt conſummationem, per quam duo fiunt vna caro, ſignificat vnionem Chriſti cum Eccleſia indiſſolubiliter facta per Incarnationem, vt docet Innocentius III *c. debitum 5. de bigamis*. Sic enim matrimonium eſt adeò indiſſolubile, vt nullus ſit caſus in quo diſſolui queat. In quo differt à matrimonio conſummato infidelium, quod eſt diſſolubile in quodam caſu, nempe cauſa & bono fidei, quando nimirum vnus conuertitur ad fidem, alter verò non vult manere ſine iniuria creatoris.

8 Circa ſecundum, iam conſtat, matrimonium omne dici ſacramentum latè & impropriè prout eſt ſignum, non gratiæ ſanctificantis, ſed alterius rei ſacræ, nempe vnionis Chriſti cum Eccleſia, modo dicto. Conſtat etiam ex *ſectione ſecunda* iuxta definitiones Concilij Florentini & Tridentini, matrimonium ante legem gratiæ nullo modo fuiſſe propriè & ſtrictè ſacramentum, ex opere operato conferens gratiam. Solùm dubitari poteſt an ab initio mundi, & pro quouis ſtatu matrimonium fuerit cauſatiuum gratiæ, per modum conditionis; eo pacto quo in lege veteri Circumciſio erat ſacramentum, non quia propriè cauſaret gratiam, ſed quia ſe habebat tanquam quædam conditio, qua poſita Deus gratiam paruulis conferebat extraordinariâ quaſi liberalitate ob extremam paruulorum indigentiam, qui propriis actibus ſaluari non poterant: idque propter Chriſti merita, vt qui omnium Saluator erat conſtitutus, quantum in ſe erat, omnium hominum generi ſufficientia ſalutis remedia prouideret.

9 Petrus de Soto, & alij relati à Vaſquez *diſput. 2. c. 2.* affirmant etiam ab initio mundi, & in quouis ſtatu fuiſſe matrimonium verum Sacramētum inſtitutum à Deo in Paradiſo ad coniuges ſanctificādos per ipſū. Hanc autem inſtitutionem fuiſſe ex meritis paſſionis Chriſti, qui occiſus dicitur ab origine mundi ratione efficacitatis ſuorum meritorum. Et quamuis Petrus de Soto *lib. de inſtit. ſacramentum lect. 2.* de matrimonio dicat inſtitutum fuiſſe matrimonium in ſacramentum in eo loco Matth. 19. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet*; tamen etiam dicit priorem inſtitutionem fuiſſe in ſtatu Innocentiæ. *Matth.* autem 19. *cap.* reductum fuiſſe matrimonium ad priorem ſuam originem; & ita potius ibi fuiſſe confirmatum, quàm inſtitutum.

Probari poteſt *primò*, quia cùm Deus matrimonio primorum parentum, & in eo cæteris etiam benedixerit *Gen. 2.* cùm dixit, *creſcite, & multiplicamini*; conſequi videtur gratiam in eo contuliſſe, & in cæteris promiſiſſe, eo quòd ſermo Domini efficax ſit; Dei autem benedictio efficax gratiam operatur, cuius non leue indicium eſſe videtur, quòd non aliis animantibus ad generationem, ſed ſoli homini benedixiſſe videatur.

Secundò probatur; quia ſi ex aliquo loco colligi poteſt matrimonium eſſe Sacramentum, maxime ex illo ad *Epheſ. Sacramentum hoc magnum eſt*, &c. ex hoc autem loco non colligitur à Chriſto primum in lege Euangelica fuiſſe inſtitutum, ſed à Deo à principio mundi: nam verba hæc Apoſtoli, vt vidimus, non de matrimonio poſt legem Euangelicam ſolùm, ſed de omni ab initio mundi intelliguntur; ac proinde ex hoc loco ſequitur, ſemper ab initio fuiſſe Sacramentum à Deo inſtitutum.

Tertiò, Leo I. *in epiſt. 90. ad Ruſticum cap. 4.* ait ſocietatem nuptiarum ita fuiſſe ab initio conſtitutam, vt præter ſexuum coniunctionem haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum.

Vaſquez verò citatus *cap. 3. num. 16.* ſentit eſſe prædictam ſententiam condemnatam in Conciliis Florentino, & Tridentino. 10

Primò, quia Eugenius IV. in illo decreto fidei poſt vltimam ſeſſionem definit ſeptem eſſe nouæ legis ſacramenta, inter quæ matrimonium recenſet: cùm ait *nouæ legis*, planè denotat poſt aduentum Chriſti in ſtatu nouæ legis fuiſſe ab ipſo Chriſto inſtituta. Præterea dicit hæc ſeptem ſacramenta nouæ legis multum à Sacramentis antiquæ legis differre, quòd illa non cauſabant gratiam, ſed dandam per Chriſtum ſignificabant; hæc autem & continent, & cauſant illam: ſi autem ab initio matrimonium fuiſſet Sacramentum, & gratiam conferret, etiam in lege naturali, non fuiſſet peculiare Sacramentum nouæ legis, id quod Eugenius definit.

Secundò, ſi matrimonium inſtitutum eſſet Sacramentum ab initio mundi, ad conferendam gratiam vtcumque; certè in lege Euangelica non præſtaret gratiam antiquis connubiis, vt ait Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. vnico*, cùm in illis etiam gratia daretur.

Tertiò, in Tridentino *ſeſſ. 24. can. 1.* expreſſè damnantur, qui dixerint matrimonium non eſſe Sacramentum à Chriſto inſtitutum, aut non eſſe Sacramentum nouæ legis, videlicet quòd ante illam ſacramentum non eſſet. Eodem modo damnantur *ſeſſ. 7. can. 1. de ſacramentis*, qui negauerint ſacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Chriſto Domino noſtro inſtituta, vbi citra dubium intelligitur à Chriſto fuiſſe nouè, & primò inſtituta.

Dico *primò*, veriſſimam eſſe Doctorum omnium 11 vnanimem ſententiam, ab initio mundi, ac pro quouis ſtatu ante legem Euangelicam non fuiſſe matrimonium cauſatiuum gratiæ, etiam per modum conditionis, vt dicitur de circumciſione veteris legis. Probatur id *primò* ex Catechiſmo Pij V. *tit. de matrimonio. §. Iam verò*, vbi expreſſè dicitur, matrimonium ante Euangelium verâ ſacramenti ratione caruiſſe. *Secundò* id firmari poteſt argumentis adductis quæ pro ſe affert Vaſquez, nempe quòd matrimonium dicitur à Conciliis Florentino, & Tridentino eſſe inſtitutum à Chriſto in ſacramentum; quod in rigore non

non eſſet verum, ſi iam antea fuiſſet ſacramentum. Deinde, quia etiam dicitur ab eiſdem Conciliis, ſacramentum matrimonij nouæ legis præſtare gratiam antiquis connubiis. At eam ipſis non præſtaret, ſi ipſa eam gratiam iam antea habuiſſent, quamuis non eodem modo. Denique probatur, quia non eſt ſufficiens fundamentum ad contrarium aſſerendum, quod certè neceſſarium eſt, vt concedamus eſſe in re ipſa facta, quæ pendent ab inſtitutione ſolâ, & Dei beneplacito; aliàs ſine fundamento loqueremur in eis.

12 Dico *ſecundò*, non videtur eſſe contra fidem aſſerere matrimonium ab initio mundi, & pro omni ſtatu fuiſſe verum ſacramentum per modum conditionis. Eſt contra Vaſquez, qui, meo iudicio, exceſſit in damnandis de hæreſi tot Doctoribus Catholicis. Probatur dictum, quia tametſi prædictæ definitiones Florentini & Tridentini probent optimè vt de fide, matrimonium fuiſſe denuò à Chriſto eleuatum, & inſtitutum ad nouam aliquam rationem ſacramenti, nempe cauſantis gratiam ex opere operato, quod eſt proprium ſacramenti nouæ Legis, atque adeò caruiſſe ab initio eâ ratione ſacramenti; at non conuincunt expreſsè, ita vt faciant rem de fide, non habuiſſe etiam antea rationem aliam ſacramenti cauſantis gratiam imperfectè, & per modum conditionis, vt faciebat Circumciſio in Lege veteri. Vt verò aliquid aſſeratur eſſe de fide, & oppoſitum hæreſis ſit, requiritur manifeſta Dei reuelatio, vel Eccleſiæ definitio. Firmo, quia ſi rectè ponderentur omnia quæ pro ſe affert Vaſquez, ſatis verificantur ex eo præcisè, quòd matrimonium ſit denuò eleuatum à Chriſto ad peculiarem rationem ſacramenti nouæ Legis, per ſe, & ex opere operato gratiæ ſanctificantis cauſatiui.

13 Hinc patet ſolutio ad argumenta primæ ſententiæ, quæ optimè probant ab initio mundi, & pro quouis ſtatu matrimonium fuiſſe ſacramentum impropriè ac latè ſumptum, prout dicit ſolum ſignum rei ſacræ diuinitus inſtitutum. Nam matrimonium Adami & Euæ ab initio fuit ſignum coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ, idémque eſt de aliis matrimoniis poſtea initis: in eo igitur ſenſu fuerunt ſemper ſacramenta. At nihil amplius probant. Neque aliud voluit Leo primus. Neque etiam D. Paulus, qui matrimonium etiam ab initio mundi, vocat ſacramentum, non quia ex tunc gratiam conferat, & ſit propriè ſacramentum, ſed quia ob ſui indiſſolubilitatem repræſentat coniunctionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia, ex quo habet eſſe latè ſacramentum: quod etiam modò conuenit matrimonio Gentilium. Illud verò de benedictione, non eſt ad rem, quia benedictio illa fuit ad corporalem multiplicationem, & non ad gratiam ſpiritualem; quia ſimilis benedictio data fuit cæteris animantibus gratiæ incapacibus.

Sectio V.

An matrimonium ſit vniuocè ſacramentum cum aliis nouæ Legis; & ſit vnicum ſpecie, & numero in vtroque coniuge.

1 DVrandus *in 4. diſſic. 16. q. 3.* dixit non eſſe vniuocè, ſeu genericè ſacramentum, cum aliis ſacramentis nouæ Legis, gratiam conferens, ſed tantùm æquiuocè. Probat, quia reliqua ſacraméta adhibentur ad aliquid ſupernaturale conferendum; at matrimonium ſolùm videtur inſtitutum ad generationé prolis.

Alij verò ſentiunt in vtroque coniuge eſſe duo matrimonij ſacramenta partialia, & vnum totale: ſicut in Euchariſtia, in qua ſub duplici ſpecie panis & vini dantur duo ſaltem partialia ſacramenta, vnum conferens gratiam per modum cibi, & aliud per modum potus; ex quibus componitur vnum totale ſacramentum refectionis per modum conuiuij.

Denique alij opinantur eſſe vnum contractum in duobus coniugibus contrahentibus, eſſe verò duo ſacramenta numero diſtincta. Quia hæc multiplicantur, iuxta numerum ſuſcipientium, qui ſunt duo.

Dico *primò*, certum eſſe apud omnes, ſacramentum matrimonij eſſe vniuocè & genericè ſacramentum, cum aliis nouæ Legis conferens gratiam illi ſtatui conuenientem. Ratio eſt, quia in ratione ſigni ſacri verè conueniunt. Præterea hoc ſacramentum eodem modo continet, & confert gratiam, quo alia ſacramenta: ſicut enim alia ſacramenta nouæ Legis ex diuina inſtitutione conferunt gratiam ſanctificantem ex opere operato, ita & hoc ſacramentum: & ſicut alia ſacramenta præter gratiam ſanctificantem, & dona, conferunt etiam gratiam ſacramentalem, quæ, vt vidimus *ſuprà*, addit ſupra gratiam virtutum & donorum aliquod ſpeciale auxilium ordinatum ad proprium finem ſacramenti; ita ex vi ſacramenti dantur peculia auxilia coniugibus, ad reprimendam concupiſcentiam, & ſeruandam fidelitatem matrimonij, & ad ſuſtinenda onera matrimonij. In diuerſis enim ſacramentis dantur diuerſæ gratiæ ſacramentales ad diuerſos fines ſacramentorum. Cùm igitur per matrimonium detur facultas ad prolis generationem, & educationem, & ad mutuam cohabitationem, ad hoc dantur ſpecialia gratiæ auxilia per ſacramentum ipſum matrimonij. Vnde falſum eſt matrimonij ſacramentum eſſe in Lege noua inſtitutum tantùm ad generationem; nam etiam eſt inſtitutum ad ſignificandam & conferendam gratiam ſtatui coniugali conuenientem. 2

Dico *ſecundò*, vnicum tantùm eſſe ſpecie ſacramentum matrimonij in vtroque coniuge. Ita omnes. Ratio eſt, quia licèt ibi ſint duo coniuges materialiter & in genere entis, attamen eſt vnicum coniugium conflatum ex illis, & vnicum ſignum repræſentans vnicam vnionem Chriſti cum Eccleſia, & eſt vnica materia, & vnica forma, & neutra per ſe hoc repræſentat. Quod longè aliter contingit in Euchariſtiæ ſpeciebus; nam quæuis per ſe conſtat ſua propriâ materiâ & formâ, habétque veram ſigni rationem, & gratiam confert per modum cibi, vel potus, tametſi vtraque ſimul ſignificet & conferat gratiam per modum conuiuij. 3

Dico *tertiò*, ſacramentum matrimonij non eſſe niſi vnum numero in duobus contrahentibus. Patet, quia eſt eſſentialiter contractus, qui tantùm eſt vnus inter duos. Eſt enim contractus ſignum externum practicum, vltro citróque obligationem ex conſenſu contrahentium pariens, vnde neceſſe eſt, vt ſaltem ſit inter duos qui exprimant mentem ſuam, & ſeſe viciſſim alter alteri obligant, & iura commutant. Nec vllo pacto abſurdum eſt vnum accidens morale eſſe in diuerſis ſubiectis. Nam vna numero poteſtas eligendi Epiſcopum eſt in toto Capitulo, & eligendi Principem in tota Republica. 4

***

Digitized by Google

Sectio VI.

Quænam ſit materia & forma Sacramenti matrimonij.

1 PONO *primum* vt certum apud omnes contra Canum *lib.8. de locis Theologicis cap. 5.* verba illa ſacerdotis aſſiſtentis matrimonio, ac dicentis, Ego vos coniuogo, non eſſe formam huius ſacramenti. Patet primum ex Concilio Florentino, & ex decreto Eugenij IV. dum loquens de ſacramento matrimonij dixit, cauſa efficiens matrimonij (id eſt, vinculi orti ex ipſo contractu eleuato ad ſacramentum) regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus; & nullam aliam cauſam aſſignat. Sentit igitur conſenſum contrahentium, & eius exteriorem expreſſionem, & non ſacerdotis verba perficere ſacramentum matrimonij. Quòd ſi verba ſacerdotis non perficiunt hoc ſacramentum, neque erunt forma illius. Præterea idem conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 1 de reformatione*, vbi expreſsè docet matrimonia clandeſtina contracta, id eſt, ſine Parocho, & teſtibus antequam ab Eccleſia irritarentur, fuiſſe rata, ac vera matrimonia, adeò vt dicat proinde iure damnandos eſſe illos, vt eos ſancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata eſſe negant. Quibus verbis ſatis declarauit habuiſſe quoque rationem veri ſacramenti Nam illa matrimonia clandeſtina vocat rata formaliter; at matrimonium à ratione ſacramenti habet eſſe ratum. At ex ſententia Cani contrarium ſequitur, nempe omnia matrimonia clandeſtina validè olim contracta non fuiſſe ſacramenta; imò etiam & matrimonia contracta coram Parocho & teſtibus, ſi ille nihil loquatur, non eſſe ſacramenta. Quare dicendum eſt verba illa ſacerdotis, Ego vos coniungo, non eſſe neceſſaria, nedum eſſentialia, vel formam ſacramenti; ſed eſſe tantùm ceremoniam accidentalem, nec aliud ſignificare, quàm, declaro vos coniunctos eſſe. Vnde ſine his verbis & verè coniunguntur, & matrimonium eſt omnino validum, vt docet manifeſtè Tridentinum.

2 Pono *ſecundo*, etiam vt conſtans apud Doctores, materiam in ſacramento matrimonij non eſſe ſigna externa quibus contrahentes exprimunt ſuos conſenſus, & formam non eſſe in quolibet matrimonio verbum illud Dei ſanctificans matrimonium ſemel prolatum, quod habetur *Gen. 2. & Matth. 19. Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*, vt docuit Catherinus *opuſculo de matrimonio quæſt. 1.* Ratio eſt, quia ad nouum & diſtinctum ſacramentum, & ad nouam & diſtinctam materiam, requiritur noua forma nouiter repetita, nam forma eſt quæ dat ſpeciem rei determinatam; ergo verbum illud quod in rigore fuit ſemel tantùm prolatum, & eſt vnum numero, nequit eſſe forma pro pluribus & omnibus innumerabilibus matrimoniis.

3 Pono *tertiò*, neque internum conſenſum contrahẽtium eſſe materiam, & verba, vel ſigna externa eſſe formam; neque econtra verba eſſe materiam, conſenſum verò formam. Patet, quia ſequeretur vel materiam, vel formam ſecundùm ſe totam eſſe rem inſenſibilem contra rationem ſacramenti, quod debet eſſe ſignum ſenſibile; idque ex vtraque ſua parte, ita vt tam forma, quàm materia ſint aliquo modo ſenſibilia. Nam vtraque pars debet concurrere ad conſtituendum ſignum ſenſibile in ratione perfecti ſigni; quod fieri non poſſet ſi alterutra eſſet ſe tota inſenſibilis; quia omnino inſenſibile non poteſt cum alia concurrere ad aliquid conſtituendum ſub ratione ſigni ſenſibilis: ſicut omnino ſpirituale non poteſt compoſito dare eſſe materiale. Firmo idem dictum, quia verba, vel ſigna externa videntur ſe tenere ex parte conſenſuum, quos ſignificant, & exprimunt, & cum eiſdem per modum vnius, vel eodem quaſi modo concurrunt; nam verba illa, vel ſigna vt ſic, ſunt merè expreſſiones conſenſuum, & nihil ampliùs; ergo eandem partem component; atque adeò ſi conſenſus ſunt huius ſacramenti materia, talis etiam erunt verba, vel ſigna externa; ſi verò illi ſunt forma, erunt verba, vel ſigna etiam forma.

Pono *vltimò*, neque verba, quæ à priori contrahente proferuntur, eſſe materiam; quæ verò à poſteriori, formam, vtpote determinantia verba prioris. Patet, tum quia matrimonium non haberet materiam & formam certas, ſed vagas; & in poteſtate contrahentium eſſet ex materia facere formam, & ex forma materiam. Tum etiam, quia in hoc ſacramento ſemper eſt eadem materia & forma aſſignanda, quia ſemper eſt vnum & idem ſecundùm ſpeciem: & tamen quando contrahentes ſimul tempore proferrent verba ſuorum conſenſuum expreſſiua, in ſacramento matrimonij ſic facto, non poſſet dicto modo materia & forma aſſignari, ergo neque quando vnus poſt alterum exprimit ſuum conſenſum: ſaltem modus iſte inſufficiens eſſet, quia pro caſu dicto non aſſignat materiam & formam, Tum denique, quia verba vtriuſque æquè ſe habent ad matrimonij ſacramentum; ergo non eſt cur potiùs priora ſint materia, & poſteriora ſint forma. 4

His poſitis reſtat difficultas cum Recentibus, an materia ſacramenti matrimonij ſint corpora contrahentium; conſenſus verò & eorum expreſſiones exteriores ſint forma; an potiùs mutuus conſenſus exteriùs expreſſus ſit materia prout ſignificat mutuam corporum traditionem, & ſit forma quatenus ſignificat mutuam corporum acceptationem. Illud primum defendunt Couarruuias *2. p. cap. 8 §. vnico.* Vaſquez *diſp. 3. cap. 5.* Baſilius Ponce *lib 1 c. 7.* Gaſpar Hurtado *diſp 3. difficult. 21. n. 79.* & non pauci Recentiores hac ætate. 5

Primò, quia nulla alia aſſignanda eſt matrimonio materia & forma in genere ſacramenti, præter eam quam habet in genere contractus; ſed materia matrimonij in genere contractus nulla alia eſt, niſi corpora contrahentium, & forma nihil aliud, niſi ipſorum actus, & ſigna, quibus conſenſus contrahendi legitimè exprimitur; ergo rectè hæc eadem pro materia & forma matrimonij in genere ſacramenti aſſignatur. Minor oſtenditur ex reliquis contractibus, in quibus res circa quas verſantur, & de quibus fiunt, ſunt materia circa quam: nam in contractu permutationis, & venditionis, res ipſæ quæ mutuo dantur, & accipiuntur, ſunt materia ipſius contractus; & in commodato, res quæ datur, & commodatur; & in aliis eodem modo; ergo in contractu matrimonij, qui conſiſtit in mutua corporum viri & fœminæ traditione, materia erunt ipſa corpora quæ traduntur. Quòd verò verba & ſigna exprimentia conſenſos ſint forma in matrimonij contractu, conſtat ſimiliter; quia forma aliorum contractuum ſunt ſimiliter verba vel ſigna quibus conſenſus contrahentium exprimuntur: nam cùm conſenſus ſic expreſſus compleat, & determinet rem ipſam, de qua contrahitur, vt talis circa illam contractus fiat, meritò verba & ſigna huiuſmodi exprimentia conſenſum, ſunt forma contractuum: & quemadmodum in aliis contractibus, vt hæc verba, vel ſigna cum conſenſu ſint forma, & perficiant contractum; debent eſſe legiti-

ma,

ma,hoc eſt nulla lege impedita,neque irrita,ita etiam in matrimonio.

Secundo idem oſtenditur ex decreto Eugenij IV. miſſo ad Græcos, poſt vltimam ſeſſionem Concilij Florentini §. 5. *Eccleſiaſticorum*, vbi dicit omnia Sacramenta perfici rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. Ergo in Sacramento matrimonij, res, ſcilicet corpora contrahentium, & verba exprimentia conſenſum, ſunt materia & forma.

6 Nihilominus tamen perplacet nobis communior ſententia, quæ docet vtriuſque coniugis conſenſum ſignis expreſſum externis, mutuo ſibi ſub diuerſa ratione acceptum eſſe materiam & formam Sacramenti matrimonij, materiam quidem prout mutuus contrahentium conſenſus expreſſus habet rationem traditionis corporum; formam verò eſſe eandem prout habet rationem acceptationis eorundem corporum. Ita ſtatuimus ſuprà *diſput*.14.*ſect*.2 de materia & forma matrimonij in ratione contractus cum Bellarmino, Suario, Sanchez, & Coninch. Conſtat autem nullam aliam matrimonio eſſe aſſignandam materiam & formam in genere Sacramenti, præter illam, quam in genere contractus habere debet. Quoniam certum eſt in ſchola matrimonium ex ſe primariâ naturæ ſuæ inſtitutione contractum quendam ciuilem eſſe. Præterea in confeſſo eſt apud omnes, contractui matrimonij nihil aliud ex Chriſti inſtitutione additum fuiſſe, niſi vt ſignum eſſet, & vim haberet dandi gratiam ipſis contrahentibus; nullo alio ei addito, aut ex parte miniſtri, aut materiæ, aut formæ, præter ea quæ ad rationem contractus requirebantur.

Iuxta doctrinam igitur ſuprà adductam *diſput*.14. *ſect*. 2

7 Dico *primò*, corpora contrahentium, licèt poſſint dici materia circa quam Sacramenti matrimonij, ſicut ſunt peccata pœnitẽtis materia circa quam Sacramẽti pœnitentiæ; non tamen eſſe materiam intrinſecam, & partem eſſentialem illius. Patet, tum quia in reliquis contractibus non poteſt, v. g. res empta, vel commutata, vel locata, dici materia ex qua conficitur contractus, ſed tantùm materia circa quam; negari enim non poteſt rem emptam eſſe materiam circa quam verſatur emptio; nequit tamen emptio componi eſſentialiter ex re empta; cuius rei ratio hæc eſt, quia obiectum non poteſt eſſe pars actus, qui circa illud verſatur. Videantur dicta ſuprà *ſect*. 2. *citatâ*, *n*. 1. Igitur ſimiliter dicendum eſt corpora contrahentium eſſe materiam circa quam Sacramenti matrimonij, non verò eſſe intrinſecam materiam, & partem eſſentialem illius. Tum etiam, quia in aliis Sacramentis, v.g. Pœnitentiæ, ad productionem gratiæ, etiam concurrit materia: at contrahentes ipſi non concurrunt niſi mediis actibus; ergo potiùs actus ipſorum debent dici materia.

8 Dico *ſecundò*, vtriuſque coniugis conſenſum ſignis externis expreſſum, quatenus habet rationem traditionis eſſe intrinſecam materiam; quatenus verò habet rationem acceptationis eſſe intrinſecam formam Sacramenti matrimonij. Hoc probaui ſuprà *ſect*. 2. *citatâ*, *num*. 10. Quia omnis promiſſio, vel traditio donec acceptetur, eſt de ſe inefficax, indifferens, ac indeterminata, vt rata ſit, vel irrita; per acceptationem autem determinatur ad eſſe ratum, & fit efficax ad producendam obligationem; proprium autem eſt formæ determinare materiam, & dare ei vim agendi: igitur illa traditio habet rationem materiæ, & acceptatio rationem formæ. Dixi in concluſione debere eos conſenſus externè exprimi; quia ſine ea expreſſione nequit dari contractus humanus humano modo ſenſibilis, atque adeò neque humanum matrimonium, & multò minus Sacramentum, quod debet eſſe ſenſibile. Quibus verò verbis, ac ſignis & modis fieri debeat hæc expreſſio, latè oſtendimus ſuprà integrâ *diſputationem* 15.

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum negatur minor, nam materia proxima & intrinſeca contractus, non ſunt res circa quas verſatur, hæ enim ſolùm ſunt materia extrinſeca, & circa quam. Argumento eſt, quia Doctores definientes contractum vt ſic ſecundùm ea quæ intrinſecè dicit, non faciunt mentionem de materia circa quam; quod deberent facere, ne definitionem minus integram traderent. Meritò autem illam omittunt, quia cùm ea materia ſit obiectum contractus qui verſatur circa ipſam, nequit eſſe pars intrinſeca illius; obiectum enim non eſt pars actus qui fertur circa ipſum. De conſenſibus verò ſigno externo expreſſis quo pacto ſint materia & forma matrimonij, iam eſt explicatum. 9

Ad ſecundum iam reſponſum eſt ſuprà *diſp*. 14. *ſect*.2. *num*. 15. vbi videantur etiam aliæ obiectiones propoſitæ contra noſtrum ſecundum dictum.

SECTIO VII.

Quis ſit miniſter ſacramenti matrimonij.

DIco *primò*, certum modò eſſe apud Doctores, ſacerdotem, aut Parochum non eſſe, nec vnquam fuiſſe proprium, aut neceſſarium miniſtrum huius Sacramenti. Probatur, tum quia ex communiſſima Doctorum ſententia, quam vt veram declaraſſe Pium V. affirmant non pauci, quando matrimonium celebratum coram Parocho eſt nullum ex aliquo impedimento dirimente, vel ex defectu conſenſus, vt fiat poſtea verum & validum, ſatis eſt, ſi tollantur, vel ſuppleantur defectus, etiam ſi tunc non aſſiſtat Parochus, nec coniungat coniuges: ſed hoc eſſet falſum, ſi Parochus eſſet verus & neceſſarius miniſter, quia ſine iſto nequit fieri Sacramentum, vt poſtea fit; ergo Parochus talis miniſter non eſt. Imò nec vnquã fuit, quia cùm miniſter Sacramenti ſit talis ex inſtitutione Chriſtus, non potuiſſet Eccleſia hoc immutare: vnde ſi ſemel fuiſſet, ſemper fuiſſet. Tum quia ante Tridentinum, ipſo aſſerente, vt vidimus *ſectione præcedenti num*.1. matrimonia clandeſtina erant valida, imò & rata; ergo erant Sacramenta: nam hæc duo idem ſunt in communi locutione Tridentini, & Doctorum Eccleſiæ, in qua omnia fidelium matrimonia ſunt Sacramenta. Tum denique, Concilium Florentinum intendens declarare eſſentialia huius Sacramenti; nempe materiam, formam, & miniſtrum, nec leuiter innuit exigi ad hoc ſacerdotẽ, vel Parochum, nec eius benedictionem; quod feciſſet, ſi ipſe eſſet neceſſarius eius miniſter: ſicut hunc aſſignauit in aliis Sacramentis, aliàs non explicaſſet eſſentialia, ſeu neceſſaria, ſed mancam doctrinam tradidiſſet, quæ multis eſſet occaſio errandi. 1

Dico *ſecundò*, ipſos contrahentes baptizatos eſſe verum & proprium miniſtrum huius ſacramenti. Ita communis ſententia. Probatur 2

Primò, quia illi qui ſunt effectores contractus matrimonij, ſunt etiam miniſtri illius vt ſacramenti, ſed tales ſunt contrahentes, qui ſe ipſos debent obligare, vt contingit in omnibus aliis contractibus; ergo & ipſi ſunt miniſtri matrimonij ſacramenti. Maior conſtat, quia Chriſtus non mutauit naturam contractus, ſed ſolùm eum eleuauit vt eſſet ſignum efficax gratiæ; ergo qui illum contractum facit, facit etiam tale ſignum.

Secundò,

Secundò, Florentinum latè aliorum ſacramentorum miniſtros explicans, matrimonij miniſtrum tacuit, quaſi manifeſtum relinquens non alium eſſe ſacramenti & contractum miniſtri; atque adeò ſicur in aliis contractibus ipſi contrahentes ſuis conſenſibus ſe ligant, nec alius præter ipſoſmet contractus efficiat, ita pariter in matrimonij ſacramento. Quod etiam inde colligitur, quia idem Florentinum docet conſenſum contrahentium eſſe cauſam efficientem matrimonij, id eſt, vinculi matrimonij.

Teriò, in omnibus aliis ſacramentis verus miniſter eſt qui exhibet formam determinantem materiam ad eſſe ſacramenti, & profert verba formæ, & per ea conficit ſacramentum; ergo & in hoc matrimonij ſacramento. At prædictam formam exhibent ſoli contrahentes acceptando externè traditionem corporum, & ipſi ſoli proferunt verba formæ; ergo neceſſe eſt vt ipſi ſoli ſint miniſtri, & ſimul efficientes & ſuſcipientes ſacramentum. Vnde cùm Parochus, vel ſacerdos ex præſcripto Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 1. de reformatione*, habito contrahentium conſenſu, dicit: Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vel aliis vtitur verbis, iuxta receptum vniuſcuiuſque prouinciæ ritum; non facit ipſe matrimonium, ſed factum declarat. Proinde enim eſt ac ſi dicat, coniunctos vos eſſe declaro, vel approbo coniunctionem veſtram. Argumento eſt, quòd hæc, vel ſimilia verba non ſint de eſſentia matrimonij, & ideò ſi omitterentur, adhuc verum fieret matrimonium & Sacramentum, dummodo adeſſent Parochus & teſtes, & conſenſus contrahentium intelligerent, etiam ſi non conſentirent, & inuiti aſſiſterent, vt dicemus infrà *ſuo loco*. Dixi in concluſione, contrahentes baptizatos, quia ſi tales non eſſent, forent quidem miniſtri contractus, non ſacramenti; quia infideles non poſſunt hoc recipere, cùm Baptiſmus ſit ianua Sacramentorum; vnde in hoc caſu non poſſent ipſum efficere, quia non poſſunt efficere ipſum, quin etiam recipiant; id enim ſine ſubiecto capaci eſſe non poteſt.

3 Dico *tertiò*, vt dicti contrahentes ſint actuales miniſtri huius ſacramenti, debent habere intentionem ſaltem virtualẽ, non ſolùm faciendi contractum ciuilem, ſed etiam faciendi contractum ſacrum, & religioſum, aut faciendi id quod intendit Eccleſia. Ita ferè omnes, & conſtat ex materia de Sacramentis in genere, & inductione in aliis omnibus: nam aliàs non eſſet intentio faciendi ſacramentum, quod de ſe eſt ſignum ſacrum. Quare ſicut ad Baptiſmum nõ ſufficit intentio faciendi lotionem communem, & naturalem, ſed requiritur intentio faciendi lotionem ſacramentalem, aut ſacram, vel faciendi quod facit Eccleſia, ita in ſacramento matrimonij.

4 Dico *quartò*, contrahentes non tantùm eſſe miniſtros, quando per ſe ipſos immediatè efficiunt contractum matrimonij; ſed etiam quando fit per procuratores, ipſi, & non procuratores ſunt miniſtri. Ita rectè notarunt Vaſquez *diſp. 3. cap. 7. n. 86.* Baſilius Ponce *lib. 1. cap. 10. n. 6.* & Gaſpar Hurtado *diſp. 3. diffic. ult. 22. n. 83.* Et ratio eſt, quia etiam tunc ipſi ſunt, qui moraliter dicuntur contrahere; quia quamuis procuratores, & non ipſi phyſicè eliciant conſenſus, & eos exprimant, quia tamen eos eliciunt & exprimunt virtute, & commiſſione ipſorum principalium, & nomine eorum, & pro eis, & non nomine proprio, neque pro ſe ipſis; ideo ipſi principales ſunt, qui moraliter dicuntur abſolutè contrahere, & non procuratores, niſi cum addito, nempe inſtrumentaliter, ſeu vt miniſtri inſtrumentales. Dicuntur verò miniſtri inſtrumentales, non ſolùm, quia virtute & commiſſione principalium contrahunt, ſed etiã quia pro ipſis principalibus contrahunt, eis accipientes alterum in coniugem, & non ſibi. Vnde conſenſus & eorum expreſſiones, vt fiunt à procuratoribus nomine principalium, & pro eis, & vt ad eos moraliter pertinent, dicuntur ad eſſentiam contractus & ſacramenti pertinere, vt oſtendi ſuprà *diſp. 14. ſect. 4. n. 4.* Qua de cauſa principales, pro quibus & quorum commiſſione fit contractus, non tantùm ſunt qui moraliter dicuntur efficere contractum, & ſacramentum, ſed etiam contractum & ſacramentum ſuſcipere, quia ipſi non tantùm cenſentur moraliter conſentire, & verba proferre, ſed etiam ea in ſe habere, & ſuſcipere, & non procuratores. Vnde

5 Colligo *primò*, ſi contrahentes ſunt miniſtri, quando matrimonium fit per procuratores, multo melius eſſe, quando contrahunt per epiſtolas, & per nuntios. Quia tunc ipſi ſunt qui phyſice conſentiunt, imò qui per epiſtolas contrahunt, etiam exprimunt conſenſus: atque adeò quando fit per epiſtolas, conſenſus coniugum, & ſcripturæ quibus exprimuntur, pertinent ad eſſentiam contractus, & ſacramenti, & quando per nuntios, conſenſus coniugum, & verba nuntij nomine coniugum prolata pertinent quoque ad eſſentiam contractus, & ſacramenti.

6 Colligo *ſecundò*, procuratorem & nuntium, cùm ſint inſtrumenta humana, & non inſenſibilia, vt eſt ſcriptura, quibus principales contrahunt, ſi ſint in amentia, aut ebrietate, non poſſe validè celebrare matrimonium; quia vterque, vtpote inſtrumentum humanum humano modo exercere debet officium ſuum.

Sectio VIII.

Quam diſpoſitionem requirat ſacramentum matrimonij ad conferendam gratiam in contrahentibus.

PRocedit quæſtio de diſpoſitione requiſita non ſolùm ad ſuſceptionem ſacramenti matrimonij, ſed etiam ad eius effectionem, quatenus contrahentes miniſtri ſunt illius.

1 Dico ergo *primo*, per ſe loquendo, ad ſuſceptionem licitam huius ſacramenti requiri gratiam ſanctificantem in contrahentibus, vt diſpoſitionem. Ita omnis Theologorum ſchola, in hoc enim omnes conueniunt. Ratio eſt, quia ſacramenta viuorum non ſunt inſtituta per ſe ad remiſſionẽ peccatorum mortalium; & dicuntur ſacramenta viuorum, quia ex ratione effectus ad quem inſtituta ſunt, vitam in ſuſcipiente prærequirunt. Vnde tantùm ſunt per ſe inſtituta pro his qui ſunt in gratia; ac proinde contra eorum dignitatem & inſtitutionem eſt ea ſuſcipere extra gratiam, ſeu in peccato mortali. Cùm igitur matrimonium ſit ſacramentum viuorum, debet quoque ſupponere vitam gratiæ. Vnde ſi quis exiſtimaret probabiliter de peccato commiſſo ſe eſſe contritum, non peccaret ſic contrahendo ob bonam fidem. Ad recipiendum verò hoc ſacramentum non prærequiritur neceſſariò vt prius ſua peccata confiteantur contrahentes, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum piè accedant, Ad id autem hortatur Tridẽtinum *ſeſſ. 24. cap. 1. de reformatione*, vt ſic tutiùs diſpoſitionem neceſſariam gratiæ conſequantur. Cæterùm hoc non eſt de neceſſitate, quia ſufficit vt habeant contritionem de peccatis mortalibus: nam ad ſolam

ſolam Euchariſtiam eſt neceſſaria præuia confeſſio. Quia tamen magna eſt gratiæ incertitudo, illud Tridentini ſuadendum omnino eſt, ne fortè aliàs tale ſacramentum cum obice ſuſcipiatur. Dixi *per ſe loquendo*; nam per accidens ſi quis haberet ſuorum peccatorum attritionem exiſtimatam contritionem, non ſolùm non peccaret ſic contrahendo, ſed etiam per accidens reciperet primam gratiam, vt dixi ſuprà *ſect.* 2. Quòd ſi contrahentes iudicarent ſe ſolùm attritionem habere, tenerentur confiteri, vel conteri.

2 Dico *ſecundò*, vt iuſtus per ſacramentum matrimonij quod licitè contrahit, accipiat gratiam, non egere alia diſpoſitione, quàm intentione illud ſuſcipiendi. Hoc etiam eſt certum, quia iuſtus ſemper eſt capax augmenti gratiæ, nec ſacramentum requirit in ſuſcipiente capace gratiæ, ſiue qui nullum habet obicem gratiæ, vllum actum, vt effectum ſuum producat, niſi qui neceſſarius eſt, vt humano modo ſuſcipiatur. Vnde patet nullum peccatum veniale etiam actu in ſuſceptione commiſſum, aut ante commiſſum, & adhuc placens, impedire omnino effectum ſacramenti, etſi cauſa ſit, cur minor ſit eius fructus: quia peccatum mortale eſt obex gratiæ ſanctificantis, non tamen veniale, hoc enim cum gratia conſiſtere poteſt.

3 Dico *tertiò*, peccare mortaliter miniſtrum ſacramenti matrimonij, nempe contrahentes, ſi illud in mortali conficiat. Ita de omni miniſtro ſacramentorum expreſsè aſſerunt Vaſquez 3. *p. diſp.* 136. *cap* 2. *&* 3. Baſilius Ponce *lib.* 1. *de matr. cap.* 8. *n.* 11. Lugo *de ſacramentis diſp.* 8. *n.* 149. Gaſpar Hurtado *diſp.* 3. *de matrimonio, difficult.* 22. *n.* 84. contra Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 6. *n.* 4. & Suarium *tom.* 3. *de ſacramentis diſp.* 16. *sect.* 3. *&* 4 cenſentes ſolum miniſtrum conſecratum peccare mortaliter, ſi miniſtret in mortali. Ratio optima ex præcepto naturali diuino ſumpta hæc eſt, quam adducit Vaſquez *citatus cap.* 3. D. Thomas 3. *p. q.* 64. *a.* 6. *in corpore*, quia miniſter ſacramentorum debet cum Deo qui eſt Dominus & auctor ſacramentorum, & ſanctificationis, conformari & conuenire; & cum ſanctitate ipſorum ſacramentorum & eorum miniſterio rectè congruere & adaptari: ſed qui in mortali ſacramenta miniſtrat, non rectè cum his conuenit; ergo mortaliter peccat. Minor probatur, quia Deus eatenus eſt auctor ſanctitatis per ſacramenta, quatenus ipſe ſanctus eſt; ſi enim ſanctus non eſſet, non intelligeretur quo pacto ſanctitatis auctor eſſe poſſet. Tum etiam ſacramenta eatenus ſunt cauſa gratiæ, quatenus ſunt conſecrata vt inſtrumenta ipſius Dei, eorumque miniſterium ad hoc deſtinatum eſt, vt homines fiant ſimiles ipſi Deo in ſanctitate: ergo miniſter qui exiſtens in peccato miniſtrat ſacramenta, neque ipſi Deo auctori, neque ſacramentis, neque miniſterio eorum rectè aptatur, atque adeò ex parte ſua, & ſacramenta ipſa contaminare, & erga Deum irreuerenter ſe gerere videtur. Quæ ratio nõ minus procedit in miniſtro non conſecrato, ac in miniſtro conſecrato, vt per ſe innoteſcit. Firmo, nam is qui in peccato mortali exiſtens ſacramentum aliquod efficit, indignè vtitur actione ſanctiſſimâ, qualis eſt ſacramentum ipſum, quod eſt opus ſanctiſſimum ad ſanctitatem producendam ordinatum, eſtque ipſius ſanctitatis ex opere operato collatiua; eſtque ipſa actio ſanctitatem producens, per quam Deus vt cauſa princeps ſanctitatis, & homo vt illius inſtrumentum inducit ſanctitatem, & iuſtificationem, quæ eſt & Dei operatio, & creaturæ cooperatio diuiniſſima. Hanc verò cooperationem ſanctiſſimam in peccato mortali, hoc eſt, mente à Deo alieniſſima, & immundiſſima exercere, grauis eſt irreuerentia in Deum cauſam præcipuam, & in ipſam operationem ſanctiſſimam.

Obiicies, miniſtrum conſecratum in peccato miniſtrantem ideo peccare, quia non ſe conformat cauſæ principali ſanctiſſimæ, & inſtrumento proximo ſancto, cum quibus conſecratus cooperatur; & miniſtrat ex officio, & tanquam miniſter publicus cauſæ principalis ſanctiſſimæ, atque adeò iſtum in peccato agere eſt iniuria grauis, tum Dei, tum ipſius actionis. Sed contra eſt, quia conſecratio quam habet miniſter conſecratus, non eſt aliud quàm quoddam ſacramentum, v. g. Ordo; ergo ſi ordinatus ſacerdos, verbi cauſa, in peccato baptizans, peccat mortaliter, quia non ſe conformat ſacramento quod habet: ergo etiam peccat, quia non ſe conformat ſacramento quod ipſe efficit, & gratiæ quam producit, & agenti principali Deo cum quo producit. At hæc tria cadunt in miniſtrum non conſecratum. Ergo, vel iſte grauiter peccat indignè miniſtrando, quod eſt intentum, vel ille grauiter non peccat. Aut ſi conſecratus peccat grauiter, etiam grauiter peccat, qui caret conſecratione. Si enim non ſe conformarit Deo principali agenti, & vni ſacramento quod miniſtrat, ſiue inſtrumento ſanctitatis, & ipſi productioni gratiæ; ſi hæc, inquam, triplex difformitas non eſt mortalis, vt in miniſtro non conſecrato fatentur aduerſarij; ſanè ſola difformitas conſecrati cum ſacramento quod habet, non eſſet peccatum mortale: ſi enim tres illæ difformitates ſimul non ſufficiunt ad culpam mortalem, cur iſta quarta ſola ſufficiet? Firmo amplius noſtrum tertium dictum ex P. Doctore Auguſtino Bernal, pietate, & doctrinâ de hoc noſtro æuo, ſi quis alter, optimè merito; cuius argumenta, & ſententias non ſemel in meis de Trinitate, & de Incarnatione operibus, tacito authoris nomine, propoſui, & nunc quæ inſtituto meo cohærebant, ex eiuſdem poſthumo *de ſacramentis in genere tractatu diſp.* 17. *sect.* 6. § 1. *n.* 103. *&* 104. ad verbum libuit transferre. Firmo igitur deſtruendo fundamentum aduerſariorum, qui ideò diſtinguunt inter miniſtrum conſecratum, & non conſecratum, vt negent fidelem qui contrahit matrimonium in mortali, peccare duplici peccato, vno indignæ receptionis, & altero indignæ adminiſtrationis. Nam vel agunt de conſecratione requiſita in miniſtro ad valorem ſacramenti, vt eſt ſacerdotium ad validè abſoluendum; vel etiam de non requiſita, ſed maximè idonea, vt eſt ſacerdotiũ ad baptizandum. Si agunt de conſecratione requiſita ad miniſterij valorem: ergo fidelis baptizatus in mortali contrahens matrimonium peccat mortaliter, non ſolùm peccato indignæ receptionis, ſed etiam indignæ adminiſtrationis. Habet enim conſecrationem, nempe Baptiſmum, & eius characterem eſſentialiter requiſitum, non ſolùm ad ſacramentum matrimonij validè recipiendum, ſed etiam ad validè miniſtrandum. Ideo namque, vt dicemus infrà *sect.* 12. baptizatus cum non baptizata contrahens, non recipit ſacramentum, quia deberet iſtud partialiter effici à non baptizata; hæc verò nequit ſacramentum illud efficere. Si verò agunt de conſecratione non eſſentialiter requiſita ad ſacramenti valorem, quæ maior abſurditas, quàm aſſerere presbyterum peccare grauiter ſi baptizet in mortali, quia conſecratus eſt, & laicum non peccare, quia conſecratus non eſt? eſt enim aſſerere neutrum quidem peccare grauiter, eo quòd non ſe conformet agenti principali ſanctitatis, inſtrumento proximo ſanctitatis, & ipſi effectui ſanctitatis, quæ in illo miniſterio ſe haberet omnino per ſe; ſacerdotem verò peccare, quia non ſe conformat conſecrationi, quæ ad illius

miniſterij

miniſterij valorem ſe haber omnino per accidens. Hæc ille. Quare dicendum eſt ad noſtrum inſtitutũ, matrimonium contrahentes, cùm ſint verè miniſtri, & per ſe ex inſtitutiune Chriſti, illud in mortali efficiendo, ac proinde illud irreuerenter tractantes, non leuiter, ſed grauiter peccare.

5 Dico *vltimo*, dictos contrahentes in mortali duplex peccatum mortale committere numero diſtinctum. Ita Baſilius Ponce, & Gaſpar Hurtado *citati*. Ratio eſt, quia peccant duplici de cauſa, & quia recipiunt Sacramentũ in mortali, & quia illud in mortali miniſtrant. Et quamuis matrimonium efficere, & ſuſcipere in peccato mortali, eodem modo ſpecifico opponantur virtuti religionis; ſunt tamen quaſi duo actus diſparati, ac proinde duo peccata numero diſtincta. Ex dictis

6 Colligo *primò*, ex propria inſtitutione Sacramenti matrimonij non eſſe tantùm vnum eius miniſtrum, quæ ſit cauſa gratiæ quæ in eo confertur, ſed à duobus partialibus miniſtrari, eo quòd natura contractus matrimonij nullo modo mutata eſt, ex eo quòd in Sacramentum fuerit inſtitutus à Chriſto, ſed manens in ſua natura conſecratus eſt. Quare cùm hic contractus poſtulet, vt minimùm duos, & huius Sacramenti miniſter non ſit, niſi ipſe qui recipit, ſequitur ex ſui inſtitutione à pluribus miniſtris partialibus miniſtrari poſſe. In aliis autem Sacramentis vnus tantùm inſtitutus eſt miniſter totalis, & integer, qui habeat poteſtatem adminiſtrandi. Ob id tamen non eſt dicendũ in matrimonio eſſe partialia Sacramenta, ſed vnum tantùm indiuiſibile in ratione ſigni & cauſæ gratiæ, vt rectè docuit Petrus de Ledeſma *de matr. q. 32. a. 1. difficult. 3. ad tertium*, & dixi ſuprà *ſect. 5. dicto 3.*

7 Colligo *ſecundò*, non peccare mortaliter Parochum huic Sacramento matrimonij aſſiſtentem, & illa verba, Ego vos in matrimonium coniungo, præciſè proferentem, etiamſi in peccato mortali exiſtat. Ratio eſt, quia cùm non ſit proprius miniſter huius Sacramenti, non adminiſtrat ipſum in mortali. Solum enim præſtat ſacramentalia quædã benedicendo coniuges; quæ licitè exercentur, non requirunt ſtatum gratiæ. Dixi, *præciſe*, quia cùm prædictas benedictiones nuptiarum, quæ vulgo *velationes* dicuntur, non celebret Parochus niſi in ſacrificio Miſſæ, ratione Miſſæ peccabit mortaliter ſi in mortali celebret illam.

Sectio IX.

An Sacramentum matrimonij cum fictione ſuſceptum, recedente obice, ſeu fictione, gratiam conferat.

1 Sacramentum matrimonij non ideò dicitur cum fictione ſuſcipi, quòd vel ipſum in ſe non ſit, aut non verè ſuſcipiatur, ſed quòd ſuſcipiatur quidem Sacramentum verum, ſed ſine diſpoſitione, vel ſtatu ſufficiẽti ad recipiendam ipſius gratiam. Fictè itaque recipietur Sacramentum matrimonij à contrahentibus, illud quidem volentibus, habentibus tamen peccatum mortale. Quærimus igitur, an ſi eiuſmodi ſuſceptores & miniſtri matrimonij Sacramenti cum obice fictionis, quia non habent ſtatum gratiæ, poſtea tollat eum obicem, conſequendo illum gratiæ ſtatum, cuius defectu gratiam cum Sacramento matrimonij non receperunt, an, inquam, tunc hoc Sacramentum gratiam eis conferat, quam dum reciperetur non contulerat. Quod eſt quærere, vt alij loquuntur, an Sacramentum matrimonij fictè ſuſceptum, ſublatâ fictione, reuiuiſcat ad gratiam tribuendam.

Prædictam reuiuiſcentiam ſoli Baptiſmo, & non aliis Sacramentis, concedunt plures, quos ſequitur Vaſquez *diſput. 159.* Mæratius *de Baptiſmo diſput. 12. ſect. 7.* & alij. Probant

Primò, quia Sacramenta non poſſunt hanc vim habere niſi ex inſtitutione Chriſti, quam non poſſumus agnoſcere niſi ex Scriptura, traditione, aut Patribus. Atqui nec Scriptura, nec traditio, nec Patres aliquid ſimile de Sacramentis docent, niſi ſolus D. Auguſtinus *de Baptiſm.*: ergo gratis de aliis aſſeritur, maximè de matrimonio.

Secundò, Baptiſmus recedente fictione conſtat remittere ex opere operato pœnas temporales, vnde planiſſimè infertur remittere culpas, & infundere gratiam. At de nullo alio Sacramento conſtat, quòd ablata fictione remittat, vel vt cauſa, vel vt conditio, pœnas temporales, aut quòd habeat effectum aliquem ſimilem, & cum gratiæ collatione connexum. Igitur nulli alij cum fundamento poſſumus tribuere, quòd recedente fictione gratiam afferat, ſiue vt cauſa, ſiue vt conditio.

Tertiò, Euchariſtiæ, etiamſi ſit omnium Sacramentorum longè nobiliſſimum, & facile princeps, ea prærogatiua non conceditur à Doctoribus, neque Sacramento Pœnitentiæ: ergo multo minus matrimonij Sacramento adſcribi debet.

Quartò, Extrema vnctio non eſt iterabilis in eadem ægritudine, eodemque ſtatu illius, & nihilominus non habet effectum recedente fictione; ergo idem dicendum de matrimonij Sacramento, tametſi ſit ex ſe initerabile.

Vltimò, opera mortua nunquam per pœnitentiam viuificantur. Atqui Sacramentum indignè ſuſceptum eſt opus mortuum. Ergo nunquam viuificatur.

Quamuis in hac re, neque ex Scriptura, neque ex traditione aliquid omnino certi habeamus, probabilius iudico oppoſitum cum noſtro Suario *tom. 3. in 3. p. diſput. 28. ſect. 6* Coninch *q. 62. art. 1. dub. 5. num. 74* & aliis.

Iuxta horum doctrinam veriſimilius, ac valde 2 conueniens iudico matrimonij ſacramentum tribuere ſuum effectum gratiæ ſanctificantis, recedente obice, ſeu fictione. Moueor, quia omnia ſacramenta imprimentia characterem conferunt hunc effectum; ergo & matrimonij ſacramentum. Antecedens probatur. In primis id conſtat de Baptiſmo apud omnes, ex ſententia D. Auguſtini; eſt enim opus & ſemen Chriſti, ex ſe ſanctum, ſiue vim habens ſanctificandi, perpetuò in homine incorruptum perſeuerans ratione characteris, & ſtatus in quo hominem conſtituit, qui perpetuò immutabilis durat. Hinc enim manifeſtè colligitur Baptiſmum præcedentem conferre effectum gratiæ recedente fictione: nam cùm ſit effectus Baptiſmi regenerare hominem in Chriſto, & remittere originale peccatum, & alia mortalia, quæ cum illo ſunt connexa, & omnem pœnam temporalem debitam peccatis ante eius ſuſceptiunem commiſſis; & ita ſit proprius Baptiſmi effectus, vt à nullo alio ſacramento, nec per aliud remedium abſque Baptiſmo fieri poſſit; hac enim de cauſa eſt Baptiſmus medium neceſſarium ad ſalutem; neceſſe eſt, vt ablatâ fictione præcedens Baptiſmus efficiat hunc effectum, quia Baptiſmus iterari non poteſt, vt fides docet. Idem cum proportione applico aliis Sacramentis imprimentibus characterem, nẽpe Confirmationi, & Ordini. Quia ratio adducta in

hæc

Google

hæc Sacramenta etiam ſuo modo conuenit. Nā eodē modo ſunt opus Chriſti ex ſe ſanctum, ſeu vim ſanctificandi babens, & imprimit characterem. Vnde hæc Sacramenta conſtituunt hominem in quodam ſtatu, à quo retrocedere non poteſt, quia character quem imprimunt, inamiſſibilis eſt, ac perpetuò durans; ergo conueniens inſtitutio eorum poſtulat, vt ea gratia, quæ ex diuina inſtitutione annexa eſt huic characteri, ſemper detur, quoties ex parte hominis non fuerit impedimentum: nam omnis forma naturalis, remoto impedimento conſequitur ſuum effectum, ſeu proprietatem ſibi conſentaneam & connaturalem: neque in hoc opus gratiæ debet eſſe minus efficax, quàm opus naturæ. Igitur dicendum eſt eam gratiam reuiuiſcere, tametſi in principio per fictionem impedita fuerit. Firmò, nam hæc Sacramenta cùm non poſſint repeti; ſanè niſi reuiuiſcerent, ſequeretur fictè ea ſuſcipientem nunquam vlla ratione poſſe eorum gratiam conſequi, cùm tamen ſit ei valde neceſſaria ad dignè obeundum illum ſtatum, in quo ipſa Sacramenta hominem conſtituūt. Maximè quia Deus hæc Sacramenta inſtituit ab ſubueniendum hominis neceſſitati in eo ſtatu conſtituti; noluit ergo Deus hominem ea indiſpoſitè recipientem manere perpetuò deſtitutum omni medio quo poſſit eorum effectum conſequi, quod ſequeretur, ſi non reuiuiſcerent, cùm iterari nequeant. Et quamuis hoc argumento in rigore ſolùm probetur tali homini conuerſo poſtea conferri ratione Sacramenti eaſdem gratias præuenientes, quas alij recipiunt ratione gratiæ ſacramentalis, quia hoc modo eius neceſſitati ſufficienter ſubuenitur; tamen cùm Chriſtus ita Sacramenta inſtituerit, vt non ſolùm dignè ſuſcipientibus conferant ius ad dictas gratias præuenientes, ſed etiam ad gratiam ſacramentalem habitualem, quæ per Sacramenta datur; hæc enim eſt quaſi fundamentum illius iuris; vnde nec per Sacramenta datur gratia auxilians, vel ſacramentalis, niſi vt coniuncta, & quaſi radicata in aliqua gratia habituali; dicendum eſt ita ea Sacramenta inſtituiſſe, vt quacumque ratione conferant homini ius ad illas gratias, conferant etiam fundamentum illius, ſiue gratiam habitualem. Et licèt in his duobus Sacramentis Confirmationis, & Ordinis non ſit tanta neceſſitas, quanta eſt in Baptiſmo; non tamen deeſt ſufficiens ratio, & neceſſitas, eo modo quo dicitur eſſe moraliter neceſſarium, quod eſt valde vtile & conueniens. Nam gratia horum Sacramentorum etiamſi non ſit ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria; eſt tamen ad finem horum Sacramentorum quodammodo neceſſaria moraliter prædicto neceſſitatis modo. Hinc patet illam priorem conſequentiam, nempe idem dicendum eſſe de Sacramento matrimonij, optimam eſſe. Quia eſt etiam opus Chriſti, & ex ſe ſanctum hoc ipſo quo Sacramentum eſt. Item eſt conſtans, & permanens ratione vinculi & ſtatus, in quo contrahentes conſtituit, nec ſolui poteſt, nec iterari viuente coniuge, per ſe loquendo; alioqui conſtituit contrahentes in eo ſtatu, in quo valde indigent gratia ſacramentali illius Sacramenti; ergo non expedit vt homo perpetuò careat hac gratia propter priorem fictionem, ſed magis eſt conſentaneum virtuti Sacramenti, vt ſicut de ſe conſtituit hominem in ſtatu perpetuo, & immutabili, viuente vtroquo coniuge; ita de ſe ſemper ſufficiat ad dandam gratiam conuenientem illi ſtatui, ſi homo non ponat obicem; ergo ob hanc rationem redibit effectus huius Sacramenti recedente fictione.

4 Quæres, an quando obex tollitur ſolùm mortuo coniuge, conferat nihilominus gratiam. Reſpondeo non conferre in eo caſu, quia tunc Sacramentum matrimonij nulla ratione, nullo modo permanet, ſed iterari poteſt; nec eſt eadem illius gratiæ neceſſitas, iam enim ceſſauit in homine illa neceſſitas, cùm iam deſierit eſſe in tali ſtatu conſtitutus.

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum dico, prædictam reuiuiſcentiam in 5
Sacramento matrimonij nos colligere ex inſtitutione Chriſti, non certò, ac infallibiliter, quo pacto deberet conſtare ex Scriptura, & traditione, quæ talis non datur; ſed ſolùm valde probabiliter, & conueniente ratione ſatis proportionata rationi & motiuo, quod mouit D. Auguſtinum ad eandem reuiuiſcentiam concedendam Sacramento Baptiſmi, vt vidimus in concluſione noſtra.

Ad ſecundum, ad plenam intelligentiam rei propo- 6
ſitæ in illo argumento, & illius ſolutionem, ſunt quatuor præmittenda. *Primum* eſt, ex natura iuſtificationis, quam baptizatus vi Sacramenti Baptiſmi conſequitur, eſſe remiſſionem pœnæ æternæ tam damni, quàm ſenſus, quæ mortalibus peccatis debetur; quia fieri non poteſt à peccatis iuſtificatio, ſiue in Sacramento, ſiue extra, niſi per remiſſionem, & extinctionē maculæ peccati mortalis, ſiue originalis, ſiue actualis, qua remiſſa & extincta, nulla remanere poteſt ad pœnam æternam, ſiue damni, ſiue ſenſus dignitas: cæterùm non eſſe remiſſionem pœnæ temporalis peccatis omnibus, ſiue mortalibus, ſiue venialibus quoad maculam iam remiſſis debitæ. Ratio eſt, quia per habitū gratiæ iuſtificantis nō poteſt deleri dignitas pœnæ temporalis peccatis actualibus, ſiue mortalibus, ſiue venialibus, quoad maculā iam deletis, debitæ, quia nullam ille habitus cum hac dignitate habet ex natura rei oppoſitionem. Vnde adultus baptizatus, niſi tam perfecta diſpoſitione ad Baptiſmum accederet, vt vi diſpoſitionis illius pro pœna omni ſuis peccatis debita plenè ſatisfaceret, non obſtante gratia quam vi Sacramenti Baptiſmi conſecutus eſt, adhuc dignus eſt, qui ob peccata ante commiſſa pœnis temporalibus à Deo plectatur, quandoquidem hæc dignitas vi gratiæ illius tolli non poteſt; vnde poſſet à Deo iuſtè plecti. *Secundum* eſt, de facto & re ipſa eam omnem pœnam tēporalem remitti ritè baptizato, quia Deus ob Baptiſmum ritè ſuſceptum ſtatuit pœnam hanc nunquam infligere, & re ipſa nunquam infliget, licèt infligere iuſtè poſſet. Vnde in hoc ſenſu dicitur eſſe Baptiſmi effectus remiſſio totius temporalis pœnæ peccatis debitæ, vt conſtat ex communi totius Eccleſiæ conſenſu, qui certiſſimè innoteſcit ex eius praxi perpetua, qua baptizatis nulla vnquam imponit pœnitentiæ, ſeu ſatiſfactionis opera, ſicut imponere ſolet ſacramentaliter confeſſis, quod minimè dubitet illis à Deo per Baptiſmum dimitti cum peccatis omnibus pœnam quoque omnē iis debitam. *Tertium* eſt, huius effectus Baptiſmi rationem à priori eſſe voluntatem Chriſti, qui ita efficaciter huic Sacramento ſua merita alligauit, tanquam quid omnino conueniens inſtitutioni huius ſacramenti. Tum quia, vt docuit Paulus *ad Rom. 6.* per Baptiſmum perfectè aſſimilatur morti Chriſti, quia in eo veteri homini, & peccatis morimur. Vnde Chriſtus ita inſtituit hoc Sacramentum, vt hoc effectu perfectè mortem Chriſti repræſentaret; atque ſicut Chriſtus ſua morte peccatum omni ex parte perfectè vicit, ita Baptiſmus dum baptizatum Chriſto morienti perfectè aſſimilat, ſignificat in eo omne peccatum planè deleri ſecundùm culpam, & omnem pœnam ei debitam. Tum etiam, quia cùm in Baptiſmo moriamur omnino veteri homini, & noui ſpiritualiter generemur, ſumus quaſi alij planè homines, & ideò peccata priùs commiſſa ad nos non pertinent, nec nobis vlla ratione ampliùs

imputantur. *Quartum* denique Baptiſmum reuiuiſcentem remittere omnem pœnam temporalem debitam peccatis ante eius ſuſceptionem commiſſis, eodem modo ac ſi fuiſſet legitimè receptus, vt docent cõmuniter Doctores, Ratio eſt, quia, vt dixi, ideo voluit Chriſtus vt Baptiſmus hanc vim haberet, quia regenerat, & facit quaſi alium hominem: at Baptiſmus reuiuiſcens verè regenerat, vt docet D. Auguſtinus varijs in locis, in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas, præſertim *lib* 1 *c.* 10. Igitur etiam habebit eãdẽ vim.

7 His præmiſſis facilè ſoluitur illud ſecundum argumentum; negatur enim inprimis rectè inferri à priori in Baptiſmo reuiuiſcente remiſſionem culpæ, & infuſionem gratiæ ex remiſſione pœnæ temporalis. Nam Baptiſmi legitimè ſuſcepti primarius effectus eſt remiſſio culpæ, & infuſio gratiæ; ſecundarius verò eſt remiſſio pœnæ temporalis. Præterea conſtat in eodem Baptiſmo remiſſionem pœnæ temporalis non ſequi ex natura iuſtificationis, quam baptizatus vi ſacramenti Baptiſmi conſequitur; ſed ex voluntate Chriſti, qui eam virtutem dedit huic Sacramento, quia perfectè mortem Chriſti repræſentat, & regenerat baptizatum, ac facit quaſi alium hominem. Hoc idem tribuitur eidem Baptiſmo, recedẽte fictione, ob eandem cauſam. Matrimonio verò, ſicut & alijs Sacramentis imprimentibus characterem, non tribuimus effectũ remiſſionis totius pœnæ temporalis, quia non militat eadem peculiaris ratio Sacramenti Baptiſmi, cùm non ſint perfecta aſſimilatio & repræſentatio mortis Chriſti, nec ſint vera regeneratio illa ſuſcipientium. Tribuimus verò matrimonio & prædictis alijs Sacramentis, recedente fictione infuſionem gratiæ, & remiſſionem culpæ, vt hoc modo hominis neceſſitati ſufficienter ſubueniatur in eo ſtatu ex ſe permanenti per Sacramentum quod iterari non poteſt, modo ſuprà explicato.

8 Ad tertium dico, verius eſſe Euchariſtiam nullam conferre gratiam ſi obex tollatur poſt conſumptas ſpecies, tum quia tunc nec actu, nec quaſi in habitu vlteriùs permanet; tum etiam, quia hoc Sacramentum ex vi inſtitutionis Chriſti poteſt ſæpiùs ſumi. Vnde hîc locum non habent rationes ob quas dixi alia Sacramẽta reuiuiſcere. Quòd ſi in Euchariſtia obex tollatur ante conſumptas ſpecies, veriſimilius eſt, quia Sacramentũ adhuc durat, poſſe cõferre nouã gratiam ex opere operato, ſi accedat noua diſpoſitio. De Sacramento Pœnitentiæ res eſt valde dubia, ac multis videtur probabilius non dari hoc Sacramentum informe.

9 Ad quartum negatur antecedens modò obex tollatur durante eodem morbo. Quia cùm Sacramentum Extremæ vnctionis ſit ita inſtitutum, vt toto eo tempore nequeat iterari, videtur quaſi in habitu in ægroto toto eo tempore perſeuerare. Vnde in hoc eadem erit ratio de hoc Sacramento, ac de matrimonio.

10 Ad vltimum dico, ipſam ſuſceptionem indignam, vt eſt opus hominis, eſſe quidem opus mortuum: at ipſum Sacramentum eſſe opus Chriſti in ſe viuum, & ſanctum, & ex Chriſti meritis habẽs vim ſanctificandi, quã certè exerit ablato impedimẽto, ſeu obice.

Sectio X.

Vtrùm inter baptizatos poſſit celebrari contractus matrimonij, qui non ſit propriè Sacramentum.

1 IN hac re certum eſt *primò*, non poſſe fieri Sacramentum matrimonij abſque eo quòd fiat etiam verus, & legitimus contractus, adeò vt ſi quis intenderet facere Sacramentum, & non contractum matrimonij, nihil prorſus efficeret. Patet manifeſtè, quia intentio illa non faciendi contractum deſtruit materiam, & formam ſacramenti, eſt enim contractus materia, & forma illius, vt vidimus ſuprà *ſect.* 6. at ſine materiã & formã Sacramentum conſiſtere nequit.

Secundò, etiam eſt certum, ſolam intentionem faciẽdi contractum matrimonij non ſufficere ad rationem ſacramẽti, ſed neceſſariam eſſe intẽtionẽ faciẽdi, quod facit Eccleſia, vel actualẽ, ſeu formalẽ, vel ſaltem virtualẽ. Quare ſiquis ſolùm vellet cõtrahere, nec confuſè ſaltem, & implicitè, intentionem haberet faciendi id quod facit Eccleſia, nempe faciendi matrimonium, tanquam quid ſacrum, ac religioſum, non faceret ſacramentum. Ratio eſt, quia effectio ſacramẽti pendet ab intentione miniſtri: ergo ſi contrahentes matrimonium, qui ſunt verè illius ſacramenti miniſtri, non habeãt aliquo pacto intẽtionem faciendi ſacramẽtũ, non facient ſacramentum quantũuis contrahere velint. Vnde Trident. *ſeſſ. 7. de ſacramẽtis in genere*, id definiuit *can.* 11. his verbis. Si quis dixerit in miniſtris dum ſacramentũ conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit. Et patet, quia cõferens Sacramẽtum neceſſariò agit, vt miniſter Chriſti, vt docet Apoſtolus 1. *ad Cor.* 4. Vnde Chriſtus dicitur in omni Baptiſmo baptizare, *Ioan.* 1. 3. *Hic eſt, qui baptizat*; & *c.* 4. initio dicitur baptizare nõ per ſe, ſed per diſcipulos. At nemo agit vt miniſter alterius, niſi intẽdat agere quod alter inſtituit, & quidem eà ratione, qua fieri inſtituit. 2

Tertiò, certum eſt, ſi baptizati contrahentes non intendãt facere Sacramentũ ex priuato errore, quo exiſtimant, matrimoniũ non eſſe ſacramentum, intendãt tamen matrimonium contrahere eo modo, quo Chriſtus inſtituit, vel quo iuxta Dei voluntatem, & ordinationem contrahi debet, eiuſmodi errorẽ particularẽ non excludere ſufficientẽ intentionẽ ad faciendũ Sacramẽtũ; quia ad hoc ſufficit volũtas illa generalis, & altera particularis non propriè eſt ex affectu, & intentione non faciendi ſacramẽtum, ſed ſolùm ex errore, quia putauit in re ipſa nullum eſſe ſacramentũ. Si verò intendant, & velint ſeparare, quantũ in ipſis eſt, rationẽ ſacramenti à ratione contractus, & efficere contractũ ſolũ, & non ſacramentum, re vera nõ efficient Sacramentum, quia deeſt intentio neceſſaria. Et tunc procedit difficultas, an cùm baptizati cõtrahentes volũt verè cõtrahere, & non facere Sacramẽtum, quãtũ in ipſis eſt, faciant ſaltem matrimoniũ validum in ratione cõtractus. Duplexque controuerſia eſſe poteſt; *prima* iam dicta, an validè poſſit inter fideles ſeparari ratio ſacramenti à ratione contractus. *Secunda*, an licitè, & ſine peccato, imò & laudabiliter id fieri poſſit. 3

Circa priorẽ controuerſiam, quæ potiſſima eſt, partẽ negantem, nempe inter baptizatos nunquam poſſe iniri matrimoniũ ſine Sacramento, ſequitur Sanchez *lib.* 1. *de matr. diſp.* 10. *n.* 6. cum Petro de Ledeſma & latè defendit Coninch *diſp.* 24. *dub.* 2. *concl.* 4. 4

Primò, quia Chriſtus illũ contractũ immediatè inter baptizatos ad eſſe ſacramenti eleuauit: ergo ex Chriſti inſtitutione eſt inſeparabilis ratio cõtractus à ratione Sacramenti; ergo intentio non conficiendi ſacramẽtũ repugnat intentioni legitimè faciendi matrimonium in ratione contractus. Sicut à cõtrario, qui intenderet facere ſacramentum matrimonij, non verò contractum, nihil efficeret: quia ex Chriſti inſtitutione ſunt hæc duo inſeparabiliter coniuncta.

Secundò, Concilia Florentinũ, & Tridentinum abſolutè definiunt, matrimonia fidelium eſſe ſacramenta. Quod verum non eſſet, ſi aliqua id non haberent: præſertim, quia tales definitiones abſolutè poſitæ debent omnino vniuerſaliter intelligi.

Tertiò,

Digitized by Google

Tertiò, quia aliàs ſequeretur omnino, matrimonia clandeſtina, quæ olim validè contrahebantur, communiter non fuiſſe ſacramenta. Quod videtur abſurdum, & repugnans Tridentino *ſeſſ. 24. c. 1. de reformat. matrimonij*. Vbi talia matrimonia vocat *rata*; quo nomine ſolũ appellantur, quæ hắbēt rationẽ ſacramenti. Sequela probatur, quia ita cõtrahẽtes cõmuniter nõ intendebant ſuſcipere ſacramentũ, ſed ſolùm inire ciuilẽ contractũ, nec quidquã de ſacramẽto cogitabant.

Quartò, ſacerdos non poteſt ſeparare rationem ſacramenti Euchariſtiæ à ratione ſacrificij; adeò vt ſi ſacerdos vellet facere ſacramentum Euchariſtiæ, & nollet offerre ſacrificiũ, nihil efficeret ob inſeparabilitatẽ, quam habent hæc duo, ex Chriſti inſtitutione, & lege: ergo neque fideles poſſunt ſeparare rationem ſacramenti matrimonij à ratione contractus, ob eandẽ inſeparabilitatem ex Chriſti lege.

Quintò in iudicio ſacramentali Pœnitentiæ, ſi ſacerdos volens tanquam iudex efficere ſolum iudiciũ de peccatis, non verò ſacramentum remiſſiuũ ipſorũ, nihil efficeret, nõ ſolùm ſacramentũ, ſed neque etiam verum, & validum iudicium: ergo à paritate in matrimonio, nolens facere ſacramentum, non ſolùm non efficiet illud, verùm etiam neque validum contractũ.

Sextò, matrimonium, ſi verè matrimonium eſt, nec tamen defectu debitæ intentionis ſacramentum, non fuiſſet tam indiſſolubile, quàm illud, quod eſt & matrimonium, ſimul, & ſacramentum: hoc autem eſt maximum inconueniens: ergo dicẽdum eſt, in matrimonio baptizatorum hæc duo, contractum videlicet, & rationem ſacramenti eſſe ex inſtitutione Chriſti cõnexa, & inſeparabilia.

Vltimò, implicat in adiecto qui ex animo intendit promittere, non ſe tamẽ obligare; & qui recipit Ordinem ſacrum ſubdiaconatus, nec tamen vult caſtitatẽ vouere. Igitur implicat quoque, qui matrimoniũ vult cõtrahere in lege noua, nec tamen vult ſacramentum celebrare.

5 Partem affirmantem, nempe inter baptizatos poſſe validè celebrari matrimonij contractũ, qui nõ fiat ſacramentum, tuetur Vaſquez *tom. 2. in 3. p. diſp. 138. cap. 5. n. 63.* Rebellus latè *lib. 2. q. 5.* Gaſpar Hurtado *diſp. 3. diffic. 19.* Baſilius Ponce *lib. 1. de matr. cap. 9.* & alij. *Primò*, quia tametſi nequeat eſſe ſacramentũ matrimonij ſine ratione cõtractus, cùm legitimus matrimonij cõtractus ſit materia, & forma eius ſacramenti; nullũ tamẽ fore contractũ concurrentibus omnibus, quæ neceſſaria ſunt ad valorẽ cõtractus, ex eo quòd nõ ſit ſacramẽtũ, nõ eſt vnde cũ fũdamẽto colligatur.

Secundò, ſolæ conditiones cõtra ſubſtantiam matrimonij, quales ſunt, quæ opponũtur tribus ipſius bonis, nẽpe bono prolis, bono fidei, & bono ſacramenti, irritant matrimonij contractu, vt vidimus ſuprà *diſp. 16. ſect. 5. & 6.* reliquæ verò conditiones, tametſi ſint turpes, non vitiant contractũ, & habẽtur pro non adiectis, vt citatâ diſput docuimus, *ſect. 9.* Ergo cùm conditio, ſiue defectus intentionis faciendi ſacramentum, ipſum matrimonij contractum, licèt ſemper foret turpis, non eſſet tamen de numero illarum trium, ſequitur, vt non ſit contra ſubſtantiam contractus, atque adeò non irritet matrimonium.

Vltimò, ratio contractus validi ſupponitur vt prior ipſâ ratione ſacramenti, nam eſt fundamentum, & materia iſtius, quod cõſtat à paritate ablutionis reſpectu ſacramẽti Baptiſmi: ergo cùm iſte cõtractus ſupponatur prius, vt validus, ratio ſacramẽti non erit requiſita eſſentialiter ad eius valorem, tanquã ſolẽnitas eſſentialis; aliàs iã non eſſet prior, cùm nihil ſit prius eſſentiali ſuo cõſtitutiuo. Imò ſi cõtractus vt validus eſt prior vt ſic, nõ pendebit ab eo, quod eſt poſterius; & rectè intẽtio ferri poterit in id quod eſt prius prout tale eſt, quamuis non feratur in id, quod eſt poſterius.

Vtraque ſententia probabilis eſt, mihi tamen videtur hæc ſecunda probabilior, ac firmior; quæ modò communior eſt apud Recentiores. Moueor duplici fundamento. Præcipuum à priori eſt; quia ad validitatẽ matrimonij in ratione ciuilis cõtractus nihil aliud requiritur, quàm vt perſonæ cõtrahentes ſint ad contrahendũ habiles, liberè in ipſum conſentiant, & conſenſu hue ſuum clarè verbis exprimãt corã Parocho, & teſtibus, quæ eſt ſolemnitas à iure poſt Tridentinũ requiſita, & neceſſaria. Hæc omnia habere, & adhibere ſupponimus, contrahentes baptizatos, tametſi matrimonium, vt ſacramentũ expreſſe nolint miniſtrare, nec ſuſcipere: ergo in eo caſu tã validũ cõtrahunt matrimonij contractum, quàm validus eſt inter eos, inter quos ſacramentũ non eſt, vt inter non baptizatos. 6

Reſpondent aduerſarij, ad ſubſtantiam, & validitatẽ matrimonij in ratione cõtractus inter baptizatos, vnã ex cõditionibus, ex inſtitutione Chriſti, requiſitã eſſe intentionem eiuſdem celebrandi vt ſacramenti, quia voluit Chriſtus, inter baptizatos eſſe ſacramẽti, & eſſe matrimonij habere inter ſe cõnexionẽ inſeparabilẽ; & conſequẽter voluit, vt intẽtio vnius ſit inſeparabiliter cõnexa cũ intẽtione alterius, ac proinde, ſi quę intẽtio vni repugnet, repugnet quoque & alteri. Sed cõtrà eſt, quia huius Chriſti volũtatis, & inſtitutionis nullũ vſpiam veſtigiũ, aut indiciũ eſt. Patet, tũ quia eã non exprimunt Concilia, neque inſinuant, vt notũ eſt: neque in Patribus, neque in vnanimi Doctorũ fidelium ſenſu inuenitur aliquod fundamẽtum, vnde deducamus, ita eleuatum eſſe à Chriſto contractũ matrimonij ad rationẽ ſacramenti, vt ſi ſacramentũ non ſit cõtractus, eſſe nequeat. Tum etiam, quia cõtrariæ Chriſti volũtatis, & inſtitutionis firmum argumentum habemus in communi Theologorum doctrinâ, quæ eſt, Chriſtum inſtituentẽ matrimoniũ in ſacramentũ, & euehentem ad eſſe, ſeu dignitatẽ ſacramẽti, ipſum matrimonij cõtractũ validum, naturæ ſuæ reliquiſſe, & ipſi ſolum adiunxiſſe eſſe ſignũ certum, & infallibile gratiæ ſanctificãtis. At nõ hoc tantùm adiunxiſſet, neque naturæ ſuæ matrimoniũ in ratione ciuilis contractus reliquiſſet, ſi hoc natura ſua validũ, vt cõtractus eſt, nequeat eſſe abſque intẽtione eius, vt ſacramenti; ergo neceſſe eſt, vt reipſa validum nunc ſit inter eos, inter quos nunc ſacramentũ nõ eſt; ſicut erat inter omnes, antequam à Chriſto in ſacramentum inſtitueretur. Ex qua doctrina probant Theologi cõmuniter, quod infrà dicemus *ſect. 1.* matrimoniũ inter abſẽtes per intermedios procuratores initum, eſſe verum ſacramẽtũ; quia ſpectata contractus huius naturâ, verè validus cõtractus eſt, Chriſtus autẽ cõtractũ hunc naturæ ſuæ reliquit, eique ſolùm ſanctificantis gratiæ ſignificationem addidit. Aliter enim mutatus fuiſſet à Chriſto eſſentialiter matrimonij contractus, quia antea nõ petebat eſſẽtialiter valor matrimonij ipſam rationem ſacramenti, quã poſtea eſſẽtialiter petit.

Alterum fundamentum eſt, quia vbi ius naturale, vel diuinum, vel canonicum non exprimit contractũ matrimonij eſſe inualidum, cenſendum eſt abſolutè validum in vtroque foro, vt docent omnes Doctores, & colligunt ex Ioanne XXII. in Extrauaganti. *Antiqua concertationi*. At nullum eiuſmodi ius exprimit, contractum matrimonij celebratum, etiam cum intentione non faciendi ſacramentum, eſſe inualidũ. Ergo Reſpondebis, Chriſtum D. aliquando verbis, aliquando facto ipſo, & opere conſtituere ius, ſeu præceptum, vt docuit D. Gregorius *hom. 17. in Lucam*. In præſenti autem facto conſtituiſſe ius; nam facto ipſo, quo eleuauit contractum matrimonij ad eſſe ſacramenti, illi conſtituit hanc ſolemnitatem omnino neceſſariam ad valorem 8

ipſius; quoniam id maximè expediebat ipſi matrimonij fini, & intentioni Chriſti volenti ſanctificare coniugia fidelium. Sed contrà eſt, quia ex tali facto, tametſi inferri poſſet ius, ſiue præceptum prohibens, fieri contractum ſine intentione ſacramenti; non tamen ſequitur ius aliquod formaliter irritans talem contractum, cùm talis defectus intentionis faciendi ſacramentum, licèt foret turpis & malus, non eſſet contra ſubſtantiam contractus, atque ideo non irritaret illum. Firmatur, quia ſicut abſolutioni, & prolationi verborũ Baptiſmi, prout eſt actio naturalis, volũtaria, & humana, accidit ratio ſacramẽti Baptiſmi; ita contractui naturali, voluntario, & humano merè cõtingenter aduenit ſignificatio, vel ratio ſacramenti matrimonij: ergo ſicut ablutio illa, & prolatio nõ deſinit eſſe actio naturalis, & humana ex eo, quòd abluens non intendat facere ſacramentum; ita nec contractus coniugalis deſinet habere validitatem naturalem, quam etiam inter infideles hodie habet, eſto fideles non intendant contrahere ſacramentaliter, ſed tantùm naturaliter, ac ciuiliter. Patet conſequentia, quia ſicut Chriſtus facto ipſo eleuauit contractum matrimonij ad eſſe ſacramenti, ita facto ipſo eleuauit ablutionem naturalem, & illam verborum prolationem humanam ad eſſe Baptiſmi; atque adeò ſicut ex hoc facto Sacerdos abluens puerum, & proferens illa verba cum intentione non baptizandi, ſolùm actionem ſacramentalem irritat, ita & contrahens matrimonium cum intentione non conficiendi ſacramentum, ſolùm actionem irritat ſacramentalem.

Ad argumenta primæ ſententiæ.

9 Ad primum conceſſo antecedente, negatur conſequẽtia; ſolùm enim ſequitur ex illo antecedẽte, omnẽ matrimonij contractũ inter baptizatos eſſe ſacramẽtum, ſi adſint omnia requiſita ad illud: ſicut omnis ablutio, & prolatio verborum Baptiſmi eſt ſacramentum, ſi adſint omnia requiſita. Cæterùm ſi deficit intentio omnis faciendi ſacramentum, ſicut non datur ſacramentum Baptiſmi, ita neque matrimonij. Ideo verò ratio ſacramenti à contractus ratione ſeparari non poteſt, quia vt ſuprà initio huius ſect. dixi, ratio ſacramenti matrimonij ita ſupponit rationem contractus, vt non alia ſit materia, & forma matrimonij, quatenus ſacramentum eſt, niſi quæ fuerit materia, & forma contractus.

10 Ad ſecundum dico, Concilia illa abſolutâ locutione tantùm ſignificare Chriſtum omnem contractũ matrimonij baptizatorũ validũ, abſque aliquâ exceptione in ſacramentũ inſtituiſſe; quod nõ tollit poſſe nõ fieri ſacramentũ, ſi deſit intentio requiſita: ſicut cõtingere poteſt, quòd ablutio, & prolatio verborum Baptiſmi, quas abſque vllâ exceptione Chriſtus in ſacramentum inſtituit, non fiant ſacramentum ex defectu intentionis requiſitæ.

11 Ad tertium negatur ſequela, quia clandeſtinè contrahentes virtute intendebant facere ſacramentum, quia tales contrahentes, quãtumuis ignari, volebant ſaltem facere, quod ſolent Chriſtiani & Eccleſia facere. Quod ſatis eſt vt ſacramentum efficerent. Neque enim credibile eſt, eos malitiosè velle priuari bonis ſacramenti & gratiâ eius, aut velle facere aliquid illicitũ, quale hoc eſſet: cùm ex iure nemo præſumatur malus, niſi id conſtet. Quòd ſi aliqui clandeſtinè contrahentes prædictâ intentione virtuali caruiſſent, certè eorum matrimonium non fuiſſet ſacramentum.

12 Ad quartum reſponderi poteſt *primò*, negando antecedens. In quo negando, fortaſſe nullum eſſe inconueniens docet Suarez *tom. 3. in 3. p. diſp. 76. ſect. 3. §. ſecunda difficultas eſt*. Et non videtur improbabile, quia Doctores omnes, qui ponunt rationem ſacrificij in ſumptione, vel in aliquâ aliâ actione, quæ poſt conſecrationem fiat, neceſſariò concedent, poſſe re ipsâ ſeparari confectionẽ ſacramenti à ſacrificio, ſi miniſter iniquus velit conſecrare, & nullam poſtea actionem efficere ad offerendũ ſacrificium; cùm enim actiones illæ ſint re ipsâ, & duratione diſtinctæ, facile poterant ſeparari ex voluntate, & intentione mala miniſtri. Hinc autẽ deſumitur non leue argumentum pro noſtra ſententia. Nam ſi non obſtante inſtitutione Chriſti adhuc ſeparari poteſt in Euchariſtia ex intentione miniſtri ratio ſacrificij, à ratione ſacramenti poterit etiã multo magis in matrimonio ſeparari ratio cõtractus à ratione ſacramẽti. Idque à fortiori, cùm iſtæ duæ rationes nõ ſint ſimul inſtitutæ, ſicut ſunt illæ, & de facto inueniantur ſeparatæ, quod nunquam illæ. Præterea 13 reſpondeo, concedendo antecedens; nam verius iudico, nouæ legis ſacrificium totum eſſentialiter perfici conſecratione, & ſacerdotem, qui ſacramentũ Euchariſtiæ ſub duabus ſpeciebus conficit, velit nolit, ſacrificium offerre, neceſſe eſſe. Nam ex inſtitutione Chriſti, hæc conſecratio, & oblatio ſacrificij ita ſunt neceſſariò coniuncta, vt poſitâ vnâ non poſſit miniſter intentione ſuâ aliam auferre; nam ſi miniſter verè intendat conficere hoc ſacramentum, conſequenter neceſſe eſt, vt velit proferre verba in perſona Chriſti, qui eſt principale offerens in hoc ſacrificio; atque adeò neceſſe eſt, vt formali, vel virtuali intentione velit facere, quod Chriſtus fecit, & inſtituit. Dato itaque antecedenti non ſequitur conſequentia, quia contractum matrimonij non contrahunt baptizati prout ſunt miniſtri Chriſti, ſed prout homines ſunt ciuilem, ac naturalem contractum perficientes, vt eſt certum: vnde iſta actio ex ſe eſt independens ab omni aliâ ratione ſacramenti, in qua ſunt miniſtri Chriſti latè, quia ſunt miniſtri ſacramenti à Chriſto inſtituti. At in Euchariſtiæ ſacrificio Chriſtus eſt verè, & propriè principalis offerens, vt expreſsè docet Tridentinum *ſeſſ. 22. de ſacrificio Miſſæ, cap. 1*, vbi ait, idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit, ſolâ offerendi ratione diuerſa. Et ratio eſt, quia ſacerdos offert hoc ſacrificium, vt miniſter Chriſti, ipſius perſonam immediatè ſuſtinens, ac repræſentans: ita vt conſecrans eodem modo loquatur, ac ſi reuerà Chriſtus eſſet, dicens, *Hoc eſt corpus meum*. Vnde ſicut quis propriè dicitur dare eleemoſynã, quam per famulum dat; ita Chriſtus verè dicitur hoc ſacrificium offerre; idque longè alia ratione, quàm dicatur per miniſtros ſuos baptizare: quia etſi baptizans agat, vt miniſter Chriſti, quia eſt miniſter ſacramenti à Chriſto inſtituti; tamen loquitur in propria perſona, & propriis verbis; idem potiori iure dic de miniſtris matrimonij. At conſecrans abſolutè in perſona Chriſti, & verbis Chriſti loquitur.

Ad quintum conceditur antecedens, negatur conſequentia ob manifeſtam diſparitatem, quia illud 14 iudicium prout excludens rationem ſacramenti remittentis peccata, nullius videtur eſſe fructus, aut effectus. Vnde in tantum videtur eſſe à Chriſto inſtitutum illud iudicium, in quantum præcisè eſt etiam ſacramentum remiſſiuum peccati, & collatiuũ gratiæ remittentis illud, & non aliter. Ad quod valde conducit aduertere vnâ met inſtitutione ſimul, & ſemul, & ad eundẽ effectũ eſſe ibi inſtituta rationẽ iudicij, & ſacramẽti. Nihil horũ inuenitur in matrimonio; nam in illo ratio contractus ex ſe pẽdẽs nõ eſt à ratione ſacramẽti; neque eſt vtraque ratio contractus

&

& Sacramenti, inſtituta vnâmet inſtitutione ſimul, neque ad eundem effectum, cùm prior integra ſit ad perficiendum contractum naturalem matrimonij, & altera ſignum ſit ſupernaturalis gratiæ ſignificantis; quare iſtæ duæ rationes ſunt magis ſeparabiles in matrimonio, quàm illæ duæ in Sacramento Pœnitentiæ.

15 Ad ſextum negatur illud antecedens, nam in omnibus caſibus, in quibus matrimonium, quod à baptizatis initum actu Sacramentum eſt, non poteſt ſolui per ſummi Pontificis auctoritatem, nec poterit etiam eo caſu, quo validū matrimonium erit, nec tamen actu Sacramentum, ob defectum debitæ intentionis; & in illis caſibus vnum poterit, in quibus & alterum. Ratio eſt, quia, vt dicemus *inſpu-ta.. ſeq enti*, matrimonium eam, quam habet indiſſolubilitatem, non habet ex formali præciſè ratione Sacramenti, vt Sacramentum eſt propriè, ſeu vt eſt ſignum gratiæ ſanctificantis coniuges, ſed ex aliâ, quæ matrimonio validu, nec hoc ſenſu Sacramento, æquè ineſt, atque illi, quod hoc ipſu ſenſu Sacramentum eſt.

16 Ad vltimam diſpar eſt ratio: nam obligatio vel eſſentialiter imbibitur in ipsâ naturâ promiſſionis, vel ſequitur neceſſariò ex natura rei ipſam promiſſionem: quid enim aliud eſt verè promittere, quàm ſe ipſum ad aliquid obligare? Quare ſi verè promittit, vere ſe obligat. Qui verò ordinatur, nec tamen intendit ſaltem implicitè viuere caſtitatem re verâ, non obligatur ſaltem ex voto, cùm non habuerit animum promittendi: promiſſio autem ſit de eſſentia voti, obligabitur tamen ex præcepto Eccleſiæ ad caſtitatem ſeruandam; vt docent modò RR. At intentio Sacramenti faciendi poſterior eſt, quàm intentio celebrandi contractum, ac proinde pendet poſterior à priori, non verò ècontra.

17 Circa poſteriorem controuerſiam, an etiam licitè, & laudabiliter ſeparari poſſit inter baptizatos ratio contractus à ratione Sacramenti, videtur id licere ex cauſa iuſta.

Primò, quia non videtur eſſe lex id prohibens, ſaltem non ſatis conſtat de promulgatione eius legis.

Secundò, coniuges infideles facti iam fideles, & baptizati, non obligantur de facto ad contrahendum Sacramentum iuxta morem Eccleſiæ, etiam iuxta eos Doctores, qui dicunt poſſe ipſos dicto modo eleuare prius matrimonium, vt ſit verum Sacramentum: ergo neque tenebuntur fideles ad id cùm de nouo contrahunt. Patet conſequentia, quia tanta deordinatio videtur eſſe in primis, ac in ſecundis quòd nolint ſic recipere Sacramentum, cùm poſſint; & æquè videtur eſſe contra inſtitutionem Chriſti velle ſic pro libito ſeparari rationem Sacramenti à contractu matrimonij, qui iam exiſtit inter fideles, quàm velle illam ſeparare à ſimili contractu, qui inter eos tunc fit: ergo ſicut his non obſtantibus adhuc primi non peccant, certè nec ſecundi.

Tertiò, ſi non eſſet impedimentum diſparitatis cultus, aut certè ex diſpenſatione Papæ, validè, & licitè contraheret fidelis cum infideli, quamuis tunc non fieret Sacramentum: ergo iam licitè & ſine peccato poteſt aliquando fidelis ſeparare in ſuo matrimonio rationem contractus à ratione Sacramenti. Quòd ſi id poteſt vnus fidelis, cur non idem poterunt etiam duo inter ſe contrahentes, & de hoc conuenientes ex cauſa? nam tunc vnus non faceret iniuriam alteri.

Vltimò, fideles contrahentes per Procuratorem faciunt verum contractum, & non Sacramentum, iuxta aliquorum Doctorum ſententiam, & tamen non peccant: ergo ſicut iſti ex cauſa poſſunt id facere licitè, cur non & alij?

Communiter tamen Doctores conſulti affirmant, eſſe peccatum mortale ſeparare rationem Sacramenti à matrimonij contractu, qui fit inter baptizatos. Et meritò; *primò*, quia talis ſeparatio videtur opponi in re graui, tum vſui, & conſuetudini Eccleſiæ, quæ videtur iam habere rationem legis oppoſitum prohibentis. Tum quia videtur ſupponi inſtitutioni Chriſti, qui eleuando matrimonium baptizatorum ad rationem Sacramento tacitè videtur præcepiſſe, ne ſeparentur hæc duo, quando matrimonium fit. Nam Chriſtus ideo inſtituit hoc Sacramentum, quia voluit fideles coniugatos eſſe ſibi ſpecialiter ſacratos per gratiam, & ſuſceptionem Sacramenti. *Secundò* eſſet omnino inordinatum nolle recipere Sacramentum, & eius gratiam ad meliùs ferenda onera matrimonij. *Tertiò*, eſſet ſacrilegium contra reuerentiam Sacramento debitam, contractum abſque ratione Sacramenti celebrare, quia id erit actionem ſacramentalem irritare. Quæ eſt ratio Gaſparis Hurtado *difficult. 19. conſ. a pnem n mer. 70.* Quam magis firmo, quia ille, qui ſine intentione conficiendi Sacramentum Baptiſmi, ablueret, & proferret verba Baptiſmi, peccaret mortaliter, ex eo præciſè quòd irritaret illam actionem ſacramentalem ex voluntate Chriſti ordinatam ad Sacramentum, vt eſt certum apud Doctores: ergo pariter peccat mortaliter peccato ſacrilegij, qui matrimonij Sacramentum ſeparat à contractu, quia facit contra ipſum Sacramentum, eo quòd irritat actionem ſacramentalem ex voluntate Chriſti ordinatam, & connexam cum contractu naturali matrimonij inter fideles. *Vltimò* Chriſtus Dominus, vt dixit D. Gregorius *hom. 17. in Lucam*, aliquando verbo, aliquando ipſo facto, & opere conſtituit præceptum: ergo facto ipſo, quo eleuauit contractum matrimonij ad rationem Sacramenti, prohibuit illam ſeparationem, præſertim cum prædicta eleuatio ſit maximè expediens ipſi matrimonio, & fini ipſius, & voluerit Chriſtus, vt coniugia fidelium ſanctificarentur. 18

Hinc patet ſolutio ad argumenta contraria.

Ad primum dico, iam ſatis conſtare de lege, & de promulgatione eius id prohibentis, tum ex vſu Eccleſiæ, tum ex Chriſti inſtitutione, & ex facto ipſo, vt dixi. 19

Ad ſecundum admiſſo antecedente negatur conſequentia, ob manifeſtam diſparitatem; nam in contrahentibus fidelibus, conſtat clare ob communem vſum Eccleſiæ, vtramque eam rationem coniungentem, debere ita fieri; non verò id conſtat in indefidelibus, etiam datâ illâ opinione, non enim ſolet fieri in Eccleſia dicta renouatio prioris matrimonij, vt fiat denuo Sacramentum, ſaltem de eo non ita conſtat. Præterea in illo caſu infidelium non fit tunc contractus denuo, atque adeò non cenſetur fieri tunc ſeparatio effectionis contractus ab effectione Sacramenti, ſed ſolum illum non ornari gratia iſtius. Chriſtus autem ſolùm videtur ex ſua inſtitutione prohibuiſſe ſub mortali, ne propriè ſeparetur effectio Sacramenti ab effectione contractus, non verò præſcripſit, vt ornaretur per gratiam Sacramenti ille contractus, qui iam antea fuerit factus, maximè in ſtatu infidelitatis, in quo non erat capax gratiæ talis. 20

Ad tertium ſimiliter dico, in eis caſibus illam ſeparationem non eſſe peccatum; quia tales contractus eo modo facti ſunt incapaces rationis Sacramenti. 21

Quare mirum non eſt, ſi ſeparentur ibi iſtæ duæ ratione contractus, & ſacramenti ſine vlla culpâ, ſecus autem eſt in matrimonio baptizatorum, in quo contractus eſt capax rationis ſacramenti, & ſolet etiam in Eccleſiâ non diſiungi ab eâ. Neque eſt vlla cauſa, quæ excuſet contrahentes baptizatos ad ſeparandam rationem ſacramenti à ratione contractus. Nam ſi aliqua eſſet, maximè quòd ſint in peccato mortali; hæc verò non eſt ſufficiens cauſa, quia poſſunt cum Dei gratia habere de illo veram contritionem.

22 Ad vltimum, antecedens eſt falſum, vt oſtendam infrà *ſectione* 13. Dato tamen illo, non valet conſequentia, nam ideo volunt nonnulli contractum matrimonij baptizatorum per procuratores eſſe verum contractum, & non eſſe ſacramentum, quia contrahentes propter abſentiam ſunt incapaces rationis ſacramenti, & ideo ſic in Eccleſia permittuntur eſſe coniugati abſque illo ſacramento. At fideles baptizati per ſe ipſos contrahentes ſunt capaces rationis ſacramenti, & nulla eſt aſſignabilis iuſta cauſa, quæ eos excuſet à ſuſceptione huius ſacramenti.

Sectio XI.

An matrimonium in infidelitate contractum, fiat de nouo ſacramentum conferens gratiam, cùm ambo baptizantur.

1 Certum eſt *primò*, cùm infideles coniugati conuertuntur ad fidem, & ambo baptizantur, non eſſe opus, vt iterum contrahant coram Parocho, & teſtibus. Tum quia matrimonium ante Baptiſmum contractum eſt validum, vt conſtat ex *cap. gaudemus, de diuortiis*. Tum etiam, quia Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij*, ſolùm præſcribit eam formam pro matrimonio denuo contrahendo inter fideles baptizatos; at infideles ipſi facti fideles non denuo contrahunt, ſed in legitimo matrimonio priùs inito perſeuerant.

2 *Secundò*, etiam eſt certum, infideles coniugatos, quando ad fidem conuertuntur, non teneri ſuſcipere benedictiones, ſeu velationes Eccleſiæ: quia ſunt ab Eccleſia inſtitutæ, vt concomitantia ſacramentum inter fideles contractum. Controuerſia igitur ſolum eſt, an prædictum matrimonium infidelium, quando poſtea baptizantur, fiat verum, & proprium ſacramentum. Dixi *quando baptizantur*, quia matrimonium non baptizatorum, quamuis fidelium, non eſt propriè ſacramentum: quia ante Baptiſmum, vtpote ianuam reliquorum ſacramentorum, nullum poteſt recipi ſacramentum.

3 *Prima ſententia* affirmat, eo ipſo quòd baptizantur, etſi denuo expreſsè conſenſus non exponant, eorum matrimonium fieri Sacramentum, atque adeò duplex ſacramentum, & duplicem effectum in eo inſtanti recipere coniuges. Ita Sanchez cum aliis, quos ipſe refert *lib. 2. diſput. 9. num. 5.* Probari poteſt

Primò, ex D. Thomâ *in 4. diſt. 39. q. vnicâ art. 2. ad primum*, dicente matrimonium infidelium eſſe Sacramentum non actu, ſed habitu. Quaſi dicat, non eſſe actu, quia non contrahunt in fide Eccleſiæ, ſed habitu, id eſt, ſtatim ac baptizantur, effici ſacramentum, aliàs fruſtrà eſſet potentia, quæ non reduceretur ad actum.

Secundò, eo ipſo quòd baptizantur, eorum matrimonium fit omnino indiſſolubile: ergo & ſacramentum.

Tertiò, tunc fit contractus venditionis, quando ita firmatur, vt non poſſit reſcindi; ſed matrimonium hâc recipit firmitatem, quando baptizantur; quia poſt Baptiſmum nullâ cauſâ adhuc fidei diſſolui poteſt: ergo tunc fit contractus, qui eſt ſacramentum.

Vltimò, ex quo baptizantur, eorum matrimonium perfectius repræſentat indiſſolubilem coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, vel cum humanâ naturâ per vnionem hypoſtaticam; quia vinculum matrimonij conſummati fit per Baptiſmum coniugis omnino indiſſolubile: ergo tunc fit ſacramentum.

4 *Secunda ſententia* docet, ſi infideles poſt Baptiſmum renouent conſenſus antiquos per aliqua externa ſigna, vel nouos conſenſus mutuo exprimant, tunc primum fieri ſacramentum. Ita Cardinalis Bellarminus *lib. 1 de matrim. c. 5. ad finem*, Rebellus *lib. 2. q. 6. n. 2.* cum aliis, quos ipſe citat. Probat

Primò, quia non ſunt defraudandi gratiâ ſacramentali ad coniugalia meliùs obeunda, qui baptizantur, contracto ante Baptiſmum matrimonio, cùm non minus, imò plerumque multo magis eo remedio egeant; qui enim ſentit onus, debet etiam commodum ſentire, ex regulis iuris in ſexto; non videtur autem accomodatior modus ad hunc effectum, quàm prædictus, quia tunc iam datur mutuus conſenſus internus externo ſigno manifeſtatus: ergo tunc ſuſcipiunt ſacramentum.

Secundò, quia tunc fit nouus contractus, quia is, qui antea erat naturalis, & prophanus, & ſolubilis, fit ſacer, inſolubilis, & repræſentat vnionem Chriſti cum Eccleſia: ergo eſt nouum ſacramentum nouæ legis.

Verius iudico oppoſitum, nempe matrimonium contractum ab infidelibus, poſtquam baptizati ſunt, nunquam poſſe fieri verum, & proprium ſacramentum nouæ legis. Ita Petrus de Ledeſma *de matrim. q. 59. a. 2. ad 3.* Vaſquez *de matrim. diſp. 2. cap. 10.* Coninch *diſp. 23. dub. 2. concluſ. 7.* Mæratius *tract. de matrim. diſp. 2. ſect. 9.* Gaſpar Hurtado *diſp. 3. diffic. 16 n. 62.* Baſilius Ponce *lib. 1. c. 9. n. 8* & alij. Iuxta horum doctrinam.

5 Dico *primò*, matrimonium à non baptizatis contractum non fieri ſacramentum propriè nouæ legis, eo ipſo præciſè, quo coniuges baptizantur.

Probatur id *primò*, quia certum eſt, nullum nouæ legis ſacramentum actu eſſe, quin eadem reali duratione, qua actu eſt, ſit quoque phyſicè actu exiſtens, aut ipſum totum, aut aliqua ſaltem eſſentialis eius pars ſiue materia, ſiue forma, ſiue materiæ huius, aut formæ particula, ratione cuius actu, & phyſicè dici poſſit ipſum ſacramentum actu, & phyſice exiſtere, vt inductione per omnia ſacramenta conſtat, & ratio demonſtrat, quia ſi nihil eius actu eſt, ipſum actu eſſe dici non poteſt; vnde antequam aliquid eius incipiat phyſicè exiſtere, actu eſſe non incipit; & dum actu fuit, nihilque eius in rerum natura actu remanet, non magis actu eſt, quàm antequam eſſe inciperet. Atqui eo præciſè, quo coniuges Baptiſmum ſuſcipiunt, nihil actu, & phyſice eſt, ratione cuius matrimonij ſacramentum actu, & phyſice eſſe dici verè poſſit. Quia cùm Chriſtus aſſumpſerit in ſacramentum ipſum ſolum actualem matrimonij contractum, ſane dum hic actualis contractus actu, & phyſicè non eſt, neque matrimonij ſacramentum actu, & phyſicè eſſe poteſt: non verò exiſtit actu, & phyſicè eo ipſo, quo coniuges Baptiſmum actu, & phyſicè ſuſcipiunt; ſed à longo iam tempore totus ipſe præteritus eſt; nec actualis ipſius Baptiſmi

ſuſceptio

ſuſceptio eſt ſe ipsâ formaliter actualis matrimonij contractus,alioquin eo ipſo præcisè,quo actu, & formaliter Baptiſmum ſuſciperet,matrimonium actu, & formaliter contraheret;quod omnino falſum eſt. Firmo,quia per aduentum Baptiſmi præcisè non fit noua materia,aut forma legitima huius ſacramenti:ergo nec ſacramentum. Antecedens patet, quia talis materia,& forma ſunt conſenſus,prout expreſſit, inter baptizatos, ſed iſti non fiunt præcisè per ſolum aduentum Baptiſmi, vt patet:ergo. Reſpondebis cum Sanchez *loco citato,num.6.* eo ipſo,quòd iſti coniuges Baptiſmum recipiant, cenſeri virtualiter, & implicitè conſentire de nouo, aut de nouo approbare priores conſenſus;hoc autem ſatis eſſe, vt dicatur noua materia,& forma ſacramenti, eo ipſo quòd prior contractus ſic approbatus adquirit nouum ſtatum, nouam inſolubilitatem,& nouam ſignificationem inſolubilis coniunctionis Chriſti cum Eccleſiâ factæ per vnionem hypoſtaticam:ſed contra eſt, quia hic nouus ſtatus,ac noua inſolubilitas, & ſignificatio, dum non fit nouus conſenſus, non ſufficiunt, vt prius matrimonium adquirat nouam rationem ſacramenti dantis nouam gratiam. Quod patet, quia aliàs, ſi hoc ſatis eſſet, ſequeretur quòd fideles conſummantes matrimonium conficerent nouum ſacramentum dans nouam gratiam; quia etiam tunc antecedens matrimonium ratum adquirit nouum ſtatum, nam ex rato fit conſummatum;fit item magis inſolubile,quàm antea eſſet,& tandem habet nouam ſignificationem inſolubilis coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ per vnionem hypoſtaticam.Præſertim,quia ſimilem ſtatum nouum adquirit illud matrimonium, cui ſuperuenit Baptiſmus vtriuſque coniugis, etiam in eo caſu,quo vnus baptizatur ignorante alio, & è contra;vel etiam in eo caſu,quo ambo baptizantur, expreſsè tamen nolunt per eum Baptiſmum renouare prius matrimonium eleuando ipſum ad eſſe ſacramenti:ſed in his caſibus eſt certum, quòd tale eorum matrimonium non fiat denuò ſacramentum:ergo ad id non ſufficit,quòd adquirat illum nouum ſtatum, & ſignificationem.

Secundò probatur concluſio, quia quando quis per vnum actum redditur habilis ad alium prius tempore,debet habere illam habilitatem, quia aliàs non accederet habilis ad actum ſequentem; ſed homo fit habilis ad alia ſacramenta per Baptiſmum: ergo non poteſt in inſtanti,in quo recipit Baptiſmum, recipere matrimonium: alioquin ſi ſimul tempore reciperet Baptiſmi, & matrimonij ſacramentum,non diceretur baptizatus ad ſacramentum matrimonij accedere. Sicut etiam contra, cùm ſtatutum ſit, vt qui recipit ſacramentum Ordinis excommunicatus ipſo facto irregularis ſit,vt incurrat irregularitatem, neceſſe eſt priùs excommunicatum eſſe, & poſtea ordinari. Quocirca Vaſquez *citatus* meritò cenſet, eum, qui contra ſententiam excommunicationis latam ab Epiſcopo ordinante,verè ordinatur,ipſo facto ex communicationem incurrere, non tamen irregularitatem eodem actu ſimul, niſi in eo ordine ſuſcepto tunc ſolemniter miniſtret Nec valet dicere, non ſimul tempore infideles baptizari, & eorum matrimonium fieri ſacramentum: ſed in primo inſtanti eos recipere effectum Baptiſmi, in ſequenti verò tempore pòſt, incipere per vltimum non eſſe matrimonium eorum ſacramentum eſſe Non, inquam,valet, quia matrimonium infidelium ex ſententiâ contrariorum, eo ipſo, quòd incipit eſſe ratum per Baptiſmum,incipit etiam eſſe ſacramentum; ratum autem incipit eſſe virtute Baptiſmi, hoc ipſo quòd infideles baptizati ſunt, & ſub Eccleſiæ poteſtate. Cùm igitur in primo inſtanti verè ſint baptizati, in quo recipiunt effectum Baptiſmi, ſequitur in eo etiam incipere matrimonium eorum ratum,ac proinde ſacramentum eſſe,& non tantum tempore proximè ſequenti.Denique idem oſtéditur;quia non eſt idem, matrimonium effici ratum, & effici ſacramentum propriè ſumptum conferens gratiam. Ratum enim efficitur Baptiſmo, ita vt iam ratione Baptiſmi non ſit diſſolubile cauſa fidei, ſicut diſſolui poterat ante Baptiſmum. Sacramentum autem fit non ſignificatione coniunctionis Chriſti cum Eccleſiâ: nam contractus matrimonij ſolùm eſt eleuatus ad rationem ſacramenti,vt conferat gratiam; ſignificatio autem illa, & repræſentatio per ſe non competit contractui, qui ſtatim tranſit, ſed vinculo matrimonij permanenti, vt conſtat: ergo tametſi matrimonium fiat ratum ſolâ ſuſceptione Baptiſmi, nequit tamen fieri ſacramentum ſine nouo conſenſu.

Dico *ſecundò*, prædictum matrimonium infide- 6
lium non fieri propriè Sacramentum collatiuum gratiæ poſt Baptiſmum, etiamſi conſenſus denuo contrahant, & verbis, aut nutibus ſufficientibus eos exprimant. Probatur, quia nequit fieri, vt fit nouum Sacramentum formaliter, niſi etiam formaliter adſit legitima forma, & materia;ſed tales non ſunt prior conſenſus, vel contractus in infidelitate initus vt ſic, neque nouus conſenſus poſt Batiſmum: ergo nullo pacto fiet nouum Sacramentum. Minor probatur, quoad primam partem, quia prior conſenſus, vel contractus factus in infidelitate, cùm ſit infidelium, talis eſſe nequit, vt de ſe patet: quia Sacramentum matrimonij eſt eſſentialiter contractus inter baptizatos initus, nec perſeuerat poſtea formaliter, & actu, ſed ſolùm moraliter, & habitu; at ſola habitualis,vel moralis perſeuerantia non ſatis eſt ad id; aliàs per totam vitam perſeueraret Sacramentum prout dans gratiam: ergo. Minor patet etiam quoad ſecundam partem,quia nouus conſenſus,ſiue nouus contractus non fit ſine nouâ traditione, ſed hæc valida fieri nequit, aliàs iam pridem facta, nec res ſemel abſolutè tradita poteſt ſecundò tradi. Vnde quamuis repetatur conſenſus, & eius exterior expreſſio, & talis repetitio fiat, non tamen fit de nouo contractus,in quo Sacramentum matrimonij conſiſtit, quia iam ſupponitur ante Baptiſmum factus. Firmo exemplo clariſſimo, nam qui vouit iam caſtitatem Deo, licèt poſtea illam voueat, non vouet de nouo,ſed tantùm renouat, & ratificat prius factum. Et ratio eſt, quia obligationes omnino eiuſdem rationis non multiplicantur circa idem, vt inter homines, ſi rem vendidi, aut promiſi Petro, licèt iterum vendam, vel promittam eidem, nec illi additur nouum ius, nec mihi noua obligatio, quia primus actus efficit totam obligationem poſſibilem in illa ſpecie. Vnde lex poſitiua addita legi naturali in eadem materia & ſub eodem motiuo, v.g. non furandi, non addit nouam obligationem numero diſtinctam, nec in violatione eſt duplex malitia, vt probaui tractatu de peccatis. Ob eandem cauſam in repetitione eiuſdem voti non datur duplex obligatio. Igitur in præſenti caſu idem erit. Quamuis enim prædicti baptizati expreſsè velint de nouo contrahere, & id declarent per verba de præſenti,adhuc non eſt ſacramentum; quia,vt hoc reperiatur, requiritur vt in re ipsâ ſit contractus nouus; hic autem re ipsâ non reperitur, quia ex contractu oritur tranſlatio dominij, & obligatio ad reddendum debitum; ſed totum iſtud iam erat ante Baptiſmum, vnde poſt Baptiſmum nequit vllus fieri de nouo contractus:ergo.Roboratur hoc idem,quia per talem renouationem re ipsâ non fit verus contractus, quia coniuges iam non poſſunt corpora ſibi mutuò tradere;nemo enim poteſt dare alteri quod eſt ſuum, &

Digitized by Google

neuter iam habet poteſtatem proprij corporis, vt docet Paulus 1. *Cor.* 7. ergo non poſſunt ea ſibi mutuo tradere: ergo nequeunt efficere verum contractum, ſine quo nequit fieri ſacramentum matrimonij.

7 Dico *tertiò*, quando ambo infideles coniugati poſtea baptizantur, matrimonium illud, quod antea erat legitimum, fieri ſolùm ratum, ſeu magis inſolubile ratione ſolius Baptiſmi. Suppono quod eſt certum apud omnes, matrimonium dici legitimum, ratum, & conſummatum. Dicitur *legitimum*, quòd legitimo conſenſu contrahitur, quale eſt etiam apud infideles: dicitur autem *ratum*, quando eſt inter fideles baptizatos, & eſt magis indiſſolubile, quia diſſolui nequit causâ fidei: denique dicitur *conſummatum* quando iam eſt copula carnali perfectum. Hoc præmiſſo probatur dictum; quia fieri matrimonium ratum, non eſt fieri ſacramentum gratiæ collatiuum, ſeu habere maiorem indiſſolubilitatem; ſed in hoc caſu ita fit: ſi enim ambo baptizantur, iam non poteſt ſolui matrimonium propter cauſam, vel bonum fidei: ergo. Minor illa aperte conſtat in eo caſu, in quo ambo coniuges baptizarentur ſeorſim, ignorante tamen vtroque Baptiſmum alterius; tunc enim nec denuò conſentirent, nec denuò ratificarent, cùm non poſſit fidelis velle ratificare, nec de nouo contrahere, ni ſciat, alterum velle conuerti, aut viuere ſine iniuria creatoris, vt ſuo loco dicetur; ergo non eſt denuo ſacramentum matrimonij, & tamen matrimonium antiquum tunc fit ratum. Confirmatur, quia ipsâ ſolâ receptione Baptiſmi, antequam conſentiant, vel ratificent, iam eſt matrimonium magis inſolubile: ergo fieri ratum, & fieri ſacramentum gratiæ collatiuum, ſunt valdè diſtincta.

8 Dico *vltimò* matrimonium baptizatorum validum in ratione contractus, contractum verò ſine intentione faciendi quod facit Eccleſia, atque adeò ſine intentione ſacramenti gratiæ collatiui, quod poſſibile eſſe docuimus *ſect. præcedente*, nunquam poſſe fieri tale ſacramentum. Probatur id eiſdem rationibus, quibus oſtendimus idem de matrimonio infidelium poſt Baptiſmum *actio ſecunda*, eſt enim eadem ratio horum, atque illorum, quia matrimonium quodlibet, quod dum actu validè contrahitur, ſacramentum gratiæ collatiuum non eſt, nunquam poſtea eſſe poteſt. Ratio eſt, quia nullus alius propriè contractus eſt propriè ſacramentum, aut eſſe poteſt, quàm qui re ipsâ validus eſt, & re ipsa verum, ac validum matrimonij vinculum parit. At nouus ille, qui dicitur, & iteratus inter præfatos coniuges matrimonij contractus, non eſt re ipsâ validus, ſi prior antè initus validus fuit, vt fuiſſe ſupponitur: nullius enim erit valoris, & roboris: ſi enim alicuius eſſet, matrimonium validum vinculum efficeret; at non efficit, nec efficere poteſt, quia validius, quàm ſit vi prioris contractus facere non poteſt: imò nec vinculum ipſum poteſt efficere, quia totum priore contractu iam factum, & perfectum eſt.

Ad argumenta primæ ſententiæ.

Ad primum dico D. Thomam ſacramenti nomine non intellexiſſe ſacramentum ſtrictè ſumptum pro ſigno ſenſibili conferente gratiam, in quo ſenſu nunc eſt ſermo, ſed ſacramentum latè ſumptum, quia eſt myſterium quoddam coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, quam ſignificationem actu ſenſit D. Thomas non conuenire matrimonio, niſi ſuſcepto Baptiſmo.

9 Ad ſecundum, dato antecedente, negatur conſequentia: nam aliud eſt fieri de nouo matrimonium ratum, id eſt, magis indiſſolubile, vel de nouo ſignificans inſolubilem coniunctionem Chriſti cum Eccleſia; aliud verò eſt fieri ſacramentum propriè ſumptum: primum enim eſſe poteſt ſine ſecundo; nam coniuges fideles matrimonium ratum ante conſummationem poſſunt pro libito ſoluere ingrediendo religionem, quod eſt in vtriuſque poteſtate; vnde per conſummationem redditur omnino inſolubile, & tamen non ideo conſummando dicuntur inire nouũ contractum, nec nouum ſacramentum gratiæ collatiuum. Vnde non benè infertur fieri ſacramentum propriè ſũptum dictum matrimonium in infidelitate contractum ex eo, quòd per receptionem Baptiſmi ſignificet de nouo inſolubilem coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, & ita ſit magis inſolubile, & ratum; eam enim nouam ſignificationem habet ex eo, quod fiat magis ratum: eſſe verò magis ratum participat non ex ratione ſacramenti proprij, ſed ex eo quod nequeat iam diſſolui causâ fidei; id eſt, ex eo quod vno iam conuerſo alius nolit conuerti: conuerſis ſiquidem ambobus iam hæc cauſa diſſolutionis manere non poteſt.

Ad tertium, dico exemplum illud venditionis eſſe pro nobis: nam venditio quandiu non eſt firma, ſed conſenſu partium diſſolui poteſt, non cenſetur facta, ſed præceſſit tantùm tractatus quidam antecedens venditionem; tunc autem fieri dicitur, cùm firmitatem accipit, & neutrius libera voluntate diſſolui poteſt: tale verò eſt matrimonium legitimum infidelium; licèt enim beneficio fidei diſſolui poſſit, celebratum tamen ante Baptiſmum conſenſu partium diſſolui non poteſt. 10

Ad vltimum concesſo antecedente, negatur conſequentia, ſi intelligatur de ſacramento propriè & ſtrictè ſumpto: ſolum enim inde infertur ipſum vinculum matrimonij eſſe ſacramẽtum largè ſumptum, prout eſt ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, quia matrimonium legitimum infidelium iam conſummatum, factum per Baptiſmum omnino indiſſolubile ſignificat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia per vnionem hypoſtaticam perpetuam, & indiſſolubilem.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ. 11

Ad primum negatur antecedens; nec ſemper qui ſentit onus, ſentit ſolatium: nam etiam in ſtatu puræ naturæ ſenſiſſent coniuges idem onus, quod nunc ſentiunt, imò maius, cùm totum matrimonium non potuiſſet diſſolui per ingreſſum religionis, quæ non eſſet, ſicut non poteſt; & tamen tunc non ſenſiſſent ſolatium gratiæ ſacramentalis, nec ſanctificantis, nec auxiliantis. Placet tamen quod notauit noſter Coninch *diſp. 24. cit. ad finem dubij ſecundi*, credibile eſſe, Deum talibus coniugibus baptiz[atis] maiores dare gratias præuenientes ad faciend[a] [in]commoda matrimonij, quam det infidelibus coniugatis, non ob ſacramentum matrimonij, ſed quia fideles ſunt, quibus ratione fidei, & Baptiſmi diuina gratia magis debita, & vbique parata eſt.

Ad ſecundum iam conſtat ex dictis falſum eſſe antecedens, neque enim contractus eſt nouus ſuſcepto Baptiſmo, nec prior ille deſinit eſſe naturalis, ac ciuilis. Neque eſt verum illum contractum immediatè repræſentare vnionem Chriſti cũ Eccleſiâ: quia hoc non conuenit per ſe contractui, qui ſtatim tranſit, ſed vinculo matrimonij permanenti, quod certè eſt poſt Baptiſmum magis factum, ac indiſſolubile, repræſentans indiſſolubile Chriſti vinculum cum Eccleſia per vnionem hypoſtaticam, vt ſatis declaratum eſt. Adde ſi illud argumentum valeret, inde ſequeretur maximum abſurdum, nempe fideles conſummantes matrimonium conficere nouum matrimonium, & ſacramentum: quia quod priùs poterat per diſpenſationem Pontificis, & ingreſſum religionis 12

Google

ligionis ſolui, & tantum repræſentabat vnionem Chriſti cum Eccleſia per gratiam; efficiunt inſolubile, & repræſentans vnionem Chriſti per incarnationem, vt habetur *cap. debunm 5. de bigami.*

Sectio XII.

Vtrùm matrimonium inter baptizatum & non baptizatum ſit propriè ſacramentum gratiam conferens.

1 SVpponimus ex diſpenſatione Pontificiâ, vt ſuo loco dicemus, validè fieri matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum: nam ratio ſacramenti ſupponit valorem contractus matrimonij. Certum eſt autem non eſſe Sacramentum ex parte coniugis non baptizati, quia iſte ex defectu Baptiſmi incapax eſt omnium aliorum Sacramentorum. Eſt ergo difficultas, an ſit Sacramentum ex parte baptizati.

2 Sotus *in 4. diſt. 26. quaſt. 2. art. 2. ad 4.* & Catherinus *in opuſculo de matrimonio quaſt. 1. §. Huius rei gratiâ.* Quibus annuit Rebellus *lib. 3. quaſt. 9. num. 1.* cenſent, matrimonium baptizati cum infideli Gentili, vel cum catecbumenâ iam fideli eſſe Sacramentum ex parte baptizari tantùm, dummodo vterque contrahens habet intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. Probant

Primò, teſtimonio illo Pauli 1. ad Cor. 7. *Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.* vbi loquitur Apoſtolus de matrimonij Sacramento, ſignificatque propter vnum ex coniugibus ſanctificari alterum ad opus matrimonij: hoc eſt, ad ſobolem procreãdam, ne filij naſcantur immundi, hoc eſt, inſanctificabiles propter parentes.

Secundò, in prædicto matrimonio ex vna parte baptizatus eſt capax Sacramenti, & ex alterâ verum efficit contractum cum non baptizato; contractui verò baptizati conuenit ratio Sacramenti: ergo.

Tertiò, ibi adeſt materia, & forma, & debita intentio, quia, vt ſupponitur, infidelis non baptizatus habet intentionem cõtrahendi more Chriſtiano, quæ in miniſtro Sacramenti reſpectu ſuſcipientis neceſſaria eſt: ergo nihil deeſt. Quòd verò infidelis non recipiat gratiam, nihil obeſt; quia nec recipit illam fidelis, quando ponit obicem ipſi, & tamen recipit Sacramentum. ergo.

3 Cæterùm modò omnes Theologi meritò aſſerunt, eiuſmodi matrimonium, etiam ſi legitimum eſſet, non fore Sacramentum conferens gratiam ex parte vllius. Ita Vaſquez *diſput. 2. c. 9. n 113.* Gaſpar Hurtado *diſput. 3. difficult. 18. num. 69.* Coninch *diſput. 27. dub. 2. num. 24.* Sanchez *lib. 2. diſput. 8. num. 2.* Enriquez *lib. 11. de matrim. c. 2. ad finem, & lib. 12. c. 13. num. 3.* & alij. Ratio eſt manifeſta, quia Sacramentum non poteſt eſſe ſine legitimâ materiâ, & formâ, neque ſine ſubiecto capaci, neque ſine cauſa efficiente legitimâ: ſed in hoc caſu nihil horum reperitur; ergo. Minor probatur quoad primam partem; quia legitima materia, & forma ſacramenti ſunt duo conſenſus baptizatorum, & non vnus tantùm, quia eſt eſſentialiter contractus in duobus, vel inter duos, vnde ſolus contractus duorum baptizatorum eſt eleuatus ad eſſe Sacramenti; cùm Baptiſmus ex Florentino ſit ianua aliorum Sacramentorum: hic autem contractus non eſt magis baptizatorum, quàm non baptizatorum, vt patet. Vnde ſi ambo eſſent infideles, nullius conſenſus foret legitima materia, & forma Sacramenti, vt omnes concedunt: ergo ſi alter ſit infidelis, illius conſenſus non erit legitima materia, & forma, quia eſt incapax Sacramenti: ergo ex defectu ipſius non erit Sacramentum. Firmatur, quia Chriſtus tantùm inſtituit in Sacramentum integrum, & perfectum contractum matrimonij, quia tantùm contractus integer eſt matrimonium, & tantùm in matrimonio illud inſtituit; at in ſolo vno baptizato non eſt integer, & perfectus contractus matrimonij, ſed in vtroque coniuge, vnde in vtroque coniuge, quando vterque eſt baptizatus, eſt vnum tantùm Sacramentum; ſicut & vnus tantùm integer contractus: ergo. Probatur illa eadem minor, quoad ſecundam partem; nempe in eo caſu non dari ſubiectum capax ſacramenti matrimonij. Patet, quia ſubiectum capax rationis ſacramenti in hoc caſu eſt ſolus duplex baptizatus, & non vnus tantùm, quia, vt oſtenſum eſt, hoc Sacramentum eſt contractus inter duos baptizatos. Quo argumento cum proportione oſtenditur, cauſam efficientem legitimam huius ſacramenti, ſolùm etiam eſſe duplicem baptizatum: ergo.

Hinc patet ſolutio ad argumenta oppoſita.

Ad primum dico, ibi loqui Paulum ſolùm de ſanctificatione, quæ ex bonâ conuerſatione fidelis cum 4
infideli, verbo, & exemplo prouenire ſolet. Vtrùm autem fidelis ſit priùs ſanctus, ſeu ſanctificatus per Sacramentum matrimonij ad ſanctificandum infidelem, non docet Paulus, neque de eo curat. Nam loquebatur planè non de fideli, qui poſt Baptiſmum contrahit cum infideli, ſed de fideli, qui poſt matrimonium contractum in infidelitate baptizatus fuit; quem nunquam per Sacramentum matrimonij antea contracti ſanctificari, oſtendi ſectione præcedenti.

Ad ſecundum dico, illud matrimonium non eleuari ad rationem ſacramenti, quia non baptizatus nequit exhibere legitimam materiam, & formam Sacramento; quia, vt oſtenſum eſt, materia, & forma legitima Sacramenti ſunt duo conſenſus expreſſi baptizatorum. 5

Ex quo patet ad tertium, vnde tametſi non obſtet præciſè quòd non baptizatus non recipiat gratiam; obſtat tamen quòd non exhibeat legitimam materiam, aut formam, vt dictum eſt.

Sectio XIII.

Vtrùm matrimonium baptizatorum per Procuratores celebratum, ſit propriè Sacramentum conferens gratiam.

VAlidum eſſe matrimonium contractum per Procuratorem, oſtendimus iam ſuprà *diſp. 15. ſect. 7. & 8.* nunc videmus, an ſit verè, & ſtrictè Sacramentum.

Negant Canus *lib 8. de locis Theologicis cap. 5. ad 3.* 1
& Victoria *in ſummâ num. 244.* ſequuti Baſſolium *in 4. diſt. 27. quaſt. 1. a. 5* & Caietanum *opuſculo de matrimonio cap. 5.* Probari poteſt

Primò, quia alia Sacramenta requirunt ad ſui valorem præſentiam miniſtri, ac materiæ; ac præſertim pœnitentia requirit præſentiam ad abſoluendum, quia in eius formâ dicitur, Ego te abſoluo: ergo idem dicendum de Sacramento matrimonij, requirere præſentiam contrahentium, quia in eo etiam dicitur

tur: Ego te accipio in coniugem.

Secundò, effectio Sacramenti eſt actus perſonalis, vt patet in aliis Sacramentis: ergo matrimonium celebratum per alterum non eſt propriè Sacramentum.

Tertiò, ſi matrimoniom inter abſentes eſſet Sacramentum, non eſſet cur renouaretur in præſentia; aliàs eſſet repetitio ſacrilega Sacramenti.

Quartò ſequeretur, dormientem poſſe gratiam recipere, ſi ipſo dormiente, & exiſtente in gratia fieret matrimonium à ſuo procuratore; imò etiam & dormientem poſſe peccare, ſi ipſo dormiente, & exiſtente in peccato mortali, fieret à ſuo procuratore matrimonium.

Vltimò, Sacramentum eſt cauſa phyſica gratiæ; at matrimonium per procuratorem non poteſt ſic eſſe cauſa, quia conſenſus ipſorum, qui verè contrahunt, ſunt materia, & forma, & iſti iam tranſierunt: ergo.

Communiter tamen modò Doctores contrarium ſentiunt, Sotus *in 4. diſt. 25. q. 1. a. 3.* Cardin. Bellarminus *lib. 1. de matrim. cap. 5. ad 1.* Enriquez *lib. 11. cap. 2. num. 2.* Vaſquez *diſput. 3. c. 4* Coninch *diſp. 24. dub. 2. num. 23.* Baſilius Ponce *lib. 1. c. 10. num. 3.* Gaſpar Hurtado *diſput. 3. difficult. 17.* & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. 2. diſput. 11. num. 27.* Probatur *primò*, quia Chriſtus Dominus abſque reſtrictione aliqua inſtituit omne matrimonium legitimum baptizatorum in Sacramentum, vt deducitur ex Florentino & Tridentino, dum abſolutè, & abſque limitatione definiunt, matrimonium baptizatorum eſſe Sacramentum, & certò conſtat Chriſtum in nullo penitus immutaſſe naturam contractus matrimonij, ſed omnem illum euexiſſe ad rationem Sacramenti: ergo cùm matrimonium per procuratorem celebratum ſit verum, & legitimum in ratione contractus, non eſt cur Sacramẽtum propriè non ſit. Neque enim veriſimile eſt, Eccleſiam, quæ definit, matrimonium eſſe abſolutè Sacramentum abſque vlla reſtrictione, in re tanti momenti non expreſſiſſet, ſi matrimonium inter abſentes non erat Sacramentum, ne fideles fruſtrarentur fructu Sacramenti. *Secundò* in contractu matrimonij per procuratorem inito, eſt vera materia, & vera forma, vt *loco citato* explicui; ergo eſt verum, & proprium Sacramentum. *Tertiò* in lege noua, matrimonium vt contractus, & vt Sacramentum eſt idem numero, & realiter, & ſolùm differunt quaſi ratione penes diuerſos reſpectus: quia vt reſpicit vinculum contrahentium, dicitur contractus; vt eleuatur à Chriſto ad ſignificandam, & producendam gratiam ſanctificantem, dicitur Sacramentum; ergo vtroque modo debet habere eandem materiam, & formam, & cauſas agentes, atque adeò ſi poteſt vt contractus celebrari per procuratorem, poteſt etiam vt Sacramentum. *Vltimò*, quia aliàs prædicti coniuges nunquam reciperent hoc Sacramentum, quare dici nequit. Sequela probatur, quia ſi non ipſum recipiunt, quando per procuratorem fit verus contractus ipſius, nequeunt poſtea, quando ipſi renouant conſenſus, quia tunc præteritus contractus iam non exiſtit formaliter, neque nouus formaliter fit: ergo tunc non fit Sacramentum, cùm hoc eſſentialiter nihil aliud ſit, quàm matrimonialis contractus prout ſanctificatus, & conferens gratiam.

3 Ob eaſdem rationes, matrimonium per epiſtolam, aut per nuntium celebratum, probatur eſſe propriè Sacramentum, quia videlicet, verum eſt, & legitimum matrimonium, eſt in illo vera materia, & vera forma, & cauſa agens, nihilque deeſſe videtur.

Ad argumenta oppoſita.

4 Ad primum conceſſo antecedente negatur conſequentia, ob manifeſtam diſparitatem ſumptam ex inſtitutione Chriſti nobis vſu Eccleſiæ, & Conciliorum verbis declaratâ. Nam alia ſacramenta ex ſua inſtitutione, vt conſtat ex Florentino, requirunt verba propriè dicta quæ à miniſtris proprio ore proferuntur, vnde requirunt verba determinata, & materiam determinatam præſentem: at matrimonij ſacramentum, cùm in ſolo contractu valido fundetur, non requirit eſſentialiter verba determinata. Vnde tametſi illa verba ſint conuenientiſſima, & ideo communiter vſurpentur, non tamen dicuntur tanquam determinata eſſentialiter; nam ſufficiunt quæcumque verba, & quæcumque ſigna, quibus exprimatur conſenſus traditionis Domini corporis; cumque conſenſus, & traditio eſſe poſſint inter abſentes, & etiam expreſſio conſenſus ſiue per epiſtolam, ſiue per nuntij verba, vel procuratoris etiam conſentientis commiſſione, & nomine principalis, ideo contractus matrimonij, & conſequenter ſacramentum poteſt in abſentia fieri. Vnde Florentinum in litteris Eugenij agẽs de matrimonio rectè dixit, conſenſum contrahentium regulariter eſſe per verba de præſenti expreſſum, inſinuans clarè, eâ particulâ *regulariter*, hoc non eſſe ei eſſentiale. Prædicta diſparitas apparet manifeſta reſpectu ſacramenti Pœnitentiæ; in quo verba illa abſolutionis, abſoluo te, ſunt determinatè requiſita ex Chriſti inſtitutione, & ideo ſunt de neceſſitate ſacramenti, & diriguntur expreſsè ad perſonam præſentem, vt patet ex pronomine *Te*, quo ſignificatur ſacerdotem præſentem alloqui, ac proinde vt verificentur requirunt præſentiam abſoluentis. Nulla enim alia de cauſa nequeo conſecrare materiam omnino abſentem, niſi quia verba conſueta formæ ratione pronominis, Hoc, diriguntur ad materiam præſentem. At, vt dixi, matrimonium poteſt per quæcumque verba, vel ſigna contrahi conſenſum exprimentia.

Atque hinc patet ſolutio ad ſecundum, actiones 5
aliorum ſacramentorum ex inſtitutione Chriſti eſſe perſonales, ita vt nullo modo per ſubſtitutum exerceri poſſint, id verò non habere matrimonij ſacramentum, quia iſtud inſtituit Chriſtus, & fundauit in ſolo contractu valido, qui cæterorum contractuum naturam ſequitur; & ideo eius actiones non ſunt neceſſariò perſonales, ſaltem exterior expreſſio. Solùm enim in hoc ſenſu actio ſacramentalis matrimonij eſt perſonalis, quia nulla alia perſona, præter ipſos contrahentes, verè conficit, & in ſe recipit tale ſacramentum.

Ad tertium dico, laudabiliter facere contrahentes 6
per procuratorem ſi poſtmodum ipſimet iterum matrimonium ineant, vel in præſentia ratificent contractum ad tollendos ſcrupulos. Quamuis enim cætera ſacramenta repeti nequeant, eâdem numero materiâ manente; at matrimonium id habet ſpeciale ex eo quòd ſit contractus, eiuſque naturam, & conditiones retineat, vt poſſit eâ parte, quâ contractus eſt, cæterorum more ſæpiùs iterari.

Ad quartum reſpondeo, poſſe, & non eſſe inconueniens, illum dormientem recipere gratiam, vt etiam 7
contingit, quando quis in infirmitate dormiens extremè vngitur. Negatur tamen dormientem peccare, ſi habeat obicem tempore, quo fit contractus: nam actio, vel omiſſio tandiu eſt capax malitiæ moralis, quandiu libera eſt: actio autem, vel omiſſio in ſomnis libertatem non habet, & ideo in ſe capax non eſt malitiæ moralis; ac propterea omiſſio diſpoſitionis neceſſariæ ad recipiendum ſacramentũ matrimonij, nequit dormienti, vt ſic imputari ad culpam. Peccat tamen mortaliter, ſi non ſit in gratiâ, quando iuxta prudens iudicium ipſius celebrandum eſt matrimonium, non quando dormit, ſed quando præuidens defectum gratiæ,

gratiæ, & futurum ſomnum tempore contractus, dedit cauſam ſomno. Quare abſentes contrahentes ſub peccato mortali tenentur curare vt ſint in gratia eo tempore, quo procuratores eorum nomine contrahunt, ne ſacramentum viuorum in peccato mortali ſuſcipiant. Secus eſt de procuratoribus, qui cùm alieno nomine agant, nec vllum ſacramentum ſuſcipiunt, nec miniſtrant.

8 Ad vltimum dico, ſacramenta tametſi phyſicè operētur, & conferant gratiam dum ſunt exiſtentia, & præſentia, tamen cùm iam tranſierunt, & phyſicè non ſunt, ſed tantùm moraliter præſentia, quis neget tanquam cauſam moralem operari, vt contingit in ſacramento recedente fictione. Cùm ergo dum procurator contrahit, conſenſus principalium, qui ſunt materia, & forma, ſint tantùm moraliter præſentes, operabuntur, & cauſabunt gratiam inſtar cauſæ efficientis moralis.

Sectio XIV.

Quænam ſit vera, & propria ſacramenti matrimonij metaphyſica definitio

Quid formaliter matrimonium ſit ſumptum pro vinculo, & quænā eius propria definitio, expoſui ſuprà *diſp.* 13. *ſect. vltimâ.* Quid etiam ſit matrimonium prout eſt purus contractus naturalis, & ciuilis, docui ſuprà *diſp.* 14. *ſect. vltimâ.* Reſtat vt modò eius definitio prout habet rationem ſacramenti expendatur.

1 Gregorius de Valentia *diſp.* 10. *qu. q.* 1. *punct.* 1. matrimonium vt eſt ſacramentum quoddam, ſic deſcribit: Matrimonij ſacramentum eſt ſignum efficax gratiæ diuinæ ad procreationem, & educationem Chriſtianam liberorum in maritali, & indiſſolubili contractu viri & fœminæ diuinitus inſtitutum.

2 Breuiùs definit Rebellus *lib.* 4. *q.* 1. *n.* 5. ſequutus Ioannem Maior *in* 4. *diſt.* 26. *q.* 1. eſt ſenſibile ſignum gratiæ, quo vir, & mulier legitimo conſenſu perpetuò coniunguntur.

3 Longiùs deſcribit Guillermus Rubion *in* 4. *diſt.* 26. *q.* 2. *a.* 1. eſt expreſſio quorumque ſignorum ſenſibilium maris, & fœminæ ſibi inuicem ſignificantium traditionem mutuæ poteſtatis corporum perpetuam ad prolem debitè procreandam ex inſtitutione diuinâ; ſignificans gratiam efficaciter conferendam ipſis contrahentibus ad gratioſam coniunctionem mutuam animorum.

4 Denique noſter Cardinalis Toletus *in ſummâ lib.* 7. *c.* 5. ſic definit, eſt contractus viri, & fœminæ legitimus, quo mutua corporum poteſtas traditur, gratiæ ſpiritualis collatiuus. quæ definitio non diſplicet Baſilio Ponce *lib.* 1. *c.* 2.

5 Dico *primò* nullam ex prædictis definitionibus eſſe in rigore metaphyſico vnam, & ſimplicem definitionem, ſed mixtam & compoſitam ex definitione eſſentiali, & deſcriptiuâ, ac proinde non placere. Probatur diſcurrendo ſigillatim per illas. Nam in primâ definitione, tametſi illa prima particula, ſignum efficax gratiæ, ponatur loco generis, & alia ſubſequens, ad educationem liberorum, exprimat differentiam eſſentialem huius ſacramenti in ordine ad prolis generationem; adduntur tamen aliæ particulæ, quæ non ſpectant ad rationem eſſentialem metaphyſicam ſacramenti matrimonij, ſed vel exprimunt quibus partibus, aut entibus phyſicè diſtinctis conſtatur, quales ſunt contractus viri, & fœminæ, & etiam exprimunt proprietatem, ſeu paſſionem ab ipſo matrimonio inſeparabilem, nempe illius indiſſolubilitatem, ac perpetuitatem. Idem reperies in aliis definitionibus, ſi attentè eas conſideres.

Quare dico *ſecundò*, ſacramentum matrimonij eſſentialiter, & metaphyſicè ſpectatum ſic optimè definiri: Sacramentum nouæ legis in ordine ad prolis generationem gratiam conferens. Patet, quia ſic explicatur genus & differentia. Nam genus ſacramēti matrimonij eſt eſſe ſacramentum nouæ legis, vt ſuprà oſtenſum eſt *ſect.* 1. Quòd verò ſit differentia in ordine ad prolis generationem gratiam conferre, conſtat ex Concilio Florentino in decreto Eugenij §. 5. *Eccleſiaſticorum*, vbi dum propriæ ſingulorum ſacramentorum differentiæ notantur, ita dicitur: Per Baptiſmum ſpiritualiter renaſcimur; per confirmationem augemur in gratiâ, & roboramur in fide; renati autem & roborati nutrimur diuinâ Euchariſtiæ alimoniâ: quod ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur: ſpiritualiter etiam, & corporaliter prout animæ expedit; per Extremam vnctionem: per Ordinem verò Eccleſia gubernatur, & multiplicatur ſpiritualiter: per matrimonium corporaliter augetur. Hæc Florentinum; quod ſicut aſſignat ſpeciales differentias aliis ſacramentis, ſic & huic matrimonij apponit propriam, & ſpecificam, nempe ſpecialem gratiæ collationem in ordine ad rectā prolis generationem, & educationem. 6

Vnde colligo, quæcumque alia verba præter conſtituta in prædictâ definitione, ſuperfluere, quia non declarant genus, & differentiam, ex quibus ſolùm conſtituitur eſſentialis, formalis, & ſpecifica, ſeu metaphyſica ratio ſacramenti matrimonij. Quare ſicut Euchariſtia, v.g. ſolùm definitur metaphyſicè, ſacramentum nouæ legis inſtar alimoniæ gratiâ reficiens animam; ita matrimonium quoque rectè dicitur ſacramentum nouæ legis, dans gratiam ad prolem generandam. 7

DISPVTATIO XX.

De indiſſolubilitate matrimonij.

HACTENVS explicuimus naturam, & rationem formalem matrimonij tam in ratione vinculi maritalis, & contractus naturalis, & ciuilis, quàm etiam in ratione ſacramenti gratiæ collatiui; oportet modò vt indiſſolubilitatem illi conuenientem declaremus. Loquimur autem de omni matrimonio prout comprehendit legitimum, ratum, & conſummatum. Quæſtio verò eſt non de indiſſolubilitate quoad ſolum torum, ſeu cohabitationem, ſed quoad vinculum.

Sectio I.

Vtrùm matrimonium ſit diſſolubile, ſicut quicumque alius contractus

De variis erroribus circa hanc rem videri poteſt noſter Cardinalis Bellarminus, quos refert *lib.* 1. *de matrimonio cap.* 9. *& ſequentibus.* Quòd verò matrimonium pro coniugum arbitrio abſque aliâ cauſa diſſolui poſſit, oſtendi poteſt; quia omnis res per 1

per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, vt dicitur *cap. 1. de regulis iuris*, & conſtat in ſponſalibus; ſed matrimonium fit ſolo coniugum cōſenſu: ergo ſolo ipſorum conſenſu poteſt, ſicut quiuiſque alius, diſſolui contractus. Firmatur, quia omnes alij contractus etiam iurati poſſunt reſcindi per conſenſum contrahentium, vel per notabilem rerum mutationem: ergo & contractus matrimonium.

2 Certa eſt omnium doctrina, matrimonium omne eſſe indiſſolubile, ac perpetuum, vt apertè ſupponit Tridentinum *ſeſſ. 24* doctrina de Sacramento matrimonij, ſic incipiens. Matrimonij perpetuum, indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens diuini Spiritus inſtinctu pronunciauit, cùm dixit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, &c. Firmat idem Gregorius IX. *in cap. fin. de conditionibus appoſitis*, dum ait, conditionem repugnantem perpetuitati matrimonij, eſſe contra ſubſtantiam coniugij. de quo egimus ſuprà *diſput. 16. ſect. 6. & 8.* Et ratio eſt, quia, vt conſtabit ex dicendis in hac diſputatione, ſaltem ex Dei inſtitutione, habet matrimonium, quòd ſit perpetuum propter bonum prolis.

Vt verò rationem hanc exactè penetremus,

3 Notandum *primò*, Deum habere ſummum quoddam abſolutiſſimum, & prorſus independens in omnes creaturas dominium ratione creationis, & conſeruationis, per quam tota creatura & ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm omnes ſuas perfectiones eſt ex ipſo: vnde de omnibus liberè diſponere poteſt, prout placuerit, nec cuiquam fiet iniuria. Hoc autem dominium Deus neque poteſt abdicare, neque vlli creaturæ communicare, neque vllam creaturam ab eo eximere; quia titulus eius, qui eſt creatio, & aſſidua conſeruatio cauſæ ſupremæ, & independentis, neque communicari poteſt, neque ab eo quiſquam eximi. Quare omne dominium, quod creaturis communicatur, infinitis partibus eſt minus.

4 Obſeruandum *ſecundò*, homines propriè ſolum habere dominium in res externas ſublunares, quas ſua induſtria ſibi poteſt adſciſcere: has enim ſicuti poſſumus adquirere, ita etiam relinquere. Atque hoc dominium hominis eſſe ſemper eſſentialiter dominio diuino circa vnamquamque rem ſubordinatum, atque ab eo dependens.

5 Obſeruandum *tertiò*, hominem non eſſe dominum, ſed ſolùm vſuarium, ac quaſi cuſtodem vitæ ſuæ, corporum, membrorumque: dominium verò horum abſolutum eſſe apud ſolum Deum. Nam ſolius diuinæ poteſtatis eſt, poſſe occidere, & vitam concedere, iuxta illud Sapientiæ 16. *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem*. Ratio eſt, quia dominium non eſt, niſi in res illas, quas noſtra induſtria poſſumus nobis adquirere, & augere: qua de cauſa cenſetur homo famæ ſuæ dominus eſſe, quia homo famā, & honorem, poſt vitam diuinitùs acceptam, ſibi adquirit, & auget, ſicut res cæteras externas. At vitam, corpora ſua, ac membra nemo induſtria ſua poteſt acquirere, nec ſunt quid diſtinctum à nobis, ſed pars noſtri, vel ſubſtantia. Nequit igitur homo eſſe vitæ, ac ſubſtantiæ ſuæ dominus. Vnde nec Princeps, nec etiam Reſpublica ob eandem rationem vitæ ſuorum ſubditorum, vel ſeruorum eſt dominus. Nam proprium veri domini eſt rem pro arbitratu ſuo poſſe perimere, etiam voluptatis cauſa. At ſolus Deus pro arbitrio ſuo poteſt interficere etiam innocentes, non verò Princeps, vel Reſpublica, quæ non habet dominium in vitam hominis. Quòd ſi Princeps interficiat malefactores, & exponat vitam ſubditorum in bello, id non facit vt illorum dominus, ſed vt cuſtos tranquillitatis, & publici boni: ſicut homo, vt cuſtos vitæ ſuæ reſecat membrum putridum, & exponit partem pro ſalute totius.

6 Obſeruandum eſt *quartò*, cùm conſtet iam, nos non habere proprium dominium noſtrorum corporum, ſed Deum, & nos tantùm eſſe vſuarios; conſequenter manifeſtè ſequi non poſſe, nos aliter vti, vel aliis poteſtatem vtendi concedere, quàm prout Deus conceſſerit, qui poteſt omnem vſum concedere intrinſecè iure naturæ non repugnantem, hinc ſuo iure poteſt concedere, vt nos ipſos, vel innocentem quemuis ſine vlla noxa occidamus: potuit etiam præcipere Abrahæ, vt filium occideret, & Iſraëlitis, vt Ægyptios ſpoliarent, & ſimilia; quia videlicet vitæ, bonorumque noſtrorum ſupremus dominus poteſt inuitis nobis, per ſe, vel alios, vt libuerit, vitam, & bona auferre, & cuiuis, quam voluerit, in eam concedere poteſtatem.

7 Denique eſt obſeruandum, circa matrimonium ipſum, cuius diſpoſitionis, ac inſtitutionis Deus eſt ſupremus dominus, ſicut inſtituit id quod erat neceſſarium ad prolem concipiendam, & pariendam, nimirum vim generandi, & organa opportuna: ita etiam inſtituit id quod erat per ſe neceſſarium ad prolem rectè educandam, & promouendam ad perfectum ſtatum hominis conuenienti modo: nam finis generationis humanus eſt proles perfecta. Ad id autem inſtituiſſe, vt vinculum maris, & fœminæ poſito mutuo conſenſu, eſſet inſolubile; quia ſine tali vinculo inſolubili, humano more fieri non poterat, per ſe loquendo, vt proles rectè educaretur; cùm ad hoc non ſolùm materna, ſed etiam paterna cura ſit neceſſaria. Quare perpetuitas vinculi rectè fuit à Deo inſtituta in matrimonio in ordine ad finem generationis humanæ, qui eſt bona prolis inſtitutio, obtinendum.

His prænotatis manifeſta eſt ratio à priori indiſſolubilitatis matrimonij petita ex eius fine, nempe ſobolis bona, & perfecta educatione: non enim fuiſſet illi in neceſſariis, per ſe loquendo, neque ſpeciei conſeruationi, & propagationi ſatis proſpectum, ſi prætermiſſa fuiſſet vinculi perpetuitas adeò requiſita ad prolis ſuſcipiendæ perfectionem. Firmatur, quia ſicut natura humana eſt ſublimior, quàm brutorum, & eius conueniens propagatio, inſtitutio, & perfectio eſt maximi momenti; ita etiam vinculum coniugij eſt ſublimius & magis neceſſarium ad actum, & finem generationis; cumque ad illum vt rectè fiat, & ordinatè, & prolis ipſa educatio ſit bona, & perfecta, ſit neceſſaria vel ſaltem maxime expediens vinculi maris, & fœminæ inſolubilitas, ſequitur fuiſſe neceſſarium, vel ſaltem conuenientiſſimum, vt Deus inſtituens matrimonium illud firmaret perpetuum, ac inſolubile.

Hinc patet ſolutio ad argumentum oppoſitum initio ſectionis, non eſſe ſimile contractus matrimonij, & aliorum contractuum, ob illius peculiarem rationem: nam alij contractus non ordinantur ex natura ſua ad aliquem finem, qui requirat indiſſolubilitatem, & ideò ex cauſa diſſolui poſſunt. Contractus autem matrimonij ordinatur ad educationem prolis optimam, quæ per totam vitam durare debet. Adde ex dictis euidentem diſparitatem, nam cæteri contractus verſantur circa res externas, nempe circa bona, & merces, quæ pecunia æſtimari, & comparari ſolent; circa quæ data eſt à Deo hominibus plena facultas, vt liberè diſponant de illis ad ſua commoda; & ideo poſſunt qui contraxerunt, ſi velint, liberè diſſoluere contractus mutuo conſenſu, modò abſit ab vnoquoque illorū omnis fraus, & iniuria; nam fraus, & iniuria nemini debent patrocinari. At matrimonij contractus verſatur circa mutuam corporum traditionem,

tionem, & acceptationem; corporum autem, vt vidimus, non habent homines contrahentes plenum, & abſolutum dominium, quod ſolum habet Deus, ſed tantùm merum vſum pendentem à diuina diſpoſitione; ac proinde nequeunt ſuis corporibus vti in ordine ad vinculum coniugij, niſi dependenter à diuinâ diſpoſitione. Cumque Deus diſpoſuerit, ac inſtituerit, vt matrimonium eſſet perpetuum, ac inſolubile propter bonam ac perfectam prolis educationem, non eſt, neque eſſe poteſt in coniugum poteſtate, nubere ad tẽpus prout ipſis libuerit, neque ob vllam cauſam contractum matrimonij validum, & legitimum diſſoluere, ſeu omnino reſcindere.

Sectio II.

An matrimonium ex rei natura, ſoloque iure naturali præcisè conſiderato ſit ex ſe inſolubile, an potiùs id habeat ex Dei auctoritate ſic diſponente, vel inſtituente.

1 SEnſus quæſtionis eſt, an ſicut odium Dei, vel mendacium, verbi cauſa, eſt ex ſe & ab intrinſeco adeò malum, vt nulla ſpectata Dei prohibitione, nequeat non eſſe ſua natura malum; ita ſimiliter coniugium inter marem & fœminam non perpetuum, ſed temporale, durante dumtaxat eorum beneplacito, ac proinde ab ipſis diſſolubile ſit ita ex ſe & ab intrinſeco malum, vt omni præciſa Dei oppoſitum inſtituentis ac diſponentis prohibitione ſemper ſit ſua natura malum, & contrarium naturæ & ſubſtantiæ matrimonij, illudque reddens omnino inualidum.

2 Partem affirmantẽ ſequuntur Dominicus Sotus *in 4. diſt. 27. q. 1. a. 4.* Corduba *lib. 1. quæſtionarij, q. 25.* Petrus de Ledeſma *de matrimonio ad quæſt. 67. art. 1. dub. 1. & art. 2. dub. 2.* Vaſquez *de matrimonio diſp. 2. cap. 7.* Bellarminus *1. lib. de matrimonio, cap. 11.* Rebellus *quæſt. 15. ſect. 1.* Baſilius Ponce *lib. 1. cap. 13.* Gaſpar Hurtado *diſp. 8. difficult. 2.* Becanus *de matr. cap. 47. q. 1.* denique modò nouiſſimè ac copioſiſſimè noſter Ludouicus Mæratius *tract. de matr. diſp. 6. ſect. 1. & 2.* multis probat contractum matrimonij eſſe ex ſe & natura ſua indiſſolubilem, ita vt oppoſitum faciat illum illicitum, & inualidum.

Primò, ex definitione matrimonij ab omnibus recepta, qua dicitur matrimonium eſſe maritalis coniunctio viri & mulieris, indiuiduam vitæ conſuetudinem, ſeu ſocietatem retinens. Quæ definitio eſt matrimonij ſecundùm propriè præcisè naturam ſumpti, non prout hanc, aut illam habet adiunctam Dei inſtitutionem, vel diſpoſitionem, quæ ſunt eius eſſentiæ prorſus extrinſeca: cùm propriæ rerũ definitiones earum eſſentiam & naturam explicent, non quæ merè extrinſecus eis accidunt, & adiunguntur. Huius autẽ definitiones poſtremæ particulæ, vt matrimonij perpetuitatem, ſic indiſſolubilitatem apertè ſignificant, tanquam aut eſſentialem eius differentiam, aut dimanantem ex ea proprietatem ab eadem penitus inſeparabilem, eo modo quo incorruptibilitas eſt naturalis proprietas Angeli ab eo inſeparabilis: quia ſicut adueniente per diuinam potentiam eius actuali corruptione non maneret in rerum natura, nec manere poſſet Angelus, ita per eandem potentiam adueniente matrimonij diſſolutione non manet, nec poteſt manere matrimonium.

Secundò, Tridentinum *ſeſſ. 24. in principio*, ſic ait: matrimonij perpetuum, indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens diuini Spiritus inſtinctu pronuntiauit, cùm dixit, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, &c. Quibus verbis expreſsè ſignificatur inſeparabilitas coniugum, ſeu indiſſolubilitas coniugij. At matrimonium tunc non habebat indiſſolubilitatem ex aliqua libera Dei inſtitutione, quia non conſtat, Deum tunc id inſtituiſſe; ergo illam habet ex ſua natura, ſeu ex ſuo iure naturali.

Tertiò, in c. fin. de conditionib. appoſitis, decernit Gregorius IX. conditionem repugnantem perpetuitati matrimonij cõtrahendi eſſe contra ſubſtantiam illius. Sentit igitur Pontifex matrimonium omne eſſe ex ſua natura & ſubſtantia perpetuum, & indiſſolubile.

Quartò, matrimonium ex eſſentia ſua & natura in eum finem ordinatur, vt conſentaneo rectæ rationis modo genus humanum propagetur, & propagatum educetur rectè, & inſtituatur: atqui ad huius finis cõſecutionem neceſſarium eſt matrimonium ex rei natura eſſe indiſſolubile, ergo indiſſolubilitas eſt contra naturam matrimonij.

Vltimò, idem firmatur ab abſurdo, quia aliàs ceſſante poſitiua inſtitutione Dei, ob quam matrimonium de facto eſt indiſſolubile, fornicatio ſimplex non eſſet illicita, aut ſaltem poſſet nõ eſſe: quia fornicator quãtum eſt ex ſe, confert, aut ſaltẽ cõferre poteſt fœminæ, & ècõtra, facultatẽ, & dominium in ſuum corpus, ad copulam, ad tempus, quo copula durat; ac proinde acceſſus eſſet, aut poſſet ex ſe ad ſuam, ad eam videlicet, quæ pro eo breui tempore eſſet, aut poſſet eſſe ſua. Igitur fornicatio ſimplex non eſſet, aut poſſet non eſſe licita.

Oppoſitam ſententiam, nempe matrimonium non eſſe indiſſolubile iure naturali, ſeu ex natura rei, defendunt cum multis Sanchez *lib. 2. diſput. 12. n. 7.* Coninch *diſput. 24. dub. 2. n. 19. & ſequentib.* & multi Recentiores. 3

Primò, quia ante legem euangelicam diſſoluebatur matrimonium apud Hebræos per repudium, vt conſtat ex *Deuteronomij 24. cap.* ergo non eſt de iure naturæ indiſſolubilitas. Patet conſequentia, quia hoc ius idẽ eſt apud omnes, & illud Deus immutare nõ poteſt.

Secundò, nulla eſt ratio cur diſſolutio matrimonij ſit ita mala, vt ſine conceſſione Dei nunquam poſſit eſſe licita. Patet, quia iam prole educata, vel adhuc non concepta, imò quando non ſperatur, quia mulier eſt ſterilis; tũc nõ modò diſſolutio matrimonij ipſius fini non repugnat, ſed videtur eſſe contra primarium finem, vinculum eſſe omnino indiſſolubile, quia impedit legitimam generationem; ergo ſtando in iure naturæ, cur in his caſibus non poterit licitè matrimoniũm ſolui mutuo conſenſu? In hac re

Dico *primò*, tametſi conforme ſit naturæ matrimonij quòd indiſſolubile ſit; eius tamen indiſſolubilitatem non habere intrinſecam connexionem, ſeu neceſſariam conſonantiam ad naturam rationalem, ac proinde non eſſe in hoc ſenſu iure naturali neceſſariò debitam ipſi matrimonio. Hoc mihi videtur certum. Patet, quia ſi prædicta inſolubilitas eſſet ita intrinſeca & neceſſaria contractui matrimonij; eius diſſolutio eſſet per ſe & intrinſecè mala, non ſecus ac odium Dei, vel mendacium formale; ergo ſicut prorſus repugnat vt odium Dei, vel mendacium liberè facta non ſint praua, quia omnino repugnat id quod per ſe & intrinſecè malum eſt, deſinere eſse malum, nam rei natura non poteſt mutari; ita prorſus repugnaret vt illa diſsolutio non eſset ſemper mala, & illicita in euentu; atque adeò ſicut omnino indiſpenſabile, & immutabile eſt etiam diuina virtute vt odium Dei, vel mendacium formale licitum ſit, quia cùm ſit ex ſua natura & eſſentia malum, nulla ratione honeſtari poteſt; ita illa inſolubilitas eſſet omnino indiſpenſabilis 4

& immutabilis. Quod manifeſtè falſum eſt, quia ex Dei conceſſione fuit apud Hebræos matrimonium diſſolutum, & modò apud fideles diſſoluitur matrimonium ratum per ingreſſum religionis, vt vidimus. Signum igitur euidens eſt, prædictam diſſolutionem non omnino repugnare intrinſecè rectæ rationi, & conſequenter matrimonij inſolubilitatem non habere intrinſecam connexionem, & neceſſariam conſonantiam ad naturam rationalem. Firmo id amplius, quia nulla poteſt oſtendi ratio cur diſſolutio matrimonij ſit ex ſe ita mala, vt nequeat in vllo caſu fieri licita. Nã quòd repugnet primario fini matrimonij, nempe educationi prolis, ad ſummum probat eam eſſe malam ratione adiuncti, quod ſæpiſſimè abeſt, vt quando proles iam ſufficienter educata eſt, vel quando nondum vlla concepta eſt, & præſertim quando vxor ſterilis eſt. Tunc enim diſſolutio matrimonij non repugnat ipſius fini, imò magis apparet in eo euentu ipſa inſolubilitate impediri legitimam generationem.

Communis ſolutio eſt, in his euentibus ceſſare per accidens ratione legis in particulari, non tamen in generali, & per ſe loquendo. Quod non ſufficit vt lex etiam in particulari deſinat obligare. Sic enim conſtat matrimonium clandeſtinum eſſe omnibus prohibitũ, tametſi per accidens in aliquo euentu ceſſet omne periculum mali, quæ fuit ratio illud prohibendi. Sed cõtrà eſt, quia tametſi prædicta doctrina vera ſit in lege purè, ac merè poſitiua prohibente aliquid propter finem extrinſecum; non tamen in lege purè naturali, quæ habet neceſſariam conformitatem cum natura rationali. Nam ceſſante ratione legis in particulari, non ceſſat ius poſitiuum, ceſſat tamen ius naturæ præciſè. Ratio diſparitatis eſt, quia in lege poſitiua ratio obligandi immediatè eſt voluntas legiſlatoris prohibens aliquam actionem, cuius etſi primum motiuum ſit periculum mali, quod inde natum eſt ſequi; attamen proxima ratio prohibitionis eſt dirigere communitatem in euitatione illius mali. Quare eam actionẽ, v.g. nubendi clandeſtine prohibet lex Eccleſiaſtica poſitiua, non tantùm in caſu in quo hîc & nunc eſt periculũ illius mali, ſed generatim etiam vbi in particulari nullum tale periculum eſt; quia aliàs maxima hominum pars, vel ex imprudentia, vel ex temeritate ſibi perſuaderet, ſibi hîc & nunc nullum tale periculũ imminere etiam vbi maximè immineret; quam imprudentiam dirigere, & temeritatem refrænare intendit lex poſitiua. Quare quamdiu illud periculũ in generali manet, nunquam tota ratio legis poſitiuæ omnino ceſſat, & conſequenter nec obligatio legis. Si verò ceſſaret in generali adæquato fine talis legis, per ſe & ipſo facto ceſſaret talis lex & obligatio eius. Videatur Suarez id erudite tractans, *tract. de legibus, lib. 6. c. 9. n. 11. & ſeqq.* Secus verò ſe habet hoc in lege naturæ præciſè; nam in hac tota ratio obligandi eſt neceſſaria conueniẽtia, vel diſconuenientia obiecti cum natura rationali, ſequitur illam non eſſe ſemper intrinſecè malam; & cõſequenter inſolubilitatem non habere intrinſecã connexionem, ſeu neceſſariam conſonantiam, ſeu conformitatem ad naturam rationalem. Denique dictum roboratur, quia ex mero & præciſo iure naturæ nihil videtur neceſſariò obſtare matrimonij diſſolutioni, ſaltem cùm vrgent grauiſſimæ cauſæ; quales eſſent, ſi mulier eſſet ſterilis, cùm matrimonium ordinetur ad prolem; vel ſi ex ægritudine eſſet perpetuò inepta ad copulam, cùm etiam ordinetur coniugium ad remedium concupiſcentiæ; vel tandem ſi contingerent tales cauſæ quæ matrimonium redderent onus grauiſſimum, ac periculoſiſſimum tam animæ, quàm corporis; maximè ſi nulla eſſet tunc proles cui fieret iniuria, nec aliud damnum adeſſet. Tunc enim quantum eſt ex ſe, & ex intrinſeca natura potiùs hæc dictare videretur eam diſſolutionem matrimonij, quàm eam præſcribere; ergo ſignum euidens eſt eam indiſſolubilitatem non habere matrimonium iure naturali tanquam illi neceſſariò, & ab intrinſeco debitam; ſed aliunde eam prouenire nempe ex diuina inſtitutione, vt ſtatim dicam.

5 Dico ergo *ſecundò*, prædictam inſolubilitatem matrimonij more humano facti prouenire ex ipſa inſtitutione diuina, quâ Deus ſic illud decreuit, nec nobis aliter conceſſit facultatem transferendi dominium vſus corporis, niſi per indiſſolubile vinculum. Probo ſingula. In primis Deum inſtituiſſe matrimonium, conſtat ex dictis ſuprà *diſp. 18. ſect. 1. n. 2.* Præterea quòd dederit matrimonio perpetuum, & indiſſolubilem nexum, conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 24. initio*, illis verbis, Matrimonij perpetuum, indiſſolubilémque nexum primus humani generis parens, diuini Spiritus inſtinctu pronuntiauit, cùm dixit, *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, &c. Igitur matrimonium ex ſua primæua inſtitutione inſolubile fuit. At inſolubilitatem iſtam nõ habet ex natura ſua, & quaſi ab intrinſeco neceſſariam, vt probatum eſt *præcedenti ſect.*; ergo eam habet à Deo inſtituente. Denique quòd Deus non conceſſerit aliter hominibus poteſtatem transferendi dominium vſus corporis niſi per indiſſolubile vinculum, conſtat ex dictis *præced. ſect.* nam Deus inſtituens matrimonium ab initio mundi nulli conceſſit vt poteſtatem & vſum ſui corporis alteri traderet, niſi per inſolubile vinculum, at ſolus Deus habet proprium dominium abſolutum noſtrorum corporum, & nos ſolùm eorum vſum, quem ipſe nobis conceſſit non omnino abſolute, ſed cum ea limitatione vt datetur tale dominium vſus corporum per nexum, & vinculum perpetuum, atque inſolubile. Hinc

6 Dico *tertio*, poſitâ prædicta Dei inſtitutione ſolutionem matrimonij eſſe contra ius naturæ, atque illâ poſitâ eſſe iure naturæ inſolubile matrimonium. Ita benè noſter Coninch *loco citato, n. 24.* Et ratio eſt, quia, vt dixi, ſolus Deus propriè habet abſolutum dominiũ noſtrorum corporum, & nos ſolùm vſum eorũ, quem ipſe nobis conceſſit, non omninò abſolutè, ſed cum certis limitationibus; ergo inualidè, & contra ius naturæ poteſtatem quis ſui corporis aliter aliis concedit, quàm quatenus, & qua ratione Deus id illi conceſſit; quia eſſet diſponere, & vti re aliena inuito domino, contra ius naturæ. Cùm igitur conſtet ipſum Deum inſtituentem matrimonium ab initio mundi, nulli conceſſiſſe, vt aliter eam poteſtatem alteri cõcederet, quàm per inſolubile vinculũ; certè inualidè, & contra ius naturæ contraheret, qui ad tempus, & non in perpetuum nuberet. Omne igitur matrimoniũ contractum abſque nexu inſolubili poſita Dei inſtitutione illicitum eſt, inualidum, & contra ius naturæ.

7 Dico *vltimò*, matrimonij inſolubilitatem non peruenire ex ſua natura nudè ſumpta, ſed ex iure diuino poſitiuo, nempe ex Deo ſic ab initio cum ea ſolemnitate inſolubilitatis illud inſtituente. Ita tandem concedit Sanchez *lib. 2. diſp. 13. n. 10* Et conſtat, quia dicta inſolubilitas tribuitur ſoli diuinæ inſtitutioni, tũ à Bonifacio VIII. *de voto & voti redemptione, cap. vnico* illis verbis, matrimonij vinculum ab ipſo Eccleſiæ capite rerum omnium conditore, ipſum in paradiſo & in ſtatu innocentiæ inſtituente, vnionem, & indiſſolubilitatem accepit: tum etiã in Euangelico Matth. 19. & Marci 10. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*: tũ denique, quia, vt oſtenſum eſt, præciſo ſolo iure naturæ, nulla eſt ratio efficax ob quã nequeat mutuo cõſenſu diſſolui iſte cõtractus matrimonij, ſicut & alij, vt ſpõſalia, ſaltem ſi vrgeant grauiſſimæ cauſæ; ergo euidẽs eſt

eſt deſumere eam indiſſolubilitatem primò & per ſe ab inſtitutione diuina eam apponente tanquam formam & ſolemnitatem eſſentialem huic contractui: poſita verò prędicta inſtitutione eſſe quoque de iure naturæ, vt dixi *dicto* 3. Quare animus ſe obligandi ad perpetuitatem, ſeu indiſſolubilitatem eſt de eſſentia matrimonij, vnde non eſſet matrimonium, ſi quis animum haberet contrahendi non niſi ad tempus. Ratio eſt, quia, attento iure diuino, perpetuitas, ſeu obligatio ad perpetuitatem eſt de eſſentia matrimonij; non poteſt autem quis ſe obligare, niſi velit ſe obligare; ergo voluntas obligandi ſe ad perpetuitatem, eſſentialiter requiritur ad matrimonium. Ex dictis

8 Colligitur *primò*, deciſio dubij circa matrimonia Abiſſinorũ Schiſmaticorũ, exiſtimãtium licitum eſſe repudium, ita vt poſſit diſſolui etiam quoad vinculum matrimonium conſummatum. Dico enim, quando hi contrahunt matrimonium cum pacto & animo ſolùm ſe obligandi diſſolubiliter, matrimonium eſſe nullum: quia ſi nolunt aliter cõtrahere, niſi diſſolubiliter, non habent voluntatem vllam ſe obligandi ad perpetuitatem; & per conſequens deficit voluntas neceſſaria ad valorem matrimonij.

Colligo *ſecundo* contractum matrimonij etiam rati tantùm, non poſſe diſſolui mutuo conſenſu contrahentium. Hoc eſt certum illis verbi Chriſti Domini, *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Et ratio eſt, quia contrahentibus nulla eſt talis à Deo conceſſa facultas, quibus licet contrahere, ſed cum indiſſolubilitate, annexa ex Dei diſpenſatione, vt ſatis explicatum eſt.

9 Colligo *tertiò*, ſine vlla diſpenſatione in lege naturæ, ſola diuina conceſſione fuiſſe licitum & validũ Iudæis in antiqua lege ſoluere matrimoniũ quoad vinculũ, concedendo illis libellũ repudij. Sicut potuit dare veniã Abrahamo vt occideret innocentẽ filium. Et poteſt Deus duos efficere veros coniuges etiam inuitos, vt oſtendi ſuprà *diſp.* 14. *ſect.* 6 Quod totum fieri poteſt ſine vlla diſpenſatione. Eſt enim obſeruadũ & eſſe ſupremum legiſlatorem, vnde habet, vt poſſit noua & varia præcepta imponere; & eſſe etiam ſupremum dominum, qui poteſt dominia mutare, vel concedere. Diſpenſatio ergo propriè pertinet ad Deũ ſub prima conſideratione, quia eiuſdem poteſtatis eſt tollere, & concedere legem. Quare vt intelligatur Deus diſpenſare, oportet, vt oſtendo ſola illa iuriſdictione, & non adiungendo poteſtatem dominatiuã, per quam res ipſas immutet, licere faciat, quod antea non licebat. Nam ſi per dominium ſuum mutet humanũ, hoc non erit diſpenſare, ſed tollere materiam legis. Hinc videre licet in exemplo Abrahæ adducto. Quãdo enim Deus illi præcepit interficere filium, id fecit tanquam dominus vitæ & mortis: ſi enim Deus ipſe per ſe ipsũ voluiſſet interficere Iſaac, non indiguiſſet diſpenſatione, ſed ex ſuo dominio id facere poſſet: eodẽ ergo modo potuit vti Abrahamo vt inſtrumento; & quintum præceptum Decalogi non prohibet eſſe inſtrumentũ Dei in occiſione, ſi ipſe præceperit. Idem ſentit D. Thomas 1. 2. q. 100. *a.* 8. *ad* 3. de facto Oſeæ in aſſumenda muliere fornicaria. Poteſt enim Deus trãsferre in virũ dominiom mulieris ſine conſenſu eius, & ita efficere vinculũ inter illos, ratione cuius illa copula iã fornicaria ſit. Simili modo non diſpenſauit cum Hebræis, quando Ægyptiorum ſpolia illis conceſſit tanquam ſupremus dominus.

10 Colligo *quartò*, alis Gentilibus non fuiſſe licitum ſoluere matrimonium, ſicut Iudæis in lege veteri: quia citra Dei conceſſionem dirimi non poterat per repudium quoad vinculum; quam Gentilibus datam eſſe nullibi legitur.

11 Colligo *vltimò*, poſt legem euangelicam, neque fidelibus, neque etiam Iudæis licitum eſſe prædictũ repudium. Nam Chriſtus Dominus *Matth.* 19. illud reprobauit, & ad ſtatum primæ inſtitutionis, in quo matrimonium erat indiſſolubile, reſtituit, & conceſſionem Hebræis datam reuocauit, dum dixit, Matth. 19. *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras; ab initio autẽ non fuit ſic.* Neque ex his verbis ſequitur Deum Iudæis id verè non conceſſiſſe, ſed tantùm impunitum reliquiſſe. Quia hoc apertè dictis verbis repugnat; nã illa non promiſſionẽ maioris mali, ſed conceſſionem rei licitæ importãt; indicantque pronitatẽ Iudæorum ad peccandum fuiſſe cauſam, cur Deus illud concederet, vt eorum imbecillitati ſubueniret. Et certè quis nõ videat, ſi repudium fuiſſet illis illicitum, non permiſſurum Deum tã longi temporis ignorantia populum Iſraëliticum electum laborare; quia omnes intelligebant ſibi hoc licere. Vnde Propheta aliquis hoc reprehendiſſet, vt alia illius populi ſcelera carpere Prophetæ ſolebant.

Quare nulli licet modò diſſoluere matrimonium mutuo conſenſu: quia poſita Dei inſtitutione, & ablata omni eius conceſſione, receſſus à propria vxore quoad vinculum, eſt contra naturale præceptum, quia in homine non eſt poteſtas priuandi alterum dominio acquiſito, etiam illo volente: Deus ſolus habet hanc poteſtatem.

Ad argumenta propoſita pro prima ſententia.

12 Ad primum, admiſſa illa communi matrimonij definitione, dico illam eſſe optimam poſita Dei inſtitutione, à qua habet tanquam à radice participare illam rationem inſolubilitatis. Cùm enim contractus matrimonij conſiſtat in mutua corporum traditione in ordine ad eius finem, qui eſt propagatio prolis, & conſeruatio ſpecifica naturæ humanæ, Deus tãquam ſupremus Dominus illorũ corporũ, & vt auctor naturæ reſpiciẽs finem & conſeruationem naturæ, iure diſpoſuit, vt tranſlatio dominij in corpus alterius non fuiſſet ad tẽpus, ſed in perpetuum, vt valde cõueniens naturæ rationali. Vnde prædicta inſolubilitas nõ cenſetur eſſe proprietas contractus matrimonij tanquam neceſſariò cõnexa cũ eſſentia illius, niſi poſita Dei inſtitutione, & ablata Dei cõceſſione, qui tanquã ſupremus Dominus corporum poteſt mutare, aut moderari trãſlationẽ dominij in corpus alterius per talẽ contractũ factũ, vt dictũ eſt. Quare nequit inſolubilitas eſſe proprietas matrimonij eo pacto quo eſt incorruptibilitas naturalis proprietas Angeli: hæc enim fluit neceſſariò ex illius natura; illa verò ex diſpoſitione diuina iuxta conuenientem matrimonij ſtatum.

Ad ſecundum, conceſſa maiore, negatur minor, vt cõſtat ex hac ſectione, & ex dictis ſuprà *diſp.* 18. *ſect.* 1.

Ad tertium, fatemur poſita diuina inſtitutione eſſe contra ſubſtantiam matrimonij, eius diſſolutionem. Atque id ſolùm voluit Pontifex: nam ſolus Deus habet ſupremum dominium corporum, & poteſt illo vti prout ipſi libuerit.

Ad quartum, dico, inſolubilitatem eſſe maximè conuenientem fini matrimonij; & etiam neceſſariam prout habet adiunctam Dei inſtitutionem, non verò habere intrinſecam connexionem, & neceſſariam conſonantiam cum natura rationali abſolutè, & ſecundùm ſe, & omni præciſa diſpoſitione & inſtitutione Dei, vt conſtat ex *dicto* 1.

13 Ad vltimum negatur ſequela; nam ſemper fornicatio ſimplex eſt illicita, & contra naturale præceptũ non fornicandi: in quo fieri non poteſt diſpenſatio, quia acceſſus ad non ſuam non poteſt honeſtari; poteſt quidem illa quæ non erat ſua, vt in Oſea Propheta, nec eſſe poterat ſine illius conſenſu, fieri

ſua, per Dei potentiam, vel ſimpliciter, vel quoad talē vſum, & ideo acceſſus ad illā potuit fieri honeſtus, nō per diſpenſationem in præcepto nō fornicādi, ſed faciendo vt non ſit fornicatio quæ antea fuiſſet: hanc autem poteſtatem, & dominium habet ſolus Deus tanquam ſupremus Dominus noſtrorum corporum, non verò habere poteſt contrahens matrimonium, nedum fornicator.

14 Ad argumenta ſecundæ ſententiæ, prout opponuntur *dicto tertio*.

Ad primum, conceſſo antecedente, negatur conſequentia, ſi intelligatur inſolubilitas non eſſe de iure naturæ adiuncta Dei inſtitutione. Verum etiam eſt ius naturæ præciſè vt ſic eſſe immutabile & indiſpēſabile, vt dixi *conſectario ſecundo*; poteſt tamē Deus tāquam ſupremus Dominus corporum circa matrimonium dominia illorum mutare, vel concedere, & ſic poteſt mutare materiam illius legis, nempe inſolubilitatis matrimonij, & conſequenter facere, vt ceſſet obligatio eius ſine diſpenſatione; vt ſatis in hac ſectione explicatum eſt.

Ad ſecundum negatur nullam eſſe rationem cur diſſolutio matrimonij ſit ita mala, vt ſine Dei conceſſione nunquā poſſit eſſe licita. Nā ea eſt aſſignata *dicto ſecundo*; quia tametſi vrgeat illa cauſa in argumēto propoſita, ideo nō poteſt illud matrimoniū ſolui mutuo conſenſu, quia Deus qui eſt ſupremus Dominus noſtrorū corporū, non dedit talē poteſtatē nec vſum, qui ſolùm eam conceſſit per inſolubile vinculum.

SECTIO III.

An & quo iure ſoluatur matrimonium ratum ante conſummationem, per profeſſionem ſolemnem in religione approbata.

1 POſt declaratam in genere matrimonij inſolubilitatē, diſcurrēdum eſt in hac & ſequētibus in ſpecie ac in particulari per trimēbre matrimonij mēbrum illius cōmuniſſimæ diuiſionis quā cōmuniter à Doctoribus diuiditur matrimoniū in legitimū, ratum, & conſummatū: & videndū tametſi ex ſe adeò ſint indiſſolubilia hæc omnia matrimonia, vt nullo pacto queāt ſolo mutuo contrahentiū conſenſu diſſolui, an ſaltē per aliquid extrinſecū illi ſuperadditū queant diſſolui, ac verè diſſoluantur. Ad cuius explicationē recolendū eſt, quis ſenſus ſit prædicti matrimonij trimēbris. Conſummatū enim eſt, quod iam carnalis copula cōſummauit: legitimū autem dicitur, quòd iuxta leges eſt. Quo nomine explicari & appellari ſolet matrimoniū infideliū quod ipſo iure naturæ ſpectato cōtrahitur. Denique ratū dicitur reali ſuſceptione Baptiſmi, tanquā cauſa, & habet verā ſignificationē coniunctionis Chriſti cū Eccleſia tanquā ſignū. Vnde nō dicitur ratum ratione fidei ſuſceptæ, quam Catechumenus poteſt habere ante Baptiſmum, & ſemel ſuſcepta non tantùm ſemel, ſed ſæpe etiam amitti poteſt, ſed ſola reali ſuſceptione Baptiſmi. Nam ſolus Baptiſmus re ipſa ſuſceptus, eſt qui perdurat ratione characteris. Atque ex hac reali Baptiſmi ſuſceptione habet inſolubilitatē quandam extrinſecam, quæ illi accedit, quatenus ceſſat iam ille caſus in quo poterat diſſolui in fauorem baptizati. Videndum modò in hac ſectione, an diſſoluatur per ſolemnem profeſſionem, & quo iure ſoluatur.

2 Circa primum, certum eſt *primò* matrimoniū ratū fideliū eſſe poſita Dei inſtitutione inſolubile. Conſiſtit au-ē eius indiſſolubilitas in hoc, quòd cæteri cōtractus poſſūt mutuo conſenſu diſſolui, & ex multis aliis cauſis, vt quia res ſunt notabiliter mutatæ. At matrimoniū ratum eſt vinculum perpetuum, & eo ſemel contracto non poſſunt coniuges mutuo conſenſu, nec ex quacumque alia cauſa, præter ingreſſum religionis modo explicando illud diſſoluere, niſi à ſuperiori cauſa dirimatur.

Certum eſt *ſecundo* & de Fide, matrimonium ratū ante conſummationē ſolui quoad vinculum per profeſſionem ſolemnem in religione approbata, ita vt alter licitè aliud matrimonium inire poſſit. Ita definiuit Alexander III. *cap. 2. de conuerſione coniugatorum*, his verbis: Verùm poſt conſenſum legitimum de præſenti, licitum eſt alteri, altero etiam repugnante, eligere monaſterium (id eſt, in religionem intrare) ſicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt (vt Beatus Macharius, & Alexius, ait Gloſſa) dummodo carnalis commixtio non interuenerit inter eos; & alteri remanenti, ſi commonitus continentiam ſeruare noluerit, licitum eſt ad ſecunda vota tranſire. Quia cùm non fuiſſent vna caro ſimul effecti, ſatis poteſt vnus ad Deum tranſire, & alter in ſæculo remanere. Gloſſa addit, *& cum alia contrahere*. Idem ſtatuit Innocentius III. *cap. 14. eodem titulo*, vbi ſic ait: Antequam matrimonium ſit per carnalem copulam conſummatum, licere alteri cōiugum reliquo inconſulto, ad religionem tranſire, ita quòd reliquus ex tunc legitimè poterit alteri copulari. Et quamuis prædicta decreta dicant per tranſitum, vel ingreſſum ad religionem dirimi matrimonium; ſemper intellexerunt, vt notant omnes, de ingreſſu cum effectu, nempe profeſſione ſecutā. Vnde nouiſſimè Tridentinum *ſeſſ. 24. de matr. can. 6.* idem definiens, ſic dicit: Si quis dixerit, matrimonium ratum, non conſummatum, per ſolemnem religionis profeſſionem alterius coniugum non dirimi, anathema ſit. Quòd ſi matrimonium ratum profeſſione vnius diſſoluitur; à fortiori multo meliùs diſſoluitur profeſſione vtriuſque. Probatur etiam eadē veritas ab effectu, quia talis ſolemnis profeſſio non ſolùm valida eſt, & licitè fit, ſed etiam relinquit alterum coniugem liberum, vt matrimonium contrahere poſſit, vt conſtat ex vſu, & ex iuribus citatis; ergo ſignum eſt vinculum ipſum diſſolui. Hinc

4 Colligo *primò*, dici non poſſe tunc non dirimi matrimonium, ſed declarari ab Eccleſia à principio fuiſſe irritum ex defectu conſenſus contrahentium. Patet, tum quia eſt contra expreſſa verba Concilij Tridentini adducta: tum, quia ſine fundamento id dicitur. Quis enim hoc reuelauit Eccleſiæ? aut quomodo, frequentiùs loquendo, non eſſet falſa, & deceptoria talis declaratio? Quid enim impedit quominus prius talis perſona habuerit verū animum contrahendi matrimonium, & poſtea conceperit propoſitum mutandi ſtatū? Aut quæ ratio eſſe poteſt ſuſpicandi fictionē in tali matrimonio, quod ab eadem Eccleſia iudicaretur validum, & licitè conſummatum, ſi contrahentes in illo permanere noluiſſent. Tum denique, quia cōſtat ex *cap. cōmiſſum, de ſponſalibus*, eum qui iurauit alicui ducere eam in vxorem, & poſtea vult ingredi religionem, meliùs facturum ſi priùs impleat iuramentum ducendi illam, & poſtea ante conſummationem ingrediatur: ſupponit ergo ibi Pontifex tale matrimonium eſſe validum, tā ex conſenſu cōtrahentiū, quàm ex intētione Eccleſiæ; alioqui per illud nō impleretur iuramentū, & ita fuiſſet ſuperfluū, quin potiùs ex illo textu manifeſtè colligimus valorem talis matrimonij non ſolùm non pendere ex futuro effectu mutādi vitam, neque enim ſacramenta conficiuntur depēdēter à cōditione futura, & cōtingente, verū etiā neque ex præſenti propoſito mutandi vitam, quia cum illo poteſt ſtare conſenſus matrimonium conficiendi.

Colli igo

Digitized by Google

5 Colligo *ſecundo*, dici non poſſe cum Henrico *quodlib.* 5. *q.* 3 9. durare primum vinculum, & nihilominus licitum eſſe cooiugi tranſire ad ſecundas nuptias ex inſtitutione Dei, qui in eo caſu permiſit vnum virum habere ſimul duas vxores, vnam quoad vinculum tantùm, aliam quoad vinculum & vſum: & ſimili modo vnam mulierem habere duos maritos. Patet id dici non poſſe, quia tametſi ſi ſermo eſſet de poteotia abſoluta, id diſputabile ſit, nõ ſolùm de matrimonio rato, ſed etiã de conſummato; tamen de facto errorem continet intolerabilem, quia in lege euangelica non poteſt ſecundum matrimonium eſſe validum, durante primo, etiam quoad vinculum: vt conſtat expreſsè ex *c.* 1. 2. 3. *& vltimo, de ſponſa duorum*; & ex definitione Concilij Tridentini *dicta ſeſſ.* 24. *can.* 2. vbi definit non licere Chriſtianis ſimul habere duas vxores. Multò autem certius eſt, non licere eidem mulieri habere ſimul duos maritos: hoc enim etiam in lege ſcripta, & naturæ nunquam licuit. Adde Eccleſiam in hae re ſatis expreſsè declaraſſe primum matrimonium diſſolui ante conſummationem per ſubſequentem profeſſionem ſolemnem.

Circa ſecundam ſectionis partem reſtat potiſſima difficultas dilucidanda, quo iure ſoluatur matrimonium ratum baptizatorum per ſubſequentem profeſſionem in religione approbata, iure ne naturali, vel iure diuino poſitiuo, vel iure tantùm Eccleſiaſtico.

6 *Prima ſententia* docet dirimi ex natura rei, ſeu iure naturæ, quam tenet Durandus *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 2. *n.* 9. Soto *eadem diſtinct. quæſt.* 1. *a.* 4. Caietanus *tom.* 1. *opuſcul. tractat.* 27. *de diſpenſatione matrimonij*, & alij.

Primò, quia matrimonium ratum eſt ſtatus minus perfectus ipſa religione; & ex eius diſſolutione non ſequitur grauis iniuria alterius partis; ergo ex natura rei poteſt diſſolui ſine graui iniuria tertij.

Secundò, profeſſio ſolemnis eſt mors ciuilis, & ſpiritualis; ergo poteſt diſſoluere vinculum ſpirituale, quale eſt matrimonij rati; vtpote ex ſolo conſenſu ortum: ſicut mors naturalis ſoluit vinculum matrimonij conſummati, quod eſt carnale ortum ex copula.

Tertiò, iure naturæ licitum eſt vnicuiqoe tranſire ad perfectiorem ſtatum relinquendo priorem: ſed coniux profitendo ſolemniter in religione traoſit ad ſtatum perfectiorem; ergo profitendo ſolemniter diſſoluit priorem ſtatum coniugij.

Quartò, per matrimonium ratum non datur traditio, & poſſeſſio rei, ſed fit purus contractus: traditio autem & poſſeſſio confertur per copulam; ergo per ſubſequentem traditionem, quam includit profeſſio, ſeu votum ſolemne caſtitatis religioſæ, poteſt tale matrimonium diſſolui: ſicut contractus venditionis perfectus eſt in ratione contractus per mutuum conſenſum; tamen ſi non ſit facta traditio, & eadem res alteri vendatur, & tradatur, ſecunda venditio tenet, & prima reſcinditur.

Quintò, ex natura rei licitum eſt commutare coniugium imperfectũ in aliud perfectius & ſpirituale; ergo matrimonium ratum in ſolemnem profeſſionem.

Vltimò, votum ſolemne caſtitatis in religione, tametſi habeat ſolemnitatem ex ſtatuto Eccleſiæ, poſita tamen illa, ex natura rei repugnat matrimonio & vſibus eius: ſicut cõſecratio calicis, tametſi ſit ex ſtatuto Eccleſiæ; facta tamen conſecratione, repugnat ex natura rei illi communis, ſeu prophanus vſus; ergo.

7 *Secunda ſententia* aſſerit dirimi matrimonium ratum per ſolemnem profeſſionem iure dioino poſitiuo à Chriſto Domino ſpecialiter lato in lege euãgelica. Ita multi, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.* 2. *diſput.* 19. *num.* 3. Rebellus *lib.* 3 *q.* 4. *ſect.* 2. *&* 3. Baſilius Ponce *lib.* 9. *cap.* 5. & alij.

Primò, quia Chriſtus Dominus ſine dubio potuit id diſponere: quod autem fecerit, & eſt conſentaneum perfectioni legis diuinæ, ne maius bonum religionis per legem illam generalem matrimonij impediretur: & conſonat etiam traditioni Eccleſiaſticæ, cuius nullum initium ſcriptum reperitur, quod eſt ſignum iuris, vel inſtitutionis diuinæ à Chriſto factæ, iuxta regulam D. Auguſtini *lib* 4. *de Baptiſ. cap.* 14. ergo.

Secundò, non reperitur aliquod decretum Eccleſiaſticum, quo vis diſſoluendi matrimonium ratum tribuatur profeſſioni ſolemni. Nec eſt vllus Pontifex qui ſibi, vel alteri attribuat inſtitutionem huius rei, ſed à principio naſcentis Eccleſiæ fuit in vſu: ergo magno eſt argumento traditionem eſſe diuinam, & inſtitutionem Chriſti.

Tertiò, Alexander III. *c.* 7. *de conuerſ. coniugatorum*, dixit diſſolutionem matrimonij rati deduci ex ſacri eloquij interpretatione. Præterea, poſteriores Pontifices, non Pontificum Prædeceſſorum decretis, aut Conciliorum Canonibus eam ſententiam confirmarunt, ſed Sanctorum exemplis ex inſpiratione diuina à nuptiis tranſmigrantium, vt ait Alexander III. *c.* 1. *de conuerſ. coniug.* Nam, vt conſtat, B. Tecla contracto matrimooio, & nondum conſummato, ſponſum deſeruit, & ſe Deo conſecrauit, vt ait D. Athanaſius *lib.* 2. *de virg. col.* 3. Idem fecerũt S. Alexius, teſte Metaphraſte, & S. Cæcilia, vt habetur in eius geſtis. Et de S. Machario refert Gratianus ex D. Hieronymo *c.* 26. *ſcripſit nobis* 27. *q.* 2. celebrato nuptiarum conuiuio, cum veſpere thalamum eſſet ingreſſurus, ex vrbe egrediens tranſmarina petiit, & eremi ſolitudinem ſibi elegit. Vnde de his Sanctis ait Innocentius III. *c. ex parte el* 2. *de conuerſ. coniug.* ex reuelatione diuioa, quæ ſuperat omnem legem, tranſiiſſe à matrimonio rato ad ſtatom perfectiorem. Cùm igitur initium huius cõſuetudinis non inueniatur in iure Eccleſiaſtico, ſed à principio extet naſcentis Eccleſiæ, vt conſtat in exẽplis adductis, & id Sancti prę̃ſtiterint ex diuina inſpiratione, ſequitur hoc eſſe Chriſti priuilegium per traditionem habitũ à Chriſto, & per Apoſtolos deriuatũ.

Quartò, diſſolutio matrimonij rati certiſſima eſt per profeſſionem; ergo reduci debet in cauſam certam: at incertum eſt poſſe lege generali Eccleſiæ ſtatui diſſolutionem matrimonij rati; ergo reduci debet ad Chriſti priuilegium, per quod omnia conſonant.

Quintò, ſi Eccleſiaſtica lege vis dirimendi matrimonium ratum deriuata eſſet in vota ſolemnia religionis, poſſet etiam Eccleſiæ auctoritate auferri. At nullus concedet poſſe Pontificem vniuerſali lege impedire tranſitum à nuptiis ad religionem.

Vltimò, contra ius iuſtitiæ quæſitũ tertio nõ poteſt Põtifex legem aliquam ſtatuere: nam id in minoribus cõtractibus cernitur, & de ſeruo ſine domini cooſenſu nequaquam ad religionem admittẽdo, extat Gelaſij Papę decretum *epiſt.* 9. *§. generalis etiã querela.* Vnde quamus ſtatus elericalis perfectior ſit ſtatu matrimonij, imò ſtatus Epiſcopalis perfectior ſit ſtatu monachali, adhuc per eum ſtatum non dirimitur matrimonium ratum, nec ad illum licet aſcendere contra propriæ vxoris etiam incognitæ volũtatem. Argumẽtum igitur eſt contra ius iuſtitiæ per matrimoniũ ratũ adquiſitum coniugi non eſſe poteſtatem in Eccleſia irritandi matrimonium, cùm ſtatui adeò perfecto nondum eam vim communicauerit Eccleſia, ſed id Chriſti priuilegio, quod omnem legem ſuperat Eccleſiaſticam, ſtatui religionis tantùm conceſſum.

Denique *tertia ſententia* affirmat diſſolui prædi-

ctum matrimonium ratum ſolo iure Eccleſiaſtico, iam inde à temporibus Apoſtolorum inſtituto. Ita Medina *lib. 5. de continentia ſacrorum hominum c. 86. & 87.* Henricus à Gandauo *quodl. 5. q. 35* Hoſtienſis, Ioannes Andreas, & Antonius de Butrio *in cap. ex publico, de conuerſ. coniug.* Felinus *conſilio 26.* Leſſius *de iuſtitia & iure lib. 2. cap. 41. dubitat. 8.* Suarez *tom. 3. de religione lib. 9. cap. 23. n. 20.* Coninch *diſp. 26. dub. 1.* Gaſpar Hurtado *diſp. 8. difficult. 4. n. 17.* Atque hæc ſententia perplacet mihi, quam ſequentibus dictis explano.

8 Dico itaque *primò*, matrimonium ratum non diſſolui per ſolemnem profeſſionem iure naturæ. Probo id primò, quia hæc vincula non repugnant; poſſunt enim ſimul ſtare; ergo non habet profeſſio eam vim dirimendi iure naturæ. Antecedens conſtat, quia traditio qua quis profeſſione traditur Deo & religioni, non eſt ſua natura incompoſſibilis cum vinculo matrimonij, vt patet in eo qui poſt matrimonium conſummatum, ex licentia alterius coniugis profitetur ſolemniter, in quo poſt profeſſionem vinculũ perſeuerat. Et ratio eſt, quia profeſſio ſolemnis non eſt incompoſſibilis cum vinculo matrimonij ratione traditionis quà profeſſus ſe tradit Deo: nam religioſus eo voto non aliter traditur Deo, quàm obligando ſe ex virtute religionis ad ſeruandam caſtitatem, ſicut voto ſimplici. At hæc obligatio non eſt incompoſſibilis cum vinculo, ſeu obligatione radicali iuſtitiæ reddendi alteri debitum; quia habens votum ſimplex caſtitatis validè contrahit matrimonium, & tamen in eo eſt, & perſeuerat obligatio religionis ad ſeruandam caſtitatem: obligatio enim religionis & iuſtitiæ ſunt diuerſæ rationis, atque ideo non ſunt incompoſſibiles, quamuis circa obiecta incompoſſibilia verſentur. Firmo, quia aliud eſt duo vincula obligare ad actus inter ſe repugnantes; aliud verò vincula ipſa inter ſe formaliter repugnare. Sæpe enim principia contrariorum actuum poſſunt eſſe ſimul, licèt actus ipſi ſimul eſſe non poſſint: vt in naturalibus conſtat. Et in moralibus, ſæpe quis oneratur pluribus obligationibus, quibus non poteſt ſimul ſatiſfacere, & quamuis propter impotentiam excuſetur ab actuali executione alicuius, tamen per ſe illam obligationem in ſe retinet. Vt in eo qui poſt votum ſimplex caſtitatis matrimonium contraxit; ex vi enim voti ſemper obligatur ad integram caſtitatem quantum in ſe eſt; ex vi autem matrimonij obligatur ad reddendum debitum; & hæc obligatio impedit, & excuſat quoad talem actum, vt executioni mandetur. Igitur in præſenti, tametſi vſus matrimonij, & integra obſeruatio caſtitatis religioſæ ſimul exerceri nequeant; at vincula quibus homo per ſe obligatur ad tales actus ſimul eſſe poſſunt ex natura rei. Firmo id amplius, nam profeſſio facta poſt matrimonium conſummatum inuito alio coniuge, non eſt nulla ex natura rei, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ; hoc autem ablato, poſſet habere effectum formalem, non obſtante vinculo matrimonij, nam poſſet reddere talem perſonam inhabilem ad aliud matrimonium etiam poſt mortem coniugis, & obligare illam ad ſeruandam caſtitatem, quantum poſſet ſine iniuria alterius partis quandiu viuit, & poſt mortem eius ſimpliciter: ergo ſimiliter in præſenti, ſolà rei naturà ſpectata non inuenitur formalis repugnantia; quia hæc non poteſt eſſe maior inter matrimonium ratũ, & profeſſionem religioſam, quam ſit inter hanc, & matrimonium conſummatum.

9 *Secundò* probatur dictum, quia ſi iure naturali, ſeu ſpectata præciſè matrimonij rati, & profeſſionis ſolemnis natura, vi huius illud diſſoluitur, ſequitur manifeſtè, ſi hæc eſt profeſſionis ſolemnis vis & naturalis virtus, dirimet quoque, vel dirimere poſſet etiam matrimonium conſummatum eadem vi & virtute ſua naturali: quia matrimonij rati & conſummati eadem eſt natura, non modò ſpecifica, ſed etiam numerica: conſtat enim ex dictis ſuprà *diſp. 13. ſect. 4. n. 4.* matrimonij per carnalem copulam conſummationem non eſſe eius partem etiam integrantem; eadem ergo eſt huius & illius naturalis firmitas, & indiſſolubilitas, ſicut & idem etiam numero matrimonium eſt. Denique idem oſtenditur, quia tantum abeſt, vt ſpectata ſola harum rerum natura per ſolemnem profeſſionem, vel votum, matrimonium ratum dirimi poſſit, vt è contrario potius matrimonium hoc redderet votum illud ſubſequens nullum prorſus, & irritum. Probatur, quia res iam alicui legitimè & validè tradita, eique vi traditionis deuincta ex ſtricta iuſtitia, & iure non ad eam rem modò, ſed in re quoque, tradi cum eius iniuria alteri, validè ex natura rei non poteſt, & ſine illius conſenſu cui iam ante tradita eſt. Firmo hoc idem; nam ſi Petrus donauit Paulo rem aliquam, & poſtea velit eam dare Eccleſiæ in cultum Dei, poſterior donatio non ledit priorem, ſed potius irritatur ab illa; quia licèt ex genere ſuo videatur perfectior, tamen iam non habet materiam aptam, nec capacem illius perfectionis, quia fit de re aliena; ergo ſimiliter in præſenti votum, vel traditio quæ fit in ſolemni profeſſione licèt ex ſe ſit melior, tamen facta poſt matrimonium ratum fit de re aliena; quia per matrimonium ratum transfertur dominium proprij corporis in alterum; ergo ex natura rei non eſt bona, nec melior, nec eſſet ergo magis valida quàm votum faciendi eleemoſynam de re aliena. Vnde etiam manifeſtè probatur, ſi res iſta ex ſola rei natura metienda ſit, prædictum votum ſolemne fieri cum iniuria alterius coniugis; nam qui priuatur re ſua, ſe inuito, iniuriam patitur, quando id fit auctoritate propria, & non Principis, ſeu legis, ſed per matrimoniũ ratum acquiſiuit vterque coniugum verum dominium in alterum: ergo ex natura rei priuatio talis dominij propria auctoritate eſt iniurioſa. Nec valet reſpondere non interuenire iniuriam, quia ex natura rei in priori contractu ſubintelligitur conditio, niſi interea alter fruges ſanctioris vitæ ſibi optare voluerit. Non, inquam, valet tum quia voluntariè ſubintelligitur ea conditio ex natura rei. Cur enim quæſo in hoc contractu magis, quàm in donatione alterius rei homini factâ, talis conditio ſubintelligitur? Nam etiam dici poſſet cum proportione, dùm aliquid homini donatur, ſubintelligi conditionem, niſi interim placeat donare illam Deo. Tum etiam, quia aliàs ante legem euangelicam ſubintelligeretur illa conditio in quolibet matrimonio rato, liceretque coniugaris in lege Moyſis, vel naturæ diſſoluere matrimonium ante conſummationem, titulo ſanctioris vitæ. Nam in his quæ naturalia ſunt, & pertinent ad intrinſecam conditionem contractus, æqualia ſunt præſentia & præterita matrimonia. Hoc autem nullus concedet, quia ex omnium doctrina hoc cenſetur eſſe priuilegium legis gratiæ, & ſtatus ſolemnis religionis in ea.

Dico *ſecundò*, matrimonium ratum non diſſolui per profeſſionem iure diuino à Chriſto domino conceſſo. Probo id *primò*, quia credibile non eſt Chriſtũ conceſſiſſe dictam vim ſolemnitati votorum religionis nondum inuentæ & introductæ in Eccleſia. Nam ab Aſcẽſione Chriſti Domini nullum eſt nouum ius diuinum, & tamen ſolemnitas votorum introducta eſt & inuenta ab Eccleſia, vt conſtat ex *cap. vnico, de voto, in ſexto, & Extrauag. Aſcendente Domino*, edi-

ta à Gregorio IX. & abſque dubio introducta fuit multò poſt Aſcenſionem Chriſti; ergo profeſſio ſolemnis non diſſoluit matrimonium ratum iure diuino. *Secundo*, quia aliàs per omnia vota Religionis deberent eiuſmodi matrimonia ſolui, cùm omnia illa vota iure diuino ſint eiuſdem omnino rationis: nam, vt dixi, ſolemnitas profeſſionis eſt introducta ab Eccleſia. At illud eſt falſum, vt patebit in votis ſimplicibus eorum, qui ingrediuntur noſtram Societatem, quæ ſunt vera vota Religionis, nec tamen ſoluunt matrimonium; ergo. *Tertiò*, ius diuinum à tempore Chriſti manſit omnino immutatum, atqui hoc quod eſt matrimonium ratum ſolui, non manſit immutatum; quia olim, vt volunt multi, ſoluebantur matrimonia rata per vota ſimplicia, vt colligunt ex facto D. Teclæ, S. Alexij, & aliorum qui non fuerunt Religioſi; & modò iam per illa vota non ſoluuntur; ergo quòd per illa vota ſolemnia vocantur, non prouenit ex iure diuino. Denique, nullum extat tale ius diuinum, neque in Scriptura euangelica continetur; ergo liberè & ſine fundamento ponitur.

11 Dico *tertiò*, profeſſionem ſolemnem religioſam dirimere matrimonium ratum Eccleſiæ iure ac ſtatuto. Patet *primùm*, quia ſine aliquo iure id fieri non poſſet. Nam Ioannes XXII. *in Extrauaganti vnica, de voto*, negat votum caſtitatis Ordinis habere hunc effectum, quia nec iure diuino, nec per ſacros Canones reperimus hoc ſtatutum: aliquod ergo ex his iuribus eſt neceſſarium ad hunc effectum. At profeſſio ſolẽnis in religione habet hũc effectum, & conſtat non ex ſola rei natura, neque ex diuino iure immediatè; ergo ſiſtendum eſt in iure Eccleſiaſtico. *Secundò*, hic effectus non excedit amplitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis; ergo optimè in inſtitutionem eius reducitur. Antecedens conſtat, tum quia ſi id Eccleſia non potuiſſet alicui voto ſolemni tribuere, immeritò & valdè improprie dictus Ioannes XXII. inter cauſas huius effectus, vel negationis eius, poſuiſſet Canonicum ius; ſatis enim fuiſſet dicere, votum Ordinis non habere hunc effectum iure diuino, vt inde concluderet non habere hunc effectum. Tum etiam, quia ad affirmandam hanc poteſtatem, habemus ſufficiens fundamentum in generalibus Chriſti verbis, *Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum in cœlis*; & in illis aliis, *Paſce oues meas*: nam prædicta inſtitutio pertinere poteſt ad conuenientem paſtum ſpiritualem Eccleſiæ, nec potuiſſe videtur conuenientius tradi, quàm per Petrum, & vſum eius Eccleſiæ arbitrio, & inſtitutioni committere: nam in toto hoc genere poteſtatis & inſtitutionis nulla apparet repugnantia, & alioqui habet magnam congruentiam, quia hæc materia multum eſt variabilis, & pro diuerſitate temporum & locorum poteſt nunc expedire vna conſuetudo, & poſtea alia: ſicut videmus in aliis votis: nam votum ſolemne ſacri Ordinis non dirimit matrimonium ratum, nec votum virginitatis etiam ſuſcepto velo, ſi factum ſit animo permanendi in propria domo, dirimit autem ſi factum ſit in profeſſione regulari. Conſtat etiam in noſtra Societate votum caſtitatis religioſæ in ſcholaribus Societatis quod in principio nullum dirimebat matrimonium, quia nondum Eccleſia ad hunc effectum illud approbauerat, nunc dirimere ſubſequens matrimonium, ſi fortè contrahatur, quia ad hunc effectum iam approbatum eſt, non verò dirimit iam contractum, quia de hoc effectu Pontifices nihil locuti ſunt. Cuius differentiæ rationem nullam aliam aſſignare poſſumus ſufficientem, niſi ex Eccleſiæ determinatione, & inſtitutione.

12 Ad argumenta oppoſita.

Ad primum primæ ſententiæ, negatur ſolam maiorem, vel minorem perfectionem ſufficere ad diſſolutionem matrimonij: nam, vt conſtat, profeſſio Religioſa perfectior ſeruitus eſt, quàm humana, & tamen iſta non reſcinditur per illam ex natura rei; cùm tamen illa ſeruitus non ſolùm ſit minus perfecta, ſed etiam diſſolubilis ſua natura per priuatas etiam voluntates, quod non habet matrimonium ratum: quia nimirum iam alius habet ius adquiſitum; interueniente autem iniuria tertij deſinit eſſe melius; quod aliàs tale eſſet, vt videre etiam eſt in quolibet alio contractu humano, extra matrimonium, per quem ſit alteri ius adquiſitum.

13 Ad ſecundum, dico profeſſionem non eſſe veram mortem, ſed metaphoricè dici mortem, quia vita mundana deſeritur. Vnde non ſequitur ex natura rei ſolui matrimonium ratum: ſicut nec aliæ obligationes priores profeſſione ſoluuntur. Vnde profeſſio ſolemnis dicitur eſſe mors ciuilis, aut ſpiritualis in eo tantùm ſenſu, quòd per eam quis obligatur ad deſertionem vitæ mundanæ. Hoc tamen genus mortis non eſt incompoſſibile cum vinculo matrimonij, vt patet.

14 Ad tertium, negatur vnicuique licere iure naturali ad perfectiorem ſtatum tranſire, quando iure iuſtitiæ tenetur alio ſtatu: aliàs mancipio liceret domino inuito religionem profiteri; & etiam liceret coniugi poſt matrimonium conſummatum, altero inuito, quod falſiſſimum eſt.

15 Ad quartum, negatur per matrimonium ratum non fieri traditionem corporum quoad dominium, vt eſt certum; ſi verò dicatur per contractum matrimonij non fieri traditionem quoad actualem vſum dominij, conceditur. Verùm hoc nihil refert, quia in nullo contractu etiam inferiori requiritur ad eius firmitatem vſus rei, ſufficit enim poſſeſſio, ſeu quælibet actio per quam transferatur dominium, quæ regulariter prior eſt, quàm vſus rei emptæ. Exemplum autem illud venditionis valdè diuerſum eſt à matrimonio: nam per purum contractum venditionis, non transfertur ſtatim, ſeu actu dominium rei venditæ, donec aliqua traditio vera, vel ficta intercedat, vt ex materia de iuſtitia conſtat. At in matrimonio ſtatim ex vi contractus transfertur dominium vnius coniugis in alterum viciſſim, aliàs non eſſet ſtatim licitus vſus, neque haberet vnus coniugum ius, & poteſtatem in corpus alterius, quod eſt contra naturam talis contractus; & ideo natura ſua habet hunc effectum, in quo non pendet ab humana lege, ſicut pendere poteſt venditionis contractus.

15 Ad quintum, falſum eſt poſſe fieri illam commutationem ex natura rei propria auctoritate, in his, in quibus iam alius habet ius adquiſitum; neque enim eſt commutatio in melius, quia interueniente damno, vel iniuria tertij, deſinit eſſe melius, quod aliàs tale eſſet, vt dictum eſt.

17 Ad vltimum dico, eo ipſo quo ſupponitur votum ſolemne vt ſic, ſupponi quoque ius poſitiuum, ratione cuius, & non natura ſua, votum ſolemne irritat matrimonium ſubſequens. Sequitur non eſſe licitum prophanum vſum rei conſecratæ; non verò ſequitur talem rem fieri omnino inhabilem ad alium vſum.

18 Ad primum ſecundæ ſententiæ, certum eſt potuiſſe Chriſtum illud diſponere. Quòd verò de facto id per ſe ipſum immediatè præſtiterit, non conſtat, neque in Scriptura ſacra, neque alia auctoritate, vel traditione diuina. Iure igitur Eccleſiaſtico id ſtatutum eſt. Fateor tamen id ius antiquiſſimum eſſe, ſicut & multa alia, quæ Apoſtoli, vel Pontifices primis temporibus conſtituerunt; quorum inſtitutio non inuenitur in iure ſcripto. Olim tamen fuit ſcriptum,

& poſtea perditum: vel ſaltem fuit viua voce traditum, vnde in variis capitibus iuris ſupponitur fuiſſe traditum.

19 Ex quo patet ad ſecundum, concedo libenter non reperiri Pontificem, nec de facto eſſe aliquod ius, vel decretum Eccleſiaſticum quo primò diſponatur vt profeſſio ſolemnis habeat vim diſſoluendi matrimonium ratum, quod eruditè demonſtrat Baſilius Ponce *lib. 9. c. 5. a n. 6. vſque ad finem.* Hoc tamen non tollit quominus fuerit ſtatutum immediatè per Eccleſiam iure antiquiſſimo, vel traditione Eccleſiaſtica à temporibus Apoſtolorum, propter dicta ſuprà *dicto tertio.*

20 Ad tertium, id quod dicitur ex Alexandro III. non eſſe ad rem: nam falſum eſt Pontificem aſſerere, deduci ex ſacri eloquij interpretatione diſſolui matrimonium ratum per ſolemnem profeſſionem; ſed ſolùm dicere, id quod Dominus in Euangelio *Matth. 15. & 19.* dixit, non licere viro, niſi ob cauſam fornicationis, vxorem ſuam dimittere, intelligi de matrimonio conſummato. Præterea non fauet Doctoribus contrariæ ſententiæ, quod dixit Alexander III. nonnullos Sanctos, ex diuina reuelatione, quæ eſt ſupra omnem legem, coniuges de ſeruiſſe ante conſummationem matrimonij; imò potiùs illis aduerſatur, quia ibi ſupponitur illos Sanctos id feciſſe nō lege aliqua diuina communi, ſed peculiari reuelatione, & inſpiratione ipſis, & pro ipſis facta.

21 Ad quartum, dico, mihi dubium non eſſe, in Eccleſia dari plenam poteſtatem ad illam diſſolutionem matrimonij rati per ſolemnem profeſſionem. Quòd verò voluerit hunc effectum illi tribuere, ſunt congruentiæ vrgentiores, vt conſtat ex *dicto tertio.*

22 Ad quintum, concedo Eccleſiam per vniuerſalem legem non impediturum tranſitum à nuptiis ante conſummationem matrimonij ad religionem, non ex defectu poteſtatis, ſed ex defectu voluntatis; nam cùm voluntas Eccleſiæ ſit ſemper rationabilis, nullam inueniret rationem ad id diſſoluendum, nec iudicaret id expediens eſſe.

23 Ad vltimum, dico illud argumentum eſſe pro nobis. Nam ſicut Princeps reipublicæ poteſt dare facultatem ad reſcindendum aliquem contractum, in aliquo caſu etiam inuito tertio, & cum aliquo detrimento illius, quando aliqua ratio communis boni id poſtulat; nec tunc fit iniuria tertio, quia irrationabiliter eſt inuitus, & quia non fit priuatā, ſed publica auctoritate ex cauſa iuſta; ita ſimiliter poteſt Pontifex per poteſtatem indirectam, quam habet circa temporalia, in ordine ad ſpiritualia, reſcindere aliquem contractum temporalem, ſi ex eo timeatur aliquod ſpirituale nocumentum, vel propter aliquod aliud maius bonum ſpirituale Eccleſiæ: ſicut poteſt etiam relaxare iuramentum, ſubtrahendo materiam eius, quamuis illa humana promiſſio ſit, quando ad talem relaxationem ſufficiens ratio ſpiritualis intercedit. Vnde etiam poſſet Pontifex in aliquo caſu dare licentiam ingrediendi religionem, non obſtante aliquo humano debito, vel obligatione alterius contractus, quando prudenter iudicaret, id eſſe moraliter neceſſarium ad bonum ſpirituale vnius partis; & nocumentum alterius partis, eſſe parui momenti. Quare in præſenti potuit Papa inſtituere, vt per ſolemnē profeſſionem dirimatur matrimonium ratum, tanquam habens ſupremam poteſtatem in ſpiritualibus, & propter rationem communis boni ſpiritualis animarum, nulla habita ratione particularis nocumenti alterius perſonæ, quia moraliter quaſi nihil reputatur reſpectu tanti boni, & non fit cum iniuria, quia non fit auctoritate priuata, ſed publica.

Sectio IV.

An matrimonium ratum baptizatorum diſſoluatur per tria vota Societatis Ieſu poſt biennium Nouitiatus emiſſa.

Baſilius Ponce *lib. 9. cap. 6* affirmat. Et probat *primò*, quia ideo ſolemnis profeſſio habet efficacitatem prædictam diſſoluendi matrimonium ratum baptizatorum, quia conſtituit ſtatum religioſum: ſed tria vota in noſtra Societate poſt biennium emiſſa etiam conſtituunt ſtatum religioſum, vt conſtat ex Extrauag. Gregorij XIII. quæ incipit, *Aſcendente Domino in nauiculam*, quam Gregorius XIV. confirmauit; ergo etiam per dicta tria vota diſſoluitur. *Secundò*, antiquitus ante introductionem ſolemnitatis profeſſionis per ſtatum religioſum, qui tum votis ſimplicibus non ſolemnibus conſtituebatur, prædictum matrimonium ratum etiam diſſoluebatur; ergo & modò in Societate. *Tertiò*, prædicta ſimplicia vota verè ac propriè conſtituunt hominem in ſtatu perfectionis, non minus quàm vota ſolemnia, & profeſſio facta in quacumque alia religione approbata; ergo habet eandem vim ad diſſoluendū matrimonium ratum priùs contractum: patet conſequentia, quia decreta & iura, quæ hanc vim tribuunt votis Religioſorum, non aliud requirunt, nec profeſſionem nominant, ſed ingreſſum religionis, vt patet *cap. ex publico, cap. ex parte 1. de conuerſ. coniugat. Quartò*, prædicta vota reddunt modò perſonam inhabilem ad ſubſequens matrimonium, ex conſtit. Gregorij XIII. *Aſcendente Domino*; ergo habent etiam vim ad diſſoluendum præcedens matrimonium ratum: patet conſequentia, quia non eſt maior ratio de vno, quàm de alio. *Quintò*, nihil eſt in inſtituto Societatis, quod huic effectui repugnet: nam conſtitutiones non prohibent quo minus recipi poſſit, qui matrimonium contraxit ratum; ergo tale matrimonium, vel vinculum poteſt diſſolui per vota acceptata in hac religione; aliter enim maneret aliquis verè religioſus, & adhuc ligatus vinculo matrimonij rati inuitā coniuge: quod & repugnaret ſtatui religionis, & alteri coniugi eſſet oneroſum, vel poſſet ſuum ius exigere, eſſetque illi reddendum. *Vltimò* idem firmatur ex Bulla 3. Pij V. an. 1571. vbi concedit omnibus Religioſis Societatis Ieſu etiā ſcholaribus, vt omnes diſpoſitiones in fauorem aliorum Regularium factæ locum habeant in eis; ſed quòd vota dirimant matrimonium ratum, eſt quædam diſpoſitio iuris maximè fauorabilis religioni, vt ab illa non arceantur qui eo matrimonio rato ligati ſunt, & ipſis Religioſis, vt ad illum ſtatum aſcendere queant; ergo. 1

Noſtri verò Doctores, Suarius *tom. 4. de religione lib. 4. cap. 2.* Vaſquez *t. 2. diſp. 165. c. 10.* Sanchez *lib 2, diſp. 18.* Enriquez *lib. 11. cap. 8.* Gaſpar Hurtado *diſp. 8. difficult. 5.* & communiter omnes noſtræ Societatis viri docti partem negantem defendunt, Probant, quia ſtatus religioſus id non habet ſuo iure naturali, nec diuino, ſed ſolo iure Eccleſiaſtico & canonico, vt præcedenti ſectione oſtenſum eſt de profeſſione ſolemni. At ex hoc iure ſolùm conſtat id conuenire profeſſioni ſolemni: nam hæc ſola eſt, quæ tantùm fit votis ſolemnibus; videlicet abſolutè perpetuis, & ex parte vouentis, & ex parte admittentis illa; tria verò vota quæ poſt biennium emittuntur in noſtra Societate, quibus vouentes ſiuot religioſi, 2

gioſi, tantùm ſunt ſimplicia, & non ſolemnia, quia non ſuot abſolutè perpetua ex parte admittentis illa; ex rationabili enim s cauſa poſſunt ſic vouentes à ſocietate dimitti, quo ceſſant dicta vota.

Hanc ſententiam iudico veriorem ac ſecuriorem. Ad cuius maiorem diluci ationem,

3 Dico *primò*, eo tempore, ab initio Societatis ab anno 1540. vſque ad annum 1584. ante conſtitutionem Gregorij X I I I. quæ incipit, *Aſcendente Domino*, quo tempore non reddebant vota prædicta ſimplicia vouentem inhabilem ad ſubſequens matrimonium, videri certum non habuiſſe vim dirimendi præcedens matrimonium ratum. Probatur, tum quia nunquam in Eccleſia Dei viſum eſt, vt votum caſtitatis emiſſum in religione dirimat matrimonium factum, & non impediat ac irritet matrimonium ſubſequens; ergo cùm ea vota non irritarent eo tempore matrimonium contrahendum, multò minus poterant ſoluere iam contractum: tum etiam, quia eſt ratio à priori, quia hic effectus ex ſola prouenit Eccleſiæ auctoritate. At illo tempore non fuerunt hæc vota ab Eccleſia recepta, & approbata ad hunc effectum. Patet, quia hæc approbatio non conſtat ex aliquo ſpeciali iure proprio Societati conceſſo: neque enim in prioribus Bullis Pontificiis, nec in conſtitutionibus Societatis vlla eſt mentio talis effectus. Neque etiam conſtat ex aliquo decreto iuris communis, quia ius commune ſolùm votis ſo[l]emnibus emiſſis in profeſſione religionis concedit hunc effectum, vt liquet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. can. 6* id tantùm tribuenti profeſſioni ſolemni. Vbi de ſolẽni profeſſione hoc definiens, tacitè ita explicat iura antiqua, & ſignificat non aliter ſolui. Et quamuis *in cap. 2. 7. & 14. de conuerſione coniugatorum*, id attribuatur ſtatui religioſo, abſque expreſſa mentione profeſſionis ſolemnis, eo tamen ipſo id tribuitur profeſſioni ſolemni, quia ſtatu religioſus à ſui initio, ante noſtram Societatem, tantum fiebat votis ſolemnibus, videlicet abſolutè perpetuis, & ex parte vouentis, & ex parte admittentis illa, & emiſſis ſub vno capite habente iuriſdictionem ad compellendum vouentem ad eorum obſeruantiam. Tum denique id claret ex conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres: nam in illo tempore nunquam illa vota recepta ſunt vt ſufficientia ad dirimendum matrimonium; ergo ſignum eſt non habuiſſe hunc effectum.

4 Dico *ſecundò*, nec tempore poſteriori poſt dictam conſtitutionem Gregorij X I I I. nec modò tempore præſenti prædicta vota habere vim dirimendi matrimonium ratum. Hoc mihi videtur euidens, ſuppoſito primo dicto: quia per conſtitutionem prædictam Gregorij X I I I. nihil circa hoc punctum innouatum eſt: nam Pontifex ſolùm addidit prædictis votis ſimplicibus nouum impedimentum irritans matrimonium poſtea ſubſecutum, nullam faciens mentionem de præcedẽti. In eodem igitur ſtatu permanet, in quo antea erat. Neque enim vnum ex altero ſequitur. Vnde in ſimili, in Extrauaganti vnica, de voto, Ioannis XXII. ob eandem rationem oſtenditur, votum ſacri Ordinis non dirimere matrimonium ratum priùs contractum, quia Eccleſiaſticum ius ſolum diſponit, vt dirimat contrahendum, & de contracto nihil loquitur. Neque vnum ex alio ſequitur: quia ab his, quæ non ſolùm diſſimilia ſunt, ſed etiam ſeparabilia, non rectè fit illatio; & poteſt intercedere ratio longè diuerſa, ſicut in voto continentiæ ſacri Ordinis videre licet. Hinc

5 Dico *tertiò*, vota coadiutorum ſpiritualium formatorum noſtræ Societatis non dirimere matrimonium ratum præteritum. Patet, quia hic effectus inſeparabilis eſt à profeſſione ſolemnium votorum: at prædicta vota ſolemnia non ſunt, vt conſtat ex noſtris conſtitutionibus. Nam hæc vota non fiunt vt abſolutè perpetua, ſed ſolùm ex parte vouentium: ex parte autem Societatis habẽt ſubintellectam conditionem, vt durent, quamdiu Societas hos Religioſos retinendos iudicauerit. Vnde fit vt in traditione, quæ per hæc vota fit, non ſit mutua obligatio eiuſdem rationis in vtroque extremo; nam ex parte Religioſi eſt abſoluta viuendi perpetuò in Societate, quantum in ipſo eſt; ex parte autem religionis, non eſt ita abſoluta, ſed retinendo libertatem ad dimittendam liberam perſonam, in aliquo caſu raro, & ex grauiſſimis cauſis. Ex his

Colligo *primò* votum ſolemne caſtitatis Ordinis ſacri non dirimere matrimonium ratum, quia licèt Eccleſia potuiſſet id præſcribere; de facto tamen id non ſtatuit, neque eſt vllum ius id præſcribens. Cuius rei congruentia optima eſt, quia coniugium, & religioſa profeſſio ex ſe pugnant, non quoad vinculum & obligationes, ſed quoad actus & rationem viuendi: nam profeſſio religioſa poſtulat perfectam renuntiationem ſæculi, & abnegationem propriæ voluntatis, & proprij corporis, rerumque omnium: at Clericatus per ſe non poſtulat renuntiationem ſæculi. 6

Colligo *ſecundò* per vota Clericorũ & Monialium Ordinis militaris in clauſtro viuentium diſſolui matrimonium non conſummatum, quia ſunt vota ſolemnia & abſoluta in religione approbata; ſicut etiam vota ſolemnia Equitum ſancti Ioannis, quia profeſſio horum eſt ſolemnis, & in ea vouent caſtitatem non ſolùm coniugalem, ſed abſolutam abſque vlla reſtrictione. Idem dico de votis mantellatorum ſancti Frãciſci, & mantellatorum ſancti Dominici, quas Beatas, ſeu Tertiarias vocant, quæ collegialiter viuunt ſub regimine Prælati ex vi ſuæ regulæ approbatæ, ſub qua emittunt vota illa, diſſoluere matrimonium non conſummatum. 7

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum, dico, profeſſionem ſolemnem diſſoluere matrimonium ratum, præciſè quia eſt profeſſio ſolemnis, non verò præciſè quia conſtituit ſtatum religioſum. 8

Ad ſecundum, negatur antecedens, nam ſtatus religioſus antiquitus ante noſtram Societatem tantùm fiebat votis ſolemnibus. Vnde eſt in Eccleſia nouiter introductus ſtatus religioſus per vota ſimplicia Societatis, vt ponderat noſter Vaſquez *diſput. 165. cap. 9.* ex ipſa Extrauagante Gregorij X I I I. Vnde quidam Sancti, qui *in cap. 2. de conuerſione*, ſignificantur vocati de nuptiis ad monaſteria, ſeu ad ſtatum religioſum, vota ſolemnia emiſerunt. De Sancto verò Alexio verius eſt non profeſſum fuiſſe religionem aliquam, ſed peculiariter à Deo vocatum relicta vxore ante conſummationem ſeruaſſe continentiam, ſed non diſſoluto vinculo matrimonij. 9

Ad tertium, conceſſo antecedente negatur conſequentia: nam ſtatus perfectionis vt ſic, non diſſoluit matrimonium ratum: Epiſcopi enim ſtatus perfectior eſt, & non diſſoluit, quia nullo iure id cautum eſt. Vnde lex Eccleſiaſtica virtutem hanc tribuit ſolis votis ſolemnibus ex vera & propria profeſſione religionis. Nec obeſt aliquando in iure non fieri expreſſam mentionem profeſſionis, aut voti ſolemnis ſub his vocibus, ſed ſub nomine ingreſſus religionis. Quia iure communi hæc æquipollebant, & ita pro eodem ſumuntur in iure, vt omnes interpretes docent. 10

Ad quartum negatur conſequentia: neque enim eſt eadem ratio de impedimento futuri, & diſſolutione facti matrimonij. Nam cùm in emiſſione prædi- 11

ctorum

ſtorum votorum ſimplicium, & receptione, non fiat vera profeſſio ſolemnis, deeſt abſoluta perpetuitas, quæ ex vtraque parte religionis ſcilicet, & religioſi naſcitur, ideò deeſt illis virtus dirimendi matrimonium ratum: abſurdum enim eſſet vt quis liberaretur à vinculo matrimonij per tranſitum ad religionem, à qua poſſet ſuperioris auctoritate propter frequentes, & ordinarias cauſas, liber dimitti.

12 Ad quintum dico multa eſſe in Societatis inſtituto, quæ prædicto effectui matrimonium ratum dirimendi manifeſtè repugnant. Tum quia in illo ſæpiùs declaratur hæc vota eſſe ſimplicia. Tum etiam, quia nulla ſit eius effectus mentio in Bullis Pontificis, aut Conſtitutionibus. Tum denique, quia expreſsè in illis dicitur dicta vota ſimplicia non habere eam abſolutam perpetuitatem in vtroque capite, quæ ad illum effectum ſecundùm morem Eccleſiæ neceſſaria eſt. Nec inde ſequitur vinculum matrimonij rati eſſe impedimentum eſſentiale ad ingrediendum Societatem inuita coniuge: nam liberum eſt Societati immediatè poſt primum probationis annum completum, illum ad ſolemnem profeſſionem admittere. Vnde ſi velit aliquem recipere, quaſi ſub pacto, & obligatione, vel recipiendi illum ad profeſſionem ſolemnem, ſtatim poſt probationem, ſi in ea rectè ſe geſſerit, vel dimittendi ſtatim liberum, nihil impediet quominus poſſit illum recipere, licèt matrimonij rati vinculo ſit ligatus. Quia tunc nulla ex parte fit iniuria vxori, nec religioni, cùm ad hunc modum recipiendi ſit in ea poteſtas, & propter alias graues cauſas fieri ſoleat.

13 Ad vltimum dico nullam eſſe illam illationem: nam Pius V non loquitur de conditionibus annexis ipſis votis, ſed de priuilegiis, & gratiis conceſſis ipſis perſonis. Neque etiam agit Pontifex de diſpoſitionibus iuris communis, quæ alienæ ſunt, vel repugnantes ſpeciali iuri, & inſtitutioni approbatæ in noſtra Societate, ſed de illis, quæ religioſo ſtatui communes ſunt.

Sectio V.

Quantum temporis concedatur coniugibus ad ingrediendum Religionem ante conſummationem matrimonij.

1 COmmuniter Doctores Theologi, & Iuriſperiti exiſtimant præſcribi coniugibus duos menſes, à die contractus matrimonij computandos, intra quos aut teneantur ad religionem tranſire, aut illud conſummare. Colligunt id ex *cap. 7. ex publico, de conuerſione coniugatorum.* Vbi caſus in ſpecie illius textus fuit de quadam muliere vxoratâ, cui præceptum fuerat, vt ad virum rediret, & ei coniugalem exhiberet affectum, quod cùm renueret, fuit vinculo excommunicationis adſtricta. Illa verò, ſe virginem aſſerens, dicebat, ſe velle religionem intrare. Significatum hoc fuit Papæ Alexandro III qui mandauit Epiſcopo Brixienſi, quatenus ſi eius vir eam carnaliter non cognouerit, & illa ad religionem tranſire voluerit, abſoluatur à ſententia excommunicationis, receptâ prius ſufficienti cautione ab ipſa quòd debeat ad religionem tranſire, vel ad virum ſuum redire infra duos menſes. Ex hoc Decreto Pontificio in eo caſu exhibito inferunt Doctores, poſſe coniuges per duos menſes à contractu inito matrimonij rati differre conſummationem, vel ingredi religionem.

2 Verùm, vt rectè notauit noſter Coninch *diſp. 26. dub. 4. num. 44.* difficilè id ex dicto capite colligi videtur. Nam ibi agitur de muliere, quæ primò diu litigauerat de valore matrimonij: deinde condemnata diu omnino recuſauerat illud conſummare, dicens velle ſe religionem ingredi, vt colligitur ex textu. Impetratis tandem ſuper eâ re Pontificis literis, illis præceptum fuit Epiſcopo, vt præſcriberet ei duos menſes pro ingreſſu religionis, non computandos à die contracti matrimonij, à quo iam multi menſes elapſi erant; ſed à die, quo Epiſcopus poſt receptas literas Apoſtolicas hoc ei præcipiebatur. Vnde ex hoc caſu, & ex hoc capite ſolum videtur colligi, iudicem lite motâ, & cauſa cognitâ debere præſcribere duos menſes, intra quos coniuges teneantur, aut religionem ingredi, aut matrimonium conſummare. Quare in hac re

Dico *primò*, certum eſſe ante primum ingreſſum ſuſcipiendi habitum religionis negari non poſſe ſponſis de præſenti aliquod tempus liberum ad deliberandum de ingreſſu. Patet, quia res eſt grauis, & conſultatione, ac præuio maturo iudicio digna: & ſolet hominem Deus vocare ad religionem poſt ſponſalia, & etiam poſt initum matrimonium ratum. 3

Dico *ſecundò*, de tempore duorum menſium, me non inuenire ius certum, ac Decretum Pontificium. Idem fatetur Suarez *de religione, tom. 4. lib. 9. de voto caſtitatis, cap. 25. n. 3.* Quod ſatis probatur ex his, quæ dicta ſunt à Coninchio. Quia tempus illud bimeſtre aſſignatum capite, *ex publico*, non videtur præciſum, ac regulare, ſed in caſu illius textus fuiſſe à Pontifice præfixum, iuxta occurrentes circumſtantias. Vnde videtur ordinario arbitrio iudicis præſcribendum eſſe, poſſeque & augeri, & minui. Vnde rectè addidit Suarez *loco citato*, in hac re arbitrium iudicis excludendum non eſſe. 4

Dico *tertiò*, adhuc nihilominus prædictum tempus duorum menſium poſſe dici eſſe aſſignatum à iure, & eſſe quaſi ius commune. Moueor, tum propter auctoritatem Doctorum, qui communiter dicto ſenſu ius illud accipiunt. Tum quia tametſi ad eum caſum particularem literas illas ſcripſerit Pontifex, potuerunt tamen eo ſenſu eſſe in ius commune relatæ; atque ideo in eo ſenſu communiter prædictum caput à Doctoribus recipi. Tum denique, quia iam eſt vſu, ac conſuetudine receptum, approbatúmque ab Eccleſia, vt concedatur coniugibus ſpatium illud duorum menſium, vt intra illud non teneantur conſummare, quamuis alter petat, & vt poſſint religionem ingredi, & eis completis ſtatim teneri, aut conſummare matrimonium, ſi alter petat, aut religionem ingredi. 5

Dico *vltimò*, hoc non obſtante iudicem, causâ cognitâ, poſſe reſtringere, aut prorogare dictum tempus duorum menſium iure illo taxatum. Ita egregiè noſter Sanchez cum multis Doctoribus *lib. 2. diſp. 24. n. 12.* Quod firmat optimâ ratione: quia licèt quando datur terminus à lege abſque iudicis miniſterio, nequeat iudex reſtringere, vel prorogare, cùm non ſit ſupra legem; ſecus tamen eſt, vbi datur miniſterio iudicis, vt contingit dicto capite, *ex publico*, vbi non ſignatur bimeſtre, ſed mandatur iudici, vt deſignet. Non debet tamen iudex ab eo bimeſtri facile, & ſine rationabili cauſa diſcedere, cùm iuris terminus ſit. 6

Notat benè Sanchez *diſp. 24. cit. n. 9.* ſi coniux ab vnâ religione ad aliam tranſeat, & varias mutet in fraudem alterius coniugis, poſſe iudicem ſignare tempus, in quo eligat religionem, in qua tranſacto probationis anno profiteatur, vel ad coniugem redeat: aliàs ſic illudi facilè poſſet alter coniux, qui in ſæculo remanet, expectans alterius profeſſionem, non ſine ingenti incommodo. 7

His

Digitized by Google

His poſitis circa prædictam diſpoſitionem quatuor occurrunt dubia breuiter explicanda.

8 *Primum* eſt, an dictum bimeſtre præſcriptum ſit ad profitendum. ita vt non ſufficiat religionem ingredi ſuſcipiendo habitum, ſeu fieri nouitium, ſed neceſſarium ſit eo completo bimeſtri ſtatim profiteri, aut conſummare matrimonium, ſi alter petat.

Nauarrus *in ſummâ cap.16.n.27.* docuit, coniugem bimeſtri completo ſtatim teneri, aut profiteri, aut conſummare altero petente, & nõ ſufficere ſi religionem ingrediatur, quoad ſuſceptionem habitus. Probat, quia *in eo cap.7. ex publico,* obligatur coniux intra bimeſtre ad religionem tranſire, aut ad coniugem redire. At per tranſire ad religionem intelligi videtur profiteri. Nam *in cap.14. ex parte,* eodem titulo ſupponitur tranſitu ad religionem diſſolui matrimoniũ; hoc autem non diſſoluitur primo ingreſſu ſuſcipiendo habitum, ſed profeſſione ſequutâ. Firmatur, quia ſi manens in ſæculo teneretur per annum expectare, minus benè ipſi conſultum eſt, cùm aliis nuptiis copulari nequeat, donec alter profiteatur.

Cæterùm Theologi omnes meritò cenſent, dictũ coniugem eo bimeſtri completo non teneri, nec poſſe profiteri, ſed ſatisfacere ingrediendo religionem ſuſcipiendo habitum nouitij, & tempore ſolito profitendo. Iuxta quam doctrinam

9 Dico *primò*, in nullo caſu poſſe integrum annum probationis diminui in gratiam alterius coniugis in ſæculo manentis, niſi de licentia Papæ in locis, vbi Tridentinum eſt omnino receptum. Id eſt certum. Nam *in ſeſſione 25. c.15. de regularibus*, generaliter, & per verba negatiua ſtatuitur, ne quis minore tempore, quàm per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur, irritatque omnem profeſſionem factam ante annum probationis expletum. Quæ lex cùm ſit vniuerſalis, & cùm ſit negatiua generaliter, & in omni caſu eſt neceſſariò intelligenda. Nam etiam iuxta regulam logicam, negatio quidquid poſt ſe inuenerit, deſtruit, & eius oppoſitum ponit. Et ratio eſt, quia quod videtur mouiſſe Tridentinum ad id ſtatuendum, certè fuit, vt Nouitius cognoſcat quam vitæ rationem ſuſceperit, experiaturque illius difficultates, ne ſi ante annum, primo vocationis feruore ductus, profiteretur, profeſſione emiſsâ, quando iam eſt omni remedio deſtitutus, valde pœniteat, & vitam miſerrimam, & angoribus plenam agat. Quæ ratio militat præcipuè in hoc caſu: nam qui hoc modo religionem ingrediuntur, facile poſſunt præſumi ingredi magis odio coniugij, quàm amore religionis.

10 Dico *ſecundo*, etiam in locis vbi non eſt Tridentinum receptum, prædictum bimeſtre dari ex iure cõmuni ad deliberandum de religionis ingreſſu, ad profitendum verò dari integrum annum. Probo id, quia annus probationis datus eſt non ſolùm in fauorem Nouitij, vt monaſterij auſteritates experiatur; ſed etiam in ipſius monaſterij fauorem, vt Nouitij experiatur mores, vt habetur *cap. 16. ad Apoſtolicam, de regularibus.* Cùm ergo ius concedat coniugibus ante conſummationem ingredi religionem, debet hæc conceſſio intelligi cum iuris priuilegio. Quamuis Nouitius ob proprium factum poſſit iure ſuo ſpoliari, non tamen poterit monaſterium. Firmatur, quia à iure antiquo non receditur niſi nouum clarè ad hoc cogat, quod hîc non fit. Nam *in cap.7. ex publico,* ſolùm dicitur debere intra bimeſtre tranſire ad religionem. Quod cùm poſſit intelligi vel de tranſitu per profeſſionem, vel de tranſitu per ſuſceptionem habitus Nouitiorum, non debet intelligi de profeſſione vt ius antiquum ſeruetur illæſum.

11 Hinc patet ſolutio ad argumentum oppoſitum, congruum omnino eſſe quòd *in eo cap. ex publico,* tranſire ad religionem ſumatur, non pro ipſa profeſſione, ſed pro ingreſſu, ne decreto huius deſtruatur ius antiquius, concedẽs annum probationis ante profeſſionem. Et quamuis *in cap.7. ex publico*, tranſire ad religionem ſumatur pro ingreſſu, non eſt mirum quod *in cap. 14. ex parte, eodem titulo*, ſumatur pro profeſſione, vt ex eodem liquet contextu; quia, vt dictum eſt, tranſire ad religionem poteſt pro vno, & pro altero ſumi: & dicta capita ſunt diuerſorum Pontificum, ſeptimum Alexandri tertij, & decimum quartum Innocentij III. Ad confirmationem dico, non debere eſſe nimis graue parti manenti in ſæculo tandiu differre nuptias, cùm vtrique parti æquale ius concedatur.

12 *Secundum dubium* eſt, an noui coniuges poſſint intra dictum bimeſtre negare matrimonij conſummationem, etiam quando non deſiderant, nec cogitant ingredi religionem. Quando enim cogitant religionem ingredi, iam conſtat, poſſe duobus primis menſibus nolle matrimonium conſummare, etiam ſi pars id maximè exigat.

Partem affirmantem ſequuntur multi, quos refert, & ſequitur Sanchez *diſp. 24. cit. num. 25.*

Primò, quia ius concedit illos duos menſes, etiam non cogitanti de religione, quia poteſt fieri, vt interim talis cogitatio, ac deſiderium ei à Deo inſpiretur.

Secundò, quia illud bimeſtre non ſolùm conceditur, vt cogitans de ingreſſu religionis poſſit interim de eo deliberare, ſed etiam vt interim præparet neceſſaria ad ſolemnitatem nuptiarum; ac vt ſponſus eo chariorem habeat ſponſam, quod diutiùs eam deſiderauit.

13 Cæterùm duos illos menſes illis ſolis concedi, qui de religione cogitant, ſentiunt Nauarrus, Richardus, & alij, quos refert, & ſequitur Coninch *diſp. 26. dub. 4. n. 46.* Probat, quia quantum eſt ex natura contractus matrimonij, per ipſum vterque coniux tradit ſtatim alteri dominium ſui corporis, vt docet Paulus 1. *Cor. 7.* niſi fortè ex iuris conſtitutione, aut expreſsâ contrahentium voluntate, & pactione aliquid fuerit exceptum. At ius illum ſolum caſum excipit, quo alteruter cogitat de religionis ingreſſu: nam *in dicto cap. 7.* tantùm conceditur dictum tempus cogitanti, & volenti ingredi religionem, vt ingrediatur, & non vt coniuges ſibi inuicem fiant chariores, vt cõſtat ex textu: ergo niſi aliter inter ſponſos conuenerit, vterque habet ius ſtatim vtendi alterius corpore, tanquam re ſuâ.

14 Hanc ſecundam ſententiam iudico veriorem, propter rationem dictam. Solùm notandum, eam intelligendam eſſe, per ſe loquendo, quantum eſt ex naturâ contractus matrimonij: nam ſi quid aliud hac in re legitimâ conſuetudine introductum ſit, aut inter partes conſtitutum, certum eſt id ſanè omnino ſeruandum eſſe.

15 Ex quo patet ſolutio ad primum primæ ſententiæ, tametſi illud poſſibile ſit, non tamen in iure exprimi, nec conſiderari; cùm enim illud rariſſimum ſit à iure, conſiderabile non eſt: ius enim ſolum, quæ ſæpius accidunt conſiderat; vt habetur *l. nam ad ea 5. ff. de legibus*.

16 Ad ſecundum, negatur, eos menſes ob alias cauſas concedi in iure. Nam cùm ius expreſsè det rationem, cur eos concedat, ſine fundamento alias rationes excogitamus. Et certè cùm ſponſalia ſoleant præcedere matrimonium, facilè interim neceſſaria ad ſolemnitatem præparari poſſunt, vt etiam communiter fit,

&

& diuturnior negatio ſponſæ poteſt facilè fieri ante contractas nuptias. Quare concludendum eſt, eum qui non cogitat ingredi religionem, ſtatim ac fit contractus, teneri reddere alteri.

17 *Tertium aubium* eſt, quot dies continere debeat bimeſtre conceſſum, vt ſponſi de religionis ingreſſu deliberent. Breuiter dico cum Sanchez *diſp.* 24. *cit. num.* 15. hos menſes eſſe computandos à die, ac hora contracti matrimonij omninò integros; vt, v.g. ſi matrimonium contrahatur primo Aprilis, horâ decimâ, menſes illi finientur primo Iunij horâ decimâ auditâ. Ratio eſt, quia quoties ius alicui rei certum tempus præſcribit, quòd à certo initio incipiat, id illo modo computandum eſt. Et quidem omnino cõpletè, quando agitur de re fauorabili, vt hic fit. Vnde rectè Sanchez *cit.* infert *n.* 22. *&* 23. vt quis validè profiteatur iuxta præſcriptum Tridentini *ſeſſ.* 25. *c.* 15. debere annum decimumſextum ætatis, annumque vnum probationis omnino expleuiſſe, vt ne momentum deſit: quia hoc in fauorem tam religioſi, quàm religionis conceſſum eſt. Item vt quis teneatur ieiunare, debere omnino expleſſe annum ætatis vigeſimum primum: qui fauore minoris ætatis præceptum ante eos annos minimè obligat. Vnde fit, vt ſi die ieiunij impleat quis eam ætatem, ante punctum quo implet, poſſit ientaculum ſumere, quia ante id tempus præcepto non adſtringitur: & ſemel eo ſumpto, non tenebitur eo die ad ieiunium, quia iam nequit amplius ieiunare, cùm id ſemel fractum ſit. Si autem ante punctum impletæ ætatis ieiunium non fregiſſet, teneretur poſtea illud ſeruare, quia eo puncto tranſacto, iam præcepto ieiunij obligatur, & poteſt illud ſeruare, atque ideo tenetur.

18 *Quartum dubium* eſt, an ſi bimeſtri tranſacto, vel tẽpore à iudice præſcripto ad conſummandum matrimonium, neuter ſponſus ad religionem tranſierit, & matrimonium non eſt conſummatum, ſit licitum adhuc tranſire, quantumcumque tempus elapſum ſit. Huic dubio reſpondeo cum Coninch *relato n.* 49. & communi ſententia, quantumcumque temporis elapſum ſit à matrimonio contracto, modò non ſit conſummatum ſiue iure, ſiue iniuriâ id contigerit, vtrãque partem habere ius ingrediendi religionem, modò id ſtatim faciat. Ratio eſt, quia iura abſolutè concedunt facultatem ingrediendi religionem ante matrimonium conſommatum, vt conſtat ex cap. illo *ex publico*; & ſolùm ſtatuunt illos duos menſes, vt poſſit coniux cogi ad conſommandum, vel ingrediendum, non autem vt poſtea non poſſit ingredi; hoc enim nullibi dicitur. Imò dicto capite, *ex publico*, expreſsè conceditur ius ingrediendi religionem ei, quæ iam valde longo tempore contraxerat, vt dixi initio huius præſentis ſectionis.

Vnde infero, quamuis tranſierit bimeſtre ante conſummationem, volenti ingredi religionem irrogari iniuriam, ſi vi comprimatur ad conſummationem, quando ſtatim ac ab ipſo petitur debitum, vult religionem ingredi, quia ei licet ingredi ſtatim.

SECTIO VI.

Qualis conſummatio requiratur, vt nequeant coniuges religionem ingrediendo illud diſſoluere; & ceſſare faciat licentiam ingrediendi religionem.

1 CErtum eſt, in quo omnes Doctores conueniunt, per nullam copulam matrimonium verè conſummari, ita vt coniuges non poſſint religionem ingrediendo illud diſſoluere, niſi ipſam ita habeant, vt poſſit ex ea ſequi legitima generatio: omnis autem talis ſufficit; quia per hanc ſolam coniuges fiunt vna caro, & affinitatem contrahunt, & colligitur ex *cap. debitum*, *de bigamis*, *& cap. lex.* 27. *q.* 2. Occurrunt tamen circa præſentem controuerſiam, nonnulla dubia explicanda.

Primum eſt, an matrimonium conſummetur per copulam præcedentem. Ratio dubitandi eſt, quia videtur matrimonium illud iam eſſe conſummatum; nam filij nati ex tali copula legitimi cenſentur: ergo & copula iſta reputatur matrimonialis.

Dico *primò*, copulam præcedentem non conſummare matrimonium ratum ſubſequens; & conſequẽter diſſoluitur matrimonium ratum, cuius copula antea præceſſit. Hoc videtur certum, quia matrimonium ſolùm conſummatur per copulam coniugalem; illa autem fornicaria eſt. Neque verò illa copula fit legitima per ſubſequens matrimonium, quoad veritatem, licèt fictione iuris in bonum prolis, & in fauorem matrimonij tanquam legitima reputetur. Hîc autem non fictio, ſed veritas attendenda eſt, quia præcedens copula non complet ſignificationem matrimonij poſtea contracti. Firmatur à ſimili ex *cap. veniens* 2. *de ſponſalibus*, vbi copula ſubſequens ſponſalia, cenſebatur iure antiquo impedire matrimoniũ ſubſequens, quia perficiebat prius, non verò quando antecedebat ſponſalia. Quia copula antecedens non videtur fieri maritali affectu, ſicut ſubſequens: ergo ſimiliter ob eandem rationem copula antecedens matrimonium ratum non conſummat illud, licèt poſtea ſequatur. Et quamuis copula illa, quæ præceſſit, per vim, & iniuriam facta fuerit, nihil refert: nam licèt fortè ille grauiter peccet ingrediendo religionem cum tam graui iniuria alterius; nihilominus profeſſio valida eſt, quia nullo iure irritatur. Quare copula ipſa ſemper debet haberi poſt matrimonium contractum, quia matrimonium non poteſt conſummari antequam ſit. 2

Secundum dubium eſt, quid dicendum, ſi copula ſequatur poſt ſponſalia de futuro, per ſubſequentem profeſſionem ſolemnem talia ſponſalia diſſoluens? 3 Breuiter

Dico *primò*, iuxta ius antiquum talia ſponſalia non diſſolui per profeſſionem ſubſequentem. Patet, quia iure antiquo quando matrimonium clandeſtinum erat validum, tunc ſimul præſumebatur contrahi matrimonium, & conſummari per copulam ſubſequentem ad ſponſalia de futuro, vel ſaltem hoc eſſe prudens iudicium matrimonij iam contracti: ergo tale vinculum non potuiſſet diſſolui per ſubſequentem profeſſionem. Hinc

Dico *ſecundò*, prædictam copulam non potuiſſe dici tantùm ſubſecutam poſt ſponſalia de futuro, 4 ſed etiam poſt matrimonium de præſenti. Ratio eſt, quia illa copula non erat fornicaria, ſed coniugalis: ob eam enim cauſam illud præſumebatur eſſe matrimonium: ergo neceſſarium erat, vt talis copula ſupponeret matrimonij vinculum, & mutuam corporum traditionem, hoc enim eſt de eſſentia copulæ coniugalis.

Dico *tertiò*, nunc locum non habere prædictã præ- 5 ſumptionem Eccleſiæ, atque ideo ſi poſt talem copulã cõtrahatur matrimoniũ de præſenti, diſſolui poterit per profeſſionẽ ſolemnem antequam per aliam copulam conſummetur. Patet, quia nunc poſt Concilium Tridentinũ nullũ ſignum manifeſtatiuũ conſenſus eſt ſufficiens ad perficiendum vinculum matrimonij, niſi exhibeatur coram Parocho & teſtibus, quod

qood de copulâ matrimonij cogitari non poteſt, vt
in ſuperioribus ſæpè diximus. Vnde licèt ounc copu-
la ſequatur poſt ſponſalia de futuro, & poſtea coo-
trahatur matrimonium de præſenti, coram Paro-
cho, & teſtibus diſſolui poterit antequam per aliam
conſummetur, per ſubſequentem profeſſiooem reli-
gionis, qoia, vt dixi, præcedens copula fornicaria
fuit, & noo coniugalis.

6 *Tertium dubium* eſt, an matrimonium cenſeatur con-
ſummatum, quando copnla ſubſecuta eſt per vim, ita
vt neutri coniugi liceat religionem ingredi.

Ratio dubitandi eſt, quia videtur noo ſufficere.

Primò, quia illa copula eſt inuoluntaria, ſupponi-
tur enim eſſe per vim: ergo non complet ſignificatio-
nem ſacramentalem, quia non poteſt ſignificare per-
fectam vnionem, quam ſigoificare debet Sacramen-
tum; ergo non eſt ſufficiens ad conſummandum ma-
trimonium; quia copula in tantum conſummat vio-
culum matrimonij, in quantum complet ſignifica-
tionem ſacramentalem.

Secundo, nemo debet priuari ſuâ libertate propter
iniuriam, ſibi factam, ſed qui cogitur conſummare ma-
trimonium iniuriam patitur; ergo ob talem copulam
non debet priuari libertate ingrediendi religiooem.

Dico *primò*, certum eſſe, ſi ſermo ſit de copulâ vi
7 extortâ poſt bimeſtre conceſſum vxori ad deliberan-
dum de religionis ingreſſu, neutri licere ad religio-
nem tranſire. Patet, quia cùm vir vtatur iure ſuo vten-
do corpore ſibi debito; verè ac iure conſummatur
matrimonium: ergo neutri licet religionem ingredi,
nec poteſt vinculum diſſolui per profeſſionem.

Dico *ſecundò*, etiaw videri certum, per copulam vi
8 intra bimeſtre extortam, vel metu graui obtentam
conſummari matrimonium, & effici prorſus omnino
iodiſſolubile. Ita cõmuniter Doctores. Ratio eſt, quia
non obſtante vi, illa copula eſt coniugalis: ergo per il-
lam perfectum eſt, & omnino conſummatum matri-
monium. Antecedens liquet, tum quia in illâ copulâ
non eſt malitia fornicationis, quia nnn eſt acceſſus ad
alienam. Tom etiam, quia coniuges iaio abſolutè facti
ſunt vna caro, vt conſtat ex *cap. diſcretionem, de eo qui
cognouit conſanguineam.* vbi definitur, inde affinitatem
oriri. At copula ex qua oritur affinitas, conſummat
matrimooium.

Dico *tertiò*, in eo euentu coniugem, poſt talem co-
9 pulam vi, vel metu graui extortâ intra bimeſtre, poſſe
ingredi religionem inuito marito, & profiteri validè,
etiamſi per talem profeſſionem non diſſoluatur ma-
trimonium illud. Ita Sanchez cum multis *lib. 1. diſp.
22. n. 6.* Ratio eſt, quia vir grauem intulit iniuriã, cùm
non baberet ius copulam extorquendi ante bimeſtre
conceſſum, & illa non poteſt aliter ius ſuum recupe-
rare, niſi per ingreſſum: ergo poteſt ingredi religionẽ.
Addo tamen per accidens fœminam vi oppreſſam
impediri à religioois ingreſſu ratione damni prolis ex
eâ copulâ ſecutæ, quæ abſque matre commodè edu-
cari nequit. Quod ſi poſſet proles abſque matre com-
modè educari, poſſet illa religionem ingredi.

Hinc colligo virum extorquentem per vim copulã
10 ab ſponſa de præſenti intra prædictum bimeſtre pec-
care mortaliter. Patet, tum quia aufert corporis inte-
gritatem, cùm non habeat ius, dooec bimeſtre trãſeat.
Tum etiam, quia ius certum ſponſæ tranſeundi ad re-
ligionem reddit valdè dubium, ac litigioſum: & fortè
iudex opinabitur probabiliter, noo poſſe ingredi. Tum
deniqoe, quia fortè ex eâ copula ſequetur proles, ob
quam ſponſa impedietur ab ingreſſu.

Ex his patet ſolutio ad primum argumentum ra-
tionis dubitandi: conceſſo enim antecedente, negatur
conſequentia; nam, vt dictum eſt, non obſtante vi, co-
pula illa eſt coniugalis, atque ideo ſufficiẽs, vt per illã
perfectum ſit, & omnino conſummatũ matrimonium.

Ad ſecundum dico, illo argumento probari opti-
mè noſtrum tertium dictum.

Quartum dubium eſt, an copula debita, & nondum 11
exhibita ſufficiat impedire ingreſſum, & profeſſionem
religioois. Contingit enim vnum coniugem nimium
differre ingreſſum, & conſequenter iniurioſè negare
debitum alteri petenti illud pro eo tempore, pro quo
alius reddere tenetur. Id enim vocamus copulã debitã.

Dico *primò*, certum videri, ſi re ipsâ non conſum- 12
merut matrimonium nunquam ita impedire ingreſ-
ſum, & profeſſionem ſolemnẽ religionis, quin ſi fiat,
factum teneat, & præcedens matrimonium diſſoluat.
Ita omnes. Probatur, quia non obſtàre illo debito ma-
trimonium illud re ipsâ oondum èſt conſummatum,
nec vir, & fœmina facti ſunt vna caro, neque habet
completam ſignificationem: nam donec matrimoniũ
re ipsâ ſit conſummatum, non ſignificat inſolubilem
Chriſti vnionem hypoſtaticam cum bumanâ natura:
ergo neque habet omnimodam indiſſolubilitatem.

Dico *ſecundò*, quantumcumque peccauent vir, vel 13
vxor nimium differendo conſummationem, & iniu-
ſtè negando debitum, nihilominus ſi reſipuerit, & bo-
na fide voluerit ſtatim ingredi religionem, poſſe id li-
citè facere. Ita ſentio cum Suarez *tom. 1. de relig. lib. 9.
c. 25. n. 13.* Et optimè probat, quia nullo iure prohibe-
tur ex vi præcedentis moræ, nec etiam tenetur priorẽ
iniuriam reſtituere cum tanto onere, vt non poſſit li-
citè ingredi religionẽ, cùm adbuc ſit habilis ad illum
ſtatum. Quin potiùs illa iniuria negandi debitum talis
eſſe videtur, vt oaturâ ſua non obliget ad reſtitutio-
nem. Quî enim reſtitui poteſt? nõ enim coosiſtit in il-
latione alicuius damni, ſed in negatione cuiuſdã vſus,
quæ omnino tranſit, & non relinquit damnum repara-
bile. Et quamuis in præſenti caſu relinquere videatur
hoc oocumentum, vt matrimonium oon ſit effectum
omnino inſolubile; re verâ tamẽ nocumentum nõ eſt,
quia libertas, quæ inde reſultat, vtrique parti commu-
nis eſt, & ad bonum ſpirituale per ſe ordioatur, & ideò
ex eo capite non oritur obligatio reſtituendi. Quare
non obſtante culpâ præterita, quæ per pœnitentiam
diloi poteſt. poterit quis licitè ſtatim ingredi religionẽ
ſine nouâ morâ, etiamſi cogatur alius ad expectãdũ
annum integrum: quia ius antiquum, vel nouũ Tri-
dentini nemini abſtulit facultatem ingrediendi reli-
gionem, quam antea habebat. Neque eſt inconueniẽs,
vt illud priuatum incommodum ſequatur, propter
vniuerſalem legem in fauorem religionis latam.

Quintum dubium eſt, an ſi maritus non conſumma- 14
uit matrimonium, tradidit verò vxorem alteri ad adul-
terandum, poſſit religiooem ingredi vxore inuitâ, &
profiteri licitè, & validè.

Ratio dubitandi eſſe poteſt; nam videtur pars ne-
gans amplectenda, quia per illam iniuriam mulier ad-
quiſiuit ius ſpeciale in corpus viri.

Dico *primò*, in eo caſu profeſſionem validam eſſe, & 15
matrimonium diſſoluere, ſiue vxor coacta, ſiue volẽs
tradita ſit. Ratio eſt, quia euidens eſt, illud matrimo-
nium non eſſe conſummatum; ergo comprebenditur
ſub generali iure, quo matrimoaium ratum, & nõ cõ-
ſummatum per validam profeſſionẽ ſoluitur. Eſſe au-
tem illam profeſſionem validam, patet, quia nullũ eſt
ius irritans illam: omnia enim iura canonica profeſ-
ſionem irritantia factam ab vno coniuge ſine licentia
alterius, loquuntur de matrimonio conſummato: ergo
non comprehendunt caſum illum. Firmo, quia prædi-
cta profeſſio in eo caſu nequit eſſe irrita iure naturali
ratione præcedentis iniuriæ: nam iniuria ſolùm po-
teſt obligare ad aliquam reſtitutionem. At profeſſio

in genere loquendo, nõ eſt irrita propter obligationes, aut debita antecedẽtia nõ ſoluta. Ex quo patet ad rationem dubitãdi. Vt enim rectè notauit Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. c. 10. n. 1.* tametſi quis ſit obnoxius multis debitis ſoluendis, & ideò nequeat licitè profeſſionem emittere, nihilominus ſi profiteatur, valida erit profeſſio. Et ratio eſt, quia talis profeſſio non eſt irrita iure naturæ, vt conſtat; neque eſt irrita iure aliquo poſitiuo; quamuis enim per quandam Sixti V. conſtitutionem irrita fuerit; poſtea tamen Clemens VIII. alio motu proprio anno 1602. conſtitutionem Sixti V. moderatus eſt, quoad hoc, vt profeſſio talis valida ſit.

16 Dico *ſecundò*, ſi vxor non irrita, ſed volens tradita eſt alteri, certum eſſe maritum tuta conſcientia poſſe ingredi religionem ipſâ etiam inuitâ. Patet manifeſtè, quia tametſi vir grauiter peccauerit conſulens, vel conſentiens in adulterium vxoris, propriè tamen non fecit illi iniuriam; quia volenti non fit iniuria: ergo nihil eſt, quod in conſcientia detinere eum poſſit ab ingreſſu religionis.

17 Dico *tertiò*, ſi maritus vi, aut metu graui vxorem cogit, vt adulterium committeret, adhuc poteſt licitè, & validè ingredi religionem, ipſa inuita. Ratio eſt, quia nullum eſt ius, nullave ratio, quæ illum cogat ad ſatisfaciendum pro iniuria illata vxori, illo ſpeciali modo, nempe permanendo in matrimonio, & conſummando illud. Quòd ſi non poſſit alia via remedium adhibere nocumento illato vxori, ex eo quod tale nocumentum grauiſſimè augeatur, & quodammodo irreparabile fiat, ſi vir religionem profiteatur, & ita matrimonium diſſoluatur: tunc in eo caſu exiſtimo, non poſſe virum deſerere mulierem, & ingredi religionem, nam fecit illi grauiſſimam iniuriam, quæ aliter reparari non poteſt.

18 *Vltimum dubium* eſt, an matrimonium dirimatur per profeſſionem, quando vterque profeſſus eſt religionem, vel altero profitente alius ſimplex votum caſtitatis emiſit. Et quidem ſi id contigerit per accidens, ac merè contingenter, & ſine mutuo pacto, non dubium, quin verè matrimonium dirimatur. Patet, quia ea quæ ſunt per accidens, non poſſunt impedire effectum, cum quo non habent repugnantiam, & qui aliàs per ſe ſequitur. Difficultas eſt, quando id fit ex directa intentione, & conuentione.

19 Dico *primò*, certum eſſe apud Doctores, diſſolui vinculum matrimonij, ſi vterque profiteatur ex condicto, & mutua conuentione. Patet, quia iura abſolutè dicunt, matrimonium ratum ſolui per ſubſequentem profeſſionem in religione approbata: ergo multo magis diſſoluetur per profeſſiones, quia non ſe impediunt, ſed potiùs cenſeri poſſunt, quaſi duæ cauſæ totales, & ſingulæ ſufficientes ad illum effectum.

20 Dico *ſecundò*, diſſolui quoque dictum vinculum per profeſſionem vnius, etiam ſi alius votum ſolum ſimplex caſtitatis emiſerit. Claret id, quia nullum ius reſiſtit in eo caſu diſſolutioni talis matrimonij; cur ergo votum alterius coniugis reſiſtet?

21 Dico *tertio*, tametſi coniuges, vel ambo profitentes, vel vnus profitens, & alter ſimplici voto caſtitatis adſtrictus inter ſe conueniant, & velint, vt matrimonium non ſoluatur; nihil obſtare, quominus ſoluatur. Ratio eſt manifeſta, quia ſuppoſita profeſſione alicuius non pendet diſſolutio ex eorum voluntate, ſed ex iure, cui ipſi non poſſunt reſiſtere, quia tale ius non eſt conditionatum, ſed omnino abſolutum. Hinc

22 Colligo *primò*, ſi alter coniugum, qui votum ſimplex caſtitatis emiſit, altero profitente, poſtea matrimonium contrahat, validum eſſe matrimonium. Patet, quia illud votum ſimplex non dirimit, nec matrimonium præcedens impedit, quia iam ſolutum eſt; peccabit autem ſic contrahens, niſi priùs ſui voti diſpenſationem obtineat.

Colligo *ſecundò*, ſi vterque profeſſionem emiſit, 23
& alter poſtea obtinuit diſpenſationem voti ſolemnis caſtitatis, licitè, & validè poſſe cum alio matrimonium contrahere. Patet, quia nihil eſt quod impediat, cùm vtrumque vinculum matrimonij, & profeſſionis ablatum ſit, prius per ſequentem profeſſionem, poſterius per diſpenſationem.

Colligo *tertiò*, ſi vterque poſt profeſſionem 24
emiſſam, diſpenſationem vtriuſque voti impetraret, non poſſe inter ſe conuenire, niſi denuo inter ſe matrimonium contraherent; quin potiùs, vnumquemque eorum poſſe contrahere cum alio ſi vellet. Liquet, quia hæc omnia euidenter colliguntur ex fundamento dicto, quod primum matrimonium diſſolutum fuit.

Colligo *vltimò*, ob eandem rationem inter eaſ- 25
dem perſonas poſſe duplex matrimonium ratum ſucceſſiuè fieri, quando interuenit alterius, vel vtriuſque ciuilis mors per profeſſionem, & poſtea quaſi quædam reſuſcitatio per diſpenſationem: ſicut interueniente naturali morte diſſoluitur matrimonium, etiam conſummatum; ſi autem ſuſcitarentur mortui, poſſent iterum inter ſe contrahere, non autem inter ſe copulari ſine nouo contractu.

Sectio VII.

Vtrùm matrimonium ratum baptizatorum diſſolui poſſit per Pontificis diſpenſationem.

HÆc controuerſia grauiſſima eſt. Circa quam duo ſunt exactè diſcutienda. *Primum* ac præcipuum eſt, an Pontifex diſſoluere poſſit prædictum matrimonium ratum nondum conſummatum. *Secundum*, an & quæ cauſæ iuſtæ deſiderentur, vt poſſit Pontifex diſſoluere.

Circa primum, partem negantem ſequuntur 1
Scotus, Paludanus, Sotus, Couarruuias, & alij, quos refert Baſilius Ponce *lib. 9. de matrimonio c. 3.* quam viriliter ipſe defendit *n. 3. & ſeqq.*

Primò, quia antiquiores Pontifices illud nunquam diſſoluerunt, & ſemper iudicarunt nullam eſſe cauſam ſufficientem ad diſſoluendum matrimonium ratum nondum conſummatum.

Secundò, difficile videtur contra ius iuſtitiæ quæſitum tertio Pontificem legem ferre, aut matrimonium dirimere. Id quod in minoribus aliis contractibus perſpicuè videmus. Nam de ſeruo ſine domini conſenſu nequaquam ad religionem admittendo extat decretum Gelaſij Papæ *epiſt. 9. §. Generalis etiam querela.*

Tertiò, matrimonium conſummatum non poteſt diſſolui à Pontifice; ergo nec ratum. Patet conſequentia, quia matrimonium conſummatum, quod attinet ad rationem, eſſentiam, & integritatem matrimonij, nihil amplius habet quàm matrimonium ratum; nam copula qua conſummatum perficitur, non pertinet ad eſſentiam & integritatem matrimonij, vt dixi ſuprà *diſp. 13. ſect. 4. n. 4* Vnde ea copula non traditur corpus, præceſſerat enim mutua traditio in contractu; & quia ea præceſſerat, licita fuit copula. Quare

Digitized by Google

Quare hæc tantùm eſt vſus rei traditæ; ſicut vſus vaſis auri, vel argenti poſt exemptionem factam. Adde poſſeſſionem etiam ipſa traditione celebrari in contractu. Igitur ſi ipſa traditio perpetua ſubiicet poteſtati Pontificis, etiam ſubiacebit, quamuis vſus eius aliquis interuenerit. Reſpondebis obſtare peculiarem ſignificationem, quæ conuenire dicitur matrimonio conſummato, & non conuenit rato. Sed contrà eſt, quia multi ſentiunt hanc ſignificationem non eſſe peculiarem fidelium matrimoniis, ſed conuenire etiam matrimoniis infidelium, & coniugiis antiquæ legis; in qua tamen diſſoluebatur etiam licitè matrimonium conſummatum. Tum etiam, quia ex prædicta ſignificatione non redditur matrimonij vinculum magis inſolubile, ſed ex natura rei.

Quartò, quia aliàs Princeps Gentilis poſſet diſſoluere matrimonia rata ſuorum ſubditorum, quia non habet minorem auctoritatem circa contractus, ciuiles & prophanos ſuorum ciuium, qualis eſt contractus matrimonij eorum, quàm Pontifex circa contractum matrimonij ſacrum baptizatorum, quia etiam Gentilis habet in ſuos ſupremam auctoritatem.

Vltimò, matrimonium etiam nondum conſummatum eſt Sacramentum ſignificans vnionem Chriſti cum Eccleſia; ergo ſicut vnio Chriſti cum Eccleſia nequit diſſolui, neque Pontifex poterit diſſoluere matrimonium, quamuis tantùm ratum.

2 Dico *primò* verius eſſe Pontificem diſpenſare poſſe in matrimonio tantùm rato coniugum fidelium, ita vt vterque poſſit aliud inire. Hæc eſt ſententia communis Iuriſperitorum, & ex Theologis multi eam defendunt, Victoria, Ledeſma, Caietanus, Antoninus, Bellarminus, Enriquez, & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 2. diſp. 14. n. 2.* Idem docet Suarez *tom. 3. de religione, lib. 6. cap. 17. num.* 21. Probo id *primò*, quia Chriſtus ſuo Vicario contulit plenam poteſtatem ad ea quæ bono Eccleſiæ regimini neceſſaria ſunt, ſed poteſtas diſpenſandi in matrimonio rato eſt valdè neceſſaria in Eccleſia; nam eius diſſolutio ſæpe expedire poteſt bono fidelium, & aliàs fieri poteſt abſque magno inconuenienti; ergo ſine fundamento negari poteſt Pontificem peculiarem poteſtatem accepiſſe à Chriſto ad id. quod non leuiter firmatur, quia id ſæpiſſimè fecerunt Pontifices. Et Nauarrus *in ſumma c. 22. num.* 21. affirmat ſe obtinuiſſe plures diſſolutiones factas à Paulo III. & à Pio IV. Et refert Suarez *lib. 6. cit. cap. 16. num. 6* ſe vidiſſe Bullam Gregorij XIII. continentem diſpenſationem in matrimonio rato. Atque hoc argumentum ab effectu eſt magni habendum, quia non eſt veriſimile Pontifices doctiſſimos & pios temerè vſos fuiſſe poteſtate in re tam graui; ſed ad minimum exiſtimaſſe hanc partem probabiliſſimam eſſe; maximè cùm hic non ſolùm tractetur an hoc liceat, ſed etiam an factum teneat. *Secundò*, conſtat ex ſectione tertia matrimonium ratum diſſolui per profeſſionem ſolemnem in religione, & diſſolui non iure naturali profeſſionis, neque iure diuino, ſed iure Pontificis; ergo Pontifex diſſoluere poteſt matrimonium ratum baptizatorum. *Tertiò*, Pontifex habet poteſtatem remittendi vota etiam ſolemnia religionis, vt tenet verior ſententia, & multis probat Leſſius *de iuſt. cap. 40. dubit.* 14. & Suarez *lib. 6. cit. cap.* 16. ergo potiori iure poterit diſſoluere matrimonium ratum. Patet conſequentia, quia votum ſolemne eſt fortius vinculum, cùm diſſoluat matrimonium ratum; & vtrobique eſt traditio, & minor in matrimonio, cùm fiat ſoli homini; in voto autem Deo, & homini. Nec obſtat, ſi aſſignetur ratio differentiæ, eo quòd matrimonium ſit ſacramentum. Non, inquam, obſtat, quia, vt oſtenſum eſt ſuprà *diſp. 13. ſect. 2. num. 4. & diſp. 19. ſect. 2. num.* 1 matrimonium formaliter ſumptum pro vinculo, non eſt propriè ſacramentum, ſed tantùm effectum rei, quæ eſt ſacramentum. At effectus ſacramenti perdi omnino poteſt, vt patet in amittente gratiam. *Vltimò* idem oſtenditur; nam omnis contractus humanus, & omne vinculum obligationis inter homines, quòd mutuo conſenſu perficitur, præciſè ſtando in ratione vinculi non eſt ita indiſſolubile ex natura ſua, quin ſaltem per poteſtatem publicam, & maximè ſupernaturaliter conceſſam ex iuſta cauſa diſſolui poſſit, vt inductione conſtat in omnibus humanis contractibus: ſed vinculum matrimonij rati per contractum humanum, & per mutuum conſenſum contractum, nihilque habet ſpeciale, ob quod ab illo generali principio eximatur; ergo.

Dico *ſecundò*, diſſolutionem matrimonij rati baptizatorum non fieri à Pontifice auctoritate generali ſuperioris humani, ſed quaſi ſupernaturali, vt gerente vicem Dei peculiari, & extraordinaria poteſtate ſuperaddita poteſtati humanæ. Moueor, quia, vt probatum eſt *ſupra in hac diſputatione, ſect. 2. num. 5. & 7.* inſolubilitas matrimonij etiam rati prouenit ex ipſa inſtitutione diuina, qua Deus illud decreuit, nec hominibus aliter conceſſit facultatem transferendi dominij vſus corporis, niſi per indiſſolubile vinculum; vnde prædicta matrimonij inſolubilitas eſt ex iure diuino poſitiuo; ergo nequit Pontifex eam diſſoluere poteſtate ordinaria ſuperioris humani, ſed extraordinaria, qualem etiam habet ad diſſoluendam profeſſionem ſolemnem. 3

Dico *vltimò*, cùm Pontifex diſſoluit matrimonium ratum duorum coniugum, propriè loquendo, non diſpenſare. Probatur, quia diſpenſatio propriè dicitur quando manente aliquo modo lege tollitur eius obligatio: ſic diſpenſatur à Papa in ieiunio cum homine ligato tali lege, auferendo ab illo eius obligationem. At in caſu diſſolutionis matrimonij rati non tollitur immediatè obligatio vinculi matrimonij, ſed ipſum vinculum, vel dominium quod coniuges ſibi mutuò dederant in ſua corpora. Quod Pontifex Dei auctoritate tanquam ſupremi domini vtrique reſtituit, remittendo illis mutuas obligationes; ſicut nomine Dei remittit obligationem voti. Quod videtur facere eodem omnino modo, quo Prorex poteſtate accepta nomine Regis alteri remittit obligationem promiſſionis regi factæ. quo caſu in nullo iure propriè diſpenſar. Verum eſt eiuſmodi remiſſiones larga ſignificatione dici ſolere diſpenſationes communi vſu, & modo loquendi. 4

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum, tametſi aliqui Pontifices noluerint diſpenſare, conſtat de facto diſpenſaſſe alios recentiores, & firmo ſatis ac ſolido argumento motos.

Ad ſecundum, iam conſtat in vltima ratione primi dicti, in contractibus humanis, tametſi ſit ius alteri quæſitum, poſſe tale vinculum tolli per poteſtatem publicam, & maximè ſupernaturalem, quæ conceſſa eſt Pontifici ob iuſtam cauſam, & ad bonum fidelium regimen; ſicut in votis, tametſi ſit in eis ius quæſitum ipſi Deo. 5

Ad tertium conceſſo antecedente negatur conſequentia; nam matrimonij rati & conſummati, tametſi ſit eadem natura & ratio eſſentialis; quia tamen conſummatum addit ſupra ratum commixtionem carnalem coniugum, ratione cuius eius diſſolutio nequit regulariter fieri abſque inconuenienti, ideo non accepit à Deo peculiarem poteſtatem ad diſſolutionem eius, quamuis acceperit ad diſſolutionem tantùm rati.

...: itaque in matrimonio carnali conſummato eſt ratio ſpecialis omnimodæ indiſſolubilitatis, vel propter perfectam ſignificationem ſacramẽtalem vnionis Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem, vel propter naturalem rationem, quæ ſumitur ex damno, vel iniuria quæ inde redundaret in prolem. In vinculo autem matrimonij rati nulla ſimilis ratio locum habet, neque alia quæ cogat, aut ſufficientem congruentiam oſtendat: nam ad perfectionem talis ſtatus ſufficit ordinaria perpetuitas, & indiſſolubilitas quam habet, & ſubordinatio ad poteſtatem Pontificis nihil diminuit de perfectione eius, & aliquando ad commune bonum, vel ſaltem ad grauiſſimum damnum vitandum poteſt eſſe neceſſaria.

7 Ad quartum dico Principem Gẽtilem non poſſe diſſoluere matrimonium, adhuc non conſummatum ſuorum ſubditorum, quia non habet poteſtatem peculiarem ad id à Deo, ſed tantùm habet ordinariam ſuperioris humani; quo etiam pacto nec Pontifex poteſt, vt dictum eſt.

Ad vltimum, iam conſtat ex dicto primo, falſum eſſe matrimonium ſumptum pro vinculo eſſe Sacramentum propriè, eſt enim effectus ſacramenti, quod formaliter conſiſtit in contractu ipſo cauſante effectiuè matrimonium formale.

8 Circa ſecundum, quæ cauſæ deſiderentur, vt queat Pontifex matrimonium ratum diſſoluere, conſtat, deſiderari iuſtam cauſam, nec poſſe Põtificem id facere pro ſolo ſuo arbitrio abſque cauſa. Patet, quia prædicta indiſſolubilitas matrimonij eſt ex iure diuino, ſeu ex vi diuinæ inſtitutionis, vt ſuprà oſtenſum eſt; ergo eius diſſolutio abſque iuſta cauſa eſt prorſus irrita. Quòd ſi cauſa iuſta ſubſit, repugnantia alterius coniugis nequit Papæ poteſtatẽ impedire, ne alteri habenti iuſtã diſſoluendi cauſam, ac petenti diſſolutionem, conſulat.

9 Difficultas eſt, quales debeant eſſe prædictæ cauſæ. Nam Sanchez cum aliis *diſp.* 16. ſentit iuſtas diſſoluẽdi matrimonij rati cauſas eſſe eiuſmodi. *Prima* eſt, notabilis in qualitate diſparitas *Secunda*, grauis timor ſcandali futuri, ex quo rixæ, & neces oriri poſſe creduntur. *Tertia*, lepra alteri ſuperueniens. *Quarta*, quando alter coniugatorum aſſerit ſe non habuiſſe animum contrahendi. *Quinta*, vt vir efficiatur Epiſcopus, vt valde neceſſariũ ad bonum commune. *Sexta*, mutuus coniugum conſenſus, cùm videlicet ita ſunt inter ſe diſcordes, vt infelices exitus abſque remedij ſpe timeantur.

10 Baſilius verò *lib.* 9. *cap.* 3. *n.* 14. aſſerit, dato quòd poſſit Pontifex matrimonium ratum diſſoluere, id certè non niſi cum magno Principe, & vbi alicuius regni iactura immineret, faciendum eſſe. Quod ſic probat, quia obligatio ſtatus monaſtici apud Deum non maior eſt, ac ſtrictior, quàm cuiuſlibet alterius voti ſimplicis; & tamen cum Pontifex quotidie diſpenſet in votis ſimplicibus, ſtatu monaſtico nullum liberat, niſi ne alicuius regni deficiat hæres, quia matrimonium quoddam ſpirituale, cui ſe etiam tradidit, contractum eſt. Et tamen ſæpè ex non diſſoluto ſtatu monaſtico graues rixæ, inimicitiæ, infelices exitus, fornicationis pericula, animus auerſus ab inſtitutis Regularibus ſine probabili correctionis ſpe, defectus conſenſus, quem vt præſtent, induci non poſſunt, morbi contagioſi ſuperuenientes quibus redduntur inhabiles ad obſequia præſtanda religioni cui ſe traditionis contractu obligarunt, mutuus etiam religionis, & Religioſi conſenſus. Quòd ſi nulla iſtarum cauſarum idonea cenſeatur ad diſpenſandum in obligatione ſtatus monaſtici, in matrimonij vinculo iure ſaltem diuino inſolubili, & ex cuius diſſolutione maiora poſſunt incommoda ſequi, quàm ex diſſolutione ſtatus monaſtici, adeò leues cauſæ ſufficient?

11 In hac re mihi videtur dicendum *primò*, nimis rigidum eſse aſserere non eſse diſpenſandum à Papa in diſsolutione matrimonij rati, niſi cum magnis Principibus, & vbi alicuius regni iactura imminet. Moueor, tum ex ipſo vſu. Nam, vt docent viri graues, diſpenſarunt de facto Pontifices cum aliis viris, qui non erant magni Principes, nec imminebat regni alicuius iactura. Vſus autem, & conſuetudo multum valet hac in re; non enim veriſimile eſt Pontifices pios, & valde doctos temerè vſos fuiſſe ſua poteſtate in re tam graui. Tum etiam, quia cùm matrimonium ratum ſit præciſè vinculum mutuo conſenſu coniugum initum, non videtur ita indiſſolubile quin per poteſtatem publicam ſupernaturaliter conceſſam diſsolui nequeat ad bonum Eccleſiæ regimen, & ad ſalutem fidelium ſpiritualem.

Dico *ſecundò*, maiores & vrgentiores cauſas requiri ad diſsoluendam profeſſionem ſolemnem, quàm ad diſsolutionem matrimonij rati. Patet ex vſu: nam conſtat in profeſſione ſolemni ſolum fuiſse diſpenſatum cum magnis Principibus, & viris. Sic refertur diſpenſatum eſse cum Ramito Monacho & ſacerdote ex ſtirpe Regum Aragoniæ propter defectum ſucceſsoris, vt monaſterium relinqueret, & vxorem duceret; ex eaque habuiſse filium, qui ſucceſſit in regno. Refert etiam Surius *tom.* 1. Alexandrum III. diſpenſaſse cum quodam adoleſcente Monacho Nicolao nominato Veneto de familia Iuſtinianorum, vt vxorem duceret ad familiam illam bello penè extinctam excitandam: & eundem Alexandrum III. diſpenſaſse cum Conſtantia Guilielmi Regis filia Monacha, vt nuberet Imperatori Henrico Frederico Barbaroſſæ filio ad ſobolem Guilielmi patris excitandam. Caſimirum item Regem Poloniæ D. Benedicti Monachum iam profeſsum diſpenſatione ſummi Pontificis vxorem duxiſse. At in matrimonio rato plures aliæ diſpenſationes fuerunt conceſsæ, & non ſemper Dynaſtis, ac viris primariis, ſeu Principibus, vt fatentur viri graues. Et ratio eſse poteſt, quia cauſæ iuſtæ diſsoluendi matrimonium ratum ſuprà à Sanchez aſſignatæ, non videntur ſufficientes ad diſsolutionem profeſſionis ſolemnis, vt conſideranti attentè patebit. Quia vrgentior cauſa ex illis eſt grauis timor ſcandali futuri, ex quo rixæ, & neces oriri poſſint abſque vlla ſpe remedij. At hæc tametſi grauiſſima ſit, non exigit neceſſariò diſsolutionem profeſſionis ſolemnis. Quia ſufficienter tanto malo prouideri poteſt per legitimam conceſſionem tranſitus ex vna religione in aliam, vbi non ſit tale periculum, vel ſcandalum. Vel certè ſi id non ſufficiat, facile poteſt adhiberi remedium expulſionis omnimodæ ab omni vita communi Monachali & regulari, quæ eſt valde in vſu: non igitur illud malum quod ſolet eſse grauiſſimum, vrget neceſsariò ad diſpenſandum in profeſſione religioſa, & efficiendum, vt qui hactenus fuit Religioſus profeſsus, amplius iam Religioſus non ſit. Hinc 12

Dico *tertiò*, iuſtas diſsoluendi matrimonij rati cauſas eſse memoratas ſuprà à noſtro Sãchez. Patet diſcurrẽdo per illas. Nam inprimis notabilis in qualitate diſparitas, quãdo contrahentes ſunt notabiliter cõditione impares, & affectione cæca, & magna leuitate dicti ineunt matrimoniũ, cauſa iuſta cẽſetur; quia nihil magis aduerſatur mutuæ amicitiæ ac concordiæ ad quam ordinatur matrimonium, quàm notabilis diſparitas; inde enim experientia teſte infelices exitus oriuntur. Præterea grauis timor ſcandali magni futuri, vnde graues rixæ, ac neces oriantur in magnum damnum commune, cauſa eſt ſufficiens; quia inde facile ad diſcordiam perpetuã & vxoris necem deueniri poteſt. Rurſus lepra alteri ſuperueniens, quæ impediat mutuum corporis vſum 13

ob

Digitized by Google

ob magnum contagionis periculum, cauſa eſt vrgétiſſima. Nam matrimonium ordinatur ad mutuum corporis vſum, ratione prolis procreandæ, & etiam ad extinguendũ ardorem libidinis; & lepra hunc vſum legitimè impedit ob magnum contagionis periculũ, vnde abſolutè finis matrimonij ordinarius nõ obtinetur. Vnde refert Burgaſius *de irregularitate p. 6. tit. de ſponſ. n.* 74. Martinum V. diſpenſaſſe ob lepram. Sufficiẽs eſt etiam cauſa illa, vt vir efficiatur Epiſcopus, ſi id ſit valde neceſſarium ad bonum commune: nam cauſa bono communi conſulendi, ſufficiens eſſe cenſetur. Denique mutuus coniugum conſenſus, non ſolus præcisè, ſed prout eſt coniunctus cum tali odio, ac diſcordia, vt inde infelices exitus timeantur abſque vlla remedij ſpe, ſufficiens eſt cauſa, vt conſtat ex ſecunda cauſa iam adducta.

14 Ad argumentum Baſilij iam liquet maiorem eſſe indiſſolubilitatem voti ſolemnis & profeſſionis, quàm voti ſimplicis, atque indiſſolubiliorẽ eſſe obligationẽ ſtatus monaſtici etiã apud Deũ, quàm cuiuſlibet alterius voti ſimplicis; ac proinde eſt facilior ac frequens diſpẽſatio votorũ ſimpliciũ. Præterea negatur ex nõ diſſoluta profeſſione ſolẽni oriri graues rixas, inimicitias, infelices exitos, & dãnũ contagionis ob leprã ſuperuenientẽ. Nam his malis abſque vlla diſſolutione profeſſionis ſolemnis, & quin ille qui eſt Religioſus profeſſus, amplius iam Religioſus nõ ſit, facile occurritur, vt dixi, vel per legitimã conceſſionẽ tranſeundi ab ea religione in aliã etiam laxiorẽ; vel certè per omnimodã expulſionẽ ab omni conuictu, & vita cõmuni monachali, ac religioſa. Vnde verius exiſtimo cum cõmuniſſima Theologorum ſententia ad diſpenſandũ in profeſſione ſolẽni non ſatis eſſe bonũ priuatum ipſis profeſſis, ſed deſiderari vrgentiſſimã boni cõmunis cauſam, vt ſatis oſtẽdunt exẽpla quę adducta ſunt boni valde cõmunis. Et patet, tũ quia diſpẽſatio prædicta fieri nequit abſque aliquo ſtatus Religioſi detrimẽto. Tũ etiam, quia aliàs frequẽter diſpẽſationes hæ indulgẽdæ forent; cùm frequentiſſimè ipſius profeſſi bonũ priuatũ occurrat, ob quod concedendæ illi diſpenſationis iuſta cauſa exiſteret. Quod quàm labefactaret religioſũ ſtatũ, quis non videat. Tum denique, quia ſ frequẽtiùs Religioſi tẽtationibus vexarẽtur ſpe obtinẽdæ diſpẽſationis ad ſtatũ Religioſum deſerendũ. Quæ rationes nõ vrgent in diſſolutione matrimonij rati nõ cõſũmati: ac proinde ad huius diſſolutionẽ non ſemper deſideratur boni communis cauſa, ſed ſufficiens eſt bonum priuatum coniugum, cùm eſt vrgentiſſimum grauiſſimi mali periculum.

Sectio VIII.

An vrgente graui neceſſitate poſſit Epiſcopus diſſoluere matrimonium ratum non conſummatum.

PRocedit quæſtio in eo euẽtu, in quo neceſſitas eſt valde vrgens, ita vt ſi non diſſolueretur animarum & corporũ periculum, magnũ immineret abſque vlla remedij ſpe, & acceſſus ad ſummũ Pontificẽ ſit tardus, ac difficilis, ita vt ſit manifeſtũ periculũ in mora.

Videtur pars affirmãs probari poſſe, quia poteſt Epi-
1 ſcopus in ſua diœceſi efficere quidquid poteſt Papa in vniuerſo orbe, niſi ei ſpecialiter reſeruetur, & exceptis illis quæ ad vniuerſæ Eccleſiæ ſtatũ pertinent. Et ratio eſt, quia Epiſcopus eſt paſtor ordinarius in ſua diœceſi, ſicut Pontifex in toto orbe, licèt ſit ipſi ſubiectus: ergo in ijs, in quibus Pontifex non limitat eius iuriſdictionẽ, habet poteſtatẽ ordinariam. At nullibi reſeruat ſibi Põtifex facultatẽ diſſoluẽdi matrimoniũ ratum; ergo id poterit Epiſcopus ſimiliter. Non video probabiliter id dici poſſe. Quare dico facultatem hanc diſſoluẽdi matrimoniũ ratũ non conſũmatum, nullo modo eſſe extẽdendũ ad Epiſcopos ſine expreſſa Papæ delegatione, in quocũque caſu, & quãtacũque neceſſitas excogitetur. Probo id *primò*, ex ipſo vſu, vel potiùs nõ vſu. Nunquã enim legimus, vel audiuimus Epiſcopũ aliquem in aliquo euẽtu vſurpaſſe ſibi talẽ poteſtatẽ. Vſus autem eſt optimus interpretes legũ & poteſtatũ. *Secundò*, manifeſtũ eſt iuris principiũ, generalem clauſulam non cõprehendere caſus ſpeciales, in quibus ſuperior veroſimiliter non eſſet aliquid conceſſurus: ſed poteſtas diſpenſandi in matrimonio rato ſecundùm præſentẽ ſtatũ, & vſum Eccleſiæ eſt valde ſpecialis, quã non legimus vnquã Põtificem inferioribus cõceſſiſſe; habetque tantã difficultatẽ, ac tam difficilẽ vſũ, vt ipſi Pontifices rarò illa vtãtur; ergo nunquã licet per Epikiã interpretari in aliquo caſu eſſe cõceſſã Epiſcopo. *Tertiò*, in voto caſtitatis ſimplici & ſimilibus reſeruatis ideo colligunt Doctores poſſe Epiſcopos diſpenſare in caſu vrgẽtis neceſſitatis, quia vſus & antiqua cõſuetudo diſpẽſandi in hac occaſione indicat, vel nõ fuiſſe mentẽ Pontificis hæc vota in ſimilibus caſibus ſibi reſeruare, vel ſaltẽ poſtea ad diſpẽſandũ in eis tacitè eã facultatẽ cõceſſiſſe: ergo ecõtra cũ nunquã fuerit vſus, vel cõſuetudo diſpẽſandi in matrimonio rato, nullã omnino in ordine ad illud facultatẽ habuerũt. Et certè hic vſus manifeſtè indicat caſũ tãtæ neceſſitatis adeò extraordinariũ eſſe, vt moralis nõ reputetur, ideoque propter illũ nõ eſſe veroſimiliter factã à Põtificibus hanc exceptionem, vel huius poteſtatis delegationem, ſine qua non poteſt in inferioribus eſſe ea poteſtas. Denique idem firmatur, quia, vt omnes Doctores affirmãt, non poteſt Epiſcopus diſpenſare in aliquo euentu in profeſſione ſolemni Religioſorum; ergo neque in matrimonio rato. Hinc manifeſtè

Colligo *primò* matrimoniũ ratum nunquam poſſe 3
diſſolui per ſolã interpretationẽ. Ratio eſt, quia quãdo interpretatio ſufficit, ſupponitur effectus ex ſe talis, quia per interpretationẽ ſolum declaratur id quod in re eſt: at vinculũ matrimonij tale eſt, vt nunquã ex ſe poſſit ceſſare; quia tale vinculum ex ſeſe, & ex diuina inſtitutione eſt perpetuũ abſolutè & ſimpliciter, nulláque includit conditionem, ratione cuius ex ſe poſſit ceſſare ob defectum conditionis, quia repugnat fini eius vt diſſoluatur. Vnde, moraliter loquẽdo, nunquã poteſt occurrere caſus in quo malum ſit per ſe obſeruare tale vinculum, non obſtante occurrente neceſſitate: extra huiuſmodi autem caſum non poteſt tale vinculum per ſe ceſſare: ergo nunquam tale vinculum poteſt diſſolui per ſolam interpretationem.

Colligo *ſecundò*, hinc ſequi non poſſe diſſolutionẽ 4
vinculi matrimonij rati ad Epiſcopos extendi pro aliquo caſu; alioqui enim poſſet etiã extẽdi ad viros doctos, maximè quãdo eſſet difficilis recurſus ad ſuperiorẽ, quod incredibile eſt, ac inauditũ, & à nemine dictũ.

Ad argumẽtũ oppoſitũ, dictũ illud Doctorũ poſſe 5
Epiſcopũ in ſua diœceſi quidquid Põtifex in toto orbe, ſic eſſe intelligẽdũ, vt excipi debeãt res tã arduę & graues, circa quas adhuc de Põtificis poteſtate ab ipſis Doctoribus dubitatur. Cùm enim deceat grauiſſimas cauſas ſummo Chriſti Vicario reſeruari, cenſendum eſt Chriſtum illi ſoli reſeruaſſe. Addo expreſsè reſeruari in iure Canonico diſſolutionem matrimonij rati ſummo Pontifici, dũ præcipit Pontifex Epiſcopis vt cõpellant ad ſponſalia, & multo magis ad matrimonium ratum ſeruandum. In qua lege, cùm ſit Superioris, nequit Epiſcopus diſpenſare. Extat caput *ex litteris Syluani, de ſponſalibus & matrimoniis*, vbi Alexander III. præcipit Epiſcopo Pictauienſi, vt cõpellat iuuenem quendam accipere illam quam iurauerat ſe

ductum in vxorem. Extat etiam caput *licet, de ſponſa duorum.* vbi etiam Alexander III. præcipit Salernitano Archiepiſcopo, vt Eccleſiaſtica diſtrictione compellat virum qui primò contraxerat matrimoninm ratum cum vna, & poſtea alij mulieri nupſerat copula ſecuta, vt ad primum matrimonium ratum redeat, nam poſterius matrimonium conſummatum fuit prorſus irritum.

Sectio IX.

An & vnde proueniat vt matrimonium baptizatorum conſummatum ſit omnino indiſſolubile.

1 De matrimonio rato & conſummato baptizatorum certum eſt *primò* apud Doctores, habere omnimodam indiſſolubilitatem, ita vt in nullo caſu, nec per ſolemnem profeſſionem, nec per Pontificis diſpenſationem queat diſſolui. Firmatur hoc verbis Chriſti Domini Matth. 19. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Et clariùs ex illis verbis Pauli 1. Cor. 7. 10. *Iis autem qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere; quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Quibus verbis claret matrimonium conſummatum iure diuino & poſitiuo inſolubile exiſtere. Quod adeò verum eſt, vt nequeat ſolui matrimonij vinculum per alterius coniugis adulterium, vt definiuit Tridentinum *de ſacramento matrimonij, can.* 7 his verbis. Si quis dixerit Eccleſiam errare, cùm docuit & docet iuxta Euangelicam, & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonij vinculum non poſſe diſſolui, & vtrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe altero coniuge viuente aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum qui dimiſſa adultera aliam duxerit, & eam, quæ dimiſſo adultero, alij nupſerit, anathema ſit. Quod firmatur quoque ex vſu Eccleſiæ, in qua nunquam legimus per adulterium fideles baptizatos à vinculo coniugati ſolutos ſe crediciſſe. Auctoritate quoque ſacræ paginæ conſtat Marci cap. 10. & Lucæ 16. *Qui dimiſerit vxorem, & aliam duxerit, mœchatur.* Quam doctrinam explanat Paulus *ad Rom.* 7. ſic dicens. *Nam quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro alligata eſt legi. Igitur viuente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro.*

2 Obiicies illud Chriſti apud Matth. 19. *Quicumque dimiſerit vxorem, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ergo ex Euangelio ſolui poteſt matrimonij vinculum per alterius coniugis adulterium. Reſpondeo verba illa Chriſti Domini ſic diſtinguenda eſſe, vt has duas integras ſententias contineant, videlicet, *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, dimiſerit,* inquam quoad torum, *mœchatur,* id eſt, facit eam mœchari, occaſionaliter ſcilicet. Secunda ſententia eſt, *& qui aliam duxerit, mœchatur,* id eſt, adulterium committit.

3 *Secundò* etiam eſt certum apud omnes Doctores matrimonium baptizatorum conſummatum iure diuino eſſe omnino indiſſolubile. Vnde eſt lex diuina, & præceptum Chriſti in lege noua impoſitum illis verbis apud Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* quæ verba ſaltem intelligenda ſunt de matrimonio conſummato; quibus manifeſtè exprimitur omnimoda indiſſolubilitas matrimonij. Ex quo

4 *Tertiò* eſt certum, matrimonium infidelium conſummatum poſt prædictam Chriſti legem, & præceptum, eſſe quoque indiſſolubile: nam lex Chriſti obligat omnes. Et quamuis diſſoluatur, ſi alter tantùm conuertatur ad fidem, id contingit ex Chriſti diſpenſatione explicata per D. Paulum 1. *Cor.* 7. illis verbis, vt latè ſuo loco dicetur, cùm de impedimento diſparis cultus erit ſermo infrà ſuo loco.

Circa ſecundum vnde hæc indiſſolubilitas matrimonij conſummati baptizatorũ oriatur. Communis Doctorum ſententia eſt rationem omnimodæ indiſſolubilitatis matrimonij conſummati eſſe repræſentationem indiſſolubilis vnionis Chriſti cum Eccleſia per vnionem hypoſtaticam. Hoc enim conſtituunt diſcrimen inter matrimonium ratum, & conſummatum, quoad ſignificationem: quod ratum ſignificat vnionem diſſolubilem Chriſti cum anima exiſtente in gratia; vel ſi dicatur repræſentare vnionem Chriſti per charitatem cum totâ Eccleſia, adhuc ea diſſolubilis eſt, quoad membra Eccleſiæ, per culpam lethalem, quam admittunt, quamuis quoad totam Eccleſiam indiſſolubilis ſit. At conſummatum ſignificat indiſſolubilem vnionem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam. Ex quo infert Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 14. *n.* 5. non eſſe purè accidentalem eam differentiam, ſed deſiderari in matrimonio rato perfectionem non eſſentialem; habet enim integram eſſentialiter rationem ſigni, quæ eſſentialiter conſtituit Sacramentum laxè ſumptum, non tamen habere integralem perfectionem, quæ complet illud in ſuâ perfectâ ſignificatione vnionis Chriſti cum Eccleſia per carnem, in qua fundatur omnimoda indiſſolubilitas matrimonij conſummati. 5

Iuxta dicta à nobis ſuprà in hac diſputatione *ſect.* 2. & diſputatione præcedenti *ſect.* 4. 6

Dico *primò*, matrimonij conſummati baptizatorum omnimodam indiſſolubilitatem, quæ talis eſt, vt nullus ſit caſus, in quo ipſum diſſolui queat, non habere, nec prouenire præciſe ex natura rei, ſeu ex iure naturæ. Ita conſtat ex *diſput.* 19 *præcedenti ſect.* 4. *num.* 4. Tum quia ſi ſola natura ſpectetur, eius inſolubilitas non habet intrinſecam connexionem, ſeu neceſſariam conſonantiam, aut cõformitatem, naturam rationalem, adeò vt eius diſſolutio ſit ſecundùm ſe, & intrinſecè mala, non ſecus ac odium Dei, aut mendacium formale, vt ibi oſtendo. Tum quia ex Dei conceſſione poteſt abſolutè diſſolui in baptizatis, maximè, ſi nulla tunc eſſet proles, cui fieret iniuria, nec aliud damnum adeſſet, ſicut ex Dei conceſſione licitum fuit Iudæis antiqua lege, vt dixi ſuprà *diſput.* 19. *ſect.* 2. *num.* 9.

Dico *ſecundò*, prædicti matrimonij omnimodam indiſſolubilitatem prouenire ex iure diuino poſitiuo, & lege Chriſti eam præcipiẽte prædictis verbis apud Matth. c. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Probatur, quia, illis verbis prohibuit Chriſtus repudium quoad vinculum, vt *ſect.* 2. dixi, *num.* 11. 7

Dico *tertiò*, cauſam finalem, & motiuam, quod mouit Chriſtum, vt prædicto matrimonio conſummato baptizatorum ineſſet omnimoda indiſſolubilitas, fuit eleuaſſe illud ad ſignificandam vnionem ſui hypoſtaticam cum naturâ humanâ. Ita communiter Doctores. Probatur, quia ſolùm per matrimonium conſummatum fiunt coniuges vna caro, vt habetur expreſsè *cap.* 2. *de conuerſ. coniugat. & c. lex* 27. *q.* 2. & colligitur ex *cap. Agathoſa in fine* 27. *q.* 2. & ex *c. Martinus, de cognatione ſpirituali.* ibi, efficiantur per connubium vna caro. Vbi Gloſſa verbo, *per connubium*, id eſt, per carnalem copulam: ergo ſolum matrimonium conſummatum ſignificat eam coniunctionem, per quam Chriſtus factus eſt vna caro cum Eccleſia per Incarnationis myſterium. Vnde Paulus *ad Epheſ.* 5. ea verba, 8

Sacramen

Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia, non dixit, niſi præmiſſis illis aliis, *erunt duo in carne vna*, quod fit per copulam. Firmo, quia Innocentius III. *cap. debitum, de bigamis*, expreſsè definit, matrimonium ratum ſignificare vnionem per charitatem; conſummatum verò per carnem aſſumptam. Præterea *cap. debitum, de bigamis*, habetur quòd maritus defunctæ ante conſummationem, ſi iterum vxorem ducat, non fiat bigamus: & ratio ibi redditur, quia matrimonium ante copulam non ſignificat vnionem Chriſti per carnem; ſi enim eam ſignificaret, eſſet bigamus, quia non eſſet vnius ſponſus vnus, ſicut Chriſtus eſt vnius Eccleſiæ ſponſus: hæc enim irregularitas bigamiæ contrahitur ex defectu Sacramenti, id eſt, ſignificationis rei ſacræ; ergo prædicta ſignificatio quæ eſt in matrimonio conſummato baptizatorum, fuit cauſa finalis, cur Chriſtus voluerit illi ineſſe omnimodam prædictam indiſſolubilitatem, quia nimirum per tale matrimonium voluit ſacram Incarnationem, & hypoſtaticam vnionem ſignificare.

9 Dico *vltimò*, ſolum matrimonium conſummatum baptizatorum ſignificare perfectam coniunctionem Chriſti cum Eccleſia per incarnationem; atque adeò ſolùm illud eſſe omnino indiſſoluhile. Patet, quia quodlibet aliud matrimonium conſummatum infidelium, ſeu non baptizatorum, non habet aptitudinem ad ſignificandum indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia vnionem per incarnationem; quia tale matrimonium poteſt diſſolui, & diſſoluitur de facto ex Chriſti diſpenſatione, ſeu conceſſione per conuerſionem alterius ad fidem Chriſtianam, altero nolente cohabitare; ergo ſolùm baptizatorum conſummatum matrimonium, quod in nullo caſu diſſolui poteſt de facto, habet aptitudinem, vt ſignum ſit proprium, & aptum prædictæ ſacræ vnionis. Firmo, quia ideò ex omnium ſententia matrimonium ratum non eſt aptũ ſignum ſignificans indiſſolubilem coniunctionem Chriſti cum Eccleſiâ per incarnationem, quia, vt vidimus, poteſt diſſolui tale matrimonium per religionis ingreſſum, ſeu ſolemnem in illa profeſſionem, & per Pontificis diſpẽſationem; denotaretur enim vnionem Chriſti hypoſtaticam ſoluhilem eſſe. Cùm igitur matrimonium infidelium etiam conſummatum diſſolui queat per conuerſionem vnius ad fidem Catholicam, ſi repræſentaret, ac ſignificaret vnionẽ Chriſti hypoſtaticam cum carne humanâ, verè denotaret eſſe ſolubilem; non igitur poteſt eſſe aptum ſignum tanti myſterij ſacri. Iſtud igitur matrimonium propriè erit ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia per charitatem, quæ diſſolubilis eſt quoad aliqua membra Eccleſiæ: ſolum verò matrimonium baptizatorum conſummatum habebit perfectam ſignificationem vnionis Chriſti cum Eccleſia per carnem.

SECTIO X.

An matrimonium legitimum infidelium ſit adeò indiſſolubile, vt in nullo caſu, cùm ambo baptizantur, poſſit à Papâ diſſolui.

1 SVppono *primò*, prædictum matrimonium legitimum infidelium non ſolùm conſummatum, ſed etiam ante conſummationem poſitâ diuinâ inſtitutione eſſe indiſſolubile; quia nec poteſt mutuo conſenſu diſſolui, vt conſtat, nec Principis Gentilis auctoritate dirimi, vt dixi ſuprà *ſect. 7. num. 7.*

2 Suppono *ſecundò*, matrimoniũ iſtud infideliũ vt ſic non poſſe diſſolui à Pontifice; quia non habet in illos poteſtatẽ. Nec eſt vnde credamus à Deo relictam eſſe hanc poteſtatem Pontifici, quamuis relinqui poſſet. Vniuersè enim ſcriptum eſt à Paulo 1. Cor. 5. 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare?*

3 Suppono *tertiò*, prædictum matrimonium conſummatum infidelium non poſſe diſſolui, niſi quando vnus conuertitur ad fidem, altero nolente cohabitare abſque iniuria creatoris. de quo latè infrà *diſp. 36. ſect. 4.* tunc enim diſſoluitur propter cauſam, vel bonum fidei.

4 Suppono *quartò*, quando infideles coniugati poſtea baptizantur, matrimonium illud, quod antea erat legitimum, fieri ſolum ratum, ſeu magis inſolubile ratione ſolius Baptiſmi ſuſcepti, quia iam diſſolui nequit, propter cauſam, vel bonum fidei, vt ſuprà oſtendi *præcedenti diſp. ſect. 11. n. 7.*

5 Suppono *quintò*, matrimonium conſummatum infidelium ante Baptiſmum, ſi poſt ſuſceptum Baptiſmum, & poſt factum ratum, ſit denuo conſummatum, non poſſe iam vllo modo diſſolui, nec Pontificis dirimi diſpenſatione. Patet, quia tunc iam eſt matrimonium baptizatorum conſummatum, quod habet omnimodam indiſſolubilitatem, vt conſtat ex præcedenti ſectione. Difficultas ergo eſt de eodem matrimonio conſummato ante Baptiſmum, cùm coniugati ad fidem conuertuntur, antequam poſt Baptiſmum fiat quaſi denuò conſummatum, diſſolui poſſit auctoritate Pontificis.

6 Affirmant Nauarrus *lib. 3. conſilior. de conuerſ. infidel. conſ. 3. §. ad ſecundum dubium, à n. 12.* & noſter Sanchez *lib. 2. diſp. 17. n. 2.* Probant

Primò, quia firmius eſt matrimonium ratum fidelium, quàm conſummatum infidelium; maiorem enim firmitatem ſortitur matrimonium ex ratione ſacramenti Baptiſmi, quam habet ratum fidelium, quàm ex ratione cõtractus naturalis, quam ſolum habet matrimonium conſummatum infidelium, vnde illud dicitur ratum, hoc autem non, *cap. quanto, de diuort. & cap. finali 28. q. 1.* ergo cùm poſſit Papa diſpenſare in matrimonio rato fidelium, poterit à fortiori in conſummato infidelium.

Secundò, tale matrimonium reputatur tanquam matrimonium ratum fidelium; ergo Pontificis diſpenſatione poteſt ſolui.

7 Baſilius verò Ponce *lib. 9. c. 2. n. 8.* vt certum negat matrimonium infidelium conſummatum poſſe diſſolui auctoritate Pontificis, & hanc fuiſſe hactenus communem ſententiam Doctorum affirmat. Et expreſſè noſter Gabriel Vaſquez *diſp. 2. de matrimonio, c. 6. n. 58.* falſiſſimam docet eſſe quorundam doctrinam, qui ex eo quòd indiſſolubilitatem matrimonij ex ſignificatione vnionis hypoſtaticæ oriri exiſtimauerint, deducere non dubitarunt, matrimonium conſummatum infidelium, cùm ad fidem conuertuntur, diſſolui poſſe auctoritate Pontificis, eo quòd non ſit ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia Id quod anno Domini 1588. cùm ipſe Gabriel Vaſquez eſſet Romæ, à Summo Pontifice Sixto V. obtinere pro viribus contenderunt, & repulſam paſſi ſunt, in quorum ſententiam ipſum nunquam ſubſcribere voluiſſe affirmat.

8 Veriùs exiſtimo, cùm vterque coniugatus eſt conuerſus ad fidem, & baptizatus, & matrimonium conſummatum erat ante Baptiſmum, non poſtea, adhuc in eo caſu non poſſe Pontificem diſpenſare, nec tale matrimonium diſſoluere. Moueor, quia iam ſuſcepto Baptiſmo eſt illud matrimonium ratum, & conſum-

matum. Parum autem refert, quòd ante Baptiſmum conſummatum fuerit. Tum, quia re verâ effecti ſunt vna caro. Tum maximè, quia ex matrimonio conſummato ante Baptiſmum, naſcitur poſt Baptiſmum affinitas, vel irregularitas, vt communiter docent omnes Doctores, & ſuo loco dicetur: ergo reputatur pro conſummatione, ac ſi poſt Baptiſmum facta fuiſſet; aliàs ea impedimenta non orirentur ex copulâ habitâ ante Baptiſmum.

9 Ex quo patet ſolutio ad argumenta oppoſita, diuerſam eſſe rationem de matrimonio rato fidelium, & de illo infidelium conſummato; nam cùm iſtud ſit iam conſummatum, & ſit effectum vna caro, & ex ipſo ante Baptiſmum conſummato, naſcatur poſt Baptiſmum affinitas, vel irregularitas reputatur pro conſummato, ac ſi poſt Baptiſmum factum fuiſſet cõſummatum; & ideo eſt in hoc ſenſu pluſquam matrimonium ratum, atque omnino indiſpenſabile à Papa, & indiſſolubile.

Hic diſputant nonnulli de matrimonio infidelium, qua ratione diſſoluatur per conuerſionem alterius ad fidem. de qua re commodiùs agemus infrà, dum in ſpecie declarabimus impedimentum diſparis cultus.

DISPVTATIO XXI.

De poteſtate ſtatuendi impedimenta matrimonij.

POST exactam de matrimonij naturâ, eiuſque contractu, firmitate, & aliis qualitatibus, quas conſenſus deſiderat, diſcuſſionem, tam in eſſe contractus ciuilis, quàm etiam in ratione ſacramenti; aggredimur de impedimentis matrimonij egregiam, & valde neceſſariam tractationem. Antequam verò de illis agamus, præmittimus, tanquam præludium, præſentem diſputationem de poteſtate ſtatuendi matrimonij impedimenta.

SECTIO I.

An habeat ſummus Pontifex poteſtatem impedimenta matrimonij ſtatuendi

1 RAtio dubitandi eſt, quia ſi conſideretur matrimonium, vt eſt contractus naturalis, videtur ſolo mutuo conſenſu expreſſo ex natura rei eſſe validũ. Vnde contractus matrimonij eſt iuris naturæ, ius autem naturæ eſt inuariabile, & ab Eccleſia nequit alterari. Cauſa etiam naturalis ſufficienter applicata neceſſariò ſuum producit effectum; atque adeò mutuus conſenſus inter perſonas habiles, cùm ſit cauſa naturalis matrimonij, non poterit auctoritate Eccleſiæ, vel Papæ fruſtrari; ſi verò matrimonium attendatur, vt ſacramentum eſt, nequit aliquid ſtatuere variando formam, & materiam ſacramentorum. Nam rectè docuit Tridentinum *ſeſſ. 21.* doctrina de ſacramento Euchariſtiæ *c. 2. in initio*, hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in ſacramentorum diſpenſatione, ſaluâ illorum ſubſtantiâ, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret. Quare nequit Eccleſia variare materiam & formam ſacramenti matrimonij, nec efficere, vt quod olim erat materia, & forma ſacramenti, modò non ſit; nec vt ſit de ſubſtantia ſacramenti, quod antè non erat: ſicut aquam manentem aquam, non poteſt Eccleſia reddere inhabilem, vt ſit materia Baptiſmi.

Dico *primo*, certum eſſe certitudine fidei, & ratione naturali euidens, eſſe in Eccleſia poteſtatem impedimenta etiam dirimentia ſuâ lege inducendi. 2 Primum conſtat ex multis Pontificum, & Conciliorum Decretis, quæ huiuſmodi impedimenta decernunt; & ex praxi vniuerſæ Eccleſiæ, quæ errare non poteſt. Hoc etiam definitum eſt ſub anathemate à Concilio Senonenſi *tom. 3. Conciliorum*, poſt decreta fidei *cap. 17.* & nouiſſimè à Tridentino *ſeſſ. 24. de matrimonio can. 4.* his verbis. Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit. Accedit quoque authoritas veterum Pontificum, à quibus varia huiuſmodi impedimenta conſtituta ſunt. Secundum patet ratione, quia euidens eſt eſſe in Eccleſia ſpiritualem principatum, & poteſtatem, ad quam pertineat Eccleſiæ gubernatio in ſpiritualibus: nam ex terminis videtur per ſe notum in communitate perfectâ, qualis eſt Chriſtiana Reſpublica, neceſſariam eſſe poteſtatem, ad quam ſpectet gubernatio illius. Nam, vt ait Sapiens Prouerb. cap. 11. *Vbi non eſt gubernator, corruet populus*; natura autem non deficit in neceſſariis; atque adeò ſicut communitas perfecta eſt rationi, & naturali iuri conſentanea, ita & poteſtas gubernandi illam, ſine qua eſſet ſumma confuſio in tali communitate. Eſt igitur in Eccleſia peculiaris poteſtas ad illam regendam, & gubernandam. Præterea conſtat, hanc poteſtatem eſſe verè & propriè legiſlatiuã. Id quod tam certum eſt, ſicut eſt certum eſſe poteſtatem in Republicâ condendi leges: & conſtituere impedimenta matrimonij nihil aliud eſt, quàm legem aliquam ferre circa matrimonij contractum. Firmo hoc idem, quia poteſtas legiſlatiua nihil aliud requirit, quàm poteſtatem directiuam, & coactiuam ordinariam, ac de ſe perpetuam ſupra communitatem aliquam perfectam, illam perfectè per leges gubernando. Hæc autem omnia in dictâ poteſtate inueniuntur. Igitur ſicut per hanc poteſtatem legiſlatiuam, quam habet Pontifex ad gubernandam Eccleſiam tulit in aliis materiis leges firmatas, & cenſuris munitas; ita & in matrimonio leges tulit ſimiles apponentes varia impedimenta ad illud contrahendum, & ea poteſtas, quatenus directiua eſt, ordinat fideles ad actiones honeſtas, & ad vitanda peccata conuenientes; & quatenus eſt coërciua, præcipuè vtitur gladio ſpirituali ſpirituales pœnas imponendo.

Hinc dico ſecundò, hanc poteſtatem ſtatuendi impedimenta matrimonij eſſe ſpiritualem, ac ſupernaturalem. 3 Patet, quia eſt poteſtas, ſeu iuriſdictio pertinens ad externum forum Eccleſiaſticum, cuius finis eſt æterna felicitas, & huius vitæ ſanctitas. Vnde leges Eccleſiaſticæ diriguntur ad hunc finem. Et ideo Nicolaus Papa *in epiſtola ad Michaëlem Imperatorem*, inter alia rectè dixit, Imperatores indigere Eccleſiaſticis legibus pro æternâ vitâ, vt habetur *in cap. cum ad verum. 96. diſt.* Quod etiam verificatur in legibus, & ſtatutis latis ab Eccleſia circa matrimonij contractum, qui eſt etiam res ſpiritualis, prout habet rationem ſacramenti, & vt honeſtè, ac piè illud ſuſcipiatur, ipſemet contractus rectè, ac debitè ſuis legibus ordinatur. Eſt igitur illa poteſtas ſpiritualis, & ſupernaturalis. Firmo, quia per hanc poteſtatem ponuntur leges, & præcepta circa ſacramentum matrimonij, quod vt ſic, cùm ſit collatiuum gratiæ, ſpirituale eſt,

eſt, ac ſupernaturale, imò & in aliquo caſu per illud etiam remittuntur peccata, & prima gratia confertur, vt conſtat ex dictis ſuprà *d ſp. 19 ſect. 1.* erit igitur illa poteſtas ſpiritualis, ac ſuperni Ordinis.

4 Dico *tertiò*, perfectam hanc poteſtatem, prout eſt in Eccleſia, à Chriſto Domino fuiſſe collatam, & eſſe ſuperioris Ordinis, ac propriam legis gratiæ. Probo ſingula. *Primum* liquet ex Euangelico, in quo primò promiſit Chriſtus hanc poteſtatem Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque ligaueris*, &c. Deinde impleuit promiſſum *Ioan. 21.* dicens, *Paſce oues meas.* Vbi in verbo *paſcendi* poteſtas regẽdi immediatè collata à Chriſto, & leges faciendi in qualibet materia coueniences, ſignificatur. Nam ad officium paſtoris pertinet oues cuſtodire, & dirigere, ac coërcere, quod per leges maximè fit ab humano paſtore ſummo Pontifice. *Secundum* etiam eſt certum, & declaratur ex perfectionibus dictæ poteſtatis, & ex modo eius. Nam in primis eſt vniuerſaliſſima pro toto mundo; ſicut enim Eccleſia catholica totum mundum complectitur, ita etiam hæc poteſtas: vt ex prædictis Chriſti verbis, *Paſce oues meas*, rectè colligit Innocentius III. *in cap. ſolitæ, de maioritate, & obedientia.* Quia non dixit, has, vel illas oues, ſed ſimpliciter *oues meas*; ita vt non ſit ouis Chriſti; nec in eius grege numeretur, qui huic non ſubiacet poteſtati. Præterea data eſt, vt perpetuò duret, quandiu mundus durauerit; quia ſicut lex gratiæ vltima eſt, quam Deus eſt daturus, & ſicut Eccleſia perpetua eſt; ita etiam hæc poteſtas, ſine qua non poteſt Eccleſia ſuam vnitatem retinere. Ea etiam eſt in ſe ſuperni Ordinis non ſolùm per connaturalitatem ad gratiam, ſed etiam per ſpecialem perfectionem, & excellentiam à Chriſto liberaliter additam propter perfectionem præſentis ſtatus. Poteſtas enim iuriſdictionis in foro externo Eccleſiaſtico non modò eſt ſupernaturalis, propter coniunctionem ad alteram poteſtatem Ordinis conſecrandi corpus Chriſti verum, & ſanctificandi corpus myſticum, quam verè iuuat, verùm etiam, quia per ea ponuntur præcepta, & leges, quæ verſantur circa ſacramenta, & ſacrificium, quæ ſupernaturalia ſunt; per eam etiam ex conceſſione Chriſti contentâ in illis verbis vniuerſalibus: *Quodcumque ligaueris, & quodcumque ſolueris*, &c. quia poteſt diſpenſare in matrimonio rato, in votis, & ſimilibus. Denique conſtat eam poteſtatem eſſe legis gratiæ propriam, cùm ſit in ordine ad matrimonium quatenus habet rationem ſacramenti, quo pacto id habet perfectionis in lege gratiæ ex peculiari cõceſſione Chriſti. Ex qua etiam habet prædicta poteſtas aliam perfectionem, vt ſit ex inſtitutione ſuâ monarchica; hanc excellentiam habet ex diuino iure, & ideo ſit immutabilis. Habet igitur quòd ſit perfecta, & ſuperioris Ordinis, & propria legis gratiæ à Chriſto Domino immediate collata.

5 Ex dictis colligo poteſtatem ſtatuendi impedimẽta tam impedientia tantùm, quàm dirimentia eſſe non ſolùm in Concilio Generali, quod Eccleſiam vniuerſalem repræſentat, ſed etiam in ſummo Pontifice, vtpote totius Eccleſiæ capite. Quod patet etiã ex multis Conciliorum Generalium, & Pontificum decretis, quibus non pauca impedimenta introducta ſunt.

6 Ad rationem dubitandi initio propoſitam. Ad primam illius partem dico, matrimonium, vt eſt contractus naturalis de iure naturæ eſſe validum, quando conſenſus eſt legitimus; at poteſt non eſſe, quia poteſt verè irritari ab habente poteſtatem, & hoc facit Eccleſia: facit enim conſenſum minus legitimum, ac inſufficientem ad corporum traditionem. Vnde ius naturæ non dictat, vt quicumque conſenſus ſatis ſit, ſed legitimus; qualis non eſt, qui ex cauſâ iuſtâ irritatur à ſuperiore. Et quamuis contractus matrimonij ſit etiam de iure naturali in eo ſenſu, nempe quòd ex natura rei in quolibet, per ſe loquendo, ſit ius, & facultas contrahendi matrimonium; non tamen in eo, nempe quòd ex natura rei nequeat non eſſe validus. Ius etiam naturæ, ſemper inuariabile manet formaliter: quod ſemper dictat conſenſum matrimonialem debere eſſe legitimum. At quòd hic, & nunc ſit hic conſenſus legitimus, pendet ex poteſtate ſuperioris, qui poteſt decernere, & ſtatuere, vt legitimus non ſit, nec ſufficiens ad tranſlationem dominij corporum, niſi certæ ſolemnitates concurrant, quibus deficientibus cenſetur eſſe illegitimus, ac inſufficiens. Quare ex ſuperioris lege accidit, vt conſenſus, qui antea legitimus erat, modò poſt latam legem non ſit. Denique cauſa naturalis tametſi ſufficiẽter applicata neceſſariò ſuum producat effectum; ſi tamen ſit impedita, & applicetur paſſo non habili, illum non producet. Ignis enim applicatus cælo nõ combùret, nec ſi virtus eius impediatur à Deo: at conſenſus ſæpe impeditur à ſuperiori Eccleſiæ poteſtate, illum directè irritante, & applicatur perſonis inhabilibus ad ſic contrahendum; & ideo impeditur contractus matrimonij. Ad alteram partem de matrimonio, vt eſt ſacramentum, certum eſt Eccleſiam variare non poſſe materiam, & formam ſacramentorum; ſacramentorum enim inſtitutio, ac deſtructio non ſubiacet poteſtati Eccleſiæ. Vnde directè, & immediatè non poteſt irritare matrimonium, quatenus eſt ſacramentum. Poteſt quidem directè, & proximè irritare contractum, & conſenſum humanum, qui careat aliquâ ſolemnitate ab ipsâ præſcriptâ, & conſequenter indirectè, & quaſi remotè irritum facere ſacramentum: ſicut Eccleſia non poteſt directè annullare ſacramentum Pœnitentiæ, at poteſt indirectè auferendo iuriſdictionem miniſtri, à qua pendet. Quare ſicut Eccleſia nequit efficere, vt ſi quis fateatur ſacerdoti iuriſdictionem habenti, abſolutionemque recipiat, irritum ſit ſacramentum; quia id eſſet omnibus requiſitis ad ſacramenti valorem concurrentibus, directè ſacramentum annullare: at poteſt auferendo iuriſdictionem à miniſtro efficere, vt abſolutio ab ipſo præſtita peccatis auditis nulla ſit; quia id tantùm eſt deſtruere fundamentum ad valorem ſacramenti prærequiſitum, quo deſtructo conſequenter, & indirectè deſtruitur ſacramentum. Ita ſimiliter in matrimonio nequit Eccleſia efficere, concurrente perſonarum habilitate, & contractu valido ad mutuam corporum traditionem ſufficienti, vt ſacramentum matrimonij inualidum ſit; poteſt tamen deſtruere fundamentum, nempe contractum, ſtatuendo, vt non ſit legitimus, nec ſufficiens ad transferendum dominium, niſi talem habeat ſolemnitatem; quâ deficiente, conſequenter, & indirectè inualidum reddit matrimonij ſacramentum. Cuius rei ratio à priori eſt, quia contractus humanus eſt ſubiectus Eccleſiæ quæ poteſt efficere, vt non ſufficiat ad traditionem corporum, niſi cum tali ſolemnitate; nam matrimonij contractus non tantùm à voluntate contrahentium, ſed etiam à voluntate eorum, quibus illa ſubiecta eſt, pendet. Vnde hac de cauſa Eccleſia reddit conſanguineos intra quartum gradum inhabiles ad contrahendum; & collationem beneficiorum per ſimoniam confidentiæ factam, omnino nullam; & profeſſionem ante decimumſextum annum ætatis, vel ante annum probationis expletum irritat. Hinc patet manifeſtum diſcrimen inter materiam ſacramenti Baptiſmi, & materiam, &

formam

Digitized by Google

formam ſacramenti matrimonij. Nam cùm aqua naturalis ſit materia Baptiſmi, & hæc nec quoad eſſe materiale, nec quoad formale ſubiaceat poteſtati Eccleſiæ, ideò oequit variari, ſed ſemper aqua, manens vera aqua, non poteſt Eccleſia efficere, ne ſit materia Baptiſmi: at contractus humanus, qui eſt materia, & forma ſacramenti matrimooij, quoad eſſe formale, id eſt, vt legitimus ſit, ſubiacet Eccleſiæ poteſtati, & ideò poteſt variari materialiter, & remotè, vt oimitum cum hac ſolemnitate modò ſit legitimus, qua antea erat.

Sectio II.

Ad quas perſonas ſe extendat poteſtas, & lex Pontificia impedimenta matrimonij ſtatuens.

1 GVillermus Rubion *in 4. diſt. 40. q. 2. in init. & concl. 3.* hanc Eccleſiæ poteſtatem extendit ad infideles, quod ipſe non probat. Probari tamen poteſt, quia extenditur ea poteſtas ad hæreticos, qui tamen non ſunt membra Eccleſiæ, neque habent fundamentum fidei, ſine quo præcepta Eccleſiaſtica, quæ ad ſalutem animæ, & cultum Dei ordinantur, nec fructuosè, nec verè obſeruari poſſunt; ergo dicendum reſpectu infidelium.

2 Dico *primò* certum eſſe apud omnes Doctores, proprium eſſe legum Eccleſiaſticarum, vt tantùm homines baptizatos obligent, non verò infideles non baptizatos. Ratio eſt, quia infideles non ſunt Eccleſiæ membra, neque ſunt de communitate Eccleſiaſtica, & ideo licèt poſſint obligari legibus ciuilibus, vel ſuorum Principum infidelium in ſuis Regnis, vel Principum Chriſtianorum, quatenus poſſunt eſſe membra ciuitatis politicæ, & temporaliter ſubiecti Principibus Chriſtianis, legibus tamen Eccleſiæ non obligantur, quia nec ſunt membra Eccleſiæ vt Eccleſia eſt, nec habent fundameotum ſubiectionis ad Eccleſiaſticam iuriſdictionem.

3 Dico *ſecundò* leges Pontificias, prædicta impedimenta ſtatuentes, de ſe obligare Chriſtianos omnes adultos baptizatos, vbique terrarum degentes, ſtatum habentes coniugatorum, ſeu partitione accommoda. Hoc etiam eſt certum & cooſtans. Prima pars liquet, quia poteſtas Pontificis vniuerſaliſſima eſt ſupra totam Eccleſiam, ſed Eccleſia per vniuerſum orbem de ſe diffunditur: ergo & poteſtas Pontificis; ergo & leges matrimoniales non ſecus ac aliæ ab ea procedentes. Vnde conſtat hoc eſſe proprium legum Pontificum, quia vniuerſalis poteſtas propria eſt illius. Sub his etiam comprehendo canones Conciliorum Generalium, matrimonia quoque irritantiũ; quia illi etiam à Pontificibus approbantur, & eâ potiſſimum ratione vim habent obligandi. Prædicta igitur poteſtas vniuerſalis eſt, nulluſque hominum baptizatorum inuenitur ab illa exemptus. Secunda pars patet, nempe id intelligi debere partitione accõmoda, vt id ſemper intelligatur iuxta materiæ exigentiam. Quia non ſingulæ leges Eccleſiaſticæ, ſeu Pontificiæ obligant omnes fideles: imò tales paucæ ſunt; illæ videlicet, quæ reſpiciunt generalem ſtatum Chriſtianorum, & viatorum, quos dirigunt ad vitam æternam. Aliæ verò ſunt accommodatæ diuerſis ſtatibus Chriſtianorum; ſic leges ſtatuentes impedimenta matrimonialia dirimentia ſpectaot ad ſtatum coniugatorum, & non aliorum Eccleſiaſticorum, vel cælibem vitam degentium, atque ideo leges Pontificiæ vt ſic, ad omnes ſpectant, non tamen ſingulæ ad omnes, ſed partitione accommoda.

4 Dico *tertiò* infideles, etiamſi habitent in terris fidelium, non ligari impedimentis à Papa, vel ab Eccleſia ſtatutis. Hoc etiam eſt certum, & definiuit Innocentius III. *cap. gaudemus, de diuortiis*, adducto Pauli teſtimonio *1. ad Corinth. 5.* his verbis: *Infideles, ſeu Pagani conſtitutionibus Canonicis non arctantur. Quid enim ad nos, ſecundùm Apoſtolum, de his, quæ foris ſunt, iudicare.* Et ratio eſt, quia ſunt extra Eccleſiæ gremium, nec habent fundamentum ſubiectionis ad Eccleſiaſticam iuriſdictionem. Secus eſt de fidelibus habitantibus in terris infidelium, quia Eccleſiæ ſubiecti ſunt.

5 Dico *quartò*, poſſe Pontificem, non tanquam Eccleſiaſticum Principem, ſed taoquam temporalem, impedimenta dirimentia matrimonium infidelibus inhabitantibus oppida ſuæ temporali iuriſdictioni ſubdita decernere. Patet, quia Pontifex veram habet iuriſdictionem temporalem ſupremam in eos infideles, tanquam dominus temporalis eorum; ergo ſicut poteſt Princeps infidelis ſupremus impedimeota dirimentia ſtatuere ſibi ſubditis; ita & Papa. Oportet autem vt infideles ſuæ temporalis iuriſdictionis oppida inhabitent; quia infidelibus iucolis aliorum oppidorum, quæ Principibus fidelibus ſubduntur, nequit Pontifex ea impedimenta ſtatuere. Ratio eſt, quia nulla temporali iuriſdictione fungitur in his oppidis, ſed ſola ſpirituali, tamquam Eccleſiæ caput; ab hac autem iuriſdictiooe infideles exempti ſunt.

6 Ad argumentum initio adductum conceſſo antecedenti, negatur conſequentia: quia hæretici baptizati, de quibus eſt ſermo, ſunt verè ſubiecti Eccleſiaſticæ iuriſdictioni; nam retinent characterem baptiſmalem, quod eſt fundamentum huius ſubiectionis. Et quamuis ſecundùm illum ſtatum non ſint abſolutè membra Eccleſiæ, tamen aliquando fuerunt membra, & contra ius Eccleſiæ acquiſitum deliquerunt, ſe ab illa ſeparando, ſemperque ad illam redire cogi poſſunt; quia ſignum Eccleſiaſticæ iuriſdictioois ſemper in ſe retioent, & ratiooe illius veluti incboationem quamdam habent membrorum Eccleſiæ. Vnde fit, vt eius præceptis obligentur, & contra illam peccent, illa non ſeruando. Nec refert, quòd non habeant fidem, ſine qua præcepta aliqua ſeruari non poſſunt, quia poſſunt habere fidem, & per illos ſtat quominus non habeant, & ideo ex eo capite non excuſantur: ſicut peccator carens gratia non excuſatur obligatiooe præcepti communicandi, quia poteſt ſe ad gratiam præparare. Adde multa præcepta Eccleſiaſtica, inter quæ recenſeri poſſunt præcepta matrimonialia, poſſe quo ad ſubſtaotiam ſeruari ab hæretico in eo ſtatu permanente; poteſt enim ieiunare, & ſi vult nubere, contractum legitimum iuxta leges Eccleſiæ perficere, & ſimilia.

Sectio III.

An deſideretur iuſta cauſa, vt Papa ritè, & rectè valeat impedimenta matrimonij indicere.

1 CErtum eſt primò, omnem legem, maximè canonicam, & Pontificiam debere eſſe iuſtam, & iuſtè latam, iuxta dictum illud Iſidori *lib. 5. Etymolog. cap. 2.* ſic dicentis: Lex erit omne quod ratione conſtiterit, dumtaxat quod religioni congruat, quod diſciplinæ conueniat, quod ſaluti proficiat. Dicitur lex

omne

omne quod ratione conſtiterit; id eſt, lex debet eſſe conſentanea ratiooi; non poteſt autem lex eſſe conformis abſolutè, niſi vndique iuſta ſit. Dicitur præterea, vt religioni congruat; id eſt, diuino cultui, ac religioni congruens ſit: leges autem canonicæ, per ſe primò intendunt dininum cultum, & religionem, & ita ferè ſingula in illa materia verſantur; aliquæ verò poſſunt in aliis materiis verſari, ſemper tamen in eis obſeruatur maximè religionis decentia, & congruentia. Dicitur diſciplinæ conueniens reſpectu ſubditorum, quia omnis lex, præcipuè canonica tradit ſubditis conuenientem doctrinam, & inſtructionem morum; virtutem promouet, & moribos honeſtis valde prodeſt quantum in ſe eſt. Denique dicitur ſaluti proſiciens, quia eſt vtilis reipublicæ, & bono communi. Quòd ſi ea particula intelligatur magis theologicè, de ſalute animæ, erit lex talis, vt ſit iuſta, quia obſeruantia legis iuſtæ, quantum eſt de ſe, proficit ad ſalutem.

2 *Secundo* etiam eſt certum, requiri iuſtam cauſam, vt Papa ritè, ac rectè valeat impedimenta matrimonij ſtatuere. Patet ex generali ratione, Pontificis poteſtatem non eſſe ad diſſipandum, ſed ad rectam Eccleſiæ adminiſtrationem, quæ cauſam iuſtam poſtulat, præſertim, ad interdicendum matrimonium iure naturali, & diuioo hominibus conceſſum.

3 *Tertiò* videtur certum, quod notauit Ruardus Taper *art. 10. Louanſienſi*, maiorem exigi cauſam ad dirimendum, quàm ad ſimpliciter prohibendum matrimonium. Patet, quia dirimere grauius eſt, quàm ſimpliciter prohibere; vnde contingere poteſt, vt adſit iuſta cauſa prohibendi, non tamen dirimendi.

4 Denique certũ videtur Papam ſolùm leges etiam graues, & vniuerſales, tam matrimoniales, quàm in aliis materiis, poſſe valide ferre ſine conſilio Cardinalium, licèt ex congruentia, ac decentia id regulariter noo faciat. Patet ratione generali, quia talis eſt hæc poteſtas in Papa, qualis fuit in D. Petro: ſed in Petro fuit ita abſoluta, vt poſſet leges condere, etiam ſine conſilio Apoſtolorum, nedum aliorum inferiorum; ergo. Vnde ſimiliter leges Romani Pontificis, vt iuſtæ ſint, & validæ, oon pendent à Conciliis, ſed Conciliorum ab ipſo. Eſt enim poteſtas Papæ eadem cum poteſtate Petri, vnde ſolus Papa habet plenitudinem poteſtatis à Chriſto immediatè; nam cùm ſit ſupernaturalis, & propria Chriſti, nulli conuenire poteſt, niſi cui Chriſtus illam contulit; ſed nun contulit vt perpetuò duraturam, niſi Petro; ergo idem Chriſtus eſt, qui eam confert ſucceſſoribus eius. Sicut enim à principio dependens fuit à donatione Chriſti, vt eſſe inciperet, ita perpetuò pendet ex ſimili influxu, ſeu donatione eius vt conſeruetur. His præmiſſis difficultas eſt, an requiratur iuſta cauſa vt Pontifex ſtatuat impedimenta maximè dirimentia matrimonium; ita vt ſi ſine cauſa illam legem ferret, reuera matrimonium, contra cam legem, valeret.

5 Ab hac difficultate, quæ communis eſt omni Principis legi, breuiter me expediam cum communi doctrina, ad valorem prohibitionis Pontificiæ deſiderari iuſtam cauſam, atque hac euidenter non exiſtente, matrimonium, contra eam legem, validum eſſe, & culpa vacare. Ratio eſt, tum quia cùm matrimonium ſit vinculum iure diuino inuentum, & conceſſum omnibus, nequit Pontifex, illud ad libitum interdicere; atque ideo ſicut diſpenſatio in his quæ iure diuino obligant, vt in voto facta, abſque vlla cauſa eſt irrita, ita ſentiendum eſt de prohibitione matrimonij ſi fiat abſque legitima cauſa. Tum etiam, quia lex & ius ſemper ex ratione æſtimandum eſt, & quemadmodum ſine ratione iuſtitia non eſt, ita neque ius. Tum etiam, quia humanum ius eſt determinatio iuris naturalis; ſi igitur lex recedat in totum à iure naturali, non determinit, ſed magis affingit aliquid incognitum naturæ, id eſt, quod nullam cauſam in natura habeat; imò ſi ratione oon nititur, neque ius, neque lex eſt, ac proinde ſalua conſcientia ei legem non parere licet.

Sunt verò duo notanda. *Primum* conſultò me dixiſſe prædictam doctrinam veram eſſe ſi conſtet euidenter deſiderari iuſtam cauſam. Quia cùm conſtet ſummum Pontificem habere ius, & ſupremam iuriſdictionem ad ſtatuenda impedimenta matrimonij; ſanè vt propter defectum iuſtæ cauſæ, eius lex non valeat, oportet legis ipſius errorem, & iniquitatem eſſe indubitatam, ac euidenter, & moraliter certam, ita vt res dubia non ſit. Nam in dubiis parendum eſt ſuperiori, qui ius præcipiendi habet, ac poſſidet, & ideo conditio eius melior eſt; & præterea quia ad commune bonum, hoc omnino expediens eſt. Quare licèt de legis iniuſtitia probabilis ſit opinio, aut veriſimile iudicium, ſine temeritate formari poſſit; ſi tamen iuſtitia legis verè probabilibus nitatur rationibus, id ſatis eſſe videtur, vt valida ſit, & verè obliget. Alioqui cogendi eſſent ſuperiores ad nunquam præcipiendum, niſi ex recta, & euidenti cognitione, quod eſt ſupra humanam facultatem. Si enim ſubditis licet ex probabilibus rationibus formare iudicium prudens, & practicè certum ad operandum; cur etiam hoc non licebit ſuperiori ad ferendam legem & præceptum? ſicut enim cæteri homines non poſſunt habere ſemper euidentiam ſpeculatiuam, & ideo ne perplexi ſint, & humano modo valeant operari, licitè applicent ad opus iudicium probabile, cum certitudine practica; ita idem modus operandi neceſſarius eſt ſuperiori, qui homo etiã eſt; alioqui ſæpe eſſet perplexus, & multa incommoda communi bono, ex eius regimine ſequerentur. Quod ſi ipſe iuſtè, rectè ita præcipit, alij obedire tenentur; alioqui eſſet bellum iuſtum ex vtraque parte, & Reſpublica gubernari non poſſet, vt latè oſtendo *in tractatu de conſcientia in communi*. Illud autem commune dogma Theologorum vnumquemque operari poſſe iuxta ſuam probabilem opinionem, eſt intelligendum de opinione practice probabili, id eſt, in ordine ad opus, & non in ſola ſpeculatione. In præſenti tamen tametſi poſſit eſſe vtrinque controuerſia probabilis, an hoc, quod præcipitur, iuſtum ſit, nec ne; tamen poſita lege, iam non eſt probabile, quin oppoſitum malum ſit; quia non eſt probabile, quin hæc lex ſic lata valida ſit, & iuſta; vnde axioma illud intelligi debet in cauſa pari: hîc autem in hoc eſt imparitas, quòd ius, & poteſtas ſuperioris præeminet, ſemperque præferri debet.

Secundum, mirum non eſſe, quòd Eccleſia, vel Papa diuerſis temporibus varia impedimenta matrimonium dirimentia primò ſtatuerit, & poſtea abſtulerit; nam vtrumque præſtare poteſt, & præſtitit iuſta exiſtente cauſa. Sic enim Eccleſia olim interdixit matrimonium, & annullauit intra ſeptimum conſanguinitatis gradum contractum, vt conſtat ex *cap. ad ſedem 35. q. 5.* quia tunc habuit iuſtam interdicendi cauſam. At pòſt ſucceſſu temporis experientia docuit, expedire gradus reſtringere, vt dicitur *cap. non debet, de conſanguin. & affin.* & ita ibi reſtricti ſunt. Vnde ſimiliter poſſet etiam modò Papa plures gradus prohibere ſi iudicaret, adeſſe nouam cauſam plures interdicendi. Solùm nos aſſerimus non poſſe iuſtè, & validè extra iuſtam cauſam id fieri. 7

Inquiret aliquis, an ſicut Papa poteſt vniuerſè ſtatuere, impedimenta dirimentia matrimonium, poſſit 8

vnam

vnam ſingularem perſonam tantùm, inhabilem reddere ad contrahendum cum aliqua fœmina in particulari; vel vniuersè etiam aliquem inhabilem reddere ad contrahendum matrimonium, cum qualibet alia fœmina. Reſpondeo cum Sanchez *lib.6. diſput. 1. n.7.* Baſilio Ponce *lib. 6. cap. 3. num. 3.* Coninchio *diſput. 30. dub. 1. num. 9.* & aliis, affirmando, poſſe inprimis Pontificem legitima exiſtente cauſa, particulari præcepto, certas perſonas inhabiles reddere ad contrahendum inter ſe. Patet, quia ſi Princeps poteſt, particulari præcepto, reddere aliquos inhabiles ad alios contractus, vt conſtat de prodigis, cur non etiam ad hunc matrimnnij contractum, cum vrgentiſſima poſſit eſſe ratio. Firmatur amplius, nam ſi poteſt Papa ex iuſta cauſa reddere irritum matrimonium, inter omnes perſonas certi generis, vt inter omnes conſanguineos vſque ad quartum gradum; cur non poterit irritare inter duas priuatas perſonas, ſi vrgens cauſa id poſtulare videtur. Præterea dico, integrum eſſe Papæ iuſta ſubſiſtente cauſa, perſonam aliquam reddere perpetuò inhabilem ad matrimonium. Quia in grauiſſimi delicti pœnam Papa poteſt eo iure priuare quemquam, reddendo ipſum inhabilem; ſicut iſte talis poſſet capite plecti vel in ſeruitutem tedigi, priuando libertate à natura conceſſa. Et certè ſi poteſt Papa in pœnam delicti impedire matrimonium perpetuò, ita vt extra culpam iniri non valeat, vt de facto impediuit propter inceſtum, & alia crimina, vt dicemus *diſput. ſequent.*, quæ olim obligabant ſub mortali; cur ſi grauitas delicti id exigere videretur, non poterit ita alicui matrimonium interdicere, vt contra prohibitionem initum fiat inualidum, cùm ſit in ipſo plena, & abſoluta poteſtas ad vtrumque.

Sectio IV.

An poteſtas ſtatuendi impedimenta matrimonij, ſit in Epiſcopo in ſua diœceſi, reſpectu ſuorum ſubditorum.

1 Communiter omnes Doctores fatentur, prædictã poteſtatem nõ eſſe in Epiſcopis expeditam, quia antiqua Eccleſiæ conſuetudine, ea impedimenta ſtatuere, reſeruatum eſt Concilio Generali, & ſummo Pontifici. Difficultas ſolùm eſt, an ex vi ſui muneris, ſi ſolum ius diuinum, & naturale inſpiciatur, ſicut integrum eſt ſummo Pontifici in vniuerſa Eccleſia impediméta matrimonium dirimentia ſtatuere, ita Epiſcopis in ſuis diœceſibus.

2 Affirmant Sanchez *lib. 7. diſput. 1. num 9.* ex Couarruuia *4. Decretalium 2. p. cap. 6. § 10. num. 16.* Baſilius Ponce *lib. 11. num. 12.* Gaſpar Hurtado *diſput. 12. difficult. 2. num. 5.* & alij.

Primò Epiſcopus ea vi ſui officij eſt plenè, & perfectè Paſtor, & Princeps in ſua diœceſi, quamuis ſubordinatus Pontifici; ergo habet plenam poteſtatem condendi in ſua diœceſi, quaſcumque leges, & ſtatuendi quidquid ſaluti ſpirituali ſuorum ſubditorum expediat; ergo & ſtatuendi impedimenta matrimonij.

Secundò olim ab Epiſcopis conſtituta fuere multa impedimenta dirimentia, & impedientia tantùm in ſuis diœceſibus, & à Conciliis Prouincialibus, & nationalibus, quæ poſtea ab vniuerſali Eccleſia, vel præcepta ſunt, vel approbata, vel partim recepta, ſeu approbata, & partim exploſa, vt conſtabit ex dicendis de vnoquoque impedimento; ergo.

Tertiò quidquid poteſt Papa in vniuerſa Eccleſia, poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi, niſi aliquid ſibi reſeruet Papa; quod probat Sanchez *lib. 1. de matrim. diſput. 61. num. 3.* quia eſt Paſtor ordinarius in ſua diœceſi, ſicut Papa in toto orbe, licèt ſit ipſi ſubiectus; ergo in his, in quibus Papa non limitat eius iuriſdictionem, habet poteſtatem ordinariam, ſicut quilibet Confeſſarius poteſt. æquè ac Papa ab omnibus peccatis abſoluere, niſi per Papam, vel Epiſcopum aliquis caſus reſeruetur.

3 Suarez verò *tom. 5. de cenſuris diſput. 7. numer. 5.* Axioma illud: Quidquid poteſt Papa in tota Eccleſia, poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi, niſi prohibeatur, exiſtimat abſolutè loquendo nõ eſſe verum; quia nec ratione fundari poteſt, nec inductiõe probari. Nam Epiſcopus cum ſuis ſubditis nequit diſpenſare in gradibus probibitis ad contrahendum matrimonium, quia licèt non ſit illi expreſsè prohibitum, non eſt tamen expreſsè conceſſum. Potuit etiam Papa irritare clandeſtina matrimonia, quod ſine dubio non potuiſſet Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu. Poteſt etiam Papa perſonas reddere inhabiles ad matrimonium ratione delicti, qund nullus concedit Epiſcopus in ſuis diœceſibus. Denique inſtitutio cenſurarum, ita eſt propria ſummi Põtificis, vt ab Epiſcopis in ſuis diœceſibus propria auctoritate fieri non poſſit, non quia ſit illis prohibitum, nullibi enim talis prohibitio inuenitur, ſed quia non eſt conceſſum. In hac re

4 Suppono *primo*, quod videtur mihi verius: Epiſcopos iure diuino nũ habere actu determinatam poteſtatem iuriſdictionis, ſed eam iure Eccleſiaſtico à Papa accipere, nec habere maiorem, quàm hic concedat. Ratio eſt, quia tametſi poteſtas ordinis Epiſcopalis, & dignitas eam conſequens ſit iuris diuini; attamen nullus Epiſcopus ex vi ſuæ ordinationis præcisè habet vllam iuriſdictionem, ſed eam habere iure humanu à Papa. Patet, quia nihil Epiſcopis competit, præcisè ex iure diuino, niſi quod habent ex vi ordinationis; at Epiſcopus ex ſua ordinatione præcisè non babet vllam iuriſdictionem, aut aliquos ſubditos, vt conſtat in Epiſcopis merè titularibus, qui nullos ſubditos habent, atque adeò nec vllam iuriſdictionem, quæ ſine ſubditis eſſe non poteſt. Quòd igitur habeant tantam, vel tantam diœceſim, aut tam paruam, aut tam magnam iuriſdictionem, pendet à iure humano, atque adeò Epiſcopi habent totam ſuam iuriſdictionem à ſummo Pontifice.

5 Suppono *ſecundo*, Epiſcopos vt hanc, vel illam iuriſdictionis poteſtatem nullo modo habeant, non eſſe opus Papam eam ipſis negare, ſed ſufficere, quòd eis non concedat. Ratio eſt, quia poteſtas iuriſdictionis non eſt ex natura rei in Epiſcopis, vt dictum eſt, ſed eam habent totam à Papa; ergo vt illam habeant, non ſatis eſt, vt non prohibeatur, ſed neceſſe eſt vt concedatur; ergo nec mutare, nec diſpenſare in legibus Papæ poſſunt, niſi ab ipſo concedatur. Addo id adeò eſſe verum, vt etiamſi admitterem, quod probabile eſt, & multis Doctoribus probatur, Epiſcopos iure diuino quoque habere ſuam iuriſdictionis poteſtatem, idem dicendum eſſet; quia ea, quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt; cùm ergo poteſtas ſummi Pontificis ipſo iure diuino ſuperior ſit, & ſuprema, etiam ſi alij Paſtores, & Epiſcopi eodem diuino iure ſub illo inſtituti eſſent cum poteſtate iuriſdictionis, haberent ex ſupremo Paſtore proportionatam illam poteſtatem; quæ talis non eſſet, ſi facultatem ex ſe haberent, ad diſpenſandum in legibus ſuperioris, abſque illius conceſſione; boc enim monſtroſum eſſet, & cõtra debitum ordinem monarchiæ Eccleſiaſticæ.

6 Suppono *tertio*, tametſi omnis poteſtas iuriſdictionis,

Digitized by Google

nis, quæ eſt in Epiſcopis, pendear ex conceſſione ſummi Pótificis, non eſſe neceſſarium, vt ea conceſſio ſpecialiter fiat in vnaquaque lege, vel præcepto, poteſt enim generali conceſſione dari; de qua conceſſione conſtare poteſt, aut per decretum aliquod vniuerſale, vel per conſuetudioem receptam, ſeu traditionem explicátem aliquod munus, vel officium cum tali poteſtate eſſe inſtitutum. Sic exiſtimo contingere in poteſtate abſoluédi à cenſuris, eam Epiſcopis committi generaliter, quoties abſolutio ſpecialiter ipſis non eſt prohibita. Non idem cenſeo de poteſtate diſpenſandi. Moueor: tū quia ex natura ipſius cenſuræ, præſertim excommunicationis, quæ eſt talis pœna, vt ex intétione Eccleſiæ ſit auferéda, quoties reus fuerit diſpoſitus & ſatisfactioné obtulerit. *c. qua frōte, de appellat.* & ideo facilius conceditur ac generalius poteſtas abſoluendi, quàm diſpéſādi. Quod etiā colligi poteſt ex *c. cùm aliorū, de ſentētia excōmunic.* vbi maior céſetur eſſe poteſtas diſpenſandi, quàm abſoluendi. Tum etiam, quia poteſtas abſoluendi præcipuè reſpicit bonum eorum, qui abſoluendi ſunt, non auctoritatem, vel dignitatem eorum, qui abſoluere debēt. Et quia bonum illud eſt internum, & proximè pertinens ad bonum animæ, ideo poteſtas hæc fuit multo magis neceſſaria, quàm generalis poteſtas diſpenſandi. quæ ratio adeò viget, vt etiam propter illam Eccleſia talem poteſtatem Parochis conceſſerit.

7 His præmiſſis ad præſentem quæſtionem dico, poteſtaté talia impedimenta inducendi nullo modo cōpetere Epiſcopis, etiam ſecluſa omni Pontificis prohibitione. Moueor duplici ratione. *Prima* eſt, quia talis poteſtas nec iure diuino illis cōpetit, vt cōſtat ex ſuppoſitione prima, nec iure Eccleſiaſtico, quia nullū tale extat; ergo illam non habent. Patet conſequentia, quia iſta eſt maior poteſtas, quàm ſit poteſtas diſpenſandi, & maioris authoritatis, & dignitatis; ergo péder ex cōceſſione Papæ, iuxta ſuprà dicta. *Secunda* ratio traditur à noſtro Coninchio, quæ mihi videtur ſatis efficax: nā per talia impedimenta matrimonium propriè, & per ſe irritatur, quatenus eſt contractus merè ciuilis, & tantùm conſequenter, quatenus eſt ſacramentū: ergo dū Eccleſia ſibi hanc poteſtatem aſſumit, vtitur poteſtate illa indirecta, quam habet circa res téporales, vt de iis diſponat, quatenus hoc expedit bono ſpirituali fidelium, quæ immediatè cōceſſa eſt toti Eccleſiæ, & eius capiti ſupremo; nullo verò modo ſingulis Epiſcopis. Quia circa res ciuiles inuitis Principibus nihil poſſunt ſtatuere, tametſi ſaluti fidelium expediat, dummodo non ſit eorum ſaluti omnino neceſſarium. At inducere noua impedimenta matrimonij, tametſi poſſet eſſe fidelibus expediens, ſed non eorum ſaluti omnino, ac ſimpliciter neceſſarium: ergo non eſt talis facultas in Epiſcopis.

Ex quo patet ſolutio ad argumenta oppoſita.

8 Ad primū cōcedo Epiſcopū ex vi ſui officij eſſe plenè, & perfectè Paſtoré, & poſſe cōdere leges circa res ſpirituales, ſaluti animarum ſuorum ſubditorum expedientes, ſed non circa res ciuiles, qualis eſt matrimonij contractus; vt dictum eſt.

Ad ſecundum, olim Epiſcopos ſtatuiſſe nonnulla impedimenta ex conceſſione Pontificia, ſaltem ratihabitione, & interpretatiua voluntate Papæ, vel ipſo ſciente, & tacente, ac conſentiente, quo pacto illos rectè, & ritè poſſe impedimenta ſtatuere, non negamus.

9 Ad tertium, placet doctrina Soarij aſſerentis axioma illud, abſolutè loquendo, non eſſe verum, vt ſuprà dictum eſt. Poteſt verò intelligi rectè iuxta prædictam ſuppoſitionem tertiam in ordine ad poteſtatem abſoluendi, quæ reſpicit bonum animarum.

SECTIO V.

An dicta poteſtas ſtatuendi impedimenta ſit in Principe ſæculari infideli, & etiam in baptizato.

CIrca primum de Principe infideli ſupremo, cōueniunt Doctores omni tempore fuiſſe in eo, & in Republica libera, & eſſe poteſtatem impedimenta ſtatuendi ex iuſta cauſa ſuis infidelibus, vt notauit benè D. Thomas *in 4. diſt. 39. q. vnicā a. 1. ad* 4. Et ratio eſt, quia in iſtis Principibus eſt poteſtas ferendi leges ad trāquillitatem, & bonū Reipublicæ tuédum: ergo ſicut ad hunc finem poſſunt ſtatuere leges circa alios contractus ciuiles, & poſſunt aliquos, v.g. prodigos, & pupillos reddere inhabiles circa alios contractus, ita etiam circa contractum matrimonij, qui, eſt ciuilis, in officium communis boni inſtitutum poſſunt condere leges tam impedientes, quàm illum irritantes eſt enim planè eadem ratio; quia matrimonia infidelium Sacramenta non ſunt, nec infideles ſunt ſubiecti Eccleſiæ, ſed ſolis ſuis Principibus. Vnde fit, vt matrimonium contractum ab infidelibus contra leges à ſuis Principibus latis matrimonium dirimentes, nullum ſit. Hinc 1

Colligo *primò*, id quod de aliis infidelibus dixi ſubiectis Principibus infidelibus, extendi etiam debere ad Hebræos. Cùm enim iſti veram Rempublicam liberam non habeant, ſed aliorū Principum gubernationi ſubiiciantur, tenentur legibus irritātibus matrimonium, quas Principes infideles tulerunt, quorum dominio ſubduntur; leges enim eorum cæremoniales ceſſarunt, & ſtatuta lege Moſaica *Leuitici* 18. expirarunt Chriſti Paſſione, & morte. Quod intelligendum videtur, niſi Principes infideles, quorum dominio ſubduntur, illis copiam fecerint patriis legibus vtendi, atque ſecundùm illas viuendi. Nam in eo caſu vim haberent, non quia ipſorum Hebræorum leges eſſent, ſed quia ab eorum Principibus infidelibus approbarentur, aut permitterentur. 2

Colligo *ſecundò*, Principes Gentiles ſtatuentes impedimenta matrimonij dirimentia obligare etiam fideles in ſuis partibus commorantes, qui ciuiliter ſunt illis ſubiecti. Neque Eccleſia illis hanc poteſtatem, vtpote ſibi non ſubditis, potuit adimere, cùm hoc ad bonum ſpirituale fidelium non ſit abſolutè neceſſarium. Ita notarunt Sanchez *lib. 7. diſputat. 3. num. 7.* & Coninch *diſput. 30. dub. 1. num. 7.* Quare ſi aliquo impedimento dirimente à Principibus prædictis ſtatuto, fideles iſti contraherent, eſſet nullum matrimonium. Quia ratio ſacramenti ſuperaddita matrimonio fidelium, non impedit in Principibus poteſtatem ſtatuendi impedimenta dirimentia, ſed ſola reſeruatio Pontificia, quæ ad Principes infideles extendi nequit. Neque enim conſtitutionibus Eccleſiaſticis hanc ſibi reſeruantibus poteſtatem arctantur, vt habet *cap. gaudemus, de diuortiis.* 3

Maior difficultas eſt circa ſecundum de Principe fideli baptizato; de quo certum eſt apud Doctores, poſſe ſtatuere impedimenta circa matrimonia infidelium ſibi ſubiectorum. Ratio eſt, quia Eccleſia nihil omnino circa eorum matrimonia ſtatuit, ſed reliquit ea iure naturali, & ciuili; nec infideles ſubiiciuntur Eccleſiæ, ſed ſolùm ſuis Principibus fidelibus; ergo poſſunt iſti irritare eorum matrimonia 4

ſicut alios cõtractus ciuiles. Controuerſia eſt, an Princeps fidelis baptizatus, ob defectũ poteſtatis, nequeat impedimenta matrimonij ſtatuere fidelibus baptizatis, ſi i in ciuilibus ſubiectis. Hanc poteſtatẽ concedit Sanchez *diſp.* 3. *n.* 2. cum multis DD. quorum princeps eſt D. Thomas relatus. Probat, quia contractus matrimonij eſt ciuilis, ſicut & reliqui alij contractus: ergo eſt ſubditus poteſtati ſæculari, ſeu ciuili, nun minus, quàm reliqui. Et quamuis talis contractus ſit iam ſacramentum; tamen talis ſacramenti materia, eſt contractus ciuilis; ergo poteſt illum ex cauſa iuſta perinde irritare, ac ſi ſacramentum non eſſet, reddendo perſonas inhabiles ad contrahendum. Si enim nudum rationem ſacramenti ſpectemus, nec Papa circa illud poteſt diſponere, illud diſſoluens. Vnde eius poteſtas ſolùm eſt circa rationem contractus humani, qui eſt materia huius ſacramenti.

5 Hoc fundamentum Sanchez, leuiſſimum putat eſſe Baſilius Ponce *lib.* 6. *c.* 2. *n.* 1. qui ideo putat Principem ſecularem fidelem, nun poſſe ſtatuere legem aliquam ad ſubſtantiam matrimonij directè, vel indirectè pertinentem ex defectu poteſtatis; quia matrimonium, quamuis ex ſe ſit contractus quidam ſubiectus Principi ſeculari, attamen per Chriſti inſtitutionem eleuatum eſt ad rationem ſacramenti, atque adeò res ſacra eſt, & in baptizatis deſinit eſſe ciuilis, & ſecularis, & conſequenter iam eſt extra illius Principis iuriſdictionem, & poteſtatem. Sicut licèt homo ante ordinationẽ ſit materia ſubiecta ſeculari iuriſdictioni, & ſimiliter bona alia, & prædia; attamẽ per ordinationem, vel po . quã ordinatione ſacra, vel Eccleſiaſtica, ſacra fiunt, extrahantur à dominio ſecularis poteſtatis, & nullam Principes ſeculares, neque in perſonas, neque in bona iuriſdictionem habent.

6 Ego verò ſentio leuiori fundamento commotum eſſe Baſilium ad impugnandam rationem traditam à R. P. Sanchez, cuius ſententiam, & doctrinam firmam ſolo cum Coninchiu, & aliis grauiſſimis Doctoribus. Quia matrimonium eſt contractus verè ciuilis non minus quàm alij; ergo ſimiliter poteſtati politicæ ſubiectus eſt. Nec refert, quòd matrimonium ſit ſacramentum, ſeu quòd ſacrum ſit, nam ideo non deſinit eſſe verè contractus ciuilis, & hac ratione ſubditus poteſtati politicæ. Quare tametſi poteſtas politica directè nihil poſſit ſtatuere circa ſacramentũ illud, poteſt tamen indirectè impediendo valorẽ contractus, quem matrimonium eſſentialiter includit; ſicut quamuis lex Eccleſiaſtica nequeat directè impedire poteſtatem Ordinis, poteſt tamen id facere indirectè, ſubtrahendo nunitum ſacerdoti iuriſdictionem ad abſolutionem neceſſariò requiſitam. Imò nec poteſt Eccleſiaſtica poteſtas alia ratione irritare hoc ſacramentum, niſi irritando indirectè contractũ. Firmo idẽ amplius, quia in matrimonij ſacramento diuerſa eſt omnino ratio contractus, à ratione ſacramẽti, & in matrimonio fidelium baptizatorum, adeò ſunt iſtæ rationes diuerſæ, vt illa prior ſit ſeparabilis ab iſta; poteſt enim re ipſa, illa eſſe ſine hac alia, vt latè oſtendi ſuprà *diſp.* 19. integra *ſectione decima*. Quid ergo obeſt, vt in matrimonio fidelium non ſit ratio contractus præciſè ſemper ciuilis, & ſubiectus poteſtati politicæ, ac ciuili.

7 Atque hinc facilè manet Baſilij fundamentum omnino ſolutum. Exemplum autem, quod adfert, eſt valde diuerſum: nam homo, maximè poſtquam Ordine ſacro eſt inſignitus, non poteſt nun eſſe perſona ſacra, & Eccleſiaſtica, propter characterem indelebilem ſacri Ordinis, & ideo extrahitur in perpetuum à dominio, & poteſtate ſecularis Principis. At in matrimonio, etiamſi in gentibus eleuato in ſacramẽtũ, manet ratio contractus ciuilis, valde diſtincta à ratione ſacramenti, & ab hac ſeparabilis re ipſa; ac proinde ratione illius habent poteſtatẽ, ſpectata natura rei, inducendi impedimenta, Principes ſupremi, ac liberæ reſpublicæ, quæ abſolutam habent poteſtatem ferendi leges.

Notant verò Doctores prædicti Sanchez, Coninch, & alij non obſtante prædicta poteſtate, quam ex ſe habent prædicti Principes, Eccleſiam nihilominus eam de facto impediuiſſe Chriſtianis Principibus, circa matrimonia fidelium ob dignitatem ſacramenti: Papa enim reſeruauit ſibi eam poteſtatem condendi leges circa matrimonia, vnde id interdixit ſeculari Principi Chriſtiano Quod conſtat ex vniuerſali Eccleſiæ cõſuetudine, & colligitur ex *cap. tuam, de ordine cognitionis*; vbi deciditur cauſas matrimonij ad ſolius Eccleſiæ forum pertinere; & ex *cap.* 1. *de ſponſalibus, & matrimonijs*, vbi quidam Francigena fœminam Saxonem duxerat, & quia deſponſauerat eam nõ lege ſua, ſed Saxonica, dimiſit illã, & nõ ſuam, ſed aliã vxorem duxit. In Concilio Tributenſi quæſitum eſt, quid de hoc fieri deberet? ſtatuit Cõcilium, prius matrimonium fuiſſe validum, non obſtante ea lege. 8

Sectio VI.

An conſuetudine poſſint introduci, & auferri impedimenta matrimonij.

Præſens difficultas generalis eſt reſpectu omnium legum humanarũ, quæ tractatur in materia de legibus, eſtque communis Doctorum ſententia, nulla conſuetudine niſi cognita, & approbata, ſaltem tacitè à ſuperiore, nempe Principe ſupremo, potente legem aliquam ſtatuere, induci poſſe aliquam nouam legem poſitiuam; & etiam nulla conſuetudine poſſe auferri legem aliquam poſitiuam, niſi cognita ſit, & approbata, ſaltem tacitè à ſuperiore potente illam auferre, ſeu abrogare. Ratio eſt, quia nulla poſitio, ſeu inductio legis, nulla prohibitio, neque irritatio fieri poteſt niſi ab habente iuriſdictionem. Verum eſt aliquando per accidens, quando videlicet lex prohibens, aut irritans, oppoſita conſuetudine redditur inutilis, aut impoſſibilis ſecundum patriæ conſuetudinem, in eo euentu ceſſare legem, etiam non approbante, imò inuito Principe; quia ſicut lex, vt validè feratur, debet eſſe vtilis buno communi, & modo dicto poſſibilis, ita etiam vt validè perſeueret, debet vtilis, & poſſibilis perſeuerare. 1

Hoc præmiſſo deſcendendo in particulari ad ipſa matrimonij impedimenta, certum eſt apud Doctores conſuetudinem poſſe, & inducere, & tollere impedimenta, Papæ, vel Principis conſenſu accedente. Patet, quia non minus eſt neceſſaria poteſtas legiſlatiua ad inducendum ius non ſcriptum, quàm ſcriptum, vt conſtat; ergo neceſſarium eſt, vt Papa, vel Princeps, apud quem eſt ſuprema poteſtas, det vim conſuetudini, per ſuam voluntatem, & conſenſum. 2

Difficultas eſt, qualis conſenſus interce dere debeat, nam duplex conſenſus Papæ, vel Principis diſtingui poteſt. Vnus perſonalis, qui datur à perſona Papæ, vel Principis, vel expreſsè conſentientis, vel antecedenter dando licentiam, ad introducendam conſuetudinem, vel conſequenter, ac concomitanter approbando illam, aut expreſsè, aut videndo, & non impediendo, cùm facile poſſit. Alius eſt conſenſus legalis, ſeu iuridicus, quia non datur perſonaliter à Principe, ſed per ipſum ius. Quia ſi 3

Princeps

Digitized by Google

Princeps ſtatuit legem, vt conſuetudo habens illas vel illas cōditiones valeat, ex tunc conſentit, & in particulari applicatur ille conſenſus ad ſimiles conſuetudines quando introducuntur in virtute illius legis. Quòd autem prior conſenſus perſonalis ſufficiat per ſe, notū eſt. Quæſtio eſt, an quando conſuetudo fuit alicubi bona fide tanto tempore inducta, quanto aliàs ſufficeret ad præſcribendum contra aliam legem humanam, an habeat vim abſque vlla tacita Pontificis, vel Principis approbatione, ſine illius ſcientia.

4 Communis videtur eſſe Doctorum ſententia, cum D. Thom. 1. 2. *q. 96. ad 3. art. 3.* nunquam poſſe conſuetudinem introduci ſine tacita voluntate peculiari Principis. *Primò ex leg. de quibus ff. de legibus*, vbi tota ratio conſuetudinis ponitur in conſenſu populi, quando habebat in ſe poteſtatem ſupremam; ergo poſtquam illam tranſtulit in Principem, ab illius conſenſu pendet principaliter vis conſuetudinis; ergo neceſſe eſt præcedat ſcientia, ſine qua non poteſt eſſe conſenſus. *Secundò* idem conſtat ex *l. 3. partitarum tit. 2. partita* 1. vbi inter conditiones ad conſuetudinem ponitur vt fiat conſentiente Principe. *Tertiò* neceſſarium eſt, vt ille, apud quem eſt ſuprema poteſtas, det vires conſuetudini, per ſuam voluntatem, & conſenſum; ergo præcedere debet ſcientia, & notitia illius.

5 Dico *primò* cum Sanchez *lib 7. diſp. 4. n. 11.* Soario *lib. 7 de legibus c. 13. n. 7. 8. & 9.* Coninchio *diſp. 30. dub. 1. n. 13.* & aliis, talem conſuetudinem habere vim tollendi impedimenta matrimonij, & illa inducenda abſque vllo conſenſu perſonali Papæ, ipſo nihil de nouo ſciente, aut volente. Probo id manifeſtè ex *cap. finali, de conſuetud.* vbi generaliter, & abſolutè dicitur, conſuetudinem rationabilem ac legitimè præſcriptam poſſe præualere aduersùs ius poſitiuum. Conſtat autem in præſenti materia matrimonij poſſe conſuetudinem legitimè tandem præſcribi, ſi bona fide diu ea permaneat. Nec poteſt dici irrationabilis, cùm nihil contra ius naturæ, aut rationem contineat. Præterea *in dicto cap.* duæ tantum conditiones ad conſuetudinem requiruntur; videlicet vt conſuetudo ſit rationabilis, & præſcripta; ergo ſine fundamento iuris, imò contra illud ius eſt, nouam aliam conditionem exigere, quæ in illis nō continetur: at ſpecialis ſcientia Papæ vel Principis eſt noua conditio in illis non incluſa; ergo non eſt neceſſaria, atque adeò, nec perſonalis conſenſus, qui ſine illa ſcientia eſſe non poteſt. Firmo, quia Papa potuit generalem legem ſtatuere, approbantem conſuetudinē habentem tales conditiones, id enim non excedit illius poteſtatem, & ſæpe eſt conuenientiſſimum, quia moraliter impoſſibile eſt conſuetudines omnes ad Papæ notitiam peruenire, iuxta *cap. 1 de conſtit. in 6.* Id autem fecit in illo decreto; ergo. Dices id procedere ſolùm in conſuetudine abrogante legem, de qua loquitur caput illud, non verò de conſuetudine inducente legem, quia de illa nullum eſt tale ius. Sed contrà eſt, quia à fortiori ius illud comprehendere debet conſuetudinem inductiuam legis non ſcriptæ; nam quo ad poteſtatem, tanta requiritur ad derogandam legem Papæ, ſicut ad introducendum ius, vel legem nouam. Aliunde verò magis neceſſarius videri poterat cōſenſus Papæ ad permittendam reuocationem ſuæ legis, quàm ad introducendū ius nouum, quia magis eius voluntati, & auctoritati derogare videbatur. Cæterùm ponderanda ſunt verba *dicti cap. finalis*, ſic dicentis. Licèt longæuæ conſuetudinis non ſit vilis auctoritas; non tamen eſt vſque adeò valitura, vt vel iuri poſitiuo debeat præiudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitimè ſit præſcripta. Quibus manifeſtè oſtenditur, cùm hoc illi detur, ſi illas duas habeat conditiones, ſimpliciter approbari quodlibet ius conſuetudinarium, illas duas habens conditiones.

Contra hoc dictum ſentit Baſilius Ponce *lib 6.* 6
de Impedimentis c. 6 n. 6 Exiſtimans neceſſarium eſſe tacitum, vel expreſſum conſenſum perſonalem Principis. Probat, quia *in prædicto cap. fin.*, ſolùm traditur generalis doctrina quæ explicat vim conſuetudinis approbatæ à Principe. Sicut ergo re ipſa, vt ſæpe contingit, non omnis conſuetudo probatur à Principe, ſed aliæ approbantur, aliæ tantùm permittuntur, non poteſt ob vniuerſalem doctrinam illam, in quauis conſuetudine approbatio præſumi. Et cùm conſuetudo ſpecialis quædam lex ſit tacita, ſpecialis etiam Principis conſenſus præſumendus eſt circa materiam illam, ſicut & requiritur ad leges aliquas in ſpeciali ferendas. Nec præſumi poteſt, nec debet ſolo illo generali iure explicato *in dicto cap. finali*, voluiſſe Principem tacitum ſuum conſenſum in quauis ſpeciali conſuetudine præſumi poſſe, cùm multis conſuetudinibus ſe ſe opponat. Non igitur eſt præſumendus conſenſus, niſi præſumatur etiam ſpecialem illam conſuetudinem ad eius cognitionem deueniſſe, & ab ipſo approbatam eſſe.

Reſpondeo tamen *in prædicto cap. finali*, ſtatui ge- 7
neralem doctrinam, ac legem approbandi conſuetudinem habentem illas alias conditiones, maximè præſcriptionem ipſam, ex analogia ad propriam præſcriptionem, ad cuius imitationem dicitur ea conſuetudo præſcripta. Quare ſicut in illa præſcriptione non requiritur ſcientia eius contra quem præſcribitur; ita & conſuetudo illa, quæ dicitur præſcripta contra Principem, eo modo, quo præſcribi poteſt, non poſtulat ſcientiam Principis vt præualeat. Falſum eſt autem ex eiuſmodi conſuetudinibus præſcriptis, quaſdam Principi probari, & alias non probari: omnes enim illæ quæ habent duas illas conditiones, non poſſunt non probari Principi, non ſecus ac præſcriptiones ipſæ. Vnde etiam verum non eſt, caput illud finale, aliquid habere doctrinæ oppoſitæ veræ ac propriæ conſuetudini.

Dico *ſecundò*. Quando conſuetudo non præualet 8
ex vi præſcriptionis, tunc neceſſarium eſſe conſenſum Principis perſonalem, ſaltē tacitum, atque adeò, & ſcientiam conſuetudinis. In hoc ſenſu intelligenda eſt communis doctrina & D. Thom. *loco cit. ar.* Et patet, quia conſenſus Principis neceſſarius eſt: ſed in hoc modo conſuetudinis non datur virtute alicuius legis, nec lex aliqua definiuit certum modum eius; ergo neceſſe eſt vt conſenſus ſit perſonalis, ad quem ſcientia neceſſaria eſt.

Dico *tertiò* hunc conſenſum Principis, etiam Papæ, 9
non debere ſemper eſſe poſitiuum, & expreſſum, ſed ſufficere tacitum, ſeu interpretatiuum, quia ſcit, vel tolerat, non impedit, cùm poſſet. Ita D. Thom. citatus, & conſentiunt communiter Doctores, & ipſe vſus probat, quia conſenſus tacitus æquiparatur expreſſo, vt in hac materia dicitur in dicta *l. de quibus.* Solùm oportet vt moraliter conſtet tolerantiam non eſſe tātùm permiſſiuā, (hæc enim non indicat ſufficienter conſenſum, quia multa per patientiā tolerātur, quæ nō approbātur, iuxta *cap. cùm iam dudum, de prebend.*) ſed operatiuam, ſeu approbatiuam; quod ex circumſtantiis & vſu facilè colligi poteſt; maximè quando vel approbatio eſt rationabilis, vel per ſolam permiſſionem non ſufficienter prouidetur ſubditorum ſaluti, & commodis. Atque in hoc nulla eſt exceptio de Papa, cùm nulla ſit ratio, vel ius, quod illam requirat. In aliquo autem caſu

Perez de Matrimonio. Aa 2 fortè

Digitized by Google

forrè erit neceſſarius eius conſenſus expreſſus, quando ex rei grauitate, vel aliquo ſpeciali iure conſtiterit, quod etiam in aliis Principibus contingere poteſt.

10 Ad argumenta pro communi ſententia adducta, pro vt opponuntur noſtro primo dicto, ſatisfaciamus.

Ad primum, ex illa lege ſolùm probari eſſe neceſſarium conſenſum illius, qui habet ſupremam poteſtatem legiſlatiuam; non tamen probare hunc, vel illum modum conſenſus, nec prohibere quin per legem potuerit dari.

Ad ſecundum dico, legem illam partitarum, ſolum velle conſuetudinem firmari conſentiente Principe, quod etiam nos fatemur, non tamen dicere eſſe ſemper neceſſariam ſciētiam, vel perſonalem conſenſum. Quod ſi id diceret, eſſet peculiare ius Hiſpaniæ, non ex natura rei neceſſarium, neque commune.

Ad tertium conceditur antecedens, etiam reſpectu conſuetudinis præſcriptæ, nam in illam influit auctoritas Principis, & illi virtutem tribuit lege interueniente; inde verò non ſequitur, vt præcedere debeat particularis ſcientia, & notitia talis conſuetudinis præſcriptæ, vt ſatis oſtenſum eſt.

DISPVTATIO XXII.

De impedimentis matrimonij in genere.

PErmulta matrimonij impedimenta eſſe dicuntur, quibus omnibus hoc commune eſt impedire matrimonium contrahendum, id eſt, efficere, vt licitè contrahi non poſſit, dúmque contrahitur, contrahatur illicitè. Sunt autem hæc vniuerſim in duplici genere. Primum genus eſt eorum, quæ contractum matrimonium non dirimũt. Secundum illorum quæ dirimunt. Non dirimere eſt matrimonium illicitè contractum, validum nihilominus, relinquere. Dirimere è contrario eſt, inualidum reddere, non quòd antea validè contractum, diſſoluat poſtea, sicque reddat inualidum, ſed quia dum contrahitur, non patitur validè contrahi, sicque quominus validè contrahatur impedimento eſt. Primum autem in genere de impedimentis in hac diſputatione agemus.

SECTIO I.

An conuenienter ſint ab Eccleſia ſtatuta varia matrimonij impedimenta.

1 RAtio dubitandi eſſe poteſt, quia aliis ſacramentis nulla aſſignantur impedimenta; cur igitur matrimonio tot inducuntur, cùm ſit vnum ex ſeptem Sacramentis.

Dico *primò* de fide eſſe, expediens fuiſſe, vt præter impedimenta iure naturæ matrimonium dirimentia, alia ab Eccleſia ſtatuerentur, & impium eſſet dicere Eccleſiam in illis ponendis errasse. Vnde meritò Tridentinum *ſeſſ. 24. de matrimonio, can. 4.* damnat aſſerentes Eccleſiam in conſtituendis impedimentis dirimentibus errasse. Ratione id manifeſtè oſtenditur. Nam in omni rectè adminiſtrata republica, expedit maximè leges indici interdicentes, ea, quæ rectæ adminiſtrationi, & tranquillitati ipſius opponuntur: quale eſſet ſi matrimonia indebitè celebrarentur. Firmo, quia lex naturalis, generalis eſt, & ſolùm complectitur in materia matrimonij quædam principia morum, per ſe nota, & ad ſummum extenditur ad ea, quæ neceſſaria, & euidenti illatione ex illis principiis conſequuntur: præter illa verò multa alia ſunt neceſſaria, in republica Chriſtiana ad matrimonij rectam gubernationem, & conſeruationem, & ideo neceſſarium fuit, vt per humanam rationem Eccleſiaſticam aliqua magis in particulari determinarentur, circa ea, quæ per ſolam rationem naturalem definiri non poſſunt, & hoc fit per legem humanã Eccleſiaſticam, ſeu per ius Canonicũ.

Dico *ſecundò*, poteſtatem Eccleſiæ in conſtituendis 4
matrimonij impedimentis adeò eſſe ſuperiorem poteſtati ciuili, vt illam ſibi habeat ſubiectam. Hoc etiam eſt certum: quia ſicut homo non eſſet rectè compoſitus, niſi corpus eſſet animæ ſubordinatum; ita neque Eccleſia conuenienter ſtatueret in celebratione matrimonij, niſi temporalis poteſtas ſpiritali ſubderetur. Id firmatur apertè ex dominio indirecto, quod habet Papa in vniuerſo orbe: nam hoc dominium non fundatur, niſi in ſubordinatione harum poteſtatum. Non enim in Summo Pontifice reſpectu totius orbis eſt duplex poteſtas, ſed vna, quæ directè reſpicit ſpiritualia, & conſequenter extenditur ad temporalia; ſic in matrimonio indirectè extenditur ad contractum ciuilem, quatenus eſt materia rei ſpiritualis, nempe ſacramenti matrimonij; hæc autem extenſio ſolùm eſſe poteſt propter ſubordinationem temporalis poteſtatis ad ſpiritalem. Conſtat etiam hoc idem, quia vbi eſt vnum corpus viſibile, neceſſe eſt eſſe vnum caput viſibile, ad quod omnia aliquo modo reuocentur; ergo cùm Eccleſia militans ſit vnum corpus viſibile, in hoc mundo exiſtens, ac indigens gubernatione humana, & externa, neceſſe eſt, vt quamuis in eo ſint plures poteſtates, ſeu magiſtratus, habeant inter ſe ſubordinationem, ita vt ad vnum aliquo modo reuocentur: ergo vel ſpiritualis poteſtas in ſacramenti matrimonij impedimentis conſtituendis ſubordinatur temporali, vel è contrario, primum dici non poteſt; eſſet enim peruerſus ordo ſi ſpiritualia ſubiecta eſſent temporalibus; ergo ſecundum eſt neceſſariò dicendum.

Dices Eccleſiam circa prædicta impedimenta non habere poteſtatem ſpiritualem, ſed merè ciuilem, nam ſolùm impedit matrimonium, quatenus eſt contractus ciuilis, & humanus, qui ad conſeruationem generis humani ordinatur. Reſpondeo non eſſe niſi ſpiritualem, & verſari circa materiam ſpiritualem. Quamuis enim lex Eccleſiaſtica habeat pro materia ſpirituali præcipua, ac primaria actus ſupernaturales, v.g. fidei, & ideò omnes leges, quæ pertinent ad fidem, vel materiam eius, ſunt per ſe canonicæ; tamẽ in eodem ordine collocantur quoque actiones Sacramẽtorum, quia etiam illæ ſupernaturales ſunt. Vnde fit, vt actiones, quæ verſantur circa matrimonium, tametſi aliàs videantur naturales, propter eleuationem ad eſſe ſacramentale, pertineant ad leges Canonicas, iuxta *cap. penultimum, & vltimum, de ſecundis nuptiis.*

Ad rationem dubitandi dico, alia quoque Sacra- 3
menta impediri poſſe ſi aliquid ad eſſentiam Sacramenti pertinens ſubtrahatur. Cæterùm, vt rectè docuit D. Thom. *in 4. diſt. 34. quæſt. vnica, art. 1. ad 1.* plura aſſignantur impedimenta in matrimonio. Tum, quia alia Sacramenta vni perſonæ conferuntur; at matrimonium duplicem expoſcit, & ideò pluribus de cauſis impediri poteſt. Tum, quia de cæteris Sacramentis eſt præceptum, vel conſilium; at matrimoniũ, cùm nõ vrget neceſſitas, nec obligatio propagationis generis humani, indulgetur tãquã bonũ imperfectius.

Tum

Tum denique, quia ſolum matrimonium eſt contractus, poteſtque minus debitè inire in præiudicium tertij, imò & boni communis.

Sectio II.

Quale, & quotuplex peccatum ſit contrahere matrimonium cum inpedimento dirimente.

1 Dicam hîc priùs de impedimẽto dirimente, poſtea de impedimento impediente, ſequenti ſectione. Conueniunt Doctores eſſe peccatum mortale contrahere matrimoniũ cum impedimento dirimente. Quia id eſt quid graue, & impedimento ipſo prohibitum. Nam ſi ſit impedimentũ de iure naturæ, contrauenitur præcepto iuris naturalis; ſi ſit impedimentum iuris Eccleſiaſtici, contrauenitur præcepto, & iuri Eccleſiaſtico, idque in re maximi momenti; ergo. Dubitatio verò eſt, an tunc duplex committatur peccatum mortale, quando nimirum adeſt impedimentum dirimens.

2 Noſter Coninch *diſp.* 30. *dub.* 2. *n.* 18. veroſimilius iudicat ſponte ſic contrahentes duplex peccatum cõmittere. Probat, quia & eſt culpa tranſgreſſionis, ſeu inobedientiæ contra ius naturale, aut Eccleſiaſticum, & etiam reperitur peccatum ſacrilegij irritationis Sacramenti contra religionem: nam profanant ritum ac nomen ſacramenti; iiſque abutuntur ad nequitiam honeſto nomine velandam, quod Saramento omnino iniurioſum eſt. Addit Coninch id maximè verum eſſe, quando in facie Eccleſiæ contrahunt; ſi enim priuatim contrahant, etiam vbi Tridentinum non eſt receptum, ſæpè ab hoc peccato poſſunt excuſari, eo quòd verè non intendant, aut matrimonium inire, aut Sacramentum ſuſcipere, cùm ſciant vtrumque eſſe impoſſibile. Nec etiam intendunt huius ſuſceptionem ſimulare, ſicut cùm publicè contrahunt, cùm hoc illis inutile ſit; ſed ſolum intendunt profanum inire contractum, ſe mutuo obligando ad fidem inſtar coniugum, in mutuo corporum vſu ſeruandam; niſi fortè vnus alteri perſuaderet ſe poſſe verum matrimonium ita contrahere. Tunc enim peccaret contra reuerentiam ſacramenti, quod alter hic, & nunc ſe credit ſuſcipere. Denique docet, ſi ordinent contractum ad cupulam, quod communiter faciunt, peccare, præterea contra caſtitatem, vt per ſe eſt manifeſtum.

3 Sanchez verò *lib. 7. diſp. 5. n.* 1. probabilius iudicat tunc non reperiri peccatum ſacrilegij, ſeu irritationis Sacramenti, ſed tantùm vnum peccatum contra prohibitionẽ impedimento incluſam. Probat, quia cætera Sacramenta habent iure diuino præſcripta materiam, & formam certa, ac determinata, & ſolam Sacramenti rationem ſubeunt; ac proinde materia, & forma non poſſunt adhiberi, quin ſint ex ſe materia, & forma Sacramenti, atque ideo, ſi ſit indebitus vſus, ita vt Sacramentum irritetur, eſt ſacrilegium. At matrimonium præter Sacramenti rationem; eſt contractus quidam naturalis, nec habet præſcriptam materiam, & formam determinatam, ſed conſenſus contrahentium legitimos, verbis, nutibus, aut litteris, aut per Procuratorem expreſſos. Vnde cùm Eccleſia aut iure naturali irritante conſenſus inter aliquos, ij matrimonium contrahunt, non ipſi irritum Sacramentum efficiunt, quantum enim ex ſe eſt validè contrahunt; ſed ius Eccleſiaſticum, aut naturale, ſtatuens id impedimentum, illud irritat. Firmat, quia nullo modo peccat contra Sacramentum, qui init matrimonium metu graui extortum, ſciens id eſſe irritum, quia cùm Chriſtus non alterauerit naturam contractus matrimonij, ſed eam illæſam manentem eleuauerit vt ſit Sacramentum, eo ipſo, quòd Eccleſia irritat contractum, vt poteſt, manet irritum Sacramentum, nec verba contrahentium ſunt materia, & forma Sacramenti; hoc enim habent quando ex illis contractus validus inſurgit; ergo cùm quis metu graui contrahit Sacramentum matrimonij, nec ipſe irritat, nec ad irritationem cooperatur, quia verba, quæ profert, non ſunt materia, nec forma: cùm enim Eccleſia irritet illum contractum, illa verba non ſunt materia, & forma contractus validi, & ſubinde nec Sacramenti, & quantum eſt ex parte ſua validè contrahit, niſi Eccleſia irritaret: ergo nullo modo committit peccatum ſacrilegij contra Sacramentum. Ad huius rei explicationem

Suppono *primò* ex dictis à nobis in tractatu *de peccatis*, vt peccatum ſit multiplex ſpecie, debere habere diuerſam, & multiplicem oppoſitionem cum diuerſis ſpecie virtutibus, & cum natura rationali, in qua oppoſitione malitia moralis conſiſtit, vnde variata oppoſitione, variatur etiam malitia moralis, in qua ratio formalis peccati conſiſtit. Ex quo fit, vt omnia peccata, etiam quæ mala ſunt, quia prohibita, ideo ſpecie differant, quia ex diuerſis præceptis ſecũdùm ſpeciem, diuerſam etiam habent ſecundùm ſpeciem oppoſitionem cum natura rationali, vt cum diuerſis ſpecie virtutibus. 4

Suppono *ſecundò* differentiam ſecundùm ſpeciem inter præcepta penſandam non eſſe ex præcipiente, aut ex Legiſlatore, ſed ex obiecto, quod lege præcipitur. Quare licèt præceptum Dei, & hominis ex parte præcipientium diuerſa ſint, quia alterum eſt diuini intellectus imperantis, alienum verò hominis; tamen ex parte obiecti, quod præcipitur, vel prohibetur, idem omnino præceptum ſecundùm ſpeciem Dei, & hominis eſſe poteſt, vt ſtatim dicam. Differentia autem eius, quod præcipitur ex fine non remoto, ſed proximo, expendi debet; lex enim poſitiua habet hanc vim, vt id quod præcipit iuſtis de cauſis, ipſo facto cõſtituat in materia neceſſaria talis, aut talis virtutis, iuxta varios fines, ſeu motiua, propter quę præcipitur, ac proinde, quod prohibet conſtituat in ſpecie peccati, contra hanc, vel illam virtutem, cuius intuitu illud prohibet. Quocirca ſi intuitu eiuſdem virtutis id quod erat iure naturali malum, prohibetur iure poſitiuo diuino, vel etiam humano, idem omnino erit peccatum ſecundùm ſpeciem. v.g. quia iure ipſo naturali iuſtitiæ malum eſt furari, & quia furtum etiam ratione eiuſdem virtutis iuſtitiæ ſeruandæ prohibitũ eſt à Deo lege Decalogis ab eo promulgata, & aliis quoque quamplurimis legibus humanis eadẽ de cauſa vetitum eſt, ideo furari eſt in vna tantùm ſpecie peccati contra iuſtitiam: furari tamen, & occidere, quæ ſunt contra præcepta ſpecie diuerſa, quæ prohibent, violare iuſtitiam in varia materia ſpecie diſtincta, ſpecie quoque differunt inter ſe. Similiter ſi eadem materia, quæ iure naturali mala eſt, quia oppoſita tali virtuti, prohibeatur iure poſitiuo intuitu alterius virtutis, duplex erit peccatum. Sic homicidium, quod eſt iure naturæ peccatum, quia eſt contra iuſtitiam, lege Eccleſiaſtica prohibitum in reuerentiam ſacerdotij eſt in alia peculiari ſpecie peccati, quia intuitu alterius etiam virtutis prohibetur, nimirum religionis. Similiter ob eandem rationem furtum rei ſacræ, vel 5

effuſio ſeminis in loco ſacro, qua violatur Eccleſia, præter ſpeciem peccati, quam habent iure naturali, prius contra iuſtitiam, poſterius contra caſtitatem, habent aliam ſpeciem contra religionem debitam rei, aut loco ſacro, quia iure Eccleſiaſtico intuitu huius virtutis vetitum eſt furtum rei ſacræ; atque ita lege ſtatutum eſt, vt ſi pollutione violetur locus ſacer, indigeat reconciliatione, ob quam rationem peculiaris ſit irreuerentia conſecrationi, aut benedictioni Eccleſiæ

6 Denique ſuppono cùm iam conſtet non eſſe duo peccata, nec duas malitias, ſpecie diuerſas, cùm quis peccat in eadem materia contra ius naturale, & poſitiuum, ſi vtroque iure peccatū illud ex eodem motiuo, & contra eandem virtutem malum ſit. Conſequenter dicendum non eſſe peccatum inobedientiæ ſpeciale, donec quis velit tranſgredi præceptum ſuperioris expreſſa intentione non parendi: quia aliàs in omni ferè peccato duplex malitia ſpecie diuerſa reperiretur, quia nullum eſt, quòd non ſit prohibitum, præcepto aliquo poſitiuo, etiam ſi ipſo iure naturali malum ſit; quod videtur nimis durum. Vt enim docuit D. Thom. 2.2.*q*.104. *art*. 2. *ad* 1. non eſt virtus ſpecialis obedientiæ ſeruare præceptum, & legem poſitiuam; hoc enim pertinet ad varias materias virtutum, quæ præcipiuntur; lex autem poſitiua conſtituit id, quod præcipit in materia virtutum, iuxta varia motiua, vt obiecta, quæ præcipit: ſed tunc tantùm eſt virtus ſpecialis obedientiæ, ab aliis diſtincta, quoties aliquis ſeruat legem ex intentione parendi ſuperiori; eodem igitur modo non eſt peccatum peculiare inobedientiæ non obſeruare legem, vel illam tranſgredi ſimpliciter, niſi illud fiat ex intentione expreſſa non parendi; ſine hac verò peccatum eſt contra aliam virtutem, quàm obedientiæ, iuxta varias materias, & motiua virtutum, vt ſi quis violet legem ieiunij, ſine illa expreſſa intentione, peccat contra temperantiam, ex cuius motiuo ieiunium præcipitur, & ſic de aliis. His præmiſſis ad præſentem difficultatem,

7 Dico *primò*, cùm quis contrahit matrimonium ſciens illud contrahere cum impedimento dirimente, non peccare peccato ſacrilegij contra Sacramentum. Ita ſentio cum Sanchez *citato*, & cum Gaſpare Hurtado *diſp*. 12. *difficult*. 3. *num*. 11. Ratio à priori eſt, quia tunc non irritatur Sacramentum matrimonij; nō enim efficitur id cui ex inſtitutione Chriſti conuenit ratio Sacramenti, nempe contractus validus ac legitimus; ergo non peccatur contra religionem.

8 Dico *ſecundò*, peccatum, quod tunc committitur, non eſt inobedientiæ ſpecialis, contra ſpecialem virtutem obedientiæ. Patet, quia nullum impedimentum dirimens prohibet, vt obediatur Superiori in non contrahendo; ergo contrahendo non tranſgreditur contrahens præceptum Superioris. Tum maximè, quia, vt conſtat ex ſuppoſitione tertia, non quæuis tranſgreſſio præcepti eſt peccatum ſpecials inobedientiæ, niſi quando fit animo, & expreſſa intentione non parendi.

9 Dico *tertiò*, tunc tale peccatum non ſemper eſſe idem ſecundùm ſpeciem, ſed eſſe diſtinctum ſpecici pro diuerſitate ſpecifica virtutis, intuitu cuius impedimentum dirimens prohibet matrimonium. Conſtat id ex ſuppoſitione prima, & ſecunda; & in particulari explicatur diſcurrendo per varia impedimenta dirimentia. Nam præciſè inter contrahentes qui nō ordinat contractum ad copulam, quando eſt cognatio, aut affinitas, aut iuſtitia publicæ honeſtatis, eſt vnum ſimplex peccatum inceſtus abſque malitia fornicationis; quia tunc impedimentum prohibet intuitu pietatis, & reuerentiæ matrimonium. Et quando impedimentum eſt diſparitas cultus, eſt peccatum ſacrilegij, quia tunc prohibet, intuitu decoris, & honoris noſtræ religionis. Et etiam eſt peccatum ſacrilegij, quando impedimentum eſt votum caſtitatis, vel ordo, vt patet. Eſt verò peccatum malitiæ contra naturam, quando impedimētum eſt impotentia, quia hæc prohibet intuitu caſtitatis vt reprimentis motus contra naturam. Eſt autem peccatum iniuſtitiæ quādo impedimentum eſt conditio ſeruitutis ignorata, aut vis, ſeu metus, aut raptus, aut error perſonæ; & quando ſunt hæc impedimenta, contra quæ peccatur peccato iniuſtitiæ, peccatum eſt in altero, nempe in contrahente cum ignorante ſeruitutem, aut cum perſona coacta, aut cum rapta, aut cum errante perſonam. Præterea eſt etiam peccatum contra iuſtitiam, quando impedimentum eſt ligamen, ſeu prius matrimonium perſeuerans, quia tunc corpus, quod eſt prioris coniugis viuentis, traditur alteri, aut intenditur tradi. Eſt item peccatum contra iuſtitiam vindicatiuam, quando impedimentum eſt crimen, quia crimen prohibet matrimonium in pœnam, ſeu punitionem ipſius. Denique quando impedimentum eſt defectus præſentiæ Parochi & teſtium, eſt peccatum iniuſtitiæ contra coniugem qui eſſet, quia prohibet intuitu periculi deſerendi coniugem ſi eſſet, & contrahendi cum altero. Vtrùm verò copula habita inter eos, qui aliquo impedimento dirimente laborant, ne matrimonium contrahere poſſint, habeat peculiarem aliam malitiam in confeſſione exprimendam, dicam *ſectione quarta*.

Ex dictis patet ſolutio ad argumentum Coninchij: 10
negamus enim ſic irritè contrahentes profanare ritus, ac nomen ſacramenti, nec irritare ſacramentum ipſum, quia neque intendunt matrimonium inire, nec ſacramentum ſuſcipere, cùm ſciant vtrumque eſſe impoſſibile; ſolùm ergo intendunt contrahere contractum quendam inualidum, & nullum. Vnde in hoc, per ſe loquendo, nulla apparet irreuerentia ſacramenti

SECTIO III.

Qualis culpa ſit matrimonium inire cum impedimento tantum impediente.

De hac re ſatis fuſè noſter Sanchez *lib* 7. *diſp*. 17. Suppono priùs, quod magis conſtabit ex 1
dicendis *diſputatione ſequenti*; propter conſuetudinem præſcriptam iam hodie ſola tria impedimenta tantùm impedientia, nempe interdicti Eccleſiæ, voti, & ſponſalium vim habere, reliqua verò eſſe omnino abolita. quo præmiſſo,

Dico *primo* Eccleſiæ vetitum, ſeu prohibitionem 2
iudicis ex iuſta cauſa prohibentis aliquibus matrimonium ad tempus, & quando dubitatur de impedimento inter eos, donec liquidò conſtet, obligare ſub mortali, vt cum multis docet Sanchez relatus *num* 1. Tenent idem Coninch *diſp*. 30. *dub* 3. *n*. 3. Gaſpar Hurtado *diſp*. 25. *diffic*. 1. *n* 1. Rebellus *l. b*. 3. *q*. 18. *de interdicto*. Ratio eſt, quia eſt prohibitio rei grauis. Neque eſt conſuetudo id excuſans. Vt quid enim iudex interdiceret ad tempus matrimonium dum de impedimenti veritate diſcutitur, ſi id præceptum nullas haberet vires? aut quæ conſuetudo induci poteſt, vt nondum ea diſcuſſione facta præceptum ſuperioris iuſtiſſimum parui fiat? Excuſaretur verò à culpa ſi conſtaret prohibitionem fuiſſe iniuſtam, vt notat Coninch; vel ſi cauſa alicuius impedimenti obiecti, contrahentibus

trahentibus ipſis conſtaret falsò impoſitam eſſe, vt obſeruat Sanchez.

3 Dico *ſecundò* poſt ſponſalia validè inita eum vna, antequam legitimè diſſoluantur ea, impediunt ſub mortali, cum alia contrahere. Ita vt certum cum multis docet Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 27. *num.* 2. & Hurtado *citatis n.* 4. & ratio eſt, quia eſt res grauis, & maxima iniuria infertur alteri ſi non impleantur; ergo obligatio eorum eſt ſub mortali. Firmo, quia, vt oſtendi ſuprà *diſput.*6. *ſect.* 2. & 3. contractus ſponſalitius eſt mutua, & reciproca obligatio ligans ex iuſtitia, & ſub mortali, adeò vt nequeat contrahi, ſub ſola obligatione veniali; ergo.

4 Dico *tertiò* votum ſimplex caſtitatis, vel religionis, vel cœlibatus impedire ſub mortali ne fiat matrimonium cum animo conſummandi. Hoc eſt certũ, quia tunc ſic contrahere, eſt contra fidem Deo datam per votum in re graui. Dixi *cum animo conſummandi*; nam contrahere, ſine eo animo, & cum conditione ſe continendo, non eſt contra dictum votum, quia poſt matrimonium ratum impleri poteſt, imò votum religionis ex licentia coniugis, etiam poſt conſummatum.

5 Dico *quartò* nullius culpæ reos eſſe, qui affecti aliquo ex aliis impedimentis præter tria prædicta, voti, ſponſalium, & interdicti, matrimonium abſque diſpenſatione contrahunt. Patet, quia ex conſuetudine præſcripta non obligant. Vnde ex dictis colligo, iam nullum impedimentum tantùm impediens iure poſitiuo ſtatutum, nunc perſeuerare. Quare iam tantùm impediunt ſponſalia, & votum ex natura rei, & prohibitio iudicis, quando à iudice apponitur.

Sectio IV.

An copula fornicaria inter affectos impedimento ad contrahendum inter ſe matrimonium, habeat ſemper aliam ſpecie peculiarem malitiam.

1 Si ſermo ſit de affectis impedimento dirimente ad contrahendum inter ſe matrimonium, miſſis aliorum dicẽdi modis, dico, copulam inter eos, inter quos eſt aliquod impedimentum dirimens, habere ſemper peculiarem malitiam diſtinctam à malitia fornicationis contra caſtitatem, quando tali impedimento prohibetur matrimonium intuitu peculiaris motiui, quod in ipſa copula reperitur. Quando verò copula inter impeditos non habet ex ſe peculiarem oppoſitionem ad aliam virtutem, neque impedimento prohibetur matrimonium intuitu motiui, quod in ipſa copula reperiatur, tunc non habet niſi malitiam fornicationis contra caſtitatem. Hoc dictum per ſe patet iuxta doctrinam ſuprà traditam *ſect.* 2. & clarius conſtabit ex corollariis ſequentibus.

2 Colligo itaque *primò* copulam cum ea, cum qua nequit iniri matrimonium ob impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, habere diuerſam ſpecie malitiam à fornicatione, neceſſariò explicandam in confeſſione ſacramentali, & eſſe verè inceſtum. Ratio eſt, quia Eccleſia dirimens matrimonium inter conſanguineos, vel etiam inter affines, obſeruantiam debitam inter illos ſpectauit. Quod motiuum inuenitur etiam inter illos, in copula fornicaria; ergo prohibito matrimonio inter illos, cenſetur ſubinde copula in diuerſam ſpeciem deformitatis tranſlata, videlicet inceſtus. Similiter eſt circumſtantia luxuriæ diuerſa ſpecie, ſi quis rem habeat cum cognata ſpirituali in eo gradu, in quo hæc cognatio matrimonium dirimit; quoniam violatur reuerentia debita ſacramento, & obſeruantia coniunctioni illi; propter eam enim obſeruantiam, ac reuerentiam appoſitum fuit tale impedimentum; & ideò illam ſpeciem fornicationis appellant inceſtum ſpiritalem, & ſacrilegium. Patiter quoque addit malitiam ſpecificam concubitus cum cognatis legalibus, & reducitur ad inceſtum, ob violationem reuerentiæ debitæ parenti adoptanti, cui non ſolùm matrimonium, ſed copula aduerſatur alia. Denique reducitur etiam ad inceſtum, & eſt circumſtantia diuerſa ſpecie à ſimplici fornicatione, ſi quiſpiam acceſſum habeat cum conſanguinea in primo gradu ſponſæ propriæ defuturæ, contra publicæ honeſtatis impedimentum dirimens in eo gradu matrimonium, quia eſt quaſi quoddam coniunctionis genus & affinitatis, ortum ex conſanguinitate.

Colligo *ſecundò*, acceſſum fidelis cum infideli aduerſùs impedimentum dirimens matrimonium ob cultus diſparitatem, continere circumſtantiam luxuriæ mutantem ſpeciem, quæ ſit ſacrilegium. Patet, quia ratio ob quam Eccleſia hoc matrimonium dirimit, quia videlicet cedit in religionis dedecus, & iniuriam, ſi fidelis cum infideli contrahat matrimonium, militat etiam in copula illicita, ex qua eſt periculum educationis prolis in infidelitate, & peruerſionis coniugis fidelis; ergo prohibito tali matrimonio cenſetur ſpecialiter copula illicita prohibita. Idem dic de copula fidelis cum hæretica. Quamuis enim matrimonium inter hos validum ſit, at prohibetur ſub mortali, ob dedecus, & iniuriam Chriſtianæ religionis, & periculum peruerſionis catholici, & educationis prolis in hæreſi. 3

Colligo *tertiò* copulam cum impedimento dirimenti impotentiæ, vt ſi frigidus, vel Eunuchus ſit, habere circumſtantiam diuerſæ ſpeciei ſpectantem reductiuè ad peccatum contra naturam. Patet, quia ratio prohibitionis matrimonij inter hos, nempe impotentia generandi, atque adeò, & finis fruſtratio, ad quem natura per ſe copulam deſtinauit, militat etiam in copula illicita. 4

Colligo *quartò*, variari ſpeciem fornicationis, ſi quis poſt votum ſolemne caſtitatis, aut poſt Ordinem ſacrum fornicetur; nam eſt manifeſtum ſacrilegium. Notandum tamen, non eſſe ibi duplicem malitiam, alteram contra votum, & Ordinem, alteram, quia contra matrimonij impedimentum. Ratio eſt, quia tametſi prohibitio copulæ in his impedimentis non pendeat ex matrimonij prohibitione, atque ideò conceſſa diſpenſatione habenti votum, vel Ordinem ad matrimonium, non eximitur copula à ſacrilegio extra matrimonium habita, & eſt certum; attamen quia idemmet motiuum virtutis, eſt vtriuſque prohibitionis, nempe obſeruatio voti, inde eſt vt non conſtituatur diuerſa malitia à ſacrilegio. 5

Colligo *quintò*, ſi quis habeat copulam cum rapta, ipſa conſentiente, antequam ad locum tutum reſtituatur, tametſi matrimonium validum inter eos conſiſtere nequeat, non habere circumſtantiam mutantem ſpeciem, nec notabiliter aggrauantem. Quia ratio, quę mouit Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de matrimonio*, c. 6. ad id matrimonium irritandum, fuit plena libertas in matrimonio, vtpote ſtatu perpetuo deſiderata, quæ non militat in copula illicita. Si verò talis copula per vim extorqueretur, eſſet diſtincta luxuriæ ſpecies, nempe iniuſtitia raptus. Quæ malitia inerat tali copulæ, etiam antequam Tridentinum irritaret matrimonium, & ineſt hodie, etiã caſu, quo rapta non extrahatur de domo, in quo euentu non eſt impedimentũ matrimonij. 6

Aa 4 Colli

7 Colligo *vltimò* copulam cum fœmina, cùm qua nequit valide inire matrimonium ratione impedimẽti criminis, non habere nouam circumſtantiam mutantem ſpeciem. Ratio eſt, quia id prohibuit Eccleſia non ob ſpeciale motiuum virtutis, ſed in delicti admiſſi pœnam, & ne detur anſa captandi mortem coniugis ad contrahendum cum adultera. Idem dico de copula inter eos, inter quos eſt impedimẽtum erroris perſonæ, aut impedimentum conditionis, aut coactionis. Quia copula inter ſic impeditos non habet ex ſe peculiarem oppoſitionem ad aliam virtutem, neque impedimento prohibetur matrimonium intuitu motiui; quod in ipſa copula reperiatur.

8 Si ſermo ſit de affectis impedimento impedienti tantùm, ſuppono quòd dixi præcedente ſectione *dicto vltimo*, ex duodecim impedimentis, ſolùm tria impedimenta, nempe interdicti, ſponſalium priorum, & voti ſimplicis caſtitatis habere vim obligandi. Quare dico impeditum voto ſimplici caſtitatis ſi fornicetur, præter hoc peccatum fornicationis committere ſacrilegium propter obligationem ſeruandi votum; non tamen committit duplicem malitiam, alteram contra votum, & alteram contra matrimonij impedimentum; quia idemmet motiuum obſeruationis voti eſt motiuum talis prohibitionis. Dico de impedito ex interdicto Eccleſiæ non inducere nouam ſpeciem malitiæ ſi copuletur cum interdicta, præter ipſam prohibitionem contrahendi matrimonij cum ipſa: non enim apparet alia peculiaris oppoſitio ad aliam virtutem, præter motiuum, quod iudicem mouit ad interdicendum talem matrimonij contractum. Denique de ſponſalibus dico tametſi ſponſalia validè inita cum vna impediant iure naturali ne licitè contrahatur matrimonium cum altera; quia id eſt contra iuſtitiam, non tamen copula illicita cum altera ex ſe inducit nouam ſpeciem malitiæ præter ſimplicem fornicationem, ex vi ſponſalium præcisè: quia, vt dixi ſuprà *diſp.* 6. [illegible].4. circumſtantia ſponſalium non conſtituit adulterium, neque eſt circumſtantia aggrauans, neceſſariò fatenda in confeſſione ſacramentali.

Sectio V.

An impedimenta, ſiue dirimentia, ſiue impedientia ita obligent, vt nullus metus etiam grauis, & cadens in conſtantem virum à culpâ excuſet.

1 Circa impedimenta dirimentia ratio dubitandi eſt, quia videtur talem metum non excuſare à culpa. Quia ſuppoſita Eccleſiæ prohibitione omnia matrimonia metu graui extorta irritantis, eſt reuera matrimonium ex metu contractum irritum, nec metus, quiuis ille ſit, id efficit validum, quia nullus eſt potens ad impedimentum dirimens auferendum; ergo cùm acceſſus ad non ſuam ſit intrinſecè malus, nullo metu etiam grauiſſimo excuſari valet. Ex alio verò capite videtur oppoſitum dicendum, qui quando impedimentum dirimens eſt ex ſolo Eccleſiaſtico iure, cùm hoc non obliget cum mortis periculo, ea lex Eccleſiaſtica irritans matrimonium non obligat in eo euentu, quo mors inferenda ſit alicui, niſi matrimonium ineat, & conſummet; ergo tunc tale matrimonium efficitur validum, quale eſſet, niſi ea lex Eccleſiaſtica irritans extaret, quia tota obligatio in legem Eccleſiæ refunditur, quæ non obligat cum mortis periculo.

Dico *primò* ſi impedimentum ſit dirimens ex iure Eccleſiaſtico, & ſolùm contrahitur matrimonium, ex metu graui, propter illum metum, ſine vllo tamen animo conſummandi, ex natura rei, & ceſſante alio ſcandalo vacare culpa lethali, imò & veniali, ſi deſit fictio. Id latè oſtendi ſuprà *diſp.* 17. *ſect.* 12. *n.* 12. 13. 14. & 15. de contrahente coacto ex metu graui. Non enim eſt maior ratio ceſſante ſcandalo, & ex natura rei loquendo de metu, quàm de aliis impedimentis. Nec valet ſi dicas poſſe in eo euentu concurrere duo impedimenta dirimentia, nempe metum ipſum, &, v.g. conſanguinitatem, quæ eſt etiam impedimentum dirimens. Non, inquam, valet, quia tantum obſtat valori matrimonij vnum ac duo impedimenta dirimentia ab Eccleſia inducta; vnde rationes id probantes quando adeſt ſolus metus, æquè probant interueniente ſimul alio impedimento, cùm in vtroque caſu ſit legitima cauſa excuſans, nempe metus, ne contrahentes irritent matrimonium, ſed iſtud alio iure irritum ſit, vt *loco citato* docui loquens de metu. dixi *ceſſante alio ſcandalo*; nam ſi metus incuteretur in odium fidei, vel religionis, vel in Eccleſiæ contemptum; tunc certiſſimum eſt legem Eccleſiaſticam obligare cum mortis periculo. Firmo dictum, nam contrahens metu graui quando impedimentum eſt ſolùm Eccleſiaſtico iure dirimens, vt dirimit iuſtitia publicæ honeſtatis, diſparitas cultus, & ipſe metus grauis iniuſtè incuſſus ad extorquendum matrimonium, ideo excuſatur à culpa, quia tunc contrahere tantùm eſt cõtra legem Eccleſiaſticam prohibentem, cuius obſeruatio in hac materia eſt minoris momenti, quàm graue malum mortis, quod timetur, ob quod eo timore exiſtente, illa lex ceſſat obligare, vt prohibens, quamuis non vt irritans.

3 Dico *ſecundo* mihi certum videri conſummationem matrimonij cum eo impedimento dirimente, nullum metum excuſari poſſe à culpa lethali fornicationis. Patet, quia tametſi, regulariter loquendo, lex Eccleſiaſtica non obliget cum vitæ diſcrimine: at exceptio communis eſt Doctorum, quando ea lex valde expediret ad bonum commune tuendum. Huiuſmodi autem ſunt leges dirimentes matrimonium in aliquibus caſibus, vt vſus Eccleſiæ teſtatur. Quis enim audebit dicere validum effici copula matrimonium graui metu initũ, & conſummatum abſque Parocho, & teſtibus; cùm tamen lex illud irritans, ſit merè Eccleſiaſtica? Et ratio eſt, quia ſi metus efficeret vt valida eſſent huiuſmodi matrimonia cum impedimento dirimente inita, & conſummata, facilis pateret via ea impedimenta contrahendi incuſſo prædicto metu. Firmo dictum, nam prohibito per Eccleſiam, & irrito matrimonio, cenſetur quoque prohibita copula illicita; ergo cùm in nullo caſu tale matrimonium metu graui extortum poſſet eſſe validum, etiam accedente copula metu graui extorta, cùm præter metum illatum ad contrahendum, addatur nouus [illegible] conſummandum, vt ſuprà *diſp.* 17. *ſect.* 13. demonſtraui, ſequitur manifeſtè, vt talis conſummatio ſit culpa mortalis, quia eſſet acceſſus ad non ſuam.

Doctrinam traditam in hoc, & præcedenti dicto optimè firmat Sotus *in* 4. *d.* 22. *q.* 1. *art* 4. & 1. *lib. de iuſtitia & iure q* 6. *art.* 4. *in fine*, dicens non eſſe peccatum metu mortis contrahere matrimonium cum conſanguinea in gradu lege humana prohibito, ea ſolùm ratione, quia matrimonium contrahatur: hoc enim ſolo iure Eccleſiaſtico prohibitum eſt, quod cum periculo vitæ non obligat; eſſet tamen, inquit, peccatum, ſi poſt contractum matrimonium vir accederet ad illam, quia cùm reuera matrimonium illud nullum eſſet, accedere ad conſanguineam, poſt matrimonium,

matrimonium, quod nullum fuit, eſſet accedere ad non ſuam, quod eſſet contra ius naturale. Atque idem dicendum eſt, ſi ſe exponerent periculo accedendi ad illam poſt illud matrimonium contractum.

4 Obiicies etiam, ſola lege humana irritum eſt matrimonium illud, ſicut eſt prohibitum iure humano non contrahere in gradibus prohibitis; ergo ſicut ius prohibens contractum in illis gradibus non obligat cum diſpendio vitæ, ita etiam nec ius irritandi matrimonium illud vim habebit, atque adeò validum erit matrimonium contractum metu mortis, vt deinceps accedere ad cõſanguineam, cum qua contractum eſt, non ſit peccatum. Reſpondeo non eſſe tanti momenti ius, quod prohibet ne verbis contrahatur matrimonium in gradu prohibito, neque ita aduerſari cõmuni bono, non obſeruare hoc ius, & obliget eum diſpendio vitæ. At permanere in matrimonio illo vt valido multum aduerſari communi bono: ſic enim innumera fierent matrimonia metu mortis in magnum detrimentum huius legis, & communis boni; ideo ius irritans hæc matrimonia, vim habet, & effectum, etiamſi inſtet periculum mortis, tametſi ius prohibens ne verbis contrahatur non obliget cum tanto periculo.

5 Dico *tertiò* contrahentem metu graui, quando impedimentum dirimit iure naturæ, vt dirimit impotentia, & etiam conſanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, peccare mortaliter. Ita rectè notauit Gaſpar Hurtado *diſput. 11. difficult. 4. num.* 18 Ratio eſt, quia tunc contrahere, eſt contra ius naturale prohibens, contra quod perſeuerans, vt in præſenti perſeuerat, nihil fieri poteſt, neque intendi, quocumque malo imminente etiam mortis. Peccatum autem, quod ſic committeretur contrahendo, non ſemper eſſet eiuſdem ſpeciei, vt conſtat ex doctrina tradita ſuprà *ſect.* 2. Ex his conſtat, quid dicendum ſit ad rationem dubitandi. Prima illius pars probat ſecundum dictum. Altera verò manet ſoluta ex dictis, quia, vt ſatis declaratum eſt, in lege Eccleſiaſtica eſt quoque exceptio, quando ea lex eſt valdè expediens ad bonum commune.

6 Circa ſecundum de impedimentis impedientibus, dico ſi impedimentum ſolùm impediens, ſit votum ſimplex, vel ſponſalia, quæ etiam iure naturæ impediunt, nec metus grauis incutitur in odium fidei, vel religionis, & cadit in virum conſtantem inire matrimonium ſolum, nullam eſſe culpam, ſi vero animo ineatur; ſi verò fictè, eſſe venialem. Ita Sanchez *lib. 7. diſput. 5. num. 3.* Ratio eſt, quia ſi culpa debet ibi adeſſe, ea conſurgere debet ex fide ſponſaliũ, aut ex voto violatis. At inde in caſu tanti periculi nullam conſurgere culpam, vel ex eo liquet, quia neutrum vinculum cum tanto diſcrimine obligat: vt conſtat primum de promiſſionibus humanis, quæ rebus notabiliſſimè mutatis, iuxta communiſſimam ſententiam Doctorum non obligant, & colligunt id ex *cap. quemadmodum, de iureiurando.* Quod præcipuè militat in ſponſalibus, quæ maiorem libertatem petunt, cùm ad mutuum amorem ordinentur, & ad contrahendum vinculum matrimonij conſummati, omnino indiſſolubiles. Nec votum ingrediendi religionem obligat, cum notabili vitæ periculo, vt eruditè, & doctè reſoluit Suarez, cum communi ſententia, *tom. 1. de religione tractatu 6. de voto lib. 4. cap.* 11. quia tunc obſeruatio voti eſt moraliter impoſſibilis, vel adeò difficilis, vt nemo intentionem habeat obligandi ſe ad voti obſeruationem cum tanto diſcrimine, vel periculo mortis, & idem dico in diſcrimine magnæ iacturæ, vel in temporalibus bonis, vel in fama, vel in ſtatu, & honore, vel in ſalute, aut corporis incommodis. Non enim Deus eſt magis rigidus exactor promiſſionis ſibi factæ, quàm homines, præſertim, quia licèt homines promittunt vt homines, & iuxta conditionem humanam.

Dico *ſecundò*, conſummare tale matrimonium in quo non fuit verus animus contrahendi, licèt metus cogat ad conſummationem, eſſe culpam mortalem. 7 Id videtur mihi certum; quia cùm conſtet non valere tale matrimonium, propter metum grauem obſtantem, erit mortale illud conſummare, quia eſſet acceſſus ad non ſuam, quod iure naturæ prohibitum eſt, & obligat cum periculo vitæ, & manifeſto periculo mortis.

Dico *tertiò*, ſi impedimentum ſit interdictum Eccleſiæ, ſeu prohibitio iudicis, & metus grauis incutitur ad ineundum matrimonium, ſimili modo nullam eſſe culpam mortalem contrahere illud, & ſi deſit fictio formalis, nec venialem. 8 Ratio eſt, quia prohibitio Eccleſiæ non obligat ad ſui obſeruantiam cum vitæ periculo, vel alterius graui damno, niſi metu incuſſo in Eccleſiæ contemptum, vt docent omnes Doctores. Præterea, nec venialiter peccat ſi non ſit fictio formalis, ſed æquiuocè verba profert cum interna reſtrictione: vt, contraho tecum, intelligendo, ſi teneor. Patet, quia profert illa verba quibus alter decipitur, ex iuſta tamen cauſa, ac propterea nec venialiter peccat, ſic materialiter fingendo, & mentali reſtrictione vtendo, quia tunc ex iuſta cauſa æquiuocat alterum.

Dico *vltimò*, ſi conſummet tale matrimonium, in quo non fuit verus animus contrahendi, etiam ex metu graui peccare mortaliter. 9 Patet ex dictis, quia eſſet acceſſus ad non ſuam, quod intrinſecè malum eſt, & iure naturali prohibitum; conſequenter nullo metu excuſari poteſt à culpa mortali.

SECTIO VI.

An Papa prohibens matrimonium ſuo præcepto, vel conſtitutione, cenſeatur re ipſa illud dirimere.

QVæſtio hæc generalis eſſe videtur circa omnes leges Pontificias, quæ tractari ſolet in materia de legibus: nihilominus hîc non eſt omittenda circa matrimonij materiam, vt dignoſcatur quando decretum prohibens ſit impedimentum dirimens, ſeu annullans, & quando ſit tantum ſimplex aliqua prohibitio, ſeu impedimentum tantum impediens.

Atque *in primis* certum eſt, vbi prohibitio matrimonij fuerit facta ab Epiſcopo, vel ab alio Prælato inferiori Papa, non reddere irritum matrimonium aduerſum eam factum. 1 Quia, vt conſtat ex *diſput.* 1. *ſect.* 5. Prælatus Pontifice inferior, etiam Epiſcopus, nequit indicere aliquod impedimentum dirimens.

Secundò etiam eſt certum Papam prohibentem aliquibus perpetuò nuptias, hoc ipſo irrita reddere ſponſalia; 2 quia non poſſunt ſponſalia obligare ad rem illicitam, videlicet ad nuptias prohibitas. Secus eſſet ſi tantùm ad certum tempus illis prohiberet nuptias, & illi contraherent ſponſalia, tempore illo elapſo perficienda.

Tertiò certum videtur ſponſalia non reddi irrita ex ſimplici Papæ prohibitione ſi ineantur, nullo adiecto decreto irritante. 3 Patet, quia multa prohibentur fieri, quæ facta tenent, ex *cap. ad Apoſtolicam, de regularibus*, & liquet in contrahentibus nuptias, cum ſolo impedimento

impedimento impediente. Sicut ſi Papa interdiceret ex cauſa iuſta ne voto ſe aſtringeret, peccaret vouens contra id præceptum; at validum eſſet votum, quia noo eſt adiectum decretum irritans. Vnde quamuis ita contrahentes ſponſalia peccent, non tamen obligantur ad peccatum, quia nuptiæ non ſunt illis prohibitæ. Quod intelligendum cenſeo, quando ſponſalia, non niſi ad tempus prohibentur, v.g per vnum menſem, vel annum, aut donec lis finita ſit. Quia tunc non prohibentur illis nuptiæ contrahendæ poſt illum menſem, vel annum, aut poſt litem finitam, vnde ad hoc poſſuot ſe obligare.

4 *Quartò*, etiam videtur certum, ſi ſponſalia illis prohiberentur in perpetuum, multò magis cenſeri, illis prohibitas nuptias, quia illæ ordinantur ad iſtas, vnde conſequenter non poſſent ſe ad has ad contrahendas obligare.

His præmiſſis, & omiſſis circa matrimonium variis Doctorum ſententiis, quas adfert Sanchez *lib.7.diſp. 2.à n.3.vſque ad 7.* incluſiuè, breuiter aperiam, quid ſentiam cum ipſo.

5 Dico ergo *primò*, matrimonium ſimpliciter tantùm prohibitum abſque decreto irritante, validè contrahi, etſi cauſa, ob quam prohibetur, ſit perpetua. Patet *primò*, ex aliis legibus in genere, in quantum verbis iuxta communiſſimam ſententiam, ſi non contineatur decretum aliquod irritans, ſeu annullans, ſed tantùm ſimplex quædam prohibitio, tunc non cenſentur leges irritantes, ſed tantùm prohibentes; ergo ſimiliter in materia matrimonij, ſi non ſit decretum irritans, non cenſebitur prohibitio impedimentum dirimens, ſed tantùm impediens. *Præterea* conſtat idem in contrahentibus cum impedimento tantùm impediente, quibus in perpetuum prohibitæ ſunt nuptiæ, has tamen cum illo initas eſſe validas. Idque apertè deciditur *cap.2.* de matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ, ſic dicente: Licèt contra interdictum Eccleſiæ ad ſecunda vota tranſire non debuerit, non eſt tamen conueniens, vt ob id ſolum Sacramenti coniugium diſſoluatur; alia tamen pœnitentia eis debebit imponi, quia contra prohibitionem Eccleſiæ hoc fecerunt.

6 Dico *ſecundò*, ſi Pontifex prohibeat aliquibus matrimonium cum clauſula particulatim irritante matrimonium contrahendum, tunc irritum eſſe matrimonium, ſi cauſa irritans ſit perpetua, ſecus ſi cauſa ſit temporalis, vt ob diei venerationem, vel ob litem pendentem. Ita communiter Doctores. Patet, quia ſi cauſa irritans ſit perpetua, tunc non patitur lex, vel prohibitio cum clauſula irritante, mitiorem explicationem. Et certè cùm matrimonij irritatio ſit res grauiſſima, non eſt cenſenda abſolutè inducta, niſi ex tali clauſula adiecta prohibitioni, ob cauſam perpetuam. Quòd ſi cauſa tantùm ſit temporalis, donec iudex cognouerit vtrum inter contrahentes ſit impedimentum, vel ſit futurum io præiudicium tertij, cui fides data dicitur, tunc matrimonium cenſetur tantum irritari, in quantum cedit in præiudiciũ iudicis, aut tertij, ideóq; donec cauſa cognoſcatur cõiuges eſſe ſeparandos. Hoc vltimum manifeſtè conſtat ex *cap.tua fraternitas, de ſponſa duorum.* ibi, Etſi contra interdictum Eccleſiæ publicè factum venire præſumpſerint, matrimonium tam præſumptuosè cootractum poteris irritare. Id præcepit Alexander III. Salernitano Archiepiſcopo contra duos, qui appellatione pendenti ſuper prioris matrimonij valore, ad aliud tranſierunt.

7 Dico *tertiò*, matrimonium contractum aduerſùs prohibitionem cum clauſula generali irritante, ſiue quæ ſolùm generatim irritet, quidquid fuerit contra prohibitionem factam; & non cum clauſula ſpeciali mentionem faciens ſpecialem irritationis matrimonij, non eſſe irritum, & inualidum, vt ſi Papa interdicens matrimonium, addat, ſi quid contrà geſtum ſit, fore irritum, & inane, non referens ſe ſpecificè ad matrimonium. Id docent Doctores, quia cùm matrimonium ſit res adeò ardua, & grauiſſimum negotium ſit illud irritare, ſpecificam clauſulam expoſcit. In quo eſt diſcrimen inter matrimonium, & ſponſalia, nam ad iſta irritanda non deſideratur ea clauſula ſpecifica, ſed ſatis eſt generalis, quia ea irritare non eſt res tanti momenti. Quare tunc clauſula illa generalis irritans debet intelligi in matrimonio, vt contra geſtum non valeat in præiudicium tertij. Et in hoc ſenſu intelligitur *cap. penult. de deſponſat impuberum*, ad finem capitis, ſic dicens: Quòd ſi contra interdictum noſtram in præiudicium ipſius aliquid fuerit attentatum, id irritum eſſe decernimus, & viribus omnino carere. Vbi ſermo eſt de quibuſdam, quibus Pontifex interdixerat ob conſanguinitatem obiectam ipſis, donec veritas diſcutiebatur. Quare ſi clauſula irritans ſit generalis, ſiue quæ ſolùm generatim irritet quidquid fuerit contra prohibitionem factum, explicanda eſt ſolùm in tantum facta irritare, in quantum cedunt in præiudicium tertij.

Dico *vltimò*, ſi Papa interdicat matrimonium abſque decreto irritante, quo caſu matrimonium valet, vt dictum eſt ſuprà *dicto primo*, non valere ſponſalia, ſi ipſa prohibitio ſit perpetua, ſecus ſi ſit temporalia. Hoc conſtat ex dictis à nobis ſuprà *diſp.5.ſect.1.* vbi docuimus habentes impedimentum perpetuum etiam ſolum impediens ad ineundum matrimonium eſſe incapaces validè contrahendi ſponſalia, quia cum tali impedimento eſt illicitum matrimonium; ergo & ſpõſalia, quæ ſunt eius promiſſio, nequeunt obligare; promiſſio enim rei illicitæ obligare non poteſt, ſecus ſi habeant impedimentum temporale, niſi pro eo tempore, quo impedimentum durat, ſe obligent. 8

Sectio VII.

Quot, & quæ ſint impedimenta ſolùm impedientia, & quot ſint, quæ impedimenta dirimentia.

DVodecim numerantur impedimenta, quæ ſolùm impediunt matrimonium licitè contractum his verſibus comprehenſa. 1

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum.
Atque Catechiſmus, ſponſalia, iungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.
Inceſtus, raptus ſponſatæ, mors mulieris
Suſceptus propriæ ſobolis, mors presbyteralis,
Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut monialem
Accipiat: prohibent hæc coniugium ſociandum.

Hæc impedimenta recenſita ſunt in duplici genere. Quædam non conſurgunt ex crimine aliquo, & hæc ſunt quinque contenta tribus prioribus verſibus. Quædam verò alia, nempe, ex crimine proficiſcuntur, & hæc ſunt ſeptem, poſterioribus quatuor verſibus contenta. Inter hæc verò crimina ponitur ſolemnis pœnitentia, non quòd crimen ſit, ſed quia ob crimen imponitur. Et quamuis prædicta impedimenta ſolùm impedientia reduci poſſent ad impedimenta dirimentia; vt votum ſimplex ad impedimentum voti ſolemnis, ſponſalia ad impedimentum ligaminis, Catechiſmus ad impedimentum cognationis, & crimina

Digitized by Google

mina ad impedimentum criminis; ſeorſim tamen ponuntur maioris claritatis gratia, & maximè, quia non eundem cum impedimentis dirimentibus præſtant effectum, cùm conſtet, illicitè quidem illis obſtantibus, validè tamen, conttahi matrimonium.

Impedimenta dirimentia ſunt quatuordecim, ex quibus duodecim ſunt, aut iure naturali, aut Eccleſiaſtico iure antiquo introducta; & alia duo iure nouo Tridentini; quæ omnia ſequentibus verſibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas.
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis.
Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis,
Raptave ſit mulier, nec parti reddita tuta.
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

Tres priores verſus continent duodecim antiqua impedimenta dirimentia; ſequentes verò comprehendunt duplex impedimentum dirimens, nouiſſimè ſtatutum in Tridentino *ſeſſ. 24. de matrimonio*, vnum *c. 1.* quando clam celebratur abſque Parochi, & duorum teſtium præſentia. Alterum *c. 6.* quando vir mulierem rapuit, & nondum in loco tuto, & libero conſtituta eſt.

Numerum autem prædictum ratione congruenti probat Sanchez *lib. 7. diſput. 6.* videatur apud ipſum.

DISPVTATIO XXIII.

De impedimentis impedientibus, & non dirimentibus, in ſpecie.

NVNC ſupereſt explicare impedimenta iſta minora, quæ pauciora ſunt ac faciliora. Dicam non ſolùm de impedimentis, quæ hìc, & in omni loco obligant, & ſunt in vſu; ſed etiam de aliis, quæ per non vſum ad diſſuetudinem minimè ligare cenſentur. In illis verò declarandis ſeruabo ordinem in carminibus contentum, in quibus enumerantur duodecim, & breuiter ab aliis me expediam.

Sectio I.

De impedimento interdicti impediente tantùm, ſeu de Eccleſiæ vetito.

1 PRimum impedimentum impediens ne licitè contrahatur matrimonium, quamuis validè fiat, eſt interdictum, ſeu Eccleſiæ vetitum, id eſt, prohibitio iudicis ex iuſta cauſa prohibentis aliquibus matrimonium ad tempus, vt quando dubitatur de impedimento inter eos, donec liquidò conſtet. Hoc impedimentum, vt dixi præcedẽti diſputatione *ſectione vltima*, obligat ſub mortali, vtpote prohibitio rei grauis. Eam autem prohibitionem poſſe fieri à Parocho, docet cum aliis Sanchez *lib. 7. diſput. 6. num. 6.* Baſilius Ponce *lib. 6. cap. 7.* Gaſpar Hurtado *diſput. 25. difficult. 1. num. 1.* Extraiudicialiter tamen id Parochus debet prohibere, nam cauſas matrimoniales pertractare per indaginem iudicialem earum ſolius eſt iudicis Eccleſiaſtici. Vnde notandum eſt aliud eſſe cauſas matrimoniales pertractare, & aliud matrimonium interdicere, vel impedire ad tempus. Hoc ſecundum ad Parochum pertinet impedire, vt conſtat ex *cap. fin. de clandeſtina diſponſatione*, vbi agens cum Parocho & de eius officio, ait: contractus interdicatur; ergo ſupponit Parochi eſſe interdicere, vt clariùs *ibidem §. fin.* ibi, *ſanè ſi Parochus, vel Sacerdos tales coniunctiones prohibere contempſerit.* Supponit ergo Parochi eſſe prohibere; illud verò primum ad ordinarium ſpectat. Quoniam illud iudicialem indaginem importat, ac proinde ſolius eſt iudicis Eccleſiaſtici. Et conſtat ex prædicto *cap. fin.* vbi cùm dixiſſet, contractus interdicatur; expreſsè addidit, *donec quid ſieri debeat ſuper eo manifeſtis conſtiterit documentis.* Illud verbum *conſtiterit* importat iudicialem poteſtatem, nempe vt conſtet per inſtrumenta, vel teſtes, vel aliam claram probationem. At Parochus cùm careat iudiciali poteſtate, nequit ad ipſum de impedimento cognoſcere. Liquet etiam cognitionem impedimentorum matrimonij pertinere ad Epiſcopum, ex *cap. 1. de conſanguinitate*, ibi: *non ſunt cauſæ matrimoniales tractandæ per quoſlibet, ſed per iudices, qui poteſtatem habeant.*

Huc referunt nonnulli excommunicationem tam maiorem, quàm minorem, qua ligati prohibentur ab vſu omnium Sacramẽtorum, atque adeò & matrimonij, de quo latè in tractatu *de cenſuris*. Breuiter dico matrimonium initum ab excommunicatis valere. Ratio eſt, quia poſita ſufficienti materia, non poteſt Eccleſia per excommunicationem facere irritum Sacramentum: in matrimonio autem materia debita eſt naturalis contractus, qui in hoc caſu non eſt irritus factus ab Eccleſia, etiam inter excommunicatos, tum ex generali doctrina, quæ docet regulariter contractum factum ab excommunicato valere; tum quia id conſtat ex *cap. ſignificaſti, 6. de eo, qui duxit*; ergo verè illo contracto poſito matrimonium fit Sacramentum. Secundum eſt peccare mortaliter excommunicatum matrimonium contrahentem, ſiue ſit excommunicatus excommunicatione maiori, ſiue minori. Patet ex communi, & recepta doctrina, quæ in materia de excommunicatione docet, peccare mortaliter, & qui adminiſtrat, & qui recipit Sacramentum cum excommunicatione maiori. At in Sacramento matrimonij iidem ſunt miniſtri, & recipientes, videlicet ipſi contrahentes; ergo peccant mortaliter tam ob adminiſtrationem, quàm etiam ob receptionem. Idem dico de ligatis ſola excommunicatione minori, quia ille etiam peccat mortaliter recipiendo Eccleſiaſtica ſacramenta; iuxta textum *in cap. fin. de Cleric. excommunic. min.* ergo & matrimonium. Cumque contrahentes miniſtrent, & recipiant Sacramentum matrimonij, ob receptionem in excommunicatione committunt peccatum mortale. Eſſe autem duo peccata quæ committit excommunicatus dum miniſtrat, & recipit Sacramentum, conſtat ex his, quæ dixi ſuprà *diſputat. 19. ſect. 8. dicto vltimo*; eſt enim eadem omnino ratio. 2

Hic etiam Doctores tractant de tempore interdicti an ſit validum, & licitum contrahere matrimonium, de quo etiam latè in materia *de cenſuris*. Breuiter dico duo. 3

Primum eſt certum, eſſe matrimonium contractum tempore interdicti, & in loco interdicto validum eſſe; nullo enim iure redditur nullum, & *in cap. Capellanus, de feriis*, planè docet Clemens III. Romanæ Eccleſiæ cõſuetudinem eſſe, vt quocumque tempore matrimonium contrahatur, conſenſu interueniente legitimo de præſenti. Quod idem dicendum eſt, etiamſi contrahatur ab ipſis interdictis ſpecialiter, & perſonaliter, vt tenet communis ſententia. Quod etiam verum eſt, licèt per Eccleſiam, aut iudicis ſententiam prohiberetur contractus, matrimonium, ſi aliàs legitimè contraheretur, valere.

Secundum

4 *Secundum* eſt, tempore interdicti licitè contrahi matrimonium ab interdictis, modò omittatur benedictio, quæ tunc illicita eſt. Ratio eſt, quia per interdictum non probibentur contractus; at matrimonium primò, & per ſe habet rationem contractus; rationem autem ſacramenti acceſſoriè, & per accidens, quatenus illi coniunctum eſt. Cumque acceſſorium, & per accidens, ſequatur id, quod eſt principale, & per ſe, matrimonium magis debet ſequi permiſſionem contractus, quàm prohibitionem generalem ſacramentorum. Firmo, quia Eccleſia per interdictum ſolum aliis ſubtrahit, quæ ipſi à Chriſto diſpenſanda commiſſa ſunt, qualia ſunt omnia diuina officia, & ea ſacramenta quæ per ſuos miniſtros diſpenſat. Tale autem nullo modo eſt matrimonium; nam huius diſpenſatio, ſeu miniſtratio, non eſt commiſſa Eccleſiæ, ſed ipſis contrahentibus; quare ea per interdictum ſpoliari nequeunt, aliàs enim in re omnino ſibi propria plurimi omnino innocentes grauiſſimè læderentur, interdicerentur, ac punirentur, quod tamen videtur abſurdum.

5 *Tertium* eſt non poſſe benedictiones fieri in Eccleſia tempore interdicti, nam ſecluſo priuilegio tempore interdicti laici intereſſe nõ poſſunt diuinis Officiis; ergo ex hac parte repugnat benedici coniugatos. Qui verò habent priuilegium aſſiſtendi diuinis Officiis virtute Cruciatæ, vel alterius cõceſſionis, poſſunt recipere benedictiones Eccleſiæ: tantùm enim ex eo repugnabat, quia intereſſe diuinis Officiis non poſſunt.

Sectio II.

De tempore feriato, ſecundo matrimonij impedimento tantùm impediente.

1 Tempus feriatum eſt prohibitio iuris, qua pro certo anni tempore iure ipſo nuptiarum celebritas, & ſolemnitas ab Eccleſia prohibetur. Quod quidem olim, partim, vt conſtat ex *cauſa 33. q. 4. cap. 8. 9. 10. 11.* partim ex *tit. de feriis c. 4.* fuit ab Aduentu vſque ad Epiphaniã, à Septuageſima, vſque ad Octauam Paſchatis, & à diebus Rogationũ vſque ad Octauam Pentecoſtes. Nunc breuius eſt auctoritate, & decreto Concil. Trident. *seſſ. 24. c. 10. de reformatione matrimonij*, cuius hæc verba ſunt: Ab Aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti vſque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum, vſque in Octauas Paſchatis incluſiue, antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones, diligenter ab omnibus obſeruari ſancta Synodus præcipit; in aliis verò temporibus nuptias ſolemniter celebrari permittit, quas Epiſcopi, vt ea, qua decet modeſtia, & honeſtate fiant, curabunt; ſancta enim res eſt matrimonium, & ſanctè tractandum. Hæc Tridentinum.

2 Vbi obſeruandum *primò*, non prohiberi tam antiquo, quàm nouo iure Tridentini matrimonium contrahere. quod patet ex ipſa Eccleſiæ conſuetudine, paſſim enim illis temporibus matrimonia ineuntur conniuẽtibus Epiſcopis, nec puniẽtibus parochos, qui intereſſunt. Neque id vllibi probibitum eſt; imò, vt conſtat ex *cap. Capellanus, de feriis*, poteſt omni tempore matrimonium celebrari conſuetudine Eccleſiæ id atteſtante. Neque erat expediens, vt matrimonium tot temporibus iniri prohiberetur, quod inſtitutum eſt in concupiſcentiæ remedium, & daretur anſa pluribus carnis peccatis, ſi non poſſent homines tunc matrimonio copulari. Addo tamen ſi alicubi conſuetudo vigeret, vt nec matrimonium eo tempore liceat contrahere, illi ſtandum eſſe: quia conſuetudo legitima obtinet rationem, & vim legis. Verius etiam eſt nullam eſſe prohibitionem conſummandi tunc matrimonium ratione illius temporis. Nulla enim eſt prohibitio talis conſummationis, nam iura ſolam benedictionem nuptialem, & traductionem ſponſæ in domum ſponſi comitatu ſolemni, ſeu ſplendido cõuiuio, & aliis celebrioribus lætitiæ ſignis eo tempore prohibent. Quod certè interdicitur non cauſa irritandæ copulæ, ſed propter vana lætitiæ ſigna illam traductionem ſolemnem comitari ſolita, quæ tẽporis illius ſanctitatem dedecent. Conſtat etiam eo tempore feriarum poſſe fieri ſponſalia de futuro, & denuntiationes, quæ matrimonio præmittuntur: quia nullus eſt textus, hæc eo tempore interdicens.

Obſeruandum *ſecundò* certum eſſe hoc tempore feriarum prohibitas eſſe benedictiones nuptiarum, & ſub graui culpa. *Primum* conſtat ex Tridentino, & conſuetudine totius Eccleſiæ prohibente eo tempore ſolemnitates nuptiarum, id eſt, ſolemnes earum benedictiones, quas vulgò velationes appellant. *Secundum* liquet ex grauitate rei probibitæ. Vnde Eccleſia id ſemper intellexit tanquam de re graui. Idque ſatis colligitur ex Tridentino *citato*, cùm diligenter ſeruari præcipiat hanc prohibitionem: erit igitur culpa mortalis huic præcepto contrauenire, etiam ceſſante ſcandalo, & contemptu, ex ipſa præcepti natura, & grauitate, non ſecus ac cætera præcepta Eccleſiaſtica rei grauis audiendi ſacrum, & ieiunandi, & ſimilia, quæ obligant ſub mortali ex ſe ceſſante ſcandalo, & contemptu. 3

Hinc colligo ſacerdotem aduersùs hoc præceptum benedicentem nuptias eo tempore vetito, eſſe puniendum graui pœna, arbitraria tamen, quia nulla in iure præſcripta eſt, ſponſos etiam hoc præceptum tranſgredientes in delicti pœnam ad tempus ſeparandos eſſe, vt habetur *cap. non oportet 2. 33. q. 4.* vbi dicitur hos ſeparandos eſſe. Et gloſſa *verb. ſeparentur*, ſubdit ad tempus. Quod intellige, niſi ſit periculum incontinentiæ in alterutro coniuge, tunc enim alia pœna eſt iniungenda. 4

Obſeruandum *tertiò* circa traductionem ſponſæ in ſponſi domum, feriarum tempore interdictam, eſſe dubitationem, an ceſſauerit ea prohibitio propter oppoſitam conſuetudinem toleratam. de qua re latè Sanchez *lib. 7. diſp. 7. à n. 21. vſque ad finem.* Ipſe verò aſſero, traductionem ſolemnem ab Eccleſia vetitam eſſe celebrem traductionem ſponſæ in ſponſi domum cum feſto, muſicorum inſtrumentorum ſono, celebri pompa, conuiuiis etiam ſplendidis, ſaltationibus, & aliis id genus mundanis gaudiis nuptias ordinariè comitantibus. Quæ nuptiarum ſolemnitas, quia non parum dedecet illarum dierum, quibus prohibetur ſanctitatem, & venerationem, ac conuenientem Chriſtianis hominibus eo tempore modeſtiam, ideo præceptum illam probibens ſub graui culpa obligat. Quod vt indicaret Tridentinum relatum, præcepit antiquas ea de re prohibitiones diligenter ab omnibus obſeruari. Quoniam verò eiuſmodi ſolemnitas traductionis non conſiſtit in indiuiſibili, ſed magnam latitudinem recipit, poteſtque proinde pars huius ſolemnitatis in nuptiis contrahendis omitti, pars adhiberi; ideo pro magna, vel parua ſolemnitatis adhibitæ quantitate graue peccatum erit, aut leue; quia ſicut in materia prohibita graui, & ad mortale ſufficiente, ſi peccatur ex perfecta rationis aduertentia, peccatum leue eſſe non poteſt, ita in leui nequit eſſe mortale. Addo etiam, quia generali conſuetudine receptum eſſe videtur, vt notauit Sanchez 5

diſp.

diſputat. 7. *citata numer.* 18. vt ſponſæ eo tempore in ſponſi domum traducantur, conuiuiaque fiant, & alia lætitiæ ſigna præbeantur connitentibus Epiſcopis: ſi hæc moderata ſint, nullum erit peccatum propter conſuetudinem toleratam. Quòd ſi aliquantulum ſit exceſſus, præter id, quod generali conſuetudine eſt receptum, erit venialis culpa. Vbi autem nimius eſſet exceſſus, ita vt ſanctitati illorum dierum notabiliter detraheretur, eum offenſione, & ſcandalo fidelium, eſſet mortale peccatum.

Sectio III.

De tertio impedimento, ex Catechiſmo Baptiſmo præmitti ſolito.

1 Communiter Doctores Catechiſmum appellant inſtructionem fidei, quæ fit ante ianuam Eccleſiæ ſuper baptizandis; in qua quis pro baptizando, aut iam baptizato reſpondet ſacerdoti interroganti an eredat, & an renuntiet diabolo, quamuis non teneat baptizatum: contingere enim poteſt, vt quis non teneat puetum, dum miniſtratur ſacramentum Baptiſmi, ſed antea in Catechiſmo præcedenti, vel cum iam Baptiſmus domi celebratus eſt, & poſtea ſulemniter tantùm adhibetur in Eccleſia.

2 Sicut modò ex eo, quòd quis munus exerceat in Baptiſmi celebratione, & ſuſcipiat puerum ex ſacro fonte, contrahitur ſpiritualis cognatio, quæ eſt impedimentum dirimens, de quo infrà ſuo loco: ita olim, qui tenebat puerum in Catechiſmo, ex hoc præcisè contrahebat imperfectam quandam cognationem ſpiritualem, quæ tantùm eſſet impedimentum impediens, vt conſtat ex *cap. 2. de cognatione ſpirituali in 6.* his verbis: Per Catechiſmum, qui præcedit Baptiſmum Sacramentorum fundamentum, & ianuam, reliquorum cognatio ſpiritualis contrahitur, per quam contrahendum matrimonium impeditur, vt ex prædeceſſoris noſtri Clementis Papæ III. decretali colligitur euidenter; dicendo enim, quòd talis res vix contrahendo matrimonio impedimentum affert, velle videtur quòd afferat; nam quod vix fit, fieri tamen dubium non exiſtit. Per illam tamen cognationem matrimonium poſt eam contractum minimè ſeperatur. Ita Bonifacius octauus *in dicto cap.*

3 Eſt verò difficultas circa hoc impedimentum, an omnino ſublatum ſit iure nouo Tridentini? Multi enim graues Doctores, inter quos Cardinalis Toletus *lib. 7. ſumma cap. 14. in fine*, & Rebellus *lib. 3. quæſt. 18. numer. 21.* putant prædictam cognationem fuiſſe reſtrictam, ſed non penitus à Concilio fuiſſe ſublatam. Sentiunt tamen eſſe penitus ſublatam cum multis Sanchez *lib. 7. diſput. 10. numer 12.* Baſilius Ponce *lib. 6. cap. 11. numer. 3.* Coninch *diſput. 30. dub. 3. numer. 23.* Gaſpar Hurtado *diſput. 25. difficult. 1. numer. 3.* Probat Sanchez, quia Concilium generaliter loquens de cognatione ſpirituali, & ſtatuens inter quas perſonas contrahatur, in fine concludit, inter nullas alias perſonas contrahi. Vbi verè intendit cognationis ſpiritualis impedimentum omnino au-

Perez de Matrimonio.

ferre præter caſus ibi expreſſos, inter quos Catechiſmus non numeratur. Firmat motu proprio Pij V. præcipientis non eſſe recedendum à præciſis verbis Tridentini.

4 Dico *primò* certum mihi videri cum omnibus Doctoribus cognationem ex Catechiſmo ortam ſaltem eſſe reſtrictam ad gradum primum, ad quem prædicto Tridentini decreto contracta eſt ex Baptiſmo orta cognatio ſpiritualis. Ratio eſt, quia tametſi nulla in eo decreto mentio fiat Catechiſmi, at cùm Baptiſmi cognatio menſura ſit eius, quæ ex Catechiſmo oritur, & ex illa gradus in hac ſumantur, quia oritur hæc cognatio, eo quòd Catechiſmus ſit quoddam Baptiſmi initium, & cognationis ſpiritualis perfectæ ex illo ortæ: vnde hac de cauſa extendebatur hæc Catechiſmi cognatio attento iure antiquo ad eaſdem perſonas, ad quas cognatio ex Baptiſmo orta, & ad eoſdem gradus; ideo ſatis eſt cognationem ſpiritualem Baptiſmi reſtrictam eſſe, vt eodem quoque modo cenſeatur Catechiſmi cognatio reſtricta. Cùm igitur Tridentinum reſtrinxerit cognationem Baptiſmi ad primum gradum, cenſebitur pariter reſtricta cognatio in Catechiſmo ad ſolum primum gradum. Firmatur, quia tametſi *cap. 2. de cognatione ſpirituali in 6. & c. contracto, de cognat. ſpirit.* vbi hæc cognatio Catechiſmi ſtatuitur, nulla graduum, aut perſonarum ad quas extenditur, mentio fiat; at quia oritur hæc cognatio eo quòd Catechiſmus ſit quoddam Baptiſmi initium, inde eſt vt per cognationem ex Baptiſmo ortam metienda ſit, & ad eoſdem gradus vtraque trahenda veniat. Igitur modò poſt Tridentinum, cùm iam cognatio Baptiſmi, quæ eſt alterius menſura, reſtricta ſit, ad ſolum primum gradum manifeſtum eſt hanc aliam, quæ ſi primam originem attendamus à Baptiſmo procedit, non excedere primum gradum, ſed reſtrictam eſſe ad illum.

5 Dico *ſecundò* probabilius mihi videri prædictam cognationem ſpiritualem Catechiſmi non fuiſſe penitus ſublatam eo decreto Tridentini Concilij. Moueor, quia iſtud expreſsè non abſtulit hanc cognationem, neque illius mentionem fecit; ergo tanquam caſus omiſſus relinqui debet iuris communis diſpoſitioni. Firmo, quia ſi verba Tridentini attentè conſiderentur, manifeſtè de ſola cognatione dirimente matrimonium locutum eſt. Nam caput ſecundum, cuius titulus eſt de cognatione ſpirituali, quæ in Baptiſmo, & Confirmatione contrahitur, ſic incipit. Docet experientia propter multitudinem prohibitionū multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non ſine magno peccato perſeueratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Quis autem non videat hæc verba præfationis nullatenus habere locum in cognatione ſpirituali ſolùm impediente, qualis eſt Catechiſmus. Cùm enim matrimonium validum ſit, nec id dirimere oportet, nec in eo cum peccato perſeueratur. Et certè cùm in nullo ex capitibus ſequentibus reſtringat Concilium impedimentum aliquod ex ſolùm impedientibus, ſed tantùm affinitatis, & publicæ honeſtatis, quæ dirimentia ſunt. Vnde colligi poteſt loqui Tridentinum de Catechiſmo, & eius cognationem penitus auferre? Præterea conſtat loqui ibi Concilium de cognatione ſpirituali contracta per Baptiſmum, vel Confirmationem. Patet, quia incipit ab illa,

& illam reſtringit ad primum gradum. Deoſque ea reſtrictione poſita concludit ſic : omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis. Quibus verbis liquet oon loqui geoeraliter de omni cognatiooe ſpirituali, ſed ſolùm de cognatione ſpirituali contracta per Baptiſmum, vel Confirmationem, vt indicat particula illa relatiua, *huius*, quæ refertur ad præcedentia, in quibus ſolùm eſt ſermo de ſpecifica cognatione orta ex Baptiſmo, vel Confirmatione. Vnde Concilium ſolùm intendit huius cognationis impedimentum omoino auferre propter primum gradum ibi deſignatum. Neque aliud vult Pius V. in motu proprio, niſi ſtabilire inter oullas alias perſonas contrahi eam cognationem ſpiritualem, quàm ibi expreſſas à Concilio; de cogoatione autem Catechiſmi ibi nulla fuit facta mentio, de qua non curauit Concilium, ſicut nec de aliis impedimentis tantùm impedientibus.

6 Dico *tertiò* hoc noo obſtante prædictam cognationem ſpiritualem Catechiſmi fuiſſe penitus ſublatam. Probo, quia tametſi decreto Tridentini non fuerit ſublata, tamen ex conſuetudine præſcripta iam non obligat, nec petitur diſpenſatio de illo impedimento, atque adeò iam omninò aboleta cenſetur.

Sectio IV.

De ſponſalibus, & voto, quarto & quinto matrimonij impedimento tantùm impediente.

1 Circa impedimentum ex ſponſalibus ortum, dico cum communi doctrina eſſe impedimentum obligans de ſe ſub mortali. Patet, quia ſponſalia, ſicut & quiuis alius contractus, obligant grauiter ad implendam fidem ſponſæ datam ex rigore obligationis virtutis iuſtitiæ; ergo ne illi fiat iniuria, iure impeditur matrimonium ſubſequens cum alia. Quòd ſi adeſſet iuſta cauſa aliqua ad diſſoluenda priora ſponſalia, tunc his ſolutis non impediretur matrimonium ſubſequens, vt conſtat ex communi doctrina.

2 Maior difficultas eſt circa votum. Hic autem votum multiplex eſſe poteſt, videlicet votum ſimplex caſtitatis, votum noo ineundi matrimonium, votum ſuſcipiendi Ordines ſacros, & votum religionis. Quodlibet ex his votis eſſe impedimentum, & impedire ſub mortali, eſt certum, quia per eiuſmodi vota aut directè, aut indirectè videtur promitti Deo corpus, vt caſtè & integrè ſeruandum ab omni copula; ergo matrimonio repugnant, cùm hoc ad vſum coniugij regulariter ordinetur, cumque eiuſmodi vota ſint facta Deo, & in re graui, obligant grauiter, atque adeò grauiter matrimonium impediunt. Cæterùm addendum eſt votum ſimplex caſtitatis non eſſe impedimentum dirimens, ſed tantùm impediens, vt conſtat ex *cap. conſuluit, & ex cap. rurſus, qui Clerici, vel vouentes, & ex cap. vnico, de voto in 6.* Ratio autem huius deciſionis hæc vnica eſt, quia votum caſtitatis ex ſua natiua obligatione non habet vim dirimendi matrimonium, niſi accedat Eccleſiæ conſtitutio, quæ ſic vouentem reddat inhabilem voto caſtitatis ſimplici, extra religionem emiſſo. Quod vltimum addidi, quia, vt videbimus infrà *diſp. 16.* in ſtatu religioſo votum ſimplex caſtitatis in Societate Iesv habet ex conſtitutione Gregorij XIII. dirimere matrimonium. Atque idem, quod dixi de voto caſtitatis, dicendum eſt de voto religionis, de voto ſumendi Ordinem ſacrum, de voto cælibatus, ſeu oon contrahendi matrimonium; pugnant enim hæc vota cum ſtatu matrimonij; ergo ea impediunt, ſed non dirimunt. Quod intellige, ſiue vota ea ſint conditionalia, ſiue abſoluta; nam poſita conditione obligant eodem modo. Ex his

Colligo *primò*, eum qui eiuſmodi votis tenetur, ſine eorum diſpenſatiooe oon poſſe contrahere matrimonium licitè, patet, quia certa eſt obligatio voti impediens matrimooium. Quod verum eſt tametſi ſtimulis carnis vrgeatur, quia ea moleſtia noo liberat illum obligatione voti, ſed reddit cauſam diſpenſationi. 3

Colligo *ſecundo*, abſolutè loquendo, eum qui ſcienter contrahit cum ligato his votis peccare mortaliter, quia petit ab illo actum, quem non poteſt licitè exercere; cùm ille, qui tenetur voto, non poſſit ſine peccato nubere. 4

Sunt verò breuiter duo dubia diſſoluenda. *Primum* eſt, an his votis aſtricto liceat matrimonium inire, ſine animo conſummandi.

Dico *primò*, ſi contrahat vterque cum expreſſa conditione non conſummandi, licere. Ratio eſt, quia votum caſtitatis eatenus eſt impedimentum ad contrahendum, & ad volendum contrahere, quatenus eſt in Ordine ad violandam caſtitatem, vel cum periculo violandæ caſtitatis; at modo dicto nulla eſt violatio voti, nullum periculum morale; ergo. 5

Dico *ſecundo*, ſi quis ligatur voto noo contrahendi matrimonium, peccat contrahens illud. Patet, quia facit contra votum: quamuis enim animum habeat oon conſummandi, tamen in ipſo cootractu eſt iam violatum votum. 6

Dico *tertio*, ſi quis ſit ligatus voto ſuſcipiendi ſacros Ordines, & inſcia coniuge contrahit cum illa, peccare mortaliter. Ratio eſt, quia ſe exponit manifeſto periculo non implendi votum, cùm ſemel contracto matrimonio nequeat ad ſacros Ordines eoouolare, ſine conſenſu coniugis, vt defioitum eſt *in Extrauaganti Antiqua Ioannis XXII. de voto*, in eo enim differt à tranſitu ad religionem. Ex alio capite grauem iniuriam irrogaret coniugi, cùm per Ordinem non diſſoluatur coniugium; ergo. 7

Dico *quartò* ligatum voto religionis, ſi abſit periculum remanendi in ſæculo, & conſummandi, non eſſe peccatum mortale contrahere matrimonium ſecluſo eo periculo eootra votum. Ita rectè notauit Baſilius Ponce *lib. 6. cap. 12. numer.* 5. Quia iure ipſo conceſſum eſt etiam bimeſtre tempus tranſeundi ad religionem; ergo implere votum poteſt, & aliàs coniugi ignaro nullam facit iniuriam. Solùm ergo erit otioſitas quædam actus, & contractus, in quo ſecluſo periculo conſummandi non apparet culpa mortalis. 8

Dico *vltimò* ligatum voto tantùm caſtitatis, & contrahentem cum ea, quæ ignorabat votum, & ſine mutua pactione non conſummandi ac ſeruandi 9

nandi caſtitatem, peccare mortaliter contrahendo matrimonium. Patet, quia cùm votum ſit caſtitatis, & non religionis, exponit ſe periculo violandi votum, ſi contrahit ſine animo tranſeundi ad religionem ante conſummationem, nam matrimonium communi modo contractum eſt in ordine ad copulam, quæ illi, qui tenetur tali voto, non licet. Ex quo fit ſi verè eum animum haberet, & aliàs non eſſet periculum non tranſeundi ad religionem, non peccaret mortaliter contrahendo cum eo animo, quia contractus matrimonij ſic celebratus non pugnaret cum voto caſtitatis.

10 Ex dictis infero, ſi quis ſolùm habuerit votum non contrahendi matrimonium, peccaſſe mortaliter, vt dixi, contrahendo; poſſe tamen poſtea petere, & reddere debitum; quia hoc propriè non eſt contra votum; mortua tamen vxore tenebitur nuptiis abſtinere. Si autem religionem vouerit, tenetur ante matrimonium conſummatum implere votum, quia in eius adhuc eſt poteſtate, vnde peccat conſummando, etiam reddendo debitum, quia efficit ſibi votum impoſſibile. Eo tamen conſummato poteſt etiam petere debitum, votumque eius tanquam impoſſibile ſuſpenſum eſt, donec vxor moriatur, aut fornicetur, aut conſentiat, vt legitimè religionem ingrediatur, vnde tunc voto iterum tenebitur, quia tunc fit poſſibile. Denique ſi emiſerit votum caſtitatis, nunquam poteſt petere debitum, poteſt tamen id reddere etiam prima vice conſummando matrimonium, quia coniux habet ad hoc ius, niſi alter velit ingredi religionem; ad quod non tenetur, quia id non vouit, neque ad ſeruandam caſtitatem tenetur eligere ſibi medium adeò durum. Id conſtat ex *Extrauaganti Antiqua, Ioannis XXII. de voto*, vbi vxoratum ante matrimonij conſummationem ſine conſenſu vxoris ſuſcipientem ſacros Ordines dicit inducendum vt religionem ingrediatur, quòd ſi nolit, cogendum matrimonium conſummare petente vxore, quod fieri non poſſet, ſi non poſſet licitè ita conſummare. Notandum tamen mortua vxore, vel fornicante, teneri abſolutè ad ſeruandam caſtitatem.

11 Alterum dubium eſt, an qui ſcienter contrahunt cum obligatis voto caſtitatis, vel religionis, ſemper peccent. Reſpondeo peccare mortaliter, etiam ſi eiuſmodi obligati vltrò ſe offerant. Ratio eſt, quia vſurpant rem ſibi alteri obligatam, & huic etiam ſubtrahunt.

12 Nec obſtat quòd alter eam offerat, quia validè eam offerre non poteſt, nec alterius poteſtate ſubducere, niſi hic obligationem acceptando, eam ſibi vſurparet, atque ita directè etiam alteri iniuriam inferret. Eſt etiam notandum nubentem ei, cui ſolùm illicitæ eſſent nuptiæ ob aliquam prohibitionem non peccaturum; quia hæc non ligat non prohibitum. Vnde licèt nequeat petere vt prohibitus contrahat, quia nequit ab aliquo peti, quod licèt fieri non poteſt; non tenetur tamen impedire ne id faciat, niſi ex correctione fraterna, qua tenemur proximi peccatum impedire; quæ tamen non obligat cum magno noſtro incommodo, quale eſſet valde commodas nuptias reiicere; acceptando autem obligationem non incitat alterum ad peccatum, neque ei cenſetur cooperari. Quod benè explicatur exemplo allato à noſtro Leſſio *de iuſtitia & iure cap. 19. dub. 4. num.* 8. de accipientibus legata à beneficiatis: nam licèt hi peccent mortiferè dum legant legata ex ſuis prouentibus Eccleſiaſticis, & diſponunt ad cauſas profanas, relinquendo ea conſanguineis diuitibus, quia nimirum tenentur ea bona expendere in pios vſus: ea tamen legata accipientes, validè & licitè ea accipiunt ab illo, qui validè poterat diſponere tanquam dominus, neque illa per ſe ſunt obligata piis vſibus, ſed omnis obligatio erat perſonalis ad ſolum teſtatorem pertinens, quæ non tranſit ad hæredes.

SECTIO V.

De ſexto impedimento tantùm impediente, quod oritur ex inceſtu.

INceſtum appellamus eum, qui rem habuit cum conſanguineis ſuæ vxoris in primo, & ſecundo gradu. De quo apud omnes conſtat ex ſacris canonibus impedire matrimonium cum quacumque alia perſona contrahere; illud tamen non diſſoluere. Conſtat id ex *cap. 1. & 2. tranſmiſſa, de eo qui cognouit conſanguineam*, vbi tali inceſtuoſo prohibetur matrimonium. Cumque nihil addatur, quo illud quoque irritari ſignificetur, non erit irritum; quia ſi prohibitio ſit ſimplex & nuda, qualis eſt prædicta, abſque decreto irritante, non eſt cur dicamus rem tam arduam, & tanti momenti ac eſt matrimonium, tunc irritari, præſertim cùm conſtet ex *cap. ad Apoſtolicam, de regularibus* multa prohiberi, quæ tamen facta tenent. Eſtque optima ratio prædictæ prohibitionis, nam cùm talis inceſtus habeat ex propria ratione impedire exactionem debiti à coniuge eo quòd inde coniuges efficiantur affines, quia inceſtuoſus non veritus eſt coniugem ſibi facere affinem, ac plenum coniugij vſum impedire, ideo punitur in ipſo matrimonio, contra quod deliquit, & interdicitur illi aliud matrimonium, cum quacumque alia perſona contrahere. 1

Hoc impedimentum inceſtus commune eſt tam viris, quàm fœminis, ita vt non tantùm vir, qui conſanguineam vxoris cognouit, ſed etiam fœmina quæ conſanguineum viri cognouit, teneatur hoc impedimento, & interdicatur coniugio. Sanchez *lib. 7. diſputat. 15. numer. 2.* ideo id docet, quia eſt eadem prorſus ratio, cùm ſit iniuria matrimonij propter affinitatem contractam, quæ omnino eadem in vtroque inceſtu reperitur. Fortius tamen ac efficacius fundamentum eſt, quia eſt expreſſa deciſio Canonica *cap. 20. ſi quis viduam 37 quæſt. 7.* vbi poſtquam dixit, ſi quis viduam vxorem duxerit, & poſtea cum filiaſtra ſua fornicatus fuerit, ſeu cum duabus ſororibus; addit, aut ſi qua cum duobus fratribus, ſeu cum patre & filio, &c. eos diſiungi, & vlterius nunquam in coniugio copulari præcipimus. Quare doctrinam hanc contra dictam Canonis deciſionem expreſſam fruſtrà nonnulli in dubium reuocarunt. 2

Hoc impedimentum extendebatur attento iure communi vſque ad quartum gradum. At hodie cùm Tridentinum *ſeſſ. 24. de matrimonio c. 4.* reſtrinxerit affinitatem ex fornicatione ortam ad ſecundum gradum; ac proinde ex copula cum conſanguineis coniugis citra ſecundum gradum non oriatur hæc affinitas cum altero coniuge, 3

quam eſſe diximus cauſam huius impedimenti; inde eſt vt hoc impedimentum ſit quoque reſtringendum, & hodie non oriatur niſi ex inceſtu cum conſanguineis coniugis intra ſecundum gradum.

4 Extendendum eſt etiam hoc impedimentum ad eum, qui cognouit fœminam cum qua eſt tantùm impedimentum publicæ honeſtatis ex matrimonio rato nondum conſummato, quamuis ex eo matrimonio nulla ſit orta affinitas, quia ita deciditur *in cap. 2. de eo qui cognouit*. Sed numquid extendendum erit ad eum qui cognouit illam, cum qua eſt impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus validis? Affirmat Sanchez *diſputat. 35. citat. numer. 5.* ex *dicto cap. 2.* quod intelligit de ſponſalibus de futuro. Cæterùm, vt dixi, ſolum vbi eſt ſermo, vt conſtat in ſpecie illius textus de matrimonio contracto tantum, non conſummato.

5 Id impedimentum non oritur ex inceſto cum cognata legali, vel ſpirituali, quia neque is propriè eſt inceſtus, nec inuenitur textus illum ſtatuens, Sunt verò aliqua obſeruanda.

Primum eſt incurri prædictum impedimentum quando ſcienter admiſſus eſt inceſtus; id enim expreſſis verbis petit *cap. 1. de eo qui cognouit conſanguineam*. Vnde ſi ignorantia excuſet à culpa inceſtus, neceſſe eſt, vt etiam excuſet ab eius pœna.

6 *Secundum* eſt requiri quoque ad hanc pœnam incurrendam, vt inceſtuoſa copula ſit conſummata, ex qua oritur affinitas. Patet, quia ratio huius impedimenti cùm ſit affinitas iniquè contracta, ſi copula non ſit conſummata intra vas legitimum fœminæ, emittente viro ſemen non producet affinitatem, atque adeò nec impedimentum. Firmo, quia cùm hoc ſit pœnale, & ſubinde reſtringendum, petit delictum conſummatum eſſe.

7 *Tertium* eſt, hoc impedimentum non incurri niſi crimen inceſtus ſit publicum, & quòd in iudicio probari poſſit, licèt de eo nulla lis vel controuerſia mota ſit. Oppoſitum docet Sanchez *citat. numer.* 13. Moueor tamen propter manifeſtas Pontificum deciſiones, quas adfert Baſilius Ponce *lib. 6. cap. 13. numer. 9.* vbi vt priuetur ſpe coniugij ob inceſtum commiſſum, requiritur, quòd ſit publicum, & manifeſtum, licèt neceſſarium non ſit, vt iudicis ſententia præcedat ad hoc impedimentum incurrendum, ſicut etiam non deſideratur ſententia ad impedimenta incurrenda dirimentia criminis.

8 *Quartum* eſt circa proprios conſanguineos; ſi quis rem habeat, eſt non parua difficultas an prædictum incurrat impedimentum. Negat Sanchez. Affirmat Baſilius Ponce, vtrumque videtur probabile, videatur vterque.

Denique obſeruandum eſt, modò hoc impedimentum inceſtus iam non eſſe in vſu, eſt enim introducta conſuetudo præſcripta non petendi diſpenſationem de hoc impedimento. Vnde per diſſuetudinem præſcriptã iam eſt abolitum; atque adeò de illo iam in praxi curandum non eſt.

* * *

Sectio VI.

Vtrùm raptus, & vxoricidium, matrimonium contrahi impediant, quod eſt ſeptimum, & octauum impedimentum.

Circa primam partem ſectionis breuiter dico, raptum alienæ ſponſæ impedire matrimonium contrahendum, ex *cap. ſtatutum 27. q. 2.* punitur autem raptus ea pœna ob iniuriam matrimonio illatam, ſiue ea mulier virgo, ſiue corrupta ſit. Eadem pœna extenditur ad ſponſam raptam, ſi illa poſtea raptori conſentiat. Colligitur ex *dicto cap. ſtatutum*, à contrario ſenſu. Nam dicitur, & ſi ipſa eidem crimini conſentiens non fuerit, licẽtia nubendi alij non negetur. Nec illa pœna extenditur ad rapientem ſponſam de futuro, cùm ea conſtitutio valde odioſa ſit. Quæ autem requiruntur vt raptus verè ſit, & puniri debeat pœnis impoſitis per leges ciuiles, & canonicas, & quando dirimat matrimonium cum rapta, iuxta ius nouum Tridentini, infrà *diſp.* 38. eſt ex profeſſo examinandum. Circa alteram partem quæſtionis non eſt quæſtio de vxoris, aut viri interfectione animo ad aliud matrimonium transeundi facta; quia id impedimentum criminis eſt quod matrimonium dirimit, ſed de illius interfectione, quando alia cauſa ſubeſt, aut iræ, odij, vindictæ, adulterij. 1

Breuiter dico *primò*, vxoricidium impedire, ſed nõ dirimere matrimonium, Ita omnes. Probat textus *c. interfectores 33. q. 2.* & ex *c. admonere 33. q. 2. & c. quicũque, eadẽ cauſa, & quæſt.* Quod verum eſt, etiamſi in adulterio deprehenſam occidat, quãuis per leges ciuiles impunè fiat. Secus eſſet ſi occideret auctoritate iudicis, iam conuictam, & per ſententiam cõdemnatam, quia in eo euentu per ſe loquendo culpa vacat, & impedimentum inductum ſolum eſt in pœnam criminis vxoricidij. 2

Dico *ſecundò* hoc impedimentum non incurrere vxorem virum ſuum interficientem. Ita multi, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 7 diſp. 16. n. 6.* Probat, quia textus iuris Canonici hoc impedimentum ſtatuentes de ſolo vxoricidio loquuntur, Neque eſt eadem ratio de viricidio, quia viricidium eſt rariſſimũ, & vxores non ſunt pronæ ad id, imò ſunt timidæ; vxoricidium verò frequẽs eſſe ſolet, & viri ſunt audaciores, & procliuiores ad iſtud delictũ perpetrandum. Firmat exemplo raptoris fœminæ, cuius pœnas non extendi ad viri raptricem videtur ob eandem rationem concedendũ. Quare ius voluit impedimento vxoricidij, punire non tam grauitatem criminis, quàm facilitatem viri ad id exequendum. 3

Contrarium ſentit Baſilius *lib. 6. c. 14.* cum Rebello *lib. 3. de matr. q. 18 §. de vxoricidio.* Quia putat eãdem pœnam impoſitam eſſe fœminæ virum interficienti, quod probat ex *c. 1. de diuortiis*, & habetur *in c. ſi qua mulier 31. q. 1.* fœmina propter inſidias mortis, quas meritò tendit, ſi ille ſe defendendo alium occidit, priuatur ſpe coniugij. Verùm hoc non obſtante manifeſtũ eſt, quia, vt ait *ibi* Gloſſa, caſus in ſpecie fuit de quadam muliere, quæ viuente marito adulterata eſt cum quodam, quẽ mortuo marito in virum accepit. Vnde ibi eſt ſermo de impedimẽto criminis, quod matrimonium dirimit, de quo infrà *diſput. 33.*

ſectionibus

ſectionibus quinque; non verò de viricidio contracto ex ira, vel odio, vel ex alia cauſa, de quo nunc eſt ſermo

Sectio VII.

De ſuſceptione propriæ ſobolis, Presbytericidio, Pœnitentia ſolemni, & coniugio Monialis, quæ ſunt nonum, decimum, vndecimum, & duodecimum impedimentum tantùm impediens.

1 QVi ſuſcipit in Baptiſmo, aut in Confirmatione prolem ex propria vxore, quando fit ex malitia, id eſt, ex intentione negandi debitum vxori propter cognationem ſpiritualem cum propria vxore contractam, ex eo quòd fuerit eius patrinus, punitur pœna prohibitionis matrimonij. Huic enim mortua coniuge prohibetur cum alia contrahere, *cap. de eo 30., quæſt.* 1. Hoc autem intelligitur quando extra neceſſitatem hoc facit, nam in neceſſitate ſicut non priuatur priuatione debiti, ita nec impeditur. Hoc igitur impedimentum nonum eſt, neque indiget maiori explicatione.

2 *Decimum* impedimentum eſt Presbytericidium, id eſt, iniuſta occiſio Sacerdotis. Huic enim interfectori *cap. 2. de pœnitentiis, & remiſſionibus*, prohibetur contrahere matrimonium. Requiritur autem, vt ſit conuictus de hoc crimine in iudicio, ſeu in foro externo, & contentioſo, iuxta Panormitanum *ibidem*, quem ſequuntur Toletus *in ſumma lib. 7. cap. 19.* & Sà *verb. impedimenta matrimonij non dirimentia, numer. 9.* vnde interfector occultus non incurrit hanc pœnam.

3 Vndecimum impedimentum eſt pœnitentia ſolemnis, ſeu publica dum agitur. Nam ob grauia crimina ſolebat olim imponi pœnitentia publica, & ſolemnis, & dum hæc durabat, impediebat matrimonium. Sic conſtat ex *cap. antiqua 33. quæſt. 2.* Peracta verò pœnitentia matrimonium concedebatur, *cap. audiuimus, c. ſi quis, cum duobus ſequentibus 33. quæſt. 2.*

4 Duodecimum, & vltimum impedimentum eſt coniugium cum Moniali: tentans enim cum tali contrahere, nihil facit, cùm matrimonium irritetur profeſſione, & voto ſolemni, de quo infrà *diſputat.* 26. In pœnam verò tantæ temeritatis, ei qui ſacram Deo fœminam coniungere ſibi matrimonio præſumpſerat, prohibetur, cum quauis alia contrahere. Id manifeſtè conſtat ex *cap. hi ergo 27. quæſt.* 1. Sic enim ibi dicitur: Hi ergo qui Sanctimonialibus ſcientes matrimonio ad iniuriam Chriſti copulati ſunt, iuxta cenſuram zeli Chriſtiani ſeparentur, & nunquam eis concedatur coniugali vinculo religari, ſed in pœnitentiæ lamentis ſe vehementer dum viuunt afficiant.

Vbi ponderans Gloſſa illam particulam, *nunquam*, ait, hoc enim vnum crimen eſt, quod impedit, & non dirimit matrimonium.

* * *

Sectio VIII.

An leges ſtatuentes prædicta duodecim impedimenta, adhuc vigeant, & ligent, egeantque diſpenſatione, & quis diſpenſare queat.

CIrca primum certum eſt conſuetudine legitimè 1
præſcripta poſſe abrogari impedimenta. Oportet examinare an ita factum ſit. De impedimentis dirimentibus coōſtabit ex ſingulis ſuo loco, adhuc vigere. De impedimentis impedientibus tantùm hîc examinandum eſt.

Dico ergo *primò* ex impedimentis impedientibus 2
tantùm, octo illorum iam conſuetudine præſcripta eſſe abrogata, & ita nullum eſſe peccatum cum illis contrahere abſque vlla præuia diſpenſatione. Hæc autem ſunt Catechiſmus, inceſtus, raptus ſponſatæ, vxoricidium, ſuſceptio propriæ ſobolis, Presbytericidium, pœnitentia publica, vel ſolemnis, & coniugium cum Moniali. Ita grauiſſimi & complures Doctores, quos citat & ſequitur Sanchez *lib. 7. diſputat. 17.* Coninch *diſputat. 30. dub. 3.* Baſilius Ponce *lib. 6. cap. 14.* Gaſpar Hurtado *diſputat. 25. difficultat. 1.* & alij. Probatur id, quia Doctores antiqui & recentes, & ſanè inſignes, qui in diuerſis orbis partibus ſcripſerunt & verſati ſunt, eam conſuetudinem legitimè præſcriptam eſſe teſtantur, conſciis ac conniuentibus Prælatis, præſertim Nauarrus, qui multas, & longè inter ſe diſſitas regiones peragrauit, & Romæ tandem diu moratus, quò ex vniuerſis orbis partibus diſſoluendæ hæ quæſtiones deferuntur. Hic enim in ſumma Latina, quam edidit octogenarius, affirmat *cap. 22. numer. 75.* loquens de inceſtu, & *numer. 84.* loquens de aliis impedimentis ſe in tanta ætate, nec vidiſſe nec audiiſſe petit diſpenſationem, & ita eam conſuetudinem præſcripſiſſe, ne diſpenſatio neceſſaria ſit. Igitur nullius culpæ rei ſunt, qui affecti aliquo ex his octo impedimentis matrimonium abſque diſpenſatione ineunt. Patet conſequentia, quia ſi conſuetudo viguit vt cum his impedimentis nulla petita diſpenſatione matrimonium ineatur, prorſus vacat culpa illud inire; quia conſuetudo præſcripta vires habet ad abrogandam legem Eccleſiaſticam, vt conſtat ex *cap. final. de conſuetud.* & nos oſtendimus ſuprà *diſp. 21. ſect. vltima.*

Dicò *ſecundò* alia impedimenta, nempe Eccle- 3
ſiæ vetitum, tempus feriatum, ſponſalia, & votum obligare ſub culpa mortali; tempus verò feriatum quoque, non quoad matrimonij contractum, ſed quoad benedictiones nuptiarum obligare ſub mortali. Conſtat id ex his, quæ dicta ſunt, dum ſingula iſta expoſuimus impedimenta, vnde nequeunt non obſeruari, niſi legitima præcedat diſpenſatio.

Circa ſecundum, quis circa prædicta omnia im- 4
pedimenta diſpenſare queat. Certum eſt in omnibus illis poſſe Papam diſpenſare, ob eius ſupremam plenitudinem poteſtatis. De Epiſcopis verò eſt diſceptatio. Omiſſis aliorum dicendi modis,

Dico *primò* in impedimento interdicti Eccleſiæ poſſe Epiſcopum diſpenſare, quando ipſe, vel inferior matrimonium interdixit, ſecus ſi ſuperior. Patet, quia inferior nequit legem ſuperioris tollere, nec moderari, vt conſtat ex *cap inferior diſt. 21. & cap. ne*

Romani de elect. at propriam, vel inferioris poteſt.

5 Dico *ſecundò* non poſſe Epiſcopum in ſponſalium impedimento diſpenſare. Patet, tum quia ius eſt acquiſitum tertio, quod nullus præter ſupremum Principem auferre poteſt. Tum etiam, quia ob hanc rationem negant Doctores poſſe Epiſcopum relaxare iuramentum tertio præſtitum, niſi turpitudo ex parte illius tertij reperiatur. Tum denique, quia iure Pōtificio hoc reſeruatur, vt conſtar ex *c. ex litteris* 2. *de ſponſalibus*, vbi præcipit Papa Epiſcopis vt compellant ad ſponſalium fidem ſeruandam, in qua lege cùm ſit ſuperioris, nequit Epiſcopus diſpenſare.

6 Dico *tertiò* nec poſſe Epiſcopum diſpenſare in voto ſi fuerit religionis, vel caſtitatis abſolutè. Conſtar, quia eiuſmodi vota ſunt ex reſeruatis à Sede Apoſtolica. Circa alia verò vota noo reſeruata, conſtat habere poteſtatem Epiſcopos ad diſpenſandum.

7 Dico *vltimò* in omnibus aliis impedimentis ſolùm impedientibus, dato, ſed non conceſſo, quòd vigeant, & perſiſtant in ſuo robore, verius eſſe poſſe Epiſcopum in illis diſpenſare. Ita cum multis Sanchez *diſput.* 17. *num.* 15. & probat, quia tametſi nullum ius id exprimere videatur, niſi de inceſtu, *cap.* 2. *de eo qui cognouit conſang.* at conſuetudo interpretatur ex ſimilitudine rationis extendi ad alia quoque impedimenta.

DISPVTATIO XXIV.

De primo impedimento erroris, matrimonium dirimente.

EXPLICATVRVS iam impedimenta dirimentia, initium ſumo ab impedimento erroris omnium primo. Nomine erroris iudicium poſitiuum falſum ac peruerſum ſignifico, veram rei cognitionem omnino tollēs. Quod ideo dicitur pugnare cum matrimonio, quia aufert eius cauſam, videlicet conſenſum: nam errantis nullus eſt conſenſus, cùm actus voluntatis ſine actu intellectus eſſe non poſſit; error autem aufert actum intellectus debitum, cùm ponat peruerſum iudicium, ex quo ſequitur conſenſus voluntatis diuerſus ab eo, qui ſequeretur ex vera & recta cognitione & iudicio. De illo igitur quando dirimat matrimonium, & quando non, in hac diſputatione eſt examinandum.

SECTIO I.

Vtrùm error perſonæ dirimat matrimonium.

1 PRæmitto quod attinet ad præſens impedimentū, in matrimonij negotio triplicem errorem eſſe diſtiogendum ex parte obiecti. *Primus* eſt perſonæ, ſeu circa perſonæ ſubſtantiam: vt cùm quis exiſtimat ſe contrahere matrimonium cum certa quadam perſona, contrahit verò cum alia. *Secundus* eſt qualitatis intrinſecæ, videlicet pulchritudinis, vel virginitatis, vel honeſtatis, cùm quis eam cum qua contrahit putat eſſe pulchram, vel virginem, vel probam; eſt autem corrupta, aut impróba, aut fœda. *Tertium* eſt error qualitatis extrinſecæ, ſeu fortunæ, nempe diuitiarum, cùm eam putet eſſe diuitem, pauper autem eſt. De errore perſonæ in hac ſectione videndum eſt an dirimat matrimonium.

2 Ratio dubitandi eſt *primò*, quia in aliis contractibus error circa materiam, qui videtur eſſe circa ſubſtantiam, non eos irritat; valida enim eſt venditio qua venditur ſericum Cæſarauguſtanum pro Valentino, dummodo ſit eiuſdem valóris & vtilitatis; ergo idem dicendum in matrimonio.

Secundò, alia Sacramenta non irritantur errore perſonæ, vt patet in Baptiſmo; & etiam in abſolutione ſacramentali, quæ valida eſt data Petro, quamuis Sacerdos exiſtimet eſſe Paulum; ergo cum pari errore valebit quoque matrimonium.

Tertio, venditio equi facta Ioanni, quem vendens putat eſſe Iacobum, eſt valida etiam cum dicto errore perſonæ; ergo idem dicendum de matrimonio.

Vltimò obiicitur ex *cauſa* 29. *quæſt.* 1 ſi error perſonæ conſenſum excludit, non fuiſſe coniugium inter Iacob & Liam: nam Iacob non conſenſerat in Liam, ſed in Rachel; ſeptem ſiquidem annis pro Rachel ſeruierat. Cùm ergo eo ignorante Lia eſſet ſibi ſuppoſita, non fuit coniugium inter eos, ſi error perſonæ conſenſum excludit, quia non in eam conſenſerat, ſed in Rachel.

3 Certa tamen doctrina eſt omnium Theologorum, errorem perſonæ matrimonium dirimere: vt expreſſè definitum eſt *cauſa* 29. *quæſt* 1. Ratio à priori eſt, quia ſicut ſine conſenſu in matrimonium nullum matrimonium eſt, ita ſine conſenſu in hanc certam & determinatam perſonam, nullum cum ea matrimonium eſt: at qui errat, non conſentit in eam, cum qua re ipſa contrahit; conſenſus enim eius totus fertur in aliam quam adeſſe putat, non adeſt autem, vnde error perſonæ dicitur. Firmatur, quia in aliis contractibus eſt certa doctrina Theologorum, quando contingit in altero contrahentium eſſe errorem circa ſubſtantiam rei, contractum eſſe omnino irritum: quia deeſt ſubſtantialis conſenſus, nam non conſentit in illam rem, ſed in aliam, quam putat ſubeſſe iſtis accidentibus. Vt ſi venditor gemmam putet eſſe vitrū, & pro tali vendat, emptor re comperta tenetur ad reſtitutionem gemmæ, vel ad iuſtum eius pretium, prout de novo inter eos conuenerit; quia venditor non conſentit in alienationem gemmæ, ſed vitri. Similiter ſi venditor vendat vitrum pro gemma; quia emptor non conſenſit in emptionem vitri, ſed gemmæ, quam putat eſſe ſub illa ſpecie. Igitur idem dicendum in contractu matrimonij eſſe nullum, quando eſt error perſonæ, ſeu circa ſubſtantiam perſonæ ex defectu conſenſus.

4 Hanc doctrinam Theologorum communem veriſſimam iudico. Ad eius tamen maiorem explanationem obſeruo duplicem errorem in hac re diſtinguendum. *Vnus* eſt antecedens operationem, vel contractum, qui ita dat cauſam contractui circa ſubſtantialia, vt ſine illo nullo modo fieret. Vnde eſt cauſa nolendi actum, quem qui ſciret, nollet. *Alter* eſt concomitans, ſeu incidens, id eſt, ita ſe habens, vt fieret etiam ipſe contractus, licèt talis error non eſſet. Ideo enim dicitur concomitans, quia ab actu non deſiſteret quis, etiamſi non erraret.

5 Dico ergo *primò*, euidens eſſe priorem antecedentem errorem perſonæ dirimere matrimonium. Patet, quia perſonæ contrahentium ſunt ipſum primariū & eſſentiale obiectū, & materia circa quam neceſſaria, contractus matrimonij; ſicut res empta contractus emptionis: ergo error circa ipſas facit actum omnino inuoluntarium, atque adeò irritum; quia facit vt conſenſus eſſentialis, ſiue qui fertur in ſubſtantiam ipſius contractus omnino deſit: non ſecus ac ſi alicui volenti emere triticum, obtruderetur hordeum, eſſet talis emptio omnino nulla; quia ipſe nullo

Digitized by Google

nullo modo conſenſit in emptionem hordei, ſed ſolius tritici: quia ſolum triticum fuit eſſentiale obiectum terminatiuum conſenſus ipſius, & non hordeum.

6 Dico *ſecundò* prædictum errorem antecedentem, etiam ſi eſſet craſſus, & facilè vincibilis, dirimere matrimonium. Probo, quia tametſi talis error facile vincibilis non ſufficeret ad culpam tollendam; ſufficiens tamen eſt ne ſit actus verè voluntarius, vnde efficit actum omnino non voluntarium; ergo ex defectu voluntarij talis contractus matrimonij erit in eo euentu nullus: nam matrimonium neceſſariò ac eſſentialiter debet eſſe poſitiuè voluntarium. Firmo, quia error vincibilis, tametſi ſufficiat ad peccandum, non tamen ad validè contrahendum; quia ad peccandum ſufficit ſe exponere periculo faciendi contra præceptum, cui periculo ſe exponit qui cū errore, vel ignorantia vincibili peccati operatur: ad validè autem contrahendum cum aliqua, v.g. cum Franciſca, non ſufficit ſe exponere periculo contrahendi cum illa, ſed requiritur voluntas verè contrahendi cum ea, quæ voluntas nō conſtat cum errore illius perſonæ, quamtis vincibili; niſi errans habeat voluntatem contrahendi cum perſona ſibi propoſita, quæcumque illa ſit, quod rariſſimè, aut nunquam contingit in contractu matrimonij.

7 Dico *tertiò*, ſi error perſonæ ſit concomitans, verius eſſe dirimere matrimonium. Vt ſi cum Franciſca contrahas, putans eſſe Mariam, eſto ſi ſcires eſſe Mariam, libentiùs contraheres. Ita Sanchez cum aliis *lib.7 diſp.* 18. *n.6*. Ratio eſt, quia tametſi prædictus error non efficiat inuoluntarium, quia non eſt cauſa alicuius repugnantis voluntatis, cùm per accidens ſe habeat ad actum; efficit tamen actum non voluntarium, quia non poteſt eſſe actu volitum quod ignoratum eſt; atque adeò etiam hic error tollit conſenſum de facto circa hâc determinatam perſonam, cum qua ſolùm quis intendit contrahere; atque ideo eſt error ſubſtantialis, tollens ſubſtantiam matrimonij. Talis enim determinata perſona ſaltem terminatiuè eſt de ſubſtantia iſtius contractus matrimonialis: nam cùm per ipſum det quis ſui corporis dominium alteri perſonæ ad indiuiduam vitæ ſocietatem, expedit valde vt cognoſcat eam perſonam in particulari. Vnde, vt rectè notauit Gabriel Vaſquez 1.2. *diſp.* 30. *cap.*4.*n.*30. matrimonij contractus requirit poſitiuum & expreſſum voluntarium, nec ſufficiens eſt interpretatiuum; tum ratione ſuæ excellentiæ, tum maximè, quia indiſſolubilis omnino eſt; in quo multum præſtat cæteris aliis contractibus.

8 Obiicit contra hoc tertium dictum Comitolius *lib.* 1. *q.* 121. contrarium ſentiens, talem contractum cum eo errore comitante non eſſe inuoluntarium, quia contrahens qui falsò putat ſe contrahere cum Maria, ita eſt affectus, vt etiam ſi ſciret eam eſſe Franciſcam, eodem modo contraheret; ergo non contrahit cum ea inuoluntariè; ergo talis contractus non eſt irritus. Reſpondeo, tametſi iſte contractus non ſit inuoluntarius poſitiuè, eſt tamen inuoluntarius ſaltem negatiuè, ſeu non voluntarius, quia deeſt conſenſus præſens in eam; quod ſatis eſt vt irritus ſit. Si verò etiam de præſenti ita ſe haberet vt diceret, puto hanc eſſe Mariam, contraho tamen cum ea, licet ſit Franciſca, tunc fateor ipſum contrahere validè, ſicut etiam valeret, ſi quis quouis errore laborans, actu intenderet cum propoſita perſona præſente contrahere, qualiſcumque demum illa eſſet; non ſecus ac ſi cùm quis rem præſentem, quam falsò credit triticum eſſe, intenderet emere, qualiſcumque demum eſſet, verè & validè emeret hordeum, quia verè in illius emptionē conſentiret; quia intendit emere qualecumque granum ſibi propoſitum, quod falsò credit eſſe triticum. Itaque ſi ſit actualis intentio circa mulierem præſentem, qualiſcumque illa exiſtimetur, cenſetur contractus plenè voluntarius. Dixi, ſi ſit actualis intentio; quia non ſufficit contrahentem habitualiter ita affectum eſſe, vt vellet hanc fœminam ducere, etſi ſciret non eſſe Franciſcam; quia voluntas in ratione habitualis, ſiue ſolùm ſub conditione ponenda, nihil actu operatur, nec facit actum voluntarium: ſicut in alio exemplo ementis hordeum falsò credentis eſſe triticum, non ſufficit eum habitualiter ita affectum eſſe vt vellet hoc granum hordei emere, etſi ſciret non eſſe triticum; ob eandem omnino rationem.

Ad argumenta initio ſectionis adducta.

9 Ad primum iam dixi ſuprà etiam in aliis contractibus errorem circa ſubſtantiam reddere illos inualidos, quia deeſt ſubſtantialis conſenſus. In illo verò caſu adducto, dico errorem non eſſe circa ſubſtantiam, ſed circa qualitatem, ſeu conditionem accidentariam materiæ, quæ emi intenditur; nam ſolùm emens intendit emere ſericum quod ſit tanti valoris, & vtilitatis, & ob id valida eſt illa venditio. Quòd ſi emens reſtringeret ſuam intentionem ad qualitatem emendi, ſcilicet ſericum Valentinum, & non aliud, tunc non eſſet valida venditio ſerici Cæſarauguſtani; quia cùm voluntas emendi dependeat à conditione, ſi conditio quæ eſt obiectum voluntatis, deficit, pariter deficiet voluntas emendi, quæ neceſſaria eſt ad contractum emptionis, & venditionis.

10 Ad ſecundum, conceſſo antecedente, negatur conſequentia, ob manifeſtam diſparitatem: quia in aliis ſacramentis miniſter ſolùm ordinariè ac communiter intendit baptizare, vel abſoluere perſonam præſentem, quæuis illa ſit. At contrahentes non intendunt ſic contrahere cum perſona præſenti, ſed ſolùm cum tali determinata perſona. Si verò contrahentes intenderent contrahere cum perſona præſenti, quæuis illa eſſet, validum eſſet matrimonium ex hac parte. Sicut è contrario nullus eſſet Baptiſmus, neque abſolutio ſacramentalis, ſi ſacerdos nollet baptizare, vel abſoluere perſonam præſentem, niſi talis determinata ſit. Quod non bene faceret ſi ſic coarctaret ſuam intentionem; quia debet miniſter illorum ſacramentorum verè intendere perſonæ præſenti, & propriæ adminiſtrare, quæcumquu illa ſit, cùm eius intentio eſſe debeat baptizare, ſeu iuſtificare iſtum præſentem prout peccatorem, & indigentem illo remedio ſalutis.

11 Ad tertium ſimiliter dico eſſe diſparem rationem, quia in illa venditione error non tollit obiectum primarium, ſeu præcipuè intentum, quod eſt valde notandum ad totam hanc doctrinam, ſicut in matrimonio: nam in vendente obiectum præcipuum & quaſi eſſentiale, quod ipſe præcipuè intendit, ſolùm eſt tradere equum alteri, prout præcisè eſt tradens pretium; quòd verò ſit talis, aut talis perſona, eſt ad vtrumque, venditorem ſcilicet, & emptorem per accidens, & parum referens ad intentum. At ſecus eſt in matrimonio, in quo ex eo quod finis & ſtatus eius ad felicem euentum id petant, multum refert, quod ſit cognita talis determinata perſona, atque adeò ea eſt præcipuè intenta, vnde & eſt obiectum eſſentiale terminatiuum. Ex quo fit vt error in ea prout tali, non ſit in re quæ ſe habet per accidens, ſed omnino per ſe, & vt de ſubſtantia; vnde & quod ſubſtantialiter immutet, & tollat obiectum eſſentiale, & ſic etiam conſenſum. Cuius rei ratio à priori ſumitur ex differentia inter matrimonium, & cæteros contractus; nam iuſtitia commutatiua, ad quam cæteri contra-

ctus pertinent, qui oneroſi ſunt, vt emptionis, & venditionis, ſolam æqualitatem inter rem & pretium, & rei venalis vſum, ac commoditatem reſpicit; atque ideo abs te illorum eſt, ſit ne error in perſona vendente, cui venditur, dummodo æqualitas pretij, idem vſus, & commoditas ſeruentur: vnde talis error eos contractus minimè viciat. At matrimonij contractus per ſe primò reſpicit indiuiduas perſonas mutuam corporum traditionem præſtantes, vtpote quæ ad eius ſubſtantiam valde conducunt; & ideo in eo error perſonæ eſt circa ſubſtantiam, & ipſum verè dirimit.

12 Ad vltimum reſpondeo idem quod in dicta *cauſa* 29. *q*.1. vbi ſic dicitur, Conſenſus alius eſt præcedens, alius ſubſequens. Præcedit conſenſus, quando ante carnalem copulam in indiuiduam vitæ conſuetudinem vterque conſentit: ſubſequitur, quando poſt concubinalem, ſiue fornicarium coitum conſentiunt in idem. Iacob ergo, & Liam non fecit coniuges præcedens conſenſus, ſed ſubſequens, nec tamen ex primo concubitu fornicarij iudicantur, cùm ille maritali affectu eam cognouerit, & illa vxoris affectu ſibi debitum perſoluerit, putans lege primogenitarum, & paternis imperijs ſe ſibi iure copulatam. Hæc in ſpecie textus. Vbi Gloſa declarans prædicta vltima verba, pronunciat, fuiſſe tunc conſuetudinem, maiorem primo nuptui tradere, & ideo Iacob primò conſenſit affectu maritali in Liam, quàm in Rachel.

Sectio II.

An error perſonæ dirimat iure naturæ matrimonium, an potiùs ſolo iure Eccleſiaſtico.

1 Certum eſt, prædictum errorem non dirimere matrimonium iure aliquo diuino, quia de eo iure nullibi conſtat. Quæſtio ergo eſt, an dirimat illud iure naturali.

2 Non dirimere iure naturæ, probari poteſt.

Primo, quia matrimonium contractum ex metu graui iniuſte illato non eſt irritum iure naturæ, vt oſtendimus ſuprà *diſſ*. 17. *ſect*. 10. ergo nec matrimonium contractum cum errore perſonæ.

Secundo, ſi alicui donatur aliquid titulo eleemoſynæ, qui reuera non eſt pauper, ſed paupertatem fingit, adhuc valida eſt donatio iure naturæ, quia qui eleemoſynam confert, reſpicit Deum, cuius intuitu confert, & tamen paupertas eſt circumſtantia neceſſaria, & ſubſtantialis eleemoſynæ, circa quam debet non eſſe error; ergo ſimiliter in matrimonio.

Tertiò, errorem perſonæ dirimere matrimonium iure humano, ſtatutum eſt *cap. vnico* 29. *q*.1. vbi expreſſè ſic habetur. Error perſonæ coniugij conſenſum non admittit. Et ſubdit, ſi quis promitteret ſe venditurum mihi aurum, & pro auro offerret mihi aurichalcum, & ita me deciperet, nunquid diceret conſenſiſſe in aurichalcum? Nunquam volui emere aurichalcum; nec ergo aliquando in illum conſenſi, quia conſenſus non eſt niſi voluntatis. Sicut ergo hic error materiæ excludit conſenſum, ſic & in coniugio error perſonæ. Non enim conſenſit in hunc, ſed in eum, quem putabat eſſe. Iure ergo humano id ſtatutum eſt, non ergo tale impedimentum eſt iure naturæ.

3 Veriſſima tamen eſt omnium Doctorum ſententia, errorem perſonæ iure naturæ dirimere matrimonium, ſicut & contractum ſponſalium. Quare

Dico primò errorem antecedentem impedimentum eſſe iuris naturalis. Probatur *primò*, quia iure naturæ matrimonium nullum eſt ſine conſenſu circa perſonam cum qua celebratur, vt eſt per ſe notum, ſed iſte non datur præcedente errore perſonæ; ergo. *Secundò* prædictus error eſt circa ſubſtantialia, nempe circa corpora tradita, quæ ad matrimonij ſubſtantiam & eſſentiam pertinent; ergo aufert conſenſum in materiam ſubſtantialem contractus matrimonij; quia in hoc contractu corpora determinata ſunt materia ſubſtantialis, contractus autem in materiam ſubſtantialem contractus, ex natura, ſeu iure naturali ipſius contractus eſt neceſſarius ad valorem illius; ergo. *Tertiò*, perſonæ contrahentium ſunt ipſum primarium & eſſentiale obiectum huius contractus, ſicut in emptione eſt res empta; ergo error circa ipſas ex natura rei facit actum omnino inuoluntarium, atque ideo irritum iure naturæ. Eſt igitur error impedimentum iuris naturalis.

Dico *ſecundò* errorem antecedentem, etſi craſſus ſit, ac facilè vincibilis, eſſe quoque impedimentum iure naturæ. Patet, quia tametſi prædictus error non ſufficiat ad culpam tollendam, efficit tamen ne actus ſit verè voluntarius, quia voluntas vera contrahendi cum tali determinata perſona nequit ex natura rei conſtare cum errore illius perſonæ quamuis vincibili; ergo eiuſmodi error impedit iure naturæ matrimonij contractum. 4

Dico *tertiò*, idem dicendum, etſi error ſit ſolùm concomitans. Ratio eſt, quia, vt dixi præcedenti ſectione, eiuſmodi error facit actum omnino non voluntarium; ergo ex natura rei impedit; quia abſque voluntario conſenſu nequit conſiſtere contractus matrimonij, vt eſt per ſe notum. 5

Dico *quartò*, errorem perſonæ irritare matrimonium iure quoque gentium. Probatur, tum quia ius naturæ apud omnes eſt; ergo error perſonæ irritat matrimonium apud omnes gentes. Tum maxime, quia ius gentium nihil eſt aliud, quàm commune hominum iudicium, & gentium conſenſus, quod ex principiis naturalibus rerum conſideratarum in ordine ad aliquem finem per viam illationis, ſeu concluſionis elicitur. Vnde ius gentium eſt quod naturalis ratio inter homines conſtituit, & apud omnes cuſtoditur æqualiter. At naturalis ratio inter homines conſtituit, & apud omnes cuſtoditur, vt matrimonij contractus nequeat fieri ſine conſenſu circa perſonam determinata in cum qua celebratur; & hunc omnino tollit error perſonæ; ergo talis error dirimit matrimonij contractum iure gentium. Dixi in hoc & præcedentibus dictis de errore perſonæ: nam error ſolius nominis nihil vitiat; ſi quis enim non in perſona, ſed in ſolo nomine erraret, putans eam cum qua contrahit vocari Franciſcam, cùm vocetur Paula, nihil contractui obſtaret, modò aliàs ipſa perſona ſatis ipſi cognita eſſet. Ex dictis 6

Colligo *primò* non poſſe Papam efficere vt error perſonæ non irritet matrimonium. Patet, quia non poteſt tollere ius naturæ, neque ſupplere conſenſum contrahentium, ita vt matrimonium abſque ipſorum conſenſu conſiſtat: hunc verò conſenſum error perſonæ tollit, vt oſtenſum eſt. Quamuis enim poſſet Eccleſia, vel Papa diſponere de quibuſdam noſtris rebus externis, etiam nobis inuitis; non tamen de noſtris corporibus in ordine ad vſum matrimonij, quia in eum finem, horum nec directum, nec indirectum habet dominium. Videantur dicta ſuprà *diſp*. 14. *ſect*. 6. 7

Colligo

Digitized by Google

8 Colligo *ſecundò*, non valere inter infideles matrimonium initum cum errore perſonæ. Patet, quia non valet inter ipſos matrimonium cum impedimento iuris naturalis, & iuris gentium, quale eſt hoc.

9 Colligo *tertio*, ſicot in matrimonio ipſum quid, & circa quid, aut materia ſubſtantialis contractus iure naturali ſunt vir & fœmina, & ideo eorum ignoratio, vel error facit eottractum inualidum, quia facit inuoluntarium; ſic in aliis contractibus attendendæ ſunt circumſtantiæ ſubſtantiales cuicumque contractui, quoniam earum ignoratio, vel error facit contractum inuoluntarium, & ideo inualidum.

Ad argumenta oppoſita.

10 Ad primum, conceſſo antecedenre negatur conſequentia: nam error valde diſtinguitur à metu etiam grauiſſimo: vnde non valet argumentum ab vno ad aliud, quia error circa ſubſtantiale, vt oſtenſum eſt, tollit conſenſum neceſſarium, & reddit omnino inuoluntarium; aufert enim ignorantia quæ eſt in errore obiectum quaſi eſſentiale terminatiuum. At metus noo tollit obiectum, & ideo non reddit omnino inuoluntarium actum: quin potiùs ratione alicuius vtilitatis, quæ verſatur in vitando malo eminente, efficit, vt obiectum amplectatur; & ideo contractus omnes tam lucratiui, quàm oneroſi, imò & matrimonium ipſum metu extortum validum eſt iure naturæ, vt ſuprà demonſtraui *diſp.* 17. *ſect.* 3. 4. & 11. At ex errore circa ſubſtantiam nihil poteſt validum eſſe.

11 Ad ſecundum negatur antecedens. Verius enim exiſtimo cum Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 18. *n.* 24. Baſilio Ponce *lib.* 4 *cap.* 20. *n.* 18. & aliis, nullam eſſe illam donationem eleemoſyoæ, quia paupertas eſt circumſtancia ſubſtanrialis pertinens ad obiectum eleemoſynæ, quæ eſt ſubleuatio miſeriæ in egenre, & miſero. Nec refert quòd qui eleemoſynam confert, reſpiciat Deum, cuius intuito confert. Non, inquam, refert, quia reſpicit Deum vt finem remotum, proximè verò ſubleuationem miſeriæ pauperis petentis quæ tribuit ſpeciem actui, & eleemoſynæ. Similiter dico, ſi aliquid donetur titulo conſanguinei, vel amici, ſi reuera noo ſit conſanguineus, nec amicus, viriatur donatio, & oon ſubſiſtit. Quia cùm hæc actio ex ſua ſubſtantia pertineat ad pietatem, vel amicitiam, qua obſeruamus parentes, vel amicis benefacimus, conſanguinitas, vel amicitia eſt circumſtantia ſubſtantialis eius actionis. Idem dicendum eſt cùm donatur aliquid alicui pauperi titulo ſanctitatis, qui ſanctitatem ſimulat, tenetur reſtituere, quia ea donatio non valet. Ratio eſt, quia iam ille actus pertinet ad religionem, vel obſeruantiam; & licèt ſanctitas ſit accidentalis circumſtantia eleemoſynæ, eſt tamen ſubſtantialis actui obſeruantiæ, vel religionis.

12 Ad vltimum, eſto tale impedimentum ſtatutum quoque ſit iure humano, id non obeſt quod non ſit quoque impedimentum iuris naturalis. Addo ex illo textu non colligi illis verbis apponi nouum præceptum, & ius poſitiuum, ſed ſolùm declarari id, quod eſt naturæ rationali, & ipſi rectæ rationi neceſſariò connexum.

SECTIO III.

Vtrùm error ſolius qualitatis quando eſt antecedens, & dat cauſam contractui, irritet matrimonium.

1 PRo explicatione notandom eſt accidentalem qualitatem contractus duobus modis poſſe comparari ad voluntatem contrahentis. *Primò* vt ſolùm concomitanter ſe habeat, vel quia nihil de illa cogitauit, neque de oppoſito; vel quia ita affectus erat, vt etiam ſi cogitaret, nihilominus actum perficeret. *Secundo modo*, ita vt animus contrahentis ſimul feratur in ſubſtantiam actus, & in illius qualitatem, tanquam in conditionem, à qua vult peodere contractum; vel ſaltem error qualitatis dat cauſas contractui matrimonij, quia aliàs non fieret, ſi error ille abeſſet. Quo præmiſſo, certum eſt

Primò apud omnes, ſi voluntas & animus contrahentis circa qualitatem, vel circumſtantias accidentarias ſe habeat primo modo, validum eſſe matrimonij contractum, etiamſi contingat deceptio circa illas, dummodo non ſit error circa ſubſtantiam. Ratio eſt, quia prædictus contractus eſt ſimpliciter voluntarius; eſt enim actus abſolutus hic & nunc, oeque vllo modo in ſoa ſubſtantia dependens à conditione, vel circumſtantia aliqua extrinſeca, oeque ex animo contrahentis; cuius optimum ſignum eſt contrahentem ad nullam aduertere; igitur validus eſt omoi iure naturali & poſitiuo. Neque enim vt diſpoſitio aliqua valida ſit, neceſſe eſt diſpooentem omoia vniuerſim penetrare, quæ ipſum à tali diſpoſitione retrahere poterant, ſed ſubſtantialia tantùm; alioquin nullus ferè, qui aliquid ab alio acciperet, vel eum alio contraheret, poſſet eſſe io conſcientia ſecurus, eo quòd iuſtè timere poſſet circumſtantiam aliquam, vel circa ipſius mores, vel circa aliquid aliud diſponentem latuiſſe, quam ſi ſciret, animum non haberet diſponendi. Firmo, quia voluntas contrahendi in eo caſu, in quo quis ignoret prædictas circunſtantias, non nititur contrariis, neque illis ducitur tunc ad eo pacto diſponendum. Vnde ſi contraria ad eam diſpoſitionem non coocurrerunt, neque fuerunt illius cauſa, neque ignoratio in eiuſmodi circumſtantiis reddens illam inuoluntariam, ac proinde eſſe omnino validam. Quod rectè addidi intelligi debere, niſi qualitas refundatur in ſubſtantiam, ſeu in perſonam, quando nimirum ex errore qualitatis erratur circa perſonam, vt conſtabit ex dicendis ſect. ſequenti. 2

Secundò mihi videtur certum, contractum matrimonij fore etiam voluntarium & validum, tametſi contrahens ſi ad aliquam qualitatem, vel circumſtantiam extrinſecam aduertiſſet, quæ eum latuit, noo contraxiſſet. Ita notauit noſter Molina cum aliis *tom.* 2. *diſp.* 209. §. *ſecundum eſt*. Qui tametſi loquatur in ſpecie de diſpoſitione gratuita ob cauſam per vltimam voluntatem, aut inter viuos; eadem tamen ratio eſt in omni alia diſpoſitione, aut contractu. Vnde id patet exemplis: nam ſi quis vendat rem alicui, nihil cogitans an ſit amicus, vel inimicus, qui tamen reuera inimicus eſt, valet contractus etiamſi non vendidiſſet, ſi aduertiſſet inimicum eſſe; quia ea circumſtantia, cùm ſit extrinſeca ſubſtantiæ contractus venditionis, non aufert conſenſum plenè voluntarium. Simili ratione mouetur quis paupertate alterius ad elargiendam eleemoſyoam, & eam elargitur, quem tamen latent aliæ circumſtantiæ, vt eſſe infidelem, aut prauis moribus, de quibus tunc nihil cogitat, quas certè ſi cognouiſſet, nulla ratione eleemoſynam elargitus fuiſſet; oihilominus talis elargitio, vel donatio valida eſt, quia ſubſtantia largitionis eleemoſynæ eò tendit vt miſeria & paupertas proximi ſubleuetur, cui accidentale eſt & extrinſecum, quòd ſit prauus, vel infidelis. Similiter ergo ſi quis contrahat cum fœmina, nihil de eius diuitiis, vel oobilitate cogitans, neque de oppoſitis, valet contractus matrimonij, quamuis ſi aduertiſſet ad nobilitatem, vel paupertatem, non contraxiſſet. 3

Tertiò

4 *Tertiò* videtur certum, errorem qualitatis, aut diuitiarum dirimere matrimonium iure naturali, quando matrimonium fit dependenter ab ea qualitate tanquam à conditione. Patet, quia cùm tunc deficiat conditio ſub qua fit contractus, etiam deficit ipſe. Firmo, quia prædicta conditio boneſta eſt, vt, duco hanc ſi diues, aut nobilis ſit; ergo deficiente ea qualitate, cùm deficiat conditio, deficit quoque conſenſus ſub illa præſtitus, atque adeò matrimonium erit nullum. Eſt verò notandum, requiri vt ea intentio apponendi talem conditionem ſit actualis, aut virtualis; hæc enim intentio ſicut ſufficit ad conſtituendum matrimonium ſi affirmatiua ſit; ita ad diſſoluendum, quando eſt negatiua. Non verò ſufficit intentio habitualis. Vnde validum eſſet matrimonium, licèt in hac habituali diſpoſitione eſſet, vt abſtineret matrimonio illo, ſi nollet fœminam eſſe pauperem, vel ignobilem.

5 Denique videtur conſtans apud Doctores, ſi error qualitatis, vt nobilitatis & diuitiarum ſit tantùm concomitans; vt ſi quis contrahat cum Maria, concomitanter cogitans eſſe nobilem, vel diuitem, etiamſi reuera ſit ignobilis, vel pauper, non dirimere matrimonium. Patet, quia talis contractus conſenſus eſt ſimpliciter voluntarius & abſolutus, & independens ab ea qualitate, in quam alio actu concomitanter tantùm fertur; ergo validus.

His præmiſſis reſtat difficultas de errore qualitatis perſonæ quando eſt antecedens, & dat cauſam contractui, quia ineundo matrimonio cauſam præbet & motiuum aliàs non ineundo, an tunc dirimat matrimonij contractum.

6 Medina de reſtitutione *q.33.* cum aliis affirmat dirimere in foro conſcientiæ matrimonij contractum. Quod probari poſſet,

Primò, quia contractus bonæ fidei ex dolo ipſis cauſam præbente initi, ſunt ipſo iure nulli ob defectum libertatis conſenſus; ergo idem dicendum de contractu matrimonij, cùm nihil ſit quod ita conſenſum poſtulet, ac matrimonium. *cap. cum locum, de ſponſal.*

Secundo, ſponſalia irrita ſunt ex quocunque errore dante cauſam contractui vt ineantur; ergo & matrimonij contractus,

Tertiò, quando eſt error qualitatis perſonæ dans cauſam contractui, nequit eſſe perfectus conſenſus in perſonam, qui requiritur ad valorem matrimonij; ergo.

Quartò, qui elargitur eleemoſynam alicui non pauperi, exiſtimans eſſe pauperem, inualidè elargitur, ita vt recipiens teneatur ad reſtitutionem; ergo qui tradit corpus alicui, v. g. non diuiti, exiſtimans eſſe diuitem, inualidè tradit.

Quintò, voluntas ſequitur apprehenſionem intellectus tanquam ducem, vnde eo ipſo quo intellectus apprehendit hanc fœminam vt virginem, vel nobilem, vel diuitem, voluntas non conſentit in illam, niſi ſub tali qualitate cognita; ergo ſi ſit talis qualitatis error, ceſſabit conſenſus, atque adeò matrimonium irritum erit.

Sextò, ad valorem cuiuſcumque contractus requiritur voluntarium. Conſtat autem ex Ariſtotele *3. Ethic c.3.* errorem cuiuſcumque circumſtantiæ tollere voluntarium. *Vltimò*, metus cadens in virum conſtantem irritat matrimonium; ergo & dolus, vel error.

Baſilius verò Ponce *lib.4.c.21.n.7.* hanc ſententiam ſequitur, ſi errans contrahat expreſsè motus à qualitate circa quam errat, & feratur vnico & eodem actu in eam qualitatem, & in perſonam, ita vt feratur in perſonam ea qualitate ornatam. Probat, quia ſine conſenſu non eſt validus contractus; at ſublata ea qualitate, quam contrahens adeſſe credit, aufertur omnino conſenſus. Quod ſic oſtendit, quia mutatâ, vel ablata ratione aliqua in obiecto actus indiuiſibilis neceſſe eſt totam entitatem actus variari: neque enim idem actus voluntatis remanere poteſt, ſi aliquid obiecti in quod fertur voluntas, varietur, ſed actum variari neceſſe eſt. At illa qualitas expreſsè tunc cognita & cogitata in obiecto, & in quam ſimul eodem actu fertur voluntas, pertinet ad rationem obiecti; ergo eâ variata, aut deficiente, deſtruitur tota ratio illius conſenſus, atque adeò nihil remanet vnde ſit validus contractus. Firmat hoc idem, quia in eo caſu talis diſpoſitio virtute eſt conditionalis ex diſponentis intentione, ſi ea ſubſiſtat qualitas, cùm animus contrahentis expreſsè nitatur illi qualitati, & eâ qualitate moueatur, ac ducatur ad contrahendum. At conſtat ſi quis ſub ea conditione expreſsè contrahat tali conditione non ſubſiſtente inualidum eſſe contractum. Igitur idem dicendum in hoc alio caſu, cùm in eo conſenſus ſit virtute conditionalis. In hac re,

Dico *primò*, ſi qualitas in qua erratur, opponatur per modum conditionis in ipſo contractu, atque ideo vnico actu feratur in ſubſtantiam & qualitatem contractus, tunc certum videtur eſſe irritum matrimonij contractum. In hoc ſenſu veram iudico ſententiam Baſilij, & probat argumentum in eius fauorem adductum. Ratio eſt, quia tunc deficiente ea qualitate, deficit conditio, ſine qua non præbet contrahens ſuum conſenſum, hoc verò deficiente, quis dicet matrimonium eſſe validum. Quare ſi quis contraheret cum aliqua, quia exiſtimabat eſſe diuitem, vel nobilem, vel honeſtam, vel virginem, ita vt his qualitatibus ducatur ad contrahendum, & his ita innitatur expreſsè, aliter non contracturus, cùm in hoc caſu talis conſenſus dependeat ab ea qualitate, & illam habeat pro conditione aſſenſus, certum videtur illic inualidum eſſe matrimonium, ſi diues non ſit, aut nobilis, aut honeſta, aut virgo, in foro conſcientiæ ſi ita res ſe habeat. & etiam in exteriori foro ſi probari poſſit. Neque enim in hoc eſt vlla differentia fori conſcientiæ, & contentioſi, cùm iudicium hoc quo iſtud matrimonium decernitur inualidum, non innitatur præſumptioni; ſed veritate conſenſus cognita, idem decerneret forum externum. Firmatur hoc dictum, facto illo quod narrat Baſilius *lib.4.c.21. citato n.13.* ſe nimirum obtinuiſſe in quadam cauſa matrimoniali, vt ex errore in qualitate nobilitatis diſſolueretur matrimonium. Sæpe enim multo antea, & proximè etiam ante matrimonij contractum explicuerat fœmina, ſe quiduis paſſuram, & mortem ſibi illaturam potius, quàm cum certo viro contraheret, ſi Iudæorum ſanguine infectus erat. Vnde cùm in viro talis defectus manifeſtus fuiſſet, matrimonium declaratum eſt nullum. Atque huic ſententiæ ſubdit Baſilius, ſubſcripſiſſe apud Salmanticenſes, Valliſoletanos, Toletanos, Complutenſes, & Matritenſes, viros ex Theologia & Iuriſprudentia doctiſſimos complures, & in Regis curia ferè omnes Iuriſconſultos.

Dico *ſecundo*, hoc non obſtante, abſolutè loquendo, tametſi prædictus qualitatis error det cauſam matrimonio ineundo, non dirimere matrimonium. Ita cum multis Sanchez *lib.7.diſp.18. n.18.* Leſſius *lib.2. de iuſt.& iure cap.17. dub.5.* Coninch *diſp. 31. dub. 1. n.11.* Gaſpar Hurtado *diſp.15. difficult.2.* & communiter omnes Recentiores. Ratio à priori eſt, quia contractus matrimonij, per ſe loquendo, non verſatur circa qualitates, ſed circa perſonas contrahentium, & qualitas ſolum ſe habet per modum rationis impulſiuæ, vel etiam motiuæ, aut cauſæ finalis, quæ eſt omnino 8

ninò

nino acceſſoria & extrinſeca, & conſequenter eius error ſolùm facit inuoluntarium ſecundùm quid, nec impedit eſſentialem coonſenſum, nec perfectum, & ſimpliciter voluntarium, & conſenſum circa perſonam ipſam, quæ eſt materia ſubſtantialis matrimonij. Fitmatot, quia cùm nihil ſit volitum quin præcognitum, quando error eſt in apprehenſione rei non neceſſariæ ad ſubſtantiam & eſſentiam contractus, ipſiuſque intrinſecum finem, ſed in accidenti quodam & circumſtantia extrinſeca; efficit vt contractus ſit quoad eſſentiam & ſubſtantiam voluntarius, atque ideo talis ſimpliciter, inuoluntarius autem ſecundùm quid, & per acidens quantum ad accidens illud, in quo verſatur error. Atque id magis coonſtabit ex ſolutione argumeotorum quæ allata ſunt pro prima ſententia.

9 Nitor etiam huic ſecundo dicto alio firmo ac forti fundameoto: quia modus naturalis teodendi voluntatis in obiectum, abſolutè & oullâ appoſita conditione illud amantis, eſt magis confotmis naturæ ipſius obiecti: vnde quando voluntas eligit ſtatum omnino fixum & indiſſolubile, vt eſt profeſſio, & matrimonium, & electio eſt ſecundùm modum congruentem ſtatui permaneoti. At valde incongruum eſt, ac diſſentaneum, ſtatum ſomere dependenter ab aliis rebus extrinſecis, & accidentariis, præter eas, quæ ſunt de ipſius ſtatus ſubſtantia. Aliter enim fieret multas profeſſiones & pleraque matrimonia cenſenda eſſe irrita, quod cederet in graue damnum & ſcandalum reipublicæ. Quare diceodum eſt voluntatem abſolutam contrahēdi matrimonium ſicut & profitendi, eo ipſo quòd verſatur circa ſtatum eiuſmodi fixum, ac perpetuum, includere virtualem voluntatem ſtatus illius eligendi, etiamſi erretur in aliis circumſtantiis, & qualitatibus accidentariis, & extrinſecis illius ſtatus.

10 Dico *vltimò*, ſpectato etiam iure poſitiuo nunquam errorem ſolius qualitatis, quando non inuoluit errorem perſonæ, irritare matrimooium, niſi ſit error conditionis ſeruilis, de quo diſputatione ſequēti. Ita communiter omnes. Ratio eſt, quia de nullo alio reperitur hoc vllo iure ſtatutum.

11 Ad argumenta oppoſita pro ſententia Medinæ.

Ad primum, negatur antecedens; falſum eoim eſt contractus ſtricti iuris initos ex dolo, dante illis cauſam nou valere: nam contrarium eſt certum; quia licèt fiant ex cauſa in qua errauit; illa tamen eſt extrinſeca, & extra ipſorum naturam, quia dolus ipſe verſatur non circa ſubſtantiam contractus, aut materiæ, ſed circa cauſam contrahendi, quæ rei eſt extrinſcea & acceſſoria, & ideo non tollit conſeoſum ſufficientem ad naturam contractus.

12 Ad ſecundum, conceſſo antecedente negatur conſequentia, ob manifeſtam diſparitatem: nam ſponſalia cùm ſint ex ſe diſſolubilia, non ob ſolum errorem perſonæ, ſed ob multos alios errores irrita ſunt. At matrimonium cùm ſit ex ſe indiſſolubile, & conſtituat ſtatum fixum ac permanentem, non pendet à circumſtantiis extrinſecis & accidentariis, ſed ſolùm ab iis quæ ſunt de ipſius ſtatus ſubſtantia.

13 Ad tertium negatur antecedens, quia, vt dixi, error qualitatis perſonæ nō impedit perfectum & ſimpliciter voluntarium, & conſenſum circa perſonam ipſam, quæ eſt materia ſubſtantialis matrimonij, tametſi error qualitatis quando eſt cauſa contractus matrimonij efficiat inuoluntarium ſecundùm quid: cum hoc autem inuoluntario optimè ſtat voluntariū ſimpliciter, quod ſufficiens eſt ad valorem contractus matrimonij.

14 Ad quartum diſpar eſt ratio: nam ille error in eleemoſyna eſt circa ſubſtantiam illius: nam miſericordia, cuius actus eſt largitio eleemoſynæ, reſpicit per ſe & ſuapte natura paupertatem illius, cui erogatur. At error ſolius qualitatis in matrimonio reſpicit quoddam accidens, nec circa ſubſtantiam verſatur: noo enim matrimonij contractus exterior, & contrahendi conſenſus interior tendit ex eſſentia ſua in perſonæ virginitatem, aut diuitias, ſimilemque qualitatem & circumſtantiam, tanquam in obiectum, à quo ſubſtantia eius dependeat, ſed tantùm in eiuſdem ſingularis perſonæ ſubſtantiam, quæ eadem eſt, ſiue ſit diues, ſiue pauper, ſiue nobilis, ſiue ignobilis, ſiue quauis alia excellenti qualitate prædita ſit, ſiue contrario vitio laboret.

Ad quintum dico, tametſi omnis error ſit cauſa inuoluntarij, non tamen omnis error efficit inuoluntarium ſimpliciter, ſed is ſolus, qui eſt circa qualitatem per ſe, & ex natura rei requiſitam ad ipſius cōtractus eſſentiam. At ſi qualitas ſit extrinſeca, & accidentaria, cùm ſe habeat per accidens ad ſubſtantiam contractus, ſolùm inde conſurgit inuoluntarium ſecundùm quid. Nam cùm nihil ſit volitum quin præcognitum, quando error eſt in apprehenſione rei non neceſſariæ ad eſſentiam contractus, & ipſius finem, ſed in accidenti quodam; efficit vt contractus ſit quoad eſſentiam voluntarius, & talis ſimpliciter, inuoluntarius aotem ſecundùm quid, & quantum ad accidens illud, in quo verſatur error. 15

Ad ſextum dico. Ariſtotelem ſolum errore, vel ignoratiooe alicuius circumſtantiæ actionem reddi non voluntariam. Cæterùm id intelligi debere de circumſtantia quæ pertineat ſubſtātialiter ad actionem, & de actione, quatenus ab ea circumſtantia ſubſtantialiter pendet. Nam etiam ſi igooretur id, quod ſecundùm ſubſtantiam ad actionem non pertinet, non propterea ignoratur ſubſtantia actionis. Cùm autem ſubſtantia actionis non ignoratur, non poteſt eſſe inuoluntaria, quia eſt à principio iotrinſecò, & cognoſcente ſingula in quibus eſt. Videatur de hac re Vaſquez 1. 2. *tom.* 1. *diſp.* 30. hanc rem eruditè & acutè pertractans. 16

Ad vltimum, dico non eſſe ſimile de metu qui irritat matrimonium quando eſt cadens in conſtantem virum. Nam id decreuit Eccleſia, vt vidimus ſuprà, quia tollit perfectam conſenſus libertatem, noo quia voluotarium conſenſum auferat, ſed quia tollit perfectam conſenſus libertatem. Ad dolus cadens in virum prudentem, vel error quando non eſt circa ſubſtantialia matrimonij, non tollit libertatem requiſitam ad matrimonium.

Sectio IV.

An & in quo caſu error qualitatis, aut fortunæ matrimonium dirimat.

COmmunis omnium & vera reſpōſio eſt, dirimere in duobus caſibus. Prior eſt, quando alter coniugum non habet abſolutam cum altero contrahendi voluntatem, ſed conditionatam tantùm, & alligatam ad conditionem qualitatis, aut fortunæ quam in eo requirit, ita vt ſi deſit ei iſta conditio, nolit cum eò contrahere matrimonium, ſiue conditionem quam in eo exigit, exprimat exteriùs, ſiue non exprimat. Ita coonſtat ex præcedenti ſectione *num.* 4. Quia non ſtāte conditione quam interior conſenſus in matrimonium inuoluit, ſicut ille conſenſus in matrimonium eſt nullus, ita & nullum eſt matrimonium. 1

Poſterior

Poſterior eſt, cùm qualitatis error in perſonæ redundat errorem. Tunc enim non ſolius qualitatis error eſt, ſed etiam perſonæ qui matrimonium iure naturæ dirimit, vt vidimus ſuprà ſectione ſecunda.

Hinc verò oritur triplex difficultas.

2 *Prima* eſt, quando error qualitatis inooluit errorem perſonæ. Nam Baſilius Ponce *lib. 4. cap. 22 n. 1. & 2.* poſtquam præmiſit Thomam Sanchez, & Ægidium Coninchium valde in eo laborare, & rem ipſam inexplicatam relinquere, docet errorem illius qualitatis refundi in errorem perſonæ, quando & quoties animus contrahentis expreſsè fertur in perſonam ſub ea qualitate tanquam conditione aſſenſus. Quare quoties conſenſus fertur in fœminam aliquâ conditione veſtitam expreſsè, error refunditur in errorem perſonæ. Quia ſi deſit illa conditio, iam non eſt illa perſona in quam conſentit, veſtita illis qualitatibus, ſed alia longè diuersâ.

3 Cæterùm dicendum eſt optimè Sanchez & Coninchium rem ipſam comprehendiſſe, ac explicaſſe. Ad cuius maiorem declarationem notandum *primò*, conſenſum contrahentium ſiue ſponſalia, ſiue matrimonium neceſſariò debere ferri in perſonam determinatam omnino. Vnde ſi Petrus contraheret cum filia Pauli, nullam in particulari determinando, ſi hic plures haberet, inualidè contraheret. Vt autem intendat cum aliqua determinatè contrahere, omnino neceſſarium eſt, vt ipſi in particulari determinatè proponatur. Ratio eſt manifeſta, quia voluntas nunquam fertur in incognitum; ergo nunquam fertur in aliquid determinatum, niſi determinatè cognitum, ſeu ab intellectu ſic apprehenſum.

4 Præterea obſerua nos duobus modis ſolere aliquam perſonam cognoſcere ſingularem de ea conceptum formando. *Primò* cognoſcendo eam in ſe per eiuſdem viſum, aut familiaritatem, quæ etiam per litteras haberi poſſet. *Secundò* cognoſcendo eam ſolùm ſecundùm aliquam qualitatem, qua nobis ab aliis deſcripta eſt.

5 His præmiſſis dico cum Sanchez *lib. 7. diſp. 18. n. 26.* & Coninch *diſp. 31. dub. 1. n. 13.* ſolius illius qualitatis errorem inuoluere errorem perſonæ, quæ determinat intellectum contrahentis, vt certam & determinatam omnino perſonam concipiat, cum qua hic & nunc intendit contrahere, eamque diſtinctam ab ea cum qua externù celebrat contractum. Ratio eſt, quia errorem qualitatis inuoluere errorem perſonæ in caſu præſenti, nihil eſt aliud, quàm illum eſſe cauſam cur quis credat hanc perſonam cum qua exteriùs contrahit eſſe aliam quàm reuera ſit, ita vt verum ſit ipſum non intendere cum hac contrahere, ſed cum ea quam hanc putat eſſe, hoc autem in ſolo illo caſu fit; ergo. Firmo, quia, vt notaui, conſenſus cõtrahentium neceſſariò debet ferri in perſonam omnino determinatam. At vt quis intendat cum aliqua determinata contrahere, omnino neceſſarium eſt vt ipſi in particulari determinatè proponatur. Igitur nunquam error qualitatis quæ non deſignat perſonam omnino determinatam, inuoluet errorem perſonæ; quia illa qualitas nequit intellectum inducere, vt determinatam perſonam concipiat, vel voluntati proponat. Hinc

6 Colligo *primò*, cùm quis aliquam perſonam in ſe verè cognoſcit, falſitatem qualitatum quantumuis particularium quæ putantur ineſſe, non inducere errorem perſonæ. Quia harum narratio non efficit vt alter concipiat hanc aliam eſſe perſonam, quàm reuera ſit, ſed vt concipiat ei ineſſe alias qualitates, quàm reuera ſint.

7 Colligo *ſecundò*, ſi dubium ſit, an cognitio illa perſonæ tanta ſit, vt falſa de ea narratio non poſſit inducere errorem perſonæ; tunc videndum eſſe an perſonæ cognitio in ſe præceſſerit illam narrationem, an verò econtra; nam tunc prior cognitio eſt præferenda. Patet, quia cùm quis ſucceſſiuè diuerſas cognitiones eiuſdem perſonæ, ſiue veras, ſiue falſas, accepit: prima eſt cæteris paribus præcipuè attendenda: quia per illam ipſe conceptum certæ perſonæ ſibi formauit, quem per reliquas cognitiones, niſi ſint longè euidentiores, non mutat, ſed has perſonæ primò conceptæ conuenire credit, niſi aduertat inter eas repugnantiã: vnde inter diuerſas ſucceſſiuas cognitiones, prima eſt, quæ præcipuè voluntatẽ determinat. Explicatur id manifeſto exemplo: nam Petrus, v.g. incidit in aliquam perſonam ſibi incognitam, agit aliquantulum cum ea; deinde rogat quænam ſit, & falsò ei dicitur eſſe filiam vnicam talis docis; deinde eam ducit in vxorem, eſt ſolùm error qualitatis, & matrimonij contractus validus eſt; quia Petrus determinatur ad concipiendam certam perſonam ex priori conuerſatione, & per eam narrationem non determinatur, vt putet eam eſſe aliã ab ea cum qua agit, ſed vt putet ei talem qualitatem aduenire. Econtra verò Franciſcus promittit Petro filiam ſuam primogenitam, ei aliâs incognitam, deinde mittit ad eum ſecundogenitam, & iſte ducit eam credens eſſe primogenitam, eſt manifeſtè error perſonæ; quia intentio ipſius abſolutè fertur in primogenitam ſibi promiſſam. Quod verum eſt etiamſi primogenita iam eſſet defuncta; quia inde non fieret vt ſecundogenita eſſet illa cum qua ſponſus intendit contrahere.

Secunda difficultas eſt, quid ſit dicendum in eo ca- 8
ſu quem affert Tabiena *ve b. Impedimentum, impedimento 1. q 4. n. 5.* vbi refert quendam à Petro, v.g. petiiſſe in vxorem ipſius filiam ſecundogenitam valde pulchram; Petrum verò negaſſe, ſed promiſiſſe ei primogenitam iuueni ignotam, iuuenis petiit eam oſtendi cuidam amico, à quo de illius pulchritudine certior fieret; dictus Petrus pater doloſè filiam ſecundogenitam oſtendit amico, eo quòd primogenita deformis eſſet; iuuenis ergo inſtructus de fœminæ pulchritudine, eoque errore ductus cõtraxit cum primogenita; exiſtimans eſſe eam quæ amico exhibita fuerat: dubitatum fuit, an ſolius qualitatis error eſſet, atque adeò matrimonium valeret. Reſpondit Tabiena fuiſſe errorem ſolios qualitatis, quia iuuenis non poterat contrahere cum ſecundogenita, quàm negauerat pater, & ſolùm ei conceſſerat primogenitam. Baſilius verò *lib. 4. cap. 22. n 3.* exiſtimat, etiamſi illam priùs negaſſet pater, non rectè reſpondiſſe Tabienam, ſed eſſe errorem qualitatis refuſum in errorem perſonæ. Quia cùm non fuerit amico oſtenſa primogenita, non potuit matrimonium ſubſiſtere cum ea quæ non fuit oſtenſa. Cæterùm mihi videtur Tabienam rectè reſpondiſſe, ſolius qualitatis fuiſſe errorem; quia non potuit conſenſus iuuenis dirigi in ſecundogenitam, ea quippe denegata fuerat illi, & ſola primogenita conceſſa; ergo verè direxit conſenſum in primogenitam ſibi oblatam; ergo ſolum fuit error circa eius pulchritudinem. Ita Sanchez *diſp. 18. n. 35.* & Coninch *diſp. 31. n. 18.*

Sed adhuc circa eundem caſum dubitat Tabiena 9
quid dicendum eſſet ſi ſecundogenita non fuiſſet denegata; aitque caſum dubium, & videri errorem perſonæ. Cæterùm ipſe exiſtimo quòd fuiſſet validum matrimoniom; quia intentio iuuenis ſemper ferebatur in primogenitam ſibi promiſſam, quam falsò credebat amico oſtenſam, & eſſe pulchram,

10 *Tertia difficultas* eſt, quid dicendum eſſet, ſi pater plures filias habens, nullam in particulari promiſiſſet, ſed vnam ex pluribus, & tunc vnam oſtenderet amico, & aliam traderet. Reſpondeo cum Sanchez *cit.* ſi pater vnam ex ſuis filiabus oſtendiſſet, & alterã tradidiſſet, inualidum fore matrimonium. Ratio eſt, quia iuuenis intentio determinata fuit ad filiam oſtenſam, cùm ad nullam aliam potuiſſet determinari, vt videtur manifeſtum.

11 Vrgebis, quid eſſet dicendum, ſi pater oſtendiſſet aliquam filiam non ſuam, & ſuam tradidiſſet, validum ne eſſet matrimonium? Dico cum Coninchio *citato*, inualidum fore matrimonium, ſiue pater dediſſet vnam ex ſuis filiabus, ſiue illam quam oſtendit. Ratio eſt, quia iuuenis intentio in nullam determinatè potuiſſet ferri: non in illam oſtenſam, quia ille nullam aliam ducere intendebat, niſi filiam illius patris; neque etiam in filiam illius, cùm oſtenſa non eſſet; & nulla maior eſſet ratio cur determinaretur in vnam, quàm in aliam: at, vt ſuprà dixi, conſenſus contrahentis neceſſariò debet ferri in perſonam omnino determinatam.

12 Ex his colligo non eſſe errorem perſonæ, ſi quis mentiatur, dicens ſe eſſe vnigenitum, v.g. Ducis Gandiæ, ſi reuera eius filius ſit, tametſi alios habeat filios. Ratio eſt, quia cùm nõ erretur in filiatione, non erratur in perſona, ſed in ſola illa qualitate, ſeu potiùs negatione aliorum filiorum. Aliter verò dicendum, vbi quis dicit ſe eſſe primogenitum talis ducis, cùm ſit ſecundogenitus; quia ea nota indicat præſcriptum ac determinatum filium.

SECTIO V.

An peccet qui per dolum, vel errorem qualitatis, v.g. virginitatis, inducit alium ad matrimonium.

1 DVbium hoc quaſi affine præcedentibus viſum eſt mihi hoc loco examinare. Et quidem in genere loqnẽdo, videtur eſſe grauis culpa, ſi ex dolo, vel errore qualitatis emergat alteri graue damnũ, vt quòd mulier, vel vir ſit valde ignobilis, vel pauper, cùm oppoſitum putetur. Addo tamen fortè excuſari à peccato mortali, quia id iam eſt ita in vſu, vt omnes ſciant ſolere in matrimoniis intercedere eiuſmodi fraudes, vnde videntur eo ipſo contrahentes cedere iuri ſuo. Vſus enim communi contrahentium aſſenſu receptus eſt, ne contrahentes, vel mediatores detegant propria vitia, ſeu defectus, vel eorum quorum mediatores ſunt. Quod vulgare prouerbium teſtatur, *No ay caſamiento pobre, ni noma fea.* Vnde vnicuique contrahentium incumbit vt aliunde fiat certior: iam enim nouit, vel noſſe debet nullum ex ipſis contrahentibus ſuos defectus detecturum, vnde hac in re æqua eſt vtriuſque conditio, & ideo nulla videtur eſſe iniuſtitia.

2 Eſt verò peculiaris difficultas de ſpeciali dolo, ſeu errore in caſu ſatis frequenti, nempe quo puella, aut eius parentes, vel alij qui ſciunt ipſam non eſſe virginem, & tamen eam tradunt viro qui eam virginem credit, nec eam nuberet ſi aliàs virginem non eſſe illi notum eſſet; peccant ne iſti mortaliter.

3 Pars affirmans videtur eſſe Nauarri *cap. inter verba in 2. editione, concluſ. 1. corollario 16. numer. 60.* & Soti *in 4. d. 29. quaeſt. 2. a. 3. poſt 3. concluſionem.* Probari poteſt

Primò, quia matrimonium eſt quædam inſtar venditionis ſpecies, vbi vir eſt quaſi emptor, & mulier venditrix: at venditor lege iuſtitiæ tenetur vitia rei venditæ ſaltem latentia indicare emptori, vt cum D. Thoma *2. 2. q. 77. a. 3.* docent omnes. Imò & vitia manifeſta, quando emptor ignorantia inculpabili laborat. Igitur peccat lethaliter contra iuſtitiam ſponſa quæ vt virgo nubit celans illud vitium, & interceſſores ſimiliter in tali matrimonio.

Secundò, prædicta ſponſa vtens mediis ne vir percipiat defectum virginitatis, ſignificat factis & ſignis eſſe virginem, cùm tamen non ſit; ergo mentitur, & decipit virum; cumque ſit deceptio in re notabili, erit mendaciũ pernicioſum, atque ideo culpa lethalis. Nec valet reſpondere, neminem teneri ſe prodere. Non, inquam, valet, quia id intelligunt Doctores verum eſſe, quando coactus & citra ſuam voluntatem conſtituit ſe in aliquo ſtatu. Cæterùm in caſu præſenti voluntate ſua eligit fœmina illa nubere, ac decipere. Igitur tenetur vel ab eo matrimonio diſcedere, vel vitium ſuum patefacere quo vitetur alterius deceptio.

Tertiò, prædicta ſponſa de futuro meritò tenetur reſtituere, nec poſſet retinere arrhas ſibi debitas, ſeu, quod vulgò dicitur, *el eſcreix.* Nam cùm detur ob virginitatem honorabilem, vt exprimunt Notarij in publicis inſtrumentis; ceſſante ea cauſa donationis, ceſſabit etiam eius effectus, & ſic non poterit eas retinere in conſcientia; ergo ſignum eſt iniuſtitiæ peccatum commiſiſſe.

Vltimò, ſi vir initiatus ſit Ordinibus ſacris volens priuilegio clericali frui, ſi talem defectum virginitatis in ſua muliere perciperet, id ægerrimè ferret priuilegiũ Clericale per bigamiam amittens, ipſamque vel interficeret, vel ea relicta ad Indos proficiſceretur, vel aſperrimè tractaret, vitamque diſcordiis plenam ageret; ergo tutius eſt, vt talis fœmina illi non nubat, niſi patefacto defectu.

Dico *primò*, certum videri, ſi probabile ſit ac veriſimile maritum habiturum illius defectus virginitatis in ſponſa ſua notitiam, & ægerrimè laturum, ac vitã diſcordiis plenam acturum, ac malè vxorẽ tractaturum, eſſe peccatum mortale contra charitatem illi nubere, eo tacito defectu. Patet, quia datur grauis occaſio & cauſa actiua ſcandali, ac multorum criminum, quòd virgam occidat, vel deſerat, vel immaniter tractet; quæ damna vtpote grauiſſima ſaltem lex charitatis vitare obligat. Vnde meritò Nauarrus *citat.* dixit ſe in hoc caſu non audere oppoſitum alicui conſulere. 4

Dico *secundò*, ſi prædictum vitium, vel defectus virginitatis ita benè celetur per aliqua remedia adhibita, vt non ſit periculum quòd vir rem deprehendat, nullam eſſe culpam tegere illum defectum, vel aliis mediis aliàs licitis, vti ad illum tegendum. Ita benè Sanchez noſter *lib. 6. de matrimonio diſput. 27. num. 9.* Moueor hac efficaci ratione, quia abſolutè non ſit in eo contra iuſtitiam, nec contra charitatem; ergo ibi nullum eſt peccatum. 5

Primam partem antecedentis non eſſe contra iuſtitiam probo, quia cùm omnes ſciant ſolere in matrimoniis vltrò citroque intercedere ſimiles fraudes, nec eſſe in vſu vt contrahentes manifeſtent vitia ſua, eo ipſo videntur cedere ſuo iuri quoad hoc, nec per eum dolum graui ſaltem iniuria affici, ſed quiſque ſibi caueat, & aliunde certior fiat, & æqua eſt vtriuſque conditio, quia nec vir ſolitus eſt vitia quæ patitur manifeſtare; ergo non ſit contra iuſtitiam, quæ non violatur ſcienti & volenti, & vbi eſt æqua vtriuſque conditio. Firmo, quia durum eſſet, ac onus intolerabile prædictas fœminas cogere vt innuptæ permaneant. Et vix audebit aliqua pro- 6

prium vitium detegere, & eo detecto nulli niſi infimæ ſorti viro nubet.

Secundam partem antecedentis, non eſſe contra charitatem patet, quia cùm duriſſimum ſit cogere iſtas puellas manere ſemper innuptas cum periculo maiorum damnorum; & ſic durius adhuc cogere eas vt detegant tam graue vitium cum tanta infamia; neque ſit damnũ notabile quod inde incurrit vir, præſertim cùm iam per dicta remedia celauerint vitium quãtum potuerunt, ad quod grauiſſimè, vt dixi, ſunt obligatæ, ſuppoſito quòd velint nubere ne ſequantur grauiora damna, nempe mortem vxorum, vel odium perpetuum, ac diſcordias in matrimonio; hinc eſt vt cum tanto damno non videantur teneri ad detegendum illum defectum; nam charitas non obligat cum tanto damno. Firmatur, quia ſponſus in hoc caſu nullum graue damnum incurrit, vt conſtat. Ex alio capite, vti illis mediis ad defectum illum tegendum non tendit ad virum decipiendum vt ipſam ducat, cùm ante matrimonium non ſit ad eam acceſſurus, & acceſſu experturus, an ſit virgo; ne poſt matrimonium initum, quando neutri reſilire iam licet, vir defectu virginitatis percipiat, ac malè vxorẽ tractet; ergo.

6 Dico *tertiò*, ſi veriſimile ſit fore, vt vir eo defectu percepto non valde ægrè ferat, nulla ſimiliter eſſe culpam tegere illum, & vti mediis licitis ad illum tegendum. Moueor eiſdem rationibus adductis præcedenti dicto: præſertim, quia ſemper duriſſimum eſt cogere iſtas fœminas vt detegant tam graue vitium cum tanta infamia.

7 Dico *vltimò*, ſponſam creditam virginem à ſponſo, cùm tamen virgo non ſit, non teneri reſtituere arrhas, ſiue *eſcreix*. Ita latè noſter Sánchez cum aliis Doctoribus, quos refert *lib. 5. diſp. 27. n. 4. & 5.* Ratio eſt, quia non conſtat ex aliquo iure dari in virginitatis præmium; cùm ita poſſent dari viduæ, & aliter corruptæ, ſicut virgini. Et quamuis virginitas eſſet cauſa donationis arrharum: at non ea ſola; dantur enim in remunerationem dotis, & vt ipſa vxor ditior ſit ad ſuſtinendam vidualem vitam, in qua præſumitur fore vt permaneat, qui finis nunquam ceſſat. Firmo, quia, vt optimè explicat & probat noſter Molina *tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 209. n. 4.* vbi non eſt error in principali cauſa donationis, ſed in aliquibus circumſtantiis, licèt eæ tales ſint, vt ſi cognitæ eſſent, è tali donatione retraherent donantem, velletque donationem non valere, adhuc non vitiatur donatio, vt conſtat exemplo, ſi quis paupertate motus donet alicui eleemoſynam, ignorans eum eſſe infidelem, vel perditum moribus, quod ſi noſſet, non daret, imò vellet donationem eſſe nullam; ſi tamen verè pauper eſt, valet donatio, eo quòd motus non fuerit ad donandum ex oppoſitis eorum, quæ ipſum latebant, & quæ à donando retraxiſſent, ſed ex paupertate, quæ verè ſubſiſtebat. At in noſtro caſu cauſa principalis & finalis donationis arrharum, non eſt virginitas ſponſæ, imò ea eſt impertinens: ergo error in circumſtantia virginitatis non vitiat donationem, licèt ſi cognitus eſſet defectus, retraheret à donatione. Confirmo idem, quia arrhæ ſuccedunt in Hiſpania loco donationis, propter nuptias, vt latè oſtendit noſter Sanchez *lib. 6. diſp. 1. n. 1.* vbi etiam docet donationem propter nuptias dari in præmium dotis vxoris, & eſſe quaſi dotem viri; ergo arrhæ ſunt propriè donatio in præmium dotis. Quare optimè noſter Molina *tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 431. § Dubium eſt ob quam cauſam*, fatetur ad nullam cauſam reſtringi arrharum donationem; atque adeò quamuis ceſſet virginitas, non euaneſcet ea donatio.

8 Ad argumenta oppoſita.

Ad primum dico diſparem eſſe rationem in aliis contractibus, in quibus non eſt communi conſenſu receptum, vt liceat vitia occulta tegere, imò aduerſùs tegentem datur actio etiam in foro externo. At in contractu matrimonij illud eſt iam communi vſu & conſenſu receptum, vt dictum eſt.

Ad ſecundum, reſpondeo ſi ipſa fœmina vteretur illius mediis animo ſe fingendi virginem, eſſe mendacium, ſed non lethale, niſi in caſu propoſito ſuprà *dicto primo*. At ſi non animo fingendi ſe virginem, ſed tantùm ſuum vitium tacendi, & celandi, & ita vtendi iure ſuo, non eſſe mendacium. Quia, vt docet D. Thomas 2. 2. *q.* 111. *a.* 1 *ad* 4. tacere, & bonis mediis occultare vitium, non eſt mentiri.

Ad tertium, negatur antecedens, vt conſtat ex *dicto vltimo*. Eam verò clauſulam Notariorum notat Sanchez *n.* 4. ex errore, & imperitia ipſorum apponi, 9
quia *l.* 87. *tit.* 18. *p.* 5. vbi deſcribitur forma inſtrumenti donationis arrharum, non continentur ea verba, quæ communiter Tabelliones apponere ſolent in honorem virginitatis, ſed tantùm *por razon del caſamento*. Vnde nihil operantur illa verba Tabellionum, cùm actum geſtum immutent, quia iure attento non dantur in præmiũ virginitatis. Neque etiam illa verba cẽſentur appoſita ex voluntate partiũ, id enim non conſtat; apponuntur igitur ex ſtylo ipſorum Tabellionũ.

Ad vltimum, iam dictum eſt, ad damna illa vitanda grauiter obligari fœminam illud vitium tegere, ac ita adhibitis efficacibus remediis licitis bene illud celare, vt non ſit periculum quòd vir illud deprehendat, vt conſtat *dicto ſecundo*.

DISPVTATIO XXV.

De ſecundo impedimento matrimonium dirimente, nempe de errore conditionis ſeruitutis.

PRÆTER errorem perſonæ, & qualitatis, de quibus dictum eſt præcedenti diſputatione, eſt alius error conditionis ſeruilis, qui abſolutè appellatur conditio, cùm contrahens liber exiſtimat ſe contrahere cum libera, & eſt ancilla, qui eſt impedimentum matrimonium dirimens, de quo in præſenti diſputatione. In ea verò quatuor ſunt breuiter explicanda. *Primum*, impedimentum ipſum conditionis ſeruilis. *Secundum*, poſſibilitas matrimonij cum ſeruiture adhuc inuito domino, ita vt integrum ſit ſeruis contra domini voluntatem matrimonium contrahere. *Tertium*, quo pacto ſe gerere debeat dominus cum ſeruo coniugato, & econtra ſeruus coniugatus cum ſuo domino. *Quartum* denique, cuius parentis conditionem ſequantur filij quoad ſeruitutem.

SECTIO I.

An conditio ſeruitutis ignoratæ dirimat matrimonium contrahendum.

NOn eſt ſermo de ſeruis aſcriptitiis, qui ita dicuntur, quia agro, vel prædio colẽdo ſunt perpetuò aſcripti, inde nunquam receſſuri, dominiſque prædiorum annuos redditus omnes reddituri, ſolùm ea quæ vitæ ſuæ ſuſtentãdæ neceſſaria ſunt, indè deducentes; quorũ filij dicuntur originatij, qui præter hanc obligationem, quam perpetuam habent, aliàs liberi 1
ſunt

ſunt, nec à domino vendi poſſunt, nec ipſum, ſed agrum, ad quemcumque veniat, ſequuntur. Non, inquam, ſermo eſt de iſtis: quia certum eſt cum illis matrimonium per ignorantiam, vel per errorem contractum validum eſſe. Cùm enim hi propriè ſerui non ſint, ſed liberi, tametſi ad certas operas teneantur, nullibi talia matrimonia irritantur. Quia, vt videbimus, Eccleſia non irritauit matrimonium ex cuiuſcomque conditionis errore, ſed ſolius verè ſeruilis, qualis non eſt in ſeruis aſcriptitiis, vel originariis. Sermo igitur eſt de propriè ſeruis, qui *mancipia* dicuntur in quos dominus plenum ius habet eos vendendi, & quibuſuis operibus occupandi.

2 Dico igitur *primò*, certum eſſe conditionem ſeruitutis propriè ſumptæ pro ſtatu mancipij, quæ abſolutè nomine conditionis ſignificatur, dirimere matrimonium; nimirum errorem, aut ignorantiam ſeruitutis reddere irritum matrimonium ſerui cum libera ignara ſeruitutis, & econtra ſeruæ cum libero ignaro ſeruitutis. Hoc cõſtat ex variis textibus, quos ſequenti ſectione adducam. Fauet quoque congruens iuris ratio; quia prædictus error tametſi non ſit contra ſubſtantiam matrimonij, vt videbimus, aduerſatur tamen non parum bonis matrimonij; nempe bono ſacramenti & indiuiduæ cohabitationi, cùm ſeruus debeat in domo domini cohabitare, & ab eo poſſit mitti in partes remotas ibi vendendus; bono fidei, quia non poteſt ad libitum reddere debitum, ſed cùm ei vacauerit, ſatisfeceritque obſequiis, in quibus à domino occupatur: denique bono prolis, quia nequibit eam alere, cùm omnia domino acquirat, nec erit in parentis poteſtate vt religioſè educetur. Vnde infero, ſi libera contrahat cum mancipio, putans eſſe liberum, reddere irritum matrimonium, etiamſi dominus poſt matrimonium, manumiſerit mancipium, & cum eodem libero facto alter coniux adhuc inſcius copulam habuerit animo maritali, etiamſi adſint ea, quæ iure nouo Concilij Tridentini neceſſaria ſunt ad valorem matrimonij; quia talis copula habita eſt virtute primi conſenſus, qui nullus fuit.

3 Dico *ſecundò*, certum etiam eſſe apud Doctores, vt notauit Rebellus *lib. de matr. ſect.* 1. *r.* 19. matrimoniũ liberi cum liberta, id eſt, cum ea, quæ ancilla fuit, iam tamen libertate donata eſt, validum eſſe. Patet, quia eius conditionis error, non eſt præſentis, ſed præteritæ tantùm ſeruitutis, nec obſtare poteſt matrimonij firmitati; ergo non dirimit illud. Firmo, quia in hoc euentu omnia incommoda ceſſant; ergo non eſt cur tale matrimonium dirimatur.

4 Notat verò prædictus Rebellus *n.* 12. matrimonium liberi cum liberta ad tempus nullum eſſe, vnde vt validum ſit, oportere vt ſit liberta abſolutè, id eſt, perpetua libertate donata. Ego verò dico cum noſtro Sanchez prædictà *diſput* 19 *n.* 13. ſi libertas pro tempore determinato concedi validè poſſet, verè opinatus fuiſſet Rebellus; quia ſimpliciter eſſet ille ſeruus, cùm eo tempore conceſſæ libertatis tranſacto, ad ſeruitutem reduci deberet. Cæterùm, quia ex iure conſtat, vt optimè oſtendit Sanchez *citatus*, libertatem concedi non poſſe pro tempore determinato, ſed ſemel pro quocumque tempore conceſſam, eſſe perpetuam, & libertatem ſemel acquiſitam reuocari non poſſe, ideo dicendum eſt valere matrimonium liberi cum ancilla, cui pro certo tempore donata eſt libertas; quia ancilla illa eſt iam omnino, & perpetuò libera.

5 Dico *tertiò*, mihi videri ſatis probabile, quod docet Sanchez *diſp.* 19. *cit. n.* 9. valere matrimonium liberi cum ſerua, ſi ſerua ſit iam ſtatu libera, id eſt, ſi ſit ei conceſſa libertas acquirenda poſt certum tempus, modò hoc ſit breue. Ratio eſt, quia hoc pro nihilo computatur, nec ex eo ſequi poſſunt grauia incommoda quæ ius cupit euitare, propter quæ irritauit matrimonium liberi cum ſerua, quia ſtatim ac initum fuerit matrimonium, iam intra breue tempus eſt acquirenda libertas; nullius enim momenti eſt præiudicium quod obligari perfectè & liberè nequeat ad reddendum debitum & cohabitandum, quin occupari à domino poſſit, cùm breui duraturum ſit impedimentum; neque poteſt iam ea ſerua per venditionem ſeparari, atque ita non erit contra bonum ſacramenti, nec prolis Et ſi attendatur dedecori contrahẽdi, nimirum cum reuera ancilla; idem profectò ſequitur ex matrimonio cum liberta: parum enim refert paulo antè fuiſſe ſeruam, & tunc eſſe liberam; aut tũc eſſe ſeruam, & citò futuram liberam. Et tamen, vt dixi cum communiſſima ſententia, matrimonium cũ liberta valet, ignorata conditione. Firmo, quia, vt dicam infrà *ſect.* 4. valet matrimonium, quando dominus collocat in matrimonium ancillam cum libero ignorante ſeruitutem, quia ſtatim ac initum fuerit matrimonium, conſequitur per illud illa ancilla libertatem; cùm tamen verè tempore conſenſus coniugalis fuerit ancilla; ergo idem dicendum in præſenti caſu.

Solùm dubitare quis poſſet, quale tempus cenſeatur breue, vt pro nihilo computetur, ne ex eo ſequantur grauia incommoda. Sanchez vult breue tempus eſſe quod eſt minus ſex menſibus, quia in iure cenſetur eſſe hoc modicum tempus, & quod modico tempore durat pro nihilo reputatur, & intra illud tempus non poteſt à domino vendi, nec procul allegari, nec etiam ex matrimonio parere; & conſequenter ſoboles eſſet futura libera. Secus ſi tempus eſſet futurum longius, quia proles concepta fieret ſerua, & alia incommoda ſequerentur. 6

Dico *vltimò*, in foro conſcientiæ non valere matrimonium liberi cum ancilla cum errore conditionis ſeruilis, etiamſi per decennium ſe tanquam libera geſſerit, nulla circa ſeruitutem ipſi controuerſia mota Ita bene Sanchez *diſp.* 19 *cit. n.* 6. Contrarium docent alij ex *cap. licet, de coniugio ſeruorum*, vbi non auditur fœmina allegans viri ſeruitutem, qui probabat decennio ſe tãquam liberum geſſiſſe. Quoniam eo decennio libertas præſcribitur. Imò quinquennio, vt ait *ibi* Gloſſa *verb. decennio*, ſic dicẽs; ſufficit tamen quinquennium. Probatur tamen concluſio, quia in foro conſcientiæ nõ conſurgit matrimonium, niſi poſt præſcriptam libertatem nouus adfuerit conſenſus, cognita prioris matrimonij irritatione, vt quãdo ancilla illa eſſet iã manumiſſa; quia conſenſus ab initio nullus fuit, & illa ignorantia ſemper durat; & libertas poſtea poſt decennium, vel quinquennium ſuperueniens ratione præſcriptionis, non reputatur nouus conſenſus; ergo non valet matrimonium illud. Dixi, *in foro conſcientiæ*; quia in foro externo in eo caſu matrimonium præſumeretur.

SECTIO II.

Quo iure error conditionis ſeruilis dirimat matrimonium.

SVnt qui affirment, inter quos Palacius *in* 4. *diſt.* 30. *q. vnica concluſ.* 5. Syluester *matrimonium* 6. *?.* 1
1. Angles 1 *p. matr. q.* 10 *de errore conditionis a.* 1 *dubio* 1. *concluſ.* 1. dirimere iure naturali. Probant

Primò, quia iura canonica non irritant eiuſmodi matrimonium, ſed ſupponunt eſſe irritum; in nullo

Digitized by Google

enim Canone prædictum matrimonium irritatur, ſed tantùm ſupponitur eſſe nullum; ergo iure naturæ irritum eſt.

Secundò, ſeruus nequit reddere debitum niſi quando domino placet; vnde corpus mancipij videtur eſſe impeditum ad vſum coniugalem, cùm iſte pendeat ex voluntate domini; ergo ſeruus iure naturæ irritè contrahit: patet conſequentia, quia tali iure irritè quis contraheret cum hac conditione, vt non teneretur reddere debitum niſi quando alicui tertio placeret.

Tertiò, venditio rei, cuius vſus pendet ex voluntate alterius, eſt nulla, quando tacetur & ignoratur dictus defectus, quia venditio eò intrinſecè tendit, vt dominium cum libera vſus rei venditæ poteſtate, tranſeat in emptorem; ergo matrimonium per quod ſeruus tradit liberè dominium ſui corporis, tacito impedimento illo liberi vſus, & ab alio independentis, eſt iure naturæ irritum, cùm vſus corporis ſerui pendeat magna ex parte ex domini voluntate.

Quartò, ſi prædictum matrimonium non eſſet nullum iure naturæ, certè natura ipſa in re neceſſaria deficeret, quia grauiſſima iniuria irrogatur coniugi decepto, nec reparari poteſt exiſtente valido matrimonio; ergo deficiens fuiſſet non conſulens prædicto errori.

Quintò, conditionis ſeruilis error valde aduerſatur bonis matrimonij, vt dixi præcedenti ſectione, *dicto primo*; ergo iure naturæ dirimit matrimonium.

Vltimò, pro hac ſententia eſt D. Thomas *in 4. diſt. 30. quæſt. 1. art. 2. in corpore*, ſic dicens: Oportet quòd error qui matrimonium impedit, ſit alicuius eorum quæ ſunt de eſſentia matrimonij. Duo autem includit matrimonium ipſum, ſcilicet perſonas quæ coniunguntur, & mutuam poteſtatem in inuicem, in qua matrimonium conſiſtit. *Primum* autem tollitur per errorem perſonæ: *ſecundum* per errorem conditionis, quia ſeruus non poteſt poteſtatem ſui corporis alteri tradere ſine conſenſu domini ſui, & propter hoc hi duo errores matrimonium dirimunt, & non alij. Ecce quomodo S. Doctor eodem modo loquatur de hoc duplici errore, atque adeò vterque ex illius ſententia eodem iure naturæ matrimonium dirimet.

2 Communior & vera ſententia aſſerit, errorem ſeruilis conditionis ſolo poſitiuo iure Eccleſiaſtico matrimonium dirimere. Ita multi, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 7. diſp. 19. n. 16.* Coninch *diſp. 31. dub. 2. n. 22. & ſeqq.* Rebellus *lib. 3. ſect. 2. n. 13. & 14.* Ludouicus Mæratius *tract. de matr. diſp. 10. ſect. 2. n. 6. & ſeqq.* Gaſpar Hurtado *diſp. 14. dif. 1. 2. & ſeqq.* & alij cum D. Thoma *q. 52. additionum a. 1. ad 3.* iuxta quam

3 Dico *primò*, certum eſſe apud omnes DD. prædictum errorem, & conditionem ſeruitutis non dirimere matrimonium iure diuino. Patet, quia de eo iure nullibi conſtat, neque in Euangelio, neque per aliquam diuinam traditionem.

4 Dico *ſecundò*, prædictum errorem ſeruitutis dirimere iure naturæ matrimonium, ſi animus coniugis liberi feratur in alium, nubatque cum ea conditione quòd ſit liberæ ac ingenuæ conditionis. Hoc etiam eſt certum, quia, vt conſtat ex diſputatione præcedenti, *ſect. 4.* quando alter coniugum non habet voluntatem abſolutam cum altero contrahendi, ſed conditionatam tantùm, & alligatam ad aliquam conditionem quam in eo requirit, ita vt ſi deſit ei talis conditio, nolit cum eo matrimonium contrahere; non ſtante tali conditione, quam interior conſenſus in matrimonium inuoluit, ſicut ille conſenſus in matrimonium eſt nullus, ita & matrimonium ipſum. Vnde in eo caſu iure naturali matrimonium dirimitur; reducitur enim ad impedimentum erroris.

Dico *tertiò*, cùm de errore, vel conditione ſeruitutis, vel ingenuitatis, ſeu libertatis nihil cogitatur, nec in id fertur conſenſus, error, vel ignorantia ſeruitutis non dirimit matrimonium iure naturæ. 5
Oſtenditur

Primo, quia ſeruitus non eſt defectus ſubſtantialis perſonæ, quæ eſt materia ſubſtantialis matrimonij, ſed eſt defectus qualitatis; ſicut ingenuitas, ſeu libertas non eſt ſubſtantia perſonæ, ſed qualitas; ergo error, aut ignorantia illius non aufert conſenſum perfectum & ſimpliciter circa materiam ſubſtantialem matrimonij; ergo non dirimit illud iure naturæ; quia eiuſmodi error eſt tantùm circa accidentia, non verò eſt contra ſubſtantiam matrimonij, quæ conſiſtit in ſola traditione mutua corporum, non autem conditionis illius, ſeu qualitatis.

Secundò, ſi conditio ſeruilis eſſet ex natura rei impedimentum matrimonium cum perſona libera dirimens, quando ab hac perſona ignoratur; eſſet quoque cùm ab eadem probè cognoſceretur; ſicut quia coëundi impotentia eſt ex natura rei impedimentum dirimens matrimonium, ſiue illa ſciatur ab eo qui cum huiuſmodi impotente perſona liberrimè contrahit, ſiue neſciatur, illud perinde nullum eſt. At dum perſonæ liberæ nota eſt conditio ſeruilis alterius, & in eam nihilominus vt coniugem liberè conſentit, matrimonium validum eſt, vt omnium conſenſu certum eſt, & dicam ſectione ſequenti.

Tertiò, ſi quæ eſſet ratio, ob quam conditio ſeruilis ignorata à perſona libera matrimonium cum ea naturali iure dirimeret, certè hæc ab aduerſariis adducta, quòd illa conditio eripit ſeruo liberam & expeditam poteſtatem ad vſum coniugij omni illo tempore quo ex conditione ſeruitutis ſeruire domino ſuo obligatur, & in ſeruili eius obſequio occupatur: quam poteſtatem tradere non poteſt perſonæ liberæ cum qua matrimonium contrahit; cùm tamen hæc illi plenè liberam & expeditā ſui corporis ad prædictum vſum poteſtatem tradat. At hæc ratio non eſt efficax ad dirimendum iure naturali matrimonium, alioqui multo magis lepra, vel alius diuturnus & inſanabilis morbus matrimonium cum perſona ſana eodem naturali iure dirimeret, cùm tamē certiſſimè non dirimat; quia multo magis hic morbus impedit liberū matrimonij vſum, & eius expeditam poteſtatem eripit, quàm illa ſeruitus. Et ratio eſt manifeſta, quia tametſi ad matrimonij ſubſtantiam neceſſariò requiratur corpus vtriuſque coniugis habile ex ſe, & potens ad eum vſum coniugij, ex quo ſequi proles ex natura rei poſſit: attamen non neceſſariò requiritur, vt ſit ad hoc habile, & potens habilitate & potentia proxima ſemper expedita, & nullo vnquam tempore impedita: vnde qui neceſſarius eſt ad matrimonium conſenſus, cùm nō in aliud ferri neceſſariò debeat, quàm id quod eſt neceſſariū ad matrimonij ſubſtātiā, nō debet ferri neceſſariò in corpus cōiugis expeditū omnino omni tēpore ad cōiugij vſū: aliàs enim matrimoniū inter duos ſeruos etiā eſſet irritū, quod eſt falſiſſimū.

Vltimò idem firmatur, quia quamuis intercedente eo errore, inueniatur in matrimonio aliquid inuoluntarij, quatenus videlicet ſi quis conditionem ſeruitutis præſciret, non contraheret; contractus tamen eſt ſimpliciter inuoluntarius, cùm ſimpliciter in hanc determinatam perſonam conſentiat; ergo erit verus & legitimus contractus attento ſolo iure naturæ: ſimile enim inuoluntarium reperitur, quando adeſt error qualitatis dans cauſam cōtractui, & tamen

non

Digitized by Google

non vitiatur matrimonium, vt oſtendi ſuprà *diſp. præcedenti, ſect. 3.*

6 Dico *vltimò*, ſolo iure Eccleſiaſtico, errorem quo liber cum ſerua, vel libera cum ſeruo, ignari cooditionis ſeruilis, contrahunt, dirimere matrimonium. Id potiſſimum conſtat ex duplici textu. *Primus* eſt *caput finale, de coniugio ſeruorum.* vbi eſt caſus in ſpecie de quodam milite qui contraxit cum quadam muliere, & ei oppoſuit coram Cardinali Apoſtolicæ ſedis Legato, quòd eſſet ancilla: Cardinalis rationibus vtriuſque partis intellectis eos propter conditionis errorem ab inuicem ſeparauit. Poſtea verò lata ſententia dicebatur, quòd poſtquam intellexit eam eſſe ancillam, in illam conſenſerat; vnde non poterat contrahere cum alia, ſed illam retinere debebat, non obſtante ſententia Cardinalis. Iſtud ſignificatũ fuit Innocentio I I I. qui mandauit, ſi conſtiterit quòd miles ignoranter contraxit cum ancilla, ita quòd poſtquam intellexit conditionem ipſius, nec facto, nec verbo conſenſit in illam, propter quod Cardinalis ſeparauit eoſdem, ipſi militi eſſe concedendam liberam facultatem cum alia contrahendi. vbi Gloſſa rectè notat quòd error conditionis matrimonium dirimit iam contractum. Alter textus eſt *in 2. p. decreti c. ſi quis ingenuus 29. q. 2.* vbi ſic deciditur, quòd ſi ingenuus, ſeu liber ancillam alterius, ignorans ducat in vxorem, ſi voluerit eam redimere, facere poteſt; ſi non pote t, id eſt, ſi non voluerit eam redimere, vt declarat ibi Gloſſa, ipſi licitum eſt aliam accipere vxorem. Mouit verò Eccleſiam ad ſtatuendum errorem conditionis ſeruilis matrimonium iam factum annullare, differentia magna quæ eſt circa matrimnnij vſum inter ſeruile corpus & liberum: nam hoc omni tempore ad matrimonij vſum expeditum eſt; illud verò aliquo tempore impeditum: atque hinc conſequens oritur, manifeſta inter hominem liberum & ſeruum in matrimoniali contractu inæqualitas & iniuſtitia, vtro tradenti alteri corpus expeditum ſemper ad præfarum vſum, nec æquale quid ab eo viciſſim recipiente, ſed ſolum corpus aliquando impeditum. Quare ex prædictis textibus conſtat, prædictum matrimonium irritari; idque ob incommoda, & grauem deceptiooem, quæ ex tali matrimonio ſequuntur. Ex dictis

7 Colligo *primò*, euidenter ſequi apud infideles, qoi Eccleſiæ legibus non renentur, eſſe validũ ſerui cum libero ſeruitutem eius ignorante coniugium: niſi fortè propria eorum lex ob eandem, aliamve cauſam illud irritum redderint, ob quam Eccleſiaſtica tradirio.

8 Colligo *ſecundò* ſeruum validè contrahere cum ſerua quam credebat liberam: item ſeruum, vel liberum cum libera quam credebat ſeruam; quia prædicta iura non irritant hæc matrimonia, nec eſt ratio ea irritandi; noo enim ius Eccleſiaſticum irritauit omnem conditionis errorem, niſi quando talis error, vt fiat deterior errantis conditio; non verò quando ſit dignior, vel æqualis: nam ratio illa matrimonia irritandi fuit, vt ſic reſarciretur iniuria irreparabilis illata libero ignoranti conditionem alterius ſeruilem, & etiam ob grauem contractus inæqualitatem; at vbi conditio alterius in qua erratur, eſt dignior opinione, vel eſt par condirioni errantis, ceſſat ea iniuriæ grauitas, & inæqualitas contractus, ideoque nihil obſtat is error valori matrimonij.

Ad argumenta in contrarium adducta.

9 Ad primum conceſſo antecedente negatur conſequentia. Quamuis enim illa iura non irritent hæc matrimonia, ſed ſupponant eſſe irrita; non ideo alio ſtrictiore iure, nempe naturæ, irrita cenſenda ſunt; quia potuit hoc introductum eſſe iure non ſcripto, ſeu Eccleſiaſtica conſuetudine, vel antea ſcriptum iam periiſſe. Etſi autem ius ſcriptum non extet modò, nec fortè voquam extiterit; ex eo nihilominus talis legis exiſtentia ſaltem per Eccleſiaſticam tradirioné rectè concluditur, quòd non niſi ex eius vi illa matrimonia irrita eſſe poſſint, ſi non ſunt ex iure naturali; ex hoc autem non eſſe efficaciter iam demonſtrauimus.

Ad ſecundum, dico inſpecto ſolo iure naturæ non dubium, quin validum ſit matrimonium illius, qui contrahit cum ea conditione, vt non teneatur reddere debitum oiſi quando tertio placuerit: quia poteſt quis contrahere cum hac condirione, vt nunquá teneatur reddere debitũ, vt latè probaui ſuprà *diſp. 13. ſect. 6.* Et ratio eſt, quia ad valorem matrimonij ex natura rei ſufficit traditio corporis quantũ eſt ex ſe expediti ad vſum, quamuis extrinſecus & aliena voluntate poſſit impediri; aliàs enim ſeruitus cognita dirimeret. Adde teneri dominũ ſeruo coniugato dare cómodũ tẽpus quantũ ratio patitur, vt matrimooio vtatur, non enim poteſt in totũ impedire ſeruum ab vſu matrimonij. 10

Ad tertium, dato antecedente, negatur cóſequentia; nam contractus ille venditionis ex propria ſua, & materiæ in qua verſatur natura, exigit ad ſui validitatem, vt vi eius transferatur rei venditæ dominium plenum in emptorem, ac proinde cum liberrimo eius vſu independente ab vllius alterius arbitrio: niſi enim hoc equi dominiũ ab emptore compararetur, procul abeſſet vt tanti valeret equus, quanti emitur; emptor ergo tanti emens non intendit emere, niſi plenũ illud dominium in rem venditam cõparet At ex natura cótractus matrimonialis, & propriæ, de qua per eum contrahitur, materiæ, non eſt, vt contrahentes acquitanr plenum illud corporum dominium ad coniugij vſum omni tempore expeditum, & ab aliena voluntate independens, vt ex dictis conſtat; & hinc euidenter firmatur, quia alioquin aut ſeruus eo ipſo quo matrimonio iungeretur, ſeruus eſſe deſineret, aut manens ſeruus matrimonium inire validum etiam cum ſerua coniuge nullum poſſet; quod vtrumque certiſſimè falſum eſt. 11

Ad quartum dico, non imputandum eſſe vitio naturæ, ſi non irritauit illud matrimonium, nec prouiderit illi iniuriæ reſarciendæ, quæ conſiſtente matrimonio reparari nequit. Ratio eſt, quia non omnes iniuriæ debent reparari in eodem bonorum genere: vt ſi quis fide data de matrimonio fœminam deſloret, & mox aliã ducat, iniuria grauiſſima priori illata nõ reſarcitur irrito poſteriori matrimonio. Natura enim matrimonij indiſſolubilis expoſcit, ne huiuſmodi iniuriis ſatis fiat, matrimonio diſſoluto. Poſtea verò Eccleſia experientia cõperiens dãna multa quæ ex matrimonio contracto cũ ignorantia, vel errore condirionis ſeruilis ſubſequuntur, meritò illud irritauit, vel iure aliquando ſcripto, cuius ſcriptura periit, vel ſaltem iure viua voce tradito, aut conſuetudine iotroducto. 12

Ad quintum, tametſi negari nequeat, illud aduerſari aliquo mndo bonis matrimonij, ideoque iure Eccleſiam tale matrimonium irritaſſe, non tamen adeò illis aduerſari, vt ſubſtantiam deſtruat matrimonij, vt vidimus. Si enim ita aduerſaretur, non ſufficeret ſciẽtia ſeruitutis, nec ceſſio proprij iuris. 13

Ad vltimum dico S. Thomam pro noſtra eſſe doctrina, nec S. Doctorem velle illis verbis erroré perſonæ & ſeruitutis eodé iure matrimoniũ dirimere: vnde cùm præcedentis articuli corpus ita concluſiſſet, & ſic error, perſonæ ſcilicet, de iure naturali habet quod euacuet matrimonium, illo articulo ſecundo agens de errore ſeruilis conditionis, aut alibi, hoc minimè dicit: ſed relatis verbis ſolùm affert cauſam, quam nos iam attulimus, ob quam iuſtè conſtituit Eccleſia, 14

Digitized by Google

vt eiuſmodi etiam error matrimonium dirimeret. Quare dum ait ad matrimonij eſſentiam ſpectare mutuam coniugum poteſtatem io inoicem, de potentia omni tempore expedita ad coniugij vſum non loquitur, quam ad illius eſſentiam non pertinere iam diximus, Dum verò addit ſeruum non poſſe poteſtatem ſui corporis alteri tradere ſine conſenſu domioi, de hac ſola potentia ſic expedita loquitur; eo enim tempore quo rationabiliter à domino poteſt occupari, non poteſt ſui corporis facere poteſtatem coniugi, niſi indulgeat ei dominus ocopationis illius remiſſionem,

---

Sectio III.

Qualis error, vel ignorantia conditionis ſeruilis debeat eſſe vt dirimat matrimonium contrahendum.

1 Certum eſt *primò* apud Doctores validom eſſe matrimonium liberi cum ancilla, vel liberæ cum ſeruo, non ignoratâ ſeruitutis conditione. Sic definitum eſt *cap. ſi quis ingenuus 29. q. 2.* vbi de quodam libero qui acceperat in vxorem ancillam alterius, ſic ſtatuitur. Si ancillam eam ſcierat, & collaudauerat, prout legitimam eam habeat. Et ratio eſt manifeſta, quia ex certa ſcientia conſentieodo vir ingenuus in aneillam, iure ſuo volens cedit, ae proinde de aliqua facta ſibi iniuria queri meritò non poteſt, cùm ſcienti & conſentienti nulla fiat iniuria. Hinc

2 Secundò eſt certum valere, matrimonium liberi cum ſerua, ſi liber cognita ſeruitute id confirmet actu aliquo externo in id conſentiendo: quia purgatur igoorantia. Vbi autem Tridentioum non eſt receptum, Eccleſia præſumit eum hoc facere, ſi eam notam ſeruam carnaliter cognoſcat, vt manifeſtè cooſtat ex *cap. 2. & finali, de coniugio ſeruorum* Vbi autem receptum eſt Tridentinum, debent fieri quæ ab eo requiruotur ad confirmationem matrimonij.

His præmiſſis duplex eſt difficultas. *Prima* eſt, an quiuis error, vel ignorantia cooditionis ſeruilis, etiam ſi craſſiſſima ſit, vel leuiſſima, dirimat matrimonium, vel potiùs ea ſtante validum ſit, *Secunda* eſt, an in caſu qoo quis ignoranter contrahit cum aneilla, eſt tameo ita affectus, vt ſi ſciret eam ſeruam eſſe, non minus libenter contraheret, validè contrahat cum illa,

3 Circa priorem difficultatem, opinio eſt grauium Doctorum, valere matrimonium liberi cum ſerua, quando liber facilè poterat ſcire conditionem alterius, ita vt ignorantia fuerit craſſa ac leuis. Ita Sotus *in 4. diſt. 35. q. vnica a. 2, poſt 2. concluſ.* Bartholomæus à Ledeſma *dub. 31. de matrimonio, concluſ. 1. in prima eius limitatione*, & alij. Probant, quia Eccleſia ideo ea matrimonia annullauit, vt reſarciretur grauiſſima iniuria irrogata coniugi ignoranti. At hæc iniuria vel nulla eſt, vel leuiſſima, vbi ignorantia eſt adeò craſſa. Firmant, quia ignorantia craſſiſſima æquiparatur ſcientiæ, adeò vt in materia pœnali, ac odioſa, quando ius punit delictum ſcienter admiſſum, hæc ignorantia tam craſſa non eximat à pœna.

4 Contrarium ſentit Sanchez *lib. 7 diſp. 19. n 20* Probat, quia talis ignorantia in iure tametſi æquipararetur ſcientiæ, quando agitur de culpa vitanda, à qua talis ignorantia non excuſat, & ideo communiter nec à pœna: tamen qoia ius abſolutè irritat eiuſmodi matrimonia igooranter contracta vt vitentur omnis dolus, & damna quæ ex eo ſubſequuntur; & talis verè ignoranter contrahit, ideò inualidè contrahit. Eandem ſeutentiam teoet Conineh *diſp. 31. dub. 2. n 26.* eamque iudico veriſſimam. 5 Ad cuius vberiorem dilucidationem diſcurrendo per omnes quaſi ſpecies igorantiæ præmitti oportet triplicem poſſe eſſe conditionis ſeruilis ignorantiam in libero matrimouium contrahente. *Prima* eſt omnino inuincibilis, vt quando nunquam de ea re dubitauit ingenuus conttahens, nec illi vlla oceurrit ratio dubitandi. *Secunda* eſt vincibilis, vt qoâ facile potuiſſet ſuperare ſi adbibuiſſet diligentiam ordinariam *Tertia* eſt affectata, vt quando ſtudio omittit veritatem inquirere, vnde ea laborans dicitur quodammodo rem ſcire, quia prædictus contraheos affectatè ignorat coniugem eſſe ſeruam quando hic & nunc apparet illi omnino clarum eſſe talem; quoniam illi occurrunt tales ratiooes cur debeat credere eſſe ancillam, vt quamuis hic & nunc eum non omnioo conuincant, tamen omnino eſt temerarium contra eas facere. Quæ ignorantia appellatur craſſa, vel etiam craſſiſſima quando affectatur eius ignoratio ex magoa, vel maxima negligentia & deſidia; dicitur verò ſupina quando illa procedit ex nimia ſolicitudine & affectione ad res alias, vel ad alia negotia quæ impediunt debitam curam addiſcendi, & ſciendi ea quæ quis ſcire tenetur. Hoc præmiſſo,

6 Dico *primo*, certum eſſe errorem, vel ignorantiam inuincibilem conditionis ſeruilis alterius contrahentis dirimere matrimonium contrahendum. Patet, quia ſaltem talis error, vel ignorantia debet neceſſariò matrimonium dirimere, vt cenſeatur eſſe impedimentum ſtatutum ab Eccleſia Et ratio eſt, quia tunc nulla eſt libera electio, nec vllo modo voluntaria talis conditio ſeruilis; fit etiam libero contraheuti iniuria, & manifeſtus dolus, quem intendit Eccleſia vitare annullando tale matrimooium.

7 Dico *ſecundò*, idem dicendum, etiamſi adſit ignorantia vincibilis conditionis ſeruilis. Moueor, quia vt matrimonium liberi cum ancilla, vel liberæ cum ſeruo valeat, deſideratur libera electio & omnino voluntaria talis conditionis ſeruilis, vt ſic liberè cedat contrahens iuri ſuo; quæ ceſſio eſt veluti quædam condonatio iuris proprij. At hæc irritatur ex errore, vel ignorantia vincibili cùm deſinat eſſe acto & formaliter voluntaria & libera; ergo cùm deficiat contrahendi voluntas & conſenſus cum illa vt ancilla eſt, ſequitur nullũ eſſe illius matrimonium; quia iure Eccleſiaſtico petitur voluntarius omnino & conſenſus directus in circumſtantiam illam conditionis ſeruilis.

8 Dico *vltim*, etiamſi ignorantia conditionis ſeruilis ſit omnino craſſiſſima, ac valde ſupina, ea ſtante, nequit ex iure Eccleſiaſtico conſiſtere matrimonium liberi cum ſerua, vel ancilla, nec liberæ cum mancipio. Probo id *primò*, quia etiam in eo euentu non eſt libera electio, nec actualis voluntaria, nec virtualis conditionis ſeruilis, quæ ex præſcripto Eccleſiæ neceſſaria eſt, vt qui liber eſt cedat iuri ſuo, nec vllus ſit ibi dolus, nec damna ſequantur ex tali deceptione contra illum; ſolùm enim ad ſommum prædicta conditio poteſt eſſe indirectè volita; ergo inſufficiens ad contrahendum iuxta præſcriptum Eccleſiæ. *Secundo*, quia iure Eccleſiaſtico petitur conſenſus directus & omnino voluntarius in circumſtantiam illæ conditionis ſeruilis, vt ſic conſcios coniux damni ex eo matrimonio ſibi ſubſecuturi, cedat liberè iuri ſuo, & ſponte illud amet, ſed qoicumque error talis conditionis, quantumuis craſſus & temerarius, verè tollit directum & formalem conſenſum, ac animum iuri proprio cedendi; ergo verè irritat matrimonium: ſicut

ſicut ſi velim donare Petro poſſeſſionem aliqnam, & errore craſſiſſimo ductus dem Ioanni, non tener donario, quia deficit donandi voluntas. *Tertiò*, iure naturæ ad matrimonij valorem exigitur conſenſus directus & formalis in determinatam perſonam; & ideo error circa illam ſiue ſit fatuus, ſiue temerarius, ſiue cadens in virum prudentem, irritat matrimonium, quia quiuis error liberam tollit voluntatem, cùm nihil magis conſenſui, quàm error aduerſetur, *l. ſi per errorem. ff. de iuriſd. omn. iudic.* ergo ſimiliter cùm iure Eccleſiaſtico neceſſariò requiratur, vt conditio illa ſeruilis ſit omnino voluntaria, & conſenſu directo volita, irritabitur matrimonium ex quacumque conditionis ſeruilis quantumuis craſſo & temerario errore, cùm quiuis ille ſit, verè tollat directum ac formalem conſenſum. *Vltimò* idem firmatur, quia ius Canonicum irritans matrimonium abſque ſcientia conditionis ſeruilis initum, potiſſimum voluit impedire dolum re ipſa contingentem & dãna ex eo ſubſecuta, quæ noluit pati liberum coniugem, niſi ſciens, ac volens, ac iuri ſuo cedens. Aliter enim valeret matrimonium, quando nullus dolus formalis, neque culpa adeſſet in ſeruo; vtpote qui vel exiſtimabat alterum eiuſdem conditionis eſſe, aut ſi diuerſæ, conſcium ſuæ ſeruitutis. At quando eſt ignorantia hæc fatua & craſſiſſima, idem dolus re ipſa contingit, & eadem damna pullulant, nec ignorantis animus fuit cedere iuri ſuo; ergo.

9 Hinc patet ſolutio ad argumentum pro prima ſententia; negandum enim eſt attendiſſe Eccleſiam ad modum irrogandi iniuriam ex parte perſonæ ſeruilis conditionis, ſed ad realem dolum, & ad damna quæ ex tali dolo re ipſa ſubſequuntur, quæ certè, vt dixi, re ipſa pullulant, tametſi error, vel ignorantia ſeruilis conditionis fuerit fatua, & craſſiſſima. Ad confirmationem dico, tametſi verum ſit prædictam ignorãtiam æquiparari ſcientiæ in ordine ad culpam, & pœnam illi correſpondentem, quia actus eſt indirectè ac interpretatiuè volitus propter obligationem aduertendi. Præceptum enim obligans ad aliquam actionem, ſubinde aſtringit ad diligentiam adhibendam ad aduertendum, ne violetur. At cùm nullum præceptum extet contrahendi cum perſona liberæ conditionis, non eſt quod culpæ aſcribatur contrahenti cum ea inaduertentia, licèt ſit craſſiſſima.

10 Circa poſteriorem difficultatem, quando Petrus, v. g. liber & ingenuus ita contrahit ex animo cum Franciſca, vt ſi ſciret eſſe ancillam, non minus libenter contraheret. In quo caſu error conditionis eſt concomitans, quia nimirum contrahens ſeruitute cognita, adhuc contraheret. Sentiunt nonnulli non dirimi matrimonium, quia impedimentum iſtud fuit inductum in fauorem partis liberæ, ne per errorem ſeruitutis iniuriam notabilem pateretur. Cùm ergo in propoſito euentu non ſubſit talis iniuria, videtur ſanè Eccleſiam in eo noluiſſe matrimonium irritare.

11 Oppoſitum iudico verius cum Sanchez *lib. 1. de ſponſalibus diſput.* 55. Rebellus *lib. 3. quæſt. 3. ſect. 2. num* 18. & aliis. Moueor *primò*, quia conſenſus ille eſt non voluntarius; non enim poteſt eſſe actu volitum, quod ignoratum eſt, ac proinde inſufficiens ad matrimonium, vt dixi *diſput. præcedenti, ſect. 1. n. 7.* de conſenſu per errorem perſonæ præſtito in ſimili euentu. *Secundò*, neque in eo euentu ceſſat ratio legis; quia ratio legis non ſolùm debuit conſulere parti liberæ, ſed etiam prouidere, ne daretur locus calumniæ; qui tamen daretur, ſi is qui ſic validè contraheret, poſtea negaret ſe ab initio contracturum, ſi ſeruitutem præſciret. Accedit quod antea diximus intẽtum Eccleſiæ præcipuè fuiſſe vitandi omnem realem dolum & damna quæ ex illo re ipſa ſequuntur, quæ certè re ipſa etiam pullulare poſſent in hoc euentu. Verum nihilominus eſt quod notauit Richardus *in 4. diſt. 36. a. 1. quæſt. 1.* ſi quis intenderet contrahere cum tali coniuge, ſiue ſerua eſſet, ſiue non eſſet, extendendo conſenſum tam ad conditionem ſeruitutis, quàm etiam non ſeruitutis, matrimonium eſſe validum; quia tunc illi volũtaria omnino eſt conditio ſeruitutis, ac ingenuitatis; & æquè vult contrahere cum illa fœmina cuiuſuis ſit conditionis, ſiue ingenuæ ac liberæ, ſiue ſeruilis.

SECTIO IV.

An matrimonium ob errorem conditionis ſeruilis vllam pariat obligationem ſeruo denuo contrahendi cum libero ipſo volente, & an iſte conſcius poſtea ſeruitutis ſuæ coniugis poſſit propria auctoritate ab illa recedere.

CIrca primam ſectionis partem recolenda ſunt dicta à nobis ſuprà *diſput.* 17. *ſect.* 11. vbi hanc eandem difficultatem explicuimus de matrimonio contracto ex metu graui iniuſtè incuſſo. iuxta ibi dicta.

Dico *primò*, ex vi talis matrimonij in ratione con- 1
tractus præcisè conſiderati non teneri ſeruũ, vel ſeruã poſtea contrahere cum libero, vel libera, etiamſi iſta velit. Ratio eſt, quia matrimonium cùm ſit contractus oneroſus, eſt ſuapte natura ex vtraque parte obligatorium; ergo vt in eo ſeruetur æqualitas, aut vtraque pars debet manere obligata, aut neutra. Conſtat autem in libero qui fuit deceptus, nullam conſurgere obligationem iterum contrahendi; ergo neque in ſeruo ex parte ipſius contractus matrimonialis.

Dico *ſecundò*, nec ſeruum ratione iniuriæ illatæ li- 2
bero, manere obligatum ad denuo contrahendũ cum illa, etiamſi iſta velit. Patet, quia inprimis nullum eſt ius talem pœnam illi imponens; & ſi talis pœna eſſet, deberet præcedere iudicis condemnatio, & ſententia. Præterea ex natura rei ratione iniuriæ præcisè idem oſtenditur, quia tametſi ſeruus ex dolo & malitia iniuria, ac manifeſta iniuſtitia affecerit liberum, tamen prædicta iniuria reparabilis non eſt ob damnum intrinſecum reſultans ex illa; quia liber nihil amiſit niſi diſſolutionem matrimonij, quæ ex ſe nullum affert intrinſecum damnum, cùm æquè poſſit alteri nubere. Vnde tametſi ſeruus peccauerit contra iuſtitiam quoad intentionem, quia illam violauit decipiendo alterum coniugem liberum, tegendo ſuam ſeruilem conditionem; non verò violauit iuſtitiam quoad effectum & executionem inferendo aliquod intrinſecum damnum.

Dico *tertiò*, tunc ſeruum manere obligatum ad de- 3
nuo contrahendum cum altero coniuge, ſi iſte velit, quando ex matrimonio cõtracto ſecutum eſt aliquod damnum extrinſecum, quod nequeat aliter reſarciri, & eſt adeò graue, vt ob eius recompenſationem non indicetur rigidum ad tantum obligari. Patet, quia totum id æquitas naturalis poſtulare videtur.

Dico *vltimò*, neque ex tali matrimonio nullo ob 4
errorem, vel ignorantiam conditionis ſeruilis, conſurgere obligationem aliquam ſponſalium. Ratio eſt, quia tale matrimonium non obligat iure naturali tanquam contractus ſponſalitius, quia verba de præſenti quibus fuit contractum, nullam continet pro-

miſſionem futuri matrimonij, adhuc implicitè, vt conſtat. Neque vllum extat ius canonicum id diſponens prædicto matrimonio; ergo. Quare ſicut in ficta promiſſione eſt contractus onerolus quo monaſterio, & monaſterium Mooacho; & monaſterium implet ex parte ſua, acceptando verè Monachum, & tamen non tantùm non eſt vera profeſſio, ſed nec etiam decipiens manet aliqua obligatione conſtrictus, niſi per accidens ratione ſcandali, eo quòd conſenſum fictum probare non poteſt, ita pariter quando quis contraxit cum ſerua putans eſſe liberam, & poſtea detectâ ſeruitute vult perſiſtere in matrimonio, noo tenetur ſerua denuo conſiſtere altero volente, nec eſt vlla obligatione aſtricta. Verum eſt nonnullos Doctores, quos refert Sanchez *lib.4.diſp.15.n.5.* ſentire, eſſe compellendam ſeruum per iudicem altero volente, in pœnam deceptionis, vt ſtet contractui, & poſt latam ſententiam teneri ei ſtare. Ego verò id ſic intelligendum puto, vt nimirum ſeruus ſi contraxit, verè ſciens ſe eſſe ſeruum, compelli debeat per Eccleſiam denuo conſentire, non ex vi primi contractus, qui nullus eſt, vt dixi, ſed ob illatam iniuriam. Si tamen bona fide contraxit, exiſtimans ſe eſſe liberum, non eſt cur compellatur, quia immunis eſt culpæ, nec ſe obligauit, niſi altero ſe illi obligante. Et ſatis colligitur ex *cap.1. de eo qui duxit*, vbi redditur ratio cur decipiens cogendus ſit ad matrimonium, ne lucrum de ſuo dolo reportet. Cùm ergo dolus in prædicto caſu abfuerit in ſeruo exiſtimante ſe eſſe liberum, non eſt cur per ſententiam ſit cogendus ad ſtandum matrimonio prædicto.

5 Circa ſecundam ſectionis partem, an poſſit is qui liber eſt detectâ ſeruitute alterius coniugis ſeparari ab illa abſque Eccleſiæ iudicio propria auctoritate. Dico de hac re latè me dicturum infrà *diſp.60. ſect.2.* cùm de coniuge innocente diſcutiam, an poſſit propria auctoritate debitum negare adultero, & non ei cohabitare; ac proinde diuortium propria auctoritate celebrare. Idem enim iudicium ferendum eſt in noſtro caſu præſenti, atque in illo. Vnde breuiter dico, non ſolùm ſeparari poſſe quoad thorum, ſed etiam quoad habitationem, ſi ſcandalum abſit; aliàs neceſſarium eſt Eccleſiæ iudicium. Quòd ſi defectus fuerit probationis, tuta conſcientia poterit in partes longinquas recedere, vbi ſine vllo ſcandalo inire cum alio coniugium poſſit. Ratio eſt, quia Eccleſiæ, vel iudicis auctoritas tantùm eſt neceſſaria ad vitandum ſcandalum, quando abſque ea non vitatur.

SECTIO V.

An in caſu, in quo mancipium contrahens cum libera ſeruitutis ignara, conſequitur libertatem, matrimonium validè fiat.

PRocedit quæſtio in caſibus & modis, in quibus in ipſo matrimonio, vel per ipſum datur libertas ſeruo, vel ſeruæ, an ipſum idem validè fiat. Vnde duo ſunt explicanda. *Primum*, an quando tale matrimonium celebratur, & per illud dicta ſeruitus amittitur, verè illud ſubſiſtat. *Secundum*, in quibus caſibus detur libertas mancipio per eiuſmodi matrimonium.

1 Circa primum, partem negantem defendit Couarruuias *4.decret.2.p.c.2.§.7.n.1* cum aliis quos ſequitur noſter Gaſpar Hurtado. Probant, quia iure canonico ſeruitus ignorata abſque vlla limitatione dirimit matrimonium, ſed quando matrimonium celebratur, adeſt verè ſeruitus, & non paruæ conſiderationis quod adſit, cùm efficiat perſonam maximè vilem; ergo verè dirimit matrimonium. Firmatur, quia ſi matrimonium eſt cauſa libertatis; ergo iſta eſt poſterior illo; ergo matrimonium pro illo priori eſt cum ſerua, ſeu cum non libera ignorata tali; ergo ex eo errore erit nullum.

2 Perplacet magis affirmare cum Syluestro, Soto, Tabiena, Emanuele Sà, Vega, & aliis, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.7.diſp.20.n.14.* & Rebello *lib.2.q.3. ſect.2.n.15.* Probatur efficaciter, *primò*, quia ea libertas & matrimonium non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè ſunt omnino ſimul, vt per ſe liquet, quia ſtatim ac perficitur matrimonium, in eodem inſtanti phyſico finitur ea ſeruitus; ergo nequit obſtare valori matrimonij. *Secundò*, prædicta illa duo, matrimonium & libertas, non ſolùm phyſicè, ſed etiam metaphyſicè ſunt omnino ſimul ſimultate rationis, à quo, & in quo. Quod patet, quia ſunt mutuo connexa, & dependentia adinuicem, libertas à matrimonio, & hoc etiam ab illa, in quo conſiſtit prædicta duplex ſimultas; ergo tunc contractus eſt iam inter liberos, & ſic non vetitus ab Eccleſia. *Tertiò*, quia licèt matrimonium eſſet & re & ratione prius libertate, cùm id eſſet breuiſſimo tempore, & in iure quod modico tempore durat, pro nihilo reputatur, vt dixi ſuprà *ſect.1.n.5.& 6.* non eſſet id moraliter conſiderabile, cùm inde non ſequantur damna in bonis matrimonij, neque iniuria aliqua, dolus, vel calumnia conſiderabilis, ob quæ Eccleſia ipſum irritauit, non cenſebitur irritum id matrimonium, quia ablata cauſa & fine, ceſſat etiam effectus & lex. *Quartò*, irritum eſſet matrimonium quod fieret cum libera, quæ citò, v.g. intra ſex menſes eſt reditura ad ſeruitutẽ, quia libertas mox defutura, non ſolùm non computatur libertas, ſed cenſetur etiam moraliter ſeruitus; ergo econtra prædicta ſeruitus præſens, mox defutura non computatur moraliter ſeruitus, ſed moraliter cenſetur libertas quoad hoc, nempe iuxta finem quem in eo habet Eccleſia. *Vltimò*, ideo iura tribuunt libertatem in illis euentibus, in quibus ſtatim dicemus id contingere, vt remota iniuria, & omni damno tertij matrimonium conſtet; ergo nulla eſt ratio ad id negandum.

3 Hinc patet ſolutio ad argumentum oppoſitum: nam, vt dixi, cùm in eodem inſtanti quo perficitur matrimonium ſeruilis conditionis, coniux maneat iam effectus liber, nullius eſt conſiderationis ſeruitus illa prior cum illa prioritate rationis, vel naturæ, etiamſi talis prioritas admittatur, quia nec illa obeſt matrimonij fini, nec affert incommoda ob quæ ius Eccleſiaſticum annullauit matrimonium cum errore conditionis initum. Nec talis ſeruitus efficit perſonam magis vilem, quam ſit perſona liberta, cum qua iam diximus ſuprà *ſect.1.n.4.* contrahi validè matrimonium. Ex quo patet ſolutio ad confirmationem.

4 Circa ſecundum, de caſibus & modis, quibus in ipſo matrimonio, vel per ipſum datur libertas, tres communiter traduntur à Doctoribus. *Primus* eſt cùm dominus tradit in matrimonium ſuam ancillam alicui homini ingenuo ac libero eius ſeruitutem neſcienti, vel etiamſi ipſa ſerua ſe tradat ei vt liberam, domino id vidente & tacente: tunc enim eſt conſenſus domini. Ita habetur *in Authentica. Ad hæc. C. de Latina libertate. & in lege Hiſpana 5 titulo 22.p.4.* *Secundus* eſt, ſi dominus tradat ancillam ad nuptias, aſſignans ei dotem, vel concedens dotalia inſtrumenta. Conſtat ex *c.citato, lege vnic. §. ſi quis*; quia dos ſolis liberis dari ſolet. *Tertius & vltimus* eſt, cùm dominus ducit ſuam-

ſuammet ſeruam, tunc enim libertate, adquirit.

5 Quæſtio verò eſt, quo iure id fiat. Nam noſter Sanchez *diſp.* 20. *n.*11. ſentit ſolo iure regni Hiſpaniæ ancillam ductam à domino fieri eo ipſo liberam. Sic enim expreſsè ſtatuitur *l.* 1. *tit.* 13. *p.* 4. Vnde ait iure communi attento eam ancillam non effici liberam, quia nullus datur textus eam libertatem decernens. Ego verò exiſtimo cum Vaſquez 3. *p. diſp.* 81. *c.* 8. *n.* 41. quem ſequitur Baſilius Ponce *lib.* 7. *c.* 44. *n.* 3. *&* 4. conſequi eam libertatem ancillam iure naturali, ex ipſo iure naturæ coniugij: quia ex vi huius coniux fit vna caro cum eo, fit ſocius eius, & gaudens eodem honore & nomine. Ita enim arctum eſt vinculum coniugij, vt duo ſub eodem thalamo commorentur, & eodem titulo & nomine gaudeant honoris, Regis videlicet, aut Imperatoris; atque poſtquam conſummatum fuerit matrimonium, dicantur vna caro. Quæ omnia pugnant cum ſtatu ſeruili, & ipſum omnino deſtruunt.

6 Obiicies, Agar verè fuit vxor Abrahæ, & tamen *Gen.* 16. *&* 21. *& ad Galat.* 4. dicitur ancilla. Reſpondeo Agar non ideo dici ancillam, quia poſt matrimonium manſiſſet talis, ſed quia fuit antea, & poſtea non fuit aſſumpta ad domus gubernationem, ſed manſit miniſtrans. Quod autem apud aliquot nationes vxores haberentur vt ancillæ, non obeſt, quia gentes illæ erant barbaræ.

7 In duobus verò aliis euentibus verius iudico in neutro ex illis ancillam conſequi libertatem iure naturali, quia dominus neque dicta taciturnitate, neque non contradictione, neque conceſſione dotis cenſetur donare ancillam libertati, imò neque dicta poſitiua traditione ancillæ tanquam liberæ in coniugem: quamuis probabile ſit in hoc vltimo caſu dominum iure naturali teneri donare libertati ſaltem pro vita coniugis liberæ, ſi iſte exigat in recompenſationem iniuſtitiæ ipſi factæ dicta doloſa traditione, vt notauit Gaſpar Hurtado *diſp.* 14. *difficult.* 2. *n.* 5. Ex iure igitur poſitiuo regni Hiſpaniæ conſequitur ancilla in illis caſibus libertatem. Quare vbi dictum ius locum non habet, ancilla nullam conſequitur libertatem.

Sectio VI.

Vtrùm mancipium poſſit ita validè contrahere matrimonium, etiam inuito domino, vt nullo iure poſſit illi matrimonium interdici.

1 PRogreditur iam ad ſecundum caput præſentis diſputationis, nempe ad poſſibilitatem & validitatem matrimoniorum quæ mancipia contrahunt explicandam, & cohoneſtandam. Duo breuiter expediam. *Primum*, an poſſit validè & licitè contrahere mancipium inuito domino. *Secundum*, an poſſit ſeruus lege humana priuari iure contrahendi matrimonium.

Circa primum ratio dubitandi ſumitur *primò* ex Concilio Cabilonenſi relato *cap. finali* 29. *q.* 2 vbi decernitur coniugia ſeruorum non eſſe diſſoluenda. Quod ait in illis obſeruandum eſt, vbi legalis, id eſt, legitima coniunctio fuit, & per voluntatem dominorum. Quo vltimo verbo ſignificari videtur non eſſe valida ſeruorum matrimonia, quando fiunt contra voluntatem ſuorum dominorum.

Secundò probatur ex *can.* 40. *D. Baſilij*, vbi id clarè ſupponit. Et ex conſtitutionibus Apoſtolicis, *ibi n.* ſic habetur, Fidelis vir, aut fœmina ſerui copulati, vel ſeparentur, aut eiiciantur ab Eccleſia

Tertio, nequit ſeruus ad Ordines, aut religionem tranſire abſque domini licentia, quia ſeruus peculium domini eſt; ergo nec poterit nubere inuito domino, cùm id in graue domini præiudicium cedat; & ſi ancilla eſt contrahens, infert magnum damnum proli, quæ in ſeruitute naſcitur.

Dico *primò*, certum eſſe, in quo omnes Doctores conueniunt, mancipia validè poſſe inuitis dominis matrimonia contrahere. Et liquet ex *cap.* 1. *de coniugio ſeruorum*, vbi ſic dicitur. Nec inter ſeruos matrimonia debent vllatenus prohiberi: etſi contradicentibus dominis & inuitis cõtracta fuerint, nulla ratione ſunt propter hoc diſſoluẽda. Et ratio eſt, quia mancipium non eſt inhabile ad contrahendum contra voluntatem domini iure aliquo poſitiuo, quia nullum extat; neque iure naturali. Tum quia traditio mancipij ad obſequia humano modo præſtanda domino non eſt incompoſſibilis cum traditione corporis mancipij ad prolis generationem; non enim dominus habet omnimodam poteſtatem in corpus ſerui; neque vllo modo eam quæ datur coniugi per matrimonium; neque enim ſeruus ſubditur domino niſi quoad ciuilia obſequia. Vnde contractus matrimonij, & eius vſus temporibus opportunis non impedit obſequia, domino humano modo præſtanda; ius enim coniugum diſtinctum eſt à iure ſeruitutis, & in ordine ad diſtincta. Coniugi enim traditur ſeruus in ordine ad actus coniugij; & domino ſolùm in ordine ad alia obſequia ciuilia. Vnde fit vt nec pugnent, nec ſe deſtruant hæc iura inter ſe. Tum etiam, quia ſeruus verè habet dominium ſui corporis; ergo poteſt illud inuito domino alteri tradere; præſertim cùm iam conſtet iuxta noſtram doctrinam dominium in mutua corpora quod eſt de eſſentia matrimonij, poſſe facillimè conſiſtere, cum ea conditione, vt vel vnus, vel vterque coniux poſſit pro alterius voluntate ab vſu coniugij impediri. 2

Dico *ſecundò*, de facto ſeruos validè & licitè inuitis dominis contrahere matrimonium. Ita etiam omnes, & conſtat ex *dicto cap.* 1. *de coniugio ſeruorum*. Vbi dicitur non debere eorum matrimonia vllatenus prohiberi; ergo ſignum eſt id eis licitum eſſe. Et ratio eſt, quia ſeruis matrimonium non eſt prohibitum modo iure aliquo poſitiuo, neque naturali, vt liquet; ergo licitè id faciunt. Hinc 3

Dico *tertiò*, non licere domino matrimonium ſerui directè impedire, nolendo illi hoc vllo modo permittere. Id etiam omnes Doctores fatentur. Vnde iure optimo ſerui ab Eccleſia defenduntur, ac proteguntur aduerſùs dominum prohibentem Et ratio eſt, quia in hoc ſerui ſunt ſui iuris, non ſecus ac liberi, nec domino ſubduntur; ergo iniuſtè dominus interdiceret eis ſuo iure vti. Vnde 4

Dico *quartò*, nec poſſe licitè ſeruum à domino puniri, quod matrimonium inuito domino inierit. Patet, quia vſus eſt iure ſuo, ac in nihilo deliquit. Vnde nec dominus poteſt minitari ſeruo aliquod ſupplicium, ſeu damnum inferendum, ſi matrimonium ineat. Quare licèt dominus non teneatur conſentire in ſerui matrimonium; non tamen poteſt illud directè impedire. 5

Dico *vltimò*, ſeruos teneri, per ſe loquendo, prius dominorum conſenſum petere, antequam matrimonium contrahant. Ita notauit noſter Coninch *diſp.* 31. *dub.* 2. *n.* 32. & rectè probat, quia id exigit reuerentia, quam ſerui ſuis dominis debent; præſertim cùm ſæpe ipſorum dominorum intereſt, vt ſerui cum hac, vel 6

illa

illa,contrahant vnde durum illis eſt ſi ſerui illis inconſultis contrahant cum aliqua quæ ipſis valde ingrata, ac multas moleſtias paritura ſit. Dixi *per ſe*, quia per accidens, ſi timet ſeruus ne dominus malitioſè matrimonium impediret, non teneretur illum conſulere, neque illius conſenſum petere.

7 Ad primum argumentem oppoſitum, dico textum illum non eſſe contra noſtram doctrinam. Nam *eo c. fin.* rectè notauit Gloſſa *verb. voluntatem*, ſupplendum eſſe, maximè; & ita ſenſus eſt, nunquam ea matrimonia diſſoluenda eſſe, præſertim quando domini conſenſere. Vnde ſubdit Gloſſa, quia etiam eis inuitis, (id eſt, dominis) poteſt contrahi matrimonium.

Ad ſecundum, licèt concedamus Baſilium in ea fuiſſe ſententia. Quid inde? res enim hæc non erat ita clarè eo tempore deciſa. Illud verò aliud non eſt intelligendum de diſſoluendo matrimonij vinculo, ſed de coporum ſeparatione. Apoſtoli enim in Eccleſia primitiua ad vitandum ſcandalum neophytorum in fide, ne Euangelium blaſphemè vituperaretur, quaſi docens ſeruos fraudare dominos ſuos, conſtituerunt ne ſerui abſque domini cõſenſu inirent matrimoniũ, & contrarium facientes, vel corpore ſepararentur, vel ab Eccleſia eiicerentur. Tunc enim id impediebat, quod tamen modò iam ceſſauit.

Ad tertium diſpar eſt ratio, nam per Ordines, vel religionem homo traditur Deo toto vitæ tempore, at ſecus per matrimonium. Adde ex eo quòd poſſit ſeruus matrimonium contrahere, ſolum ſequi eum poſſe facere ea quæ matrimonio ſunt eſſentialia, ſcilicet quoad eius vſum transferre in vxorem dominium ſui corporis, & obligare ſe ad reddendum debitum, quãtum ipſius ſtatus hoc permittet, ac ratio exigit. Illud verò quod dicitur de prole, non obeſt, nam melius eſt illi ſic eſſe, quàm non eſſe.

8 Circa ſecundum maior eſt difficultas, an poſſit ſeruus, vel quiuis alius lege humana priuari iure contrahendi matrimonium. Videtur enim ex dictis ius ad matrimonium ita homini iure naturali competere, vt nulla lege humana poſſint à coniugio omnino arceri.

Primo, quia ſicut homo habet naturalem inclinationem ad cibum & potum, quia hæc neceſſaria ſunt ad conſeruationem indiuidui, ita habet naturalem inclinationem ad matrimonium, quia hoc eſt neceſſarium ad conſeruationem ſpeciei; ergo ſicut non poteſt prohiberi ne comedat, ita non poteſt prohiberi, ne vxorem ducat.

Secundò, ideo poteſt homo propria libertate ex iuſta cauſa priuari, quia eſt homini conceſſa in priuatum commodum; at ius ad matrimonium illi à Deo & natura conceſſum eſt in commodum totius naturæ; ergo hoc iure priuari non poteſt. Huic ſententiæ ſatis inclinat Sanchez *lib. 7. diſp.* 21. *num.* 3.

9 Dico *primò*, in caſu quo ſerui, vel alij homines tenerentur ad matrimonium ratione conſeruandæ ſpeciei, non poſſe prohiberi, ne ducant vxorem. Hoc eſt certum apud omnes, idque probant rationes adductæ; neque enim omnis qui tenetur conſeruare indiuiduum, tenetur ſpeciem multiplicare, niſi in ſolo caſu quo ſerui, vel alij homines tenerentur ad matrimonium ratione conſeruandæ ſpeciei; qui caſus nunquam erit, cùm videamus naturam iam valde eſſe propagatam.

10 Dico *ſecundò*, in præſenti caſu quando non obligat præceptum propagandi genus humanum, & humanam ſpeciem conſeruandi, poſſe ſeruum, vel quemlibet alium lege humana priuari iure contrahendi matrimonium exiſtente iuſta cauſa. Ita ſentio cum noſtro Coninch *vbi* 2. relato, *n.* 30. & moueor eius ratione, quia cùm nulla ſit modò in ſeruis, neque in ſingulis hominibus obligatio ineundi matrimonij, vel id ius ſeruandi, nulla eſt ratio cur ex iuſta cauſa aliqui eo priuari nequeant; non ſecus ac priuari poſſent ſua propria libertate: nam libertas iſtà non eſt minus naturalis, quàm matrimonium; & multo durius videtur priuari libertate, quàm illo iure. Cuius rei ratio à priori eſt, quia illa ſeruitus corporalis, & prohibitio matrimonij eſt pœna, quæ poteſt violenter & ab extrinſeco induci, ſi ſubſit iuſta cauſa. Igitur ſicut vnus homo poteſt antea liber fieri ſeruus alterius ſine proprio conſenſu per humanam poteſtatem ob aliquam cauſam iuſtam, ita & poteſt illi fieri prohibitio ne nubat, iuſta ſimiliter exiſtente cauſa. Quod denique firmatur exemplo Eccleſiæ, quæ olim ſtatuerat ſex impedimẽta non dirimentia matrimonij, vt vidimus ſuprà *diſput.* 21. quibus prohibeat certis hominibus tota vita nuptias. Si enim nullus poſſet iure humano priuari iure ineundi matrimonij, nec Eccleſia hoc illis prohibere potuiſſet. Videantur de hac re dicta à nobis ſuprà *diſput. præcedenti*, *ſect.* 3. *num.* 8.

Sectio VII.

Vtrùm licitum ſit domino mancipium coniugatum mittere in partes longinquas, vel illum vendere ad partes remotas.

IAm tertium caput præſentis diſſertationis eſt explicandum, nimirum, quo pacto ſe gerere debeat dominus cum ſeruo coniugato, & ecõtra ſeruus coniugatus cum ipſo domino. Primum in hac ſectione, ſecundum in ſequenti exponam.

Certum eſt autem dominum non poſſe tuta conſcientia punire ſeruum, quia matrimonium ipſo inuito contraxerit; quoniam vſus eſt iure ſuo, & nullo modo deliquit. Difficultas eſt, an poſſit illum dominus in partes longinquas mittere, vel ibi vendere. Quod explicare oportet primò in caſu quo vxor cõmodè poteſt comitari ſuum maritum; deinde in alio euentu, in quo nequit coniux mancipij impeditus, mancipium venditum comitari. 1

Circa primum, cum omnium doctrina dicendum eſt dominum poſſe ſeruum vbi vult vendere, & ad partes remotas, ſi vxor libera ſit, & commodè poſſit ſequi virum, etiamſi conſentiente domino fuerit matrimonium contractum. Ratio eſt, quia non poſſe ſeruum liberè vendi conſurgit ex matrimonij vinculo, in quod vel dominus conſentit, vel eo inuito ius habuit ſeruus, ne eius vſus impediatur. At quando vxor eſt libera, non impeditur, quia tenetur virum ſequi ex propria voluntate, ne dũ ex cauſa neceſſaria venditionis factæ à domino, domicilium mutantem. Si autem cùm poſſit commodè ſequi, & ideo ad id teneatur, nolit, ſibi aſcribetur culpa, & non domino, qui non impedit matrimonij vſum. Firmo, quia ſi vxor poſſit maritum ſine graui incommodo ſequi, ſicut hic, ſi eſſet liber, non obſtante contractu poſſet ſe ad alias regiones transferre; ergo poteſt à domino in iis regionibus vẽdi, quia dominus hac in re nõ habet minorem libertatem ac poteſtatem in ſuum ſeruum, quàm ipſe haberet in ſe ipſum. Neque ipſi vxori imponitur onus, cùm ipſa ex natura rei teneatur virum comitari, & ſcienter ſeruo nupſit, vnde id ſibi imputare debet; animaduertere enim debebat poſſe virum ſeruum aliò vendendum mitti; nec hoc ius amittitur ex conſenſu domini in matrimoniũ, cùm is 2

conſenſus

Digitized by Google

conſenſus ſolum eum aſtringat ad non impediendum matrimonij vſum. Idem dico, quando vxor eſſet ancilla, poteſt enim vbique vendi, viro exiſtente libero, ſi commodè poſſit ancillam venditam alibi ſequi, quamuis conſentiente domino eam duxerit, propter eandem rationem, quia adhuc non impeditur vſus matrimonij, & liber poteſt, ac tenetur ſequi vxorem ex cauſa neceſſitatis proficiſcentem, qualis eſt hic. Quando enim vxor, vt notant communiter Doctores, ex cauſa neceſſaria recedit à domicilio, illud transferens, tenetur vir ipſam ſequi, quia quoad mutua obſequia coniugalia pares ſunt. Solum enim hoc eſt diſcrimen inter virum & vxorem quoad comitandi obligationem, vt cùm vir ſit caput, & ipſius ſit gubernare, poteſt ad libitum eligere domicilium, & vxor tenetur eum comitari: at vxor cùm ſit ſubdita, nequit habitationem eligere, & virum cogere vt ipſum ſequatur; dum verò neceſſitate coacta domicilium mutat, ius matrimonij compellit virum cohabitare vxori, & ideo compellit vt in eo caſu ipſam comitetur; id enim ſpectat ad mutua obſequia coniugalia, in quo pares ſunt. Neque verò dominus in ancillæ matrimonium conſentiens, obligauit ſe ad eam in partes remotas non mittendam, caſu quo vir poſſet eam commodè ſequi, quia tunc non impediretur vſus matrimonij. Nec vir ipſe grauatur, quia ancillam ducendo ad id ſe expoſuit, quod debuiſſet conſiderare.

3 Circa ſecundum maior eſt difficultas, quando nimirum ob venditionem ad partes remotas impediendus eſt vſus coniugalis ex eo quòd coniux mancipij impeditus ſit comitari mancipium venditum. Circa quam variant Doctores. Quia, vt videre libet apud Sanchez *lib. 7. diſp. 22.* alij abſolutè docent non poſſe. Alij verò poſſe quando mancipium contraxit abſque voluntate domini; & non poſſe quando ex eius licentia & conſenſu contraxit.

4 Dico *primò*, ſeruum ſine conſenſu domini contrahentem matrimonium, per hoc nulla ratione poſſe minuere ius quod dominus in eum priùs habebat. Ita Nauarrus *cap. 22. n. 34.* Emanuel Sà *verb. matrimonium. §. impedimenta dirimentia n. 1.* Henriquez *lib. 11. c. 10. n. 4. lit. F.* Coninch *diſp. 31. dub. 2. n. 35.* & alij. Ratio eſt, quia nemo poteſt priuatâ auctoritate de re aliena inuito domino diſponere, vel eam ipſi auferre. Hoc autem hic fieret ſi ſeruus per tale coniugium ius domini minueret. Firmo, nam *in cap. 1. de coniugio ſeruorum*, apertè dicitur de ſeruis coniugatis contradicentibus dominis & inuitis, ſic dicitur. Debita tamen & conſueta ſeruitia non minus debent propriis dominis exhiberi. Vbi notanda eſt particula illa, *non minus*, videlicet quàm antea. At ſi ſeruus per tale coniugium minueret ius domini in ſe, non eodem modo ſicut antè teneretur ei ſeruitia exhibere. Et quamuis ſeruus habeat ius contrahendi matrimonij, inde non ſequitur illud contrahendo poſſe domini in ſe ius minuere. ſolum enim ſequitur eum poſſe facere ea quæ matrimonio ſunt eſſentialia, videlicet quoad eius vſum transferre in vxorem dominium ſui corporis, & obligare ſe ad reddendum debitum, quantum ipſius ſtatus hoc permittet, ac ipſa exiget ratio.

5 Dico *ſecundò*, non peccaret dominus contra iuſtitiam, ſi etiam ſine neceſſitate venderet ſeruum in remotis regionibus, qui ſine ſua venia contraxit matrimonium, tametſi matrimonij vſus neceſſariò eſſet impediendus, peccaret tamen contra charitatem. Ita tenet Coninch *citatus. Prima pars* ſequitur ex præcedenti, quia aliàs per illud matrimonium ius domini minueretur. *Secunda pars* probatur, quia nulla exiſtente rationabili cauſa eſſet contra charitatem eum ita vendere; quia tunc vterque coniux priuaretur quaſi in perpetuum omni coniugio, cùm nec contracto vti, nec aliud contrahere poſſent; atque ita dominus eos in graue incommodum coniiceret, quod ex charitate, quantum commodè poteſt, tenetur vitare. Firmo, quia lex charitatis conſtringit dominum, ne ſimili venditione vtatur, in grauiſſimum ſalutis ſpiritualis vtriuſque coniugis detrimentum, abſque propria neceſſitate præponderanti. In notabili tamen neceſſitate dominus poteſt præferre ſuum commodum, & illud ſerui incommodum non curare; quia ipſe eſt res domini, & hic habet ius ſua re vtendi, etiamſi inde alteri aliquod incommodum accidat.

Contra hanc cõcluſionem iudicat Sanchez *diſp. 22. concluſ. 5.* multo probabilius eſſe, & ſibi ferè certum, id peccatum eſſe contra iuſtitiam. Quia eo ipſo quòd ſerui habent ius inuitis dominis matrimonium contrahendi, habent ſubinde illo vtendi, aliàs fruſtraneum eſſet ius illud; ergo ſicut dominus iniuriam irrogat, & facit contra iuſtitiam, ſi ſeruorum matrimonium impediat, ita ſi eius vſum. Firmat, quia ius coniugum potius, ac vetuſtius eſt iure domini; ergo non eſt integrum domino abſque iniuſtitia vti vendendi iure, niſi manente illæſo iure priori ſerui coniugati. Cæterùm his non obſtantibus perſiſto in meo ſecundo dicto. Quia quamuis ſerui habeant ius inuitis dominis matrimonium contrahendi; id tamen non habent minuendo in ſe ius domini ſui, quod certè minueretur, ſi non poſſet dominus illos vendere etiam in partes remotas; eſt enim ſeruus quatenus eſt vtilis ad temporalia, poſſeſſio domini, ſicut iumentum; vt notat Leſſius *lib. 2. de iuſtitia cap. 8. dubitatione 3. n. 20.* Solùm ergo ratione coniugij ſeruus ſe obligat ad reddendum debitum, quantum ipſius ſtatus hoc permittit, non violando, nec minuendo ius domini ſui. Vnde iſte non infert illi iniuriam, peccare tamen poteſt contra charitatem ſeruum in graue damnum coniiciens, ſine cauſa rationabili. Ad illud de iure dico antiquius eſſe ius domini quoad poſſeſſionem, quàm ipſius coniugij: coniux enim ſeruituti addictus erat, cùm ſui corporis poteſtatem tradidit per matrimonium. Qui autem prior eſt tempore, hoc modo potior eſt iure, qui iuri iam acquiſito nullus præiudicare poteſt, nedum ipſemet ſeruus.

Dico *tertiò*, ſi dominus ſeruo dedit facultatem contrahendi matrimonium, cenſetur ſaltem implicitè ei promiſiſſe, quòd quantum commodè poterit permittet eum vti matrimonio; vnde ex iuſtitia tenebitur tunc eum ſine notabili neceſſitate non ita vendere, vt matrimonij vſus impediatur. Ratio eſt, quia tametſi ſuperſit ius domino vbicumque ſeruum vendendi non obſtante matrimonio, at tali iuri ceſſit, dum matrimonio conniuit. Concedens enim principale, concedit ſubinde acceſſorium. *c. prudentiam, de officio deleg.* Firmo idem, quia talis promiſſio reſpectu vxoris videtur eſſe aliquo modo oneroſa quæ cum tali promiſſione eum contractum iniit, quem fortè aliàs non iniiſſet. Verùm in notabili neceſſitate poſſet eum ita vendere; quia non cenſetur cum tanto ſuo incommodo voluiſſe ſe ad eum ita non vendendum obligare. 7

Vnde infero, tametſi dominus in ſerui coniugium conſenſerit, non ideo teneri ei quidquam remittere de ſeruitiis, quæ aliàs ſerui communiter ſolent præſtare, etiam eum pro ſua incommoditate notabili tempore foras mittendo. Si enim mercatores ſæpiſſimè lucri cauſa plurimis menſibus ſolent domo abeſſe, neque vt vxori obſequantur, perfectionem lucroſam omittere; quanto magis ſeruis id præſtare tenentur. 8

Cæterùm

Digitized by Google

9 Cæterùm quid dicendum, quando vterque coniux & ſeruus, & ad diuerſos dominos diuerſa loca inhabitantes pertinent, ita vt mutuo conuenire nequeant, debita obſequia dominis ſuis præſtando? Dico cum Sanchez *diſp.22.n.16.* & cum Rebello *lib. 3.q.3. ſect.1.n.15.* per Eccleſiam cogendum eſſe vnum dominorum vt vendat alteri domino volenti emere, ad vitandum fornicationis periculum. Quòd ſi neuter velit emere, cogendum eſſe vt vendat cuicumque extraneo in loco alterius ſerui habitante: ſi verò deſit emptor, emendum eſſe ab Eccleſia, argumento ex *cap. fraternitatem diſt.54.* Imò ſicut cogit Eccleſia alterum dominum vt vendat, ita poteſt cogere aliquem, vt emat in loco vbi alter ſeruus eſt. Per legem etiam regiam *2.tit.5.p.4* cautum eſt, fieri facultatem iudici, vt quem maluerit ex dominis, cogat alteri vendere.

Sectio VIII.

Vtrùm potiùs teneatur ſeruus coniugatus ſatisfacere domino, an ipſi vxori.

1 Certum eſt ſeruum eo pacto ſe gerere debere erga dominum ſuum, vt per contractum matrimonij nimimè eximatur ab obſequiis conſuetis domino præſtandis. Id enim ſtabilitum eſt *cap. 1. de coniug. ſeru.* ibi, *debita tamen & conſueta ſeruitia non minus debent propriis dominis exhiberi.* Quæſtio igitur ſolum eſt, quãdo nequeunt ſimul ſtare obſequiũ domini & redditio debiti vxori, vt ſi eodem tempore coniux petat debitũ, & dominus obſequiũ, quid facere debeat. Qua in re non parum variant Doctores, vt videre eſt apud Sanchez *lib.7.diſp.11.n. 2.* Solum referã huius Doctoris ſententiam ac iudicium. Dicit itaque in hac re nõ eſſe diſtinguendum inter matrimonium initum à ſeruo, domino volente, & initũ domino ignorãte, aut cõtradicẽte; quia, cæteris paribus, neutrius neceſſitate præponderante, potiores ſunt partes coniugis vt ſibi reddatur debitum poſtulanti, ſiue conniuẽti, eo quòd ius coniugis ad matrimonium ineũdum, traditionemque ſui corporis faciendã præſtantius & vetuſtius ſit, vtpote quoad primæuã originẽ ex iure naturali profectum; quãuis actualis traditio perfectior ſit iure domini in ſeruum, quod ex iure gentiũ ortum fuit. Vnde infert ſeruum iure matrimonij, etiam inuito domino contrahentem, habere antiquius & potius ius ad moderatam debiti exactionem, quàm dominum iure ſeruitutis ad obſequia, quæ eiuſmodi moderatam exactionem impedire poſſent.

In hac re placet mihi doctrina Paludani *in 4. diſt. 36 q.2.art. 2.concluſ. 4.* Richardi *ibidem a.4.q.2.* Soto *d. diſt. 15.q.1.a.1.ad 2.* Armillæ *v. matrimonium n.6.* & aliorum, quam ſequentibus dictis declaro.

2 Dico ergo *primo*, ad ferendum iudicium cui potius ſatisfaciendum ſit, ſpeciales circumſtantias occurrentes prudenti attentione eſſe meditandas, & illius cauſam anteponendam eſſe qui maiori neceſſitate vrgetur, cuique mora grauius infert damnum. Patet, quia ſecundùm naturalem æquitatem vrgentioris neceſſitatis habenda eſt ratio: nec ſeruus tenetur domino, aut coniugi niſi quando iuſtè & ſecundùm rationis limites exigunt, quos prætergrederetur volens ſibi ſatisfieri, poſtpoſita alterius grauiori indigentia.

3 Dico *ſecundo*, ius coniugis non poſſe auferre ius ſeruitutis, ac debita obſequia domino præſtanda; vnde non erit in poteſtate alterius coniugis ſitum, ea paſſim aut plus iuſto impedire, crebra debiti petitione. Probatur, quia tametſi mora reddendi debiti coniugalis, modica ſit, ac proinde æquum ſit, ac rationi conſonum, vt dominus eam patiatur, quo matrimonij oneribus ſatisfiat: tamen ſicut viro liberum eſt vxore deſerta, aliquãdo abeſſe pro negotiis expediendis; nec ius vxoris eſt obſtaculo huic abſentiæ; ita etiam domino licebit coniugem ſeruitute ſibi ſubiectum in neceſſariis occupare; & cùm aliquò proficiſcitur ſecum deferre vt ei miniſtret: & aliò mittere cauſa alicuius negotij expediendi. Ius enim vxorium hæc ex mariti voluntate facienda non impediret, ac proinde nec debet impedire facienda ex domini voluntate, cui vir iure ſeruitutis ſubditur. Non enim minus iuris habet dominus in ſeruum, ne ratione matrimonij impediatur à quotidianis obſequiis, quàm habet ſeruus ipſe, cùm totum quod ſeruus abſque matrimonij læſione poteſt ſubiiciatur domino: & ipſa lex matrimonij ſolùm obligat ad rationi conſonam debiti ſolutionem, quæ iuſtis occupationibus non obſtat.

Dico *tertiò*, ex natura rei, & cæteris paribus, ſi matrimonium ſerui fuerit ex domini conſenſu contractum, potiùs eſt ſatisfaciendum coniugi rationabiliter petenti attenta ſeruitute. Ratio eſt, quia dominus matrimoniũ cõcedẽs ceſſit iuri ſuo, ac ſubinde omnia quæ ipſum petit conceſſiſſe viſũ eſt. Nam conceſſo principali, conceſſum quoque videtur acceſſorium *c. præſentiam, de officio deleg.* 4

Dico *quarto*, cæteris paribus ſi matrimonium fuit à ſeruo contractum inuito domino, potiùs ſatisfaciendum eſt domino rationabiliter præcipienti attento coniugio. Patet, quia, vt conſtat ex *cap.1. de coniugiis*, ſeruus tenetur ad cõſueta domino obſequia præſtãda, non minus quàm ſi coniugatus non eſſet. Non ergo eſt minor obligatio erga dominũ; ac in ipſo præpondetat priùs ſibi obligatum eſſe ſeruum, & eo affectũ onere ad nuptias trãſiſſe inuito domino. Res enim cũ ſuo onere tranſit ad poſſeſſorem, *cap. ex litteris, de pignor.* & ideo ius domini præualet. Firmo, nã qui prior eſt tempore, potior eſt iure, neque enim iuri iã aquiſito vllus præiudicare poteſt; nõ enim obligatio ſuperueniens cum prioris detrimento induci potuit, aut minui, vt ex præcedenti ſectione liquet. 5

Dico *vltimo*, mihi non probari, quod docuit Sanchez, ius coniugis potius eſſe ac vetuſtius iure domini in ſeruo qui contraxit prius ſeruitutem, quàm matrimoniũ inierit. Ratio eſt, quia ius domini ſtrictũ, & acquiſitũ erga ſeruũ, anterius fuit; & ipſe ſeruituti addictus erat cùm ſui corporis poteſtatẽ tradidit re ipſa per matrimoniũ; ergo hoc ius potius eſt ac vetuſtius: ius verò quod habet ad contrahendum, potius eſt facultas & conceſſio quàm rigoroſum & ſtrictum ius. 6

Obiicit Sanchez, ius coniugis in ſeruum eſſe prius quoad originem, & fundamentum iure domini, quia illud proficiſcitur, & robur accipit ex iure naturali primæuo quod habent ſerui ad poteſtatẽ ſui corporis tradendam per matrimonium, & hoc præferendum eſt iuri gentium, ac prius illo eſt, quo aliqui in ſeruitutem redacti ſunt. Quod ius per contractum coniugalem transfert ſeruus in coniugem; nam eo ipſo quòd ſeruus ius naturæ habeat antecedens omnem ſeruitutem, transferendi poteſtatem ſui corporis per matrimonium in coniugem, coniux ille in quem trãsfertur, acquirit ius illud primæuũ ſerui. Quod explicat hoc exemplo; nam ſi à tempore antiquo domus eſſet tradita Petro & ſucceſſoribus, cum hoc onere, vt poſſit ex voluntate Pauli eiuſque ſucceſſorũ, quãdocũque ſeruitus imponi in fauorem tertij: cùm poſt lõga tẽpora ſucceſſor quiſpiam Petri ſeruitutẽ imponeret in Ioãnis fauorem, Ioãnes ille poſterius ius haberet

ret iure Petri, & ſucceſſorum, ſi apprehenſionem poſſeſſionis iuris ſeruitutis attendas, prius autem ſi originem eius, ex qua vim accipit, conſideres. Nam innititur conditione & pacto ſub quibus antiquitus tradita eſt domus Petro, quæ cum ſuo onere tranſit in perpetuum in ſucceſſores. Vnde Ioannes, cui de nouo ius illud ſeruitutis conceſſum eſt, poteſt inuito domino domus ſeruitute ea vti, eo quòd habeat ius antiquius in ſua primæua origine. Ita contingit in matrimonio. Quando enim ius gentium ſeruos aliquos efficit cum eo onere poteſtatem illorum dominis tradidit, vt ſeruaretur illæſum ius naturæ ſeruorum ad id grauamen imponendum domino, eiuſque ſeruitio, vt poſſent ſerui ipſis renitentibus dominis, poteſtatem ſui corporis per contractum coniugalem in coniugem transferre. Hac igitur poteſtate in coniugem tranſlata, ius illud in coniugem tranſmiſſum, poſterius quidem eſt iure domini, quoad poſſeſſionis apprehenſionem, prius autem quoad originem & fundamentum. Nam fundatur in iure, quod habebat ſeruus ad illam tranſlationem efficiendam, conſurgentem ex cōditione, qua iure gentium effectus eſt ſeruus, traditusque domino. Reſpondeo ſeruum, vel liberum, propriè loquendo, non habere ius ſtrictum & rigoroſum ad nubendum, cùm modò nulla vrgeat neceſſitas propagandi genus humanum, atque adeò nec vlla ſtricta obligatio, per ſe loquendo, ad contrahendum. At dominus erga ſeruum habet ius ſtrictum ac rigoroſum, tanquam in poſſeſſionem propriam, vnde excedit hoc ius, & magis obligat: eſt quidem in ſeruo facultas, vel conceſſio nubendi indita à natura, & eſt anterior; tamen cùm ea non obliget ad contrahendum, non eſt propriè ius; vnde ius ſtrictum & rigoroſum coniugij, non eſt re ipſa, niſi quando coniuges mutuo tradunt dominium ſuorum corporum, quod poſterius eſt ipſa ſeruitute antea iam contracta. Exemplum autem illud nobis non obeſt: nam in donatione facta Petro & ſucceſſoribus imbibita eſt tanquam intrinſeca ea conditio, & pactio, ſub qua antiquitus fuit Petro & ſucceſſoribus tradita ipſa domus. At in matrimonio, tametſi antiquitus ſit facultas in ſingulis hominibus etiam in ſeruis, per ſe loquendo, nubendi ſi velint, non tamen eſt in illis obligatio id exequendi; atque ideo ius ſtrictum ac rigoroſum domini erga ſuum ſeruum potius eſt, ſtrictius, ac prius alio iure ſtricto poſtea adueniente, quo tradidit ſuum corpus alteri, manens obligatus ad tradendum debitum.

Sectio IX.

An ſeruitus matrimonio ſuperuenire poſſit, alterutro coniuge ſe in mancipium venundante.

1 Certum videtur apud Doctores vxorem inuito viro ſe vendere non poſſe, & talem venditionem abſque conſenſu viri factam eſſe contra iuſtitiā. Patet *primum*, quia vxor ſubditur viro tanquam capiti in his quæ ad regimen domus & familiæ attinent. Firmo, quia ſolus homo liber qui ſit dominus ſuæ libertatis poteſt ſe ipſum vendere, at vxor non eſt ſic libera cùm ſit ſubdita viro; ergo ſuam libertatem non poteſt liberè abdicare, inuito viro. *Secundum* cōſtat, quia eſt contra rationem capitis, quæ ex natura matrimonij oritur in viro; vnde illi fieret manifeſta iniuria, ſi vxor abſque illius conſenſu ſe ipſam venderet, eſſetque talis venditio nō modò iniuſta, ſed omnino nulla.

Difficultas ſolùm eſſe poteſt de viro, an ſit illi integrum ſe venundare, quia videtur præiudicare debito coniugali, ea venditione facta.

2 Suppono quod eſt certum, hominem ſicut non ſolùm externorum bonorum ſuorum, ſed etiam proprij honoris & famæ eſt dominus, ſic etiam dominum eſſe ſuæ libertatis, atque adeò ſtando in ſolo iure naturali poſſe eam alienare, ſeque in ſeruitutem redigere, id quod conſtat illuſtri illo B. Paulini Epiſcopi exemplo, qui eximia in Deum & proximos charitate, ſe vltrò in commutationem pro libertate filij cuiuſdam viduæ in ſeruitutem dedit. Verùm autem vir coniugatus ſtando in iure communi, vel regni Hiſpaniæ, ſequentibus dictis eſt explicandum.

3 Dico ergo *primò*, attento iure communi validè poſſe virum ſe venundare, renitente vxore. Ita multi, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 7. diſputat. a 3, numer.* 2. Ratio à priori eſt, quia vir abſolutè iure naturæ eſt dominus ſuæ libertatis ſicut famæ & pecuniæ, & ſolùm ſuæ vxori ſubditur in iis ſolis quæ ad debiti redditionem pertinent, in cæteris verò eſt ſui iuris; ergo poteſt ſe ipſum vendere. Firmo, quia prædicta venditio non vergit in præiudicium debiti coniugalis, eſto vir in vxoris fraudem ſe venundaret; tenetur enim vxori ad omnia quæ lex matrimonij petit, à quibus retrahi nequit domini præcepto.

4 Dico *ſecundò*, peccare mortaliter virum ſic ſe venundantem, ſi id faciat abſque iuſta cauſa. Patet, quia talis venditio eſſet manifeſta profuſio libertatis, quæ bonis fortunæ & famæ eſt præſtantior; vnde ſuæ libertatis prodigus eſſet, abſque rationabili cauſa ſe ſeruituti ſubiiciens; non minus, imò magis peccaret, quàm ſi non ſolùm pecuniarum, ſed etiam honoris & famæ eſſet prodigus. Et talis profuſio redundaret in graue dedecus vxoris & familiæ, & in illius iniuriam, nulla iuſta cauſa præponderante; ergo ea venditio non vacat culpa lethali.

5 Dico *tertiò*, id peccatum eſſet contra iuſtitiam, vt rectè notauit Petrus de Ledeſma *de matrimonio q. 52. art. 3.* in ſolutione ad vltimum. Contrarium docet Sanchez *cit. num.* 4. etiamſi vir id faciat in fraudem vxoris. Probo tamen dictum, quia tametſi vir ſe ipſum venundans vtatur iure ſuo, & nec in vxoris detrimentum cedat quoad debitum coniugale; cedit tamen in dedecus graue vxoris & filiorum, & redundat in ipſorum iniuriam, vt fatetur ipſe Sanchez; ergo ob hanc cauſam peccat contra iuſtitiam tale damnum inferens abſque vllo iuſto titulo, & nulla ſubſiſtente iuſta cauſa. Certum eſt autem in hoc euentu etiamſi vxor in venditionem mariti conſentiat, illā non reddi ſeruam, vel ancillam; ſolùm enim vxor conſentiens præiudicat ſibi quoad debitum coniugale cui præferetur obſequium domini eodem tempore petitum, niſi fornicationis periculum tunc immineat vxori. Præterea cùm ſit integrum domino, virum qui ſe venundedit, aliò vendendum mittere; quia per venditionem tranſtulit vir in dominum ius omne, quod ipſe habebat libertatis ſuæ, & tantùm id reſeruatum eſt, quod matrimoniū lædere poterat, atque adeò ſicut vir ſine matrimonij læſione poterat domicilium mutare, ita & eodem iure poteſt vti dominus. Nihilominus vxor venditioni mariti non conſentiens, non tenetur eum ſequi, niſi id commodè poſſet præſtare, vel ei non ſubeſſet cauſa alia iuſta illum non ſequendi.

6 Dico *vltimò*, in hoc Hiſpaniæ regno non poſſe virum ſe venundare validè, & poſſe ab vxore reſcindi talem venditionem, quin debeat ſoluere pretium. *Primum* conſtat ex *l. regia, fin. titul.* 5. *p.* 4. Quod intellige

intellige etiam ſi vir non ſe vendiderit in fraudẽ matrimonij. Quia in dicta lege ratio aſſignata nullitatis talis venditionis, eſt vxoris præiudicium, nempe graue dedecus ipſius, & filiorum, ſi eos habuerit. Hinc patet *ſecundum* poſſe vxorem retractare ac reſcindere eam venditionem, nec teneri ſoluere pretium: quia vir non potuit ſe ſubiicere ſeruituri, & vxor meritò retractat ob ſuum præiudicium.

Sectio X.

Cuius parentis cõditionem filij ſequantur quoad ſeruitutem, & libertatem.

HOc eſt quartum & vltimum, quod propoſui in hac diſputatione tractandum. de quo latè noſter Sanchez *lib. 7. diſp. 24.*

Ratio autem dubitandi eſt, quia quoad honores &
1 nobilitatem filius ſequitur conditionem non matris, ſed patris, vt habetur expreſsè *l. cum legitime. ff. de ſtatu hominum. l. regia 3. tit. 21. part. 2. l. 1. titul. 11. p. 7.* Cuius rationem reddit D. Thomas *in 4. diſt. 36. q. vnica. a. 4. in corpore*, quòd partus recipiat eſſe à patre tanquã à cauſa efficiente, ac nobiliori principio ſuæ ſubſtantiæ, atque ideo quæ pertinent ad eſſe, , vt honos & dignitas, ſequuntur patrem. Quod etiam ad filium naturalem extenditur, gaudet enim patris nobilitate: idem dicendum de libertate ac ſeruitute, vt ſequatur patris conditionem; cùm res debeat dominium trahere à principaliori, & ipſum ſequi, *l. quæritur ff. de ſtatu hominum*; & ſemen viri ſit principalius in generatione.

2 Certum tamen eſt iure Cæſareo & in Hiſpanis communi vſu comprobatum, quoad ſeruitutem, & libertatem filios ſequi conditionem matris. Itaque qui naſcitur ex matre ancilla, ſiue pater liber ſit, ſiue non, ſiue naſcatur ex matrimonio legitimo, ſiue ex copula fornicaria, eſt ſeruus; quia partus ſequitur ventrem. Ita habetur *l. partum. C. de rei vendicatione. §. penul. Inſtitut. de iure perſonarum §. ſed ſi quis, Inſtitut. de ingenuis. cap. vnico. de natis ex libero ventre.* Videturque hoc ius Cæſareum maximè hac in parte rationi conſentaneum. *Primò*, quoniam de matre conſtat; de patre verò nihil poteſt eſſe certum. Vnde quoad hoc inſpexerunt leges quod certius eſt; at conſtare nequit de filio, à quo patre ſit progenitus, cùm tamen certò conſtat cuius matris fœtus ſit. *Secundò*, quoniam mater periclitatur in partu, pater verò non item. Cùm igitur mater pariendo expoſita ſit magis periculo, quod periculum non ſubit pater, inde fit vt dominus matris ancillæ qui hoc damnum ſentit, debeat etiam commodũ fœtus adipiſci. Qui enim ſentit damnum, ſentire debet & commodum. *Tertiò*, quia licèt pater præcipuè ad generationem concurrat; partus tamen quodammodo eſt magis fructus matris, pluſque concurrit ad nutritionem, & educationem filiorum. Quare ſicut arbores non dicuntur fructus ſeminis terræ mandati, ſed ipſius terræ, ita & partus potius eſt fructus matris, quàm patris. *Quartò*, quia mater tam dum grauida eſt, quàm dum proles educatur, plus impeditur à ſeruitio domini, quàm pater. Denique mater plus confert materiæ corpulentæ, quàm pater; miniſtrat enim materiam ex qua formatur corpus; ſeruitus autem ſecundùm corpus conuenit,

Eadem doctrina quoad libertatẽ firmatur quoque
3 iure Canonico, ex *cap. vltimo, de ſeruis non ordinandis.* Vbi proponitur in ſpecie hic caſus de quodam milite qui impediebat alium ne ordinaretur, quia dicebat patrem ipſius eſſe ſeruum ſuum, quamuis mater ipſius libera ſit. Præſcriptũ fuit Archiepiſcopo Neopolitano à Papa Gregorio IX. vt prædictum militem ab huiuſmodi impedimento ceſſare compeſcat; quia mater illius ordinandi, cuius debet imitari conditionem, libera eſſe noſcitur. Igitur quoad libertatem & quoad ſeruitutem ſemper filius ſequitur conditionem matris.

Sunt verò tria notanda. *Primum* eſt, ſi mater fuit 4
libera quando concepit, aut in partu, aut tempore aliquo medio inter conceptum & partum, & ſi vel ad momentum, prolem iure Cæſareo non contrahere ſeruitutem, vt expreſsè habetur *Inſtit. de ingenuis. §. ſed & ſi quis*, quod etiam in Hiſpaniæ regnis comprobatur. Et ratio eſt, quia hoc ipſo momento, quo mater efficitur libera, etiam proles libertati eſt reſtituta; vnde calamitas, ſeu ſeruitus matri ſuperueniens non debet nocere proli libertatẽ aſſecutæ: præſertim cùm cauſa libertatis ſit maximè fauorabilis. Vbi tamen id in fauorem libertatis conſtitutum non eſſet, natura rei potiùs poſtulat, vt ſolùm tempus partus ſpectetur, ſtandumque eſſet iuri, aut conſuetudini eius loci. *Secundum* eſt, ſi alicubi eſſet aliud peculiare ius, aut alia conſuetudo, nempe vt proles ſequeretur patrem, vel vt ad illius ſeruitutem neceſſarium eſſet patrem & matrem eſſe mancipium, vel aliud ſimile, ſtandum eſſet illi iuri, aut conſuetudini. Cùm enim res hæc ſit ex iure humano, poteſt præualere conſuetudo, *c. finali, de conſuetud.* Idemque colligitur ex *cap. licet, de coniugio ſeruorum*, vbi textus ſupponit ſecundùm leges prouinciæ cuiuſdam, fœtum quoad ſeruitutẽ ſequi conditionem patris, nec improbat. *Tertium* eſt cùm mater prægnans iure belli capta eſt, fœtum quoque fieri ſeruum, non obſtante libertate matris tempore conceptionis. Quia non ex vi naturalium efficitur ſeruus, ſed quòd vnà cum matre bello iuſto captus ſit, eoque beneficio affectus, ne vnà cum matre occideretur.

Ad rationem dubitandi, conceſſo antecedente,
negatur conſequentia; nam ſi filius ſequatur nobilitatem patris, nullum damnum ſequitur domino ſerui, quamuis pater incertus ſit. At ſi ſequatur patris incerti libertatem, poſſet in hoc præiudicium fieri domino. Videantur rationes ſuprà adductæ in concluſione. 5

DISPVTATIO XXVI.

De impedimento voti matrimonium dirimente.

NOMINE voti intelligunt Doctores, votum emiſſum in religione approbata. Quoniam verò in religione, v. g. in Societate Ieſu, non ſolùm votum ſolemne, ſed etiam ſimplex, dirimit matrimonium, vt videbimus, vt rem hanc plenè ac radicitus explicemus, duo à nobis præſtanda ſunt in hac diſputatione. *Primùm* agemus de voto ſolemni religionis, quid nimirum ſit voti ſolemnitas, quem effectum habet, quo iure ſit adiuncta votis religionis, vt ſic conſtet mero iure Eccleſiaſtico matrimonium dirimere. *Secundùm* diſſeremus de votis ſimplicibus Societatis Ieſu emiſſis poſt biennium Nouitiatus, qualia debeant eſſe, quem effectum præſtent, & quo pacto ſint etiam impedimenta dirimentia.

Sectio I.

Præmittuntur nonnulla præludia ſtatus religioſi ad præſentem diſputationem conducentia.

1 PRæmitto *primò* de religioſo ſtatu, ſeu religione, eſſe ſtatum perfectionis per tria vota, caſtitatis, paupertatis & obedientiæ adipiſcendæ. Status ponitur tanquam genus, pro conditione vitæ immobilis, per quã alteri obſtricti ſumus. Hoc enim nomen quandam firmitatem denotat. In quo conuenit cum tribus præcipuè ſtatibus Eccleſiæ, Epiſcoporum, Religioſorum, & coniugatorum; qui tres ſtatus habent immobilitatem & firmitatem. Nam Epiſcopi perpetuo vinculo obſtricti ſunt obſequio ſuæ Eccleſiæ; Religioſi obſequio diuino, coniuges obſequio mutuo. Vnde Religioſus ſtatus per ſe & ex natura ipſius vinculi habet perpetuam immobilitatem; licèt ex accidenti & ex poteſtate aliena diſſolui poſſit. Quod etiam reperitur in aliis ſtatibus: nam vinculũ Epiſcopi cum ſua Eccleſia etiam ex ſe indiſſolubile ac ac immobile, licèt auctoritate Pontificia poſſit diſſolui: matrimonium ſimiliter ſtatus eſt ex ſe indiſſolubilis, licèt matrimonium ratum dirimatur per ſubſequentem profeſſionem; & conſummatum matrimonium infidelium diſſoluitur altero tranſeunte ad fidem, & nolente cum coniuge cohabitare ſine Creatoris iniuria. Reliquæ verò particulæ, perfectionis per tria vota adipiſcendæ, ſecernunt ſtatum religioſum ab aliis hominum ſtatibus.

2 Præmitto *ſecundò*, ad ſtatum religionis eiuſque eſſentiam, certum eſſe requiri eſſentialiter tria vota, eaque perpetua, caſtitatis, paupertatis & obedientiæ. Patet, quia inprimis non ſufficit ſeruari hæc tria ſine voto, quia ſic non conſtituunt ſtatum, cùm non habeant firmitatem; nec homo perfectè dicatur Deo nuda illa obſeruantia abſque voto; quia libertatem reſiliendi ſibi retinet, quæ per votum abdicatur. Nec ſufficit votum, niſi ſit perpetuum, quia aliter eſſet imperfecta ſui mancipatio retro reſpiciens, & ius retinens retrocedendi. Denique quòd hæc tria ſimul requirantur, ſuadet ratio, quia de ratione perfecti ſtatus religioſi eſt, vt quis propter Deum renuntiet omnibus rebus, & bonis creatis, quæ perfectum Dei amorem impedire poſſunt: hæc autem bona vel ſunt externa, & hæc per paupertatẽ abiguntur; vel ſunt interna ad corpus proprium pertinentia, & hæc per caſtitatem enuntiantur; vel denique ſunt interna ad animam & propriam voluntatem pertinentia; & hæc per obedientiam abdicãtur, ergo omnibus illis renuntiandum eſt in ſtatu perfecto religionis. Vnde

3 Præmitto *tertiò*, hæc tria vota ſufficere ad ſubſtantiam ſtatus religioſi conſtituendam. Ratio eſt, quia illa tria vota ſufficiunt ad remouendum omnia quæ feruorẽ charitatis impediunt. Nam hæc maximè ſunt tria, ſcilicet concupiſcentia externorum bonorum, & ſenſibilium delectationum, & inordinatio voluntatis humanæ; quorum *primum* per paupertatem, *ſecundum* per caſtitatem, *tertium* per obedientiam remouetur. Hæc itaque ſunt prima, ac principalia fundamenta, ad quæ cætera omnia reducuntur, quæ ad finem ſtatus religioſi conſequendum cõuenientia eſſe poſſunt. Nam in illis virtute continentur omnia, quæ vel ad remouenda impedimenta, vel ad perfectam oblationem ſui, & ſuarum rerum Deo faciendam opportuna eſſe poſſunt.

Præmitto *quartò*, per hæc vota religioſa ita hominem tradi Deo, vt ſpeciali modo dominium ſui in Deum transferat; hanc verò traditionem non fieri niſi interueniente acceptatione Dei per Eccleſiam. *Prima pars* conſtat ex generali & communi modo loquendi Patrum, dicentium Religioſum per antonomaſiam dici, qui ſe totaliter mãcipat diuino ſeruitio. Et ratio eſt, quia ſtatus religioſus eſt ſtatus ſeruitutis Dei: at ſeruitus nõ fit per ſolã promiſſionẽ, ſed traditionẽ, & dominij translationẽ requirit; ergo cũ proportione in hoc etiã ſtatu neceſſaria eſt. *Secunda pars* conſtat, quia ſtatus religioſus eſt ſtatus Eccleſiaſticus; ergo per traditionẽ validam in foro Eccleſiæ fieri debet: nõ poteſt autẽ traditio eſſe valida in foro Eccleſiæ, niſi per ipſam Eccleſiam acceptetur; ergo. Vnde hac ratione approbatio Eccleſiæ neceſſaria eſt, vt infrà videbitur. Firmo, quia traditio non habet valorem, nec efficaciã ad trãsferẽdum dominium in alterum, niſi ab eo acceptetur; ergo etiam in præſenti traditione neceſſaria eſt acceptatio Dei. At Deus non acceptat immediatè per ſe ipſum aliquam donationem ſibi factam; ergo neceſſe eſt vt per Eccleſiam, ſeu miniſtrum ab ea deputatum hæc acceptatio ſit; eſt enim donatio quidam contractus qui ſine donantis & donatarij conſenſu non perficitur. Vnde notanda eſt differentia inter promiſſionem, & traditionem, ſeu donationem Deo factam. Nam promiſſio ipſi Deo immediatè fieri poteſt, & illi placere, ſi ſit de re ſibi grata; & hoc ſatis eſt vt habeat ſuũ effectũ, qui tantùm eſt obligare promittentem ad faciendũ quod promiſit. Neq; inde acquirit Deus aliquod ſpeciale ius, vel dominiũ quaſi intrinſecum, ſed promittens manet obligatus ad ſeruandũ promiſſum. Et quamuis Deus poſſit illum cogere, non habet eam poteſtatem de nouo adquiſitam: ſed intrinſecam, & connaturalem; ſolumque ex parte materiæ, ſeu hominis facta eſt mutatio per obligationem quam homo promittendo acquiſiuit, ratione cuius ſub illa poteſtate diuina conſtitutus eſt. At traditio, vel donatio, licèt poſſit immediatè fieri intuitu Dei, non tamen acceptatur ab illo, nec eſt illi grata, niſi fiat alicui homini, à quo acceptari, vel repudiari poſſit, & qui ius acquirat in rem traditam, ad vtendam illa, vel illi imperãdum, & curam eius gerendi. Cuius rei ratio eſt, quia Deus ſecundùm ordinariam prouidentiam ſuam non ſuſcepit peculiarem curam gubernandi priuatam perſonam immediatè per ſe ipſum, nec indiget his rebus ſenſibilibus, vt eis immediatè, & ſine interuentu cauſarũ ſecundarũ vtatur; & ideo donatio ſic facta Deo, vel eſſet vana & otioſa, vel quaſi tẽtans Deũ ab eo immediatum regimen exigendo; & propterea illi non placet, nec ab ipſo immediatè acceptatur. Vnde ſi quis ſecũ deliberet ac definitè velit à ſe abdicare dominium domus, v.g. & immediatè illam Deo donare, niſi illam voluntatem manifeſtet Eccleſiæ, id eſt, miniſtris eius, qui ſunt adminiſtratores bonorum Dei, & illi eã acceptent, & ſub ſua cura & regimine illam recipiant, nullius momenti erit donatio, & ſub iniuſtitia poterit à priori domino voluntas illa retractari. Imò etiam ſine peccato, niſi conſtet ſe voluiſſe obligare in futurum. Nã tunc habebit prior voluntas vim promiſſionis factæ Deo, de qua certò conſtare oportet, vt ad illam implẽdam aliquis cogatur. Donatio autem propria, & traditio externorũ bonorum, quæ aliquid vltra promiſſionem addit, reſpectu Dei intelligi non poteſt, niſi per Dei miniſtros acceptetur. Idem ergo eſt in traditione proprij corporis, perſonæ, aut voluntatis. Ex quo 4

Præmitto *quintò* ad proprium vinculum religioſi ſtatus, quando in communitate aſſumitur, præter tria vota ſuprà dicta immediatè Deo facta, 5

quibus religioſus ipſi Deo obligatur, neceſſariam eſſe peculiarem obligationem bumanam per modum pacti reciproci, quo & ipſe religioni ſe donat, & obligatur religioni; & religio eius traditionem acceptat, eique viciſſim obligatur ad illum tanquam mẽbrum ſuum alendum, conſeruandum, & iuxta ſuum inſtitutum gubernãdum. Ratio eſt, quia in eo Religioſus fit membrum vnius corporis myſtici, quod eſt ipſa religio: id autem fieri non poteſt, niſi per mutuam vnitionem inter totum & partem; illa verò vnitio cùm moralis ſit, per mutuam obligationem fit; & quia eſt actualis ac realis, ac præſentanea vnio, ideo per traditionem actualem, & acceptationem proportionatam illi fieri debet. Totum ergo hoc eſt de ſubſtantia talis actus.

6 *Sextò* præmitto ad eſſentiam religionis perfectæ, ſeu completæ, per ſe nihil neceſſariò requiri præter tria vota ſupradicta, & Eccleſiæ approbationem, ſeu acceptationem. Hoc magis conſtabit ex dicendis in ſequentibus. Solùm duo notanda ſunt. *Primum*, cùm communiter dicitur religionem conſiſtere ſolùm in tribus votis ſubſtantialibus, ex quo videtur ſequi approbationem Eccleſiæ non pertinere ad eſſentiam religionis: id intelligendum eſſe de his quæ requirũrut ex parte vouẽtis, ſeu Religioſi; neque enim negari poteſt quin neceſſaria ſit approbatio, vel acceptatio in eo, qui vice Dei, vel Eccleſiæ debeat talia acceptare vota; alioquin ipſa vota ſine tali acceptatione non haberent tantam immobilitatem & ſecuritatem: nec efficerent ſtatum ſpiritualem, & exemptum à iuriſdictione laicorum. Quare illo modo loquendi ſolùm excluduntur aliæ obligationes Religioſi, v. g. ad cantum, ad carnium abſtinentiam, & ad alia ſimilia; quoniam eſſentia religionis ex parte Religioſi, nihil aliud requirit niſi obligationem trium votorum. *Alterum* eſt, cùm aliqui Doctores dicunt obſeruationem votorum pertinere ad eſſentiam religionis perfectæ, ſeu completæ; id ab illis ſolùm dici, vel quia pertinet ad eſſentiam religionis cõſideratę in actu ſecundo; vel, quod verius eſt, quia eſſentia religionis ad eam obſeruationem obligat votorum; debitum enim & obligatio ſeruandi vota eſt religioni eſſentiale.

7 Præmitto *vltimò*, quod rectè declarat & probat Baſilius Ponce *lib 7. de matr. cap. 6.* immobilitatem ſtatus religioſi totam prouenire, formaliter ac præcisè loquendo, ex traditione, ſeu donatione quam includit ratio & natura ſtatus. Ratio eſt, quia hac ſola traditione, ſeu donatione quouis alio præciſo tranſit donans in ius alterius, id quod requiritur ad ſtatum. Vnde ex vi votorum præcisè nullo modo immobilitas ſtatus Religioſi prouenire poteſt, quia vota nequeunt donare aliquẽ, neque transferre in ius alterius, aut efficere alieni iuris. Patet, tum quia non poteſt vna & eadem cauſa obligari in præſens & futurum, cùm ſint diuerſæ temporis differentiæ; ergo cùm votis obligetur Religioſus in futurum, non poteſt ex vi votorum donari. Firmo, quia impoſſibile eſt eandem eſſe traditionem & promiſſionem ſimul, imò vnum excludit aliud, ſemel enim tradita re non eſt vltrà promiſſio, cùm traditio reſpiciat tempus præſens; promiſſio verò futurum. At votũ eſſentialiter eſt promiſſio, & tantùm ligat totum hominem in futurum, idque habet quoduis votum, totus enim homo caſtitatem ſeruare tenetur; ergo nõ poteſt votum eſſe donatio, vel traditio. Tum etiam, quia omne votum eſſentialiter conuenit in ratione promiſſionis, nec votum religionis ſolemne, & votum ſimplex extra religionem differunt in eſſentia, ſed tantùm in accidẽtibus, vt conſtabit ex dicendis: & tamen vota ſimplicia extra religionem non tradunt, vt notum eſt; in religione autem tam vota ſimplicia, quàm ſolemnia tradunt, & donant, vt dicemus; ergo ea traditio aliunde proueniat neceſſe eſt, quàm ex vi votorum. Tum denique, quia donatio fit religioni, non Deo; vota fiunt Deo, non religioni; ergo.

Dices vinculum quo Religioſus retinetur mancipatus religioni, non prouenire ex eius traditione, ſed ex iuriſdictione quadam annexa votis, ſcilicet voluntate legiſlatoris ſubiicientis ſibi, ſuorumque miniſtrorum iuriſdictioni vouentem tria vota in religione approbata, qua efficitur vt illos ſemel vouentes detinere poſſint. Sed contrà eſt, quia nemo poteſt niſi in ſibi ſubiectum iuriſdictionem exercere, vt notiſſimum eſt; ergo vt Prælatus exerceat iuriſdictionem in vouentem, debet eſſe illi ſubiectus. Quò ergo ſubiicitur? Maximè, quia Religioſus fit ſeruus religionis, & alieni iuris, & totus transfertur in poteſtatem alterius, non minus quàm ſeruus. Rogo igitur quò transferatur in poteſtatẽ alterius? Si à ſe ipſo, hoc eſt quod intẽdo, ſcilicet traditione, ſeu donatione cõſtitui in ſtatu immobilis conditionis ſeruilis. Si à Pontificis voluntate, hoc dici non poteſt: nam auctoritate aliena nequit effici ſeruus, neque in ius alterius transferri, maximè ſeruitute ſpirituali, qualis eſt Religioſi. Debet ergo in Religioſis præter tria vota aliud vinculum inueniri, quo religioni ſeſe adſtrinxerint, ne poſſint recedere, & ratione cuius poſſint à Prælato detineri, vt in illos ſuam exerceat poteſtatem, atque adeò vt ex vi votorum præcisè non reſultat immobilitas Religioſi ſtatus, ſed ex voluntaria traditione, ſeu donatione Religioſi ſe donantis, & conſtituentis in ſtatu. Vnde ipſa donatione conſtituitur ſtatus Religioſus, & redditur conditio ſeruitutis ſpiritualis, immobilis; illis autem votis, tolluntur impedimenta quæ obſtare poterant adquirendæ perfectioni.

Sectio II.

An ſolemnitas ſubſtantialis voti religioſæ caſtitatis poſita ſit in aliquo externo ritu.

TAmetſi de voto ſolemni generatim & in communi ab auctoribus tractetur, melius eſt claritatis gratia priùs id in particulari tractari de voto caſtitatis, quia in eo difficultas clariùs poteſt percipi, & inde faciliùs ad cætera vota ſolemnia accommodari.

Suppono *primò*, votum ſimplex & ſolemne conuenire in communi ratione voti vniuerſa, quia omne votum ſiue ſimplex ſit, ſiue ſolemne, inducit obligationem religionis ex vi promiſſionis Deo factæ. 1

Suppono *ſecundò*, votum ſolemne differre à ſimplici tanquam addens & includens aliquid, quod votum ſimplex non includit. Quid verò ſit iſta ſolemnitas quæ proprium religioſum votum ſolemne conſtituat, eſt explicandum. Ad quam examinandam, vulgaris illa voti ſolemnis diſtinctio præmittenda eſt; alia eſt enim ſolemnitas accidentaria & quaſi extrinſeca conſiſtens in externa publicitate, certo ritu & cæremoniis requiſitis ſecundùm morem variarum religionum; & alia ſubſtantialis ad validitatem ipſius neceſſariò ſemper requiſita, nimirũ vt duo interſint, vnus promittens, ſeu offerens ſe ipſum, & alius acceptans nomine Eccleſiæ, ſeu Dei ad hoc habens poteſtatem legitimam, vt conſtat ex vſu Eccleſiæ, 2

&

& ex *cap. cùm ad monaſterium, de ſtatu monach. & cap. porrectũ, de regularibus.* Si enim illi duo interueniãt,etiã ſi abſque alia externa ſolemnitate,ſeu ſine maiori publicitate fiat, erit profeſſio valida,& votũ ſubſtantialiter ſolemne , vbi alia externa ceremonia non fuit ex diſpoſitione iuris humani ad valorem voti neceſſaria.

3 Suppono *tertiò* duplex eſſe votum ſolemne caſtitatis,Ordinis ſacri, ac religioſi ſtatus , iuxta *cap. vnicum, de voto in 6.* In præſenti verò ſolùm agimus de voto annexo profeſſioni religioſæ.

4 Suppono *quartò*, votum ſolemne religioſum caſtitatis duplicem moralem effectum habere : vnus eſt maximè proprius , quia dirimit præcedens matrimonium ratum non conſummatum;alius eſt,quia impedit & annullat matrimonium poſtea contrahendum, quem effectum babet etiam votum caſtitatis clericorum in Sacris ; non autem votum ſimplex caſtitatis emiſſum extra religionem in ſeculo,quod licèt impediat matrimonium ne licitè contrahatur , non tamen dirimit illud. Quæ omnia ſunt in ſequentibus dilucidanda , ea verò modò ſupponimus , quia neceſſaria ſunt ad ſolemnitatem ſubſtantialem voti caſtitatis religioſæ explicandam Nam licèt votum non ſit ſolemne,quia hos habeat effectus,cùm ipſi effectus poſteriores ſint ipſo voto ſolemni,& potiùs quia ſolemne eſt,ideo illos effectus habeat; virtus tamen efficiendi tales effectus,vel illud,quidquid eſt, vnde tale votum vim dirimendi habet , & efficaciter impediendi matrimonium ,eſt voti illius ſolemnitas. Quid ergo illud ſit,& in quo conſiſtat,in præſenti inquirimus.Et quia variæ ſunt opiniones,quæ ſuam examinationem requirunt,ideo per diuerſas ſectiones ſingulas expendemus,& breuiter de illis iudicium feremus.

5 *Prima ſententia* quæ tribuitur D. Thomæ 2.2.q.88. *a.* 7. conſtituit hanc ſolemnitatem in quadam conſecratione ſpiritali, benedictione , vel alio ſimili ſacro ritu. Solet probari *primò* , quia vnicuique rei adhibenda eſt ſolemnitas proportionata,vt in militia,& in matrimonio ; & idem eſt in contractibus, in teſtamentis,& ſimilibus;ſed votum eſt promiſſio Deo facta:ergo eius ſolemnitas in aliqua ſpirituali & diuina benedictione,vel cõſecratione cõſiſtere debet.Firmatur ex vſu antiquo ſimilia vota emittendi cũ ſolemni benedictione,& conſecratione.

6 *Altera ſententia* aſſignari poteſt, quæ docet conſecrationem per ſe ſolemnizare votum,etiam ſi tale votum perſonam vouentem non reddat inhabilem ad ſubſequẽs matrimonium.Nam hoc nõ eſſe de ratione voti ſolemnis,ſed potiùs poſſe eſſe votum ſolemne,& non irritare matrimonium poſtea contractum , ſentiunt Medina *lib. 4. de ſacror. homin continent. controuerſia 7. cap.* 24. & noſter Vaſquez 1.2.*diſp.* 165.*c.*8. *n.*11. vbi declarat vim illam in habilitandi perſonam ad matrimonium,non eſſe ad votum ſolemne neceſſariam, ſed eſſe effectum quendam iure humano annexum ſolemni voto ; ſine quo tamen , inquit,votum verè ſolemne manere poteſt.Vnde ſolemnitatem voti in hoc ſolùm cõſtituit,quod ſub certa regula approbata iuxta ritum , & ceremonias in eadem regula conſtitutas,publicè nuncupatur, cum traditione perpetua ex parte vouentis & acceptantis. Probat hanc ſententiam,

Primò ex *cap. vnico , de voto in 6.* vbi proponitur quòd votũ dici debeat ſolemne, & ad matrimonium dirimendum efficax ; & expendit , duo diſtincta ibi proponi, atque ideo ſolemnitatem voti non eſſe efficacem ad matrimonium dirimendum.

Firmat,quia ſi efficacia eſſet ipſa ſolemnitas,reſpõdere debuiſſet Pontifex illud votum eſſe ſolemne quod eſt efficax ad matrimonium dirimendum , ſeu quod inhabilem reddit vouentem ad matrimonium contrahendum. At non ſic reſpondet , ſed ait, illud ſolum votum debere dici ſolemne , quantum ad matrimonium poſt contractum dirimendum , quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut per profeſſionem factam in religione. At ſi diceret,illud eſſe ſolemne quod ſub certo quodam , & præſcripto modo nuncupatum eſt;modus enim ille vicem habet ſolemnitatis.

Secundò, quia interroganti quodnam votum inhabilitet matrimonium , ſimplex , an ſolemne ? profectò ſi ſolẽnitas eſſet inhabilitas, reſpondendum eſſet, illud votum eſſe ſolẽne quod inhabilitat matrimoniũ. At quis nõ videat hanc reſponſionẽ friuolã eſſe?quia vltimum reſponſum cum prima interrogatione coincideret. Igitur reſpõdendum eſt illud votum eſſe ſolemne quod certa quadam & præſcripta forma effectum eſt, ac proinde hæc erit ſolemnitas voti, & non inhabilitandi vis.

Tertiò, quia aliàs ſequeretur,antiquitus, quando in Eccleſia Religioſi vouendo caſtitatem non fiebant inhabiles ad contrahendum, vota illorũ non fuiſſe ſolemnia,quod non videtur admittendum.

7 Dico *primò*,non fieri votum ſolemne ratione alicuius ſacræ benedictionis,vel cõſecrationis.Ita ferè omnes Doctores,& ex Thomiſtis Caiet.Palud Heruæus, & Medina,quos refert & ſequitur Suarez *tõ. 3. de religione lib. 2. cap.* 6. Sanchez *lib. 7. de matr. diſp.* 25. *n.* 1. & alij.Moueor duplici fundamento.*Primum* eſt,quia id ſine quo votum poteſt eſſe ſolemne,non eſt ſubſtantialis ſolemnitas eius, nec ad illam eſſentialiter pertinet,vt eſt per ſe notũ,quia ſine ſubſtantiali,ſeu eſſentiali forma,aut proprietate res nõ poteſt ſubſiſtere. At votum poteſt eſſe ſolemne ſubſtantialiter abſque vlla conſecratione , aut benedictione. Igitur ſolemnitas ſubſtantialis in tali conſecratione non conſiſtit. Minor probatur,tum quia in aliquibus religionibus promiſſio ſolemnis profeſſionis abſque ea conſecratione,vel benedictione fit, vt in Societate Ieſu , & in religione D.Dominici,in qua priùs fit profeſſio cũ votis ſolemnibus , & poſtea benedicuntur veſtes , vnde benedictio quæ ibi interuenit , votum ſolemne ſupponit. Tum etiam, quia profeſſio tacita eſt vera,ac legitimis votis ſolemnibus tacitè emiſſis conſtat , quæ tamen ſine vlla benedictione , vel conſecratione , aut ſacra ceremonia fit, & habet annexum votum ſolemne caſtitatis. Et quamuis deferat habitum benedictum; hoc nihil iuuat,quia neque eſt neceſſarium,vt habitus ſit benedictus,vel etiam ſi ſit,fieri poteſt vt ſit cõmunis nouitiis tã in externa forma,quàm in benedictione,& tunc delatus talis habitus non magis conſecrabit perſonã poſt annũ probationis,quàm antea. Quibus addo benedictionẽ habitus eſſe valde extrinſecã perſonæ;neque enim habitus Monachum facit,ſed eſt aliquale ſignum profeſſionis eius. *Altera* ratio , ſeu fundamentum eſt, quia fieri poteſt , vt ſtante eadem conſecratione & benedictione votum non ſit ſolemne ; ergo ſignum eſt ſubſtantialem ſolemnitatem talis voti non conſiſtere in conſecratione. Antecedens conſtat in voto ſolemni Sacerdotum , quia potuiſſet Eccleſia inſtituere vt Sacerdotes vouerent caſtitatem, & non manerent inhabiles ad contrahendum; hæc enim duo ſunt valde diſtincta, & qui potuit vtrumque ſimul introducere , potuiſſet etiam vnum ſine alio ordinare. Tunc autem eadem eſſet conſecratio & benedictio perſonæ , & conſequenter votum eſſet annexum eidem conſecrationi , & tamen non eſſet ſolemne ; ergo ſolemnitas non conſiſtit formaliter & per ſe in illa conſecratione. Idem

conſtat etiam in voto religioſæ caſtitatis, quia in Societate Ieſu fiunt vota Scholaſticorum, & Coadiutorum cum publica ſolemnitate ſatis ſacra in manibus Prælati habentis in altari apertam ſacram Eucbariſtiam, & tamen ſunt vota ſimplicia, & in principio nullo modo reddebant perſonam inhabilem ad contrahendum. Idemque eſſe potuiſſet etiamſi ſolemnis benedictio adiungeretur, ſi intentio, & inſtitutio eadem eſſet. Item nihil repugnaret approbari à Papa ſtatum viuendi religioſum, in quo homines perpetuo ſe cultui diuino conſecrarent, & profeſſio cum tribus votis eſſentialibus & ſacra benedictione fieret; & tamen perſonæ vouentes ad matrimonium inhabiles non fierent, ac proinde vota eſſent tantùm ſimplicia. Nulla enim in hoc repugnãtiæ ratio reddi poteſt, quia videmus approbaſſe Eccleſiam quamplures religioſos viuendi modos, habentes varios modos obligandi ad caſtitatem; cur ergo non poſſet illum adiungere? ergo ſacra benedictio non dat per ſe ſubſtatialem ſolemnitatem ſolemni voto religioſæ caſtitatis. Et ratio à priori eſt, quia nulla conſecratio, aut benedictio humana, niſi alia poſitiua inſtitutio intercedat, poteſt per ſe reddere perſonam inhabilem ad matrimonium; nam conſecratio perſonæ ſacerdotalis, vel Pontificalis eſt de iure diuino, & tamen illa vi ſua non reddit perſonam inhabilem ad matrimonium, vt eſt certum ex Paulo 1. *ad Timoth.* 1. & ex vſu Eccleſiæ antiquo; neque id præſtat conſecratio, aut benedictio ſi adiungatur voto; quia ſecluſo Eccleſiæ ſtatuto inhabilitante perſonam, etiamſi emittat votum caſtitatis in manu Prælati cum intentione ſe obligandi ad continentiam, & ad abſtinendum à vinculo coniugali quantum poteſt, & à Prælato benedicatur, vel dicetur diuino obſequio, non ideo perſona fiet inhabilis ad contrahendum; quia nec voluntas priuata vouentis habet per ſe poteſtatem ad inducendum hunc effectum, nec benedictio per ſe ſimilem vim habet, nec vtrumque ſimul poteſt talem inhabilitatem inducere.

8 Dico *ſecundo*, votum ſubſtantialiter ſolemne habere vim inhabilitandi matrimonium. Hæc eſt communis Doctorum ſententia, dum pro comperto ſupponunt, omne votum caſtitatis quod non irritat matrimonium contractum, vel contrahendum, quomodocumque fiat, eſſe ſimplex. Probatur, quia votum ſolemne caſtitatis hîc ſumitur prout contradiſtinguitur adæquatè à ſimplici caſtitatis. At non contradiſtinguitur in vi & efficacia inducendi naturalem obligationem ſeruandi caſtitatem, in quo vtrumque votum conuenire neceſſe eſt; ergo in hoc diſtinguitur quod votum ſubſtantialiter ſolemne inhabilitet perſonam ad cõtrahendum, idque ex inſtitutione Eccleſiæ. Quare votum quod non ſolùm eſt validũ ad obligandum ad continentiam perpetuam, ſed etiam ad irritandum matrimonium, non eſt ſufficiens ad conſtituendum votum ſolemne propriè & ſubſtantialiter. quod magis conſtabit ex dicendis in ſequentibus. Hinc

9 Dico *vltimò*, votum caſtitatis, etiamſi peculiari ritu externo & ſolemni ab Eccleſia ordinato, & ad valorem voti requiſito fiat, ex vi talis ritus, ſiue nomine conſecrationis, aut benedictionis, aut ſolemnitatis externæ, ſiue quocumque alio nomine donetur, ſiue poſſit dici ſolemne accidentali & externa, ſeu vulgari ſolemnitate, non tamen abſolutè eſſe ſolemne propriè, ſeu ſubſtantiali ſolemnitate. Patet, quia tale votum ex vi talis ſolemnitatis non habet vim inhabilitandi perſonam, niſi in ipſa inſtitutione Eccleſiæ id ſpecialiter expreſſum & additum ſit; ergo non poteſt eſſe ſubſtantialiter ſolemne ex vi talis ritus externi. Firmo, quia nemo negare audebit poſſe Eccleſiam ordinare in votis ſimplicibus ſaltem grauioribus ac perpetuis, vt non eſſent valida, niſi coram teſtibus, aut Prælato, aut alio ritu externo; & tamen votum ſic factum, etiam ſi vulgari, vel ciuili modo poſſet dici ſolemne, eo ſenſu quo teſtamentum, vel alienatio, vel contractus ritè facta dicuntur ſolemnia, id eſt, valida, ac debito modo facta, non tamen diceretur abſolutè & ſubſtantialiter ſolemne prout contradiſtinguitur adæquatè contra votum ſimplex; non alia de cauſa, niſi quia non haberet vim inhabilitandi perſonam ad matrimonium; ergo.

Ad primam ſententim dico cum Soto *lib. 7. de iuſtitia q. 2. a. 5. & in 4. diſt 38. q. 2. a. 1.* non intellexiſſe D. Thomam benedictionem ſolemnem, quæ externo ritu & cæremoniis ac orationibus fit, dare voto formaliter, aut efficienter ſubſtantialem ſolemnitatem, vel efficaciam ad inhabilitandam perſonam vouentem ad matrimoniam, ſed ſolùm vult eam benedictionem eſſe cæremoniam quandam accidentariam, cum quia iudici ſolet ſolemnitas voti ſubſtantialis. Et quamuis illa benedictio non ſit certum ſignum ſolemnitatis, voti ſubſtantialis, cùm & ſine tali benedictione poſſit dari votum propriè ſolemne, & ſuper vota tantùm ſimplicia emittentem poſſit cadere talis benedictio; poteſt nihilominus dici ſignum, quia, communiter ac regulariter loquendo, votum caſtitatis ſubſtantialiter ſolemne cum aliis non emittitur in regularibus, niſi cum externa benedictione, vel cum alio ritu externo, & accidentario, quo intelligitur eſſe perſona dicata Dèo in perpetuum & ſubſtãtiali ſolemnitate. Ex quo patet ſolutio ad argumentum ibi propoſitum in fauorem primæ ſententiæ, quod ſolùm procedit de ſolemnitate extrinſeca & accidentaria pertinente ad ornatum actus, de qua ſolemnitate produnt exẽpla ibi adducta, & proportio ab eis ſũpta. Sic enim fatemur aliquam conſecrationem, aut benedictionem eſſe ſolemnitatem proportionatam, vt emiſſio talis voti decenter & ornatè fiat; non tamen inde fit, vel eſſe neceſſariam ad valorem, vel ſufficere ad prædictam efficaciam actus, niſi per aliquam legem id inſtituatur; multoque minus eſſe per ſe & natura ſua ſufficientem ad dandam actui ſubſtantialem ſolemnitatem, quæ in efficacitate ad inhabilitandam perſonam cõſummatur. Nec aliud probare poteſt antiquus vſus benedictionis, vel conſecrationis. 10

Ad ſecundam ſententim dico illam eſſe alienam à prima, quia hæc non loquitur de ſolemnitate tantùm externa & vulgari, ſed de illa quæ vim confert dirimendi matrimonium. quam ſolemnitatem negauimus poſſe ex ſola cõſecratione, vel benedictione prouenire. Vnde ad caput illud vnicum *de voto in 6* dico ibi ſupponi, quod non negamus, poſſe votum habere aliquã ſolemnitatem ſine efficacia dirimendi matrimonium. Quod etiam probat dictum caput, *per totum*, & communis loquendi modus, ſed illa ſolemnitas præciſè ſumpta accidentaria eſt, & vulgaris. Et ideo in interrogatione poſita in illo capite, additur, quòd votum debeat eſſe ſolemne, & ad dirimendum matrimonium efficax. Vbi ſecunda particula determinat & declarat priorem; & ita diſtinguuntur tanquam quid generale, & determinatum, vt interrogatio ad votum ſubſtantialiter ſolemne definiatur. 11

Ad primam confirmationem, dico optimè reſpondiſſe Pontificem declarando, cui voto efficacitas illa cõueniat, & ſic ait ſolùm in voto ſolemnizato per profeſſionem religionis approbatæ, vel per ſuſceptionem ſacri Ordinis reperiri. Vbi ſignificat in voto habẽte efficaciam illam, ſupponi aliquam ſolemnizationem externam; declarat autem non cuicumque ſolemnitati ſimili, ſed illis duabus, quas exprimit, inditam eſſe illam efficaciam, quæ talia vota faciat ſpeciali 12

modo

Digitized by Google

modo & quaſi per antonomaſiam ſolemnia. Cùm autem ſubdit, *reliqua verò vota*, &c. planè indicat omnia alia vota caſtitatis, quæ hunc effectum non habent, eſſe ſimplicia, etiamſi ſecundùm quid, & vulgari modo ſolemniter fieri poſſint. Et hoc etiam ſignificant illa excluſiua verba: *declaramus, ſolum illud votum debere dici ſolemne, quantum ad matrimonium poſt contractum dirimendum*, id eſt, ſimpliciter, ac propria, & Canonica ſolemnitate.

3 Ad ſecundam confirmationem, dico interroganti, quòd votum irritet matrimonium, rectè reſponderi ſolemni, quod inhabilitat matrimonium; ſi vlteriùs interroget, quodnam ſit ſolemne votum, verè poſſe reſponderi eſſe illud quod irritat matrimonium, niſi ſupponeretur prior interrogatio, vnde ea ſuppoſita meliùs reſpondetur eo modo, quo reſpondet Pontifex, eſſe illud quod ſacro Ordini, vel Profeſſioni religionis approbatæ annexum eſt nunc.

Ad vltimam concedo, ſi quando fuit in Eccleſia votum caſtitatis annexum religioni, & non inhabilitans perſonam ad matrimonium, non fuiſſe ſolemne, vt diſtinguitur à ſimplici, ſed abſolutè fuiſſe ſimplex.

Sectio III.

An voti caſtitatis ſolemnitas conſiſtat in traditione, vel donatione ſui ipſius, quam religioſus Deo, & religioni facit.

1 SVppono ex ſectione prima traditionem Religioſi factam religioni diſtingui re ipſa à voto caſtitatis, quod eſt promiſſio facta Deo. Quo poſito eſt difficultas an donatio illa, vel traditio voto caſtitatis adiuncta, ſit illa ſolemnitas, ratione cuius votum illud vim habet inhabilitandi perſonam ad matrimonium.

2 Solemnitatem voti caſtitatis formaliter conſiſtere in dicta traditione affirmant multi, quos refert Sanchez *lib. 7. diſput. 25. numer. 7.* & ex noſtris Doctoribus, Valentia *tom. 3. diſput. 6. quaſt. 6. puncto 7. & in 4. tom. diſput. 10 de matr. quaſt. 5. puncto 3.* & Henriquez *lib. 12. de matrimonio cap. 5. numer. 3. & 4.* Probant,

Primo, quia res vni tradita nequit alteri validè donari; ergo Religioſus donatus Deo per votum habens traditionem annexam, non poteſt validè ſe tradere alteri homini in coniugem; ergo ex vi talis voti dictæ traditioni coniuncti talis perſona fit inhabilis ad matrimonium validum contrahendum: ſed in hoc conſiſtit ſolemnitas voti caſtitatis, vel certè illud eſt infallibile ſignum talis voti; ergo votum caſtitatis religioſæ ex vi prædictæ donationis fit ſolemne.

Secundò, negari non poteſt poſſibilem eſſe ſtatum religioſum in quo talis fiat traditio proprij corporis ad cælibatum ſeruandum in Dei honorem vt ſit incompoſſibilis cum traditione matrimonij; quia in tali genere traditionis nulla eſt repugnantia: nam homo poteſt ſe tradere Deo in eius obſequium prout voluerit, & Deus per miniſtros ſuos poteſt talẽ traditionem acceptare; & ita peculiare dominiũ in corpus talis hominis acquirere, præter generale & cõnaturale dominium omniũ, quod ex vi creationis habet. Sicut aliarum rerum temporalium quæ ad cultum Dei dãtur Eccleſiæ, acquirit Dei ſpeciale dominium, ratione cuius nõ poteſt donator de illis amplius diſponere, vel alteri eas donare; quia per donationem Deo factam ſe tali poteſtate, & priori dominio priuauit; ita ergo poteſt fieri in dominio proprij corporis. Sicut poteſt etiam vnus homo alteri ſe in ſeruitutem tradere, per quam traditionem ab altero acceptatam, ſui dominium, & propriam libertatem amittit; ita vt nec poſſit ſe à ſeruitute eximere, nec alteri donare: poterit ergo homo ſe ſimili modo Deo tradere. Talis verò eſt illa, quæ nunc fit in Profeſſione Religioſa cum voto caſtitatis, cùm per illam homo perfectiſſimè ſe tradat Deo in obſequium eius, quantum poteſt. Inde ergo habet tale votum vt ſit ſolemne.

Verior ſententia docet, traditionem non eſſe per ſe ſufficientem ad faciendum ſolemne votum caſtitatis. 3 Ita egregiè & eruditè Suarez *tom. 3. de religione lib. 2. cap. 7. 8. & 9.* & Sanchez *lib. 7. diſput. 25.* Tribus argumentis efficacibus oſtendo veritatem huius concluſionis. *Primum* ſit ab exemplo. Nam in voto caſtitatis emiſſo poſt biennium in Societate Ieſu, quod eſt ſimul cum traditione, qua vouens ſe tradit religioni per Eccleſiam approbatæ, & acceptatur à ſuperiore, in cuius manibus publicè & cum cæremoniis fit, & tamen illud eſt votum ſimplex, vt ex inſtituto Societatis, & eius approbatione per Bullas Pontificias liquet. Imò tale votum ante Gregorium XIII. adeò erat ſimplex, vt ſubſequens matrimonium non irritaret. Et quamuis poſtea idem Gregorius XIII. in Bulla, *Aſcendente Domino*, illud impedimentum introduxerit, & perſonam ſic vouentem inhabilem ad matrimonium reddiderit, durante voto; declarauit etiam nunc eſſe ſimplex, & non ſolemne; ergo votum non fit eſſentialiter, vel ſubſtantialiter ſolemne per traditionem religioſam.

Ad hoc argumentum poſſet quis reſpondere, traditionem quæ fit à Religioſis Societatis Ieſu non profeſſis eſſe diſtinctam & alterius rationis à traditione quæ fit à Profeſſis tam eiuſdem Societatis, quàm aliarum religionum approbatarum: nam in profeſſione ſolemni fit traditio perfecta & ſimpliciter perpetua ex vtraque parte, quia & Religioſus ita ſe tradit, vt ſe perpetuò priuet dominio ſui corporis, & religio etiam illam acceptat, vt irreuocabilem; & ita ſe obligat Religioſo, vt non poſſit illum dimittere quoad vinculum, nec profeſſionem, vel traditionem ſemel factam diſſoluere. At traditio illa, quæ ab Scholaribus, vel coadiutoribus Societatis fit, licèt ex parte Religioſi ſit perpetua; tamen ex parte religionis non eſt perpetua, cùm poſſit Religioſum dimittere, & repudiare donationem ſibi à Religioſo factam; & ideo hæc traditio, quæ eſt minus perfecta, & ex aliqua parte claudicans, nequit ſolemnizare votum ſibi annexum, ſicut prior quæ eſt perfectiſſima, & ex omni parte conſummata. Hanc diſtinctionem refert Sanchez *diſput. 25. num. 11.* & probat Vaſquez *diſput. 195. cap. 8.* & Valentia *tom. 4. diſputat. 10. quaſt. 5. puncto 3.*

Hanc tamen doctrinam impugno. Nam *inprimis* ſi 4 ſermo ſit de ſubſtantia, vt ita dicã, traditionis, eiuſque extẽſione & plenitudine & duratione ſeu perpetuitate ex parte perſonarũ ſe tradentiũ, eſt ſumma æqualitas. Patet, quia Scholaris, vel Coadiutor Societatis cùm tria vota emittit, verè ſe Societati tradit, ac donat abdicando dominium ſuæ voluntatis, & corporis in ordine ad omnia obſequia Dei, & religionis, ſecũdùm ſuam regulam. Vnde in ipſa Societate in hoc nulla eſt inæqualitas perfectionis inter hos Religioſos, & alios ſolemniter Profeſſos. Quippe illi, vt ait Gregorius XIII. *in dicta Bulla*, per ea ipſa vota ſe Societati dedicant, atque actu tradunt, ſeque diuino ſeruitio in ea mancipant. Ergo cùm Profeſſi Societatis non minus perfectè ſe tradunt religioni ſuæ, quàm cæteri Profeſſi Monachi religionibus ſuis, manifeſtè

ſequitur Religioſos Societatis non Profeſſos non minus perfectè ſe tradere, quàm cæteros omnes Religioſos. Firmo, nam etiam quoad durationem, vel perpetuitatem ex parte perſonarum ſe tradentium, eſt eadem æqualitas, quia vouentes ſimpliciter in Societate, etiam ex parte ſua ſe in perpetuum tradunt Societati, nec poſſunt vnquam, vel in vllo caſu donationem de ſe factam reuocare; ſolùm verò ex parte acceptationis talis donationis, quæ à Prælaro fit nomine religionis, eſt inæqualitas, quia in Societate ſuperior acceptat illam donationem quantum ad tranſlationem domini in religionem, & quantum ad obligationem perſonæ ſe donantis; non tamen quantum ad obligationem retinendi immutabiliter illud dominium; nam reſeruat religioni, & eius Prælatis poteſtatem repudiãdi dominium illud, in quo à profeſſione ſolemni differt. Vnde hinc ſolùm ſequitur per hanc donationem non fieri perſonam inhabilem ad matrimonium perpetuò, & irreuocabiliter, ſicut fiunt alij Religioſi ſolemniter Profeſſi. Non verò hinc ſequitur traditionem Profeſſorum, tametſi ſit vtrinque irreuocabilis, ab intrinſeco & iure diuino, ac naturali reddere perſonam inhabilem ad matrimonium irreuocabiliter. Nam ſi id eſſet verum, etiam ſequeretur illam traditionem in Societate Religioſorum non Profeſſorum reddere ab intrinſeco perſonã inhabilem ad matrimonium quamdiu non reuocatur: quia ideo dicitur profeſſio natura ſua & diuino iure facere Religioſum impotentem ad ritè contrahendum matrimonium, quia cùm iam non ſit ſuus, ſed eius, cui ſe donauit, non poteſt alteri validè donare ſe ipſum; at ſi hoc ita eſt, cùm ſimplex Religioſus Societatis, quamdiu Religioſus manet, & donatio ſui quam ſemel fecit, non reſcinditur, cùm non poſſit alteri ſe donare pro illo tempore, erit nihilominus ab intrinſeco inhabilis ad matrimonium. Nam impotentia ad donãdum validè rem priùs donatam, non prouenit ex eo quòd prior donatio irreuocabilis ſit, ſed eo quòd nemo poteſt donare quod iam non eſt ſuum. Vnde ſi quis donauit agrum Petro, & tradidit illum, non poteſt illum Paulo donare, etiamſi prior donatio facta Petro ſit reuocabilis per eius voluntatem ſi eundẽ agrum donatori reſtituere velit, quia dum non reuocatur, dominium, vel poteſtatem non habet in agrum. Quod verò id nequeat dici de traditione Religioſorum non Profeſſorum manifeſtum eſt ex ipſius Societatis progreſſu. Nam in principio tales Religioſi non fiebant inhabiles ad matrimonium, etiam durante ſtatu, & poſtea per conſtitutionem Gregorij XIII. facti ſunt inhabiles durante ſtatu; & tamen nec traditio, nec vita, nec modus à religione inſtitutus ad aſſumẽdum talem ſtatum, immutata ſunt. Euidens ergo ſignum eſt illam inhabilitatem non prouenire ab intrinſeco ex traditione, ſed aliquid amplius ex parte Eccleſiæ neceſſarium eſſe.

5 *Secundò*, idem oſtenditur efficaciter, quia ſolemnitas ſubſtantialis voti caſtitatis conſiſtens in virtute & efficacia irritandi ſubſequens matrimonium perpetuò ac irreuocabiliter inducta eſt ſola conſtitutione Eccleſiæ; ergo traditio religioſa ex ſe & ex natura rei non inducit impedimentum irritãs, nec inhabilitat ad matrimonium contrahendum. Antecedens patet ex Bonifacio Papa VIII. *cap. vnico, de voto in 6.* dicente, quòd voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inuenta. Vbi manifeſtum videtur loqui Papam de ſolemnitate ſubſtãtiali voti habente virtutem irritandi matrimonium ſubſequens. Patet id ex ipſa Gloſſa ibi notabili primo ſic dicente Nota primò ex iſto capite, quòd ſolemnitas voti eſt inducta ex conſtitutione Eccleſiæ, & ſic non eſt ipſum votum, quod impedit matrimonium, vel dirimit; ſed eſt ipſa conſtitutio Eccleſiæ. Ex quo patet, quòd conſtitutio Eccleſiæ poteſt habiles ad contrahendum matrimonium inhabilitare, & cõtrà poteſt inhabiles habilitare. Hęc Gloſſa. Idem conuincitur ex ipſo contextu: nam in primis cõſideranda eſt quæſtio propoſita his verbis, quod votũ debeat dici ſolemne, ac ad dirimendũ matrimoniũ efficax. Cui quæſtioni, vt reſpondeat Pontifex, ſumit pro fundamẽto, voti ſolemnitatẽ ex ſola Eccleſiæ conſtitutione eſſe inuentam. Ergo euidens eſt loqui in his verbis de illa ſolemnitate, ratione cuius votum habet dirimere matrimonium, atque adeò ſupponit ipſam vim dirimendi matrimonium, quam tale votum habet ex ſola inſtitutione Eccleſiæ profectam eſſe. Patet hoc. Tum quia vt conueniens ſit reſponſio, & fundamentum eius, termini debent vniuocè, & in eadem accipi ſignificatione in reſponſione, in qua poſiti fuerunt in interrogatione. Tum etiam, quia ſi in illo fundamento eſſet ſermo de ſola ſolemnitate exteriori & accidentaria, neceſſaria ex conſtitutione Eccleſiæ ad valorem actus eſſet ineptiſſimum ad reſponſionem inferendam, quam Pontifex colligit; quia illa ſolemnitas neceſſaria ad valorem actus, etiam votis ſimplicibus poteſt adhiberi; poſſet enim Eccleſia ſtatuere vt votum ſimplex caſtitatis, vel religionis, non ſit validum niſi in tali ætate, vel coram teſtibus factum; ergo quòd talis ſolemnitas ex conſtitutione Eccleſiæ ſit, impertinens eſt, vt inde colligatur, quòd votum ſit ſolemne ad dirimendum matrimoniũ. Tum denique, quia Pontifex in illis verbis indifferenter loquitur de voto ſolemni Ordinis, & Profeſſionis. At reſpectu voti connexi Ordini, & ſolemnitatis eius impertinens eſt illud fundamentum, quia votum Ordinis ſolemne nullam requirit ſolemnitatem extrinſecam inuentam ab Eccleſia vt dirimat matrimonium. Nam ſi quis ordinetur Subdiaconus cum ſola ſolemnitate ſubſtãtiali ſacri Ordinis, erit inhabilis ad matrimonium, mediante efficacia legis, vel conſtitutionis Eccleſiæ.

Tertiò, & vltimò idem efficaciter demonſtro ratione: nam traditio illa ſi intrinſecè & ex ſua natura repugnaret cum traditione carnalis vinculi matrimonij, etiamſi fieret abſque ſpeciali voto caſtitatis, irritaret matrimonium ſubſequens. Patet, quia vſu conſtat tranſlationes dominiorum fieri per puras donationes ſine additione alicuius promiſſionis, voti, vel iuramẽti. Et ratio eſt, quia voluntas abſoluta donandi in habente poteſtatem ſine alio adminiculo eſt ſufficiens ad transferendum dominium, præſertim ſi prodeat in actum externũ traditionis cum acceptione donatarij. At certum videtur de facto nullam traditionem ſui ſine voto caſtitatis, vel lege Eccleſiæ irritare matrimonium: quia talis traditio per ſe, & vt diſtincta, & præciſa à voto caſtitatis, non obligat ad caſtitatem ſeruandam; ergo nec per ſe poteſt ab intrinſeco valorem matrimonij impedire. Antecedens conſtat, tum à priori, quia obiectum, ſeu materia illius traditionis eſt ipſamet perſona donantis, vnde licèt abſtinere ab vſu copulæ carnalis poſſit eſſe finis illius traditionis, non tamen eſt eius materia: vnde ſicut finis legis non cadit ſub obligationem legis; ita nec ille finis talis donationis cadit ſub obligationem ex ipſa obligatione intrinſecè ortam. Aliter enim ex illa traditione oriretur ſpecialis obligatio ad vitanda ſingula peccata; nam ad illa etiam vitanda ordinatur traditio: ſi ergo fornicatio non eſt contraria intrinſecè obligationi illius traditionis, multo minus vſus matrimonij per honeſtam carnalem copulam eſſet illi contrarius; ergo nec vinculum matrimonij eſt contrarium illi traditioni; ergo ex ſola rei natura non irritatur ab illa. Tum etiam à poſteriori idem antecedens

Digitized by Google

dens patet, quia aliàs ſequeretur in peccato Religioſi contra caſtitatem, præter malitiam contra temperantiam, duas habere malitias, vnam contra religionem, quia eſt contra votum, & aliam contra iuſtitiam, quia eſt contra donationem religioni factam: ſicut coniux habẽs votum caſtitatis committens adulterium, præter intemperantiam, & ſacrilegium, contra iuſtitiam peccat in alterum coniugem, cui iam ſuum corpus tradidit. Cùm enim traditio Religioſi & promiſſio caſtitatis ſint actus inter ſe moraliter ac realiter diſtincti, inducunt obligationem pertinentem ad diuerſas virtutes, vnde eſſet in illo actu triplex malitia, quod in moralibus videtur abſurdum.

7 Ad argumentum primæ ſententiæ.

Ad primum dico, non omnem traditionem vnius rei, vel perſonæ ad aliquos vſus, impedire traditionem eiuſdem perſonæ ad vſus alterius rationis & ordinis; quia poſſunt non habere formalem oppoſitionem contradicentem, vt contingit in ſeruitute & matrimonio; traditio enim per ſeruitutem contracta non inhabilitat ſeruum ad matrimonium validè & licitè contrahendum, etiam inuito domino, vt vidimus ſuprà *diſput. præcedenti, ſect. 6.* Idem ergo eſt de religioſa ſeruitute ex tali traditione orta, ſola natura rei ſpectata, quæ non reddit ab intrinſeco perſonam inhabilem ad ſe tradendum alteri per matrimonium.

Ad ſecundum, concedo poſſibilem eſſe talem traditionem, ſed non abſque adminiculo voti auctoritate Eccleſiæ ſolemnitati, vt magis conſtabit ex dicendis *ſectione ſequenti.*

Sectio IV.

Quid ſit ſubſtantialis ſolemnitas voti caſtitatis, & an ea ſolo iure Eccleſiaſtico ſit inſtituta.

1 Circa primum, quid ſit ſubſtantialis ſolemnitas voti caſtitatis, obſeruandum eſt, votum ſolemne poſſe conſiderari vel in fieri, vel in facto eſſe: in fieri eſt actus ipſe promittendi ſufficienter exteriùs expreſſus & acceptatus ſub tali Eccleſiæ conſtitutione, in facto eſſe, ſeu permanenter, eſt vinculum permanens quo vouens ligatus, ſeu obligatus manet: nõ ſecus ac in matrimonio, quod in fieri eſt ipſe conſenſus verbis, vel ſignis expreſſus & acceptatus; at in facto eſſe eſt vinculum inter coniuges permanens. Similis diſtinctio adhiberi poteſt traditioni quæ in profeſſione religioſa interuenit. Nam poteſt etiam in fieri & in facto eſſe conſiderari. Priori modo eſt actus ille, quo aliquis religioni ſe donat; poſteriori modo eſt ipſa ſeruitus permanens quæ in tali perſona, reſpectu religionis manet.

2 Præterea recolendum eſt quod ſuprà *ſect.* 1. notauimus, votum ſolemne caſtitatis & traditionem, vel donationem eſſe actus omnino diſtinctos: nam traditio eſt propriè tranſlatio perſonæ, ſeu dominij proprij religioſi in ipſam religionem; votum verò ſolemne vt tale in fieri eſt obligatio perſonæ Deo ad caſtitatem ſeruandam, ita vt eam inhabilitet perpetuò ad matrimonium contrahendum. His præmiſſis,

3 Dico *primò* votum ſolemne caſtitatis in fieri pro actu ipſo vouendi, eſſe actualem perſonæ obligationem ad ſeruandam caſtitatem, cum vi & efficacia quaſi effectiua, inducendo in illam perpetuam inhabilitatem ad validum matrimonium contrahendum. Ita ſumitur ex *cap. vnico, de voto. in 6. & ex cap. rurſus, qui cler. vel vouent.* & ex multis decretis 27. q. 1. Ratio eſt, quia primaria & vnica differentia inter votum ſimplex & ſolemne ſumptum in fieri, poſita eſt in dicta vi & efficacitate; ergo illa eſt voti ſolemnitas ſubſtantialis; cùm ſine illa non ſit, neque intelligi queat eſſe ſolemne, & cum illa non poteſt concipi non eſſe ſolemne. Antecedens patet ex præcedentibus ſectionibus, quia ſine prædicta efficacia ad irritandum perpetuò ſubſequens matrimonium, votum caſtitatis non eſt ſolemne, vt conſtat ex *dicto cap. vnico, de voto,* & liquet, quia votum ſimplex caſtitatis habere poteſt omnia alia quæ habet ſolemne, præter hanc efficaciam, videlicet quamcumque externam ſolemnitatem, ſeu ritum emittendi votum, & adiunctam traditionem, & quidquid aliud cogitetur.

Dico *ſecundò,* prædictam vim & efficacitatem conuenire voto caſtitatis in fieri, & non traditioni religioſæ in fieri, prout eſt actio & donatio à promiſſione diſtincta. Ita loquuntur iura, & Doctores communiter. Ratio eſt, quia prima prohibitio contrahendi matrimonium, non eſt à traditione, ſed eſt à voto caſtitatis, vt conſtat; ergo & irritatio. Patet conſequentia, quia irritatio adiungi ſolet prohibitioni; lex enim quæ prohibet, eadem irritare ſolet quando maiori rigore fertur. Firmo, quia nunquam inhabilitas ad matrimonium inducitur, niſi mediante voto. Vnde ſi quis profitendo religionem haberet animum verè ſe tradendi religioni, non verò vouendi, nec ſe obligandi ad caſtitatem, non fieret inhabilis ad matrimonium, etiamſi traditio ſic facta fuiſſet acceptata & valida; ergo. Hinc 4

Dico *tertiò*, traditionem ipſam non eſſe effectum voti ſolemnis caſtitatis, ſed ſolùm eſſe cum illo, & quaſi componere cum illo profeſſionem religioſam. Probo *primum*, quia tale votum vt ſic nullum dominium transfert in religionem, ſed ſolùm ita obligat perſonam Deo, vt irritet contrarium factum quoad matrimonij vinculum; ergo ipſa traditio nequit dici formaliter votum ſolemne, neque eſt effectus illius. *Secundum* patet ex D. Thom. *quolib. 3. a. 18.* ſic loquentis. Et patet ex *ſect. 1. n. 4. ſect. 5.* Tum, quia vt quis in ſtatu religioſo conſtituatur, non ſatis eſt vt quomodocumque promittat, ſed neceſſe eſt, vt ſe priuet iure quod in ſe ipſum habet in ordine ad actiones, & ad omnia ſua, illudque transferat in alterum, videlicet in religionem, vel Prælatum; nullus enim alius excogitari poteſt. Hæc autem tranſlatio non fit niſi per voluntariam traditionem religioſam, & ſuo modo ſpiritualem; eſt ergo traditio de ſubſtantia profeſſionis religioſæ. Tum etiam id firmatur ex poteſtate quæ eſt in Prælato irritandi vota ſubditorum; prouenit enim ea ex poteſtate dominatiua, quam Prælatus acquirit in religioſum ex vi traditionis ab eo factæ, & à ſe acceptatæ: per nullam enim promiſſionem, vel votum transfertur dominium in alterum, nec datur ei ius in re, ſed ad ſummum ad rem, & ideo promiſſor adhuc retinet ius in rem promiſſam: per traditionem verò, ita traditur perſona Prælato, vt ſine illius conſenſu nullam poſſit firmam obligationem ſibi imponere. Tum denique idem conſtat ex poteſtate coactiua Prælatorum; nam Prælatus religionis nõ ſolùm poteſt præcipere Religioſo profeſſo, ſed etiam eum poteſt cogere ad obediendum, & punire illum ſi regulam tranſgrediatur. Hoc autem non poſſet ei eſſe conceſſum ex vi ſolius promiſſionis votorum. Si enim quis promitteret alicui ſe daturum, aut venditurum ei in ſeruum, quandiu promiſſionem non impleret, non poſſet eum vt ſeruum tractare, 5

quia

Digitized by Google

quia teuera nondum eſt ſeruus, nec ſub eius dominio & poteſtate; nec poſſet ſua auctoritate eum cogere ad implendum promiſſum, ſed ſolùm poſſet per iudicem, vel publicam poteſtatẽ id poſtulare. At poſtquã ſe illi in ſeruũ donauit, aut vendidit, aut tradidit, poteſt ſua poteſtate & dominio vtens, ſeruum punire, & cogere vt officium ſuum impleat. Cùm ergo ſimilem poteſtatem habeat Prælatus in Religioſum ex vi promiſſionis, fateri neceſſe eſt, vt profeſſio traditionem includat, per quam Profeſſus ſub dominio ſui Prælati conſtituatur.

6 Dico *vltimò*, ſi ſermo ſit de voto caſtitatis ſolemni in facto eſſe, id eſt, de vinculo per actum vouendi inducto, votum ipſum formaliter inhabilitare perpetuò & irreuocabiliter perſonam ad matrimonium. Patet, quia ex tali actu vouendi tale relinquitur vinculum in perſona, vt non ſolùm liget, & obliget ad non contrahendum, ſed etiam inhabilem ad talem contractum reddat: ergo inhabilitas ipſa eſt ipſa ſolemnitas voti caſtitatis in facto eſſe, id eſt, vinculi ex voto relicti.

7 Circa ſecundum, breuiter dico ſolemnitatem voti caſtitatis ſolo iure Eccleſiaſtico eſſe inſtitutã. Ita multi ex Iuriſperitis, & Theologis, quos refert & ſequitur Suarez *tom. 3. de religione lib. 2. cap. 10. numer. 5. & ſequentibus*. Breuiter probatur ex dictis. Nam inprimis ea ſolemnitas non eſt ex natura rei. Patet, quia in quocumque voto caſtitatis irritante matrimonium ſubſequens, præter conſtitutionem Eccleſiæ, tria tantùm ſpectari poſſunt, nempe, vel traditio, vel promiſſio perpetuò ſeruandi caſtitatem, vel conſecratio ſub qua intelligitur omnis externa benedictio, aut cæremonia, teſtium multitudo, vel quæuis alia exterior ſolemnitas accidentaria. At nihil horum per ſe & ex natura ſua irritat matrimonium ſubſequens; nam de conſecratione, & quacumque alia exteriori forma iam eſt oſtenſum ſuprà *ſect.* 2. Idem liquet de traditione ex *ſect.* 3. Idemque eſt de promiſſione, quia tota vis talis promiſſionis requiritur in voto ſimplici caſtitatis, & tamen per ſe, & ex ſua natura non reddit perſonam ad matrimonium inhabilem; ergo. Præterea conſtat ſolemnitatem non eſſe ex iure diuino poſitiuo, quia tale ius diuinum nec ſcriptum eſt canonicè, nec aliqua Patrum & Eccleſiæ traditione poteſt conſtare; ergo tota hæc ſolemnitas ex ſolo iure prouenit Eccleſiaſtico. Ex his

8 Colligo *primò*, votum poſſe fieri ex ſolemni ſimplex, & ex ſimplici ſolemne per extrinſecam mutationem ſolam, independenter à voluntate vouentis. Ratio eſt, quia hæc ſolemnitas pendet ex lege Eccleſiæ, quia lex in ſua duratione non pendet ex voluntate, vel intentione vouentis, & ideo ſolemnitas voti, ſeu virtus ad inhabilitandam perſonam, præcipuè eſt in lege. Et licèt dicatur eſſe in voto morali modo, tetera non addit illi niſi denominationem extrinſecam; & ideo ſine mutatione intrinſeca vouentis, per ablationem legis auferri poteſt. Et eadem ratione votum fieri poteſt ex ſimplici ſolemne, ſine noua voluntate, aut intentione vouentis.

9 Colligo *ſecundò*, votum ſimplex & ſolemne non differre ſpecie, ſed tantùm in morali quadam proprietate, quæ eſt accidentalis, & extrinſeca reſpectu ſubſtantiæ voti. Ratio eſt, quia votum ſimplex & ſolemne caſtitatis, intrinſecè eſt tantùm promiſſio, cuius naturam non immutat conſtitutio inducens vim irritandi matrimonium ſubſequens. Vnde impoſſibile eſt in voto caſtitatis diſtinguere vota ſpecie diuerſa, ſi ſit eiuſdem materiæ, nam omne votum ſiue ſimplex, ſiue ſolemne eſt de futuro quoad implementum eius, & vtrumque eſt de præſenti, quoad obligationem quam inducit. Quod autem votum caſtitatis habeat coniunctam traditionem, non facit diſtinctionem ſpecificam, cùm traditio ſit actus re diſtinctus, & extrinſecè adiungatur, vnde neque eſt votum, nec differentia alicuius voti. Firmo, quia oſtenſum eſt Idem numero votum poſſe fieri ex ſimplici ſolemne, & è contrario ſine mutatione intrinſeca vouentis; ergo euidens ſignum eſt illa vota non differre ſpecie. Quare diuiſio voti in ſimplex & ſolemne non erit generis in ſpecies, ſed ſubiecti in accidentia.

Colligo *tertiò*, qualiter conueniant & differant votum ſolemne caſtitatis, ſacri Ordinis & religionis. 10
Conueniunt enim, quia vtrumque habet quandam ſpecialẽ perpetuitatem, præter eam quæ voto ſimplici caſtitatis ineſt; quatenus vtrumque eſt annexum cuidam ſtatui, & traditioni ab intrinſeco immutabili, & inde indiſſolubili moraliter. Quamuis hæc immutabilitas in Ordine ſit quaſi phyſica ex vi characteris, & ex Chriſti inſtitutione; in ſtatu verò religioſo ſit moralis ex contractu, & inſtitutione Eccleſiæ. Differunt verò *primò*, quia loquendo de voto caſtitatis abſolutè ſecundùm ſe, illud per accidens eſt annexum Ordini ſacro ex conſtitutione Eccleſiæ; ſtatui verò religioſo eſt per ſe annexum, quia eſt de eſſentia illius. Verum eſt, ſi ſermo ſit de voto vt ſolemni, vel vt dirimente matrimonium, neutrum adhæret per ſe illis ſtatibus, ſed ex mera Eccleſiæ inſtitutione. Differunt etiam, quia votum Clericorum irritat matrimonium ſubſequens, non tamen irritat contractum, at votum ſolemne religioſæ caſtitatis vtrumque præſtat. Videantur ſuprà dicta *diſput.* 20. *ſect.* 3.

Colligo *vltimò*, votum ſolemne caſtitatis diuidi 11
adæquatè in votum Ordinis ſacri, & profeſſionis religioſæ: quæ diuiſio tanquam adæquata traditur *in dicto cap. vnico, de voto in 6.* & vt ſufficiens de facto, quia Eccleſia de facto illis tantùm duobus eam ſolemnitatem conceſſit.

Sectio V.

Qualis ſit ſolemnitas voti paupertatis, & voti obedientiæ in ſtatu religioſo.

Circa primam partem de ſolemnitate voti pau- 1
pertatis,

Suppono *primò*, votum paupertatis ſimplex eſſe poſſe, & perpetuum. Votum ſimplex eſt quando Deo fit pura promiſſio ſeruandi paupertatem; ſolemne verò cum in rigoroſa profeſſione religioſa emittitur: neque enim tale votum ſolemnizari poteſt, niſi in religione ab Eccleſia approbata. Voco rigoroſam, illam quæ fit cum vinculo ex vtraque parte, religionis videlicet, & Religioſi, indiſſolubili per traditionem vnius, & acceptationem alterius irreuocabilem, vt excludam alium modum vnius, ſeu incorporationis, quæ nunc fit in Societate Ieſu ab aliquibus eius membris cum perfecta traditione irreuocabili ex parte Religioſi, & non ex parte religionis. Nam votum paupertatis in ea factum pro illis membris non eſt ſolemne, quia non habet firmitatem abſolutè perpetuam ex parte religionis: quod non minus neceſſarium eſt ad voti ſolemnitatem in paupertate, quàm in caſtitate; eſt enim eadem ratio.

Suppono *ſecundò*, votum ſimplex & ſolemne pau- 2
pertatis conuenire primò in ratione eſſentiali voti, vt

eſt

eſt per ſe notum. Deinde conuenire in materia, licèt cum aliquo diſctimine: nam votum ſimplex poteſt eſſe particulare tantùm ex parte materiæ, id eſt, de quibuſdam bonis temporalibus, & non de omnibus; vt ſi quis vouerit non habere proprium niſi vſque ad certam quantitatem, vel non habere bona immobilia, &c. At votum ſolemne paupertatis eſſe debet integrum, non habendi aliquid tanquam proprium, niſi vſque ad certam quantitatem, ſiue quoad vſumfructum, vel etiam quoad vſum alicuius rei, vt propriæ. Nam ſtatus religioſus perfectus, & vndique cõſummatus integram paupertatem poſtulat. In hoc tamen non ſatis diſcernitur votum ſolemne à ſimplici, quia etiam votum ſimplex poteſt eſſe de tota materia paupertatis. Quare hæc duo vota in hoc maximè diſtinguuntur. Nam votum ſolemne paupertatis non ſolùm obligat ad non habenda bona temporalia vt propria, ſed etiam reddit perſonam perpetuò incapacem proprietatis, & dominij; & conſequenter reddit eam inhabilem ad quamcumque hæreditatem adeundam; ac proinde ſimul ac tale votum fit, ſua vi, & ipſo facto excludit dominium eorum bonorum, quæ antea poſſidebantur: quos effectus non habet votum ſimplex eiuſdem materiæ, etiamſi ex parte vouentis ſit adæquatum. Quare ſicut votum ſolemne caſtitatis religioſæ, & dirimit præcedens matrimonium ratum non conſummatum, & irritat ſubſequens; ita votum ſolemne paupertatis excludit præcedens dominium ſi quod erat, & omnem acquiſitionem impedit; ideoque tale votum conſequenter irritat omnes ſimiles contractus, quia nemo poteſt donare, vel alienare validè propria auctoritate, & voluntate, niſi res proprias, quarum eſt dominus. Dixi conſultò inhabilitatem prouenientem à voto ſolemni debere eſſe perpetuam. Nam de facto in Societate Ieſu datur votum paupertatis ſimplex habens illos effectus, quandiu tale votum durat: quia tamen non inducit illam incapacitatem abſolutè perpetuam, ſed dependenter ex voluntate Prælatorum religionis, qui poſſunt vinculum diſſoluere, & perſonam liberam ab illa obligatione & capacem relinquere; ideo tale votum non eſt ſolemne. His poſitis,

3 Dico *primò* ſolemnitatem ſubſtantialem voti paupertatis ſolùm conſiſtere in hoc quòd habeat vim & efficaciam ad prædictum effectum in perſonam vouentis inducendum. Probatur manifeſtè, quia votum ſimplex paupertatis poteſt habere omnes alios effectus præter iſtum perpetuitatis, & omnes alias conditiones, vel ſolemnitates extrinſecas præter iſtam; ergo conſtituitur per hoc quòd ſit potens ad illos inducendos cum perpetuitate; ergo hæc eſt propria ratio, quæ votum ſolemne diſtinguit à ſimplici.

4 Dico *ſecundò*, vim & efficaciam quam habet votum ſolemne inducendi inhabilitatem perpetuam, non prouenire ex ſolo iure naturæ. Patet, quia votum ſolemne quatenus votum eſt, tantùm eſt promiſſio; at promiſſio ex ſolo iure naturæ non habet illos effectus, vt eſt per ſe notum: non enim illa transfert rem in alterum, nec impedire per ſe poteſt efficaciam contrariæ voluntatis ſequentis. Vnde hac de cauſa matrimonium de præſenti cum vna, licèt fiat contra promiſſionem, ſeu ſponſalia de futuro alteri iurata, validum eſt. Et ſimiliter licet priùs quis renuntiet hæreditati etiam in iuramento, ſi poſtea illam acceptet, verè acquirit illam, licèt peccet, ſi ſolùm per modum promiſſionis illã renuntiationẽ fecit. Ergo votum paupertatis, tametſi ſolemne ſit, quatenus promiſſio eſt, non poteſt ex ſola rei natura talem inhabilitatem inducere.

Dico *tertiò*, neque talem vim & efficaciam voti ſolemnis procedere ex aliquo iure diuino. Patet, quia non conſtat de tali iure diuino, neque extat in ſacris litteris, neque à Doctoribus proponitur; ergo fictitium eſt. 5

Dico *quartò*, neque prædictam vim & efficacitatem inducendi inhabilitatem perpetuam, poſſe prouenire ex ſola traditione religioſa. Id claret eiſdem rationibus, quibus id oſtendimus in voto caſtitatis ſolemni ſuprà *ſect.* 3. Et patet, quia illa traditio per ſe & intrinſece, ac ex vi ſtatus religioſi ad ſummum requirit, vt Religioſus ſuam perſonam omnino tradat religioni & obſequio eius; ergo cum ea non eſt neceſſariò coniuncta renunciatio dominij, ſeu proprietatis omnium bonorum temporalium, imò nec obligatio non habendi illa, niſi votum paupertatis illi traditioni coniungeretur; ergo multo minus ſequitur talis incapacitas ex ipſa natura traditionis. Firmo, quia in religionibus quæ vel ſunt incapaces bonorum temporalium, etiam in communitate, vt eſt religio S. Franciſci, & domus Profeſſorum Societatis Ieſu, vel non acquirunt ius ſuccedendi in bonis ſuorum Religioſorum, qualis eſt Societas Ieſu; in his, inquam, nulla bona, vel iura temporalia tranſeunt ad religionem ex vi traditionum ſuarum perſonarum, ergo in his ſaltem religionibus non inducitur capacitas acquirendi bona, vel ſuccedendi in illis ex vi traditionis. In aliis autem religionibus, in quibus religio ſuccedit in bonis & iuribus Religioſi, hoc ipſum oritur ex inſtitutione humana Eccleſiaſtica, & non ex intrinſeca natura traditionis religioſæ; nam etiam in eiſdem poſſet illa inſtitutio mutari, manente eadem traditione religioſa, quoad perſonam. 6

Quare dico *vltimò*, prædictam incapacitatem ac impotentiam acquirendi ſibi in perpetuum fundari tantùm in poſitiuo iure Eccleſiaſtico inhabilitante perſonam, & acquiſitionem irritante. Patet ex dictis præcedentibus à ſufficienti partium enumeratione. Et iterum firmatur; nam in Coadiutoribus formatis Societatis Ieſu, votum quod emittunt paupertatis, eſt ſimplex, ſicut & alia vota caſtitatis & obedientiæ; & per illud, vel traditionem cui adiungitur, nullum ius ad bona, vel hæreditates vouentis acquiritur religioni, & tales Religioſi fiunt incapaces dominij temporalium bonorum. Cuius ratio alia non eſt, niſi quia ita eſt inſtitutum, & probatum ab Eccleſia; ergo ſignum eſt in voto ſolemni huiuſmodi effectum pendere ab inſtitutione Eccleſiæ. 7

Circa ſecundam partem ſectionis, de voto obediendi homini vicem Dei tenenti, conſtat & ſimplex eſſe poſſe, & ſolemne. Simplex eſt omne illud quod extra profeſſionem religioſam fit; ſolemne verò quod fit in profeſſione religioſa. Quidnam verò ſolemnitas illa ſit, & vnde ſit, eſt peculiaris difficultas, quia hæc ſubſtantialis votorum ſolemnitas declarari ſolet per aliquos peculiares effectus morales, at votum ſolemne obedientiæ nullum peculiarem effectum habere videtur, præter obligationem obediendi Prælato, quam votum ſimplex æqualiter inducit in religione, vt in Societate videre licet. Igitur tale votum nullam habet ſolemnitatem peculiarem, cùm non habeat vllum ſolemnitatis effectum. 8

Omiſſis aliorum opinionibus, breuiter dico, votum obedientiæ ſolemne traditioni religioſæ coniunctum habere vim, & efficacitatem ita ſubordinandi voluntatem vouentis Prælato, vt reddatur impotens ad validè & firmiter ſe obligandum ſine conſenſu Prælati, cum vinculo & obligatione irreuocabili ex vtraque parte, vtique Religioſi, & religionis. Quod etiam ex inſtitutione Eccleſiæ & vſu pendens eſt. In

quo

quo differt à voto ſimplici Societatis, quod licèt inducat eandem efficaciam ita ſubordinandi voluntatem vouentis Prælato, vt ſine illius conſenſu non poſſit firmiter obligari; quia tamen non inducit illam abſolutè perpetuam ex vtraque parte, ideo tale votum non eſt moraliter ita efficax, & conſequenter non eſt ſolemne.

Sectio VI.

An ſolo iure Eccleſiaſtico votum ſolemne caſtitatis, in religionis profeſſione emiſſum, dirimat matrimonium.

1 Certum eſt & de fide votum ſolemne in profeſſione religionis emiſſum, dirimere matrimonij contractum poſtea initum. Eſt enim veritas hæc definita in variis Conciliis, ac nouiſſimè in Tridentino *ſeſſ. 24. de matrimonio can.* 9. his verbis. Si quis dixerit, Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, & contractum validum eſſe, anathema ſit. Quod certè ſanctè ac prudenter prouiſum eſt ab Eccleſia, ne in ea ſcandala pullularent, & ne daretur anſa à ſtatu perfectiori deſcendendi ad ſtatum imperfectiorem priori fide violata.

2 Quo autem iure id fiat, facile ex præcedentibus ſectionibus amplectimur veriorem ſententiam, aſſerentem ſolo iure Eccleſiaſtico id ſtatutum eſſe. Ita quamplurimi, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 26 *n.* 2. Coninch *diſp.* 31. *dub.* 6. *n.* 67. & alij ex noſtra Societate grauiſſimi Doctores. Probatur

Primò, quia Bonifacius VIII. *cap. vnico, de voto in* 6. & Gregorius XIII. in Bulla *Aſcendente Domino*, definiunt omnem votorum ſolemnitatem matrimonium dirimentem, eſſe ex Eccleſiæ conſtitutione, præſertim Gregorij XIII. ſic dicens. Non conſiderantes voti ſolemnitatem ſola Eccleſiæ conſtitutione inuentam eſſe. Ex quo apertè ſequitur ſolo iure Eccleſiaſtico irritare matrimonium: quia votum ſolemne non irritat matrimonium ſubſequens, qua ratione votum eſt, aliàs omne votum irritaret; ſed qua ratione eſt ſolemne. Cùm igitur ſolemnitas ſit ſola Eccleſiæ conſtitutione, manifeſtè colligitur ſolo iure Eccleſiaſtico irritare. Firmo, quia Bonifacius ſuprà ex eo quòd votorum ſolemnitas ſit ex conſtitutione Eccleſiæ, infert ſolum votum in Ordine ſacro, aut profeſſione religionis emiſſum, dirimere matrimonium, Quia nimirum hoc Eccleſia de illis ſolis votis conſtituit. Vbi clarè docet ipſam ſolemnitatem, ſiuo Eccleſiæ conſtitutionem immediatè dare his votis hanc vim, præſertim cùm ibi eodem planè modo loquatur de voto Religioſi & ordinati; nam Pontifex abſolute vtrumque votum comparat in ratione dirimendi matrimonium, & apertè ſignificat hoc iis competere ratione ſolemnitatis, dum dicit, ea ſola vota dici ſolemoia in quantum ad dirimendum matrimonium. Cumque etiam ſit communiſſimum Theologorum dictum votum ſolemne Ordinis ſacri ſolo iure humano dirimere matrimonium, erit etiam idem de voto ſolemni religioſo dicendum.

Secundò, nulla eſt ratio quæ probet id iure naturali inductum eſſe, vt conſtat ex dictis ſuprà integra *ſectione tertia*; ergo ſolo iure Eccleſiaſtico inductum eſt; nam iure diuino id non eſſe ſtatutum, conſtans eſt apud Doctores; quia nullum tale ius diuinum extat, vt per ſe eſt manifeſtum.

Tertiò idem oſtendunt argumenta ſuprà allata *ſect.* 4. votum ſolemne ſecerni à ſimplici, ſola Eccleſiæ irritantis matrimonium poſtea initum conſtiturione.

Vltimò ex dictis ſuprà *in locis citatis* euidens eſt, votum ſolemne caſtitatis non dirimere matrimonium ſua naturali vi & efficacitate, ſeu ſuo iure naturali, excluſa iuris humani conſtitutione. Et patet, quia, voto ſolemni caſtitatis non aliter quis ſe ipſum, & ius quod habet ad nuptias tradit Deo, quàm ſe ex virtute religionis, & non iuſtitiæ obligando ad ſeruandam caſtitatem, ſicut voto ſimplici; ergo poteſt validè ſe ipſum alteri ex iuſtitia in matrimonium tradere ad vſum contra caſtitatem, ſicut poſt votum ſimplex caſtitatis; nam traditio, vel obligatio ex religione Deo, & traditio, vel obligatio alteri vt coniugi ex iuſtitia, optimè compatiuntur, quia ſunt diuerſæ rationis, & diſparatæ, & id conſtat in eo qui poſt matrimonium conſummatum ex licentia alterius cõiugis, vel ſine licẽtia, altero adulterante, vouet ſolemniter caſtitatem in religione; in quo ſimul ſunt prædictæ duæ traditiones, ſeu obligationes. Igitur votũ ſolemne ex conſtitutione ſola Eccleſiæ habeat vt matrimonium dirimat.

Quæret aliquis, an promiſſio trium votorum facta 3
in religione approbata, & acceptata per ſuperiorem illius, non obligando ſe illi religioni, ſed religioni in genere, non haberet vim voti ſolemnis, atque ideo nõ dirimere matrimoniũ. Ita affirmat cum aliis Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 25. *n.* 22. Ratio eſt, quia profeſſio eſt cõtractus mutuus, quo religioſus monaſterio, vel religioni, & hæc illi obligatur, vt cõſtat; cũque in eo euẽtu nulla religio obligetur, ſequitur eam profeſſionẽ nullius religionis approbatæ potuiſſe eſſe: vnde nec matrimoniũ dirimeret; quia id ad valorẽ voti ſolẽnis dirimẽtis matrimoniũ petitur. *cap. .. nec. de voto in* 6 ſic dicẽte, illud ſolũ votũ debere dici ſolemne, quantũ ad poſt contractũ matrimoniũ dirimendũ, quod ſolẽnizatum fuerit poſt ſuſceptionẽ ſacri Ordinis: aut per profeſſionem expreſſam, vel tacitã factam alicui de religionibus per ſedem Apoſtolicam approbatis.

Obſeruant hîc cõmuniter Doctores, Religioſos & 4
moniales matrimonium contrahentes, & eos qui cum monialibus contrahunt, incurrere ipſo facto excommunicationem latam *in Clementina vnica, de conſanguinitate*. Nec ea excommunicatio alicui reſeruatur. Circa quam nonnulla ſunt breuiter notanda *Primum* eſt, Moniales profeſſas incurrere hanc excommunicationem, cuicumque nubant; & ſimiliter illas accipientes in vxores. Quod non ita euenit in fœmina nubẽte Profeſſo, aut in Sacris conſtituto: ſolùm enim ij incurrunt eam, quia dicta Clementina diuerſimodè loquitur de his caſibus; nam Moniales, & cum eis contrahentes excommunicat: at loquens de matrimonio inito à Profeſſo, vel Sacris initiato, ſolos hos excõmunicat, nulla facta mẽtione de mulieribus ab eis ductis. *Secundum*, incurri eam cenſurã, licèt matrimonium non ſit conſummatũ: quia dicta Clemẽtina non punit copulã inceſtuoſam, ſed ſolum matrimonij cõtractum: cuius eſſentia perfecta eſt ante conſummationem per copulam *Tertium*, non eſſe locũ huic excõmunicationi ſi ineant matrimonium clandeſtinũ, vbi viget decretũ Tridentini: quia is contractus non habet hodie formam veri matrimonij; nec contrahentes faciunt quidquid in ſe eſt, vt illud ineant. *Quartũ*, non incurri eam excommunicatiooem, ſi quis illorũ fictè conſentiat; quia dicta Clementina punit affectũ & voluntatem contrahendi, nec ſi quis ineat illud matrimonium metu viri conſtantis; quia eſt conſenſus inefficax, ex defectu libertatis, nec ſolet Eccleſia tam graui cenſura punire tanto metu compulſum. Vltimum eſt, non incurri hanc excommunicationem,

vbi

Digitized by Google

vbi ignoranter initum matrimonium cum prædictis impedimentis: qnia dicta Clementina perit expreſſis verbis ſcienter conttahi matrimonium cum conſanguinitatis, vel affinitatis impedimentis, vel cum Moniali. Excuſat igitur in bis caſibus contrahentem ignorantia quæuis, dummodo non ſit affectata, vel ingens temeritas. Videatur de hac re Sanchez *lib. 7. diſputat.* 48.

Sectio VII.

An in Societate Jeſu, emittentes tria vota ſimplicia poſt biennium Nouitiatus, ſint verè & propriè Religioſi.

Accedimus iam ad alterам partem diſputationis de votis ſimplicibus Societatis Ieſu, quo pacto queant dirimere matrimonium. Ad quod exactè explicandum præmitti debet ſectio præſens, vt eorum naturam & effectum quem præſtant, meliùs dignoſcamus, de qua te doctè & fusè noſter Suarez *tom. 4. de de religione, tract. 10. lib. 3. vſque ad finem libri.* Breuiter nos illa attingemus.

1 Dico itaque *primò*, eos qui io Societate Ieſu vota emittunt ſimplicia poſt Nouitiatus biennium, eſſe verè & propriè Religioſos. Id ita certum exiſtimat Suarez, vt ſine magna temeritate & errore negari non poſſit. Et meritò, quia ex profeſſo id definitum, declaratum, & probatum eſt à Gregorio XIII. priùs in Bulla anni 1582. quæ incipit: *Quanto fructuoſius.* & poſtea vberiùs in altera quæ incipit, *Aſcendente Domino*, an. 1584. In quibus ſæpiùs decernit, eos qui in Societate Ieſu tria ſubſtantialia vota emiſerunt, verè ac propriè Religioſos eſſe, etiamſi illa vota ſimplicia ſint, & non ſolemnia. Ex quo euidenter ſequitur eſſe in his perſonis quidquid ad ſubſtantiam & eſſentiam pertinet ſtatus religioſi. Nulla enim res dici poteſt verè ac propriè talis, v.g. homo, aut leo, niſi habeat veram ſubſtantiam & eſſentiam hominis, vel leonis. Et econuerſo eo ipſo, quod de fide eſt, Chriſtũ eſſe verè, & propriè hominem, eadem certitudine dicimus habere totum id quod eſt de eſſentia hominis. Adde Põtificẽ expreſsè decernere, prædictos eſſe verè & propriè Religioſos, nõ ſecus atque ipſos, tum Societatis, tum quorũuis aliorum regularium Ordinum Profeſſos. Quod verum eſſe nõ poſſet niſi eſſentia ſtatus religioſi æquè in illis eſſet. Vnde dici nequit eſſe Religioſos ex priuilegio, ſi bac voce ſignificetur hos non eſſe Religioſos ſimpliciter, ſed ſecundùm quid; ſi verò ſignificetur eſſe beneficio Põtificis, etiam dici poſſet omnes Profeſſos eſſe Religioſos ex priuilegio, quia ſine beneficio Pontificis, id eſt, ſine eius inſtitutione & approbatione, in nulla religione eſſe verum & propriũ religioſum ſtatum. Quod certè impropriè appellatur priuilegium, cùm per ſe non ſit aliquid contra legem, aut ius commune. Dices eſſe Religioſos ex priuilegio Põtificis, quia ab ipſo non tãtùm approbatus, ſed etiã inuentus & inſtitutus eſt: at Profeſſi ſunt Religioſi ex iure diuino. Sed contrà eſt, quia inprimis parum refert ad præſens inſtitutum illi tribuere inſtitutionem diuinam, vel humanã, dummodo ille ſtatus religioſus tam verus & proprius eſſe concedatur, ſicut quilibet alius, quia hic nõ eſt quæſtio de origine huius ſtatus, ſed de eius veritate ac proprietate. Secundò, falſum eſt dicere ſolemnitatem votorum eſſe ex iure diuino contra expreſſa verba Pontificis ſic dicentis: non conſiderantes voti ſolemnitatem ſola Eccleſiæ inſtitutione inuẽtam eſſe, triaque huiuſmodi Societatis vota, tametſi ſimplicia, vt ſubſtãtialia Societatis vota, ab hac ſede fuiſſe admiſſa. Vbi virtute ſic Pontifex arguit. Eccleſia induxit ſolẽnitatem in votis Religioſorũ; ergo etiã poteſt ſine tali ſolemnitate ſtatũ religioſum approbare, vel inſtituere; ergo hic ſtatus vtroque modo factus eſt ex Eccleſiæ conſtitutione; nulla ergo eſt differentia. Idem ratione firmatur, quia emiſſione illorum votorum eſt vera traditio ex parte vouentium in magnum & totale ac perpetuum Dei obſequium tribus ſubſtãtialibus votis ſtabilita, & facta in religione approbata, & iuxta formam ab Eccleſia confirmatam; ergo eſt in tali actu quidquid neceſſarium eſt ad conſtituendum ſtatũ verè religioſum; ergo quoad hoc ſubſtantialiter & eſſentialiter conueoit cum vera profeſſione religioſa. Antecedens ſupponitur vt certum, vt conſtat ex vſu Societatis.

2 Dico *ſecundò*, hæc vota emitti coram habente ad id poteſtatem, & in quodam ſenſu fieri in manibus illius. Hoc etiam eſt certum ex conſtitutionibus Societatis. *Primum* patet, quia admittere aliquem im membrum alicuius communitatis, eſt actus poteſtatis Superioris. *Secundum* explicatur: nam *in 5. p. conſtitutionum noſtræ Societatis, c. 4.* expreſsè dicitur hæc vota in nullius manibus emitti. Cæterùm negari non poteſt, ſi talia vota fiant corã aliquo, qui poteſtatem non habeat admittẽdi illa, nõ habere vim in Societate, nec efficere vota Societatis: neceſſaria ergo eſt aliqua admiſſio; aliter enim ad quid eſſet neceſſaria poteſtas in admittente? Igitur in hoc ſenſu non tantùm fiunt coram ipſo, ſed etiam in manibus illius, vt ipſe poſſit ea acceptare. Quod eſt ſecũdum huius dicti. Sic enim dixit Gregorius XIII. in prædicta cõſtitutione *Aſcendente Domino*; ſcholares per ea vota ſe Societati dedicare, atque actu tradere. quod impoſſibile eſt fieri, niſi in manibus alicuius illa emittant. Quando ergo in conſtitutione dicitur, non fieri in manibus alicuius, ſolùm interdicitur declarare, nõ fieri in manibus alicuius, qui ita illa vota acceptet, vel recipiat, vt Societatem obliget ad ea ſemper in ſuo valore retinenda, & conſeruanda. Et eodem ſenſu dicitur in declaratione, neminem talia vota admittere, videlicet, vt abſolutè perpetua ſint, ſed ſolùm ſub conditione ſubintellecta, videlicet ſi Societas huiuſmodi perſonas retinere velit, vt *ibidem* dicitur.

3 Dico *tertiò*, prædicta vota in Societate Ieſu conſtituere verè, & propriè Religioſos, nõ ſolùm à tempore Cõſtitutionũ Gregorij XIII. ſed antea, videlicet ab initio approbationis Societatis. Patet id *primò*, ex priori Bulla huius Põtificis, *Quãto fructuoſius*, vbi ait Statuimus, atque etiã decernimus firmo noſtræ declarationis ſubſidio, eos qui prædicta vota emiſerint, verè & propriè Religioſos fuiſſe, & eſſe. Quo loquẽdi modo ſatis exprimitur illam legem eſſe declaratoriam, alioqui non potuiſſe in præteritum ferri. Ponderanda etiã ſunt illa verba, *Firmo noſtra declarationis ſubſidio*; quæ ſatis oſtendunt illã conſtitutionẽ magis eſſe declaratiuã, quàm cõſtitutiuã. Quare illa alia verba, *ſtatuimus, & decernimus*, magis de ſtatuto confirmante, quàm de nouo aliquo conſtituente, ſeu de ſtatuto præcipiente intelligenda ſunt, vt talis delaratio tanquam vera & certa babeatur, vt *ibi* ſtatim præcipitur. *Secundò* idem oſtenditur, quia ipſemet Gregorius XIII. quia per illa tria vota ſe tradunt vouẽtes Societati, & in ea tanquã in religione approbata ſe totos diuino ſeruitio in perpetuum conſecrant, ideò infert illos eſſe verè & propriè Religioſos: at illud aſſumptũ verum fuit à principio, ex quo poſt approbatam Societatem talia vota in ea fieri cœperunt, vt eſt per ſe notũ; ergo & conſequẽs illud ſẽper verũ fuit, quã in illo antecedente manifeſtè cõtinetur, & eſt adæquata cauſa conſequentis.

4 Denique addo, adeò firma & certa eſſe prædicta, vt probibeatur ſub excõmunicatione reſeruata, & cũ

Digitized by Google

alijs pœnis, quouis colore directè, vel indirectè illa impugnare, vel illis contradicere.

Sectio VIII.

An votum caſtitatis ſimplex emiſſum in Societate Ieſu poſt biennium Nouitiatus dirimat matrimonium ſubſequens.

PRocedit quæſtio, quandiu emittens tale votum durat in ſtatu Societatis, ſeu eſt eius Religioſus: nam ſi eiiciatur à Societate votis ſolutus, & ex Religioſo factus nō Religioſus, certū eſt non impediri eo voto, quominus matrimoniū licitè & validè cōtrahere poſſit; quia illud iam non eſt, & quod non eſt, nullum effectum habet.

1 Dico ergo *primò*, ante cōſtitutionē Gregorij XIII. *Aſcendente Domino*, prædictū votū ſolùm impediuiſſe, ſed non irritaſſe matrimonium poſtea ſubſecutū. Hoc eſt certum, ex Gregorio XIII. *in dicta conſtitutione*, vbi illud ius condit tanquam nouum, & ideo in priori Bulla, *Quanto fructuoſius*, nullam huius rei mentionem fecit. quod etiam in Societate tota pro indubitato ſemper habitum eſt. Vnde ſi aliquando contingit tale matrimonium ſacrilegè contrahi, diſſolutum poſtea non eſt, ſed ratum permanſit. Et ratio eſt, quia hoc impedimentum non eſt annexum voto caſtitatis, niſi ex conſtitutione Eccleſiæ, vt in eadem conſtitutione idem Gregorius ſenſerat; ergo.

2 Dico *ſecundò*, poſt decretum Pontificium Gregorij XIII. hoc votum quandiu durat, reddere perſonam inhabilem ad contrahendum. Id cōſtat ex illius verbis ſic dicentis. Quinimo eos omnes ad contrahendū inhabiles, ac cōtractus huiuſmodi nullos & irritos eſſe, prout irritos facimus, & annullamus. Atque in primis conſtat potuiſſe hoc facere Pōtificē. Tū ex facto ipſo; nā eſſet intolerabilis error, qui ſuppoſito facto auderet poteſtatē negare. Tum ex decreto Tridentini *ſeſſ. 24. can. 3.* definiente Eccleſiam poſſe matrimonij impedimēta irritantia augere, vel minuere. Nā ibi loquēs in particulari de gradibus cōſāguinitatis, ſic dicit: ſi quis dixerit non poſſe Eccleſiam in nonnullis illorū diſpenſare, aut conſtituere, vt plures impediant, & dirimāt, anathema ſit. Et eadē ratio eſt de reliquis. Tum denique, quia nulla eſt ratio cur hoc fieri nō potuerit. Nam quòd hoc votum non ſit ita abſolutū, quid intereſt? quandiu enim durat, tam verum votū eſt, & tā verum ſtatum religioſum conſtituit, ſicut quodlibet aliud. Quòd verò in aliquo caſu auferri poſſit; nō obeſt quominus poſſit ei adiungi impedimentū, quod illo ablato auferatur; ſicut carētia Parochi & teſtium ſuppoſita, perſonæ ſunt inhabiles ad contrahendum, illa autē carentia ablata aufertur inhabilitas. Præterea quòd fuerit expediens illud decretū, patet, quia fuit opportunū remediū ad ſubueniēdū Societati aduerſus fraudes & iniurias quæ contra ipſam facile fieri poterant contra diuinum honorem, cōmune bonum, reuerētiam ſtatus religioſi, & in perniciē ipſorū Religioſorum. Prius enim ad ſuccurrendū his dānis, obligationi votorū additæ ſunt Eccleſiaſticæ pœnæ excōmunicationis, & aliæ quæ apoſtatis imponūtur. Poſtea verò cōpertū eſt in tanta hominū malitia hæc remedia nō fuiſſe ſatis efficacia, quia ſemel cōtracto matrimonio, vellet, nollet cogebatur ſocietas perſonā dimittere, Si enim perſonæ eſſent habiles ad contrahēdū validè, poſſent à cognatis, vel amicis ad hoc vehementiùs induci. & ipſi poſſent etiam ad idē procliuiores, & faciliores inueniri Imò & Societatē ipſam poſſent decipere mala fide, & ficto animo in eā perſeuerantes, ſolùm ad litterarū profectū, vt inde cōmodiùs poſſent aliū ſtatum aſſumere, cùm id poſſent facere, etiā inuita Societate. Igitur ad ſubueniēdū his dānis, valde expediēs fuit perſonas inhabiles reddere. Declarat id noſter Suarez *tom. 4 de religione, tract. 10. lib. 4. c. 1. n. 10.* exēplo ſatis accōmodato Bonifacij VIII. *in cap. cùm ex eo, de electione in 6.* Cùm enim ibi generaliter diſpenſaſſet cum perſonis habentibus beneficium parochiale, vt ſtudiorum gratia non tenerentur intra annum ſacerdotes ordinari, licèt id ſtatutum eſſet in Concilio Lugdumenſi, vt habetur *in cap. licet, eodem titulo*, adiungit nihilominus vt intra annum teneantur ſaltem Ordinem ſubdiaconatus ſuſcipere, & rationem reddit: ne ſicut à multis de Chriſti patrimonio ſublimatis olim factum eſſe dignoſcitur, à ſtatu retrocedere valeant clericali. Vbi Gloſſa prudenter notat ex præteritis circa futura caueri. Ad vitanda ergo damna quæ per experientiam cognita fuerant, voluit Bonifacius huiuſmodi Parochos ſtatim fieri inhabiles ad matrimoniū, ſubdiaconatu ſuſcepto. Eandem prouidentiam habuit Gregorius XIII erga Societatem, prædictam inhabilitatem ad matrimonium addendo.

Dico *tertiò*, prædictum decretum ſtatim habuiſſe effectum in omnibus perſonis Societatis. Hoc etiam eſt certum. Nam imprimis quod ita fieri potuerit à Papa, patet, quia per illā legem non inhabilitatur perſona ad aliquid præteritū; quo ſenſu certū eſt ſtatutū non reſpicere præterita, ſed ad matrimoniū in futurū contrahendum. Nec pugnat hoc decretum habuiſſe ſuam efficaciam circa perſonas, quæ iā vouerāt in Societate caſtitatem; quia poteſt Papa adiūgere illud dirimēs æquè voto iā emiſſo, quàm etiā voto in futurū emittēdo, quatenus in præſens moraliter durat, & fit. Nō enim ad hunc effectū neceſſarius fuit conſenſus talium perſonarū, ſed Papa ipſe per efficaciam ſuæ legis potuit talem inhabilitatem inducere. Quia per illud decretum nullam obligationem nouā ad aliquod opus conſilii talibus perſonis impoſuit, neque ad aliquem ſtatum eos obligauit; iam enim ratione voti tenebantur non contrahere matrimoniū, & in ſtatu perfectionis perſeuerare, ſed ſolùm per eam legem cautum eſt, ne illi ſtatui iniuria fieret; & medium prudēs adhibitum, quo illa obligatio meliùs impleretur. Hinc autem manifeſtè ſequitur tale decretum de facto comprehendiſſe tam eos, qui hæc vota in Societate emittent in futurum, quàm etiam eos, qui ea emiſerunt. Nam loquitur de his, qui iam erant in hoc gradu Religioſorū Societatis conſtituti. Et ratio eſt aperta, quia quoties Eccleſia ſimilia impedimenta de nouo imponit, omnes perſonas iam exiſtentes, & capaces talis impedimenti comprehendit. Sic videmus legem Concilij Tridentini de inhabilitate ad contrahēdum clandeſtinè, omnes homines iam exiſtentes, & antea habiles comprehendere.

3 Vtrùm verò prædicta ſimplicia vota ſicut dirimūt matrimonium ſubſequens, dirimat quoque matrimonium præcedens, iam ſuprà *diſp. 20 ſect. 4.* dictum eſt, non dirimere.

DISPVTATIO XXVII.

De impedimento Ordinis ſacri matrimonium dirimente.

PRimā tonſurā, & quatuor minores Ordines non dirimere matrimoniū, imò neque impedire de facto, cōſtās res eſt apud omnes. Quia

neu

Digitized by Google

non ſua natura, ſeu ſuo iure naturali id præſtant, vt eſt per ſe notum; neque iure aliquo poſitiuo Eccleſiaſtico. Quamuis enim Eccleſia, ſicut de facto adiunxit ſacris Ordinibus inhabilitatem ad matrimonium, ita ſi expedire iudicaret, potuiſſet illam addere minoribus Ordinibus; imò etiá poſſet eam adiungere primæ tonſuræ; de facto tamen eam non addidit, quia nullum extat ius poſitiuum id adiungens, vel ſtatuẽs. Ordines verò ſacros, qui numerantur à ſubdiaconatu vſque ad Epiſcopatũ dirimere matrimonium ſubſequẽs, certiſſimũ eſt, de quo in hac diſputatione, vt radicitus intelligatur, duo tractanda ſunt. *Primum*, quo iure obligatio caſtitatis, ſeu votum, ſit annexum Ordinibus ſacris, & quantum obliget, ſeu quos effectus habeat, & quomodo tale votum ſolemne dicatur. *Secundum*, an Ordo ſacer diſſoluat matrimonium ſubſequens, ratione ſolius voti ſolemnis caſtitatis ipſi annexi, ſeu ratione iuris Eccleſiaſtici annexi ipſi voto ſolemni caſtitatis; an etiam id præſtet Ordo ſacer rationẽ ſui, ſeu ratione iuris Eccleſiaſtici ſibi annexi.

Sectio I.

Quo iure continentia, ſeu caſtitas ſit annexa Ordinibus ſacris, & quo tempore cœperit eſſe in Eccleſia.

PRæſentem difficultatem tractat latè & doctè noſter Suarez *tom. 3. de religione. lib. 9. cap.* 13. 14. 15. & 16. Nos breuiter eam expediemus ſequentibus dictis.

1 Circa primum dico *primò*, ordinatos in Sacris non obligari iure naturali ad perpetuam continentiam, vel abſtinendo à matrimonio, ſi antea illud non contraxerant, vel ab vſu eius ſi contraxerant, tametſi id maximè conſentaneum iuri naturali. Ita communior Theologorum ſententia. *Prima pars* probatur, quia prædicta obligatio non eſt contra ius naturale, nam in illa nulla eſt intrinſeca malitia, neque ex obiecto, neque ex modo, nec continet aliquam iniuriam, nec violationem alicuius præcepti naturalis; ergo. Firmo, quia ex vi ordinationis ſacræ ſolùm ſequitur obligatio ad miniſteria talium Ordinum ſanctè & cum dignitate tractanda. At huic obligationi non repugnat intrinſecè & ex natura rei vinculũ matrimonij: quia vinculũ matrimonij nec excludit gratiã, nec circunſtantiã aliquã neceſſariam, vt illa miniſteria dignè & honeſtè tractentur: nam licèt illud miniſterium puriſſimum ſit, &, vt ſtatim dicam, ad maiorem decentiam poſtulet omnimodam puritatem & continentiam; tamen cùm matrimonium non includat incontinentiam turpem, vel inhoneſtã, nihil etiam includit abſolutè repugnans honeſtati, & ſanctitati illius miniſterij; ſed illa maior continentia erit quidem melior, non tamen præcepta iure, vel præcepto naturali, cùm carentia illius intra limites matrimonij non tollat intrinſecè & ex natura rei moralem honeſtatem, vel ſanctitatem; & ex alio capite Ordo ſacer ſua natura non eſt incompoſſibilis cum traditione, qua quis alteri tribuit dominiũ ſui corporis ad vſum coniugalem, vt patet; ergo. *Secunda pars* etiam eſt manifeſta, quia quo ſtatus perſonæ aptior eſt & magis conſentaneus muneri & actionibus eius, eo magis conformis eſt iuri & rationi naturali; ſed ſtatus continentiæ eſt aptior, ac magis conſentaneus muneri, & actionibus clerici in Sacris conſtituti; ergo obligatio ad huiuſmodi ſtatum continentiæ in his qui ad illum gradum Clericorum aſcendere volunt, eſt maximè conformis iuri naturali. Minor probatur diſcurrendo per ſingulos Ordines. Nam Epiſcopus ad hoc ordinatur vt conſtituatur in Eccleſia in ſupremo Ordine & ſtatu perfectionis: eſt etiam tanquam ſponſus ſuæ Eccleſiæ, cuius ſpiritualibus commodis & temporalibus inſeruire debet; ergo optimè cum illa dignitate congruit ſtatus caſtitatis; quo enim fuerit abſtractior à re vxoria, eo erit aptior ad ſuum munus explendum. Præterea Presbyter conſecratur ad actiones valde ſacras & puras exercendi, nempe ad conſecrationem, & mundam oblationem corporis, & ſanguinis Domini, ad abſoluenda peccata, & ad vacandum orationi, & electioni ſacræ; ergo ſtatus etiam maximè purus continentiæ eſt illi dignitati conſentaneus. In Diaconis quoque eſt ſufficiens congruentia & conſonantia cum eadem ratione naturali, quia licèt in illis non ſit tanta perfectio, eſt tamen magna participatio illius, & non parua cooperatio ad ſacra miniſteria. Denique eadem eſt congruentia ſuo modo in Subdiaconis. Et quidem cùm hi duo gradus ſint Sacerdotio valde propinqui, & ex illis ad Presbyterium facilis ſit aſcenſus; expediens eſt, ac valde congruum, vt ab illis Ordinibus incipiat clericus ſtatum continentiæ profiteri, vt ad illum ſacratiorem Ordinem queat eſſe conuenienter diſpoſitus.

Dico *ſecundò*, nullum eſſe ius diuinum prohibens matrimonium, vel vſum eius Ordinis in Sacris; atque adeò non eſſe in illis de iure diuino continentiam perpetuam; tametſi ea ſit quid iuri diuino maximè conſentaneum. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *a.* 1. & eſt communis ſententia Theologorum. *Prima pars* oſtenditur, quia nullum eſt principium ex quo tale diuinum ius colligi queat, quia in Scriptura, ſeu in nouo Teſtamento non habetur. Nec Chriſtus Dominus ſuis Diſcipulis, vel Apoſtolis hoc, inquam, tanquam præceptum poſuit, ſed tanquam permiſſionem. Neque in nullo loco D. Paulus ſignificauit præceptum aliquod, præſertim à Chriſto Domino datum, quo prohibeatur Epiſcopus, etiam poſt Epiſcopatum, ſumere matrimonij ſtatum. Nec denique ex traditione ſatis infertur. Nam etiamſi demus hanc traditionem dari à temporibus Apoſtolorum; adhuc inde nõ colligitur præceptũ diuinum: nam præcepta Apoſtolica ſunt humana, non diuina, iuxta dictum Pauli 1. Cor. 1. *Præcipio ego, non Dominus*, & de iſtis præceptis, vel conſuetudinibus introductis ab Apoſtolis, conſtat quoque ex traditione ab ipſorum temporibus. Igitur ex traditione Apoſtolica non ſatis colligitur præceptum diuinum, niſi aliunde, aut ex materia, aut ex aliis indiciis innoteſcat; nihil autem horum in præſenti reperitur. *Secunda pars* eſt per ſe nota, nempe continentiam eſſe valde conformem præceptis & conſiliis legis Euangelicæ. Nam Chriſtus Dominus omnibus continentiam conſulit, & præcipuè Apoſtolos ſuos eam ſeruare docuit Paulus etiam 1. *Cor.* 7. omnes cupiebat eſſe ſine vxore, ſicut erat ipſe, vt orationi vacarent; potiori iure idem cupiebat de Pontificibus & ſacerdotibus, qui diuinis miniſteriis & orationibus frequenter & ex officio incumbere debent. 2

Dico *vltimò*, inſtitutionem hanc, ſeu obligationem Clericorum ad cõtinentiam eſſe ſolùm iure Eccleſiaſtico annexã ordinatis in Sacris. Patet ex præcedentibus dictis: nã cùm prædicta inſtitutio nõ ſit iure naturæ præſcripta, nec ſit diuina, vt oſtenſum eſt, alia eſſe non poteſt niſi humana Eccleſiaſtica, cùm illa legitima ſit, & honeſta, & vim habeat obligandi, vt ipſo vſu ſatis euidenter conſtat, & expreſſè traditur ab Innocentio Papa ſecundu *in c.* 40. *vt lex.* 27 *q.* 1. Vbi ita cùm ſtatuiſſet, ſi Epiſcopi vel alij in ſacris Ordi- 3

nibus vxores ducant, debere ſtatim ſeparari, & pro tantis exceſſibus condignam pœnitentiā agere, ſubdit rationē, ſic dicens, prædictam copulationē contra Eccleſiaſticā regulam conſtat eſſe contractā. Conſtat igitur ex ordinatione Eccleſiæ de facto caſtitatis obligationem eſſe coniunctam cum Ordinibus ſacris, ſecundùm præſentem vſum Eccleſiæ Latinæ. Vt etiam expreſsè docuit Tridentinum *ſeſſ. 24. can. 9.* vbi continentiam Clericorum in Sacris in legem refert Eccleſiaſticam.

Obiiciunt hæretici noſtri temporis, abuti ſua poteſtate Eccleſiam, dum hanc neceſſitatē ſeruandi caſtitatem imponit Clericis in Sacris, quia eſt res difficillima, & valde repugnans naturæ, propter quod Deus ipſe noluit eam ſub præcepti obligationem ponere etiam miniſtris ſacris. Saltem videtur non fuiſſe id valde expediens, quia magna Clericorum multitudo, qui in iuuenili ætate plerumque ordinātur, & non viuunt in clauſtris, nec carēt delitiis corporis, nec ab humanis occaſionibus, & cōuerſationibus ſeparātur, fornicationis, & ſacrilegij periculo exponitur. Reſpōdeo prudentiſſimè Eccleſiam ſtatuiſſe ad ſacrificij reuerētiam, ad ſacerdotij honorem, & ad fidelium exēplum. Neque ideo exponit homines periculo fornicationis, vel ſacrilegij; quia ſtatus Clericorum de ſe non habet illud periculum adiunctum; nā voluntarium propoſitum, & votum multum confert, vt futura mala caueātur; & miniſterium ipſum de ſe multum iuuat ad eundem finem; & prouidentia quam ſemper Eccleſia adhibuit ad cauenda ea pericula, magna ſēper fuit.

Circa ſecundum videantur Suarez *lib. 9. c. 14. 15. & 16.* & Baſilius Ponce *lib. 7. cap. 23. & 24.* Breuiter ipſe dico, continentiæ legem antiquiſſimam eſſe in Eccleſia. Vnde ab Apoſtolis deriuatam meritò dixit Carthaginenſe II. *cap. 2.* & habetur *cap. Epiſcopos d. 31. & cap. cùm in præterito, d. 84.* Apoſtolica igitur eſt lex iſta, quam communi Eccleſiarum conſenſu fuiſſe in Occidentali Eccleſia receptam rectè probat Suarez *cap. 14.* & eandem à ſanctis Patribus Latinis eiuſdem antiquitatis ſummis laudibus fuiſſe commēdatam. In Orientali verò Eccleſia non fuit ſemper & in omni loco hæc conſuetudo inuiolabiliter ſeruata. Quia in aliquibus prouinciis tametſi id ſeruatum fuerit, ſed non in aliis. Cæterùm de vſu Græcorum non multum curandum eſt, nam eſto ex conſuetudine continentiam non obſeruent ſicut Latini, & ſi ſua conſuetudine ſobriè vtantur, & ſine ſchiſmate, poſſint ſine peccati macula ſacra exercere miniſteria; non tamen negari poteſt, id non fieri cum ea perfectione, ac puritate, quam ex vi ſui ſtatus Sacerdotes continentes habere poſſunt. Quis enim neget, cæteris paribus, continentiam etiam ab actu coniugali maiorum puritatem, ac ſanctitatem afferre: nam actus etiam coniugalis, etiamſi moraliter honeſtus ſit, quandam tamen habet impuritatem admixtam, vt dixit Siricius Papa *epiſt. 1.* & hebetat aciem mentis, & totum hominem carnalem quodammodo efficit, vt dixit Auguſtinus 14. *de Ciuit. cap. 17.*

Eſt verò notandum circa continentiam Subdiaco-
5 norum in Eccleſia Latina ſemper fuiſſe prohibitum quòd Subdiaconus iam ordinatus ducat vxorem. Quòd verò priùs coniugatus, & poſtea Subdiaconus ordinatus ab vxore ſeparetur, non fuit ſemper, & in omni loco hæc conſuetudo inuiolabiliter ſeruata, vt conſtat manifeſtè ex Concilio Carthag. II. *cap. 2.* vbi tres tātùm gradus ait habere annexam hanc obligationem caſtitatis, Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, quod clariùs patet ex Concilio Carthag. V. *can. 3.* & habetur *in cap. 4. diſt. 84.* vbi vſque ad Diaconos tantùm in ea prohibitione comprehendit. Et ſubdit, cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, ſed ſecundùm vniuſcuiuſque Eccleſiæ conſuetudinem obſeruari debere.

Sectio II.

Vtrùm obligatio qua tenentur Clerici ſacrorum Ordinum ad caſtitatem ſeruandam, oriatur ex voto, an ex ſola ſuſceptione Ordinis ſacri ex inſtitutione Eccleſiæ.

Conſtito iam ex ſola Eccleſiæ conſtitutione teneri huiuſmodi Clericos ad ſeruandam caſtita- 1
tem, non parum refert diſcutere, an ea obligatio ſit ſolùm ex Eccleſiæ præcepto directè præcipiente illis caſtitatem, vt præcipit audire Miſſam diebus Dominicis; vel immediatè ſit ex voto caſtitatis in Ordine ſacro tacitè emiſſo, mediatè verò ex Eccleſiæ conſtitutione, quæ id votum Ordini ſacro annexit, quod iure diuino annexum non erat. Nam ſi eſt merum præceptum Eccleſiaſticum, valida erit diſpenſatio Pontificia ad contrahendum matrimonium ſine cauſa conceſſa, & poteſt poſt initum matrimonium peti debitū. At ſi eſt obligatio ex voto, non eſt valida diſpenſatio abſque legitima cauſa conceſſa; & poſt matrimonium initum obligat votum, inquantum patitur ſtatus matrimonij, nempe ad non petendum debitum.

Quidam cenſent, inter quos noſter Valeuria *tom. 4.* 2
tract. de Sacramento Ordinis diſput. 9. q. 5. puncto 5. §. 1. non eſſe id propriè votum, ſed Eccleſiæ ſtatutū. Probant, quia poteſt is qui ordinatur, non habere intentionem promittendi, imò & voluntatem expreſſam non ſe obligādi ad caſtitatem, neque aſſumendi quātum in ſe eſt onus aliquod ab Eccleſia impoſitū, præter ipſum Ordinem ſacrum. Nam Ordo, & obligatio caſtitatis diuerſa ſunt obiecta, & non ſunt ex natura ſua connexa; ergo poteſt voluntas vnum ab alio ſeparare, & tunc neque explicitè, neque implicitè poteſt dici velle vnum, quamuis aliud velit; ergo voluntas ſuſcipiendi Ordinem ſacrum non eſt implicita volūtas ſufficiens ad vouendam caſtitatem, quando cum illa ſimul habetur voluntas explicita non vouendi, neque ſe obligandi. Et tamen in hoc caſu ſic ordinatus obligatur ad caſtitatem ſeruandam; nam ſi matrimonium velit contrahere, nō poterit nec licitè, nec validè; multo magis non poteſt conſummare; vnde ſpecialiter quoque illi prohibitum eſt quemcumque alium turpem actum efficere; ergo obligatur ſolum vi ſtatuti Eccleſiæ, & non voti.

Alij verò communiter cum D. Thoma 2. 2. *q.* 88. 3
a. 7. & 11. cenſent hanc obligationem eſſe ex vero ac proprio voto. Quod etiam cum multis quos refert, ſequitur Sanchez *lib. 7. diſput. 27. numer.* 10. Et manifeſtè oſtendi videtur, quia, vt patet ex D. Gregorio *epiſt.* 42. & refertur *cap. 2. diſt.* 28. Eccleſia præcipit nullum ordinari Subdiaconum, niſi continentiam promittat, quod etiam Epiſcopi obſeruant. Nam ordinandis proponunt hoc votum, qui hoc ipſo quo poſtea Ordinem ſuſcipiunt, cenſentur illud vouere. Hinc etiam iura vbique aſſerunt ordinatos emiſiſſe votum, vt patet *cap. cum olim 6. de Clericis coniugatis, & cap. vnico, de voto in 6.* At verba iuris tam aperta non ſunt ſine euidenti neceſſitate ad metaphoras detorquenda. Hinc denique omnes fatentur peccatum Clerici contra caſtitatem habere duas ſpeciales malitias, vnam contra caſtitatem, aliam contra religionem

religionem; at hæc poſterior ſolùm eſſe poteſt, quatenus eſt contra votum: nam licèt demus hac in parte addidiſſe Eccleſiam aliquam ſpecialem prohibitionem Clericis, illa non adderet obligationem diuerſæ ſpeciei, ſed intra eandem obligaret, ſicut obligant alia præcepta Eccleſiaſtica. Hanc ſecundam ſententiam iudicu veriorem, quam ſequentibus dictis magis diſtinctè & ſigillatim declaro.

4 Dico ergo *primò*, certum eſſe intentionem eſſe Eccleſiæ obligare ſic ordinarũ, vt votũ caſtitatis emittat; habere que ad id poteſtatẽ, fuiſſeque valde expediẽs. *Prima pars* de intẽtione Eccleſiæ, colligitur manifeſtè ex *cap. vnico, de voto in 6.* vbi duplex dicitur eſſe votum ſolemne, vnum ſolemnizatum per ſuſceptionem ſacri Ordinis: alterum per profeſſionem religionis: nam ibi apertè ſupponit Pontifex tam proprium votum eſſe emittendum in ſuſceptione ſacri Ordinis, ſicut in profeſſione religionis. Et idem ferè habet Ioannes XXII. *in Extrauagant. Antiquæ, de voto.* Ac denique idem ſupponunt omnes Doctores diuidentes votum in ſimplex & ſolemne; & ſolemne in prædicta duo membra. Ex quibus manifeſtè conſtat hanc eſſe intentionem Eccleſiæ. *Secunda pars* de intẽtione obligandi ad hoc votum emittendum, liquet, tum ex iiſdem Eccleſiaſticis decretis. Tum, quia aliàs eius intentio eſſet inefficax ad obtinendum effectum intentum. *Tertia pars* de poteſtate qua poſſit Eccleſia hanc obligationem imponere, nullus eſt ambigendi locus; quia non imponit abſolutè & ſimpliciter tale onus, ſed ſub conditione, ſeu conuentione voluntaria, quæ iuſta eſt, & ideo obligat vel ex obedientia, vel ex iuſtitia eum qui Ordinem ſuſcipit ad conditionem implendam, ſub qua ad illum admittitur. Nam Eccleſia poteſtatem habet diſpenſandi ſpiritualia bona, inter quæ ſacri Ordines computantur, ſub eo modo, & conditione, quam magis conuenientem ac decentem iudicauerit. Conſtat igitur, hoc iure ac merito fieri ab Eccleſia potuiſſe. Denique *vltima pars*, quòd ea cũditio fuerit valde expediens ac maximè decens, claret, tum vt ſacratior, & quodammodo immobilior eſſet obligatio: tũ quia ſi ea obligatio tãtùm eſſet ex præcepto Eccleſiæ, maiori facilitate poſſet per illius diſpenſationem auferri, & diſpenſatio ſine cauſa conceſſa eſſet valida, quãuis illicitè concederetur; at interueniente voto, difficilior eſt diſpenſatio, & ſine legitima cauſa data non tenet, iuxta ſuprà dicta initio huius ſectionis.

5 Dico *ſecundò*, prædictum votum, licèt explicitè nõ fiat ab eo qui ordinatur, implicitè tamen fieri volũtaria ſuſceptione Ordinis ſacri ſecũdùm Eccleſiæ leges. Id ſufficiẽter cõſtat ex ipſo vſu Eccleſiæ. Quare ſicut votũ ſolẽne religionis fit implicitè per profeſſionẽ tacitã, vt ex iure cõſtat; ita & votũ Ordinis poterit ita fieri. In principio enim Eccleſiæ quando hic mos cœpit introduci, & nũdũ erat per modũ legis receptus, neceſſarium erat, vt qui ad primum Ordinẽ ſacrũ admittebãtur, admonerẽtur, an vellent caſtitatẽ profiteri, & alio modo nõ fore admittẽdos; & tũc cõſenſus ordinãdi erat quædã voti emiſſio ſatis manifeſta. At nunc eadem ferè admonitio præmittitur in ordinatione Subdiaconi; nam licet verba quæ præmittuntur, nihil de promiſſione expreſsè dicant; tamen quia hæc eſt intentio Eccleſiæ, in illis verbis, *& iuxta intentionem Eccleſiæ accipiamur*, id ſatis eſt vt ipſa voluntaria talis Ordinis ſacri ſuſceptio, ſit etiam quædam voti emiſſio. Ex quo in foro, ſi quis per ſaltem Diaconatum ſuſciperet, votum nihilominus implicitum emitteret, quia poſtquam prædicta lex & vſus ſatis eſt ſtabilitus, & notus, ipſemet admonet omnes, vt ſuſcipiẽtes ſacros Ordines, ſub ea cũditione vel onere admittantur; atque ideo eo ipſo quòd iuxta leges Eccleſiaſticis ordinari volunt, ſufficienter vouent implicitè, etiamſi expreſſum actum promittendi non eliciant. Ex quo etiam infero noluiſſe Eccleſiam obligare ſic ordinandos ad expreſsè emittendũ votum caſtitatis, vt conſtat tum ex communi ſenſu, & vſu; tum quia nullum de hac re præceptũ oſtendi poteſt. Quare ipſa voluntaria ſuſceptio Ordinis ſacri ſecundùm Eccleſiæ leges, cenſetur ſufficiẽs talis voti emiſſio, ac ſolemnizatio.

Dico *tertiò*, ſi quis ſuſciperet Ordinem ſacrum cũ expreſſa intentione nõ promittendi, maneret ordinatus, quãuis grauiter peccaret, nũ verò emitteret votũ caſtitatis. 6 Probo ſingula, *in primis* videbitur certum manſurum iſtum ordinatũ in Sacris, ſuppono enim illum habuiſſe intentionem recipiendi ſacramentum Ordinis; hæc nãque nõ excluditur per intentionẽ nũ vouendi; nam hæc duo obiecta ſunt diſtincta, & ex ſe ſeparabilia, quia poteſt verus Ordo eſſe ſine tali voto. Vnde quamuis per Eccleſiaſticam legem votum annexum ſit Ordini, ideoque licitè non poſſit ſeparari; at non potuit per hanc legem fieri quominus intentio ſuſcipiendi Ordinem abſque voto ſit vera intentio ſuſcipiendi ſacramentum, quamuis iniqua, atque adeò ex hac parte ſufficiens ad valorem ſacramenti. Quo ſuppoſito oſtenditur manifeſtè prædicta prima pars. Quia in hoc caſu manet voluntas recipiendi ſacramentum Ordinis, concurrũt etiam alia neceſſaria ex parte materiæ, formæ & miniſtri; ergo valida eſt talis ordinatio; non enim malitia recipientis, dummodo non deſit voluntas, ſeu intentio ſacramenti, impedit ſubſtantiam ipſius ſacramenti. *Secunda pars*, quòd in eo euentu ordinatus grauiter peccaret, liquet, quia ea intentio eſt contra ſtatutum Eccleſiæ, & contra pactum cum ea initum, atque adeò contra fidelitatem, vel obedientiam ei debitam. *Tertia pars*, in eo caſu non emitti votum caſtitatis, mihi videtur euidens; quia ex nullo Eccleſiæ ſtatuto poteſt votum adiungi alicui pacto, niſi vouens voluntariè promittat; ergo in eo caſu non adiungitur votum huic facto, quod eſt ordinatio: conſequentia liquet, nam ſi adiungeretur, maximè ex ſtatuto Eccleſiæ, quia ſupponimus voluntatem ordinati eſſe contrariam. Antecedens verò, nempe ſtatutum ſolum non habere hanc vim, probatur, quia votum eſt eſſentialiter promiſſio voluntaria, & ideo implicat contradictionem, quòd in homine ſit ſine conſenſu eius explicito, vel implicito; qui autem habet expreſsè voluntatem contrariam, neutrum conſenſum habet, vt eſt per ſe notum.

Dico *quartò* eum qui ſic ordinatus eſt, peccare grauiter peccato ſacrilegij, & iniuſtitiæ. 7 Mouetur. Quia in primis negari non poteſt eſſe ibi peccatum ſacrilegij omiſſiuum, & commiſſiuum: nam interuenit ibi omiſſio ſacrilega; ſicut enim velle non audire ſacrum præceptum, eſt ſacrilegium omiſſiuum, ita non emittere votum eo tempore, & ſtatu, in quo ſanctè præcipitur, eſt ſacrilegiũ omiſſiuum; quia lex præcipiens talem actũ facit illum neceſſarium in propria materia & virtute religionis. Quòd verò etiam interueniat ibi ſacrilegium commiſſiuum, non ſolùm ex illa generali ratione quòd eſt indigna & peccaminoſa ſuſceptio ſacramenti, ſed etiã, quia recipit ſacramentum ſine diſpoſitione ab Eccleſia requiſita, id eſt, ſine profeſſione caſtitatis. Nã hæc profeſſio quatenus propter ordinationem præcipitur, magis ad religionem ſpectat, quàm ad caſtitatem, & ideo prædicta ordinatio ſuſcepta ſine tali circumſtantia ſpecialiter eſt ſacrilega. Quòd autẽ interueniat ibi quoque peccatũ iniuſtitiæ, ſeu infidelitatis, patet, quia illud grauiſſi-

Digitized by Google

mum mendaciũ eſt, & Eccleſiæ pernicioſum, & contra pactum & conuentionem initam cum Eccleſia; ergo manifeſtè videtur ad iniuſtitiã pertinere. Ex quo neceſſariò infero, eum, qui ſic ordinatus eſt, manere obligatum ad votum emittendum. Ratio eſt, quia obligatio illa, quam tempore ordinationis habuit, non fuit extincta propter tranſgreſſionem eius, ſed perpetuò magis ac magis obligat, quia illud tempus non fuit deſignatum, vt extra illud non poſſit impleri debitum, ſed vt non differatur ſolutio; quando autem circumſtantia temporis hoc modo deſignatur, per omiſſionem eius non extinguitur obligatio. Firmo, quia prædictum votum non eſt propter ordinationẽ in fieri, vt ſic dicam, ſed propter permanentem ordinem, & ſtatum eius, & ideo à principio debet fieri perpetuum votum; ergo ſi in principio omiſſum eſt, ſemper manet obligatio illud emittendi. Addunt nõnulli ibi quoque interuenire peccatum inobedientiæ. Cæterùm verius eſt ibi non interuenire inobedientiam formalem, & ſpecificam, ſed generalem, qualis includitur in cuiuſcumque præcepti tranſgreſſione.

8 Dico *quintò*, adhuc ſic ordinatum non poſſe validè matrimonium contrahere, non ratione voti, ſed ex ſola ordinatione in Sacris adiuncta Eccleſiæ lege, ſeu conſtitutione. *Prima pars* eſt omnium Doctorum aſſerentium in eo caſu perſonam manere inhabilem ad matrimonium. Nam Ordo ſacer eſt vnum ex impedimentis dirimentibus ſubſequens matrimonium. Maior difficultas eſt de ſecunda parte dicti, an illud ſit ratione voti, vel ex ſola ordinatione in Sacris, ex conſtitutione Eccleſiæ. Nam communiter ſolent Doctores dicere id prouenire ratione impliciti voti ſolemnis annexi ex conſtitutione Eccleſiæ. Cui fauet *caput vnicum, de voto in 6.* videtur enim eſſe intentio & voluntas Eccleſiæ vt hoc impedimentum exiſtat mediante voto caſtitatis per ſacram ordinationem ſolemnizato. Ego verò tria cenſeo eſſe dicenda. *Primum* eſt, proxime, & formaliter loquendo hoc impedimentum prouenire ex ſtatuto, & voluntate Eccleſiæ. Hoc eſt certum in ſententia communiori Doctorum; quia nec ſolus Ordo ſacer de ſe, nec ſolùm votum de ſe, facit perſonam inhabilem ad contrahendum, ſed ſolùm ſtatutũ ac conſtitutio Eccleſiæ, vt magis conſtabit ex *ſect.6.* vbi oſtendemus, ſolo Eccleſiæ ſtatuto dirimi matrimonium ſubſequens per Ordinem ſacrum. Solùm dubitari poteſt, an requiratur votum vt Eccleſia ponat tale impedimentum. *Secundum* igitur quod dico eſt, non eſſe neceſſarium votum, vt poſſit Eccleſia inhabilem reddere perſonã tali Ordini conſecratam. Hoc videtur per ſe notum: nam ſicut Eccleſia ſua poteſtate facit, vt talis gradus conſanguinitatis, vel affinitatis, vel talis cognatio ſpiritualis ſit impedimentum dirimens, ita poteſt facere, vt talis Ordo abſque alio voto ſit ſimile impedimentũ. *Tertium* eſt, de facto circa hoc Eccleſiam inſtituiſſe, vt hoc impedimentum exiſtat quoque ex ſola vera & reali ordinatione in Sacris. Id probat manifeſtè caſus propoſitus, in quo illa perſona non habet votum ſolemne caſtitatis, quia ſi non habet votum, vt probatum eſt *dicto tertio n.6* multo minus habebit ſolemne: & tamen eſt certum illam perſonam ex ſuſceptione reali Ordinis ſacri manere incapacem, ſeu inhabilem ad matrimonium contrahendum; ergo euidens eſt hoc impedimentum exiſtere in illa ex ſola ordinatione in Sacris.

Dices prædictum impedimentum oriri in illa perſona ex voto ſolemni caſtitatis præſumpto; nam ita poſitum eſt hoc impedimentum ab Eccleſia, vt eſſentialiter non pendeat à vero voto, ſed ſufficiat votum præſumptum, quale præſumitur in omni perſona quæ ordinatur in Sacris. Sed contrà eſt, quia in primis iam liquet tale impedimentum non pendere ex voto ſolemni vero. Præterea nec pendere eſſentialiter à voto illo ſolemni præſumpto; patet eodem exemplo eiuſdem perſonæ; nam ſi hæc clarè & explicitè antequam ordinaretur proponeret & exprimeret Epiſcopo & cæteris circumſtantibus, ſe non habere voluntatem vouendi, & ſe obligandi ad caſtitatem, imò contrariam non vouendi illam, & nihilominus Epiſcopus illam ordinaret, certum eſſet etiam in foro externo non emiſiſſe tale votum; & nihilominus maneret inhabilis ad contrahendum matrimonium; ergo non ex voto præſumpto, cùm exteriùs & publicè profiteatur ſe illud non emittere, ſed ex ſola reali ſuſceptione Ordinis ſacri.

Quare dico *vltimò* obligationem ſeruandi caſtitatẽ 9 in Clerico in Sacris, & illius inhabilitatẽ ad matrimonium ſubſequens, oriri non tantùm ratione voti ſolemnis caſtitatis, ſeu iuris Eccleſiaſtici annexi voto caſtitatis, ſed etiam ratione Ordinis ſacri, ſeu ratione iuris Eccleſiaſtici ſibi annexi. Ita Rebellus *lib. 3. q.12. n.2.* & Gaſpar Hurtado *diſput.16.diffic.1.n.1.* & ex antiquis Scotus *in 4. diſp.37.* & idem ſentit *ibi* D.Th. *quæſt.1.a.1.* vbi ait, in Eccleſia Orientali matrimoniũ impediri ſolùm ex vi Ordinis; in Occidentali verò impediri & ex vi Ordinis, & vlteriùs ex vi voti annexi. Vbi illa particula, *&*, non complexiuè, ſed diuiſiue ſumitur. In eodem ſenſu Richardus quoque prædicta *diſp.37.a.1.quæſt.1.* dicit hoc impedimentum dirimere, tum propter votum continentiæ annexum, tum propter ſtatutum Eccleſiæ, etiam ſi ad continentiam ſe obligare non intendat ille, qui Ordinem ſuſcipit. Probatur dictum. Nam quòd tale impedimentum reſultet in ordinato ratione impliciti voti ſolemnis annexi ex conſtitutione Eccleſiæ, manifeſtè conſtat ex *cap. vnico, de voto in 6.* Et firmari poteſt, quia hoc impedimentum ordine naturæ, vt ſic dicam, ſupponit obligationem non ducendi vxorem; hæc autem obligatio quantum eſt ex intentione Eccleſiæ oriri debet ex voto per ſacram ordinationem ſolemnizato. Præterea quòd tale impedimentum proueniat quoque ex ſola ordinatione in Sacris, colligitur euidenter ex præcedenti dicto. Et ſatis firmatur communi ſenſu Doctorum conſtituentium vt diſtinctum impedimentum, Ordinem, & Votum. Fauet etiam Tridentinum *ſeſſ. 24. c.7.* vbi continentiam Clericorum in Sacris & inhabilitatem ad contrahendum matrimonium, non ad votum refert ſolemne; ad hoc enim refert inhabilitatem Regulariũ qui caſtitatem ſolemniter profeſſi ſunt; ſed ad legem Eccleſiaſticam adiunctam ipſi Ordini ſacro.

Obiicies ex prædicta doctrina ſequi, non votum 10 adiunctum Ordini ſacro, ſed ſolam realem ſuſceptionem Ordinis ſacri eſſe impedimentum dirimens matrimonium ſubſequens. Patet, quia ex ſola ordinatione in Sacris reſultat prædictum impedimentum, tametſi ordinatus nullum emiſerit votum ſolemne. Non ergo eſt cur eiuſmodi effectus tribuatur vtrique rei, nempe voto ſolemni, & ſuſceptioni Ordinis ſacri, ſed huic ſoli ordinationi in Sacris. Reſpõdeo in rigore metaphyſico negari nõ poſſe ſolam ſuſceptionem realem Ordinis ſacri voluntariè acceptam dirimere matrimonium ſubſequens. Vnde hac de cauſa non immeritò Paludanus *in 4.d.37. q.1.n.8.* dixit hoc impedimentum dirimens non eſſe ratione voti annexi, ſed ratione Eccleſiaſtici ſtatuti. *cap. 1. qui clerici vel vouentes.* Cæterùm, quia ex intentione Eccleſiæ non ſuſcipitur licitè Ordo ſacer, niſi ſit coniunctus cum voto caſtitatis ſolemni, ideo etiam tribuitur

buitur

buitur ipſi voto ſolemnizato quòd dirimat matrimonium. Ne tamen fraus & dolus patrocinetur illi, qui vult ordinari in Sacris, & renuit ſe obligare ad caſtitatem per votum; ideo ita poſitum eſt hoc impedimentum ab Eccleſia, vt eſſentialiter non pendeat à voto te ipſa emiſſo, ſed ſufficiat realis Ordinis ſacri ſuſceptio. Addo, in ipſa Ordinis ſacri ſuſceptione certo modo includi ſemper prædictum ſolemne votum caſtitatis, prout debitum eſt emitti iuxta ordinationem ipſius Eccleſiæ, adeò, vt ille qui ordinatur in Sacris cum repugnantia illud emittendi, teneatur, & maneat obligatus illud emittendi, vt dictum eſt ſuprà *dicto 4. numer. 7.* Ex dictis

11 Colligo *primò*, ſuſcipientes ſacros Ordines præter obligationem voti ibi explicatam, ex lege Eccleſiaſtica immediatè etiam obligari ad continentiam, propter excellentiam ipſius ſtatus ita ſacri, quem tales ſuſcipiunt; & Eccleſiam prohibere illis actus turpes propter ſpecialem indecentiam talis ſtatus, taliſque miniſterij.

12 Colligo *ſecundò*, Sacris initiatos, non ſolùm ratione voti, ſed etiam ex vi prohibitionis Eccleſiæ prohibentis actus venereos, vt materiam ſacrilegij, peccare peccato ſacrilegij, vt optimè notauit Coninch *diſput. 20. de Sacramento Ordinis, dubio 13. num. 130.* Quia quoties Eccleſia ex ſpeciali motiuo alicuius virtutis reddit aliquas perſonas inhabiles, vt inter ſe contrahant, iiſdem etiam ſpecialiter prohibet omnem actum venereum inter ſe, ita vt eum committentes duplici peccato peccent, vt conſtat in illis qui cognoſcunt ſibi affinem in 3. vel 4. gradu; aut ſpiritualiter cognatam, qui ideo præcisè peccant duplici peccato, quia inter eos intercedit tale impedimentum dirimens. Videantur dicta à nobis ſuprà *diſput.* 22. integra *ſect.* 2. Atqui Eccleſia omnes Sacris initiatos reddit immediatè inhabiles ad matrimonium cum quauis perſona contrahendum, idque ob motiuum, ſiue reuerentiam virtutis religionis, nempe ob excellētiam & eminentiam ipſius ſtatus adeò ſacri quem ſuſcipiunt; ergo ſpecialiter his immediatè prohibet omnem actum venereum cum quauis fœmina, ex quo infert duo Coninch citatus *numer.* 131. *Primum*, Religioſum fornicantem committere diſtinctum ſpecie peccatum ab eo quod committit fornicans, qui ſolùm voto ſimplici vouit caſtitatem; & conſequenter eam conditionem Religioſi fornicantis eſſe in confeſſione explicandam. Quia ſicut prior habet ſpecialem inhabilitatem ad matrimonium, ita habet ſpecialem prohibitionem talis actus. *Secundum* eſt, ſi fornicetur Religioſus Sacris initiatus, vtramque circumſtantiam eſſe exprimendam. Ratio eſt, quia vtraque continet ſpeciale impedimentum matrimonij; ergo neceſſariò inducit ſpecialem obligationem ad caſtitatem.

13 Colligo *vltimò* eum qui ſuſcipiens Ordinem ſacrum intendit nullo modo vouere caſtitatem, ſi fornicetur, committere ſpecialem malitiam ſacrilegij, non quidem illam quæ ſpecialiter oriatur ex fractione voti; nam hoc non eſt vbi non eſt verum votum, ſed aliam interuenientem ex vi prohibitionis Eccleſiæ: nam Eccleſia prohibet fornicationem Clerico in Sacris propter ſpecialem indecentiam talis ſtatus, ac miniſterij; vnde conſtituit talem actum in ſpecie ſacrilegij. Cumque talis materia ſit grauis, & Eccleſia eam prohibeat quantum poteſt, ideo talis culpa ex illa circumſtantia etiam eſt grauis, & in confeſſione aperienda.

Sectio III.

Vtrùm inualidè infantes, & pueri ante annos pubertatis ordinati in Sacris, obligentur ad ſeruandam caſtitatem.

PRima difficultas eſt, an inualidè ordinati ad aliquem eſſentialem defectum, quia ordinans, v.g. ſe finxit Epiſcopum, obligentur ad continentiam, an potiùs inire matrimonium queant. Sentiunt aliqui manere obligatos ad ſeruandam caſtitatem; quia conſtat ex *cap. quidam 3.* & ex *cap. placet, 12. de conuerſ. coniugatorum*, eos qui inualidè profitentur in religione, obligari voto caſtitatis, quantum pro eo tempore eam poterant vouere: nam actus qui non valet eo modo quo fit, valet modo quo valere poteſt, iuxta textum *cap. vnico § porrò, de deſponſat. impub. in 6.* Igitur ita ordinatus, cùm licitè tunc vouerit caſtitatem, ſuo voto tenebitur. 1

Cæterùm verius eſt hunc ad nihil prorſus obligari, cum communiori ſententia. Ratio eſt, quia talis non vouet per ſe & expreſsè caſtitatem, ſed tātùm ſecundariò, & implicitè, quatenus illud votum eſt annexum Ordini quem putat ſuſcipere. Sicut igitur principale non ſubſiſtit, ita nec ſecundarium, & per accidens ei annexum. Secus eſt de profitente, qui immediatè & explicitè vouit caſtitatem. Firmo hoc diſcrimen inter inualidè profitentem, & inualidè ordinatum: nam cùm caſtitas ſit eſſentialiter annexa ſtatui religioſo, non verò Ordini ſacro, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ, tanquam acceſſoria ſtatui ſit, & tacitè in eius ſuſceptione promiſſa; hinc eſt, vt profitens in religione emittat per ſe, & principaliter votum caſtitatis, atque ideo licèt non valeat vt ſolemne propter aliquem acceptationis defectum, valebit tamen eo modo quo valere poteſt, nempe vt ſimplex. At ſuſcipiens Ordinem ſacrum non emittit per ſe & principaliter votum caſtitatis, ſed acceſſoriè, & in conſequentiam ſtatus, ob Eccleſiæ conſtitutionem. Igitur quando principale non valuit, id, quod venit in conſequentiam, nullum effectum producere poteſt. *l. 3. §. finali. ff. de ſeru. ruſt. præd. & l. cùm principalis, ff. de regulis iuris.*

Secunda difficultas eſt de infantibus, ſeu pueris ante vſum rationis ordinatis in Sacris, in quibus ſupponitur validum eſſe Sacramentum Ordinis, & characterem imprimere, an cùm peruenerint ad ætatem adultam, ſint ad caſtitatem obligandi. Et certè quòd non obligentur ex voto, certum videtur, quia votum eſt actio perſonalis, eiuſque obligatio non poteſt merè ab extrinſeco imponi: puer autem ante vſum rationis non eſt capax talis actionis. Diſſenſio igitur inter Doctores ſolùm eſt de obligatione ex præcepto, ſeu ſtatuto Eccleſiæ. 2

Paludanus *in 4. d. 37. q. 1. a. 1.* D. Anton. *3. p. tit. 1. cap. 8. concluſ.* 2. Ledeſma *2. p. 4. quæſt. 55. a. 4.* Rebellus *lib. 3. quæſt. 12. concluſ. 5.* & Gaſpar Hurtado *diſput. 16. difficult.* 2. docent Ordinem ſacrum ſuſceptum ante vſum rationis dirimere matrimoniū, & obligare ad caſtitatem. *Primò*, quia, vt dicitur *in regulis iuris 41. in 6.* Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis. At principale hîc ſunt character, & poteſtas Ordinis: obligatio autem ad continentiam eſt acceſſorium; ergo cùm illa validè conferantur, hæc etiam valida erit.

Secundò, ius Eccleſiaſticum dirimens matrimonium eſt abſolutè annexum Ordini ſacro, non minus, quàm

iura Eccleſiaſtica ſunt annexa Baptiſmo;ergo ſicut iura Eccleſiaſtica comprehendunt baptizatum ante vſum rationis, ita etiam ius Eccleſiaſticum dirimens matrimonium annexum Ordini ſacro comprehendit Sacris initiatos ante vſum rationis.

Tertiò, valde indecens eſt, & contra religionis cultum debitum Sacerdotio, cum qui ad gradum Sacerdotis promotus eſt, ad matrimonij ſtatum deſcendere. Cuius rei iudicium eſt, quia in Eccleſia Græca, in qua Sacerdotes in aliqua Prouincia habent vxores, & eis certis temporibus vtuntur, quamuis ex matrimonio ad Sacerdotium aſcendant; tamen à Sacerdotio ad matrimonium nullo modo permittuntur.

Contraria tamen ſententia tenenda eſt vt omnino vera & certa. quam tenent Maior, Ricardus, Almain, Sotus, Palacios, Enriquez, Azor & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.7. diſp.30. n.3. a.4.* Vaſquez *3 p. diſp, 246. n. 25.* Suarez *tom. 3. de religione lib. 9. c. 17. dubio 3.* Goninch *diſput. 20. dubio 14. n.144.* & alij, quam ſequentibus dictis faciliùs explanabo.

3 Dico ergo *primò*, negari non poſſe Eccleſiam abſolutè ſi vellet potuiſſe, ſic ordinatum in Sacris reddere inhabilem ad matrimonium. Moueor cum Suario *citato*, quia id non videtur excedere omnino Eccleſiaſticam poteſtatem. Nam licèt Eccleſia, per ſe loquendo, non videatur poſſe hoc præceptum abſolutè imponere alicui perſonæ ſpeciali, tamen ob grauem cauſam ad bonum religionis pertinentem quis neget poſſe hoc præceptum imponere, etiamſi ex accidenti contingat, vt eius obligatio, & effectus aliquem liget abſque eius conſenſu. Vt, verbi gratia, ſi Eccleſia expedire iudicaret, vt perſona conſecrata per ſacrum Ordinem, quacunque ratione ordinari contingat, maneat inhabilis ad matrimonium, poſſet abſolutè contingere hoc impedimentum cum tali ordinatione, ita vt habeat effectum etiam in illo qui ſine proprio conſenſu ordinatur. Quia ſatis eſt, quòd per ſe, & ex intentione Eccleſiæ talis Ordo dãdus non ſit niſi volenti. Quòd verò alicui indiuiduo detur abſque conſenſu eius, accidentarium eſt, & præter intentionem Eccleſiæ; tamen quia vno inconuenienti dato ex malitia ordinantis, alterum ex duobus incommodis neceſſariò conſequitur, videlicet vt vel ſic ordinato imponatur onus caſtitatis abſque voluntate eius, vel vt perſonæ ſic ſacratæ permittatur coniugium, poterat Eccleſia propter euitandum hoc poſterius, illud prius eligere, ſi ad maiorem decentiam ſtatus & honorem ſacri Ordinis expedire iudicaret, quia priuatum commodum poſtponendum eſt bono communi.

4 Dico *ſecundò*, puerum ſic in Sacris ordinatum non reddi inhabilem ad contrahendum matrimonium, nec manere obligatum ad ſeruandam continentiam. Id oſtenditur *primò*, quia de facto Eccleſia nunquam contrarium ordinauit, nec poſuit tale impedimentũ niſi ei, qui voluntariè ordinatur, vt conſtat ex *cap. 1. qui clerci, vel vouentes*. Et fortè inter alias cauſas, ob hanc etiam ſemper explicat hoc impedimentum per modum voti, quia ad illud requiritur voluntarius cũſenſus, ſaltem in ipſam ordinationem. De illo verò caſu, in quo infans, vel puer ante vſum rationis ordinatur, iura nihil dicunt; cumque ille modus ordinationis ſit contra intentionem iuris, & alioqui onus caſtitatis omnino ab extrinſeco impoſitum, & nullo modo propria voluntate acceptum, grauiſſimum ſit, non poteſt rationabiliter commune & ordinarium ius ad illum extraordinarium extendi caſum, maximè cùm id neceſſarium non ſit ad eam decentiam ſacri Ordinis, quam ius intendit. *Secundò*, quamuis iure diuino, & etiam naturali indecens videretur, vt ſemel ordinatus in Sacris matrimonium contraheret; tamen id ſolùm locum haberet in eo, qui conſenſu proprio ſtatum illum ſacrum elegiſſet; in eo verò, qui abſque vllo ſuo conſenſu ordinatus eſſet, non itẽ. Sicut enim Chriſtus voluit continentiam ſolùm eſſe conſilij, & neminem ſine ſuo conſenſu obligari, ita Eccleſia neminẽ vult alia ratione ad eã obligare, præſertim immeritum, cui fieret aliqua iniuria, ſi ei omnino inuito tantum onus imponeretur. Igitur quamuis ei, qui ſe ſponte Deo obtulit in Sacerdotem, indecorum videretur ad nuptias tranſire, & illis vti; tamẽ ei qui talem ſtatum non elegiſſet, nullo modo indecens eſſet. Hinc

Dico *tertiò*, infantem ordinatum, cùm ad annos diſcretionis peruenerit, poſſe eligere ſtatum Eccleſiaſticum, vel ſæcularem, ac liberè vxorem ducere. Patet, quia ſola caſtitas Ordini annexa poterat impedire vt aſſumeret ſtatum ſæcularem; at oſtenſum eſt iam nulla ratione teneri, ac obligari ad caſtitatem. 5

Ex quo infero cum Doctoribus prædictis infanti ſic ordinato in Sacris, dum fuerit ſui compos, dandam eſſe optionem, an velit habere vſum Ordinis, vel perpetuò illo carere. Quòd ſi eligat primum, & velit permanere, ad perpetuam continentiam obligabitur; ſi verò poſterius eligat, manebit ſuſpenſus vſu Ordinis, & poterit matrimonium contrahere. Quod optima ratione fit, quia iam expectatur conſenſus eius, & ſub ea conditione ſi velit, ad Sacrum miniſterium admittitur. Vnde ſi iam adeptus ſufficiens iudicium, & conſcius ſuæ libertatis, ſemel liberè actum ſui Ordinis exercuerit, aut alia ratione ſuam ordinationem approbauerit, ſtatim ſuſcipit obligationẽ caſtitatis perpetuæ ſacris Ordinibus annexam, nec eam ſententiam poſtea mutare poteſt. Quòd ſi eligat matrimonium contrahere, tenebitur perpetuò abſtinere ab vſu Ordinis; neque erit ibi vlla indicentia. Sic enim in aliis caſibus, propter vitandam iniuriam tertij, cogitur ordinatus in Sacris conſummare matrimonium, ſuſpenditur tamen perpetuo ab vſu Ordinis. Cùm igitur talis puer fuerit per iniuriam ordinatus ſine conſenſu ſuo, non eſt indecentia, ſed iuſtitia permittere illi coniugium, ne amplius grauetur, dummodo ab vſu Ordinis ſacri perpetuò abſtineat.

Ex his facilè ſoluuntur argumenta contrariæ ſententiæ. 6

Ad primum iam conſtat nemini illã caſtitatis obligationem imponi, niſi eam voluntariè acceptanti. At infans nec voluntariè acceptat principale, nempe poteſtatẽ Ordinis, eiuſque characterem, multo minus acceſſorium continentiæ perpetuæ.

Ad ſecundum, negandum eſt antecedens. Nam ius Eccleſiaſticum dirimens matrimonium ſolum eſt annexum Ordini ſacro ſponte ac liberè ſuſcepto, vt ipſa iura declarant. De illo verò caſu, in quo infans ante vſum rationis ordinatur, iura nihil dicunt, & oſtenſum eſt non poſſe illud ius prudenter ac rationabiliter extendi ad prædictum caſum. Vnde in hoc magna eſt differentia ac diuerſitas de iuribus Eccleſiaſticis comprehendentibus paruulos baptizatos ante vſũ rationis. De quibus meritò definiuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.7. de Baptiſmo can.14.* huiuſmodi paruulos baptizatos, cùm adoleuerint, non eſſe interrogandos, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt, neque eſſe ſuo arbitrio relinquendos, ſed ad Chriſtianam vitam cogendos. Sicut enim olim hoc ipſo quo quis circuncidebatur, obligabatur ſeruare vniuerſam legem Moyſi, vt docet D. Paulus *ad Galat. c. 5. v. 3.* ita iam hoc ipſo quo aliquis baptizatur, fit membrum Eccle-

ſiæ,

ſiæ, eiuſque Iuriſdictioni, & legibus ſubiicitur, & cogi poteſt vt eas ſeruet. Nec fit iniuria infantibus, dum per Baptiſmum ignari hanc ſubiectionem ſubeunt. Tum, quia tunc voluntas eorum eſt ſubiecta voluntati parentum, qui cogi poſſunt, vt filios ſuos curent baptizari. Tum, quia ipſis infantibus omnino expedit hanc obligationem ita ſuſcipere, cùm aliter ſaluari nequeant. Tum denique, quia iure diuino ad eam ſtatim ac rationis capaces ſunt, ſubeundam tenentur; atque ita nihil illis imponitur, quod iure diuino non teneantur ſuſcipere.

7 *Tertia* difficultas eſt de ordinatis in Sacris ante pubertatem, qua in re certum eſt de puero, qui iam habet vſum rationis, & annos pubertatis compleuit, etiã ſi ante legitimam ac regularem ætatem ordinatus ſit, obligari voto ſolemni caſtitatis. Quia nihil deeſt quod obſtare poſſit. De illo verò qui ante pubertatem ordinatur, ſentiunt multi, inter quos noſter Sanchez *lib. 7. diſp. 30. n* 8. non teneri, nec obligari, niſi pubertatem adeptus, ratum habeat Ordinis ſacri ſuſceptionem.

Primò, quia ante pubertatem, & hodie poſt Tridẽtinum *ſeſſ. 25. de regularibus c. 15.* ante expletum annum decimumſextum, votum ſolemne religionis eſt nullum; ergo & votum ſolemne caſtitatis tacitum emiſſum in ſacri Ordinis ſuſceptione; nam eadem militat ratio, nempe leuitas ingenij puerorum, qui facile inducuntur vt aliquem ſtatum amplectantur, cuius eos poſtea pœniteat.

Secundò, votum ſolemne caſtitatis annexum ſuſceptioni Ordinis ſacri eſt incompatibile cum matrimonio, in quo tametſi Põtifex queat diſpenſare, at ſumma cum difficultate diſpenſat, & propter cauſam valde publicam; ergo non eſt credendum velle Eccleſiam voto tanti mométi alligari puerum impuberem. Quamuis enim, votis ſimplicibus ligati poſſit; at faciliſſimo negotio illi ætati conſulitur, cùm poſſint omnia illa impuberum vota à parentibus, vel tutoribus, abſque cauſa irritari.

Tertiò, puer ante annos pubertatis non poteſt ſe obligare voto caſtitatis expreſſo, vt habetur *cap. pueri 1. q. 1.* ergo neque tacito, vel implicito, quale eſt quod in ordinatione fit.

8 Contrariam ſententiam iudico veriorem, quam tenent Sotus *lib. 7. de iuſtitia q. 2. a. 5. in fine*, Vega *tom. 2. ſumma c. 57. caſu* 7. Suarez citatus *dubio 3. n. 22.* Coninck *diſp. 20. dub. 14. n.* 136. Gaſpar Hurtado *diſp. 16. difficultate 16. n. 6.* & alij. Imò, quod caput eſt, idem Thomas Sanchez *in opere morali lib. 4. c. 35. n. 9.* reiecta ſententia, quam in prædicto loco de matrimonio tenuerat, noſtram hanc defendit. Quam hac vnica ratione probo, quia impuberes ſi ordinentur, cùm iam doli verè capaces ſunt, & intelligant quam obligationem ſuſcipiant, verè poſſunt contrahere obligationem Ordini annexam; quia ſpectato iure naturæ, tales poſſunt validè Deo & alicui ſtatui ſe obligare, vt patet. Præterea nullum eſt ius poſitiuum quod talem irritet obligationem. Nam *cap. pueri*, non obſtat, imò fauet: dicit enim pueros non eſſe ad ſacros Ordines promouendos, ne tanto periculoſiùs cadant, quanto citiùs conſcendere ad altiora feſtinatur. Vbi clarè ſupponit textus, teneri: aliàs enim non eſſet periculum cadendi. Ibi etiam Gloſſa, de puero ait teneri continere, ſi eſt doli capax. Et ſubdit rationem, quia & voto, & ſacramento ſe obligare poteſt doli capax, *extrà de delict. puer c. 1.* ſed religioni non, vt notatur *27. q. 2. §. cùm ergo. 20. q. 2. c. 2.* Nec valet argumentum allatum à profeſſione. Tum quia in particularibus iuris poſitiui diſpoſitionibus argumẽtum à ſimili nihil probat. Aliàs probaremus, ſicut ieiunamus pridie Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, ita pridie Natiuitatis B. Mariæ Virginis eſſe ieiunandum, quia hæc illo ſanctior, ac venerabilior eſt. Tum maximè ob manifeſtam ac diuerſiſſimam vtriuſque rationem, quia eſt à re diſſimili & diuerſæ rationis, nam profeſſio irritari potuit, non autem Ordo ſacer. Aliàs nunc ordinatus in Sacris poſt decimumquartum annum ætatis non teneretur voto caſtitatis, quia nunc profeſſio in illa ætate facta non tenet per Concilium Tridentinum, quod abſurdum eſt. Adde obligationem Religioſi multo grauiorem ac immutabiliorem eſſe, quàm Sacerdotis ſecularis, ideoque maturiore deliberatione indigere. Præterea poſt irritationem profeſſionis, vouens manet omnino laicus: at è contra ſemel ordinatus neceſſariò retinet perpetuò Ordinem, quem vita laica parum decet. Denique, quia adhuc ſepoſita illa lege Eccleſiaſtica ſæpiſſimè contingeret aliquos ante maturã ætatem profiteri in Religione, at rariſſimè hactenus contingit aliquem ante maturam ætatem ordinari. Quæ autem rariſſimè contingunt, lex non comprehendit, vt patet *l. nam ad ea. ff. de legibus.* Conſtat igitur impuberes liberè ordinatos teneri continere.

Ex dictis patet ſolutio ad argumenta contrariæ ſententiæ. 9

Ad primum conceſſo antecedente, negatur conſequentia; nam Tridentinum ſolùm loquitur de voto profeſſionis; nec eſt par vtrobique ratio, cùm profeſſio plura includat. Quare ſicut ex eo quod Tridentinum extenderit tempus profitendi ad annum decimumſextum, non inde infertur tempus impubertatis, in qua poſſunt parentes vota filiorum irritare, eſſe etiam extenſum ad annum decimumſextum, ita ex eo quòd ad valorem voti ſolemnis in profeſſione emiſſi exigitur tempus prædictum, non proinde colligere licèt idem in voto ſolemni Ordini annexo.

Ad ſecundum, pariter negatur conſequentia; quia Ordo ſacer ante pubertatem poſt vſum rationis ſuſceptus dirimit matrimonium, non tantùm ratione iuris Eccleſiaſtici ipſi Ordini annexi, ſed etiam ratione voti ſolemnis caſtitatis Ordini annexi; quia votum illud quamuis ſolẽne, validè fieri poteſt ante decimũquartum annum, tam ſpectato iure naturæ, quàm etiam iure poſitiuo, vt dictum eſt.

Ad tertium negatur antecedens; neque enim illud in dicto capite præſcribitur, ſed oppoſitum ſatis innuitur, vt explicatum eſt.

Sectio IV.

Vtrùm ordinati in Sacris cum ignorantia obligationis ſeruandi caſtitatem, teneantur ſeruare illam.

PRocedit quæſtio de illis, qui voluntariè ordinantur, ſed penitus ignorant talem obligationem ſeruandi continentiam ſacro Ordini eſſe annexam. Nam illi, qui nunquam cupiuerunt ordinari, & ordinati ſunt, omnino neſcientes quid circa ipſos ageretur, certum eſt non obligari; quia hi vel non vtuntur ratione, vel inualidè ordinantur abſque vlla voluntate & intentione ſuſcipiendi ſacrum Ordinem. Qua in re duo ſunt explicanda. *Primum*, an ita initiati Sacris voluntariè ac liberè, ignorantes tamen votum caſtitatis Ordini annexum, teneantur omnino continere, nec poſſint validè matrimonium inire. *Secundum*, num prædicti ſcienter ordinati, ignorantes prorſus votum annexum 1

Digitized by Google

annexum, teneantur continere ex voto, an ex ſola Eccleſiæ conſtitutione annexa ipſi Ordini ſacro immediatè.

2 Circa primum, abſque controuerſia docet Sanchez *lib. 7. diſput. 27. numer.* 11. teneri omnino continere. Probat, quia potuit Eccleſia iuſtiſſimam de cælibatu Clericorum legé indicere, & ea ligare quoſcumque in poſterum promouendos, ſiue ſciuerint, ſiue ignorauerint prædictam legem. Sicut quantumuis ignorent, tenentur officium recitare, & alias ſtatus leges obſeruare: nam lex ſemel iuſtè lata, & legitimè promulgata omnes ligat, etiam ignorantes; tametſi hi aliquando à culpa tranſgreſſionis legis excuſentur. Eam autem eſſe Eccleſiæ mentem in lege cælibatus, conſtat ex vſu Eccleſiæ. Firmatur, quia qui ſponte ſuſcipit aliquod officium, neceſſariò acceptat omne onus ei annexum, rametſi hoc ignoret.

3 Non deſunt alij exiſtimantes, abſolutè tales non obligari cum ignorantia talis obligationis, quod ſatis innuit noſter Vaſquez *tom. 3. in 3. parte diſp.* 247. *cap. 7. numer.* 98. Probant id exemplo Subdiaconorum in Sicilia ordinatorum, de quibus loquitur D. Gregorius *lib. 1. epiſt. 42. circa medium*, aitque nimis durum eſſe, iis Subdiaconis, qui in Sicilia erant ordinati, cùm ibi omnes Subdiaconi more Græcorum vterentur vxoribus, velle horum vſum interdicere; quia nimirum cùm fuerint ordinati cum ignorantia talis obligationis, non potuerunt cenſeri eam acceptaſſe. Vt res hæc radicitus intelligatur,

Suppono *primò*, ac præmitto diſtinctiones de ignorantia. Vna eſt ex parte obiecti, ſeu materiæ, quomodo diſtingui ſolet ignorantia facti, & iuris. Facti appellatur, quando ex actione hominis aliquod factum ſequitur, quod nec præuiſum, nec cogitatum fuit; vt cùm quis occidit hominem, putans ſe occidere feram. Ignorantia iuris appellatur, quando lex, vel prohibitio ad hominis notitiam non peruenit. Alia diſtinctio ignorantiæ eſt ex parte ipſius: nam quædam eſt inculpabilis, quæ inuincibilis, & probabilis etiam dicitur, quæ omnino eſt inuoluntaria, & moraliter vinci, ſeu expelli non poteſt. Alia verò eſt vincibilis, quæ voluntaria eſt, quia per hominem ſtat, quominus oppoſitam ſcientiam habeat. Et hæc vlterius ſubdiſtingui ſolet: nam alia eſt affectata, & eſt illa, quæ directè eſt voluntaria; alia verò eſt voluntaria tantùm indirectè, quæ generali vocabulo dici poteſt negligens, & generali nomine vocatur vincibilis, quæ diſtinguitur in craſſam, & ſupinam, nam omnis ignorantia vincibilis indirectè voluntaria, ex duplici capite naſcitur, ſcilicet, vel ex pura negligentia & deſidia, & tunc vocatur craſſa; vel ex nimia ſolicitudine, & affectione ad res alias, vel ad alia negotia, quæ impediunt debitam curam addiſcendi, & ſciendi ea, quæ quis ſcire tenetur.

4 *Præterea* ſuppono, ſtatutum eſſe in Eccleſia vt ipſi Ordinati in Sacris ſe ſeruaturos caſtitatem promittãt. Conſtat id ex multis Canonibus ex D. Gregorio *lib. 1. epiſt. 42. in fine*; & refertur Canone *nullum* 28. *diſt.* vbi præcipit Gregorius, vt Epiſcopus nullum deinceps ordinaret Subdiaconum, niſi priùs caſtè ſe victurum promitteret. Et in Concilio Toletano XI. *can* 10. & refertur Canone, *quamquam* 23. *diſtinct.* vbi etiam præcipitur, vt votum continentiæ ab ordinandis ſacris Ordinibus exigatur. Atque votum huiuſmodi in ipſa Ordinis ſuſceptione emitti ſupponitur planè *in cap. cùm olim, de Clericis coniugatis, & cap. vnico, de voto, & voti redemptione in* 6. Vnde hoc votum licèt explicitè non fiat ab eo qui ordinatur, implicitè tamen fit eo ipſo quòd non excluditur, ſed bona fide Ordo ſuſcipitur, animo parendi Eccleſiæ. Quod ſufficienter probatur ex vſu Eccleſiæ, & ex adductis decretis. In principio enim quando hic mos cœpit introduci, & nondum erat per modum legis receptus, neceſſarium erat, vt qui ad primum Ordinem ſacrum admittebantur, admonerentur, an vellent caſtitatem profiteri, & alio modo non fore admittendos, vt ex dicta epiſtola Gregorij manifeſtè conſtat, & tunc conſenſus ordinandi erat quædam voti emiſſio ſatis manifeſta. At verò nunc eadem ferè admonitio præmittitur in ordinatione Subdiaconi; vnde ipſa voluntaria talis Ordinis ſuſceptio eſt etiam quædam voti emiſſio, quamuis in illa admonitione prout nunc fit, non fiat expreſſa mentio promiſſionis, aut voti. Nam verba ex Pontificali ſunt hæc: Conſiderare debetis attentè quod onus hodie vltrò appetitis; hactenus enim liberi eſtis, licetque vobis pro arbitrio ad ſecularia vota tranſire. Quòd ſi hunc Ordinem ſuſceperitis, amplius non licebit à propoſito reſilire, ſed Deo, cui ſeruire regnare eſt, perpetuò famulari, & caſtitatem ſeruare oportebit. In his ergo verbis nihil de promiſſione expreſsè dicitur, tamen quia hæc eſt intentio Eccleſiæ, & iuxta Eccleſiæ intentionem acceptantur, id ſatis eſt: Imò licèt illa admonitio non ita expreſsè fieret, vel licèt aliquis per ſaltum acciperet Diaconatum, votum nihilominus caſtitatis implicitum emitteret, quia poſtquam lex illa ſatis ſtabilita & nota eſt, ipſamet admonet omnes, ſacros Ordines ſuſcipientes, ſub qua conditione, vel onere admittantur; & ideo eo ipſo quòd iuxta leges Eccleſiaſticas ordinari volunt, ſufficienter vouent implicitè, etiamſi expreſſum actum promittendi non eliciant.

Hinc *tertiò* ſuppono, quod notauit Vaſquez *loco* 5
cit. cùm omnibus in Eccleſia Latina manifeſtum ſit, continentiæ votum annexum eſſe ſacris Ordinibus, nullum ſanè poſſe ex ignorantia vlla ab emiſſione voti impliciti in ipſa ordinationis ſuſceptione excuſari. Quia vt votum implicitè ordinatus emittere dicatur, ſatis eſt re ipſa ſuſcipere Ordinem ipſum, ſi non adſit peccatum fictionis, quod attinet ad votum continentiæ. Quòd ſi nihilominus adſit aliqua talis iuris ignorantia, videre oportet an illa excuſet à tali obligatione.

Denique ſuppono cum Coninch *diſput.* 14. *citat. dubio* 14 *numer.* 141. ordinatos in Sacris dupliciter poſſe eam obligationem ignorare. *Primò*, quia habuerunt probabiles rationes, quibus meritò potuerunt ſibi perſuadere nullam talem obligationem ſubeſſe. Vt ſi videant eos qui poſt coniugium ordinantur, publicè vti coniugio, Prælatis omnino tanquam rem licitam id permittentibus, nec vnquam audierint id eſſe prohibitum; quales fuerunt illi Subdiaconi Siciliæ ſuprà relati *num.* 3. Secundò, poſſunt illam obligationem ignorare ſine vlla probabili ratione in contrarium, ex mera inſcitia, ac negligentia.

His præmiſſis, dico *primò*, ſi contingat vt aliquis 6
prædictæ obligationis ſeruandi caſtitatem, habeat ignorantiam inuincibilem, ſeu probabilem, innixam probabilibus rationibus oppoſitum ſuadentibus, hunc talem cum tali ignorantia in Sacris ordinatum, non obligari ad continentiam. Hoc probat exemplum ſuprà *num.* 3. allatum Subdiaconorum Siciliæ, & firmat dictum D. Gregorij, & factum, qui talibus vſum coniugij permiſit. Quia durum erat & contra Eccleſiæ conſuetudinem, omnino immeritos, ac meritò inuitos ad continentiam cogere. Firmat idem noſter Vaſquez *citatus*, ſic dicens, ſi quis aliàs omnino ignarus, continentiæ votum emitti ſolitum in ipſa Ordinum ſuſceptione, ita ab Epiſcopo ordinaretur, vt nec ab eo votum exigeret caſtitatis, nec de illo moneretur,

Digitized by Google

tut; certè neque expreſsè, neque implicitè votum emitrere cēſeretur, ſed liber omnino maneret, vt propriam vxorem cognoſcere poſſet, ſicut manſerunt Subdiaconi in Sicilia ordinati.

7 Dico *ſecundò*, ſi initiatus habeat ignorantiam vincibilem affectatam prædictæ obligationis, eam nimirum nō eſſe ſacro Ordioi annexam, certum eſſe obligari ad continentiam. Patet, quia eſt ignorantia valde voluntaria, ita vt ſi voluiſſet, facilè potuiſſet obligationem prædictam cognoſcere. Vnde ea ignorantia non excuſat à tali obligatione, cùm reſpectu illius ſit immeritò inuitus, & verè ſit ea igoorantia directè & per ſe voluntaria.

8 Dico *tertiò*, ſi otdinatus contingat ſe habere ignorantiam vincibilem indirectè volitam, ſeu voluntariam, ſiue illa ſit craſſa, ſiue ſupina, procedentem ex mera oegligentia, obligandum eſſe ad caſtitatem ſeruandam. Ratio eſt, quia Eccleſia ratione Ordinis, quem ille ſpoore ſuſcipit, habet ad hoc verum ius, à quo alter per talem ignorantiam culpabilem excuſari non poteſt; quia ſuæ inſcientiæ ac negligentiæ culpabili debet imputare, quòd Ordinem ſuſceperit, antequam clarè ſciret, quæ ei obligatio eſſet annexa. Quate ſimiliter reſpectu talis obligationis eſt immeritò inuitus.

Exiſtimo tamen hunc caſum, ſicut & præcedentes iam vix poſſe in Eccleſia Latina accidere, vt cooſtat ex ſuppoſitione ſecunda & tertia.

9 Ad argumentum Sanchez prout opponitur primo dicto, illam doctrinam veram eſſe ſolùm in obligationibus, quæ omnino inuitis imponi poſſunt, qualis noo eſt hæc obligatio continentiam ſeruandi; hæc enim requirit aliquam acceptationem obligari, vel ſaltem vt aliquid faciat, quod ipſum ad talem acceptationem obliget, vt accidit in caſibus propoſitis *ſecundo & tertio dicto*, ſed non in priori caſu primi dicti. Ad confirmationem, dico aſſumptum illud non eſſe generaliter verum; fallit enim quoties is qui officium ſuſcipit, habet iuſtam cauſam ſibi perſuadendi tale onus non eſſe annexum illi officio: eam verò habet qui haberet igoorantiam probabilem obligationis continentiæ, vt dixi *in primo dicto*.

10 Circa ſecundum, cùm iam conſtet, in Sacris ordinatum, tametſi ignorauerit tali Ordini eſſe annexam continentiam, dummodo ea ignorantia probabilis non ſit, ſed vincibilis, obligari ad ſeruandam perpetuò caſtitatem, difficultas eſt an teneatur continere ex voto, an ex ſola Eccleſiæ conſtitutione ipſi Ordini ſacro annexæ. Cenſet Sanchez *diſp. 27. n. 11.* teneri etiam ex voto. Quia eo ipſo quòd ſciens & volens eſt ſacris Ordinibus initiatus, licet ignorauerit votum annecti, emiſit tacitè votum. Qui enim vnum ſciens, & prudens efficit, & vult, facit, & vult ſubinde ei annexa. Sic enim ſcienter ſuſcipiens prætoris munus, voluntariè quoque ſuſcipit onera officio annexa, licèt ea ignoret, eo vel maximè quòd aſcendens ad Ordinem ſacrum, ſemper nouit ſe alium ſtatum eligere, & aſcribi militiæ clericorum, & accidit intentione ſaltē virtuali faciendi quod vult Eccleſia, atque ita conſequenter vouendi, vt Eccleſia præſcribit, licèt ipſe ignoret, quid Eccleſia velit, ac præcipiat.

11 Mihi magis placet dicere cum Coninch relato talē nō obligari ex voto, ſed ex lege Eccleſiæ. Quia votū eſt lex priuata, quam quiſpiam ſponte ſua ſibi imponit. At ignorans prorſus votum, tametſi ex ignorantia culpabili, caret omnimoda voluntate vouendi; atque ideò & impon ēdi ſibi talem legem. Neque enim poſſumus vouere, quod nullo modo ſcimus. Quòd verò teneatur ex lege Eccleſiæ, patet, qoia valde indecens eſt, & contra religionis cultum, & debitum Ordini ſacro, eum qui ad illum pro motus eſt voluntariè ac liberè, poſſit ad matrimonij ſtatum deſcendere. Quod neque in Eccleſia Græca vuquam permiſſum eſt.

SECTIO V.

Vtrùm ad obſeruantiam caſtitatis teneatur inuitus & iniuſtè coactus Ordinem ſacrum aſſumens.

NOn procedit quæſtio de eo qui ita vi, at metu 1
adductus fuit, vt nullo modo in Ordinem ſacrum ioteriùs conſenſerit, ſed omnino repugnauerit. Nam de hoc indubitatum eſt, verum Ordinem non ſuſcipere: ſicut nec vtrùm Baptiſma hoc modo ſuſciperet, vt de Baptiſmo definitur *in cap. maiores, de Baptiſmo, & eius effectu*. Tunc ergo cùm ordinatio valida non eſſet, uulla ex illa oriretur caſtitatis obligatio. Quæſtio igitur eſt, cùm quis dicitur ordinari inuitus, quia per metum cadeotem in virum conſtantem ordinari cogitur; dum autem ordinatur ordinationi conſentit, & vult, ac intendit ordinari. Conſtaos enim eſt apud Doctores, ordinationem validam eſſe, quia licèt ſit inuoluntaria ſecundùm quid, abſolutè tamen & ſimpliciter per voluntatem efficacem voluntaria eſt; quæ eſt ſufficiens intentio ex parte recipientis ad veritatem ſacramenti. Et de hoc quærimus, an ſic in Sacris verè ordinatus, maneat inhabilis ad matrimonium, atque adeò & ad continentiam obligatus ex vi talis ordinationis præcisè.

Prima opinio eſt Vaſquez *tom. 3. in 3. p. diſput. 236. c.* 2
3. cū Syluestro *in ſumma verb. Ordo 4. quæſt. 1. dict. 2.* exiſtimantis prædictum ordinatum teneri cōtineotiæ voto.

Primò ex *Canone de Iudæis diſtinct. 45.* vbi ſtatuitur, vt is, qui metu baptizati ſunt, cogantur in religiono Chriſtiana permanere; ergo idem dicendum de eiuſmodi ordinato, cùm iſte implicitè continentiam voueat, ſicut baptizatus vouet in religione Chriſtaina viuere.

Secundò, Concilium Toleranum VIII. *cap. 7.* expreſsè prohibet ſic ordinatos matrimonium contrahere; ergo ſignum eſt teneri ad perpetuam continentiam.

Tertiò, in iure ſolum eſt irritum votum caſtitatis emiſſum in religione, coactè factum; de quo ſolùm loquitur *cap. perlatum, de iis, quæ vi metuſve cauſa fiunt*; cætera verò vota nullo iure irrita videntur; ergo votum ab ordinato per metum emiſſum expreſsè, vel interpretatiuè, etiamſi ſit ſolemne, firmum, & ratum manet; ergo non minus obligat, quàm ſi ſine metu fuiſſet emiſſum: tametſi ſufficiens cauſa eſſe videretur, ob quam cum tali ordinato Pontifex diſpenſaret, vt matrimonium cootrahere poſſet. Vnde ita ſtylus Cancellariæ Romanæ obſeruat, quæ liberam dat facultatem ducendi vxorem ſic ordinatis, non quia putet eſſe nullum votum, ſed ob aliam rationem dictam.

Quartò, ſacramentum Ordinis quod ille verè ſuſcipit, eſt annexum iure Eccleſiſtico tali voto ſolemni caſtitatis; ergo manet ille obligatus, atque adeò ſi matrimonium ineat, nullum erit.

Vltimò, ille qui ſic ordinatur, licèt aliàs nollet ordinari, nihilominus ſimpliciter hic & nunc ordinari vult; ergo hæc voluntas ſufficit vt ad caſtitatem obligetur: patet conſequentia, quia licèt aliquis cogi poſſit ad exteriores actiones, vel paſſiones, quibus ordi-

ordinatio fiat, non tamen poteſt cogi ad interiorem intentionem habendam; ergo qui illam habet, merè voluntariè illam habet; ergo ſufficit ad votum caſtitatis emittendum.

3 *Secunda ſententia* eſt Nauarri, Soto, Enriquez, Azor, & aliorum, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 7. diſp. 29. n. 5.* & Coninch *diſp. 20 dubio 14. n. 145. & ſequentibus*, negans talem ad continentiam teneri. & Azor *tom. 1. inſtit. mor. lib. 13. c. 13. c. 14. q. 8.* Fundamentum eſt, quia metu graui ordinatus non tenetur ad continentiam ratione voti tali Ordini annexi; nam votum tali metu factum irritum eſt, ſaltem iure Eccleſiaſtico. Hoc enim ius id ſeruat in metu geſtis, vt ea quæ facile reparari, & ad priſtinum ſtatum reſtitui ope iudicis nequeunt, omnino ceſſet, ne deſtituatur remedio iniurioſum metum paſſus. Vnde ob hanc rationem matrimonium metu graui initum irritauit, quòd nimirum ſemel contractum diſſolui à iudice nequeat. At cùm cæteri contractus irritari facile poſſint à iudice, eos tali metu initos non irritauit, ſed à iudice reſcindendos reliquit. Cùm ergo obligatio ad caſtitatem Ordini ſacro annexa, vbi ſemel contracta fuerit, ope iudicis diſſolui nequeat, æquum eſt vt Eccleſia eam obligationem irritauerit. Neque verò obligatur ad continentiam ratione legis, vel conſtitutionis Eccleſiæ; quia licèt conſtitutio Eccleſiæ aſtringat ad caſtitatem initiatum ſacro Ordine, quando ſponte illum ſuſcipiens noluit vouere, vel à voto ratione ignorantiæ vincibilis excuſaretur. At id procedit, quòd ſponte ſua Ordines ſuſceperit, ac priuilegiis clericalibus frui elegerit. Quippe rationi conſonum eſt, vt onera quoque annexa ſubeat, vt qui ſentit commodum, ſentiat & onus: *reg. Qui ſentit 55. de regulis iuris in 6.* Hæc verò ratio in ſuſcipiente coactè Ordinem ſacrum omnino deficit, cùm non ſponte ad Ordines aſcenderit, nec ſubinde affectum habuerit priuilegiis clericalibus fruendi.

4 Pro explicatione huius ſecundæ ſententiæ, quam veriorem iudico, oportet obſeruare cum Suario *tom. 3. de religione lib. 9. cap. 17. dubio 4. n. 26.* in triplici ſenſu poſſe præſentem quæſtionem diſcuti. Nam ſi coactè, metu mortis, v. g. ordinatur in Sacris, tribus modis poteſt ſe habere quoad interiorem voluntatem, & intentionem. *Primò*, vt licèt ordinari velit cum ea coactione, expreſsè tamen vult continentiam non ſeruare, neque ad hoc ſe obligare. *Secundò*, vt de caſtitate nihil cogitet, aut velit, vel nolit expreſsè, ſed ſolùm de ordine ſuſcipiendo. *Tertiò*, vt cum intentione ſuſcipiendi Ordinem ſacrum, ſimul velit ad caſtitatem ſeruandam ſe obligare. In hoc triplici ſenſu præſens difficultas diſſoluenda eſt. Circa primum modum,

5 Dico *primò* mihi videri certum, illum in hoc primo euentu non vouere caſtitatem. Patet, quia votum eſt eſſentialiter promiſſio Deo facta; at promiſſio non poteſt aliquem obligare, niſi fiat propria voluntate, expreſſa, aut virtuali, ſeu interpretatiua, quæ tamen neceſſariò pendeat ex aliqua propria expreſſa, vt liquet. Iſte autem ſic ordinatus, neque expreſſam, nempe interpretatiuam voluntatem, ſeu intentionem Deo promittendi habere poteſt, cùm expreſſam habeat voluntatem contrariam continentiam non ſeruandi, neque ad eam ſe obligandi. Quòd verò nemo, niſi propria ſua voluntate obligari poſſit promiſſione erga Deum, vel etiam erga aliquem alium, ac proinde neque voto, quòd eſſentia ſua promiſſio eſt, eſt manifeſtum; nam obligatio promiſſionis eſt obligatio fidelitatis, fidelitas autem eſt quædam veritas, videlicet in promiſſis, & de futuro, vt rectè docuit D. Thom. *2. 2. q. 88. a. 3.* Obligatio igitur voti eſt obligatio veritatis de futuro. Veritas autem nullum obligat, niſi ad faciendum verum id quod ipſe dixit; non enim obligat ad faciendum verum id quod alij pro ipſo etiam dixerunt; ergo neque votum obligat aliquem, niſi ſit ab eo emiſſum, & dictum. Nulla igitur lege etiam diuina fieri poteſt, vt quis ad continentiam obligetur obligatione voti, niſi ipſe aliquo modo votum emiſerit, vel promiſſionem fecerit. Vnde rectè diximus ſuprà *ſect. 3. n. 2.* puerum ante vſum rationis ordinatum non obligari voto continentiæ.

Dico *ſecundò*, eum qui ſic coactè ordinatur in Sacris, non peccare habendo illam nolitionem ſe obligandi ad caſtitatem ſeruandam. Ita Suarez *loci citato.* Ratio eſt, quia nullo iure Eccleſiaſtico oſtendi poteſt hæc obligatio; nihil enim inuenimus in tali caſu definitum in iure: generalis autem lex Eccleſiaſtica de promittenda caſtitate ante ſacram ordinationem, non ſatis eſt, vt dicamus eam obligare in particulari ad vouendum in eo caſu. Quod ſic probo, quia ideo Eccleſia non imponit hanc obligationem, niſi per modum voluntariæ promiſſionis, quia vult hanc obligationem eſſe ſpontaneam, quoniam aliàs eſſet & nimis oneroſa, & non ſatis tuta; ergo non eſt veriſimile velle obligare ad illam promiſſionem faciendam, etiam tunc quando facet Ordo graui coactione, & neceſſitate morali potius, quàm voluntariè ſumitur; ergo in tali caſu illa lex non obligat. Igitur non peccat is qui tali animo illum Ordinem ſuſcipit; quia ſi non peccat contra Eccleſiaſticam legem, nulla eſt alia, contra quam peccare poſſit. 6

Vnde colligo, etiamſi in eo caſu eadem coactione extorqueretur à tali perſona, non ſolùm ordinatio, ſed etiam expreſſa caſtitatis profeſſio, & eam faceret ficto animo cum voluntate non ſe obligandi, neque vouendi, nihil referret ad obligationem voti: quia certum eſt, neque illud eſſe votum, neque ex illa interna voluntate poſſe oriri vouendi obligationem.

Dico *tertiò* in eo caſu ſumendi Ordinem ſacrum per vim, ratione talis facti ac Ordinis ſacri ſuſceptione non obligare Eccleſiam immediatè ad ſeruandam caſtitatem. Probatur, quia ſi Eccleſia tunc non obligat ad emittendum votum caſtitatis, vt oſtenſum eſt præcedenti dicto; profectò nec ratione illius facti obligabit immediatè ad ſeruandam caſtitatem: quia interuenit eadem ratio. Maximè, quia Eccleſia quantum eſt in ſe, non vult obligare ad caſtitatem, niſi mediante voto, vt dixi; ergo ſi in eo caſu non obligat ad votum emittendum, profectò eſt nolle hanc obligare ad caſtitatem. Firmo, quia omnia iura quæ de hac obligatione & impedimento loquuntur, tractant de Ordine ſuſcepto, ordinario, & legitimo modo, atque adeò cum plena voluntate, abſque iniuſta violentia, ſempérque indicant hanc obligationem caſtitatis plenè voluntariè ſumendam eſſe, quia caſtitas perfecta, & integra, eſt res voti, non præcepti, vt ex Ambroſio dicitur *cap. integritas. 32. quæſt. 1.* Nec continentia debetur niſi voluntariè aſſumpta, *cap. ante triennium, diſt. 31. & cap. præſens, 20. quæſt. 5.* Non eſt ergo dicendum voluiſſe Eccleſiam in eo caſu obligare ad caſtitatem. Hinc 7

Dico *vltimò* conſequenter, Eccleſiam non inhabilitare eam perſonam in eo caſu ad matrimonium. Patet, quia etiam Eccleſia non intendit per 8

ſe

ſe imponere hoc impedimentum, niſi mediante voto; cùm igitur in eo caſu non obliget ad emittendum votum caſtitatis, vt dictum eſt, profectò nec ratione illius Ordinis conſtituet perſonam inhabilem ad contrahendum. Hinc

Colligo *primò*, poſſe hunc licitè matrimonium contrahere, quia ſola obligatio ad caſtitatem Ordini annexa poſſet obſtaculo eſſe; at non tenetur continere, vt oſtenſum eſt.

Colligo *ſecundò*, neque hunc nolentem vti Ordine ſacro, teneri ad officium Canonicum recitandum. Patet, quia hoc onus eſt adiunctum Ordini ſacro ſponte aſſumpto, ſicut & onus continentiæ ſeruandæ.

Colligo *vltimò*, ſi metu graui initiatus, poſtea ratificet verbo, vel facto, ſemel vtens Ordine accepto, idque ſine coactione aliqua, in poſterum non eſſe ſibi integrum reſilire, ſed teneri continere, inſtar aliorum Clericorum, qui ſponte ad Ordines aſſumpti ſunt. Nam per illam liberam ratificationem elegit iam in Ordine permanere, atque ideo ad eius onera ex tunc obligabitur. Sicut etiam profeſſio tacita inducitur faciendo propria profeſſis *cap. vidua, de regular.* Quod intelligendum eſt, ſi ſciens, & prudens exerceat, ſecus ſi per errorem, quo ſe ad ſacri Ordinis obſeruantiam aſtrictum exiſtimet: tunc enim non cenſetur ratificare; quia nunquam fit ratificatio actus nulli, dum ignoratur actum fuiſſe nullum, quia error tollit conſenſum. Sicut profeſſio inualida vt firmetur per actus tacitam profeſſionem inducentes, exigitur, vt profitens nouerit priorem profeſſionem fuiſſe nullam, & velit iis actibus eam ratificare, ac ſi denuo emiſiſſet.

Circa ſecundum modum & caſum, in quo per vim Sacris ordinatus, nihil cogitat de voto caſtitatis, quam nec vult, nec renuit expreſſè, ſolùm cogitans de Ordine ſuſcipiendo, ac volens ordinationem propter vitandum damnum quod metuit. Exiſtimo in eo euentu, nec emittere votum caſtitatis implicitum, nec aſtringi obli-
9 gatione ad illam, nec contrahi impedimentum ad matrimonium ex vi talis ordinationis. Hoc manifeſtè ſequitur ex dictis *puncto præcedente*. Et probatur, quia inprimis certum eſt tunc non fieri votum explicitè, vt cõſtat, cùm nihil ſit volitum, quin præcognitum. Neque etiam fit votum implicitè, quia hoc ſolum emittitur ſuppoſita lege Eccleſiæ obligantis ad coniungendum tale votum cum tali facto, ſeu ordinatione. At probatum eſt in eo caſu Eccleſiaſticam legem nõ obligare; ergo eo ipſo ceſſat etiam votum implicitum. Vnde conſequenter ceſſat etiam omnis prohibitio, vel obligatio Eccleſiæ, quia hæc per ſe, & immediatè non viget in eo caſu, ſecluſa hominis promiſſione.

Vnde ſimiliter infero, in hoc euentu, ſicut & in præcedenti, in quo etiam ordinatio per ſe non obligat ad continentiam in arbitrio perſonæ ſic ordinatæ eſſe, ablato illo graui metu, & violentia, eligere, an velit in ordinatione perſiſtere, nec ne, id eſt, velit vti Ordine ſuſcepto, atque ita in ſtatu Clericali perdurare; nam ſi hoc liberè eligat, ex tunc fit inhabilis ad matrimonium, & tenetur caſtitatem vouere, & ſeruare; quia ablata priori neceſſitate & coactione, iam plena voluntate ratam habet ordinationem. At verò ſi nolit vti Ordine ſuſcepto, ſed potiùs renuntiet ſtatui Clericali, liber manet ab onere continentiæ, & poteſt matrimonium contrahere.

Circa tertium modum, quo ſic coactè ordinandus, cum intentione ſuſcipiendi Ordinem ſacrum, habet quoque ſimul intentionem ad caſtitatem ſeruandam ſe obligandi, eſt ſpecialis difficultas, an teneatur ad caſtitatem. Ratio enim dubitandi eſt, quia videtur teneri; nam tunc iam vouet explicitè, & ita ipſe ſe obligat, quam- 10
uis Eccleſia illum non cogat. Imò videtur merè voluntariè, & abſque vlla coactione ſic vouere, quia ad euadendum periculum quod metuit, ſatis fuiſſet ordinationem velle; ergo ſi vlteriùs vult etiam cõtinentiam, & obligationem eius, merè voluntariè id facit, non ex neceſſitate, & coactione, atque adeò manebit obligatus. Ex alio verò capite non videtur obligari, quia lex Eccleſiæ illum non obligat ratione violentiæ illatæ, vt dictum eſt; ergo nec ſe obligabit volens explicitè continentiam.

Cæterùm dicendum eſt cum diſtinctione. Aut enim ille putat eo ipſo quòd vult ordinari, etiamſi ex metu, vel coactione id faciat, teneri quoque ad vouendam, & ſeruandam caſtitatem; aut ſciens & videns ſe non teneri tunc ad vouendã caſtitatem, vult nihilominus eam vouere & ſe obligare. Si contingat primo modo, tale votum eſt inualidum; quia eſt inuoluntarium, non tantùm ſecundùm quid ratione violentiæ, ſed etiam ſimpliciter ratione ignorantiæ, quæ impendit conſenſum, & ſufficiens eſt ad annullandum votum, etiam ſimplex. Si verò contingat ſecundo modo, votum validum erit, quia illud eſt votum perſonale, & ſatis voluntariè factum; vnde ſic ordinatus manebit obligatus ad caſtitatem, manebit quoque inhabilis ad matrimonium; quia tunc per tale votum videtur cedere iuri ſuo, & quaſi renuntiare illi priuilegio, quod ratione violentiæ conceſſum videri poterit.

Ex dictis facile ſoluuntur argomenta primæ ſententiæ quatenus noſtræ doctrinæ in his tribus punctis traditæ poſſunt repugnare.

Ad primum dico, non eſſe ſimile quod ibi affertur de Baptiſmo, & religione Chriſtiana: nã hæc duo ſunt coniuncta ex iure diuino, & omnibus in vniuerſum hominibus ſub obligatione impoſita, & ideo quacumque ratione homo impleat priorem obligationem ſumendi Baptiſmum, manet obligatus ad totam legem Chriſtianam, ad quam obligantur ex præcepto. At in præſentibus caſibus votum caſtitatis de ſe eſt potius conſilij, quàm præcepti, & realis ſuſceptio Ordinis ſacri nõ eſt abſolutè præcepta, & ideo maior voluntas poſtulatur circa ipſam caſtitatem. Præterea, hæc duo, nempe Ordo ſacer & votum caſtitatis ſunt obiecta diſtincta, nec per ſe connexa, ſed tantùm ex lege Eccleſiæ, quæ in illis caſibus non obligat, vt dictum eſt. Quando enim duo ſunt ſibi connexa vi & natura ſua, vel iure diuino, vt Baptiſmus, & religio Chriſtiana, id quod accedit ad alterum, ſequitur conditionem eius. At continentiæ votum implicitum eſt ſacris Ordinibus annexum, non ex natura rei, nec iure diuino, ſed ſolo decreto Eccleſiæ; & Ordo per metum ſuſceptus non vult Eccleſia, vt ſecum deferat obligationem continendi.

Ad ſecundum, dico cum Suario Concilium illud fuiſſe Prouinciale, & quoad illum Canonem nõ fuiſſe in Eccleſia receptum, nec communi corporis iuri inſertum, nec denique in Hiſpania ſpecialiter obſeruari. Vel etiam reſponderi poteſt Concilium loqui de his, qui poſt ſuam ordinationem 11
in ſuſcepto Ordine liberè miniſtrauerant. De qui-

bus certum eſt obligari ad caſtitatem, & eſſe inhabiles ad matrimonium contrahendum

Ad tertium, licèt admittamus ſolùm in iure eſſe irritum votum ſolemne religionis ex motu & coactione factum, & non alia vota, nihil contra nos; non enim fundamentum noſtræ ſententiæ eſt ſola ſimilitudo vnius voti ſolemnis ad aliud, ſed propria & peculiaris ratio iam dicta, nempe quia in illis caſibus prioribus ceſſat obligatio legis Eccleſiaſticæ, ex qua pendet tota ratio ipſius voti ſolemnis caſtitatis. Vt autem hæc obligatio ceſſare exiſtimetur, non oportet vt ille caſus violentæ ordinationis directè excipiatur in iure, ſed ſatis eſt, vt in lege non exprimatur, & quòd ex ratione legis conſtet eſſe præter eius intentionem; quia eſſet nimis durum reddere aliquem inhabilem ſimpliciter ad contrahendum matrimonium ſine illius culpa, ac ſine propria, & ſatis libera voluntate. Eſt verò obſeruandum, ad praxim huius rei, metum iniuſtè incuſſum ad ſuſceptionem Ordinis ſacri debere probari coram iudice, vt ſic ordinatus poſſit matrimonium contrahere. Cùm enim ordinatio ſit res publica, & in facie Eccleſiæ, videtur quis manere obnoxius caſtitati, quantum eſt ex vi ordinationis, vnde non debet, nec poteſt licitè priuata ſcientia, & auctoritate, poſt talem ordinationem, matrimonium contrahere, per ſe loquendo, ſed debet ab Eccleſiaſtico Prælato facultatem petere, & violentiam, ſeu metum iniuſtum probare, & eius iudicio ſtare, an ſufficiens fuerit ad impediendam obligationem. Si autem contingat talem eſſe violentiam, vt non poſſit probari coram iudice Eccleſiaſtico; tunc certè ſecutum conſilium eſt ſtare iudicio prudentis & docti viri, ſeu confeſſoris circa grauitatem metus, an fuerit ſufficiens, nec ne: quia in propria cauſa facile quis decipi poteſt, & hoc ſatis erit vt in conſcientia non teneatur ſpeciali vinculo ad ſeruandam caſtitatem. Si tamen velit etiam contrahere matrimonium, oportebit vitare ſcandalum, & publicæ exiſtimationi Eccleſiæ ſatisfacere, ideoque neceſſarium erit à ſummo Pontifice facultatem obtinere, quam facilè obtinebit. Nam, vt ait Azor *citatus*, ſtylus Concellariæ Romæ, liberam dat facultatem vt contrahat nuptias is, qui ſacros Ordines recipit per vim, vel per metum mortis, vel antequam ſit doli capax.

Ad quartum, iam conſtat, ſacramentum Ordinis ſuſceptum eſſe annexum iure Eccleſiaſtico voto ſolemni caſtitatis, quando illud ſuſcipitur ſponte, ac liberè & ſine vlla graui violentia, vel coactione, & non aliter, vt ſatis dictum eſt *ſuprà*.

Ad vltimum dico illo argumento bene probari illud votum caſtitatis fuiſſe voluntarium; at petit amplius vt valeat, ſpontaneam abſolutè, ac liberam voluntatem.

Sectio VI.

Quo iure ſacer Ordo dirimat ſubſequens matrimonium.

1 Certum eſt & de fide per Ordinem ſacrum dirimi matrimonium ſubſequens. Id enim definitum eſt *c.1. qui clerici. vel vouentes, & cap. vnico, de voto in 6. & c. vt lex 27. q. 1.* quod eſt Innocentij II. Idem definiuit Ioannes XXII. *in ſua Extrauagant., Antiqua, de voto.* & nouiſſimè Tridentinum *ſeſſ. 24. de matr can. 9.* Difficultas eſt, quo iure ſacer Ordo dirimat matrimonium poſtea initum, quæ procedit, ſiue teneamus continentiam annexam eſſe Ordini ſacro ex voto tacitè inito ex Eccleſiæ conſtitutione, vel ex lege diuina. Quoniam lex diuina, vel votú poſſet ita Clericis caſtitatem præcipere, vt matrimonium ſubſequēs non dirimeret; ſicut voto ſimplici caſtitatis in ſæculo aſtrictos tenetur lege diuina naturali nuptiis abſtinere; ſi tamen contrahat, validæ ſunt. Quare tametſi dicamus lege diuina annexam eſſe continentiam, vel ex voto lege Eccleſiaſtica adiuncto; adhuc eſt dubitatio, an ſola Eccleſiaſtica lege ſit irritum matrimonium ſubſequens; an lege diuina, an potiùs ex vi illius voti adiuncti.

Dico *primò* Ordinem ſacrum ratione voti ſolemnis ſibi annexi non dirimere matrimonium ſubſequens iure naturali. Ita omnes Doctores, paucis quibuſdam exceptis. Ratio eſt, quia voto ſolemni caſtitatis, non aliter quis ſe ipſum & ius quod habet ad nuptias, tradit Deo, quàm titulo religionis ſe ex virtute religionis, & non iuſtitiæ obligando ad ſeruandam caſtitatem, ſicut voto ſimplici; ergo poteſt validè ſe ipſum alteri ex iuſtitia in matrimonium tradere ad vſum contra caſtitatem, ſicut poſt votum ſimplex caſtitatis. Patet conſequentia, quia traditio, & obligatio Deo ex religione, & traditio, ſeu obligatio alteri, vt coniugi, ex iuſtitia bene compatiuntur, quia ſunt diuerſæ rationis, & omnino diſparatæ. Quod manifeſtè conſtat in eo, qui poſt matrimonium conſummatum ex licentia alterius coniugis, vouet ſolemniter caſtitatem in religione, in quo ex natura rei ſimul ſunt dictæ traditiones, ſeu obligationes; ergo ex natura rei prædictum votum non dirimit matrimonium. 1

Dico *ſecundo*, nec Ordinem ſacrum ratione voti ſibi annexi dirimere matrimonium iure diuino poſitiuo. Id latè oſtendit noſter Vaſquez *tom. 3. in 3. p. diſp. 249. c. 2. & 3.* & eſt communis ſententia. Breuiter oſtenditur *primò*, quia nullibi tale ius, vel præceptum diuinū extat. Quæ enim ex epiſtolis D. Pauli aſſeruntur, ſolùm probant eſſe præceptum Apoſtolicum, ſicut etiam quòd bigamus non debeat ordinari. *Secundò* Tridentinum *ſeſſ. 24. can. 9.* id videtur apertè ſatis inſinuare his verbis. Si quis dixerit, Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto, anathema ſit. Vbi, dum Concilium reddit cauſam, cur tales nec licitè, nec validè poſſint matrimonium contrahere, ſolam reddit cauſam legem Eccleſiaſticam, & votum; ergo clarè ſatis inſinuat nullam hîc eſſe legem diuinam poſitiuam, cuius primum oportuiſſet meminiſſe ad confundendos hæreticos, qui Eccleſiaſticas leges minus curant. *Tertiò*, quia cum iſtis Clericis, ſeu Ordinatis in Sacris non prohibeatur contractus matrimonij, præciſè propter ſe, quia ſecundùm ſe eſt res omnino ſacta, ac ſacramenti celebratio, quæ nullam habet diſconuenientiam cum ſtatu & officio clericali, ſed ſolùm propter eius vſum, qui maximam habet diſconueniētiam cum officio iſtorum Clericorum; certè ſi Deus illis prohibuiſſet contrahere matrimonium, etiam prohibuiſſet illis vti iam antè contracto matrimonio. At hoc eſt falſum. Igitur & illud, 2

vnde

Digitized by Google

vnde ſequitur. Minor probatur, quia aliàs nunquam Eccleſia potuiſſet permittere Sacerdotibus Græcis vti matrimonio ante Ordines ſuſceptos contracto. Quod tamen falſum eſt, nam licitè eo vtuntur, vt communiter omnes fatentur. Et apertè docet Clemens III. *capit. quæſitum 7. de pœnitent. & remiſſionib.* vbi ait: Quæſitum eſt, vtrùm Sacerdotibus Græcis, quibus legitimo matrimonio vti licet. *Vltimò* Summus Pontifex non poteſt vlla de cauſa per diſpenſationem iuris diuini obligationem ex parte relaxare, vt omnibus in confeſſo eſt: ergo ſi iure diuino vetitum eſſet ordinatis in Sacris matrimonium contrahere, neque ex conceſſione Summi Pontificis id fieri poſſet, nec matrimonio vti: neque enim ipſe afficere poſſet vt decens eſſet, neque legem diuinam auferre quam non poſuit. Dices, poteſt Papa diſpenſare in voto ſolemni, & ita relaxare eius obligationem, vt quis poſtea matrimonium contrahere poſſit; ergo idem poterit præſtare cum ordinatis in Sacris, tametſi id ſit lege diuina prohibitum. Sed contrà eſt, quia illud non efficit Papa, relaxando ius diuinum, quo vouentes tenentur ad ſeruandum id quod promiſerunt, ſed remittendo verbum promiſſionis factæ Deo, quo remiſſo, ceſſat & tollitur omnino obligatio voti. Diſpenſatio quoque quæ fit in diſſoluendo matrimonio rato non conſummato, non fit auferendo, aut relaxando ex parte obligationem iuris naturalis, qua coniuges tenentur, vt maneant in matrimonio ſemel contracto, ſed diſſoluendo contractum ipſum, ex quo nata fuit obligatio iuris naturalis, ad quod dicimus Summum Pontificē poteſtatem à Deo habere, non autem ad relaxandam vllo modo etiam ex parte legem diuinam.

4 Dico *tertiò*, Ordinem ſacrum tam ratione ſui, quàm ratione voti ſibi annexi tantùm dirimere matrimonium iure Eccleſiaſtico. Itaque Eccleſia eſt quæ inhabiles reddit initiatos Sacris ad matrimonium, ſicut conſanguineos in ſecundo, & vlterioribus gradibus vſque ad quartum. Id ſentiunt modò communiter Doctores. Probatur eiſdem prorſus rationibus quibus ſuprà oſtendimus *ſect.1. n.1.2.& 3.* ſolo iure Eccleſiaſticō annexam eſſe continentiam Ordini ſacro: eædem enim hanc & præcedentes probant concluſiones. Oſtenditur quoque eiſdem rationibus quibus diſput. præcedenti *ſect. 6.* probauimus ſolo iure Eccleſiaſtico votum ſolemne caſtitatis in profeſſione religioſa emiſſum dirimere matrimonium. Quod præcipuè ibi probatur ex Bonifacio VIII. *c.vnico, de voto in 6.* & ex Gregorio XIII. in Bulla *Aſcendente Domino* definientibus omnem votorum ſolemnitatem matrimonium dirimentē eſſe ex Eccleſiæ conſtitutione. Videantur *ibi* dicta *num.2.*

5 Obiicies primò, in Concilio Toletano *cap.5.* contra ſacerdotes, miniſtros, qui eo tempore poſt Ordines ducebant vxores, grauis pœna ſtatuitur, eo quòd dixerint Patres Toletani, huiuſmodi peccatum eſſe contra ſacras literas, & Patrum conſtitutiones. Vtuntur autem patres exemplo calicis & vaſis conſecrati, vt quemadmodum ab eo tolli non poteſt conſecratio, & ideo profanis vſibus deſeruire non permittitur; ita etiam ſacri homines ordinatione ſua interdicti ſunt ad matrimonium contrahendum, & tali matrimonio vti. Quod indicium eſt, non ex iure Eccleſiaſtico, ſed ex ipſa Ordinum inſtitutione prouenire, vt ſic ordinati ad matrimonium tranſire non poſſint, ſicut ex ipſa benedictione vaſis, vt ad alios vſus deſeruire nequeat. Reſpondeo, ex eo quòd Patres Toletani dicant, peccatum eorum, qui poſt factam ordinationem contrahunt matrimonium, eſſe contra ſacras literas, & Patrum conſtitutiones, minimè fieri, eſſe etiam contra ius diuinum: non quidem quòd dicant eſſe contra Patrum conſtitutiones, quia non omnes Patrum conſtitutiones continent ius diuinum, vt eſt omnibus notum; nec quod dicant eſſe contra ſacras literas: nam in ſacris literis præceptum etiam iure Eccleſiaſticum interdum tradi, quale eſt illud de bigamia, manifeſtum eſt. Sicut qui bigamum ad Ordinem admitteret, contra ſacras literas facere diceretur, licèt non peccaret contra ius diuinum; ita etiam, qui poſt Ordinem matrimonium contraheret. Nec refert quòd Patres vtantur exemplo calicis, quem poſt conſecrationem ad alios vſus deſeruire vetitum eſt, quia præceptum prohibens vſum profanum calicis conſecrati non eſt diuinum, ſed Eccleſiaſticum, ſicut & ipſa conſecratio. Quare ſicut in calice conſecrato quòd nequeat ad alium vſum profanum deſeruire, non ex natura ipſius conſecrationis neceſſariò conſequitur, ſed ab Eccleſia ita additum eſt, vt non addi potuerit: ita pariter, neque ex natura ordinationis oritur, vt ordinatus poſt factam ordinationem nequeat matrimonium contrahere, hoc enim præceptum eſſet diuinum, ſed quia ab Eccleſia ordinationi additum fuit.

SECTIO VII.

Quando cœperit votum caſtitatis Clericorum eſſe ſolemne, & habere effectum irritandi matrimonium ſubſequens.

Quidam, inter quos Ioannes Medina *lib.2. de continentia, c.13.* exiſtimant prædictum votum in principio per multos annos non fuiſſe ſolemne, neque habuiſſe hunc effectum irritandi matrimonium ſubſequens. Probant, quia olim ſi clericus in Sacris vxorem ducebat, ab illa non ſeparabatur, ſed ſolùm ab vſu Ordinum ſuſpendebatur, & omni priuilegio clericali priuabatur. conſtat id ex *can.1.* Concilij Neocæſar, qui habet. Presbyter ſi vxorem duxerit, ab Ordine ſuo illum deponi debere. Simile ferè decretum legitur in Concilio Romano ſub Sylueſt. *c.19.* Ergo ſignum eſt tale matrimonium non fuiſſe inualidum, quia Eccleſia non permitteret perſeuerantiam in illo ſtatu, qui & concubinarius eſſet, & ſacrilegus, ſi matrimonium validum non fuiſſet. 1

Secundò, antiqua decreta quæ de hoc voto inueniuntur ante Innocentium ſecundum, prohibent talia matrimonia, non tamen addunt verba irritantia. Patet ex *can. 27. Apoſtolorum*, vbi eſt ſolum verbum *præcipimus*, & *in cap. vlt. diſp. 27.* eſt verbum, *penitus interdicimus*. At generalis regula in materia de legibus eſt quoties lex ſimpliciter prohibet opus, aliàs natura ſua validum, ſi non addat verba irritantia, opus ſic factum tenere, licèt malè fiat.

Aliorum verò opinio eſt, cùm primùm cœpit eſſe illicitum Clericis in Sacris matrimonium, cœpiſſe etiam eſſe nullū. Quod probant à ſimili. Nam antiqua decreta quæ prohibent matrimonium inter conſanguineos, non habent alia verba irritantia præter abſolutam prohibitionē directè ac ſimpliciter latam in ipſas perſonas ob cauſam intrinſecam, ac

perpetuam, *cap. non debet, de conſanguinitate, & affinitate*; & hoc ſatis eſt, vt talia decreta cenſeantur irritare matrimonia contra ipſum lata, vt conſtat ex vniuerſali Eccleſiæ ſenſu, & praxi; ergo idem dici poteſt in præſenti.

2 Dico *primò*, non conſtare apud Doctores vt certum, quando primum cœperit hoc votum eſſe ſolemne, & habere hunc effectum irritandi matrimonium. Patet, quia nulla eſt certa ratio, nec ius id probabiliter inſinuans. Præterea cùm hæc lex continentiæ conſuetudine magis, & traditione introducta fuerit, quàm lege ſcripta, non poteſt certò conſtare quando cœperit introduci.

3 Dico *ſecundò*, non poſſe conſtare, an ſimul cœperit ſub ratione voti, & ſub ratione ſolemnis, ſeu irritantis in futurum. Patet ob eandem rationẽ; quia nulla certa ratione, nec adhuc probabili affirmari poteſt omnino ſimul introductum fuiſſe ſub ratione voti, & ſub ratione ſolẽnis. Vnde veriſimile videtur per multos annos in initio fuiſſe introductũ ſub ratione voti; ſed nõ cũ effectu irritandi. Vnde probabilem iudico primam Medinæ ſententiam. Moueor quia fauet illi regula generalis, per verba legis ſimpliciter prohibentis non irritari contractum, quãuis ſint abſoluta, & ex cauſa perpetua, & directè feratur in perſonam, niſi vel ex adiunctis verbis, vel ex effectibus, vel aliunde ex vſu & traditione ſic interpretante legẽ irritatio colligatur. Quæ omnia inueniuntur in exemplo adducto de impedimento conſanguinitatis. Nam *in c. Ina nos, de conſanguinitate & affinitate*, apertè ſupponitur matrimonium habens tale impedimentum eſſe dirimendum, *& c. cont. adicimus 35. q. 3.* cum ſimilibus dicitur, ſic contrahentes eſſe ſeparandos, quod eſt ſignum nullitatis. Et *ibidem cap. 2.* dicitur ita Eccleſiam prohibere coniunctiones conſanguineorum, ſicut leges illas prohibebant. At leges ciuiles circa hoc irritantes erant, vt ex effectibus, quæ in eodem capite referuntur, non obſcurè colligitur, & ex toto titulo *ff. de ritu nuptiarum.* Simile autem non eſt in præſenti, quia neque ex effectibus, neque ex vſu & traditione conſtat in illis antiquiſſimis decretis prohibentibus intentionem fuiſſe prohibendi ſimul & annullandi, ſeu irritandi.

4 Dico *tertiò*, dictum votum caſtitatis fuiſſe ſolemne, & habuiſſe hunc effectum irritandi matrimonium ante Bonifacium VIII. Probatur, quia antiquiora iura ſunt, quæ hunc effectum declarant, vt conſtat ex Alexandro III. *cap. 1. & ſequentibus, qui Cler. vel vou. & cap. 1, de Cleric. coniugat.* & ex Innocentio XI. qui fuit antiquior, *in cap. vt lex 27. quæſt. 1,* in quo capite expreſsè declaratum eſt talia ſacrorum Clericorum matrimonia eſſe nulla. Veriſimile autem eſt quod notant aliqui Doctores Bonifacium VIII. fuiſſe primum, qui ſub appellatione voti ſolemnis, declarauit hoc votum eſſe ſolemne, *cap. vnico, de voto in 6.*

5 Dico *quartò*, fuiſſe quoque prædictum votum irritans ante Innocentium ſecundum. Conſtat id ex *cap. vt lex 27. quæſt. 1.* vbi ſic ſtatuit. *Vt lex continentiæ, & Deo placens munditia in Eccleſiaſticis perſonis, & ſacris Ordinibus dilatetur, ſtatuimus, quatenus Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, &c. qui ſanctum tranſgredientes propoſitum, vxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur.* Huiuſmodi namque copulationem, quam contra Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe cenſemus. Prædictus Canon duas continet partes, in prima præcipit vt tales vxores ſibi copulantes omnino illis ſeparentur. Quod ſanè fuiſſet nimis graue, & improportionatum, ſi talia matrimonia valida eſſent. Deinde in altera parte iam expreſsè declarat, matrimonia illa fuiſſe nulla. Vbi obſeruandum eſt, hoc ſecundum non ſtatuere, nec decernere, nec definire, Non enim dixit, *ſtatuimus*, ſicut dixerat in prima parte Canonis, ſed *cenſemus*; quaſi declarando talem eſſe regulam Eccleſiaſticam iam ante ipſum Innocentium circa hoc ſtatutam, vt matrimonium circa illam nullum cenſendum fuerit. Igitur conſtare videtur hoc ius fuiſſe antiquius Innocentio ſecundo, Cui iuri conforme eſt aliud Calixti ſecundi *in cap. Presbyteris, diſtinct. 27.* vbi ſimili modo loquens, profert hæc verba, matrimonia à Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis diſiungi, & eiuſmodi perſonas ad pœnitentiam redigi debere, iuxta ſacrorum Canonum diffinitiones iudicamus. Præcipit itaque huiuſmodi matrimonia diſiungi, vbi etiam Gloſſa notat, diſiungi quoad carnis copulam; quia quod non eſt, non poteſt diſſolui.

Dico *vltimo*, fuiſſe prædictum votum irritans 6
ante Vrbanum ſecundum, qui plus quàm per quadraginta annos anteceſſit Innocentium ſecundum. Patet id, quia canon adductus præcedenti dicto Calixti ſecundi *in cap. Presbyteris diſt. 27.* vt *ibi* notatur, inuentus eſt in Cod. Vatic. Biblioth. in fragmento cuiuſdam Concilij ab Vrbano ſecundo habiti, c. 2. vbi etiam Vrbanus ſecundus declarat, non ſe hoc primum conſtituiſſe, ſed iuxta antiquos Canones id iudicare. erat ergo hæc antiquior inſtitutio, & votum ac ius antiquius Innocentio ſecundo, Quando verò primùm cœperit, nobis conſtare non poteſt. Neque in hac re ampliùs occurrit certa ratione affirmandum.

Ex his conſtat quid dicendum ſit ad opiniones propoſitas.

Ad primam, iam dixi *dicto ſecundo*, eſſe mihi probabilem, ac veriſimilem.

Ad ſecundam *ibidem* oſtendi non poſſe conſtare an omnino ſimul introductum fuerit, ſub ratione voti, & ſub ratione ſolemnis, ſeu irritãtis in futurum,

---

Sectio VIII.

Quas pœnas incurrat Clericus in Sacris tentans matrimonium contrahere.

Dico *primò*, hoc ſacrilegiũ puniri ab Eccleſia ex- 1
cõmunicatione maiori, quam incurrit Clericus in Sacris tentans nubere. Ita expreſsè habetur *in Clementina vnica, de conſanguinitate, & affinitate.* vbi propter matrimonium ſacrilegè contra varias perſonas excommunicatio fertur ipſo iure incurrenda, inter quas ſunt Clerici in Sacris matrimonium contrahẽtes. Nec ea excommunicatio alicui reſeruatur. De qua latè infrà *diſp. 31. ſect. 7.* Sunt verò duo neceſſariò requiſita, vt talis excommunicatio incurratur.

Primum, vt ordinatus in Sacris contrahat matri- 2
monium per verba de præſenti: nam illa ſunt verum matrimonium ratum quantum eſt ex ſe, ſi conditio perſonarum non obſtaret. Et illud ſufficit ad hanc cenſuram incurrendam, quamuis conſummatum non ſit; nam conſummatio matrimonij non eſt de ſubſtantia eius; & lex prohibens matrimonium, de contractu ipſo intelligitur. Vnde propter contractum præciſe ſponſalitium non incurritur

hæc

Digitized by Google

hæc cenſura, quia illa non ſunt matrimonium, ſed promiſſio matrimonij: lex autem hæc ſolùm de matrimonio loquitur, & cum ſit odioſa, extendenda non eſt. Præterea nec incurritur hæc excommunicatio per ſponſalia de futuro, tametſi poſt illa ſequatur copula affectu coniugali. Quia hodie attento Tridentino *ſeſſ.* 24. *de matrimonio c.* 1. ea ſemper manent intra ſolos ſponſalium limites. Vnde nec ſatis eſt ad eam cenſuram incurrendam inire matrimonium clandeſtinum. Quia is contractus non habet hodie formam veri matrimonij; nec contrahentes faciunt quidquid in ſe eſt, vt illud incant. Neque etiam eſt locus huic excommunicationi, quando quis fictè conſenſit. Quia ea cenſura punitur affectus, ac contrahendi voluntas cum illo impedimento, quamuis ea praua voluntas nequeat ſortiri effectum ſuum ob ius tale matrimonium dirimens. Quòd ſi clericus verè conſentiat, fœmina verò diſſentiat, iudico non incurrere cum Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 48. *n.* 10. Ratio eſt, quia dicta Clementina punit matrimonium initum contra illam prohibitionem, at non dicitur matrimonium, donec accedat vtriuſque contrahentis conſenſus, ſed ſolùm eſt quoddam matrimonij initium. Ex quo denique infero fœminam contrahentem matrimonium cum Clerico in Sacris non incurrere hanc cenſuram, vt rectè notauit Suarez *tom.* 5. *de cenſuris diſp.* 23. *ſect.* 5. *n.* 22. Ratio eſt, quia in illam directè non eſt lata, nec etiam indirectè incurrit illam ex eo quòd communicet in crimine criminoſo, iuxta *cap. ſi concubinæ, de ſent. excom* Nam quando contrahit, non incurrit, quia nondum communicat cum excõmunicato, quia alter non incurrit niſi finito contractu. Nec eam incurrit per vſum matrimonij; quia ille vſus non eſt communicatio in crimine formaliter, vt ſic dicam, ſed materialiter; nam eſt communicatio cum excommunicato in quodam crimine, non tamen in illo propter quod excommunicatus eſt, nam ille non excommunicatur propter vſum matrimonij, ſed propter contractum Quare mulier illa ſolùm incurret excommunicationem minorem; & ad hoc erit neceſſarium, vt alter denunciatus ſit, iuxta Extrau. *Ad euitanda.*

3 *Secundum* eſt, vt Clericus in Sacris tentans nubere incurrat prædictam cenſuram, oportere, vt ſcienter id præſtet. Nam hæc particula, *ſcienter*, in principio illius textus ponitur, & ad hunc caſum, ſicut & ad cæteros, de quibus ibi eſt ſermo, extendi debet. Quare prædicta particula, *ſcienter*, excludit ignorantiam, etiam culpabilem, non ſolùm facti, vt omnes fatentur, ſed etiam iuris, dummodo non ſit affectata. *Primum* liquet, quia aliàs nihil operaretur verbum illud, *ſcienter*; nam ignorantia inuincibilis ſemper excuſat à cenſurâ. *Secundum* conſtat, quia ignorantia affectata moraliter æquiparatur ſcientiæ; imò ſemper includit aliquam cognitionem ſaltem dubiam: nam qui vult ignorare, iam intelligit fieri poſſe, vt interueniat tale impedimentum, & ideo non poteſt dici ſimpliciter ignorare, etiamſi id velit.

Sed quid, ſi ignorans contraxit clericus in Sacris, & poſtmodum conſcius perſeuerauit in cohabitatione, & copula? exiſtimo non contrahere, quia dicta Clementina non punit cohabitationem, ſed contractum.

4 Dico *ſecundo*, clericum in Sacris tentantem nubere incurrere priuationem beneficiorum. Ita decreuit Innocentius ſecundus *cap. decernimus* 28. *diſp.* his verbis, *Decernimus, vt ij qui in ordine ſubdiaconatus, & ſupra vxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio, ac beneficio Eccleſiaſtico priuentur. Perez de Matrimonio.*

Exiſtimo tamen hanc pœnam non incurri ipſo facto, ſed huiuſmodi Clericos ſic contrahentes priuandos eſſe beneficiis. Quod ſatis comprobatur ex ipſo textu, in quo non additur particula ipſo facto, ſed indefinitè dicitur, *beneficio Eccleſiaſtico priuentur.* Id autem indifferens eſt, vt priuetur ipſo facto, vel per ſententiam iudicis, & ideo in materia pœnali mitiori modo eſt interpretandum.

5 Dico *tertiò*, Clericum in Sacris contrahentem matrimonium eſſe priuandum penſionibus, non ipſo iure, ſed per ſententiam iudicis, quæ veniunt appellatione beneficij Eccleſiaſtici. Patet, quia caput, *decernimus*, in quo ſolum hæc illorum pœna fundatur, tantùm dicit, beneficio Eccleſiaſtico priuentur; ergo in rigore iuris ſolùm priuandi ſunt illis penſionibus, quæ veniunt appellatione beneficij Eccleſiaſtici, vt ſunt illæ, quæ ob ſpiritualem titulum dantur: in aliis verò conſulenda eſſet propria conſuetudo in modo puniendi hoc delictum. Quanquam hodie poſt motum proprium Pij V. quo penſio quælibet ſecum affert obligationem recitandi preces B. Virginis, conſequenter iam habet annexum aliquem ſpiritualem titulum, ratione cuius iam comprehenditur ſub nomine beneficij; & ideo probabilius eſt amitti per contractum matrimonij, non ipſo iure, ſed per iudicem modo dicto.

6 Dico *vltimò*, propter hoc delictum imponi quoque irregularitatem. Pertinet autem hæc irregularitas ad illam ſpeciem bigamiæ, quæ ſimilitudinaria dicitur, quia in illa non intercedit duplex matrimonium carnale, ſed vnum ſpirituale per votum tacitum ſolemne continentiæ, & aliud carnale attentatum tantùm, cùm inualidum ſit poſt illud ſolemne votum. Verius igitur eſt incurri hanc bigamiæ irregularitatem ſimilitudinariæ, quamuis in Sacris conſtitutus cum vnica & virgine contrahat, vt latè Sanchez cum multis *lib.* 7. *diſp.* 85, *n.* 5. Et patet ex *c.* 1. *qui clerici vel vouentes.* vbi de Diacono, qui vxorem accepit, dicitur poſſe Epiſcopum cum ipſo poſt peractam pœnitentiam diſpenſare, vt Diaconi officium exequatur. Et *cap.* 2. *eodem titulo*, de Subdiacono qui matrimonium iniit, deciditur vt ſi ad religionem tranſeat, concedat ei Epiſcopus aſcenſum ad Ordines ſuperiores. Quòd ſi tranſire nolit, minimè permittat eum in ſubdiaconatu miniſtrare, nec ad alios Ordines promoueri, ſed ſolùm in minoribus miniſtrare. Rationem huius ſimilitudinariæ bigamiæ reddunt communiter Doctores, quia Clericus in Sacris poſt matrimonium ſimilitudinarium initum cum Chriſto per votum ſolemne caſtitatis Ordini annexum, de facto ad alias nuptias tranſiuit, eas conſummans copula. Vnde verificatur in ipſo ratio tradita *cap. nuper. & cap. finali, de bigam.* nimirum dari quandam ſimilitudinem bigamiæ in hoc euẽtu propter effectum ad duplex matrimonium cum opere ſubſecuto.

Sectio IX.

An & quibus circunſtantiis, vel conditionibus liceat coniugato in Sacris ordinari.

Certum eſt coniugatum, ſeu poſt matrimonium viuente vxore poſſe licitè & honeſtè ordinari in Sacris. Patet, quia hoc non eſt intrinſecè malũ, nec iure diuino prohibitum, vt eſt de fide certum, 1

 1. *Timoth.*

1. Timoth. 3. & ad Titum 1. Neque hoc Eccleſia ita abſolutè prohibuit, quin ſeruatis debitis circunſtantiis eodem iure Eccleſiaſtico declaratis, licitè fieri poſſit. Solùm ergo oportet explicare quænam requirantur vt licitè & honeſtè ordinetur.

Primo itaque certum eſt, vt id licitè fiat, neceſſarium eſſe, vt ex tali matrimonio irregularitas bigamiæ non ſit contracta: nam tunc conſtat etiam mortua vxore non poſſe Ordines ſuſcipere, ne dum ipſa viuente.

2 *Secundò* etiam eſt certum requiri vt ex conſenſu vxoris Ordo ſuſcipiatur. Exigit enim hoc ius canonicum iuſtitiæ ratio, & votum emittendum in ipſa ordinatione in Eccleſia Latina, in qua clericis in Sacris prohibitus eſt vſus propriæ vxoris. Vnde integrum & abſolutum votum caſtitatis emittitur, ad quã non poteſt coniugatus integrè obligari ſine licentia vxoris.

Excipiuntur tamen duo caſus, in quibus inuita vxore quis ordinari poteſt. *Primus* eſt quando iure, & auctoritate iudicis Eccleſiaſtici factum eſt perpetuum diuortium, argumento *c. Agathoſæ 27. q. 2.* vbi in caſu adulterij ab vxore commiſſi, propter quod licet viro vxorem perpetuò dirimere quoad torum, licitum eſt eidem viro ſolemne votum in religione profiteri inuita vxore. Inde igitur à fortiori videtur dicẽdum de voto ſolemni Ordinis ſacri. Patet conſequẽtia, quia per tale votũ non fit aliqua iniuria vxori; & alioqui votũ ipſum omni ex parte ſeruari poteſt, cùm iam non ſit vlla obligatio reddendi debitum coniugale; neque in tali viro eſt aliquid aliud quod cum Ordine ſacro repugnet, cùm maritalem vitam cum vxore non teneatur. *Alter* caſus eſt, ſi matrimonium nõdum eſt conſummatum, & aliquis ad hoc ſumit Ordines vt religionem ingrediatur, qui ad hoc habet ius & facultatem ab Eccleſia, & illo modo poteſt liberari omnino ab onere matrimonij, & ſolemne votum caſtitatis integrè obſeruare. In hoc autem caſu tenetur non ſolùm religionem ingredi, ſed etiam illam profiteri: quia vt licitè talem ſtatum aſſumat, & votum illi adnexum emittat, neceſſarium eſt vt ſub hac intentione id faciat, quia iam non poteſt alio modo voto, & ſtatui per Ordinem aſſumpto ſatisfacere; ſicut etiam in alio caſu, quando econtra contingit, vt quis poſt caſtitatis votum contrahat matrimonium ratũ, neceſſarium eſt vt habeat intentionem ſe obligandi ad religionem. Verùm ſicut factum iſtud eſt moraliter periculis expoſitum, ideò quo ad fieri poſſit vitandum eſt, & non niſi magna ex cauſa, & multis obſeruatis circumſtantiis faciendum eſt; ita etiam in præſenti, qui matrimonium ratum contraxit, ſi vxore inuita ordinari velit, & matrimonium non conſummare, debet priùs, regulariter loquendo, religionem ingredi & in ea profiteri. Suppono enim per ſacram ordinationem non diſſolui matrimoniũ ratum iuxta Extrauagantem *Antiqua*, Ioannis XXII. *de voto*. Ordinari verò animo ſemper retinendi vinculum matrimonij licitè fieri non poteſt, quia ſi fiat id animo conſumandi matrimonium, eſt contra votum caſtitatis: ſi verò fiat animo non conſummandi, eſt contra iuſtitiam. Vt ergo tale votum fiat licitè, neceſſe eſt vt tale matrimonium diſſoluatur. Vnde moraliter etiam neceſſarium eſt, vt talis diſſolutio antecedat, quod fit per profeſſionem; nam ſi antecedat ordinatio, periculum eſſe poteſt, vel alicuius impedimenti, ob quod non poſſit religionem profiteri, vel alicuius mutabilitatis, ob quam à propoſito deſiſtat, & matrimoniũ conſummet, atque adeò non ſolùm votum violet, ſed etiam perpetuò inhabilis reddatur ad vſum ſacri Ordinis ſuſcepti, & ad integram obſeruantiam caſtitatis. Hoc tamen non obſtante ſentio non eſſe intrinſecè malum ordinari priùs cum prædicta intentione ingrediendi religionẽ, ſi occurat moralis neceſſitas immutandi hunc Ordinem, & conſiderata conditione perſonæ nullum ſit periculum, ſed moralis certitudo profitendi religionem. Neque huic doctrinæ opponitur caput *coniugatus, de conuerſ. coniugat.* vbi ſic dicitur. Nullus coniugatorum eſt ad ſacros Ordines promouendus, niſi ab vxore continentiam profitente fuerit abſolutus. Non, inquam, opponitur, quia hic canon & ſimiles ſunt intelligendi in rigore poſt matrimonium conſummatum, non verò de matrimonio rato. Addo tamen, cùm res hæc grauiſſima ſit, & publica, in qua neceſſe eſt vt fiat Eccleſiæ ſatisfactio, cenſeo neceſſariam eſſe ſcientiam, & approbationem Epiſcopi.

Tertio certum eſt præter conſenſum vxoris neceſſarium eſſe, vt ipſa etiam caſtitatem profiteatur. Ita 3 eſt expreſsè ſtatutum *cap. 5. coniugatus, de conuerſione coniugatorum*, his verbis. Nullus coniugatorum eſt ad ſacros Ordines promouendus, niſi ab vxore continentiam profitente fuerit abſolutus.

His poſitis, reſtat difficultas, de qua profeſſione caſtitatis ſit id intelligendum, an ſcilicet ſufficiat profiteri caſtitatem ſimplicem, vel, quod idem eſt, emittere votum ſimplex caſtitatis in ſæculo, vel neceſſarium ſit religionem ingredi, & caſtitatem ſolemnem in religione profiteri.

Quidam enim, inter quos Angelus *verb. matrimonium 4. n. 8.* aſſerunt ſufficere votũ ſimplex. Probatur, 4

Primò, ex textu citato, nam illius verba indifferentia ſunt ad vtrumque votum; ergo non eſt cur ad maius, ſeu rigoroſius votum limitetur, quale eſt ſolemne religionis.

Secundò, differentia videtur eſſe inter cauſam religionis, & ſacri Ordinis: nam vir religioſus factus non tenetur ampliùs curam vxoris habere, nec illi prouidere, aut illam corrigere, & ideo iure prouidit Eccleſia vt ipſa etiam religionem ingrederetur. At vir manens in ſæculo ordinatus in Sacris, tenetur curam habere vxoris, & illam corrigere, ſi neceſſe ſit, & illi etiam prouidere; ergo non cum tanto rigore poſtulari debet vt vxor ſeculum deſerat.

Tertiò, ex *cap. ad Apoſtolicam*, quia vir & vxor per copulam efficiuntur vna caro, ideò non poteſt vna pars conuerti, niſi alia conuertatur. Igitur quandò vir ita conuertitur, vt Religioſus fiat, meritò poſtulatur in vxore ſimilis conuerſio ad religionem. Vel etiam, quia Epiſcopatus eſt ſtatus perfectionis, meritò *in cap. ſanè, de conuer. coniugat.* ſtatuitur, vt vxor ſtatum perfectionis religioſæ aſſumat. At ſi vir in ſæculo maneat, & ſine ſtatu perfectionis cum ſolo voto caſtitatis, vt contingit etiam in Sacerdote, & infrà, non eſt cur ab vxore poſtuletur, vt ſæculum dimittat, ſed ſatis erit illi per ſimplex votum continentiæ ſe Deo dicare.

Vltimò, coniugati poſſunt in ſæculo manere, communi voto continentiæ ab ipſis emiſſo, in quo euentu careat facultate petendi, & reddendi; ergo & poterunt in ſæculo vitam traducere, vxore ligata voto caſtitatis, & viro ad Ordines ſacros promoto.

Alij verò communiter dicunt, vxorem debere religionem ingredi, atque adeò votum ſolemne ſacri 5 Ordinis eſſe æquiparandum in hoc ipſi voto religionis. Idque verius indicat Suarez *tom 3. de Religione lib. 9. de voto caſtitatis, capite 19. num. 9.* *Primò*, quia id eſt multum conſentaneum rationi, & optimæ prouidentiæ; nam in hoc caſu ordinationis videtur eſſe maior neceſſitas, quàm in alio caſu viri ingredientis religionem; vt nimirum vxor in poſterum ſecura ſit, non ſolùm ab aliis, ſed etiam ab ipſo.

ipſemet viro, qui ad illam in ſæculo manentem poſſet faciliùs accedere, & difficiliùs ab illa poſſet repelli. *Secundò*, id manifeſtè colligitur ex *dicto cap. coniugatus*, ſi totum illud, prout in integra lectiooe continetur, inſpiciatur. Nam ita habetur textus ille in Concil. Lateran. ſub Alexandro III. *p. 5. cap. 6.* coniugatus ad Monaſterium conuerti deſiderans, ſuſcipi prohibetur, niſi vxor illius ſimiliter conuertatur, nam dum vnum vtrorumque corpus poſt cooiugij copulationem ſit factum, incongruum eſt partem conuerti, & partem in ſæculo remanere, nec recipitur à Deo illius viri conuerſio, cuius ſequitur coniugalis fœderis proſtitutio. Cùm igitur ſenatus ſanctorum Clericorum longè præemineat cœtui Monachorum, ita vt aliquando bonus Monachus vix bonum Clericum faciat: nullus coniugatorum eſt ad ſacros Ordines promouendus, niſi ab vxore continentiam profitente fuerit abſolutus. Ex quo contextu manifeſtum eſt eandem conuerſionem vxoris requiri, vt vir poſſit in Sacris ordinari, quæ requiritur, vt Monachus fieri poſſit, & in iure hæc duo æquiparari.

Hanc ſententiam iudico veriorem. Iuxta quam

6 Dico *primò*, ſi vxor fuerit iuuenis, deſiderari ingreſſum illius in religionem. Patet ex *cap. ad Apoſtolicam, de conuerſ. coniug.* vbi vt vir profiteatur, petit ingreſſum mulieris in religionem, niſi ſit eius ætatis, vt ſine ſuſpicione incootinentiæ valeat in ſeculo remanere: ergo ſi fuerit iuuenis, nequit remanere in ſæculo, ſed debet ingredi religiooem. At ſi vxor iuuenis Profeſſi compellitur ingredi religionem, à fortiori vxor promouendi ad Ordines. Ratio eſt, tum quia faciliùs poteſt Clericus ſæcularis vxorem inuiſere, & conſeruato priſtino amore ea familiariter vtetur, vnde manifeſtiſſimo incontinentiæ periculo exponentur; & tantum aberit, vt, moraliter loquendo, ipſe vir Clericus factus vxorem inuiſens eius incootinentiam corrigat, vt potior occaſio incontinentiæ ſit ipſemet eius curam agens. Tum quia vxor iuuenis, quantumuis caſta, eſt incontinentiæ periculo expoſita manens in ſæculo; eo quòd mulieres inconſtantes, & facile volubiles ſint. Non ergo dicendum eſt ius Canonicum voluiſſe vt ea manente in ſæculo vir ad Ordines promoueretur.

7 Dico *ſecundò*, ſi vxor fuerit ſenex non ſuſpecta de incontinentia, ſufficere votum continentiæ ipſius in ſæculo. Ita habetur *dicto cap. ad Apoſtolicam*, illis verbis: Vxor vitam debet mutare, (iotellige, profitendo religionem) niſi forrè ſit eius ætatis, vt ſine ſuſpicione incontinétiæ valeat io ſæculo remanere. Hoc petit ius in vxore ſi vir profiteatur; ergo idem petit ſi ad Ordines aſcendat: eſt enim eadem ratio.

Dico *tertiò*, Clericum ſic ordinatum non poſſe cohabitare cum vxore etiam ſecluſo foro, niſi ſit ſenex, & extra omnem ſuſpicionem. Patet, quia ſi vxor ſexagenaria non ſit, & extra omne periculum, & ſuſpicionem, profiteri debet religionem, vt maritus ordinetur; ergo iam cohabitare non poterunt. Si autem iam vxor ſit ſenex, & extra omnem ſuſpicionem, tunc oon videtur dubium quin poſſit cohabitare cum illa. Addo tamen eſſe optimum conſilium ab huiuſmodi cohabitatione abſtinere, tum propter exemplũ, tum propter qualecumque periculum, etiam leuioris incendij, vel libidinis.

Argumenta primæ ſententiæ ex dictis manent ſoluta.

8 Ad primum negatur antecedens. Nam licèt illud caput *coniugatus* ſolùm petat profeſſionem caſtitatis abſolutè, hanc tamen profeſſionem intelligendam relinquit ſecundùm ordinariam iuris diſpoſitionem, quæ in aliis decretis ſatis explicata eſt. Et quamuis iura loquantur de illo caſu, in quo vir religionem profitetur, id certè materiale quid eſt; nam in hoc caſu, io quo vir religionem ingreditur, & in alia in quo ordinatur in Sacris eſt eadem ratio, & neceſſitas poſtulandi in vxore profeſſionem caſtitatis. Imò in caſu ordinationis Sacræ, vt dixi, maior eſt neceſſitas, vt vxor in poſterum ſit ſecuta.

Ad ſecundum, illam rationem videri tantùm apparentem, atque adeò oon concludere, nam io hac re præcipuè attenditur ad euitandum periculum incontinentiæ, quòd æquè reperitur in vtroque caſu, & fortè maius, ſi vir ordinatus, & vxor illius maneant in ſæculo.

Ad tertium, iam conſtat, tametſi ordinatus in Sacris maneat in ſæculo, ooo ideo manere debere vxorem propter manifeſtum periculum incootinentiæ, vt ſatis dictum eſt.

Ad vltimum, coooceſſo antecedente, negatur conſequentia; eſt enim longè diuerſa ratio, quia vbi vterque voto ſimplici caſtitatis communi conſenſu emiſſo periclitaretur de incootinentia, eſſet facile diſpenſationis remedium, & ideo id permittitur. At vbi iam vir eſſet in Sacris conſtitutus, nullo pacto expediret diſpenſare, vt ad vxorem rediret. Adde, ſi argumentum vim aliquam haberet, probaret pariter integrum eſſe viro religionem profiteri de licentia vxoris iuuenis promittentis in ſæculo continentiam; quod certè in iure prohibitum eſt.

Sectio X.

Quomodo peccet Clericus, qui poſt matrimonium in Sacris ordinatus eſt viuente vxore, & quam pœnam propterea incurrat.

Dico *primò*, ſi præcedente matrimonio conſúmato, ordinatus in Sacris cognoſcat vxorem ſuam Monialem effectam, graue crimen ſacrilegij committere contra religionem, ſed noo intemperantiæ, vel fornicationis contra virtutem caſtitatis. Ita communiter omnes. Patet *primum*, quia eſt grauis malitia ob circumſtantiam vtriuſque perſonæ Deo dicatæ, & ſpecialiter deſponſatæ per votum ſolemne; ergo eſt graue ſacrilegium. *Secundum* liquet, quia tunc quamuis vxor religionem fuerit profeſſa, tamen vinculum matrimonij conſummati oon eſt ſolutum, ſed integrum manet; ergo acceſſus ille oon eſt ad non ſuam; ergo non peccatur peccato intemperantiæ: ex quo fit, vt filij ex tali matrimonio nati in rigore, ſeu ex natura rei, vt ſic dicam, oon ſint illegitimi, ſed ſunt naturaliter legitimi, quia reuera nati ſunt ex legitimo matrimonio. Nihilominus non obſtante naturali prædicta origine, dicuntur ſecundùm ius Canonicum, vel canooicè illegitimi, vt notant Doctores, & doctè tractat Suarez *tom. 5. de cenſuris diſp. 50. ſect. 2. num. 5. & 6.* Dixi *præcedente matrimonio conſummato*; oam ſi matrimonium quod præceſſit, fuit ratum tantùm, cùm iam fuerit ſolutum quoad vinculum per ſolemoem profeſſionem vxoris, perinde ſe habet, ac ſi non præceſſiſſet, vnde perinde peccat, ac ſi cum quacumque alia Moniali peccaret: nam circumſtantia illa quæ præceſſit, nec augere videtur, nec minuere notabiliter delictum. 1

Dico *ſecundò*, non dari certam pœnam pro dicto peccato cognoſcendi vxorem ſuam. Patet, quia in ipſo iure nullam inuenio pœnam ob tale delictum, 2

quæ ipſo iure incurratur. Verum eſt, ſi vxor Monialis iam effecta eſt, depoonendus erit ipſe maritus, non minus quàm quilibet alius Sacerdos ad illam accedens. Si autem adhuc ſit ſæcularis cum ſimplici voto caſtitatis, arbitrio iudicis erit puniendus, tanquam is, qui graue ſacrilegium committit.

3 Dico *tertiò*, eum qui ſine conſenſu vxoris illicitè ordinatur, ad totam caſtitatem obligari integrè ſeruandam, niſi ad reddendum debitum vxori petenti. Hoc eſt certum. Patet *prima pars*, quia licèt Eccleſia prohibeat talem ordinationem, quia tamen illam irritare non poteſt, ſed facta tenet, meritò vult vt talis perſona quantum iuſtè poteſt ad continentiã obligata maneat: at poteſt in omnibus, præterquam in negatione debiti; ergo ad omnia obligatur. Quare & inhabilis redditur ad matrimonium, etiam mortua vxore, & ab omni actu turpi ſpecialiter eſt prohibitus, & à ſuamet vxore coniugale debitum petere non poteſt; nam ad hoc ſe potuit obligare. *Secunda pars* etiã eſt manifeſta, etiamſi matrimonium prius tantùm fuiſſet ratum, quia non fuit per ordinationem ſolutum: quia vxor ſine culpa, vel voluntate ſua non debet ſuo iure priuari.

Sed quid ſi vir accepit Ordinem, ſciente vxore, & non reclamante, quamuis expreſsè non conſenſerit, tenetur ne reddere debitum, quia tacendo, videtur vxor conſenſiſſe?

4 Dico *quartò* in eo caſu non obligari vxorẽ ad continentiam, & teneri virum reddere debitum. Probatur, quia in eo caſu non eſt obligata vxor ad ſeruandam caſtitatem; ergo neque ad vouendam illam. Patet *prima pars*, quia in eo caſu poteſt repetere virum ſuum, & ab illo exigere debitum. Quia licet vxor tacuerit, non propterea conſentire viſa eſt. Et quidem ſi ex timore vel ignorantia ita ſe geſſit, res eſt manifeſta; quia hæc cauſant inuoluntarium. Si verò ob negligentiam, vel ob quamcumque humanam rationem contradicere omiſit, non propterea cẽſetur conſenſiſſe; quia nec res eſt ſibi fauorabilis, neq; alioqui ſpeciali iure contradicere tenetur. Vt autem regula iuris 43. *in 6. Qui tacet conſentire videtur*, verificetur, oportet, vt alterutra ex dictis cõditionibus intercedat, quia cùm illa voluntas tantùm ſit præſumpta, & interpretatiua, fundari debet, vel in eo quòd res eſt fauorabilis, quia vnuſquiſque præſumitur velle commodum ſuum, vel in obligatione contradicendi, ſi non conſentit; quia tunc vel qui non reſiſtit cùm teneatur, & poſſit indirectè cenſetur velle, & conſentire; vel ſi conſentiendo euitet culpam, eo ipſo præſumitur non malè agere, ſed conſentire. At in præſenti nullus eſt fauor vt per ſe patet; neque etiã offendi poteſt lex canonica, quæ obliget vxorem ad contradicendum expreſsè in eo caſu. Non eſt eſt igitur, cur cenſeatur conſentire, ex eo ſolùm quòd non contradixit, ſed ſolùm non ſe defendere licèt patiatur iniuriam. Si ergo vxor non conſentit tunc ordinationi mariti, nõ eſt vnde poſſit ad continentiam obligari. Ex quo patet *ſecunda pars* dicti: nam ſi ad ſeruandam caſtitatem non tenetur, clarum eſt, neque ad vouendum teneri, quia non eſt vnde talis obligatio oriatur, cùm per ſe loquendo tale votum præcipi non poſſit.

Addo licèt vxor expreſsè conſentiat, ſi non id faciat profitendo, ſeu vouendo caſtitatem, non teneri poſtea ad caſtitatem ſeruandam, neque ad id cogi poſſe, ſed ſi ſuum virum repetat, non eſſe illi negandum Id manifeſtè colligi videtur ex *c. 1. de conuerſ. coniugat.* vbi caſus eſt de viro profitente religionem de licentia vxoris quæ caſtitatem non vouit, & quæritur an ille poſſit reuocari ad torum vxoris, vel illa cogenda ſit caſtitatem ſeruare. Reſpondet Pontifex, ſi vxor non promiſerit caſtitatem, virum poſſe & debere illi reſtitui. Vnde in Concilio Lateran. ſub Alexandro III. *p. 5. c. 4.* additur. Verumtamen vxor commonenda eſt, & propenſiùs exhortanda, vt ad religionẽ tranſeat, & caſtitatem ſeruare promittat. Igitur non eſt hoc opus neceſſitatis, ſed conſilij, & admonitionis. Idem colligitur à contrario ſenſu ex *cap. veniens, de conuerſ. coniugat.* quod etiam loquitur in caſu profeſſionis. Idem dicendum eſt in noſtro caſu de ordinatione. Quia hæc duo, vt ſuprà dixi *precedenti ſectione*, quoad hoc æqui parãtur in iure. Et ratio videtur manifeſta, quia eo ipſo quòd conuerſio, vel ordinatio viri facta eſt ſine voto vxoris, non eſt facta ſecundùm formam, & modum ſacris canonibus præſcriptum, & ideo & licitè facta eſt, & non obligat vxorem ad perpetuam caſtitatem, quia Eccleſia non vult illam obligare niſi per voluntariam eius promiſſionem.

5 Dico *quintò*, virum promotum ad Ordinem ſacrum abſque vxoris licentia non ductũ etiam conſummato matrimonio, effici irregularem. Ita expreſsè definiuit Ioannes XXII. in Extrauaganti ſua *Antiqua, de voto*, vbi Gloſſa ait, hoc procedere, ſiue ſoluatur matrimonium morte, ſiue ingreſſu alterutrius coniugis in religionem ante conſummationem. Quare hic ita promotus ad Ordinem ſacrum nequit in ſuſcepto Ordine miniſtrare, aut ad ſuperiorem prouehi, nec poteſt ad officium aliquod, aut beneficium promoueri. Hæc enim prohibitio videtur impoſita, & in pœnam prioris delicti ſuſcipiendi Ordinem ſacrum indebito modo, & propter decentiam ſacri miniſterij, quod in Eccleſia Latina non conceditur ei, qui ex neceſſitate, vel debito coniugij vſum habere cogitur.

Cenſeo autem ad incurrendam hanc irregularitatem deſiderari dolum, atque adeò quamcumque ignorantiam craſſam iuris, vel facti, dummodo non ſit affectata, nec ita craſſa, vt ſit ingens temeritas, excuſare coniugatum ſic promotum ab hac pœna. Moueor, quia dicta Extrauagans vtitur verbo, *non præſumat*, & ſtatim, *quod ſi ſecus à quoquam forſitan attentatum fuerit*. Vnde ſolùm præſumentem aſcendere ad ſacrum Ordinem punit. Pœna autem præſumenti impoſita dolum requirit, & excuſat ab ea quæuis ignorantia quæ nec affectata, nec ingens temeritas eſt. Nõ enim verè dicitur præſumens, ignorantia culpabili, & craſſa efficiens.

6 Sed quid, ſi matrimonium ſit irritum, tunc prædictus coniugatus ad Ordines ſacros promotus incurret hanc irregularitatem? Placet mihi dicere cum noſtro Sanchez *lib. 7. diſput. 49. numer. 4.* non incurri prædictam irregularitatem, quotieſcumque fuerit matrimonium irritum, ſiue vterque ſcierit, ſiue ignorauerit, ſiue ſolus vir nouerit matrimonium fuiſſe irritum. Probat optimis rationibus. *Primò*, quia Extrauagans illa non punit deceptionem vxori factam contrahendo cum illa cum impedimenti ſcientia, nec etiam ſolum affectum irrogandæ Ordini ſacro iniuriæ, eo illegitimè contra canonicas ſanctiones aſſumpto ob impedimentum matrimonij, ſed iniuriam re ipſa cum eo impedimento irrogatam. Qualis non eſt, vbi impedimentum non extat, eo quòd matrimonium nõ erat verum. Fauet igitur regula 52. iuris *in 6.* ſic dicens. *Non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum. Secundò*, quia nullus dicet promotum ad Ordines ſacros incurrere hanc irregularitatẽ, ſi falsò putabat ſe matrimonio ligatum quòd procuratorẽ deſtinauerat ad contrahendum, qui ſe iam contraxiſſe mentitus eſt; vel cùm defuncta eſſet vxor, ipſo ignorante. At idem dicendum eſt, quoties matrimoniũ irritum eſt. Quia cùm verè non ſit ille coniugatus,

non

Digitized by Google

non verificatur coniugatum aſcendiſſe ad Ordines ſacros. Quod delictum punit pœnâ irregularitatis Extrauagans dicta. *Tertiò*, non incurreret, ſi verè Ordinem ſacrum non recepiſſet; quia miniſtrans Ordines ſe Epiſcopum finxit, vel aliquid de ſubſtantia Ordinis deſideratum fuit; ergo neque incurret, vbi matrimonium eſt nullum. Quia vt ſit locus huic pœnæ, æquè neceſſarium eſt, vt aſcendens ad Ordinem ſacrum ſit coniugatus, & vt verè aſcendat. Denique ſi quis falsò exiſtimet ſe excommunicatum, aut ſuſpenſum eſſe, non incurrit irregularitatem latam contra celebrantes cùm iſtis cenſuris, ſi celebret cum ea falſa exiſtimatione; nec ſi quis putet ſe hominem perire, cùm feram perimat, ſit irregularis; nec credens ſe clericum percuſiſſe, cum percuſſus fuerit laicus, eſt excommunicatus. Quoniam horum omnium ratio eſt, pœnas has non ferri contra iniquam voluntatem deſtitutam veritate actus externi. Igitur idem dicendum eſt in noſtro caſu; quia praua voluntas iniquæ aſſumptionis Ordinis caruit veritate actus externi puniti illa irregularitate.

7 Dico *ſextò*, ſi vir accepit Ordinem ſacrum ſciente vxore, & non reclamante, neque expreſsè conſentiente, manere ſic ordinatum irregularem ex tali facto, Ducor, quia in eo caſu illicita fuit ordinatio talis, & ſine conſenſu vxoris facta, cui talis irregularitas annexa eſt in dicta Extrauagante *Antiqua*. Firmo, quia in hoc euentu competit ipſi vxori ius repetendi: nullum enim ex ea diſſimulatione vxori præiudicium generatur, ſed ius ſuum viri repetendi illæſum manet. Quia ad rem tam arduam iura non contenta ſunt vxoris diſſimulatione, quæ varias interpretationes patiuur, nec ſignum apertum licentiæ eſt, vt expreſsè definitũ eſt *cap. conſuluit, de conuerſ. coniugat.* quando vir profitetur vxore diſſimulante: ſola enim diſſimulatio, non eſt licentia. Igitur cùm in hoc euentu competat ipſi vxori ius repetendi, non ceſſat ratio prohibitionis, atque ideo incurritur irregularitas.

8 Dico *ſeptimò*, virum non incurrere hanc irregularitatem, ſi obtenta vxoris licentia, etiam nullum votum caſtitatis emittentis in ſeculo ad Ordines ſacros aſcendat. Ita Sanchez cum aliis, quos refert *diſp. 49. citata, num. 6.* & meritò, quia dicta Extrauagans *Antiqua*, manifeſtè loquitur, quando vir abſque vxoris licentia promouetur, vt ex fine dictæ Extrauagantis liquet. Vbi decernitur ſponſum illum ſi nolit ad religionem conuolare, eſſe compellendum cum ſponſa illum petente habitare, & conſummare matrimonium. Quod non habet locum, quando ſponſa conſenſerat: caret enim actiooe ad repetendum, quia eo ipſo quòd licentiam conceſſit, cenſetur vouere caſtitatem. Præterea cùm in hoc euentu poſſit vir caſtitatem ſeruare, quam exigit Eccleſiæ conſtitutio, iure poterit in Ordinibus miniſtrare: ceſſat enim prohibitionis ratio.

Obiicies, dicta Extrauagans interdicens coniugato ad Ordines promoueri ſub irregularitatis pœna, ait, niſi prout ſacris Canonibus nouerit conuenire. At ſacri Canones non permittunt vt maneat vxor in ſæculo, etiamſi ſit ſenex, abſque caſtitatis voto; ergo quando de licentia vxoris vir ad Ordines ſacros aſcendit, non ſeruata prædicta conditione iuris, prædictæ ſubditur irregularitati. Reſpondeo, illa verba Extrauagantis eſſe intelligenda, quoad ſubſtantialia per ſacros Canones requiſita, vt nimirum legitima ſit Ordinis ſacri ſuſceptio, ita vt vxori non ſuperſit ius repetendi; licèt aliqua fuerint omiſſa, quæ potiùs de ordine iuſtitiæ, quàm de ſubſtantia deſiderantur.

9 Dico *vltimò*, virum promotum ad Ordines minores abſque licentia vxoris, quamuis peccet, nullam irregularitatem, aut cenſuram incurrere. Ita omnes cõmuniter. Ratio eſt, quia iure antiquo nulla erat pœna ſtatuta coniugato, abſque vxoris licentia aſcendenti ad Ordines, præter ſtatutam dicto cap. Extrauag. *Antiquæ, de voto*, ipſam pœnam irregularitatis. At illa de ſolo coniugato aſcendente ad Ordines ſacros agit, non ergo conſtitutio illa cùm ſit pœnalis, extendenda eſt ad initiatum ſolis minoribus Ordinibus. Adde pœnam ſuſpenſionis latam à Sixto V. in omnes illicitè ad quoſuis Ordines promotos, iam eſſe reuocatam à Clemente VIII.

DISPVTATIO XXVIII.

De impedimento cognationis naturalis, ſeu conſanguinitatis, ſubſequens matrimonium dirimente.

COGNATIO, ſic appellatur, quaſi ſimul natio ab eodem ſtipite; vnde cognati, quaſi ſimul ab eodem nati dicuntur. Triplex ſolet diſtingui, carnalis, ſeu naturalis, ſpiritualis, & legalis. Prima oritur ex natiuitate naturali, & ideo dicitur conſanguinitas. Secunda prouenit ex natiuitate ſpirituali ratione alicuius ſacramenti. Tertia denique eſt quæ per legem reputatur ac ſi natiuitas eſſet, & ideo dicitur legalis. Quæuis ex his tribus impedimentum matrimonij dirimens conſtituit; quia ipſa recta ratio & etiam natura reſpuit matrimonium inter eas perſonas, quibus debetur maior amor, ſubiectio & reuerentia. De his igitur tribus quaſi ſpeciebus cognationis, an & quo gradu matrimonia diſſoluant, ſigillatim ac fusè in hac diſputatione agemus.

SECTIO I.

Quid ſit conſanguinitas; & quomodo eius gradus computentur.

ACturi primo loco de cognationis naturalis, ſeu conſanguinitatis impedimẽto, diſcutere oportet priùs eius definitionem, ac graduum computationem, vt poſtea declarabimus quinam conſanguinitatis gradus dirimant matrimonium.

Circa primum igitur, conſanguinitas, quoad nominis etymologiam, dicitur, quaſi ſanguinis vnitas; conſanguinei enim ab eodem ſanguine originem trahunt, & menſtruum mulieris, ex quo fit generatio, immediatè ex ſanguine efficitur. Vnde conſanguinei dicuntur, qui ab eodem ſtipite eundem ſanguinem participant. Hæc autem participatio deficit paulatim ratione diuerſæ commiſtionis, & diſtantiæ à primo ſtipite, vt ex dicendis magis conſtabit. 1

Hæc igitur cognatio, ſeu conſanguinitas communiter definitur. Vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum. Dicitur *vinculum*, quia eſt formaliter ipſa coniunctio, veluti communicatio eiuſdem ſanguinis, ex qua naſcitur amor. Dicitur *perſonarum*; quia propriè tantùm cernitur in eos, qui ratione propinquitatis in ſanguine, capaces ſunt communicationis, & amicitiæ, 2

cuius

cuius bruta ſunt incapacia, ex Ariſtotele 8. *Ethic. c.* 11. illa enim communicatio non inſignitur honorifica conſanguinitatis appellatione, niſi prout fundamentum eſt mutuæ,& ſingularis cuiuſdam inter conſanguineos beneuolentiæ, ſeu amicitiæ, ob hanc in eodem ſanguine communicationem, cuius amicitiæ ſola creatura rationalis capax eſt, vnde S. Th. *in* 4. *diſt.* 40. *q.* 1. *a.* 1. *ad* 5. negans conſanguinitatem habere locum in brutis animalibus, hanc reddit rationem, quia non coniunguntur ad amicitiæ vnitatem propter propagationem multorum, ex vno parente proximo. Dicitur *ab eodem ſtipite*, ſecundùm eiuſdem ſanguinis communicationem. Denique dicitur *propagatione carnali contractum*; vt excludantur Angeli, quia & ſi ab vno Deo, per creationem tamen, proceſſerunt. Et ideò inter Angelos excluditur conſanguinitas. Excluditur etiam Adam & Eua, quia Eua non proceſſit ex Adamo carnali propagatione, id eſt, per veram generationem; per quam tamen proceſſit Chriſtus vt homo ex parte matris, & ideo verè eſt Beatæ Virginis conſanguineus. Quia adminiſtrauit Virgo conceptioni Chriſti totum illud materiæ, quod veræ matres naturales adminiſtrant.

3 Impugnant nonnulli prædictam definitionem. *Primò*, quia ſecundùm eam non fuiſſet cognatio inter Adamum, & filios ſuos, quia non deſcenderunt ab vno ſtipite. *Secundo*, quia ea ratione omnes homines deberent dici cognati, ſeu conſanguinei, quia omnes ab vno ſtipite, videlicet Adamo deſcendunt.

Ad primum reſpondeo, verum eſſe ad rationem conſanguinitatis ſatis eſſe vnum ab altero deſcendere, licèt à nullo communi ſtipite procreentur, & ideò vera conſanguinitas ſaluatur inter Adamum & Abel, non fuit tamen opus id in definitione apponere; quia prædicta definitio non eſt inuenta pro Adamo, res enim illa ſingularis fuit, & præteriit; ſed pro eius poſteris, quibus accommodata eſt, quia inter eos erat futurum matrimonium, & omnes illi à communi ſtipite procedunt: vt pater & filius procedunt ab auo, auus & nepos à proauo.

Ad ſecundum, dico in definitione cùm dicitur ab eodem ſtipite, intelligi debere de proximo, non de remoto, nam intelligitur de ſtipite ita propinquo, vt virtus eius in deſcendentibus perſeueret. Ac propterea non debent omnes homines dici cognati, vel conſanguinei, tametſi omnes ab vno ſtipite, ſcilicet Adamo deſcendant; quia rametſi virtus Adami perſeueret in omnibus deſcendentibus ſecundùm ſimilitudinem ſpecificam, at nõ perſeuerat ſecundùm ſimilitudinem indiuiduã, vel numericã idẽtitatem ſanguinis; hæc enim eo debilior & imperfectior eſt, quo in plures generationes deriuatur, & in tot protendi poteſt, vt omnino debilitetur, & ſic conſanguinitatis ratio deficiat. Adde prædictam definitionem non dicere eſſe cognationem, vel conſanguinitatem inter omnes deſcendentes ab eodem ſtipite, ſed inter eos ſolos, inter quos hoc vinculum oritur, ſeu communicatio ſanguinis, quod non contingit omnibus, eſt per ſe notum. Hinc colligo conſanguinitatem eſſe quandam mutuam habitudinem, ſeu propinquitatem coniunctionis in ſanguine, requirentem pro conditione neceſſaria natiuitatem, ſeu generationem.

4 Circa ſecundum, cùm certum ſit conſanguinitatẽ eſſe attendendam, per ſtipitem, gradus, & lineas, præmittere oportet, quid ſtipes ſit, quid linea, & quid gradus in dicta conſanguinitate. Stipes igitur, ſeu truncus eſt perſona illa à qua aliæ de quarum cõiunctione tractatur, deſcendunt, & originem ducunt. Linea eſt perſonarum cõſanguinearum ordinata collectio, ſerieſque, hoc eſt, ordo ille conſanguineorum ab vno communi ſtipite originem ducentium, quo vnus dicitur pater, alius filius, nepos alius, &c. Duciturque ſimilitudo à linea Mathematica, in qua plura ordinatim continentur puncta. Linea autem eſt duplex, vna recta, ſeu directa, altera obliqua, tranſuerſalis, ſeu collateralis. Linea recta eſt collectio ac ſeries perſonarum conſanguinearum ab vno ſtipite, quarum vna ab alia originatur. Tranſuerſalis verò eſt collectio ac ſeries ab eodem ſtipite deſcendentium perſonarum, quarum vna non originatur ab alia. Linea recta duplex eſt, per ſolam noſtram rationem duplicata, vna eſt aſcendentium, in qua continentur perſonæ à quibus origo deducitur, vt pater, auus, proauus, abauus, atauus; ſimiliterque mater, auia, proauia, abauia, atauia: altera deſcendentium, quæ claudit perſonas originem ab eo ſtipite trahentes, vt filios, nepotes, pronepotes, trinepotes. Sic verò hæc linea recta ſola ratione diſtinguitur, quia eſt eadem linea reipſa; nam eadem linea aſcenditur, & deſcenditur, per diuerſos reſpectus; quatenus enim per illam aſcẽditur ad ſtipitem, dicitur aſcendentium; quatenus verò deſcenditur ad ſobolem à ſtipite procedẽtem, dicitur deſcendentium; & hæc appellatur linea recta, quia continet directam ſeriem, & habitudinem per quam ad progenitores aſcenditur, & ad progenitos deſcenditur, & ad neutrum latus deflectitur. Linea tranſuerſalis, ſeu collateralis, in qua continentur perſonæ, quæ ex latere, & ex tranſuerſo iunctæ ſunt ab eodem ſtipite deſcendentes, non tamen vna ab alia, vt duo fratres, verbi gratia; duplex quoque diſtingui ſolet, æqualis, & inæqualis; prior eſt in qua continentur perſonæ conſanguineæ ęquè à ſtipite diſtantes, vt ſunt duo fratres, aut duorum fratrum filij. Alia verò inæqualis, nempe, quando conſanguinei tranſuerſi, ſeu collaterales, diſtant inæqualiter à communi ſtipite, in quo vniuntur, vt contigit in patruo, & amita reſpectu conſobrini, diſtat enim conſobrinus ab illis in ſecundo gradu diſpari; nam patruus & amita diſtant à communi ſtipite, nempe ab auo conſobrini, in quo proximè vniuntur, in ſolo primo gradu, vtpote qui eius filij ſunt. At conſobrinus diſtat ab auo in ſecundo gradu, tanquam eius nepos. Denique gradus eſt perſonarum diſtantia ſanguine iunctarum, qua ſcilicet deprehenditur, quanta ſit conſanguitatis propinquitas, ſumpta ſimilitudine à gradibus ſcalarum, vbi per vnum ad alterum tranſimus ſurſum aſcenſuri, aut deorſum deſcenſuri.

His præmiſſis variæ traduntur regulæ à Theologis, ad dignoſcendum quanto conſanguinitatis gradu perſona vna diſtet ab alia. Præcipuè verò tres ſunt, quarum prima locum habet in recta linea, aliæ duæ in tranſuerſa.

Prima trium hæc eſt. In recta linea tot numerandi 5
ſunt gradus, quot numerantur perſonæ, dempta prima, in qua omnes tanquam in ſtipite vniũtur. Hinc intelligimus filium in primo gradu eſſe comparatum cum patre, quia non numerata perſona patris, quæ numerari non debet, reſtat vnica filij perſona numeranda; nepotem autem comparatum cum eodem patre, qui auus eius eſt, eſſe in ſecundo gradu, quia numerantur perſonæ duæ, vna huius ipſius nepotis, altera proximi eius parentis, à quo genitus eſt. Ratio huius regulæ eſt, quia tot ſunt gradus, quot ſunt generationes; generatio verò non poteſt eſſe inter pauciores, quàm inter duos, generantem videlicet, & genitum; ergo tot erunt gradus, quot perſonæ, dempta vna, id eſt, ſtipite, qui toti generationi ſupponitur.

Secunda regula: In linea tranſuerſa æquali diſtant 6
inter ſe conſanguinei eodem gradu, quo eorum quilibet

libet

libet diſtat ſecundùm rectam lineam à primo & cõmuni proximo ſtipite. Hinc nobis innoteſcit, fratres qui conſanguinei ſunt in tranſuerſa linea æquali, eſſe in primo gradu conſanguineos, cùm quilibet eorum ſecundùm lineam rectam primo gradu diſtet à communi illo ſtipite proximo, à patre ſcilicet, medio quo inter ſe coniunguntur, & in ordine ad quem diſtant. Similiter iſtorum filij diſtant ab auo in ſecundo gradu, ideo etiam in ſecundo gradu inter ſe diſtabunt; horum etiam filij ſunt in tertio gradu, & filij filiorum in quarto; quia ſimiliter diſtant à communi ſtipite. Ratio regulæ eſt, quia diſtantia, vel propinquitas, eſt ſolùm ratione ſtipitis, quare non magis inter ſe, quàm ab ſtipite diſſidebunt.

7 *Tertia* regula in linea tranſuerſa inæquali diſtant conſanguinei inter ſe eodem conſanguinitatis gradu, quo ſecundùm lineam rectam diſtat à primo, communique proximo ſtipite, qui remotior eſt. Vnde patruus eum patruele, ſeu conſobrino, id eſt cũ fratris ſui, aut ſororis ſuæ filio, in ſecundo gradu eſt, quia conſobrinus hic, ſeu patruelis eſt in ſecundo gradu cum illo primo ſtipite, vtpote qui auus eius eſt, eùm tamen patruus non ſit auus, ſed pater, & proinde patruus ille eum hoc patre comparatus ſecundùm rectam lineam in primo gradu cum eo ſit. Etenim in linea tranſuerſa inæquali ſemper qui eſt gradu remotior à primo & communi proximo ſtipite ſecundùm rectam lineam, trahit ad ſe eum, qui eſt eidem ſtipiti ſecundùm eandem rectam lineam propinquior; nec poteſt trahere inferius ſe, vnde fit, vt in eodem inter ſe ſint gradu. Ideo autem remotior gradus trahit ad ſe propinquiorem, non è contrario propinquior remotiorem, quia, vt rectè notauit Sanchez *lib.7.diſput.50. n.6.* cùm adæquata ratio propinquitatis, aut diſtantiæ conſanguineorum collateralium inter ſe, ſit pro ordine ad primum, & communem proximũ ſtipitem, in quo vniuntur, non poſſunt eſſe coniunctiores inter ſe, quàm cum illo ſtipite. Quare ſi collateralium iſtorum vnus ſit in ſecundo gradu cum illo ſtipite, alter autem in primo, erunt duo iſti collaterales inter ſe in ſecundo gradu ſolùm: alioqui ſi propinquior ſtipiti ſecundùm rectam lineam gradus traheret ad ſe remotiorem, qui diſtaret à ſtipite primo tantùm gradu, ad ſe traheret eum qui diſtat à ſecundo: vnde fieret, vt hi collaterales inuicem collati eſſent in primo gradu, ac proinde coniunctiores inter ſe, quàm cum illo ſtipite, cùm iſtorum collateralium alter ſit in ſecundo ſolùm gradu cum hoc ſtipite.

8 Cæterùm duo obſeruanda ſunt. *Primum* ius Canonicum & ciuile circa primam regulam ex tribus dictis, quoad gradus rectarum linearum, nullum eſſe diſcrimen, ac omnino conuenire, ac proinde regula illa prima vtrique iuri deſeruire. At diſſidere in cõputatione graduum in linea tranſuerſa; ius enim Canonicum computat modo tradito in poſterioribus duabus regulis. At ius ciuile longè aliter computat; non enim numerat gradum, in quo perſona diſtat à ſtipite, vt facit ius Canonicum, ſed numerat gradus omnes vtriuſque perſonæ: & tot conſtituit gradus diſtantiæ inter illas, quot habet diſtantia à ſtipite, numeratis vtriuſque perſonæ gradibus. Verbi gratia, duo fratres diſtant à communi parente in primo gradu, numerat ius ciuile primum gradum quo vterque diſtat à patre, tamquam duplicem, alterum in vno fratre, & alterum in altero; & ita iure ciuili diſtant inter ſe in ſecundo gradu. Similiter filij duorum fratrum diſtant in quarto gradu, quia quilibet diſtat à ſtipite in ſecundo gradu. Patruus & conſobrinus diſtant in tertio gradu, quia ille diſtat à ſtipite in primo gradu, hic autem in ſecundo, ac ſubinde triplex conſtituitur gradus. Vnde colligo pro computatione graduum in linea tranſuerſa, attento iure ciuili, regulam eſſe ſi linea eſt æqualis, quoto enim gradu quis diſtat à communi ſtipite, toto duplicato diſtat inter ſe; ſi verò linea ſit inæqualis, quot ſunt perſonæ, computatis extremis, & mediis dempto ſtipite, tot ſunt gradus. Vt duo fratres iure Canonico diſtant inter ſe linea æquali in primo gradu; at iure Ciuili diſtant in duplici gradu. Patruus & filius ex patre, diſtant in tertio gradu, quia ſunt duæ perſonæ extremæ, & immediatè inter communem ſtipitem, nempe auum, videlicet pater illius conſobrini. Huius verò diuerſitatis ratio traditur *cap. ad ſedem 35. q. 5.* Quia leges ciuiles numerant gradus, vt hæreditas ab vna perſona ad alteram deferatur; & ideo in ſingulis perſonis ſingulos perficiunt gradus. At ius Canonicum computat gradus propter matrimonia; & quia hæc non poſſunt niſi inter duas perſonas conſiſtere, idcirco duas perſonas in vno gradu conſtituit.

Secundum maximè obſeruandum eſt, computationem graduum iuris ciuilis quoad ſucceſſiones hæreditatis ſeruandã eſſe, cuius eſt de his diſponere. Attamen computationem graduum iuris Canonici, iuxta regulas prædictas ſeruandam eſſe, quo ad matrimonium; quia circa hæc ius ciuile diſponere nequit. Quare in aliis contractibus, actibuſque cæteris ſimilibus quælibet computatio in proprio foro ſeruanda eſt; nimirum ciuilis in foro ſeculari, & Canonica in foro Eccleſiaſtico. Cæterùm in contractu matrimonij, vt optimè notauit Couarruuias *4. Decret. 2. p. c. 6. §. 6. n. 8.* alios referens, ſeruanda eſt prædicta computatio graduum iuxta regulas adhibitas, tam in foro ſeculari, quàm in Eccleſiaſtico.

Sectio II.

An matrimonia cum conſanguineis ſint prohibita & illicita iure naturæ.

Certum eſt iure Eccleſiaſtico, variis temporibus extitiſſe prohibitiones varias coniugiorum cum conſanguineis. Nam Iulius primus, vt habetur *c. nullum 35. q. 2.* prohibuit illa vſque ad ſeptimum gradum, his verbis. Nullum in vtroque ſexu permittimus ex propinquitate ſui ſanguinis vſque ad ſeptimum generis gradum vxorem ducere, vel inceſti macula copulari. Idem ſtabiliuit Nicolaus ſecundus, vt conſtat ex *c. 17. de conſanguinit. 35. q. 1.* vbi ſic ait. De conſanguinitate ſua vxorem nullus ducat vſque poſt generationem ſeptimam. Idem decernitur *c. 19.* ex Concilio Lugdunenſi, cuius hæc verba ſunt. Nulli ex propinquitate ſui ſanguinis vſque ad ſeptimum gradum vxores ducant. Denique idem firmatum fuit ab Alexandro ſecundo *c. ad ſedem Apoſtolicam 35. q. 5.* Patet igitur iure ſaltem Eccleſiaſtico fuiſſe olim inter Chriſtanos matrimonium prohibitum vſque ad ſeptimum gradum incluſiuè. Poſtea verò ſucceſſu temporis prohibita fuiſſe ſolùm coniugia conſanguineorum vſque ad quartum gradum incluſiuè, conſtat ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio, cuius hæc diffinitio eſt relata titulo *de conſanguinitate & affinitate c. 8.* his verbis. Non debet reprehenſibile iudicari, ſi ſecundùm varietatem temporum ſtatuta quandoque varientur humana, præſertim, cùm vrgens neceſſitas, vel euidens vtilitas id expoſcat: quoniam ipſe Deus ex his quæ in veteri Teſta-

Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutauit in nouo. Prohibitio igitur quoque copulæ coniugalis quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum de cæteris non excedat, quoniam in vlterioribus gradibus, iam non poteſt abſque graui diſpendio huiuſmodi prohibitio generaliter obſeruari. Quod Eccleſiæ decretum, matrimonium infra quartum gradum conſanguinitatis prohibens, hodie ſeruatur in Eccleſia Dei. Hoc itaque vt certũ ſupponendũ eſt. Reſtat verò difficultas, an prædicta matrimonia prohibita, ſint iure naturæ illicita, ita vt verè fiat contra ius naturæ; eo pacto, quo obligatus voto caſtitatis, aut ſponſalibus cum alia contractis, contra ius naturæ illicitè init matrimonium cum altera, tametſi non inualidè.

2 Duo circa hanc rem ſunt à nobis explicanda. *Primum*, an omnes conſanguinitatis gradus ſint ab intrinſeco ac iure naturæ illiciti & prohibiti ad contrahendum matrimonium. *Secundum*, an ita ſit intrinſecè malum contrahere matrimonium in primo gradu conſanguinitatis, vt in nullo euentu id liceat; nec Deus ad id matrimonium contrahendum poſſit facultatem concedere. Circa primum affirmant nonnulli,

3 *Primò*, quia filij parentibus naturaliter debent quandam reuerentiam, & conſequenter etiam iis quibus ſanguine ſunt coniuncti; cui repugnat ex natura rei matrimonij vſus.

Secundò, inter tales conſanguineos magna ſolet intercedere conſuetudo, & familiaritas, ergo frequenter inter eos periclitaretur pudicitia, ſi iure naturæ licitum eſſet iis matrimonium, cuius ſpes ad impudica excitat, & illius deſperatio ab his auertit.

Tertiò, intereſt reipublicæ, vt docuit D. Auguſtinus 15. de Ciuit. *c.* 26. vt conſideratio nuptialis ad plures extendatur, qui alieniores eſſe videntur, quales ſunt, qui extra quartum gradum ſunt; nam qui intra eum continentur ratione propinquitatis ſanguinis ſufficientem neceſſitudinem inter ſe habent. Vnde iſta communitas in republica, & hominũ ſocietas magis coaleſcit.

4 Dico *primò* cum omniũ Doctorũ ſententia, non omnes gradus conſanguinitatis iure naturæ ab intrinſeco prohibere contractum matrimonij, ita vt contrahere matrimonium intra tertiũ, vel quartũ gradũ, v.g. iure naturæ & ab intrinſeco illicitũ & malũ ſit. Hoc eſt certũ; ratio à priori eſt, quia illud generatim eſt contra ius naturæ, quod ex ſe cum natura rationali habet talem neceſſariam diſſonantiam, & repugnantiam, vt in nullo caſu ſcienter licitè fieri, aut appeti poſſit. Hoc modo odium Dei, mendacium, & verum furtũ rei alienæ inuito domino rationabiliter eſt ab intrinſeco malũ quia in nullo caſu nihil horum licitũ eſt, & honeſtũ, propter diſſonantiã euidentẽ. At in multis caſibus & euidentibus, licitum eſt & honeſtum ex diſpenſatione Pontificia contrahere matrimonium cũ conſanguineis intra tertiũ & quartũ gradũ conſanguinitatis lineæ tranſuerſalis vt experientia eſt manifeſtũ; ergo ſignũ euidens eſt id non eſſe contra ius naturæ, quod ſummus Pontifex immutare non poteſt. Firmo idem; nã illa matrimonia cẽſentur iure naturæ eſſe illicita, quæ continent talem indecentiam vt omnes gentes aliquo modo bene inſtitutæ illud ſẽper abominatæ ſint, & ſi quæ illud permiſerint, habitæ ſunt omnino barbaræ, & belluinæ; ſed matrimonia prædicta conſanguineorũ intra tertiũ & quartũ gradũ, & eorum vſus nõ cõtinent prædictam notabilem indecentiam, vt eſt per ſe notum; nam expedit ſæpe ob cauſas honeſtas & iuſtas matrimoniũ inter prædictas perſonas conſanguineas contrahi; ergo ea matrimonia illicita non ſunt ex natura rei, ſeu iure naturæ.

5 Dico *ſecundò*, idem dicendum de matrimoniis conſanguineorum intra ſecundum gradum lineæ tranſuerſæ. Moueor ob eaſdem rationes dicti præcedentis; nam neque hæc matrimonia per ſe nullam habent neceſſariam extrinſecam repugnantiam cum recta ratione; cùm ſæpè expediat ob cauſas legitimas, & iuſtas iudicio Eccleſiæ, vel ſummi Pontificis autoritate probata, talia contrahi matrimonia. Neque verò ex eo quod per accidens ob hominum malitiam contingat ex his matrimoniis ſæpe aliqua mala naſci; inferendum eſt ea eſſe iure naturæ illicita. Non enim omnis ea res eſt illicita, ex qua per accidens natum eſt ſequi malum; aliàs oporteret omnem vſum vini eſſe illicitum, quia multi ſe inebriant. Tota difficultas eſt de primo gradu conſanguinitatis, & etiam in gradu ſecundo in linea recta.

Dico itaque *tertiò* matrimonium in gradu primo 6
conſanguinitatis lineæ rectæ, vt inter patrem & filiã, matrem & filium, iure naturæ eſſe illicitum. Ita communis omnium Doctorum ſenſus. Et ratio eſt, quia tale matrimonium continet talem indecentiam notabilem, vt omnes gentes aliquo modo bene inſtitutæ illud ſemper abominatæ ſint; & ſi quæ illud permiſerint, habitæ ſunt omnino barbaræ & belluinæ; ergo id matrimonium iure naturæ illicitum eſt. Quod à priori confirmo, ſuppoſita doctrina illa à nobis probata ſuprà *diſp.* 19. *ſect.*.. homines non habere abſolutum dominium ſuorum corporum, ſed ſolùm tale, quale Deus illis concedere voluit. Quo præmiſſo eſt argumentum: Omnino incredibile videtur Deum dediſſe homini poteſtatem transferendi in alium dominium corporis ſui, ad eum vſum, qui nullo vnquam caſu futurus fuiſſet non ſummè inhoneſtus, & quem recta ratio ſummè deteſtatur; ſed talis eſt omnis vſus matrimonij inter filiam & patrem, vel inter filium & matrem, vt conſtat; ergo omnino incredibile eſt illis conceſſiſſe illam poteſtatem contrahendi, fieret igitur illicitè, ac iniquè tale matrimonium.

Vnde colligo tale matrimoniũ, nullo vnquã caſu, ſine expreſſa Dei conceſſione, licitè, & honeſtè contrahi poſſe; tametſi ſoli pater & filia ex omni hominum genere ſupereſſet, propter eius maximã indecentiam, ita à ratione abhorrentẽ. Vnde in eo caſu potius præſumi debet Deum velle totum humanum genus perire, quod permiſiſſet in eum ſtatum incidere, in quo nõ poſſet vlterius licitè conſeruari ſine conceſſione rei, quam ita ipſa natura abhorret; præſertim cum infinitis aliis modis decentiſſimis potuiſſet eum caſum impedire; vtrùm verò poſſet Deus dare & concedere eã facultatem, dicam *in* 2. *parte ſectionis.*

Obiicies nonnullos Sanctos Patres, vt Chryſoſtomũ *hom.* 44. *in Geneſim*, & B. Ambroſ. *lib* 1. *de Abraham c.* 3. excuſare filias Loth cum patre dormientes, à peccato, quia hoc fecerunt exiſtimantes omnes alios homines periiſſe. Vnde in tali caſu cenſent hi Patres hoc fuiſſe licitum. Reſpondeo negando antecedens: ſolùm enim prædicti Patres volunt eas ex perturbatione erraſſe, tam circa mundi interitum, quàm circa neceſſitatem huius remedij. Nam etiamſi verè tunc illi ſoli fuiſſent in mundo, & tali caſu licitè filia patri nuberet; tamen illæ excuſari ſine ratione non poterant, quæ ſine vllis nuptiis patri copulatæ ſunt, eũque aſtutè inebriarunt, vt ad tantum ſcelus ignarum pellicerent, quod ſciebant ſobrium nunquam admiſſurum: falsũ igitur eſt prædictos Patres dixiſſe, ſecluſa ignorantia, & omni animi perturbatione, potuiſſe illa vnquam licitè fieri.

Dico *quartò*, matrimoniũ in primo gradu conſanguinitatis lineæ tranſuerſæ, vt fratris & ſororis iure 7
naturæ eſſe illicitum, ſaltem extra grauiſſimam neceſſitatem. Ita Sanchez *diſp.* 52. *n.* 14. *ad finem*, Coninch

diſp.

diſput. 23 *dubio* 1. *n.* 19. & alij. Ratio eſt, quia matrimonium fratris & ſororis ex ſe continet grauem indecentiam, ita vt omnes ferè gentes bene inſtitutæ illud abhorruerint: vnde Abraham ſufficienter ſibi viſus eſt perſuadere Ægyptiis Saram non eſſe ſuam vxorem, dicendo eam eſſe ſuam ſororem, *Geneſ.* 12. *c.* quaſi hæc duo eſſent incompatibilia.

8 Dico *vltimò*, matrimonium aui & neptis, auiæ & nepotis, & aliorum aſcendentium & deſcendentium præter primum gradum, non eſſe iure naturæ, & ab intrinſeco illicitum, ſecluſo iure poſitiuo. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia illi non dicuntur verè parentes, nec debetur illis naturaliter eadem reuerentia, idem honor qui patri & matri, ſolùm enim ſecundùm receptiſſimam conſuetudinem nationum bene inſtiuutarum, debetur illis maior honor tanquam altiori principio per accidens concurrenti. Firmatur manifeſta diſparitate patris, & aui; nam pater eſt per ſe principium filij; auus verò tanquam per accidens, cùm poſſit eſſe filius ſine auo, vt patet in filiis Adami: minor etiam eſt participatio ſanguinis inter auum & nepotem, quàm ſit inter patrem & filiam; ergo non debetur tanta reuerentia auo, ſicut & ipſi patri; ergo tametſi matrimonium patris & filiæ, vel matris & filij ſit iure naturæ omnino illicitum ab intrinſeco, non ſequitur idem dicendum eſſe de matrimonio aui & neptis, vel auiæ & nepotis. Videantur quæ dicemus infrà *ſectione quarta*.

Ad argumenta ſuprà adducta, prout opponuntur primo & ſecundo dicto.

Ad primum concedo matrimonij vſum inter conſanguineos habere quandam indecentiam, & ideo expedire vt talia matrimonia minimè contrahantur; non tamen inde ſequitur ea per ſe vllam habere cum recta ratione repugnantiam, præterquam in primo gradu conſanguinitatis lineæ rectæ.

Ad ſecundum ſimiliter reſpondeo ſæpè expedire vt matrimonium minimè contrahatur inter conſanguineos, propter eam rationem; inde tamen non ſequitur, ſtando in iure naturali præciſè, illud ſemper illicitè contrahi, quia illa malè ſequuntur per accidens ob hominum malitiam.

Ad tertium etiam pari modo affirmo, expedire & eſſe valde conueniens, ac iuri naturæ conforme, vt talia matrimonia non fiant; non verò eſſe neceſſariam cum recta ratione repugnantiam ad illa contrahenda.

9 Circa ſecundum eſt præcipua difficultas, an conſanguinitas in primo gradu ita faciat iure naturæ illicitum matrimonium, vt etiam ſit ab intrinſeco malum in caſu extremæ neceſſitatis propagandi genus humanum, vt ſi in mundo tantùm ſupereſſent mater & filius, vel pater & filia. Baſilius Ponce *lib.* 7. *c.* 31. *n.* 5. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 51. *n.* 10. & alij, quos ipſe refert, affirmant licere tale matrimonium in caſu extremæ neceſſitatis propagandi genus humanum. Probant, quia malum Ordinis inferioris, quale damnum priuatum irreuerentiæ paternæ conſurgens ex tali matrimonio, debet cedere & cohoneſtari propter ſuperioris Ordinis bonum commune conſeruationis ſpeciei humanæ, vt nimirum huic conſulatur; ſicut ſolet & debet damnum vitæ cohoneſtari propter bonum rationis.

Alij verò, Caietanus 2. 2. *q.* 154. *a.* 9. Petrus Ledeſma *q.* 54. *a.* 3. *difficult.* 2. Coninch *diſput.* 32. *n.* 14. & Hurtado *diſput.* 18. *difficult.* 3. negant licere ſine expreſſa Dei conceſſione. Probant, quia etiam in dicto caſu irrogatur maxima irreuerentia oppoſita pietati, aut obſeruantiæ cui priuatus cedere, aut acquieſcere nequit, cùm ſit oppoſita pietati, aut obſeruantiæ, & non iuſtitiæ, cuius damno poteſt ex rationabili cauſa cedere, & acquieſcere. Addunt tamen ex Dei conceſſione, qui poteſt debitum reuerentiæ extinguere, aut aliter coniunctionem inter dictos conſanguineos honeſtare, poſſe inter illos matrimonium licitè contrahi.

Dico *primò*, matrimonium inter fratrem & ſororem non eſſe ita iure naturæ & ab intrinſeco malum & illicitum, vt in nullo euentu extremæ neceſſitatis genus humanum propagandi, illud non liceat. Moueor duplici ratione. 10 *Prima* eſt, quia non videtur credibile Deum voluiſſe inter eos illicitum eſſe ac inhoneſtum matrimonium per quos voluit genus humanum initio propagari. Quare ſicut ex conceſſione Dei filij Adæ potuerunt initio mundi inter ſe contrahere matrimonium, ita ex eadem conceſſione poterunt ſorores & fratres licitè inire matrimonium, vrgente extrema illa neceſſitate, ne totus intereat mundus. Firmo, nam in tali caſu negandum non eſt, Deum dediſſe hominibus facultatem transferendi in alium dominium corporis ſui, ad eum vſum, qui eſt ſimpliciter neceſſarius ad conſeruationem ſpeciei; vnde tunc obligat præceptum nubendi ob bonum commune; ergo matrimonium inter fratrem & ſororem in eo euentu licitum eſt & honeſtum.

Dico *ſecundò*, etſi ſolus pater & filia, vel mater & 11
filius ex omni hominum genere ſupereſſent, non fore licitum in eo caſu matrimonium contrahere, nec Deum poſſe talem facultatem concedere. *Prima pars* eſt Doctorum ſecundæ ſententiæ, & probatur, quia illud eſt adeò intrinſecè malum, & ita à ratione abhorrens, non ſecus ac mendacium, vt nulla decenti cauſa cohoneſtari poſſit. *Secundum*, liquet, quia cùm talis vſus nequeat vllo modo honeſtari propter intrinſecam indecentiam, non ſecus ac odium Dei & mendacium, non videtur poſſibilis Dei conceſſio ad tale matrimonium & vſum peragendum. Vnde in eo euentu iudicandum eſt Deum velle totum genus humanum perire, ne talis indecentia cõmittatur, præſertim cùm facile potuiſſet eum caſum impedire infinitis aliis modis decentiſſimis.

Ad argumentum dico nullo modo in eo euentu fore præceptum obligans conſeruandi ſpeciem humanam propter bonum commune, quia ille vſus matrimonij eſſet modo omnino indebito, & omnino repugnante rectæ rationi naturali ob eius maximam indecentiam, vt dictum eſt.

Sectio III.

An in primo gradu conſanginitatis aſcendentium & deſcendentium in recta linea ſit matrimonium ita iure naturæ illicitum, vt etiam eodem iure ſit irritum, ac nullum.

Hactenus oſtenſum eſt, in quo gradu conſanguinitatis ſit ab intrinſeco & iure naturæ illicitum contrahere matrimonium. Cùm autem certum ſit apud omnes, non eo ipſo quo matrimonium iure naturæ ſit illicitum in aliquo gradu, conſequi eodẽ iure ipſum irritum eſſe: nam conſtat matrimonium contra priorem ſponſalium fidem, vel contra ſimplex votum caſtitatis in ſæculo emiſſum, opponi iuri naturali dictanti, fidem Deo per votum, & homini per ſponſalia datam, ſeruandam eſſe; cùm tamen ſit certum in neutro euentu matrimonium irritum

non eſſe. Hinc igitur oritur difficultas, vnde colligenda ſit prædicti matrimonij irritatio, attento ſolo iure naturæ. Id modò diſcutimus in hac ſectione de matrimonio in primo gradu lineæ rectæ, nempe inter patrem & filiam, & matrẽ & filium; dicturi in ſequẽtibus de aliis gradibus conſanguinitatis.

2 Ratio autem dubitandi eſt, quia irritatio petenda eſt ex ipſa natura, & intrinſeco matrimonij fine, qui eſt ſobolis procreatio, & remediũ concupiſcentiæ. Vnde ſi naturæ ipſi & fini opponatur, irritum erit, quod ſi non opponatur, tametſi ex aliqua extrinſeca circumſtantia ius naturale violetur, vt contingit in matrimonio contracto contra priora ſponſalia, vel cõtra votum ſimplex caſtitatis, erit quidem tale matrimoniũ illicitum, non verò irritum. At matrimonium inter patrẽ & filiam, vel inter matrem & filium naturæ ipſi non aduerſatur, quia poſſunt parentes & filij ex natura rei mutuam ſibi corporum poteſtatem tradere, tanquam illorum veri domini, ad indiuiduam vitam tranſigendam, in quo conſiſtit natura, & ſubſtantia matrimonij. Neque etiam aduerſatur fini primario, cum inde ſubſequi poſſit generatio prolis, & rectæ eius educationi deſeruiat mutuus amor parentũ & filiorum. Nec denique repugnat ſecundario fini, cùm ad extingendum libidinis ardorem non parum conducat.

3 Cùm omnium tamen Doctorum certa doctrina, dicendum eſt prædictum matrimonium inter parentes & filios eſſe iure ipſo naturæ irritum. Hanc veritatem pulchrè S. Ambroſius expreſſit *epiſtola 66. ad Paternum*, his verbis. Ne pater filiam ſuam accipiat vxorem, interdictum eſt naturæ iure, interdictum eſt lege quæ eſt in cordibus ſingulorum; interdictum eſt inuiolabili præſcriptione pietatis, titulo neceſſitudinis. Quod D. Ambroſius de patre & filia dixit, pari, imò & potiori iure de matre & filio dictum puta; plus enim videtur habere indecentiæ, atque turpitudinis matrem nubere filio, quàm filiam patri; nam in his nuptiis filiæ cum patre non adeò inuertitur naturalis ordo regiminis, quia filiæ & vxoris eſt patri, & marito ſubiici; in illis autem filij cum matre funditus euertitur, quia cùm ſit matris præeſſe filio, filius præeſſe deberet matri, quia maritus eius eſſet; & eſt mariti in regendo præeſſe, & vxoris ſubiici. Firmatur idem, authoritate Adami, illuſtratione diuina matrimonij naturam, & naturalem legem edocti, qui cùm eſſet matrimonium cum ſua contracturus, ſic Deo inſpirante pronunciauit, *Gen 2. c. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Quibus verbis apertè diſiungit à coniugiis filiorum, parentes ipſorum, & à parentum filiis, cùm ab his illos deſerendos eſſe affirmet, vt adhæreant iis quas duxerint coniugibus. Vnde colligimus non in hoc tantum ſtatu naturæ lapſæ, ſe in illo quoque innocẽtiæ futurum perinde matrimonium parentum cum filiis iure naturæ irritum, atque nunc eſt; cùm Adamus illum innocentiæ ſtatum adhuc retinens, illa verba pronunciauerit. Nec mirum ſanè, cùm ſicut in vtroque ſtatu manet vera & propria ratio parentum, & filiorum, ita eadem inuiolabilis præſcriptio pietatis, idem titulus viciſſitudinis, vt loquitur S. Ambroſius, eademque proinde ſit à filiis debita parentibus obſeruantia, non ferens ſecum ex naturali iure familiaritatem veri ac validi coniugij. Ratione probari ſolet dicta concluſio, quia vſus coniugalis ad quem matrimonio confertur ius iuſtitiæ, nequit ex ſua natura, & ſuo obiecto, & ſemper, & in omni caſu non eſſe inhoneſtus in prædictis conſanguineis, nempe in filio, & in matre, & in patre, & in filia; cùm nequeant non eſſe contra reuerentiam ſuapte natura parentibus debitam; inde talis vſus continet talem indecentiam, vt omnes gentes aliquo modo bene inſtitutæ, illud ſẽper abominatæ ſint; & ſi quæ illum permiſerint, habitæ ſint omnium barbaræ, & belluinæ; ergo conſanguinei in dicto gradu inhabiles ſunt ad matrimonium, quo prædictum ius confertur, inhabilitate orta ex natura dictæ conſanguinitatis, ac proinde iure naturali. Verùm, meo iudicio, hæc ratio non vincit: ſolum enim probat id matrimonium, & eius vſum eſſe iure naturæ illicitum, non verò irritum, vt rem conſideranti apparet manifeſtum. Vnde ex prædictis principiis & aliis quibus prædicta concluſio communiter probari ſolet & probatur à noſtro Thoma Sanchez *diſp. 51. n. 7.* ſatis difficulter oſtenditur, prædictam conſanguinitatem iure naturæ dirimere matrimonium. Quare exiſtimo nullam aliam rationem firmiorem ad illud probandum adduci poſſe, niſi illam, quæ deducitur ex illo principio à nobis ſuprà tradito præcedenti ſectione *num. 7.* nempe homines non habere abſolutum dominium corporum ſuorum, ſed ſolùm tale, quale Deus illis conceſſit; atque ideo inualidè illud alteri per matrimonium tradere, alia ratione, quàm Deus illud conceſſerit. ex hoc enim principio formatur hæc ratio efficax. Nam dedecet infinitatem, honeſtatem ac ſanctitatem Dei dediſſe homini poteſtatem transferendi in alium dominium ſui corporis ad eum vſum, qui adeò eſt ſummè inhoneſtus, ac indecens, & rectæ rationi repugnans, vt nequeat vllâ causâ iuſtâ honeſtari; talis verò eſt omnis vſus matrimonij inter patrem & filiam, & inter filium & matrem; cùm conſtet copulam parentis cum prole naturam ita grauiſſimè abhorrere, vt etiam plurima bruta eam abhorreant, nec ad eam adigi poſſint. Igitur dicendum eſt nunquam Deum conceſſiſſe poteſtatem id matrimonium contrahendi. Firmatur hæc ratio, quia, vt dixi præcedenti ſectione *num. 11.* tale matrimonium in nullo vnquam caſu poteſt honeſtari, nec ideo poſſe Deum concedere facultatem illud contrahendi, etiamſi ſoli pater & filia, vel filius & mater ex omni hominum genere ſupereſſent.

Hinc patet ſolutio ad rationem dubitandi, irritationem matrimonij iure naturæ, non ſolùm eſſe petendam ex fine illius primario, qui eſt prolis generatio, & educatio, ſed etiam ex defectu iuris & poteſtatis naturalis transferendi alteri dominium ſui corporis. Conſtat autem, vt diximus, neque in patre reſpectu filiæ, & è contra, nec in filio reſpectu matris, & è conuerſo, eſſe naturalem facultatem transferendi mutuum dominium ſuorum corporum. 4

Sectio IV.

An in ſecundo gradu in tertio & quarto & vlterioribus gradibus aſcendentium, & deſcendentium in recta linea, ſit matrimonium irritum iure naturali.

Sanchez *lib. 7. diſp. 51. n. 19.* cũ multis, quos refert, & Baſilius Ponce *lib. 7. c. 31.* affirmat cõſanguinitatem 1

Digitized by Google

tem aſcendentium & deſcendentium præter primum gradum, non dirimere matrimonium iure naturali in omnibus aliis vlterioribus gradibus lineæ rectæ vſque ad Adamum. Probant. Tum quia conſanguinitas, quæ eſt quædam ſanguinis participatio, valde minuitur in vlterioribus gradibus præter primum, & in remotioribus tandem euaneſcit. Tum etiam, quia in acceſſu carnali inter coniunctos in remotioribus gradibus non fit irreuerentia adeò notabilis, vt ſit ſufficiens ad dirimendum matrimonium iure naturæ. Nam auus & cæteri aſcendentes non ſunt principium nepotis per ſe, ſed per accidens: ad rationem enim filij vt filius eſt, ſolùm deſideratur vt à parentibus originem ducat; vnde per accidens eſt vt ſuus pater alium habuerit patrem; filij enim Adam carentes auo, ita veri filij fuerunt, ac ſi illum habuiſſent. Igitur reuerentia debita auis à nepotibus non eſt debita neceſſariò & per ſe, ſed per accidens, vtpote, quæ in ſola ratione principij & cauſæ per accidens, quaſi applicantis genitorem fundatur. Non ergo ea reuerentia & ſuperioritas quaſi per accidens poterit eſſe impedimentum matrimonij irritans iure naturæ.

2 Altera ſententia huic oppoſita, quæ eſt Scoti *in 4. diſt. 40. quæſt. vnica a.* 2. noſtri Cardinalis Bellarmini *lib. 1. de matrimonio c.* 28. Coninchij *diſp.* 32. *dub.* 1. *n.* 16. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 112. Hurtado *diſp.* 17. *difficultate* 4. *num.* 9. Mæratij *de matrimonio diſput.* 9. *ſect.* 2. *num.* 11. *& ſequentibus* & aliorum, è contrario docet conſanguinitatem ſuo iure naturali dirimere matrimonium in quocumque gradu lineæ rectæ, etiam vſque ad Adamum. Probatur, quia, cuicumque aſcendenti, etiam remotiſſimo, debita eſt iure naturali reuerentia, vtpote principio naturali, & per ſe; quilibet enim aſcendens, quantumuis mediatus, & remotus, eſt principium per ſe deſcendentis, quia mediatus ea ratione eſt principium ſui deſcendentis remoti, qua eſt ſui proximi deſcendentis, quia medio proximo deſcendente eſt principium aliorum; in copula autem carnali ob eius turpitudinem fit irreuerentia principio naturali, & naturaliter ſuperiori, & inæquali. Firmatur, quia omnes aſcendentes dicuntur verè parentes, & debetur illis naturaliter idem honor, qui patri, & matri, imò ſecundam receptiſſimam conſuetudinem maior auo & auiæ, tanquam veris & anterioribus principiis. Et apud omnes gentes hæc matrimonia non fuerunt minus abominabilia, quàm patris cum filia: & matrimonium patris & filiæ ideo præcipuè à Deo negatum, iure naturæ eſt irritum, quia eſt contra reuerentiam parenti debitam; ergo vbi ſimilis iure naturæ debetur reuerentia, erit ſimiliter irritum. At inter auum & neptem, inter auiam & nepotem, & ſimiliter inter proauum & proneptem, inter proauiam & pronepotem, & ita ſemper inter aſcendentes, ac deſcendentes in eodem lineæ rectæ gradu, exiſtit ſimilis in iiſdem parentum & filiorum titulis fundata neceſſitudo, & hinc ab his debita illis obſeruantia, & reuerentia; nam auus eſt & verè dicitur neptis pater, hæc eius filia: auia quoque nepotis mater, hic eius filius: ſimiliter proauus reſpectu proneptis, & pronepos reſpectu proauiæ, & ita ſemper in infinitum. Vnde *Matthæi cap.* 1. & paſſim in Scripturis Chriſtus dicitur non minus propriè, ac ſine metaphora, quàm verè, filius Dauidis, filius item Abrahæ, hicque proinde & ille eius pater & nos ab Adamo verè & propriè trahimus omnes peccatum originis, quod minimè traheremus, niſi ille eſſet propriè ac verè genitor noſter, & nos eius filij; quiſquis enim non eſſet eius per carnalem generationem, vt parentis filius, aut filia, eſſet incapax contrahendi ab ipſo originale peccatum. In hac re

3 Dico *primò*, non eſſe ridiculam præſentem quæſtionem ob maiorem inæqualitatem ætatis, ob quam videtur matrimonium aui, & neptis, vel auiæ & nepotis non poſſe contingere. Patet. Tum quia auus quinquagenarius, & ſexagenarius poteſt habere neptem, & proneptem nubilis ætatis. Quòd enim ſexagenarius nubat viginti annos habenti, quid obſtat, cùm eiuſmodi coniugia videamus quotidie iniri? Igitur expediens eſt examinare an prodictum matrimonium eſſet iure naturæ irritum. Tum etiam, quia ſi Deus per miraculum auum, vel proauum conſeruaret, non immeritò de illo examinari poteſt, ac poſſet nubere neptæ. Vel etiam ſi Adamus reſurgeret, an poſſet contrahere cum vlla, quia quæuis deſcendit ab illo per lineam rectam. Similiter Enoch cùm redibit in fine mundi, an poſſet inire matrimonium, quia omnes oriuntur ab illo per Noe.

4 Dico *ſecundò*, veriorem eſſe priorem ſententiam, non ſolùm non dirimi matrimonium iure naturæ in vlterioribus gradibus præter primum, in infinitum, ſed neque in quarto, neque in tertio, neque in ſecundo; atque adeò ſolùm dirimi in primo gradu aſcendentium & deſcendentium linea recta. Moueor *primò* ratione iam aſſignata pro illa ſententia; quia ius naturæ fundatur in his quæ ſunt per ſe, non verò in his quæ ſunt per accidens, nam cùm ius naturæ ſit omnino immutabile, & ſemper idem non attendit ad ea quæ per accidens contingunt, ſed ad ea quæ per ſe ex natura rei neceſſariò inſunt. At reuerētia & obſeruantia filiorum debita immediatis parentibus eſt per ſe, ac ſimpliciter neceſſaria; debita verò aliis aſcendentibus remotioribus ſecundi, tertij, quarti, & cæterorum graduum in infinitum ſolùm eſt debita per accidens; nam ſoli immediati parentes ſunt cauſa per ſe filiorum, reliqui verò aſcendentes ſunt cauſa per accidens. Igitur ſola obſeruatione ac reuerentia fundata in cauſa per ſe filiorum dirimit matrimonium iure naturæ. Præterea credibile non eſt Deum negaſſe hominibus poteſtatem transferendi dominium ſui corporis in alios aſcendentes, excepto primo gradu, cùm illius vſus non ſit adeò indecens & rectæ rationi diſſonus: nam hic congreſſus non eſt ita intrinſecè malus, quemadmodum eſt mendacium formale, odium Dei, & alia quæ ſunt mala per modum actus ex ſe tendentis in obiectum intrinſecè malum, ſed ſolùm eſt malus, quia ipſum obiectum habet aliquam indecentiam; hæc autem non eſt ita intrinſeca, quin poſſit tolli, & fieri honeſta, vrgente aliqua iuſta cauſa. Denique optima eſt congruentia, quia in aliis gradibus præter primum, cognati filij non habent immediatam coniunctionem, & obſeruantiam, ac reuerentiam cum auis, proauis, & aliis aſcendentibus, ſed tantùm ratione parentum; quæ non ita videtur aduerſari matrimonio, vt hoc irritare cenſeatur. Vnde rectè D. Thom. 2. 2 *quæſt.* 154. *art.* 9. *ad* 3. ſic dicit. In commixtione perſonarum coniunctarum aliquid eſt, quod eſt ſecundùm ſe indecens, & repugnans naturali rationi, ſicut quòd commixtio fiat inter parentes & filios, quorum eſt per ſe & immediata cognatio; nam filij naturaliter honorem debent parentibus. Vnde Philoſophus dicit *in 9. de animalibus*, quòd quidam egenus, quia deceptus fuit vt matri commiſceretur, ſeipſum præcipitauit, quaſi præ horrore, eo quòd etiam animalibus aliquibus ineſt naturalis reuerentia

ad parentes. Aliæ verò perſonæ, quæ non coniunguntur ſecundùm ſeipſas, ſed per ordinem ad parentes, oon habent ita ex ſeipſis indecentiam; ſed variatur circa hoc decentia, vel indecentia ſecundùm conſuetudinem, & legem humanam. Hæc D. Thomas. In quibus verbis docet optimè S. Doctor, in commixtione cognatorum primi gradus lineæ rectæ, nempe parentum & filiorum, ſe inuenire manifeſtam indecentiam, videlicet indecentiam ſecundùm ſe, & repugnantem naturali rationi; at inter alios vlteriorum graduum, inter quos non eſt immediata coniunctio, non inuenire indecentiam naturalem, ac repugnantem omnino rectæ rationi naturali, ſed eam variari ſecundùm conſuetudinem & legem humanam. Quare non erit inter illos ex natura rei impedimentum iure naturali irritans matrimonium. Hinc

5 Colligo *primò*, infideles matrimonio coniunctos cum quocumque aſcendente, demptis patre & matre, dummodo non contra leges ſuas, vel conſuetudines matrimonium irritantes illud inierint, conuerſos ad fidem, non eſſe ſeparandos. Ratio eſt, quia in lege oaturæ, qua ſola aſtringuntur, & iuxta leges ſuas id matrimonium eſt validum; nec conuerſi ad fidem ſeparandi ſunt à matrimonio non inito contra ius naturæ irritans, vt habetur *cap. gaudemus, de diuortiis*, niſi aliàs ſpeciali aliqua lege ootum irritetur.

6 Colligo *ſecundò* poſſe fideles matrimonium contrahere in linea recta aſcendentium & deſcendentium, vltra quartum gradum. Ratio eſt, quia iure naturæ ſolus primus gradus prohibetur, & iure Eccleſiaſtico prohibitio non excedit quartum gradum, vt infrà dicemus *ſectione*...

7 Ad argumentum oppoſitum pro ſecunda ſententia, iam dictum eſt, auis, proauis, & cæteris aſcendentibus non exhiberi reuerentiam tanquam principiis & cauſis per ſe, ſed per accidens; atque ideo reuerentiam debitam illis, non eſſe debitam neceſſariò & per ſe, ſed per accidens, vtpote quæ in ſola ratione principij, & cauſæ per accidens fundatur; & conſequenter non irritare matrimonium iure naturæ. Ad confirmationem, ſi ſermo ſit de reuerentia naturali, negandum eſt antecedens, videlicet debere maiorem exhiberi auo, quàm patri; nam reuerentia naturalis reſpectu aui eſt per accidens, at reſpectu patris eſt per ſe; auus enim reſpectu nepotis non habet rationem genitoris, ſed ſolam rationem cauſæ quaſi applicantis genitorem; at cauſa applicans aliam cauſam ſuo effectui, non eſt per ſe, ſed per accidens cauſa illius effectus. Si autem ſit ſermo de reuerentia politica, iuxta varias humanas leges, aut conſuetudines ſolet eſſe maior; quia auum vt primum dominum, ac primum in gubernando principium teueremur. Ob hanc verò reuerentiam, & ſuperioritatem, ſolent lata ſignificatiooe aſcendentes vocati patres, & deſcendentes quoque filij, non quia ſint propriè principium filiorum per ſe, nedum illorum progenitores, niſi tantùm per accidens, & per modum cauſæ quaſi applicantis filiorum genitores.

Sectio V.

Vtrùm conſanguinitas in linea tranſuerſali iure naturali dirimat matrimonium.

1 DOctores conueniunt, conſanguinitatem in ſecundo, tertio, & vlterioribus gradibus lineæ tranſuerſæ, noo dirimere matrimonium iure naturali. Quod maximè firmatur auctoritate Innocentij III. *in cap. gaudemus, de diuortiis.* Vbi quæſitum fuerat à Pootifice, ao Pagani, qui in ſecundo, vel tertio, vel vlteriore gradu lineæ tranſuerſalis contraxerant matrimonium in Paganiſmo, poſtea ad fidem conuerſi poſt Baptiſmum, deberent ſimul remanere, vel abinuicem ſeparari. Reſpondet non eſſe ſeparandos, quia in prædictis caſibus Pagani licitè contrahunt matrimonium, quia conſtitutionibus Canonicis non arctantur. Ergo apertè definit Pontifex ſaltem virtute, non eſſe inualida iure naturæ matrimonia illa in ſecundo, tertio, & vlterioribus gradibus. Nec verò inde inferendum eſt cum Soto *in 4. d. 40. quæſt. vnica, art. 4.* manifeſtè prædicto textu definiri in primo gradu eſſe irritum matrimonium iure naturæ. Quia hoc non fuerat à Pontifice poſtulatum, & ita nihil circa hoc eo capite decernit. Quare ibi ſolum declarauit id quod certum erat, relinquens primum gradum, qui ſub dubio manet. Sicut ex eo quod Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. de Pœnitentia cap. 7* definiat, circumſtantias mutantes ſpeciem eſſe neceſſariò confitendas; non ſequitur declarare, eas quæ non mutant, ſed intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauant, non eſſe neceſſariò in confeſſione explicandas. Præterea idem oſtenditur, quia viri in Scriptura ſacra valde commendati inierunt matrimonium in ſecundo gradu. Abraham enim duxit Saram, quæ aliter dicta eſt Ieſcha, filiam fratris ſui Aram, vt patet *Geneſ.* 11. Amram quoque pater Moyſis duxit Iochabed, ſororem patris ſui, *Exod. 6. num.* 20. quam *ibi* Latious textus vocat patruelem, ſed Hebræus textus habet *patruam*. Signum igitur eſt inter hos conſanguineos matrimonium iure naturæ irritum non eſſe. Rurſus idem conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de reformatione matrimonij cap. 5.* vbi ſtatuit, vt in ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam. At diſpenſari ab Eccleſia non poſſet in hoc gradu, ſi matrimonium in hoc ipſo gradu contractum alio iure quàm Eccleſiaſtico, nempe iure naturæ eſſet irritum. Et certè quod iam ſæpiùs à Eccleſiæ capite Romano Pontifice, tam in hoc, quàm in vlterioribus gradibus. Eſſe reipſa diſpenſatum non dubium eſt. Denique idem ratio ſatisfacere videtur, quia inter eos conſanguineos in linea tranſuerſa, nulla eſt ſuperioritas naturalis, & à ſecundo gradu nō eſt tanta ſanguinis coniūctio, vt in eorum carnali coniunctione fiat irreuerentia notabilis, quamuis nonnulla appareat indecentia, præſertim in ſecundo gradu.

Eſt igitur difficultas de conſanguinitate in primo gradu lineæ tranſuerſæ, inter fratrem & ſororem, an dirimat matrimonium iure naturali.

Pars affirmans videtur eſſe communior apud Doctores, quam tenent Vaſquez, Rebellus, Sanchez, & alij, quos infert & ſequitur Bonacina *q. 3. puncto 5.* §. 1. Probatur 2

Primò, quia in hoc gradu nunquam eſt diſpenſatum ab Eccleſia, licèt ſit petitum, quod eſt ſignum Eccleſiam id non poſſe.

Secundò, in copula inter fratrem & ſororem eſt mutua irreuerentia ob tantam ſanguinis coniunctionem; ergo contractus matrimonij ad talem copulam ordinatus, nequit eſſe validus inter illos.

Tertiò idem firmatur ex naturalis rationis dictamine & communi ſenſu nationum omnium perpolitarum, & excultarum, quæ non modò à parentum cum filiis, ſed etiam à fratrum cum ſororibus nuptiis

ab

abhorrent maximè, non modò re, quia nunquam re ipſa contrahunt, ſed etiam prima cogitatione, vtpote, quas tanquam inceſtas, cum ſingulari indecentia, turpitudineque coniunctas, & naturali legi atque rationi aduerſantes apprehendunt, & iudicant, non ſecus ac eas, quas parentes cum filiis contraherent; ergo ſicut hæ filiorum cum patribus nuptiæ ſunt naturali iure inualidæ, ita & fratrum cum ſororibus nuptiæ. Vnde Abrahamus *Gen.* 20. propterea ſuaſit Saræ, vt diſſimulans ſe vxorem ipſius eſſe, diceret ſe eſſe ſororem; quaſi compertum genti illi barbaræ ſupponens, eam, quæ ſoror eſſet, non poſſe fratris vxorem eſſe. Quare vbi primùm Abimelech cognouit Saram vxorem eſſe Abrahæ, proculdubio intellexit non eſſe veram ſororem, & ideo conqueſtus eſt quòd ipſum decepiſſet, dicens ſororem ipſius eſſe.

Vltimò, ſuſpecta redderetur cohabitatio fratrum, ſi inter illos matrimonia valida eſſent; maxima enim præberetur anſa inflammandæ concupiſcentiæ; & paſſim ceſtus committerentur inter eos, vt vel ſic matrimonio iungerentur; facilius enim quis ab earum fœminarum concubitu abſtinere ſolet, cum quibus poſſibilis non eſt ſpes matrimonij futuri

3 Pars negans prædictum matrimonium irritum eſſe iure naturali, defenditur à D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *a.* 9. *ad* 3. à Caiet *ibidem.* Alexandro Alenſi, Richardo, Scoto, & aliis, quos refert & ſequitur Baſilius Ponce *lib.* 7. *c.* 32. *n.* 3. & ſequentibus, eiuſdem ſententiæ eſt Gaſpar Hurtado *diſput.* 17. *difficultate* 5. *n.* 12. quam valde probabilem cenſet idem Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 52. *n.* 12 Vbi etiam agens de infidelibus matrimonio coniunctis in primo gradu conſanguinitatis lineæ tranſuerſæ, vt ſunt fratres, dum ad fidem conuertuntur, ait, ſanum conſilium eſſe, ſi ægrè ferrent ſeparationem, amplectendam eſſe hanc partem negantem, & ſic in priſtino matrimonio relinquendos, vt vel ſic ſuauius, ac facilius ad fidem inuitentur.

4 Quælibet ex his duabus ſententiis probabilis valde eſt. Ego magis inclino in hanc ſecundam, ad quã amplectendam me valde mouet, *Primò*, quia fratres non habent inter ſe immediatam coniunctionem, & obſeruantiam, ac reuerentiam, ſed tantùm ratione parentum, quæ non videtur ita aduerſari matrimonio, vt hoc irritet. *Secundò*, non videtur intelligibile Deum voluiſſe inter eos irritum eſſe matrimonium, per quos volebat genus humanum initio propagari, & ita illud inſtituere, vt neceſſe fuerit in filiis Adæ inſtitutionem immutare, concedendo vt ij inter ſe contraherent, qui per matrimonij inſtitutionem ad hoc erant inhabiles; ergo euidens eſt non negaſſe fratribus facultatem transferendi dominium ſui corporis mutuo, cum id non ſit intrinſecè malum, nec rectæ rationi naturali neceſſariò repugnans. Quamuis enim in prædicto matrimonio reperiatur ex natura rei aliqualis indecentia, ob tantam ſanguinis coniunctionem, ratione cuius illicitum eſt inter prædictos matrimonium, ſicut eſt illicitum inter aſtrictos voto caſtitatis ſimplici in ſeculo, non tamen ideo tale matrimonium inualidum erit, ac irritum. Denique, res adeò grauis, qualis eſt irritatio matrimonij, nequit ſtatui ſine fundamento ſufficienti, quod hîc non eſt, vt patebit ex ſolutione argumentorum, quæ propoſita ſunt pro contraria ſententia.

5 Ad primum, licèt demus nunquam fuiſſe diſpenſatum, non inde ſequitur eſſe irritum iure naturæ; ideo enim nunquam diſpenſatum fuit in eo matrimonio, quia nunquam occurrit ſufficiens & neceſſaria cauſa ad diſpenſandum, quæ difficile occurrere poteſt ob tantam propinquitatem eius gradus. Addo, nos nunquam audiſſe, vel legiſſe diſpenſaſſe Pontificem, vt quis nubat duabus ſororibus; & tamen de facto hac noſtra ætate diſpenſauit in eo matrimonio Clemens Octauus, & ſuperioribus annis conceſſum, vt relictam fratris alter acciperet. Similiter idem poſſet contingere in matrimonio inter fratrem & ſororem, iuſta ſubſiſtente cauſa diſpenſandi. Iuſta verò videtur Baſilio Ponce *n.* 14. vt ſi Hiſpaniarum Princeps, cùm ex vna parte digna tanta regia maieſtate vxor non eſſet, nec ſine grauibus inconuenientibus iuxta prudentem virorum piorum & doctorum exiſtimationem, etiam illam adhuc non poſſet ducere, & ex alia parte illæ, quæ pari coniugio copulari poſſent, eſſent aut hæreſi infectæ, aut ſuſpectæ, vnde probabile periculum immineret, vel peruertendi Regis, vel inficiendi regni, quod non eſt difficile euenire; poſſet certè iuſtè diſpenſari, vt cum ſorore nuberet, maximè ſi vterina non eſſet.

Ad ſecundum, dico eo argumento tantùm pro- 6
bari, illicitum eſſe tale coniugium iure naturali ſine magna cauſa; negari enim non poteſt ob tantam ſanguinis coniunctionem reperiri indecentiam manifeſtam in copula inter eos, & in matrimonio ad eam ordinato; ob quod ferè ab omnibus gentibus fuit iure poſitiuo vetitum; hinc tamen non colligitur eſſe irritum iure naturali: nam maior, vel ſaltem æqualis turpitudo grauis cernitur in eo quòd idem duas ſorores ducat vxores, aut duo fratres eidem vxori copulentur, vtroque conſummato matrimonio, & tamen diſpenſari in eo poſſe, & iure naturali valere matrimonium, fatentur omnes. Æquè etiam grauis turpitudo cernitur in eo, quòd quis nouercam, aut priuignam ducat vxorem, vel relictam auunculi; & tamen ſolo Eccleſiaſtico impedimento ea coniugia dirimuntur. Denique non minor turpitudo relucet, quòd matrimonium infidelium conſummatum diſſolui poſſit, & vterque cum altera conſummare, coniuge ſuperſtite; & tamen auctoritate Pontificis fieri poſſe multi exiſtimant. Non ergo ratio illa ex irreuerentia, ac turpitudine deſumpta efficax eſt, ſed infirma.

Ad tertium dico, ſi mores hominum conſulan- 7
tur, cum aliquid ab omnibus recipitur, ſatis indicatur ab ipſo iure manare naturæ; quod verò modò ab his, modò ab illis ſatis etiam oſtendit non deduci neceſſariò ex naturæ principiis. Id certè inuenitur in matrimonio inter fratres: nam apud multas gentes fuit reprobatum & reiectum; apud alias verò etiam laude dignas fuit vſu & conſuetudine probatum, ac receptum. Nam apud Ægyptios fuiſſe in vſu matrimonia ſororum & fratrum, referunt Deodorus, & Pauſanias *in Atticis*. Ptolomæum nupſiſſe Arſinoe ſorori tradunt hiſtorici. Apud Athenienſes id in more receptum affirmat interpres Ariſtophanis, faterurque Ludouicus Viues *ad librum* 15. *de ciuitate Dei c.* 16. Addo ex ſacris litteris non leue colligi fundamentum exemplo Thamar ſororis Amon. Quæ, vt habetur 2. *Reg.* 13. dixit ad illum, *Noli frater mi, noli opprimere me, vel facere ſtultitiam hanc, quin potiùs loquere ad Regem, qui non negabit me tibi.* Quibus verbis inaniter ſe defendere conaretur puella, ſi illicitum, inauditum, non vſu receptum, aut quòd iuſta ſubſiſtente cauſa fieri non poſſet coniugium.

8 Ad vltimū reſpondeo ex eo quòd ſuſpecta reddatur cohabitatio fratrum, non ſequi inter illos matrimonia eſſe inualida iure naturali. Nam idem argumentum fieri poſſet ad reddendam ſuſpectam habitationem cum relicta fratris, aut cum duabus ſororibus, & conſobrina, quæ tamen abſque ſuſpicione cum patruis habitant, ſoceris, & fratribus maritorum; & abſque controuerſia certiſſimum eſt iure naturali non eſſe impedimentum dirimens, ſed tantùm iure Canonico. Quare ex eo quòd natura velit communem eſſe fratrum habitationem, tantum colligitur meritò Deum olim in veteri lege, & modò in noua Eccleſiam impedimentum conſtituiſſe, vt ſcientes ſe inualidè contrahere, non attentent, & ſi attentauerint, abſtineant à concubitu.

Sectio VI.

An gradus aliqui conſanguinitatis dirimat matrimonium iure diuino poſitiuo, in lege gratiæ.

1 CONſtans eſt omnium Doctorum ſententia, *Primò*, ex mero iure diuino poſitiuo nullum gradum conſanguinitatis irritare matrimonium in lege noua gratiæ. Patet, tum quia nullus eſt locus Scripturæ ſacræ in nouo Teſtamento, in quo ea irritatio contineatur. Tum etiam, quia nullum eſt hodie ius merè diuinum præter fidei & Sacramentorum præcepta; eſt enim commune axioma Theologorum in noua lege nulla eſſe diuina præcepta, niſi fidei & Sacramentorum. Quod ſic eſt intelligendum, vt præcepta fidei poſitiua ſint, vt præceptum credendi explicitè Trinitatem, vel myſteria Chriſti incarnati, paſſi, &c. hæc enim præcepta nec ſemper fuerunt, nec ex natura rei erant neceſſaria. Quibus addo præcepta ſpei, nam tenemur in lege gratiæ ſperare remiſſionem peccatorum, & gratiam explicitè per Chriſtum, quæ obligatio naſcitur ex ſpeciali præcepto Chriſti, nam antea non erat: præceptum quoque charitatis Dei, quia tenemur explicitè diligere Deum trinum & vnum, & præceptum quoque dilectionis proximi, quod præceptum nouum appellat Chriſtus *Ioan.* 13. quo indicat eſſe poſitiuum. Nouitas autem videtur in hoc ſiſtere, vt diſcipuli Chriſti, id eſt, Chriſtiani habeant particulare præceptum ſe diligendi ſpeciali modo, & peculiari titulo, quia in vno corpore eidem capiti Chriſto coniunguntur, & etiam amandi illos, qui extra Eccleſiam ſunt, deſiderando illis coniunctionem cum Chriſto, & cum Eccleſia. Præcepta autem Sacramentorum poſitiua ſunt, & affirmatiua; ſub Sacramentis autem comprehenditur ſacrificium, quia vnum eſt ex Sacramentis quoad rem in illo oblatam. Vnde nullum eſt hodie præceptum diuinum poſitiuum purè negatiuum, quia præcepta Sacramentorum tantùm ſunt affirmatiua.

2 *Secundò* eſt præmittendum *Leuitici* 18. *cap.* poni quoſdam gradus conſanguinitatis, qui in lege veteri matrimonium dirimebant. In linea recta ponitur duplex conſanguinitatis gradus, nempe patentum cum filiis, auorum cum nepotibus, & auiarum cum nepotibus. In linea tranſuerſa ponitur quoque duplex conſanguinitatis gradus, videlicet primus, vt fratrum cum ſororibus, ſiue ex vno, ſiue ex vtroque parente; & patrum ſecundus in linea inæquali, vt nepotis cum amita, aut matertera, id eſt, de ſobrino contra *hermana de padre, o madre.* Non tamen vetitum, nec irritum erat coniugium cum patruo, vel auunculo, id eſt, *con tio hermano de padre, o madre.* vt benè aduertunt Sotus, Victoria, Ballarminus & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *diſput.* 52. *n.* 1.

Tertiò certum eſt, gradus illos prohibitos non obligare in Euangelica lege, præciſè, quia in lege veteri, ſeu in Leuitico fuerint interdicti. Patet, quia de fide eſt legem veterem ceſſaſſe. Vnde merum ius diuinum peculiariter Hebræis traditum, iam omnino ceſſauit à lege noua. Solùm igitur reſtat duplex difficultas. *Prima* eſt, an obliget modò prædicti gradus reſpectu fidelium, quia ſunt omnes illi de lege naturali. *Secunda* eſt an ſaltè obligent reſpectu Iudæorū infidelium, qui in contrahendis coniugiis ſuis legibus, vtique latis *Leuitici* 18. gubernantur. 3

Circa primā difficultatem, Hæretici noſtri temporis affirmant omnia illa matrimonia, quæ *Leuitici* 18. prohibentur eſſe iure naturæ irrita, illa ſola intentione, vt propugnent facilius matrimonium Henrici octaui cum Anna Bolena. Probari poteſt

Primò, quia Innocentius III. *c. literas, de reſtit. ſpoliat.* expreſsè ait in gradibus conſanguinitatis diuina lege prohibitis Papam diſpenſare non poſſe. Vbi Gloſſa, *verb. diuina lege*, explicat de gradibus interdictis *Leuitici* 18. ergo ſupponit gradus illos diuinæ legis obligare modò; at non vt illius legis ſunt, cùm iam ceſſauerit; nec etiam vt ſunt legis humanæ, quia ſic ineptè diceret, diuina lege; ergo obligant tanquam de iure naturali. Firmatur idem ex *cap. ue infidelibus, de conſanguinitate*, vbi idem Innocentius III. definit non eſſe ſoluenda matrimonia infidelium facta iuxta legem Moyſi, quando iſti ad fidem veniunt. Vnde videtur ſequi eſſe ſoluenda tanquam irrita iure naturæ illa quæ facta eſſent contra eam legem. 4

Secundò, in eodem Leuitico arguuntur ſceleris Gentiles, eo quòd contraherent matrimonium in eis gradibus. Dicitur enim ibi poſt prohibitiones, Ne polluamini in omnibus his quibus contaminatæ ſunt vniuerſæ gentes; non faciatis ex omnibus abominationibus iſtis; ergo prædicta prohibitio manifeſtè videtur eſſe iuris naturalis, aliàs non comprehendi ſſet Gentiles, nec ſceleris & abominationis arguerentur, quòd in gradibus ibi prohibitis contraxerint.

Dico cum omnium doctrina, non omnes gradus *Leuitici* 18. prohibitos annullare matrimonium iure naturæ. Hoc eſt certum. Nam Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de Sacramento matrimonij canone* 3. expreſsè definit, hanc etiam eſſe aſſerere non poſſe diſpenſare Eccleſiam in nonnullis conſanguinitatis gradibus qui Leuitico exprimuntur. ergo euidens eſt non in omnibus illis gradibus eſſe irritum matrimonium iure naturæ, quia nihil Eccleſia, vel eius caput Romanus Pontifex poteſt circa hoc ius. Præterea id conſtat ex *capit. gaudemus, de diuortiis.* Vbi dicitur validum eſſe matrimonium in ſecundo gradu lineæ tranſuerſæ, & hæc matrimonia, quæ Gentiles in ſecundo gradu cōtraxerunt, iis poſtea cōuerſis non eſſe diſſoluenda; & tamen hic gradus erat vnus ex prohibitis in Leuitico. 5

Tertiò in Leuitico interdicitur matrimonium nepotis cum amita, vel matertera, & non interdicitur matrimonium nepris cum patruo, vel auunculo, & tamen ſunt in eodem ſecundo gradu conſanguinitatis lineæ tranſuerſæ inæqualis; ergo ſignum eſt prohibitionem non eſſe iuris naturalis. Prohibetur quoque ibi coniugium cum vxore fratris defuncti, & non cum ſorore vxoris defunctæ, & tamen eſt idem prorſus affinitatis gradus. At ſi omnia illa præcepta de gradibus eſſent iuris naturalis, aſtringerent in vniuerſum

uerſum ad vitanda matrimonia inter eundem gradum contracta.

Vltimò, ſuprà *ſect.* 4. oſtendimus non dirimi matrimonium iure naturæ in ſecundo gradu lineæ rectæ; & in linea tranſuerſali non dirimi in ſecundo, imò nec in primo, vt probauimus præcedenti ſectione; cùm tamen in Leuitico interdicatur ſecundus gradus in linea recta, vt auorum cum neptibus, & auiarum cum nepotibus; & ibidem etiam vetetur in linea tranſuerſa primus gradus, vt fratrum cum ſororibus, & quidam ſecundus gradus in eadem linea tranſuerſa, vt inter nepotem, & amitam, vel materteram; ergo.

Ad primum argumentum oppoſitum, reſpondeo, cùm dicitur Papam diſpenſare non poſſe in illis gradibus, intelligi debere regulariter, & ſine graui cauſa; vel non eſſe expediens ita diſpenſare. Et conſtat ſic ea verba intelligenda, quia ſtatim additur ibi, Papam non conſueuiſſe ſic diſpenſare. Quod fruſtrà adderetur, ſi abſolutè non poſſet in eis diſpenſare. Et dixit, in gradibus præſertim diuina lege prohibitis. Quia tametſi ea lex diuina ceſſauerit, at in reuerentiam diuinæ legis, quæ aliquando de illis fuit, maior eorum ratio habita eſt in aliquibus ſacris Canonibus, vt rectè aduertit Nauarrus *lib. 4. conſ. in 2. edit. tit. de ſponſ. conſ.* 14 *numer.* 8. Ad aliud caput de infidelibus, dico non decidere Papam matrimonia infidelium iuxta veteris legis ſtatutum inita, eſſe valida, quaſi limitans, dummodo iuxta illud ſtatutum ineantur, vt ſic liceat formare argumentum à contrario ſenſu: ſed rogatus eſt expreſsè, an matrimonia iuxta illius legis permiſſos gradus celebrata infidelitatis tempore, ſint valida. Et reſpondeo directè quæſtioni, valida eſſe: quia infidelitatis tempore valide poteſt matrimonium contrahi, dummodo non ſit in gradu lege naturali irritante prohibito.

Ad ſecundum argumentum occurro, Gentiles illos ſolitos fuiſſe ſine cauſa cohoneſtante contrahere illa matrimonia, indiſcriminatim in quouis gradu illorum, etiam in primo lineæ tranſuerſæ: vnde eſt vt grauiter reprehendantur. Niſi velis dicere nomen abominationis, aut ſceleris ibi referri ad alia crimina enormia eorum Gentilium, quæ ibi numerantur, vt Idololatriam, adulteria, ſodomias, beſtialitates.

6 Circa ſecundam difficultatem, an prædicti gradus prohibiti *Leuitici* 18. *cap.* obligent ſaltem reſpectu Iudæorum infidelium. Nam ipſi putant non eſſe abrogatas eas leges diuinas promulgato Euangelio, cui nullo modo credunt. Dico cum noſtro Suario *lib. 9. de legibus cap.* 21. *numer.* 5. illas leges diuinas Leuiticas non obligare, nec irritare, atque adeò matrimonia reſpectu talium Iudæorum infidelium in gradibus illa lege Leuitica prohibitis, nunc valere. Ratio eſt, quia illa lex etiam reſpectu talium Iudæorum infidelium abrogata eſt quoad obligationem, cũ omnino iam ceſſauerit; ergo etiam quoad irritationem: conſequentia patet, quia quamdiu habuit vim ad obligandum, vel prohibendum, habuit etiam vim ad irritandum, quia non eſt maior ratio de vno, quàm de altero; eſt enim eadem ratio vtriuſque effectus. Nec refert quòd ipſi peccent Iudæi ex conſcientia erronea; quia conſcientia erronea circa ius non ſufficit ad irritationem actus, licèt ad peccãdum ſufficiat.

7 Obiicies, prædictos Iudæos infideles in contrahẽdis cõiugiis ſuis legibus gubernari, quales ſunt illę *Leuitici* 18. latæ. Firmatur, quia Iudæi iſti nõ obſtãte abrogatione poſſunt illas leges nunc acceptare. Reſpondeo leges Leuitici iam non poſſe dici leges Iudæorũ infidelium. Tũ quia iam non ſunt leges; leges enim abrogatæ, leges nõ ſunt. Tũ etiam, quia nõ ſunt latæ pro illis, ſed pro Republica fideli Eccleſiaſtica Iudæorum, quæ iam non extat. Vnde parum refert, quòd ipſi Iudæi velint illis legibus gubernari, quia id faciunt ex conſcientia erronea; putant enim legem illam vt diuinam adhuc vigere. Ad confirmationem dico, ſi Iudæi nunc haberent propriam Rempublicam, & in ea ſupremam poteſtatem, vel ſupremum Principem in temporalibus, qui poſſet leges ferre, leges illæ in eo caſu habere poſſent efficaciam tam ad obligandum, quàm ad irritandum, non tamen vt diuinæ, ſed vt humanæ; nam leges iudiciales poſſunt hoc modo acceptari. At nunc Hebræi nullum habent Principatum, nec Rempublicam propriam, & liberam; & ideo licèt velint tales leges acceptare, non poſſunt, ſicut nequeunt alias leges ciuiles ſibi conſtituere, ſed legibus Principum, quibus ſubſunt, gubernandi ſunt.

Sectio VII.

Ad quotum conſanguinitatis gradum ſit irritum matrimonium, attento iure Eccleſiaſtico.

PRimò conſtans, & certa res eſt apud omnes Doctores, iure Eccleſiaſtico fuiſſe olim inter Chriſtianos matrimonium irritum, quod ſeptimum conſanguinitatis gradum non excederet. conſtat id ex *cauſa* 35. *quæſtionis* partim *tertia*, partim *quinta*, permultis capitibus, nominatimque ex *quæſtione* 3. *cap.* 7. *nullum*; in quo ſic Iulius. Nullum in vtroque ſexu permittimus ex propinquitate ſui ſanguinis vſque ad ſeptimum generis gradum vxorem ducere, vel inceſti macula copulari. Ex *cap.* item 17. *de conſanguinitate*, in quo ſic quoque Nicolaus Papa ſecundus. De conſanguinitate ſua vxorem nullus ducat vſque poſt generationem ſeptimam. Præterea ex 19. *cap. nulli*, quod ex Concilio Lugdunenſi depromptum eſt, cuius hæc verba ſunt. Nulli ex propinquitate ſui ſanguinis vſque ad ſeptimum gradum vxorem ducant. Denique idem liquet ex *eadem cauſa* 35. *quæſt.* 5. *cap.* 2. ad ſedem Apoſtolicam, vbi Alexander ſecundus refert & renouat decretum Gregorij magni de non contrahendo intra ſeptimum conſanguinitatis gradum matrimonio. 1

Secundò etiam eſt certum, modò poſt Concilium Lateranenſe ſub Innocentio tertio, reſtrictos eſſe gradus conſanguinitatis vſque ad quartum incluſiuè, Sic habetur *tit. de conſanguinitate & affinitate cap.* 8. *non debet*, his verbis. Non debet reprehenſibile iudicari, ſi ſecundùm varietatem temporum ſtatuta quandoque varientur humana, præſertim cùm vrgens neceſſitas, vel euidens vtilitas id expoſcit: quoniam ipſe Deus ex his quæ in veteri Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutauit in nouo. Prohibitio igitur quoque copulæ coniugalis quartum conſanguinitatis gradum de cæteris non excedat; quoniam in vlterioribus gradibus iam non poteſt abſque graui diſpendio huiuſmodi prohibitio generaliter obſeruari. Atque hoc Eccleſiæ decretum matrimonium intra quartum conſanguinitatis gradum prohibens, hodie ſeruatur in vniuerſali Eccleſia Dei. 2

Tertiò certum eſt, prædicta Eccleſiæ decreta, matrimonium intra ſeptimum, vel quartum conſanguinitatis gradum prohibentia, non ita eſſe accipienda, quaſi prohibeant ſolùm, reddantque dumtaxat illicitum matrimonium, ſed etiam ita vt faciant ſimul irritum, ac nullum. Sic enim ab omnibus nunc intelliguntur, & olim ſemper intellecta ſunt; ſicque debere intelligi, ſatis ſuperque confirmat vſus, qui 3

nunc obſeruatur in Eccleſia, ſemperq; fuit olim obſeruatus.

Quartò certum eſt, conuenientiſſimam fuiſſe prohibitionem & irritationem conſanguinitatis, in gradibus ab Eccleſia interdictis. Tum ob reuerentiam quam cognati ſibimet ipſis exhibere debent, ob originem ab eodem ſtipite, & ſanguinis communionem. Cui reuerentiæ multum detrahit actus cõiugalis. Tum quia decet matrimonia iniri eo pacto, vt deſeruiat bono publico politico. Hoc autem petit conſanguineos non iungi matrimonio, quia hi fœdere conſanguinitatis ſatis deuincti ſunt, ſed extraneos, vt amicitiæ vincula protendantur. Tum etiam, quia cùm cõſanguinei in eadé domo commorentur, & paſſim ſe inuiſant, ſi non prohiberetur matrimonium inter illos, magnus pateret inceſtibus aditus, à quibus valde arcet non poſſe matrimonium inter eos conſiſtere. Tum denique ob moderatum coniugij vſum, qui augeretur naturali amore ex conſanguinitate orto Iure autem optimo prohibitionem hanc & irritationem reſtrinxit denuo Eccleſia ad quartum gradum; nec vult hoc impedimentum dirimens iam ad tot gradus extendi, atque olim, ob multas difficultates, quæ inde oriebantur, cùm ſæpe difficulter ſciri poſſet, quinam in quinto, ſexto, & ſeptimo gradu ſe contingerent, eo quòd tam remotam cognationem homines non ita computent, ideoque facilè obſcura manet. Vnde videmus vſque ad quartum gradum durare conſanguinitatis amicitiam, & vlterius tepeſcente iam charitate, vix reperiri vnum qui ſe alterius conſanguineum agnoſcat.

5 *Quintò*, certum eſt conſanguineos duos inæqualiter diſtantes à ſtipite, ſi alter diſtet vltra quartum gradum, alter verò intra illum, poſſe matrimonio coniungi. Habetur expreſsè *cap. finali, de conſanguinitate*, his verbis. Vir qui à ſtipite quarto gradu, & mulier quæ ex alio latere diſtat quinto, licitè poſſunt matrimonio copulari. Et ratio eſt manifeſta, quia, vt oſtendi ſuprà *ſect. 1. num. 7* tunc attenditur gradus conſanguinitatis penes diſtantiam remotioris à ſtipite, ita vt quoto gradu remotior diſtat à ſtipite, eodem conſanguinei illi diſtent inter ſe. Cùm igitur remotior à ſtipite diſtet vſque ad quartum gradum, ambo erunt conſanguinei inter ſe vltra quartum gradum, atque ideo nulla erit prohibitio matrimonij inter illos. Quod etiam intelligo, etiamſi alter eorum diſtet à ſtipite in primo gradu, vt v. g. abnepos, vulgò *el quarto nieto* diſtat à quarto auo conſanguinitatis gradu quinto, poterit matrimonium inire cum filia illius quarti aui, quæ ab eo auo diſtat in primo gradu; quia nimirum vltra quartum gradum conſanguinitatis ſunt inter ſe coniuncti.

6 Tandem mihi videtur verius, reſtrictionem graduum conſanguinitatis vſque ad quartum, ex *cap. non debet, de conſanguinitate*, intelligendam eſſe, non ſolùm in linea collateralium, ſeu tranſuerſa, ſed etiam in recta aſcendentium & deſcendentium linea; ita vt nimirum intra quartum gradum lineæ rectæ, vel tranſuerſæ, ſit matrimonium ipſo iure nullum; quicumque verò conſanguinei vltra quartum gradum poſſint matrimonio iungi. Quia, vt oſtendi ſuprà *ſectione quarta*, in linea recta aſcendentium & deſcendentium ſolus primus gradus, & non ſecundus interdicitur iure naturæ, & iure Eccleſiaſtico ſolùm interdicitur ſecundus, tertius, & quartus; atque ideo prædicta Eccleſiſtica prohibitio non excedit quartum gradum.

Hic ſolent nonnulli examinare, an conſanguinei incurrant excommunicationem ineundo matrimonium. Quoniam verò eadem eſt pœna de affinibus. dicam de ea re infra *diſp. 3. ſect. 7. & vltima.*

DISPVTATIO XXIX.

De impedimento dirimente cognationis ſpiritualis.

HACTENVS dictum eſt de conſanguinitate, ſeu de cognatione carnali, iam de ſpirituali agendũ eſt, proueniéte ex Sacramentis Baptiſmi, & Confirmationis, quibus filij ſpirituales regeneramur, & roboramur; ac videndum qua ratione cognatio ſpiritualis contrahatur, ac matrimonium impediat, dirimendo illud.

SECTIO I.

Quid ſit cognatio ſpiritualis; & quotuplex olim fuerit, & nunc ſit.

COgnatio ſpiritualis communiter definiri, ſeu deſcribi ſolet propinquitas perſonarum, ex Eccleſiæ ſtatuto ortum habens ex Baptiſmo & Confirmatione. quæ ex dicendis in ſequentibus certiora ſint & clariora. Quare 1

Sciendum *primò*, triplicem olim fuiſſe prædictam propinquitatem, ſeu cognationem ſpiritualé, nempe paternitatem, compaternitatem, & fraternitatem. Paternitas interceſſit iure antiquo inter baptizantem & baptizatum; inter confirmantem & confirmatum; & inter patrinos, ſeu ſuſcipientes in Baptiſmo, vel Confirmatione, & inter baptizatum, vel confirmatum qui ſuſcipiebatur. Quæ propinquitas rectè dicitur paternitas; quia baptizatus, vel confirmatus, reſpectu baptizantis, vel confirmantis, & reſpectu patrini, vel ſuſceptoris, habet rationem filij ſpiritualis; ſuſceptor autem, vel confirmans, vel baptizans reſpectu ſuſcepti, ſeu baptizati, ſeu confirmati habet rationem patris ſpiritualis. Compaternitas verò interceſſit inter baptizantem, vel confirmantem, vel ſuſceptorem in Baptiſmo, & Confirmatione, & inter parentes carnales, videlicet patrem, & matrem baptizati, vel confirmati, ſiue ab his parentibus ſuis eſſet genitus ex legitimo matrimonio, ſiue non; qui proinde carnales parentes erant compatres baptizantis, confirmantis, & patrini, ſeu ſuſceptoris. Qui baptizans, aut confirmans, aut ſuſceptor, ſi vxorem cognitam habebat, in hanc ex ſe transfundebat eandem vtriuſque illius ſpiritalis cognationis ſpeciem, eo quòd vxor cum marito vna caro eſt. Quare ſicut eius maritus erat ſpiritualis pater reſpectu baptizati, vel confirmati, ita & erat ipſa reſpectu eiuſdem ſpiritalis mater. Denique confraternitas interceſſit inter baptizatum, vel confirmatum ex vna parte, & inter filios carnales baptizantis, vel confirmantis, & patrini, ex altera; quorum filiorum ille baptizatus, aut confirmatus erat ſpiritualis frater, & illi viciſſim fratres eius ſpirituales. Hæc omnia conſenſu omnium tam Theologorum, quàm Canoniſtarum certiſſima ſunt, & euidenter conſtat ex quamplurimis Canonici iuris decretis, partim *cauſa 30. quæſt. 1. & 3.* partim Decretalium Gregorij *tit. de cognat. ſpirit.* partim *VI. Decret.* Bonifacij Octaui *lib. 4. eodem titulo.* 2

Sciendum *ſecundò*, iure nouo Tridentini *ſeſſ. 24.* 3
de

Digitized by Google

de reformatione matrimonij prædictam cognationem ſpiritualem teſtrictam eſſe, his verbis. Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi mattimonium, in quibus, vel non ſine magno peccato perſeueratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Volens itaque Sancta Synodus huic incommodo ptouidere, & à cognationis ſpiritualis impedimento incipiens, ſtatuit, vt vnus tantùm, ſiue vir, ſiue mulier, iuxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum vnus & vna, baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant: inter quos ac baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur, ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiuſque patrem, & mattem, ac tenentem, non egrediatur, omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis. Hactenus Tridentinum. Ex quo manifeſtum eſt, ſublatam penitus eſſe tertiam prædictam cognationis ſpiritualis ſpeciem, nempe confraternitatem, quam omnino Tridentinum extinguit. Conſtat etiam ex eodem, paternitatem & compaternitatem ex parte ſolùm eſſe ſublatam. Nam hæc & illa à marito in vxorem non transfunditur. Vnde paternitas intercedit inter ſolum baptizantem, & baptizatum; inter confirmantem, & confirmatum, inter patrinum, vel ſuſcipientem in hoc vel illo ſacramento, & eum qui ſuſceptus eſt. Compaternitas autem inter baptizantem, ac patrem, & matrem baptizati; inter confirmantem, & patrem, ac matrem confirmati: & inter patrinos, & patrem ac matrem eius quem in Baptiſmo, vel Confirmatione ſuſceperunt.

4 Sciendum *tertio*, quoniam Concilium Tridentinum citatum diſertè definiuit ſpiritualem cognationem non contrahi ab aliis perſonis, quàm ab ibidem à ſe numeratis, in quarum numero non eſt vxor, vel patrini, in Sacramento ſuſcipientis, vel miniſtri ſacramentum conferentis; hinc Pium V. in quodam motu proprio, quem edidit anno 1566. cuius initium eſt, *Cum illius vicem*, declaraſſe, vxorem hanc nullam contrahere huiuſmodi cognationem. Imò declaraſſe inſuper Concilij mentem fuiſſe, ita reſtringere eam quæ præfuerat antea cognationem ſpiritualem, vt non ſolùm non contraheretur in poſterum ea, cuius mentionem in illo ſuo decreto non feciſſet, ſed etiam quæ antea contracta fuerat, vt decreti illius ſuum robur amitteret, & eſſe deſineret. Quare cùm nullam prædictæ vxoris, nullam quoque præfatæ confraternitatis mentionem fecerit, quæ ante decretum illud editum contracta fuerat ab illa vxore ſpiritualis cognatio, ratione viri ſui ſimilem cognationem contrahentis, quæ item confraternitatis ab iis, à quibus olim contrahebatur, vi prædicti decreti deſiit, atque adeò potuerunt, ab eo tempore quo editum eſt, illi inter quos exiſtebat illa cognatio matrimonium dirimens, perinde hoc validè & licitè inter ſeſe contrahere, atque ſi nunquam vlla inter eos extitiſſet ſpiritualis cognatio.

5 Sciendum *quartò*, cùm in eodem decreto idem Tridentinum permittat, vt vir vnus & vna mulier baptizatum ſimul de Baptiſmo ſuſcipiant; hinc rectè concludere Sanchez *lib. 7. diſp. 54. n. 12.* poſſe vtrumque hunc ſuſcipientem legitimo inter ſe copulari matrimonio, ſi nullum aliunde quàm ex iſta ſuſceptione impedimentum eſt, quia omnes fatentur iure antiquo id impedimentum non oriri inter eos: ergo multo magis nunc nullum erit; quia Concilij mens eſt reſtringere eam cognationem quæ fuit antiquitus, tantùm abeſt vt velit nouam inducere. Quare dum Tridentinum *in illo cap. 2.* ſic ait. Vt vnus tantùm, ſiue vir ſiue mulier baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant, inter quos & baptizatum ipſum ſpiritualis cognatio contrahatur; non eſt ſenſus illius particulæ, inter quos, vt inter illos patrinos inter ſe hæc cognatio oriatur; ſed inter illos, & alias perſonas ibi numeratas, nimirum baptizatum, & ipſius parentes. Quod etiam rectè notauit Suarez. *3. p. q. 67. art. 8. columna 3.*

Sciendum *quintò*, ex aliis ſacramentis, præter Baptiſmum, & Confirmationem, nullam oriri cognationem ſpiritualem, quæ matrimonium aut dirimat, aut impediat. Sic expreſsè definitur *cap. finali, in fine, de cognatione ſpirituali in 6.* cuius rei rationem aſſignat D. Thom. *3. p. in additionibus q. 56. a. 2.* Quia licèt reliqua ſacramenta conferant eſſe ſpirituale gratiæ, at non id efficiunt per modum ſpiritualis regenerationis, ſed per modum alimentationis, vt Eucbariſtiæ, aut ſanationis, ſeu reconciliationis, vt pœnitentiæ. At ſpiritualis cognatio ex ſola generatione contrahitur ad ſimilitudinem cognationis naturalis. Hæc autem duplex eſt, *vna* quaſi natiuitas in vtero, in qua adhuc id quod natum eſt, eſt adeò debile, vt non poſſit extra exponi ſine periculo; & huic natiuitati aſſimilatur regeneratio, per Baptiſmum, in quo regeneratur aliquis quaſi fouendus intra vterum Eccleſiæ. *Secunda* eſt, quaſi natiuitas ex vtero, quando iam quod natum eſt, in vtero tantùm roboratum eſt, quod poteſt ſine periculo exponi exterioribus, quæ nata ſunt corrumpere; & huic aſſimilatur confirmatio, per quam homo corroboratur, & quaſi proles, quaſi extra ſpiritualem vterum exponitur foris. Ac proinde ex his duobus Sacramentis tantùm oritur ſpiritualis cognatio matrimonium dirimens, ex Baptiſmo per modum generationis, ſeu conceptionis in vtero Eccleſiæ, & ex Confirmatione per modum natiuitatis, quaſi ex vtero Eccleſiæ, vt foris exponatur. 6

Sciendum denique cognationem hanc ſpiritualem ex Baptiſmo, & Confirmatione ortam ex ſolo iure Eccleſiaſtico eſſe inſtitutam; & hoc impedimentum cognationis ſpiritualis eſſe perpetuum. *Primum* conſtat, quia non eſt ex iure naturali; nam hæc ſacramenta nullum in iure naturali fundamentum habent, ſed ſola Chriſti inſtitutione cœperunt; ergo cognatio ex ipſis conſurgens nequit eſſe de iure naturali. Nec etiam eſt de iure diuino poſitiuo, quia nullus in ſacris litteris inuenitur locus, vbi de illa mentio fiat. Igitur prouenit illa ex ſolo iure Eccleſiaſtico, ſtatuta in canonibus & decretis ſuprà traditis *num. 2. & 3.* *Secundum* etiam liquet, quia iura abſolutè hoc impedimentum ſtatuunt, nec inuenitur textus illud limitans; non ergo extinguitur impedimentum prædictæ cognationis ſpiritualis morte perſonæ, qua mediante contracta eſt. 7

Sectio II.

An non baptizatus, & fidelis non confirmatus contrahat cognationem ſpiritualem.

TRia ſunt diſcutienda. *Primum*, an non baptizatus, vel baptizans, vel ſuſcipiens in Baptiſmo, vel Confirmatione fidelis filium, contrahat cognationem ſpiritualem cum perſona baptizata, vel ſuſcepta, ac eius parentibus. *Secundum*, an infidelis, ſeu non 1

baptizatus

Digitized by Google

baptizatus ſit capax cognationis paſſiuæ, ita vt ſi fidelis baptizet, vel teneat in Baptiſmo filium infidelis; contrahat fidelis ex parte ſua cognationem cum parentibus infidelibus illius pueri, quamuis parentes infideles eam non contrahant, ſed termineot tantùm illam cognationem actiuam à fideli contractam. *Tertium* eſt, an baptizatus non confirmatus ſuſcipiens in confirmatione puerum, contrahat cum illo, eiuſque parentibus cognationem ſpiritualem.

2 Circa primum. Ratio dubitandi eſt, quia infidelis non baptizatus validè baptizat, & puer baptizatus ab illo, recipit verè ab illo eſſe ſpirituale; ergo manet verè filius ſpiritualis baptizantis; ergo vera cognatio ſpiritualis ab vtroque contrahitur. Firmatur, nam per Catechiſmum vera cognatio ſpiritualis contrahitur, *cap. 2. de cognat. ſpiru. in 6.* ergo nondum baptizatus eſt capax cognationis ſpiritualis.

3 Dico cum communiori ſententia Doctorum, eſſe neceſſariam conditionem ex parte baptizātis ad contrahendam cognationem ſpiritualem, vt ſit ipſe baptizatus. Ratio eſt, tum quia ſpiritualis cognatio cùm ſit ex Eccleſiæ inſtitutione, ad eos extendere ſe non poteſt, quos ſtatutis ſuis non poteſt obligare; cuiuſmodi ſunt non baptizati, cùm non niſi per realem Baptiſmi ſuſceptionem ab iis, hanc in eos illa poteſtatem acquirat. Tum etiam, quia ſicut carnalis cognationis non eſt capax, qui non eſt ab alio tanquam à parente carnaliter genitus, & natus, ita nec capax eſt ſpiritualis cognationis, qui non eſt à Chriſto regeneratus ſpiritualiter, & renatus, ab eo autem per Baptiſmum reſuſceptum regeneramur ſpiritualiter, & renaſcimur, vtpote qui ſpiritualis huius regenerantionis Sacramentum eſt. Hinc

Colligo *primo*, infidelem, ſiue baptizet, ſiue ſuſceptor ſit in Baptiſmo, aut Confirmatione, nullo modo hanc cognationem contrahere, quia, vt dixi, illius incapax eſt.

Colligo *ſecundò*, hæreticum baptizantem, vel perſonam in Baptiſmo, aut Confirmatione ſuſcipientem contrahere hanc cognationem; quia charactere Baptiſmi inſignitus eſt, atque ideo capax eſt cognationis ſpiritualis, & legibus Eccleſiæ ſubiicitur.

Colligo *tertiò*, Catechumenum eſſe incapacem prædictæ cognationis, ſicut nec Sacramentorum eſſe capacem; quia non procedit ab eodem ſtipite, nempe Chriſto, per ſpiritualem regenerationem, mediante viſibili Sacramento Baptiſmi.

Colligo *quartò*, ſi Chriſtianus vnâ cum infideli ſuſcipiat puerum, vel alter ſuſcipiat altero baptizante, non contrahi cognationem cum infideli, vtpote qui illius expers eſt: benè tamen cum Chriſtiano; quia vtile non vitiatur per inutile, quando commodè ſeparari poſſunt. *reg. vtile, de regulis iuris in 6.*

Colligo *quintò*, infidelem baptizantem, vel ſuſcipientem, non contracturum cognationem ex eo actu tempore infidelitatis, quamuis poſtea baptizetur dictus infidelis. Ratio eſt, quia quod à principio nullum fuit, cōualeſcere nequit. Quare ille infidelis poſtea baptizatus poterit matrimonia cōtrahere cum perſona à ſe baptizata, vel ſuſcepta, & cum eius matre; quia cum neutra contraxit cognationem ſpiritualem tanquam illius incapax.

Colligo *vltimo* eſſe capacem ſpiritualis cognationis adultum qui Baptiſmum reſuſcepit, tametſi ob indiſpoſitionem ſuam ſanctificantis gratiæ ſpiritalem vitam non acceperit; quia vtrùm eam acceperit, necne, certò Eccleſiæ conſtare non poteſt, conſtat autem certò quòd Baptiſmum reſuſceperit, ſitque proinde regeneratus à Chriſto ſpiritaliter.

4 Ad rationem dubitandi, concepto antecedente negatur conſequentia, quia, vt dictum eſt, ad hoc vt conſurgat ſpiritualis cognatio, neceſſe eſt perſonam baptizantem eſſe capacem illius contrahendæ, qualis non eſt infidelis. Nec in eo caſu baptizatus eſt verè filius ſpiritualis baptizantis: quia, vt recipiens Baptiſmum & gratiam ſit filius ſpiritualis, non ſatis eſt vt recipiat illud eſſe ab alio, ſed exigitur vt recipiat eſſe à principio viuenti ſimili in natura. At baptizatus recipit eſſe ſpirituale ab infideli, non tanquam à principio ſimili ſibi in natura regenerationis per Baptiſmum, etiamſi ille Catechumenus ſit, habeatque fidem, & ſit in gratia conſtitutus. Ad confirmationem diuerſa eſt ratio; nam illa cognatio eſt valde imperfecta, & ſecundùm quid, & diſpoſitio quædam ad perfectam cognationem ſpiritualem, quæ ex Baptiſmo conſurgit; vnde nihil mirum, ſi ex Catechiſmo, qui ad Baptiſmum diſpoſitio eſt, Eccleſia ſic ſtatuente contrahatur. At cognationis perfectæ ſpiritualis incapax eſt quicumque non baptizatus. Addo prædictam cognationem ſpiritualem Catechiſmi fuiſſe iam penitus ſublatam, vt notaui *diſput. 23. ad finem ſectionis tertiæ.*

Circa ſecundum, nonnulli affirmant, quia quamuis infidelis incapax ſit cognationis ſpiritualis, at fidelis capax eſt illius, & legi Eccleſiaſticæ illā ſtatuenti ſubiectus eſt. Firmatur, quia vt aliqua perſona ſit impedita ne cōtrahat, ſatis eſt dari impedimentum in illa, quamuis in alia ex parte ſua non ſit: ſic enim homo ſolutus nullo impedimento laborat ad matrimonium, nihilominus non poteſt Monialem ducere propter impedimentum ipſius Monialis. Igitur idem dicendum de cognatione ſpirituali eam contrahere fidelem, tametſi infidelis incapax illius ſit. 5

Communiter tamen omnes Doctores conueniunt infidelem eſſe incapacem illius cognationis ſpiritualis paſſiuæ, atque ideo nec fidelem baptizantem, aut ſuſcipientem filium infidelium, contrahere cognationem cum parentibus infidelibus. Ratio eſt, quia cognatio ſpiritualis eſt quædam relatio, & habitudo, ſeu reſpectus inter duo, non ſecus ac eſt matrimonium cognatio carnalis, & legalis, cognatio enim reciproca eſſe debet; neque enim fieri poteſt vt ego illi cognatus ſim, non verò ille mihi. Vnde cognatio ſpiritualis non poteſt conſiſtere niſi inter duo extrema habilia. Cumque infidelis inhabilis ſit & incapax cuiuſcumque cognationis ſpiritualis, nequibit fidelis cum infideli eam contrahere. Firmo, nam compaternitas ſpiritalis non minus eſt relatiua quàm ſpiritalis paternitas; ſed non poteſt quis contrahere ſpiritalem paternitatem reſpectu alterius, niſi hic alter reſpectu illius ſpiritalem cōtrahat filiationem; ergo nec poterit quis contrahere ſpiritalis compaternitatis relationem reſpectu compatris alicuius, niſi hic viciſſim reſpectu illius ſimilem compaternitatis contrahat relationem; at non baptizatus incapax eſt contrahendæ huiuſcemodi compaternitatis, ſicut & cuiuſcis alterius cognationis ſpiritalis. Igitur ſi quis baptizatus baptizet filium hominis non baptizati, tametſi contrahat cognationem patris ſpiritualis reſpectu baptizati, non tamen contrahet ſpiritualem compatris cognationem reſpectu carnalis patris eiuſdem baptizati. Hinc 6

Colligo *primò*, illam cognationem ſpiritualem cōpaternitatis non conualeſcere, nec oriri cum parentibus illis infidelibus, licèt poſtea illi baptizentur. Quia quod à principio irritum fuit, conualeſcere nequit. *reg. non firmatur, de regulis iuris in 6. & reg. quod ab initio ff. de regulis iuris.*

Colligo *ſecundo*, inter fidelem ſic baptizantem, vel ſuſcipientem, & parentes illos infideles, etiamſi poſt-

ea

ex baptizentur, poſſe conſiſtere matrimonium. Quia nulla inter illos ſpiritualis cognatio eſt ſuborta. Non verò poterit iſte fidelis matrimonium inire cum perſona à ſe baptizata, vel ſuſcepta. Quia eum illa verè contraxit cognationem ſpiritualem. In quo differt ab illo alio caſu in quo baptizans, vel ſuſcipiens eſt infidelis, iſte enim nequit contrahere vllam cognationem ſpiritualem, cùm ſit illius incapax, quia eſt infidelis; at in hoc caſu baptizans, vel ſuſcipiens eſt fidelis.

Ad argumentum oppoſitum iam oſtenſum eſt non ſufficere fidelē eſſe capacē cognationi cōtrahēdæ niſi aliud extremū, cum quo eſt contrahenda, ſit etiam capax. Ad confirmationem conceſſo antecedente negatur conſequentia ob manifeſtam diſparitatem; nam cognatio cum ſit relatio, inueniri nequit niſi inter duo extrema habilia; impedimentū autem poteſt eſſe in vna ſola perſona; idque eſt ſufficiens vt nequeat inter ipſos matrimonium conſiſtere, quia matrimonium ex ſua natura, cùm ſit contractus mutuus, poſtular vtrumque coniugem verè habilem.

7 Circa tertium, certum eſt baptizatum non confirmatum ſi ſuſcipiat puerum in Baptiſmo contrahere cum illo, eiuſque parentibus cognationem ſpiritualem: quia nullibi in iure ea ſuſceptio interdicitur non confirmato. Difficultas eſt, ſi in confirmatione ſuſcipiat.

Probabilis eſt pars affirmans. *Primò*, quia Epiſcopus confirmans puerum contrahit cognationem ſpiritualem, tametſi ſupponatur ipſe non eſſe confirmatus. Ergo ſimiliter ſi in confirmatione illum teneat, alio Epiſcopo confirmante: nulla enim ratio aſſignabilis eſt propter quam in patrino ſuſcipiente præerequitat Eccleſia confirmationem, & non prærequirat in miniſtro eam conferente. *Secundò*, tametſi Religioſis interdictum ſit ſuſcipere in Baptiſmo *cap. placuit 16. quæſt. 1. & cap. non licet, de conſecratione diſt. 4.* At ſi ſuſcipiant, fiunt veri compatres; ergo.

8 At verius eſt, quod communiter amplectuntur Doctores, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 7. diſput. 60. num. 20.* ſuſceptores in Confirmatione debere eſſe confirmatos, vt contrahant cognationem ſpiritualem. Id conſtat ex *cap. in Baptiſmate, 102. de conſecratione diſt. 4.* his verbis. In Baptiſmate, vel in Chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum, qui non eſt ipſe baptizatus, vel confirmatus. Vbi, verbum *poteſt*, præpoſita negatione, tollit potentiām, & reddit actum nullum. Quare dum dicitur, id non poſſe facere, clarè ſignificatur id inualidè attentare. Præſertim cùm eodem modo dicatur non confirmatum non poſſe eſſe ſuſceptorem in Cōfirmatione, ſicut non baptizatum non poſſe ſuſcipere in Baptiſmo; clarum autem eſt tunc inualidè hoc facere. Et ratio huius deciſionis fuit, quia ſicut ideo confirmandus ſuſcipitur ab alio, & tenetur, vt ſignificetur eius infirmitas fide per Baptiſmū ſuſcepta ad eā conſeruandā, & defendendam, & indigentia proinde vt ab alio robuſtiore ſuſtenteretur; ita conueniens fuit vt ipſum ſuſtentans eſſet ipſe in fide conſeruanda, & defendenda robuſtus, ac proinde ſuſcepiſſet Sacramentum Confirmationis, cuius hoc conferre robur proprium eſt. Quam rationem aſſigit D. Th. *3. p. quæſt. 72. a. 10. in corpore, & ad primum.*

9 Ad primum argumentum oppoſitum, conceſſo antecedente, negatur conſequentia: nam ideo Epiſcopus cōfirmans cōtrahit cognationem ſpiritualem, quia miniſter eſt ſacramēti Cōfirmationis, ex quo validè miniſtrato cōtrahitur hęc cognatio; vt autē validè miniſtretur, non eſt abſolutè neceſſaria in miniſtrante Confirmatio. At non eſt verus ſuſceptor ſi confirmatus non ſit, quaſi ſicut in naturalibus vt quiſpiam generare valeat, exigitur vltra vitam, debitum eiuſdem vitæ robur; ita ad ſuſceptionem in Confirmatione, quæ habet rationem regenerationis, inquantum robur ad conſeruandam vitam ſpiritualem Baptiſmi confert, oportuit vt patrinus ſuſcipiens robur vitæ per Confirmationem obtinuerit, quandoquidem repræſentat tenens puerum, eius imbecillitatem in fide ac indigentiam vt ab alio fortiori ſuſtentetur.

Ad ſecundum, quamuis Religioſi peccent, ſi in Baptiſmo, aut Confirmatione ſuſceptores ſint, verùm quia nullum eſt verbum in iure irritans factum, veri ſuſceptores erunt, ac conſequenter ſpiritualem contrahent cognationem.

Sectio III.

Vtrùm ex Baptiſmo irrito, vel non ſolemni priuatim facto, oriatur cognatio ſpiritualis, tam in baptizante, quàm in patrino ſuſcipiente.

Circa primum, meritò Doctores vt certum ſupponunt neceſſariam eſſe ex parte tam Baptiſmi, quàm confirmationis conditionem ad hanc cognationem ſpiritualem contrahendam, vtriuſque ſacramenti validitatem. Quare ſi quis ex aliquo, vel materiæ, vel formæ, vel debitæ intentionis defectu non baptizetur, aut confirmetur validè, nulla huiuſcemodi cognatio contrahitur. Probatur. Tum quia iura Canonica quæ cognationem hanc Baptiſmo & Confirmationi adiungunt, de Baptiſmo & Confirmatione ſimpliciter, & abſolutè loquuntur, ac proinde de Baptiſmo, qui re ipſa Baptiſmus eſt, de Confirmatione item quæ re ipſa Confirmatio eſt: ſi autem inualidè ſuſcipitur, & hæc re ipſa inualida eſt ac nulla, & ille ſimiliter nullus eſt. Tum etiam, quia contrahitur hæc ſpiritalis cognatio in vtriuſque ſacramenti adminiſtratione, & ſuſceptione, quia fit per vtrumque ſpiritualis regeneratio ſimilis naturali generationi; at niſi vtrumque validum eſt, nulla per vtrumque ſpiritualis regeneratio fit, nec fieri poteſt. Tum denique, quia quando principale nullum eſt, acceſſorium etiam irritatur: prædicta autem cognatio ſpiritualis ſunt omnino acceſſoria ipſi Sacramento, atque ita eius valorem ſupponunt. Vnde manifeſtè colligo, quòd ſi quis ſemel validè baptizatus, aut confirmatus, baptizetur iterum, aut confirmetur, nullam per banc interatam Confirmationis, aut Baptiſmi ſuſceptionem, ſpiritalem contrahi cognationem, quia illa ſuſceptio inualida eſt. 1

2 Circa ſecundum, ferè omnes Doctores conueniūt, baptizantem etiam priuatim, & in extrema neceſſitate contrahere dictam cognationem ſubſequens matrimonium dirimentem cum baptizato, eiuſque parentibus. Probatur, quia vbi eſt ſpiritualis generatio, eſt ſpiritualis etiam cognatio; ergo cùm in priuato, & minus ſolemni Baptiſmo ſit ſpiritualis generatio, erit etiam ſpiritalis cognatio. Quod enim poſtea additur in Eccleſia, Sacramentum non eſt, ſed ſacramentale; impedimentum verò non oritur ex Sacramentalibus, ſed ex Sacramentis. Firmo, impedimentum hoc ex iure Eccleſiaſtico inductum eſt. At iura non diſtinguunt de Baptiſmo ſolemni, aut non ſolemni; ergo neque nos debemus diſtinguere. Imò iura, quibus dicta cognatio inducitur, abſolute loquuntur

quuntur de baptizante, nullum excipiendo: quamuis *in cap. final. de cognatione ſpirituali*, in narratione facti fiat mentio de baptizante, qui fuit ſacerdos. Verùm eſt, & ipſe fatetur, *in c. ad limina* 30. *q.* 1. excipi parentes in neceſſitate proprium filium baptizantes, ſed non quantum ad matrimonium ſubſequens non dirimendum; pater enim qui proprium filium ex concubina baptizat in neceſſitate, nequit cum illa validè contrahere, quoniam obſtat cognatio ſpiritualis, quam ex eo Baptiſmo in neceſſitate collato diximus oriri ad dirimendum ſubſequens matrimonium. Excipiuntur igitur tantùm ne ob actum miſericordiæ præceptum priuentur iure petendi, & ſic præiudicetur debiti petitionis. Quæ ratio non æquè procedit in matrimonio contrahendo. Nam priuari coniugem iure debiti exigendi, eſt in pœnam delicti baptizando filium: iniquum verò eſt pœnam incurri propter obſeruantiam præcepti. At contrahi cognationem, quæ ſubſequens matrimonium dirimat, non habet rationem pœnæ & grauaminis, ſed pertinet ad quoddam amicitiæ genus, & coniunctionis, quam ſtatuit Eccleſia inter has perſonas, ob quam vetuit matrimonium inter illas. Quando enim impedimentum aliquod non ſtatuitur ab Eccleſia in delicti pœnam, ſed ob alias rationes, incurritur propter actum præcepti. Sic enim iudex obligatus ad ſuſpendendum latronem, vel homicidam, efficitur irregularis illum ſuſpendendo: & Parochus qui tenetur Baptiſmum ſolemniter miniſtrare, verè contrahit hanc cognationem, vt omnes fatentur. Hinc

3 Colligo *primò*, ex Baptiſmo iterato ſub conditione, eo quòd de prioris Baptiſmi veritate dubitabatur poſtquam conſtiterit fuiſſe validum, non oriri cognationem ſpiritualem. Dum verò id non conſtat, præſumet Eccleſia cognationem.

Colligo *ſecundò* oriri cognationem ſpiritualē, dum quis nondum integrè natus baptizatur, quando Baptiſmus eſt validus, nec oriri poſtea ex Baptiſmo ſub conditione iterato in Eccleſia propter dubium valoris Baptiſmi prioris. Quod intelligo, ſi in ea parte conferatur Baptiſmus, vbi eſt ita certum, eum eſſe validum, vt non ſit ſub conditione iterandus. Nam ſi dubium ſit, an in ea parte ſit validus, eadem dubitatio erit de cognatione ſpirituali. Quare ſi ſint duæ opiniones probabiles, quarum altera neget prioris Baptiſmi valorem, altera verò affirmet, poterit quiſque securè quamlibet ſequi opinionem. Vnde ſi teneat Baptiſmum non fuiſſe validum, dicet conſequenter ex eo non oriri cognationem, ſed ex iteratione. Si verò defendat priorem fuiſſe validum, conſequenter ſentiet ex eo oriri cognationem, & non ex iteratione.

4 Circa patrinum ſuſceptorem tenentem puerum in Baptiſmo non ſolemniter miniſtrato,

Prima opinio, quæ eſt Nauarri *c.* 22. *n.* 40. Coninch *diſp.* 32. *dub.* 2. *n.* 39. Baſilij Ponce *lib.* 7. *c.* 40. *n.* 5. & aliorum, affirmat contrahere cognationem.

Primò, quia qui abſque ſolemnitate baptizat cognationem contrahit, vt dixi; ergo & qui ſuſcipit: quæ enim diuerſitatis ratio aſſignari poteſt, cùm iura eodem pacto, & tenore loquantur de baptizante, & de ſuſceptore.

Secundò, quia tunc patrinus verè tenet, ac ſuſcipit; & non minus eſt fideiuſſor, & ſponſor pro puero in Baptiſmo minus ſolemni, quàm in ſolemni; ergo eodem modo eſt ſpiritualis pater baptizati, & ex conſequenti tenebitur etiam ſpirituali cognatione.

Tertiò, iura generatim dicunt, eum qui munus ſuſceptoris obit, talem contrahere cognationem, nec vllibi requirunt vt hoc fiat in Baptiſmo ſolemni; neque enim diſtinguunt inter Baptiſmum priuatum, & ſolemnem.

Secunda opinio, quæ negat patrinum in Baptiſmo priuato contrahere cognationem, eſt Sanchez *diſp.* 62. *n.* 14. *&* 15. Suarez 3. *q.* 67. *art.* 8. *dubio vltimo*, Gaſpar Hurtado *diſp.* 18. *difficult.* 6. Probant, quia tentio & ſuſceptio baptizati in Baptiſmo inſtituta eſt ab Eccleſia, vt ceremonia in ſolemni Baptiſmo, vt ad eius ſolemnitatem iuuet; ergo quando Baptiſmus non eſt ſolemnis, ſuſceptio, vel tentio, quæ tunc non eſt neceſſaria, ſi fit, non eſt cæremonialis, nec fit eo modo, quo cæremonialis eſt; quia non fit vt eſt inſtituta ab Eccleſia, in Baptiſmo videlicet ſolemni ob eius ſolemnitatem; ergo ex eo actu non oritur cognatio; quia hæc tantùm oritur ex eo, vt cærimoniali, & vt inſtituto ab Eccleſia; nam ſic loquuntur iura inducentia cognationem ex illo. 5

Addit Suarez, quamuis in Baptiſmo priuato cæremonia ſuſceptoris neceſſaria non ſit; at ſi verè & propriè adhibeatur, & tenens velit munus ſuſceptoris obire, eſſe probabile eum contrahere; quia ille eſt tunc verè ſuſceptor, de quo iura loquuntur. Nam quòd aliæ ſolemnitates non adhibeantur, non impedit, quo minus hæc poſſit impleri. Contrarium ſentit Sanchez, etiam tunc minimè contrahere: quia ſpiritualis cognatio non contrahitur, niſi perita ab Eccleſia ſeruentur; at munus ſuſceptoris non obitur propriè, niſi quando Baptiſmus eſt ſolemnis; ſuſceptio enim eſt cæremonia ab Eccleſia inſtituta ad Baptiſmum ſolemnem, ac proinde, ſolemnitate deficiente, deficit quoque vera ratio ſuſceptoris; ergo & cognationis. 6

Dico *primò*, certum eſſe, ſi is qui baptizatum tenet, tantum quaſi materialiter illum teneat, & non intendat, illum veluti ſpiritualiter ſuſcipere, exercendo circa illum Eccleſiaſticum munus inſtruendi, & ſub cura ſua illum ſuſcipiendi, non contrahere ſpiritualem cognationem. Patet, quia ille nequit propriè vocari ſuſceptor; materialis enim illa tentio baptizandi non ſufficit, vt aliquis fiat verè ſuſceptor, aliter enim cùm baptizans communiter infantem etiam teneat, ipſe eſſet ipſius ſuſceptor, quod falſum eſt. Et ratio eſt, quia ſicut Baptiſmus eſt neceſſariò ablutio cæremonialis, ita ſuſceptio neceſſariò eſt tentio cæremonialis. Quare ſicut ad illum neceſſariò requiritur intentio exercendi cæremoniam à Chriſto inſtitutam; ita ad hanc neceſſariò requiritur intentio exercendi cæremoniam ab Eccleſia inſtitutam, ſeu faciendi id quod Eccleſia inſtituit, vt nimirum ſuſceptor intendat baptizandum ſpiritualiter ſuſcipere animo illum inſtruendi de rebus fidei; ergo nequit ille contrahere cognationem ſpiritualem. 7

Dico *ſecundò*, in Baptiſmo priuato regulariter ita contingere, vt is qui baptizatum tenet, tantum, vt ita dicam, materialiter illum teneat; quod nec ſufficit ad munus ſuſceptoris, nec ſatis eſt ad cognationem ſpiritualem contrahendam. Probatur, quia Batiſmus priuatus ſolùm miniſtratur ob extremam neceſſitatem, & euidens periculum baptizandi, ne è vita decedat abſque ſacramento Baptiſmi; vnde tunc non eſt neceſſarium deſignare patrinum ſuſceptorem, & non peccari, ſi omittatur, quia nullum de hac extat ſpeciale præceptum poſitiuum, ſolum enim in Baptiſmo ſolemni, neceſſarium eſt adhibere ſuſceptorem ex præcepto Eccleſiæ, eo modo quo neceſſarium eſt ſeruare alias graues Eccleſiæ cæremonias; atque adeò ſicut tunc in Baptiſmo priuato non eſt neceſſarium ſeruare alias cæremonias pro ſolemni Baptiſmo ab Eccleſia inſtituta, ita neque erit neceſſarium deſignare patrinum ſuſceptorem. Vnde ſi quis in Baptiſmo 8

mo priuato teneat baptizandum, eſt valde accidentatium, & quaſi materiale, & non fit propter cæremoniam Baptiſmi. Quod à poſteriori demonſtratur, quia ſi is qui baptizatur, ſit adultus, nunquam in Baptiſmo priuato adhiberur qui illum teneat, vel ſuſcipiat; ſi verò ſit infans, interdū baptizari ſolet in lecto, interdum in vlnis matris, vel alterius perſonæ, non propter cæremoniam, ſed propter commoditatem, vel opportunitatem. Quare certum eſt id ſatis non eſſe ad ſpiritualem cognationem, quæ ſecundùm iuriū intentionem non eſt, niſi vbi eſt ſuſceptor eo modo, quo ſpeciali cæremonia Eccleſiaſtica eſt introductus.

9 Dico *tertiò*, veriorē mihi videri ſententiā Sanchez, etiamſi adhibeatur verus patrinus ſuſceptor in matrimonio priuato, adhuc non cōtrahere cognationē ſpiritualem. Moueor eius ratione, quia ſuſcipiens ac tenens in Baptiſmo priuato, non eſt propriè patrinus prout eſt ab Eccleſia inſtitutus: nam, vt conſtat ex variis iuribus ex *cap. veniens*, & *cap. ſi vir*, *de cognatione ſpirituali*, & *cap. finali, de cogna. ſpirituali in 6.* Et ex Tridentino *ſeſſ. 24. de matrimonio c. 2.* veri ſuſceptores ab Eccleſia inſtituti ſunt & dicūtur qui ſuſcipiunt, accipiunt, tenent, tangunt, leuant de ſacro fonte, quod non contingit niſi in Baptiſmo ſolemni; ergo ſuſceptores ſolùm ſunt inſtituti ab Eccleſia ad ſolemnē Baptiſmum; cūque prædicta cognatio oriatur ex ſuſceptoribus prout inſtitutis ab Eccleſia ad ſolemnitatem Baptiſmi, ſequitur eam non conſurgere deficiente ſolemnitate in Baptiſmo priuato.

10 Ad argumenta primæ ſententiæ.

Ad primum, conceſſo antecedente, negatur conſequentia: quia baptizans in Baptiſmo priuato verum & validum confert ſacramentum; at qui in illo tenet, vel ſuſcipit, non tenet propriè, nec ſuſcipit, eo modo, quo ab Eccleſia ſtatutum eſt.

Ex quo patet ad ſecundum, tenentes infantem in Baptiſmo priuato non eſſe propriè patrinus iuxta Eccleſiæ inſtitutionem, ſed illos ſolos, qui in Baptiſmo ſolēni illud munus fideiuſſoris obeunt, & ſponſoris.

Ad tertium, falſum eſt iura generatim dicere de omnibus qui munus ſuſceptoris obeunt, non diſtinguendo inter Baptiſmum priuatum & ſolemnem; cùm conſtet ex textibus allegatis loqui de ſuſceptoribus tenentibus, tangentibus, ſuſcipientibus, & leuantibus de ſacro fonte, qui tales non ſunt niſi in Baptiſmo ſolemni; atque adeò iſti ſoli dicuntur cognationem contrahere ſpiritualem.

Sectio IV.

Qui actus requirantur in patrinis vt cognationem ſpiritualem contrahant in Baptiſmo & Confirmatione.

1 PRimò certum eſt vt patrini contrahant hanc ſpiritualem cognationem, deſiderari, vt baptizatum, aut confirmatum teneant, dum baptizatur, vel confirmatur, id eſt, dum aqua infunditur puero in Baptiſmo, vel in Confirmatione, dum ab Epiſcopo Chriſmate vngitur; in quibus ſubſtantia horum ſacramentorum conſiſtit. Vel ſtatim ac puer in ſacro fonte baptizatur, ipſum de ſacro fonte leuent. Ratio eſt, quia iura, quibus dicta cognatio inducitur, vt conſtat ex textibus allegatis *præcedenti ſectione*, vtuntur dictis, aut æquiualentibus verbis, nempe ſuſcipit, accipit, tenet, leuat. Vtuntur quoque verbo *tangit*, quod intelligitur de tactu ſuſcipiendi, aut tenendi, aut alio æquiualente, præcipuè de tactu, quo adultus tactus, quamuis non ſubleuatus, dicitur teneri. Vnde non ſatis eſt catechumenum tenere ſuper fontem ante Baptiſmum, quia hæc cognatio non contrahitur niſi ex ipſo Baptiſmi ſacramento, quod noodum eſt. Nec quicumque leuantes de ſacro fonte cognationem hanc contrahunt, ſed qui primùm ſuſcipiunt puerum de baptizantis manibus, vbi primum baptizatus eſt. Vnde accipientes de manibus ſuſceptoris non contrahunt; quia hi non dicuntur leuare de ſacro fonte, ſed ex manibus leuantis ſuſcipere. Nec etiam ſatis eſt quicumque tactus momentaneus digito, vel manu, ſed exigitur patrinos ſic infantem tangere, vt verè teneant, vel leuent ex ſacro fonte: hoc enim ſolum eſt verè eſſe ſuſceptorem. Vnde non ſufficit aſſiſtentia patrini, quaſi in ſuam curam ſuſcipientis. eſt enim contractus cæremonia neceſſaria ad contrahendam hanc cognationem, quæ inducta eſt ab Eccleſia ad ſignificandam infantiam, & imbecillitatem ſpiritualem. Non tamen deſideratur, vt patrini immediatè puerum tangant, ſed ſatis eſt quamuis veſtibus ſit contectus, quia illud eſt verè tangere, ac tenere.

Secundo verius videtur quod communiter docent 2
Doctores, præter actum tenendi, vel ſuſcipiendi, vel æquiualentem, non requiri reſponſionem pro puero, dum fit catechiſmus ad contrahendam dictam cognationem. Ita Sanchez *diſp. 56. n. 10.* & alij multi, quos ipſe refert. Ratio eſt, quia in iuribus, quibus inducitur dicta cognatio ex Baptiſmo & Confirmatione, nulla requiritur reſponſio. Imò in ipſo Baptiſmo, & Confirmatione nulla eſt interrogatio, neque reſponſio, ſed tantùm in catechiſmo, qui regulariter comitatur Baptiſmum, in quo patrinus ex vi ſui officij profitetur fidem pro paruulo, non autem in Baptiſmo. Non verò eſt neceſſarium quòd in catechiſmo ſit idem patrinus, etiamſi quando catechiſmus comitatur Baptiſmum, idem ſit in vtroque. Ex catechiſmo tamen ſecluſo Baptiſmo non oritur cognatio matrimonium dirimens; imò nec datur modò matrimonium impediens, vt ſuprà notatum eſt *diſp. 25. ſect. 3. in fine.*

Tertio videtur certum, præter actum externum 3
tenendi, aut ſuſcipiendi, etiam requiri intentionem liberam eum actum efficiendi. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia non contrahitur dicta cognatio, niſi ob actum exteriorem humanum, qui abſque dicti intentione non eſt talis, imò requiritur intentio efficiendi eum actum, vt patrinus, ſeu exercendi actum illum ſuſcipiendi ab Eccleſia inſtitutum: ſicut enim baptizans abſque animo vero efficiendi quod per illum intendit Eccleſia nec verè baptizat, nec cognationem ſpiritualem contrahit, ita qui infantem ſuſcipit materialiter tantùm, & non animo obeundi muous ſuſceptoris ab Eccleſia ſtatutum nō fit verus ſuſceptor, atque ideo nec huius cognationis particeps. Nullo tamen modo eſt neceſſarium vt patrinus ſuſcipiens immediatè intendat ſuſcipere dictam cognationem ſpiritualem, nam hæc ab Eccleſia illi muneri inſeparabiliter annexa eſt, vt nemo illud ubire poſſit quin illam ſuſcipiat, ſi modò eius capax ſit, quod addo propter infidelem baptizantem, vel ſuſcipientem. Et patet, quia volens principale, conſequenter vult acceſſorium, quod ex eo ſequitur, *l. ſi is qui. ff. commodati*; at dicta cognatio non à propria voluntate patrini deſcendit, ſed eſt acceſſoria actui veri Baptiſmi, ac veri ſuſceptoris, ex iure Eccleſiaſtico. Hinc

Digitized by Google

Colligo negari non poſſe, neceſſarium eſſe vt patrini ſuſceptores habeant vſum rationis. Patet, quia aliàs tam defectu notitiæ, quàm dictæ neceſſariæ intentionis, non poſſent hnc munus præſtare, & multo minus ea ad quæ obligantur patrini.

4 Supereſt verò difficultas, an qui per ignorantiam vel errorem leuat filium Petri exiſtimans ſe Pauli filium leuare, contrahat hanc cognationem. Nam Sanchez *diſp. 58. num. 7.* partem negantem ſequitur. Probat, quia reuera hic non intendebat exercere actionem illam veri patrini erga hunc quem leuauit; ergo deficit intentio neceſſaria. Nec eſt ſimile de baptizante, quia miniſtri Sacramentorum tenentur habere animũ & intentionem miniſtrandi Sacramentum præſenti, quicumque ille ſit, atque ideo etſi erretur in perſona, cùm verè ſit Baptiſmus, vera conſurgit cognatio. At patrinus non tenetur habere eam intentionem, & verè eligitur ad perſonã determinatam: vt contingit in matrimonio, quod ratione erroris perſonę vitiatur. Alij verò, vt Baſilius Ponce *cap. 39. n. 9.* affirmat. Quia illa ignorantia, ſeu error non impedit fideiuſſoris, & patris ſpiritualis officium: eſt enim error perſonæ in hoc caſu circa accidentaria.

5 Mihi videtur dicendum oppoſitum cum Baſilio, quia ille error non eſt circa ſubſtantiã actus, ſed circa accidentia. Vnde ſuſceptor non ſecùs ac baptizans, ſolum habere debet intentionem ſuſcipiendi eum quem hic & nunc habet tunc præſentem; atque adeò ſicut ea intentio ſatis eſt, vt baptizans eum præſentem baptizet, etiam cum ſimili errore, ita ſimiliter ea intentio eſt ſufficiens, vt patrinus verè ſuſcipiat. Excipitur tamen caſus peculiaris de vxore, quæ per ignorantiam leuauit filium mariti, de quo eſt expreſſa iuris deciſio. *c. 2. de cognatione ſpirituali*, vbi deciditur coniugem, qui per ignorantiam leuauit filium mariti, non arceri à debiti petitione. Cùm enim id superueniat matrimonio contracto, non mirum ſi ignorantia excuſet à cognatione.

6 *Quinto* videtur certum apud Doctores, non deſiderari in patrino certam ætatem, vt id munus obire poſſit, atque adeò non oportere patrinum ætate excedere baptizatũ. Ratio eſt, quia in iure nulla reperitur ætas præſcripta in patrinis; ſicut nec in baptizante, vel confirmãte vt efficiatur pater ſpiritualis baptizati, vel confirmati, deſideratur illũ maiorem natu eſſe. Quare puer cuiuſcumque ætatis, dummodò vſum rationis neceſſarium ad copulam lethalem contrahendam habeat, poteſt eſſe legitimus ſuſceptor in Baptiſmo, vel Confirmatione, ac ſuſcipiendo contrahere veram cognationem ſpiritualem; ſecus ſi rationis vſu careat, quia nõ fruens vſu rationis nequit exercere illam ſuſceptionem cum legitima intentione, ſed tantùm materialiter inſtar bruti. Vnde ſi in minori ſeptennio acceleraretur vſus rationis ſufficiens ad mortale peccatum committendum, eſſet ille ſuſceptor legitimus, ac veram contraheret cognationem ſpiritualem.

SECTIO V.

De numero & deſignatione patrinorũ; & an omnes tangẽtes baptizatum, vel confirmatum, contrahant cognationem ſpiritualem.

1 CIrca primum conſtat *primò* iure antiquo prohibitum fuiſſe plures patrinos in Baptiſmo, & Confirmatione adhiberi, ſed vnum ſolum, ſiue virum, ſiue fœminam. Sic dicitur *c. non plures, de conſecrat. diſt. 4.* his verbis. Non plures ad ſuſcipiendum de Baptiſmo infantem accedant, quàm vnus, ſiue vir, ſiue mulier. In Confirmatione autem id ipſum fiat. Quod valde congruum rationi fuit, quia cùm munus ſuſceptoris ſit baptizatũ inſtruere, oportuit vnũ ſolum ſuſceptorẽ adhiberi, ne multis inſtructoribus exiſtẽtibus, altero in alterum reiiciente hoc onus inſtruendi, penitus negligeretur. Quare vbi id præceptũ nõ erat conſuetudine abolitum, culpa erat, propter grauitatem rei, illud tranſgredi, duos, aut plures adhibendo patrinos.

Conſtat *ſecundò* iure nouo Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 2.* 2
ſtatui vt vnus tantùm, ſiue vir, ſiue mulier, vel ad ſummum vnus & vna baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant, vbi liquet non permitti vt duo viri, vel duæ fœminæ obeant munus patrini, ſed ſi duo adhibeantur, diuerſi ſexus eſſe debere. Vt nimirum generatio ſpiritualis carnalem imitetur, in qua nec duo patres, nec duæ matres reperiuntur, ſed vnus pater, & vna mater. Cùm autem hæc res pendeat ex iure poſitiuo, verbis eius ſtandum eſt.

Conſtat *tertiò*, vt probabilius eſſe peccatum venia- 3
le maritum & vxorem alienum puerum de ſacro fonte leuare. Ita Suarez *3. p. q. 67. a. 8. col. 5. §. ſecundò explicat.* Probatur, quia Vrbanus II. *in cap. quod autem, 30. q. 4.* tametſi dicat, nulla auctoritate id reperiri prohibitum; ipſe tamen decernit vt hoc facere non præſumãt propter maiorem decentiam & puritatem. Non verò id erit grauis culpa, quia cùm materia ſit leuis, eius tranſgreſſio eſt venialis. Imò ſi contrarium eſſet conſuetudine receptum, facile poſſent ab omni culpa excuſari. Quòd ſi ſolus maritus fuerit ſuſceptor, quamuis ipſe contrahat cognationem cum baptizato, vxor tamen eius nullam contrahit, quia Cõcilium limitat illam ad ipſum ſuſceptorem, vt ſuprà dixi *ſect. 1. n. 3. & 4.* Quamuis enim vir & vxor ſint vna caro, impedimentum vnius non redundat in alterum; quia ſola lege Eccleſiaſtica eſt introductum, & ideò non extenditur vltra præſcriptum legis.

Conſtat *quartò*, vt veriſimilius, adhibere plures pa- 4
trinos, v. g. duos viros, & duas fœminas ſimul, eſſe mortale, vt cum Rodriquez & Vega, ſentit Gaſpar Hurtado *diſp. 18. difficultate 4. n. 13.* & meritò. Tum quia eſt contra prohibitionem antiquã in materia graui. Tum maximè, quia eſt contra nouam Tridentini, cõſtituentis quaſi formam & numerum patrinorum, reſtringendo cognationem ſpiritualem ad pauciores perſonas: quæ eſt res grauis, & bono communi non parum expediens.

Conſtat *vltimò*, non poſſe Epiſcopum diſpenſare vt plures duobus patrini adhibeantur, vel vt ij ſint duo viri, aut duæ fœminæ contra decretũ Tridentini. Ratio eſt, quia in præcepto Pontificis, aut Concilij Generalis non poteſt Epiſcopus diſpenſare, niſi ea facultas ſibi expreſsè concedatur, aut ſemel, vel iterum vrgente neceſſitate, ſit impeditus ad Papam aditus At in hoc euentu nulla vrget vtilitas, ne dum neceſſitas; & nullibi facultas diſpenſandi in eo inuenitur Epiſcopis conceſſa Quod ſi alicubi inerat antea conſuetudo, iam Tridentinũ prohibitionem illam innouans, veterem aboleuit conſuetudinem. Vnde videmus id decretum eſſe in viridi obſeruantia, & vſu.

Circa ſecundum, de deſignatione patrinorum. Di- 5
cendum cum communi doctrina, deſignationem patrinorum ſpectare ad parentes, vel ad illos quibus incumbat cura baptizandi. Sic innuitur in Tridentino, & ita habet vſus & praxis Eccleſiarum. In horũ verò defectum pertinet ad baptizantem, quia ei incumbit vt legitimè Baptiſmus celebretur; quod non fieret abſque patrino. Vnde fit vt ſi parentes ritè vnum, vel duos deſignaſſent non poſſent iſti validè à Parocho reiici, vel alios deſignare. Si enim id faceret, irritè faceret, nec ipſi fierent cognati. Si verò parentes nullũ deſignare vellent, ſpectaret ad Parochũ, vel ſi nõ ritè deſigna-

deſignarent, vt ſi deſignarent hæreticos, non baptizatos, vel alios inutiles.

6 Circa vltimum quoad contrahendam cognationem ſpiritualem, recolenda ſunt inprimis verba iuris antiqui *in cap. finali, de cognatione ſpirituali in 6.* ſic dicentis. Quamuis non plures quàm vnus vir, vel vna mulier accedere debeant ad ſuſcipiendum de Baptiſmo infantem, iuxta ſacrorum Canonum inſtituta: ſi tamen plures acceſſerint, ſpiritualis cognatio inde contrahitur, matrimonia contrahenda impediẽs, & etiam poſt contracta diſſoluens. Præterea proponenda ſunt verba iuris noui Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. de matr. c. 2.* vbi dictum ius corrigens antiquum, ſic ſtatuit. Parochus antequam ad Baptiſmum conferendũ accedat, diligẽter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur quem, vel quos elegerint, vt baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant; & eum, vel eos tantùm ad illum ſuſcipiendum admittat. Quòd ſi alij vltra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant, conſtitutionibus in contrarium facientibus, non obſtantibus. Quo decreto expreſsè habetur, illas ſolas perſonas baptizatum ſuſcipientes contrahere hanc cognationem, quæ ſunt ad hoc munus ſpecialiter deſignatæ per eos, ad quos eas eligere ſpectat, & per Parochum ad id munus fuerint admiſſæ.

His ſuppoſitis, variæ occurrunt difficultates.

Prima eſt, an quando non obſtante Tridentini decreto nulli patrini deſignati ſunt, omnes tangentes contrahant cognationem ſpiritualem.

7 Circa quam Henriquez *lib.* 12. *c.* 11. *n.* 3. Rebellus *lib. 3. quaſt. 6.* Gaſpar Hurtado *diſput.* 18. *difficult.* 4. *numer.* 15. & alij docent omnes illos cognationem contrahere, ſiue ſimul, ſiue ſucceſſiuè teneant, aut ſuſcipiant. Probant, quia, vt quis ſit validè patrinus, non requiritur à Tridentino deſignatio, id enim nullo verbo indicatur, ſed tantùm ſtatuit, quòd Parochus non admittat in patrinum, niſi deſignatum ab illis, ad quos id ſpectat; & quòd ſi alij præter deſignatos teneant, aut ſuſcipiant, non contrahant cognationem. Pro eo autem caſu in quo nulli patrini deſignati ſunt, nihil diſponit Tridentinum. Igitur in hoc caſu ſtandum eſt iuri antiquo, *cap. finali, de cogn. ſpirit. in 6.* Iuxta quod omnes tenentes contrahunt illam: quia à iure antiquo non eſt recedendum, niſi quoad correcta, aut accepta in nouo. Caſus enim omiſſus remanet in iuris antiqui diſpoſitione, *l. commodiſſima. ff. de liber. & poſt hum.*

8 Alij verò, vt Suarez *3. p. quaſt. 67. art. 8. prope finem*, Mæratius *tract. de matrimonio diſputat. 9. ſect. 9. numer.* 8. Sanchez *diſput.* 57. *numer.* 12. & alij cenſent, nullum in eo euentu ſpiritualem cognationem contrahere. Probant *primò*, quia nullus in eo caſu verè patrinus, & ſuſceptor eſt, deficiente deſignationis conditione, quam Tridentinum Concilium neceſſariam ad hoc eſſe voluit. *Secundò*, quia aliàs non vitaretur multiplicatio cognationis ſpiritualis, & ſuſceptorum incertitudo, quæ Tridẽtinum vitare voluit. *Tertiò*, Tridentinum *loco cit.* ſic concludit: Omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis: ex quibus manifeſtè colligitur, omnes perſonas, quæ deſignatæ non ſunt, non eſſe capaces illius cognationis. Denique mens Tridẽtini, vt ex proœmio dicti cap. ſecundi colligitur, fuit omnino coarctare ius antiquum de hac cognatione contrahenda loquens, vt tantùm extendatur ad perſonas in eo decreto contentas, & ita concludit omnino auferri inter alias, præter ibi numeratas. Patrini autem ibi non abſolutè numerantur, ſed cum ea qualitate, vt deſignati ſint. Igitur nullo deſignato, à nullo contrahetur ea cognatio.

Hanc ſecundam ſententiam iudico veriorem. Quia 9
Concilium ſimpliciter voluit vt non poſſent eſſe plures ſuſceptores, quam duo, nempe vir & fœmina; & adhuc voluit, vt qui futurus eſſet ſuſceptor, eſſet ſpecialiter deſignatus, & ad id munus admiſſus; & ideo qui deſigatus non eſt, nec ad id officium admiſſus, iam non eſt ſuſceptor, & conſequenter nec contrahit impedimentũ; alioquin non euitarentur incommoda, quæ Tridentinum euitare intendit, ſi poſſent eſſe ſuſceptores, non deſignati ad hoc munus, vel plures quàm deſignati. Firmo hoc idem, nam decretum Tridẽtini irritat cognationem inter patrinos nõ deſignatos, cùm illam reſtringat ad pauciores perſonas; ergo petit deſignationem tanquam formam, qua non ſeruata corruat cognatio: patet conſequentia, quia decretum irritans ſemper inducit nouam actus formam.

Ad argumentum oppoſitæ ſententiæ negandum eſt Tridentinum hunc caſum prætermiſiſſe; nam verè petit vt conditionem ſubſtantialem, & formam, ipſam patrinorum deſignationem, & admiſſionem.

Secunda difficultas eſt, quid ſit dicendum, ſi plu- 10
res duobus deſignentur, vt duo viri, & duæ fœminæ.

Suarez *q. 68. art. 8. cit. colum. 2. §. ſed quæres*, docet quatuor. *Primum*, ſolum illum, vel illas perſonas contrahere cognationem, quæ ſunt deſignatæ ſpecialiter ad munus ſuſceptorum, per eos ad quos eas eligere, vel deſignare ſpectat, & per Parochum ad idẽ munus fuerint admiſſæ: vnde omnes illi qui ſpecialiter deſignati non ſunt, non contrahunt illam. *Secundum*, ſi ex ignorantia, vel malitia plures fuerint deſignati, quam poſſint iuxta formam Concilij, illum tantum contrahere cognationem, qui primum baptizatum ſuſceperit, vel ad ſũmum duo, ſi fuerint vir & fœmina Nam verè illi tantum ſunt ſuſceptores, & reliqui iam non ſunt capaces talis officij, ac miniſterij. *Tertium* ſi plures ſint deſignati ſuſceptores vltra formam à Concilio ſtatutam, neminem eorum contrahere impedimentum cognationis. Nam in eo caſu nullus videtur eſſe ibi verus ac legitimus ſuſceptor, quia nullus exercet munus illud eo modo quo ab Eccleſia ſtatutum eſt; nam prædictum cognationis impedimentum iam limitatum eſt à Concilio ad illum, qui fuerit vel totalis ſuſceptor, vel ita partialis, vt ſolùm habeat aliũ ſocium diuerſum in ſexu; vnde in illo caſu nullus eſt huiuſmodi ſuſceptor. *Denique* docet contrarium quoque probabile eſſe, atque adeò cùm res ſit dubia, non eſſe id facile conſulendum, ſed abſtinendum potiùs ab huiuſmodi matrimonio propter dubium.

Sanchez verò *diſp. 57. n.* 13. exiſtimat, quando plu- 11
res duobus patrini deſignantur, ſi à Parocho admittantur, contrahere dictam cognationem. Probat

Primò, quia Tridentinum prohibens plurium admiſſionem, aut duorum eius eiuſdem ſexus, non irritat factum aduerſùs id decretum: ſicut *cap. finali, de cognat. ſpirit. in 6. & c. non plures, de conſecratione diſt.* 4. tametſi etiam prohibeatur plurium admiſſio, nihilominus *in eo cap. finali* deciditur non irritari contrarium factum, ſed omnes hanc contrahere cognationem. Præterea Tridentinum id ſtatuens, eoſdem ſacros Canones confirmauit, addens poſſe vnum, & vnam in patrinos aſſumere; ergo eodem modo intelligendum eſt, quo illi. At illi non irritabant plurium admiſſionem, ſed ſolum interdicebant. ergo.

inſtitutas miniſtretur, quatum vna eſt adhibere patrinum; vnde eo ipſo quòd nullus eſt deſignatus, ipſi incumbit deſignare patrinos. Quod etiam firmatur vſu Epiſcoporum in Confirmatione, qui confirmantes multos pueros, quando parentes non deſignarunt patrinos, deſigoant aliquos, qui id munus obeant erga omnes confirmandos.

19 Ad argumenta Sanchez *num.*11. propoſita prout opponuntut noſtro tertio dicto.

Ad primum antecedens eſt falſum, vt conſtat ex *dicto tertio.* Nec eſt ſimile quod adducitut ex *cap. finali, de cogn. ſpirit. in 6.* Nam quamuis ibi dicarur, non plures, quàm vnum virum, vel voam mulierem accedere debere ad ſuſcipieodum de Baptiſmo infantem, iuxta ſacrorum canooum inſtituta; additut tamen expreſsè ſi plures acceſſerint, ſpiritualem inde contrahi cognationem. Quod Tridentinum reſtrinxit ad pauciores perſonas.

Ad ſecundum, negarur antecedens, quia non ſunt omoes legitimè deſignati iuxta præſcriptam fotmam Tridentini.

Ad tertium iam oſtenſum eſt additum fuiſſe quoque decretum irritans, illis verbis, Quòd ſi alij vltra deſignatos, &c.

20 *Tertia* difficultas eſt, an omnia ſtatuta in Tridentino *cap.* 2. ſolùm habeant locum in patrino Baptiſmi; atque ideo in patrino Coofirmatioois maneat ius antiquum in ſuo robore, ac ideo vnus ſolus poſſit in ea adhiberi patrinus; & quorquot confirmatum tetigerint, cootrahant cognationem, prout iure antiquo deciſum erat *cap. finali de cognat. ſpirituali in 6.*

Et ita eſſe affirmat Gaſpar Hurtado *diſp.* 18. *difficultate 4. num.* 12. probarique poreſt, quia decretum Tridentini cùm ſit correctorium iuris antiqui, deber potiùs reſtringi, & non ampliari vltra terminos in quibus loquitur. At de ſolo Baptiſmi patrino loquitur.

21 Nihilominus noſter Sanchez *diſp.* 57. *n.* 9. cenſet idem omnino voluiſſe Tridentinum quoad omnia ſtatuere in patrino Coofirmatioois, nempe poſſe adhiberi duos patrinos diuerſi ſexus, & nullum alium ſuſcipientem, vel taogentem, præter patrinos deſigoatos, ſpiritualem cognationem contrahere. Probat, quia fuit manifeſta mens Tridentini eodem modo vtramque cognationem reſtringere, vt conſtat ex procemio dicti capitis ſecundi, vbi declarat velle ſe impedimentum cognationis reſtringere. Conſtat etiam ex fine, vbi cognatiooem ortam ex Confirmatione ad eaſdem perſonas reſtringit, ad quas reſtrinxerat cognationem ortam ex Baptiſmo. Quod ſanè non fieret, ſi omnes confirmatum tangentes cootraherent, cum non omnes tangentes baptizatum, ſed ſolùm deſignati contrahant.

22 Opinor rem hanc dubiam eſſe, magis inclino in hanc ſententiam Sanchez, quam etiam tenet Suarez *3. p. q.* 72. *art.* 10. *ad finem.* Vbi cùm dixiſſet, vnum ſolum debere eſſe ſuſceptorem in Confirmatione, & ſi plures adhibeantur, omnes contrahere: ſubdidit hoc & alia quæ pertinent ad hanc cognatiooem, limitanda eſſe iuxta tradita in Tridentino *cap.* 2. Et idem auctor *quæſt.* 67. *a.* 8. *in fine*, vbi poſtquam retulerat omnia ſtatuta circa Baptiſmi patrinos, & cognationem, ſic concludit. Quæ omnia applicari poſunt ad ſuſceptorem in Sacramento Confirmationis. Nam in omnibus eſt eadem ratio, his tantùm exceptis, quæ ad Baptiſmum priuatum pertinent.

Sectio VI.

An coniuges filium ſuum baptizantes, aut in Baptiſmo, vel Confirmatione tenentes, impediantur ab vſu coniugali quoad petitionem & redditionem.

Certum eſt *primò*, contrahi cognationem ſpiritualem quæ ſuperuenit matrimonio iam cootracto, quando vnus coniux, poſt matrimonium cootractum, prolem alterius coniugis, ſiue ex priori cooiuge iam mortuo, ſiue communem, & ex ſe habitam baptizat, aut tanquam patrinus tenet in Baptiſmo, vel in Confirmatione. Id conſtat ex iure veteri, & nouo, generaliter ſtatuente cognationem ſpiritualem inter baptizantem, & ſuſceptorem & matrem pueri baptizati. 1

Certum eſt *ſecundò* apud Doctores, quaodo pater filium ſuum ex legitima coniuge natum, neceſſitate vrgente baptizat, nullum contrahere impedimentum cũ ſua vxore, quo minus debitum petere non poſſit. Ita expreſsè declarauit Ioannes VIII. *in cap. ad limina* 30. *q.* 1. Quia non eſt æquum vt pater priuetur iure ſuo, iam per matrimonium adquiſito, eo quòd filio in neceſſitate ſubueniat, ne in æternum pereat, vnde culpæ immuni, & ſuæ ſatisfacienti obligationi non debet interdici debiti petitio, quæ pœna eſt delicti. 2

Tertiò certum eſt, idem eſſe dicendum in alio caſu in quo coniux baptizat filium ſolius alterius coniugis, in neceſſitate. Ratio eſt, quia tametſi in prædicto textu *cap. ad limina*, ſolùm ſermo ſit de eo, qui proprium filium & vxoris ſuæ ſimul baptizauit. At ratio ibi adducta militat quoque in hoc altero caſu, atque ideò dicendum eſt nec tunc arceri à debiti petitione: quoniam abſque culpa nemo iure ſuo priuari debet. *cap. diſcretionem, de eo qui cognouit conſang.* Idem dicendum eſt ob eandem rationem, ſi coniux iam ad fidem conuerſus, vxorem quam infidelitatis tempore duxerat, baptizet, occurrente eadem neceſſitate. Tunc autem intelligitur ea neceſſitas eſſe, quando nullus adeſt qui id munus obeat, & periculum eſſet vt proles abſque Baptiſmo obiret. Idem quoque dicendum eum Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 26. *n.* 2. cùm infans cenſetur eſſe in præſẽtiſſimo mortis periculo, & pareos miſeratione commotus, ne abſque Baptiſmo decedat, penè indeliberatè accurrit, quamuis adeſſent alij, qui id munus præſtare poſſent, non priuatur iure petendi debitum, qui tantum abeſt vt delinquat cùm potius mereatur; quia in tanta neceſſitate non vacat ad deliberandum, & ratione vrgentiſſimi periculi præſtat in eam partem propendere, quæ ſalutifera eſt animæ infantis ad æternam eius ſaluationem. 3

Quartò verius videtur, idem dicendum eſſe, ſi in caſu neceſſitatis, quando nullus adeſt qui patrinus ſit, pater vel mater id munus obeat erga communem filium, aut ſolius alterius coniugis. Ratio eſt, tum quia licèt in Baptiſmo priuato non ſit neceſſarius patrinus; at vt ſeruetur Sacramenti ſignificatio, præſtantius eſt patrinum adhiberi. Tum maximè, quia priuari iure acquiſito petendi debitum ab vxore eſt pœna delicti admiſſi per coniugem, qui contra iuris prohibitionem, filium communem, aut alterius coniugis baptizauit, eiuſve patrinus fuit; at in neceſſitate vacat culpa parentem eſſe patrinum, vt rectè docuit D. Thom. *3. p. q.* 67. *a.* 8. *ad* 2. 4

Quintò, ſimiliter eſt certum, ſi parens ex ignorantia inuincibili facti, aut iuris, ſeu ex errore perſonæ, ſine vlla neceſſitate baptizet, vel filiũ ſuum ſuſcipiat, 5

nullo modo impediri actum coniugalem. Id ſatis inſinuatur *in cap. ad limina. 30. quæſt. 1.* & patet, quia etiam tunc exiſtimatur ex neceſſitate quadam, atque inuoluntariè feciſſe.

Sextò certum eſt, ſi ſciens & videns vnus coniux ex malitia id faciat, & extra vllam neceſſitatem & ignorantiam, grauiter peccare. Conſtat, quia id manifeſtè prohibetur *cap. 1. & 2. 30. quæſt. 1.* Quod licèt corrigatur quoad ſeparationis pœnā, vt dicemus, ſed non quo ad prohibitionem, cùm nulla ibi mentio eius fiat atque adeò manet in ſuo robore. Quod rectè probat D.Th. *loco cit.* quia alius debet eſſe pater carnalis, & alius ſpiritualis, ſicut alia eſt cognatio carnalis, & alia ſpiritualis

6 Denique certum eſt, hunc coniugem ſic grauiter peccantem, nihilominus teneri ad reddendum debitum alteri coniugi petenti. Patet, quia alter non debet priuari iure ſuo ob peccatum alterius. His præmiſſis difficultas eſt, an ſi coniux extra neceſſitatem, ſcienter, & ex malitia baptizat, aut tenet tanquam patrinus in Baptiſmo, vel Confirmatione, communem filium, aut alterius coniugis, priuetur petitioni debiti, ratione illius cognationis ſpiritualis, nempe compaternitatis ortæ inter illum & alterum coniugem.

7 Communior ſententia, quam ſequuntur quamplurimi Theologi antiqui & recentes, inter quos noſter Sanchez *lib. 9. diſputat. 26. numer. 7.* affirmat. Probaturque

Primò ex *cap. noſſe 30. quæſt. 1.* dum dicitur coniuges non eſſe ſeparandos, ſi leuatio de ſacro fonte non fuerit facta vtriuſque conſenſu; ergo ſi vtriuſque cōſenſu fiat, ſeparandi ſunt, & non ad aliud, niſi vt neuter petat; & etiamſi vnius tantùm conſenſu fiat, ille priuatur iure petendi.

Secundò, idem conſtat ex *cap. ad limina 30. quæſt. 1.* dum dicitur, eum, qui filium in neceſſitate baptizauerat, non eſſe à coniuge ſeparandum, quia id laudabiliter fecit; ergo qui id culpabiliter fecerit, ſeparandus eſt toro, vt nimirum debitum non petat.

Tertiò, prædictus coniux voluntariè & ſine neceſſitate munus illud illicitè ſuſcipit; ergo contrahit impedimentum cognationis quantum iure contrahere poteſt, poteſt autem meritò priuari iure petendi; ergo.

Quartò, nunquam in iure datur huic coniugi facultas petendi debitum, ſed ſolùm aſſeritur non debere ſeparari ab altero coniuge, quia non debet illi malitia & fraus patrocinari. At hæc ratio procedit tantùm de obligatione reddendi, ſed non de iure petendi; ergo.

Vltimò, impedimentum dirimens matrimonium poſtea contractum, ſi ſuperueniat poſt matrimonium antea contractum, ſaltem priuat iure petendi debitum; ergo id quoque verificari debet in hoc impedimento cognationis ſpiritualis.

Contrariam tamen ſententiam negantem amplectuntur Durandus *in 4. diſt. 42. quæſt. 1. art. 3.* Gloſſa *in cap. ſi vir 2. de cognatione ſpirituali*, Archiadoconus, Raynerus, Ancharanus, & Caietanus apud Sanchez citati *num. 6.* vbi Sanchez eam dicit eſſe probabilem, eandem ſententiam ſequitur Suarez *tom. 3. in 3. partem quæſt. 67. art. 8. §. penultimo, in fine*; Hurtado *diſput. 10. difficultate 6. numer. 24. & ſeq.* ac denique Coninch egregiè *diſput. 34. dubio 8. numer. 66. & ſequentibus*, quam meritò iudico veriorem. Ad cuius explicationem

8 Obſeruandum eſt *primò*, facilius eſſe aliquem cogere omnino continenter viuere, quàm vt cogatur continuò eodem cum coniuge toro vti, & tamen non poſſit petere debitū. Quia in homine benè cōſtituto, nec vllo modo frigido, hoc ferè idem eſt, atque ſi iubeas eum in mediis flammis verſari, & non ardere. Vnde nullos reperies, qui ſeparati à mulieribus caſtè viuent; qui autem poſſint continuò cum muliere dormire, & eam non concupiſcere, è multis millibus, an vnum reperies, neſcio. Vnde fit, vt hac de cauſa imprudenter coniuges voueant caſtitatem, niſi poſſint toro ſeparari, & ille qui vouit caſtitatem, nec poteſt à coniuge toto ſeparari, communiter teneatur diſpenſationem petere: quia communiter ipſi, & aliquando etiam coniugi inde graue periculum imminet: niſi fortè & ipſe per ſe eſſet auerſus ab actu venereo, ita vt non immineret illi ex parte ſua vllum periculum, & coniux eſſet eius conditionis, vt non eſſet ei notabiliter difficile petere debitum, quoties id appeteret.

9 Obſeruandum eſt *ſecundò*, pœnam priuationis iuris petendi debitū eſſe adeò grauem, & exorbitantem, vt non ſit ipſa ſtatuenda, niſi aut expreſsè habeatur in iure, aut per conſequentiam omnino neceſſariam inde deducatur, atque adeò eam non eſſe ſtatuendam per coniecturas, & conſequentias adeò incertas. Ratio eſt, quia omnis lex etiam apertè ſtatuens aliquam pœnam, eſt reſtringenda, quantum veritas verborum patitur, vt omnes fatentur; & conſtat ex *reg. Odia reſtringi 15. de regul. iuris in 6.* & ex *reg. 49. ibidem*, vbi dicitur, In pœnis eſt benigna interpretatio facienda. Quod maximè locum habet in prædicta pœna priuationis iuris petendi debitum: quia hæc eſt tam grauis & exorbitans pœna, & quæ vix vlli poſſit iniungi ſine graui ſalutis ſpiritualis periculo.

10 His præmiſſis verius iudico, vt penè firmiſſimo fundamento innixum, & in praxi ſecurius, vtpote animarum periculis vitandis omnino expediens, ac neceſſarium, eum qui ſua culpa filium ſuum ſcienter de Baptiſmo ſuſcepit, vel ſine vlla neceſſitate baptizauit, poſſe nihilominus petere debitum. Moueor præcipuè triplici fundamento.

Primum eſt, quia eſt ius duplex clariſſimum præſcribens non eſſe tam grauem pœnam imponendam. Vnum eſt *cap. de eo 32. quæſt. 1.* ſic dicens. Si autem coniuges legitimi, vnus, aut ambo ex induſtria fecerint, vt filium ſuum de fonte ſuſciperent: ſi innupti (continentiam ſcilicet ſeruando) permanere voluerint, bonum eſt: ſin autem (ſcilicet ita permanere noluerint) grauis pœnitentia inſidiatori iniungatur, & ſimul maneant. Vbi expreſsè definitur eos, ſi voluerint, poſſe ſimul in coniugio permanere; & alia pœna mulctentur; ergo tale decretum decernit, licitum eſſe illis petere debitum; alioquin deberent per Eccleſiam, quoad torum ſeparari ſi non liceret eis debitum exigere. Vt quid enim tunc manerent ſimul, niſi vt ſe mutuo excitarent ad peccatum? Firmo idem, nam in eo caſu, quo vterque ſciens & volens, ac videns ſuſcipit filium, volens, & intendens contrahere impedimentum, ſi neuter poteſt petere debitum, neuter etiam poteſt reddere alteri petenti. Patet, quia qui ſciens, & videns voluit contrahere impedimentum, hoc ipſo ceſſit iuri ſuo, & quando ambo in hoc conſentiunt, ambo ſibi mutuo cedunt, & acceptant; ergo neuter poſtea iure petit, ac proinde neuter tenetur reddere; ergo nec licitè reddere poteſt: ergo non poſſent ſimul manere. Alterum ius ſumitur ex *c. ſi vir, de cognatione ſpirituali.* Vbi Pontifex Alexander III. interrogatus, ſi vir, vel mulier ſcienter, vel ignoranter, filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperit, an tales debeant ſeparari, ait hæc verba. Nobis videtur, quòd ſiue ex ignorantia, ſiue ex malitia id fecerint, nō ſūt ab inuicem ſeparandi, nec alter alteri debitum debet

debet ſubtrahere, niſi ad continentiam ſeruandam poſſiot induci: quia ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur; ſi ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari, vel dolus. Hæc Alexander III. Expendantur verba, quibus manifeſtè apparet ius prædictum in fauorem noſtræ ſententiæ clariſſimum eſſe. In quo

Notandum eſt *primò*, Pontificem æqualiter omnino tam de iis qui ex ignorantia, quàm qui ex malitia ſuos filios ſuſceperunt, generaliter dicere eos non debere à coniugibus ſeparari, planè inſinuans eandem vtrorumque eſſe rationem: & certiſſimum eſt ex aliis iuribus, quando intercedit ignorantia, nullum huiuſmodi impedimentum oriri; atque adeò poſſe petere, & reddere.

Secundò eſt obſeruandum, ex prædicto textu manifeſtè colligi, cùm generatim dicatur tales non eſſe ſeparandos, nec debere, (ſiue non poſſe) alterum alteri debitum ſubtrahere, vtrumque coniugem, & conſequenter etiam nocentem poſſe petere debitum, & alterum debere reddere. Patet. Tum quia Pontifex expreſsè illis verbis, præſertim, *nec alter alteri debet debitum ſubtrahere*, facit æquales in poteſtate vtendi matrimonio coniugem innocentem, & nocentem: id enim apertè ſignificant illa verba: tum etiam, quia ſi Pontifex ſolùm intelligeret, vt coniux nocens non deneget innocenti debitum; petere tamen nequeat; id clarè, & expreſsè dixiſſet: ſicut expreſſit *cap. finali, de eo qui cognouit conſanguin.* agens de coniuge inceſtuoſo cum conſanguinea alterius coniugis. Tum denique, quia textus ille omnino æquiparat, ſcienter, & ignoranter baptizantem, & neutrum dicit poſſe debitum ſubtrahere: loquitur ergo de petitione, & redditione; cùm vtraque permittantur, ignoranter baptizanti, aut tenenti.

Tertiò eſt obſeruandum, illa vltima verba textus prædicti, ſi id factum eſt ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari, vel dolus, non eſſe addita, eum cuius culpa hoc accidit, non poſſe debitum petere; hoc enim ex illo toto textu nullo modo colligi poteſt; ſed quia cùm olim, vt conſtat ex *c.* 1. *&* 2. 30. *q.* 1. fuiſſet ſtatutum, vt qui eam cognationem etiam inculpabiliter contraxerant, toro ſeparentur; quidam vt poſſent à coniuge ſeparari malitioſè proprias proles ex fonte ſuſcipiebant, vt clarè habetur *cap. dictum eſt*, 30. *q.* 1. quales Pontifex dicit non debere à coniuge ſeparari ne iis ſua fraus patrocinetur. Quod etiam antea *in dicto cap. dictum eſt* 30. *q.* 1. decretum fuerat his verbis. Dictum eſt nobis quaſdam fœminas deſidioſè, quaſdam verò fraudulenter, vt à viris ſuis ſeparentur, proprios filios coram Epiſcopis ad confirmandum tenuiſſe. Vnde nos dignum duximus, vt ſi qua mulier filium ſuum deſidia, aut fraude aliqua coram Epiſcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam ſuam, aut propter fraudem; quandiu viuet, agat pœnitentiam: à viro tamen ſuo non ſeparetur.

11 *Secundum argumentum* noſtræ concluſionis eſt, quia ſi quid antiquiora iura in hac re durum ſtatuerant, correcta ſunt per alia poſteriora iura. Patet, quia *cap.* 1. *&* 2. 30. *q.* 1. correcta ſunt per dictum caput *ſi vir, de cognatione ſpirituali*, vt notauit Gloſſa *ibi, verb. inſtitutum.* Præterea *cap. noſſe* 30. *q.* 1. vbi deciditur coniuges eſſe inuicem defraudandos, ac ſeparandos, ſi ex vtriuſque conſenſu alter alterius filium de ſacro fonte leuauerit; & ſubinde idem dicendum eſſe quando alter ſciens & prudens id fecit, nempe vt priuari debeat iure exigendi. Totum hoc nihil obeſt modò: quia id decretum fuit Nicolai primi, qui floruit anno 858. teſte Genebrardo *in Chronographia lib.* 4. *fol.* 781. & ita correctum eſt per dictum caput *ſi vir, de cognatione ſpirituali*, ab Alexandro tertio, qui vixit anno 1156. teſte eodem Genebrardo *lib.* 4 *fol.* 796. Denique caput *ad limina* 30. *q.* 1. vbi deciditur coniuges ſeparandos non eſſe propter Baptiſmum filio à parente collatum vrgente neceſſitate, vbi diuerſum videtur ſtatuere, vbi abfuit neceſſitas, nam aliàs textus nihil indulgeret: nihil etiam facit contra nos. Quia loquitur Ioannes VIII. auctor illius decreti, tempore quo vigebat illud decretum capitis primi 30. *q.* 1. vt coniuges ſiue ſcienter, ſiue ignoranter, proprios filios baptizantes ſepararentur: nondum enim decretum capitis *ſi vir, de cognatione ſpirituali*, illud corrigens. Nam Ioannes Octauus floruit anno 874. teſte Genebrardo *eodem libro quarto fol.* 788. atque ita indulſit, ne ſepararentur, Baptiſmo in neceſſitate collato.

Tertium fundamentum eſt, non poſſe ob tale delictum aliquo iure prohiberi coniugibus iure exigendi debitum, ſi aliàs coguntur propter paupertatem, vel aliam cauſam vti eodem toro, ob rationem ſuperiùs dictam *num.* 8. propter manifeſtum videlicet & euidens incontinentiæ periculum; cùm vix inuenias vnum ex millibus, qui poſſit continuò cum muliere dormire abſque manifeſto incontinentiæ periculo. Quibus addo, cùm nullum in iure inueniatur ſufficiens fundamentum ad contrarium aſſerendum, nempe ad ponendam prohibitionem petendi debitum in eo caſu; neque vlla ſit ratio id ſuadens, non eſt cur aſſeratur. Nam in huiuſmodi impedimentis, & prohibitionibus, quæ ex iure poſitiuo pendent, neque congruentiæ, neque argumenta à ſimili ſunt efficacia, vt dixi *num.* 9. 12

Ex his facilis eſt ſolutio ad argumenta contrariæ ſententiæ. 13

Ad primum, iam conſtat decretum illud capitis *noſſe* 30. *q.* 1. fuiſſe correctum ab Alexandro III. *cap. ſi vir, de cognatione ſpirituali, & cap. de eo*, 30. *q.* 1. vt dixi ſuprà *num.* 10. *&* 11.

Ad ſecundum ſimiliter dico decretum capitis, *ad limina*, corrigi quoque in illo *cap. ſi vir*, & in dicto *cap. de eo.* Corriguntur autem illa iura antiquiora non quoad contractionem cognationis, ſed quoad ſeparationem à toro: quia in illis capitibus *ſi vir*, & *de eo*, ſolùm ſtatuitur non impediri ab vſu coniugali, qui ex malitia contrahunt cognationem ſpiritualem. Quo etiam comprehenduntur, qui ſcienter abſque fraude eam contrahunt; quia ex fraude eam contrahere eſt maius, & peius, quàm ſcienter abſque fraude: & etiam ibi ſtatuitur non impediri eos, qui eam contrahunt ex ignorantia; quo etiam comprehenduntur qui ex ignorantia vincibili eam contrahunt, quia ignorantia vincibilis etiam eſt ignorantia ſimpliciter, & aliquo modo excuſat factum ex ipſa. Addo ex illis duobus capitibus non deduci efficaciter, quod aduerſarij contrariæ ſententiæ intendunt: etiamſi non fuiſſent correcta per poſteriora iura, & capita. Patet, quia ex eo quod *in cap. noſſe* dicatur, quòd ſi leuatio non fuit facta vtriuſque conſenſu, non ſunt ſeparandi, ſubintellige quoad torum, non poteſt efficaciter deduci, quòd quando fit, vtriuſque conſenſu ſeparandi ſint. Neque ex eo quod *in cap. ad limina*, dicatur, quòd qui in neceſſitate baptizauit filium ſuum, non ſit à coniuge ſeparandus, quia id laudabiliter fecit; deducitur efficaciter, quòd quando id fecit culpabiliter, ſeparandus ſit à toro. Quia ad ſummum id poſſet deduci à contrario ſenſu. At deductio à contrario ſenſu in iure eſt inefficax, præſertim ad deducendam tam grauem pœnam priuationis iuris exigendi debitum, quæ certè ob ſpeciales rationes, potiùs eſt ſem-

per reſtringenda. Quia, vt rectè notauit Hurtado ad finem difficultatis ſextæ, Pontifex ſæpè ſua reſponſa limitat, aut eorum rationem aliquam afferunt, non quia deficiente ea limitatione, aut ratione, reſponſa ipſorum non teneant, & oppoſitum ſit dicendum, ſed ſua reſponſa limitant, vt præcisè ad interrogata reſpondeant, & rationem aliquam afferunt, vt oſtendant ſua reſponſa eſſe certa.

35 Ad tertium, verum eſt, coniugem voluntariè & abſque neceſſitate munus illud illicitè ſuſcipere, & grauiter peccare; hoc enim apertè prohibetur, & aſſeritur in dictis iuribus. Vnde ſimiliter eſt verum cõtrahere cognationem ſpiritualem, quantum iure contrahere poteſt. At quòd nequeat petere debitum, nullo ſufficienti fundamento aſſeritur, quia dicta priuatio, ſeu prohibitio petendi, in nullo iure perſeuerante in ſua viridi obſeruantia continetur. Quia quãuis id contineatur in aliquibus, iam tamen correcta ſunt quoad ſeparationem à toro. Et non ſolùm ea prohibitio in nullo iure perſeuerante continetur, ſed nec ex aliquo iure ſufficienter deducitur, vt ſatis oſtenſum eſt.

36 Ad quartum negatur antecedens; conſtat enim eſſe manifeſtè falſum ex tribus à nobis adductis fundamentis.

Ad vltimum dico, regulam illam, vel dictum, quòd impedimentum dirimens vinculum inter non coniugatos, impediat actum petendi inter coniugatos, verificari, quando in ipſo iure non eſt reſtrictum impedimentum ad non coniugatos. At in præſenti ipſum ius hanc limitationem adhibuit. Et in ipſo *cap.*
1 *ſi vir, de cognatione ſpirituali*, aſſignatur ratio, ne detur occaſio coniugibus, vt per fraudem, & dolum toro ſeparentur, & inducant impedimentum vſui matrimonij contrarium. Exemplum etiam eſt in eiuſdem reiconfirmationem, nam qui baptixat filium ſuum in extrema neceſſitate, nullum impedimentum contrahit etiam ad petendum debitum, vt conſtat: & tamen qui baptizat filium alterius, etiam in neceſſitate, non poteſt matrem eius ducere vxorem, ſecundùm communem ſententiam; quia hoc impedimentum in iure non eſt limitatum reſpectu alterius non coniugis.

Sectio VII.

An qui per procuratorem exercet munus patrini, contrahat cognationem ſpiritualem.

1 PRima *difficultas* eſt, an ſuſceptio infantis requiſita in patrinis, ſit ita perſonalis actio, vt nequeat per procuratorem exerceri, ac proinde conſtituens illum, vt nomine ſuo infantem ſuſcipiat, non contrahat cognationem. Sentit Sanchez *lib.* 7. *diſput.* 59. *numer.* 4. cum Soto, Henriquez, Toleto, & aliis plurimis, quos ipſe refert, prædictam cognationem ſpiritualem non poſſe contrahi per actionem procuratoris, ſed deſiderari ſuſceptionem perſonalem ipſius met patrini. Probat

Primo, quia iura, quibus dicta cognatio inducitur, requirunt ad id tactum patrini; & ideo vtuntur his verbis, ſuſcipit, accipit, tenet, leuat; at hunc tactum non habet qui per procuratorem tenet, aut ſuſcipit, quoniam illa verba propriam ipſius patrini actionem denotant.

Secundo, qui conſtituit procuratorem, vel commiſſarium vt nomine ſuo puerum baptizet, non contrahit cognationem ex Baptiſmo facto à ſuo Cõmiſſario; ergo nec conſtituens vt nomine ſuo ſuſcipiat.

Tertio inducendum non eſt impedimentum dirimens matrimonium, vbi non eſt ius expreſſum, quia id eſt valde odioſum. At iure non conſtat poſſe cognationem ſpiritualem ſubſequens matrimonium dirimentem, contrahi per procuratorem; ergo.

Vltimò, nemo poteſt per procuratorem, aut generare, vt per ſe patet; aut etiam adoptare, vt habetur *l. poſt mortem* 25. *ff. de adoptionibus*: ergo nec per alium poteſt aliquem ſuſcipere.

Verius mihi videtur, eum qui aliquem per procuratorem ſuſcepit, contrahere hanc cognationem. Ita 2
Rebellus *lib.* 3. *quæſt.* 6. *numer.* 12. Coninch *diſput.* 32. *dubio* 2. *numer.* 40. Baſilius Ponce *lib.* 7. *cap.* 39. *num.* 10. Hurtado *diſput.* 18. *difficult.* 5. Sà *de impedim. diriment. num.* 39. Moueor præcipuè, quia qui per procuratorem exercet munus patrini per eum tenendo, vel ſuſcipiendo puerum, verè & validè exercet illud. Vt generaliter conſtat ex eo quòd quilibet poteſt per alium, quod poteſt per ſe ipſum, *cap. poteſt quis, de reg. iuris in* 6. quando iure aliquo non prohibetur. Nullo autem iure prohibitum eſt, ne eiuſmodi ſuſceptio per procuratorem fiat; ergo. Firmo, quia ſi per procuratorem patrini munus exerceri non poteſt, atque adeò nec contrahit cognationem qui procuratorem deſignat; cùm ex alia parte procurator cùm non ſuſcipiat nomine ſuo, fieret vt Baptiſmus ſolemnis eſſet ſine fideiuſſore, & ſine ſuſcipiente Eccleſiæ nomine, ac ſine ſpiritualibus patribus, quod certè in hac materia abſurdum videtur. Addo quotidianam experientiam: nam videmus Magnates, & Principes paſſim per procuratores hoc munus obire; quod Eccleſia nunquam permitteret, ſi hoc validè facere non poſſent, quia tunc nullus eſſet ſuſceptor, atque ita ſine vlla neceſſitate, cæremonia grauiſſima, & antiquiſſima, aut omnino omitteretur, aut ridiculè ſimularetur, cùm talis nullo modo verè ſuſciperet prolem, ſed id ſolum ſimularet, quod abſurdè planè ab Eccleſia permitteretur. Igitur admittendum eſt mandantem per ſuum procuratorem validè id munus obire. Hinc autem euidens eſt, ipſum contrahere hanc ſpiritualem cognationem; quia id iura generaliter aſſerunt.

Ad argumenta contrariæ ſententiæ.

Ad primum dico iura non requirere actum ita perſonalem, quin per alium fieri poſſit; vnde iura 3
non præcipiunt vt ſuſceptor per ſe eas actiones obeat, mandans autem eas per procuratorem verè obit, ſicut per procuratorem verè matrimonium contrahit. Quare illæ actiones tangendi, leuandi, & accipiendi propriis manibus, quæ in iure ipſo ſtatuuntur, etiam ſi per procuratorem fiant, à mandante fieri dicuntur; ſicut & profiteri quis per procuratorem dicitur, & iurare, ac vouere.

Ad ſecundum, conceſſo antecedente, negatur 4
conſequentia, ob manifeſtam diſparitatem; nam qui baptizat, etiam ſi id faciat ex licentia, ſeu ex commiſſione alterius, non baptizat nomine illius, eum repræſentans, & vt eius procurator, neque dicitur per illum baptixare, ſed tantùm vt miniſter Chriſti, & Sacramenti, ac proinde baptixat in nomine proprio, tanquam verus miniſter ad id à Chriſto deſignatus, & ideo iſte contrahit ſpiritualem cognationem. At procurator quamuis ipſe immediatè teneat, non tamen ſuo nomine, ſed alieno, & ita ipſe non dicitur patrinus. Adde, neminem poſſe baptixare, vt alterius hominis inſtrumentum, ſed vt immediatè ſuſtinentem perſonam Chriſti: poteſt autem procurator vt inſtrumentum mandantis ſuſcipere baptizatum.

Ad

Ad tertium, vera eſt propoſitio, eſt tamen minor falſa: nam iura oon præcipiunr, vt ſuſceptor per ſe eas actiones obear; mandans autem eas pet procuratorem verè obit, ſicut per procuratorem quis verè matrimonium contrahit.

Ad vltimnm, eſt latum diſcrimen; quia generare per alium repugnat naturæ ipſius rei,& adoptare per alium repugnat iuri poſitiuo. Ar ſuſcipere, vel per aliū teoere puerum in Baptiſmo, nulli iuri repugnat; imò eſt conforme iuri humano, in quo multi actus fiunt per procuratorem, vt conſtar.

5 *Secunda difficultas* eſt,an procurator ipſe qui nomine alieno ipſius mandātis ſuſcipit infantem in Baptiſmo,contrahat cognationem ſpiritualem. Reſpondeo cum omnibus ferè Doctoribus, etiam cum Sanchez & aliis eius opinionis,nullo modo contrahere cognationem ſpiritualem, Ratio eſt, quia ad eam contrahendam deſideratur animus & intentio obeundi muneris patrini, vt cooſtat ex dictis ſuprà *ſectione quarta*; at procurator ea intentione & animo deſtituitur, quia non intendit nomine proprio tenere,nec eſſe verum patrinum; ſed id munus exercet nomine mandantis ipſum conſtituentis, volens illum conſtituere patrinum. Addo, etiam ſi procurator ipſe intenderet nomine proprio tenere, ac eſſe patrinus, adhuc tunc prædictam non contraheret cognationem; quia cùm non ſit deſignatus ab iis quibus incumbit, vt nomioe proprio teneat, ac efficiarur patrinus, deſideratur in ea conditio aſſignationis, quam ueceſſariam eſſe oſtendimus ſuprà *ſect. 4. n. 8. & 9.*

DISPVTATIO XXX.

De cognatione legali, impedimento dirimente.

DE hoc impedimento dirimente tractat Gratianus 30. *q. 3. c. 1. & cap. 6.* Et extat titulus in Decretalibus de cognatione legali. Meritò autem eiuſmodi impedimentum inductum eſt lege ciuili per Eccleſiam approbata, quia lex eas perſonas excluſit à matrimonio, quas neceſſe erat cohabitare, ne ſi inter eas valeret & liceret coniugalis copula, facilè pateret concupiſcentiæ locus, ad quam reprimendam matrimonium ordinatur. Cumque filius adoptiuus verſetur in domo patris adoptantis, ſicut filius naturalis: ideo prohibirum eſt inter illos, & irrirum matrimonium contrahi. quod quoto gradu illud dirimat, eſt in hac diſputatione explicandum.

Sectio I.

Quid, & quotuplex ſit cognatio legalis.

1 CVm legalis cognatio ſit effectus adoptionis, præmitti debet *primò*, quid adoptio ſit. Cōmuniter autem à Iuriſperitis ſic diffinitur: extraneæ perſonæ in filium, vel nepotem, vel deinceps, legitima aſſumptio. Extranea perſona hoc loco intelligitur, perſona adoptata xtranea adoptanti, iuxta eum gradum coniunctionis cum adoptante, ad quem adoptatur, ſiue filij, ſiue nepotis. Quare ſi quis adoptarur in filium, vel oepotem, neceſſe eſt vt non ſit filius, ant nepos. Vndc ſi nepos naturalis adoptetur in filium, adhuc poteſt, & debet cenſeri perſona extranea; quia ex origine ſua non participat illum gradum coniunctionis ad quem aſciſcitur. Vt enim conſtat ex *l. 1. ff. de adoptionibus*, filiatio adoptiua opponitur naturali; quia filiatio naturalis fundatur in communicatione naturæ viuentis; adoptio verò eſt aſſumptio alicuius loco filij, vel nepotis, cùm verè non ſit filius proprius, vel nepos. Igitur neceſſe eſt vt perſona quæ adoptatur ſit extranea, ſeu careat gradu coniunctionis naturalis, ad quem adoptatur. Dicitur, *in filium, vel nepotem, vel deinceps*; quia non poteſt quiſquam adoptari in patrem, aut in fratrem: adoptio enim imitatur naturam, ſecundùm quam pater generat filium. Vnde hac de cauſa adoptio ſolet dici generatio legalis. Illâ verò alia particulâ *deinceps*, comprehenditur fœmina, vt filia, neptis. Dicitur legitima, id eſt, ſecundùm leges; cùm enim ab ipſis inſtituta ſit, vt valeat, & effectum cognationis producat, debet in ea ſeruari forma legibus præſcripta. Denique dicitur *aſſumptio*, id eſt, electio.

Præmitto *ſecundò*, adoptionem duplicem eſſe. Alia enim eſt perfecta, quæ arrogatio dicitur, qua adoptatus tranſit in poteſtatem adoptantis, ideoque arrogari non poteſt, qui ſui iuris noo eſt; fitque hæres neceſſarius adoptantis etiam ex teſtamento, & tantùm fit autoritate ſupremi Principis: altera verò eſt imperfecta, ſeu ſimplex, qua adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis, quia per eam aſſumitur in filium ille, qui eſt ſub poteſtate ſui patris carnalis; & noo eſt eius hæres neceſſarius ex teſtamento, ſed tantùm ab inteſtato, & fieri poteſt autoritate magiſtratus inferioris Principe. 2

Præmitto *tertiò*, cui integrum ſit alium adoptare. Nam inprimis adoptans deber eſſe ſui iuris, & maior vigintiquinque annis; alter enim bona ſua nequit adminiſtrare. Præterea debet eſſe vir: nam fœminæ adoptare nequeunt, niſi ex priuilegio Priocipis: rurſus debet eſſe porens ad generandum. Vnde frigidi adoptare non poſſunt, quia ſunt naturaliter impotentes; eſt enim adoptio inſtituta ad ſupplendum filiotum defectum, & ideo illis ſolis conceditur qui naturaliter generare poſſunt. Vnde gladio caſtrati adoptare poſſunt, quia ſunt impotētes ex accidēti. Similiter Sacerdos poteſt adoptare, quia naturaliter nō eſt impotens ad generandum. Denique adoptans ita excedere deber ætate adoptatum, vt poſſit eſſe eius parer naturalis. Imò decem & octo annis debet illum excedere. Arrogare verò nequit, qui quadraginta annos non nactus eſt. 3

Præmitto *quartò*, adoptatnm poſſe eſſe quemlibat, ſiue virum, ſiue fœminā, dummodo ſit præſens: abſens enim nequit adoptare, nec adoptari, etiam per procuratorem. 4

Denique præmitto ſex modis ſolui adoptionem, *primò* per naturalem mortem adoptionis. *Secundò* per mortem eius ciuilem, vt ſi damnetur ad metalla perpetuò, vel relegetur. *Tertiò* ſi adoptans contrahat nuptias inceſtuoſas. *Quartò* ſi adoptatus aſſumatur ad aliquam dignitatem, vt ad Epiſcopatum. *Quintò* per ſententiam. *Sextò* denique ſi emancipetur adoptatus. His præmiſſis, 5

Circa primum, ſic communiter cognatio legalis diffinitur: Propinqnitas ex adoptione proueniens. Dicitur *propinquitas*, vt declaretur ſimilitudo & conuenientia quam habet cum cognatione carnali. Additur, *ex adoptione proueniens*, vt eius propria differentia ſignificetur, per quam diſtinguitur à cognatione carnali. 6

Circa ſecundum, triplex cognationnis legalis ſpecies traditur à D. Thom. *in 4. diſp. 42. q. 2. art. 3. in* 7

corpore

corpore, quem omnes ſequuntur. *Prima* eſt in linea recta inter adoptantem & adoptatum, ac adoptati deſcendentes. Quæ habetur in iure Cæſareo. *Secunda* eſt *lateralis*, ſeu in linea tranſuerſa, ſeu laterali, inter adoptatum & filios carnales adoptantis, cuius fit mentio etiam in iure Cæſareo; & habetur quoque in iure Canonico *cap. vnico, de cognatione legali*. *Tertia* eſt per modum cuiuſdam legalis affinitatis, ad ſimilitudinem affinitatis naturalis; quæ eſt inter adoptantem & vxorem adoptati, & è contra inter adoptatum & vxorem adoptantis. quæ habetur in iure Cæſareo *l. adoptiuus 14. ff. de ritu nuptiarum*.

Sectio II.

An omnis cognatio legalis, etiam illa, quæ oritur ex adoptione imperfecta, dirimat matrimonium.

1 CErtum eſt *primò* cognationem legalem ortam ex adoptione dirimere matrimonium; quia hoc impedimentum legibus ciuilibus inductum iure Canonico eſt approbatum.

2 *Secundò* etiam eſt certum, hoc impedimentum non eſſe inductum iure naturæ, ſed ſolùm iure humano; Patet, quia manifeſtè conſtat, nec iure naturæ adoptionem eſſe inuentam, nec ex ea cognationem matrimonio obſtantem conſurgere; ergo ſolo poſitiuo Eccleſiaſtico iure. Quare ſi apud infideles prædicta adoptio fieret, & ea non obſtante, matrimonium iniretur inter adoptantem & filiam adoptatam, validum vtique eſſet, niſi ſpeciali eorum lege illud irritum eſſet; quia illi non ſubiacent Eccleſiæ legibus, à cuius approbatione vim obligandi hoc habet impedimentum.

3 *Tertiò* quoque certum eſt cognationem legalem ortam ex adoptione perfecta dirimere matrimonium. Patet, quia cùm cognatio legalis verè dirimat, debet id ſaltem verificari de illa quæ conſurgit ex perfecta adoptione, quæ eſt omnium potiſſima. Oportet tamen in quauis adoptione facienda ſeruari formam legibus præſcriptam, à nobis ſuprà dictam præcedenti ſectione, *num. 3*. ea enim non ſeruata, ſed priuatim coram vicinis, aut aliis perſonis honeſtis, non interueniente magiſtratu, corrueret actus; ac proinde nullum inde matrimonij impedimentum conſurgeret Quia cum forma det eſſe rei, vt patet ex *cap. ina, de ſponſal. & c. quia propter, de elect.* deficiente forma, deficit actus.

4 *Vltimò* verius eſt ac communius apud Doctores, quando cognatio legalis inducit impedimentum dirimens, ſi ſuperueniat matrimonio iam contracto, non impediri debiti petitionem. Ratio eſt, quia non omne impedimentum quod præcedens matrimoniũ illud ſimpliciter dirimit, ſi ſubſequatur, dirimit illud ſecundùm quid, ſeu, quod idem eſt, impedit eius vſum quoad debiti exactionem; niſi textus expreſſus inueniatur, qui eam debiti petitionem in eo caſu interdicat. Quare cùm in cognatione legali is textus non reperiatur, dicendum eſt eam non impedire debiti petitionem. Solum eſt notandum per cognationem legalem ſuperuenientem dirimi ſponſalia præcedentia. Ratio eſt, quia ſponſalia cùm ſint futuri matrimonij promiſſio, ſuperueniente matrimonio, quod illud dirimit, ſi contrahantur, protſus diſſoluuntur, cùm nequeant validè conſequi ſuum effectum.

His poſitis, reſtat difficultas, an cognatio legalis 5
orta ex adoptione imperfecta dirimat matrimonium, an potius ex ſola perfecta, quæ arrogatio dicitur.

Sentiunt vt probabilius Sanchez *lib. 7. diſp. 63. n. 9.* Coninch *diſp. 32. n. 44.* Ochauia *quæſt. 58.* & alij, cognationem legalem quæ matrimonium dirimit, ex ſola adoptione perfecta, quæ arrogatio eſt, ortum habere. *Primò*, quia cognatio hæc introducta eſt à iure poſitiuo ad impediendam fornicationem, quæ facile eſſe poteſt inter perſonas in eadem domo communicantes; ſed per adoptionem imperfectam non traducitur adoptatus in domum, nec in adoptantis poteſtatem; ergo ea non obſtat matrimonio. *Secundò* matrimonium eſt res valde fauorabilis; ergo iura illud prohibentia, vel dirimentia ob adoptionem, reſtringi debent, & coarctari ad propriam, & perfectam verborum ſignificationem: at ſimplex adoptio cum ſit imperfecta, non dicitur abſolutè talis; imò iuxta D. Thomam *in 4. d. 42 a. 1.* eſt potiùs dicenda diſpoſitio quædam ad perfectam adoptionem; ergo.

Tertiò, iura ſtatuentia hoc impedimentum cognationis legalis, loquuntur de adoptione, quæ impedit matrimonium etiam inter adoptatum, & proles adoptantis; quod ſolum conuenit arrogationi.

Comunior ſententia, quam ſequuntur Cardinalis Toletus *lib. 7. c. 4.* Rebellus *lib. 3. q. 7. n. 15.* Baſilius Ponce *lib. 7. c. 41. n. 2.* Hurtado *diſp. 19. difficult. a* & alij affirmant, vtramque cognationem legalem, ſiue perfectam, ſiue etiam imperfectam, impedire, & dirimere matrimonium. Probant, quia iura, quibus ex adoptione inducitur cognatio legalis dirimens matrimonium, loquuntur de adoptione abſolutè, & abſque diſtinctione aliqua, vt videre eſt ex textibus quos ſuprà retulimus in hac ſectione. At vbi iura non diſtinguunt, nec nos debemus diſtinguere, niſi aliqua inde difformitas, vel turpitudo ſequatur. Quod ſanè præcipuè locum habet in his, quæ iuris Eccleſiaſtici ſunt. Quod etiam firmari poteſt, quia adoptio, quæ non eſt arrogatio, tametſi ſit imperfecta, eſt tamen abſolutè, ac verè & propriè adoptio; non igitur eſt ſufficiens cauſa cur dicta iura ſint reſtringenda ad ſolam cognationem legalem ex adoptione perfecta conſurgentem.

Dico *primò*, cognationem legalem ortam ex ado- 6
ptione imperfecta non dirimere matrimonium, atque adeò ſolam cognationem legalem quæ oritur ex adoptione perfecta, & ſolet arrogatio appellari, dirimere illud Ita cum Doctoribus primæ ſententiæ. Moueor ratione adducta, quia cùm matrimonium ſit fauorabile, iura quæ ſunt contra ipſum reſtringi debent: ſic autem fiet, ſi hîc pro adoptione intelligatur ſolùm perfecta Et quamuis iura non diſtinguant, ſed abſolutè loquantur de adoptione; eſt tamen ratio efficax id euincens, tum quia intelligi debent de adoptione ſtrictè ſumpta, quæ in iure dicitur arrogatio; non ergo de illa alia imperfecta, & ſecundùm quid, quæ talis abſolutè & ſimpliciter cenſenda non eſt. Tum maximè, quia cognatio legalis dirimens matrimonium eſt introducta in iure, vt vitetur fornicatio inter perſonas in eodem loco commorantes. At hæc ratio ceſſat in cognatione legali orta ex adoptione imperfecta, qua adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis, quia per eam aſſumitur in filium ille qui eſt ſub poteſtate ſui patris carnalis, vnde talis adoptatus non traducitur in domum adoptantis, ex quo facile manet ſolutum argumentum oppoſitum.

Dico

7 Dico *ſecundò*, neque oriri impedimentum impe-
diens ex cognatione legali imperfecta, atque adeò poſ-
ſe licitè contrahi matrimonium vbi ſola eſt imperfe-
cta adoptio. Ita docent Petrus de Ledeſma *de matri-
monio quæſt.* 57. *art.* 2. *concluſ.* 2. Enriquez *lib.* 12. *cap.*
12. *numer.* 3. & Sanchez *citatus numer.* 10. Ratio eſt,
quia nullum ius extat de ea re, nec textus id inſi-
nuans, vel ſignificans.

Obiicies adoptionem illam imperfectam eſſe viam
& diſpoſitionem ad perfectam, ſicut eſt Catechiſ-
mus ad Baptiſmum; ergo ſicut per Baptiſmi Cate-
chiſmum contrahitur cognatio quædam ſpiritualis
imperfecta, quæ ſolum impedit matrimonium, vt
conſtat ex *cap. per Catechiſmum, de cognat. ſpirit. in* 6.
ita & per prædictam adoptionem imperfectam. Re-
ſpondeo eſſe diſparem rationem; nam in Catechiſmo
eſt expreſſus textus id decidens, non verò in adoptio-
ne imperfecta: nec poteſt ex rationis ſimilitudine in-
duci matrimonij impedimentum: aliàs eſſet quoque
dicendum ex ſolo exorciſmo oriri quoque impedi-
mentum impediens, eo quòd ſit diſpoſitio ad Ba-
ptiſmum.

SECTIO III.

An triplex legalis cognationis ſpecies impe-diat, ac dirimat matrimonium.

1 CErtum eſt *primò*, in quo conueniunt Doctores,
primam ſpeciem cognationis perfectè legalis in
linea recta dirimere matrimonium. Patet, quia habe-
tur *Inſtitut. de nuptiis* §. *ergo non omnes, & l. quin etiam,*
55. *ff. de ritu nuptiarum.* Quare inter arrogantem, &
vxorem illius, & perſonas arrogatas dirimens contra-
hitur matrimonium. Et ratio eſt, quia in hac linea
eſt inductum impedimentum propter reuerentiam
quam debet adoptatus adoptanti. Atque hæc prima
ſpecies appellatur à Doctoribus paternitas legalis.

2 *Secundò* etiam eſt certum, ſecundam ſpeciem co-
gnationis perfectæ legalis in linea tranſuerſa, diri-
mere matrimonium. Ita approbatur *cap. vnico, de co-
gnatione legali*, primis illius capitis verbis. Si qua per
adoptionem mihi ſoror eſſe cœperit, quamdiu du-
rat adoptio inter me, & ipſam, nuptiæ conſiſtere non
poſſunt. Nota verbum, *non poſſe*, ſonat eſſe diſſol-
uendas, vel non poſſe permanere. Quibus addo, ver-
bum *poſſe*, propoſita negatione, tollere potentiam, &
reddere actum nullum, ac priuare potentia. Idem
ſtatuitur *cap. per adoptionem* 30. *quæſt.* 3. his verbis.
Per adoptionem quæſita fraternitas eo vſque impedit
nuptias, donec manet adoptio. Quare inter filios car-
nales arrogantis, & ipſum adoptatum, ſeu arroga-
tum verè eſt impedimentum dirimens matrimonium.
Quia inde naſcitur inter illos amicitia quædam, &
cùm habitent in eadem domo, & ſint ſub poteſtate
adoptantis, eſſet fornicationis periculum, niſi obſta-
ret matrimonium dirimens inter illos. Vnde idem ſta-
tuitur *cap. ita diligere* 30. *quæſt.* 3. ſumitur enim hoc
ex honeſtate quadam quam fratres naturales & ado-
ptiui ſeruare debent, ne ex conuictu periclitetur pu-
dicitia: vt in ſimili dixi ſuprà *diſput.* 28. *ſect.* 7. Vn-
de hæc ſpecies cognationis legalis, dicitur legalis fra-
ternitas.

3 Difficultas ergo ſolùm eſt de tertia ſpecie cognatio-
nis legalis, quæ eſt per modum cuiuſdam legalis af-
finitatis, ad conuenientiam, & ſimilitudinem affini-
tatis naturalis. Sunt nonnulli qui negant. *Primò*, quia
inc. ita diligere 30. *q.* 3. quod eſt ex Nicolao Pontifice,
habetur leges ciuiles non permittere matrimonium in-
ter huiuſmodi cognatos legales. Quaſi dicat aliud eſ-
ſe ſecundùm canones ſacros, argumento ex *cap. non-
ne, de præſumpt. Secundò* ius Canonicum, à quo ſo-
lo poſſunt matrimonij impedimenta promanare, eius
cognationis non meminit; ergo.

Cæterùm omnes ferè Doctores, tanquam rem ex- 4
ploratam, ſtatuunt, eam cognationem verè dirimere
matrimonium adoptantis cum vxore adoptati, & ma-
trimonium adoptati cum vxore adoptantis. Proba-
tur. Tum quia, tametſi tertia ſpecies affinitatis lega-
lis non reperiatur expreſsè approbata in iure Canoni-
co; tamen cùm rubrica iuris Canonici ſit generalis,
nimirum de cognatione legali, & ſit eadem ratio de
hac ſpecie, ac de reliquis, dicendum eſt cenſeri ſub-
inde approbatam illam, ſicut & alias. Tum etiam, quia
conſuetudine Eccleſiaſtica omnes tres illæ ſpecies re-
ceptæ ſunt, id ſciente Papa; & ideo hoc impedimen-
tum tanquam ab Eccleſiaſtico iure approbatum, vim
habere exiſtimandum eſt. Inductum eſt autem hoc
impedimentũ in hac ſpecie ob reuerẽtiã patris & ma-
tris legalis. Ex his patet ſolutio ad argumẽta oppoſita.

Ad primum dico, non dicere textum, leges
ciuiles non permittere matrimonium, quaſi contra-
rium ſit ſecundùm Canones; ſed adde notandum im-
pedimentum hoc fuiſſe inductum legibus ciuilibus,
quas ibi approbat in ſpecie, de ipſa ſecunda ſpecie co-
gnationis legalis.

Ad ſecundum, conſtat iam fuiſſe illam tertiam
ſpeciem cognationis approbatam à iure Canonico,
maximè ob legitimam conſuetudinem introductam,
ſciente Pontifice & conſentiente. Ex dictis

Collige *primò*, nullum eſſe impedimentum co- 5
gnationis legalis inter adoptantem & filij adoptiui
parentes, atque ideo poſſe inter illos conſiſtere ma-
trimonium: quia nullo iure cauetur oppoſitum. Vn-
de ſimiliter integrum eſt filiis legitimis contrahere cũ
adoptiuis matrimoniũ, poſt parentis adoptãtis mortẽ,
quia iam tunc ceſſat adoptio, & patria poteſtas. Si-
militer id etiam eſt licitum, ſi filij legitimi, vel ado-
ptiui ſint iam emancipati, quamuis pater adhuc ſu-
perſtes ſit; ratio eſt, quia, vt habetur *cap. vnico, de
cognatione legali, & cap. per adoptionem* 30. *quæſt.* 3.
prædicta cognatio inter filios carnales adoptantis, &
filios eiuſdem adoptiuos, non dirimit in perpetuum,
ſed quamdiu durat adoptio, & filij, ſiue legitimi, ſi-
ue adoptiui ſunt ſub patria poteſtate. Quare vt filius
carnalis poſſit ducere ſororem adoptiuam, vel filia
carnalis fratrem adoptiuum, eſt facile medium, nem-
pe, vt vteruis eorum emancipetur.

Collige *ſecundò*, inter fratres ipſos adoptiuos in-
ter ſe ab eodem patre adoptatos nullam oriri cogna- 6
tionem, atque ideo poſſe matrimonio illos inter ſe
copulari. Ratio eſt, quia nullo iure eſt inter hos ſta-
tuta cognatio. Obiicies ex *cap. vnico, de cogn. legal.*
ſic dicẽte: Si qua per adoptionem mihi ſoror eſſe cœ-
perit, quamdiu durat adoptio, nuptiæ inter me &
ipſam conſiſtere non poſſunt. At ſoror adoptiua eſt
ſoror fratris adoptiui. Reſpondeo conſtare ex ipſo
textu loqui de vera & naturali filia patris adoptantis,
quæ incipit eſſe ſoror adoptatiua filij adoptiui ſui le-
gitimi patris. Hinc à fortiori

Collige *tertiò*, poſſe inire matrimonium filios duo-
rum fratrum adoptiuorum, quia nullo cognationis
legalis nexu inter ſe vniuntur.

Collige *vltimò* filium adoptiuum poſſe ducere
filiam carnalem illegitimam adoptantis; & ſimiliter 7
filiam adoptiuam nubere filio illegitimo adoptantis.
Ratio eſt, quia inter iſtos nulla eſt cognatio legalis:
nam cùm cognatio legalis orta inter filios legitimos
&

& adoptiuos, ceſſet ſoluta patria poteſtate, vt dixi ſuprà; à fortiori non contrahetur, vbi carnalis filius eſt talis, vt non tranſeat in patriam poteſtatem, quales ſunt illegitimi. *Inſt. de nuptiis §. vltimo.* Quare tametſi illegitimus ſit coniunctus vinculo naturalis conſanguinitatis cum patre, & conſequenter cum eius conſanguineis; tamen cum adoptiuis nullum eſt vinculum naturale, ſed ſolum ciuile; & cùm hoc ſolum duret inter fratres, quamdiu durat patria poteſtas, non contrahitur inter illos, qui non tranſeunt patriam poteſtatem.

Obiicies ex *cap. ita diligere 30. quæſt. 3.* vbi dicitur inter filium naturalem, & adoptatum non poſſe eſſe matrimonium: reſpondeo, nomine filij naturalis intelligere textum filium carnalem, vt diſtinguitur contra filium ſpiritualem. Et ratio adducta nos cogit, vt intelligamus eum textum de filio carnali legitimo.

Sectio IV.

Quouſque cognatio legalis duret, & dirimat matrimonium.

1 Breuiter me expediam à præſenti difficultate.

Dico ergo *primò*, cognationem legalem primæ ſpeciei lineæ rectæ, & tertiæ ſpeciei, affinitatis legalis, ſemel contractam, ſemper & in perpetuum durare, & dirimere matrimonium, etiam ſi adoptio legitimè ceſſet. Quare hoc impedimentum in vtraque cognatione legali non ceſſat, diſſoluta quandocumque adoptione. ita conſtat ex *l. quin etiam* & ex *l. adoptiuus, ff. de ritu nuptiarum*, quæ approbatæ ſunt ab Eccleſia. Quod certè ſtatutum eſt ob reuerentiam, & honorē quē debet exhibere adoptatus cum ſua vxore, adoptanti, & vxori eius; cumque hæc reuerentia ſit perpetua, ſimiliter eſt perpetua prohibitio vtraque illa.

2 Dico *ſecundò*, cognationem hanc lineæ rectæ inter adoptātē & adoptatum, & adoptiui filios & nepotes nō protrahi in infinitum, vt vult Sanchez *lib. 7. diſp. 63. n. 34.* ſed ſolùm perſeuerare vſque ad quartum gradū. Ita Toletus *in ſumma lib. 7. cap. 4* Baſilius Ponce *lib. 7. cap. 41. numer. 3.* & alij. Ratio eſt, quia cùm non extet in iure Canonico ſpecialis deciſio de gradibus cognationis legalis, id menſurandum videtur iuxta conſanguinitatis gradus. Quare cùm ſit conſanguinitas reſtricta ad quartum gradum, vt in iis gradibus ſolis obſtet matrimonio, iuxta *cap. non debet, de conſanguinitate*, vt oſtendimus ſuprà *diſput. 28. ſect. vltima*; conſequenter à fortiori dicendum eſt, vſque ad quartum gradum reſtrictam eſſe cognationem legalem. Nam quoties duo ſic ſe habent, vt alterum ſit metiens, & alterum menſum; lex qua corrigit, & limitat metiens, cenſetur conſequenter corrigere & limitare menſum, ſi eadem in vtroque ratio militet, vt contigit in præſenti.

Dico *tertiò*, cognationem legalem in linea tranſuer-
3 ſa, quæ eſt ſecunda ſpecies, tamdiu tantum durare & dirimere matrimonium, quamdiu durat adoptio, & quamdiu filij ſiue carnales, ſiue adoptiui, ſunt ſub poteſtate adoptantis. Ita conſtat ex *cap. vnico, de cognatione legali, & c. per adoptionem 30. quæſt. 3.* Quare extincta adoptione, extinguitur hæc ſpecies cognationis legalis: extinguitur autem adoptio, vel morte naturali, vel ciuili, vel emancipatione. Eſt verò obſeruandum, debere ſeruari ſolemnitatem legibus præſcriptam in diſſoluenda adoptione per emancipationem, vt ceſſet impedimentum matrimonij ineundi inter filium adoptiuum cum filia carnali adoptantis, vel inter filiam adoptiuam cum filio carnali. Sicut enim adoptio ſine auctoritate Principis contrahi nequit, ita nec diſſolui: nam omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, *c. omnis res, de regul. iuris*; & ideò non ſeruata forma in diſſolutione, impedimentum durat.

Hactenus dictis addo tria. *Primum* eſt cognationem legalem inter adoptantem, & adoptati deſcendentes vſque ad quartum gradum intelligi debere de deſcendentibus qui erant ſub poteſtate adoptati, quando fuit adoptatus. Ratio eſt, quia dicta cognatio contrahitur & dirimit ioter adoptantēm & adoptatū; at perſona aliqua adoptatâ, cenſentur etiam adoptati omnes perſonæ quę erant ſub poteſtate illius quando illa adoptabatur, & exprimitur *in l. ſi paterfamilias ff. de adoptionibus.* Quòd verò non protrahatur ad alias deſcendentes perſonæ adoptatæ, liquet, quia in iure, quo dicta cognatio inducitur, nulla alia perſona exprimitur, niſi adoptans, & adoptata; & nulla perſona deſcendens cenſetur adoptata, niſi quæ erat ſub poteſtate perſonæ adoptatæ, quando adoptabatur. Quare ſi erat aliqua extra adoptati poteſtatem, cum non cenſeatur adoptata, nulla ratione dirimitur matrimonium adoptantis cum illa; quia nulla inter tales perſonas cognatio legalis intercedit. 4

Secundum hinc deductum eſt, nullam cognationem contrahi, & ſic poſſe conſiſtere matrimonium inter patrem adoptantem, & filiam filiæ adoptiuæ. Ratio eſt, quia cùm mulier neminem habeat in ſua poteſtate. *§. fœmina, Inſtit. de adoption.* filia mulieris adoptatæ tranſire nequit in poteſtatem patris adoptantis matrem, atque ideo non cenſetur adoptata.

Tertium denique eſt, eam excommunicationem ex *Clementina vnica, de conſanguinitate*, quam incurrunt conſanguinei, & affines matrimonium contrahentes, non comprehendere eos, qui ligantur vinculo, ſeu impedimento cognationis legalis, aut ſpiritualis. Ita omnes. Ratio eſt, quia nullum extat de hac re tale ius, & in pœnis locum non habet extenſio ad ſimilem caſum, vt diximus ſuprà *diſp. præcedenti ſect. 6. num. 10. 11. & 12.*

DISPVTATIO XXXI.

De impedimento affinitatis matrimonium dirimente.

Dicitur affinitas à Theologis & Iuriſperitis propinquitas quædam, ſeu ſanguinum confinitas, ex copula carnali proueniens, omni carens parentela. In hoc quòd ſit propinquitas, conuenit cum cognatiooe carnali: in eo verò quòd proueniat ex carnali copula, diſtinguitur ab illa; omni verò caret parentela, per ſe, & ex parte affinitatis, cui per accidens eſt, vt aliquando affinitas & conſanguinitas in eodem reperiantur. De hac ergo affinitate videndum in hac diſputatione qualiter contrahatur, & inter quas perſonas matrimonium ſubſequens diſſoluat.

Sectio I.

Quænā requirātur vt vera cōſurgat affinitas.

Circa primum, certum eſt, *primò*, in quo omnes 1
Doctores cōueniunt, ex ſola fœminei vaſis penetratione

rationæ non emiſſo intra virili ſemine non oriri verum & realem affinitatem. Id conſtat manifeſtè, quia affinitas ex eo ſolùm oritur, quòd ſanguis viri, id eſt, ſemen, quod hone‐tiori nomine dicitur ſanguis, quia proximè fit ex ſanguine, & ſanguis menſtruus fœminæ, aut eius ſemen commiſceantur intra matricem ipſius fœminæ. Id tradit egregiè Benedictus Papa *cap.* 18. *lex diuina conſtitutionis* 27. *quæſt.* 2. ſic dicens. Qui nequaquam mixtus eſt extraneæ mulieri fœdere nuptiali, quo pacto per nuda ſponſionis verba poſſunt vna caro fieri, nullatenus valemus intueri. Propinquitas enim ſanguinis verbis dicitur, non verbis efficitur. Sed neque oſculum parit propinquitatem, quòd nullam facit ſanguinis commixtionem. Quibus verbis duo decernit; *primum* requiri ſanguinis commixtionem viri & fœminæ, vt inde oriatur affinitas: *ſecundum*, abſque ea commixtione virum & fœminam non fieri vnam carnem, & vnum ſanguinem, atque ideo conſanguineos vnius non fieri alteri affines. Igitur non ſufficit ad rationem affinitatis producendæ vaſis penetratio, niſi adſit ſeminis intra vas receptio, qua fit permixtio ſanguinis, & vna caro. Firmo idem alia deciſione Vrbani ſecundi *cap. extraordinaria*, 35. *quæſt.* 1. & 3. vbi loquens de pollutione viri extraordinaria, id eſt, citra vel circa naturalia, & non intra vas fœmineum, qui non contraxerat matrimonium cum ea, decernit non impedire, quominus huius viri conſanguineus illam ducere poſſit. Cuius deciſionis rationem reddit Gloſſa, quia nec fecit ſanguinis miſtionem, nec carnis vnitatem, non enim ea eſt copula carnalis, nec efficit coniuges vnam carnem. Igitur ad affinitatem deſideratur pollutio intra vas, ſeu copula, nec ſufficit ſola vaſis fœminei penetratio.

2 *Secundò* certum eſt, in quo etiam omnes conueniunt, ad affinitatem non ſufficere quamcumque ſanguinum commixtionem, ſed requiri eam, quæ ex ſe ſit ſufficiens ad generationem, ſeu formationem vnius carnis, & prolis. Ratio eſt manifeſta, quia abſque ea commixtione, qui aliter commiſcentur, non fiunt vna caro, & vnus ſanguis. Patet, quia fieri vnā carnē, ſeu vnum ſanguinem eſt fieri principium ex ſe ſufficiens vnius carnis, & prolis. Firmo, quia ſi ad affinitatem non eſſet neceſſaria commixtio generationi apta, non eſſet neceſſaria ad illam commixtio ſeminis viri cum ſemine, aut cum menſtruo fœminæ, contra ea quæ dicta ſunt dicto præcedenti. Quare ad contrahendam hanc affinitatem, neceſſariò requiritur talis copula, quæ quantum eſt ex ſe, ſufficiat ad generationem: niſi aliunde ſterilitas perſonarum, aut quid ſimile obſtet: quia per nullam aliam duæ perſonæ fiunt vna caro.

3 Ex quo infero ex copula eunuchorum vtroque teſte carentium, non oriri affinitatem vllam, quia hæc inepta eſt generationi: neque etiam ſufficere immiſſionem ſeminis prolifici ſodomiticè factam, quia non eſt apta ad generationem, vtpote non facta intra matricem fœminæ. Nec denique ex matrimonio rato non conſummato oriri affinitatem. Quia per hæc coniuges non efficiuntur vna caro.

4 *Tertiò*, veriſimilius videtur, quod eſt magis commune apud Doctores, ad affinitatem contrahendam ſufficere prædictam commixtionem abſque copula intra vas, ſi virile ſemen quacumque arte, vel dæmonis miniſterio intra vas fœminæ immittatur. Ita cum multis Sanchez *lib.* 7. *diſputat.* 64. *numer.* 15. Ratio eſt, quia id ad prolis generationem ſufficiens eſt; nam prædicta commixtio, quomodocumque fiat, quamuis abſque copula intra vas, ſufficit, vt ſic commixti fiant vna caro, & vnus ſanguis, vnus videlicet filius in principio, & in ſemine. Dicitur verò affinitas, propinquitas ex copula carnali proueniens, quia dicta ſanguinum commixtio, ex qua proximè prouenit, fit regulariter media copula intra vas.

Contrarium tenet Baſilius Ponce *lib.* 7. *cap.* 33. *numer.* 2. & *lib.* 9. *cap.* 10. *numer.* 1 quia illi non ſunt facti vna caro, nec ſibi adhæſerunt, & aliàs poſſent ſæpè dubitare homines, an ſemen à ſe deciſum, raptum à dæmone, alibi delatum eſſet. Verùm hoc eſt omnino per accidens, quia ſi ſemen deciſum immittatur quacumque vi in matricem fœminæ, ſiue violetur clauſtrum ipſius virginale, ſiue non; id ſufficiet *primò* ad ſeminis commixtionem; *ſecundò* vt dictus vir & fœmina fiant vna caro; *tertiò* ad generationem prolis; *quartò* denique vt proles inde nata dicatur filius eius viri & fœminæ; ergo illud ſufficiens erit quoque ad inducendam affinitatem.

Hinc à fortiori ſequitur, ſufficere ad affinitatem, copulam cum fœmina ebria, inſana, dormiente, inuita, ſeu coacta: quia per iſta fiunt vna caro, & ea ſufficiunt ad generationem prolis.

Quartò probabilius iudico, ad affinitatem inducendam non ſufficere ſeminationem viri in matricem fœminæ, in qua eſt ſanguis menſtruus ad generationem paratus, ſed etiam requiri ſeminationem fœminæ. Ita Ludouicus Lopez 2. *p. inſtruct. cap.* 50. Gaſpar Hurtado *diſputat.* 20. *difficultat.* 1. *numer.* 5. & alij. Moueor, tum quia id ſatis indicatur in Canone, *lex diuina conſtitutionis*, 27. *quæſt.* 2. vbi requiritur ſanguinis, id eſt, ſeminis commixtio. Tum etiam, quia iuxta communem Medicorum ſententiam, præſertim Galeni, & Auicennæ, etiam ſeminatio fœminæ eſt neceſſaria ad generationem; non enim ſemen fœminæ videtur ad aliud eſſe à natura inſtitutum: cùm etiam natura nihil faciat fruſtrà, & videamus ex maſculo & fœmina diuerſæ naturæ & ſpeciei produci fœtum tertiæ ſpeciei, mutuo ſe impedientibus ſeminibus. Addo etiam quod notauit Rebellus *lib.* 3. *quæſt.* 15. *numer.* 3. quòd ſequi poteſt ſuaptè natura generatio, attrahente poſtea ſemine virili ſemen fœmineum, & materiam conceptui aptam; vnde ſine coitus voluptate aliquæ feruntur concepiſſe. 5

Denique certum eſt, non ſolùm ex copula coniugali, ſed etiam ex copula illicita naturali oriri affinitatem. Id non ſolùm conſtat ex iure Canonico antiquo, ſed etiam ex nouo Tridentini *ſeſſ.* 24. *de matrimonio cap.* 4. vbi expreſſè dicitur induci impedimentum matrimonij propter affinitatem ex fornicatione contractam. Et ratio eſt, quia ius Canonicum ob reuerentiam ineundi matrimonij reſpexit etiam coniunctionem, vel copulam præcedentem, quamuis illicitam. Firmatur argumento quo oſtenditur affinitatem eſſe quoddam propinquitatis vinculum inter diuerſas perſonas, ex duorum carnali copula ortum, ſiue licita, ſiue illicita: quia cùm habentes eam copulam, ſiue licitam, ſiue illicitam, efficiantur vna caro, neceſſariò participant mutuas affectiones, ſiue propinquitates, ita vt vnus neceſſariò aliqua neceſſitate coniungatur illis omnibus, quibus alter eſt ſanguine coniunctus. Hinc *cap. fraternitatis* 35. *quæſt.* 10. rectè dicitur. Si vna caro fiunt; quomodo poteſt aliquis eorum propinquus pertinere vni, id eſt, propinquitate aliqua coniungi, niſi pertineat alteri. 6

SECTIO II.

Vtrùm ex quacumque copula, ſeu commixtione coniugali, aut illicita, oriatur affinitas, tanquam quid naturale inſtar conſanguinitatis.

1 QVæritur de affinitate ex copula coniugali, vel fornicaria procedente, an ſit ſolùm Eccleſiæ ſtatutum, an potiùs vinculum naturale, inſtar conſanguinitatis.

Circa affioitatem ortam ex copula coniugali, communis & vera Doctorum ſententia affirmat eſſe vinculum naturale inſtar conſanguinitatis. Patet, quia per copulam coniugalem vir & fœmina fiont vna caro, & ſanguis; ergo fiunt etiam affines, itaut ratione illius quilibet cõiux naturaliter & neceſſariò fiat affinis cõſanguineis alterius cõiugis, vtpote accedens ad eorum ſanguineã. Patet cooſequentia: quia tota ratio affinitatis eſt quòd copulati fiant vna caro: tam eo ipſo quòd fiunt voa caro, conſanguinei vnius coniunguntur alteri, & ſic fiunt affines.

2 Hinc colligo inter infideles naſci etiam hoc vinculum affinitatis, ſicut & cõſanguinitatis. Nã ſicut conſangoinitas eſt quid naturale, quia naturalis cuiuſdam amicitiæ, & cõiunctionis fundamentũ eſt, ita ſimiliter & affinitas orta ex copula coniugali. Vt enim docuit Ariſtoteles 8. *Eth. c.* 12. duplex eſt naturalis amicitiæ cauſa, alia quæ per carnis propagationem deſcendit, & alia quæ per carnis vnitatem, & coniunctionem ad eandem generationem deriuatur. Vode experimento conſtat apud barbaras nationes conciliari naturalem quandam amicitiam ex matrimonio inter conſanguineos coniugum, ac ipſos coniuges; & ad ſignificandam huiuſmodi conjunctionem eſſe oomina impoſita; dicuntur enim ſocer, ſocrus, prioignus, nurus, gener, nouerca: erit igitur vinculum affinitatis quid naturale.

3 Maior difficultas eſt de copula fornicaria, an ex illa oriatur naturaliter affinitas, ſecluſo iure poſitiuo. Nam ſpectato iure Eccleſiaſtico certum eſt affinitatem oriri etiam ex copula fornicaria, vt patet ex Tridentino *ſeſſ. 24. c. 4. de reformat. matrimonij.*

Quidam id negant, ſpectato præcisè iure naturæ, inter quos Sanchez *diſp. 65. cit. n. 9.*

Primò, quia affinitas tantùm oritur ex copula, quæ nata eſt cauſare amicitiam, qualis non eſt copola fornicaria; nam filij non habent inclinationem naturalem ad exhibendam reuerentiam concubinis patris, imò ſolent ea odiſſe: nullum igitur naturale vinculum inde oritur.

Secundò pro his affinibus ex fornicatione, non ſunt impoſita aliqua nomina qoibus ſignificentur, ſicut ſunt impoſita pro his qui fiunt affines ex copula licita; hi enim dicuntur ſocer, ſocrus, nurus, priuignus, &c. Hoc autem ſignum eſt, non oriri inter eos affinitatem de iure naturæ, quæ poſſit aliquo nominẽ declarari,

Tertiò, in leg. *non facile* §. *affines*, & §. *ſciendum. ff. de gradibus affinitatis*, dicitur, neque cognationẽm, neque affinitatem eſſe poſſe niſi inter eos, inter quos poſſunt eſſe nuptiæ, cùm ex iſtis oriatur affinitas.

4 Verius mihi videtur cum Coninchio *diſp. 32. dubio 4. num. 49.* Hurtado *diſp. 20. difficultate 2. n. 7.* & aliis affinitatem iure naturæ ſequi etiam ex copula fornicaria. Probatur à priori, quia etiam per dictam copulam fornicariam vir & fœmina fiunt vna caro, & vnus ſanguis, non minus, quàm per coniugalem, vt per ſe patet, & docuit Paulus 1. *Cor. 6.* illis verbis, *Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis. Abſit. An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici* (ſcilicet per fornicationem, de qua *ibi* loquitur Paulus) *vnum corpus efficitur? erunt*, inquit, *duo in carne vna*: ergo quilibet ex illis oaturaliter & neceſſariò manet affinis conſangoineis alterius, vtpote accedens ad eorum ſanguinem. nam tota ratio cur aliqua copula naturaliter aliquos reddat affines, eſt quia efficit eos vnã carnem. Hoc autem verè & propriè etiam efficere copulam fornicariam, quis neger, còm per illam etiã voa caro propriè efficiantur. Firmo, quia *Amos 2. v. 7.* vt graoiſſimum ſcelus exaggeratur, quòd pater & filius eandem puellam cognouerint. Alexander etiam Imperator *leg. liberi 4. C. de nuptiis*, ſtatuit, ne filij ducerent concubinas parentum. Quæ omnia indicant ex copula fornicaria oriri affinitatem; propterea enim prohibentur, ac reprehenduntur. Hinc

Colligo *primò*, hanc affinitatem, vtpote de iure oaturæ, oriri etiam inter non baptizatos, ſeu infideles.

Colligo *ſecundò*, quod eo modo effecti affioes non poſſunt validè contrahere matrimonium in gradibus ab Eccleſia vetitis, ſi poſt Baptiſmum contrahant illud. Quia poſt Baptiſmum iam ligantur legibus Eccleſiæ, & aliunde antea iam erant affioes.

Ad argumenta contrariæ ſententiæ.

Ad primum dico affinitatem ſufficieoter oriri ex natura copulæ, per quam vir & fœmina fiunt vna caro. Hinc autem fit vt copula etiam fornicaria ex ſe nata ſit cauſare amicitiam inter eos qui eam habuerunt, cùm eos faciat vnam carnem: idem præſtat per ſe ſpectata inter conſanguineos voius partis, & inter alteram partem. Amor enim & reuerentia filiorum in patrem, naturaliter ac per ſe inclinat, vt etiam & reuereantur eos, qui ſunt quodammodo vnum cum patre. Cæterùm per accidens prout eſt coniuncta dedecori conciliat odium. Vode per accidens ratione opprobrij conſanguinei vnius partis, præſertim fœminæ, odio habent alteram partem. Et filij ſolent concubioas odiſſe ſuorum parentum, vtpote quæ parentibus fuerint cauſæ turpitudinis, & perditionis. Vnde ipſæ ſolẽt eſſe cauſæ rixarum & ruinæ in familia, quæ damna vincunt amorem oaturalem, qui ſolet oriri erga eam perſonam, quæ eſt vna coro cum ſuo cognato 5

Ad ſecundum reſpoodeo, eiſdem oominibus vocati affines factos ex fornicatione, quibus facti ex copula coniugali appellantur; ſolemus autem ab eis abſtinere, quia ea affinitas ex foroicatione redundat in ignominiam. Quibus addo non eſſe eis impoſita talia nomina, nec tales vocari, quia ea copula eſt occulta, & communiter occultari ſolet.

Ad tertium, manifeſtum eſt eam legem ſolùm voluiſſe non contrahi affinitatem ex nuptiis interdictis, vel inceſtuoſis; idque non abſolutè, ſed quantum ad aliquos effectus ciuiles, v.g. quantum ad ſucceſſionem; quia lex noluit hoc priuilegium coocedere nuptiis, quas damnabat. Aliter enim ea lege probaretur ex fornicatione natos non contrahere cognationem, quia eodem modo de cognatione, & affinitate loquitur. Quod certè egregiè firmatur, quia *ibidem* lex ſtatuit, eos qui ciuitatem, ac libertatem perdiderant, perdere omnem cognationem ac affinitatem, quod de vinculo naturaliter antè cootracto dici nequit: neque enim per id crimen fratres poterant deſinere eſſe fratres, aut priuigni eſſe priuigni. 6

SECTIO

Sectio II.

Vtrùm affinitas ex copula coniugali conſurgens dirimat iure naturæ matrimonium in aliquo gradu lineæ rectæ inter aſcendentes, & deſcendentes.

1 PRo explicatione obſeruandum eſt *primò*, ſicut in cognatione & lineas, & gradus diſtinximus ſuprà *diſp.* 28. *ſect.* 1. idem pariter in affinitate diſtinguere neceſſe eſſe. Quia enim affinitas oritur ex coniunctione, ſeu commixtione carnali in conſanguineis vnius cum altero, cum quo fuit carnaliter coniunctus, ideo ex numero graduum conſanguinitatis, & eius lineis, computandi ſunt gradus affinitatis, & aſſignandæ ſunt lineæ illius. Quare in affinitate duplex quoque eſt linea, recta, & obliqua, & in vnaquaque plures gradus, ſicut de conſanguinitate diximus *loco citato*. Vnde fit, vt Petrus, v. g. ſi copuletur Mariæ, eo ipſo fiat affinis cum omnibus conſanguineis ipſius Mariæ, & hæc etiam è contra fiat eodem modo affinis cum omnibus conſanguineis Petri in ſimili gradu. Erit itaque Maria affinis cum patre & cum filio Petri in primo gradu lineæ rectæ; cum auo & nepotibus Petri in ſecundo gradu eiuſdem lineæ, & ſic de reliquis. At cum fratre eiuſdem Petri fiet affinis dicta Maria in primo gradu lineæ tranſuerſæ, ſeu obliquæ; & cum conſobrinis in ſecundo gradu, & ſic de reliquis. Cum eadem proportione fiet etiam Petrus affinis ipſorum cognatorum Mariæ pro variis gradibus, & lineis.

2 Præterea eſt obſeruandum, virum & vxorem non eſſe inter ſe affines, ſed eſſe ſtipitem, truncum, ac principium affinitatis.

3 His præmiſſis, ad præſentem quæſtionem, ſunt nonnulli & graues Doctores, quos refert & ſequitur Cooinch *diſput.* 32. *dubio* 4. *numer* 51. affirmantes in primo gradu affinitatis lineæ rectæ irritum eſſe matrimonium iure naturæ: vt inter priuignum & nouercam, vel priuignam & vitricum, ſocerum & nurum, ſocrum & generum. Probant

Primò, quia copula carnalis ad quam matrimonium ex ſua natura ordinatur, nequit ex natura rei fieri abſque irreuerentia inter affines in dicto gradu: nam vxor, v. g. patris ex coniunctione carnali ad patrem fit vna caro cum ipſo patre, atque ideo in acceſſu filij ad vxorem patris, vtpote carnem patris, nequit non eſſe irreuerentia ex natura rei. Quam irreuerentiam ſatis ſignificauit Apoſtolus 1. *Cor.* 5. ſic dicens. Auditur inter vos fornicatio, & talis, qualis neque inter gentes, ita vt vxorem patris ſui quis habeat. Igitur matrimonium nequit validè fieri inter illos, quia nequit conferri ius iuſtitiæ, quale confertur per matrimonium, ad id, quod ex obiecto, & ab intrinſeco eſt malum, & inhoneſtum.

Secundò, conſtat ex Leuitico *cap.* 20. *v.* 11. 12. 13. 14. 15. *&* 16. fornicationem commiſſam cum affine in primo gradu mixtim connumerari cum præpoſtera libidine, & beſtialitate, idque eadem, vel etiam maiore exaggeratione, ac pœnæ impoſitione. Nam ibi dicitur. *Qui ſuprà vxorem filiam duxerit matrem eius, ſcelus operatus eſt, viuus ardebit cum iis, nec permanebit tantum nefas in medio veſtri.* Qua ratione ibi nec beſtialitas, nec præpoſtera libido exaggerantur, vel puniuntur; ergo ſignum eſt illud grauiſſimè iuri naturæ repugnare: idque non quia talis duas ſimul ducebat, quia hoc illo tempore licitum erat, nec in eo faciebat vxori iniuriam, ſed quia ſocrum ſuam ſibi matrimonio copulabat, & ita fiebat vxoris ſuæ ſocer. Vnde etiam filia iubetur viua comburi, ſi tanto ſceleri conſentiat. Cùm igitur tale matrimonium contineat grauiſſimam indecentiam contra ius naturæ, & ferè ſimilem ei, quam continet matrimonium patris cum filia; nam eadem ferè hac in re debetur reuerentia nouercæ & matri, cùm illa facta ſit vna caro cum patre; videtur omnino incredibile, auctorem naturæ conceſſiſſe homini facultatem, vt poſſet validè tale matrimonium inire.

Tertiò, nullus hactenus accidit caſus, nec vnquam videtur eſſe futurus, in quo ſit tanta neceſſitas talis matrimonij ineundi, vt hoc honeſtè fieri poſſit; ergo id nunquam validè factum eſt, nec ſine ſpeciali Dei conceſſione fieri validè poteſt.

Vltimò, nunquam auditum eſt in Eccleſia, vt Pontifex diſpenſauerit in primo affinitatis gradu lineæ rectæ; ergo ſignum eſt interdictum eſſe illum iure naturæ.

Contrariam ſententiam tenent non pauci graues Doctores, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 66. *num.* 7. Baſilius Ponce *lib.* 7. *cap.* 34. Hurtado *diſput.* 10. *difficult.* 4. & alij, quam veriorem iudico, & ſequentibus dictis declaro.

Dico ergo *primò*, negari non poſſe eſſe aliquam indecentiam naturalem, in matrimonio inito cum affine in primo gradu lineæ rectæ. Probo, quia natura ipſa dictat reuerentiam quandam affinibus in illo gradu coniunctis deberi; ergo indecentiam quandam tale matrimonium continere videtur. 4

Dico *ſecundò*, tale matrimonium illicitum eſſe iure naturæ ſi fiat nulla iuſta ſubſiſtente cauſa. Ita rectè notauit noſter Sanchez *cit. numer.* 2. & Baſilius ſ. relatus *numer.* 5. Et patet, quia gentes non barbaræ, ſed ciuiles & honeſtæ, ex dictamine & pudore naturali auerſatæ ſunt coniugalem congreſſum priuigni cum nouerca. Tum etiam, quia eſt valde diſſonum rationi, tale matrimonium nudè, ac ſecundùm ſe conſideratum pro libito priuatorum iniri, ſine peculiaribus circumſtantiis cohoneſtantibus illud ob iuſtam aliquam cauſam vrgentem. Quod maximè firmatur verbis illis Concilij Aruenenſis ſub Vigilio Papa *c.* 11. vbi cùm prohibuiſſet matrimonium cum priuigna, ſic ait: Enim qui ſecus auſu ſacrilego auctoritatem diuinæ legis, & iura naturæ prorumpere. Cuius Canonis ſententia probatur in Concilio Turonenſi II. *can.* 22. Notentur verò illa vltima verba, quibus clarè ſignificatur matrimonium illud iure naturæ continere diſſonantiam, ac turpitudinem, atque adeò eſſe illicitum, niſi iuſta excuſetur cauſa. 5

Dico *tertiò*, validum eſſe matrimonium iure naturali affinium in primo gradu lineæ rectæ. Firmatur id primò *canone* 61. Concilij Agathenſis, & *canone* 30. Epaunenſis, vbi expreſsè prohibetur matrimonium cum priuigna, cum nouerca; & ſimul præcipitur, ne ante eam prohibitionem matrimonia contracta diſtracta diſſoluantur. Quod euidenter demonſtrat illa coniugia valere, & diſpenſabilia eſſe illa impedimenta in primo gradu. Idem quoque conſtat ex Concilio Aurelianenſi III. *can.* 10. vbi hæc habentur. De inceſtis coniunctionibus iſta quæ ſunt ſeruentur, vt hi qui aut modò ad Baptiſmum veniunt, aut quibus Patrum ſtatuta 6

ſacerdotali prædicatione antea in notitiam non venerũt, ita pro nouitate cõuerſionis, ac fidei ſuæ credidimus conſulendum, vt contracta hucuſque huiuſmodi coniugia non ſoluantur, ſed in futurum, quod de inceſtis coniunctionibus in anterioribus Canonibus interdictum eſt, obſeruetur, id eſt, vt ne quis ſibi ſob coniugij nomine ſociare præſumat relictam patris, filiam vxoris, &c. Quibus verbis claret velle Concilium huiuſmodi coniugia in infidelitate contracta manere, & non diſſolui. Ergo gradus affinitatis inter vitricum & priuignam, inter priuignum & nouercam non dirimit iure naturali. *Secundò*, eadem concluſio ratione oſtenditur, quia inter dictos affines nulla reperitur ſuperioritas, contra cuius reuerentiam ſit ſimpliciter & ſemper vſus matrimonij. Patet, quia ſuperioritas tantum eſt in eo, qui eſt principium naturale alterius, & non in eo qui eſt affinis, quamuis fiat vna caro cum principio naturali, quia propriè non fit vna caro cum illo, ſed tantùm, quia fiunt principium vnius carnis; ergo quamuis in filij acceſſu ad vxorem patris iam defuncti, ſit ex natura rei aliqua indecentia, ſed non irreuerentia & impietas adeò iuri naturæ intrinſecè oppoſita, vt nullu euentu, qualibet iuſta ſubſiſtente cauſa, irrita ſit & nulla. Vnde non video ſufficiens fundamentum ad talem nullitatem iure naturæ ponendam. Denique id non leuiter firmatur ex eo quòd Pontifices nõ rarò pro foro conſcientiæ diſpenſant in dicta affinitate lineæ rectæ in primo gradu, orta ex copula fornicaria: quæ tamen videtur eſſe eiuſdem rationis cum ea, quæ oritur ex copula coniugali, quia fornicarij eodem modo fiunt vna caro per copulam, ac coniuges.

7 Dico *vltimò*, validum eſſe matrimonium iure naturæ affinium in quouis alio gradu lineæ rectæ in infinitum. Patet tum à fortiori ex dicto præcedenti. Tum quia res hæc eſt facilior ac certior. Tum denique, quia neque dirimit conſanguinitas in gradu ſecundo, tertio, & vlterioribus lineæ rectæ, vt oſtendi ſuprà *diſput.* 28. *ſect.* 4. ergo multo minus dirimet affinitas in eis gradibus.

8 Ad primum primæ ſententiæ negatur antecedens; quia in acceſſu per matrimonium filij ad nouercam patre iam defuncto nulla eſt ex natura rei impietas, aut irreuerentia, iuſta ſubſiſtente cauſa tali matrimonio inito; quia tametſi nouerca fuerit vna caro cũ patre, nõ fuit tamẽ principium naturale filij, & ideo non eſt ibi irreuerentia quæ contingeret in matrimonio inter patrem & filiam, vel matrem & filium, quod dixi ſuprà *diſput.* 28. *ſect.* 3. eſſe ſemper ex natura rei irritum ac nullum. Paulus verò loquitur de vxore patris adhuc viuentis retinente, cui patri facta fuerat etiam grauiſſima iniuria talis viri fornicatione, quod probat Cornelius à Lapide. Tum quia vxor propriè dicitur vxor patris viuentis. Tum quia Paulus *cap.* 7. *epiſt.* 2. *ad Corinthios* ait. *Hæc ſcripſi non propter eum qui fecit iniuriam, nec eum qui paſſus eſt*, videlicet, patrem. Viuebat igitur adhuc pater. Vnde in eo delicto fuit inceſtus ſimul & adulterium, in quo contumaciter ille homo permanebat; ſine contumacia enim non potuiſſet excommunicari.

Ad ſecundum, fatemur illam fornicationem eſſe grauiſſimum delictum ac dignum illa atrociſſima pœna; inde tamen nihil infertur contra nos, qui tale coniugium conſtituimus illicitum iure naturæ, ſi iuſta & honeſta cauſa non cohoneſtetur; tametſi dicamus validum eſſe, quia non continet irreuerentiam, qualis eſt in congreſſu patris cum filia, etſi contineat aliquam indecentiam.

Ad tertium dico eo argumento ſolùm probari habere indecentiam magnam illud matrimonium, attento iure naturæ, niſi cauſa aliqua iuſta præponderet: unde tamen non ſequi ita eſſe iure naturæ vetitum, vt tale matrimonium ſit nullum.

Ad vltimum ſimiliter idem dico, noluiſſe Pontifices in eo gradu diſpenſare, ob deformitatem rei; eam tamen non eſſe talem, quæ matrimonium reddat iure naturali inualidum.

SECTIO IV.

Vtrùm affinitas ex copula coniugali in primo gradu lineæ tranſuerſæ dirimat matrimonium iure naturali.

CErtum eſt apud Doctores, affinitatem in ſecundo & vlterioribus gradibus lineæ tranſuerſæ, 1
non dirimere iure naturali matrimonium contrahendum. Quia neque id efficit conſanguinitas, quæ eſt ſtrictior propinquitas. Difficultas eſt de primo gradu affinitatis lineæ tranſuerſæ, vt ſi quis ducat vxorem fratris, vel ſi fœmina nubat viro ſuæ ſororis.

Affirmarunt nonnulli antiqui, fauent hæretici noſtri temporis, vt defendant Henricum octauum Angliæ Regem, qui Catharinam filiam Ferdinandi & Elizabeth vxorem fratris ſui Atthuri, quam ex diſpenſatione Iulij ſecundi duxerant, repudiauit, & ea viuente duxit Annam Bolenam. Probari poteſt

Primò, quia *cap. gaudemus, de diuort.* decernitur, infideles coniũctos in ſecundo gradu ſeparandos non eſſe; ergo vt notum ſupponitur ſecus eſſe in primo gradu, atque ideo in eo gradu irritum eſſe iure naturæ matrimonium.

Secundò conſtat ex *Matth.* 14. *& Marc.* 6. à Ioanne Baptiſta fuiſſe Herodem reprehenſum, quia duxerat vxorem Philippi fratris ſui; & tamen Herodes, vtpote Gentilis, ſola naturali lege aſtringebatur.

Tertiò, *Leuitici* 18. *cap.* prohibitus eſt in linea tranſuerſa primus gradus affinitatis, vt fratrum cum ſororibus, ſiue ex vno, ſiue ex vtroque patente; at omnes gradus ibi prohibiti obligant nunc, quia lege naturali interdicti ſunt.

Vltimò, matrimonium inter fratrem & ſororem eſt iure naturali irritum, ſed vxor fratris reputatur ſoror, quia per actum coniugalem effecta eſt vna caro, & vnus ſanguis cum fratre; ergo.

Cæterùm omnes Doctores vt certiſſimum aſſeuerant oppoſitum. *Primò*, quia Pontifices in eo primo gradu diſpenſarunt. Nam Innocentius tertius *cap. finali, de diuortiis*, diſpenſauit cum Libonienſibus recens conuerſis, vt vtantur matrimoniis initis cum relictis fratrum. Alexander VI. diſpenſauit in eodem gradu cum Emanuele Luſitaniæ Rege. Iulius II. cum dicto Henrico VIII. & Catherina Regibus Angliæ. Cuius diſpenſationem Clemens VII. conſultis totius Orbis vniuerſitatibus, & Doctoribus legitimam decreuit. At Pontifices nequeunt in iure naturali diſpenſare. *Secundò*, idem conſtat ex Scriptura ſacra: nam Iacob vir ſanctiſſimus, ante prohibitionem diuinam latam *Leuitici* 18. duxit Liam & Rachelem ſorores, *Geneſ.* 29. Præterea *Deuteronomij* 25. decernitur, vt frater ducat vxorẽ fratris ſui defuncti abſque liberis. *Tertiò*, conſtat ex *diſp.* 28. *ſect.* 5. conſanguinitatem in primo gradu

gradu lineæ tranſuerſalis, quamuis ſit ſtrictior propinquitas affinitate, non dirimere matrimonium iure naturæ. Liquet etiam ex præcedenti ſectione in nullo gradu affinitatis lineæ rectæ irritari iure naturali matrimonium; ergo à fortiori idem probari debet in linea tranſuerſali. *Vltimò*, quia nulla inter affines lineæ tranſuerſæ reperitur ſuperioritas, aut quaſi ſuperioritas ex natura rei; non eſt igitur cur dicta affinitas matrimonium dirimat ex natura rei, quia ſi dirimeret, ideo eſſet, quia commixtio carnalis ad quam matrimonium ordinatur, non poſſet abſque irreuerentia fieri, aut ſine manifeſta naturali turpitudine. Ad argumenta opoſita.

3 Ad primum, dico ibi ſolum eſſe ſermonem de gradibus conſanguinitatis, & de illis quo pacto illud ſit intelligendum, docuimus ſuprà *diſp.* 28. *ſect.* 5. *n.* 1.

Ad ſecundum reſpondeo fuiſſe meritò reprehenſum, quia duxerat vxorem fratris ſui adhuc viuentis, vt teſtantur Ioſephus *lib.* 12. *antiquit. c.* 9 Nicephorus, & alij. Et licèt frater fuiſſet mortuus, reliquerat filia ſaltatricem, ob quam cauſam lex Moyſis, quæ adhuc vigebat, prohibebat ac irritabat tale matrimonium, quando remanebat ſoboles. Ei autem legi Herodes quamuis Gentilis ſubiiciebatur, quia erat filius Iudæi. Vel etiam dic meritò Baptiſtam reprehendiſſe Herodem, quia illud coniugium erat illicitum, etiamſi non fuiſſet irritum.

Ad tertium, iam conſtat ex dictis ſuprà *diſput.* 28. *ſect.* 6. *n.* 5. non eſſe irritos iure naturali omnes gradus affinitatis enumeratos *Leuitici* 18. *cap.* Et liquet quoque ceſſante lege veteri, tantùm id habere vim debere quod lege naturali aliàs irritum ac nullum eſſet.

Ad vltimum, iam liquet ex dicta *diſp.* 28. *ſect.* 5. matrimonium inter fratrem & ſororem non eſſe iure naturali irritum; & quamuis ex natura rei fuiſſet nullum, adhuc non vinceret, etiam eſſe nullum inter affines in eodem gradu; quia affinitas minor eſt conſanguinitate, vt ſatis liquet.

Sectio V.

Vtrùm affinitas ex copula fornicaria conſurgens dirimat matrimonium iure naturali in aliquo gradu cuiuſuis lineæ.

1 Hactenus de affinitate orta ex copula coniugali dictum eſt; iam breuiter de copula fornicaria eſt idem diſſerendum.

Celaia *in* 4. *d.* 40. *q. vnica* poſt quartum argumentum, ait, interdictum eſſe iure naturæ matrimonium inter filiam, & eum qui cum eius matre fornicatus eſt. Quod probari poteſt, quia ſtando in iure naturæ oritur affinitas naturalis ex copula fornicaria, vt oſtendi ſupra ſectione ſecunda; ergo poterit ea ipſo iure naturali attento, obſtare matrimonio

2 Certum tamen eſt apud omnes Doctores, affinitatem ortam ex copula fornicaria in nullo cuiuſcumque lineæ, ſiue rectæ, ſiue tranſuerſæ gradu dirimere iure naturali matrimonium. Probatur id *primo* argumento non leui, quod à Pio quinto conceſſa fuit Henrico Cardinali facultas diſpenſandi in affinitate cuiuſcumque gradus prouenìente ex fornicatione occulta. Igitur nulla affinitas orta ex tali copula dirimit iure naturæ matrimonium. Quare licèt matrimonium filij cum concubina patris illicitum ſit iure naturali, niſi ex graui cauſa cohoneſtetur, & ius ciuile *lib.* 4. *C. de nuptiis*, ſimiles nuptias prohibeat, cum alioqui nullam affinitatem, quæ ex legitimis nuptiis non oriatur, agnoſcere videatur; & ipſum ius Canonicum illud etiam inualidum reddat; tamen iure naturali non apparet cur irritum ſit & inane. *Secundò* idem conſtat à fortiori ex dictis duabus præcedentibus ſectionibus. *Tertiò* ex praxi Eccleſiæ, nam ſæpè ſolet Papa diſpenſare in eo impedimento pro foro interno, & aliquando eam diſpenſationem commiſit, vt dixi. Tandem, quia inde non apparet tanta irreuerentia naturalis, tum propter dicta in ſuperioribus: tum præſertim, quia non apparet ex copula fornicaria oriri in filio tantam obligationem venerandi concubinam patris.

Ad argumentum oppoſitum, dico nullam affini- 3
nitatem cuiuſcumque gradus, & lineæ, ortam ex fornicatione irritare matrimonium iure naturæ, etiam in noſtra ſententia, quam ſuprà *ſectione ſecunda* tenuimus, ex hac copula naturaliter quoque manare affinitatem: quia aliud eſt quod talis affinitas ſit naturalis, ſeu vinculum naturale, aliud verò quod dirimat iure naturæ: nam conſanguinitas eſt quid naturale, etiã in ſecundo & vlterioribus gradibus, & vinculum naturale, quoniam ipſa natura dictat ex communicatione eiuſdem ſanguinis oriri quandam coniunctionem, propinquitatem, & amorem, ſeu amicitiam naturalem, atque ideo tempore infidelitatis quoque oriri; & tamen in illis gradibus ſaltẽ conſanguinitas non dirimit matrimonium iure naturæ, vt oſtendi ſuprà *diſp.* 28. *ſect.* 4. Idem ergo potiori iure dicendum de affinitate quæ non eſt adcò ſtrictum vinculum naturale.

Quæret aliquis an ex matrimonio rato non con- 4
ſummato oriatur affinitas ex natura rei, vel ſaltem ex ſtatuto Eccleſiæ. Ratio dubitandi eſt, quia per matrimonij contractum de præſenti aſtringuntur coniuges arctiori vinculo, quàm per contractum ſponſalium de futuro; ergo vir cum conſanguineis vxoris, & è contra perfectiori vinculo & maiori propinquitate coniunguntur. At ex ſponſalibus de futuro oritur honeſtas, nec eſt inter hanc & affinitatem alia propinquitas media; ergo neceſſe eſt vt ex matrimonio rato oriatur affinitas.

Cæterùm dicendum eſt cum omnium ferè doctrina, ex matrimonio rato propriè & in rigore non oriri vllam affinitatem. Ratio eſt, quia affinitas oritur ex eo quòd vir & vxor efficiuntur vna caro per copulam perfectam & conſummatam, vt conſtat ex ſuperioribus; quod non reperitur in matrimonio rato. Hinc autem manifeſtum eſt non ſequi ex natura rei, ſeu iure naturæ affinitatem, quæ obſtat matrimonio: neque etiam ex iure Eccleſiaſtico. *Primum* patet, quia ſtando in iure naturali ea affinitas non eſt, vt dixi; ergo non poterit, eo iure attento, obſtare matrimonio. *Secundum* clareſcet magis ex diſputatione ſequenti, vbi oſtendemus ex quo textu habeatur, impedimentum quod oritur lege Eccleſiaſtica ex matrimonio rato, eſſe verè & propriè publicæ honeſtatis, & non affinitatis. Et quamuis arctius ſit vinculum publicæ honeſtatis quod oritur ex matrimonio rato, quàm ex ſponſalibus; & matrimonium ratum dici queat affinitatis initium, quia poteſtas corporum tradita per illud eſt initium actus coniugalis, vnde affinitas oritur; non tamen eſt verè affinitas, neque ex illo verè & propriè oritur affinitatis impedimentum, propter rationem dictam.

Sectio VI.

Quo iure poſitiuo, diuino, an Eccleſiaſtico affinitas dirimat matrimonium; & ad quotum affinitatis gradum extendatur impedimentum.

1 IN hac re certum eſt *primò* apud Doctores, affinitatem non dirimere matrimonium iure aliquo poſitiuo diuino. Patet, quia non Euangelico, vt liqoet, neque veteri, quia quamuis in lege antiqua *Leuitici* 18. *cap.* affinitas in aliquibus gradibus dirimebat; modò tamen tota lex vetus purè diuina, qualis erat dicta, omnino ceſſauit. Nam præcepta diuina cæremonialia à die Pentecoſtes inceperunt amittere ſuam efficaciam, & ſucceſſu temporis illam omiſeruot omnino quoad locorum extenſionem. At quoad præcepta iudicialia oon cœpit illa lex vetus amittere ſuam efficaciam, donec Synagoga extincta eſt poſt conſummatam Euangelij promulgationem. Quia quamdiu Reſpublica Iudæorum ſtatum ſuum retinuit, & cæremoniis ſuis iure vſa eſt, iudicialia præcepta non amiſerunt vim obligandi, atque adeò nec puniendi, vel irritandi, quia in hoc etiam ſeruatur proportio. Quando verò promulgato Euangelio cœpit lex illa iam eſſe mortifera quoad cæremonialia, cœpit etiam eſſe mortua quoad iudicialia. Ex quo infertur matrimonia nunc cõtracta inter Iudæos in gradibus illa lege prohibitis *Leuitici* 18. *cap.* valida, & rata nunc eſſe, excepto aliquo gradu, vt eſt primus lineæ rectæ inter patrem & filiam, vel filium & matrem, qui de iure naturæ matrimonium irritat. Ratio eſt, quia illa lex etiam reſpectu Iudæorum infidelium abrogata eſt quoad obligationem; ergo etiam quoad irritationem. Nec refert quòd ipſi peccent ex conſcientia erronea: quia conſcientia erronea circa ius non ſufficit ad irritationem actus, licèt ad peccandum ſufficiat. Vnde leges Leuitici iam non poſſunt dici leges Iudæorum infidelium, tum quia iam non ſunt leges, nam leges abrogatæ, leges non ſunt, tum etiam, quia non ſunt latæ pro illis, ſed pro republica ſed Eccleſiaſtica, quæ iam non extat. Nec valet quòd ipſi Iudæi velint illis legibus gubernari; quia, vt dixi, id ſolum eſt ex conſcientia erronea; putant enim legem illam vt poſitiuam diuinam adhuc vigere. Videantur circa rem hanc quæ dixi ſuprà *diſp.* 18, integra *ſect.* 6.

2 *Secundò* etiam eſt certum, ex variis Canonibus antiquis, quos refert Baſilius Ponce *lib.* 7. *cap.* 33. *n.* 1, affinitatem eſſe impedimentum dirimens iure Eccleſiaſtico, qui eodem modo de cooiugali, ac de illicito, ac inceſtuoſo concubitu loquuntur. Et quamuis in antiquiori iure oon fiat mentio expreſſa de affinitate ex copula illicita, ſed de orta ex copula coniugali. At ex *cap. diſcretionem*, de eo qui cognouit conſanguin. conſtat ex copula illicita oriri affinitatem dirimentem matrimonium, ſicut ex licita; & ibi apponi ab Eccleſia affinitatis impedimentum ad ſubſequens matrimonium. Hinc

3 *Tertiò* eſt certum, vt firmant omnes Doctores, gradus affinitatis ex copula illicita, attento iure antiquo, eſſe metiendos iuxta gradus affinitatis ortæ ex copula licita; & vtramque affinitatem ad eundem gradum extendi. Cùm enim ex iure habito *in cap. diſcretionem*, antea citatos conſtet ex copula fornicaria oriri affinitatem dirimentem matrimonium, ſicut ex coniugali; ideo communi Doctorum plauſu receptum fuit, affinitatem ex copula fornicaria io eiſdem gradibus dirimere, in quibus dirimit orta ex coniugali, quod iure conſuetudine introducto fuit obtẽtum. Et ita fuiſſe ſupponit Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de matrim. cap.* 4 dum affinitatem ortam ex fornicatione reſtringit ad ſecundum gradum, & io vlterioribus gradibus ſtatuit, huiuſmodi affinitatem matrimooium poſtea contractum noo dirimere. Quibus verbis apertè ſignificat olim affinitatem ex copula fornicaria extenſam fuiſſe ad plures gradus, nempe ad eoſdem affinitatis contractæ ex copula matrimonij licita.

Quartò certum eſt iure antiquiori Eccleſiaſtico fuiſſe triplex genus affinitatis dirimẽs matrimonium ſubſequens. *Primum* erat inter perſonam carnaliter cognitam, & conſanguineos perſonæ cognoſcentis; & econtra inter perſooam cognoſcentem, & conſanguineos perſonæ carnaliter cognitæ: vt conſtat ex toto titulo *de eo qui cognouit conſang.* *Secundum* erat inter verum affinem, & maritum, ſeu vxorem ſui affinis; vt Petrus, v. g. affinis Mariæ vxoris fratris ſui, ſi mortuo fratre Maria nubebat alicui, cùm hoc viro habebat Petruſo affinitatem ſecundi generis. *Tertium* genus erat cum marito, vel vxore illius coniuncti ſecundo affinitatis genere: vt in exemplo allato, ſi vir ille poſterior Mariæ factus viduus, ducat aliam, hæc eſt coniuncta Petro tertio affinitatis genere. Hæc duo genera habentur *cap. porrò, & cap. de propinquis* 35. *q.* 3. Vnde tunc ex affinitate oriebatur affinitas. Verùm hodie ſolum primum genus affinitatis vim babet, nẽpe inter habentem carnalem copulam, ſiue coniugalem, ſiue fornicariam, & conſanguineos mulieris cognitæ, & econtra inter mulierem cognitam & conſanguineos cognoſcentis. Vode nunc hodie iam non oritur affioitas ex affinitate: vt habetur *cap. non debet, de conſanguinit. & affinit.* Quare conſanguinei vxoris efficiuntur ſolùm affines mariti, & è contra. Vode inter conſanguineos mariti, & conſanguineos vxoris, nulla prorſus eſt affinitas: nec inter affines oritur aliud vinculum cum quacũque alia perſona. Ac proinde filia vxoris ex alio marito habita, aut ex fornicatione cum altero, poteſt nubere filio, aut fratri viri. Duæ item ſorores poſſuot nubere duobus fratribus, vt etiam habetur *cap. quod ſuper his, de conſanguinit. & affinit.* poteſt etiam quis in vxorem accipere relictã à propriæ vxoris fratre: & diuerſis temporibus poteſt quis plures fœminas vxores ſibi accipere, quæ cum pluribus fratribus matrimonium contraxerant. Vt Maria & Franciſca nupſere duobus fratribus, poteſt Petrus Mariam viduam effectam ducere, & ea mortua, Franciſcam. Quorum omnium ratio hæc eſt, quia nulla hodie ex affinitate coniunctio pullulat. 4

Quintò certum eſt, iure antiquiori dictam affinitatem cum conſanguineis alterius carnaliter commixti irritaſſe, ac diremiſſe matrimonium, ſicut cum propriis, vſque ad ſeptimum gradum incluſiuè vtriuſque lineæ: vt conſtat ex *cap. nullum, & cap. æqualiter* 35. *q.* 3. Iure tamen nouiori reſtricta fuit vſque ad quartum gradom, vt conſtat ex *cap. non debet, de conſanguinitate & affinitate.* Et quamuis in vtroque iure antiquiore & nouiori, ſit tantùm ſermo de affinitate orta ex copula coniugali; nihilominus tamen idem intelligi debet de alia affinitate ex copula fornicaria, propter rationem dictam ſuprà *numer.* 3. 5

Sextò certom eſt hodie nouiſſimo Tridentini decreto *ſeſſ.* 24. *de reformatione matrimonij cap.* 4. reſtrictam eſſe affinitatem ex fornicatione conſurgentẽ ad ſecundum gradum incluſiuè his verbis. Sancta Synodus, grauiſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, 6

Digitized by Google

inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo, & ſecundo gradu coniunguntur, reſtringit In vlterioribus verò gradibus ſtatuit, huiuſmodi affinitatem matrimonium poſtea contractum non dirimere. Hæc Tridentinum. Circa quod ſtatutum, quatuor ſunt obſeruanda.

7 *Primum*, per fornicationem intelligi, non tantùm ſimplicem, ſed omnem non coniugalem adulterij, & ſacrilegij, inceſtus, & rapti. Tum, quia Tridentinum tantùm condiſtinxit affinitatem ortam ex fornicatione ab affinitate quæ oritur ex copula licita coniugali Tum etiam, quia in omni copula illicita procedit ratio mouens Tridentinum ad prædictam reſtrictionẽ, nempe ex ea non oriri amicitiæ vinculum; & communiter ignorari, atque ideò multa mala pullulare ex eo impedimento, niſi reſtringatur.

8 *Secundum* eſt, ita fuiſſe reſtrictam à Tridentino affinitatem ex fornicatione ortam vſque ad ſecundum gradum, vt iam in vlteriori non tantùm non dirimat, ſed neque impediat, vt Pius V. declarauit motu proprio edito anno 1566. & incipit, *Ad Romanum Pontificem*. Et ratio optima eſt, quia omne impedimentum dirimens, ex eo ſolùm habet impedire quòd dirimat; eſt enim impedimentum dirimens, eminenter impediens; atque ideò cùm tollitur impedimentum quatenus eſt dirimens, tollitur etiam quatenus impediens eſt. Quare nec affinitas ex fornicatione dirimit, aut impedit ſponſalia ſubſequentia, aut præcedentia vltra ſecundum gradum. Quia eadem ſola ratione, qua impedit matrimonium, impedit ſponſalia, ac proinde ſi illud non impedit vltra ſecundum gradum, nec etiam impediet hæc.

9 *Tertium* eſt, fornicationem habitam cum affine in tertio, & quarto gradu, non eſſe inceſtum: vt meritò ſibi certum putat noſter Sanchez *diſput. 67. n.8.* Ratio eſt, quia fornicatio cum affine in eis gradibus non habet ſpecialem malitiam irreuerentiæ, ſeu inceſtus, ex natura rei, ſeu iure naturali, vt patet ex ſuperioribus: neque etiam iure Eccleſiaſtico, quia ius Eccleſiaſticum prohibens dictam copulam intuitu reuerentiæ conferendæ affinibus, iam ceſſauit, ceſſante prohibitione matrimonij; quod tantùm prohibebatur ob indecentiam copulæ inter illos.

10 *Quartum* denique eſt, ſi quis maritus cognoſcat mulierem tertio, vel quarto gradu cũ ſua vxore coniunctam, ſibique eodem gradu affinem, non impediri à petitione debiti coniugalis: vt bene Baſilius Ponce *lib.7.c.33.n.6* Hurtado *diſput. 10. difficultate 7. n.30.* & alij. Ratio eſt, quia affinitas non impedit, nec dirimit matrimonium, niſi ob copulam ad quam ordinatur, quia eſt indecens inter affines; ergo eo ipſo quòd dicta affinitas reſtricta eſt, vt non impediat, neque dirimat matrimonium, niſi in primo & ſecundo gradu, etiam cenſetur reſtricta, vt non impediat petitionem actus coniugalis, niſi in eiſdem gradibus. Et ob id dixi fornicationem cum affine ex copula illicita, non eſſe inceſtuoſam à tertio gradu. Quare tametſi petere debitum ſit quid diſtinctum à contractu matrimonij, eo tamen ipſo quòd affinitas non obſtat contrahi, neque obſtabit petitioni debiti, ob rationem dictam.

11 Denique certũ eſt apud graues Doctores, Nauarrum, Veracruz, Ouandum, Angles, Palacios, Toletum, Enriquez, Sa, & alios, quos refert & ſequitur Sanchez *diſp.67.n.5.* affinitatem ex matrimonio ortam non eſſe reſtrictam à Tridentino, ſed hodie durare, & dirimere matrimonium vſque ad quartum gradum incluſiuè, ſicut ſtatutum erat *cap. non debet, de conſang. & affinit.* Ratio eſt, quia Tridentinum reſtringens affinitatem, clarè expreſſit ex fornicatione contractam. Cùm autem vinculum affinitatis ex copula coniugali conſurgentis ſit ſtrictius, & fortius; non ſequitur vt illa reſtricta, cenſeatur hæc quoque coarctata. Præterea rationes Tridentini ad reſtringendam affinitatem ex fornicatione, quia nimirum hæc ſæpiſſimè occultè contrahitur, & ex illa mortaliter, ſolet oriri non vinculum amicitiæ inter affines, ſed odij & rixæ; ceſſant omnino in affinitate orta ex copula coniugali.

Ex dictis in hac ſectione conſtat, infideles, ſeu non baptizatos validè contrahere matrimoniũ cum quauis ſibi affine, quia quamuis ante Baptiſmum contrahatur affinitas, quia, vt dixi *ſectione ſecunda*, naturaliter oritur tale vinculum affinitatis; tamen ante Baptiſmũ non dirimit: quia ius Eccleſiaſticum, quo ſolo affinitas dirimit matrimonium, non ligat ante Baptiſmũ. Cæterùm inualidè contraherent poſt Baptiſmum in gradibus ab Eccleſia prohibitis, quamuis affinitas contracta ſit ante Baptiſmum; quia dicti affines iam poſt Baptiſmum tenentur iure Eccleſiaſtico dirimente matrimonium. 1

Sectio VII.

An affines, & conſanguinei incurrant excommunicationem ipſo facto, ineundo matrimonium.

AD hunc locum remiſi hanc pœnam explicare impoſitam *in Clementina vnica, de conſanguinitate*, contra affines & cõſanguineos, qui matrimonium contrahunt. Verba autem Clementinæ hæc ſunt. Eos qui diuino timore poſtpoſito, in ſuarum periculum animarum, ſcienter in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis, conſtitutione Canonica interdictis, aut cum Monialibus contrahere matrimonialiter non verentur: nec non Religioſos & Moniales, ac Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos matrimonia contrahentes, refrænare metu pœnæ ab huiuſmodi eorum temeritatis audacia cupientes: ipſos excommunicationis ſententiæ ipſo facto decernimus ſubiacere. Hęc eſt excommunicatio ibi lata, quæ tamen non eſt alicui reſeruata. 1

In ea verò ſex genera perſonarum excommunicantur. *Primò* excommunicantur contrahentes matrimonium inceſtuoſum cum conſanguinea in gradibus ab Eccleſia prohibitis. *Secundò* contrahentes cum affine intra eoſdem gradus prohibitos. *Tertiò*, ineuntes matrimonium cum Monialibus. *Quartò*, Religioſi cõtrahentes matrimonium ſacrilegum. *Quintò* ſi Moniales matrimonium contrahant. *Sextò* denique Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti matrimonium ſacrilegè ineuntes. Circa quas perſonas, in particulari oportet prædictam excommunicationem expendere. 2

Ad primum circa conſanguineos & affines, fatentur omnes, non ſolùm viros contrahentes cum cõſanguinea, vel affine, ſed etiam ipſas fœminas nubentes conſanguineo, aut affini, ligari dicta excommunicatione. Quia dicta Clementina indifferenter excommunicat contrahentes in gradu conſanguinitatis, aut affinitatis prohibito. 3

Vt autem prædicta excommunicatio incurratur triplex ibi petitur conditio.

Prima eſt, vt contrahatur matrimonium. Ob cuius defectum non incurritur cenſura per ſolum ſponſalium de futuro contractum. Quia licèt interdicto

matrimouio, cenſeantur quoque ſponſalia interdicta; at pœna impoſita contrahentibus matrimonium, qualis eſt hæc, non exteoditur ad ſola ſponſalia contrahenda; quia illa noo ſunt matrimonium, ſed matrimonij promiſſio. Incurritur verò cenſura per verba de præſenti, licèt matrimonium non ſit conſummatum: nam illa ſunt matrimonium ratum quantum eſt ex ſe, ſi conditio perſonarum non obſtaret; & illud ſufficit ad hanc cenſuram incurrendam, quamuis conſummatum non ſit, quia conſummatio matrimonij non eſt de ſubſtantia eios; & lex prohibens matrimonium, de contractu ipſo intelligitur, cuius eſſentia perfecta eſt ante conſummationem per copulam.

Colligo *ſecundò*, nec ſatis eſſe ad hanc excommunicationem incurrendam inire matrimonium clandeſtinum, abſque Parocho, & duplici teſte. Quia is contractus non habet hodie formam veri matrimonij, nec contrahentes faciunt quidquid eſt in ſe, vt illud ineant: ſicut etiam non ſufficiunt ſponſalia cum copula coniugali, quia iam poſt Tridentinum defectu præſentiæ Parochi & teſtium non conſtituunt legitimum conſenſum ad matrimonium.

Colligo *tertiò*, nec incurri hanc cenſuram, quando quis fictè conſenſit, quia in lege pœnali ſtandum eſt rigori verborum, & in dicta Clementina dicitur, contrahere matrimonialiter non verentur; quibus apertè ſignificatur ſolùm ligari eos, qui animo contrahendi, & non fingendi hoc faciunt, quia illi reuera quantum eſt ex ſe minime matrimonialiter contrahunt. Sed quid, ſi alter non conſentiat etiam interiùs, incurret ne qui ex animo conſentit? Verius iudico non incurrere; quia dicta Clementina punit matrimonium contractum contra illam prohibitionem; at non dicitur matrimonium donec accedat vtriuſque contrahentis conſenſus, ſed ſolum eſt quoddam matrimonij initium. Simili ratione, ſi quis contraheret cum conſanguinea impubere, non incurreret; quia non perficitur matrimonium, ſed ſolùm ſponſalia de futuro ex iuris interpretatione, iuxta *c. vnicum, de diſpenſatione impuberum, in 6.* Vnde etiam fit, vt non incurratur ea excommunicatio, ſi matrimonium illud metu viri conſtantis ineatur. Patet, quia eſt conſenſus inefficax ex defectu libertatis; nec Eccleſia tam graui punit cenſura tãto metu compulſum. Idem dico de eo qui liberè contraxit cum patiente talem metum: quia tale matrimonium claudicat ex parte conſenſus alterius contrahentis, qui defectu libertatis eſt inefficax ad illud ineundum.

4 *Secunda conditio*, vt dicta excommunicatio contrahatur cum impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis in gradibus lege canonica prohibitis. Vbi conſtans res eſt noo ligari hac excommunicatione, qui putans falsò ſub eſſe impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, iniret matrimonium: Quia reuera non contraxit cum tali impedimento; nec ibi punitur praua voluntas opere non ſubſecuto; ſicut non ligatur excommunicatione Petrus, qui putat falsò Paulum quem percuſſit eſſe clericum. Incurrere tamen eam excommunicationem, ſi quis contrabat matrimonium cum conſanguinea in primo gradu lineæ rectæ, nempe cum matre, lege naturali interdicto. Tum, quia conſtitutio pœnalis comprehendit caſum omnino ſimilem, in quo fortior militat ratio. Tum maximè, quia lex canonica prohibens matrimonium inter conſanguineos vſque ad quartum gradum, comprehendit etiam dictum primum gradum lege naturali vetitum, vtpote qui clauditur intra quartum. Non verò incurreretur ea excommuoicatio, ſi matrimonium contraheretur cum infideli, cognata legali, vel ſpirituali. Quia dicta Clementina de his impedimentis nullam facit mentionem; & cùm ſit pœnalis, non eſt extendenda.

Tertia conditio eſt, vt ſcienter id matrimonium ineatur cum conſanguinitatis, vel affinitatis impedimento. Quare cõtrahentem in his caſibus excuſaret ignorantia quæuis etiam craſſa iuris, vel facti, dum modò non ſit affectata. Ratio eſt, quia quotieſcumque petitur ſcientia ad incurrendam pœnam, exigitur dolus, & mala fides in illo. At ſi alter ex conſanguineis, vel affinibus, ſciuit, alter verò contrahens ignorauit, incurret excommunicationem ſciens, excuſato ignorante ab ea: quia lex vnomquemque eorum horum per ſe diuiſim prohibet ne contrahat, & ſi ſcienter id faciat, excommunicatione punit. Neque obſtat quòd textus Clementinæ in plurali loquatur, dicens, *contrahere matrimonialiter non verentur*; vnde niſi ambo ſcienter contrahant, nullus incurrere videtur. Non, inquam, obſtat, quia pluralis illa legis locutio non ponitur propter duos contrahentes, ſed propter omnes, qui eo modo peccare poſſunt. 5

Sed quid ſi ignorans contraxit, & poſtea conſcius perſeuerauit in cohabitatione, & copula? Dico, eum non contrahere, quia dicta Clementina non punit cohabitationem, ſed contractum. Qui verò ſcienter contrahit cum ea quam putat eſſe conſanguineam, cùm non ſit, non incurret; quia in illo caſu non conſummatur actus, propter quem fertur cenſura, quia ille non contrahit ſcienter cum conſanguinea, ſed ignoranter cum putatat coosanguinea, & ideo non incurrit cenſuram in re ipſa.

Circa contrahentes cum Monialibus, notandum eſt, Moniales profeſſas incurrere illam excommunicationem, cuicumque nubant; & ſimiliter contrahentes cum illis. Quod noo ita euenit in fœmina nubẽte Profeſſo, aut in Sacris conſtituto: ſolùm enim illi incurrunt eam. Ratio eſt, quia dicta Clementina loquitur diuerſimodè in his caſibus: Moniales enim & cum eis contrahentes excommunicat. At loquens de matrimonio inito à Profeſſo, vel clerico Sacris initiatos, ſolos hos excommunicat, nulla mentione facta de mulieribus ab eis ductis. Vt verò hi contraheotes cum Monialibus incurrant excommunicationem, oportet vt ſcienter id faciant. Vnde excuſaret ignorantia quæuis etiam craſſa, dummodo non eſſet affectata, quia ſcientia petitur ad incurrendam illam. 6

Denique circa Religioſos, Moniales, & Clericos 7 Sacris initiatos contrahentes matrimonium notandum eſt, excuſare quoque ignorantiam quamtumuis craſſam, iuris, vel facti, dummodo non ſit affectata Patet ex verbis Clementinæ: nam fulminans excommunicationem in his & reliquis caſibus, ſic ait, refrænare metu pœnæ ab huiuſmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipſos excommunicationis ſententia ipſo facto decernimus ſubiacere. At dum fulminatur excommunicatio in temere audentes, deſideratur ſcientia, & excuſat quæuis ignorantia non affectata, dummodo non ſit ingens temeritas, quia audacia temeritatem importat; & ſic Hiſpanè audax dicitur, *atreuido, y que pierde la verguenca.*

Quæres an præter dictas perſonas, aliæ etiam, vt mandantes, conſulentes, dantes auxilium, vel fa- 8 uorem, vel etiam aſſiſtentes his matrimoniis prohibitis, eadem cenſura excommunicationis ligentur. Reſpoodeo non ligari, vt optimè notauit Suarez *tom. 5. de cenſuris diſp. 23. ſect. 25. num. 23.* Ratio eſt, quia hi non ſunt verè contrahentes matrimonia, at ſoli contrahentes excommunicantur.

DISPVTATIO XXXII.

De impedimento publicæ honeſtatis

IMPEDIMENTVM hoc dicitur iuſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, eo quòd iuſtum ſit propter publicam decentiam, ac morum honeſtatem, matrimonia inter certas perſonas non contrahi. Hanc verò publicam honeſtatem oriri ex duobus capitibus, videlicet ex matrimonio rato nondum conſummato, & ex ſponſalibus de futuro, decreto ac ſtatuto Eccleſiaſtico, in hac diſputatione expendendum eſt, & de vtroque diſtinctè agendum.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit ex iure iuſtitia publicæ honeſtatis dirimens matrimonium.

1 COmmuniter Doctores cum D. Thom. *in 4. d. 41. q. vnica a. 1. quæſtione 4 in corpore*, ſolet ſic definire: Publicæ honeſtatis iuſtitiæ impedimentum eſt propinquitas ex ſponſalibus proueniens, robur trahens ab Eccleſiæ conſtitutione propter honeſtatem eius. Quæ definitio potius eſt deſcriptio, quàm quidditatiua & adæquata ratio. Nam in primis non eſt adæquata, quia ſolùm conuenit publicæ honeſtati ortæ ex ſponſalibus, cùm tametſi illa æquè conſurgat ex matrimonio rato. Præterea exprimit cauſam efficientem quæ eſt Eccleſiæ inſtitutio, ad denotandum hoc impedimentum ſolo iure Eccleſiaſtico inductum eſſe. Denique ponitur propter honeſtatem eius ad exprimendam cauſam, ob quam Eccleſia hoc ſtatuit impedimentum. Quia nimirum æquum, & conſonum honeſtati Eccleſiæ eſt, vt propter inchoationem matrimonij, quæ in ſponſalibus reperitur, conſanguineis alterutrius ſponſi prohibeatur matrimonium cum altero.

2 Aptius igitur, publica honeſtas in communi, prout abſtrahit ab ea quæ ex ſponſalibus de futuro conſurgit, & ab ea quæ ex matrimonio rato oritur, ſic definienda eſt: Propinquitas ex verbis ſponſorum proueniens. Dicitur *propinquitas*, ſeu, quod idem eſt, coniunctio, quo denotatur conuenientia quam habet cum affinitate. Dicitur *ex ſponſorum verbis proueniens*, vt explicetur propria eius ratio, quia differt ab affinitate. Hæc enim ſine coniunctione, ſeu copula carnali conſurgere non poteſt, illa verò ſolis verbis perficitur. Quare ſicut nequeunt duo vna caro fieri per nuda ſponſionis verba. Vt enim optimè dixit Benedictus *in cap. lex 27. q. 2.* propinquitas ſanguinis verbis dicitur, non verbis efficitur; & ideo propinquitas affinitatis neceſſariò promanare debet ex ſanguinis commixtione per coitum, ſeu copulam. Ita è contra propinquitas honeſtatis nequit oriri ex copula, ſed ex verbis tãtùm ſponſorum. Nomen verò ſpõſorum ponitur abſtractè & in commune, prout abſtrahit, & commune eſt tam ſponſis de futuro, quàm etiam ſponſis de præſenti: ſicut & verba abſtracta ſumimus à verbis de futuro, & à verbis de præſenti; vt ſic comprehendant vtramque ſpeciem publicæ, ſeu iuſtitiæ honeſtatis. Quia ſub vtraque ſpecie eſt honeſtum & decens, ne ineant matrimonia inter ſe illæ perſonæ, quæ maiorem propinquitatem contraxerunt ſuorum conſanguineorum. Quare ſicut conuenientiſſimum fuit, vt per matrimonij copulam, vel etiam per fornicariam contrahatur affinitas ſubſequẽtes nuptias diſſoluens; ita & quod ex verbis ſponſorum aliud vinculum coniunctionis oriatur, minus tamen perfectum affinitate, quod ſimiliter ſubſequens dirimat matrimonium.

Obiicies, eos qui actu contraxerunt matrimonium ratum, non dici propriè ſponſos communi vſu, & modo loquendi, ſed dici abſolutè & propriè nuptos, & coniugatos; quia iam non ſunt in ſpe, ſed in re matrimonium adepti. Vnde ſicut ſponſalium nomen propriiſſimè ſignificat futuri matrimonij mutuam promiſſionem; ita & ſponſi propriè ſunt, & dicuntur, qui dictum matrimonium habent ſolum ſibi promiſſum de futuro. Reſpondeo, etiam nuptos per verba de præſenti ſine vlla matrimonij conſummatione dici in iure ſponſos, vt latè oſtendi ſuprà *diſp. 1. ſect. 1. num. 3.* Quamplurimi enim ſunt textus, qui in eo ſenſu vſurpant ſponſalium, & ſponſorum nomen; tametſi in vſu communiori, ac rigoroſiori nomen ſponſalium ſoleat ſumi non pro matrimonio rato, ſed pro ipſa promiſſione mutua viri & fœminæ de contrahendo inuicem matrimonio; & ſponſi ſoleant dici ipſi promiſſi, vt *loco citato* dixi, *num. 4.*

Publicæ honeſtatis duplex aſſignatur ſpecies in iu- 3
re: alia eſt ex ſponſalibus orta, alia verò ex ſolo matrimonio rato conſurgit. Quòd ſit in iure, ex ſponſalibus, ſeu ex mutua futuri matrimonij promiſſione oriri iuſtitiam publicæ honeſtatis dirimentem matrimonium inter ſponſum de futuro ex vna parte, & conſanguineos ſponſæ ex altera, & è contra, conſtat ex variis Canonibus, ex *cap. vnico, de ſponſalibus & matrimoniis in 6. & cap. vnico, de deſponſatione impuberum in 6.* Item ex *cap. ad audientiam* 4. & ex *cap. ſponſam* 8. *de ſponſalibus & matrimoniis.* Et hoc idem firmant omnes Doctores.

Maior difficultas eſt de altera ſpecie publicæ bo- 4
neſtatis ex matrimonio rato conſurgentis, an ſit in iure, textus ex quo illa colligatur. Nam noſter Sanchez *diſp. 70. n. 1.* putat vix eſſe textum aſſerentem oriri ex matrimonio rato publicam honeſtatem, ſeu publicæ honeſtatis impedimentum Quod probat, quia *cap. ſi quis vxorem 27. q. 2.* quod ſolet afferri, Gloſſa dicit *ibi* poſſe intelligi de ſponſa de præſenti, vel de ſponſa de futuro: & ita ex eo textu nihil certum poteſt haberi, vel concludi. Præterea *cap. finali 35. q. 3.* aſſerens eandem coniugem non poſſe nubere duobus conſobrinis propter publicam honeſtatem, potiùs intelligitur de matrimonio conſummato. Non enim antea appellatur quiſpiam coniux, ſed ſponſus. Nec obſtat illud impedimentum appellari publicam honeſtatem, cùm non oriatur ex matrimonio conſummato niſi affinitas. Quia affinitas aliquando appellatur publica boneſtas, vt liquet ex *c. tua*, iuncta Gloſſa *verb. honeſtatem; & cap. diſcretionem*, adhibita Gloſſa *verb. publicam, de eo qui cogn. conſang.* Vnde infert Sanchez prædictum colligi impedimentum in matrimonio rato, deducto argumento à fortiori. Nam ſi ex ſponſalibus conſurgit publica honeſtas impediens, ac dirimens matrimonium cum conſanguineis ſponſæ illius de futuro: à fortiori conſurget ex matrimonio rato, quod fortius vinculum eſt, & maiorem coniunctionem importat. Prædictæ doctrinæ fauent graues recentiores, dicentes publicam honeſtatem quæ oritur ex matrimonio rato deſumi ex ſola conſuetudine,

Digitized by Google

dine, & vſu Eccleſiæ, cùm nullus extet textus qui eam induxerit: cumque aliunde ipſa vigeat etiam nunc in Eccleſia, deſumenda eſt ex ſolo eius vſu. Hic autem vſus inductus eſt ex paritate rationis deſumpta ex illa alia publica honeſtate, quæ ex ſponſalibus conſurgit.

5 Ego verò exiſtimo hoc impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex matrimonio rato non conſummato antiquiſſimum eſſe in Eccleſia, & de illo aliquas extare leges, proponam certiorem. Talis mihi videtur, quæ habetur *cap. ſi quis deſponſauerit ſibi* 11. 27. q. 2. vbi hæc verba proponuntur; ſi quis deſponſauerit ſibi aliquam, & præueniente mortis articulo eam cognoſcere non potuerit, frater eius non poteſt eam ducere in vxorem. Vbi optimè Gloſſa duo notat. *Primum*, hoc caput intelligi de ſponſa de præſenti: aliter non faceret ad propoſitum, quia ſponſa de futuro non eſt vxor quam poſſet cognoſcere. *Secundum* ait. Et hoc caſu eſt impedimentum publicæ honeſtatis iuſtitia, non affinitatis, quia ita non eſt niſi interueniat carnalis copula. Idem etiam firmo Cardinalium declaratione, quam tradit noſter Rebellus in declarationibus ſacræ Congregationis circa decreta Tridentini *de matrimonio & ſponſalibus*, ex *ſeſſ.* 24. *n.* 109. his verbis. An ex matrimonio contracto per verba de præſenti non conſummato oriatur affinitas, vel impedimentum publicæ honeſtatis? Reſpondet, Congregatio non eſſe impedimentum affinitatis, ſed impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis, & fortius, ac maius vinculum, quàm impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis ex ſponſalibus de futuro.

Sectio II.

Quæ requirantur vt ex ſponſalibus de futuro oriatur impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis.

1 DE hoc impedimento orto ex ſponſalibus de futuro, latè tractaui ſuprà diſputatione octaua ſectionibus quatuor, prima, ſecunda, tertia, & quarta. Quare

Suppono *primò* ad id requiri vt ſponſalia ſint certa & determinata, & valida, vt fusè oſtendo ibi *ſect.* 1. *num* 3. 4 5 & 6.

Suppono *ſecundò* oriri tale impedimentum dirimens cum cõſanguineis alterius ſponſi in primo gradu, non verò cum affinibus, vt ibi probo *n.* 7.

Suppono *tertiò*, tale impedimentum fuiſſe inductum ſolo Eccleſiaſtico iure, & à Tridentino reſtrictum ad ſolum primum gradum, vt doceo *num.* 1. & 2.

Suppono *quartò* prædictum publicæ honeſtatis impedimentum eſſe omnino perpetuum, quouis modo poſtea ipſa ſponſalia ſoluantur, vt latè id tracto *diſp.* 8. *citat.* 1, integra *ſect.* 2.

Suppono *quintò*, ex ſponſalibus inualidis occultè ex ſolius interni conſenſus defectu, exterius verò ac publicè validis, nullum conſurgere publicæ honeſtatis impedimentum, vt latè exagito prædicta diſputatione, integra *ſect.* 3.

2 Ex quibus omnibus colligo manifeſtè impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis, quod ex ſponſalibus oritur, tantùm oriri ex ſponſalibus cum determinata perſona ac certa, & ex abſolutis, ſiue à principio, ſiue poſtea impleta conditione, & tantùm ex validis, & non ex nullis, ſiue ex defectu conſenſus, ſiue ob aliquod impedimentum, quamuis occultum: prædictumque impedimentum publicæ honeſtatis eſſe perpetuum, nec diſſolui morte alterius, nec mutuo conſenſu, nec quia alter reſiliuit. Præterea infero, cùm certum ſit prædictũ impedimentũ eſſe Eccleſiaſticum, illud non habere locum inter infideles, etiamſi poſtea cõuertantur ad fidem in contracto matrimonio cum conſanguinea eius, cum qua priùs ſponſalia celebrauerat. Denique certum etiam eſt ſtatim poſt Tridentini promulgationem ceſſaſſe impedimentum in aliis gradibus vltra primum. Sic congregatio Cardinalium apud Rebellum *n.* 103. Qui ante Concilium Tridentinum in ſecundo gradu publicæ honeſtatis erant, poſt Concilium publicatum, ſeu confirmatum ritè, & abſque alia diſpenſatione contrahere poſſunt, & contractum inter eos matrimonium eſt validum, iuxta formam huius capitis tertij.

Sectio III.

Ex quo matrimonio rato oriatur, vel non oriatur impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis.

DIco *primò* certum eſſe non oriri ex matrimonio 1 rato ſub conditione, ſi iſta non ſit impleta. Patet, quia nõ oritur ex ſimilibus ſponſalibus conditionatis; quæ enim ſunt ſub conditione de futuro nondum impleta, non pariunt honeſtatem, quia abſolutè ſponſalia non ſunt, vt liquet ex *cap. vnico, de ſponſalibus*; ergo nec ex ſimili matrimonio. Firmo, quia ante impletam conditionem, neque habet vim matrimonij abſoluti, neque ſponſalium abſolutorum. At iuſtitia publicæ honſtatis non oritur niſi ex ſponſalibus dicto modo abſolutis, ac proinde neque ex matrimonio, niſi abſoluto, etiam paritate, & conſuetudine deſumpta ab exemplo ſponſalium. Hoc intellige, ſi conditio ſit ex eis, quæ ſuſpendunt conſenſum ita vt debeat ſpectari euentus conditionis. Nam ſi ſit ex eis quæ ipſum non ſuſpendunt, vt ſunt quæ habentur pro non adiectis; tunc matrimonia iam erunt, ac cenſebuntur abſoluta, & parient honeſtatem: ſicut etiam talia ſunt impleta conditione ſine vllo alio nouo conſenſu, vt oſtendi ſuprà *diſput.* 16. *ſect.* 13. *num.* 5. ac proinde dirimat vſque ad quartum gradum.

Dico *ſecundò* prædictum impedimentum honeſtatis non oriri ex matrimonio rato inualido ex defectu conſenſus. Hoc admittunt omnes Doctores. Et meritò, quia olim ſponſalia ex defectu conſenſus inualida non cauſabant ſimilem honeſtatem; ergo neque hoc matrimonium, cùm eius honeſtas à paritate ex illis conſuetudine populi Chriſtiani ſit ſubſiſtens. Quare nõ oritur ea honeſtas ex matrimonio rato inito cum errore perſonæ, vel cum perſona incerta, vel ex metu graui, vel per conſenſum fictum etiam in vno ſolo; quia in iſtis omnibus eſt irritum matrimonium ex defectu conſenſus neceſſarij. 2

Dico *tertiò*, ſi matrimonium fuerit nullum ex alio capite, puta ex defectu ſolemnitatis, vel ratione alicuius impedimenti, etiam ex eo oritur impedimentũ publicæ honeſtatis. Ratio eſt, quia ita fiebat olim in ſponſalibus, quæ cauſabant eam honeſtatem, licèt inualida eſſet, niſi id proueniret ex defectu conſenſus. Cumque in iſta honeſtate orta ex matrimonio rato nihil ſit innouatum à Tridentino, erit in ea ſtandum

iuri

Google

iuri antiquo. Idque conſtat ex declaratione Cardinalium apud Rebellum *n.* 102. in hæc verba. Præſuppoſita declaratione per conſtitutionem Sanctiſſimi domini noſtri Pij Quinti ſuper hoc decreto, cenſuit Congregatio, oriri impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis ex ſponſalibus per verba de præſenti etiã nulliter contractis, omiſſa forma decreti Concilij Tridentini *cap.* 1. *huius ſeſſionis* (intellige 24. *de matrimonio.*) Et conſtat ex *cap. ad audientiam, de ſponſalibus*, vbi exiſtente matrimonio nullo propter impedimentum conſanguinitatis, oritur publica honeſtas. Cùm autem in iſta honeſtate orta ex matrimonio rato, nihil ſit innouatum à Tridentino, erit in ea ſtandum iuri antiquo. Hinc infero oriri hanc honeſtatem ex matrimonio inualido defectu præſentiæ Parochi & teſtium, vel ob quoduis aliud impedimentum dirimens, quia tale matrimonium non eſt inualidum ex ſolo defectu conſenſus; imò matrimonium clandeſtinum, licèt nullum, habet vim ſponſalium ex natura ſua, vt multis oſtendi ſuprà *diſput.* 8. *ſect.* 4. *num.* 4.

3 Scio oppoſitum docere Sanchez *lib.* 7. *diſput.* 70. *n.* 13. & Coninchium *diſp.* 32. *dubio* 5. *ad finem*. Quia ipſi matrimonio clandeſtino deeſt legitima forma, & conſequenter legitimus conſenſus, ita vt non habeat ſpeciem quidem externam contractus matrimonij. Cæterùm perſiſto in contraria ſententia cum Baſilio Ponce *lib.* 7. *cap.* 35. *ad finem*, & cum noſtro Hurtado *diſp.* 21. *difficultate* 2. *num.* 7. Quia matrimonium clandeſtinum non eſt nullum abſolutè ex defectu conſenſus; ille verò ſolùm poteſt dici non eſſe legitimus, quia eſt inter perſonas inhabiles, ex lege & ſtatuto Concilij Tridentini, ob defectum ſolemnitatis præſentiæ Parochi & teſtium. Vnde non eſt nullum matrimonium ex defectu conſenſus, ſed ex defectu legitimitatis. Sicut ob eandem rationem oritur tale impedimentum ex matrimonio nullo ex defectu ætatis, quia non eſt nullum ex defectu conſenſus; ſicut eſt matrimonium factum ex metu, aut ex errore perſonæ, aut in furia, in quo deficit omnino conſenſus plenè voluntarius, ac liber. Quare matrimonium clandeſtinum, in mea ſententia, cauſat impedimentum publicæ honeſtatis vſque ad quartum gradum, quia cauſat illud vt matrimonium. Qui verò negant illud non parere vt matrimonium, ſed ſolùm habere vim ſponſalium, ac rationem, inducet eodem modo impedimentum, atque alia ſponſalia intra primum gradum ſolum.

4 Dices ſequi ex his, ſi Petrus poſt ſponſalia inita cum Maria contrahat de præſenti per verba cum Martha eius ſorore, cùm nulla ex illis poſtea poſſe contrahere Patet, quia non cum Martha, quia ex prioribus ſponſalibus eſt ortum impedimentum cum illa, non cum Maria, quia ex hoc matrimonio etiam irrito naſcitur publica honeſtas cum ſorore. Reſpondeo poſſe & debere contrahere cum Maria, quia ſpecialiter cautum eſt in iure, *cap. vnico, de ſponſalibus in* 6. vt ex poſterioribus ſponſalibus non oriatur hoc impedimentum reſpectu priorum, etiam quando ólim ex ſponſalibus irritis oriebatur. Vnde nec ex matrimonio modò orietur, quia cedit in præiudicium prioris ſponſæ quæ eſt ratio iuris. Si verò conſummaſſet cum Martha, cum nulla contrahere poſſet: non cum priore, propter impedimentum affinitatis ex copula reſultans: non cum poſteriore, propter publicam honeſtatem ex ſponſalibus prioribus cum eius ſorore, vt eſt manifeſtum. Quod ſi hic priori non dediſſet fidem de matrimonio contrahendo, ſed cum illa rem habuiſſet, & poſtea eius ſororem duxiſſet, neutram poſſet vxorem habere; non priorem, quia obſtat impedimentum publicæ honeſtatis, quod ex matrimonio etiam irrito oritur, vt dixi, cùm nulla præcedant ſponſalia cum priori, in quo euentu non oriretur. Non cum poſteriori, propter affinitatem ortam ex copula præcedenti cum ſorore.

Ex his colligo quòd ſi quis ſponſalia contraheret cum fœmina, quam poſtea eius frater duxit, 5
nec matrimonium conſummauit, prior ille frater poſſet eam fœminam ducere. Quia matrimonium poſterioris fratris cum ea fœmina irritum fuit propter impedimentum publicæ honeſtatis ortũ ex prioribus ſponſis cum fratre: neque hoc matrimonium irritum potuit inducere impedimentum publicæ honeſtatis, quod præcedentibus ſponſalibus cum fratre præiudicaret. Quòd ſi hoc matrimonium conſummaſſet, cum neutro poſſet contrahere, vt *ſuprà* dixi, non cum priore propter impedimentum affinitatis ex copula reſultans; non cum poſteriori, propter publicam honeſtatem ex ſponſalibus prioribus ortam cum eius ſorore.

Denique noto cum Sanchez *diſp.* 68. *ad finem numeri*, quòd licèt ex ſupradicto matrimonio rato cum 6
dicta Martha non oriatur honeſtas dirimens reſpectu Mariæ, cum qua fuerant iam inita priora ſponſalia; quia ius non vult vt ipſa fraudetur iniuſtè matrimonio propter iniuſtitiam aliorum: attamen oriri dictam honeſtatem cum reliquis conſanguineis Marthæ, quia iſti nullum ius adquiſierant ad matrimonium Petri; & ex matrimonio irrito perſeuerat nunc impedimentum vſque ad quartum gradum, vt dictum eſt; & ſolum ius ſtatuit non oriri impedimentum ad præcedentia ſponſalia diſſoluenda.

DISPVTATIO XXXIII.

De crimine, impedimento dirimente.

MERITO Eccleſia iam priſcis temporibus inter aliquas perſonas decreuit eſſe impedimentum dirimens ad matrimonium contrahendum, propter aliqua crimina ipſi matrimonio obnoxia. Quæ, & qualia ſint, ac quibus circumſtantiis affecta eſſe debeant, vt matrimonium dirimant, hac diſputatione breuiter eſt declarandum.

SECTIO I.

An ſola duorum machinatio in mortem coniugis, quamuis non interueniat adulterium, dirimat matrimonium poſtea cum altero contrahendum.

PRo explicatione obſeruandum eſt *primò*, quòd
certum eſt apud omnes Doctores impedimen- 1
tum criminis non reddere ſimpliciter quempiam inhabilem ad quodcumque matrimonium. Quia, vt videbimus, intra hoc impedimentum dirimens decernentes ſolùm irritant matrimonium inter machinantes mortem, & adulteros. Quare qui coniugem occidit, v.g. vt cum adultera matrimonium ineat, reſpectu ſolius adulteræ fit inhabilis, non verò ad quod-

quodcumque aliud matrimonium contrahendum; quia finis appoſitionis huius pœnæ & impedimenti fuit, ne quis deſiderio matrimonij occidat proprium, vel alienum coniugem; vel adulteretur cum illo.

2 *Secundò* eſt obſeruandum hoc impedimentum eſſe ſolo iure Eccleſiaſtico inductum. Non enim ex natura rei repugnat illud matrimonium. Quare infideles non incurrent illud, niſi ſpeciali ipſorum lege ſit ſtatutum, quia infideles non tenentur legibus Eccleſiæ. Cuius impedimenti ratio honeſtiſſima eſt ac iuſtiſſima, vt cauſatur ſpe contrahendi matrimonij machinatio mortis alterius coniugis, & adulterium: nihil enim atrocius in coniugio reperiri poteſt, quàm inſidias parari vitæ alterius coniugis, vel dari anſam adulterandi.

3 *Tertiò* notandum eſt, tametſi Doctores ad ſola duo crimina communiter redocant hoc impedimentum, nempe ad adulterium cum machinatione mortis alterius coniugis, & ad adulterium cum fide data de cõtrahendo poſt coniugis mortem, in quibus alia etiam comprehenduntur; nihilominus tamen claritatis gratia ac diſtinctionis, quatuor ſunt diſtinguenda crimina, in quibus expendere oportet, an & quomodo tale impedimentum criminis illis appoſitum ſit. *Primum* eſt, machinatio ab vtroque facta in mortẽ alterius coniugis animo contrahendi matrimonium, non interueniente adulterio. *Secundum*, machinatio mortis ab vno tantùm coniuncta cum adulterio. *Tertium*, matrimonium cum aliqua fœmina contractum, viuente primo coniuge, & ſuperſtite. *Quartum* denique, ſi adſit verum adulterium, vnà cum promiſſione, ac fide data de contrahendo matrimonio, defuncto altero cõiuge.

His præmiſſis accedamus ad primum crimen hac ſectione exponendum, de machinatione in mortem alterius coniugis proprij, vel alieni coniugis ſine adulterio. Circa quod

4 Dico *primò*, verius eſſe ac probabilius, vt cum multis tenet Sanchez *lib. 7. diſp. 78. n. 9.* Baſilius Ponce *lib. 7. c. 45. n. 4.* Toletus *lib. 7. c. 6.* & alij, ſolam machinationem in mortem coniugis, quando fit ab alio coniuge, & ab altero cum quo matrimonium ineundum eſt, nullo interueniente adulterio, eſſe impedimentum dirimens. Id manifeſtè firmatur *cap. primo, de conuerſione infidelium*, in quo nulla mentione facta adulterij, dicitur, matrimonium inter vxores occiſorum à Sarracenis, & inter ipſos Sarracenos, etiam ad fidem conuerſos non valere; quia vxores occiſorum cum ipſis Sarracenis malitioſè machinatæ fuerunt in mortem ſuorum maritorum. Idque manifeſtè conſtat ex caſu in ſpecie textus, qui ibi proponitur, & talis fuit. Quidam Sarraceni erant in captiuitate Chriſtianorũ, & interfecerunt viros quarundam mulierum Chriſtianarũ, inſidiis & machinationibus ipſarũ; poſtea ipſi Sarraceni per mulieres illas ad fidem Chriſtianam ſunt conuerſi, quæſitum fuit, vtrùm de iure illas poſſint accipere in vxores; & ſi eas duxerint, an tale coniugium teneat. Reſpondit Papa Cæleſtinus Tertius, id determinandum eſſe Triburenſis Concilij regula, in quo dicitur, quòd ſi in mortẽ ipſorũ malitioſè fuerint machinatæ, licèt earũ ſtudio ad fidẽ acceſſerint, contrahere non debent, & ſi contraxerint, non ſunt tolerandi, quia tale damnum cum tali lucro Eccleſia compenſare non velit. In qua deciſione nulla fit mentio adulteri. Additur verò *ibidem*, validum fuiſſe matrimonium quarundam mulierum cum occiſoribus ſuorum virorum; quia illæ horum mortem non fuerant machinatæ. Igitur ſola machinatio in mortem coniugis, abſque adulterio, quando vterque in mortem coniugis conſpirat, inualidum facit, ac irritat matrimonium.

Eſt verò notandũ circa prædictum decretum, infidelibus Sarracenis eã pœnam, ſeu impedimẽtum indictum non eſſe, nec indici potuiſſe ab Eccleſia, ſed ſolis mulieribus fidelibus, vt perpetuò nequeant cum illis infidelibus quantumcumque ad fidem conuerſis matrimonium contrahere. Sicut hodie ex Eccleſiæ præſcripto irritum eſt matrimonium fidelis cum infideli, non ob impedimentum infidelis, ſed quia fidelis ipſe illo afficiatur impedimento.

Dico *ſecundò*, vt machinatio mortis prædicta facta ab vtroque dirimat matrimonium, neceſſarium eſſe, vt ſortiatur effectum mortis. Quare ſi vterque mortem coniugis machinetur, nec illa ſubſequatur, poterunt altero defuncto matrimonium inire. In hoc etiã Doctores conueniunt. Id conſtat quoque ex *cap. 1. de conuerſione infidelium*, vbi expreſsè notatur mors ex illa machinatione ſecuta. Et ratio eſt, quia iura imponentia pœnam crimini, intelligenda ſunt de crimine completo, quando aliud non conſtat. Vnde tametſi ſint alia iura quæ de ſola machinatione mortis coniugis mentionem faciant; at ea verba cum effectu accipienda ſunt, vt generaliter ſtatuitur *c. relatum, de cleric. non reſid.* Vnde colligo prædictos contractus quoque dictum impedimentum, ſi conſilio, mandato, aut ſimili modo mortem coniugis per alios procurent, modò hi ab illis permoti mortem intulerint. Secus eſſet ſi omnino proprio motu ſine reſpectu ad eorum conſilia id feciſſent. Quia tunc eorum machinatio fuiſſet inefficax, nec ipſi fuiſſent vera cauſa mortis. Non tamen ſufficit vt ratam habeant occiſionem, vel machinationem mortis. Ratio eſt, quia in omni iure requiritur machinatio; at ratihabitio neque eſt machinatio phyſica, vt liquet, neque moralis, medio conſilio, aut mandato; quia ratihabitio non æquiparatur mandato, niſi in his, quæ à ſola noſtra voluntate dependent, vt rata ſint; vt quando iure exprimitur, vt contingit in ratihabitione, qua quis ratam habet occiſionem violentam clerici. 5

Dico *tertiò*, vt dicta machinatio in mortem re ipſa ſecutam dirimat matrimonium contrahendum, neceſſarium eſſe quòd fiat animo contrahendi illud; vnde quando alius finis adeſt, non eſt impedimentum dirimens. Ita cum multis Sanchez *diſp. 78. n. 13.* Baſilius Ponce *diſp. 45. n. 4.* Hurtado *diſp. 23. difficult. 1. n. 3.* & alij. Et meritò, quia quamuis in iure non exprimatur, tamen ſatis inſinuatur *in cap. 1. de conuerſione infidelium*, dum dicitur de illis mulieribus, in mortem ipſorum malitioſè fuerint machinatæ. Idem ſatis colligitur ex fine huius impedimenti, qui fuit ne coniux deſiderio alterius matrimonij occidat proprium, vel alienum coniugem. Quæ ratio non militat, cùm coniugis interfectio non eò tendit, vt aliud matrimonium cum ea perſona ineatur. Quare iura inducentia hoc impedimentum nullo pacto ad hunc caſum extenduntur. Vnde ſi adſit homicidium alterius coniugis ab vtroque perpetratum, non animo cõtrahendi matrimonium, ſed in vltionem, vel odium, vel ob aliam cauſam, non oritur impedimentum dirimens. 6

Dico *quartò*, non ſufficere vt tale impedimentum inducatur, homicidium ab vtroque perpetratum animo & intentione contrahendi matrimonium, ſi ea intentio non ſignificetur exteriùs. Quare ſi omnino in animo retineant, nec ſibi ſignificent, non oritur impedimentum. Ita notauit bene Baſilius Ponce citatus, & Hurtado relatus. Quod dictum eſt iuxta doctrinã à me traditam in materia de legibus, quam grauiter & doctè pertractat noſter Vaſquez *tom. 2. in 1. 2. diſp. 60. cap. 3. 4. & 5.* vbi latè oſtendit occultum omnino & mẽtale delictum nõ ſubiacere Eccleſiæ iudicio, neque 7

que punitioni, optima ratione, quia lex eſt imperium ſuperioris inferiores ad ſui obſeruationem obligans; vnde iure naturali oportet inferiorem ad voluntatem ſuperioris conformari; abſurdum enim eſt ei refragari, & reſiſtere, ſicut honeſtum, obtẽperate. At cõformatio hæc inferioris ad ſuperiorem in eo ſolùm attendi debet, quod proprium hominum eſt; id autem eſt exterior operatio ſecundùm rationem: nam ſpiritualis conformatio Angelorum, & ſpirituum potius videtur, quàm hominum, vel hominum etiam, ea tamen ratione, qua cum Angelis cõmunicãt; lex igitur humana humanã poſtulans obedientiã, eam ſolùm expoſcit in operibus exterioribus, quæ propria hominũ ſunt, nec cõmunia cum Angelis, ac proinde actus omnino interiores nec prohibere, nec præcipere poteſt, quia in illis conformatio obedientiæ humanæ non exigitur.

8 Ex quo rectè infert idem Vaſquez *c. 3. citato*, non ſolùm nõ prohiberi lege humana actus interiores primariè, hoc eſt, ſecundùm ſe, ſed etiam nec ſecundariè ratione operis externi, quando huius non ſunt per ſe cauſa, ſed ex accidenti ei coniunguntur. Tũc enim de illis niſi aliquo opere exteriori manifeſtati fuerint, vel aliquo modo indicati, humana poteſtas etiã Eccleſiaſtica iudicare non poteſt, nec ad illos cogere; nec in eis debet attendi conformatio inferiorum ad ſuperiores, non ſecus ac ſi non eſſent coniuncti actibus exterioribus: quia etiamſi cõiuncti, ſi tamẽ nullo modo exterius indicati ſint, eodem modo comparantur cum iudicio Eccleſiæ, ac ſi ſoli eſſent, & per ſe. Quod explicat varijs exemplis. *Primum* de Monacho Benedictino, qui ſine licentia animo accuſandi ſuperiorem ad curiam regiam ſe confert, & *in Clementina 1. de ſtatu Monach.* excõmunicatur: nam talem Monachum ire ſine obediẽtia ad curiam regiam ita videtur eſſe commune intẽtioni accuſandi ſuperiorem, ſicut intentioni alterius negotij. Aliud exemplum eſt de Inquiſitore qui ex affectu odij, aut amoris non vult inquirere contra hæreticum, qui excommunicatur. *Clementina, multorum, §. verum, de hereticis.* nam ſimiliter non inquirere contra aliquem ita prouenire poteſt ab affectu amoris, aut odij, ſicut ab affectu alio ex ſola oſcitantia, & negligentia. In his igitur & alijs ſimilibus exemplis nequit lex humana punire, nec prohibere tales affectus, & intẽtiones, quia perinde ſe habent quando coniungũtur operibus, atque ſi nullo operi exteriori cõiungerẽtur. Quare vt hoc modo prædicti affectus ſubdantur legi humanæ, non ſatis eſt eſſe cauſam exteriorum, ſed requiritur ipſis exterioribus indicari. Vnde Monachus Benedictinus, qui ſine licentia ſui ſuperioris ſe confert ad curiam regiam animo accuſandi ſuperiorem ſuum non eſt excommunicatus niſi exteriori opere aliquo talem animum indicet; quia animus ille omnino interior accidentariè coniunctus eſt cum illo opere exteriori; quare niſi alio modo indicetur, capax non erit excommunicationis. Eodem modo excommunicatio illa contra Inquiſitorem illum, non ipſum comprehendit, ſi odium, vel amor ſit omnino occultus, & nullo ſigno, aut opere exteriori manifeſtatus, aut indicatus. Quocirca in illa Clementina non excommunicatur, qui odio, vel amore, & gratitudine ſimpliciter omiſerit inquirere, ſed is qui obtentu amoris, vel odij, hoc eſt, prætextu aliquo non inquirit: at prætextus eſt quãdo aliquo ſigno talis animus indicatur; quare ſi omnino maneret ſecretus talis affectus, nullã Inquiſitor incurreret excõmunicationem. Eodẽ igitur modo philoſophandũ eſt in caſu noſtro de homicidio facto ab vtroque deſiderio & affectu contrahendi matrimoniũ, neceſſarium eſſe eam intentionem exteriùs manifeſtari, aut indicari; quia aliter nequit puniri ab Eccleſiã, à quo ſola introducta eſt dicta pœna, ſeu impedimentum illud dirimens matrimonium.

Dico *vltimò* nihil referre ad hoc impedimentum dirimens incurrendum ſiue vxorem occidant, ſiue virũ gratia alterius matrimonij cõtrahẽdi; ſi enim virũ interficiant, incurritur idem impedimentum dirimens. Ratio eſt, quia iura loquuntur etiam de viricidio, vt conſtat manifeſtè ex *cap. 1. de conuerſione infidelium*, vbi ſermo eſt de vxore, medio, ſeu miniſterio cuiuſdam infidelis virum ſuum interficiente. Vnde id aſſeuerant multi Doctores, quos refert & ſequitur Sanchez *diſput. 78. numer. 8.* 9

Obijcies, nos dixiſſe ſuprà *diſp. 23. ſect. 6. n. 3.* vxoricidium eſſe impedimentum impediens matrimoniũ, non tamen viricidium; quia non eſt eadem ratio de viricidio; nam viricidium eſt rariſſimum, & vxores non ſunt pronæ ad id perpetrandum, imò ſunt timidæ. At vxoricidium frequens eſſe ſolet, & viri ſunt audaciores, & procliuiores. Igitur idem dicendum eſt de hoc alio impedimento dirimente, ob eandem rationem. Quia iura ſolùm videntur velle punire non tam grauitatem criminis, quàm facilitatem virorum ad id exequendum. Reſpondeo diſparem eſſe rationem: nam in priori caſu de vxoricidio, loquitur ius de ſolo illo, vnde impedimentum illud ſolum fuit inductum in pœnã criminis vxoricidij: cumque ſit pœna, non eſt cur extendatur ad viricidium, vbi eſt diſpar iam aſſignata ratio. At in iſto alio caſu præſenti eſt in ſpecie textus, vt vidimus, in quo expreſsè loquitur etiam de viricidio. 10

Sectio II.

An & quomodo machinatio vnius in mortem coniugis, cum adulterio dirimat matrimonium.

Expreſſa eſt deciſio iuris circa hanc rem, vt notant communiter Doctores, machinationem in mortẽ coniugis re ipſa ſecutam factam ab vno ſolo, interueniente adulterio, dirimere matrimonium, eſt expreſſus textus *cap. ſignificaſti nobis, de eo qui duxit in matrimonium.* Vbi de quodam ciue Spoletano vxorato, qui adhæſerat cuidam meretrici, & quia monitus non dimittebat eam, fuit excommunicatus, tandem vxor ſua mortua eſt, ipſe verò cum ea matrimonium contraxit; quæſitum fuit an tale matrimonium teneret. Reſpondit Papa Innocentius III. quòd niſi alter eorum in mortem defunctæ vxoris ſuæ fuerit machinatus, vel ea viuente ſibi ad inuicem fidem dederunt de matrimonio contrahendo, matrimonium legitimum cenſendum eſt. Vbi notat Gloſſa quòd licèt quis adulteretur cum altera, viuente vxore ſua, poteſt illam habere in vxorem, poſt mortem vxoris, niſi viuente vxore fidem ei dederit de contrahendo, vel alteruter in mortem mulieris machinauerit. Igitur certum eſt ex hoc iure, ſi alter cum adulterio, ſiue vir ſit cauſa mortis vxoris, ſiue vxor viri, occidatque vel ſuum virum, vel adulteri coniugem, exiſtere impedimentum dirimens. Hinc 1

Colligo *primò* ſolum adulterium non obſtare matrimonio cõtrahẽdo; vnde ſi alicubi reperiatur ſtatutũ nulli licere ducere vxorem eam quam priùs per adulterium polluerat, id intelligi debet, quando cum adulterio concurrit machinatio mortis alterius 2

coniugis, vel fides data de contrahendo poſt coniugis mortē. Aliàs enim licitum eſt matrimoniū cum illa. Nec obſtat huic veritati *c.1.de eo qui duxit*, ibi. Licèt autem in Canonibus habeatur, vt nullus copulet matrimonio quam priùs polluerat adulterio, & illā maximè, cui fidem dederat vxore ſua viuente. Ex quo manifeſtè videtur inferri, idem eſſe quamuis fides minimè data ſit. Non, inquam obſtat, quia *ibi* dictio illa, *maximè*, accipitur pro, tantùm, vt explicant *ibi* Abbas *n.3.* Alexand. de Neuo. *n 6.* & Præpoſ. *n.1.* Vel etiam dic, particulam, *maximè*, ſumi pro *inquam*, vel *finaliter*, vt determinet prius dicta, oſtendendo alia iura, in quibus præter adulterium alia requirūtur; alioquin apertè contradiceret aliis.

3 Colligo *ſecundò*, cùm ratio prædicti impedimēti dirimentis ſit adulteria euitare, & ſimul remouere occaſiones occidēdorū coniugū his, qui volunt contrahere; certū eſſe ſi quis occidat animo contrahēdi cū altero nequaquā adulterij participe, aut ſi occidat, vt liberiùs libidini vacet, nō exiſtere dictū impedimētum.

4 Colligo *tertiò*, adulteriom debere præcedere occiſionē: nam ius, vt vidimus præcedenti ſectione, vult vt homicidiū tantùm, quando ab vtroque perpetratur, ſit impedimentū dirimens: cōmiſſum autē ab vno tantùm non gignere eiuſmodi impedimentū, niſi vnà cum adulteriū ſit, vt antea probatum eſt. Quare adulteriū præcedere debet ante mortem coniugis. Vnde ſi vir venenū propinet vxori vt fœminam quaodā ducat vxore interfecta, & cum illa nondum adulteratus eſt, at poſtea cū ea adulteratur, nondū vxore defūcta, cōntrahit impedimentum dirimens eā nubendi, quia verificatur intercedere adulterium cum interfectinne coiugis: ſecus ſi defuncta vxore, copula accidiſſet, quia ea copula iā non eſſet adulterium, atque adeò ſic deficeret adulterium. Adeò verò requiritur adulteriū, quando eſt machinatio mortis ab vno tantùm facta, vt tametſi interueniat fidei datio de futuro matrimonio ineundo, ſi deſit adulterium, non erit tale impedimentum, quia ius abſolutè petit adulterium; nec eſt textus aliquis, quī ſola fidei datione, cum machinatione alterius contentus ſit ad hoc impedimentum contraheodum.

5 Colligo *quartò*, rectè docere Doctores, debere eſſe verum adulterium; nam ſi matrimonium fuerit nullum exiſtimatum validum, non oritur impedimētum, etiamſi interfectio coniugis interuenerit facta ab vno ex contrahentibus. Ratio eſt, quia iura impedimentum hoc ſtatuentia petunt coniugis occiſionem, & adulterium, quæ duo verè deficiunt, vbi non eſt matrimonium verum. Satis tamen eſſet, ſi matrimonium foret verum, quamuis non conſummatum, & quamuis eſſet celebratum diuortium. Quia in vtroque adſunt vera interfectio coniugis, & adulterium.

6 Colligo *quintò*, quando vnus ſolus machinatus eſt mortem coniugis, requiritur, vt adulteriū ſit vtrique matrimonium contracturo notū. Quare ſi Catharina, v.g. coniugata adulteretur cum Petro ignorans hunc Petrum cōiugatum eſſe, & hic deinde mortuo marito Catharinæ occidat eā inſcia, ſuam propriam vxorē, vt eam ducat, valebit matrimonium. Ita Emanuel Sa *in ſumma verb. matrimonium. §. de impedimentis dirimentibus num.7.* Sanchez *diſp. 78.n.12.* Coninch *diſp. 31.dub. 5.n 55.* & alij. Ratio eſt, quia vt adulteriū præſtet impedimentum, debet ex vtraque parte tendere in iniuriā coniugis occiſæ, & huius eſſe occaſio, quia hoc impedimentum inductum eſt ad eiuſmodi occaſiones tollendas. Adulterium autem Catharinæ, tametſi ex eius parte iniurioſum ſit proprio marito, non tamen vxori Petri: nec ipſa ex parte ſua dedit ſciens aliquam occaſionem, vt Petrus occideret ſuam vxorem, cùm neſciret eum hanc habere. Firmo, nam adulterium reſpectu coniugis interfecti eſt, quòd vna cum mortis ipſius machinatione dirimit matrimonium; at reſpectu coniugis interfecti nullum adulterium admiſit fœmina illa Catharina, vtpote coniugij illius ignara; ergo.

7 Colligo *ſextò*, requiri ad hoc impedimentum contrahendum, vt copula adulterij ſit perfecta, nec ſufficit conatus, aut impudici tactus, quia per hæc non committitur adulterium. Tum etiam ipſa iura expoſcunt copulam adulterinam, quæ delictum conſummatum importat: & maximè in his pœnalibus, & impedimentis matrimonium dirimentibus, quæ valde reſtringenda ſunt. Ita Sanchez *diſp. 79. n.1.* & Coninch *dub. 5. citato n. 62.* Vnde infero ob eandem rationem ductus, non ſufficere vaſis fœminei penetrationem, ſemine virili non intromiſſo: quia id non eſt adulterium conſummatum, ſed inceptum, & conatus ad perficiendum. Quare ſufficeret quacumque arte ſemen intra vas abſque illius penetratione reciperetur; quia id ſatis eſt ad copulæ conſummationem.

8 Colligo *vltimò* quid ſit dicendum, quando vir vxorem perimit, animo ducendi nō certam & determinatam fœminam, ſed incertam, aut vnam ex pluribus. Placet dicere cum Sanchez *diſp. 78.n.18* loquendo in foro conſcientiæ, ſi animus fuit ducendi hanc, vel alteram, aut vnam ex pluribus, dummodo omnes illæ ſint expreſsè intentæ, & cum omnibus illis expreſsè intentis præceſſerit adulterium; eſſet impedimentum dirimens cum quaoīs earum. Si verò interfecit vxorem cum animo ducendi fœminam indeterminatam, poterit poſtea ducere quamcumque, etiam eam, cum qua vxore ſuperſtite adulteratus eſt. Quia defuit intentio matrimonij determinati, ad hoc impedimentum incurrendum petita. Poterit ſimiliter illam adulteram ducere, quando animum habuit aliquam aliam determinatam, vel vnam ex pluribus determinatis ducendi, præter adulteram. Imò & tunc poterit quamuis ex [illegible]is ducere. Quia cum omnibus illis non fuit adulterium, quod erat requiſitum ad hoc impedimentum, & cum adultera non fuit animus contrahendi, qui ſimul cum adulterio deſideratur. Quòd ſi in mente ſua expreſſerit adulteram, ſiue ſolam, ſiue inter alias, reſpectu ſolius adulteræ erit impedimentum dirimens, quia reſpectu illius reperitur adulterium cum animo contrahendi cum illa matrimonium.

SECTIO III.

An & quomodo crimen adulterij cōiuncti cum matrimonio de præſenti, dirimat matrimonium.

1 CAſus huius tertij criminis matrimonium dirimentis eſt eiuſmodi. Petrus, v.g. vxoratus cum Maria, adulteratur cum Franciſca, & cōtrahit cū hac ſecundum matrimoniū de præſenti, tametſi inualidè, quia Maria adhuc viuit. Propter hoc factum, ſeu crimen, incurrit impedimentum dirimens, quod ipſum impedit ne poſſit validè inire matrimonium cum dicta Franciſca, etiam poſt mortem Mariæ. Cūſtat id totum ex *cap. ſi quis vxore viuēte, de eo qui duxit in matrimonium.* Quæritur enim ibi, an ſi quis vxore ſua viuente, contraxit de facto cum alia, mortua eius vxore poſſit illam habere in vxorem. Cui quæſito reſpondet

reſpondet Papa Gregorius IX. quòd ſi ſua viuente, nec ante contractum matrimonium de facto, nec poſt, non eſt dirimendum matrimonium quod poſt mortem vxoris cum illa contraxit: pœnitentia tamen debet vtrique imponi, pro eo quod grauiter deliquerint. Sed ſi prius, vel poſt coótractum matrimonium vxore ſua viuente eam cognouit, tale matrimonium tolerari non debet. Vbi optimè notat Gloſſa, ſolùm de facto cum alia contrahere vxore viuente non dirimere matrimonium cum illa, defuncta vxore, niſi ad carnalem copulam ſit proceſſum, vxore viuente, ſeu adulterium cum illa commiſerit. Ecce quomodo adulterium cum matrimonio de præſenti coniunctum dirimat cum adultera matrimonium. Idem in hoc eodem caſu decernitur *cap. cùm haberet, eodem titulo*. Ex his

2 Colligo *primò*, vt adulterium ſine machinatione mortis dirimat matrimonium in præſenti caſu, requiri vt ſit coniunctum cum matrimonio inter adulteros de facto contracto; ita vt nec ſolùm adulterium ſufficiat, nec attentatum matrimonium ſine adulterio: vt patet ex textibus adductis.

3 Colligo *ſecundò*, deſiderari quoque vt adulterium concurrat cum matrimonio de facto inito, viuente altero coniuge. Ita conſtat ex prædictis capitibus, vbi hæc duo ſimul petuntur viuente coniuge, & docent vniuerſi. Sufficit verò, vt ad matrimoniũ de facto initum præcedat, vel ſequatur adulterium à coniuge illo admiſſum. In vtroque enim euentu incurritur impedimentum hoc dirimens, vt expreſsè dicitur dicto capite finali *ſi qui*, & fatentur omnes. Ratio eſt, quia in vtroque euentu præbetur anſa captandæ mortis cõiugis. Nec verò deſinit eſſe impedimentum, tametſi matrimonium illud de facto initum ſit clandeſtinum, ac conſequenter omnino irritũ: quia non ponderatur valor matrimonij vt hoc impedimentum conſurgat; nam ſemper matrimonium illud eſt irritum, altero coniugio tunc durante; ſed ne propter dictum matrimonium coniunctum cum adulterio detur anſa captandæ mortis coniugum.

4 Colligo *tertiò*, requiri quoque vt matrimonium priùs contractum ſit legitimum & validũ: nam ſi reuera eſſet irritum, ac inualidũ, non adeſſet verũ adulterium, nec daretur anſa veri coniugis necandi. Quare tametſi putaretur eſſe validum, ſi re ipſa tale nõ eſſet, verè non conſurgeret inde hoc impedimentum.

5 Colligo *vltimò* etiã requiri vt dũ cõmittitur adulteriũ, vterque ſciat alterum eſſe coniugalem. Patet ex *cap. 1. de eo qui duxit*, vbi expreſsè dicitur non incurriſſe hoc impedimentum eam quæ vxorato nupſerat, putans eſſe ſolutum, quia ex ipſius parte non fuerat adulterium commiſſum. Incurritur tamen impedimẽtum, etſi matrimonium ſit contractum ante ſcientiam vitæ coniugis alterius, ſi poſt ſcientiam adulteriũ cõmittatur ante mortem coniugis, quia per hoc prius radicatur. Secus eſt, ſi copula contingat poſt mortem coniugis, quia tunc non habet rationem adulterij, nec poteſt eſſe occaſio mortis illius.

6 Inquiret aliquis, an ignorantia craſſa adulterij, ſeu vitæ alterius coniugis excuſet ab hoc impedimento. Nam multi cũ Coninch *dubio 5. num. 61.* ſentiunt non excuſari, quia talis copula habet verè malitiã adulterij. Sicut percuſſio eius qui à percutiente craſsè ignoratur eſſe Clericus, habet veram rationem ſacrilegij. Contrarium ſentit Sanchez *lib. 7. diſp. 79. n. 38.* nimirũ excuſare ignorantiam craſſam, & ſupinam. Tum, quia ignorantia hæc eſt facti, quæ excuſare ſolet, iuxta regulã, *ignorantia*, de regulis iuris in 6. Tum etiam, quia adulterium eſt neceſſarium, quod tamen abſque dolo nõ cõmitti fatentur omnes per legẽ Iuliam de adulterio. At vbi dolus exigitur, non ſatis eſt lata culpa.

Vtrumque probabile iudico, primum quod defendit Coninch, & ſequitur Hurtado *difficult. 2. n. 7.* videtur mihi probabilius, eſtque apud Doctores communius, quia prædicta ignorãtia cum ſit vincibilis & culpabilis, non excuſat à culpa adulterij, ob quam hoc impedimentum præcipuè ſtatuitur.

Ad argumentum Sanchez dico ignorantiam facti tunc excuſare, quando eſt ignorantia probabilis, non verò ſemper ſi ſit vincibilis & culpabilis, niſi quando exigitur dolus. Cùm verò dicitur adulterium non cõmitti abſque dolo, id intelligitur in ordine ad incurrendas & infligendas pœnas lege Iulia appoſitas, quæ cùm grauiſſimæ ſint, requirunt omnino perfectam culpam abſque vlla ignorantia facti. Hoc autem impedimentum tametſi ſtatutum etiam ſit in pœnam; eſt tamen etiam ſtabilitum, vt occiſio coniugis euitetur; atque ideo non requirit culpam ita completam, & perfectam, præſertim cùm tale adulterium poſſit quoque moraliter eſſe occaſio coniugem occidendi. Quare non excuſabit ignorantia craſſa, nec à fortiori affectata, quæ ſcientiæ æquipollet, ſed ſola ignorantia probabilis, ſeu inuincibilis.

Sectio IV.

An, & quomodo dirimat crimen adulterij coniuncti cum promiſſione matrimonij.

Certum eſt adulterium coniugis coniunctũ cum promiſſione ducendi eam cum qua adulteratur, eſſe quartum crimen dirimens ex iure Eccleſiæ matrimonium ſecutum cum ea. Quod dico de adultero, dictum puta etiam de adultera. Id manifeſtè habetur *c. finali, ſi qui, de eo qui duxit*. vbi idẽ protſus quod dicitur de adulterio cõiuncto cum matrimonio, dicitur etiam de ipſo adulterio coniuncto cum fide & promiſſione data de matrimonio contrahendo. Idem ſtatuitur *c. 6. ſignificaſti nobis, eodem tit.* Idem firmatur *c. 5. ſi quis viuente 31 q. 1.* ex Concilio Tribarienſi; nã quidam vxorem alterius eo viuente corrupit, & ei fidem dedit quòd poſt mortem legitimi viri ſi ſuperuiueret, eam duceret in vxorem: quod cùm relatum fuiſſet in Triburienſi Concilio, ſtatuit Concilium non eſſe matrimonium inter eos. Hoc igitur impedimentum certiſſimum eſt, & vt contrahatur, vt conſtat ex præcedentibus, & ex dictis textibus, neceſſe eſt, vt ea promiſſio vnà cum adulterio fiat, eodẽ coniuge viuente: nam ſi promiſſio fiat viuente vno coniuge, & poſtea contingat adulterium viuente alio cõiuge, aut è contra, nõ oritur impedimentum. Eſt verò notandum ad hoc impedimentum requiri etiam ea omnia quæ dixi præcedenti ſectione requiri pro crimine adulterij & matrimonij ſimul. Sunt verò duæ difficultates circa hanc rem diſſoluendæ. 1

Prima eſt, an ad id ſufficiat promiſſio oretenus facta, quando apparet ſeriò & ex animo facta, reuera tamen à parte rei facta eſt, & oretenus. Affirmat cum nonnullis noſter Sanchez *diſp. 79. n. 10.*

Primò, quia textus inducentes hoc impedimentũ, ea nituntur ratione, ne ſpe futuri matrimonij ſumatur anſa necandæ vxoris. At promiſſio etiam ficta præbet occaſionem inſidiandæ vitæ alterius coniugis.

Secundò, ex ſponſalibus irritis ob ſolum interni cõſenſus defectũ, oritur impedimentũ publicæ honeſtatatis; ergo & hoc aliud ex promiſſione oretenus facta.

Tertiò præcepta Eccleſiaſtica cadunt in actus externos, & eoſdẽ punit Eccleſia; nam de interioribus nihil iudicat, ſed ille exterius promittit; ergo contrahit

pœnam, ſeu impedimentum tali crimini iniunctum.

2 Verius iudico oppoſitum, non ſufficere cum Henriquez *lib. 12. de matrimonio cap. 14. n. 5. in fine*, Emanuele Sà *verb. matrimonium*, vbi de impedimentis dirimentibus, *n. 7.* Hurtado *diffic. 2. n. 9.* & aliis. Probatur, quia quod adulterium cum promiſſione matrimonij contrahēdi cum complice illud dirimat, eſt pœna Eccleſiaſtica impoſita propter illud delictum; quæ quia potiùs eſt reſtringenda, ſicut non incurritur, niſi quādo adulterium eſt perfectum & conſummatum in ſua ſpecie, vt conſtat ex ſuperioribus, ita nec quando promiſſio non eſt perfecta, & aliàs ſufficiens ad obligandum ex iuſtitia, & ſub mortali, qualis non eſt promiſſio ore tenus facta; de qua oſtendi ſuprà *diſp. 2. ſect. 1.* tametſi poſſit intelligi voluntaria promiſſio ore tenus ſine animo promittendi, vt ibi probo *n. 3.* eam tamen non eſſe validam ad obligandum obligatione naturali ex iuſtitia, vel etiam ex fidelitate, ac proinde non ſufficere ad ſponſalia, quod efficaciter *ibi* probo *n. 4.* ergo tametſi ſufficiens ſit in foro externo ad præbendam dictam occaſionem coniugi decepto, non ſufficiet ad matrimonium dirimendum. Firmo exemplo optimo fictè rebaptizantis, & fictè proferentis hæreſim; nam rebaptizans ille in foro cōſcientiæ excuſatur ab irregularitate, quia actus ille verè in ratione culpæ nō eſt peccatum cōſummatum rebaptizandi, ſed eſt tantùm imperfectum in eo ordine, & ideo non eſt ſufficiēs ad contrahendā illā irregularitatem, quæ imponitur propter delictum perfectum & conſummatum in illa ſua ſpecie. Ille etiā alius exterius hæreſim profitēs, veram fidē animo & mente retinens non incurrit pœnas & cenſuras hæreticis impoſitas, quia reuera non eſt ſimpliciter hæreticus, ſed ſolùm cum addito, ſcilicet exterior hæreticus, ſeu fictus. Sic ergo in præſenti, qui ſine intentione exteriùs dat fidem matrimonio, reuera non eſt promiſſor, ſed fingit ſe promiſſorem; & ideo quamuis in hoc etiam grauiter peccet, non tamen propriè eſt illa culpa propter quam impedimentum dirimens impoſitum eſt.

3 Reſpondet Sanchez diſparem eſſe rationem: nam in caſu rebaptizationis, finis illius pœnæ irregularitatis eſt in odiu hæreticorū rebaptizantium, & introducēdium rebaptizationes: fictè verò rebaptizans neque id facit animo hæretico, nec propriè cōuenit cum hæreticis in ea actione vt à ſua intentione procedit. Simile eſt in ficto hæreſis prolatore, cùm nec reuera fidem neget, nec verè hæreticus ſit. At in noſtro præſenti caſu, ex fine Eccleſiæ indicentis hoc impedimētum, ne ſpe futuri matrimonij ſumatur anſa necandæ coniugis, colligitur eius mentem eſſe comprehendere hanc fictam promiſſionem. Sed contrà obiicio, ſi id attentè cōſideretur, nullā apparere diſparitatem: nam in his omnibus caſibus videtur eſſe ſimilis & æqualis fictio. Et quamuis Eccleſia attendat ad eum finem, vt inde ſequi nequeat occaſio vel anſa interficiendi vxorem; ſatis tamen exprimit in iure eius intentionem eſſe tollere occaſionem illam ex delicto completo perfectæ promiſſionis, ex qua per ſe oriri ſolet tale periculum; eſſet verò per accidens quod ex tali promiſſione ficta ſequeretur anſa, vel periculum homicidij: ſicut è contra, quamuis ex vera & perfecta promiſſione duorum adulterorum, nullum eſſet, nec ſequeretur periculum homicidij alterius coniugis, adhuc inde ex illa promiſſione conſurgeret impedimentum criminis dirimens, quia id per accidens contingeret; & lex vel ius ſtatuit impedire, ac prohibere id quod per ſe, & ex vi talis actionis oriri poteſt. Cùm igitur ex vi fictæ promiſſionis, nequeat illud per ſe oriri, quia ficta promiſſio non eſt vera promiſſio, non enim externum verbum quo fatendum aliquid in alicuius gratiam, ei ipſi dicitur, eſt promiſſio per ſe præcisè, ſed ſolùm dependenter à libera intentione promittendi, ſeu fidem ſuam ei cui dicitur, aſtringendi, & obligandi; non ſecus ac externa verba coniugum actu contrahentium matrimonium, non ſunt per ſe præcisè corporum dominij tranſlatio, ſeu traditio actualis, ſed tantùm dependenter à libera intentione ea ſe tradendi actu, & faciendi re ipſa quod verba illa ſignificant; ſequitur ex vi illius fictæ promiſſionis nullum oriri impedimentum criminis.

Ex his patet ſolutio ad argumenta contrariorum.

Ad primum iam claret promiſſionem fictam non per ſe, ſed per accidens præbere occaſionem inſidiandæ vitæ alterius coniugis: at ius non attendit ad id quod per accidens contingere poteſt, ſed ad id euitandum, quod per ſe poteſt ſpe futuri matrimonij damnum illud cauſare.

Ad ſecundum, negandum eſt antecedens; latè enim oſtendi ſuprà *diſputat. 8. ſect. 3. numer. 5.* ex ſponſalibus inualidis defectu ſolius interni, & occulti conſenſus, nullum conſurgere publicæ honeſtatis impedimentum.

Ad tertium, tametſi Eccleſia per ſe non præcipiat, nec prohibeat actus interiores, prohibet tamen exteriores vt ab interioribus manantes: & ita etiam prohibet interiorem, ratione exterioris, ſeu vt principium eius; & eodem modo punit aliquando aliquem exteriorem vt à tali interiori manantem, vt in rebaptizante, & hæreſim proferente. Quia ergo promiſſio ſimpliciter dicta ſignificat verba externa ſe obligantia procedentia ex intentione ſe obligandi ad contrahendum matrimonium, ideo quando exterior promiſſio ab illa intentione non procedit, non eſt ſufficiens ad impedimentum criminis inducendum.

Secunda difficultas eſt, an ad dictum criminis impedimentum neceſſaria ſit promiſſio abſoluta, ſiue 4
quæ à principio fuerit abſolutè facta, ſiue quæ facta fuerit abſoluta euentu conditionis, ſub qua fuit facta. Nauarrus enim *lib. 4. conſiliorum, tit. de eo qui duxit, conſilio 2. n. 1.* quem ſequitur Sanchez *diſp. 79. n. 11.* exiſtimat promiſſionem conditionatam ſufficere modò adulterium præceſſerit, vel ſequatur antequam conditio noſcitur defeciſſe. Quia talis promiſſio inducit veram obligationem expectandi conditionem, eaque poſita contrahendi, quantum eſt ex forma, & natura ſua, & iniicit ſpem futuri matrimonij, & dat occaſionem quærendæ necis coniugis.

Alij verò, vt Coninch *diſp. 31. n. 59.* & Hurtado *diffic. 2. n. 10.* neceſſariam dicunt promiſſionem abſolutam. Quia in iure ad id abſolutè, & ſimpliciter requiritur promiſſio, qualis non eſt conditionata ante conditionis euentum; & quia ad id promiſſio, ſicut adulterium, & ſicut matrimonium de præſenti, debet eſſe ante mortem alterius coniugis, ideo quando fuit à principio conditionata, neceſſarium eſt conditionem impleri ante mortem illius.

Mihi videtur dicendum cum Coninchio & aliis 5
requiri promiſſionem virtute abſolutam, nec ſat eſſe conditionatam, ſaltem cùm conditio non impletur ante mortem coniugis. Ratio eſt, quia promiſſio quæ non eſt ſaltem dicto modo abſoluta, ſed merè conditionalis eſt ſuſpenſa, nec eſt abſolutè promiſſio; neque eſt nec poteſt eſſe alteri occaſio machinandi mortem coniugis, cum adhuc ex vi eius ante conditionis euentum nullam certam ſpem futuri matrimonij, ſeu coniugij potueris ex ea concipere, cùm ita promittens à parte rei non magis promiſerit ſe cum ea contracturum, quàm non contracturum. Nam vtrunque promiſit ſub conditione; quia per propoſitionem ſub ignota conditione nihil abſolutè

abſolutè ſignificatur determinatè. Si enim quis alteri dicat, Contraho tecum ſi pater tuus tale officium in aula regia obtinuit, ſi vtrique omnino ignotum ſit, an pater hoc obtinuerit nec ne, non magis ſignificat alteri parti ſe in eá conſentire, quàm diſſentire, ſed ſolùm ſub diſtinctione ſe conſentire, ſi conditio ſit poſita, ac diſſentire ſi non ſit poſita. Vnde tunc altera pars, quam omnes alij præſentes, quamdiu veritas conditionis ignota eſt, iſtis verbis non magis colligunt eum conſentire, quàm diſſentire. Igitur in noſtro caſu promiſſarius ea promiſſione non tam excitatur vt ante conditionis euentum necem coniugis machinetur, quàm vt eam eouſque differat, ne aliàs gratis ſe tanto ſcelere obliget. Excipiendus eſt caſus, in quo, aut in promiſſarij poteſtate eſſet conditionem ſuo tempore implere, aut ipſe certus eſſet eam implendam; quia tunc haberet prius facinoris patrandi occaſionem, & facile in necem coniugis incitaretur. Addo etiam ſi poſt mortem coniugis implenda ſit conditio, non parere impedimentum, quia non poteſt eſſe occaſio machinandi mortem. Præterea ſi promittens & promiſſarius cederent promiſſioni, non contraherent hoc impedimentum per adulterium poſtea ſubſecutum, quia tunc iam euanuit promiſſio, & aliunde adulterium ſolũ non ſufficit. Vnde ob eandem rationem, ſi antequam committatur adulterium, conditio noſcatur defeciſſe, non pariet impedimentum; quia cùm tunc ſit omnino nulla, nõ concurrunt ſimul adulteriũ, & promiſſio, ac proinde nequit conſurgere impedimentum criminis.

Ad argumenta pro ſententia Nauarri & Sanchez iam liquet ſolutio ex doctrina adducta. Nam ea promiſſio conditionata quamuis inducat obligationẽ expectandi conditionem, eiuſque euentũ; & ea poſita contrahendi, quantũ eſt ex ſe, ſeu ex forma, & natura ſua; quia tamen eſt ſuſpenſa ante conditionis euentum omnibus ignotum, nec vi illius promiſſionis aliquid abſolute ſignificatur determinatè ante dictum euentum; nullam certam ſpem futuri coniugij poteſt promiſſarius concipere, nec habere occaſionem necem coniugis machinandi, vt dictum eſt.

Sectio V.

An aliqua alia requirantur, vt prædicta promiſſio matrimonij inducat impedimentum criminis.

1 Sectio præſens appendix eſt præcedentis, vt explicentur omnia requiſita, vt prædicta promiſſio inducat impedimentum criminis. Sit igitur

Prima difficultas, an ad id requiratur promiſſio mutua, & reciproca, ſaltem virtute, vel ſufficiat vt alter ſolus adulter promittat, altero non repromittente.

Prima ſententia, quæ eſt Henriquez *lib. 12. de matrimonio. c. 14. n. 3.* Vgolini *de matrimonio c. 19. n. 8.* affirmat debere eſſe mutuam.

Primò, quia mutua promiſſio neceſſaria eſt ad ſponſalia conſtituenda; quæ ad dictum impedimentum requiri videntur.

Secundò, impedimentum criminis eſt in pœnam vtriuſque adulteri contracturi matrimonium; ergo rationi conſonum eſt vt vterque, quô eam pœnam incurrat, reus ſit delicti illius promiſſionis, ex qua ſimul cum adulterio conſurgit dictum impedimentum.

2 Dico *primò*, negari non poſſe prædictam promiſſionẽ debere eſſe exterius manifeſtatã. Ita omnes. Patet, tũ ratione generali, quia omnis promiſſio homini facta ita fieri debet, vt ad illum dirigatur; nequit autem dirigi, ſi ſit merè interna, cùm humano modo nequeat ad alium peruenire, niſi illi exprimatur: vt conſtat ex dictis ſuprà *diſp. 1.* præſertim *ſect. 9. num. 1.* Tum ſpeciali ratione, quia talis promiſſio, cùm ſit crimen, punitur ab Eccleſia, at non poſſet, ſi eſſet purè interna, quia talis vt ſic, non ſubditur pœnis Eccleſiæ.

Dico *ſecundò*, prædictam promiſſionem debere eſſe ab altero adultero acceptatam. Hoc etiam eſt certum, quia aliàs non haberet vim. Vt enim oſtendi *ſuprà loco citato num. 3.* promiſſio etiam ſimplex homini facta non obligat antequam acceptata ſit ab eo cui fit; quia cum fiat ex liberalitate, ſi acceptata non ſit, nullam parit obligationem, & reuocari poteſt, tanquam adhuc poſita in fieri, ac pendens ex libera volũtate promittentis: neque enim voluntatem mutando faceret alteri iniuriam, nec damnum inferret, quia nihil habuit quæſitum quod inde ei pereat. 3

Ex quo manifeſtè infertur, ſi promittente adultero non acceptet adultera, ſed potiùs reſpondeat, dicendo, Faxit Deus vt viuat maritus meus, vel dirigat Deus quod diuino eius obſequio expedientius fuerit, non oriri impedimentum. Quia prædicta reſponſionis verba non acceptationem, ſed repulſam fidei datæ indicant manifeſtè.

Dico *tertiò*, ad hanc acceptationem ſufficere quòd alius taceat. Ita Syueſter *c. matrimonium 8. q. 9.* Coninch *diſp. 31. dub. 5. n. 58.* Rebellus *lib. 3. q. 8. n. 5* & Hurtado *difficultate 2. n. 9.* Ratio eſt, quia cùm adulteri ſe mutuo ament, cenſentur expetere mutuum matrimonium; ideoque vnus alteri hoc promittit tanquam fauorabile. In his verò quæ fauorabilia iudicantur ab eo cui offeruntur, & vt talia ei offeruntur, quamuis in re ipſa non ſint fauorabilia, qui tacet conſentire videtur, *de regulis iuris in 6. regula 43.* 4

Contrarium tenet Sanchez cum aliis *diſp. 79. n. 25.* Quia ea promiſſio etiam liberaliter facta eſt nociua acceptanti, quia reddit illum incapacem illius matrimonij, quod cedit in illius damnum; tacẽs autem non cenſetur conſentire in id quod in ipſius damnũ cedit. Verùm hæc ratio debilis eſt, quia cùm adulteri ſe mutuo ament, cæco amore ducti, maximè appetunt illud matrimonium, tametſi non ignorent eſſe onus, & impedimentum illius; vnde qui tacet, cenſetur acceptare id quod ſibi iudicat fauorabilius, & quod ipſe maximè appetere cenſetur.

Dico *quartò*, nullo modo neceſſariam eſſe mutuam promiſſionem formalem. Ita communiter omnes. Et conſtat manifeſtè ex *cap. ſignificaſti, de eo qui duxit*, ibi. Niſi alter eorum in mortem vxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea viuente fidem illi dederit de matrimonio contrahendo. Vbi ponderanda eſt particula, *alter*, quæ verificatur de vnius tantùm promiſſione. Et firmatur, quia *ibidem, & cap. 1. & 6. veniens, eodem tit.* æquiparantur ad hoc impedimentum inducendum machinatio mortis coniugis, & futuri matrimonij promiſſio. At illa ſufficit ex parte alterutrius, quando adeſt adulterium, vt conſtat ex *ſeſſ.* 2. ergo idem dicendum eſt de promiſſione. Adde in prædictis textibus, & aliis, ſolius fidei datæ cum adulterio fieri mentionem, & nullibi inueniri deſiderari repromiſſionem alterius. Præterea fauet ratio, quia cauſa & motiuum inducendi prædictum criminis impedimentum, videlicet, ne ſpe futuri matrimonij coniux interficiatur, locũ habet altero ſolo promittente. Denique conſtat idem ex doctrina à nobis tradita ſuprà *diſp. 1. ſect. 10*, acceptationem promiſſionis in matrimonio, ſicut 5

& in aliis rebus non eſſe formaliter repromiſſionem, neque coniugi neceſſariò cum repromiſſione; poteſt enim alicuius rei facta promiſſio acceptari ab eo cui facta eſt, quin ea acceptatio ſit vllius rei repromiſſio, vt ibi oſtendo.

6 Dico *vltimò*, ſi talis matrimonij promiſſio fiat per modum contractus, acceptatio ipſa cenſetur eſſe ſaltem virtualiter repromiſſio; non verò ſi ſit talis promiſſio ſimplex, ac liberalis. *Primum* conſtat, quia cuiuſcumque contractus acceptatio eſt virtute contrahere, vt ſi quis promittat equum certo pretio dato tradendum, acceptans promiſſionem cenſetur pretium repromittere: idem ergo dicam de promiſſione matrimonij, quando promiſſio eſt per modum contractus. *Secundum* liquet, quia negari non poteſt promiſſionem vnius amantis nõ eſſe ſemper per modum contractus, ſed ſæpe eſſe liberalem; ſolent enim amãtes ſæpe multa liberaliter promittere; ergo tunc eius acceptatio ab altero non erit virtute repromiſſio; nam acceptatio promiſſionis matrimonij ſufficienter fit admittendo fidem matrimonij oblatam; hæc verò admiſſio, non eſt promiſſio, quia non eſt oblatio fidei propriæ, ſed acceptatio alienæ. Videantur dicta ſuprà *ſect.* 10. diſputationis primæ relatæ.

Ad argumenta pro ſententia Henriquez & Vgolini.

Ad primum enim negatur probari poſſe aliquo textu, vt hoc impedimentum criminis inducatur, requiri vt cum adulterio adſit promiſſio ſufficiens ad conſtituenda ſponſalia.

Ad ſecundum, dico ſufficientem culpam reperiri in altero, cùm talem iniquam acceptauerit promiſſionem. Adde non ſemper deſiderari culpam in vtroque, vt oriatur impedimentum, ſed ſatis eſſe in altero: non enim innocens incurrit directè illud impedimentum, ſed indirectè, ex eo quòd reus contrahat illud, quia nequit matrimonium conſiſtere niſi inter duos. Sic enim, vt diximus ſuprà *ſect.* 2. machinatio alterius cum adulterio eſt ſufficiens ad impedimentum dirimens criminis inducendum.

7 *Secunda difficultas* eſt, an ſufficiat ſimplex promiſſio; an potius debeat eſſe iuramento firmata. Ratio enim dubitandi eſt, quia Concilium antiquiſſimum Triburienſe, vnde deſumptum eſt *cap. relatum* 31 *q.* 1. vbi hoc impedimentum decernitur, iuramentum appoſuit, ibi, viuente viro ſuo iuramentum dediſſe. Vbi Gloſſa *verb. viuente*, ait. Et ita viuente viro fidem dedit. Vnde pro eodem vſurpare videtur, fidem dare, & iurare.

Dicendum tamen cum communi Doctorum ſen-
8 tentia ſufficere ſimplicem promiſſionem. *Primo*, quia ſimplex promiſſio ſatis eſt ad ſponſalia conſtituenda, nam ſecundùm communem loquendi modum, dicitur dare fidem, qui ſpondet, vel promittit; & ita ſponſalia quibuſcumque verbis contrahentes, dicuntur verè dediſſe fidem matrimonij. *Secundò*, qualitercumque matrimonium promittatur etiam ſimplici promiſſione, militat eadem ratio, qua Eccleſia mota impedimentum criminis indixit, nimirum periculum interficiendi coniugem ſpe ineundi matrimonij. *Vltimò*, pactio quælibet, etiam ſimpliciter inita, eſt & appellatur fides; vnde veniens contra promiſſionem, in communi loquendi modo dicitur venire contra fidem præſtitam; & ita vſurpatur *l.* 1. *ff. de conſtit. pecun. & l.* 1 *ff. de pactis.* Vnde ad hoc impedimentum contrahendum Alexander III. Innocentius III. & Gregorius IX. *cap.* 1. *& cap. ſignificaſti, & cap. finali, de eo qui duxit*, vtuntur hoc verbo, *fidem dedit.* Non igitur deſideratur iuramentum.

Ad rationem dubitandi, reſpondeo, Concilium appoſuiſſe iuramentum, quia inter adulteros [illegible] verba multiplicari, ac iusiurandum [illegible] que ſic propoſuiſſe illud impedime[illegible] attenta iurium ratione videtur ſufficiens [illegible] nuda promiſſio; qua etiam fides datur & [illegible]lum coniugem interficiendi intercedit.

Tertia & vltima difficultas eſt, an ſit inualida & illicita promiſſio qua vnus coniux promittit alicui ſe contracturum cum ea matrimonium poſt mortem ſui coniugis adhuc viui. Breuiter dico, ſi promiſſio ſit talis vt ex ea oriatur impedimentum criminis, quia coniuncta eſt cum adulterio, euidens eſt ex dictis illicitam eſſe & inualidam, vt conſtat ex iuribus eam prohibentibus, & punientibus. Si verò ſit ſola promiſſio abſque adulterio, quo pacto ex illa non oritur impedimentum criminis, adhuc eo modo illicita eſt eſt & inualida. quia eſt iure prohibita, & propter eam imponitur pœnitentia. Totum id conſtat *ex cap. finali, de eo qui duxit.* vbi ſic habetur. Si qui vxore viuente, fide data promiſit aliam ſe ducturum: vel cum ipſa de facto contraxit; ſi nec ante, nec poſt, legitima eius ſuperſtite, cognouit eandem; quamuis vterque ipſorum, pro eo quod in hoc grauiter deliquerint, ſit pœnitentia iniungenda; non eſt tamen matrimonium, quod cum ea contraxit, poſt vxoris obitum dirimendum. Hæc ibi. Notanda ſunt illa verba, *pro eo quod in hoc grauiter deliquerint, ſit pœnitentia iniungenda.* Quæ manifeſtè declarant prædictam promiſſionem eſſe graue peccatum, ac pœnitentia dignum, & conſequenter eſſe illicitam, ac inualidam.

DISPVTATIO XXXIV.

De vi, ſeu coactione, ac metu matrimonium dirimente.

Recolenda ſunt, quæ de conſenſu coacto, ſeu metu extorto ſuprà integra diſputatione decimaſeptima, per decem & octo ſectiones latè diximus; 1
ex quibus clarè ſcitur, quo pacto matrimonium per vim, ſeu metum grauem contractum ipſo iure ſit irritum. Recolendum eſt quoque latam eſſe ipſo iure excommunicationem à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *c.* 9. in omnes cuiuſcumque gradus, & conditionis exiſtant, qui quouis modo directè, vel indirectè ſubditos, vel quoſuis alios cogunt, quominus liberè contrahant. Quod cùm ſit ex ſuo genere mortale peccatum, non ſolùm contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam, conſurgit obligatio reſtituendi pro ratione iniuriæ. De hac cenſura latè dixi *dicta diſp.* 17. *ſect.* 17. *num.* 4. In eadem etiam ſectione explicui, prædictam excommunicationem non comprehendere parentes ſi ſuos filios inuitos contrahere cogant, aut prohibeant, ſed ſolos dominos temporales, ac magiſtratus. Quibus addunt nonnulli ſatis probaliter, nec dominos temporales, nec Principes, nec Magiſtratus eam incurrere excommunicationem, ſi ſolùm prohibeant contrahere: quia cenſura non fertur niſi in eos qui ſubditos ſuos, vel alios compellunt, & cogunt ad matrimonium contrahendum.

DISP.

DISPVTATIO XXXV.

De impedimento ligaminis dirimente.

NOMINE *ligaminis* intelligitur prioris, ſiue conſummati, ſiue rati tantùm coniugij vinculum, quo durante ſequens matrimonium etiam conſummatum dirimitur. Ad cuius vberiorem intelligentiam tractare neceſſe eſt, de vnitate matrimonij, ac polygamia illi oppoſita, quæ eſt omnino illicita.

SECTIO I.

An iurè diuino & humano matrimonium ſit neceſſariò vnius cum vnica.

1 OMiſſis hæreticorum erroribus, dico *primò* matrimonium ex ſua primæua diuina inſtitutione requirere, vt ſit vnius cum vnica, ita vt inualidè quis contrahat cum ſecunda priore viuente. Iu hoc conueniunt Doctores. Et patet ex illo *Geneſis* 2. *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Vbi ſupponitur manifeſtè coniuges non poſſe eſſe plures quàm duos, vt rectè explicat Innocentius III. *cap. gaudemus* 8. *de diuortiis.* ſic dicens. Noo dixit tres, vel plures, ſed duo in carne vna: non dixit, adhærebit vxoribus, ſed *vxori ſuæ*. Si enim quis poſſet plures ſimul habere vxores, non eſſent duo, ſed tres, vel quatuor in carne vna. Idem firmat Nicolaus primus ad conſulta Bulgarorum *cap.* 5. Duas, ait, tempore vno habere vxores, nec ipſa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Chriſtianorum vlla permittit. Nam Deus qui fecit hominem ab initio, maſculum vnum fecit, & vnam fœminam tantùm, cui potuit vtique ſi vellet duas vxores tribuere, ſed noluit, ſcriptum quippe eſt, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ*; non dixit *vxoribus*. Et iterum: *erunt duo in carne vna*, maſcolus ſcilicet, fœmina io carne vna, & non tres, aut plures. Conſtat igitur Deum ab initio inſtituiſſe matrimonium vnius cum vna, non verù polygamiam approbaſſe, ſed monagamiam.

2 Dico *ſecundò* ex Chriſti Domini ſtatuto ac iure, matrimoniũ debere eſſe neceſſariò vnius cum vna. Quare polygamia, ſeu pluralitas coniugum ſimul, id eſt, quòd vnus vir ſimul habeat plures vxores, illicita eſt & irrita iure diuino Chriſti. In hoc etiam conueniunt omnes. Et conſtat *Matthæi* 19. *cap.* vbi volens Chriſtus reſtituere matrimooium ad eam rectitudinem & decorem, qué in prima ſui inſtitutione habuit à Deo, ſuſtulit omnino polygamiam, quaſi primæuæ matrimonij inſtitutioni aduerſam. Vnde ibi duo dicit. *Primum*, matrimonium in prima ſui inſtitutione pluralitatem vxorum ſimul penitus excluſiſſe, ſic dicens. *Qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.* Quæ verba apertè declarant matrimonij initio inſtituti effectum eſſe, vnici cum vnica coniunctionem. Idque apertè explicuit Chriſtus Dominus, quando relatis illis verbis concluſit. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quibus apertè docuit coniuges per matrimonium ita vniri, vt vna caro efficiantur. At ex vnius viri cum pluribus vxoribus matrimoniali coniunctione, non vna caro, ſed multiplex conſurgeret; oec tam vnio, quàm diuiſio pullularet. *Secundum*, vt Chriſtus Dominus ſtabiliat, matrimonium debere neceſſariò eſſe vnius cum vna, ſic dicit. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Quibus verbis, cùm interdicat, vel reuocationem futurã declaret, dimiſſa vxore propter fornicationẽ ad alias nuptias tranſeũdi, à fortiori bunc tranſitum, vxore retenta, interdictum eſſe quis neget. Dicitur verò mœchari poſteriorem ducẽs, priori dimiſſa; quia ob adulterium non deſinit prior eſſe vera vxor. Cùm ergo vxor retenta potiori iure gaudeat thoro, & cohabitatione, quo ipſa dimiſſa ob adulterium caret, multo magis, ea retenta, illicitum erit ac inualidum aliam ducere. Erit igitur iure diuino Chriſti illicita & irrita polygamia, ſeu pluralitas plurium vxorum ſimul cum vno viro. Hanc doctrinam firmat Coocilium Tridentinum initio doctrinæ *de Sacramento matrimonij ſeſſ.* 24. ſic dicens. Hoc vinculo, (nempe matrimonij) duos tantummodo copulari & coniungi, Chriſtus Dominus apertiùs docuit, cùm poſtrema illa verba tanquam à Deo prolata, referens dixit. *Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro* Addo rectè polygamiã fuiſſe ſpeciali iure diuino à Chriſto interdictam in lege Euangelica, ob veram Sacramenti ſignificationem. Nam ſi matrimonium conſideretur quatenus eſt legis Euangelicæ Sacramentum, iure diuino cum vnica fœmina, dum ea ſuperſtes eſt, ineundum eſt, vt ſaluetur eſſentialis ſignificatio huius Sacramenti, nempe matrimonij Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt vnica, quamuis in ea multi fideles exiſtant, ob vnam fidem & vnum Baptiſma. Hinc

3 Dico *tertiò*, iure ac lege diuina matrimonium neceſſariò debere eſſe vnius cum vna, & non cum duabus, vel pluribus. Hoc euidenter ſequitur ex præcedentibus dictis, quibus oſtenſum eſt, iure diuino antiquo ex vi ſuæ primæuæ diuinæ inſtitutionis, & iure nouo diuino Chriſti Domini in lege Euangelica id ſtatutum eſſe. Quod etiam manifeſtè firmatur auctoritate Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *canone* 2. ſic decernentis. Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores, & hoc nulla lege diuina eſſe prohibitum, Anathema ſit.

4 Dico *vltimò*, iure Canonico eſſe quoque ſtatutum vt matrimonium non ſit validum, niſi ſit vnius cum vna, & non cum duabus. Ita omnes Doctores. Conſtat id manifeſtè ex *cap. licet, de ſponſa duorum.* Vbi expreſsè decernit Alexander III. ſi quis contraxerit cum aliqua per verba de præſenti, non poſſe ad alia matrimonia conuolare: & ſi fecerit, ſeparari debere à ſecundis, & ad primum matrimonium redire, & ad id Eccleſiaſtica diſtrictione cõpelli debere. Idem ſtatuitur ab Innocentio III. *cap. finali, eodem tit. de ſponſa duorum.* Præterea *cap. an non* 24. *quæſt.* 3. Nicolaus Papa Lotharius Rex duas habebat vxores, de facto, de quo reprehendit eum Nicolaus Papa dicens, quòd diſtricta vltione (intellige excommunicatione) ſit feriendus. Rurſus Innocentius III. *cap. gaudemus, de diuortiis*, vbi loquens de polygamia, ait abſonum id videri, & inimicum fidei Chriſtianæ, cùm ab initio vna coſta, in vnam fœminam ſit conuerſa; & Scriptura diuina reſtetur, quòd propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna; noo dixit tres, vel plures, ſed *duo*; nec dixit adhærebit vxoribus, ſed *vxori*. Denique quamplurima ſunt Concilia quæ refert Baſilius Ponce *lib.* 7. *cap.* 51. eandem veritatem definientia: ſufficiat nobis Tridentinum *ſeſſ.* 24. *can.* 2. & *cap.* 7.

5 Ex dictis colligo, de fide eſſe, ligamen, ſeu vinculum

culum coniugij de præſenti eſſe impedimentum dirimens aliud matrimonium. Pater, quia de fide eſt irritum eſſe matrimonium inter plures, vt definitum eſt à Tridentino tamquam lege diuina prohibitum. Et conſtat ex *Matth.* 19. *c.* Chriſtum Dominum reduxiſſe matrimonium ad ſuum antiquiſſimum decorem, quando inter ſingulares perſonas fuit contractum, iuxta illud Geneſ. 2. *c. Maſculum & fœminam fecit eos.* Quibus apertè ſignificatur coniunctio vnius cum vna; & omnem abſtulit polygamiam, cùm aſſeruit: *qui dimiſſa prima etiam ob fornicationem, aliam duxerit, mœchatur.* Quo manifeſtè oſtendit prohibitum eſſe lege diuina.

SECTIO II.

An iure naturæ nullum ſit matrimonium inter plures vxores, & vnum virum.

SEnſus quæſtionis eſt, an ſicut mendacium formale, vel odium Dei ex ſe & ab intrinſeco, eſt adeò malum, vt nulla ſpectata Dei prohibitione, nequeat non eſſe ſua natura malum, ita ſimiliter coniugium vnius viri cum pluribus vxoribus, ſit ita ex ſe & ab intrinſeco malum, vt omni præciſa Dei oppoſitum inſtituentis ac diſponentis prohibitione ſemper ſit ſua natura malum, & naturæ, ac ſubſtantiæ matrimonij contrarium, illudque reddens omnino inualidum.

1 *Prima ſententia*, quæ eſt multorum, quos Couarr. 4. *Decretal. 2. parte cap. 7. §. 3.* Bellarmini *lib. 1. de matr. cap. 11.* Henriquez *lib 12. c. 16.* Hurtado *diſput. 9. difficultate 1. num. 3.* & aliorum, abſolutè affirmat pluralitatem vxorum ſimul eſſe iure naturæ illicitam & malam.

Primò; quia id videtur definitum *in cap. gaudemus 8. de diuortiis*, dum dicitur, nulli vnquam licuiſſe habere plures vxores ſimul, niſi cui fuit ex diuina reuelatione conceſſum. Quibus verbis manifeſtè ſupponitur, id fuiſſe iure naturæ illicitum, & non ſolo iure poſitiuo, quia ante iſtud fuiſſet licitum. Adde, in dicto capite ſubditur, Patriarchas excuſari ab adulterio ob diuinam conceſſionem. At ſi abſque diuina conceſſione poſſent validè, quamuis illicitè, aliam ducere, etiam poſſent abſque adulterio eam cognoſcere, quia eſſet propria.

Secundò matrimonium per ſe, & ex ſua natura ordinatur non tantùm ad prolis generationem, & educationem, ſed etiam ad pacificam ſocietatem & gubernationem domus; ſed pluralitas vxorum, ex ſe eſt contra pacificam cohabitationem, & gubernationem domus, quia quælibet vxor, quamuis ſit ſubdita viro, ſed non niſi vt ſocia, & collateralis, ac proinde etiam eſt domina in domo habens in ea auctoritatem & principatum, qui in ipſa vxore neceſſariò oritur ex matrimonio, & nequit à viro pro libito auferri, & cui ipſa non poteſt cedere, vtpote qui neceſſariò oritur ex natura ipſius contractus, ſicut nequit cedere iuri radicali, ſeu dominio in corpore mariti; ex quo ſi eſſent plures vxores, diuiſio & rixæ inducerentur, ergo pluralitas vxorum ſimul manifeſtè eſt contra naturam contractus matrimonij.

Tertiò matrimonium conſiſtere nequit abſque mutua corporum traditione; ergo ſicut mulier tradit in ſolidum ſui corporis poteſtatem viro, ita & vir ſimiliter tradere debet: nam matrimonij contractus mutuus eſt, & reciprocus, & vtrimque æqualis.

Vltimò, per matrimonium ſe obligat vir ad reddendum debitum vxori, quotieſcumque illa petierit. At id præſtare nequiret, ſi ſalua matrimonij ſubſtantia poſſet ſe cum pluribus vxoribus copulare; nam ſi ſimul eæ peterent, nequiret eis ſatisfacere.

2 *Secunda ſententia*, quæ eſt Durandi *in 4. diſt. 33. quæſt. 1.* Palacios *diſp. 1.* Veracruz *2. p. ſpecul. art. 15.* & aliorum, negat pluralitatem vxorum ſimul eſſe iure naturali prohibitam, & irritam.

Primò, quia ſi eſſet contra ius naturale, maximè, quia ducere ſecundam eſt contra ius primæ; ergo ſaltem ſecunda cedente iuri ſuo, ſiue cùm fit contractus, ſiue poſtea, poſſet vir iure naturali validè & licitè aliam ducere.

Secundò Gregorius III. *Epiſtola* 4. ad Bonifacium, & refertur *cap. quod propoſuiſti*, 32. *quæſt.* 7. conceſſit cuidam vxorem ſecundam ducere, ob primæ ægritudinem. At id concedere nequiuiſſet, ſi illud iuri naturali aduerſaretur.

Vltimò, certum eſt licere vxori in totum iure ſuo cedere, & conſenſum ſuum præſtare vt vir profeſſionem emittat in religione: ergo & licebit quoque, attento ſolo iure naturæ, ſibi in parte præiudicare, conſentiens, vt aliæ ſimul vxores habeant poteſtatem corporis viri ſui, legitimo cum eo inito matrimonio.

3 *Tertiam ſententiam* quaſi mediam inter duas prædictas defendit Sanchez *lib. 7. diſp. 80. num. 7. &* 8. præmittens *primò* duplex eſſe ius naturæ, vnum omnino primarium, quod primis iuris naturæ principiis continetur, ac primam, ac inuiolabilem continet rectitudinis regulam, ac proinde contra illa facere nunquam licet. Alterum ſecundarium quod ex illo tamquam concluſio ex principiis ducitur, quod non ita continet inuiolabilem rectitudinis regulam, quin ab ipſo naturæ auctore aliquando propter aliquas circumſtantias mutari, ac diſpenſari queat. Aitque polygamiam vnius viri cum pluribus vxoribus non eſſe contra prima ac vniuerſalia iuris naturæ principia, ſed tantùm aduerſari concluſionibus ab ipſis primis principiis deriuatis, eo quòd non repugnet matrimonij naturæ, nec primariò eius fini, qui eſt prolis generatio; ſed ſecundariò, nempe pacificæ domus gubernationi. In hac re

4 Dico *primò*, non eſſe de eſſentia matrimonij abſolutè, vt ſit inter ſingulares perſonas, vnius cum vna tantùm. Hoc eſt certum, quia rerum eſſentia eſt omnino immutabilis. At matrimonium poteſt ex Dei conceſſione conſiſtere inter plures vxores, & vnum virum, vt de facto in lege veteri fuit conceſſum, vt aſſerit Innocentius III. *cap. gaudemus, de diuortiis*; ergo.

5 Dico *ſecundò*, polygamiam plurium vxorum non eſſe contra vllum ius naturæ, ſpectata præciſè natura matrimonij, præſcindendo eam ab omni inſtitutione diuina. Hoc mihi videtur certum,

Primò, qui nullum ius naturæ immutari poteſt: nam ſi ius eſt naturale, vt tale eſt, ſequitur per conſequétiam neceſſariam ex principiis naturalibus; nam ſi non ſequitur neceſſariò, non obligat ex vi ſolius rationis & diſcurſus, & conſequenter non eſt merè naturalis obligatio; ergo non poteſt magis diſpenſari in tali iure naturali, quàm in ipſis principiis, quia omnis falſitas, vel defectus in concluſione redundat in falſitatem, vel defectum, aut mutationem principij. At circa prima principia certum eſt nullam cadere diſpenſationem, quia ſemper ſunt regula honeſtè operandi, ius autem contrahendi vnius cum vna tãtùm fuit mutatum in lege veteri apud Patriarchas iuſtos & ſanctos. Non igitur illa polygamia plurium vxorum eſt contra vllum ius naturæ ſecundùm ſe ſumptum

ſumptum ac præciſum ab omni diuina inſtitutione.

Secundò, nulla oſtendi poteſt ratio naturalis cur polygamia ſit ex ſe ita mala, vt ex nulla circumſtantia poſſit fieri licita. Nam tametſi polygamia inducat communiter periculum diſcordiæ domeſticæ, & ſic aduerſetur pacificæ domus gubernationi, quam dicunt Doctores eſſe finem ſecundarium matrimonij; tamen ſæpe poteſt fieri, vt huius non ſit periculum, vt ſi vir valde prudens ſit, & mulieres pacificæ, & inter ſe amantes, & ipſæ cupiant eundem habere maritum. Præterea pax domeſtica non eſt finis etiam ſecundarius matrimonij, quia maior pax eſt in vita cælibe, quàm in matrimonio; ergo malè quis matrimonium contrahit, vt habeat maiorem pacem. Denique eſto ſit finis ſecundarius, & ſemper per polygamiam impediendus; adhuc tamen ſi aliàs, quia vxor eſt ſterilis, non poſſit obtineri generatio, vel non tanta atque eſſet hîc & nunc optanda, quod ſæpe fit, ſemper eo caſu erit licita polygamia: quia finis ſecundarius debet cedere primario, maximè ſi vir potens ſit multos filios honeſtè educare. *Vltimò*, non ex eo quod aliquid repugnet fini matrimonij, ſequitur quod ipſum irritet, ſat enim eſt vt id illicite fiat: ergo tametſi polygamia repugnaret fini matrimonij, inde ſolùm fieret illam illicite fieri, non verò inualidè. Patet exemplo: nam eadem inconuenientia, vel maiora nata ſunt ſequi ex matrimonio fidelis cum peruerſa hæretica, aut à fide apoſtata, quod quamuis communiter illicite, valide tamen contrahitur: & tamen lõgè magis hæc coniunctio repugnat bonæ prolis inſtitutioni, & paci domeſticæ, quàm polygamia: erit igitur iſta valida, præciſè ſpectata natura matrimonij ſecundùm ſe.

6 Dico *tertiò*, poſita Dei inſtitutione matrimonij, eſſe irritum iure naturæ matrimonium vnius viri cum vxoribus pluribus. In hoc ſenſu conuenio cum Doctoribus primæ ſentẽtiæ, diuerſo tamẽ innixus fundamento. Ad quod reuoco in memoriam quod oſtendi ſuprà *diſp.* 20. *ſect.* 1. *n.* 3. 4. 5. *&* 6. nos non habere proprium dominium noſtrorum corporum, ſed Deum; nos autem propriè ſolum eſſe vſuarios, atque ita non poſſe nos aliter vti, vel aliis vtendo poteſtatem concedere, quam prout Deus conceſſerit, qui poteſt omnem vſum concedere intrinſecè iuri naturæ non repugnantem. Hinc Deus poteſt iure concedere, vt nos ipſos, vel quemuis innocentem ſine vlla culpa occidamus. Sic Abraham filium ſuum occidiſſet, niſi fuiſſet ab Angelo impeditus. Et de facto quidam Martyres leguntur inſtinctu Spiritus ſancti ſe ita occidiſſe, vt Apollonia & alij. Hoc poſito probatur dictum, nam ſolus Deus habet proprium dominium abſolutum noſtrorum corporum, noſque ſolum eius vſum, quem ipſe nobis conceſſit, non omnino abſolutè, ſed cum certis limitationibus; ergo inualidè quis poteſtatem ſui corporis aliis aliter concedit, quàm quatenus & qua ratione Deus id illi conceſſit: atque ipſe Deus inſtituens matrimonium ab initio mundi, nulli conceſſit, vt aliter eam poteſtatem alteri concederet, quàm per inſolubile vnius cum vna vinculum; ergo inualidè, & contra ius naturæ id fiet aliter. Igitur omnis polygamia, poſita Dei inſtitutione, & illicita, & irrita eſt iure naturæ. Hinc

7 Dico *vltimò*, ante omnem diuinam legem prohibentem polygamiam, eſſe ipſam irritam & inualidam ex non conceſſione. Patet, quia ipſe Deus ſolus habet plenum dominium noſtrorum corporum; nec eo vti poſſumus abſque expreſſa eius conceſſione. Quare ſicut vt ego vt inualidè vẽdã palliũ Petri, non eſt opus, vt hic id prohibeat, ſed ſufficit, ne id concedat; ita cùm dominium corporum ſit Dei, & ſolùm conceſſerit poteſtatem vt tradatur vni, & non pluribus; traditio facta pluribus vt nulla ſit, ſat eſt, quòd Deus non concedat, vt de facto non concedit, reuocata ſaltem à tempore Chriſti licentia data antiquis. Ex quo fit, vt ſine vlla diſpenſatione in lege naturæ, potuerit Deus concedere antiquis libellum repudij, & polygamiam. Sicut potuit dare veniam Abrahamo, vt occideret innocentem filium. Et, vt dixi ſuprà *diſp.* 14. *ſect.* 6. *n.* 7. *&* 8. poſſet duos efficere veros coniuges etiam inuitos. Quare ex ſuppoſitione diuinæ conceſſionis pluralitas vxorum non eſt contra ius naturale; ſicut non eſt contra illud accipere ex diuina conceſſione bona aliàs alterius.

Ad argumenta primæ ſententiæ prout opponuntur noſtræ doctrinæ.

Ad primum, dico rectè probari pluralitatem vxo- 8
rum eſſe iure naturæ illicitam addita Dei inſtitutione, & nulli vnquam eam licuiſſe niſi ex diuina conceſſione, vt dicto *cap. gaudemus*, clarè exprimitur, & dicto tertio explicuimus.

Ad ſecundum, conſtat ſolutio ex ſecunda ratione adducta in fauorem tertij dicti.

Ad tertium dico optimè probare, quid fiat de facto poſita Dei inſtitutione, maximè poſt legem Euãgelicam, nam modò in matrimonio eſt mutua, & æqualis traditio, vtrinque in ſolidum: non autem probare id ex natura rei, ſeu iure naturæ neceſſariò fieri debere, ſecluſa omni diuina inſtitutione: nulla enim eſt ratio naturalis quæ conuincat eſſe de eſſentia matrimonij, vt vir det totam poteſtatem ſui corporis vxori, ſicut hæc dat totam poteſtatem ſui corporis viro; & non poſſit vir maximè conſentienti vxori dare tantum dimidiatam partem ſui corporis, & alteram medietatem alteri vxori: cùm ſufficienter daret poteſtatem, quantum ſobolis procreatio peteret.

Ad vltimum reſpondeo, eo argumento probari quoque nũquam licere vni coniugi ab altero abeſſe, nec ad remota loca negotiorum cauſa ſe transferre, nec eos mutuo conſenſu poſſe vouere continentiam, quia poſſet interim periclitari alterutrius continentia, & ſic euerti matrimonij finis. Quare reſpondeo tametſi matrimonium ſit inſtitutum poſt lapſum; vt coniuges data commoditate poſſent eo vti in remedium concupiſcentiæ; non tamen, vt quocumque loco, aut tempore poſſent eo vti, & multo minus vt teneantur eo vti; nec poſſint in hac re, vel in totum, vel ex parte iure ſuo cedere, vt faceret vxor, qua volente vir ſecundam duceret, ſicut etiam altera, quæ habenti vnam nuberet.

Ad primum ſecundæ ſententiæ, dico poſita Dei inſtitutione nulli concedentis poteſtatem ſe alteri tradendi niſi per inſolubile vnius cum vna vinculum, eſſe contra ius naturæ alteri nubere, & cedere iuri ſuo, vt ſatis explicatum eſt.

Ad ſecundum, dico priorem non fuiſſe legitimam vxorem ob impedimentum perpetuum, idque ſolum declaraſſe Pontificem.

Ad tertium diſpar eſt ratio: nam tunc poteſt quis iuri ſuo renunciare, quando nulla alia ratio prohibitionis adeſt, præter alterius præiudicium, vt contingit in negatione debiti. Secus verò vbi aliunde oritur prohibitio, vt contingit in caſu præſenti. nam plures habere vxores eſt illicitum iure naturæ, non ob iniuriam vxori illatam, ſed quia eſt contra diuinam inſtitutionem matrimonij ſtatuentem vt fiat ſolum vnius cum vna.

Ad tertiam ſententiam Sanchez fateor mihi eam non placere. *Primò*, quia vel illæ concluſiones deducuntur neceſſariò ex illis primis principiis, vel ſolùm per quandam congruentiam. Si primum dicatur, certè

tè non poterit diſpenſari in illis concluſionibus, ita vt deſinant obligare , quin diſpenſetur in illis primis principiis. Sicut in neceſſaria conſequentia , tametſi antecedens poſſit eſſe falſum vera exiſtente cõcluſione ; impoſſibile tamen eſt eam eneruari , niſi illud euertatur , & principium eius ; quia omnis falſitas, vel defectus in concluſione redundat in falſitatem, vel defectum principij , vt ſuppono ex Logica. Si dicatur ſecundum , non neceſſariò ſequi , ſed tantùm per quandam conuenientiam , tunc non obligabunt, niſi ſuperioris præceptum accedat ; quia etiam omnia quæ ſunt in conſilio , ſunt congruentia iuri naturæ.

Sectio III.

Vtrùm pluralitas vxorum ſimul reſpectu vnius viri fuerit valida & licita aliquibus, & quibus.

1 Dico *primò* communem & certam eſſe apud omnes Doctores ſententiam, polygamiam , ſeu pluralitatem vxorum ſimul fuiſſe validam & licitam antiquis Patriarchis ex diuina conceſſione. Id aſſerit Innocentius III. *cap. gaudemus , de diuortiis* , his verbis. Nec vlli vnquam licuit inſimul plures vxores habere , niſi cui fuit diuina reuelatione conceſſum : qui mos quandoque , interdum etiam fas cenſetur , per quem ſicut Iacob à mendacio , Iſraëlitæ à furto , & Samſon ab homicidio, ſic & Patriarchæ , & alij viri iuſti , qui plures leguntur ſimul habuiſſe vxores , ab adulterio excuſantur. Idem ſupponitur *Deuteronomij* 21. *cap* dum dicitur: *ſi habuerit homo vxores duas*. Quòd autem poſteriores vxores , aliquando in Scriptura vocentur concubinæ , non obeſt ; quia etiam vocantur vxores *Geneſ.* 16. *&* 25. Imò vnica vxor Leuitæ dicicitur concubina *Iudic.* 19. communiter verò in Scriptura dicuntur concubinæ , vxores , quæ tantùm aſſumebantur ad generationem , & non ad domus adminiſtrationem.

Obiicies Salomonem reprehendi 3. *Reg.* 11. quòd plures vxores adamauerit ; ergo tunc non fuit id à Deo conceſſum. Breuiter dico iure fuiſſe reprehenſum Salomonem , quia grauiter peccauit ; cæterùm Salomonis peccatum non fuiſſe quod plures mulieres tanquam vxores adamauerit , ſed quia alienæ religionis fœminis iunctus fuerit. Prohibita enim cum illis coniugia apud Hebræos fuiſſe lege diuina notum eſt.

2 Dico *ſecundo* , hac Dei conceſſione prædicta coniugia vnius cum pluribus vxoribus ſimul deſinere eſſe contra ius naturale. Hoc etiam eſt certum , quia deſinunt eſſe contra ius vxoris primæ. Nam Deus vt ſupremus Dominus corporum , poteſt viro concedere facultatem , vt validè, & abſque iniuſtitia in vxorem etiam tradat ſuum corpus aliis vxoribus , & vt tradat gubernationem domus ei , cui ſibi placuerit. Sicut etiam conceſſione diuina facta alicui , vt alterum occidat , aut vt eius bona accipiat, occiſio illius , & eius bonorum acceptio deſinit eſſe contra ius naturale , & deſinit eſſe iniuſta, quia Deus eſt ſupremus Dominus bonorum , corporum , & vitæ omnium.

Hinc colligo, quomodo verum ſit illud Theologorum axioma , ius naturæ indiſpenſabile eſſe , nec poſſe Deum in iure naturæ diſpenſare ; ipſum tamen poſſe vobis quædam concedere , quæ aliàs iuri naturæ repugnant , ſic enim potuit præcipere Abrahæ, vt filium ſuum occideret ; & Iſraëlitis , vt Ægyptios ſpoliarent , aut eiſdem permittere, vt Chananæis fœnerarentur. Ratio enim horum omnium eſt, quia cùm Deus ſit vitæ , bonorumque noſtrorum, ac corporum ſupremus Dominus, poteſt nobis inuitis , per ſe , vel alios, prout libuerit, & bona auferre , & cuiuis, quam voluerit , in ea concedere poteſtatẽ. Non ſecus quàm Petrus mihi poſſet concedere facultatem , vt pro mea voluntate poſſem ipſis oues mihi ſumere , eaſque in meum vſum occidere ; & tunc hoc faciendo, nec ego contra ius naturæ peccarem, nec Petrus in eo vllo modo diſpenſaret.

Dico *tertiò*, dictam diuinam conceſſionem de pluralitate vxorum , factam fuiſſe primis Patriarchis populi Dei pro ipſis , & pro toto populo Dei. Hoc vt valde probabile firmant Doctores. Ratio eſt , quia in toto populo Dei vſitata erat pluralitas vxorum ſimul, vt patet ex *Deuteronomij* 21. *cap.* & à nullo Propheta reprehenſa. Cauſa verò huius conceſſionis non alia fuit , niſi fidelis populi multiplicatio , ex quo Meſſias venturus erat. Quo autem pacto fuerit hæc conceſſio data illis Patriarchis & populo Dei: dicam, non fuiſſe conceſſam externa aliqua Scriptura , aut locutione , ſed inſpiratione , ac reuelatione interna facta ſanctiſſimis Patriarchis , quæ deriuata eſt ad reliquos ex populo Iſraëlitico , verbo , & vi exempli, & conſuetudinis. Abraham autem tempore rem fuiſſe omnino notam planum eſt, cum Sara ſanctiſſima fœmina Abrahamum induxerit ad ſecundam vxorem ducendam. Quare omnibus Iſraëlitis pluralitas vxorum licebat, quod tanquam notum ſupponitur *Deuteronomij* 20. ibi , *ſi habuerit homo duas vxores.* 3

Dico *quartò* hanc conceſſionem non fuiſſe factam populo Gentilium. Quare tametſi ea conſuetudo exemplo populi fidelis fuerit ad Gentiles extenſa, ſed non diuina conceſſio. Id iudicat probabilius Sanchez *diſput.* 80. 13. quia reſpectu Gentilium ratio conceſſionis non militabat: quia Deus ſoli populo ſuo , ex quo Meſſias oriturus erat , id conceſſit , vt ille populus tunc exiguus multiplicaretur , ſicut arena maris. Atque ideo pluralitas vxorum in Gentilibus erat nulla , & ex obiecto mala , & illicita , quamuis communiter Gentiles excuſarentur à culpa ob ignorantiam, & bonam fidem. 4

Dico *quintò* , prædictam conceſſionem ceſſaſſe iam ante Chriſtum eſſe probabile ; at ſublatam eſſe per Chriſtum certiſſimum eſſe. 5

Prima pars dicti admittitur à noſtro Cardinali Bellarmino *lib.* 1. *de matrimonio cap.* 11. *propoſit.* 5. Quia cauſa dictæ conceſſionis iam ceſſauerat vniuersè ante Chriſtum.

Secunda pars certiſſima eſt , quia dicta conceſſio populo fideli facta , reuocata fuit à Chriſto Domino *Matth.* 19. *cap.* reducente matrimonium ad ſuam primam , & naturalem inſtitutionem , quando dixit , eum qui dimiſſa vxore aliam duxit , mœchari, & eſſe adulterum. Prima autem inſtitutio polygamiã excludit , vt oſtendi ſuprà *ſect.* 1. *numer.* 1. vnde nulli fideli , quantumuis baptizato , licet habere plures vxores ſimul , vt contra Lutherum definit Tridentinum *ſeſſ.* 24. *can.* 2. addens id eſſe lege , ſeu iure diuino prohibitum. Neque infidelibus licita eſt modò polygamia , & dum infideles Baptiſma ſuſceperint , cogendi ſunt ad primam vxorem legitimam redire , & ſeparandi ſunt ab aliis matrimoniis prima viuente initis , tanquam ab omnino inualidis , & irritis. Quod expreſsè decidit Innocentius III. *cap. gaudemus* , *de diuortiis*. Quia lege naturali , adiuncta diuina inſtitutione , qua omnes etiam infideles aſtringuntur , id matrimonium erat irritum , & ex ſola Dei conceſſione ſpeciali valebat ; caſſata igitur ea conceſſione per Chriſtum , iam matrimonium illud manebit in terminis

minis iuris naturæ irritum. Quare irritum erit illud matrimonium reſpectu infidelium, non propter legem poſitiuam Chriſti Domini; ea enim non obligat infideles ante ſuſceptum Baptiſma; ſed propter ius naturale ac diuinam inſtitutionem primitiuam, ad quam, ſublata conceſſione per Chriſtum, reductum eſt matrimonium.

Sectio IV.

An Deus poſſit concedere, vt vna vxor pluribus viris nubat.

1 Noſter Cardinalis Bellarminus *lib. 1. de matrim. cap. 11.* poſt ſecundam propoſitionem negat id poſſe Deum concedere.

Primò, quia id videtur eſſe contra prima principia iuris naturæ, contra quę nihil poteſt concedere Deus, nec efficere.

Secundò quamuis pluralitas fœminarum reſpectu eiuſdem viri non repugnet fini primario matrimonij, nempe generationi, & educationi prolis, bene verò pluralitas virorũ reſpectu eiuſdem fœminæ; ergo licèt illud primum non ſit ſimpliciter repugnans eſſentiæ matrimonij, erit tamen ſecundum; atque adeò non eſt idem iudicium ferendum de pluribus viris, quod diximus eſſe de pluribus mulieribus. Antecedens probatur, quia commixtio plurium ſeminum virilium ferè ſemper impedit generationem, vt in meretricibus patet. Imò & educationem prolis, quia ſic ignoratur quis ſit verus pater ipſius.

2 Dico *primò* ſimpliciter & abſolutè loquendo multo minus conforme eſſe naturæ matrimonij, & magis ſecundùm quid ei repugnans pluralitatem virorum reſpectu vnius fœminæ, quàm pluralitatem fœminarum reſpectu vnius viri. Hoc omnes concedunt, & patet rationibus adductis. Cuius etiam à poſteriori euidens ſignum eſt, quòd nunquam Deus conceſſit, nec eſt ratio cur id concedere deberet in pluralitate virorum; cùm tamen id fecerit, ac conceſſerit in pluralitate fœminarum.

3 Dico *ſecundò*, pluralitatem maritorum ſimul cum vna vxore poſſe diuina virtute, ac conceſſione fieri validam & licitam. Ita ſentiunt Sanchez *diſp. 80. n. 15.* Coninchius *diſp. 16. dubio 2. n. 29.* Hurtado *diſput. 9. diffic. 2.* & alij. Probatur, quia non eſt Deo negandum niſi quod implicat contradictionem. At non implicat conſiſtere matrimonium inter vnam vxorem & plures viros. Patet. Tum quia præcipua ratio quæ ſumitur ex traditione corporis totali, vel partiali in ordine ad actus coniugij, eadem eſt tam de viris, quàm de fœminis. Si enim fœmina debet totaliter tradere corpus, pariter etiam & vir; & ſi hic poteſt ipſum corpus partialiter tradere, non eſt cur non etiam id poſſit fœmina, præſertim cùm in caſu quo fœmina ſe traderet quaſi partialiter pluribus viris, nempe ſolùm quatenus id eſſet neceſſarium ad aliquam prolis generationem, ipſi in hoc caſu ſolùm haberent poteſtatem in corpus talis fœminæ debito modo, & tempore, prout videlicet talis vſus matrimonij non impediret generationem, nec incertum redderet patrem: quod fieri poſſet, ſi per vnum annum, v. g. copularetur vni, & per alium alteri; qua ratione vitarentur incommoda ſuprà obiecta. Tum maximè, quia Deus vt ſupremus dominus corporum omnium, potuit concedere vxori facultatem, vt validè, & abſque iniuſtitia in maritum etiam tradat dominium ſui corporis aliis, & vt ab eis accipiat dominium corporum ipſorum, & vt reliqua neceſſaria ad complementum vinculi efficiat. Poteſt etiam Deus præuenire ne impediatur generatio prolis, atque eidem prouidere. Igitur non implicat ex ſe, vnde concedente Deo poſſit vtroque modo matrimonium conſiſtere. Ex dictis

Colligo *primò*, quàuis Deus potuerit, & poſſit cócedere facultaté ad pluralitaté vxorum cũ vno marito, & ad pluralitaté maritorum cum vna vxore, ob ſuum dominium ſupremum in omnia: Summum Pontificem tamen ad neutrum poſſe concedere facultatem. Quia vtraque eſt iure naturali adiuncta diuina inſtitutione illicita, & nulla: eſt etiam vtraque lege diuina Chriſti poſitiua ob veram Sacramenti ſignificationem interdicta: atque ideo nequit fieri niſi poteſtate extraordinaria à Deo peculiariter conceſſa, quam non conſtat eſſe in Papa. Vnde meritò *cap. gaudemus, de diuortiis* deciditur, numquam illud licuiſſe citra diuinam diſpenſationem, ſeu conceſſionem. 4

Colligo *ſecundò*, nulla conſuetudine effici poſſe licitam prædictam vxorum, vel virorum pluralitatem. Patet, quia conſuetudo nequit præualere aduerſus ius naturale & diuinum poſitiuum, ſed ſolùm contra humanum; vt conſtat ex *c. finali, de conſuetudine.* 5

Ad argumenta initio propoſita.

Ad primum dico falſum eſſe, illam vxorem, vel virorum pluralitatem eſſe contra prima iuris naturæ principia, vel eſſe contra aliquod ius neceſſariò repugnans rationi naturali; conſtat enim ex hac & præcedentibus ſectionibus, accedente diuina conceſſione illud eſſe licitum, & honeſtum.

Ad ſecundum, dico idem iudicium ferendum eſſe de pluribus viris ac pluribus vxoribus, quia, vt dixi, tranſlatio dominij, vel traditio corporis totalis, vel partialis in ordine ad actus coniugij, eadem eſt in viris, atque in fœminis; Deus etiam æquè eſt ſupremus dominus corporum omnium tàm virorum, ſiue mulierum, & æquè poſſet præuenire ne impediretur generatio prolis, & de eadem ſufficienter prouidere.

Sectio V.

Vtrùm pluralitas coniugum ſucceſſiuè ſit valida & licita: & qualiter conſtare debeat de prioris coniugis obitu, vt quis ad ſecundum matrimonium poſſit tranſire.

Circa primum, dico *primò* certum eſſe apud Catholicos, binam, trinam, quaternam, & quamlibet pluralitatem coniugum ſucceſſiuè eſſe validam & licitam. Conſtat id *primò* ex Paulo ad Rom. 7. *Quæ ſub viro eſt mulier, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Et 1. Corinth. 7. *Si dormierit vir eius, liberata eſt, cui vult nubat. Secundò* idem liquet ex vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine, imò & omnium nationum, ac gentium, & definitur in Concilio Florentino in Armenorum inſtructione. *Tertiò* ratione claret, quia morte vnius coniugis diſſoluitur vinculum, & obligatio à ſuperſtite, quia iam non eſt cui ſit obligatus; ergo poterit, cùm ſit iam liber ab obligatione, contrahere cum altero, quia ex priori matrimonio nullum relinquitur impedimentum; vt patet. Hinc dico ſecundò vlteriores nuptias prioribus diſſolutas eſſe verum Sacramentum in lege gratiæ: quia matrimonium legitimum in noua lege eſt Sacramentum, vt definit Tridentinum *ſeſſ. 24. de matr.* 1

cano-

canone 4. At ſecundæ & vlteriores nuptiæ primis diſſolutis initæ ſunt legitimum matrimonium nouæ legis, cùm ſupponamus perſonas eſſe legitimas,& eſſe inter illas expreſſiones conſenſuum,igitur ſunt ſacramentum. Et quamuis Eccleſia ſtatuit tranſeuntes ad ſecundas nuptias eſſe bigamos, & eos ab Ordinibus ſuſcipiendis expellat, non ideo id præſtat,quia à vera ſacramenti ratione deficiant, ſed quia ſecundo matrimonio deficit perfectâ ratio ſacramenti non ſacramenti propriè gratiam conferentis, quia hæc non deficit illis, ſed ſacramenti impropriè,id eſt,ſignificationis coniunctionis vnius Chriſti cum vna Eccleſia.

2 Dico *ſecundò* in ſecundis nuptiis ſi vterque, vel alter coniux in primis nuptiis benedictionem acceperit, non eſſe ſecundis nuptiis benedictionem impertiēdā, ſecus autem,ſi neuter coniux in primis nuptiis benedictionē acceperit,id conſtat ex *cap. vir, de ſecundis nuptiis*, ibi. Vir autem,vel mulier ad bigamiā tranſiens non debet à presbytero benedici. Quia cùm alia vice benedicti ſint,eorum benedictio iterari non debeat. Quæ ratio ponderanda eſt,ne iteretur benedictio, repetitione vileſcat;& neuter coniux abſque altero benedici valeat. Notat verò Sanchez *lib. 7. diſp. 82. n. 23.* conſuetudine ſeruari, vt ſemper conferatur benedictio ſecundis nuptiis, qualitercumque ſint ſecundæ, vbi alteruter coniux benedictionē non ſuſcepit, ſiue ſit vir, ſiue fœmina; atque adeò attenta conſuetudine hodierna,ſolam ſecundarum nuptiarum benedictionē interdici, quando vterque coniux illā ſuſceperat in alio coniugio. Cuius conſuetudinis ea eſt ratio, quia in eo euentu non cenſetur propriè ea benedictio iterari, cùm per ſe ſolum impendatur ratione coniugis nunquam benedicti. Notat etiā idem Sanchez *n. 26.* quando priores nuptiæ, in quibus vterque coniux benedictiones accepit, reperiuntur irritæ, adhuc non eſſe eas benedictiones repetēdas in poſterioribus. Ratio eſt,quia benedictio non propriè reſpicit nuptias, ſed perſonas: nec ſemel recepta amittitur.

3 Circa ſecundum, breuiter dico *primò*, requiri tantam certitudinem de alterius coniugis morte,vt poſſit quis ad alias nuptias tranſire,vel per certum nuntium, vel per teſtes vt iudicio prudentis,non tantùm probabilis,ſed certa iudicetur mors. Id conſtat ex *cap. in præſentia, de ſponſal.* vbi caſus in ſpecie eſt de quibuſdam viris qui erant in captiuitate, vel aliàs abſentes cauſa peregrinationis; vxores verò eorum expectauerunt illos per ſeptennium, & vltrà, nec poterant certificari de vita, vel de morte illorum, licèt ſuper hoc ſollicitudinem adhibuerint diligentem: & quia iuuenes erant, non poterant continere, & ideo petebant aliis matrimonio coniugari. Interrogatus de hoc ſummus Pontifex Clemens tertius, reſpondet, quòd quantumcumque annorum numero remaneant ita, viuentibus ſuis non poſſunt ad aliorum conſortium canonicè conuolare: nec auctoritate Eccleſiæ permittas contrahere,donec certum nuntium recipiant de morte virorum. Et ratio eſt manifeſta,quia in contrahendo ſecundo matrimonio, imminet periculum eius nullitatis, & adulterij, in abſtinendo verò nullum; ergo quandiu non eſt omnimoda certitudo mortis viri, abſtinendum eſt, vt peccandi vitetur periculum.

4 Dico *ſecundò*, per ſe loquendo,non ſufficere vnum teſtem affirmantem coniugis mortem, vt liceat alteri ad ſecundas nuptias tranſire. Ratio eſt, quia in dicto *cap. in præſentia*,dicitur, donec certum nuntium recipiant. Vbi ſi nuncium ſumatur neutrius generis, ita vt ſignificet *la nueua*; non poteſt dici nuncium certum,quod voce vnius habetur,cùm iura clament vocē vnius,eſſe vocē nullius. *l. iuriſiurādi, verſ. ſimili modo, C. de teſtibus, & c. veniens, de teſtibus, & atteſtationibus.* Si verò ſumatur maſculinè,o nuncius certus, dicto cap. nuncius certus eſt,qui nunciū certū affert,vt non poteſt dici afferre nunciū certū, quando ſolus ipſe id teſtatur. Quare in hac re integra & plena probatio deſideratur. Addo caſum quo coniux obierit in loco ita diſtanti,vt facile nequeant aliæ probationes haberi; in quo ſatis erit nuncius, & vnus teſtis, conſiderata qualitate perſonæ, & vt veriſimilia dicat. quod iudicis arbitrio eſt committendum.

Dico *tertiò*,ſolam famam non ſufficere,niſi aliis adminiculis adiuuetur. Ita communiter Doctores. Ratio 5 eſt, quia,vt dictū eſt,requiritur certa,& integra mortis probatio. At fama ſola nec certò, nec integrè probat, quia ſæpe oritur ab incerto auctore, & plerúque fallaci. Satis verò erit ſi aliis adminiculis iuuetur,quia tunc certa moraliter probatio dici poteſt. Adminicula verò quibus debet fama adiuuari, ſunt longitudo abſentiæ & vniuerſalis fama vbi coniux commorabatur, mortem eius conteſtans. Quæ omnia examinare, ad iudicem ſpectat.

Hic tractant nonnulli, maximè noſter Sanchez, de bigamia, de irregularitate ex illa contracta, & de aliis pœnis quibus ſecundo nuptiæ afficiuntur. Quæ quia nihil conducunt ad explicationē impedimenti ligaminis propoſiti,à nobis hoc loco omittuntur, remittentes ad tractatum de irregularitate, ex quibus ſpeciebus bigamiæ irregularitas oriatur, & à quibus perſonis prædicta irregularitas incurratur.

DISPVTATIO XXXVI.

De diſparitate cultus, matrimonium dirimente.

AD tria reducam capita, omnia quæ ad huius impedimēti ſpectant declarationē. *Primum* erit de matrimonio inter diſpares cultu aut fide. *Secundum*,de matrimonio inito inter ipſos infideles quoad eius valorē;& diſſolutionē per tranſitum alterius ad fidem. *Tertium* denique de facultate tunc conceſſa fideli tranſeundi ad aliud matrimonium, vel etiam ad religionem,aut Ordines ſacros; & ſimiliter de facultate ipſi infideli conceſſa.

SECTIO I.

An inter diſpares cultu, & Baptiſmo ſit irritum matrimonium, & quo iure.

CIrca primam ſectionis partem,per diſpares cultu 6 intelligo fidelem baptizatū & infidelē,ſiue Iudæum,ſiue Paganum. Circa quos

Dico *primò* certiſſimum eſſe apud omnes Doctores,non poſſe licitè contrahi matrimonium. Nam huiuſmodi coniugium in primis illicitum videtur iure ipſo naturali. Dum ob periculum peruerſionis, cui ſe exponit fidelis manifeſtè: qui autē amat periculū, peribit in illo. Tū ob malam prolis educationem. Tum denique propter graues, quæ oriuntur,diſſenſiones. Quibus adde viro exiſtente infideli, facillimè impediri exercitia,ad quæ tenetur fidelis vxor. Iure etiā diuino poſitiuo in lege veteri prohibitum fuit connubium Iſraelitarum cum infidelibus in ſua infidelitate manentibus; vt habetur *Exod. 34.* ratione periculi, ne ſcilicet poſtquam fornicatæ fuerint, id eſt, Idolis ſacrificauerint,fornicari vos faciant. *Et 3. Regum. 11. c.* vbi

vbi idem præceptum reperitur, addit Dominus; *certiſſimè auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos alienos.* & quamuis de ſolis Chananæis, ad omnes tamen infideles vniuerſim extenſa fuit prohibitio. Præterea extat in noua lege gratiæ diuinum de eo præceptum apud Paulum 2. Cor. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* Quæ verba S. Hieronymus *lib. 1. contra Iouinianum*, accipit de matrimonio cum infidelibus cauendo, ne ſenſim fideles inclinentur ad eorum infidelitatem & vitia. Et quamuis prædicta verba intelligantur de vitando infidelium commercio; inde etiam vrgens deſumitur argumentum; nam ſi ipſum commercium prohibetur, ne contagione ſua fidelis pereat; multo magis abiicienda connubia, in quibus cum illecebris voluptatis ſerpunt doctrinæ peſtiferę; & ſeſe animis tantùm inſinuabunt periculoſius, quanto dulcius. Idem firmatur verbis illis 1. Cor. 7. *ſi dormierit vir eius*, (id eſt, mortuus ſit) *cui vult nubat, nubat tantùm in Domino*; id eſt, in Chriſtianiſmo; ſeu nubat viro probo & Chriſtiano. Ita Ambroſius, Theodoretus, Theoph. Anſelmus, Sedulius, D. Th. *ibi* & Auguſtinus 1. *de adulter. coniug. c. 21.* & Tertullianus *lib. 1. ad vxorem.* Hinc autem Eccleſia poſtea omnino vetuit ob periculum peruerſionis, & ob indecentiam, matrimonium Chriſtiani cum Pagana; vnde matrimonium fidelis cum infideli iure Eccleſiaſtico eſt prohibitum. It conſtat ex Concilio Chalcedonenſi *c. 13.* Laodiceno *c. 10. & 31* Carthagienſi III. *c. 12.* & aliis quæ tradit Baſilius Ponce *lib. 7. c. 46. n. 4 & 6.*

2 Dico *ſecundò* matrimoniũ fidelis cum infideli nõ baptizato, tametſi ſit omnino prohibitũ, non eſſe tamen irritum iure naturali. Ita communis Doctorum ſententia. Et patet exemplis. Nam Eſther nupſit Aſſuero Regi infideli in infidelitate manenti. Itẽ S. Monica virũ habuit Paganum, teſte Auguſtino *lib. 9. cõf. cap. 9.* S. Clotildis nupſit Clodoueo Regi Francorum Ethnico, teſte Gregorio Turonenſi *lib. 2. c. 28.* Et ratio eſt, quia cultûs diſparitas non omnino ac directè opponitur fini matrimonij, ita vt contra ſubſtãtiam eius eſſe dicatur. Neque enim pugnat cum indiuidua vitæ ſocietate, cùm fieri poſſit, vt nec diſcordię, nec diſſenſiones oriantur, aut rarò. Neque etiam impedit matrimonij finẽ, hoc eſt, filiorum procreationẽ, & educationem, quia licet difficile, poſſet tamen rectè in pia religione proles inſtitui. Vnde quamuis perſonæ contrahentes aliquando non expediãt ad prolem bène educandam, non ſufficit, vt matrimonium inter eas ſit ex natura rei nullum; quia quando id contingit, prouenit per accidens ex malitia perſonæ infidelis: aliàs etiam eſſet nullum inter perſonas infideles ex natura rei, quia iſtæ potiùs conuenient ad malam prolis educationem. Non eſt igitur fundamentum aliquod, vt dicamus, matrimonium cum infideli irritum eſſe iure naturali: erit quidem illicitum ex natura rei, quando eſt probabile periculum malæ educationis prolis, aut deſertionis fidei in perſona fideli, ſed non erit irritum. Firmatur, nam matrimoniũ perſonæ fidelis cum hæretica, ferè eadem incommoda affert contra matrimonij finem, ac fidelis cum infideli; aduerſatur enim bonæ prolis educationi, mutuæ coniugum tranquillitati ac paci, eſtque non leue periculum peruertendi fidelem; & tamen nullus dicit hoc matrimonium eſſe iure naturæ irritum; ergo.

3 Dico *tertiò*, neque id matrimonium irritum eſſe iure diuino poſitiuo. Ita communiter Doctores quos refert & ſequitur Sanchez *diſp. 71. n. 7.* Ratio eſt, quia de eo iure diuino non conſtat neque in lege veteri, neque in noua lege gratiæ: nam teſtimonia relata ſuprà *n. 1.* ſolùm probant id matrimonium iure diuino eſſe prohibitũ; in illis tamen nulla de eius irritatione mẽtio fit. Ex alio capite ſtat matrimonium iure naturali, vel poſitiuo prohiberi, & non eſſe irritum eo iure, nã matrimonium contra priorem ſponſalium fidem, vel aduerſus ſimplex caſtitatis votum emiſſum in ſęculo, eſt prohibitũ iure naturali dictante fidem homini per ſponſalia datam eſſe præſtandã, & iuri diuino eſſe Deo ſoluendam, fidem; & tamen conſtat in neutro euentu matrimonium eſſe irritum. Quod etiam tetigi ſuprà *diſp. 28. ſect. 3.* Firmatur in ſpecie: nam in lege veteri, non inuenitur teſtimonium aliquod irritans, niſi *Eſdræ 1. c. 9 & 10.* vbi Eſdra interpretãte legẽ Domini, in Deuteronomio latam, ſeparati ſunt Hebræi à coniugibus infidelibus, quas duxerant. At id præceptũ quatenus irritans prædicta matrimonia iudiciale fuit, & conſequenter morte Chriſti expirauit. Quòd fuerit iudiciale, liquet ex eo, quia cum ſolis infidelibus incolis terræ Chanaam coniugia interdicta fuere. Vnde cùm *Eſdræ 1. c. 9.* numerantur Ægyptij inter eos infideles, ſermo eſt de ægyptiis eiuſdem terræ Chanaam incolis, vt notauit rectè Caietanus. In noua verò lege gratiæ idem conſtat. Quia generaliter in lege gratiæ nullum ius diuinum purè poſitiuum agnoſcitur. Tum quia nullus eſt locus Scripturæ ſacræ in nouo Teſtamento, in quo ea irritatio contineatur. Tũ etiã, quia, vt dixi ſupra *diſp. 31. ſect. 6. n. 1.* in lege gratię nullum ius diuinum purè poſitiuum agnoſcitur, præterquam fidei, & Sacramentorum. Cùm ergo præceptum hoc non pertineat ad fidem, vel ad Sacramenta ſuſcipienda, ſed ad contractum naturalem à Chriſto eleuatum ad Sacramenti rationem ritè celebrandam, ſi naturale nõ eſt, vt probaui, nec diuinum poſitiuum erit. Non enim Chriſtus Dominus in matrimonio aliquid immutauit, quod ad ius naturæ pertineret, ſed tantùm id, quòd contractus quidam naturalis erat, eleuauit ad eſſe Sacramenti.

Dico *vltimò* matrimonium fidelis cum infideli, eſſe ſolo iure Eccleſiaſtico irritum. Ita communiter Doctores, & ſequitur ex præcedentibus dictis. Quia verò clarè non conſtat de iure aliquo ſcripto; dicendum eſt, id patere ex receptiſſimo, & antiquiſſimo Eccleſiæ vſu vim legis obtinente, & ex Apoſtolorum traditione. Vnde Pontifex in eo diſpẽſare poteſt, quia in omni iure Eccleſiaſtico poteſt diſpenſare. Obiicies contra tertium dictum, eo ipſo quòd Chriſtus matrimonium perſonę baptizatæ inſtituit in Sacramẽtum, videtur irritaſſe matrimoniũ illius cum infideli; quia tale matrimoniũ adhuc ex parte perſonę baptizatę nequit eſſe Sacramentum, quia ratio Sacramenti tantùm conuenit toti matrimonio, quod in vtroque contrahente reperitur, & non in vno ſolo. Firmatur, quia aliàs Eccleſia non poſſet irritare matrimonium fidelis cum infideli, vtpote, quę in hunc nullam habet facultatem. Reſpondeo, Chriſtum non inſtituiſſe in Sacramentum matrimonium perſonæ baptizatæ adhuc vt partem Sacramenti, niſi quando etiã eſt cum altera baptizata, quamuis non poſſet fieri Sacramentum: quia etiam matrimonium inter baptizatos poteſt validè fieri, quamuis non fiat Sacramentum, vt oſtendi ſuprà *diſput.. ſect..* Quare dictũ matrimonium tametſi irritũ ſit in ratione Sacramenti, quia nequit diuino iure cõſiſtere niſi inter duos fideles baptizatos: non tamẽ erit inualidũ in ratione contractus naturalis, attento ſolo iure diuino, ſed ſolo iure Eccleſiaſtico. Ad confirmationem negatur ſequela. Nam ſatis eſt Eccleſiam habere poteſtatem in perſonã fidelem baptizatam, vt poſſit eius matrimonium cum infideli irritare; quia cum matrimonium neceſſariò exigat duos contrahentes habiles, eo ipſo, quod Eccleſia reddit 4

inhabilem fidelem vt cum infideli contrahat, corruit omnino matrimonium, quod nequit claudicare.

5 Circa fidelem baptizatum, & fidelem non baptizatum adhuc Catechumenum, qui non ſunt diſpares cultu, ſed ſolo Baptiſmo. Ratio dubitandi ſumi poteſt

Primò ex quodam decreto Concilij Chalcedonenſis *cap.* 14. vbi permittitur contractus fidelis cum infideli ſpondente ſe fidem recepturum.

Secundò, valet matrimonium Catholici cum fictè baptizata; ergo & Catholici cum Catechumena.

Tertiò, valet quoque matrimonium, ſi hæreticus, vel apoſtata cum infideli contrahat; ergo multo magis ſi fidelis cum Catechumena ineat.

6 Certiſſimum tamen eſt apud Theologos, inter perſonas baptizatam, & Catechumenam, eſſe irritum matrimonium. Ita expreſsè deciditur *cap. caue.* 28. *q.* 1. ex Concilio Agathenſi, vbi agens de nubentibus ſic ait. Si Chriſtiana ſit, non eſt ſatis: niſi ambo initiati ſitis Sacramento Baptiſmatis. Vbi Gloſſa, verbo, *ſi Chriſtiana*, explicat, id eſt, catechizata. Et ratio eſt, quia Catechumena quamuis fidem teneat, & in gratia conſtituta eſſe poſſit, caret tamen Baptiſmo, qui eſt ianua Sacramentorum.

Ad primum argumentum oppoſitum dico, loqui Concilium non de matrimonij cõtractu, ſed de ſponſalibus de futuro, ſub ea conditione cum infideli initis, ſi conuertatur ad fidem, quæ impleta cõditione ſunt vera ſponſalia. Ratio eſt, quia tametſi illi inhabiles ſint ad contrahendum ante impletam conditioné, non tamen ad contrahendum tempore impletæ conditionis; quia ea eſt conditionis natura, vt ſuſpendat actum, & eius abſolutam obligationem, in tẽpus impletæ conditionis. Sicut, licèt inſtitutio vt valida ſit, debeat eſſe hominis capacis, nihilominus tamen valet inſtitutio ſpurij facta ſub conditione, ſi Princeps eum legitimauerit; quia licet ſpurius ſit incapax tempore inſtitutionis, at conditio illam ſuſpendit, vt non cenſeatur ex tunc facta, ſed à tempore impletæ conditionis, quo iam eſt capax.

Ad ſecundum, negatur antecedens. Cùm enim ea ſit reuera infidelis, vtpote quæ à parte rei & coram Deo non ſuſcepit verum Baptiſma, nequit fideli validè nubere.

Ad tertium ſimiliter antecedens negatur; quia hæreticus, & apoſtata tanquam verè baptizati, ſubdũtur legibus Eccleſiæ matrimonium illud irritantibus.

Sectio II.

An matrimonium perſonæ fidelis baptizatæ cum hæretica, vel apoſtata à fide, ſit validum, vel ſaltem prohibitum.

SVnt nonnulli qui partem negantem defendunt, ex ſexta Synodo Generali *canone* 72. aſſerente, matrimonium Orthodoxi cum hæretica & Orthodoxæ cum hæretico eſſe irritum, ac diſſoluendum.

1 Dico *primò*, certum eſſe apud Doctores, ſponſalia inita inter perſonam catholicã, & hæreticam, vel Apoſtatã, vel Atheiſtã eſſe prorſus irrita, ac nulla. Ratio eſt aperta, quia promiſſio illa eſt de re turpi, ac omnino illicita; ergo nullam ſpõſalium obligationem inducere poteſt. Firmo, quia virtus iuſtitiæ nequit obligare ad actum qui ſine peccato impleri non poteſt, at contrahere catholicum cum hæretica, v. g. eſt apertè lethalis culpa, eo ſenſu quo id ſtatim probabitur; ergo. Et quidem regula generalis eſt à Theologis adducta, iure naturæ irritas eſſe omnes promiſſiones, quarum impletio eſt illicita, quia nemo poteſt obligari ad peccatum; hoc enim contradictionem implicat manifeſtam.

Dico *ſecundò*, matrimonium eiuſmodi Catholici cum hæretica, vel hæretici cum Catholica ratum & validũ eſſe. Ita omnes. Id videtur ſupponi *in cap. decreuit. de hæreticis in* 6. dum ibi decernitur, vxores quæ ſcienter hæreticis nupſere, priuandas eſſe dote in pœnam delicti, & non iubentur ſeparari. Et ratio eſt manifeſta, quia id nullo iure irritatur, non naturali, nec diuino, vt iam conſtat: neque iure Eccleſiaſtico ſcripto, quia nullum extat. Supradictus autem *Canon* 72. in quo irritum dicitur, nullius eſt auctoritatis, quia non fuit editus à ſexta Synodo, ſed poſt ipſam diſſolutam, editus fuit à nonnullis Epiſcopis, cum multis aliis Canonibus, quos Trullanos appellant, eo quòd apud Trullum palatium regium editi ſint. Videatur de hac re Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 28. *num.* 7. id eruditè declarans. Denique nec tale matrimonium irritatur iure aliquo Eccleſiaſtico quod conſuetudine ſit introductum, aut eſſe conſtet: quia non fuit Eccleſiæ in vſu, ſed potiùs oppoſitum, vt notant ferè omnes antiqui & recentiores; cùm contrarium nemine dubitante, dicant de matrimonio fidelis cum infideli non baptizato. Et eſt diuerſiſſima ratio: nam ſi vterque ſit baptizatus, & ſi alter ſit hæreticus, vel etiam apoſtata, ideo valet matrimonium, quia inter hos poteſt conſiſtere Sacramentum quod ſolùm petit paritatem Baptiſmi ſuſcepti ab ipſis contrahentibus, quamuis in fidei profeſſione diſparitas ſit. Eccleſia autem ideo matrimonium fidelis cum fideli non baptizato irritauit, quia nequit eſſe Sacramentum inter illos; & omnino dedecet fidelem inire matrimonium quod non ſit Sacramentum. Quibus addo conuenientiam non contemnendam validitatis matrimonij inter fidelem & alterum hæreticum. Quia aliàs ſummè fuiſſent perplexa Catholicorum connubia, quia plurimi ſunt occultè hæretici, vel etiam athei, qui credũtur catholici. 2

Dico *tertio*, matrimonium fidelis cum perſona hæretica, vel apoſtata, eſſe illicitum, & graue peccatum. 3 Ita communiter omnes. Ratio eſt, quia eſt prohibitum iure naturali, & etiã iure poſitiuo Eccleſiaſtico. *Primũ* patet, quia tale matrimonium eſt contra rectam prolis educationem, & contra pacificam coniugum cohabitationem. *Secundum* liquet ex Concilio Generali Chalcedonenſi *can.* 13. & ex Agathẽſi *c.* 67. quod refertur *c. non oportet* 28 *q* 1. vbi ſic dicitur. Non oportet cum hominibus hæreticis miſcere connubia, & vel filios, vel filias dare. Certè propter periculum fidei imminens coniugi catholico, vel certe proli.

Aliqui temperant hoc præceptum, niſi eſſet ſpes certa conuerſionis. Sed mihi diſplicet, quia durat præceptum, quamdiu perſona hæretica non redit ad fidem; poſſet enim facillimo negotio inito matrimonio non conuerti.

Dico *quarto*, ceſſante omni coniugis & prolium periculo in aliquo euctu particulari, tametſi ceſſaret prohibitio iuris naturalis, ſed non prohibitio legis Eccleſiaſticæ poſitiuę. Ita rectè notauit Coninchius *diſp.* 31. *dub.* 3. *n.* 44. fundamentũ eſt, quia, vt tradũt Doctores cõmuniter in materia de legibus ceſsãte ratione legis in particulari ceſſat ius naturę, nõ tamẽ poſitiuũ. Quia in lege poſitiua ratio immediata obligãdi eſt voluntas rationalis legiſlatoris, quæ non deſinit eſſe, tametſi in particulari caſu deſinat prima ratio, ob quam ille legẽ tulit. Cuius ratio eſt, quia etſi primum motiuum cur legiſlator aliquam actionem prohibeat, ſit periculum mali, quod inde natum eſt ſequi; proxima tamen ratio prohibitionis eſt dirigere communi- 4

tatem

tatem in euitatione illius mali. Vnde neceſſariò eam actionem prohibet, non ſolùm in caſu, in quo hic & nunc eſt periculum illius mali, ſed generaliter etiam, vbi in particulari nullum tale periculum eſt: quia aliàs maxima hominum pars, vel ex imprudentia, vel ex temeritate ſibi perſuaderet, ſibi hic & nunc tale periculum non imminere, etiam vbi maximè immineret: quam imprudentiam dirigere, & temeritatem refrænare immediatè intendit lex poſitiua: ac proinde quando illud periculum in generali manet, nunquam tota ratio & motiuum legis poſitiuæ omnino ceſſat, & conſequenter nec obligatio legis. At in lege naturæ, cùm tota ratio obligandi, & motiuum illius ſit neceſſaria conuenientia, vel diſconuenientia obiecti cum natura rationali, ſi id omnino ceſſat hic & nunc, ceſſat tota ratio legis naturalis & omnis obligatio. Patet hic exemplo; in lectione librorum hæreticorum, quæ lege poſitiua & etiam naturali probibita eſt, propter periculum fidei. Nam lex poſitiua generatim obligat, etiam iis, quibus tale periculũ non imminet: ſpectato tamen ſolo iure naturæ, quoties periculum abeſt, illa lectio licita eſt. Vnde ſi nullum eſſet ius poſitiuum Eccleſiæ illud probibens, qui moraliter certus eſſet, nullum hic & nunc inde imminere mali periculum, licitè libros hæreticos legeret, ſicut licitè id faciunt, cum quibus eſt diſpenſatum. Ita ſimiliter dico in matrimonio fidelis cum perſona hæretica, etiamſi ceſſet omne periculum fidei, tam in coniuge, quàm in prolibus; non ceſſat prohibitio legis Eccleſiaſticæ poſitiuæ, tametſi ceſſet probibitio iuris ac legis naturalis.

5 Quæret aliquis, an licitè Catholici cum hæreticis contrahant matrimonium in locis, vbi permixti habitant, vt in Germania, Gallia, Polonia, affirmant Sanchez *diſp. 72. n. 5.* ſi omne ſecludatur periculum peruerſionis & malæ educationis prolis. Probat, quia ea coniugia ineuntur inſtar aliorum contractuum ciuilium ob amicitiæ leges, & ad communem pacem, & Reipublicæ tranquillitatem tuendam.

Noſter Ægidius Coninch non audet id generatim dicere. Tum, quia in praxi vix eiuſmodi pericula omnino ceſſant. Tum quia conſtat Catholicos ex huiuſmodi matrimoniis ſcandalizari, ſaltem quando hæreticus ſe gerit pro tali, & palàm talis noſcitur. Quare illud ſolum affirmat eſſe cõcedendum, quando etiam omne ſcandalum ceſſaret, & eſſet notabilis cauſa aliqua ita contrahendi, & præſertim quando hæreticus ſe gereret pro Catholico, aut crederetur conuertendus.

Ego verò ſentio prædicta coniugia licita eſſe in illis Prouinciis, vbi fuerit ita conſuetudine receptum; quia ius poſitiuum Eccleſiæ prohibens illa connubia, & conſuetudine vniuerſali introductum, ceſſat omnino per contrarium vſum iam inductum derogans illud, vnde & ceſſabit quoque eius prohibitio, & cõſequenter ceſſabit etiã omne ſcandalũ. Hoc intellige, vbi fuerit id conſuetudine ſcita, & tolerata à Romano Pontifice receptum; tunc enim tuta conſcientia fieri poteſt; nam conſuetudo moribus vtentium ſic recepta vim habet contra leges & Canones Eccleſiæ. Quòd ſi in aliqua ex illis Prouinciis ciuitate, non fuerit ita conſuetudine introductum, ac receptum, vigebit præceptum Eccleſiæ matrimonia prædicta meritò prohibens, ac illicitum reddens.

6 De pactis verò, quæ in iſtis coniugiis quandoque ineuntur, vt quidam ex filiis naſcituris fidei catholicæ, alij autem hæreſi adhæreãt, certum eſt eſſe proſus impia, & irrita, tum contra ius Eccleſiaſticum, tum contra ius diuinum. Nam Eccleſia conſtituit, vt ex alterutro parente catholico ſuſcepta proles catholicæ Religionis ſacris initietur. *c. ex litteris, de conuerſ. infidelium, c. Iudæi. 28. q. 1.* Pugnant verò eum iure diuino eiuſmodi pacta, quoniam paruolis vſu rationis carentibus cura parentum miniſtrare & præbere debet remedia ad ſalutem neceſſaria; atque ideo filij paruuli inſtituendi ſunt in fide, & religione catholica, vt in ea ſalui fieri queant.

Dico *vltimò*, poſſe Papam diſpenſare, vt fidelis cum hæretico contrahat, ſicut vt & fidelis eum infideli non baptizato contrahat. Hoc eſt certum, quia Pontifex diſpenſare poteſt in omni iure Eccleſiaſtico, quo attento matrimonium cum hæretico illicitũ eſt, & illud aliud cum infideli eſt irritum. Quòd ſi Pontifex diſpenſet ex iuſtiſſima cauſa, vt ſi hæreticus, vel infidelis eſſet potens, & ſperaretur eius conuerſio, & publicum ſubditorum bonum ſpirituale, nec immineret periculũ prolibus, quia paratus eſſet permittere, vt catholicè educarentur; quo caſu illud matrimoniũ deſineret iuri naturæ repugnare, tũc certè talis diſpẽſatio non ſolùm eſſet valida, ſed licita, & omni prorſus culpa vacans. At ſi diſpenſaret Pontifex ſine vlla iuſta cauſa; ea diſpenſatio non excuſaret contrahentes à peccato mortali contra ius naturæ, at efficeret validum matrimonium, vtpote quod ſolo iure Eccleſiaſtico irritetur. Vnde iſtud matrimonium valeret, ſed illicitè contraheretur, quatenus iure naturæ eſt illicitum. Sicut ſi Pontifex diſpenſaret abſque legitima cauſa, vt ſacerdos vxorem duceret, valeret matrimonium, quod ſolo iure Eccleſiaſtico erat irritum; at peccaret mortaliter ſacerdos contra votum caſtitatis, quod iure naturali diuino impedit matrimonium. 7

Sectio III.

An liceat coniugi iam ad fidem conuerſo, cohabitare cum altero renuente conuerti.

SVppono *primò* quòd eſt certum inter infideles verum eſſe ac legitimum matrimonium, id definitur *cap. de infidelibus, de conſanguinitate & cap. quanto, & cap. gaudemus, de diuortus.* Et conſtat ex illis verbis Pauli 1. *Cor.* 7 12. Ego dico, non Dominus, ſi quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum. At id nefas eſſet, niſi tempore infidelitatis verum contraheretur matrimonium. Et ratio eſt manifeſta, quia matrimonium non tantùm eſt ſacramentum, ſed eſt quidam contractus naturalis; ergo licèt inter ipſos nequeat conſiſtere matrimonium quatenus eſt ſacramentum, vtpote qui tanquam non baptizati ſunt ſacramenti incapaces, poteſt tamen quatenus eſt contractus naturalis, inſtar aliorum contractuum. 1

Suppono *ſecundò*, tunc eſſe validum ac legitimum infidelium matrimonium, quando non adeſt in ipſorum matrimonio impedimẽtum iure naturæ dirimẽs, quãuis dirimat iure Canonico, vt expreſsè habetur *cap. gaudemus, de diuortiis*; quia ipſi conſtitutionibus, & legibus Eccleſiaſticis minimè arctantur: erit tamen irritũ ſi cõtra leges ipſorũ irritãtes matrimoniũ ineatur, vt cõſtat ex dictis ſuprà *diſp. 21. ſect. 5. num. 1. & 2.* 2

Ex quo infero, infideles qui repudiata legitima vxore aliam duxere, ſi ad fidem conuertantur, cogendos eſſe à matrimonio poſteriori tanquam irrito, recedere, & ad prius redire, vt expreſsè deciditur *cap. gaudemus, in fine, de diuortiis.*

3 Suppono *tertiò*, quod eſt certiſſimum, non eo ipſo quòd alter ex coniugibus infidelibus ad fidem cõuertitur, altero manente in infidelitate, diſſolui coniugiũ. Ita cõſtat ex loco citato 1. *Cor.* 7. vbi D. Paulus cõſulit fideli, ne ab infideli diuertat, ſi infidelis habitationem admittat. Cùm per Sacramentũ Baptiſmi non ſoluantur coniugia, ſed crimina dimittantur, vt dicit Innocẽtius III. *c. gaudemus, de diuort.* & ratio eſt, quia matrimonium iure naturæ conſiſtit inter infideles; & ipſa fidei profeſſio nec naturam, nec eius iura è medio tollit.

His poſitis, vt præſenti quæſtioni ſatisfiat, duo ſunt explicanda. *Primum*, an tempore primitiuæ Eccleſiæ integrum eſſet coniugi ad fidem conuerſo diuertere ab alio infideli renuente conuerti. *Secundum*, an poſt tempus primitiuæ Eccleſiæ, & nunc modò de præſẽti liceat fideli cum infideli nolente conuerti habitare. Vtrumque intelligitur ſi non ſubſit animæ, ac ſalutis ſpiritualis periculum.

4 Circa primum, ſentit Baſilius Ponce *lib. 7. c. 48. n. 6.* primis illis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus, non tantùm licuiſſe cohabitationem fidelis conuerſi cum infideli non conuerſo, ſed etiam fuiſſe in præcepto, ſecluſo periculo fidei. Probat, verbis illis Pauli: *Ego dico, non Dominus. Si quis frater*, &c. Quibus, non pauci Patres aſſeuerant fuiſſe præceptum impoſitũ non à Domino, ſed ab Apoſtolo, pro tempore illo, quo frequẽtes erant infidelium conuerſiones. Firmat, iuſtiſſimè eo tempore tale præceptum fuiſſe impoſitum, vt faciliùs & infidelis viri, vel vxoris, fidelis conſortio ad veram religionem alliceretur; & ne etiam moleſtè ferrent ſe ab vxoribus, vel coniugibus dilectis deſeri, ac ita à capeſſenda catholica diſciplina reuocarentur, vel ſaltem retardarentur.

5 Contrarium defendit Sanchez *diſp. 63. n. 7.* cum D. Th. *in 4. diſt. 39. q. vnica art. 3. & 4.* & probat ex eodem loco D. Pauli. Si enim illud Dominus non præcepit, non eſt credendũ D. Paulum voluiſſe tam graue onus imponere infideli, qui ad fidem conuertitur, cùm Chriſtus id onus non impoſuerit.

6 Huic doctrinæ magis inclino. Nam in primis ex eo loco D. Pauli obſcurè elicitur ſentẽtia contraria. Nam illorum verborum, *ego dico, non Dominus*, id eſt, Chriſtus, ſenſus eſt. Quamuis Chriſtus hac de re nihil ſtatuerit, ſed permiſit ſtatuẽdum Apoſtolis & Eccleſiæ, pro varietate temporum; nũc ipſe dico & cõſulo pro præſenti tempore, vt fidelis vxorem infidelem non dimittat, & è cõtra, quia eam dimitti non expedit ſaluti proliũ, & cõiugis infidelis, ſi illa conſentit, videlicet ſine contumelia creatoris, & fidei fideli cohabitare Eſt verò notandum infidelitatem tempore S. Pauli nec fuiſſe impedimentum dirimens matrimonium cum fideli contractũ, nec impediens contrahendũ, aut cõtractum, ſi fideli non erat periculum peruerſionis, ſed infidelis conſentire cum fideli manente fideli pacificè habitare, vt *loco citato* docet Apoſtolus. Firmat Paulus conuenientiam ſui conſilij, ſtatim dicens; ſanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem. Quaſi dicat, ait noſter Cornelius à Lapide, matrimonium iſtud & coniunctio ſancta eſt, vnde nõ profanatur, nec polluitur fidelis per contactum infidelis, ſed potiùs infidelis morali quadam denominatione, & quaſi ſanctitatis aſpergine, inquit Anſelmus, inde ſanctificatur. Tum, quia maritus eſt Sanctæ, id eſt, fidelis coniugis. Tum maximè, quia eam in fide ſua non impediendo, & beneuolè cum ea viuendo, quaſi viam ſternet ſibi, vt per preces, merita, verba, & exempla fidelis coniugis, conuertatur & ipſe, fiatque ſanctus. Sicut Sancta Cæcilia maritum ſuum Valerianum conuertit; Theodota, Siſinnium; Clotildis, Clodouęum. Non ergo fuit præceptum cohabitandi, ſed tantùm cõſilium. Hinc

7 Colligo *primò*, fidelem habitantẽ cum cõiuge infideli, non teneri ei reddere debitũ. Quia cùm in fauorẽ fidei coniux fidelis non ſit aſtrictus coniugi infideli tam arcta vitæ conſuetudine, ac eſt coniugalis, atque adeò gaudeat eo priuilegio in fauorem fidei, vt nimirum ſolutus ſit à vinculo ſeruitutis coniugalis quoad thorum, & cohabitationem, quamuis conuerſus ad fidem copulam habuerit cum ea; nunquam conſtringitur reddere debitum, ſicut nec cohabitare, dum alter in ſua perſiſtit infidelitate.

8 Colligo *ſecundo*, infidelem qui non conuertitur vnà cum altero coniuge ad fidem conuerſo, peccare in legem matrimonij. Quia ius ipſum diuinum ſuſcipiendi Baptiſmum, quod omnes obligat, aſtringit in hoc euentu infidelem illum peculiari ratione matrimonij. Cùm enim lex matrimonij liget illum, vt ſequatur coniugem conuerſum, & ne præbeat illi iuſtam diuortij cauſam, obligat ſubinde vt fidem ſuſcipiat, quod ad id neceſſarium eſt.

9 Colligo *tertiò*, ſolùm licere fideli cohabitare cum infideli, quando non eſt ita obſtinatus, quin aliqua conuerſionis eius ſpes ſuperſit. Nam ſi infidelis ita obſtinatus eſt, vt eius conuerſionis nulla ſpes probabilis ſubſit, tenebitur fidelis recedere. Quia ex tali cohabitatione nullus fructus ſperatur, & ex alia parte ſemper, moraliter loquendo, imminet aliquod periculum coniugi fideli ex infidelis obſtinati conſortio. Quare ſicut tenetur maritus ab adultera nolente corrigi recedere, ne patronus eius turpitudinis videatur; ita ſimiliter tenetur fidelis recedere ab infideli ita pertinaci, vt eius conuerſio deſperetur, ne videatur fidelis fauere eius infidelitati.

10 Circa ſecundum, an poſt tempus primitiuæ Eccleſiæ, & præſenti, liceat fideli cum infideli nolente conuerti habitare. Breuiter

Dico *primò*, Apoſtolorum tempore, in primitiua Eccleſia, & ſexcentis poſtea annis, quo tempore frequens erat conuerſio Iudæorum, & quorumuis aliorum infidelium, permiſſum id fuiſſe. Ita docuit S. Auguſtinus, qui eo ſeculo floruit, *lib. 1. ad Pollentium, de adulter. coniugis c. 18. & ſequentibus*, & refertur *c. ſic enim*, 28. *q.* 1. Et conſtat ex ſupradictis, eo tempore permiſſum fuiſſe iuxta conſilium D. Pauli 1. *Cor.* 7. habitationem coniugis ad fidem conuerſi cum infideli, propter ſpem eius conuerſionis, omni ſublato periculo peruerſionis. Et ratio eſt, quia eo tempore tam efficax gratia, feruor, & affectus ad fidem in tyronibus fidei erat, vt formidanda minimè eſſet eorum peruerſio, quin potiùs probabiliſſimè ſperanda infidelis coniugis conuerſio ex fidelis conſortio. Quibus addo quòd magna fuiſſet trãquilli ſtatus Reipublicæ perturbatio, ſi quando tanta erat infidelium copia, non liceret coniugi ad fidem conuerſo habitatio cum infideli: valde etiam à ſuſcipienda fide fuiſſent deterriti infideles, præcepto impoſito dimittendi coniugem infidelem.

11 Dico *ſecundò*, poſt prædictum tẽpus, quo rariſſimè Hebræi ad fidem reducebantur, & Pagani quoque, & omnes illi erant peruicaciores in ſua perfidia, non licuiſſe coniugem ad fidem conuerſum cum infideli cuiuſcumque ſectæ habitare. Habetur de hac re decretum Concilij Toletani IV. *c.* 62. relatum *cap. Iudæi* 18. *q.* 1. vbi ſtatuitur ne vxores fideles habitare permitterẽtur cũ Iudæis fidẽ Chriſtianam admittere renuẽtibus.

Et in dicto capite notatur ratio, vel motiuum huius decreti, ſic dicens. Hoc ideo ſtatutum eſt, ne dum fidelis ſalutē quærit infidelis, potiùs ipſe cum ea infidelitatis perditionē inueniat. Nam ſucceſſu tēporis experientia docuit non modicum peruerſionis periculū imminere coniugi alteri fideli ex infidelis conſortio. Vtrùm autē idē præceptum extet de aliis infidelibus Paganis, vel extēdēdū ſit, ita vt qui ex Paganis cōuertitur, quamuis coniux cohabitare velit, ſine Creatoris iniuria ſeparari debeat, ſicut de Iudæis præſcriptū eſt in dicta Synodo Toletana; ſentit Baſilius Ponce *lib. 7. c. 48. n 10.* nunquam ſe reperire potuiſſe decretū, vel legem latam, qua qui ex Paganis conuertitur, cum altero infideli cohabitare prohibeatur. Cæterùm *in dicto cap. Iudæi*, vbi id præſcribitur de Iudæis ex Concilio Tolerano quarto *c. 62* notanter ponūtur hæc verba. Vnde in eodem Concilio *c. 39.* tam de filiis Iudæorum, quàm de cæteris ad fidem venientibus ſtatutum eſt, vt infidelium conſortia euitent. Quibus ſatis innuitur, idem præceptum quod Iudæis impoſitū fuerat, comprehendere quoque quoſuis alios infideles. Saltem Eccleſiæ coſuetudine receptum eſt, ac præceptum inductum, ne coniux ad fidem conuerſus permittatur habitare cum altero coniuge infideli cuiuſcumque ſectæ. Nam tametſi Iudæi in retinenda illa ſua lege ſint pertinaciores, & conſequenter in peruertendis aliorum animis ſint propenſiores; alij etiam infideles Pagani ſunt quoque mente obſtinati; ideo probabile periculum eſt, & iuſtus metus omnium illorum eius periculi. Vnde huic honeſto titulo cedit quaſi fortiori ius quæſitum coniugis in coniugem, cuius corporis poteſtatem habet.

12 Dico *tertio*, hodie non licere alterutri coniugi fidē profitēti permanere in cōſortio coniugis infidelis, ſed teneri ab eo nolēte ad fidē conuerti, diuertere, quantūuis poſſit abſque creatoris cōtumacia habitare. Hoc fatētur omnes, & ſequitur ex dicto præcedēti. Ratio eſt, quia iā vſu & cōſuetudioe populi Chriſtiani, quæ vim legis obtinet, id inductū eſt. Neque hæc Eccleſiaſtica conſuetudo aduerſatur cōſilio D. Pauli ſuprà adducto *dicto primo*. Quia præcepta humana, ne dum conſilia, poſſunt neceſſitate id ſuadente mutari, & variari ſucceſſu tēporum, vt egregiè docuit Innocētius III. *c. 8. de conſang. & affinit.* his verbis, Nō debet reprehēſibile iudicari, ſi ſecundùm varietatē tēporum, ſtatuta quandoque varientur, humana præſertim, cū vrgens neceſſitas, vel euidens vtilitas id expoſcit, quoniā ipſe Deus ex his quæ in veteri Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutauit in nouo.

Eſt verò notandū, præceptū hoc diuertendi à coniuge infideli nolente conuerti, non obligare cum vitæ periculo, ſicut nec alia præcepta humana cū eo obligant. Quare ſi infidelis apud ſuos conuerteretur ad fidē, & ne proderetur cum vitæ periculo, cōmaneret cum coniuge infideli, ſeruato iure diuino præcipiēte cauendum eſſe peruerſionis diſcrimen, vacaret culpa.

13 Verùm obiicies *primò*, nimis durū eſſe & ſcandaloſum, ſi in India, Iaponia, China, vbi iā primū inducitur fides, ſub Regibus infidelibus cogerentur Chriſtianæ vxores, deſerere maritos, præſertim Nobiles, & Principes, nolentes ad fidem conuerti; qui inde caperent occaſionem eliminandi Chriſtianos, & Chriſtianam fidem.

Secundò, ſi ſpes ſubeſſet conuerſionis infidelis coniugis ex fidelis conſortio, liceret tunc fideli cohabitare; quia tunc ceſſat ratio legis cohabitationē prohibentis.

Tertiò, videtur negari non poſſe conuerſū præcepto correctionis fraternæ teneri nō recedere ab infideli, quando eſt certa ſpes eius conuerſionis, quia præceptum correctionis fraternæ obligat ad conſulendum ſaluti ſpirituali proximi. Igitur in hoc caſu ſaltem, tenebitur habitare fidelem cum infideli.

Ad primū dico illud argumentū rectè probare neceſſariā eſſe Pontificiā diſpenſationē pro illis Prouinciis, ſubeſſeque iuſtiſſimam cauſam. Cùm enim hæc legis Eccleſiaſticæ, aut conſuetudinis, quæ vim legis habet, prohibitio ſit, poteſt Pōtifex cōſuetudinē hanc abrogare, ſi huic tempori & Indorū conuerſioni expedire iudicauerit; ſicut propter iuſtos fines primis Eccleſiæ temporibus cohabitatio licita erat. Quare ſi apud Indos fidelis cohabitat pacificè cum infideli, id fit ex conceſſione Pontificis.

Ad ſecundū, negandū eſt illud licere, quia tunc ratio legis ceſſat in caſu quodā particulari. At lex prohibēs eſt generalis, & recepta à tota Eccleſia, & introducta ob frequētiſſimū periculū peruerſionis à fide, per quē vſum reuocata ſūt iura antiqua quæ id concedebāt. Vnde lex ipſa generalis nō reſpicit quæ rarò accidūt, *l. nā ad ea ff. de leg.* Poſſet tamen ex Epiſcopi diſpēſatione, vt notat Sanchez *diſp. 73. n. 13.* ea cohabitatio admitti in illis infideliū inſulis, vbi crebrior eſt eorū conuerſio: ac proinde poſſet Epiſcopus amplius tēporis concedere ſpatium, vt infidelis conuerſio expectaretur, quando, ſemoto omni ſubuerſionis periculo, eſſet probabilis ſpes conuerſionis infidelis.

Ad tertium negatur antecedens: nam ſi in eo euentu non licet habitare fidelē, à fortiori ad id non tenebitur. Cùm enim conceſſum fuerit priuilegiū in fauorem fidei, vt coniux fidelis recedere poſſit ab infideli; non eſt ab eo priuilegio is caſus rarus excipiendus, Præceptum autem correctionis fraternæ non obligat cum tanto coniugis fidelis detrimento, vt cogatur cum coniuge diuerſæ religionis habitare, ac cedere priuilegio ſuæ libertatis in fauorem religionis veræ aſſumptæ ſibi conceſſo.

SECTIO IV.

An coniugi ad fidem conuerſo integrum ſit prius matrimonium diſſoluere, & ad aliud tranſire, vbi alter renuit cohabitare, aut non vult ſine Dei contumelia, aut ſine perpetratione ad peccatum.

SErmo eſt de matrimonio etiam conſummato. De quo certiſſimum eſt, quando vterque fidelis ad fidem conuertitur, non poſſe diſſolui prius matrimoniū; quia nihil eſt cur omnino firmū non maneat, vel diſſoluatur. Difficultas eſt quando vnus ſolùm cōuertitur ad fidē, & procedit in tribus caſibus, qui ſunt in iure expreſſi. *Primus* eſt, ſi infidelis renuat habitare cū fideli conuerſo, recedereque velit, qui habetur *cap. ſimili modo, cap. ſi vxor 28. q. 1. cap. quanto, & cap. gaudemus, de diuortiis. Secundus* caſus, ſi infidelis nolit cohabitare ſine contumelia creatoris: qui continetur *in dicto cap. ſimili modo, & c. quanto, & c. gaudemus, citatis, & c. infidelis 28. q. 1. Tertius* caſus eſt ſi pertrahat ad peccatum mortale, qui etiam habetur *in dict. c. quanto, & c. gaudemus, & c. vxor, & c. Idolulatria, c. non ſolum 28. q. 1.* 1

Antequam rem ipſam explicemus, oportet exponere, quid ſit infidelem nolle habitare cum fideli cōuerſo, vel velle ab illo recedere; quid ſit nolle habitare, ſine contumelia creatoris, & quid ſit nolle abſque pertractione ad peccatum mortale.

Et quidem id certum eſt nolle habitare cum fideli conuerſo, nō eſſe, velle ab eo recedere, quia fuit adulterij reus, vel tēpore infidelitatis, aut poſt fidē receptā, nec adulterij illius iniuria ab innocēte remiſſa ſit; quia tūc id facit vtēs iure ſuo, & nulla fideli iniuria irrogatur; vnde ſi poſtea infidelis in adulteriū incidat, vel 2

adulterij iniutiā fideli condonet, iā tūc infidelis caret diſcedendi iure. Quare nolle habitare cum fideli conuerſo, vel recedere ab illo, tunc eſt, quando infidelis recedens delinquit in matrimonij legē, diſcedens præciſè, quia ad fidem Chriſtianam eſt conuerſus.

3 Quid verò ſit, nolle infidelem cohabitare ſine contumelia creatoris: certum eſt apud Doctores, non eſſe velle infidelem in ſuo Deorum cultu, vel in alio ritu ſuo infideli perſiſtere. Patet, quia quoties renuit conuerti, manifeſtum eſt eum in ſua lege velle permanere, & fore vt legis ſuæ præcepta, & ritus obſeruet. Vnde non eſſet cur Innocentius III. *c. quanto, & c. gaudemus, de diuortiis*, & omnes Doctores diſtinguant, aut fidelis renuens conuerti, velit habitare ſine creatoris contumelia, necne. Quare nolle infidelem cohabitare ſine contumelia creatoris, eſt conuitia, & blaſphemias iactitare in Chriſtum & fidem Chriſtianam; vnde non modicum obiicitur periculum perverſionis coniugi fideli tenerrimo in fide, ex crebro illorum conuitiorum in Chriſtum, vel eius fidem auditu.

4 Quid denique ſit nolle habitare ſine pertractatione ad peccatum mortale, ſi attendamus ad nomen tractationis, manifeſtum videtur importare motionem quandam violentam & præpoſitionem illam, *per*, petere conſummationem. Quare pertractatio infidelis ad peccatum mortale non dicetur, quando infidelis ſuggerit fideli, vel leuiter ſuadet aliquod peccatum mortale, ſed quando talis eſt perſuaſio, vt quaſi vim inferat aliquam, & talis ſit, quæ ſpectatis circumſtantiis probabile periculum lapſus in mortale ingerat. Vnde liquet hanc ſuaſionem verbis, vel factis inductam, ſpectandam eſſe, quæ attenta fidelis fragilitate periculum ruinæ ſpiritualis ei offert. Hoc etiā periculum non æqua lance in omnibus librandum eſt. Nam fœmina faciliùs labetur, & inter ipſas fœminas, ſeu viros, quidam aliis proniores ſunt ad ruinam in peccatum. Facile autem periculum hoc coniectari poteſt, cùm infidelis recens conuerſus ad fidem facillimus ſit ad ruinam, cùm nec in fide, nec in bonis moribus egerit radices, ſed peſſimos imbiberit, & illis ſit aſſuefactus. His præmiſſis

5 Dico *primò* cum omnibus Doctoribus, coniugem non baptizatum, poſtea tamen conuerſum, id eſt, baptizatum, poſſe deſerere coniugem non baptizatam, adhuc poſt conſummationem, & poſſe tale matrimonium diſſolui, & nouum matrimonium inire, quando alter infidelis non vult cohabitare cum iam conuerſo; aut ſi vult, cum contumelia tamen creatoris; vel vt ipſum fidelem baptizatum pertrahat ad peccatum mortale. Hoc videtur certum ex teſtimonio D. Pauli 1. *Cor.* 7. illis verbis. *Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat* (ſubintellige conuerſus) *non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi: in pace autem vocauit nos Deus.* Quod teſtimonium Pauli in hoc ſenſu intelligit Innocentius III. *c. quanto, de diuort.* vbi & hanc concluſionem definit his verbis. Si alter infidelium coniugum ad fidem Catholicam cōuertatur, altero, vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente; qui relinquitur, ad ſecunda ſi voluerit vota tranſibit. Et in hoc caſu intelligimus quod ait Apoſtolus. Si infidelis diſcedit, diſcedat: frater enim, vel ſoror, non eſt ſeruituti ſubiectus in huiuſmodi: & canonem etiam, in quo dicitur, contumelia creatoris ſoluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur. Idem reperit, ac definit idemmet Pontifex *c. gaudemus, verſ. qui autem. de diuortiis.* Et conſtat is intellectus; nam ſi infideli diſcedente, aut nolente legitimè habitare, fidelis ita alligatus eſſet eo matrimonio, vt non poſſet ad aliud tranſire, ſeruituti ſubiectus eſſet propter infidelis malitiam contra Pauli teſtimonium. De hac enim ſeruitute Apoſtolus loquitur, cùm alia non ſit. Nec valet ſi dicas, ideo dici non eſſe ſubiectum ſeruituti, quia non tenetur alteri amplius cohabitare. Non, inquam, valet: quia etſi ipſe diſcedens etiam eſſet fidelis, alter tamē non teneretur ei cohabitare, quia nemo tenetur inuito, aut fugienti cohabitare. Et ſic nullum eſſet diſcrimen inter eiuſmodi coniuges, & duos fideles. Quod apertè repugnat verbis & intentioni Apoſtoli. Meritò autem ex dictis verbis Pauli, *ſi diſcedit, diſcedat*, colligit Eccleſia conuerſum, ſeu iam baptizatum poſſe diſſoluere matrimonium, non ſolùm quando infidelis phyſicè diſcedit nolendo cohabitare, ſed etiam quando diſcedit moraliter, cohabitando videlicet cum contumelia creatoris, aut cum intentione pertrahendi cōuerſum ad peccatum mortale: quia ita procedendo cogit alterum, vt ipſum deſerat. Nam ſi fidelis tenetur tunc recedere à conſortio infidelis, vt conſtat ex *diſp. præcedenti*, ſi infidelis præbet cauſam neceſſariæ fugæ ipſi fideli, ipſum fugat, & ipſe infidelis dicitur recedere à fideli quem fugat. Hoc eſt quod dixit Innocentius III. *loco citato*, contumeliam creatoris ſoluere ius matrimonij circa eum qui relinquitur. Vbi verò fidelem dicit relinqui ab infideli nolente habitare ſine Dei contumelia, vel ſine pertractatione ad peccatum mortale. Quia eo modo admittit, quo non licet fideli eius conſortio vti.

Dico *ſecundò*, poſſe diſſolui matrimonium in his 6
caſibus, non eſſe ex iure Pontificio, ſed ex diuino priuilegio Chriſti in fauorem fidei. Ita communiter omnes, qui id priuilegium colligunt ex verbis Pauli adductis ita intellectis. Quod etiam ſatis clarè explicatur vltimis illis verbis, *In pace autem vocauit nos Deus.* Vbi per *pacem* accipit Apoſtolus, vitam quietam, quam coniugi conuerſo ſuadet, vt eam in diuortio ac diſſolutione matrimonij, præferat ipſi coniugio, & coniugi infideli, qui vult diſcedere, dum ſuis iurgiis, blaſphemiis, & litigiis fidelem inceſſit, & pacem illius perturbat. Id autem conceſſit Chriſtus in fauorem fidei, vel Baptiſmi, ne conuerſio, ſeu ſuſceptio Baptiſmi eſſet oneroſa baptizato; quia aliàs cogeretur aut cælibem vitam tranſigere, aut moleſtè & periculosè cohabitare. Maximè autem deterrerentur infideles à conuerſione, ſi fide ſuſcepta tenerentur à coniuge infideli renuente debito modo cohabitare, non recedere, aliud matrimonium ineundo, periculo ſuæ incontinentiæ conſulendo. Cùm ergo maius ſit bonum fidei, quàm coniugij, conſentaneum rationi fuit, vt Chriſtus Dominus fauorem fidei præferens, ſtatueret poſſe in his euentibus diſſolui matrimonium. Nam cùm infidelis maneat extra Eccleſiam, & de illo non iudicet, non eſſet quò compelli poſſet ad cohabitandum cōiugi fideli; & ideo meritò cōceſſum eſt, vt in his euentibus matrimonium diſſolueretur diuino priuilegio in fauorem fidei. In his verò caſibus probabilius eſt non poſſe diſſolui matrimonium ex iure Eccleſiæ; quia verius eſt matrimonium conſummatum non poſſe iure Pontificio diſſolui, quamuis in infidelitate initum ſit.

Sectio

Sectio V.

Vtrùm non exiſtente prohibitione cohabitandi cum coniuge infideli, poſſit conuerſus diſſoluere matrimonium, & aliud inire, quamuis infidelis velit pacificè cohabitare, ſi non vult conuerti.

1 PRocedit difficultas, quando infidelis coniunx vult habitare cum altero coniuge conuerſo pacificè ac legitimè, & debito modo, id eſt, abſque contumelia creatoris, & abſque animo pertrahendi alterum ad peccatum mortale, tamen ipſe nolit conuerti, ſed in ſua infidelitate permanere. Procedit quoque, in opinione admiſſa à multis, non eſſe de facto prohibitionem aliquam, qua conuerſus prohibeatur cohabitare cum coniuge infideli, nolente conuerti, ſi velit pacificè cohabitare; quod dicunt ſeruari de facto in India, & in Iaponia.

2 Affirmatiuam partem defendunt Bellarminus *lib. 1. de matrimonio cap. 12.* Coninch *diſput. 26. dubio 5.* & alij.

Primò ex Paulo 1. *Cor. 7.* vbi cùm dicit, quòd conuerſus non dimittat coniugem infidelem volentem cohabitare pacificè, tantùm dicere conſilium, & non præceptum; ergo coniux iam baptizatus poteſt dimittere non conuerſum, quamuis volentem pacificè loqui. Vnde dimiſſio, de qua ibi loquitur Paulus, eſt abſoluta quoad vinculum, ſicut & diſceſſio, quando poſtea ait, ſi infidelis diſcedit, diſcedat: poterit igitur in caſu præſenti conuerſus diſſoluere matrimonium, & aliud inire.

Secundò, infidelem non conuerti, eſt contumelia creatoris; ergo quamuis velit cohabitare, ſi non vult conuerti, non vult cohabitare abſque contumelia creatoris; poterit ergo conuerſus matrimonium cum eo contractum diſſoluere, & aliud inire.

3 Partem negantem iudico veriorem cum Sanchez *diſput. 74. numer. 9.* Hurtado *diſput. 8. diffic. 11. num. 39.* & communiter cum Doctoribus. Moueor, quia facultas conceſſa iam conuerſo ad diſſoluendum dictum matrimonium deducitur ab Eccleſia *in cap. 4. & in cap. gaudemus, de diuortiis*, ex illis verbis Pauli, ſi diſcedit, diſcedat, vt vidimus præcedenti diſputatione. At ſolùm deducetur in duobus caſibus, nempe, aut quando infidelis non vult cohabitare, quia tunc diſcedit phyſicè, aut quando vult cohabitare, ſed cum contumelia creatoris, vel vt pertrahat alterum ad peccatum mortale, quia etiam tunc diſcedit moraliter; cùm tunc conuerſus cogatur ad non cohabitandum cum infideli; & quicumque alius caſus excluditur *in cap. gaudemus*, & implicitè *in dicto cap. quanto.* Igitur abſque vllo fundamento dicitur, imò contra decretum capitis *gaudemus*, eſſe etiam dictam facultatem in illo alio caſu, quando videlicet infidelis non vult conuerti, etiam ſi velit pacificè cohabitare. Firmatur; nam coniux infidelis non ſe conuertendo præciſè, non afficit contumelia creatorem, nec intendit pertrahere, neque pertrahit alterum coniugem conuerſum ad peccatum mortale; aliàs Paulus non conſuleret conuerſo vt non dimitteret coniugem infidelem, etiam non volentem ſe conuertere, quando pacificè vult cohabitare, vt verè conſulit *in eod. cap.* Quia infidelis coniux qui cohabitat cum coniuge iam conuerſo, poteſt cohabitare nihil dicendo, neque efficiendo contra honorem Chriſti, & fidei, & non intendendo ſuis verbis, neque factis alterum pertrahere ad peccatum mortale, neque de facto pertrahendo; ergo. Addo negari non poſſe in dictis duobus capitibus iuris ſupponi infidelem non volentem ſe conuertere poſſe cohabitare cum conuerſo abſque contumelia creatoris, & abſque intentione pertrahendi, & abſque pertractatione ad peccatum mortale, dum dicitur conuerſum ad fidem poſſe diſcedere, ſeu diſſoluere matrimonium, quando infidelis non vult cohabitare cum conuerſo, aut ſi vult, ſed non abſque dictis contumelia, & intentione pertrahendi, & pertractatione ad peccatum mortale.

Ad primum argumentum oppoſitum, concedo coniugem fidelem non dimittere infidelem conſentientem pacificè cohabitare, non eſſe præceptum, ſed tantùm eſſe conſilium, ac proinde licitum eſſe illum dimittere; quia quod non eſt contra præceptū, quãuis ſit contra conſilium, non eſt illicitum. Id tamen intelligit Paulus de dimiſſione quoad torum, & quoad cohabitationem, non quoad vinculum, vt ſupponit Auguſtinus 1. *de adulterinis coniugiis cap. 18. in fine*; ac proinde poſterior diſceſſio, de qua poſtea loquitur Paulus, eſt quoad vinculum, vt matrimonium diſſolui poſſit, non verò prior deſertio, ſeu dimiſſio. Id non leuiter deducitur ex eo quod Paulus reddens rationem poſterioris diſceſſionis, ait; non enim ſeruituti, (id eſt, vinculo,) ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi: ſupponens in hoc poſteriori caſu, quãdo ſcilicet infidelis diſcedit ſiue phyſicè, ſiue moraliter, non manere conuerſum ſubiectum. Tum etiam ex eo quòd iam vidimus Eccleſiam dictam facultatem diſſoluendi matrimonium, deducere tantùm ex illis verbis, ſi diſcedit, diſcedat; & non ex eo quòd conuerſum non dimittere infidelem, ſit conſilium. 4

Ad ſecundum, conſtat ſolutio ex *numer. 3.* eſt enim antecedens falſū, formaliter ac præciſè loquẽdo: nam licèt nolit conuerti, ſi tamen nec verbis, nec factis inhonoret Chriſtum, aut fidem Chriſtianam, neque intendat pertrahere ad peccatum, nulla eſt contumelia creatoris, neque pertractatio ad peccatum mortale, de quibus iura loquuntur.

Sectio VI.

Vtrùm exiſtente prohibitione cohabitandi cum infideli poſſit fidelis conuerſus diſſoluere matrimonium, & aliud inire, quamuis infidelis velit pacificè cohabitare, ſi non vult conuerti.

COnſtat ex ſectione tertia huius diſputationis, *n. 12.* hodie non licere alterutri coniugi fidem profitenti permanere in conſortio coniugis infidelis, ſed teneri ab eo diuerti, nolente ad fidem conuerti, quantumuis poſſit abſque creatoris contumelia, ac vlla pertractatione ad peccatū, habitare. Modò igitur cùm iam non liceat talis habitatio, niſi infidelis eligat conuerti ad fidem; maior eſt difficultas, an in prædicto caſu, quo non vult conuerti, poſſit fidelis conuerſus diſſoluere matrimonium. 1

Hurtado *diſput. 8. difficult. 12. n. 44.* cum Paludano, Toleto, Valentia, & aliis, quos ipſe citat, defendit partem negantem. 2

Primò, quia hoc matrimonium diſſoluitur ex ſolo Chriſti priuilegio Eccleſiæ manifeſtato per D. Paulum 1. *Cor. 7.* vt conſtat. At D. Paulus loquitur, quando vel infidelis omnino recedit phyſicè, aut non vult

habitare ſine creatoris contumelia, aut pertractatione ad peccatum, quod eſt recedere moraliter, vt illum explicat Innocentius III. *c. quamo, & c. gaudemus, de diuortiis.* Igitur extra hos caſus nequit diſſolui.

Secundò, in his euentibus conceſſit Chriſtus diſſolutionem matrimonij in fauorem fidei, eo quòd tunc cum illa pugnaret. At id non euenit, quando permittitur fideli conuerſo fidem pacificè ſeruare, & ipſe infidelis abſque illius iniuria cohabitationem amat; ergo.

Tertiò, diſceſſio moralis ex parte infidelis, conſiſtens in contumelia creatoris, aut in prouocatione ad mortale, ſufficiens ad diſſolutionem matrimonij, non eſt contumelia, aut prouocatio orta immediatè, & præciſè ex cohabitatione, permanendo in fidelitate, vt contingit in caſu præſentis difficultatis, ſed ex alio actu diſtincto, & ſuperaddito ipſi cohabitationi, & eam præſupponente. Patet, quia Paulus ex quo deducitur conceſſio Chriſti de diſſolutione matrimonij, ſupponit infidelem poſſe permanere infidelem, & non eo ipſo diſcedere diſceſſione ſufficiente, vt conuerſus poſſit diſſoluere matrimonium; ergo in caſu præſentis quæſtionis nequit conuerſus diſſoluere matrimonium.

3 Veriorem iudico partem oppoſitam affirmatiuam cum multis, quos refert & ſequitur Sanchez *diſput. 24. num. 9. & ſequentibus*. Idem tenent Rebellus *lib. 3. quæſt. 10. ſect. 1.* & Baſilius Ponce *lib. 7. c. 48. num. 22.* Probatur *primò*, quia iuxta Pauli dictum 1. *Cor.* 7. tunc fidelis non eſt ſubiectus ſeruituti prioris matrimonij, ſed liber eſt ad aliud ineundum, quoties infidelis diſcedit, ac relinquit coniugem fidelem, ſed in hoc caſu diſcedit, ac relinquit; ergò poteſt relictus matrimonium diſſoluere. Minor probatur, quia tunc dicitur coniux fidelis relictus ac deſertus ab infideli diſcedente, quoties vel infidelis omnino phyſicè recedit, vel eam cohabitationem elegit, quæ fideli illicita eſt, quia tunc diſcedit moraliter, vt conſtat ex *ſect.* 3. At hodie illicitũ eſt fideli habitare cum cõiuge infideli in infidelitate pertinaci, tametſi velit ſine Dei contumelia, & ſine pertractatione ad peccatum habitare, vt conſtat ex *ſect.* 4. ergo infidelis nolens conuerti, ſeu volens pertinax eſſe in ſua infidelitate dicitur verè recedere moraliter, & fidelem relinquere. Firmatur, nam infidelis non ſolùm cenſetur apud Paulum diſcedere, cùm omnino relinquit fidelem, ſed etiam cùm ob illicitam ſuam cohabitationem cogit ipſum diſcedere; at nolens conuerti hoc præſtat, quia per hoc ſolum redditur illicita cohabitatio fideli conuerſo: nam etiam cùm vult infidelis cohabitare cum iniuria creatoris, non phyſicè diſcedit, & tamen diſceſſit moraliter diſceſſu comprehenſo à Paulo, vt omnes admittunt, quia ob illicitam cohabitationem cogit fidelem conuerſum ab ipſo diſcedere. ergo ob parem rationem idem erit in hoc caſu. *Secundò*, ſi in hoc caſu nõ poſſet fidelis matrimoniũ diſſoluere, ſubiectus eſſet ſeruituti prioris matrimonij abſque ſua culpa, & propter ſolius infidelis culpam qui pertinax eſt in ſua infidelitate, non poſſet illo vti. Quod eſt contra Paulum dicentem *loco citato* 1. *Cor.* 7. non eſſe fidelem ſubiectum ſeruituti in huiuſmodi. *Tertiò* ratio huius priuilegij à Chriſto conceſſi fuit in fauorem fidei, ne fidelis coactus præcepti neceſſitate recedendi ab infideli nolente legitimè habitare, compellereretur abſque ſua culpa vitam cælibem ducere; & ne timore continentiæ ſeruandæ retraherentur infideles à fide ſuſcipienda, vt ex ſuperioribus conſtat. Atqui hæc ratio omnino militat in præſenti caſu. hodie quoties infidelis renuit conuerti, neceſſarium ſit fideli diuertere, etſi nequeat ad aliud matrimonium migrare, compelleretur abſque ſua culpa in cælibatu permanere. Igitur in hoc caſu habet locum priuilegium Chriſti diſſoluendi prius matrimonium, & aliud ineundi. *Vltimò* tunc infidelis cohabitando cum conuerſo pertrahit ipſum ad peccatum mortale, quia pertrahit, vt ſecum cohabitet, quod exiſtente prohibitione Eccleſiæ, ipſi conuerſo eſt moraliter illicitum; ergo tunc infidelis moraliter diſcedit à conuerſo, ſicut quando non vult cohabitare, niſi pertrahendo ad mortale. Ex hac noſtra concluſione

Colligo *primò* cum Sanchez *num.* 10. priuilegium Chriſti diſſolutionis matrimonij, in fauorem fidei diuino iure conceſſum, quod Paulus iuxta Eccleſiæ & Patrũ expoſitiones declarauit illis verbis 1. Cor. 7. *ſi infidelis diſcedit, diſcedat*, &c. nunquam mutatum fuiſſe, ſed ab initio fuiſſe conceſſum pro omnibus illis euentibus, in quibus eſſet illicita coniugi fideli habitatio cum infideli in infidelitate permanẽti. Quia tunc infidelis recedere dicitur, & Paulus declarauit id priuilegium concedi quoties infidelis recedit. Cæterùm, quia eſſe interdictam habitationem fidelis cum infideli, pendet à præcepto humano eam prohibente; & hæc variatur ſucceſſu temporum; nã tempore primitiuæ Eccleſiæ, ac primis illis ſæculis, in quibus frequens erat infidelium conuerſio, licita erat cohabitatio, quando infidelis conuerti reſpuens volebat habitare ſine Dei contumelia, & ſine pertractione fidelis ad peccatum; ideo tunc ſolùm illis euẽtibus, in quibus nolebat infidelis ſic habitare, locum habebat priuilegium hoc diſſoluendi matrimonium. Poſtea verò cùm interdicta ſit habitatio, etiamſi velit infidelis ſic habitare, pertinaciter tamẽ in ſua infidelitate permanens; diſſolui etiam poterit ex priuilegio Chriſti eodem per diuum Paulum explicato. Quæ diuerſitas non contingit ex ipſius priuilegij mutatione, ſed ex mutatione præcepti. Sicut olim matrimonium clandeſtinum validum erat, nunc tamen eſt irritum, non per aliquam materiæ, vel formæ Sacramenti mutationem, ſed per mutationem conſenſuum legitimorum. Nam ſemper fuit materia & forma conſenſus legitimus; at qui olim clam præſtitus erat legitimus, redditus eſt ab Eccleſia illegitimus. 4

Colligo *ſecundò*, vt poſſit fidelis matrimonium diſſoluere, & ad aliud tranſire in prædictis euentibus, nullam iudicis ſententiam deſiderari. Quia facultas hæc ex ſolo priuilegio Chriſti haberetur, non ſecus ac ex eodem priuilegio matrimonium ratum diſſoluitur per profeſſionem; atque adeò ſicut ad hoc non deſideratur iudicis ſententia, ſic neque ad illud. 5

Colligo *tertiò*, deſiderari in noſtro caſu, ante iſtam diſſolutionem matrimonij, monitionem, an velit cõuerti; nam ſi vellet, non poſſet id matrimonium diſſolui. Quare vt hoc ſciatur, debet ita moneri: niſi aliunde iam moraliter cõſtaret de ſua pertinacia; tunc enim monitio non deſideratur, cùm monitio ſolùm petatur, vt de infidelis obſtinatione conſtet. Ex quo fit, vt quoties infidelis adeò diſtat, vt commodè requiri nequeat, non ſit opus ea monitione. Quia vt res modò ſe habent, eſt moraliter certum fore vt nolit conuerti, & relinquere ſuos, vt legitimè cohabitet. Atque ipſa requiſitio eſt moraliter impoſſibilis. Sufficiet quoque ſi facto ipſo conſtet voluntas infidelis, vt ſi aliud matrimonium contraxit; tunc enim non erit neceſſaria monitio, quia nequit clariùs eius voluntas explicari, qua tenuit fidelis conſortium. Quòd ſi coniux conuerſus dubius eſſet de coniugis fidelis obſtinatione, neceſſaria eſſet præuia monitio, qua certior redderetur. Sufficiet autẽ nuncius certus 6

ac

ac fide dignus, qui per verba veriſimilia deponat de coniugis infidelis pertinacia. Quia adiuuat quoqne ad id vehemens præſumptio quorumcumque fidelium obſtinationis.

7 Colligo *vltimo*, non deſiderari neceſſariò Eccleſiæ auctoritate præfigi terminum infideli, vt conuertatur, quo poſſit prius matrimonium diſſolui. Id enim fieri vtiliſſimum eſſet, ſed non neceſſarium, cum ſatis ſit qualitercumque cônſtet de voluntate infidelis. Quòd ſi infidelis peteret inducias ad conuerſionem, concedi debent. Si autem procraſtinauerit, non eſt diutiùs immorandum. Expediret quoque teſtes adhiberi, dum infidelis admonetur, vt hoc teſtetur ſi ſorte poſtea lis intentetur de valore matrimonij à fideli contracti.

Ad argumenta oppoſita.

8 Ad primum conceditur propoſitio; minori dico, Paulum neutrum illum caſum expoſuiſſe, ſed ſolùm in genere quando infidelis recedit. Innocentius verò ex hoc teſtimonio Pauli duplicem illum caſum iure optimo intellexit, pro eo tempore, quo in illis ſolis duobus caſibus, ſeu euentibus interdicebatur habitatio fidelis cum infideli. At cùm iam hodie ſit prohibita, quoties infidelis conuerti renuit, ſi perſiſtat in infidelitate, recedit moraliter à fideli, atque ideo poterit matrimonium diſſoluere.

Ad ſecundum, ratio diſſolutionis non eſt, quia ea habitatio cum fide pugnet, ſed quia tunc infidelis recedit moraliter, volens habitationem fideli interdictam. Addo, ſatis cum fide pugnare, & ipſam deducere, habitare fidelem cum infideli in tam arcta vitæ conſuetudine ac eſt coniugalis, in hac tempeſtate, in qua infideles ſunt adeò obſtinati, vt meritò ex eorum conſortio ſalus deſperetur.

9 Ad tertium, verum eſt diſceſſionem moralem ex parte infidelis, conſiſtentem in contumelia Dei, aut in prouocatione ad mortale, non oriri immediatè ac præcisè ex cohabitatione, tametſi infidelis perſiſtat in ſua infidelitate: nam contumelia Dei cenſetur, cùm infidelis nomen Chriſti, Dei ve non niſi cum deſpectu vult audire, in illud blaſphemat, vel prohibet debitas laudes, & cultum ei exhibere; vel domeſticos, ſeruosve à fide Chriſti auocat: quæ actiones ſunt valde diſtinctæ, ac ſuperadditæ ipſi cohabitationi, & eam omnino præſupponunt. Similiter impulſio ad mortale, quæ ſpectatis circumſtantiis ſufficiens ſit ad ingerendum probabile periculum lapſus in morale, quid diſtinctum eſt ab ipſa infidelis cohabitatione cum pertinacia in ſua infidelitate, præcisè ac formaliter loquendo. Hinc autem nihil ſequitur contra noſtram doctrinam: nam exiſtente præcepto & Eccleſiæ prohibitione fidelis cohabitandi cum infideli pertinaci in ſua infidelitate, eſt noua alia diſceſſio moralis diſtincta ab illis duabus, procedentibus à contumelia, & pertractatione. Atque eã dicimus eſſe ſufficientem ad diſſoluendum matrimonium, non ſecus ac illas alias duas diſceſſiones ob cõtumeliã, & ob pertractationem. Admitto quoque D. Paulum meritò ſupponere infidelem poſſe permanere infidelem, & non eo ipſo diſcedere abſolutè diſceſſione ſufficienti vt matrimonium à fideli diſſolui poſſit: nam, vt dixi ſupra, in primitiua Eccleſia, & illis prioribus ſeculis licita erat cohabitatio ſine contumelia, & ſine pertractatione ad peccatum. Modò verò poſito præcepto Eccleſiaſtico, & durante obligatione illius, ſicut hodie durat, eſt illicita & mala cohabitatio fidelis cum infideli qui renuit conuerti, & ideo ſi infidelis pertinax ſit in ſua infidelitate verè diſcedit moraliter, vt ſatis explicatum eſt.

SECTIO VII.

Quando in prædictis caſibus diſſoluitur matrimonium conuerſi cum infideli.

Senſus quæſtionis eſt, an in caſibus, in quibus vidimus in præcedentibus, integrum eſſe coniugi ad fidem conuerſo tranſire ad matrimonium aliud, diſſoluatur eo ipſo, an potiùs tunc, quando fidelis tranſit ad alias nuptias. 1

Non deſunt Doctores graues, vt Richardus, Panormitanus, Angelus, Rodriquez & alij, qui docent dictum matrimonium diſſolui ſtatim, ac licitum eſt conuerſo aliud inire, antequam illud ineat, ac proinde ſtatim, ac infidelis renuit conuerti in noſtra ſententia, vel in aliorum, non vult cohabitare, aut ſi vult, non niſi cum contumelia creatoris, aut pertrahendo ad mortale. Probant

Primò, ex *cap. finali* 28. *q.* 2. dum dicitur contumeliam creatoris ſoluere ius matrimonij circa eum qui relinquitur. Quod deduci videtur ex verbis Pauli 1. *Cor.* 7. *ſi diſcedit, diſcedat*; non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi. Igitur ſi conuerſus, quando alter diſcedit, ſiue phyſicè, ſiue moraliter, non eſt ſubiectus ſeruituti, id eſt, vinculo matrimonij; quia nulla alia eſſe poteſt ſeruitus, liber eſt à ſeruitute, ſeu vinculo, ac proinde diſceſſione infidelis vinculum ſtatim diſſoluitur.

Secundò, id videntur docere verſiculi, qui communiter circumferuntur, & referuntur à Gloſſa *cap. quanto, de diuortiis, verb. contumelia.*

Deſere ſpernentem, vel blaſphemare volentem,
Vel te credentem ſcelus ad mortale trahentem.
Nam ſunt abſque mora, ſic vincula rupta priora.

Tertiò, poſteriùs matrimonium nequit validè contrahi perſeuerante priore; ergo antequam poſterius contrahatur, præſupponitur diſſolutum prius.

Communior & verior doctrina multorum quos refert & ſequitur Sanchez *diſp.* 75. *n.* 4. Coninch *diſp.* 26. *n.* 63. Rebellus *lib.* 3. *q.* 10. *ſect.* 2. Baſilius Ponce *lib.* 7. *c.* 48. *n.* 17. & alij, dictum matrimonium non diſſolui ſtatim, ac licitum eſt conuerſo aliud inire, ſed quando poſterius matrimonium contrahitur, ita vt contractio poſterioris ſit diſtractio, ſeu diſſolutio prioris. Vnicum fundamentum eſt. Quia Innocentius III. *dicto cap. gaudemus*, ſic ait. Quòd ſi conuerſum ad fidem, & illa conuerſa ſequatur, antequam per cauſas prædictas legitimam ille ducat vxorem, eam recipere compellatur. Ex quibus verbis manifeſtè colligitur per illas cauſas non fuiſſe matrimonium diſſolutum ipſo iure; ſi enim compellitur recipere, non erit ſolutum prius matrimonium. Nam ſi ſolutum erat, non poteſt compelli ad recipiendum eum qui verus coniux non eſt. 2

Gloſſa *in dicto cap. gaudemus*, refert ſolutionem aliquorum reſtitui vinculum prioris matrimonij, quaſi iure poſtliminij: vt *cap. cùm per bellicam* 33. *q.* 3. ſed contrà eſt, quia non eſt reſtitutio, vbi nullum ius competit ei, cui reſtitutio facienda eſt. At ſemel diſſoluto matrimonio, nullum ius competit infideli denuo conuerſo, quod reſtituatur. Firmo, nam ius poſtliminij tunc habet locum quando quis exiſtimabatur ius amiſiſſe, quod verè non amiſerat, & ideo ſi aliquæ res eius ad alium peruenerant, ei redduntur. Vnde *in dicto cap. reſtituitur* vxor ſecundo nupta priori viro, quem defunctum falsò putabat, eo quòd verè inter illos ſupererat matrimonium. At in noſtro caſu nullum ſupereſt ius coniugi infideli ſuppoſita

vera

vera diſſolutione prioris matrimonij, atque ideo non habet locum ius poſtliminij. Adde in dicto caſu textus, matrimonium dici non poteſt poſtliminio redire, cùm eius eſſentia ex conſenſu pendeat contrahentiũ; & cùm ſui coniugis conuerſi pariter conuerſa ſequatur religionem ſine nouo conſenſu, in priori permanet matrimonio,& ideo neceſſariò dicendum eſt illud non fuiſſe peremptum.

Aliter reſpondent alij, compelli tunc fidelem ad recipiendum infidelem denuo conuerſum, non virtute prioris matrimonij, quod iam eſt omnino ſolutum, ſed virtute noui matrimonij, quod compellitur inire fauore religionis Chriſtianæ aſſumptæ. Verùm contra hanc ſolutionem optimè inſtat Sanchez. *Primò*, quia nullus ad matrimonium cum perſona determinata poteſt compelli,niſi vel ex propria promiſſione, vel ex delicto, quia virginem defloraiut inuitam: at in hoc euentu nullum eſt fidelis delictum, nullaque promiſſio ſupereſt,diſſoluto omnino matrimonio priori; non eſt igitur cur compellatur. Nec rationi conſonum eſt ex conſequentia prioris matrimonij in fidei fauorem hanc ſtatui compulſionem. Cùm enim iam prius deſierit matrimonium,& iam nihil ſit; nullum ius, nec conſequentia ipſius ſupereſſe poſſunt. Sicut, quia morte diſſoluitur matrimonium; aut ſi ſit ratum, profeſſione religionis, ſi mortuus reſurgeret, vel cum Monacho prius deſponſato de præſenti, diſpenſaretur in voto ſolemni, nullum ius prioris matrimonij iam diſſoluti ſupereſſet, ſed liberum eſſet huic, priori vxore viuente, ad alias nuptias tranſire. *Secundò*, licèt fauor fidei multus ſit, non tamen eſt tantus, vt cogat coniugem admittere ad conſortium coniugale alterum, qui ante conuerſionem ad fidem adulterium admiſit, vt conſtat ex *cap. gaudemus, in fine, de diuortiis*. Ergo multo minus ſufficiet, vt cogat recipere eum, qui coniux legitimus non eſt. Nam multo minus eſt retinere verum coniugem,quàm nouo matrimonio copulari. Ex his

3 Colligo *primò*,quamuis per ſententiam iudicis conſtaret liberum eſſe fidelem ad aliud matrimonium contrahendum, adhuc non dirigi per illam matrimonium, donec fidelis ad alias tranſeat nuptias. Ratio eſt, quia illa Eccleſiæ ſententia non dirimit, ſed ſolum declarat ius dirimendi competens fideli.

4 Colligo *ſecundò*, ſi ante matrimonium à fideli contractum, tranſeat infidelis ad alias nuptias, eas fore irritas; & ita ſi poſtea ad fidem conuertatur, eſſe ab illis eum ſeparandum, & reddendum coniugi priori conuerſo. Ratio eſt manifeſta, quia priuilegium diſſoluendi matrimonium prius non eſt à Chriſto cõceſſum ipſi infideli, ſed fideli in fauorem fidei, vt expreſſè habetur *cap. quanto, de diuort. & c. finali* 28.q. 2.& quamuis matrimoniũ nequeat claudicare quoad vinculũ, vt eſt apertum;quia neceſſe eſt eo diſſoluto ex parte vnius coniugis, diſſoluatur quoque ex parte alterius.Tamen claudicare poteſt quoad effectum, & obligationem, vt altero coniuge ſolo adultero claudicat matrimoniũ quoad obligationẽ cohabitãdi. Quia ſoli innocenti diuertere licitũ eſt. Vnde fit vt nequeat etiam diſſolui matrimonium per alias nuptias ab infideli initas.Quia cùm eæ irritæ ſint, vt dixi, nihil poſſunt operari: & etiam quia,vt dictum eſt, priuilegium hoc diſſolui ſoli fideli conceſſum eſt.

5 Colligo *tertiò*, ſi infidelis fornicetur, & pòſt conuertatur ad fidem, ante ſecundum matrimonium à fideli initum, quamuis fidelis poſſit eum expellere à toro & cohabitatione, vt dicitur expreſſè *cap. gaudemus, de diuort. in fine*,non poſſe fidelem ad aliud matrimonium tranſire. Patet, quia iam ceſſauit infidelis pertinacia, & diſceſſus moralis illius, ratione cuius dabatur facultas illius matrimonij diſſoluendi.

Colligo *vltimò*, ſi ante matrimonium à fideli coniuge initum, alter conuertatur, non opus eſſe nouo conſenſu ad præcedens matrimonium inſtaurandum, quia nondum eſt diſſolutum.

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum non diſplicet quorumdam interpretatio, qui verba illa, *ſoluit ius*, intelligunt de ſolutione tori, ac domicilij. Animaduertunt enim in Canone non dici ſolui vinculum matrimonij, ſed ius, vt ſcilicet vtatur matrimonio,ob ſeparationem faciendam in domicilio, & toro. Cæterùm magis placet reſpondere, ſoluit ius, id eſt, iuſtam cauſam diſſolutioni præbet, cùm contumelia creatoris concedat ius fideli ad illud diſſoluendum alio matrimonio inito. Et in hoc ſenſu dicitur à Paulo, conuerſum non eſſe ſubiectum, quia ſcilicet liberè poteſt aliud matrimonium contrahere. 6

Ad ſecundum dico, verum eſſe quod in illis verſiculis continetur, nam dicitur ſtatim eſſe rupta vincula priora, non quia ſtatim deſinat eſſe prius matrimonium, ſed quia ex tunc non maneant firma, & indiſſolubilia; nam ſtatim fidelis incipit habere ius diſſoluendi prius matrimonium, & alterum incundi, quaſi nullum præceſſiſſet.

Ad tertium reſpondeo, non poſſe contrahi poſterius matrimoniũ priori perſeuerante poſt ipſum, imò nec in eo inſtanti, in quo poſterius perficitur: poſſe tamen, quamuis prius perſeueret excluſiuè vſque ad inſtans, in quo perficitur poſterius, & in quo ſit verum dicere, nunc matrimonium poſterius eſt perfectum, & immediatè antea non erat, & nunc non eſt matrimonium prius, & immediatè antea erat. Quare ſicut diſſoluitur matrimonium ratum per profeſſionem, ita & per ſecundum matrimonium diſſoluitur primum.

SECTIO VIII.

An matrimonium conuerſi cum infideli contractum ante Baptiſmum, diſſoluatur per ſolemnem profeſſionem in religione.

PRocedit quæſtio in noſtra ſententia communi aſſerente non diſſolui matrimonium conuerſi cum infideli quouſque conuerſus tranſeat ad aliud matrimonium. Quæritur igitur, an ſicut diſſoluitur per nouum matrimonium conuerſi, ita etiam diſſoluatur per eius profeſſionem ſolemnem.

Noſter Sanchez *diſput.* 76. *numer.* 9. cum multis 1 quos pro ſe adducit,tenet, diſſolui prius matrimoniũ conſummandum per profeſſionem illam, ſicut diſſolueretur per ſubſequens matrimonium. Probat, quia licèt nec in iure, nec in diuinis literis hoc deciſum reperiatur;at commune Theologorum placitum hoc à ſimili deducit. Quoniam ſi ea vis & efficacia conceſſa eſt à Chriſto profeſſioni religionis,vt diſſoluat vinculum prioris matrimonij rati inter fideles initi:nedũ diſſoluet matrimonium tempore infidelitatis cõſummatum,quod ratum non eſt, *c. quanto*,de diuortiis. Magis enim indiſſolubile eſt matrimonium ratum fidelium, quàm conſummatum infidelium: illud enim vltra contractum naturalem habet eſſe verum Sacramentum, nec per ſubſequentes nuptias dirimi poteſt; hoc autem non eſt Sacramentum, & poteſt diſſolui per ſubſequens matrimonium. Firmat, quia dictum matrimonium

matrimonium contractum ante Baptiſmum, quamuis conſummatum, diſſoluitur per nouum matrimonium ratumconuerſi, ſed hoc diſſoluitur per profeſſionem, vt conſtat; ergo etiam illud quamuis conſummatum ſit. Nam, vt habetur *l. de acceſſionibus. ff. de diuerſis temporaneis præſcriptionibus.* Vinco vincētem te, à fortiori vincam te.

2 Contrariam ſententiam iudico veriorem, quam tenent Abulenſis 1. *Reg. cap.* 8. *q.* 68. *&* 78. Coninch *diſp.* 26. *dub.* 5. *n.* 65. Hurtado *diſp.* 8. *difficultate* 14. *n.* 51. & alij. Iuxta quam

Dico *primò*, certum eſſe, matrimonium conuerſi cum infideli contractum ante Baptiſmum, quando non eſt conſummatum, diſſolui per ſolemnem profeſſionem in religione. In hoc omnes conueniunt. Quia tunc abſque dubio diſſoluitur non minus quàm matrimonium ratum celebratum poſt Baptiſmum, diſſoluitur per profeſſionem, quia in fauorem religionis eſt eadem prorſus ratio.

3 Dico *ſecundò*, matrimonium conuerſi cum infideli contractum & conſummatum ante Baptiſmum non diſſolui per ſolemnem ac religioſam profeſſionem. Mouetur, *primò*, quia nullo iure nititur oppoſitum. *Secundò*, quia vis, ſeu efficacitas, quam profeſſio ſolemnis habet ad diſſoluendum matrimonium ratum baptizatorum, tantum prouenit ex iure Eccleſiaſtico, vt oſtenſum eſt ſuprà *diſp.* 20. *ſect.* 3. & ex auctoritate Eccleſiæ extraordinaria & peculiariter à Chriſto conceſſa; ſed in Eccleſia non agnoſcitur facultas ad diſſoluendum matrimonium conſummatum, vt omnes concedunt; ergo in profeſſione ſolemni non eſt vis ad diſſoluendum matrimonium conſummatum ante Baptiſmum. *Tertiò*, tota ratio illius priuilegij quo matrimonium conuerſi diſſoluit id quod prius inerat cum infideli, eſt vt conuerſio non ſit onèroſa conuerſo, quæ verè eſſet, ſi cogeretur, aut vitam cælibem tranſigere, aut cum infideli moleſtè cohabitare. Quæ ratio tota ceſſat quando conuerſus profitetur ſolemniter in Religione, quia tunc perſeuerantia vinculi antiqui matrimonij non eſt onèroſa ipſi conuerſo, vtpote eligenti ſtatum continentiæ, & diſſolutio illius non eſſet ipſi vtilis, ſed tantùm infideli; vnde hoc caſu tale priuilegium cederet in fauorem ſolius obſtinati, ad quem tamen conceſſio non ſpectat. *Vltimò* in ſingularibus priuilegiis quæ à iure communi exorbitant, non eſt argumentum à ſimili, vel fortiore, vt docent communiter Doctores. Et patet in hac materia; nam, vt cum aliis docet Sanchez *diſp.* 76. *n.* 3. *&* 7. fidelis non poteſt ingredi religionem non monito infideli: imò etſi legitimè ingreſſus ſit, tenetur egredi, ſi ante profeſſionem alter conuertatur; ad quæ tamen non obligat matrimonium ratum. Vnde ſequitur non omnem obligationem, quam ingreſſus in religionem ſoluit in matrimonio rato, ſoluere etiã in matrimonio infidelium. Igitur è contrario poterit matrimonium conuerſi præſtare, quod nequeat efficere matrimonium ratum.

4 Dico *tertiò* non diſſolui matrimonium conuerſi cũ infideli, per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum, vel per emiſſionem voti ſimplicis caſtitatis in ſeculo. In hoc etiam Sanchez *n.* 11. ſentit nobiſcum. Quia id nullo fundamento probatur. Eſt verò notandum, quãdo conuerſus legitimè & licitè eſt profeſſus, aut Sacris initiatus, quia infidelis renuit conuerti, non eſſe reſtituendum infideli relicto, quamuis conuerſo poſt profeſſionem, aut ſacram ordinationem: ſecus tamen, ſi priùs conuerſus nondum eſt profeſſus, quamuis ſit nouitius.

Ad argumentum oppoſitum dico, nullum apparere fundamentum, neque militare eandem rationem in vtroque caſu, vt conſtat ex dicto ſecundo, ideoque ab vno ad alium non eſſe bonam conſequentiam. Ad confirmationem dico, illud dictum, Si vinco vincentem te, à fortiori vincam te, non ſemper habere locum niſi in caſibus iuris ordinarij, imò ipſius naturæ, quando videlicet in vtroque eadem ratio militat, & quando vtrumque ex eodem iure conſtat. In præſenti autem caſu neque currit eadem ratio, vt dixi, neque vtraque diſſolutio fit ex eodem iure; quia diſſolutio antiqui matrimonij conuerſi cum infideli fit iure diuino Chriſti per matrimonium nouum ratum: at diſſolutio matrimonij rati per profeſſionem fit tantum iure Eccleſiaſtico.

Sectio IX.

An diſſoluto iam fidelis conuerſi matrimonio, poſſit & liceat infideli ad aliud matrimonium tranſire.

Certum eſt, diſſoluto matrimonio per tranſitum fidelis conuerſi ad alias nuptias, vel ad profeſſionem, validè infidelem pertinacem in ſua infidelitate ad alias nuptias tranſire. Patet, quia cum matrimonij vinculum nequeat claudicare, eo ipſo quòd diſſoluitur ex parte conuerſi, diſſolutum manet ex parte vtriuſque; atque adeò illo matrimonio diſſoluto, nihil eſt quod valori matrimonij tunc per infidelem initi obſtare poſſit. Solùm igitur eſt difficultas, an vbi prius matrimonium nouis nuptiis conuerſi, aut profeſſione illius diſſolutum eſt, peccet infidelis ad alias nuptias tranſiens. 1

Negant licere. Sotus *in* 4. *d.* 39. *q. vnica art.* 4. Bartholomæus de Ledeſma *dub.* 56. de matrimonio poſt quartam concluſionem. Vega 1. *tomo ſumma c.* 13. *caſu* 15. *&* 2. *tom. cap.* 34. *caſu* 146. *in fine*, & alij. 2

Primò, quia in pœnam delicti infidelitatis interdicitur illi coniugium; quãuis non ex prioris matrimonij, quod iam penitus eſt diſſolutum: interdicitur autem iure naturali diuino, quia coniugem infidelem ex matrimonij lege obligabat vt fidelem ſequeretur. Vnde infidelis ille nolens conuerti, non ſolùm in ius diuinum omnes ad Baptiſmum obligans, peccat, ſed etiam contra matrimonij legem, atque adeò contra eandem peccat, ſi nubat.

Secundò, prius matrimonium tantùm videtur diſſolui quoad coniugem fidelem qui relinquitur. Sic enim deciditur *c. quanto, de diuortiis, & c. finali* 28. *q.* 2. Non ergo infideli licebit ad aliud matrimonium tranſire.

Veriſſima tamen ſententia affirmat licere infideli diſſoluto matrimonio fidelis conuerſi, ad aliud migrare. Ita Abulenſis, Ledeſma, Enriquez & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *diſp.* 77. *n.* 6. Ratio à priori eſt, quia nulla eſt lex quæ id vetet infideli pertinaci; ergo non peccat. Antecedens probatur, quia in primis non eſt lex humana Eccleſiaſtica, cùm ipſe ea non ligetur; nam Eccleſia caret iuriſdictione in infideles. Non eſt diuina poſitiua, cùm non extet. Non denique naturalis, quia nequit aſſignari: nam ſoluto matrimonio vtpote cauſa, ceſſant etiam omnes leges quæ ſequebantur illud, & obligabant ex natura ipſius. Vnde ſicut mortuo coniuge ad fidem conuerſo, negari non poteſt licitum eſſe infideli ad aliud matrimonium tranſire, non obſtante peccato quod in legem matrimonij admiſit. Ita ſimiliter licitum erit id, poſtquam conuerſus ad alias nuptias, vel ad profeſſionem 3

ſionem tranſiit. Firmatur, quia manifeſtum eſt non eſſe concedendam maiorem prohibitionem reſpectu infidelis, quàm reſpectu fidelis eiuſdem criminis rei contra matrimonij legem, cum grauius ſit fidelis delictum. At fidelis peccans in legem matrimonij, nolens abſque iuſta cauſa coniugem ſequi, ſed ab eo prorſus recedens, diſſoluto eo matrimonio per mortẽ, aut profeſſionem alterius cõiugis, poteſt ad aliud matrimonium tranſire. Igitur idem concedendum eſt infideli in ſimilem matrimonij legem delinquenti.

4 Ad primum argumentum oppoſitum, reſpondeo non conſtare de tali pœna. Vnde quamuis infidelis peccauerit in fractione legis contra prius matrimonium, ſed non contrahendo ſecundum, vt dictum eſt.

Ad ſecundum, negandum eſt antecedens; nam quãdo verè dirimitur matrimonium, ſemper diſſoluitur quoad vtrumque coniugem, eo quòd nequeat quoad vinculum claudicare. Quare cùm illi Canones dicunt diſſolui ius matrimonij ex parte eius qui relinquitur, ſolum volunt ei ſoli competere ius ſoluendi matrimonium. Cæterùm hoc ſemel ſoluto, nequeunt velle, durare adhuc vinculum ex parte alterius, cùm implicet manifeſtè iſtud vinculum matrimonij non eſſe inter duos.

DISPVTATIO XXXVII.

De impedimento impotentiæ matrimonium dirimente.

IMPOTENTIA coëundi, id eſt, ad carnalem copulam conſummandam, impedimentum eſt ex dirimentibus, in confeſſionibus frequenter occurrens, & ideo illius cognitio eſt Theologo deſideranda. Et quamuis in hac materia multa ſint quæ vix honeſtè dici queãt, quia tamẽ ſunt omnino neceſſaria, ad varios conſcientiæ caſus enodandos, ea explicanda ſunt, ſolita claritate ac breuitate, ac modeſtia poſſibili.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit impotentia coëundi, & quando cenſenda ſit impotentia perpetua, & quando temporalis.

1 Circa primum, quid ſit impotentia, præmitto prius quid propriè ſit potentia coëũdi. Hæc enim potentia non ſolùm eſt vas fœmineum penetrandi, ſed etiam potentia ſeminandi intra illud. Ratio eſt manifeſta, quia de ratione matrimonij eſt traditio poteſtatis corporis ad copulam coniugalem; at non reputatur copula coniugalis deficiente ſemine, quia copula carnalis, per quam conſummatur matrimonium, eſt ea per quam coniuges efficiuntur vna caro; at dum ſemen non recipitur intra clauſtrum fœminæ, non efficiuntur vna caro. Quare coitus non ſumitur præcisè prout ſolùm eſt via ad actum coniugalem perficiendum, ſed prout includit quoque ſeminationem intra vas. Erit igitur potentia coëundi, potentia non ſolùm vas fœmineum penetrandi, ſed præcipuè potentia ſeminandi intra illud.

Hinc autem rectè colligitur quid ſit impotentia coëundi, ſeu ad carnalem copulam conſummandam. Eſt igitur iuxta Toletum *lib. 7. cap.* 12. debilitas, qua quis impeditur vas fœmineum penetrare, & intra illud ſeminare. Breuiùs ac meliùs ſic diffiniri poteſt impotentia, vitium impediens coitum. Sic in genere ſumpta impotentia, complectitur omnem ſpeciem impotentiæ, tam impotentiam naturalem, quæ prouenit ex cauſa intrinſeca naturali, vt ex frigiditate viri, aut ex fœminæ arctitudine, quàm artificialem, quæ conſurgit ex cauſa extrinſeca accidentali, vt ex maleficio, quod vtrique ſexui commune eſt. Vnde prædicta definitio optima eſſe videtur, quia conuenit tam ſexui virili, quàm etiam fœmineo.

Vt impotentia quotuplex ſit declaretur, videamus priùs quotuplex ſit ipſa potentia in ordine ad carnalem copulam conſummandam. 2

Quintuplex itaque enumerari poteſt potentia. *Alia* ad penetrationem vaſis fœminei, & non ad effuſionem veri ſeminis. *Alia* eſt è contra ad effuſionem veri ſeminis, non ad penetrationem vaſis. *Alia* ad penetrationem vaſis, & ad effuſionem veri ſeminis, ſed non intra vas: quod aliquando contingit ob nimium calorem, ratione cuius ſemen ſtatim ante penetrationem vaſis ſpargitur, & vertitur. *Alia* ad omnia prædicta, nempe ad penetrationem vaſis, & ad veri ſeminis emiſſionem, & intra vas fœmineum, ſed non ad generationem: quia ſemen aliàs verum ratione alicuius accidentis eſt infœcundum, quæ dicitur impotentia coëundi communiter. *Alia* denique eſt potentia completa & perfecta ad generationem.

Simili igitur modo quintuplex poteſt diſtingui impotentia. *Alia* eſt impotentia ad penetrationem vaſis, quæ eſſe poteſt in eo, in quo eſt potentia ad veri ſeminis emiſſionem. *Alia* eſt impotentia ad effuſionem veri ſeminis, quæ eſſe poteſt in eo, in quo eſt potentia ad penetrationem vaſis. *Alia* eſt impotentia ad emiſſionem ſeminis intra vas; quæ eſſe poteſt in eo, in quo eſt potentia ad penetrationem vaſis, & ad ſeminis emiſſionem. Quælibet impotentia ex dictis, dicitur impotentia coëundi; quia potentia ad coëundum eſt potentia ad hæc omnia, nempe ad penetrationem vaſis, & ad emiſſionem veri ſeminis, & intra vas. *Alia* eſt impotentia ad ſolam generationem ob ſolam infœcunditatem ſeminis quamuis veri, & dicitur ſterilitas. *Alia* denique eſt impotentia totalis ad hæc omnia, vt ſolet reperiri in aliquibus viris ob ipſorum omnimodam frigiditatem.

Præterea, quælibet impotentia ex dictis, vna eſt perpetua, & altera temporalis. Rurſus quælibet ex his, tam videlicet temporalis, quàm perpetua, vna eſt abſoluta, quæ in ſe, & abſque reſpectu ad has, aut ad alias perſonas eſt impotentia, atque ideo eſt impotentia reſpectu omnium perſonarum: altera eſt reſpectiua, quæ tantùm eſt impotentia reſpectu vnius, aut alterius perſonæ, ſed non reſpectu omnium. Denique quælibet impotentia ex dictis, tam videlicet temporalis, quàm perpetua, & tam reſpectiua quàm abſoluta, alia eſt naturalis, quæ prouenit ex defectu alicuius naturaliter requiſiti, alia eſt artificialis, quæ prouenire ſolet ex arte, ſeu maleficio dæmonis, & poteſt etiam prouenire ex opere hominis, vt ex caſtratione, vel abſciſſione mẽbri, vel cõtuſione teſticulorũ.

Circa ſecundum, quando impotentia cenſenda ſit perpetua, & quando temporalis; oportet id prius explicare, vt poſtea melius intelligatur qualis ſit quæ dirimit matrimonium contrahendum. Difficultas verò eſt quando impotentia cenſeatur perpetua, ſiue conſurgat ex parte viri, ſiue ex arctitudine, aut virginitate fœminæ. 3

Doctores conueniunt, eam impotentiam, ſiue abſolutam, ſiue reſpectiuam, ſiue naturalem, ſiue artificialem,

tificialem, tam ex parte viri, quàm ex parte fœminæ, cenſeri perpetuam, quæ nulla arte humana, abſque miraculo, vel abſque corporali periculo remoueri valet. Conſtat id ex *cap. fraternitatis 6. de frigidis*, illis verbis Innocentij Tertij. Nos tamen perſpicaciter attendentes, quòd impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter diuinum miraculum per opus humanum, abſque corporali periculo potuit remoueri. Ex quo textu vniuerſi Doctores colligunt, eá impotentiā exiſtimari perpetuā, quæ nequit auferri humana induſtria abſque miraculo, vel abſque corporali periculo. Quare concludūt, ſi ſolo miraculo auferri poſſit, eſſe perpetuam, & ſimiliter ſi poſſit per opus humanum, nō tamen abſque corporis periculo. At eſſe temporalem, quando naturaliter ſine eo periculo auferri poteſt.

Nomine verò periculi corporalis in eo capite, vt bene Sāchez cū multis *diſp. 9. n. 18.* ſolius mortis periculum intelligitur. Moueor, quia idémet textus *cap. fraternitatis, verſ. per hæc autem*, ſe explicuit, appellans mortis periculū, quod paulo antea *in verſ. Quamuis*, appellauerat corporale periculū, ibi: Niſi per inciſionē, aut alio ſibi modo violētia inferatur, nō ſolū modo leuis, ſed fortè tam grauis, vt ex ea mortis periculum timeatur. Vnde nomine periculi corporalis, ſeu mortis, non intelligitur mors ipſa, vt quidā dixerunt, quia quod abſque morte auferri poteſt, non cenſetur perpetuū, ſed ſolùm illius periculū, vt ait textus. Et ratio eſt, quia tametſi id quod abſque morte auferri poteſt, nō ſit phyſicè perpetuū; ſi tamen nō poſſit abſque periculo mortis, eſt moraliter perpetuū: nā periculum mortis moraliter æquiualet morti. Non verò intelligitur periculū grauis morbi adhuc perpetui; quia periculū grauis morbi, quamuis perpetui, non æquiualet morti phyſicæ. Quod autem auferri nequit abſque graui & perpetuo morbo, cenſetur perpetuū: quia iſte æquiualet moraliter morti phyſicæ, non minus, imò magis quàm periculum mortis; quia ad vitandum talem morbum poteſt rationabiliter appeti periculum mortis, imò etiam & ipſa mors. Quòd ſi abſque mortis periculo ſubueniri poſſit impotentia, cenſebitur tēporalis, quia medicabilis eſt abſque vitæ diſcrimine.

Ex eodem textu *cap. confraternitatis*, colligo, cenſeri impotentiā perpetuam, quando nequit auferri per opus humanū abſque peccato. Nā textus expreſsè decidit eſſe impedimentū temporale, quod per opus humanum auferri poteſt. Intelligi autem debet de opere humano licito. Ratio eſt, quia id tantùm poſſumus, quod iure, ſeu licitè poſſumus; igitur impotentia quæ ſine peccato auferri non poteſt, dicetur impoſſibilis ablatu, & perpetua. Quare maleficium tunc cenſendum eſt perpetuum, quādo ſolo alio maleficio auferri poteſt: quia is auferendi modus eſt omnino illicitus.

Sectio II.

An impotentia naturalis ad coëundum dirimat matrimonium contrahendum.

1 Certum eſt *primò* apud Doctores, & probat vſus Eccleſiæ, impotētiam ad ſolā generationē, quæ dicitur ſterilitas, quamuis abſolutā & perpetuā, & naturalem, non inhabilitare matrimonium. Conſtat id in parentibus D. Ioannis Baptiſtæ, inter quos verū fuit matrimonium, cùm tamen Eliſabeth eſſet ſterilis, *Luc. 1.* Ratio eſt, quia ſteriles, aliàs potentes ad verè ſeminandū intra vas fœmineum, nullo iure inhabiles ſunt ad matrimoniū: non iure poſitiuo, quia nullum extat; neque iure naturali, quia verè ſunt potentes ad exercendum actum coniugalem, ratione cuius, quantum eſt ex parte ipſius, coniuges fiunt vna caro, id eſt, fiūt principium vnius carnis, ſeu prolis, etiamſi ob aliquod accidens nō ſit futura generatio. Et quamuis hoc matrimonium fruſtretur fine primario, qui eſt prolis generatio; conſequitur tamen finem ſecundarium, nēpe, ſatisfacere concupiſcentiæ, vera copula habita. Quod ſufficiens eſt ad eius valorem.

Secundò etiam eſt certum, ſenes dum potentes ſunt ad ſeminandum intra vas, quamuis iuuentur medicinæ arte, habiles eſſe ad matrimonium; tametſi eorum ſemen ſterile ſit, & non prolificum. Probat id vſus Eccleſiæ, ſolam ſenectutem non obſtare valori matrimonij. Et ratio eſt, quia eorum ſemen ex ſua natura eſt ſufficiens ad generationem, quamuis ob eius debilitatem non ſit futura generatio. Vnde ſeni decrepito præciſè ob ſenectutem neganda non eſt facultas ineundi matrimonij. Quod adhuc certius eſt in fœmina quantumcumque vetula, quia frigiditas coitum viri ſenis impediens, ipſi non obſtat; quia ipſa patiens eſt, & ſemen recipit; ad quod calor iuuenilis non deſideratur. Hoc intellige ſi ſeminatio fœminæ non ſit neceſſaria ad generationem. Nam qui eam neceſſariam diceret, fœmina impotens ad ſeminandum eſſet inhabilis ad matrimonium. Si autem vir ſenex ſit adeò exhauſtus, vt omnino impotens ſit ad copulam habendam, nec iudicio Medicorum iuuari arte poſſit, incapax eſt matrimonij ineundi: cùm is non poſſit ad copulam, vtpote ſibi impoſſibilem, obligari. Idem dico, ſi ſenex ille poſſet quidem coire, id eſt, penetrare vas fœmineum, non tamen ſeminare intra vas. Tunc enim irritum eſſet matrimonium. Ratio eſt, quia, vt dixi *præcedenti ſect. n. 1.* de ratione matrimonij eſt traditio poteſtatis corporis ad copulam coniugalem. At non reputatur copula coniugalis deficiente ſemine. His poſitis, 2

Difficultas eſt, an impotentia naturalis ad coëundū, id eſt, ad penetrationē vaſis, quæ eo ipſo eſt per ſe impotentia ad ſeminandum intra vas, dirimat matrimonium contrahendum. Dicam breuiter quod communius eſt ac magis receptum apud Doctores.

Dico ergo *primò*, impotentiam ad coëundum, quādo tantùm eſt temporalis, etſi naturalis ſit, & abſoluta, non dirimere matrimonium. Ita ſupponitur *in cap. fraternitatis 6. de frigidis*. Et patet, quia nō dirimit iure naturali, vt liquet: nam qui tantùm eſt impotens ad tempus, poteſt ex natura rei ex tunc tradere dominiū ſui corporis ad vſum coniugalē poſtea poſſibilē, & ad eum poſtea ſoluendum obligari. Qui enim in præſenti nō eſt ſoluendo, cùm tamen ſit ſpes fore in futurū, poteſt ad ſoluendū obligari; cuius obligationis incapax eſt ſolùm qui nunquam ſoluēdo foret, Neque etiā dirimit iure poſitiuo, quia nullū extat. Vnde cōcluſio vera eſt, quāuis dicta impotentia ignoretur ab altero contrahente. Ita rectè notauit Sanchez *diſp. 92. n. 4.* Quia nec in caſu talis ignorantiæ dirimit iure aliquo poſitiuo; nullū enim tale reperitur. Neque etiā iure naturali, quia ea impotētia non tollit ſimpliciter matrimonij finem, ſed ſolùm ſecundùm quid inſtar erroris qualitatis. 3

Quòd ſi interroges, an laborās hac impotētia tēporali, & ſciēs peccet nubēdo. Dicā nō peccare. Quia lex matrimonij obligat ad reddēdū debitū, inſtar præceptorū affirmatiuorū, nimirū ſēper, nō tamē pro ſēper, ſed ſalua incolumitate perſonæ, & tēporibus cōmodis. At hic poteſt obligari ad reddendū tempore quo fuerit potens: ſicut impotens ad tēpus ad ſoluendū debitum pecuniarium, non peccat, ſi ſe ad ſoluēdum obliget tēpore quo certus eſſe ſoluendo fore. Igitur nulla eſt culpa ex natura rei. At poſſet eſſe, ſi diu duratura eſſet impotentia, & non detegeretur coniugi poten-

ti, ratione deceptionis. Quia eſſet deceptio in qualitate valde neceſſaria, & alter exponererut incontinentiæ periculo. Nec ipſi coniugi imputari poſſet, non inquiſiuiſſe circa hoc, quia defectus ille potentiæ eſt occultus, & de eo nunquam inquiri ſolet.

4 Dico *ſecundo*, dictam impotentiam naturalem, quæ eſt vera impotentia, quando eſt perpetua & abſoluta, dirimere matrimonium, ſaltem cōtrahendum in ordine ad generationem. Ita conſtat ex *33. q. 1. per totam*, & ex toto titulo *de frigidis, & maleficiatis*. Et ratio eſt, quia ſic impotens eſt materia inepta vt obligari poſſit ad actum coniugalem, ratione cuius coniuges fiant vna caro, ſeu per ſe principium vnius carnis; ergo & ad contractū matrimonij, ex quo per ſe oritur obligatio ad dictum actum. Dixi de impotentia, quæ eſt verè impotentia, nam quę ſolùm eſt maxima difficultas, etiam ſi ſit cum periculo ægritudinis, non dirimit matrimonium. Quod patet ex *c. 2. de coniug. leproſ.* vbi dicitur matrimonium cum leproſo eſſe validum. & ex *c. fraternitatis, de frigidis*, vbi quando per inciſionem abſque mortis periculo factam poteſt mulier arcta reddi apta copulæ, definitur valere matrimonium. At in vtroque euentu eſt maxima difficultas.

5 Dico *tertiò*, impotentiam perpetuam ſeminandi intra vas, tametſi ſit potentia vas fœmineū penetrandi, dirimere matrimonium; id docent omnes. quia ad matrimonij valorem deſideratur tranſlatio dominij corporum in ordine ad vſum; ſed qui eſt omnino impotens, non habet dominium iſtius vſus, cùm reuera nullus ſit vſus, ſed incapacitas ad illum; ergo. Firmo, quia in vinculo matrimonij includitur radicalis obligatio ad copulam, vt latè oſtenſum eſt ſuprà *diſputatione decima tertia, ſectione quarta*; ergo ſupponitur ſemper potentia ad vſum, vt poſſit contrahi iſta radicalis obligatio. Quare valde diuerſum eſt contrahere ſine animo vtendi matrimonio, & per matrimonium non tradi poteſtatem ſaltem radicalem ad vſum. *Primum* optimè intelligitur fieri poſſe, vt latè oſtendi prędicta *diſp. 13. ſect. 7. & 8. Secundū* verò videtur omnino impoſſibile, vt *ibid.* oſtēdi *ſect. 4.* Qui autē omnino impotēs eſt, nec radicaliter poteſt ſe obligare ad impoſſibile.

6 Dico *quartò*, quamuis ſit potentia ad ſeminandum extra vas, imò in ore vaſis, ſi tamē ſit impotentia perpetua ad penetrationem vaſis, & ad ſeminandum intra vas, prædictam impotentiam dirimere matrimonium. In hoc etiam conueniunt Doctores. Probatur, Tum quia hæc ſeminatio per ſe non ſufficit vt per eā coniuges fiant vna caro, id eſt, principium vnius carnis, etiam ſi fortè & per accidens aliquando ſufficiat, ſi fortè aliquando virtute naturali matricis intromittitur pars aliqua ſeminis ſufficiens ad generationem. Tum etiam, quia potentia ad ſic ſeminandum eſt impotentia moralis ad ſeminandum, quia talis ſeminatio nequit fieri abſque peccato. Quare potens coire, incapax tamen perpetuò ad ſemen emittendum in vas, ſi id vitium ita ſit perpetuum vt nulla medicinæ ope tolli poſſit, eſt incapax matrimonij. Verum eſt, vt notauit Sanchez *diſp. 92. n. 10.* non eſſe matrimonij incapacem, virum, ſi non totū ſemen poſſit intra vas fundere, ſed partem. Quia ea ſeminis pars intra vas recepta ſufficiens eſt ad conſummandum matrimonium, & efficiendum coniuges vnam carnem.

7 Dico *vltimò*, ſi fœmina tam arcta eſſet, vt non poſſet ſemen intra vas recipere, nec arte aliqua iuuari poſſet, incapacem matrimonij eſſe, & hanc impotentiam perpetuam dirimere matrimonium. Patet, quia ad matrimonij valorem, vt dictum eſt, requiritur vt cōiuges efficiantur vna caro, ſeu principiū vnius carnis; vbi eſt impotentia ſeminandi intra vas, atque ita conſummandi matrimonium nequeunt coniuges effici vna caro. Nihil autem refert, an ex parte viri, an ex defectu fœminæ cōſurgat talis impotentia; ſat eſt, eū natura matrimonij petat ſeminādi intra vas potētiā, vt ſic poſſit tradi poteſtas corporum ad actū coniugalē, nequit matrimonium conſiſtere abſque ea potentia. Ex dictis

Colligo *primò* nihil referre ad prædictum impedimentum dirimens impotentiæ perpetuæ, qua ex cauſa illa in viro conſurgat. Quamuis enim in viro frequenter impotentia coëundi procedat ex frigiditate illius, attamen aliquando poteſt etiam ex nimio calore conſurgere, quia præ nimio calore ita præproperè ſeminat, vt vas expectare nequeat: & tunc ſi id impedimentum ſit perpetuum, quod nec arte medicinæ, nec triennio experientiæ ceſſat, dirimet matrimonium. quia eſt eadem omnino ratio. Idem ait Sanchez cum multis *n. 13.* Si impotentia in viro proueniat ex abominatione mulieris. Quia ſunt viri qui ad pulchram mouentur, & non ad deformem: & contingit aliquando ita abominabilem fœminam apparere viro, vt nullatenus poſſit moueri ad coitum cum illa, nec excitare poſſit concupiſcentiam: nam tunc idem cenſendum eſt, ac de impotentia ex maleficio proueniente. Si enim mediis adhibitis, ac experientia triennali præmiſſa non ceſſet, diſſoluetur matrimonium. Nihil enim refert, ſiue à natura, ſiue ex accidenti impotentia promanet ad irritandum matrimonium, ſi verè impotentia veraque ſit, & impediat poteſtatem tradendi corporis ad copulam coniugalem; quia illud accidens reddit eam impoſſibilem. Conſtat enim impotentiam ex maleficio conſurgentem eſſe valde accidentarium, & tamen coniugium dirimit, vt infrà dicemus. 8

Sectio III.

Verùm impotentia naturalis ad ſeminandum, dirimat matrimonium, quando eſt potentia ad penetrationem vaſis.

HÆc difficultas mouetur propter eunuchos & ſpadones, qui poſſunt coire, ſeu penetrare vas, quāuis ſemen emittere nequeant. De quibus nonnulli affirmant idoneos eſſe ad matrimonium ineundum. 1

Primò, quia impotentia ad ſeminandum, quando eſt potentia ad penetrationē vaſis, non inhabilitat ad matrimonium iure Eccleſiaſtico, quia eo iure tantùm inhabilitat impotentia ad coëundum, vt conſtat ex ipſo iure, quæ idem videtur ac impotentia ad penetrationē vaſis: neque inhabilitat iure naturali, quia potententia ad penetrandum vas, quamuis deficiat ad ſeminandum intra vas, ſufficit ad ſe daudam concupiſcentiam propriam, & alterius; ergo iure naturali ſufficit ad matrimonium; quòd etiam ſua natura ordinetur in remedium concupiſcentiæ.

Secundò ſenes ſteriles, aut mulieres, quæ nequeunt parere ſine vitæ periculo, aut non niſi fœtum mortuum, ſunt idonei & potentes ad contrahendum, quia nec generatio, nec poteſtas generandi ſunt de eſſentia matrimonij, ſed coëundi ſolum. Hanc autem habent eunuchi; ergo.

Tertiò, ex doctrine Ariſtotelis *lib. de generatione anim. c. 4.* teſticuli non deſiderantur ad generationem, quamuis expediant. Quod probat experientia tauri, qui recèns caſtratus cum vacca coïens, illam prægnans reddidit.

Vltimò Putiphar appellatur Eunuchus Pharaonis *Gen. 37.* cùm tamē genuerit filiā, quam duxit Ioſeph. 2

Noſter verò Henriquez *lib. 11. de matrim. c. 8. n. 1.* in

come-

commẽto, lit. R. ait, ſi daretur aliquis eunuchus verũ ſemen emittens, eum non eſſe iure naturæ inhabilem ad matrimonium, ſed ſolo iure Eccleſiaſtico, ob motum proprium Sixti V. facientis eunuchos matrimonij incapaces.

3 Dico *primò*, impotentiam ad ſeminandũ, quamuis ſit potentia ad penetrandum vas, inhabilitare matrimoniũ ex natura rei. Hoc commune eſt apud Theologos, & videtur certũ: quia ad matrimonij ſuapte natura requiritur corpus aptum, vt fiat vna caro cũ corpore alterius, id eſt, principium vnius carnis, vt conſtat; & etiam requiritur quòd ſit aptum ad reddendum debitum coniugale; ſed qui eſt impotens ad verè ſeminandum, non eſt aptus, vt fiat vna caro cum altero; quia copula abſque ſeminatione non efficit, duos eſſe carnem vnam, ſeu principiũ vnius carnis, vt patet, neque ſufficit ad ſatisfaciendum debito coniugali, quia coniugi non ſatisfit copula ex ſe inſufficiente ad generationem. Firmo; nam ſi potentia ad copulam neceſſaria eſt ad valorem matrimonij, erit etiam neceſſaria potentia ad ſeminandum intra vas, quia copula abſque tali ſeminatione ex ſe eſt omnino vacua & inutilis, tametſi adſit ſeminatio in ore vaſis; ergo ea eſt per ſe inſufficiens, vt coniuges fiant vna caro, & ad ſatisfaciendum debito coniugali; niſi quando ſit intromiſſio partis ſeminis ſufficientis ad generationem, quamuis non totius.

4 Dico *ſecundò*, eunuchos, qui ſana & integra virilia habent, & ſolo altero teſticulo orbati ſunt, nemini dubium eſſe eos aptos eſſe ad matrimoniũ. Ratio eſt, quia hi verum ſemẽ, & idoneũ generationi emittunt; teſticulus enim ille vnus poteſt miniſteriũ generationi neceſſariũ exercere, ſpiritus ad illã requiſitos retinens, & tanquam follis membra commouens, ſicut alter ſolus oculus videndi actum perfectè exercet. Imò cùm virtus vnita fortior ſit ſe ipſa diſperſa; & in illũ vnum teſticulũ omnes ſpiritus generationi neceſſarij coëant, qui in vtrumque confluere deberent, ſolent ij ad generandum potentiores eſſe, vt docent Medici.

5 Dico *tertiò* ſpadones, ſeu eunuchos vtroque teſticulo priuatos, ſiue quia eis ſunt auulſi, ſiue cõcuſſi, ſiue attriti, eſſe inhabitales ad matrimoniũ iure naturali, & Eccleſiaſtico. Ratio eſt, quia, vt oſtensũ eſt tam in hoc, quàm in præcedenti ſectione, ad matrimonij veritatẽ & naturam deſideratur potentia verũ ſemen intra vas fœmineum emittens. At eunuchi, quamuis poſſint vas penetrare, & humorem aqueum ſimilem ſemini emittere, ſunt tamen impotentes ad perfectam copulam, qua poſſint fieri vna caro cum fœminis, quia carent vero ſemine, ad cuius formationem ſunt neceſſarij teſticuli, ſaltem vnus, vt firmant medici ex doctrina Galeni. Firmo id totum declaratione Sixti V. in quodã motu proprio edito anno 1587. vbi deciditur dicta noſtra concluſio his verbis directis ad Nũtiũ Hiſpaniæ Apoſtolicum: Committimus fraternitati tuæ, & mandamus, vt coniugia per dictos, & alios quoſcumque eunuchos, & ſpadones vtroque teſte carẽtes, cum quibuſlibet mulieribus defectum prædictũ, ſiue ignorantibus, ſiue ſcientibus, contrahi prohibeas: eoſque ad matrimonia contrahẽda inhabiles authoritate noſtra declares: & tam locorũ Ordinariis, ne huiuſmodi cõiunctiones de cætero fieri quo quomodo permittant, interdicas: quam eos etiam, qui ſic de facto contraxerint, ſeparari cures, & matrimonia ipſa ſic de facto cõtracta, nulla, irrita, & inualida eſſe decernas. Hæc ſummus Pontifex. Ex quibus cõſtat iam dubitari non poſſe eunuchos eſſe incapaces veri matrimonij, quamuis fœmina eius defectus conſcia velit iure ſuo cedere. Nam id etiã in hoc euẽtu deciſum eſt in eo motu proprio. Conſtat etiã ex eiſdem verbis, Sixtũ V in eo motu proprio nihil nouum ſtatuiſſe, ſed ſolũ ius antiquum & naturale declaraſſe. Tum, quia id firmant verba illa, *auctoritate noſtra declares.* Tum maximè, quia non ſola matrimonia in poſterum contrahenda irritauit, ſed etiam iam contracta. Quod Põtificem efficere non poſſe conſtat, ſi valida fuerant. Quare mens Pontificis fuit declarare attento omni iure matrimonium eunuchorum eſſe irritum, ac eos ſemper fuiſſe matrimonij incapaces; vtpote qui verum ſemen emittere non poſſunt. Ex quo infero ſi per impoſſibile daretur aliquis eunuchus veri ſeminis emittendi compos, non excluderetur iure antiquo, nec naturali à matrimonio, nec prædicto motu proprio, qui nihil denuo ſtatuit, ſed ſolũ ius antiquũ declarat. At cùm id ſit impoſſibile, meritò Sixtus V. in vniuersũ matrimonia eunuchorum vtroque teſticulo carentiũ irrita eſſe declarauit. Quòd ſi aliquãdo fuere permiſſa olim matrimonia eunuchis, & tolerata ab Eccleſia, ideo fuit, quia veritas iſta nõdum apparebat, nec erat id ita manifeſtè declaratum.

Ad argumenta oppoſita.

6 Ad primum, iam cõſtat impotentiam ad ſeminãdũ intra vas, inhabilitare ad matrimoniũ, quamuis adſit potentia ad penetrationẽ vaſis, nõ ſolùm iure Eccleſiaſtico; quia in eo nomine copulæ, & coitus intelligitur perfecta, & ſufficiens ad generationẽ; ſed etiã iure naturali: quia, vt dictũ eſt, corpus abſque potentia ad ſeminandũ, & intra vas, non eſt apta materia ad matrimonium. Addo neque ſufficiens eſt ad ſedandã concupiſcentiam. Neque enim eunuchus ſatisfacit fœminæ per veram copulam ſuapte natura aptã ad generationem. Nec finis matrimonij eſt remedium concupiſcentiæ habitum per copulam quamcumque, ſed per copulam aptam generationi, qualis non eſt, ſine veri ſeminis emiſſione.

7 Ad ſecundum, ſimiliter dico de ſenibus, ſi eſſent ita exhauſti, vt adhuc arte medicinæ adiuti nequirent coire ſeminando intra vas, eſſe inhabiles ad matrimoniũ; quia militat eadẽ ratio, licèt ex accidenti hoc eueniret; quia tamen hoc non contingit, ſed licèt decrepiti ſint, vel natura, vel arte poſſunt potẽtes reddi, ideo ſemper valet matrimonium, & vſus Eccleſiæ fauet nunquam ob ſenectutẽ prohibens nuptias, vt dictum eſt ſuprà *ſect.* 2. *n.* 2. De ſterilibus iã ibi dictũ eſt *n.* 1. eſſe capaces, quia poſſunt emittere verũ ſemẽ intra vas ex ſe aptum ad generandum. Idem dicendum de moribundo, matrimonium quod ab ipſo contrahitur eſſe validum: quia extrinſecũ omnino eſt quòd non ſit futurus matrimonij vſus, cum reuera ſit potens. De cõiugio autem fœminæ non potentis parere abſque manifeſto mortis propriæ periculo, mihi videtur verius cũ Sãchez *diſp.* 92. *n.* 18. validum eſſe. Tũ, quia impotẽtia pariẽdi nõ eſt neceſſaria ad generationẽ, ſeu conceptionem, & eſt quid poſterius ipſa matrimonij natura, vnde illud vitiare nequit. Tum etiã, quia illa periculoſi partus circũſtantia non eſt perpetua: nã ſenectutis tẽpore quando iã mulier ſterilis erit, ceſſabit. At impotẽtia tẽporalis non dirimit matrimoniũ, vt cõſtat ex *ſect.* 2. *n.* 5. Et quãuis fœmina ſit impotens ad pariendum illicitè nuberet ob dictum periculum, nec excuſari poſſet à culpa ob graues tentationes carnis quas pateretur: tunc in eo caſu adhuc matrimonium validum eſſet. Quia vt matrimonium valeat, ſatis eſt actum coniugalem ex ſe eſſe licitum, quamuis ex aliquo accidenti illicitus reddatur. Idem dico de fœmina quæ potens eſt ad reddendum debitum, nequit tamen parere niſi filios mortuos; ob eandem rationem.

8 Ad tertiũ, magis in ea re credẽdũ eſſe Galeno, & aliis medicis, quã Ariſt. qui dicũt teſticulos eſſe neceſſarios

ad generationem in animalibus perfectis. De tauro verò illo recens caſtrato, dicitur generaſſe ex ſemine ante caſtrationem recentem deciſo.

Vd vltimum, rectè oſtendit noſter Benedictus Pererius Valentinus *tom.4. in Geneſim c.37.diſp.9.* paulo poſt principium, Eunuchum ſumi in Scriptura ſacra pro miniſtro Regis. Sicut *Geneſ.40.* pincerna, & piſtor Regis appellantur eunuchi.

SECTIO IV.

An impotentia coëundi perpetua & naturalis, dirimat matrimonium, etiam in ordine ad caſtè viuendum.

1 PRocedit quæſtio de modo contrahendi coniugium cum voluntate & conditione expreſſa caſtè viuendi, an ſcilicet valeat matrimonium impotentis ad ſeminandum intra vas, cognita etiam impotentia, dummodo in ordine ad caſtè viuendum celebretur, & ſine ordine, ſeu ſine intentione, & animo ad copulam.

2 Cum nonnullis Doctoribus, præſertim cum Hugone de S. Victore viriliter defendit Baſilius Ponce *lib.7.c.56.57.& 58.* matrimonium potentis cum impotente ad caſtè viuendum etiam cognita impotentia validè celebrari.

Primò, quia id quod ad eſſentiam contractus requiritur, tantum eſt quòd ſit mutua coniunctio animorum in naturalem vitæ ſocietatem cum diuerſitate ſexus, ſed totũ hoc in matrimonio huiuſmodi impotentium celebrato ad caſtè viuendum reperitur; ergo illud eſt verum ac legitimum matrimonium. Maior probatur. Tum quia non repugnat matrimonium in ratione contractus eſſe ſine vllo prorſus ordine ad copulam, ex illo generali principio, vbi dominium diſtinguitur ab vſu, poteſt eſſe contractus circa materiam dominij ſine ordine vllo ad vſum, quia tam vſus, quàm dominiũ poteſt eſſe vnumquodque ſeparatim integra materia contractus. Ex quo fit corpus generationi aptum non eſſe neceſſariam materiam huius contractus. Tum etiam, quia commune eſt omni Sacramento non conſiſtere, ſi deſit materia ad illud neceſſaria, nec Baptiſmum ſine aqua, nec Euchariſtiam ſine pane & vino, nec pœnitentiam ſine peccatis & dolore, nec vnctionem ſine oleo. Igitur nec matrimonij Sacramentum conſiſtit ſine vera, & neceſſaria materia, atque adeò ſine corpore apto ad generationem, ſi illud eſt materia, quam neceſſariò poſtulat. At omnium ſententia certum eſt ſuperueniente impotentia perpetua non diſſolui matrimonium. Igitur non eſt neceſſaria materia ad matrimonium corpus aptum generationi. Neque enim alia ratione ſi contingat mutatio ſexus, qua naturaliter fœmina mutatur in virum, matrimonium diſſoluitur, non alia ratione, niſi quia diuerſitas ſexus eſt neceſſaria huius contractus materia. Si igitur corpus aptum eſt ita requiſitum, vt niſi ſit, nulla poſſit valida interuenire traditio, tolle corpus aptum, ceſſabit, & diſſoluetur contractus: ſicut ſi ſexum mutes, extingues vinculum coniugij

Secundò, ad matrimonium non videtur neceſſaria mutua corporum traditio ad coitum, ſed ſufficit ad dictam ſocietatem; quia matrimonium ſua natura non tantùm ordinatur ad prolis generationem, ſed etiam ad eã ſocietatem: ergo quãuis impotentia ad coitum inhabilitet matrimonium contrahendum ad prolis generationem, non verò ad dictam ſocietatem.

Tertiò, oſtenditur ex *cap. Conſtitutioni, de frigidis & maleſic.* vbi ſermo eſt de contractu valido matrimonij, & agitur de eo, qui contrahit cum fœmina ita clauſa, vt adiri nõ poſſit, cognita ea impotentia. Quid ergo fieri debeat, decernit Lucius Papa his verbis: Romana Eccleſia conſueuit in conſimilibus iudicare, vt quas tamquam vxores habere non poſſunt, habeãt vt ſorores. hoc eſt, caſtè viuant, atque ita ſe habeant, quoad oſcula, tactus, & amplexus, ac ſi cum ſorore viuerent. Decernit ergo Pontifex, eorum coniugia validè celebrata, dummodo caſtè viuere velint.

Quartò, idem firmatur authoritate Cæleſtini III. *cap. laudabilem, eodem tit.* vbi hæc habet. Requiſiſti quantum tempus indulgendum ſit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis. Et infrà. Nos verò in præſenti conſultatione ſentimus, vt à tempore celebrati coniugij, ſi frigiditas prius probari non poſſit, cohabitent per triennium: quo elapſo, ſi nec tunc cohabitare voluerint, & iuxta decretum Gregorij, mulier per iuſtum iudicium de viro probare potuerit, quod cum ea coire non poſſit, accipiat alium. Si autem ille aliam acceperit, ſeparentur. Quod ſi ambo conſentiant ſimul eſſe, vir eam, etſi non vt vxorem, ſaltem habeat vt ſororem. Hæc Cæleſtinus. In quibus decernit valere matrimonium, ſi ſit ad caſtè viuendum, vt eam qua vxore maritali licentia vti non poteſt, habeat vt ſororem.

Vltimò, in nulla matrimonij definitione fit mentio coniunctionis in ordine ad coitum, ſed tantùm in ordine ad vitæ, & munerum ſocietatem; ergo id tantùm ſufficiens eſt ad contrahendum validè matrimonium.

Verùm hanc ſententiam contra communem ſenſum totius ſcholæ admittere non poſſum. Omnes namque Scholaſtici, vt optimè notauit Vaſquez *3.p. tom. 2. diſput. 125. cap. 7. num. 74.* in hoc vnum conſpirant, vt matrimonium ſuapte natura ad conſuetudinem & copulam ſecundùm carnem neceſſariò habeat ordinem, & connotationem. Nam ſi eſſentia matrimonij in ſola illa coniunctione animorum per dilectionem, & habitationem conſiſteret, poſſet quidem inter fratrem & ſororem, inter patrem & filiam, & inter filium & matrem iure ipſo naturali eſſe matrimonium; ſiquidem inter eos poteſt eſſe animorum ſocietas in charitate ad perpetuã cohabitationem, quod tamen eſt abſurdum. Inter eos autem matrimonium, alia ratione eſſe nequit, niſi quia hæc matrimonij coniunctio ſuaptè natura ad hoc eſt, vt filij generentur. Vnde rectè dixit Auguſt. *lib. 19. contra Fauſtum c. 26.* matrimonium ſic fuiſſe vocatum, quia mulier ea ratione nubit, vt mater fiat. Videantur dicta à nobis ſuprà *diſput. 13. ſect. 5.* Et certè ſi ſola animorum coniunctione per charitatem, & habitationem matrimonium conſtaret, verum non eſſet: Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, *Geneſ.5. & Matth.19.* Nam propter huiuſmodi vinculum tantum, natura, & charitas ipſa non prohiberet cum alio coniungi; quin potiùs ad manendum cum patre & matre, & diligendum eos inclinaret & moueret. 3

Quare ad præſentem quæſtionem, dico dictam impotentiam dirimere matrimonium contrahendum etiam in ordine ad caſtè viuendum, & in ordine ad naturalem vitæ, & officiorũ in diuerſo ſexu ſocietatem. quod ſatis colligitur ex motu proprio Sixti V. præcedenti ſect. adducto. Vbi ſine vlla diſtinctione matrimonij ad hunc, vel ad illũ vſũ, abſolutè dicitur, impotentes eſſe inhabiles, ſeu ineptos ad matrimoniũ contrahendũ. Idẽ nõ leuiter deducitur ex dictis capi-

tibus

tibus *conſolationis*, & *laudabilem*: dum in eis abſque vlla limitatione, aut diſtinctione matrimonij ad hunc, aut ad illum vſum abſolutè dicitur, quando eſt impotentia ad coitum, fœminam non poſſe haberi vt vxorem, ſed tantùm vt ſororem. Et in dicto *cap. laudabilem*, & in aliis eiuſdem tituli apertè ſupponitur, potentem, qui matrimonium contraxit, (id eſt, contrahere attentauit,) cum impotente, poſſe aliud matrimonium contrahere. Probatur noſtrum dictum,

Primò, quia ex vi contractus matrimonij traditur dominium, ſeu poteſtas corporis alteri, & è contra, vt conſtat ex Paulo 1. *Cor.* 7. & ex communi conſenſu: ſed per traditionem talis dominij, ac poteſtatis ad dictam ſocietatem, non traditur dominium corporum, ſed tantùm per traditionem dominij, ſeu poteſtatis ad commixtionem carnalem; quia per hanc ſolam commixtionem coniuges dicuntur vri corporibus, & non ex eo quòd ſimul viuant, & ſibi inuicem obſequantur. Igitur nullum eſt verum matrimooium, niſi quod contrahitur in ordine ad copulam. Cumque dicta impotentia ad copulam dirimat matrimonium cõtrahendum in ordine ad generationem, dicendum eſt abſolutè & omnino dirimere, cùm nequeat validè contrahi niſi in ordine ad illam.

Secundò matrimonij vinculum ex ſe & ex ſua ratione formali nequit eſſe, neque intelligi abſque ordine & connotatione ad copulam; quia vinculum matrimonij reſultans ex conſenſu mutuo & traditione, & acceptatione mutua corporum facta vi mutui contractus, ſecum neceſſariò includit verum & reale ius, ac dominium radicale corporum, quod certè nequit intelligi ſine ordine & connotatione ad copulam. Videantur ſuprà dicta *diſput.* 13. *sect.* 3.

Vltimò conſenſus mutuus contrahentium neceſſariò debet ferri in obligationẽ aptitudinalẽ & radicalem reddẽdi debitum; ergo nequit intelligi per ſolũ ordinẽ & reſpectum ad illam ſocietatem, & cõiunctio[...] Antecedens oſtendi ſuprà prædicta *diſp.* 13. *sect.* [...] *n.* 5. Quia quãdo duo ſunt inſeparabilia, & neceſſ[...]iò connexa, eo ipſo quòd conſenſus ad vnum [...]plicitè fertur, neceſſariò fertur ad aliud ſalte[...] implicitè. At cõſenſus coniugatorum neceſſariò [...]ebet ferri explicitè in vinculum coniugale, cùm [...]ebeat neceſſario ferri conſenſus in id quod eſt [...] eſſentia matrimonij, quale eſt vinculum. Igit[...] neceſſariò debet ferri ſaltem implicitè in oblig[...]ionem aptitudinalem, ac radicalem reddend[...]ebitum, quæ re ipſa inſeparabilis eſt à vinculo [...] neceſſariò connexa cum illo.

[...] argumenta contrariæ ſententiæ.

Ad primum, negatur propoſitio. Ad primam eius probationem, admittimus dominium diſtingui ab vſu; cæterùm negamus dominium corporum mutuum poſſe intelligi & concipi ſine ordine & connotatione ad vſum. Vnde falſum eſt corpus generationi aptum non eſſe materiam neceſſariam ad contractum matrimonij. Ad aliam eiuſdem propoſitionis probationem, dico verum eſſe Sacramentum non conſiſtere, nec conſeruari ſi deſit materia ad illud neceſſaria, at matrimonij Sacramentum non conſiſtit in vinculo quod permanet [...]anſacto contractu, ſed in contractu ipſo in fieri, ad quem neceſſariò præſupponi debet materia ex qua illius, quæ eſt corpus aptum generationi, vt oſtendi ſuprà *diſput.* 14. *sect.* 2. *numer.* 1. Præterea admitto impotentiam ſuperuenientem matrimonio non diſſoluere illud, quia plus requiritur ad inceptionem rei, quàm ad eius conſeruationem, nequit tamen conſiſtere matrimoniũ abſque diuerſitate ſexus: ratio eſt, quia abſq; hac diuerſitate nequit eſſe, nec cõſeruari dominiũ corporis vnius tãtùm vxoris, & alterius tanquam mariti; at dictum dominium ſemel acquiſitum poteſt benè cõſeruari abſque potentia ad copulam, dum perſeuerat diuerſitas ſexus; quia quamuis ſuperueniat impotẽtia, poteſt in diuerſitate ſexus manere dominium & abligatio ad copulam radicalis, ſi fortè impedimentum miraculosè auferatur, quamuis nequeat in principio tradi, de quo plura infrà ſuo loco.

Ad ſecundum, dico, tametſi matrimonium ordinetur ad vitæ & munerum ſocietatem, quia tamen etiam & primariò ac eſſentialiter ordinatur ad prolis generationem; ideo ab impotentibus ad coitum, vtpote per ſe ineptis ad prolis generationem, nequit validè fieri. 5

Ad tertium, & quartum deſumptum ex illis canonibus, ſolùm probari, ſupponi in illis tantùm ab impotentibus contrahi matrimoniũ, non validè, ſed quoad attentationem, etiamſi permittantur non ſeparari qui erant coniuncti, ſi velint caſtè viuere; imò & de nouo coniungi contractu quodam non matrimonij, ſed ſocietatis fraternæ ad vitæ & munerum ſocietatem. Permittuntur itaque non ſeparati. Circa eunuchos verò iam extat ſpeciale mãdatum Sixti V. in illo motu proprio, quo iam non permittuntur coniungi, ſed debere ſeparari; quamuis illi qui ante eum contraxerant permiſſi ſunt non ſeparari exceptis illis, qui conuicti fuerint ſimul dormiiſſe.

Ad vltimum, falſum eſt antecedens, quia nulla eſt definitio matrimonij in qua non fiat mentio coniunctionis in ordine ad [...]itum ſaltem implicitè: maximè in definition[...] approbata ab Alexandro III. *c. illud quoque* 1. *de præſumptionibus* nomine coniunctionis maris & fœminæ. Videantur à nobis dicta ſuprà *diſput.* [...]3. *sect. vltima.*

Sectio V.

An impotentia aliqua naturalis reſpectiua poſſit eſſe perpetua, & matrimonium dirimat contrahendum.

Certum eſt & indubitatũ apud Doctores, impotẽtiam viri naturalẽ reſpectiuã perpetuã reſpectu vnius, & non reſpectu alterius fœminæ, ſi aliqua talis inueniatur, dirimere matrimoniũ reſpectu illius fœminæ ſolius, erga quã eſt impotẽtia. Id efficaciter deducitur ex *c. fraternitatis* 6. *de frigidis*, vt infrà patebit. Præterea *c. finali.* 33. *q.* 1. conceditur impotenti ob maleficium, vt diſſoluto priori matrimonio ad aliud trãſeat, atque ideo prius matrimonium ob impotentiam illam reſpectiuam accidentalem irritum fuit. Si ergo impotentia reſpectiua ab extrinſeco proueniens id efficit, multo melius efficiet impotentia reſpectiua naturalis intrinſeca, ſi perpetua ſit. Et ratio eſt manifeſta, quia naturaliter impotens reſpectiuè, eſt impotens, vt durante impotentia fiat vna caro cum ea perſona, reſpectu cuius eſt impotens; ergo ſi impotentia naturalis reſpectiua ſit perpetua, efficit impotentem ſemper ineptum ad id; atque ideo vt contrahat matrimonium, quod ſi validè fiat, nequit non inducere ad id obligationem. Sic enim ſe habet abſolutum, & totale impedimentum reſpectu matrimonij abſoluti, ſicut reſpectiuum & particulare, reſpectu particularis. Sicut ergo illud dirimit omnem matrimonij contractum, ita hoc dirimet peculiarem. Firmatur, nam matrimonium reſpicit indiuiduam perſonam, cum qua debeat iniri. Si igitur reſpectu illius inueniretur 1

impotentia vndecunque proueniens, cui nullatenus ope aliqua medicinæ ſubueniri poſſet, reſpectu illius dirimeret matrimonium; non verò reſpectu aliarum, ſi eum aliis non eſſet ea impotentia. Quia reſpectu illius priuatæ perſonæ non poſſet eſſe obligatio ad copulam, vtpote quæ reſpectu illius eſt impoſſibilis. At poteſt eſſe obligatio cum aliis, cum quibus eſt poſſibilis.

Hinc manifeſtè ſequitur, quando propter membri virilis exceſſum fœmina non poteſt cognoſci, nec arte aliqua huic impedimento ſubueniri poteſt, eſſe irritum matrimonium cum illa, quamuis non ſit, cum aliis irritum, erga quas exceſſus ille membri non impedit copulam, ſimiliter quando ob membri virilis groſſitiem impeditur copula cum certa fœmina, nec tale impedimentum poteſt medicinis auferri, irritabitur matrimonium cum ea.

2 . Tota ergo difficultas videtur eſſe, an impotentia aliqua naturalis reſpectiua poſſit eſſe perpetua.

Sunt nonnulli Doctores, vt Bonau. *in 4. diſputat. 34. art. 3. quaſt.* 2. Petrus de Ledeſma *quaſt. 58. art. 2. dub. 5.* & alij negantes dari impotentiam naturalem perpetuam reſpectiuam reſpectu vnius tantùm, vel alterius fœminæ.

Primò ex *cap. 2. 33. quaſt.* 1. ibi. Nam ſi huic non poterit concordare naturaliter, quomodo alteri conueniet.

Secundo cap. fraternitatis, de frigid, & malef. deciditur, matrimonio diſſoluto eo quòd vir non poſſit vas fœminæ penetrare, ſi poſtmodum ea alteri nubat, & ab eo cognoſcatur, inſtaurandum eſſe prius matrimonium. Hæc deſitio non eſſet iuſta, ſi poſſet eſſe aliqua impotentia reſpectiua dirimens matrimonium, quia poſſet contingere, vt prior vir eſſet impotens reſpectu illius fœminæ, ad quam cognoſcendam poſterior vir fuiſſet potens,

Tertiò c laudabilem 5. de frigid. ſic dicitur, virum ſeparatum à fœmina; qui triennio cohabitationis tranſacto, iurauit non potuiſſe illam cognoſcere, ſi aliam cognoſcat, cogendum eſſe ad priorem fœminam redire, & tanquam reum periurij puniendum. Hæc autem deciſio erronea eſſet, ſi poſſet eſſe impotentia aliqua naturalis reſpectiua cum priori fœmina, quæ eſſet perpetua, ac matrimonium dirimens.

Vltimo, tunc cenſetur impotentia temporalis, nec matrimonium dirimens, quando per artem abſque vitæ periculo poteſt illi ſubueniri, vt conſtat ex *cap. fraternitatis, de frigid.* At talis videtur eſſe impotentia hæc; quando quis inuenitur potens ad corruptam, non autem ad virginem. Firmatur, nam fieri poteſt apertio artificioſa ſigilli virginitatis licita, & abſque vitæ periculo, qua impotens ad congrediendum cum vna, quia eſt arcta, fiat potens ad congrediendum cum alia; ergo.

Oppoſitam ſententiam iudico veriorem, quam te-
3 nent Palud. Durand. Sylueſter, Antoninus, Veracrux, & alij quamplurimi, quos refert & ſequitur Sanchez *diſputat. 93. numer.* 5. Baſilius Ponce *lib. 7. cap. 61.* Henriquez *lib. 12. cap. 7.* Hurtado *diſput. 22. diffic. 6.* & alij. Antequam probetur hæc ſententia, ſuppono quod certum eſt, inhabilitatem coniugum ad conueniendum, de qua nunc eſt ſermo, conſiſtere in aliquo naturali defectu, qui alicui eorum, vel vtrique ineſt: & obeſt ne inuicem congrediantur; qui defectus tunc perpetuus iudicari debet, quando medio aliquo facili, & licito ſecundùm iura, talique, vt prudentia & æquitas admittendum iubeat, tolli non poteſt. Quod enim fieri non poteſt niſi præternaturali medio, aut illicito, aut cum vitæ periculo, aut cum graui aliquo inconuenienti, id nec ius, nec prudentia, nec ratio fieri poſſe dictat, ſed reſpuit, nec executioni mandandum cenſet. Vnde ſicut lethale aliquod vulnus medico eſt incurabile, quamuis chirurgo fortè non ſit; & econtra grauis aliquis morbus extra remedium erit chirurgo, quamuis non ita iudicetur à medico. Ita ſimiliter impoſſibile eſt iuri & æquitati, quod ſecundùm leges illius fieri non poteſt; id enim poſſumus, quod iure poſſumus. Præterea negari non poteſt interdum euenire poſſe fœminam aliquam tam arctam eſſe ſigilli, vt ab hoc reſerarari non poſſint clauſtra virginitatis, quamuis ab alio valeant. Similiter etiam fieri poteſt, vt vir aliquis congredi cum aliqua fœmina nequeat, valens tamen aliam corrumpere, vt conſtat etiam experientia. Et ratio eſt, quia defectus hic vel oritur ex viri debilitate, vel ex nimis arcto fœminæ ſigillo, vel ex improportione, quæ inter vtroſque reperitur. Debilitas autem, aut ſigilli conſtrictio non eſt eiuſdem rationis in omnibus, ſed quidam ſunt magis, aut minus debiles, quædam ſunt magis, & minus ſtrictæ, adſtrictæ. Vnde facile eſt euenire aliquem potentem eſſe ad tentandum aditum non ita præcluſum, qui tamen clauſtrum aliud prærumpere non valeat. Quod idem cẽſendum eſt de fœmina, ac de impotentia quæ ex membrorum vtriuſque coniugis improportione, aut praua, & diſtorta compoſitione prouenit. Hoc præmiſſo facilè probatur concluſio. Nam contingere poteſt quòd vir ſit ita debilis, & mulier ita arcta, aut membrum viri ſit ita groſſum, & os vaſis fœminæ ita anguſtum, vt nequeat vlla humana induſtria fœmina ei viro proportionari abſque vitę periculo, vt ab eo cognoſcatur, & quòd ſit proportionata alteri, aut poſſit proportionari abſque dicto periculo, vt poſſit ab eo cognoſci, id enim negari non poteſt. Igitur negandum non eſt, poſſe eſſe impotentiam aliquam naturalem reſpectiuam quæ ſit perpetua, ac proinde matrimonium dirimens. Firmatur hæc doctrina *cap. fraternitatis, de frigid.* poſtremo caſu illius capitis, vbi ſeparato matrimonio, quòd vir mulierem arctam cognoſcere non poſſet, atque illa alteri nubente, qui ipſam corrupit; non deciditur abſolutè prius matrimonium eſſe inſtaurandum, ſed quanto poſterior vir ſimilis eſt priori: inde coniectura ſumpta ſicut potuit poſterior, ita potuiſſe priorem; atque ita non fuiſſe impotentiam reſpectiuam perpetuam, ibi: Cùm pateat ex poſtfacto quòd ipſa cognoſcibilis erat illi, cuius ſimili commiſcetur. Supponit itaque textus non reſtaurandum eſſe, ſi prior vir debilior erat, atque ita poſteriori diſſimilis; & conſequenter eſſe impotentiam naturalem reſpectiuam perpetuam, quæ matrimonium dirimat. Videatur Baſilius Ponce, id rectè expendens *c. 61. num. 6. & 7.*

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum, dico textum illum intelligi debere, quando fœminæ alicui concordare non poteſt vir na- 4
turaliter, id eſt, naturali frigiditate impediente, vt explicat ibi Gloſſa verbo *naturaliter*, quod impedimẽtũ non eſt reſpectiuum, ſed abſolutum; ſecus eſt quãdo vir non eſt frigidus, ſed ob membri debilitatem, propter exceſſum, vel groſſitiem non eſt aptus alicui fœminæ; tunc enim fieri poteſt, vt aliis aptus ſit, vt dixi.

Ad ſecundum iam conſtat textum illum eſſe pro nobis Nam ibi non deciditur abſolutè reddendam priori viro, ſed quando vterque ſimilis eſt: quia poſterior à quo fuit corrupta, non erat diſſimilis priori, atque ideo ſicut poſterior, qui erat priori ſimilis, nẽpe quoad ætatem, robur, & inſtrumentum, potuit illam cognoſcere, ita potuiſſet etiam prior, & ideo definitu-

meritò

meritò reſtituendam eſſe priori viro. Vnde in dicto capite manifeſtè ſupponitur non fore reſtituendam, ſi prior vir fuiſſet debilior, & poſteriori diſſimilis; atque ideo poteſt eſſe impotentia naturalis reſpectiua perpetua matrimonium dirimens.

Ad tertium, dico, cum textum procedere, quando allegata eſt frigiditas viri, vt conſtat ex initio textus; tunc enim non poteſt eſſe impotentia reſpectiua; cùm frigus ſit prorſus impotens.

Ad vltimum dico firmare noſtrum dictum. Ad cõfirmationem conſtabit ex dicendis *ſect. ſequenti*.

Sectio VI.

Vtrùm coniux naturaliter impotens, cui licitè, abſque periculo vitæ poteſt humano remedio ſubueniri, teneatur pati tale remedium altero id exigente.

1 PRæſens difficultas procedit in duplici caſu. *Prior* eſt de fœmina, in qua eſt defectus ob extraordinariam arctitudinem, cui per inciſionem iudicãt Medici poſſe abſque mortis periculo ſubueniri, vt reddatur apta viro, an teneatur illam pati. *Secundus* caſus eſt quando defectus eſt in viro ob extraordinariam debilitatem, nam ipſa arcta non eſt.

2 Baſilius Ponce *lib. 7. cap. 62.* exiſtimat, ſi virginitas fœminæ trium annorum congreſſu atque conatu viri non fuit violata, etiamſi illa integritas medio aliquo facili, hoc eſt quod in vitæ periculum non adducat, puta medicamento, vel cauterio, vel aperiendo ſigillũ tolli poſſit tale impedimẽtũ, cenſendũ eſſe perpetuũ & matrimoniũ declarãdũ nullũ, nec fœminam teneri huiuſmodi pati remedium, ſed talis coniugij onere liberam eſſe, & poſſe alteri nubere, qui clauſtra, naturali, non aſcititia claue reſerare poſſit. Probat, quia illud eſt impedimentum perpetuum, quod tolli non poteſt niſi medio aliquo miraculoſo, vel cum vitæ periculo, vel quod ius & æquitas iniquum iudicant. At medium hoc deflorandi fœminã artificio aliquo, ſecluſo ſui viri congreſſu, eiuſmodi eſt, quod nec ratio, nec natura, nec iura permittunt. Probatur. *Primùm*, quia fœminam aliquam eſſe virginem, integram, illibatam, non eſt vitium, neque defectus aliquis naturalis, quinimo magni reſpetij apud honeſtas fœminas, atque adeò non tale eſt quod aliquo medicamento indigeat, velut ægritudo aliqua, vel morbus, neque cui ſecundùm ius & æquitatem debeat adhiberi medicina. Si ergo quòd fœmina virgo ſit, tantum obeſt, quominus à viro, cui nupſit agnoſcatur, & mater fiat, non debet vt amittatut virgineus ille flos, remedium aliquod adhiberi. *Secundò* fœminam virginem artificio corrumpi, vt poſſit viro concumbere, horret natura, & honeſtas non patitur, atque ideo fieri nullo modo debet. Natura enim hunc florem virgineum fœmineo inſeruit corpori, vt erga maritos argumenti eſſet benè & honeſtè actæ vitæ, pignus ſeruandi in poſterum fidei, ac veluti pretioſiſſimum munus, quod viris prima nocte congreſſus offerrent; ergo indecens eſt, & contra id quod exigit rectè inſtituta natura, fœminam honeſtam cogere, vt à ſe alienet, antequam viro ſuo copuletur, id quo gratior ipſa eſſe poſſit viro, nẽpe virgineũ florẽ. *Tertiò*, commune eſt cuicũque contractui obligationem inducere iuxta ſolẽnitatem, formam, & cõditiones quibus celebratur; ac propterea cũ matrimoniũ cõtractus quidã ſit in quo vir & vxor ſe mutuo tradunt in vſum matrimonij, ea conditio ſubintelligitur, quamuis non exprimatur, ſi ad eum vſum apti fuerint. At manifeſtum eſt non ſubintelligi, vt apti ſint ad vſum tertij, ſed inuicem alter alterius comparatione habilis, vxor quæ ſe tradit viro, vt ab illo cognoſcatur, non verò à medico, igne, vel obſtetricis manu. Igitur iuxta naturam huius contractus cogi nõ poteſt fœmina, vt patiatur aliquo artificio ſibi virginitatem eripi, quæ ſola obeſt viri debilitati. Vltimò, quod magis vrget, ſi artificio aliquo reſerari virginitatis clauſtra, aptum, & ſine inconuenienti, & æquitati conſonum medium eſſet; cur nunquam Eccleſia præcepit, definiuit, conſuluit, aut permiſit fieri ad componendas lites multas, quibus plena ſunt iudicum Eccleſiaſticorum tribunalia? Solùm enim trium annorum cohabitatio decreta eſt. Signum ergo eſt medium hoc vt illicitum, & iniquum, contra fas & honeſtatem neglectum, neque admiſſum ab Eccleſia.

Dico *primò*, certum eſſe apud Doctores, fœminam teneri, ſi poſſit fieri inciſio abſque graui damno, ſine graui dolore, & ſine graui infirmitate. Patet, quia id neceſſarium eſt ad ius copulæ quod per matrimonium tranſtulit. Tum etiam, vt eius vir non cogatur, cùm ſit omnino innoxius, cælibem vitam perpetuò ducere, fruſtratus fine matrimonij. Vnde cùm id poſſit præſtare abſque graui damno, tenetur ex iure matrimonij, cui aliter ſatisfieri nequit. 3

Dico *ſecundò*, fœminã teneri quoque pati inciſionẽ illam cum moleſtia & graui dolore, & cauterio faciendam, ſi abſit periculum vitæ & grauiſſimæ infirmitatis. Ita etiam communiter docent Doctores. Ratio eſt, quia cùm verum ſit matrimonium, ius ſui corporis tranſtulit fœmina in virum; ergo vbi poteſt abſque periculo vitæ, & grauis infirmitatis ſe aptam reddere viro, tenetur ex vi legis ac iuris matrimonij. Firmo, nam illi graui dolori ex inciſione & medicationibus ſuſcipiendis, præponderat ius ad vſum matrimonij à viro adquiſitum, periculum incontinentiæ maximum, ac pollutionum vtriuſque coniugis. Igitur dicendum eſt teneri fœminam hanc pati inciſionem, quando ſine corporis detrimento & periculo grauis infirmitatis fieri poteſt: quandoquidem mulier ipſa in eas anguſtias ſe coniecit ſua culpa; debuiſſet enim ſibi proſpicere ante nuptias, maximè cùm defectus eſt in fœmina; tunc enim quis dicet durum eſſe eam obligare ad ſolutionem debiti cum tanto dolore? 4

Dico *tertiò*, ſi ſit periculum grauiſſimi morbi, ne dum vitæ, non teneri pati fœminam illã inciſionem. Ita Sotus, Ludouicus Lopez. Barth. Medina, Vega, Enriquez, & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *diſp. 93. n. 32.* Ratio eſt, quia non videtur mulier cum tanta iactura obligari ad debitum coniugale; ex qua obligatione conſurgere debet ius viri ad cogendam fœminam pati eam inciſionem. 5

Dico *quartò*, etiamſi defectus ſit in viro ob extraordinariam debilitatẽ, & prædicta inciſione fœminæ remedium adhibeatur, ſi id fieri poſſit abſque futura graui infirmitate, teneri fœminã ad id patiendum. Ita Sanchez *citatus*, & alij. Contrarium docet Petrus de Ledeſma *q. 58. a. 1.* & Hurtado *diſp. 12. difficultate 7. ad finem*. Quia fœminæ nullus eſt defectus vt reddat, ſed tantùm viro; ergo ipſi tantùm & non fœminæ incumbit vti remedio, quo defectus ipſius ſuppleatur; fœminæ verò ſufficit offerre debitum modo ordinario, & non alio extraordinario medio. Nihilominus probatur concluſio, quia prædictum matrimonium verum eſt & legitimum; ergo per illud fœmina verè tranſtulit ius ſui corporis in virum. Ergo vbi poteſt abſque magno incommodo grauis in 6

infirmitatis ſe aptam reddere viro, tenetur. Nec valet dicere ex parte viri hunc defectum conſurgere. Quia cùm vir culpa vacet, & naturali illi imbecillitati mediri nequeat, neceſſe eſt inquirere remedium ex parte fœminæ, vt ipſi viro aptetur Antecedens illud ſupponitur vt certum, & patet, quia ſi iudicio medicorum impedimentum impotentiæ medicabile ſit abſque corporali periculo, quamuis fœmina renuat inciſionem, aut medicamenta neceſſaria quibus apta reddatur viro, firmum eſt matrimonium. Quia eius firmitas & valor non pendet ex fœminæ voluntate, ſed ex ipſa rei natura, iuxta quam impedimentum illud temporale eſt, vtpote quod poteſt per artem abſque corporis periculo tolli, Vnde ſi fœmina poſtea pœnitentia ducta acceptaret medicamina, ſeu inciſionem, & illis redderetur apta viro, id matrimonium eſſet validum, cùm impotentia ſit temporalis, & tamen non eſt denuo contractum. Igitur antea erat validum. Ratio eſt, quia cùm illud impedimentum poſſit abſque periculo auferri, eſt temporale, & ideò non irritat matrimonium. Si verò Medici dubitarent an immineat mortis periculum ex illa inciſione, tunc ſubeſſet mortis periculum: ſicut Medicis iudicantibus an cibus aliquis lethalis ſit, peccaret mortaliter eo vtens, vtpote, qui verè periculo mortis exponitur. Et ideo dubius an res aliqua ſit culpa mortalis, nec illam vitans, peccat mortaliter. Similiter ergo, quando dubitatur de periculo mortis ex inciſione, verè nequit fœmina pati illam inciſionem, quin mortis periculo ſubdatur, ac proinde, id impedimentum auferri non poterit abſque mortis diſcrimine; & tunc matrimonium erit nullum. Firmatur ampliùs dictum: nam obligatio prædicta fœminæ naſcitur ex eo, quod quicumque tenetur ad aliquod obſequium, tenetur conſequenter ad requiſita ad illius exhibitionem. Vnde hæc obligatio non naſcitur ex impedimento præſtito per mulierem, ſed ex iure matrimonij, cui aliter nequit ſatisfieri. Eſt verò notandum prædictum noſtrum dictum eſſe intelligendum, vt illud ſit verum, quoties potentia viri cum corruptis eſt manifeſta. Quia ea non conſtante, fortè vir eſt frigidæ naturæ, nec eius frigiditatem poterit virgo ſemel reſerata probare, eo negante: & iacturam virginitatis irreparabilem patietur, nec alteri ita commodè nubet. Quare cautiſſime iudex procedere debet antequam ad hoc medium perueniatur: prius enim conſiderare debet an vir ſit frigiditate, aut maleficio affectus.

7 Dico *vltimò*, teneri ſimiliter virginem nuptam prædictam pati inciſionem, quando ſine corporis detrimento fieri poteſt. Ita Sanchez *citatus*, cum Ledeſma, Vega, Angles, Ludouico Iopez, & aliis. Probatur ſimilibus rationibus in præcedenti dicto adductis. Nec virgini ſequitur detrimentum maximum ex apertione clauſtri: nam cùm id matrimonium ſupponatur validum, ius nullum habet fœmina ad virginitatem tuendam. Quare hoc non eſt reputandum damnũ, eo vel maximè quòd ſi poſtea diſſoluatur matrimonium durante viri impotentia, notoria erit innocentia fœminæ per ſententiam Eccleſiæ præpræcipientis inciſionem, & declarantis virum impotentem. Quare id remedium etiam in Virgine licitum eſt, & obligare poteſt, vt actus honeſtus, de iuſtitia debitus redditionis debiti fieri poſſit.

8 Ex his patet ſolutio ad argumenta Baſilij. Negandum enim medium inciſionis iura non permittere, & eſſe contra rationem & naturam.

Ad primum igitur concedimus virgineum florem magni eſſe habendum; cæterùm eo ipſo quòd virgo verè nupſit viro, ius nullum habet ad illum tuendum; & ius ipſum matrimonij conſtringit, vt ipſi viro cui nupſit, verè aptetur medicaminibus, & inciſione ipſa, ſi neceſſaria ſit, & eam poſſit pati abſque periculo vitæ, vel notabili corporis damno & detrimento.

Ad ſecundum, negatur antecedens; nam virginem artificio aperiri in bonum vſum matrimonij decens eſt, & conforme naturæ, & in obſequium viri iam ſui, cui iam eſt vinculo matrimonij aſtricta. Quæ enim turpitudo, vel indecentia in ea actione neceſſaria, & ordinata ad finem matrimonij iam contracti ex iure exequendum, inueniri, vel excogitari poteſt.

Ad tertium, dico illud argumentum fauere noſtræ ſententiæ. Nam quia matrimonium initum, validum eſt, & ratum, debet in ordine ad illius vſum honeſtum, & debitum ex iuſtitia ſubintelligi quæuis conditio, quæ cenſeatur neceſſaria ad hoc vt vxor copuletur viro. Quare ſi remedium inciſionis cenſeatur neceſſarium ad hunc finem, iudicio Medicorum poterit, & debebit applicari vt vxor aptetur viro iam ſuo.

Ad vltimum, reſpondeo Eccleſiam meritò adhibere illud medium de cohabitatione & experientia trium annorum in ſimilibus caſibus; quia id prius præcedere debet, antequam ad medium inciſionis perueniatur; & priùs quoque conſiderari debet, an vir ſit frigiditate, vel maleficio affectus, ex variis iuris præſumptionibus. Vnde quando ex prædictis remediis, ac præſumptionibus conſtiterit virum neutro vitio laborare, & ſolam fœminæ arctitudinem, aut virginitatem obſtare; tunc in eo euentu iudicatur inciſionem eſſe medium vnicum, & neceſſariò applicandum, ſi adhiberi poſſit abſque corporis damno, nedum periculo vitæ. Applicari verò ſolet raro, & communiter non niſi ex præſcripto & iudicio Eccleſiæ, ſeu iudicis Eccleſiaſtici, vt ſic melius conſulatur ſaluti & honori ac decori mulieris. Vnde hoc pacto reſerare clauſtra non eſt contra naturam, cùm non delectationis, ſed medicinæ adhibendæ gratia fiat. Quare peritia medicorum deſideranda eſt ad iudicandum an illo medio inciſionis ſit timor magni damni vxoris, & an ſuauioribus medicamentis id poſſit fieri, & an potius obſtet maleficium. Quæ omnia maturè expendenda ſunt prius, quàm ad medium adeò rigidum perueniatur; & quando ad illud deueniendum eſt, chirurgi peritia deſiderãda eſt quoque, vt iuxta artis præſcriptum fiat. Exiſtimo tamen cum Sanchez *diſp. 93. n. 29.* id non licere viro propria auctoritate facere: & ſi probabilis timor ſit, fore vt id intentet, ſeparanda mulier eſt, ac in loco tuto conſtituenda, donec plena ſecuritas detur. Sicut quando ratione ſæuitiæ ſit iuſta ſeparatio, iuxta *cap. literas, in fine, de reſtit ſpoli.* 9

Sectio VII.

Vtrùm impotentia ad copulam ex maleficio dirimat matrimonium contrahendum

SVppono *primò* tam virum, quàm fœminam arte dæmonis per maleficium poſſe impediri à commixtione carnali, ſeu copula. Id patet experientia & multis exemplis quæ congerit Martinus Delrius *lib. 3. diſquiſitionum magicarum p. 1. q. 4. ſect.* 8. De viro patet, quia duo reddunt virum aptum ad Venerem, nempe calor, & ſpiritus. At dæmon poteſt calorem minuere, ac ſpiritus impedire, viam illis præcludens. Poteſt enim dæmon paſſiones & affectiones excitare ac perturbare, 1

turbare. Vnde variis modis poteſt virum impotentem ad copulam reddere: nempe inflammando ad actum, vt ante coitum effundatur ſemen; vel refrigerandu ab actu illo, adhibeudo occultè virtutes rerum quas uptimè nouit: turbando imaginationem, & æſtimatiuam, qua reddit mulierem viro exuſam menti, obüciendu ſpeciem fœminæ deformis; & modis aliis quus refert Delrius *loco citato*. De fœmina quoque, licèt ratio contingat, quia frequentiùs id malum in viros ſerpit, probatur, quia poteſt fœmina maleficiari per ſolam phantaſiæ læſionem, vt cùm vir conatur accedere, illa ſubitò hurreat genitale viri, quaſi improportionatæ magnitudinis, & nulla ratione ſinit ſe cognoſci, quia dæmon efficit ſpeciem in phantaſia mulieris, vt mēbrum aliter appareat, quàm reuera ſit. Solet etiam dæmon vas fœmineum arctare.

2 Suppono *ſecundò*, maleficium raró contingere circa omnes, & communiter eſſe erga vnam, vel alteram perſonam. Ratio eſt, quia cùm dæmon voluntariè & non ex neceſſitate naturæ agat, poteſt reſpectu vnius impedire, relicta potentia nun impedita erga alias perſonas. Nam impedimentum maleficij poteſt eſſe ex dæmonis impreſſione in huminis imaginatione, ex qua tollatur viro concupiſcentia mouens ad talem mulierem, & non ad aliam.

3 Suppono *tertiò* hanc impotentiam ex maleficio cōſurgentem, poſſe eſſe aliam temporalem, & aliam perpetuam; aliam reſpectiuam, & aliam abſolutam. Non ſecus ac idem diximus de potentia naturali.

4 His præmiſſis, difficultas eſt, an aliqua impotentia ad copulam ex maleficiu conſurgens dirimat matrimonium.

Almaynus *in 4. d. 34. q. vnica, ad finem*, & Gloſſa *in cap. finali 33. q. 1. & in cap. fraternitatis, de frigidis*, docent nullam impotentiam ex maleficiu prouenientem dirimere matrimoniom contrahendum.

Primò id colligi videtur ex *c. ex litteris, de frigidis*, cùm dicitur; ſi vitium illud mulier à natura contraxit, nec upere Medicorum potuerit adiuuari: viro aliam accipiendi liberam tribuat facultatem: vbi ſupponi videtur, quandu impotentia non prouenit à natura, nun dirimere matrimonium.

Secundò nulla imputentia ex maleficio prueniens eſt perpetua; quia nullum eſt maleficium quod auferri non poſſit per ipſum maleficium licitè, ſaltem per eius auctorem.

Tertiò ſequeretur eſſe in dæmonis poteſtate, ex matrimonio, non matrimonium, & ex non matrimonio matrimonium conſtituere: quia in eius eſt poteſtate efficere impedimentum temporale ex maleficio proueniens, eſſe perpetuum; & econtra perpetuum, eſſe temporale. Oppoſita ſententia eſt communiter recepta apud Doctores, quos refert & ſequitur Sanchez *diſputat. 94. num. 8. & ſequentibus*. Iuxta quam

5 Dicu *primò*, impotentiam ex maleficiu poſſe dirimere matrimonium. Mueor hac vnica ratione, quia quæcumque impotentia, quando eſt perpetua, dirimit matrimonium, vt conſtat ex totu titulu *de frigidis*, ſed ex maleficio poteſt prouenire impotentia perpetua; ergo. Minor probatur, quia ex maleficio effici poteſt tanta frigiditas, quanta eſt naturalis, ex qua prouenit impotentia naturalis abſoluta & perpetua. Et etiam ex maleficiu poteſt quis ita impediri, vt nequeat coire; & etiam poſt coitum nequeat ſemen emittere; & aliàs maleficium, ex quo prouenit hoc impedimentum, aliquando nequit auferri, niſi aliu maleficio, ac proinde nequit abſque peccato; ob quod impedimentum cenſetur perpetuum: aut ſi potuit abſque maleficio & peccato, auctor tamen maleficij mortuus eſt, & nullus alius eſt qui ſciat diſſolutionem maleficij, atque ideo iam humana induſtria auferri non poſſit. Igitur ex maleficiis poteſt prouenire impotentia naturalis. Firmo idem, nam ſi impotentia ex maleficio perpetua ſit, Deo permittente, vt dæmon ſicut ſemel, vel ſæpiùs poteſt impedire copiam, eam ſemper impediat; nun poteſt perſona maleficiata tradere poteſtatem ſui curporis, obligando ſe ad actum coniugalem, vtpote qui ratione maleficij perperui eſt ſibi impoſſibilis; ergu tunc eadem ratiu militat, ac quando ratione frigiditatis, vel cuiuſuis accidentis, impotens eſt. Hinc

Dico *ſecundò*, poſſe eſſe variis mudis perpetuum maleficij impedimentum, dirimens matrimonium. 6
Probatur, quia in primis tunc cenſetur perpetuum quandu abſque peccato auferri nun poteſt. At maleficium maleficiu tollere grauiſſimum eſt peccatum. Præterea cenſetur id impedimentum perpetuum, ſi nequeat tolli niſi per diuinum miraculum, vt conſtat: quia per impotentiam mudo non naturali ablatam, minimè reſtauratur prius matrimunium. Nec obeſt quòd validum ſit matrimonium inter maleficiatus, ſi poſſit maleficium exorciſmis, orationibus, aut coniugum ad Deum conuerſiune, per conuerſionem, & alia pia exercitia auferri. Quia cùm hic effectus ſoleat ſæpe eiuſmodi cauſis à Deo concedi, vtpote ad hunc finem ab eo, & Eccleſia ordinatis, non cenſetur, nec dicitur miraculuſus: ſicut nec obtentio gratiæ per ſacramenta, aut orationes. Adde, orationem, ieiunium, exurciſmum, & alia huiuſmodi opera non tantùm inſtituta eſſe ad tollēdum maleficium, ſed etiam ad impetrandam cuiuſcumque morbi ſanitatem. Rurſus cenſetur eſſe perpetuum impedimentum maleficij, ſi à ſolo maleficij auctore modu illicitu auferri poteſt: quia quod modo illicito aufertur, reputatur impoſſibile ablatu. Denique impedimentum perpetuum eſt, ſi auctor maleficij mortuus eſt, & nullus alius eſt qui calleat diſſolutionem maleficij. Quia ab omnibus reputatur impoſſibile ablatu, quod iam humana induſtria auferri non poteſt.

Dico *tertiò*, poſſe eſſe maleficium temporale, at- 7
que ideo minimè matrimonium dirimens, ſi poſſit maleficium auferri modo licito ab ipſo maleficij auctore. Ratio eſt, quia tunc reputatur impedimentum temporale, nec dirimit coniugium, quando verificatur poſſe abſque diuino miraculu per opus humanum licitum id impedimentum auferri. Sic ſe habet in prædicto euentu. Igitur, &c.

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum, dico argumentum illud eſſe à con- 8
trario ſenſu, quod non ſemper eſt efficax, præſertim quando uppoſitum continetur in iure. In eo autem continetur poſſe eſſe impotentiam ex maleficiu perpetuam, & dirimentem matrimonium, vt conſtat ex *cap. finali 33. q. 1.* Qui textus, quamuis ſit cuiuſdam Archiepiſcopi, & non Romani Pontificis; quoad hoc tamen receptus eſt tanquam textus vſu totius Eccleſiæ. Id etiam firmatur ex *cap. finali, de frigidis*. Quem textum ferè omnes intelligunt de impedimēto maleficij, quia nequit intelligi de impedimento frigiditatis. Tum quia vir ille matrimonij ſeparationem in eo textu petens, allegauit ſe ad omnes fœminas potentem eſſe, præterquam ad vxorem. Tum etiam, quia iniunctum eſt vtrique, vt pœnitentiam de peccatis agerent: at per pœnitentiam non tolluntur impedimenta naturalia.

Ad ſecundum iam cunſtat ex dicto primu & ſecundo, poſſe omne maleficium tolli licitè per eius autorem.

Ad tertium dicu, poſſe dæmonem perſunas habi-

les

les ad matrimonium reddere ineptas, tollendn maleficiis potentiam coeundi; atque adeò in hoc ſenſu tantùm poſſe concedi, poſſe de matrimonio facere non matrimonium: negatur tamen poſſe dæmonem de non matrimonio matrimonium conſtituere, in eo ſenſu, vt ſi ſemel non valuerit matrimonium ratione maleficij perpetui, poſſit dæmon efficere vt valeat, auferendo maleficium. Si enim maleficium erat perpetuum quod modo licito auferri nequeat, quamuis arte dæmonis ſit factum temporale, aut ſublatum, non valebit prius illud matrimonium. Verum eſt dæmonem poſſe tollendo maleficium, vt perſona quæ illo impedita, non erat habilis ad matrimonium ineundum, reddatur habilis illo ſublato.

Sectio VIII.

An liceat à malefico parato ad tollendum maleficiis maleficium, id petere: & an quoque licitum ſit maleficij ſignum deſtruere, quo maleficiati ſalus obtineatur.

Circa primam ſectionis partem, breuiter

1 Dico *primò*, vt certum, nunquam ob quemcumque honeſtum finem licere vti maleficio ad tollendum quodcumque maleficium, quamuis ad id paratum ſe eſſe maleficus offerret. Ratio eſt, quia illa malefici operatio eſt intrinſecè mala, cùm ſit vſus artis magicæ, & tacita, vel expreſſa dæmonis inuocatio ad aliquem effectum obtinendum, ac proinde nullo modo benè fieri poteſt; ergo nec petere, nec conſentire poteſt vt fiat. Firmo: nam tunc ſolùm licet à parato petere id, quod ipſe ſi velit, licitè poteſt præſtare, quando petenti intereſt, vt ſuæ conſulat neceſſitati. Tunc enim non eſt petere peccatum, nec cooperari peccato alterius; quia res petita poteſt licitè fieri, & alter malitia ſua præſtat illicitè. Vnde petens ſolùm vtitur malitia alterius, illi non cooperans, vt contingit in petente ad vſuram ab vſurario parato dare: & exigere iuramentum ab eo qui paratus eſt per falſos deos iurare. Nam id quod in vtroque euentu petitur, malum non eſt, & benè fieri poteſt, ſi velit is à quo petitur. At maleficus non poteſt licitè maleficio maleficium ſoluere ob nullum bonum; quia eſt intrinſecè malum, dæmonis auxilium per maleficia inuocare.

2 Dico *ſecundò*, ſi maleficus ſciat plura media ad ſoluendum maleficium, quædam licita, & quædam illicita, licitum eſſe ab eo abſolutè petere, vt maleficium ſoluat, quamuis conſtet petenti vſurum medio illicito. Ita rectè Sanchez *diſput. 96. numer.* 12. & probat optimè, quia ex omnium ſententia licitum eſt petere ab vſurario mutuum, & ab infideli iuramentum, quando petens eis indiget, tametſi ille conſtet, illud ſub vſuris mutuaturum, & alium per falſos deos iuraturum; nec tenetur illis explicare, vt modo licito faciant; quia vterque poteſt vti modo licito, & culpa ſua illicito vti. At hæc ratio omnino vrget ſimiliter in caſu noſtro: nam petitur à malefico ſolutio maleficij, quam poteſt medio licito facere, vt ſtatim dicam, nempe auferendo ſignum; quòd ſi alio medio illicito idem præſtat, ſibi tribuendum eſt. Igitur vel illi caſus negādi ſunt contra omnium doctrinam, vel certè hic concedendus. Verum eſt, ſi eſſet ſpes quòd prodeſſet monitio, teneri petentem ex lege charitatis illum monere, vt medio licito faciat. Quod idem dicendum eſt de petente mutuum ab vſurario, & iuramentum ab infideli. Cæterùm in his omnibus caſibus omittens monitionem illam, non eſſet reus peccati inductionis malefici, ſed ſolius præcepti correctionis fraternæ violati. Eſt autem obſeruandum nullatenus licere admittere, ſi maleficus applicare velit medicinam aliquam vanam & ſuperſtitioſam. Quia eſt vti medicina vana, ac ſuperſtitioſa, nullam vim ſanandi habente niſi ope & inuocatione dæmonis, quod eſt intrinſecè malum. Nec poteſt dici hoc tantum eſſe vti peccato alterius, qui culpa ſua praue faciat; ſicut quando maleficus alio maleficio ſoluit, nulla medicina ſuperſtitioſa applicata. Quia conſentiens medicinam illam ſibi applicari, reuera vtitur ea, atque ita medio ſuperſtitioſo, & illicito. Hinc

Colligo *primò*, ſi dubium eſſet, an maleficus medium aliquod ſoluendi maleficium ſciret, quod eſſet licitum, nullatenus licere ſolutionem maleficij ab eo petere, vt rectè notauit Martinus Delrius *lib. 6. diſquiſitionum magicarum cap. 2. ſect.* 1. *quæſt.* 2. Ratio eſt, quia præſumptio eſt contra illum, præſertim quia malefici communiter ſola media ſuperſtitioſa cognoſcunt; & petitur tolli maleficium, quod non nudam priuationem importat, ſed aliquid actus poſitiui.

Colligo *ſecundò*, ab eo malefico, qui auctor maleficij illius non fuit, rariſſimè licere petere remedium maleficij: quia talis moraliter neſcit mederi ſine alio maleficio, & noua dæmonis cooperatione.

Colligo *tertiò*, nunquam licitum eſſe petere ab ipſo dæmone, ſi is maleficia dediſſet, vt ea ſoluat medio licito. Ratio eſt, quia omnis familiaritas, & amicitia cum dæmone probibita eſt, & cum eo perpetuum bellum indictum; ideo precibus ab illo peti non licet; imperio autem vti ſolum licitum eſt per exorciſmos, dumtaxat Dei nomine.

Circa ſecundam ſectionis partem, præmittendum quod latè declarat Delrius citatus *quæſt.* 3. ſolere à maleficis pactum cum dæmone iniri, vt quamdiu ligatura aliqua fuerit, vel dum res aliqua in tali loco defoſſa permanſerit, aut quid ſimile duret maleficium & ea ablata ceſſet. Hoc autem pactum dupliciter iniri ſolet. Primò pacto duplici, vt cùm conuentum eſt, vt dæmon vexet adhibito tali ſigno, & eo remoto ceſſet. Vbi eſt duplex pactum; de nocendo, ſigno appoſito, & de ceſſando, eo remoto. Poſteriori modo, quando vnicum adfuit pactum, vt quando magus ſolùm cum dæmone conuenit, vt poſito tali ſigno teneatur nocere; cuius pacti vis non obligat ad deſiſtendum à damno illato, ablato ſigno, ſed tantùm ne tunc teneatur nocere, liberumque ſit ei nocere, aut deſiſtere. 3

Hoc præmiſſo, certum eſt, quando duplex initur pactū, ſi maleficus auferens ſignū, intendat ſibi ſeruari à dæmone poſterius cum ipſo initum pactū; vel alius auferens, id ſeruari malefico intendat, manifeſtè id malum & illicitum eſſe. Patet, quia eſt confirmatio & approbatio illius pacti, ac virtute illius ſperare ſalutem. Difficultas eſt, quando tantùm eſt vnicum pactum, & tunc ablatio ſigni eſt omnimoda illius deſtructio, an liceat id maleficij ſignum deſtruere, aut remouere, quo maleficij ſalus obtineatur. Sunt nonnulli qui negant id licere. 4

Primò quia, qui ſignum tollit vt ceſſet noxa, miſcet ſe pacto, quod malefico cum dæmone interceſſit, quod eſt huiuſmodi, vt ſigno poſito dæmon nocere incipiat, ablato deſinat; ergo id eſt illicitum.

Secundò, qui ſignum tollit ſpe nocumenti ceſſaturi, tunc effectum non expectat à cauſa naturali, neque ab humana voluntate, neque per miraculum à voluntate Dei; ergo expectat à diabolo; ergo eſt opus

ſuperſtitioſum:

ſuperſtitioſum: nam perinde eſt ac ſi dæmoni dicat, Pactus es amoto ſigno te ceſſaturum, ecce amoueo ſignum, præſta quod promiſiſti.

Tertiò, diabolus non eſt alligatus ſignis, quia poteſt nocere ſine ſignis, & deſinere nocere etiam poſitis ſignis, & non deſinere ſublatis ſignis; ergo fruſtrà tolluntur ſigna, niſi intercedat pactum, vt illis ſublatis deſinat nocere.

Quartò: ſi licet ſigna malefica amouere, vel ad eam rem malefici opem implorare; ergo qui maleficium patitur, tenetur id procurare, ſi aliud remedium non occurrat.

Quintò, æquè ſigni appoſitio valet ad damnum inferendum, ac deſtructio ad ſalutem, & vtrumque eſt dæmonis adinuentio, ac ex eius inſtitutione vim lædendi, ac medendi habet: ergo ſicut ponens ad nocendum, exercet opus diaboli, ſic & amouens: ſicut ſi ars medica doceret modum medendi, auulſo aliquo extrinſeco lædente, vt capillis, medicus præcipiens capillos ægri tonderi, ne capitis dolore vexetur, opus artis medicæ exerceret.

Vltimò, D. Hieronymus *in vita S. Hilarionis* refert, cùm quædam puella per incantationes à dæmone obſeſſa adducta eſſet ad Hilarionem, noluit Sanctus pati ſigna amoueri: quibus ablatis dæmon factus eſt ſe à puella exiturum.

5 Dico *primò*, licitum eſſe malefico, vel cuicumque alteri ſigna illa malefici tollere, ac deſtruere abſque maleficio, vbi inuenta fuerint. Eſt communis doctrina Doctorum, quos referunt & ſequuntur Sanchez *diſput. 96. numer.* 3. & Leſſius *lib. 4. de iuſt. cap.* 44. *dubit. 6. numer.* 36. Probatur, quia ſi eſſet illicitum amouere huiuſmodi ſigna, id eſſet, quia ille actus amouendi cenſeretur eſſe tacita quædam dæmonis inuocatio. At id verum non eſſe oſtenditur, quia amotio illa ſignorum neque ex natura rei eſt inuocatio dæmonis, vt per ſe patet; neque ex intentione amouentis: non enim intendit dæmonem inuocare, ſed inuocationem per magum illo ſigno factam impedire, & diſſoluere; neque ex pacto antecedente: quia qui amouet ſignum, non eſt pactus cum dæmone, vt ad motionem ſigni deſinat nocere. Quòd ſi magus id pactus ſit, qui amouet ſignum, non intendit ex pacto ipſius magi operari, aut dæmonem inducere vt pactum cum mago initum ſeruet, ſed ſolum intendit pactum nocendi reſcindere, quod licitè poteſt. Quare ſicut, ſi quis cum hoſte eſſet pactus, vt dato certo ſigno, (v. g. ſuſpenſo funiculo coccineo, ſicut fecit Raab, *Ioſue 2. cap.*) accurrat, & ignem vbi iniiciat, & ego tale pactum ſcirem, poſſem illud ſignum tollere, nec vllo modo cenſerer conſentire illorum pactis, ſed potius illa odiſſe, & deſtruere: ita ſimiliter, ſi ſciam inter magum & dæmonem eſſe pactum, vt dato certo ſigno, v. g. poſito capillorum glomo ſub limine, noceat, potero illum glomum tollere, vt euerſa pacti conditione non noceat, neque cenſebor vllo modo in illud pactum conſentire. Firmo, ſi magus ipſe fateretur ſe damnum intuliſſe, eo quòd ſignum aliquod alicubi collocauerit, quis dubitet vtrumque iudicem compulſurum, vt ſignum amoueret, vt maleficiatus ad priſtinam reſtitueretur ſanitatem: non ergo peccaret ipſe maleficus amouens. Patet, quia in damno inferendo per ſigni appoſitionem, dæmon cooperatus eſt vexans. At in reſtituenda ſanitate per ſigni ablationem, nulla actio dæmonis, eiuſve auxilium interuenit, ſed mera priuatio, hoc eſt, non agere vexando, atque ideo non expectatur vt dæmon aliquid faciat, ſed deſinat facere. At expectare effectû dæmonis priuatiuum, nulla eſt culpa: ſicut licitum eſt expectare dæmonis fugam ab energumeno, vel ceſſationem tentationis, & ſimilia. Quia effectus ille non expectatur vi alicuius pacti conuenti cum dæmone, ſed potiùs diſſolutione pacti, & amicitię cû illo, abſque vlla dæmonis inuocatione.

Dico *ſecundò*, non ſolùm licitum eſſe tollere ſigna magica, ſed etiam, per ſe loquendo, ponere alia, quibus poſitis expirat, vel deſtruitur pactum prius, & diabolus deſinit nocere, & priora ſigna vim ſuam amittunt. Colligitur id ex præcedenti dicto. Ratio eſt, quia licitum eſt aliquid facere, quo poſito finitur prauum pactum, & diabolus deſinit nocere: non enim hoc eſt ſignum pacti noui, ſed euerſio, vel impedimentum antiqui. Parum verò refert quòd id proueniat ex eo quòd diabolus tali ſigno offendatur, vel quòd ipſe ſtatuerit vt tali re interueniente pactum nô conſtet, dummodo non fiat modo deprecatorio, aut affectu aliquo beneuolentiæ. Declaratur exemplis: ſi venefica te tangat, inficeris; ſi tamen illam mox repercutias, impeditur noxa, quia diabolus ſtatuit tunc non nocere. Item cùm quis à ſaga eſt infectus; dicitur ceſſare nocumentum, vel reddi inefficax, ſi infectus det illi panem, & ſalem, vel ab illa panem accipiat. Et quamuis diabolus id ſtatuerit, nihil refert; quia ſolum ſtatuit his poſitis non nocere, & vt pactum præcedens expiret. At licitum eſt aliquid facere quod per ſe eſt indifferens, vt diaboli pactum expiret, nocumentum ceſſet: hoc enim ſignum non eſt amicitiæ, quia etiam erga inimicum poteſt quis talibus ſignis vti abſque vlla ſpecie beneuolentiæ. Neque id expectatur vllus effectus poſitiuus, ſed ſolum ceſſatio à malo, qualis effectus expectari poteſt, modò non expectetur ex amicitia. Quare ſicut licitum eſt tollere ſigna, vt deſinat pactum, & nocumentum, ita licitum eſt apponere alia ſigna ad eundem finem. Hinc

Colligo *primò*, prædicta intelligenda eſſe de pura ceſſatione, non verò de aliqua actione poſitiua, aut fauore eliciendo à diabolo. Vnde ſi putaretur nocumentum per actionem poſitiuam eiuſdem, vel alterius dæmonis deſinendum, non liceret.

Colligo *ſecundò*, ſi res dubia ſit, an nimirum interueniat actio poſitiua, vel fauor eliciendus à dæmone, non licere. Quia non eſt licitum vti remedio ſuſpecto, aut de quo dubium eſt, an contineat tacitam dæmonis inuocationem, hoc enim eſt ſe exponere manifeſto periculo ſuperſtitionis; niſi fortè id fiat cum expreſſa voluntatis contrariæ proteſtatione.

Colligo *tertiò*, pari modo licitum non eſſe à mago petere vt maleficium diſſoluat, ſi dubitatur, an abſque nouo maleficio id poſſit: quia id de quo dubium eſt, an ſine peccato fieri poſſit, ſicut abſolutè non eſt faciendum, ita nec abſolutè ab alio petendum vt faciat: ſecus quando conſtat ſine peccato fieri poſſe, & cauſa iuſta petendi ſubeſt.

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum dico, tametſi tale pactum eſſet inter magum & dæmonem, & is qui ſignum tollit, id ſciret; non tamen idcirco ſe huic immiſceret, aut ei vllo modo conſentiret; quia amotione ſigni non intendit inducere dæmonê ad pactû ſeruandû, ſed ſolùm intendit deſtruere ſignum prioris pacti quo dęmô ad nocêdû alliciebatur. Vnde amotio ſignorû facta eo fine, vt ceſſet dæmonis noxa, non eſt inuocatio dæmonis ex natura rei, ſed potius euerſio prioris pacti; multo minus eſt ex intentione amouentis, vtpote quæ illi prorſus ſit contraria, ac proinde nullo modo cenſeri poteſt illicita. 7

Ad ſecundum reſpondeo, effectus qui hîc ſpectantur, non eſſe aliquam actionem poſitiuam dæmonis, ſed ceſſationem, ſeu priuationem actionis, quem effectum 8

fectum liter à dæmone expectare: nam multa quotidie facimus, vt diabolus aliquid non faciat, vel ceſſet facere, non ſolùm coactus diuina poteſtate, ſed etiam quaſi offenſus & abhorrens; vt dum geſtamus agnos D.i, & relinquias, dum vtimur aqua benedicta, dum benedicimus domos, & templa; poſſumus ergo ſimiliter deſtruere ſigna magica, vt deſinat uocere, tamquam noo amplius ad nocendum allectus. Quare non quouis modo eſt illicitum expectare effectum priuatiuum à dæmone, ſed expectare illum ex fide data, & accepta, ſeu ex vi alicuius pacti cũ dæmone initi, quod hîc non fit: non enim expectatur ex vi pacti, ſed ex euerſione pacti, ſeu inuocationis, eſt enim effectus priuatiuus qui ſufficienter ex hoc ſequitur, quòd non amplius per ſignum prouocetur, ſeu quòd prius pactum deſtruatur. Vnde qui ſic expectat ceſſationem à diabolo, non perinde facit, ac ſi dicat; præſta quod promiſiſti; ſed potius perinde facit, ac ſi dicat, pactum tuum cum mago reſcindo, ſigna tua quæ inſtituiſti ad nosendum, deſtruo; non eſt ergo quòd noceas amplius.

9 Ad tertium, negatur conſequentia; nam tolluntur ſigna, vt euertatur pactum magicum, & tacita dæmonis inuocatin. Quòd autem diabolus poſſit continuare nocumentum, Deo permittente, parum refert, modò conſtet ſemper ordinariè deſinere nocumentum ſublato ſigno; vnde non fruſtrà tolluntur; nam illi forſaſſe permiſſum non eſt ſublato ſigno nocere, neque ei permittitur à Deo vt corporaliter noceat, niſi humana malitia Ipſi dæmoni cooperetur. Neque inde ſequitur Deum habere aliqund pactum cum dæmone: ſicut ſi Rex non impediat hoſtem in ſis, quæ facit cooperantibus ſubditis, non inde ſequitur Regem habere pactum cum ſuo hoſte.

Ad quartum, dico poſſe contingere vt teneatur ſignum amouere, ſi ſciam, & cnmmodè poſſim: maximè autem ad id tenetur maleficus, qui poſuit. Sicut enim maleficus, qui diabolum inuocat verbis, vel ſcriptis, vt noceat cuipiam, tenetur ceſſare ab iſta iouocatione, quia eſt ſuperſtitioſa, & noxia, ita tenetur quoqoe ſigna poſita, quibus allicitur ad nocendum, tollere, ſi aliter nocumentum impediri nequit.

Ad quintum, negatur ea æqualitas; oam ad lædendum concurrit actio dæmonis, ſecus ad medendum; ſed ſola priuatio actionis.

Ad vltimum dico D. Hilarionem illud feciſſe gratia ſcandali vitandi, ne vulgus putaret eam dæmonis expulſionem iocantationibus niti. Addo, prorſus indignum fuiſſe tanto viro ſigna illa iubere inquiri, quaſi abſque illis oon poſſet expellere, qui excellenti miraculorum dono præditus erat.

Sectio IX.

An impotentia perpetua ad copulam, dirimat matrimonium, etiam iure naturali.

1 PRocedit quæſtio de omni impotentia perpetua, ſiue naturali, ſiue ex maleficio, ſiue abſoluta, ſiue reſpectiua. Et quidem illam iure Eccleſiaſtico dirimere matrimonium contrahendum, conſtat ex 33. *q.* 1. & ex *tit. de frigidis*, præſertim *cap.* 2. *ibi.* Sicut puer qui non poteſt reddere debitum, non eſt aptus conjugio; ſic qui impotentes ſunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur. Quæſtio igitur eſt, an etiam dicta impotentia dirimat iure naturali.

Negant Paludanus *in* 4. *diſt.* 30. *quæſt.* 1. *a.* 2. Antoninus 3 *p. tit.* 1. *c.* 15. §. 3. *columna* 4. Aogelus *verb. matr.* 3. *impedimento* 18. *num.* 2. Armilla *verb. matrimonium num.* 47.

Primò, quia matrimonium impuberum ſoln iure Eccleſiaſticn eſt irritum, vt infrà dicemus; ergo etiam matrimonium imporentium; nam, vt vidimus ex *cap. citato, de frigidis*, eodem modo per impotentiam redduntur impotentes minimè apti ad contrahendum, ac redduntur pueri inepti propter impubertatem.

Secundò, impotentia temporalis tempore quo durat non dirimit iure naturæ matrimonium; ergo nec perpetua.

Tertiò, ad eſſentiam matrimonij non requiritur copula, ſed ſufficit mutua corporum viri & fœminæ traditio, ſed impotentia tantùm impedit copulam, & non mutuam enrporum traditionem; ergo impotentes ſunt ex natura rei, ſeu iure naturali apti, & habiles ad contrahendum matrimonium.

Vltimò, voto ſimplici caſtitatis vterque aſtrictus, valide iuit matrimonium; cùm tamen nunquam poſſit obligari ad petendum, & reddendum debitum. Et quamuis ligatus voto ſit tantùm moraliter impotens, frigidus verò naturaliter; tamen in hac re æquiparantur potentia naturalis, & moralis: ſicut mulier arcta reſpectu alicuius, quamuis naturaliter per copulam cum alio poſſit illi aptari, quia tamen noo poteſt moraliter, id eſt, abſque peccato, dicitur inepta, & impotens ad nubendum.

Oppoſita ſententia, quæ eſt multorum, Henrici *lib.* 12. *c.* 7. Coninch *diſp.* 31. *dub.* 7. *n.* 77. *& ſeq.* Hurtado *diſput.* 12. *difficultate* 9. *n.* 29. Sanchez cum aliis ab ipſo relatis *diſp.* 98. *n.* 2. Iuxta quam

Dico *primò*, impotentiam abſolutam, & perpetuam dirimere matrimonium iure naturæ. Prubatur, quia nemn poteſt in alterum transferre dominium eius rei, quam nulln modo habet. At in ita impotente nnlla eſt potentia ad vſum matrimonij; ergo eius dominium in alterum nnn poteſt transferre, & conſequenter nec inire matrimonium quod eſſentialiter conſiſtit in tranſlatione dominij corporum mutua ad vſum matrimonij, ſiue quatenus ad illum ſunt ipſa corpora potentia. Firmo, quia carens perpetuò potentia ad copulam, non poteſt tradere alteri poteſtatem ad eum actum, cùm impoſſibilium nulla ſit obligatio; & nemo dare poteſt, quod non habet, ergo ex natura rei, ſeu iure naturali eſt inhabilis ad contrahendum matrimonium. 2

Dico *ſecundò* prædictam impotentiam dirimere iure naturæ, non ſolùm quando vnus contrahens ignorat alterius impotentiam, ſed etiam quando is qui potens eſt illam nouit, & nihilominus vult eum eo contrahere. Probatur, quia contractus matrimonij eſt eſſentialiter mutua traditio dominij corporum, quatenus potentia ſunt ad vſum matrimonij; ergo cùm tales non habeant talem potentiam, nullo modo poſſunt alteri eius dominium tradere. Et ſanè quis non videat impotentiam prædictam, quamuis cognitam efficere ipſum impotentem materiam ineptam matrimonio ex natura rei; ergo iure naturæ matrimonium dirimit. 3

Dico *tertiò*, impotentiam perpetuam non totalem, qualis eſt eunuchorum vtroque teſticulo orbatorum, qui poſſunt coire, non tamen verum ſemen emittere, dirimere matrimonium iure naturæ. Probo, quia non dicitur copula, niſi illa quæ conſummari poteſt veto ſemine intra vas emiſſo, & quæ ſuaptè natura apta eſt ad generationem; ergo impotens ad hanc emiſſionem 4

nem

nem ſeminis ex ſe fœcundi & apti ad generationem, dicitur verè & abſolutè impotens ad copulam coniugalem; ergo nequit tradere poteſtatem ſui corporis ad copulam coniugalem, in quo conſiſtit natura contractus matrimonij.

Hinc colligo prædicta ratione manifeſtè oſtendi iure naturæ dirimi quoque matrimonium, quando vir non eſt omnino frigidus, vt quia ſemen verum emittit; at præ nimio calore ſtatim ſemen ſpargit extra vas, aut ex indebita membri figura, aut debilitate naturali, non poteſt intra vas ſeminare, nec his morbis aliqua medica arte poteſt ſuccurri. Patet, quia verè hic eſt impotens ad copulam coniugalem, ſeu ad copulam aptam ad generationem, cùm nequeat ſeminare intra vas, ſed ſemper extra vas.

5 Dico *quarto*, ſimiliter dirimi iure naturæ matrimonium per impotētiam perpetuam reſpectiuam ad aliquam perſonam. Ratio eſt, quia cum tali perſona ad quam eſt impotens, ita ſe habet, vt nequeat illi tradere poteſtatem corporis ad copulam; ergo nequit iure naturæ cum illa perſona conſiſtere matrimonium: quare ſicut impotentia abſoluta eſt ex natura rei reſpectu omnium, ita reſpectiua, quæ non eſt abſoluta reſpectu omnium, ſed tantùm reſpectiua ad certam perſonam, erit ex natura rei reſpectu illius determinatæ perſonæ.

Vnde infero, ſicut per impotentiam perpetuam ex maleficio conſurgentem reſpectu omnium redditur maleficiatus iure naturæ incapax matrimonij, ita per impotentiam reſpectiuam reſpectu vnius perſonæ, ſi ſit reſpectu illius impotentia illa perpetua ex maleficio conſurgens, reddi maleficiatum iure naturæ matrimonij incapacem. Patet, ob rationē adductam, impotentiæ reſpectiuæ. Quę amplius roboratur, quia ſicut matrimonium neceſſariò eſt cōtractus inter certas perſonas, ita reſpicit potentiam non in genere, ſed reſpectu perſonæ in quam dominium corporis transferendū eſt; ergo impotens reſpectu huius, eſt abſolutè impotens vt cū hac contrahat determinata perſona.

6 Dico *vltimò*, etiā inter infideles eſſe matrimonium irritum ob impotentiæ ad copulam coniugalem impedimentum. Patet ex dictis, cùm hoc impedimentū ex ipſo iure naturæ etiam infideles liganti, oriatur.

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum dico in illo capite matrimonia puerorum, & impuberum ex vna parte, & impotentium ex altera, tantum comparari quoad nullitatem, ſeu effectum matrimonij dirimendi, non verò quoad ius, ex quo nullitas oritur.

Ad ſecundum, diuerſa eſt omnino ratio, de impotentia temporali, & de perpetua: nam perpetuæ impotentiæ repugnat ex ipſa rei natura obligatio ad copulam coniugalem, ex matrimonij contractu conſurgens, ſecus de impotentia naturali: ſicut qui habet impoſſibilitatem ac impotentiam ad ſoluēdum, incapax eſt obligationis ſoluendi. At qui nunc ſoluendo non eſt, poteſt obligari ad ſoluendum in futurum, quādo ſperatur quòd facultates ſuppetent.

Ad tertium, reſpondeo, quamuis ad matrimonium non requiratur copula, requiri tamen traditionem dominij ad illam; & contractionem radicalis obligationis ad illam, quæ nequeūt fieri ab eo qui eſt perpetuò impotens ad contrahendum.

Ad vltimum diuerſa eſt ratio: nam vbi eſt impotentia perpetua, repugnat traditio poteſtatis corporis ad copulam, vtpote rei impoſſibilis. At vbi ſolum obſtat votum ſimplex caſtitatis, cùm vterque coniux maneat ſemper cum pleno dominio mutuo ſuorum corporum, poteſt validè transferre dominium & ius in illa.

Sectio X.

An impotentia perpetua ſuperueniens matrimonio, illud dirimat, eiuſue vſum impediat.

Circa primam ſectionis partē, nō deſunt qui aſſirment dirimi matrimonium per impotentiam perpetuam ſuperuenientem. 1

Primò, quia id videtur ex iure conſtare. Nam Alexander III. *cap. ex litteris, de frigid. & malef.* fecit poteſtatem alterius matrimonij ineundi cuidam, cuius vxor ante conſummationem reddita fuit copulæ inepta. Et *cap. quod propoſuiſti 32. q. 7.* Gregorius III. conceſſit cuidam licentiam migrandi ad aliud matrimonium propter impotentiam perpetuam vxoris prioris ſuperuenientem.

Secundò obligatio ſaltem radicalis ad reddendū debitū ſemper comitatur matrimonium tanquam illius paſſio, vt dixi ſuprà *diſp. 13. ſect. 9.* ergo ceſſante hac obligatione ob impotentiam ſuperuenientem, caſſabitur matrimonij eſſentia; hæc enim abſque ſua proprietate ex natura rei conſeruari non poteſt.

Vltimò, nō minus requiritur ad conſeruationem rei, quā ad eius eſſentiā, ſed matrimonij eſſētia nequit cōſiſtere, ſi à principio adſit perpetua coëūdi impotētia; ergo nec poterit conſeruari, ſi illo inito ſuperueniat.

Dico *primò*, certum eſſe apud omnes, impotentiam perpetuam ſuperuenientē matrimonio non poſſe dirimere matrimonium conſummatum. Patet, quia matrimoniū fidelium ſola morte naturali diſſolui poteſt quando eſt conſummatum: nā ex lege Chriſti obligās omnes, indiſſolubile eſt, vt patet ex *Matth. 19.* vbi id præcepit Chriſtus illis verbis, *quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Et *1. Cor. 7. His qui matrimonio coniuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, vxorē à viro nō diſcedere.* Et *ad Rom. 7. Mulier viuente viro alligata eſt legi.* Quæ omnia ſaltem de matrimonio conſummato intelligenda ſunt. Vnde nec Pontifex poteſt ex cauſa diſpenſare in matrimonio conſummato. 2

Dico *ſecundò*, nec matrimonium ratum dirimi per quamcumque impotentiam ſuperuenientem. Ita omnes. Et conſtat ex *cap. hi qui 32. q. 7.* vbi generaliter ſtatuitur ob nullam impotentiam ſuperuenientē matrimonium caſſari. Et ratio eſt, quia quamuis corpus abſque impotentia ad copulam requiratur ad eſſentiā matrimonij in fieri, ſeu ad tradendum dominium in copulam, non tamen ad eſſentiam matrimonij in facto eſſe, ſeu ad conſeruationem illius, quia dictum dominium ſemel acquiſitum poteſt bene conſeruari abſque potentia ad copulam; poteſt enim manere dominium, & obligatio ad copulam, ſi fortè impedimentum miraculosè auferatur, quamuis nequeat in principio tradi: nam plus requiritur ad inceptionem rei, quam ad eius conſeruationem. 3

Ad primum oppoſitum, dico in illis textibus conceſſi licentiam migrandi ad aliud matrimonium, non ob impotentiam ſuperuenientem matrimonio, ſed ob antecedentem ad ipſum.

Ad ſecundum, dico ſi ſermo ſit de obligatione radicali, quæ ſola cenſetur eſſe proprietas matrimonij ab eo inſeparabilis, eam ſemper comitari matrimoniū, & eius naturam; ſi verò intelligatur de obligatione proxima & formali in ordine ad copulam, hæc non ſemper comitatur matrimonium; vt conſtat, ſi poſtea vterque communi conſenſu profiteatur; vel alter ſit reus adulterij. Imò nec initio eſt illa obligatio ſimpliciter neceſſaria ad matrimonij

contractum, vt oſtendi ſuprà *diſp.* 13. *ſect.* 6. 7. & 8.

Circa ſecundam ſectionis partem, maior eſt difficultas, qualis videlicet matrimonij vſus liceat coniugatis, quando eo legitimè inito ſuperuenit impotentia. A qua difficultate breuiter me expedio.

4 Dico ergo *primò*, quando impotentia ſuperueniens matrimonio eſt ſola veri ſeminis effundendi, vt ſi inito matrimonio vir vtroque teſticulo orbetur, ita vt coire queat, ſed non emittere verum ſemen, in eo euentu poſſe licitè petere, & reddere. Ita tenet Toletus *lib.* 7. *ſummæ cap.* 12. *n.* 4 loquens de facto eunucho poſt matrimonium. Ratio eſt, quia vir ille iure ſuo vtitur vacans actui coniugali, quem matrimonium permittit: ſemen autem verum non emitti contingit per accidens; ſicut ſi apertè conſtaret viro præ morbo ſemen eſſe corruptum, vel ſterile, vel copula ſit prope tempus partus, in quo nō eſt poſſibilis generatio: nō ergo obſtat defectus veri ſeminis ad generandum apti, vt ob id neganda ſit copula vero matrimonio coniunctis. Quare tunc poterit vterque petere, & alter reddere tenebitur: quia petit alter ius ſuum, quo non eſt priuatus. Quod certè firmatur exemplo coniugum ſenio confectorum ac decrepitorum: quibus à nullo negatur vſus coniugij, ſi coïre valeant: & rectè ſaluatur, quia obtinetur finis matrimonij ſecundarius, qui eſt ardorem concupiſcentiæ ſedare.

5 Dico *ſecundò*, quando coniux fœmina experientia videt ſe nequire prolem viuam edere, adhuc licere his coniugatis petere, & reddere. Ratio eſt, quia mors illa fœtus præter intentionē, & per accidens accidit, coniugibus ſuo iure vtentibus; nec tenentur hoc dānum prolis vitare, cum tanto detrimento, ac eſt coniugatos perpetuò abſtinere ab vſu coniugij cum maximo incontinentiæ vtriuſque periculo. Verum eſt in eo euentu fœminam nō teneri reddere, quia non modicum ex morte fœtus in vtero ſibi periculum imminet: quamuis poſſit iure ſuo cedens reddere, & petere. Cæterùm vir tenebitur illi petenti reddere, quia non habet iuſtam denegandi cauſam.

6 Dico *tertiò*, quando fœmina nequit parere abſque propriæ vitæ periculo graui, quamuis non teneatur reddere, vt liquet, poſſe tamen licitè petere, & reddere. Probatur, quia magnum eſſet detrimentum, ſi ſemper coniugata illa deberet ſe à coïtu abſtinere, cū magno propriæ continentiæ, & alterius coniugis diſcrimine. Vnde id periculum vitetur, poteſt vitæ diſcrimini ſe exponere; præſertim cùm neque illud periculum ex partu ſit certum, nec certa etiam ſit conceptio, ex qua periculum illud imminet.

7 Sed quid dicendum de impotentia coëundi, quia in eam ægritudinem poſt matrimonium incidit vir, vt nequeat vas penetrare, præ imbecillitate ſua, aut præ fœminæ arctitudine, quæ matrimonio ſuperuenit, aut quòd illa ſemen retinere nequeat?

Ad hanc difficultatē dico breuitèr tria. *Primum* eſt, his coniugibus non eſſe licitum coniugalem acceſſum cum periculo ſeminandi extra vas. Patet, quia copula cōiugibus licita eſt ſolùm intra vas legitimum: ergo vbi hæc eſt impoſſibilis, non licebit. *Secundum* eſt, his coniugibus licitos eſſe tactus, ſi abſit periculum pollutionis. Conſtat, quia ſunt veri coniuges; talibus autem copula & tactus licita ſunt; & quamuis ad copulam coniugalem tamquam impoſſibilem eos tactus referre nequeant, poſſunt tamen ad concupiſcentiam carnis ſedandam, & ad amoris mutui ſigna præbenda. *Tertium* eſt, vbi eſt probabilis ſeminandi intra vas ſpes, licitum eſt ad id conari, tametſi per accidens, ac præter intentionem ſemen effundatur extra vas. Probatur id, tum quia *cap. laudabilem*, *de frigidis*, conceditur triennalis experientia cōiugibus dubitantibus de impotentia an perpetua ſit, & matrimonium valuerit; & tamen illo ſpatio conſtat ſemper, aut ferè ſemper, ſemen decidi extra vas, & adhuc ſtante tali periculo eſt licitum conari ad copulam, & iure approbatur: quia eo manente dubio coniuges habent ius perſeuerandi in matrimonio, & id impedimentum inueſtigandi, quod fieri non poteſt, niſi operi coniugali vacando. Igitur potiori iure id licebit in noſtro caſu, vbi valor matrimonij certus eſt, vnde fortius ius coniuges habent coniugali copulæ vacandi & experiendi, num impotentia illa ſeminandi intra vas perpetua ſit. Tum etiam à priori, quia coniux ille operam dat rei licitæ, procurans copulam ſibi poſſibilem, & licitam, & præter intentionem ſequitur illa externa effuſio.

Sectio XI.

Quantum tempus experientiæ requiratur ad declarationem nullitatis matrimonij ob impotentiam perpetuam.

Certum eſt *primò*, pro foro conſcientiæ, quando certò & euidenter conſtat impotentiā eſſe perpetuam, ex tunc coniuges non poſſe ſe maritaliter tractare, quamuis ad id per cenſuras compellantur. Patet, quia conſtante impotentia, ac ſubinde matrimonij nullitate, contra ius naturæ eſſet copulam permittere, vel coire. Euidens autem eſt vt nec experimentum aliquod deſideretur, quando virilia omnino amputata ſunt. Vel ſi vir careat vtroque teſte. Itē ſi virilia arida omnino, & ſicca ſint, quia tunc inutilia ſunt: nā perinde eſt virilibus carere, & ea omnino inutilia eſſe. Itē eſt ſignum euidens impotentiæ manifeſta frigiditas viri, ratione cuius fuit iam per ſententiam ſeparatus. Dictum autem intellige de impotentia naturali perpetua: nam de impotentia ex maleficio conſurgens, cùm non ſit naturalis, ſed accidentalis, & præſumatur, medijs adhibitis decurſu temporis remoueri poſſe; ſemper in maleficij impedimento deſideratur triennium experientiæ, vt declaretur irritum matrimonium. Cùm enim operatio dæmonis auctoris maleficij ſit occulta, & libera: non tam de maleficij perpetuitate cōſtat, ac naturalis impedimēti. 1

Certum eſt *ſecundò*, pro foro conſciētiæ, quando eſt probabile eſſe impotētiā perpetuā abſque probabilitate oppoſiti, nec tunc poſſe coniuges ſe maritaliter tractare. Quia non habent ius, nec dominium in corpora, aliquo probabili fundamento, ac ſubinde nō ſūt coniugati. 2

Certum eſt *tertiò*, quando eſt dubiū an ſit vel nō ſit impotentia perpetua, poſſe coniuges in matrimonio, & in eius vſu pro tempore aliquo perſeuerare. Patet, quia in dicto dubio habent ius inquirendi, an impotentia ſit perpetua, & nequit aliter inquiri, quàm experiendo, an poſſint carnaliter commiſceri. 3

Certum eſt *quartò*, ad id experiendum in caſu dubio, requiri tempus aliquod: & meritò Eccleſiam *in cap. laudabilem* 5. *& in cap. finali*, *de frigidis*, prudenter extendere ad triennium. Patet, quia id videtur neceſſarium, & ſufficiens ad veritatem inueniendam, ac proinde vltra triennium nequeunt coniuges ſe maritaliter tractare, quando eo tranſacto non cōſtat, ſaltem probabiliter impotentiam non eſſe perpetuam. His præmiſſis, 4

Prima difficultas eſt, an dictum triennium requiſitum

ſitum ſit pro foro exteriori, ſeu iudiciali, vt declarari poſſit matrimonium.

5 Qua in re, omiſſis aliorum dicendi modis, quid mihi videatur verius ſequētibus dictis breuiter aperio.

Dico ergo *primò*, quando certò, aut euidenter conſtat impotentiam eſſe perpetuam, quia ſunt ſigna euidentia, tunc ſtatim abſque expectatione alicuius temporis, matrimonium declarandum eſſe nullum. Hoc eſt certum, quia tempus tantum requiritur, vt dubium experientia ſuperetur; in dicto autem caſu nullum eſt dubium, ſed omnimoda certitudo; ergo.

6 Dico *ſecundò*, quādo ferè certò conſtat, id eſt, quando eſt probabile, impotentiam eſſe perpetuam abſque probabilitate oppoſiti, ſimiliter in eo caſu ſtatim abſque expectatione alicuius temporis, matrimonium declarandum eſſe nullum; quia tunc cenſetur eſſe moraliter certum, matrimonium eſſe nullum. Addunt Sanchez *diſp.* 107. & Baſilius Ponce *c.66.* tunc neceſſarium eſſe iuramentum ipſorum coniugum fatentiū impotentiam, & iuramentum propinquorum, aut ſi hi deficiant, vicinorum aſſerētium, poſſe coniugibus credi. Mihi videtur cum Hurtado *diſp.12. diffic.11. n.38.* dici id abſque fundamento. Quia prædicta iuramenta nullo iure requiruntur; non poſitiuo, quia iſta tantùm requiruntur in caſu dubio, neque iure naturali, quia cùm in caſu dicto perpetuitas ſit moraliter, & humano modo certa, fruſtrà requiritur maior probatio.

7 Dico *tertiò*, in caſu dicti dubij, quando vterque fatetur impotentiam, neceſſarium eſſe triennium experiētiæ ad dictam declarationem. Ita cum aliis Sanchez *diſp.108. n.5.* Baſilius Ponce *c.66.* & Hurtado *citatus*. Id non leuiter deducitur ex *cap. laudabilem*, dum in eo abſolutè requiritur experientia triennij, quando non conſtat de viri frigiditate, id eſt, de perpetuitate impotentiæ, etiam quando vterque fatetur impotentiam. Nam licèt vterque fateatur impotentiam, ſæpè dubitatur an ſit naturalis & perpetua, an accidentalis, & temporanea: vnde expectari debet triennium, vt ex temporis curſu veritas ipſa apparere poſſit. Præterea requiritur quoque iuramentum vtriuſque coniugis, quo iurent impotentiam, & quatuordecim propinquorum, aut vicinorum propinquis deficientibus, quo iurent, quod poſſit coniugibus credi. Ita habetur *c. laudabilem, de frigid. & malef.* qui textus id in fine petit. Et ratio eſt, quia quando eſt dubium perpetuitatis, confeſſio, & iuramentum vtriuſque, quòd adſit impotentia, non aufert neceſſitatem experientiæ triennalis, quia quamuis vterque fateatur impotentiam, poteſt adhuc dubitari, an ſit perpetua; ergo præter dictam confeſſionem & iuramentū impotentiæ neceſſaria eſt experientientia triennalis ad inquirendam perpetuitatem impotentiæ. Neque huic obeſt quod dicitur *cap. 1. de frigidis*, vbi intra breuius tempus conceditur ſeparatio. Nam id eſt verum, quando ante triennium verè probatur frigiditas, id eſt, impotentiam eſſe perpetuam: vt etiam exprimitur *in cap. laudabilem.* vbi abſolutè requiritur triennium in dubio perpetuitatis.

8 Dico *quartò*, quando mulier fatetur impedimentum perpetuum, & vir negat, nec illa matrimonij initio proclamauit, non eſſe audiendam, & fidem adhibendam viro fatenti ſe conſummaſſe matrimonium. Ita latè Sanchez *diſput. 109. numer. 2. & ſeq.* Ratio eſt, quia concurrunt tunc duæ præſumptiones contra mulierem, prima, quia tarde proclamauerit, ſecunda, quia vir qui eſt eius caput, aſſerit ſe eam cognouiſſe. Quod intelligendo iudico, niſi vxor per certa ſigna oſtenderet viri impotentiam; tunc enim cuiuſuis temporis lapſu non obſtante eſt audienda.

Dico *quintò*, ſi mulier, quæ tempore matrimonij 9
virgo erat, ſtatim proclamat, allegans viri impotentiam, nempe poſt menſem, aut bimeſtre, audiendam eſſe, quamuis vir impotentiam neget, & ſi ea probetur per rectum iudicium, diſſolui debere matrimonium. Habetur expreſſè *c. 1. de frigid.* illis verbis. Si autem ſtatim in ipſa nouitate, poſt menſem, aut duos, ad Epiſcopum, vel eius miſſum proclamauerit, dicens: Volo eſſe mater, volo filios procurare, & ideo maritum accepi Sed vir, quem accepi, frigidæ naturæ eſt, & hoc poteſt illa facere propter quæ illum accepi, ſi probari poteſt per rectū iudicium, ſeparari poteſtis. & illa ſi vult, nubat. Hæc ibi. Rectum verò iudicium, vt ſeparari poſſit non expectato triennio ſtatim matrimonium, quando mulier initiu proclamat viro neganti, eſt, quando apparent ſigna dubia frigiditatis viri, quæ præſumptiuè concludunt, & vxor reperitur virgo, acceditque iuramentum quatuordecim propinquorum eius. Probatur id totum, quia in dicto *cap.* 1. fit diſtinctio inter caſum, quo mulier non ſtatim clamat viro negante impotentiam, & decernitur viro credendum eſſe, nec audiendam mulierem, vt conſtat ex præcedenti dicto: & caſum quo ſtatim clamat, & decernitur audiendam eſſe, diſſoluendumque ſtatim matrimoniū, probata impotentia per rectū iudiciū. At ſi per hoc rectū iudicium intelligeret textus, quando tranſactum eſt triennium, vel ſigna ſunt veriſimiliter euidentia, nulla eſſet differentia. Quia etiá quando non ſtatim proclamat, eſt in hoc duplici caſu audienda, ac dirimendum matrimonium. Requiritur itaque vera probatio, niſi fiat per aſpectum corporis, per teſtes, qui audierint ab ipſis coniugibus non poſſe fieri vnam carnem.

Secunda difficultas eſt à quo tempore computan- 10
dum ſit triennium iure præſcriptum ad experiendam impotentiæ veritatem.

Certum eſt *primò*, triennium hoc cohabitationis in toro ad faciendam dictam experientiam, taxatum ab Eccleſia, non eſſe computandum à tempore contractus matrimonij, ante conatum ad copulam; quia ante eum nequit inchoari experientia. Quare in impedimento frigiditatis triennium computatur à die copulæ intentatæ, & non à tempore præfixo à iudice, vt expreſſè deciditur *in cap. laudabilem*, vbi dicitur computandum eſſe à die celebrationis coniugij, id eſt, à die intentatæ copulæ, quia eo die intentari ſolet, verba enim cum effectu intelligenda ſunt, *cap. relatum, de cleric. non reſid.* Idem dicendum eſt vndecumque hoc impedimentum impotentiæ conſurgat. Cùm enim ſemper agatur de indaganda veritate impotentiæ coniugis, ratio eadem ſuadet, vt triennium numeretur à tempore intentatæ copulæ, à quo ſolo experientia ſumi poteſt ad eam veritatem aſſequendam.

Præterea mihi etiam verius videtur, in matrimo- 11
nio pueri quatuordecim annorum, & puellæ duodecim, quando agitur de impedimento impotentiæ, non à decimooctauo anno quo puer plenè pubes eſt, & à decimoquarto, quo plena pubertas fœminis contingit, ſed à decimoquarto pueri anno, & à duodecimo puellæ, quo iam puberes ſunt, triennium dictum incipere. Contrarium docet Sanchez *diſputat.* 110. *numer.* 10. nobiſcum ſentit Hurtado *diſputat.* 12. *difficultat.* 11. *numer.* 41. Ratio eſt, quia in iure triennium eodem modo abſque diſtinctione aliqua horum, aut illorum ſupponitur ſufficere pro experientia. Neque verò ea ætas adeò debilis eſt, vt non ſit apta ad coëundum.

Tertia difficultas eſt, an triennium experientiæ 12
debeat eſſe continuum. Breuiter dico cum communi

doctrina, neceſſarium eſſe quod trienniũ ſit continuũ, vt ſupponitur *in cap. fina. 1, de frigidis;* nõ mathematicè, ſed moraliter, & ciuili modo, nempe vt toto triennio vacauerint copulæ coniuges debitis horis, & locis. Patet, quia continuo triennio habitare coniuges vacando copulæ, eſt moraliter impoſſibile: ſæpe etiam morbus intermittit tempus illud: intermittunt etiam peregrinationes, & alia negotia, quibus virum vacare, ſocietas, ac gubernatio domeſtica cogit. Quòd ſi attento communi rerum curſu ſit magna aliqua interpolatio, ſupplenda eſt poſt trienniom. Quod certè non metaphyſicè intelligendom eſt, quaſi quodcumque breue tempus interpolatom ſupplendum ſit, ſed quando arbitrio prudentis eſt notabile, ita vt, moraliter loquendo, non cenſeatur plena triennij experientia. Quare ſufficit cohabitare triẽnio, ſumpto morali modo, vt communiter ſolent cohabitare coniuges. Sunt verò duo obſeruanda circa prædictam impotentiam perpetuam. *Primum* eſt, id quod diximus in dubio perpetuitatis impotentiæ requiri triennium pro foro exteriori, etiam intelligi verum; quamuis pro perpetuitate impotentiæ ſit opinio probabilis, ſi pro non perpetuitate etiam ſit opinio probabilis: quia in tanta contingentia phyſica non perpetuitatis impotentiæ, quanta tunc erit, æquum eſt, vt ipsâ experientiâ inquiratur veritas, & ante inquiſitionem matrimonium non declaretur à iudice nullum. *Alterum* eſt, quamuis Impotentia fuerit à iudice Eccleſiaſtico iudicata perpetua, ſiue ante, ſiue poſt triennium, & ob id matrimonium fuerit declaratum nullum ab Eccleſia; ſi tamen poſtea naturaliter ſine miraculo, & ſine vitæ periculo, & ſine peccato ceſſet impotentia, quô conſtabit non fuiſſe perpetuam, contrahentes eſſe iterum cõiungendos. Quia matrimonium verè non fuit nullum, quamuis vnus ex illis ſit Sacris initiatus; imò ſi matrimonium fuit conſummatum, quamuis iam ſit religioſus profeſſus. Quod addo, quia ſi non fuit conſummatum, verè profeſſione ipſa fuit diſſolutum; Profeſſus autem & Sacris initiatus ad coniugem redeuntes, quamuis reddere teneantur, prohibiti ſunt voto, aut obligatione caſtitatis intuitu religionis impoſita petere debitum, vt per ſe patet.

Sectio XII.

An impotentia temporalis ex defectu ætatis, ſeu defectus ipſe ætatis dirimat matrimonium, & quo iure.

Certum eſt, in quo Doctores conueniunt, impotentiam temporalem ex defectu ætatis prouenientem non dirimere matrimonium, præcisè, quia eſt impotentia tẽporalis. Quia, vt dixi ſuprà *ſect. 2. n. 1.* ipſa impotentia temporalis præcisè, quia temporalis non dirimit. De ipſo defectu ætatis videndum quo pacto dirimat.

1 Suppono *primò* ætatem requiſitam ad matrimonium validè ineundum eſſe pubertatem, nempe annum duodecimum in fœmina, vt conſtat ex cap. *continebatur*, de deſponſat. impub. & in viro decimumquartum, vt habetur *c. atteſtationes, & c. ex literis, eodem titulo.* Hanc verò ætatem canones decernunt quia tunc præſumuntur habiles ad copulam, & ad conſenſum coniugalem: vt conſtat ex *cap. puberes, de deſponſat. impub.* vbi hoc notat Gloſſa ab omnibus recepta.

Suppono *ſecundò*, ideo citiùs pubeſcere fœminas, nempe duodecimo anno, quàm viros in quibus deſideratur maior ætas annus decimusquartus. Quia nimirum ad matrimonium deſideratur potentia generandi, quæ tardius in viris reperitur: vt optimè D. Thom. *in 4. d. 27. q. 2. a. 2. ad 3.* 2

Suppono *tertiò* prædictam ætatem tam in viro, quàm in fœmina debere eſſe completam, ſic clarè colligitur ex *cap. continebatur, de deſponſat. impub.* vbi ad valorem matrimonij puellæ non duodennis ponderatur eam proximam duodecim annis fuiſſe, ac à viro cognitam. At ſi non peteretur duodecimus annus completus, non eſſet opus ponderare vtrumque. Idem conſtat ex *cap. atteſtationes, eodem titulo,* ibi, Antequam ad annum decimumquartum perueniſſet. Et *c. ex litteris, eodem titulo,* ibi donec compleat puer annum decimumquartum. 3

Suppono *quartò*, quando malitia non ſupplet ætatem, requiri dictam ætatem eſſe mathematicè completã. Contrarium ſentiunt Rebellus *lib. 3. q. 16. ſect. 2.* Veracruz, & alij, dicentes, ſufficere eſſe completã moraliter; quia quod parũ diſtat, nihil diſtare videtur. Nobiſcũ ſentiunt Sanchez *lib. 7. diſp. 104. n. 1.* Baſilius *lib. 7. c. 65. n. 1.* & alij. Ratio eſt, quia iure præſcribitur, ſeu taxatur ætas, ac proinde debet in indiuiſibili cõſiſtere, ſicut pretium iure præſcriptũ conſiſtit in indiuiſibili. Vnde regula illa, *quod parum diſtat*, &c. non habet locum in taxatis à iure; vnde neque in anno probationis Religioſi, neque in ætate ad Ordines: ſi enim vnus dies, vel vna hora deſideretur, viriat factum. Cùm enim ius præfiniat tempus, exigat que illud eſſe completum, niſi malitia ſuppleat, non eſt locus paucorum dierum ſupplemento. Quòd ſi malitia ſuppleat, parum refert, an duo, vel tres dies, aut etiam plures deſint. Imò exiſtimo nec ſatis eſſe, vt completa ætas cenſeatur, vltimum diem inceptum eſſe, quando malitia non ſupplet ætatem, vt de anno probationis & ætate ad Ordines eſt dicendum: tametſi huic contrarium aſſerat Sanchez, allegans, quòd ita fauore teſtamenti ſit decernatur. *l. qua ætate. ff. de teſtamen.* At matrimonij fauor non minor eſt. Hoc certè non probo, quia quouſque vltimus dies ſit completus, non eſt dicta ætas mathematicè completa, neque in indiuiſibili conſiſtens. Et quamuis iure ciuili ſit alia diſpoſitio in teſtamentis, nihil refert: quia à iure ciuili ad canonicum in hac re argumentum deſumi non poteſt; neque à teſtamentis ad matrimonia abſque expreſſa deciſione Pontificum; qualis non eſt in præſenti caſu. 4

Suppono *quintò*, defectum ætatis, quando malitia ætatem ſupplet, nullo iure adhuc Eccleſiaſtico, dirimere matrimonium. Ita conſtat ex *cap. continebatur*, & ex *cap. de illis 9.* & ex *cap. fin. de deſponſat. impub.* Nomine verò *malitia* intelligitur non tantùm vſus rationis, ſed etiam perfecta potentia coëundi, vt conſtat ex *cap. continebatur, & c. de illis.* Patet, quia ſi ſolus vſus rationis ſuppleret ætatem, fruſtrà fuiſſet facta ea diſpoſitio, & præſcripto ætatis, quia ex vna parte, quando eſſet vſus rationis ante dictam ætatem valeret matrimonium, & ex altera, quando non eſt vſus rationis adhuc poſt dictam ætatem non valet; quia vſus rationis iure naturali eſt requiſitus ad valorem matrimonij contractus, ſicut & cuiuſcumque alterius. His poſitis, 5

Prima difficultas eſt, an ſublato iure poſitiuo, ex natura rei validè matrimonium iniri poſſit inter impuberes, modò adſit ſufficiens rationis vſus. Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia ſi conſummare non poſſent impuberes, impotentia illa non dirimeret iure naturæ, quia eſſet temporalis, atque ideo non dirimens: valet ergo matrimonium impuberum 6

impuberum inter infideles, ſi adſit conſenſus, & non ſit impotentia perpetua, niſi ſuis ipſorum legibus impediantur. Integrum etiam eſt Summo Pontifici diſpenſare, vt in quacunque ætate matrimonium initum valeat, modò pueri participes ſint vſus rationis. Sicut poteſt in quolibet alio iure bumano diſpenſare. Imò & in caſu vrgentiſſimæ neceſſitatis cenſet Sanchez *diſp.* 104. *n.* 12. poſſe Epiſcopum diſpenſare.

7 *Secunda difficultas* eſt, quanto tempore ante dictam ætatem malitia eam ſuppleat. Certum eſt, vt communiter notant Doctores, non quocumque tempore ante eam ætatem, malitiam, id eſt, vſum rationis, diſcretionem, & potentiam perfectè coëundi, ſupplere ætatem, ſed tantum tempore proximo dictæ ætati ſeu pubertati. Id enim dictis capitibus continebatur. Et de illis diſſenſio eſt in aſſignando tempore proximo dictæ ætati.

Mihi videtur dicendum, cùm id iure præſcriptum non ſit, meritò eſſe iudicis arbitrio committendum. Iudex autem ad hoc arbitrandum non tam annorum numerum, quàm perſonæ conditionem, & actus qualitatem ſpectare debet: proderit quoque ſpectare regionis qualitatem, in qua impubes natus eſt; cùm conſtet quaſdam regiones calidiores pueros, quàm alias procurare. Notat verò optimè Sanchez *diſp.* 104. *citata n.* 42. iudicem volentem decernere proximum eſſe pubertati puerum, qui decimum annum cum dimidio non exceſſit, aut fœminam minorem nono cum dimidio, id nõ facturum, niſi tardò, & cautiſſimè, & maximis perſuaſum coniecturis, quia præſumptio deducta ex modicæ ætatis natura valde repugnat. At poſt eam ætatem non ita vrgentes coniecturæ deſiderantur, ſed ſufficiet perpendere aliquot mediocria ſigna. Quòd ſi ſemeſtre tantùm ad pubertatem deſit, audacius, & leuioribus indiciis eſt puer iudicandus pupertati proximus.

8 *Vltima difficultas* eſt, an valeat matrimonium, quando pubes non eſt potens ad copulam coniugalem habendam. Non procedit, ſi conſtaret eam impotentiam eſſe perpetuam, quia tunc certum eſt irritum eſſe matrimonium: procedit ergo, quando non conſtat eam impotentiam eſſe perpetuam, ex frigiditate conſurgentem, ſed dubitatur an ſit temporalis & ex debili ætate proueniens.

Placet mihi defendere id matrimonium valere. Ratio eſt, quia textus capitis *de illis*, *de deſponſ. impub.* ponderat ad valorem matrimonij potentiam coëundi cum minori ætate: ergo vbi adeſt ætas idonea, non debet attendi potentia.

Obiicies eodem capite decerni impuberes potentes generare validè matrimonium inire: ergo à contrario ſenſu, qui generare nequit, quamuis ætate ſit pubes, dicetur impubes ad matrimonium. Reſpondeo, non eſſe eandem rationem: nam quando potentia in puero ætatem præuenit, opus fuit illi conſulere, conceſſo matrimonio, vt incontinentiæ periculum caueret. At quando adeſt ſola ætas, ea ad matrimonij valorem ſatis eſt. Nec curant Canones ad decretum variandum de raro pueri caſu, cui in ea ætate nondũ adeſt potentia; ſed ſolùm attendunt, vt in ea ætate matrimonium firmum ſit, communiter tunc aduenire potentiam, ea enim legis natura eſt, vt ſola communiter accidentia ſpectet. Idem dico, ſi fœmina completo anno duodecimo ex diminuta corporis diſpoſitione nondum poteſt pati virilem congreſſum, quia eadem prorſus eſt ratio, ac de viro.

9 Quanto verò tempore expectandum ſit, quando puer decimoquarto anno cumpleto, aut fœmina duodecimo, adhuc inueniuntur impotentes ad copulam, ad experiendum an ea impotentia ſit perpetua, & matrimonium irritet. Dicendum eſt iuxta dicta præcedenti ſectione *num.* 4. triennium expectandum eſſe, in quo vacent copulæ, & ſi eo tranſacto non potuerint conſummare, cenſeri impotentiam perpetuam. Quia *cap. laudabilem, de frigidis* id triennium experientiæ generaliter præſcribitur.

Vtrùm autem expectandum ſit vſque ad plenam pubertatem quæ fœminis decimoquarto anno contingit, & viris decimooctauo, iam dixi præcedenti ſectione *num.* 11. non ita, ſed ab anno pueri decimoquarto, & à duodecimo puellæ experimentum dictum eſſe incipiendum.

Sectio XIII.

An hermaphroditus poſſit matrimonium inire, & iuxta quem ſexum.

1 AD impedimentum prædictum impotentiæ reduci poteſt matrimonium hermaphroditi, de quo videndum eſt, an habeat aliquam impotentiam ad matrimonium ineundum.

Hermaphroditus dicitur, qui vtrumque ſexum habet, virilem videlicet, & fœmineum. Et quamuis Ariſtoteles *4. de generat. animalium c. 4. ſub finem*, doceat, in monſtris hermaphroditis, alterum membrum prævalere, alterum verò irritum, & inane eſſe; nec poſſe vtrumque ſexum verè eidem homini conuenire, tametſi exterius vterque quodammodo appareat; quia impoſſibile cenſet tale monſtrum, quod omnia neceſſaria ad generandum, & concipiendum habeat. Alij tamen Doctores experimento affirmant eſſe homines hermaphroditos, qui vtrumque ſexum, virilem, & fœmineum habent.

2 Præterea notandum eſt ex Martino Delrio *lib.* 2. *Magicarum q.* 22. inter hermaphroditos, alios eſſe in quibus neuter ſexus præualet, ſed æquè pollent vtroque, virili & fœmineo: alios, in quibus alter quidem præualet, ſed parum: alios denique in quibus præualet nullum. Quis verò nouerit vter ſexus præualeat: & quid in dubio cenſendum ſit? Dico, matronarum peritarum, ac præcipuè Medicorum eſſe huius rei iudicium. Vnde ſtandum eſt Medicorum iudicio, eo quòd Medici iudicare id debent iuxta ea, quę ipſemet hermphroditus de ſe aſſeruerit. Quòd ſi adhuc res eſt dubia, conſultis Medicis, qui nequeunt iudicare, vter ſexus præualeat, cenſendum eſt ſexum eſſe æqualem, cùm æquè rationes ſint pro vtroque ſexu.

Denique obſeruandum eſt, quando neuter ſexus præualet in hermaphrodito, ſed vterque eſt æqualis, & æquè vir & fœmina iudicandus eſt; tunc poſſe hermaphroditum, & debere eligere ſexum, quo vti malit. Debet autem iuramento ſe aſtringere, vt in poſterum minimè altero ſexu præter ſemel electum vtatur. Ita colligitur ex *cap. presbyteros 16, quæſt. 1. & c. diuerſis, de cler. coniugat.* Nam eſſet valde indecens, vt modò vno, modò altero ſexu vteretur.

His præmiſſis, ratio dubitandi eſt, quia hermaphroditus incapax eſt Ordinis ſacri, & profeſſionis; ergo erit quoque matrimonij incapax.

3 Dico *primò*, hermaphroditos validè & licitè contrahere, in quibus eminet ſexus virilis cum fœminis; & in quibus eminet ſexus fœmineus cum viris. Ita Sanchez *diſput.* 106. *numer.* 4. Coninch *diſp.* 31. *dub.* 7. *numer.* 89. Baſilius Ponce *lib.* 7. *cap.* 65. *numer.* 8. Hurtado *diſput.* 12. *difficultate* 10. *numer.* 1.

& communiter Doctores. Ratio eſt , quia iuxta ſexum eminentem habet potentiam ad perfectam copulam, & ſexus præualentis eſſe iudicatur; ergo poteſt matrimonium inire iuxta ſexum illum præualentem; atque ita ſi fœmineus præualeat, viro nubere poteſt: ſi autem virilis, fœminam ducere valet. Licitè quoque poteſt id matrimonium inire iuxta ſexum eminentem, quia nullo iure id ei cenſetur prohibitum; ergo.

4 Dico *ſecundo*, ſi præualente ſexu virili copuletur matrimonio viri, inſtar fœminæ; vel ſi præualente fœmineo copuletur matrimonio fœminæ inſtar viri, poſſe validè contrahere. Ita contra Sanchez Baſilius, & Hurtado. Ratio eſt, quia iuxta ſexum minus præualentem poteſt eſſe potentia ad perfectam copulam; ergo iure naturali non eſt inhabilis, ſi verè ſit potens iuxta eum ſexum; neque iure aliquo poſitiuo, quia nullũ extat. Quare ſi imbecillior ſexus talis eſt vt eius ſexus vſus naturalis eſſe non poſſit, planum eſt iure naturali eſſe irritum matrimonium; perinde enim eſt, ac ſi duo eiuſdem ſexus coniungerentur. Quod ſi ſecus ſit, poſſitque cum alio ſexu, licet valentiori, eſſe naturalis vſus imbecillioris ſexus, teneret matrimonium, quandoquidem iure naturali potens eſt, & nullo iure Canonico redditur nullum.

Obiicies pro Sanchez inter perſonas eiuſdem ſexus irritum eſt matrimonium iure naturæ, vt conſtat. At in eo euentu ſic ſe haberet; quia præualente fœmineo reputatur fœmina, & tamẽ fœminam ducit, ac ſi vir eſſet; & ſi præualeat virilis, reputatur vir, & tamen inſtar fœminæ nubit viro. Reſpondeo conceſſo maiori, negando minorem: nam in eo euentu eſſet matrimonium inter duos diuerſi ſexus. Nec obſtat quòd magis cenſeatur vir quàm fœmina, quando præualet ſexus virilis: quia etiam tunc eſt ſufficienter fœmina; & quamuis magis cenſeatur fœmina, quàm vir, quando præualet ſexus fœmineus, etiam non obſtat, quia etiam tunc eſt ſufficiens vir.

5 Dico *tertiò*, quando in hermaphrodito vterque ſexus eſt æqualis, poſſe iuxta ſexum quem elegerit, cõtrahere matrimonium. Quare ei datur optio, & ſi virili deſeruire eligat, ducet fœminam; quòd ſi fœmineo, nubet viro. Ratio eſt, quia ex vna parte etiam tunc iuxta quemlibet ſexum habet potentiam ad perfectam copulam; & ex altera ei iure naturali non impedito per ius aliquod poſitiuum, datur optio eligendi ſexum ad matrimonium; ergo. Eſt verò notandum, Parochum non debere intereſſe tali matrimonio, donec hermaphroditus coram iudice Eccleſiaſtico priùs proteſtetur, imò & iuret ſe nunquam vſurum altero ſexu; vt ſic conſtet qualiter matrimonio ſit copulandus.

6 Dico *vltimò*, prædictum hermaphroditum, factum viduum, poſſe validè contrahere matrimonium iuxta alterum ſexum. Patet, quia etiam iuxta eum habet potentiam ad perfectam copulam, & nullo iure contractus ille irritatur. Neque eius electio id quod natura ſibi indidit, auferre valuit. Ius etiam Canonicum non inuenitur, quòd id matrimonium irritum reddat. At licitè non contraheret, quia ſi ſexus electionem iurauit, reus erit periurij. Et licèt nullum interponeretur iuramentum, iudicat Sanchez eſſe mortale, quia lex naturalis dictat eſſe valde indecorum, & grauem inordinationem, modò vt fœminam, modò vt virum commiſceri. Contrarium iudicat Hurtado citatus, ſecluſo iuramento; quia hoc ſecluſo, nulla apparet ſaltem grauis inordinatio. Mihi magis placet, quod dicit Sanchez.

7 Quæret aliquis, an hermaphroditus, in quo æquè viget vterque ſexus, elegitque ſexum, debeat perſiſtere in vſu ſolius illius ſexus quem ſemel elegit. Reſpondeo teneri ſub peccato mortali; nam verè fornicaretur, imò & adulteraretur etiam cum proprio coniuge, ſi v.g. eſſet alius hermaphroditus, ſi vteretur diſtincto alio ſexu electo, & in virtute cuius contraxit. Ratio eſt, tum quia nõ tradidit coniugi ſuum corpus ſecundùm eum ſexum, ſed ſolum ſecundùm alium. Tum quia iniuriam faceret proprio matrimonio à ſe inito; cui iuri renunciare neuter poteſt: ſicut nec poteſt maritus renunciare iuri quod habet, ne coniux eius copuletur cum alio, quia repugnat iuri naturali matrimonij, & ſacramenti à ſe initi.

Ad rationem dubitandi diſpar eſt ratio. Nam cùm valde indecens ſit fœminam ad Ordines ſacros promoueri, credendum eſt Chriſtum ita inſtituiſſe id ſacramentum, vt illius incapax ſit ſexum fœmineum æquè ac virilem participans, cùm æquè vir ac fœmina ſit. Quòd ſi in hermaphrodito præualeat ſexus maris, cenſuit Sotus *in 4. diſput. 24. quæſt. 1. art. 2.* poſt primam concluſionem ante §. *hinc fit*, hermaphroditũ capacem eſſe; ſi verò præualeat fœmineus ſexus, capacem non eſſe. Nihilominus ipſe exiſtimo, vt obiter notauit Vaſquez *tom. 3. in 3. p. diſput. 245. cap. 2. numer.* 13. hos omnes hermophraditos ab Ordinibus repellendos eſſe ab maximam indecentiam. Pariter quoque cùm indecentiſſimum ſit, & ad luxuriam valde excitans, quæ verè fœmina eſt, profiteretur in virorum monaſterio; vel qui verè vir, apud Moniales, & hermaphroditus verè ſit vtriuſque ſexus, meritò ſentiendum eſt, Eccleſiam irritantem profeſſionem apud perſonas diuerſi ſexus, irritaſſe quoque profeſſionem eius perſonæ, quæ vtriuſque ſexus verè particeps eſt. At matrimonij & natura, & decentia, contenta ſunt ſola vacandi copulæ coniugali poteſtate, ideo non eſt cur hermaphroditus nequeat validè iuxta alterutrum ſexum matrimonio copulari, cùm verè habeat omnia neceſſaria ad generandum, & concipiendum.

Sectio XIV.

Quid cenſendum ſit de valore matrimonij, cùm in coniuge hermaphrodito mutatur ſexus.

Notandum eſt, quòd quamuis ſæpè legatur in fœminis eſſe mutatum ſexum fœmineum in virilem, vel ſaltem apparuiſſe poſtea in eis virilem. At è contra in viris nunquam id legitur contigiſſe. Quare ſermo erit de puella vxorata poſtea in virum conuerſa. Ac placet mihi quod ex grauiſſimo Anatomico refert noſter Martinus Delrio, nempe, quoties aliquid huiuſmodi contingit, ordinariè, ac ſemper eſſe ita, vt iam ab initio extiterit in ea perſona vterque ſexus, quamuis alter ab initio non manifeſtetur ex defectu caloris, quo creſcente poſtea manifeſtatur. 1

Dico ergo *primo*, ſi fœmina vxorata; quæ ab initio erat verè fœmina, ita poſtea mutetur in virum, vt ſexus virilis adueniens ita præualeat, vt iam non remaneat ſimpliciter fœmina; tunc certum eſſe tale eius matrimonium, quod fuerat ab initio validum, irritatur & diſſoluitur. Non curo modò, an naturaliter poſſibilis ſit prædicta ſexus mutatio. Ea tamen poſita, dictum euidens eſt; quia de eſſentia matrimonij eſt vt ſit inter vnam, & vnum in ſexu; ſed tunc dato eo euentu iam non maneret vnus & vna in ſexu; ergo nec eſſentia matrimonij. Quia verò antea 2

tea erat ibi vnus & vna, eo vſque adfuit ibi verum ac validum matrimonium.

3 Dico *ſecundò*, ſi fœmina ita mutetur in virum, vt poſt mutationem remaneat etiam æquè fœmina, non diſſolui tale matrimonium, ſed illud manere in rigore priſtino. Patet, quia tunc manet eodem modo ſicut antea erat, & eſt in tali matrimonio modo vnus & vna, ſicut antea, licèt appareret denuo ipſa virilitas; ergo conſeruabitur idem matrimonium, & non diſſoluetur. Addo nec etiam diſſolui, tametſi prævaleret ſubſequens virilitas, ita vt eſſet poſtea magis vir, quàm fœmina, dummodo tamen maneret adhuc ſimpliciter fœmina potens ſimpliciter vt talis ad actus coniugij. Congruit hoc cum dicto ſecundo præcedentis ſectionis, & patet eadem ratione & fundamento ibi adducto. Ac firmo quia iſti adhuc manerent ſimpliciter vnus & vna ad vſum matrimonij, ſeu ad copulam coniugalem. Teneretur autem fœmina perſiſtere in ſexu fœmineo, ex quo antea contraxerat, & quem quaſi eo ipſo elegerat.

4 Dico *tertiò*, ſi verum eſt, nunquam fieri veram mutationem ſexus, vt ipſe exiſtimo, ſed tantum ita denuo eam fœminam vxoratam apparere virum, quia ſolùm apparuit in ea virilitas quæ antea in ipſa latebat; in eo caſu validum adhuc eſſe poſſe matrimonium, & etiam nullum, explico id ſimul & probo. Nam ſi virilitas quæ in ea latebat, ſecum compatiebatur ſexum fœmineum, & eundem etiam ſexum compatitur poſtquam de nouo apparuit; certum eſt & antea, & poſtea validum eſſe tale matrimonium, quia ſemper adeſt ibi vnus & vna. Si verò virilitas quæ in ea latebat ſecum non compatiebatur fœmineũ ſexum, ipſum eius matrimonium nunquam fuit validum; quia nunquam fuit ibi verè vnus & vna. Similiter etiam ſi dicta virilitas poſtquam apparuit non compatiebatur ſexum fœmineum, irritabitur poſtea & diſſoluetur matrimonium; quia iam non maneret ibi vnus, & vna ſimpliciter, quod eſſentialiter requiritur ad matrimonij eſſentiam, exiſtentiam, & conſeruationem.

5 Dico *vltimò*, hoc totum quod dictum eſt de fœmina conuerſa in virum, intelligi etiam debere de viro mutato in fœminam, ſi aliquando cōtingeret, quod rarò, aut numquam fieri, dicunt communiter Doctores. Probatur id propter eaſdem rationes in ſuperioribus dictis propoſitas, quæ cum proportione præſenti euentui applicatæ eandem prorſus vim videntur habere.

Sectio XV.

An validè poſſint matrimonium contrahere inter ſe duo hermaphroditi ad vſum promiſcuum vtriuſque ſexus.

1 Senſus quæſtionis eſt, an inualidum eſſet matrimonium, ſi duo hermaphroditi, in quibus æquè viget vterque ſexus, velint contrahere, & contrahant animo acceptandi & trahendi ſibi mutuam potentiam in corpora ad vſum promiſcuum vtriuſque ſexus, modo vnius, modo alterius, modo fœminei, modo maſculini.

Ratio dubitandi eſt, quia ex vna parte videtur eſſe contra naturam matrimonij, & illud deſtruere: nam matrimonium ex ſe petit, eſſe inter ſolos vnum, & vnam in numero. At iſte contractus ſaltem virtute, & æquiualenter non eſſet inter ſolos vnum & vnam in numero, ſed potiùs inter vnum & vnam ex vno capite, & ex alio quaſi diſtincto inter vnum & vnam, & conſequenter ſaltem virtute inter duos hinc, & inter alios duos inde; vnde in dicto caſu vterque coniugum eſſet virtute vnus & vna. Imò & eſſent ibi duo contractus, & duo matrimonia virtute, quæ ſe inuicem deſtruerent; nam illa multiplicitas matrimoniorum repugnaret inter ſe. Firmatur, nam talis contractus, & matrimonium videretur eſſe contra finem præcipuum ac primarium matrimonij, qui eſt generatio prolis. Nam ſi hi coniuges modo vt vir, modo vt fœmina commiſcerentur, ſine dubio impedirent generationem; ergo tale matrimonium eſſet contra eius naturam, & primarium illius finem, vnde & inualidum. Ex alia parte videtur tale matrimonium forte validum. Nam licèt in dicto caſu detur virtute, & æquiualenter duplex contractus, & duplex matrimonium, quia ſunt ibi quatuor ſexus formaliter de quibus contrahitur, & ſic æquiualenter quatuor corpora de ſe ſufficientia ad duplex matrimonium; attamen, abſolutè & ſimpliciter loquendo, tantum ſunt ibi vnus & vna formaliter, & vnus etiam formalis contractus, atque adeò vnicum etiam ſolum formale matrimonium. At ſola formalis multiplicatio matrimoniorum eſt, quæ videtur intereſſe, & ipſi matrimonij valori opponi, non verò ſola virtualis, & æquiualens. Firmatur; nam etiamſi prædictum matrimonium contraheretur cum vſu promiſcuo vtriuſque ſexus, non impediretur generatio prolis. Nam poſſent coniuges iſti concordare inter ſe, vt vni ſexui vacarēt per vnum annum, & per alium alteri; vel non frequenter, ſed rarò, vel vt quoties alter prægnans eſſet, vel id ſuſpicaretur, non vacaret niſi ſexui fœmineo. His enim modis planè obuiaretur huic periculo impediendi generationem. Vnde fieret vt hoc modo initum tale matrimonium non eſſet contra illius primarium finem.

In hac re deſideranda eſſent iudicia Doctorum, qui eam intactam relinquunt. Mihi certè videtur dicendum tale matrimonium illicitum eſſe & inualidum iure naturæ. Nam ſic illo modo contrahere videtur manifeſtè repugnare ab intrinſeco naturæ rationali; quia continet intrinſecam & maximam indecentiam vſus ille promiſcuus vtriuſque ſexus, quē ipſa natura rationalis ſummè abhorret, ac deteſtatur, ergo ob eā tale matrimoniũ eſt iure naturæ inualidũ. 2

DISPVTATIO XXXVIII.

De impedimento raptus dirimente.

Explicatis iam duodecim impedimētis matrimonij dirimentibus iure antiquo in Eccleſia inductis; ſupereſt vt de duobus aliis iure nouiſſimo Tridentini ſtatutis, nēpe de raptu, & de contractu clandeſtino agamus. De raptu in præſenti diſputatione, de clandeſtino verò matrimonio in ſequentibus. Notandum verò raptum alienæ ſponſæ non eſſe impedimentum dirimens, ſed impediens tantùm, de quo egi ſuprà *diſp. 23. ſect. 6. n. 1.* Tridentinum autem Concilium ſolum irritat matrimonium inter raptorem & raptam, quandiu rapta eſt in poteſtate raptoris, & non eſt ſeparata à poteſtate raptoris, & in loco tuto ac libero cōſtituta. Vt meliùs explicetur hoc Tridentini decretum, de raptu, varia dubia proponemus, quorum cognitio ad conſcientiæ forum valdè conducet.

Sectio I,

Quid raptus ſit, & in quo conſiſtat eius ſpecifica malitia in confeſſione exprimenda.

1 Circa primum, raptus communi & veta definitione dicitur, violenta puellæ extractio è domo parentum. Ex quo fit eum, qui vim non infert, ſed vel precibus illam extrahit è domo parentum, ipſa liberè volente, raptorem non dici, neque raptorum pœnis ſubiacere. Quoniam raptus ſine violentia non eſt. §. *Item lex, Inſt. de public. iud.* rapere enim importat cum vi, & impetu auferre: quia ſcienti & volenti non fit iniuria, nec dolus. *l. nemo videtur. ff. de regulis iuris.* Quare D. Thom. quem omnes Theologi ſequũtur, 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 7 pro conſtanti docet, ad raptum violentiam deſiderari. Quamuis enim mulier non ſit ſui corporis domina, ita vt licitè poſſit ſe raptui exponere; eſt tamen ad eum ſenſum domina, vt poſſit conniuere abſque vllo iniuſtitiæ crimine in altero, atque ideo ipſa conſentiente, ceſſat raptus, qui violentiam iuſtitiæ contrariam poſtulat.

2 Addo, etiam eſſe raptum, ſi fœmina ſub poteſtate parentum, aut tutorum conſtituta, omnino liberè conſentiens, ipſis inuitis abducatur è domo: vt tenent communiter Doctores cum D. Thoma. Quia, quamuis fœmina etiam virgo iniuriam non inferat patri, conſentiens ſuæ deflorationi, nec ipſam violentiam deſiderans; quia puella eſt domina vſus ſui corporis ad illum actum, ſi non vt licitè fiat extra matrimonium, quia eſt contra caſtitatem, non verò eſt contra ius alicuius, nec parentum; nec manere minus aptam matrimonio conſentienti ipſa lædit ius alicuius, cùm poſſit ſua ſponte innupta perpetuò manere, & ad hoc ius habet inuitis parentibus. Attamen extractio fœminæ conſentientis è domo parentum, vel tutorum, ſub quorum cuſtodia eſt, manifeſtam iniuriam illis extractioni renitentibus infert, ac proinde eſt noua culpa iuſtitiæ oppoſita. Firmo, quia ipſi parentes habent ius ad ſuam filiam in domo ſua cuſtodiendam; ergo maxima iniuria parentibus irrogatur, quam ipſa remittere nequit, ſponte ſua abductioni conſenſum præbens; ergo & ipſe abductor, ſeu raptor iniuriam infert parentibus. Imò erit quoque raptus, quando parentibus ignorantibus virgo conſentiens ſub illorũ cura exiſtens, abducta eſt. Quamuis enim tunc non interueniat ipſorum contradictio poſitiua, eſt tamen cum nolitione; quod ſatis eſt vt de iniuria ſibi ipſis illata iuſtam querelam concipiant. Idem dic ſi puella ſub tutorum poteſtate, aut mariti conſtituta, ex eorum domo abſque ipſorum voluntate conſentiens abducerentur: habentur enim loco parentum. Idem etiam dic ſi fœmina ſub fratrum cuſtodia ſit; erit tamen minus delictum.

3 Circa ſecundum. Dico *primò*, ſpecificam malitiam raptus conſiſtere in hoc quod homo affectu luxuriæ impulſus, eò peruenit, vt quo libidinem expleat, vim inferat fœminæ, aut iis ſub quorum poteſtate ac cura eſt. Ita colligitur ex D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *a.* 7. *ad* 2. Ex quo fit raptum duplicem malitiam ſpecificam habere, alteram caſtitati oppoſitam, prout coitum extra matrimonium claudit, & alteram iuſtitiæ oppoſitam, ratione violentiæ quam importat. Vnde raptus eſt duplex ſpecies, ſicut adulterium, inceſtus, & ſacrilegium duas ſpecies continent duabus diuerſis virtutibus contrarias. Quæ duplex ſpecies eſt in confeſſione exprimenda. In hoc omnes conueniunt. Solum dubitari poteſt, an ſpecies iniuſtitiæ contenta in raptu directè contineatur ſub genere luxuriæ formaliter contra caſtitatem. Nam ſunt nonnulli qui id affirmant, & probant auctoritate D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 164. *art.* 6. 7. & 8. vbi aſſignans ſpecies luxuriæ contra virtutem caſtitatis, enumerat ſtuprum, adulterium, raptum, & inceſtum, quaſi ſpecies infimas luxuriæ. Firmatur, nam idem S. Doctor *art.* 1. *in ſolutione ad* 2. expreſsè ait loquens de adulterio, ſpeciem iniuſtitiæ non ſe habere omnino per accidens ad ſpeciem luxuriæ. At ſi eſſet ſpecies omnino diſtincta & diſparata, per accidens ſe haberet ad illam. Idem intellige de raptu.

Dico *ſecundò* cum Caietano 2. 2. *q.* 154. *art.* 1. *circa* 2. *argumentum*, & cum Vaſquez 1. *tom. in* 1. 2. *diſput.* 53. *n.* 17. *& ſequentibus*, & cum aliis ſpeciem iniuſtitiæ, verbi gratia, cõtentã in raptu, non contineri directè ſub genere luxuriæ formaliter contra caſtitatem; ſed in ipſo raptu reperiri quandam luxuriæ ſpeciem infimam caſtitati oppoſitam, illique aliam ſpeciem iniuſtitiæ virtuti iuſtitiæ oppoſitam coniungi. Probo, quia circunſtantia in actione externa quæ habet peculiarem ordinem ad rationem contra vnam virtutem, non poteſt vllo modo per ſe pertinere ad ſpeciem peccati contra aliam virtutem, at circunſtantiæ iniuſtitiæ in raptu, quæ tribuit nouam ſpeciem actioni, habet ordinem ad rationem contra virtutem iuſtitiæ ſpecie diſtinctam à virtute caſtitatis, cui etiam opponitur: ergo ex his duabus ſpeciebus adeò diuerſis non poteſt fieri vna ſpecies contra duas diuerſas virtutes, neque vna ſub alia contineri. Quare ſicut in furto calicis conſecrati, v. g. quatenus eſt acceptio rei alienæ conſtituit vnam ſpeciem contra iuſtitiam; & quatenus eſt ibi conſecratio, conſtituit propter peculiarem ordinem ſpeciem nouam, non contra iuſtitiam, ſed contra religionem, quæ eſt virtus diſtincta, & ex his duabus ſpeciebus non poteſt fieri vna; ita pariter dicendum eſt in raptu. Ratio verò ob quam duæ ſpecies contra duas virtutes non poſſunt ita miſceri, vt vnam conſtituant, ea eſt, quia cùm virtutes ipſæ ſpecie atoma differant, opus eſt, vt etiam peccata cõtra diuerſas virtutes ſpecie atoma inter ſe differant; duæ autem ſpecies non poſſunt ad vnius ſpeciei conſtitutionem conuenire. 4

Neque huic doctrinæ opponitur D. Thom. *citatus*, 5 quia, vt optimè notauit *ibi* Caietanus *art.* 1. *dubio* 1. & 2. ſpecies luxuriæ in ea quæſtione enumeratæ, nẽpe ſtuprum, adulterium, raptus, & inceſtus, non ſunt ſpecies directè contentæ ſub genere luxuriæ formaliter contra caſtitatem, ſed in illis omnibus reperitur vna ſpecies luxuriæ infima contra caſtitatem: ei autem coniunguntur variæ aliæ ſpecies contra alias virtutes. Nam tres priores, nempe ſtuprum, adulterium, & raptus, ſunt contra iuſtitiam, diuerſo tamen modo, vt ſatis conſtat; inceſtus autem contra pietatem, quæ defert debitum honorem ſanguine iunctis. Et ideo rectè hæ dicuntur à Caietano ſpecies luxuriæ, non formaliter, ſed materialiter, quia cum luxuria in eodem actu coniunguntur, ſed non pertinent directè, & eſſentialiter ad luxuriam. Ex quo patet ſolutio ad argumentum oppoſitum. Ad confirmationem dico, dictum illud D. Thom. ita eſſe accipiendum, non quia in adulterio ex duabus illis ſpeciebus iniuſtitiæ, & luxuriæ, fiat vna per ſe, ſed quia ita comparatur ſpecies iniuſtitiæ, cum altera luxuriæ, vt quanto creſcit illa, creſcat hæc alia; quia quo maiora mala contra iuſtitiã aliquis non dubitat inferre ex affectu libidinis, eo maior eius libido & luxuria eſt. Quocirca S. Thom. conſultò non dixit poſteriorem ſpeciem non comparari per accidens cum priore, ſed dixit, non omnino per accidens, propter rationem dictam. Nam ſi omnino per accidens ſe haberet,

non

non creſceret libido ex cauſa illa quam diximus.

5 Dico *tertiò* tametſi ad pœnas raptoribus iure decretas inoutrendas deſideretur violẽta de loco ad locũ abductio, attamẽ vt in foro cõſciẽtię raptus ſit, &habeat circumſtantia raptus ſpecie diuerſam à fornicatione, neceſſariò confitẽdam, id non deſiderari, ſed ſufficere quomodocumque vim fœminæ inferri ad copulam extorquendam. Patet, quia in hoc caſu, vltra fornicationis malitiam aduerſam caſtitati, adeſt malitia violentiæ illatæ contra iuſtitiam; ergo. Idem dic, ſi fœmina importunis precibus ducta, conſenſum copulæ præbeat, ſi preces importunæ tales ſint, vt violentiæ æquiparentur, iuxta dicta ſuprà *diſp. 17. ſect. 7.* ſecus ſi preces importunæ non ſint eiuſmodi. Quia raptus violẽtiam ad ſui rationem neceſſariò poſtulat. Vnde non eſt propriè raptus, quando fœmina abſque vi aliqua, fraudibus, vel ignorans cognoſcitur, vt ſi quis fraudibus copulam extorqueat; vel rem habeat cum fœmina ignorante, nempe dormiente, vel putante eſſe virum ſuum. Quia tunc nulla vis infertur, quæ ad verum raptum neceſſaria prorſus eſt: ſicut non eſt rapina rem à domino ignorante, vel fraudibus auferre. Nihilominus ea malitia continet malitiam ſpecie diuerſam à fornicatione neceſſariò confitendam, & reducitur ad raptum. Quia illa copula non ſoli caſtitati aduerſatur, ſed etiam iuſtitiæ, quia iniuria irrogatur fœminæ, eam præter voluntatem carnaliter cognoſcendo; nam ſi malitia fornicationis inuenitur vbi fœmina copulæ conniuet; ſanè ipſa non conniuente, ad alterius ſpeciei malitiam ſpectabit copula illa.

6 Dico *quartò*, eſſe raptum ſpecie diuerſum à fornicatione, ſiue fœmina ſui iuris inuita abducatur domo, licèt poſtea copulæ conſentiat, ſiue ſolùm inuita cognoſcatur, quãuis volens abducta ſit. Ratio eſt, quia in vtroque caſu inuenitur violentia. Vnde optimè dixit D. Th. 2.2. *quæſtion.* 154. *art.* 7. poſtquam dixerat raptum committi, ſiue fœmina renitens abducatur, ſiue conſentiens inuitis parentibus, concludit qualitercumque vis, ſeu violentia adſit, rationem raptus conſtare. Quare etiam eſt raptus explicandus in confeſſione, tamquam ſpecie diuerſus à fornicatione, ſi fœmina ſub poteſtate parentum, aut tutorum conſtituta omnino conſentiens ipſis inuitis abducatur domo, vt dixi ſuprà *n.* . Quòd ſi puella volens abducatur ignorantibus parẽtibus, aut tutoribus, non erit propriè raptus, ad eum tamen reducitur.

Dico *quintò*, eſſe raptum fœminæ cuiuſcumque ſtatus, etiam meretricis, ſi violenter cognoſcatur, vel abducatur. Ratio eſt, quia vis illa etiam ad iniuſtitiam pertinet. Et quamuis ſolius mulieris honeſtæ raptus dicatur vt ordinariis pœnis raptus obnoxius ſit, vt infrà dicemus; tamen in foro conſcientiæ eſt raptus diuerſæ ſpeciei à fornicatione ſimplici, ac neceſſariò fatendus, qualiſcumque ſit fœmina, ſi violentia verè inferatur; quia vis illa ad iniuſtitiam ſpectat. Ex prædictis colligo ad ſpeciem hanc raptus neceſſariò confitendam, parum, aut nihil referre, ſiue vir rapiat fœminam, ſiue fœmina virum: quia vterque raptus violentiam iniuſtè illatam includit, atque ideo vterque malitiam ſpecificam diuerſam à fornicatione habet; tametſi ſolus fœminæ raptus pœnis raptorum ſubiaceat, vt dicemus *infrà*.

7 Dico *vltimò*, hunc raptum, de quo loquimur, non inueniri, quando non cauſa libidinis, ſed alia cauſa ſit. Patet, quia raptus propriè eſt luxuriæ ſpecies ſaltem materialiter modo ſuprà explicato, vt tenent cõmuniter Doctores cum D. Th. 2. 2. *q.* 154. *a.* 7. Neque ad hanc ſpeciem raptus, eſt opus copulam ſubſequi, ſed ſatis eſt vim inferri animo libidinis explendæ: ſicut adulterium eſt coniugatam aggredi animo coëundi.

Sectio II.

Quas conditiones exigat raptus, vt pœnis iuris antiqui ſubiaceat.

Præmitto grauiſſimas eſſe pœnas impoſitas raptoribus iure antiquo. Nam *l. vnica. C. de raptu virginum*, & *l. regia* 3, *tit.* 20. *p.* 7. raptoribus mulieris honeſtæ ſtatuta eſt mortis pœna. Et *cap. ſi quis* 36. *q.* 2. ſic dicitur. Si quis non dicam rapere, ſed attentare tantummodo matrimonij iungendi cauſa ſacratiſſimas virgines auſus fuerit, capitali pœna feriatur. Pręterea in prędictis legibus citatis ſtatuitur, vt bona raptoris, & opem ei ferentium, ſtatim ad raptæ dominium tranſeant. Denique excommunicationis pœna raptor cum ei fauentibus punitur *c. ſi quis virginem*, 36. *q.* 2 his verbis. Si quis virginem, vel viduam, niſi deſponſauerit, rapuerit, vel furatus fuerit, in vxorem, cum ſibi fauentibus, anathema ſit. Quam eſſe excommunicationem ipſo facto latam affirmant nonnulli. Nam verbum illud, *anathema ſit*, canonem latæ ſententiæ importat. Verius putat Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 52. *n.* 2. non eſſe latam, ſed à iudice ferendam. Tum quia, ea verba anathema ſit, excommunicatus ſit, niſi aliud addatur, non continent latam excommunicationem, ſed deſiderare ſententiam iudicis. Tũ maximè, quia tametſi ea verba importarent latam ſententiam, id tamen intelligi debet niſi proferatur in materia in qua ex alio textu Canonico inferatur exigi ſententiam, & non eſſe excommunicationem ipſo facto latam, vt contingit in præſenti. Nam conſtat ex eadem cauſa 36. *q.* 2. *c.* 5. raptores non eſſe excommunicatos, ſed eſſe excommunicandos: dicitur enim ibi, anathematizentur, quod verbum cùm ſit futuri temporis, importat excommunicationem ferendam. Verba prædicti capitis primi ſunt eiuſmodi. Eos qui rapiunt mulieres ſub nomine ſimul habitandi, aut cooperantes, aut conniuentes raptoribus, decreuit ſancta Synodus, vt ſi quidem Clerici ſunt, decidant proprio gradu: ſi verò laïci, anathematizentur. Idem repetitur *in eadem cauſa cap.* 4. his verbis, De puellis raptis, needum deſponſatis in Chalcedonenſi Concilio ſtatutum eſt, eos qui rapiunt puellas ſub nomine ſimul habitandi, cooperantes, & conniuentes raptoribus, decreuit ſancta Synodus, vt ſiquidem Clerici ſunt, decidant proprio gradu, ſi verò laïci, anathematizentur. Quibus verbis clarè exprimitur raptores debere excommunicari, & conſequenter non eſſe ipſo iure excommunicatos. 1

His præmiſſis, ad præſentem quæſtionem dico quatuor deſiderari, vt prædictis pœnis raptores ſubiiciantur. 2

Primum eſt, vt in ipſo raptu adſit violentia; violentia, inquam, vel ipſi fœminæ raptæ, vel parentibus, aut tutoribus illius, iuxta dicta præcedenti ſectione. Quando verò puella ſub nullius eſt poteſtate conſtituta, & volens abducitur, non eſt raptus, quia nulla eſt vis, nec impetus. Quòd ſi puella iſta abductioni conniueat, & poſtea renitens cognita ſit, non eſt raptus; quia cùm raptus abductionem violentam petat, vbi ea deficit, non erit raptus, ſed copula vi extorta. E contra verò, ſi fœmina initio abductioni reſiſtit, tametſi poſtea copulæ annuat, eſt raptus: quia initium ſpectandum eſt, in quo violentia interfuit. Quamuis in eo euentu exiſtimem raptorem non eſſe

pœna

pœna ordinaria puniendum; quia is raptus non eſt conſummatus; nam is conſummatus petit ad ſui conſummationem violentam abductionem, & violentam copulam, ſaltem ex parte raptoris, qui fecit quod potuit. Denique verè raptus eſt fœmina diſſentiente, tametſi eius parentes conſentiant abductioni: quia parentes non habent dominium corporis puellæ, nec facultatem illud ei vſui exponendi abſque manifeſta iniuſtitia, ob iniuriam puellæ irrogatam.

3 *Secundum* quod deſideratur ad eas pœnas incurrendas, eſt, vt raptus fiat cauſa libidinis. Quare ſi non cauſa libidinis explendæ raptus fiat, ſed alia quacumque, non eſt prædictis pœnis obnoxius; quia, vt conſtat ex præcedenti ſectione, raptus propriè eſt ſpecies luxuriæ. Eſt etiam limitandum, niſi præceſſerit tractatus de matrimonio ineundo. Tunc enim ſi puella volens, quantumuis reclamantibus parentibus à ſponſo extrahatur, non ſubdetur raptus hic pœnis iuris ciuilis: quia in hoc corrigitur per ius Canonicum, quod in hoc ſeruandum eſt. Patet id manifeſtè ex *cap. cum cauſam, de raptoribus*, his verbis Lucij Tertij. Cùm ibi raptus dicatur admitti, vbi nihil ante de nuptiis agitur; iſte raptor dici non debet cùm habuerit mulieris aſſenſum, & prius eam deſponſauerit, quam cognouerit; licet parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuiſſe. Ex quo textu manifeſtè liquet non eſſe raptum eiuſmodi factum, quia fuit factum pro ineundo matrimonio, quando præceſſêre ſponſalia, etiam de futuro. Quod vltimum addo, quia textus dicit, vbi nihil ante de nuptiis agitur. At quãdo ſponſalia de futuro præcedunt; iam verum eſt, aliquid de nuptiis actum eſſe. Nec verò ſufficit actum eſſe de nuptiis contrahendis, ſi non ſit iam præſtitus conſenſus de matrimonio ineundo, & is tractatus concluſus. Verba enim illa, vti nihil ante de nuptiis agitur, ſunt cum effectu intelligenda. Quia ex tunc iam habet aliquale ius raptor in raptam; & certè nullum habet, dum ſponſalia non ſunt communi placito inita, & contracta.

4 *Tertium* quod deſideratur vt ſi raptus ſubiectus prędictis pœnis, eſt, vt ſit traductio de loco ad locum. Vnde ſi abſque traductione, cognoſcatur violenter fœmina, erit copula vi extorta, non autem raptus. Nec qualiſcumque traductio de loco ad locum ſufficit, ſed debet eſſe ad effectum abducendi, & non gratia commodioris vſus, & coitus; quia id non eſt vere traducere de loco ad locum. Vnde non ſatis erit, ſi puella de vna camera in aliam extrahatur; id enim non fit ad effectum abducendi, ſed ad commodiorem coitum. Nec ſimiliter ſufficiet, ſi rapiatur à via publica, & ſeorſum abducatur: quia id eſt gratia commodè coëundi; nam is actus petit locum occultum. Nec denique ſatis eſt, ſi quis puellam in agro repertam, per aliquot paſſus abducat, vt eam carnaliter cognoſcat; quia id fit ad commodius coëundum. Eſt autem verus raptus, ſi fœminam animo abducendi in aliũ locũ quiſpiam è loco rapiat, quamuis eã ad locum deſtinatum non perduxerit; quia iam tunc eſt vera de loco ad locum abductio, & animo abducendi facta.

5 *Quartum* denique requiritur, vt mulier rapta ſit honeſtæ vitæ. Vnde meretricis raptor non ſubiacet prædictis pœnis; niſi vitæ anteactæ pœnitentia ducta meretrix illa, vitam honeſtam agere cœpiſſet, ita vt non ſufficiat pœnitentia illa abſque honeſtæ vitæ inceptione: niſi quoque meretrix illa eſſet coniugata. Quia tunc marito irrogaret iniuriam raptor illius meretricis, ac proinde iure optimo obnoxius eſſet raptoris pœnis. Quod intellige niſi maritus eſſet leno. Quia etiam tunc reſpectu illius ceſſaret iniuria.

Super ſunt adhuc circa hanc rem duo dubia diſſoluenda.

Primum eſt, an eiſdem raptus pœnis ſubdatur fœmina rapiens virum, vel aliam fœminam.

Dicendum cum veriori & communiori doctrina, fœminas virorum raptrices non comprehendi illis raptus pœnis. Patet, tum quia leges non adaptantur iis quæ rariſſimè contingunt, ſed illis ſolis quæ frequenter accidunt. At rariſſimum eſt, & vix auditum, vt fœmina virum rapiat. Tum maximè, quia cùm maior honeſtas deſideretur in fœmina, atrocius delictũ eſt raptus fœminæ perpetratus à viro, quàm ſi fœmina virum rapiat. Multo enim grauior iniuria irrogatur honeſtati fœminæ raptæ, quàm viri rapti; quippe nec maſculus raptus, nec eius parentes ac conſanguinei eam iniuriam & infamiam patiuntur, ac quando fœmina rapta eſt: non ſubeſt igitur eadem ratio in vtroque caſu, ergo nec eadem pœna. Tum denique, quia maior frequentia delicti, & maior inclinatio ad illud admittendum, ſolet eſſe cauſa, vt pro minori delicto grauior pœna imponatur. Cùm igitur rapi virum à fœmina ſit rariſſimum, & multo minus delictum quàm rapi fœminam à viro, ac modica ſit in fœmina pronitas ad id perpetrandum; non eſt rationi conſonum, pœnam raptus perpetrati per virum, extendi ad raptum per fœminam admiſſum. Idem dico in alio caſu, ſi fœmina fœminam rapiat, non extendi prædictas pœnas ad hunc raptum, quia hic caſus rariſſimus eſt, & lex non curauit de illo. 6

Alterum dubium eſt, an ſupradictæ pœnæ ipſo iure incurrantur, abſque alia declaratione, an potius non incurrantur ante ſententiam iudicis. Reſpondeo hoc ſecundum eſſe dicendum; nam cùm ſint leges pœnales quæ requirũt miniſteriũ hominis vt executioni mandentur, vt eſt pœna capitis, & bona raptoris ſtatim transferantur in dominium raptæ; lex non trahit ſecum executionem, id eſt, non infert pœnam ipſam, ſed ad ſummum obligationem ad illam per ſententiam iudicis; nam lex quæ iubet hominem flagellari, vel morte puniri, non flagellat, nec morte afficit; & lex quæ præcipit ſoluere, vel ſpoliari ſuo dominio, non ſoluit, nec ſpoliat hominem ſua pecunia, vel dominio ad illam, ſed obligat, vt ſoluat. De priori illa pœna, nempe excommunicatione, quæ ſecum afferre poteſt executionem, iam dixi eſſe comminatoriam. 7

Sectio III.

An raptus ſit impedimentum dirimens matrimonium, attento decreto Concilij Tridentini.

CErtum eſt *primò* iure antiquo raptum non dirimere matrimonium. Nam conſtat ex *cap. finali, de raptoribus*, inter raptorem & raptam matrimonium concedi, ſi rapta adhuc ſub raptoris poteſtate exiſtens, vere liberè conſentiat. Vnde ſi qui antiquiores Canones dirimunt hoc matrimonium, non abſolutè, ſed inter raptorem & raptam, omnes corriguntur per hoc ius canonicum, nouiùs *capitis finalis, de raptoribus*, quo ſtandum eſt, vt vniuerſi Doctores affirmant. 1

Certum eſt *ſecundò* poſt decretum Tridentini, raptum eſſe impedimentum dirimens inter raptorem & raptam, quandiu rapta eſt in poteſtate raptoris, etiamſi liberè conſentiat. Attendamus verbis Tridentini *ſeſſ. 24. de reformatione matrimonij c. 6.* ſic dicentis. Docet ſancta Synodus, inter raptorem, & raptam quandiu 2

in

in ipſa poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in vxorem habeat; & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium & fauorem præbentes, ſicut ipſo iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & ſi clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſiue eam vxorem duxerit, ſiue non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare. Hæc Tridentinum.

Circa quod decretum ſunt nonnulla obſeruanda.

Primum eſt, prædictum decretum tantùm habere locum in his locis, in quibus receptum eſt Tridentinum; aliàs ſeruandum, quod iure antiquo ſtatutum eſt *in dicto cap. finali, de raptoribus*.

Secundum eſt, hoc decreto manifeſtè irritari matrimonium contractum inter raptorem & raptam, quamdiu rapta eſt in poteſtate raptoris; non verò ſi ſit ſeparata à poteſtate raptoris, & in loco tuto, ac libero conſtituta. Id enim totum clarè ſignificant verba adducta. Cùm enim dicant nullum poſſe conſiſtere matrimonium inter raptorem & raptum pro tempore raptus; manifeſtè ſignificant id matrimonium nullum habere valorem. Nam ſimiliter *cap. vnico, de cognatione legali*, dicitur inter adoptantem & adoptatum non poſſe conſiſtere matrimonium durante adoptione, & tamen id eſſe impedimentum dirimens fatentur omnes, & diximus ſuprà *diſput. 30. ſect. 4.*

3 *Tertiò*, certum eſt, raptores, ac conſilium, auxilium, aut fauorem præbentes eſſe ipſo iure excommunicatos: vt in prædicto decreto dicitur. Quod eſt dicere eſſe excommunicationem latæ ſententiæ, ac proinde nullum iudicis actum deſiderare; particula enim, *ipſo iure*, denotat ſententiam latam. Non verò eſt excommunicatio reſeruata, quia Tridentinum in eo decreto non reſeruat. Quare raptores, & fautores raptus dirimentis matrimonium ſunt excommunicati ipſo iure à Tridentino, ac proinde ſtatim abſque alia declaratione excommunicati manent, etiam ſi poſtea raptor ducat raptam.

4 De aliis verò pœnis dico certius videri apud Doctores non incurri ante ſententiam, vel declarationem iudicis. Patet, quia in primis quòd teneatur raptor ad raptam dotandam, manifeſtè eſt pœna iudicis ſententiam poſtulans. Id clarè conſtat, quia Tridentinum addidit teneri arbitrio iudicis dotare decenter. Hoc verò arbitrium iudicis debet eſſe attenta qualitate raptoris & raptæ. Cùm enim ſit pœna iniuriæ illatæ, & illa ſit maior, aut minor, attenta vtriuſque perſonæ qualitate, ea certè ſpectanda eſt ad iuſtum arbitrium efformandum. Adde ſi ex raptu aliud pullularet raptæ damnum, id in foro conſcientię nulla iudicis ſpectata ſententia, inſtar aliorum damnorum, quæ iniuſtè inferuntur, reſarciendum eſt, vt per ſe conſtat. Præterea de perpetua infamia, quod iudicis ſententiã poſtulet, ait Nauarrus in ſimili caſo in Extrauaganti Gregorij XIII. de datis pro iuſtitia, vel gratia, *notabili 31. n. 44.* Idẽ dicẽdu ea pœna decidẽdi à proprio gradu: ſũt ergo deiiciẽdi & deponẽdi, nec ſunt depoſiti donec miniſterium iudicis deponentis accedat. De pœna autem incapacitatis omnium dignitatum, probabilius iudico cum Sanchez *diſput. 13. numer. 1.* indigere quoque iudicis ſententia ob eius pœnæ maximã acerbitatem. Hæc etiam dignitatum incapacitas ſequitur infamiam, atque ideo immediatè poſt infamiam poſita eſt in Tridentino. At infamia non incurritur ante ſententiam iudicis. Nota ab hac pœna non liberari raptorem, etiamſi raptam ducat. Nam id apertis verbis decernit Tridentinum. Vbi enim dixit poſſe duci raptã, ſi ad priſtinã libertatem reſtituta conſenſerit, ſubdit ſtatim: nihilominus raptor ille, ac omnes illi, &c. Vbi põderanda eſt dictio, *nihilominus*, quæ non minus ſignificat, ac Hiſpanè, *con todo eſo*. Et ratio eſt, quia ea pœna imponitur ob raptus delictum. Hinc verò non ſequitur raptorem, & ei auxiliantes eſſe irregulares ipſo facto. Non enim ſunt irregulares niſi infamiam incurrant, & à priori gradu deiiciantur. Quod cùm ſententiam iudicis deſideret, non erit irregularis ipſe, nec cõſulentes ante iudicis ſententiam. Parochus verò aſſiſtens matrimonio raptoris cum rapta, nõdum ad priſtinam libertatem extra raptoris poteſtatem exiſtente, non incurrit pœnas huius decreti Tridentini. Quia hæ tantùm imponuntur aduersùs fautores raptus, at Parochus aſſiſtens poſtea matrimonio, non fauet raptui, vtpote qui iam omnino admiſſus eſt. Incurreret verò prædictas pœnas ſi ante raptũ promitteret illi aſſiſtentiam eam, qua animoſior factus eſt raptor ad raptum exequendum, vt rectè notauit Sanchez *citatus*; quia tunc raptus verè fautor eſſet. Denique placet mihi quod notat Hurtado *diſput. 23. ad finem difficultatis 5.* prædictas pœnas non eſſe à iudice imponendas, ſi raptor validè raptam ducat, excepta pœna dotandi eam. Quod certè credendum eſt ex pia Tridentini mente in fauorem matrimonij: nam durum eſſet raptam nubere viro perpetuò infami.

Sectio IV.

Qualis raptus obnoxius ſit prædictis Concilij Tridentini pœnis.

Vt prædictum decretum maneat perfectè declaratum, oportet vt qualitatem raptus exponamus prædictas pœnas incurrentis Quod, vt clariùs declaretur, breuiter variis difficultatibus rem ipſam dilucidabimus. Sit igitur

Prima difficultas, an etiam dicto decreto comprehendatur raptus quo fœmina rapit virum. Ad hanc difficultatem dico cum Sanchez *lib. 7. diſput. 13. n. 4.* Coninch *diſp. 31. dub. 4.* Baſilio Ponce *c. 69. n. 6.* Hurtado *diſput. 25. difficult. 3. n. 12.* & aliis, id decretum tantùm intelligendum eſſe de raptoribus, nec extendendum eſſe ad raptrices fœminas. Cùm enim dictũ decretum odioſum ſit, & pœnale contra raptorem, non eſt extendendum ad raptricem, præſertim cùm ſit maior ratio ad fauendum fœminis, ne cogantur, quàm viris. Videantur dicta ſuprà *ſect. 2. numer. 6.* 1

Secunda difficultas eſt, an raptus fœminæ factus cauſa libidinis, & non cauſa contrahendi matrimonium cum rapta, dirimat matrimonium, & obnoxius ſit prædictis Tridentini pœnis. 2

Affirmant nonnulli, inter quos Sà *verb. matrimonium*, & Ochag. *tract. 3. q. 44.*

Primò, quia Tridentinum abſolutè, & abſque vlla limitatione loquitur de raptu.

Secundò, raptus etiam non factus cauſa contrahendi matrimonium lædit libertatem fœminæ ad illud; nam quacumque intentione rapiatur fœmina, dum poteſtati raptoris ſubeſt, non minus impeditur plena libertas, cùm metus & vis non plenè ceſſauerint.

Tertiò, ibi Tridentinum punit raptores & fautores, quamuis Clericos, & tamen Clerici non rapiunt ad contrahendum matrimonium, ſed cauſa libidinis tantùm; ergo.

Verius iudico in eo decreto ſolos fœminarum raptores cauſa contrahendi cum eis matrimonium comprehendi. 3

Digitized by Google

prehendi. Moueor, quia manifeſtum videtur Tridẽtinum dicto impedimento, & reliquis pœnis tantùm intendere punire illum, qui lædit libertatem ad matrimonium, vt ſic puniendo impediat dictam læſionem. At qui fœminam rapuit cauſa libidinis, & non ad contrahendum matrimonium, non violauit libertatẽ ad illud, neque ad illud coegit: nullam igitur pœnam à Tridentino aſſignatam dicti impedimenti incurrit. Firmo, quia quando cauſa matrimonij raptus eſt admiſſus, delictum fuit contra matrimonij libertatem, & ab initio in eo interfuit coactio; atque ideo vt plenior ſit libertas, petit id decretũ prius raptã in priſtinam libertatẽ, ac in locum à raptore ſeparatum reſtitui; & raptorem tamquam iniquum libertatis matrimonij violatorem, cui libertati totis viribus Tridentinum conſulere intendit, punit acerbiſſimis pœnis in eo decreto contentis. Hinc

4 Colligo *primò*, ſi quis proprio motu, non petente qui matrimonium initurus eſt, fœminam rapiat, non vt ſecum, ſed vt cum alio matrimonium contrahat, eum raptorem non ſubdi pœnis huius decreti Tridentini, & valere matrimonium cum illo tertio initum, ſi fœmina verè liberè conſentiat, quamuis nondum extra raptoris poteſtatem ſit. Ita Sanchez *citat. diſputat. 13. numer. 6.* Ratio eſt, quia prima pœna illius decreti eſt, vt inter raptorem & raptam non poſſit conſiſtere matrimonium quamdiu rapta ſub raptoris poteſtate fuerit, atque ideo ſupponit raptum eo deſtinatum eſſe, vt raptor raptam ducat; non igitur erit locus iis pœnis, quando gratia ſit ineundi matrimoniũ cum alio. Quod ſi ad inſtantiam udituri matrimonij rapuerit, tunc matrimonium cum illo erit inualidum, niſi priùs in loco tuto fœmina conſtituatur; & ille qui inſtauit, vt raptus fieret, incurret cæteras pœnas tamquã verus raptor per interpoſitam perſonã ad effectũ matrimonij. Is verò qui raptum exercuit, tanquam auxilium raptui ferens ad finem ineundi matrimonij, incurret excommunicationem, & cæteras auxiliantium pœnas. At cum ipſo validè poteſt fœmina contrahere, prius quàm in loco tuto reponatur; quia auxilium ferentes non puniuntur ea pœna in illo decreto, vt nimirũ matrimonium cum illis conſiſtere nequeat, donec fœmina ſit ad locum tutum reſtituta.

Colligo *ſecundò*, nihil referre, ſiue ſequatur copula, ſiue non ſequatur, ad pœnas huius decreti incurrendas. Quia non punitur raptus cauſa libidinis, qui copula non ſecuta non habet rationem delicti perfectam, ſed cauſa ineundi matrimonij, ad quem copula nihil confert.

Colligo *tertiò*, non eſſe locum his pœnis, ſi fœmina volens abducta ſit, quamuis abductione ſecuta voluntatem mutet prioris facti pœnitentia ducta; ſecus ſi principio abductioni renitatur, quamuis poſt abductionem factam, velit. Ratio eſt, quia in his ſpectandum eſt initium, in quo violentia interfuit.

Colligo *quartò*, eſſe locum his pœnis, quamuis rapta cauſa matrimonij non ſit perducta ad locum deſtinatum, ſed in ipſo itinere raptor reſipiſcat. Quia delictum hoc raptus in ipſa abductione conſummatur, nam tunc perfectè irrogatur matrimonij libertati iniuria. Neque enim Concilium ſpectat vt raptor in aliquo loco iam raptam conſtituat, vel eam ducat, ſed ſolùm vt rapuerit cauſa matrimonij, illamque ſub ſuam poteſtatem repoſuerit.

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum dico intentum Tridentini eſſe ſolum pœnas imponere offendentibus libertatẽ matrimonij per raptum, at qui fœminam rapit cauſa libidinis tantùm, inuiolat libertatem matrimonij. Ex quo patet ad ſecundum. Et certè non videtur negari poſſe Tridentinum tantum loqui de raptu intentione contrahendi matrimonium facto, vt ex eius verbis deducitur, & ex eo quod in dicto capite incipit agere de matrimonio contrahendo inter raptorem & raptam.

Ad tertium dico ibi tantùm puniri Clericos fautores, non raptores. Addo etiam & raptores clericos intentione contrahendi matrimonium, quando non ſunt in Sacris: imò & quando ſunt, ſi non de iure, ſaltem de facto; quia Clerici in Sacris aliquando de facto contrahunt, quamuis inualidè, ſicut coniugati.

Tertia difficultas eſt, an raptus quo fœmina inuitis parentibus, ipſa tamen conſentiente rapitur, dirimat matrimonium. 5

Affirmant nonnulli, quia tunc eſt verè raptus.

Mihi magis placet oppoſitum cũ Sanchez *diſp. 13. num. 13,* Hurtado *difficult. 3. cit. num. 12.* & aliis. Ratio eſt, quia Tridentinum in dicto decreto tantùm loquitur de raptu, quo læditur libertas ad matrimonium, huic enim tantùm læſioni occurrere intendit. At prædicto raptu, quamuis vero, non læditur libertas ad matrimonium, quia non fit inuita fœmina, cuius tantùm libertas, & non parentum, conducit ad matrimonium. Nec valet dicere voluntatem parentum deſiderari ad honeſtatem matrimonij: nam Tridentinum in eo decreto non honeſtatem, ſed ſolam eius libertatem ſpectat. Quod vel inde clareſcit, quia ad valorem matrimonij inter eundem raptorem & raptam violenter, ſolum petit, debere raptam ad priſtinam libertatem reſtitui, & in loco tuto reponi.

Quarta difficultas eſt, an raptus propriæ ſponſæ ipſa inuita dirimat matrimonium, & decreto Tridentini comprehendatur. 6

Negant nonnulli, quia iure communi raptus hic à pœnis liberatur. *cap. penultimo, de raptoribus.* Quod ius Tridentinum non corrigit, vt patet ex contextu.

Dico *primò*, id eſſe verum ſi volens ſponſa abducatur. Patet, quia textus *dicto capite penultimo* expreſſis verbis loquitur, quando fœmina ſponſa volens abducitur, inuitis tamen parentibus. Nec valet dicere inde ſequi nihil concedi ſponſæ raptui: nam etiam quando quæuis alia fœmina conſentiens abducitur, etiam renitentibus parentibus, non eſt locus illis pœnis. Non, inquam, abeſt, quia tametſi in mea opinione id ita ſit: tamen in opinione aliorum qui dicunt ſufficere ad eas pœnas incurrendas, contradicere parentes; tunc id habebit peculiare raptus ſponſæ de futuro ipſa volente, vt non ligetur illis pœnis, tametſi parentes renitantur.

Dico *ſecundò*, comprehendi eo decreto raptum ſponſæ propriæ de futuro, ſi ipſa renitatur. Ratio eſt manifeſta, quia tunc læditur, & valde offenditur libertas matrimonij; non enim eſt ſponſa de futuro violenter cogi poteſt ſponſalium fidem ſeruare. 7

Vltima difficultas eſt, an ſicut prædictum Tridentini decretum irritat matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiu in eius poteſtate manſerit; ita irritet quoque ſponſalia tunc inita. 8

Affirmat cum Nauarro & aliis Sanchez *diſput. 13. num. 17.* Quia lex correctoria & pœnalis extendi debet, vbi omnino eadem militat ratio, quod hîc reperitur. Nam Tridentinum irritauit pro eo tempore matrimonium, conſulens plenæ libertatĩ ad id requiſitæ; quæ non omnino plena eſt, dum rapta manet in raptoris poteſtate. Quæ ratio in ſponſalibus militat: ad hæc enim iura plenam libertatem requiritur.

Mihi videtur oppoſitum probabilius. Moueor, quia lex Tridentini irritans matrimonium ratione raptus,

cùm

cùm ſit pœnalis, & ius commune corrigens, de ſolo matrimonio intelligẽda eſt, oec debet extendi ad ſpõſalia, regula *quæ à iure, de regulis iuris in 6.* ſed tanquam caſus omiſſus relinquendus eſt diſpoſitioni iuris communis, præſertim, vbi non militat eadem prorſus ratio prohibẽdi: nam matrimonij contractus cùm ſit perpetuus ac indiſſolubilis, in fauorem eius plenæ libertatis, ſtatutum eſt illud Tridentini decretum; at ſponſalitius contractus multis de cauſis diſſolui poteſt, & ideo ſufficit illi plena libertas ex parte contrahentium. Quare id firmatur eiſdem ferè rationibus, quibus ſuprà *diſp. 5. ſect. 2.* oſtendimus, in Trident. *ſeſſ. 24. c. 1.* dum irritatur matrimonium clandeſtinum; non irritari, ſed adhoc valere ſponſalia clandeſtina. Firmo hoc idem: nam pœna apposita contrahentibus matrimonium non afficit contrahentes ſola ſponſalia. Patet manifeſto exemplo *Clementina 1. de conſanguin.* vbi excommunicantur ducentes conſanguineam, & tamen ea cenſura non ligat ſola ſponſalia contrahentes; quia in odioſis nomine matrimonij non veniunt ſponſalia. Igitur idem dicendum eſt ad præſentem difficultatem.

DISPVTATIO XXXIX.

De matrimonij ſimpliciter clandeſtini prohibitione, eiuſque irritatione poſt Tridentinum.

HOc eſt vltimum impedimentum dirimens à Tridentino ſtatutum. Cuius tractationem, quæ eſt maximi ponderis ac momenti, aggredior explicandam. Quam maioris claritatis gratia, quinque diuidam diſputationibus ſequẽtibus, ac comprehendam. *Primò* agam de matrimonij ſimpliciter clandeſtini prohibitione, eiuſque nullitate poſt decretum Tridentini. *Secundò* de præſentia Ordinarij, vel Parochi proprij, & teſtium, vt matrimonium deſinat eſſe ſimpliciter clandeſtinũ, & ſolemne habeatur, ac publicũ. *Tertiò* de præſẽtia alterius ſacerdotis loco Parochi. *Quartò* de pœnis prędicti matrimonij ſimpliciter clãdeſtini, illudque cõtrahentiũ, & Parochi, ac teſtiũ aſſiſtẽtium. *Denique* ſermonẽ inſtituam de matrimonio ſecũdùm quid clãdeſtino, id eſt, facto abſque denuntiationibus, vbi fusè omnia, quæ ad denuntiationes ſpectant, dilucidabo. Primum igitur in hac diſputatione expono,

Sectio I.

Quid ſit matrimonium ſolemne, & quid ſimpliciter candeſtinum.

1 DEcem conditiones aſſignãtur à Concilio Tridẽtino *cap. 1. de reformatione ſeſſ. 24.* ad perfectã matrimonij ſolẽnitatem, quarum quatuor à cõtrahẽtibus, reliquæ à Parocho ſeruandæ ſunt.

Prima, vt antequam contrahant, vel ſaltẽ triduo ante cõſommationẽ matrimonij ſua peccata diligẽter confiteãtur, & ad ſanctiſſimũ Euchariſtiæ ſacramẽtũ piè accedant. Quod certè cõſiliũ eſt, & quidẽ iure ac meritò omnino ſuadendũ, ne fortè cum obice peccati mortalis matrimonij ſacramentum ſuſcipiatur. Cæterùm non eſt præceptũ obligãs, quia ſufficit, vt cõtrahentes per contritionẽ, vel attritionẽ reputatã pro cõtritione ſe præparent ad hoc ſacramentũ, vt dixi ſuprà *diſp. decima nona, ſectione octaua, n. 1.*

2 *Secunda conditio*, vt proprius Parochus adſit, vel alius ſacerdos, de ipſius Parochi, vel Ordinarij licentia, & duos inſuper, vel tres teſtes.

Tertia, vt ita mutuũ conſensũ declarẽt contrahẽtes, vt ſi ſit opus, Parochus ac teſtes de eo matrimonio teſtificeotur

Quarta, vt non cohabitẽt in eadẽ domo, antequã Eccleſiæ benedictionẽ recipiãt; quod iodicãt Paludanus *in 4. diſp. 28. q. 2.* & Antoninus *3 par. lib. 1. c. 26. § 1.* obligare ſub mortali, Caietanus verò *tom. 1. tract. 13. & tõ. 2. q. 1.* tenet ſublato ſcandalo, & cõtẽptu obligare ſub veniali. Ego certè probabilius iudico regulariter nullũ eſſe peccatũ, vt docuit Nauarrus *in ſumma c. 22 n. 83.* cum Soto *in 4. diſp. 28. q. 1. art. 2.* qui Tridẽtino decreto interfuit: præſertim ſi fiat ad vitandũ in ſe, vel in coniuge probabile incõtinentiæ periculũ. Quod ſemper intelligo, niſi adſit contẽptus, vel ſcandalũ, vel lata ſit in aliqua diœceſi excõmunicatio cõtra oppoſitũ facientes. Vnde Concilium Tridentinũ oon præcipit, ſed hortatur ad prædictam benedictionẽ ſuſcipiẽdã.

Quinta cõditio eſt, vt tribus cõtinuis diebus feſtiuis in Eccleſia publicè denuntietur inter Miſſarũ ſolẽnia, inter quos matrimooiũ ſit cõtraheodũ; quod etiã in Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. ſtatutũ fuit, vt patet ex *cap. cùm inhibitio, de clandeſtina deſpõſatione.* Debet enim Parochus de impedimentis inquirere, & vbi opus fuerit, etiã cõtrahẽtes vrgere: aliàs ſi omiſerit, peccabit mortaliter cù ſit præceptũ in materia graui. Satis tamẽ erit, ſi vel per publicã denũtiationẽ, vel aliunde habeat circa impedimẽta notitiam neceſſariã.

Sexta, vt vtrũque contrahẽtẽ roget & intelligat mutuũ cõſensũ vtriuſque, alioqui cùm res ſit magni momẽti, peccabit mortaliter. Sat tamẽ eſt, eiuſmodi conſenſus, quibuſlibet ſignis expreſſos, vel etiã per interpretem percipere; quod ſæpe ad id, & ad denuntiationes apud exteras gentes vtendum eſt.

Septima, vt intellecto vtriuſque conſenſu dicat: Ego vos coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vel aliis verbis vtatur, iuxta Prouinciæ cõſuetudinem. Quæ verba licèt non ſint neceſſaria ad effectum ſacramenti, cùm non ſint forma ipſius, nec ſacerdos miniſter, vt ſuprà docuimus *diſp. 19. ſect. 8. n. 6.* ſunt tamẽ de neceſſitate præcepti ſub mortali obligantis oeceſſaria.

Octaua, vt ſi aliquando probabilis ſit ſuſpicio malitioſè matrimonium impediri poſſe, ſi trina præcedat denuntiatio, tunc vel vna tantùm denuntiatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſẽtibus matrimoniũ celebretur; poſtea autẽ ante conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiãt, vt impedimenta detegantur, niſi Ordinarius expedire iudicauerit, vt prædictæ denuntiationes remittantur, quod ipſius prudentiæ Concilium relinquit.

Nona, vt Parochus librũ habeat, & ſeruet diligẽter apud ſe, in qoo coniugũ, & teſtiũ nomina, diẽ, ac locũ matrimonij deſcribat: quod obligationẽ mortalẽ videtur cõtinere, & Religioſos etiam attingit, qui apud lodos Parochi munus exercent.

Decima, vt nullus ſacerdos regularis, vel ſecularis ſine licẽtia proprij Parochi ſpõſos iũgat, etiam virtute cuiuſcumque priuilegij, aut antiquæ cõſuetudinis; alioqui ipſo iure tãdiu ſuſpẽſus maneat, quãdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu à qoo benedictio accipienda erat, abſoluatur, ſublata tamẽ pœna excõmunicationis, quam antea incurrebat, per *Clem. 1. ad finem, de priuilegiis*, vt aduertunt declarationes Cardinalium Concilij Tridentini.

Omitto alias ſolemnitates, vt cùm parentum cognitione, & aſſenſu celebrentur matrimonia, quæ nõ multum ſpectãt ad rem præſentem. Quam ob rem ex defectu ſingularum conditionum, licèt matrimonium

dicatur minus ſolemne; abſolutè tamen & ſimpliciter ſolemne ac publicum cenſetur eſſe ſi præſente Parocho & teſtibus celebretur, etiam omiſſis denuntiationibus; ſi verò ob quam omiſſionem poteſt dici minus celebre ſecundùm quid. Si verò denũtiationes præcedant, & in præſentia Parochi ac teſtium celebretur, erit omni ex parte ac plenè matrimonium publicum, ac ſolemne.

3 Matrimonium clandeſtinum, id eſt, clam, ſeu occultè contractum, Iuriſperitorum iudicio, & ſenſu, iuxta *cap. final. de clandeſtina deſponſatione, & c. aliter 30. q. 5.* quatuor dicitur modis. *Primò*, quando ſi illud fit contra interdictum, vel prohibitionem Eccleſiæ tacitè, vel expreſsè. *Secundò*, quando ſine vllis teſtibus celebratur. *Tertiò*, quando fit abſque conſanguineorũ notitia. *Quartò*, denique quãdo ſine Eccleſiaſticis proclamationibus, aut denuntiationibus. Verùm commodiùs Theologi ad præſens inſtitutum duas tãtùm ſpecies matrimonij clandeſtini cõſtituunt. Aliud enim eſt matrimonium, quod dicitur ſimpliciter, & abſolutè clandeſtinum, quod nimirum contrahitur abſque teſtibus ſufficientibus ad plenam probationem ipſius, quia eo ipſo nequit Eccleſiæ conſtare defectu teſtium ſufficientium, & ideo dicitur abſolutè & ſimpliciter clam fuiſſe factum. Aliud verò dicitur clandeſtinum ſecundùm quid, quod videlicet coram teſtiſtus ſufficiẽtibus celebratur, ſed abſque præmiſſis denuntiationibus. Vnde id matrimoniũ nequit dici ſimpliciter clandeſtinum, ſed potiùs ſolemne, quia habet iam ſolemnitatem teſtium ſubſtantialem, & poteſt Eccleſiæ conſtare. Dicitur tamen clandeſtinũ ſecundùm quid, quia eſt aliquo modo occultũ, quia nõ eſt iuridicè denuntiatum, ſeu perfectè publicum: deeſt enim illi ſolemnitas magni momenti ad perfectam eius publicationem ab Eccleſia petita, tametſi non ſit ſubſtantialis, neque contractui eſſentialis. Quare ſi in ipſo matrimonio cæteræ ſolẽnitates præter iſtã omittantur, non ideo matrimoniũ clandeſtinũ, ſed minus ſolemne appellabitur. De illis ergo duabus ſpeciebus matrimonij clandeſtini hac, & in tribus agam diſputationibus ſequentibus, nempe 39, 40, & 41. de matrimonio ſimpliciter, & abſolutè clandeſtino; acturus poſtea *diſp.* 42. de matrimonio ſecundùm quid clandeſtino. Eſt verò notandum nomine matrimonij clandeſtini abſolutè prolato ſemper à nobis intelligi cum ſchola Theologica matrimonium contractum abſque Parocho, & teſtibus. Vnde de hoc procedent difficultates ſequentes, quando de matrimonio clandeſtino inſurget diſputatio, & non de matrimonio ſecundùm quid, de hoc enim ſeorſim dicam infrà *diſp. dicta* 42.

Sectio II.

An matrimonium clandeſtinum ſit illicitum iure naturæ, an potius ſolo iure Eccleſiaſtico.

1 NOſter Sanchez, cum Petro Soto, & aliis opinatur matrimonium clandeſtinũ eſſe illicitum iure naturæ, & malum contra ius naturæ. Probat, quia ex natura rei cõtinet in ſe mala grauia: cedit enim in prolis detrimentũ, & vtriuſque coniugis, cùm facile poſſint ad alias nuptias tranſire, & eſt reipublicæ nociuũ, ac contrarium eius paci, ac publicæ quieti, ex quo infert infideles clam contrahentes, lethaliter delinquere contra ius naturæ.

2 Coninch verò *diſp.* 27. *dub.* 1. *n.* 5. tametſi ſentiat matrimonium omne clandeſtinum, iure naturæ non eſſe abſolutè illicitum; fatetur tamen tale matrimonium non habere in ſe præcisè, cur poſſit honeſtè appeti qua clandeſtinũ eſt; imò verò habere communiter aliquam indecentiam, ac ſpeciem mali. Quia decet nos vitare ea omnia ex quibus poſſit aliquid mali oriri, etſi credamus non oriturũ. Et omnino cõuenit ea ita nos agere, vt etiã hominibus pateat nos nõ malè agere. Addit, poſita legitima cauſa, ſecluſa Eccleſiæ prohibitione, etiã honeſtè poſſe appeti matrimonium clãdeſtinũ, ſicut appeti poteſt lectio libri hæretici, & ſimilia.

3 Dico *primò* matrimonia clandeſtina non eſſe irrita iure naturæ. Ita communiter omnes Doctores. Ratio eſt, quia quando concurrunt omnia neceſſaria ad ſubſtantiam contractus, validus eſt ille contractus iure naturæ, licèt deſint ſolemnitates iure poſitiuo requiſitę, quia illæ omnes ſunt extrinſecæ; ſed in matrimonio dummodo adſint ſoli contrahentium conſenſus mutui expreſſi, concurrunt omnia neceſſaria ad ſubſtantiam contractus, & ſufficiunt ad naturalem ſubſtãtiam matrimonij ſecluſo omni iure poſitiuo, vt cõſtat; ergo ſunt valida iure naturæ matrimonia clandeſtina.

4 Dico *ſecundò* matrimonia clandeſtina non eſſe illicita iure naturæ, ita Caiet. *to.* 1. *opuſc. tract.* 12. *de matr. q.* 2. Sotus *in* 4. *d.* 28. *q.* 1. *art.* 2. *concluſ.* 1. & alij, quos ſequitur Gaſpar Hurtado *diſp.* 5. *difficult.* 1. *n.* 3. & Coninch *relatus*. Probatur, quia ſponſalia, & cæteri contractus clandeſtinè celebrati, non ſunt illiciti iure naturæ, vt conſtat ex dictis ſuprà *diſp.* 5. *ſect.* 2. ergo & matrimonium. Firmo, quia ſi contrahere matrimoniũ ſine teſtibus eſſet iure naturæ illicitum, maximè quia ſic contrahentes exponuntur periculo, ne ſequantur illa mala prædicta: ſed regulariter non exponuntur, quia ea mala non ſunt intrinſeca clandeſtinè, nec ſunt illi, moraliter loquendo, connexa, quia quamuis aliquando in aliquibus ob eorum peculiarem malitiam, aut fragilitatem ſit dictum periculum, non tamen in omnibus, neque ſemper in malis & fragilibus, imò in his poteſt ſubueniri dicto periculo paulo poſt celebrationem matrimonij, illud publicando: tunc enim reſpublica vel ſuperior nõ ſineret eos ſeparari, & alias quærere nuptias. Igitur matrimonium omnino clandeſtinè factum non eſt intrinſecè malum; ergo nec illicitum iure naturæ, cùm ex natura rei non ſit ipſi dictum periculum connexum, quia hoc tantùm eſt aliquando, & non in omnibus, ſed in aliquibus, & in his poteſt alia via obuiari dicto periculo.

5 Dico *tertiò* certum eſſe, matrimonium clãdeſtinum eſſe illicitum iure Eccleſiaſtico. Patet ex teſtimonio Concilij Tridentini *de reformat. matrim. c.* 5 ſic dicentis: Sancta Dei Eccleſia ex iuſtiſſimis cauſis illa, nempe clandeſtina, matrimonia ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit, eſtque manifeſtum peccatum mortale clandeſtinè contrahere, quia prohibitio Eccleſiæ eſt de materia graui ob grauia incõmoda quę ex tali matrimonio oriri ſolent, deſerendi præcipuè proprium coniugem, & tranſeundi ad alias nuptias. Ex dictis manifeſtè colligitur ſolo iure Eccleſiaſtico eſſe vetitum matrimonium clandeſtinum. Patet, quia oſtenſum eſt non eſſe prohibitum iure naturali: certum eſſe etiam, non eſſe prohibitum iure diuino poſitiuo, quia tale non extat; ergo iure ſolum Eccleſiaſtico.

6 Ad primam ſententiam Sanchez negandum eſt matrimonium clandeſtinum ex natura rei in ſe continere mala grauia, nam, vt dictum eſt, nec ſunt ex natura rei cum tali matrimonio connexa, neque id euenire in omnibus, ſed in aliquibus, ob eorũ peculiarem malitiam. Vnde negandum eſt infideles omnes clam contrahentes mortaliter peccare contra ius naturæ; ſi enim in aliquibus ſit morale periculum vt ſequantur prædicta mala, erit illis illicitum iure naturæ ſic contrahere: at quotieſcumque abeſt

tale

tale periculum, vt reuera abeſſe poteſt, non erit illis illicitum iure naturæ, quia obligatio legis naturalis ceſſat, quoties ceſſat ratio legis. Nam in lege naturæ tota ratio obligandi eſt neceſſaria conuenientia, vel diſconuenientia obiecti cum natura rationali, quæ ſi hic, & nūc omnino ceſſet, ceſſat quoque tota ratio legis,

7 & omnis obligatio. Hinc apparet diſcrimen inter legē poſitiuam & naturalem; nam in lectione librorum hæreticorum, v.g. in cohabitatione Clericorum cum iuuenculis, in matrimonio clandeſtino, & aliis ferè omnibus, quæ lege poſitiua prohibita ſunt, tametſi ratio prohibendi ſit periculum alicuius mali, meritò tamen generatim prohibita ſunt, etiam iis, quibus fortè tale periculum nō imminet, quia licèt primum motiuum, cur legiſlator aliquam actionem prohibeat, ſit periculum mali, quod inde natum eſt ſequi; proxima tamen ratio prohibitionis eſt dirigere communitatem in euitatione illius mali. Quare neceſſariò eam actionē prohibet, non ſolùm in caſu, in quo hic, & nunc eſt periculum illius mali, ſed generatim etiam vbi in particulari nullum tale periculum eſt; quia aliàs maxima hominum pars, vel ex imprudentia, vel ex temeritate ſibi perſuaderet, hic, & nunc nullum ſibi tale periculum imminere, etiam vbi maximè immineret, quia imprudentiam dirigere, & temeritatem refrænare, immediatè tendit lex poſitiua. At in lege naturali cùm ſolum ſpectetur ius naturæ, quoties periculum abeſt, ea omnia licita ſunt, ſpectato ſolo iure naturæ. Quare ſi nullum eſſet ius poſitiuum illa prohibens, qui moraliter certi eſſent, nullum hinc & nunc inde imminere mali periculum, licitè clandeſtinè contraherent. Cumque infideles non ſubiaceant legi Eccleſiæ, ſi moraliter certi ſint nullum illis imminere mali periculum, poterunt licitè ſic contrahere, ſtando in iure naturæ.

Ad ſecundam ſententiam Coninchij, cùm ipſe etiam opinetur matrimonium clandeſtinum iure naturæ non eſſe abſolutè illicitum, non videtur conſequenter dictum aſſerere tale matrimonium non habere in ſe præciſè cur poſſit honeſtè apperi, quia clandeſtinum eſt, & illud habere communiter indecentiam, ac ſpeciem mali. Nam ſi tale matrimonium ex ſua natura non habet neceſſariam diſconuenientiam, vel difformitatem cum natura rationali, cur neceſſe eſt habeat ſpeciem mali, cùm poſſent contrahentes, ſeclusa Eccleſiæ prohibitione rectè illud contrahere, animo ipſum ſtatim promulgandi. In quo caſu nulla eſſet ſpecies mali. Quare dicendum eſt non ſolùm quando ſubeſſet aliqua extrinſeca cauſa iuſta, ſed abſolutè poſſet matrimonium contrahi clandeſtinum honeſtè, inſpecto ſolo iure naturæ, & omnino excluſa prohibitione Eccleſiæ: non ſecus ac rectè, honeſtè contrahuntur ſponſalia clandeſtina, & alij contractus clam perficiuntur.

Sectio III.

Vtrum Eccleſia potuerit irritare matrimonia clandeſtina, & de facto illa irrita reddiderit.

Pro explicatione obſeruandum eſt, dupliciter poſſe matrimonium clandeſtinum irritari. *Primò* indirectè inhabilitando perſonas ad talem contractum. *Secundò* directè annullando immediatè ipſum contractum.

Dico *primò* certum eſſe, & de fide, potuiſſe Eccleſiam irritare matrimonia clandeſtina. Patet id tum ex facto Tridentini à Papa, & à tota Eccleſia approbato, in quo nequiuerunt errare. Tum ex *cap. 4. Concilij Trident. de Sacramento matrimonij*, ſic dicente: Si quis dixerit Eccleſiā non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel iis conſtituendis errasse, anathema ſit. Tum denique ex plena poteſtate Eccleſiæ ſupra ſubditos, & contractus ipſorum propter bonum ſpirituale eorundem, vt oſtendi ſuprà *diſp. 21. integra ſect. 1. & diſp. 22. ſect. 1. num. 1. 2. & 3.* 1

Dico *ſecundò* potuiſſe Eccleſiam irritare clandeſtina matrimonia tam indirectè inhabilitando perſonas, quàm etiam directè annullando immediatè contractum clandeſtinum. Ita omnes. Probatur, nam in 2
primis negari non poteſt Eccleſiam poſſe irritare indirectè, inhabilitando perſonas; quia in iis, quæ ad bonum ſpirituale pertinent, quale eſt matrimonium fidelium, ipſi fideles tanquam eius membra illi ſubduntur; ergo quando bono ſpirituali Eccleſiæ expedit, poteſt illos, ad certum ineundi matrimonij modum, inhabiles reddere. Quare ſicut reſpublica ciuilis poteſt aliquas perſonas inhabiles efficere ad contrahendum abſque certis ſolemnitatibus, vt efficit prodigos, & minores abſque auctoritate tutorum, & mulieres coniugatas abſque licentia viri; ita potuit Eccleſiaſtica reſpublica idem præſtare ad contrahendum matrimonium ſine certis ſolemnitatibus: ſicut enim homo, quia eſt membrum reipublicæ, ei ſubordinatur, quod propter bonum reipublicæ commune; ita fidelis quia eſt membrum Eccleſiæ, illi ſubordinatur in ordine ad bonum ſpirituale. Præterea, quòd poſſit Eccleſia immediatè, & directè irritare contractum clandeſtinum patet; quia ille conſenſus, vel contractus non minus eſt ſubditus Eccleſiæ; quàm perſonæ contrahentes; ergo poteſt Eccleſia contractum, vel conſenſum clandeſtinum reddere inefficacem ad transferendum dominium. Et ratio à priori eſt, quia contractus fidelium, quo vnus init matrimonium cum alio, ordinatur in bonum ſpirituale Eccleſiæ, ſicut contractus humanus eſt actus hominis ſubordinati alicui communitati, cuius eſt pars, & à qua pendet in ordine ad bonum illius politicum; ergo tanquam pars, & membrum Eccleſiæ ſubordinatur poteſtati eiuſdem Eccleſiæ, vt quando bono communi ipſius Eccleſiæ expediat, poſſit illum directè irritare. Sic videmus Eccleſiam irritaſſe profeſſionem factam ante annum nouitiatus expletum, & ante ſexdecim annos expletos, vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 28. de regularibus, c. 15.* Quare ſicut Eccleſia de facto irritauit contractum coniugalem coactum, & initum inter liberum & ſeruam, ignorata conditione ſeruili, ita & potuit irritare directè contractum matrimonij clandeſtinum. 3

Dices, præſentia Parochi, & teſtium ſola eſt extrinſeca quædam ſolemnitas; ergo nihil refert ad intrinſecam ſubſtantiam contractus. Sed contrà eſt; quia materia & forma contractus matrimonij, non ſunt nudi conſenſus ſecundùm entitatem phyſicam ſpectati, ſed pro vt habent moralitatem quandam, quòd ſint habiles ad contrahendum dominium; vt ſic autem pendent ab illa ſolemnitate Eccleſiaſtica. Nam Eccleſia non facit, vt per conſenſum legitimum non perficiatur contractus matrimonij, ſed ſolùm facit vt conſenſus, qui antea erat legitimus, modò non ſit talis, quia non adhibetur ſolemnitas neceſſaria; non enim conſenſus eſt cauſa naturalis vinculi matrimonij phy-

ſicè ſolum ſpectatus, ſed cum legitimitate. Vnde Eccleſia nihil innouauit circa ſubſtantiam matrimonij; quia materia, & forma huius non ſunt conſenſus vtcumque, ſed legitimi, quibus poſitis non poteſt facere Eccleſia vt non fiat matrimonij contractus. At bene poteſt facere vt conſenſus, qui antea erat legitimus, modò non ſit talis defectu ſolemnitatis, quod eſt deſtruere conſenſum, nō quoad eſſe phyſicū, ſed quoad eſſe morale. Chriſtus enim non aſſignauit pro materia & forma ſacramenti matrimonij conſenſus vtcumque neque hunc vel illum conſenſum, ſed illos conſenſus, qui legitimi ſunt, quibus poſitis non poteſt Eccleſia facere vt non ſint materia, & forma ſacramenti matrimonij. Videatur dicta à nobis ſuprà *diſp. 21. ſect. 1. n. 6*

3 Dico *tertiò* Eccleſiam potuiſſe irritare matrimonium clandeſtinum quatenus eſt ſacramentum non directè, & immediatè, ſed indirectè, & remotè. Ita communiter omnes Doctores. Ratio eſt, quia ſacramentorum inſtitutio, ac deſtructio non ſubiacet poteſtati Eccleſiæ, ſed id pendet ex voluntate, & intentione Chriſti ea inſtituentis, & ideo nequit Eccleſia circa ſacramentorum ſubſtantiam aliquid præſtare, vel innouare, atque adeò nec illa deſtruere, vel irrita reddere. Poteſt tamen indirectè, & remotè, quia ratio ſacramenti fundatur ſupra contractum; ergo annullando contractum conſequenter irritat ſacramentum: nam ſublato fundamento tollitur ædificium. *c. cùm Paulus 1. q. 1* Et quod de vno dicitur, neceſſe eſt vt de altero intelligatur, propter connexionem, ac proinde ſublato priori, tollitur poſterius ab ipſo dependens. Conſtat autem contractum humanum, qui ſubiacet Eccleſiaſticæ poteſtati, eſſe fundamentum, & materiam ſacramenti matrimonij, atque ideo irritato per Eccleſiam contractu humano, irritatur indirectè & conſequenter ſacramentum matrimonij: ſicut Eccleſia nequit directè annullare ſacramētum Pœnitentiæ; poteſt tamen indirectè auferendo iuriſdictionem miniſtri, à qua pendet, vt *loco citato* dixi.

4 Dico *quartò*. Meritò Tridentinum de facto irritaſſe matrimonia clandeſtina vbi publicatum fuerit, & receptum illius decretum. Patet id ex *ſeſſ. 24. c. 1. de reformatione matrimonij*. Nam ibi reddit perſonas inhabiles ad contractum matrimonialem celebrandum ſine præſentia Parochi, & duorum vel trium teſtium. Declarat quoque nullum eſſe talem contractum, his verbis: Qui aliter, quàm præſente Parocho, vel alio ſacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarij licentia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, pro vt eos præſenti decreto irritos facit, & annullat. Meritò autem, ac iuſtiſſimis de cauſis Tridentinum id totum irritauit. Tum quia religio ſacramenti expoſcit, vt aſſiſtente miniſtro Eccleſiæ recipiatur, vt id fiat matura deliberatione, & maiori reuerentia. Tum maximè, quia matrimonium clandeſtinum ex modo contrahendi clarè aduerſatur tribus matrimonij bonis; aduerſatur enim fidei ipſius, quia facile erat alterutri coniugum alij commiſceri circa adulterij notam: aduerſatur indiſſolubilitati; ſæpe enim cùm incognitum eſſet Eccleſiæ, tranſibunt coniuges ad alias nuptias inualidas: aduerſatur denique proli bono prolis, quam facile negare poſſet vir, cùm vxor probare coniugium nequeat.

5 Dico *quintò* ante Tridentinum fuiſſe prædicta matrimonia prohibita, ſed non irrita. *Primum* aſſerit clarè Tridentinum *cap. 1. citato*, illis verbis: Sancta Dei Eccleſia ex iuſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit. *Secundum* non eſt adeò certum, nam aliqui putant à tempore Euariſti Papæ eſſe irrita. Quia Euariſtus *epiſt. 1. ad Epiſcopos Africanos cap. 2.* & habetur *c. 1. 30. q. 5.* aſſerit hæc non legitima connubia eſſe, ſed adulterina, & contubernia; ergo nulla. Contrarium verò iudico verius ex ipſo Tridentini decreto ſic aſſe[illegible]nte, prædicta matrimonia clandeſtina fuiſſe rata [illegible] vera, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit, [illegible] proinde iure damnandi ſint illi, vt eos ſancta Synodus anathemate damnet, qui ea vera ac rata eſſe negant. Vnde modò vbi Tridentinum non viget, erit validum matrimonium clandeſtinum. Euariſtus autem illa matrimonia clandeſtina appellauit ſtupra, & contubernia in foro externo, & quoad præſumptionem, quia Eccleſia non præſumit eſſe, aut fieri, quod ipſi occultatur, quando eſt contra legem ipſius, vt erat matrimonium clandeſtinum.

Dico *vltimò* hanc matrimonij clandeſtini irritationem non fuiſſe pœnam. Ita multi Doctores, quos ſequitur Sanchez *lib. 3. diſputat. 4. num. 9.* 6
Ratio eſt, tum quia non eſt facta in punitionem delicti, ſed ad vitanda damna. Tum etiam, quia aliàs ea matrimonia ignoranter facta ignoratione inuincibili, non eſſent capacia illius pœnæ, atque adeò valida eſſent. Quod nemo licere audebit. Firmo, nam de ratione pœnæ eſt, vt infligatur ad delicti punitionem, & vbi non eſt delictum, non eſt locus pœnæ, quia imponitur vt delicti ſupplicium. At talis annullatio non infligitur ob delicti punitionem, & quamuis contrahens immunis eſſet culpæ, ignorans inuincibiliter prohibitionem, adhuc actus eſſet nullus, vt conſtat; igitur ea annullatio non eſt pœna. Quare prædicta matrimonij nullitas non inducitur in pœnam, non enim inducitur ad puniendos contrahentes clandeſtinè, ſed tantum in odium matrimonij clandeſtini, ne valeat, ob inconuenientia, quæ ex illo oriri poſſunt

Sectio IV.

An matrimonium clandeſtinum ſit in pluribus caſibus validum, præſertim ſi vrgeat aliquod graue damnum.

Certum eſt *primò* eſſe validum matrimonium clandeſtinum, vbi Tridentinum non eſt publicatum, vel receptum, vt conſtat ex *ſeſſ. 24. c.* 1 ibi ſic ſtatuit, vt decretum de aſſiſtentia Parochi, teſtium in vnaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ, numerandos. Ex quo ſequitur ſi quis facta huius decreti publicatione in Parochia clam contraheret antequam elaberentur prædicti triginta dies, validè contraheret, etiamſi faceret in decreti fraudem.

Secundò etiam eſt certum validè, & licitè contrahi matrimonium clandeſtinum, quando Pontifex diſpenſat in dicto decreto, quia eſt ſupra Conciliū. Difficultas igitur eſt in alijs varijs caſibus, qui occurrere poſſunt, quos ad quatuor tantùm reducere poſſumus

Primus

3 *Primus caſus* eſt, an quando abſque graui incommodo, ſiue in articulo mortis, ſiue extra nequit matrimonium omitti, aut deferri, & Parochus, vel eius vicemtenens nequit haberi, inualidè abſque eo celebretur.

Veracruz, Vega, & alij, quos refert Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 17. *n.* 3. affirmant validè contrahi dummodo fiat coram aliis teſtibus.

Primò, quia lex poſitiua, præſertim humana non obligat cum graui incommodo, vt conſtat ex lege audiendi Sacrum, in lege ieiunandi, & in lege recitandi diuinum Officium; ergo etiam lex requirens aſſiſtentiam Parochi non habebit vim, quando imminet graue aliquod incommodum.

Secundo leges diuinæ recipiunt interpretationem, & epichiam; ergo & iſta lex Tridentini, quæ humana eſt, maximè quando vrget grauis neceſſitas contrahendi matrimonium, nec differri poteſt.

Tertiò tametſi prohibitum ſit omnibus Sacerdotibus ne aliqui non ſubdito ſine Parochi venia extremam vnctionem, aut venerabile Sacramentum conferant, tamen quando quis aliàs deberet ſine his mori, ex præſumpta Parochi venia, licitè quiuis Sacerdos ea confert; ergo idem dicendum eſt in præſentia.

Vltimò quoties caſus euenit iiſvestitus circumſtantiis, quibus non ita expreſsè deciſus eſt, attendi debet, quid in eo caſu legiſlator conſultus reſponderet: idque ſequendum eſt, vt docent communiter Theologi cum D. Th. 1. 2. *q.* 96. *art.* 6. at poteſt contingere, vt in articulo mortis ſit præciſa neceſſitas contrahendi cum concubina in bonum prolis per matrimonium legitimandæ, & abſit omnino Parochus; & in eo caſu Pontifex conſultus reſponderet poſſe abſque Parocho contrahi. Nam Coninch *diſp.* 27. *dub.* 1. *num.* 12. affirmat declaraſſe Clementem octauum in oppidis vbi nullus paſtor, aut vicem eius obtinens habetur, aut proximis locis adiri non poteſt, validè ſine eo matrimonium contrahi; ergo idem dixiſſet in præſenti caſu. Firmatur, quia Tridentinum *prædicto cap.* inhærendo veſtigiis Lateranenſis Concilij irritat clandeſtina matrimonia, quæ olim Eccleſia deteſtabatur; at numquam deteſtata eſt matrimonium clam contractum in hac vrgentiſſima neceſſitate, nam cùm alter contrahens eſt in mortis articulo conſtitutus, ceſſant inconuenientia, quibus mederi voluit Tridentinum; non enim periculum eſt vt coniux ſuperſtes contrahendo poſtea cum alio, maneat in perpetuo adulterio, cùm matrimonium illud clam contractum, ſit ſtatim morte diſſoluendum.

4 His tamen non obſtantibus mihi certum videtur cum Sanchez *cit. num.* 4. Coninch *loco citato*, Baſilio *lib.* 5. *cap.* 6. Hurtado *diſput.* 5. *difficultate* 3. & aliis eſſe irritum matrimonium io articulo mortis, & in quacumque neceſſitate contractum abſque Parocho, quamuis fiat coram multis aliis teſtibus. Ratio à priori eſt, quia Tridentinum abſolutè, & abſque vlla exceptione irritat matrimoniū abſque Parocho celebratum, & reddit perſonas inhabiles ad ſic contrahendum; ergo perſonæ nulla neceſſitate poſſunt fieri habiles, nec matrimonium validum abſque aſſiſtentia Parochi; quia tametſi vrgens neceſſitas excuſet ab obligatione legis præcipientis, aut prohibentis, adhuc diuinæ; non tamen efficit habilem, aliàs lege inhabilem, neque efficit validum, quod aliàs lege irritante eſt nullum, vt conſtat in lege irritante matrimonium inter conſanguineos intra quartum gradum, quę nulla neceſſitate euaneſcit abſque diſpenſatione. Firmo hoc idem, quia præſentia Parochi & teſtium datura Tridentino pro forma contractus, ſine exceptione vlla. Qu[illegible] in [illegible]ſitione [illegible]ri non poſſe [illegible] citur, aliter fie[illegible] non [illegible] præſente Parocho, & duobus teſtibus [illegible] tractum reddit irritum; ergo inducitur [illegible]; ergo numquam valebit aliter contractum; nam quod in aliquo caſu fraus ceſſet, aut ſuſpicio eius, non ſatis eſt vt ceſſet omnino lex: lex enim, quæ fundatur in præſumptione vt plurimum, obligat etiam in caſu vbi deeſt præſumptionis materia. Vt enim receptiſſimū eſt Theologorum axioma in materia de legibus: non deficit lex nō ceſſante cauſa illius legis: ſed cauſa iſtarum legum non eſt fraus in iſto peculiari caſu, ſed in vniuerſum, quæ cauſa non ceſſat, ex eo quòd in illo caſu deficiat; ergo viget adhuc lex; legi autem vniuerſi natiua obligatio ineſt, atque adeò etiam obligabit in eo caſu. Sic videmus in lege, quæ iubet in re publica iudicari ſecundùm allegata, & probata, quia aliàs præſumit falſum, etiam ſi in caſu particulari cōſtet falſitatem eſſe in allegatis, & probatis, & nota ſit innocentia ipſius rei, debere iudicare iudicem ſecundùm allegata, & probata. In hoc caſu deeſt præſumptio legis, & tamen vim retinet vniuerſalis lex, cuius præſumptio eſt vt plurimum. Idem ergo dicendum in præſenti caſu legem Tridentini obligare, & irritare matrimonium clandeſtinum ad euitandos dolos, & incommoda in republica; hæc ratio viget tametſi in aliquo peculiari caſu abſit omnis fraus, & omne damnum; ergo. Vnde minus inconueniens eſt, quod in aliquo caſu non poſſit contrahi matrimonium, quia non poteſt haberi copia Parochi, & aliquis priuatus patiatur damnum, quam quòd clandeſtinis coniugiis aperiatur via. Quare etſi aliæ leges Eccleſiaſticæ in aliis caſibus recipiant epichiam, vel interpretationem, & non obligent, attamen leges, quæ formam contractibus conſtituunt, vbi vigent, nullam interpretationem patiuntur, quo ad formam.

Ex his facilè ſoluuntur argumenta contraria.

Ad primum dico vrgentem neceſſitatem excuſare ab obligatione legis poſitiuæ, etiā diuinæ prohibentis, aut præcipientis aliquid, non verò ab obligatione legis inhabilitantis, aut irritantis quę inducit formam, & ſolemnitatem, quaſi intrinſecam, & ſubſtantialem. 5

Ad ſecundū ſimiliter dico leges præcipientes, aut prohibentes recipere epichiam, aut interpretationem aliquando; ſecus eſt de aliis legibus vbi eſt ſolemnitas ſubſtantialis, & materiæ inhabilitas, in quibus non habet locum epichia.

Ad tertium conceſſo antecedenti, negatur conſequentia: nam quod extrema vnctio à proprio Pacho miniſtretur, eſt ſimplex præceptum Eccleſiæ iubens, & ideo non obligat in caſu tantæ neceſſitatis: at matrimonium celebrari coram Parocho & teſtibus continet formam ſubſtantialem, & eſt decretum irritans matrimonium aliter contractum.

Ad vltimum dico irritaſſe Tridentinum omnia clandeſtina, quæ quantum ad medium contrahendi olim deteſtabatur Eccleſia, licèt aliquando eſſent licita ratione vrgentis neceſſitatis; quia tunc prohibitio matrimonij clandeſtini erat per modum ſimplicis, & nudi præcepti, ac proinde grauis neceſſitas excuſabat, ſecus tamen eſt hodie, quia iam tale præceptum, eſt decretum irritans, & continens formam ſubſtantialem; nec aliter reſponderet Pontifex, ſi fuiſſet conſultus. Ad declarationem Clementis VIII. quam affert Coninch, dato quòd facta ſit, dico non fuiſſe puram delarationem, ſed manifeſtam diſpenſationem pro eo caſu.

6 *Secundus caſus* eſt de matrimonio coram Parocho, & teſtibus inito inualido ob occultum impedimentum, an ablato impedimento, ſit iterum coram Parocho & teſtibus celebrandum, an verò ſatis ſit, ſi contrahentes inter ſe ipſos ſolos reuocent conſenſus. Qua in re certum eſt primò ad reualidandum matrimonium, publicè, & plenè probabile nullum, quamuis coram Parocho, & teſtibus celebratum, neceſſarium eſſe, illud iterum coram Parocho, & aliis teſtibus celebrare. Patet, quia ex eo matrimonio non reualidato coram dictis poſſunt oriri incommoda, quæ Tridentinum ſuo decreto intendit impedire, quia cõiuges poſt reualidationem non factam coram Parocho, & aliis teſtibus, poterunt ſe deſerere, & cum aliis contrahere, abſque eo quòd Eccleſia eis poſſit reſiſtere, quia prior contractus fuit publicè nullus, & poſterior, vtpote factus abſque præſentia dictorum, non poteſt ab Eccleſia iudicari validus, ex effectu probationis requiſitæ, à Tridentino faciendæ, teſtimonio videlicet Parochi, & teſtium.

7 Præterea etiam mihi videtur certum ad reualidandum matrimonium antea nullum ſi defectus, aut impedimentum verè eſt plenè probabile, per duos videlicet teſtes omni exceptione maiores, tametſi non ſit publicum, nec ſit plenè probandum, nec ſit periculum, quòd plenè probabitur, adhuc neceſſariò requiri, vt illud contrahatur denuo coram Parocho, & teſtibus, quia tunc alibi ex hoc ſecundo matrimonio poſſent oriri dicta incommoda abſque eo, quod Eccleſia poſſet reſiſtere ex defectu probationis à Tridẽtino requiſitæ faciendæ teſtimonio Parochi, & aliorum duorum teſtium.

8 Eſt igitur difficultas, an quando prius matrimoniũ celebratũ corã Parocho, & aliis duobus teſtibus, fuit nullum, occulte ob defectum conſenſus occultum, vel ob impedimentum adeò occultum, vt verè non ſit plenè probabile per duos teſtes, neceſſarium ſit ad reualidationem ipſius, quod iterum coram Parocho, & aliis teſtibus celebretur.

Partem affirmantem viriliter defendit Baſilius Ponce *lib. 5. cap. 6. numer. 6. & ſequentibus*, cum quo tenent Gutierrez, Palacios, Bartholomæus Ledeſma & alij, quos ipſe refert. Probatur

Primò ex quodam reſponſo Clementis VIII. in hoc caſu neceſſarium eſſe nouum conſenſum, vtriuſque coniugis coram Parocho, & teſtibus, ſed ad vitandum ſcandalum ſuam ſanctitatem diſpenſaſſe vt renouato conſenſu iterum inter ſe contraherent ſine Parocho, & teſtibus; ergo ſine diſpenſatione Pontificis reualidatio fuiſſet nulla. Firmatur, quia in diplomate Bullę Cruciatæ conceditur facultas Cõmiſſario diſpenſandi, vt ſimilia matrimonia poſſint de nouo occultè celebrari; ergo abſque diſpenſatione nequit fieri ſine aſſiſtentia Parochi, & teſtium.

Secundò, præſentia illa Parochi, & teſtium aſſignatur pro forma matrimonij, vt dixi ſuprà *numer.* 4. ergo debet ea forma adhiberi, quando contractus matrimonij fit: ſed quando primum celebratum eſt matrimonium nullum fuit; ergo quando denuo fit, debet adhiberi forma. Quod enim antea fuerit oppoſita, perinde eſt ac ſi nunquam fuiſſet adhibita, cùm tunc nullus extiterit matrimonij contractus.

Vltimò dum lex aliquid tanquam formam exigit, ceſſante cauſa non ceſſat lex, maxime cùm non ceſſat in vniuerſum; ergo tametſi in hoc caſu ceſſet fraus, & cauſa, adhuc vim habet lex Tridentini, & ideo matrimonium iſtud renouandum eſſe cum Parocho & teſtibus.

Placet mihi contraria ſententia, quæ eſt Nauarri *in ſumma cap. 22. numer.* 70. vbi dicit Pium V. ita declaraſſe. Enriquez *lib. 11. cap. 3. numer. 6.* Coninch *d. 24. dub. 10. num.* 33. Gaſparis Hurtado *diſp. 3. difficult. 11. numer. 4. & ſequentibus*, Rebelli *lib. 2. q. 9.* & cum pluribus aliis P. Sanchez *lib. 2. diſput. 37. n. 3. & ſequentibus.*

Ad cuius explicationem obſeruo cum illo, aliud 9
eſſe ceſſare rationem legis in aliquo caſu, aliud verò rationem legis non ſe extendere ad illum caſum; nam primo modo lex ex ſe, & ex ſua generalitate comprehendit illum caſum, & in eo locum habuit, aliàs non diceretur ceſſare rationem, vel legem, cùm nec lex, nec ratio, in eo caſu locum habuerit, & quod nunquam fuit, ceſſare nequit. At poſteriori modo nunquam ratio legis amplexa eſt illum caſum, atque adeò nec legem ipſam. Vnde inter hæc duo eſt hoc diſcrimen, nam quando ceſſat ratio legis, adhuc non ceſſat lex in illo caſu, & verè comprehendit illum caſum; quando verò à principio ratio legis non ſe extendit ad aliquem caſum, tunc nunquam lex habuit locum in illo. Quod ſatis declaratur exemplo hoc tradito à Sanchez: Præcipit ſuperior ne Religioſi adeant locum vbi operarij laborant, ne loquelis illos impediant; ſi quis velit adire intendens omnino tacere, poſſet dici in ipſo ceſſare rationem legis vel præcepti: ſi tamen die feſto adiret, non ceſſaret in hoc euentu ratio præcepti, quia nunquam hunc caſum comprehendit, cùm die feſto operarii à laboribus abſtineant, atque adeò nec præceptum ab initio ad hunc caſum ſe extendit, nec in illo obligauit. Hoc præmiſſo,

Dico legem Tridentini non comprehendere hunc 10
noſtrũ caſum, de quo eſt modò cõtrouerſia, & conſequenter neque illum irritare, atque adeò aſſiſtentiam Parochi, & teſtium nullo modo eſſe neceſſariam. Moueor, quia nulla lex ſe extendit, nec comprehendit illum caſum ad quem ratio & finis legis ſe nullo modo extendunt; eſt enim ratio anima ipſius legis, vt loquuntur Iuriſperiti; ſed ratio ac finis dictæ legis Concilij Tridentini ſe nullo modo extendunt ad caſum propoſitũ, & ad matrimonia ita contracta ſine tali aſſiſtentia; ergo lex non comprehendit illa, & conſequẽter nec irritat. Minor probatur, quia Concilium dicto loco in proœmio, vbi irritantur matrimonia facta abſq; præſentia Parochi, & aliorũ teſtiũ, apertè oſtẽdit ſe irritare illa matrimonia clandeſtina, quæ antiquo iure prohibita erant, & ex quibus oriri poterant incõmoda, præſertim quòd poſt ſimilia matrimonia contracta poſſint coniuges ſe deſerere, imò & cum aliis contrahere, abſque eo quòd Eccleſia poſſit illis reſiſtere: ſed antiquo iure non erat prohibitum matrimonium in facie Eccleſiæ inualidè celebratum ob impedimentum occultum, iterum clam reualidare, neque ex tali matrimonio reualidato abſque Parocho & teſtibus, quando antea fuit coram illis contractum, oriri poſſunt incõmoda prædicta, abſque eo quòd Eccleſia poſſit reſiſtere, quia ita contrahentes nunquam permittentur à tali matrimonio diſcedere, aut aliud ſecundum contrahere, donec probauerint prius matrimonium fuiſſe nullum, quod iam ſuppono non poſſe probari, eo quòd impedimentum ſit omnino occultum, validè iterum celebrantur abſque noua præſentia Parochi & teſtium, quia præſentia antiqua in hoc caſu impedimenti, aut defectus omnino occulti ſufficit ad impedienda dicta incommoda. Firmo hoc idem, quia ſecundùm mentem Tridentini illo loco, illud ſolum matrimonium dicitur verè & propriè, & abſolutè clandeſtinum, quod non poteſt probari in facie Eccleſiæ eſſe contractum, quo alia omnia; ergo ex mente Concilij nec clandeſtinum eſt, nec irritum, nec comprehenſum ſub ipſius decreto. Eſt

enim

Digitized by Google

enim obſeruandum Parochum, & aliòs teſtes non adhiberi vt teſtentur coniuges non fictè, ſed ſeriò, & omnino validè contraxiſſe, hoc enim ſcire non poſſunt, ſed vt teſtentur eos exterius quantum deprehendi poterat in ſe mutuo de præſenti conſenſiſſe, quo poſito donec contrarium clarè oſtendatur Eccleſiæ, ſufficienter probatum eſt eos validè contraxiſſe, & ſemper hoc matrimonium ab ea habebitur ratum donec contrarium legitimè probetur. Cùm igitur in noſtro caſu probari nequeat hoc matrimonium coram Parocho inualidè fuiſſe contractum, ſemper in Eccleſia cenſebitur validum ac legitimum, nec illo modo clandeſtinum.

Ad argumenta contraria.

11 Ad primum dico non conſtare de illo Clementis octaui reſponſo, & ſi illud admittatur, dicam fuiſſe diſpenſationem factam à Pontifice ad maiorem ſecuritatem, ſeu ad ſuperabundantiam, ſicut ſæpe in multis caſibus fit. Vnde ſimiliter dico ad confirmationem, ſæpe in Bullis concedi aliqua iure communi non prohibita ad pacandas conſcientias, maximè quando ſtando in iure communi dubia erant, quale eſt hoc.

Ad ſecundum concedo antecedens, quando matrimonium omnino de nouo contrahitur, non verò pòſt quando renouatur. Illa vera aſſiſtentia Parochi tametſi fuerit coram matrimonio inualido, fuit nihilominus magni momenti, cum illa ſit ſufficiens ad impedienda prædicta incommoda, quæ nota ſunt ſequi ex matrimonio clandeſtino.

Ad vltimum conceſſo antecedenti, negatur conſequentia, quia veritas noſtræ concluſionis non innititur illo fundamento, quod in noſtro caſu ceſſauerit finis decreti Tridentini, ſed quod nunquam illud decretum comprehenderit noſtrum caſum, vt oſtenſum eſt.

12 Tertius & vltimus caſus eſt, an ex Epiſcopi diſpenſatione, vrgente graui neceſſitate, & Papa conſuli non poteſt, poſſit contrahi matrimonium abſque Parocho & teſtibus. Reſpondeo, tametſi queat Epiſcopus in caſu magnæ neceſſitatis diſpenſare in lege Pontificis, vel Concilij, at in hoc caſu nunquam poſſe. Ratio eſt, quia Tridentinum id conſtituit vt formam ſubſtantialem, & ponit decretũ irritans, ac reddens perſonas inhabiles omnino ad ſic cõtrahendum; & dictio, *omnino*, excludit omnem gratiam ac diſpenſationem. Vnde fit, vt etiam quando matrimonium publicè contrahitur ſciente maiori parte viciniæ, ſi Parochus deſit, nullo modo valeat, quia Tridentinum ſtatuit formam ſubſtantialem pro matrimonio contrahendo; forma autem ſpecificè, & propriè, & non per æquipollens impleri debet.

Sectio V.

An quando contrahentes inuincibiliter ignorant dictam legem irritantem Tridentini, validè contrahant abſque Parocho & aliis duobus teſtibus

1 ALiqui affirmant, quia lex non obligat ignorantes inuincibiliter, quamuis ſit irritatoria, ſi ipſa irritatio & inhabilitas ponatur vt pœna, vt imponi videtur in dicta lege Tridentini, quia eo ipſo, quod ignorantia inuincibilis excuſet à culpa, etiam excuſabit à pœna, quæ ſolùm infligitur propter culpam.

2 Alij verò, vt noſter Sanchez cum multis, quos refert *lib 3. diſp. 18. n. 9.* Coninch *diſp. 27. dub. 1. n. 15.* Hurtado *diſp 5. diffic. 3. n. 11* partem negãtẽ amplectũtur. Quia tametſi ignorãtia inuincibilis excuſet à culpa actu contra legẽ præcipientẽ, vel prohibitionẽ, quia aufert ſcientiam requiſitam ad voluntarium, abſque quo nequit eſſe culpa, non tamen excuſat actum cõtra legem irritantem, à nullitate, quæ contrahitur ex defectu ſolemnitatis, ad valorem actus, requiſitæ ex lege; quia ignorantia etſi inuincibilis ſit, non ſupplet ſolemnitatem ex lege requiſitam ad valorem actus. Cùm ergo nullitas, quæ à Tridentino dicta lege includitur, non ſit inducta in pœnam, quia non inducitur ad puniendos contrahentes clandeſtinè, ſed tantùm in odium matrimonij clandeſtini, ne valeat abſque dicta aſſiſtentia, ob inconuenientia, quæ ex eo oriri poſſunt, ideo ignorantia non excuſat.

3 Hanc ſecundam ſententiam iudico veriſſimam & certam, quia certiſſimum eſt, & modò omnes Theologi conſentiunt, ſi abſque ſolemnitate requiſita ad valorem matrimonij per Concilium Tridentinum, nunc fiat matrimonium inter ignorantes, vbi Concilium eſt promulgatum, illud eſſe nullum, quia verba Concilij abſolutiſſima ſunt, & illam addere exceptionem temerarium valde eſſet. Imò ideo Concilium voluit, neceſſariam eſſe promulgationem illius decreti in ſingulis Parochiis ad effectum irritandi, & poſt illam vnius menſis tempus conceſſit, ne matrimonia vlla inter ignorantes fieri contingeret. Ignorantia ergo non impedit hanc nullitatem. Idem videre licet in aliis impedimentis irritantibus matrimonium, vel profeſſionem, & ſimilia.

Vt tamen reſolutio hæc radicitus maneat intellecta, viſum eſt mihi eam aliquibus dictis explicare.

4 Præmittendo *primò* in lege irritante duplicem poſſe diſtingui irritationem. Quædam enim eſt irritatio ſimpliciter & abſolutè talis, quæ per ſe ponitur, & inducitur propter bonum ex ſe, vel fauorem, aut communitatis, aut membrorum eius per modum formæ neceſſariò ad valorem actus. Quæ nam verò eſt propriè pœnalis, quæ non, abſolutè inducitur, ſed in odium, & punitionem alicuius peccati per ſe primò ac principaliter inſtituitur.

5 *Secundò* præmitto duplicem poſſe dari ignorationem legis irritationis; alia eſt enim ignorantia irritationis, & ſimul etiam prohibitionis, quæ omnem culpam contra legem excuſare omnino valet; alia verò eſt ignorantia ſolius irritationis vt ſic, ſed non ipſius prohibitionis, quia nimirum lex non ignoratur vt prohibens, & ideo non excuſatur à culpa, ignoratur tamen vt irritans. His præmiſſis.

6 Dico *primò*: Ignorantiam legis irritantis abſolutè & ſimpliciter, etiamſi ſit inuincibilis, qualis eſt lex Tridentini irritantis matrimonia clandeſtina, non impedire irritationem actus. Probatur manifeſtè, quia ignorantia ſolùm poteſt excuſare à culpa: ſed hæc irritatio non pendet à culpa, quia non eſt pœna; non enim in odium, ſeu vindictam peccati per ſe primò ponitur, ſed per ſe propter commune bonum; ergo ignorantia nõ poteſt obſtare huic effectui. Quare ſicut irregularitas, quæ non eſt pœna, incurritur non obſtante ignorantia, vt conſtat ex propria materia, idem eſt de inhabilitate ad matrimonium contracta ex affinitate, & cognatione, ita idem erit in prædicta lege Tridentini. Firmo id totum, quia lex prohibens actum, & irritans illum intuitu boni communis, vel priuatorum, non eſt pœnalis, quia illa irritatio non fit in odium alicuius, nec in vindictam delicti, quod ad pœnam in rigore ſumptam neceſſarium eſt; nec etiam fit in recompenſationem alicuius tranſgreſſionis politicæ, ſed per ſe imperatur, & fit, quia per ſe deſeruit

uir bono communi, vel priuatorum; talis verò eſt lex Tridentini.

7. Dico *ſecundò*, quando irritatio tantùm in pœnam impoſita eſt, per ignorantiam quæ à culpa excuſat impeditur; talis verò non eſt irritatio matrimonij clandeſtini. *Primum* conſtat, quia ceſſante cauſa per ſe & adæquata ceſſat effectus; ergo quãdo eſt culpa cauſa per ſe & adæquata talis irritationis, illa ceſſante, ceſſat irritatio. Quod ſatis firmatur exemplo communiter ab omnibus recepto, de eo, qui ex obliuione naturali omittit diuinū Officium; enim hic facit fructus ſuos, non obſtante lege pœnali irritante acquiſitionem fructuum contra non recitantes lata, quia per illam obliuionem ceſſat culpa, & conſequenter ceſſat pœna; igitur idem erit in omnibus ſimilibus. *Secundum* patet, quia quoties in lege additur particula, in pœnam, vel in odium, vel in iniuriam, vt *in cap. cum ſecundum, de præbend.* cenſetur irritatio fieri in pœnam. Nihil autem horum reperitur in lege Tridentini irritante matrimonium clandeſtinum, neque ex aliis particulis, neque ex modo quo irritatur, intelligi poteſt ſub illa habitudine ad pœnam ferri.

Dices in lege dicta Tridentini puniri contrahentes clãdeſtinè; ergo eſt pœnalis lata in odium culpæ. Sed contra eſt, quia talis lex directè ac primò, & per ſe lata fuit intuitu boni communis, vel priuatorum, indirectè autem, & per conſequutionem poſſe talem irritationem cedere in nocumentum delinquentis. Fateor itaque legem Tridentini præcipere puniri clandeſtinè contrahentes, & poſuiſſe pœnam deſignare, licèt non deſignet de facto, inde tamen non ſequitur legem eſſe pœnalem, optimè enim poteſt lex irritare actum propter bonum commune, & poſtea adiicere pœnam in eum, qui talem actum irritum facit, quia illa nouæ pœnæ impoſitio eſt quaſi accidentaria, & aduentitia irritationi. Addo aliquando accidere poſſe, vt in eadem lege irritatio actus feratur, & per ſe propter commune bonum, & ſimul in pœnam: quia iſti duo reſpectus non repugnant ſimul coniungi in eodẽ effectu, vel reſpectu eiuſdem, vel reſpectũ diuerſorum. Sic poſſet dici impedimenta irritantia matrimonium fuiſſe introducta propter delictum, v.g. vxoricidium cum promiſſione, & adulterium cum aliqua viuente coniuge, cum promiſſione futuri matrimonij: quia tamerſi hæc pœnalia dici poſſint, & verè ſint, ſunt tamen etiam per ſeſe expedientia ad commune bonum, vt ſecuritati ac fidelitati coniugum conſulatur. Vnde licèt alia pœna tale delictum condignè puniretur, nihilominus poſſet iuſtè irritatio ſimul perſiſtere, ſiue duplicatione pœnæ, quia per ſe expediebat, etiamſi non adiiceretur in pœnam. Nam per irritationẽ in prædictis caſibus auferentur occaſiones perpetrandi ſimilia delicta, & hanc cauſam fuiſſe ſufficientem ad imponenda talia impedimenta, etiam ſine vindicatione delicti, quis non videat?

8 Dico *tertiò*, quando lex humana prohibet actum addendo irritationem per modum pœnæ, ſi lex non ignoratur, vt prohibens, licèt ignoretur vt irritans, actum contra legem factum eſſe irritum. Moueor, quia talis ignorantia non excuſat peccatum contra legem; ergo nec excuſat pœnam, licèt ignoretur; ergo nec excuſat irritationem. Patet hæc vltima conſequentia, quia irritatio non eſt talis pœna, quæ requirat ſpecialem contumaciam, ſicut excommunicatio, & hoc modo incurritur irregularitas pœnalis, licèt ignoretur ipſa pœna ſi non ignoratur prohibitio; neque excuſatur culpa; ergo idem eſt de quacumque inhabilitate perſonæ; ergo & de irritatione. Quod inductione conſtat in beneficiato non recitãte culpabiliter, qui non facit fructus ſuos, etiamſi pœnam ignoret, & ſic de aliis. Vnde infero, idem dici debere de lege irritante matrimonium clandeſtinum, etiãſi eſſet purè pœnalis, cum communiter non ignoretur vt prohibens, cùm conſtet ab Eccleſia ante Tridentinum fuiſſe illud prohibitum, licèt ignoretur vt irritans, verè irritabit matrimonium contra talem legem initum.

Dico *vltimò*: quoties lex conſtituendo formam ſubſtantialem ſeruandam in actu conſequenter irritat illum, qui fit ſine tali ſolemnitate, impediri non poteſt ille effectum pro vt à lege præſcribitur, quauis ignorantia interueniẽte. Ratio à priori eſt, quia forma ſic ſtatuta per legem eſt ſubſtãtialis tali actui, ſub tali, vel tali ratione, ſcilicet contractus, profeſſionis, teſtamẽti, & alia ſimilia; ſed abſque forma ſubſtantiali non poteſt res ſubſiſtere; ergo nec actus ille poteſt ſuum eſſe habere ſine tali forma; ergo tali forma deficiente non poteſt impediri defectus nullitatis, qualibet intercedente ignorantia. Eiuſmodi verò eſt lex Tridentini præſcribens aſſiſtentiam Parochi, & teſtium in contractu matrimonij, dat enim ſolemnitatem, & quaſi formam ſubſtantialem ſeruandam in actu. 9

Sectio VI.

Quinam teneantur ad obſeruationem decreti Concilij Tridentini.

Certum eſt *primò* fideles omnes baptizatos apud quos promulgatum eſt, & receptum Tridentinum, eo decreto teneri, etiamſi poſtea ad hæreſim declinauerint, & etiamſi ſint in mortis articulo. 1

Secundò certum eſt in illis locis, in quibus vel tale decretum non eſt promulgatum, vel non eſt receptũ, non obligare. Conſtat id ex ipſomet decreto. Nam in fine illius præcipitur omnibus ordinariis, vt cùm primum poſſint curent id decretum populo publicari, & explicari in ſingulis ſuarum diœceſum Parochialibus. Eccleſiis, idque in primo anno, quam ſæpiſſimè, poſtea verò quoties opus fuerit, vel expedierit. Statuitur quoque ibi decretum hoc tantum habiturum vim poſt triginta dies numerandos à prima die publicationis in eadem Parochia. 2

Quæ eſt ſpecialis diſpoſitio Eccleſiæ in hoc caſu, quæ noluit hac lege fideles obligare, niſi poſt promulgationem dictam. Et quamuis in his locis, in quibus decretum Tridentini non eſt receptum, valeant adhuc matrimonia clandeſtina, peccant tamen grauiter ſic clandeſtinè contrahentes, ſi ſine iuſta cauſa omittant iuris antiqui diſpoſitionem ea prohibentis. Difficultas tamen eſt, quando incolæ locorum vbi Tridentinum obligat, diuertunt ad loca vbi non obligat, an teneantur coram Parocho & teſtibus contrahere.

Dico *primò* certum eſſe, in quo etiam conueniunt omnes incolas locorum in quibus Tridentinum obligat, quando vadunt ad loca in quibus non obligat, validè in his contrahere matrimonium clandeſtinum, ſi ad ea vadunt animo conſtituendi in eis domicilium. Patet, quia ex hoc cenſentur Parochiani horum locorum, & illorum, quæ deſerunt. 3

Dico *ſecundò* validè quoque contrahere quando ad ea vadunt per modum hoſpitij, vel tranſitum. Ita Rebellus *lib. 2. quæſt. 1. ſect. 3.* Baſilius *lib. 5. cap. 9. num. 2.* Coninch *diſput. 27. dub. 1. numer. 14.* Hurtado *diſput. 5. difficult. 4. numer. 14.* Sanchez *lib. 3. diſputat. 18. n. 18.* & alij. Ratio eſt, quia cõtrahentes quoad contractum 4

tractum ſortiuntur forum loci in quo contrahunt, & iuxta leges talis loci contracturi ſunt, & conſtat ex *c.vltim. de foro competenti, & l. ſi ſurdus ff. de euictionibus*; & ex iure ſeu ratione naturali, quæ dictat viuendum eſſe more loci in quo viuitur, præſertim quoad contractus; igitur qui contrahunt matrimonium in locis vbi decretum Tridentini non viget, validè contrahunt abſque Parocho, & teſtibus.

Oppoſitum ſentit Henriquez *lib. 11. de matr. cap. 3. num. 8.* & alij. Quia contrahentes prædicti iam ſunt aſtricti decreto Tridentini vigente in ſua Parochia, & eo facti ſunt inhabiles ad ſic contrahendum; ergo quocumque proficiſcantur, ſemper ſecum deferunt eandem obligationem, & inhabilitatem; nam inhabilitas ſemper comitatur perſonam, ſicut conſanguinitas.

Reſpondeo hoc argumentum nimis probare, nam eo probari poſſet teneri legibus iuris communis, in quouis loco, etiamſi in eo in quo peregrinantur, non ſeruentur. Quare ad argumentum dico, quamuis dictæ perſonæ decreto Tridentini fuerint aſtrictæ & factæ inhabiles, non tamen vniuerſaliter, ſed tantùm pro locis in quibus habebant domicilium, quando receptum fuit, quia prædicta inhabilitas non fuit abſolutè contracta, ſed eſt affixa territorio tantùm, in quo promulgatum eſt Tridentinum, vt ibidem decernitur, & non in alio loco. Vnde prædicta inhabilitas non eſt abſolutè quaſi perſonalis, ſed tantùm legalis ex lege inhabilitante, ac proinde ceſſat vbi, & quando lex ceſſat. Ex quo apparet manifeſta diſparitas huius inhabilitatis, atque ipſius conſanguinitatis, nam conſanguinitas cum fundetur in ſanguine, eadem vbique eſt; hæc autem loco tantùm promulgationis affixa eſt. Ex quo etiam infertur quid dicendum ſit ſi in vno loco eſſet impedimentum conſanguitatis in quarto gradu, in alio verò ex conſuetudine præſcripta contraria non eſſet eiuſmodi impedimentum: poſſent enim illi, qui conſanguinei eſſent, eò peregrinantes contrahere; quia iam in eo loco ceſſaret inhabilitas, vt rectè notauit Baſilius Ponce *loco citato num. 3.*

Dico *tertiò* doctrinam nuper traditam in ſecundo
5 dicto veram eſſe, etiam ſi incolæ loci, in quo Tridentinum viget, profecti fuerint ad illum locum, in quo non viget eo fine, vt clandeſtinè contrahant ſine Parocho, & aliis teſtibus. ita Sanchez, Baſilius, & Hurtado *relati.* Ratio eſt, quia iſti propriè non faciunt fraudes, nam vtuntur iure ſuo; ius enim habet adeundi eum locum vbi validè poſſit ſine Parocho & teſtibus contrahere. Nec verò talis intentio & finis eſt propriè contra legem, cùm non ſit contra ipſam, perquam non ſit prohibitum aliò proficiſci. Et quamuis id faceret ex aliqua praua intentione, nihil obeſſet; quia contractus non læditur in ſua ſubſtantia ex mala intentione; ea enim permanet in affectu, & in contractum exteriorem minimè tranſit. Hoc enim communi ſenſu docent Doctores, ex praua intentione non oriri obligationem reſtituendi, ſi reuera non eſt illatum damnum. Vnde in hoc caſu nulla eſt fraus illicita, aut dolus malus, quia talis actio nulli tertio nocet, neque eſt iniurioſa propriè, vt conſtat in matrimoniis incolarum eius loci, qui contrahunt ſine prædicta forma.

6 Dico *quartò* certum eſſe Chriſtianos habitantes in prouinciis infidelium, & in eis natos, in quibus Tridentinum non fuit promulgatum, validè contrahere abſque Parocho & teſtibus. Ratio eſt manifeſta, quia decretum Tridentini in eis Prouinciis nō habet vim, ex defectu publicationis ab ipſo Tridentino requiſitæ ad id. Idem dicendum de Chriſtianis captiuis, & mercatoribus, & quibuſcumque aliis habitantibus in dictis Prouinciis, & natis in Prouinciis Chriſtianorum, in quibus Tridentinum non eſt promulgatum, nec viget, quia etiam iſti validè contrahunt abſque Parocho & teſtibus, cùm Tridentinum non habeat vim in ſuis prouinciis, neque in prouinciis infidelium, in quibus habitant.

Dico *vltimò* validè contrahere captiuos apud infideles ſine Parocho, & teſtibus; quamuis ad eas regiones ducti ſint poſt publicationem, & receptionem in ſua parochia, nec animum ibi permanendi habeant. 7
Ita Sanchez *diſp. cit. n. 35.* Baſilius *c. 9. n. 7.* Hurtado *difficult. 5.* & alij. Probatur

Primò: quia, vt diximus, contrahentes quo ad contractus ſortiuntur forum loci in quo contrahunt, & tantùm illis legibus contracturi ſunt, quamuis ſolùm tranſeunter, & per modum hoſpitij ſint in eo loco; ergo validè contrahunt abſque Parocho, & teſtibus in dictis Prouinciis infidelium, quia in eis non viget Tridentini decretum, quamuis etiam ante profectum viguerit in propria parochia, & hanc retineant.

Secundò, quia impoſſibilis videtur eſſe in Prouinciis infidelium obſeruatio legis Tridentini reſpectu fidelium ibi commorantium; nequit enim adeſſe propius Parochus, vnde vel cōpellendi eſſent vitam ſeruare cœlibem, vel auferendum illis matrimonium, quod in remedium infirmitatis eſt inſtitutum Quare dicendum eſt non aſtringi ea lege. Monendum tamen eſt ſi velint ibi contrahere, oportere vt ſeriò curent ſeruare antiquas leges Eccleſiaſticas, quod præſtare poſſunt, videlicet teſtes adhibendo, quibus probari coniugia poſſint, inſtrumenta etiam de eo matrimonio publica conficiendo.

Obiicies, ſi captiui poſſunt in locis infidelium cōtrahere matrimonium abſque Parocho & teſtibus, quia ibi non eſt receptum nec promulgatum Tridentini decretum, certè nullis aliis legibus Eccleſiaſticis, ieiunij, abſtinentiæ carnium, vel auditionis Sacri tenerentur, cùm ibi nec receptæ, nec publicatæ ſint. Reſpondeo diuerſas eſſe rationes, nam aliæ Eccleſiæ leges, ſat eſt quòd ſint promulgatæ in alia qualibet fidelium diœceſi, vel in curia Romana, vbique obligent; at decretum Tridentini vt obliget ſpecialem publicationem poſtulat, in qualibet parochia, vel loco habitantis. Cumque apud infideles hæc conditio deficiat, in illis locis hoc decretum nondum obligandi vires accepit, & conſequenter, qui in illis contrahunt, licèt domicilium ibi non fixerint, non tenentur ſeruare ſolemnitatem in eodem decreto contentam, quia, vt dictum eſt, contractus celebrandus eſt, iuxta ſolemnitates loci contractus.

Vtrùm verò matrimonium clandeſtinum, quod eſt inualidum poſt Tridentinum, vbi illius viget decretum, ſaltem valeat vt ſponſalia, & obliget ad contrahendum, ſuprà *diſp. 8. ſect. 4.* latè eſt diſputatum, & partem affirmantem amplexi ſumus.

DISP.

DISPVTATIO XL.

De præſētia ordinarij, vel proprij Parochi, & teſtium, vt matrimonium non ſit clandeſtinum, ſed publicum, ac ſolemne.

Docvimvs hactenus primum caput tractationis de matrimonio clandeſtino, quale nimirum ſit decretum Tridentini, quam vim habeat in quocumque caſu, & quas perſonas aſtringat. Nunc vlterius progredimur, ad explicandum ſecundum, continens formam ipſam, & ſolemnitatem præſcriptam in prædicto decreto, videlicet ea quæ ſpectant ad ordinarij, & proprij Parochi præſentiam.

Sectio I.

Quid Ordinarij nomine in prædicto decreto Tridentini intelligatur.

1 Certum eſt *primò* Romanum Pontificem poſſe in tota Eccleſia matrimonio aſſiſtere, & alteri licētiam ad id conferre, vt patet tanquam per ſe notū.

2 Certum eſt *ſecundò* Ordinarij nomine in prædicto decreto Tridentini intelligi eos omnes, qui ordinariam poteſtatem habent Epiſcopalem, & quaſi Epiſcopalem. Ordinarius eſt qui lege, vel conſuetudine, vel priuilegio habet iuriſdictionem, & cauſarum cognitionem, & proprio iure exercet.

3 Vnde *tertiò*, certum eſt Epiſcopum in ſua diœceſi non ſolum poſſe licentiam conferre ſacerdoti, vt aſſiſtat matrimonio, quia verè eſt Ordinarius in illa, ſed etiam poſſe matrimonio aſſiſtere, quia eſt Parocho ſuperior, aut Parochus ſuperior. Idem dic de Archiepiſcopo in ſua diœceſi, poſſe aſſiſtere matrimonio, & alijs præbere licentiam aſſiſtendi; eſt enim ordinarius.

4 *Quartò* eſt certum idem poſſe Capitulum ſede vacante, quia ſuccedit Epiſcopo, quoad iuriſdictionem ordinariam, cui eſt annexa facultas.

5 *Quintò* certum eſt idem poſſe omnes habentes Epiſcopalem iuriſdictionem, reſpectu eorum in quos eam habent, vt Abbates Eccleſiarum nulli Epiſcopo ſubditarum, quia ſunt Ordinarij in eis. Similiter ob eandem rationem dicendum eſt idem poſſe Cardinales in Eccleſiis ſui tituli, quia ſunt in eis Ordinarij, habentque in eis iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, vt colligunt Doctores ex cap..., de maioritate, & obedientia.

6 *Vltimò* certum videtur idem poſſe Legatum in Prouincia ſuæ legationis, quia eſt in prouincia ſibi commiſſa, & poteſt omnia, quæ Epiſcopus in ſua diœceſi. Tum maximè, quia eſt ordinarius in illa, vt expreſsè habetur *cap. 2. de officio legati in 6.* Et notant rectè Doctores non ſolùm Legati à latere, ſed omnes etiā Legatos à Pōtifice cōſtitutos, vt præeſſent alicui prouinciæ, eſſe Ordinarios, per textum relatum, vbi generaliter deciditur Legatum eſſe ordinarium. His præmiſſis tanquam certis,

Prima difficultas eſt de Archiepiſcopis, an ſint Ordinarij in diœceſi ſuffraganea, ita vt in illa, & aſſiſtere matrimonio poſſint, & alijs licentiam aſſiſtendi concedere. 7

Breuiter dico cum communi ſententia, non poſſe Archiepiſcopum aſſiſtere matrimonijs ſubditorum ſuffraganei. Ratio eſt, quia non eſt Ordinarius ipſorum, nec habet iuriſdictionem, niſi in cauſis per appellationem deuolutis ad ipſum, & in aliis caſibus ſingularibus: non enim Archiepiſcopus in diœceſi ſuffraganei eſt Ordinarius; ſed tātùm ſortitur iuriſdictionem ob appellationem. Ex quo infertur Epiſcopo nolente aliquos matrimonio coniungere, cauſaque per appellationem delata ad Archiepiſcopum, poſſe eum cauſa cognita dare licentiam cuicumque ſacerdoti, aſſiſtendi matrimonio, vel ipſummet intereſſe. Quod intellige quando ſententia Archiepiſcopi tranſiuit in rem iudicatam, quia ſua ſententia effectum non ſortitur, nec iuriſdictionem dare poteſt, donec tranſeat in rem iudicatam: ſortitur enim iuriſdictionem Archiepiſcopus iuxta naturam ſententiæ, quæ eſt, vt nihil prorſus operetur, donec tranſeat in rem iudicatam. Poteſt etiam Archiepiſcopus dum actu viſitat diœceſim ſuffraganei aſſiſtere matrimonio ſubditorum ſuffraganei, & ad id licentiam concedere, quia tunc habet iuriſdictionem ordinariam.

Secunda difficultas eſt an Prouiſor, ſeu Vicarius Generalis Epiſcopi ex vi ſui officij abſque ſuperaddita ſpeciali commiſſione poſſit matrimonio aſſiſtere, & ad id licentiam conferre ſicut ipſe Epiſcopus. 8

Petrus de Ledeſma *q. 45. de matrimonio art. 5. punct. 3. dub. 4.* docet non poſſe.

Primò, quia Vicarius ex generali commiſſione non poteſt de cauſis matrimonialibus cognoſcere, vt ſignificari videtur *in cap. accedentibus 12. de exceſſibus Prælatorum*, cùm dicitur dictam cognitionem ad dignitatem Epiſcopalem pertinere; ergo neque poterit matrimonio aſſiſtere, neque ad id licentiam conferre.

Secundò diſcrimen eſt communiter aſſignatum inter ordinariam iuriſdictionem, ac delegatam vt illa mortuo ſuo concedente non expiret ſicut delegata, ſi res eſt integra: at iuriſdictio Vicarij ceſſat morte Epiſcopi concedentis; ergo eſt delegata; ergo non poteſt aſſiſtere, nec dare licentiam, ſine ſpeciali commiſſione.

Dico *primò* cum communi Theologorum doctrina, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. 3. diſp. 29. n. 3.* Vicarium Generalem Epiſcopi habere iuriſdictionē ordinariam, ſeu ordinarium eſſe, in his, quæ illi competunt ex generali Vicarij inſtitutione. Probatur, quia iuriſdictio conceſſa à Canone, vel lege eſt ordinaria, vt conſtat: at Epiſcopus licèt conſtituat Vicarium generalem, non tamen ei confert iuriſdictionem quā habet, ſed à canone, vel iure tribuitur, vt notat Gloſſa ex Doctorum ſententia *c. 2. de officio Vicarij in 6.* ergo eius iuriſdictio eſt ordinaria. Firmatur, quia Vicarius Epiſcopi conſtituit vnum tribunal, & vnam perſonam cum Epiſcopo, vt dicitur *in cap. Romana 3. de appellat. in 6.* Vnde eadem eſt iuriſdictio Epiſcopi, & Vicarij. Vbi etiam adiungitur ratio, cur non appelletur à Vicario ad Epiſcopum, ne ab eodem ad ſe ipſum appelletur; ergo eſt Ordinarius. Dixi *in his, quæ illi competunt ex generali Vicarij inſtitutione*, quia quo ad alia, quæ tantùm illi competunt ex commiſſione ſpeciali, iudico verius cum Baſilio Ponce *lib. 5. c. 11. n. 16* eſſe delegatum. Ratio eſt, quia Epiſcopus iuriſdictionem ordinariam conferre non poteſt: Vicario enim à iure confertur iuriſdictio in caſibus in quibus ordinarius eſt. Quòd autem vel cum clauſula generali,

rali, vel vnica commiſſione committat ſpecialem caſum parum refert. Neque enim hæc duo facultas ordinaria, & commiſſio inter ſe ita connectuntur, vt vnum trahat ad ſe aliud, ſed ſeparata inter ſe ſunt, & vnius caſus cognitio, ſine alio poteſt conſiſtere, ac ſi diuerſis commiſſionibus commiſſa eſſent. Contrarium ſentit Sanchez *loco citato num.* 8. nempe Vicarium eſſe ordinarium, etiam quoad caſus commiſſos, & probat ex *cap. tranſlato, de conſtu.* ibi, Quia ſimul, & ab eodem, & ſub eadem ſponſione vtraque data ſunt, quod de vno dicitur, neceſſe eſt, vt de altero intelligatur; ergo cùm dicta commiſſio ſimul ab eodem Epiſcopo conferatur, ſicut principalis eſt ordinaria, ſic erit ei connexa Firmat, quia dignius trahit ad ſe minus dignum. *c. quod in dubiis, de conſecr. Eccleſ.* ergo iuriſdictio ordinaria, quæ dignior eſt, trahit ad ſe delegatam minus dignam.

Verùm reſpondeo, vt optimè notat *ibi* Gloſſa, illum textum intelligi, quod de vno conſtitutum eſt, extendi ad alium caſum, & eſſe idem ius, quando vnum eſt connexum cum alio, aut ſimile illi, & eſt eadem ratio. At in noſtro caſu neque eſt connexio, neque eſt eadem ratio, neque illa duo ſunt ſimilia, ſed valdè diſſimilia, cùm in vna ſpecie Vicarius à iure poteſtatem, & iuriſdictionem habeat, non ab Epiſcopo, ſed à iure; in alia verò ſpecie tantùm ab Epiſcopo. Ad cõfirmationẽ dico ſpecie illius textus dici oleum non conſecratum poſſe commiſceri oleo conſecrato, & totum fiet conſecratum. Quod ibi declarat Gloſſa, quia ſacrum tanquam dignius, trahit ad ſe non ſacrum. Quod intelligendum cenſeo quando ſunt inter ſe connexa, minus dignum ſequitur ex digniori. Addo illam non eſſe vniuerſalem regulam. Quamuis enim oleum non conſecratum quod miſcetur conſecrato, totum fiat conſecratum, non tamen id eſt verum in vino, quod miſcetur vino conſecrato, quod certè non conſecratur.

Eſt verò notandum quoties in aliquo Decreto mẽtio fit Ordinarij, niſi ſubiecta materia aliud poſcat, intelligi non tantum Epiſcopum, ſed omnes habentes iuriſdictionem ordinariam; quia omnes illi Ordinarij ſunt: atque adeò nomine *Ordinarij* comprehendi Vicarium Epiſcopi, cùm verè ordinarius ſit; quare cùm in Tridentino mentio fiat Ordinarij, comprehenditur quoque Vicarius Epiſcopi. Idem dic de Vicario Capituli Sede vacante, & aliorum habentium iuriſdictionem epiſcopalem cùm verè Ordinarius ſit.

Dico *ſecundò*, Vicarium foraneum non eſſe ordina-
10 rium, ſed delegatum. Ita omnes. Eſt autem Vicarius foraneus, qui iuriſdictionem habet in aliqua parte ſpeciali Diœceſis. Vnde ſi illam habet in ſola ciuitate, in qua reſidet Epiſcopus, non erit Vicarius generalis, ſed foraneus, & de illo procedit dictum, & probatur, quia hîc non habet iuriſdictionem aliam, quàm conceſſam ſibi ab Epiſcopo, nullamque habet à iure. At Epiſcopus nequit iuriſdictionem ordinariam concedere. Firmo, quia à Vicario foraneo poteſt appellari ad Epiſcopum, vt ſolet fieri; ergo eſt Epiſcopi delegatus.

Dico *tertiò*, Vicarium generalem Epiſcopi, ex pro-
11 prio Officio, abſque ſpeciali commiſſione, ex generali inſtitutione Vicariatus poſſe intereſſe matrimonio, & alij Sacerdoti licentiam aſſiſtendi concedere. Ita cum multis Sanchez *diſp.* 29. *cit. num.* 18. Ratio eſt, quia Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 1 *de matrim.* id expreſsè concedit Ordinariis; at Vicarius generalis eſt Ordinarius, vt probatum eſt, & comprehenditur in Decretis mentionem de Ordinario facientibus; ergo poteſt aſſiſtere, & dare licentiam aſſiſtendi. Idem dicendũ eſt de Vicario generali eorum, qui habent iuriſdictionem epiſcopalem.

Dico *vltimò*, Vicarium foraneum non poſſe aſſiſte- 12
re matrimonio, nec alij licentiam dare aſſiſtendi, abſque ſpeciali commiſſione. Ratio eſt, quia non habet poteſtatem ordinariam, ſed delegatam. Vnde eius auditorium, ac tribunal non cenſetur eſſe vnum, & idem cum Epiſcopo; & ab eius ſententia appellatur ad Epiſcopum, à quo ſolum habet iuriſdictionem commiſſam. Verum eſt quod optimè notauit Sanchez, ſi cauſarum matrimonialium cognitio illi in genere concedatur, poterit aſſiſtere matrimonio, & alij licentiam aſſiſtendi dare. Si enim poteſt de cauſa principali cognoſcere, poterit quoque de minus principali, & acceſſoria, ac præambula, iuxta illam regulam iuris 61. *de regulis iuris, in* 6. *Cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus.*

Ad primum argumentum pro ſententia Ledeſmæ 13
negatur antecedens, nam ex generali facultate Vicariatus, poteſt Vicarius generalis cognoſcere de cauſis matrimonialibus, vt praxis ipſa oſtendit, & colligitur manifeſtè ex *cap.* 1. *de frigidis, & maleficiatis*, vbi dicitur proponendam eſſe querelam de certo matrimonio, & proclamandum ad Epiſcopum, aut eius miſſum. Vbi Gloſſa verb. *miſſo*, explicat, id eſt, Vicario, qui fungitur vice Epiſcopi. Et *cap. finali, de cognatione ſpirituali*, dicitur, propoſitum eſſe quoddam impedimentum matrimonij, coram Officiali Cantuarienſi, cui Gregorius IX. præcepit, quid præſtare debet in ea cauſa; ergo ſupponit dictum Officialem ſeu Vicarium generalem poſſe de cauſis matrimonij cognoſcere. Neque obſtat, quòd *in cap. accedentibus*, dicatur hanc cognitionem eſſe Epiſcopalis dignitatis, non enim ob id excluditur Vicarius generalis: nam nomine Epiſcopi, vbi non excluditur Vicarius, & eſt res quæ competit Vicario ex eius officio, intelligitur etiam eius Vicarius generalis. Et conſtat hoc ex Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de reformatione*, vbi cùm voluit Vicarium excludere, expreſſit dicens, eis tantùm (id eſt, Epiſcopis, non eorum Vicariis) ſit permiſſum.

Ad ſecundum dico iuriſdictionem ordinariam certum eſſe mortuo concedente non expirare, quando nimirum iuriſdictio ordinaria non adhæret alteri ordinariæ tanquam acceſſoria illius, ſecus quando cohæret alteri ordinariæ tanquam acceſſoria, vt cohæret iuriſdictio Vicarij iuriſdictioni Epiſcopi; tunc enim extincto principali per mortem Epiſcopi extinguitur acceſſoria Vicarij.

Tertia difficultas eſt de Archipresbytero Eccleſiæ 14
Cathedralis, an poſſit intereſſe matrimonio in tota Diœceſi tanquam Ordinarius. Ad quam dico quatuor cum Sanchez *diſp.* 27. Baſilio Ponce *lib.* 5. *c.* 12. *num.* 7. & aliis. *Primum* eſt, ſi Archipresbyteratus ſit in aliqua Eccleſia Cathedrali dignitas, & præbenda, cui ex Officio ſit annexum audire confeſſiones omnium Diœceſis illius, tunc certè eſſet propriè Sacerdos, & Ordinarius in tota illa Diœceſi, & conſequenter poſſet intereſſe matrimonio in tota illa Diœceſi. Vnde olim fortè fuerunt aliqui Archipresbyteri tam amplam poteſtatem habentes. *Secundum* eſt, ſi Archipresbyter illud non habeat ex officio, ſed ex Epiſcopi commiſſione, tunc certum videtur delegationi ſtandum, & non eſſe Ordinarium. *Tertium*, ſi verum eſt quod dicitur eſſe in vſu in aliquibus Cathedralibus, vt Archipresbyter Eccleſiæ Cathedralis ſit Parochus ipſius Eccleſiæ, & poſſit miniſtrare Sacramenta in ſua parochia, poterit aſſiſtere matrimonio, ſed nõ in tota Diœceſi, ſed ſolum in ſua parochia. *Vltimum* eſt, in hoc ſtandum eſſe deciſioni Concilij Tridentini, in quo, vt vidimus, ad matrimonio aſſiſtendum, tantum fit

mentio

Digitized by Google

mentio Ordinarij & Parochi. Vnde iſtis Archipreſbyteris tantùm concederem ea, quæ conueniunt Parochis, cùm Parochi earum Eccleſiarum ſunt, neque aliud conſuetudine videtur eſſe receptum. De poteſtate autem Archipresbyteri, munere, & officio videatur noſter Ioannes Azor *tom. 2. inſtitut. moral. lib. 3. cap. 15.*

SECTIO II.

Quis debeat dici proprius Parochus in ordine ad Sacramentum matrimonij, qui & aſſiſtere illi poſſit, & licentiam concedere vt alij aſſiſtant.

1 DIco *primò*, cum communi ſchola Theologorũ, Parochum ſolius originis, ſicut & Epiſcopum ſolius originis, non cenſeri proprium comparatione contrahentium matrimonium. Patet, quia illa dicitur propriè parochia, & diœceſis alicuius, in qua habet domicilium habitationis. Vnde, vt notant communiter Doctores, nomine domicilij in dubio, non venit originis domicilium, ſed habitationis; non enim in dubio à verborũ proprietate eſt recedendũ. *l. non aliter ff. de leg. 3.* igitur ſatis non eſt Parochus originis, ſed requiritur habitationis: nam Concilium petit aſſiſtentiam proprij Parochi ad matrimonij valorem; proprius autem in dubio non intelligitur originis, ſed domicilij. Firmo, quia vbi ius Canonicum voluit ſat eſſe Epiſcopum originis, id explicuit, vt in Sacramento Ordinis. *cap. cum nullus, de tempore ord. in 6.* Non ergo extendi debet ad matrimonium, & ad alia Sacramenta, quæ iure à proprio Ordinario & Parocho miniſtranda ſunt. Vnde infero, quoad hanc rem matrimonij, eos dici eſſe in alicuius parochia, vel diœceſi, qui in ea domicilium, vel quaſi domicilium habent. Dicitur autem quis habere domicilium in aliquo loco, quando in eo habitat animo perpetuò ibi permanendi, etiamſi per horam tantùm habitauerit. Quaſi domicilium ibi quis habet, vbi per maiorem anni partem habitat, vt ſcholaſtici in Vniuerſitatibus, & milites in præſidiis. Quare certum eſt eum qui fixum habet domicilium, ibi contrahere debere coram Parocho eius domicilij. Vnde ſi modò mulier contrahat cum viro in ſua parochia, & ſtatim ſe transferat ad parochiam viri mutato domicilio, ſi matrimonium fuerit nullum, & eadem die iterandum, iam non poterit coram priori Parocho contrahi; fuit enim alibi domicilium relicto priori.

2 Dico *ſecundò*, cùm quis duplicem parochiã habitationis ſortitur, quod euenit tunc quãdo in vtraq; habitat, vt, verbi gratia, in vna tempore hyemis, & æſtate in alia, poſſe coram Parocho vtriuſque matrimonium inire. Ita cum multis Sanchez *lib. 3. diſp. 24. n. 2.* Ratio eſt, quia vtriuſque eſt æquè parochianus; ergo vtraque eſt æquè parochia illius; ergo non eſt maior ratio cur alter ſolus Parochus poſſit matrimonio aſſiſtere. Quamuis enim prædicta tempora hyemis, & æſtatis non ita in puncto mathematico conſiſtant, vt omnino æqualia ſint: cenſentur tamen æqualia morali modo. Vnde infero non ſolùm poſſe aſſiſtere matrimonio eum Parochum, cuius parochiam tunc temporis ſuſcepturus inhabitat, vt tempore hyemis parochiæ hyemalis Parochum vbi tunc habitat, & è contra tempore æſtatis; ſed etiam indifferenter poſſe vtrumque Parochum intereſſe matrimonio. Ratio eſt, quia ille vtroque tempore habet duplicem parochiam, aliàs non verificaretur habere duo domicilia: ſicut qui certo tempore habitat in vna parochia, & poſtea ad aliam transfertur, non diceretur habere duo domicilia, contra *cap. de ſepulturis in 6.* quia nonſimul vtrumque ſortitur, ſed ſucceſſiuè, modò, vnum, & poſtmodum alterum; ergo vtroque tempore vterque Parochus eſt proprius illius paſtor, atque ideo poterit matrimonio aſſiſtere. Ex quo infero, ſi duo parochi in ſolidũ alicui parochiæ præſint, poſſe quemlibet ex illis altero inuito intereſſe matrimonio, & aliis Sacerdotibus aſſiſtendi licentiam dare. Quia par in parem non habet imperium. *c. innotuit, de electione, & electi poteſtate.*

Dico *tertiò*, virtute Bullę Cruciatæ non poſſe eligi Sacerdotem alienum vt matrimonio aſſiſtat. Quare licèt virtute Bullæ, vel alterius Iubilæi poſſit eligi alius Confeſſarius ex approbatis, tametſi non ſit proprius Parochus; non tamen ad aſſiſtendum matrimonio. Ita Sanchez cum aliis, quos ipſe refert *lib. 3. diſp. 19. n. 3.* Ratio eſt, quia in tota Bulla Cruciata non datur talis poteſtas. Nec conueniens fuit vt talis concederetur poteſtas; quia proprius Parochus melius poteſt ſcire impedimenta, tamquam proprius paſtor oues ſuas cognoſcens. Vnde quamuis in Bulla, & alio ſimili Indulto concedatur miniſtratio digniorum Sacramentorum, vt Euchariſtiæ, & pœnitentiæ, non ſequitur concedi matrimonij miniſterium, propter ingentia inde ſubſequenda damna, & incõmoda: expedit enim vt ſolùm matrimonio aſſiſtere poſſit, qui tamquam proprius paſtor ouem agnoſcens, valeat impedimenta inueſtigare. Firmo, quia vt præſcribitur in Tridentino *ſeſſ. 24. de matrimonio cap. 1.* nullus alius poteſt ſponſos benedicere, abſque proprij Parochi licentia, vel Ordinarij; & derogatur ibi cuicumque priuilegio; ergo ſignum eſt nolle Tridentinum virtute cuiuſuis priuilegij, alienum Sacerdotem abſque proprij licentia Parochi, poſſe matrimonio intereſſe. 3

Dico *quarto*, quando contrahentes ſunt diuerſæ parochiæ, ſufficere proprium Parochum vnius, vel ſponſi, vel ſponſæ. Ita omnes. Ratio eſt, quia Concilium non requirit niſi vnum Parochum proprium ad valorem matrimonij; ergo ſufficiet Parochus vnius, quando erunt diuerſæ parochiæ. Firmatur, quia tametſi quoad reliqua Sacramenta Parochus alterius contrahentis non ſit vtriuſque Parochus; at quantum ad matrimonium Parochus alterius eſt vtriuſque, ratione connexionis; ex eo quòd matrimonium non niſi inter duos conſiſtere queat. Cum enim matrimonij contractus indiuiduus ſit, ita vt ab vno ſine altero iniri nequeat; eo ipſo quòd quis eſt Parochus ad coniungendum vnum, debet neceſſariò eſſe ad vtrumque per neceſſariam connexionem. 4

Dico *vltimò*, Parochum vnius validè, & licitè poſſe intereſſe matrimonio, etiamſi in aliena parochia vniuſque contrahentis, vel etiam in aliena diœceſi celebretur. Ita multi viri docti, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. 3. diſput. 19. quæſtione ſecunda & tertia.* idem tenent Coninch *diſput. 26. dubio 2. num. 22.* Gaſpar Hurtado *diſput. 5. difficultate 6. num. 22.* & alij. 5

Prima pars dicti de validitate, oſtenditur. Tum quia aſſiſtere Parochum matrimonio, non eſt propriè loquendo actus iuriſdictionis: ſolùm enim deſideratur illa præſentia ad auctoritatem matrimonij præſtandam, & vt ipſa clandeſtinitas omnino vitetur,

vitetur & ipſi Eccleſiæ conſtet matrimonium ipſum : ergo poteſt eam præſtare extra propiam parochiam, ac diœceſim; nam totum id poteſt obtineri Parocho vbicumque aſſiſtente matrimonio. Tum maximè, quia etiamſi aſſiſtere matrimonio eſſet actus iuriſdictionis; non eſſet niſi iuriſdictionis voluntariæ, quæ in ſolos ſubditos volentes exercetur; non tamen eſt actus iuriſdictionis contentioſæ, quæ requirat vllum Tribunal, aut ſtrepitum iudicialem, vel etiam ſolemnitatem publicam, quæ cum exteriori pompa, & ſtrepitu fiat; propter quæ ſæpe prohibentur paſtoribus ſimiles actus in alieno territorio exercere. Vnde in præſenti hac de cauſa prohibetur Parocho in aliena parochia facere denuntiationes, & dare ſolemnem benedictionem nuptialem; quia hæc nimirum exigunt externum ſtrepitum, qui eſt ſuperioribus in alieno territorio prohibitus. Igitur cùm aſſiſtere matrimonio nihil horum habeat, validè hoc fiet in quocumque territorio. Quare ſicut proprius Parochus poteſt extra parochiam, & diœceſim audire confeſſiones ſubditorum; poterit quoque & illos matrimonio coniungere.

6 Obiicies, Tridentinum videtur requirere aſſiſtentiam Parochi, vt eſt perſona publica : at Parochus extra ſuam parochiam & territorium non eſt perſona publica, ſed priuata; vt conſtat ex *l. 3. de officio præſid.* Reſpondeo aſſiſtentiam Parochi, quamuis extra parochiam, ac diœceſim vtriuſque contrahentis, ſatiſfacere decreto Tridentini; quia verè aſſiſtit proprius Parochus vnius, vel vtriuſque; ac proinde vt perſona publica ad dictum effectum; ſicut dum abſoluit. In dicta verò lege ſolùm ſignificatur, iudicem extra ſuum territorium non eſſe perſonam publicam quoad iuriſdictionem contentioſam, qua conſtituitur iudex exterior, de quo ibi eſt ſermo.

7 *Secunda pars* dicti, nullo modo peccare ceſſante ſcandalo Parochum ſic aſſiſtentem, nec puniendum eſſe. Probatur, quia nullo iure, vel ſtatuto generali prohibitum eſt Parocho aſſiſtere matrimonio extra propriam parochiam; nec Parochus alienus iure offendi ex hoc poteſt, cùm id non pertineat ad iuriſdictionem contentioſam. Firmatur, nam minus eſt auctoritatem præſtare matrimonio, quàm exercere actum iuriſdictionis voluntariæ: nam vterque actus tametſi fiat tanquam à perſona publica; at præſtare auctoritatem tantum eſt intereſſe tanquam teſtem habentem qualitatem, & dignitatem Parochi; quod fieri poteſt à Parocho excommunicato denunciato, vt infrà dicam *ſectione quarta* : at exercere iuriſdictionem voluntariam, vltra dignitatem perſonæ publicæ, poſtulat iuriſdictionem nullo modo eſſe impeditam; vnde ſi exerceatur ab excommunicato denuntiato, nihil protſus fit. Si igitur poteſt Parochus in aliena diœceſi exercere iuriſdictionem voluntariam erga ſubditos, audiendo ipſorum confeſſiones, iuxta ferè omnes Doctores; poterit licitè à fortiori aſſiſtere matrimonio, quod eſt multo minus. Dixi, nullo iure, vel ſtatuto generali id prohibitum eſſe; quia, vt notant aliqui Doctores, inter quos Coninch citatus, in quibuſdam locis videtur id ſtatuto prouinciali prohibitum.

Ex dictis colligo, multo magis parochiam exiſtentem extra parochiam ſuam, vel diœceſim, poſſe alteri ſacerdoti facere poteſtatem, vt in ſua parochia matrimonio aſſiſtat. Patet, quia id minorem, vel nullum ſtrepitum exigit. Nec vlla eſt ratio cur hoc poſſit prohiberi.

Sectio III.

Vtrùm Parochus vt validè, & licitè aſſiſtat matrimonio, debeat eſſe Sacerdos.

Conſtat apud Doctores ex *cap. licet canon, de elect. in 6.* & ex Tridentino *ſeſſ. 7. de reformat cap. 3.* quem poſſe eſſe Parochum, & non ſacerdotem; vt ſi nondum ſit lapſus integer annus à parochialis beneficij collatione. Conſtat etiam, conuenientius eſſe, ac congruentius, vt Parochus ſit Sacerdos : quia præſentia Parochi deſideratur in matrimonio, vt illius teſtimonium omni fide dignum reddat, & ſponſos coniungat, & benedicat Eccleſiæ nomine : quæ omnia excellentiori modo præſtat Parochus ſacerdos, cuius teſtimonium multò fide dignius eſt, & ipſius ſacerdotis proprium eſt benedicere. Vnde olim vetuſtiſſimo ac celebri ritu Eccleſiæ, nuptiis contrahendis adhibendus erat ſacerdos, vt liquet ex variis Pontificum, ac Conciliorum decretis, quæ congerit Gratianus *30. q. 5. per totam.* Controuerſia igitur eſt, an id ſit abſolutè neceſſarium iuxta decretum Tridentini. 1

Duo verò ſunt diſcutienda. *Primum*, an Parochus non ſacerdos validè matrimonio interſit. *Secundum*, an licitè quoque abſque vllo peccato aſſiſtere poſſit.

Circa primum, ſunt nonnulli, qui abſolutè ſentiunt in Parocho eſſe neceſſariam illam ſacerdotij dignitatem, vt validè matrimonio aſſiſtat. Ita Rodriquez *tom. 1. cap. 219. n. 9.* Salcedo *practica cap. 73.* & alij. Probant 2

Primò ex dicto Tridentini decreto, dum dicitur, qui aliter quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarij licentia. Vbi dictio illa, *alio*, cùm ſit relatiua, denotare videtur, perſonam antecedentem eſſe ſimilis qualitatis, ac eſt perſona cui adiungitur; & ita ſignificat ſimilem ſacerdotis qualitatem in relato.

Secundò idem oſtenditur ex doctrina communi Iuriſperitorum dicentium in clauſula Capellaniæ habente, teneri Capellanum per ſe, vel per alium ſacerdotem Sacra celebrare, neceſſariò Capellanum debere eſſe ſacerdotem, eo quòd dictio illa, *alius*, ſit ampliatiua ſimilium; ergo cùm Tridentinum dicat, qui aliter, quàm præſente Parocho, vel alio ſacerdote, ratione dictionis, *alio*, petet ſacerdotium in Parocho.

Tertiò. Vbi alternatiua dubia eſt, vna eius pars alteram declarat, *l. 7. ff. de rebus dubiis*; ergo cùm hæc alternatiua, præſente Parocho, vel alio ſacerdote, dubia ſit, an intelligatur de Parocho ſacerdote; debet intelligi, ac declarari per alteram partem, nempe, vel alio ſacerdote.

Quartò, quia Parochus non Sacerdos non poteſt dare licentiam alteri ſacerdoti vt matrimonio aſſiſtat, non alia de cauſa, niſi quia per ſe ipſum nequit aſſiſtere matrimonio. Quod ideo firmatur, quia, vt docent graues Doctores, Parochus non ſacerdos nequit concedere licentiam Religioſis miniſtrandi Euchariſtiam, eo quod per ſe ipſum illam miniſtrare non poteſt. Et patet ex *cap. finali 46. diſp.* ibi : ſicut non ſuo, ita nec alieno

nomine aliquis Clericorum exercere fœnus attentet. Similiter ergo ſi Parochus non Sacerdos nequit dare licentiam alteri Sacerdoti vt aſſiſtat, nequibit ipſe aſſiſtere.

Vltimò, nulla videtur aſſignari poſſe maior ratio, cur aſſiſtens ex licentia Parochi debeat eſſe Sacerdos; & Parochus aſſiſtens, vel dans licentiam, non ſit Sacerdos.

3 Verius iudico oppoſitum, Parochum non Sacerdotem poſſe validè matrimonio aſſiſtere. Ita Sanchez cum plurimis *lib. 3. diſput.* 20 *num.* 3. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. de cenſuris diſput.* 25. *ſect.* 3. *num.* 17. & 18. Henriquez *lib.* 11. *de matrimonio cap.* 3. Coninchius *diſput.* 27. *dub.* 2. *num.* 21. Baſilius Ponce *lib.* 5. *c.* 17. *num.* 1. Emanuel Sa *verb. matrimonium, num.* 1. Gaſpar Hurtado *diſput.* 5. *difficultate* 7. & non pauci alij Theologi. Probatur *primò*, quia Tridentinum faciens mentionem ſæpe Parochi, non meminit Sacerdotis. At ſi Concilium voluiſſet in Parocho eam qualitatem, ſanè illam expreſſiſſet; ſicut in aſſiſtente matrimonio ex Parochi licentia id expreſſit; maximè cùm res hæc grauiſſima ſit, & ad matrimonij valorem neceſſaria. *Secundò* Parochus adhuc non Sacerdos poteſt omnia quæ Sacerdos, præter ea quæ pendent à poteſtate Ordinis: ſed aſſiſtere matrimonio non eſt actus Ordinis, cùm non ſit pendens ab illo, neque enim eſt conſecratio, nec abſolutio; ergo. *Tertiò*, nullum eſt caput, ex quo poſſimus deducere hanc neceſſitatem Sacerdotij in Parocho. Non enim colligitur ex verbis quæ prolaturus eſt, cùm illa non ſint de ſubſtantia matrimonij, neque etiam ex iuriſdictione; nullam enim propriè in matrimonij exercet Sacramento, in quo non eſt miniſter, ſed teſtis. Ex alia parte, quamuis Sacerdos non ſit, Parochi munus, & nomen, & auctoritatem verè retinet, & propriè, ſolumque exigit Concilium præſentiam proprij Parochi. Igitur dicendum eſt qualitatem Sacerdotij in eo non requiri. Tandem de hac re iam datur declaratio Eminentiſſimorum Cardinalium ſuper Concilium: nam inter nouiſſimas Rotæ deciſiones, quas cum declarationibus Concilij, excuſit Farinacius *deciſione* 70. ſic habetur Prima Decembris 1593. Congregatio Concilij cenſuit, matrimonium contractum coram Parocho non Sacerdote valere.

Ad argumenta contraria.

4 Ad primum, dico, dictionem illam, *alio*, non ſemper denotare perſonam antecedentem eſſe ſimilis qualitatis: non enim particula, *alius*, ſemper eſt ſimilitudinis nota, vt conſtat ex illo Lucæ 23. *Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo.* Tunc verò eſt diſſimilitudo, quando ratio ſubiectæ materiæ id ſuadet: vt contingit in caſu præſenti; nam Parochus non Sacerdos poteſt exercere omnia Parochi officia & munia, quæ poteſtate ordinis non indigent. Quare ex illa particula, vel alio Sacerdote, non infertur ſufficiens fundamentũ ad corrigendum totum ius quòd ad obeunda munera ab Ordine non pendentia, non deſiderant in Parocho Sacerdotium. Non igitur relatiuum illud, *alio*, refert omnem conditionem, ſeu qualitatem perſonæ, cum nomen Sacerdotis non præcedat, ſed ſequatur. Vnde cenſeo idem velle Concilium illa particula, vel alio Sacerdote, ac ſi diceret, vel aliquo Sacerdote.

5 Ad ſecundum, dico illud argumentum eſſe pro nobis. Nam in primis ex illis verbis per ſe, vel per alium Sacerdotem, in rigore non probatur exigi Capellanum eſſe Sacerdotem; quia clauſula illa Capellaniæ disiunctiuè poſtulat, vt ſacra celebrentur per Capellanum, vel per alium Sacerdotem: ad veritatem autem disiunctiuæ ſufficit alteram partem verificari. Sic colligitur ex regula 70. *in alternatiuis, de regulis iuris in* 6. Vbi ſic dicitur, in alternatiuis, debitoris eſt electio, & ſufficit alterum impleri. Quod probat Gloſſa *ibi* exemplo debitoris, qui promiſit dare equum, vel ſoluere decem ſcuta, non poteſt compelli, vt ſoluat decem ſcuta, nec vt det equum, niſi disiunctiuè vnum, vel alterum ipſorum; & eſt in electione debitoris ſoluere decem ſcuta, vel dare equum. Prædicta autem regula, & exemplo firmo magis noſtram ſententiam: nam Tridentinum disiunctiuè poſtulat præſentiam Parochi, aut alterius qui Sacerdos ſit; ad veritatem autem disiunctiuæ ſufficit alteram partem verificari, vt dixi; ergo ſatisfacit Concilio, ſi Parochus non Sacerdos, vel alius Sacerdos de eius licentia aſſiſtat. Præterea dico, etiamſi verum eſſet antecedens illud de Capellania, adhuc non eſſet idem dicendum in præſenti caſu; quia illic non ſunt coniecturæ contrariæ menti teſtatoris: hîc autem ſunt contrariæ menti, & intentioni Tridentini, vt conſtat ex probationibus noſtri dicti: & maximè roboratur doctrinâ ab omnibus communiter recepta, Parochum non Sacerdotem poſſe exercere omnia Parochi munia, quæ poteſtate ordinis non indigent: & poſſe quoque licentiam dare miniſtrandi Euchariſtiam; non obſtante eo quod habetur *Clementina* 1. *de priuilegiis*, non licere Religioſo miniſtrare Euchariſtiam abſque licentia Presbyteri parochialis. Quoniam Doctores interpretantur id eſſe modum loquendi, quia communiter Parochi Sacerdotes ſunt. Hinc autem efficax efformatur argumentum; nam ſi cùm textus expreſsè qualitatis Sacerdotij meminit, declaratur piè non exigi eam qualitatem, vt Parochus prædictam licentiam concedat, ne iura corrigantur, quæ non petunt Sacerdotium in Parocho obeunte munera poteſtatis iuriſdictionis; à fortiori cùm Tridentinum eius qualitatis nullam mentionem fecerit, dicendum eſt eam non deſiderari.

Ad tertium concedo vnam partem alternatiuæ dubiæ declarari per alteram, niſi aliæ coniecturæ vrgeant fortiores, vt alter declaretur. Sic verò contingit in præſenti caſu.

Ad quartum, negatur antecedens; nam incredibile videtur Tridentinum velle Parocho, qui omnia iuriſdictionis munera nondum Sacerdos exercere poteſt, hoc vnicum negare. Falſum etiam eſt Parochum non Sacerdotem non poſſe dare licentiam Religioſo miniſtandi Euchariſtiam, quam ipſe Parochus miniſtrare nequit? cùm ſit actus iuriſdictionis: Quod etiam eſt verum, etiam in ſententia contraria aſſerente illum Parochum per ſe non poſſe aſſiſtere: nam id conſtat exemplo ſacramenti Pœnitentiæ: poteſt enim ex vi iuris iuxta multorum ſententiam, licentiam dare aliis, vt ſuorum Parochianorum audiat confeſſiones, cùm tamen ipſe eas audire nequeat. Nec obeſt caput illud finale; nam loquitur de peccato vſuræ, quam nec ſuo nomine, nec alieno exercere poteſt Clericus; rationemque ſubdit textus, indecens eſt enim crimen ſuum commodis alienis impendere, & exercere. 6

Ad vltimum, manifeſtè eſt præclara ratio ob quam Tridentinum non reſtrinxit, vt Parochus Sacerdos ſit, prout fecit in alio de licentia Parochi aſſiſtente matrimonio; quia nimirum cum ea re ſolum exigat Tridentinum teſtimonium fide dignum, dignitas beneficij parochialis efficit, vt iure ac meritò ſit Parocho fides adhibenda: quæ dignitas cum alteri non Parocho deficiat, voluit Concilium eum ſuppleri Sacerdotali dignitate.

Circa ſecundum, non deſunt graues Doctores, 7 inter

Digitized by Google

inter quos Petrus de Ledeſma *de matrimonio queſt. 45. art. 5. p. 3. dub. 1. concluſione 5* dicentes Parochum non Sacerdotem, ſi matrimonio aſſiſtat, peccare aſſiſtendo, quia eſt cauſa cur dubitare queat de valore matrimonij; & dat occaſionem coniugibus poſtea litigandi, quæ ſunt grauiſſima damna. Firmatur, quia Parochus non Sacerdos non poteſt ſponſos benedicere illis verbis, Ego vos coniungo, &c. quæ tamen Tridentinum iubet dicto *cap. 1.* Parochum proferre.

8 Contrarium cenſeo abſolutè verum, licere Parocho non Sacerdoti aſſiſtere, cum Sanchez *diſputat. 20. citata numer.* 4. Baſilio Ponce *citat. numer.* 4. Hurtado *relato*, & aliis. Probatur *primò*, quia tametſi antiquo iure neceſſaria eſſet præſentia Parochi Sacerdotis, vt licitè fieret matrimonium; tamen decreto Tridentini, quod corrigit ius illud antiquum, non requiritur. *Secundò* & præcipuè, quia ſi talis Parochus peccaret, vel peccaret contra religionem, vel contra charitatem, vel contra aliquod irreparabile damnum. At nullo ex his modis peccat. Quod ſic oſtendo. Nam in primis non peccaret contra religionem. Quia, vt ſuppono ex materia de conſcientia, qui ſequitur opinionem probabilem, nullam facit irreuerentiam Sacramento; ſicut nec facit iniuriam legiſlatori, ſi quis ſequendo opinionem probabilem, hîc, & nunc non obligare præceptum, illud non ſeruet. Vnde perplacet mihi quod rectè notauit doctiſſimus Michaël Salon 2. 2. *quæſt. 63. art. 4. controuerſia 2. in ſolut. ad 3.* non poſſe amplecti opinionem probabilem circa formas & materias Sacramentorum, non prouenire ex defectu opinionis, nec ratione periculi, ſed quia contrauenitur præcepto vtenti forma & materia præſcriptis, & vſitatis in Eccleſia. Quare ſi in ipſis Sacramentis aliquod dubium ſe offerat, circa quod nullum ſit Eccleſiæ præceptum, quilibet poteſt relicta opinione probabiliori, ſequi probabilem, quæ verè probabilis eſt. In noſtro verò caſu, vt vidimus, multo probabilior eſt opinio aſſerens eſſe validum matrimonium, tametſi aſſiſtat Parochus non Sacerdos. Firmat hoc idem noſter Vaſquez *tom. 1. in 1. 2. diſputat. 63. cap. 2.* vbi latè oſtendit, ſi non obſtet Eccleſiæ vſus, & conſuetudo recepta, & in adminiſtratione Sacramenti ſit varietas opinionum probabilium, ſiue circa materiam, ſiue circa formam, licitum eſſe ſequi opinionem probabilem; & ex illa colligere iudicium conſcientiæ, quod liceat ita adminiſtrare Sacramentum, etiam pro parte minus tuta, in qua poteſt eſſe periculum efficiendi irritum Sacramentum, aut effectum illius, ſi præcisè attendamus ſolùm reuerentiam debitam Sacramento ex virtute religionis. Quia non videtur maior ratio ob quam in Sacramentorum adminiſtratione debeamus ſequi partem tutiorem, & non ſufficiat ſequi probabilem, quàm in qualibet alia materia, in qua ſufficit ſequi probabilem, & ex illa iudicium conſcientiæ rectum deducere ad operandum. Nam ſi ratio probabilis aſſerit non fieri irritum Sacramentum, probabiliter etiam ſequitur, eo modo ritè, ac rectè adminiſtrari; ergo non erit contra prudentiam & religionem ex hac opinione colligere iudicium ſingulare, quo credamus licere nobis adminiſtrare eo modo Sacramentum. Et hoc præſertim vim habet, ſi opinio illa probabilis, ſit propria eius qui adminiſtrat Sacramentum: quia neminem obligat prudentia vt cum euidentia ſemper operetur. Quod autem in re ipſa forſan fiat irritum Sacramentum, aut ſine effectu, ſi adminiſtretur ſecundùm eam opinionem, non videtur irreuerentia moralis, quæ operanti imputetur, quando ille qui adminiſtrat, probabiliter, & ſecundùm rationem exiſtimat non fieri irritum: ſicut etiam cùm ſunt variæ opiniones de obſeruatione alicuius alterius præcepti, non fit irreuerentia, nec cenſetur tranſgreſſio, operari ſecundùm opinionem probabilem minus tutam, cum qua eſt periculum faciendi aliquid quod reipſa vetitum ſit. Præterea quòd non peccet contra charitatem videtur manifeſtum, quia non eſt Sacramentum neceſſitatis, quo proximo adhibemus certum ac neceſſarium ſalutis æternæ remedium. Quando enim vrget obligatio, qua quis ex charitate debet indigenti prouidere remedium ſalutis per Sacramenta; certum mihi videtur, neminem ſatisfacere huic obligationi charitatis ſi ſequatur opinionem probabilem, imò etiam probabiliorem minus tutam, cum poteſt tutam eligere & ſequi; quoniam obligatio charitatis & miſericordiæ hoc poſtulare videtur, vt ſi proximo poſſumus certum remedium & ſine vllo periculo adhibere, non adhibemus illud, quod forſan in re nullius erit momenti; & huic periculo re ipſa proximum exponere, vt forſan re ipſa careat remedio, nequimus. Denique quòd ex ea opinione non ſequatur damnum aliquod irreparabile coniugibus dubitandi de valore matrimonij, vel litigandi, propter defectum aſſiſtentiæ Parochi Sacerdotis, probatur, quia cùm hoc impedimentum, ſi valeret matrimonium, ſit ex ſolo iure humano Concilij Tridentini, opinio probabilis, qua viri docti exiſtimant, matrimonium aſſiſtente Parocho non Sacerdote valere, efficeret illud validum eſſe; ob legem *Barbarius. ff. de offic. prætor.* Ex qua conſtat, geſta per habentem titulum putatiuum, & communem errorem valida eſſe, & ius Pontificium ob publicam vtilitatem ſupplere eum defectum, concedendo iuriſdictionem, cùm impedimentum ſit ſolius iuris humani, & non iuris diuini, aut naturalis, vt doctè oſtendit Sanchez *lib. 3. diſputat. 22. n. 27. & ſequentibus.*

Hinc patet ſolutio ad argumentum contrariæ ſententiæ.

Ad confirmationem docet Sanchez *diſputat.* 20. 9
numer. 4. ſe non videre repugnantiam vllam, vt Parochus non Sacerdos ea verba proferat. Ego verò dico, tametſi Parochus non Sacerdos nequeat benedicere, neque ea verba proferre nomine Eccleſiæ, conſtare tamen ea non eſſe de ſubſtantia matrimonij; cuius contractus perficitur, & completur abſque illis, vt omnes fatentur: & vt infrà videbimus, ea verba omittere non eſt peccatum mortale.

Sectio IV.

An Parochus excommunicatus validè & licitè matrimonio aſſiſtat.

MAnifeſtum eſt apud omnes, Parochum ex- 1
communicatum toleratum, ſeu non denunciatum, neque notorium Clerici percuſſorem, quem poſt Conciliū Conſtantiēſe vitare non tenemur, validè aſſiſtere matrimonio, & validè conferre licentiam alteri ſacerdoti ad aſſiſtendum. Patet, quia poſt Concilium Conſtantienſe conſtat omnia geſta ab excōmunicatis, ſuſpenſis, vel irregularibus, dū non ſunt denūtiati, nec notorij Clerici percuſſores, valida eſſe, vt conſtat ex *c. ad probandum, de ſententia & re iudicata* Nā Cōcilium

directè voluit fauere fidelibus, & timoratis conſcientiis conſulere; & ideo valor abſolutionis & aliorum actuum, directè eſt ob fidelium vtilitatem, quãnis indirectè cedere poſſit in aliquod ipſorum excõmunicatorum commodum. De Parocho igitur excommunicato, non tolerato, qui talis dicitur, quando eſt denuntiatus, vel eſt notorius percuſſor Clerici, procedit controuerſia.

2 De qua *prima difficultas* eſt, an dictus Parochus validè matrimonio aſſiſtat.

Sont nonnulli, inter quos noſter Auila 2. *p. de cenſuris diſp.* 3. *dub.* 1. *concluſ.* 5. qui exiſtimant non eſſe validum matrimonium ſi celebretur coram Parocho excommunicato non tolerato.

Primò, quia actus quos excommunicatus non toleratus exercet ratione publici officij, ſunt nulli. At in matrimonio aſſiſtit Parochus ratione publici officij, & publicæ poteſtatis, quia aſſiſtit in quantum Parochus formaliter; cuius rei ſignum eſt, quòd quamuis loco Parochi adhibeantur mille teſtes, non valebit matrimonium.

Secundò, contractus in quibus requiritur ſecundùm Ius de ſubſtantia præſentia tabellionis, ſunt inualidi, ac nulli, ſi tabellio ſit excommunicatus non toleratus. Igitur cùm de ſubſtantia matrimonij requiratur poſt Tridentinum præſentia Parochi, ſi iſte ſit excommunicatus non toleratus, erit nullus.

Tertiò, ideo teſtes tametſi ſint excommunicati non tolerati, non inualidant matrimonium coram illis celebratum, quia non aſſiſtunt vt perſonæ publicæ, neq; ratione publici officij, ſed vt perſonæ priuatæ. At Parochus aſſiſtit vt perſona publica habens dignitatem iuriſdictionis; ergo.

3 Oppoſita ſententia verior eſt, quam tenent Salzedo, Henriquez & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.* 3. *diſputat.* 21. *num.* 4. Coninch *diſp.* 27. *dub.* 2. Hurtado *diſp.* 5. *difficultate* 8 *num.* 26. Suarez *tom.* 5. *de cenſuris*, *diſputat.* 51. *num:* 2. Baſilius Ponce *lib.* 5. *cap.* 17. *num.* 6. & alij. Iuxta quam

4 Dico *primò*, Parochum excommunicatum non toleratum validè matrimonio aſſiſtere. Ratio eſt, quia in primis matrimonio aſſiſtere non eſt propriè actus iuriſdictionis, patet quia nullus actus ſiue Ordinis, ſiue poteſtatis iuriſdictionis validè poteſt fieri ab omnino inuito, & contrariam habente intentionem, vt conſtat etiam ex *l. non omnis, initio ff. de reb. credit.* At præſentia Parochi omnino inuiti, & contrariam intentionem habentis, ſufficit ad valorem matrimonij, vt infrà dicemus. Præterea, matrimonio aſſiſtere, propriè non eſt actus teſtis. Patet, tum quia Tridentinum deſignat Parochi præſentiam, tamquam quid diſtinctum à duobus vel tribus teſtibus, quos etiam poſtulat: non enim dicit coram Parocho, & aliis duobus, aut tribus teſtibus, ſed coram Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus, abſque particula, *aliis*; quæ relatiua eſt. Tum etiam, quia aſſiſtere propriè non eſt teſtificari, ſed tantùm eſt actus præbens auctoritatem matrimonio, ratione cuius ſit conſcius, & potens teſtificari. Igitur quamuis excommunicatus non toleratus nequeat actum iuriſdictionis Eccleſiaſticæ validè exercere, & quamuis nequeat validè teſtificari; poterit tamen validè matrimonio aſſiſtere: quia excommunicatus non toleratus, ſicut non priuatur auctoritate Parochi; non enim parochia priuatur, ſed manet in poſſeſſione, & verus Parochus eſt; ita nec priuatur poteſtate aſſiſtendi. Firmo, quia cùm conſtet iure nouo Tridentini præſentiam Parochi eſſe inductam; ſtandũ eſt tantùm his quæ Conciliũ diſponit. At Cõciliũ nihil tale diſponit. Quare ſicut matrimonium contractum ab ipſis excommunicatis validum eſt, licèt Eccleſia potuiſſet conſtituere vt illud eſſet nullum, ſi nimirum ſtatuiſſet excommunicationem eſſe inhabilitatem ad contrahendum, ſicut ſtatuit conſanguinitatem, verbi gratia, inhabilem reddere; ita ſimiliter cùm de facto Eccleſia non conſtituat Parochum excommunicatum præſentem matrimonio illud inualidate; non enim inuenitur tale decretum in aliquo iure antiquo, nec nouo, dicendum eſt tale matrimonium de facto validum eſſe.

Ex quo bene infertur Parochum excommunicatum non toleratum matrimonio aſſiſtentem, non effici irregularem, vt rectè notauit Suarez *diſputat.* 11. *relata, ſect.* 3. *num.* 17. Tum, quia illa aſſiſtentia non eſt adminiſtratio ſacramenti, neque alicuius cerimoniæ ſacræ. Tum etiam, quia ex vi ordinationis Concilij, ad illum aſſiſtendi actum non eſt neceſſarius aliquis actus Ordinis; nam Parochus non ordinatus poteſt inter ſe, vt conſtat ex *præcedenti ſectione.*

Dico *ſecundò*, idem dicendum, tametſi Parochus ſit etiam ſuſpenſus, & irregularis. Ita DD. ſuprà relati. Ratio eſt eadem, quia præſentia Parochi requiritur in matrimonio, quaſi auctoritatem præſtans illi, per poteſtatem quam habet vt perſona publica, ſeu vt Parochus. At Parochus tametſi ſuſpenſus ſit, ac irregularis, dum parochia non priuatur, manet in poſſeſſione, & verus Parochus eſt; ergo ſufficiens eſt ad valorem matrimonij. 5

Dico *tertiò*, Parochum ſacramentorum adminiſtratione interdictum, validè quoque matrimonio intereſſe. Sic Rota *in nouiſſimis tom.* 1. *deciſione* 429. & 750. Ratio eſt, quia eſt verè Parochus, ac verè retinet parochiæ titulum. Quod etiam eſt verum, tametſi eſſet Parochus ad Epiſcopi nutum amouibilis. Ita declararunt Eminentiſſimi Cardinales, vt refert Petrus de Ledeſma, *de matrimonio q.* 45. *a.* 5. *fol.* 190. Quia nimirum, non eo ipſo quòd peculiari præcepto interdicitur Parocho ne aliquos matrimonio coniũgat, cenſendus eſt poteſtate Parochi eſſe priuatus. 6

Dico *quartò*, non ſolùm valere matrimonium quoad eius ſubſtantiam aſſiſtente Parocho excommunicato, ſuſpenſo, & irregulari; ſed etiam ſolemnem benedictionem, quæ in Templo dari ſolet coniugatis, ſi ab ipſo daretur, eſſe ratam. Ita Suarez *ſect.* 3. *citat. n.* 9. ex Sylueſtro, Angelo; & Tabiena. Ratio eſt generalis, quia ea omnia quæ iuriſdictionis actum non requirunt, ſed ſolùm ſacerdotalem, vel Epiſcopalem Ordinem, valida ſunt, ſi miniſter talem Ordinem habeat, & in reliquis debitum ſeruet ritum, etiamſi excommunicatus ſit, vel ſuſpenſus. Nihil enim excommunicatio aufert, quod ſit de neceſſitate huiuſmodi actionum, etiamſi illas prohibeat, quia non ſunt actiones, quæ ab actu iuriſdictionis pendeant, neque ex bonitate operantis, aut honeſtate ſuæ actionis. Hac enim de cauſa Doctores communiter docent valida eſſe Sacramenta collata ab excommunicato non tolerato, quando iuriſdictionem non requirunt. Vnde licèt potuiſſet Eccleſia prædictam benedictionem factam à Parocho excommunicato non tolerato irritare, quia ſunt ſacramentalia quædam ex inſtitutione Eccleſiæ pendentia; tamen de facto non conſtat hoc feciſſe, neque in decretis ſunt aliqua verba, quibus ſignificetur talem benedictionem irritam eſſe. 7

Dico *vltimò* cum communiori ſententia, prædictum 8

ctum Parochum excommunicatum non toleratum propter vſum, ſeu exercitium dictæ ſolemnis coniugum benedictionis fieri irregularem. Ratio eſt, quia vt ſuppono ex materia de cenſuris, propter omnem vſum ordinis, præſertim ſacri, etiamſi ſit accidentarius, & ſecundarius, incurri irregularitatem, dummodo tam grauis ſit, vt ad peccatum mortale contra cenſuræ prohibitionem ſufficiat. At illa ſolemnis coniugum benedictio eſt materia grauis, & ſufficiens ad peccatum mortale contra cenſuræ prohibitionem, quia eſt publicum, & ſolemne miniſterium Sacerdotale plures continens orationes, & benedictiones; eſt etiam grauis communicatio in Diuinis cum actiuo vſu, ſeu miniſterio proprij ordinis Sacerdotalis; ergo.

Ad argumenta contraria.

Ad primum, dico maiorem illam eſſe veram, quando illi actus requirunt iuriſdictionis actum, & non alio modo. At aſſiſtentia Parochi non eſt actus eius, vt ordinem, vel actualem iuriſdictionem, ſeu vſum iuriſdictionis habens; ſolùm enim eſt actus Parochi, vt eſt perſona publica pollens ea dignitate, & ideo illum ſemper validè poteſt præſtare, dum non priuatur parochia, ſeu Parochi officio.

Ad ſecundum reſpondeo propoſitionem illam de præſentia tabellionis excommunicati eſſe dubiam, teſte Suarez *tom. 5. de cenſuris diſp. 16. ſect. 5.* & ſolùm pro foro externo eſſe veram, non pro interno. Vnde docet valere in conſcientia acta tabellionis excommunicati de rigore iuris, tametſi ex conſuetudine ob opinionem communem Canoniſtarum cenſeat in foro externo non valere. Quòd ſi illa maior admittenda eſt, ideo certè, quia vt putant aliqui, datur ius annullans eos actus tabellionis. Quod non ita eſt in noſtro caſu, cùm Tridentinum ſolùm petat præſentiam Parochi, qui talis eſt. Vnde parum refert quòd ſit excommunicatus etiam vitandus.

Ad tertium dico excommunicatum non toleratum non poſſe licitè eſſe teſtem, niſi in aliquibus caſibus fauorabilibus. Eiuſmodi eſt cauſa fidei *cap. in fidei fauorem, de hæreticis in 6.* & etiam eſt cauſa fauorabilis cõtractus matrimonij, ex *c. fin. de ſent. & re iudicata.* Certum autem mihi videtur, ſi excommunicatus vitandus ex conſenſu vtriuſque partis admittatur, iudice non repugnante, validum eſſe eius teſtimonium: quia tametſi ius præcipiat repelli teſtimonium excommunicati; non tamen irritat omnino eius teſtimonium. Nec ſunt in iure aliqua verba, quibus hoc ſatis ſignificetur. Si ergo aliunde partes in eo conſentiant, non eſt, vnde fiat irritum matrimonium.

9 *Secunda difficultas* eſt, an licitè & abſque peccato poſſit Parochus excommunicatus non toleratus, aſſiſtere matrimonio.

Qua in re certum videtur apud Doctores, non peccare, quando in articulo mortis, eſſet neceſſarium aſſiſtere, ſicut docent Doctores de excommunicato Sacerdote, qui in articulo extremæ neceſſitatis miniſtrat pœnitentiam. Poteſt enim eiuſmodi caſus euenire, in quo moraliter neceſſarium ſit, vel ad ſpiritualem ſalutem hominis morientis, vel ad magnum commodum temporale filiorum, vt in articulo mortis vxorem ducat, quam vſque ad illud tempus in concubinam habuerat, & quòd nullus alius Sacerdos adſit, vel Parochus, niſi excommunicatus, qui intereſſe poſſit. In eo certè caſu quantum eſt ex parte cenſuræ, non dubito quin licitè poſſit huiuſmodi Sacerdos adeſſe tali matrimonio. Patet. Tum quia neceſſitas eſt moraliter grauiſſima, & ita habet locum illa particula, *neceſſe.* Tum etiam, quia ille Sacerdos tunc reuera non miniſtrat Sacramentum, ſed ſolùm adeſt vt perſona publica iure Eccleſiaſtico neceſſaria ad valorem talis contractus, & conſequenter ad ſubſtantiam Sacramenti. Et ideo per ſe non videtur illa communicatio adeò grauis, quin propter talem neceſſitatem liceat. Similiter etiam Parochus excommunicatus vitandus excuſaretur à peccato, aſſiſtens matrimonio, metu mortis incurſo; vt rectè notauit Baſilius Ponce *lib. 5. cap. 17. num. 12.* & Vaſquez *de excommunicatione dubio 7. num. 16.* Quia quamuis ſit lege diuina poſitiua prohibita communicatio in Sacris cum tanto excommunicato; non tamen ſemper obligat cum diſpendio: dummodo non ſit contemptum fidei, nec cum iniuria Sacramenti. Quare ſicut Sacerdos, ait Vaſquez, ſi inopia premeretur, niſi coram excommunicato celebraret; vel metus grauis illi incuteretur, dummodo non eſſet in contemptum fidei, eſſet ſanè licitum celebrare coram excommunicato; ita etiam à fortiori licitum erit Parocho excommunicato aſſiſtere matrimonio ob metum mortis incuſſum. Difficultas igitur ſolùm procedit, an talis peccet aſſiſtens matrimonio abſolutè, nulla vrgente neceſſitate, nec vlla vi illata, nec metu graui incuſſo.

Noſter Sanchez *lib. 3. diſput. 21. num. 8.* Hurtado *diſput. 5. difficultate 8. num. 28.* & alij exiſtimant non peccare aſſiſtendo matrimonio. Probant, quia cùm ſpectet ad ſuum munus, communicat in re neceſſaria; nec exercet actum iuriſdictionis, etiam cum benedicit ſponſos. Et quamuis videatur actus iuriſdictionis benedicere ſponſos, non tamen excedit venialem culpam, quia in nullius eſt præiudicium, & res eſt parui momenti, nec neceſſaria ad Sacramentum; & ſi omitterentur illa verba, tantùm eſſet veniale. Et tantùm peccat mortaliter excommunicatus vſurpando iuriſdictionem, quando immiſcetur aliqua iniuſtitia; quæ in noſtro caſu nulla committitur.

Baſilius verò Ponce *capit. 17. citat. numer. 11.* opinatur Parochum excommunicatum aſſiſtentem matrimonio peccare grauiter, ex vi iuris, in quo prohibita eſt excommunicato ipſa communicatio cum fidelibus; & ibi eſt communicatio in re adeò graui, & ſacra.

Dico *primò*, Parochum excommunicatum, etiam non toleratum licitè aſſiſtere contractui matrimonij præcisè. In hoc conuenio cum Doctoribus primę ſententiæ contra Baſilium. Moueor, quia licèt communicet in re ſacra cum aliis, id tamen præſtat ob vtilitatem, imò ob neceſſitatem contrahentium, quia abſque eo, vel abſque eius licentia contrahere nequeunt. Vnde nec ipſi contrahentes peccant, dum coram illo contrahunt. Firmo hoc doctrina communi Doctorum in materia de cenſuris. Vbi inter caſus, in quibus licitum eſt cõmunicare cum excommunicato non tolerato, ponitur vtile, & neceſſe; & ipſum neceſſe coincidit non parum cum vtili. Per illud autem vtile, intelligitur ſpiritualis propria vtilitas communicantis cum excommunicato; vnde poteſt aliquis illi conſulere quod conuenit eius ſpirituali ſaluti. Propter vtilitatem quoque temporalem licet communicare cum excommunicato non tolerato; ac proinde fideles licitè poſſunt petere conſilium temporale à tali excommunicato, dummodo non ſit alius à quo poſſit ęquè bene petere. Vnde propter neceſſitatem temporalem tam ipſius excommunicati non tolerati, quàm aliorum non excommunicatorum, licitum eſt communicare cum non 10

tolerato. Nec verò requiritur vt ſit neceſſitas extrema, vel grauis, ſed ſufficit quòd verè indigeat, ita vt non poſſit commodè illi aliter ſubueniri. Maior autem videtur vtilitas, & neceſſitas contrahentium, quã memorata, cum nequeant contrahere abſque proprio Parocho, vel abſque eius licentia. Igitur licitè poteſt Parochus non toleratus aſſiſtere contractui matrimonij de præſenti.

11 Dico *ſecundò*, Parochum excommunicatum non toleratum grauiter peccare benedicendo ſponſos ſolemni benedictione. In hoc conuenio cum Baſilio. Ratio eſt, quia ex vi iuris prohibita eſt ſub graui culpa excommunicato, communicatio cum fidelibus in diuinis Officiis. At benedictio coniugum ſolemnis ſub nomine diuini Officij comprehenditur, non ſecus ac benedictio ſolemnis aquarum, oliuarum, aut cãdelarum. Hæc enim omnia dicuntur diuina Officia, quæ ſunt própria alicuius Ordinis clericalis, & ita inſtituta ſunt, vt à miniſtro publico Eccleſiæ ad illud opus conſecrato fieri ſolemniter debeant. Igitur grauiter peccat Parochus excommunicatus non toleratus, ſolemniter benedicendo coniugatos: nam actiones quæ per ſe primò & directè prohibentur excommunicatis, ſunt hæ ſacræ, & publicæ. Eſt etiam hæc materia ex ſe grauis, & magnam habens deformitatem, magnum fidelibus inferens ſcandalum; nam excommunicatus, præſertim non toleratus, eſt quaſi membrum abſciſſum ab Eccleſia, & ideo abſurdum eſt quòd ad ſacras & publicas functiones peragendas ſe ingerat.

Obiicies, conceſſo principali, concedi quoque acceſſorium; ſicut conceſſo Baptiſmo, conceditur eius ſolemnitas: ſed Parocho excommunicato etiam vitando conceditur licitè aſſiſtentia eius ad Sacramentũ matrimonij peragendum, quantum ad eius ſimplicem contractum; ergo etiam licita illi erit benedictio nuptiarum. Reſpondeo maiorem illam eſſe veram, quãdo acceſſorium ſolet immediatè aſſociari principali, vt cõtingit in Baptiſmo, qui extra neceſſitatem nunquam adminiſtratur ſine prædicta ſolemnitate; nam hæc ſolemnitas pertinet ad decentem adminiſtrationem ipſius ſubſtantiæ matrimonij. At verò ſolemnis benedictio nuptiarum non eſt annexa matrimonio, tanquam quid præuium, vel immediatè ſubſequens; nec eſt introducta ad decentem celebrationem contractus matrimonij, ſed tanquam quid poſtea ſubſequens; vnde multo tempore ſubſequi ſolet poſt matrimonium contractum.

Ex dictis patet ſolutio ad argumentum Sanchez. Quamuis enim benedicere ſolemniter non ſit actus iuriſdictionis; eſt tamen communicatio in Diuinis, in Officio diuino videlicet, & publico, cum magna deformitate & ſcandalo, vt dictum eſt.

Ad argumentum Baſilij, prout opponitur noſtro primo dicto, conſtat eam communicationem fieri ob neceſſitatem & vtilitatem contrahentium; & ideo excuſare ab omni culpa.

Tertia difficultas eſt, an Parochus excommunicatus non toleratus validè & licitè concedat alteri Sacerdoti licentiam aſſiſtendi matrimonio.

12 Negant multi, inter quos Petrus de Ledeſma *de matrimonio quæſt. 45. art. 3. puncto 3. dub. 4.* Nauarrus *lib. 4. conſilio in 1. editione. ff. de ſponſal. conſil. 47. n. 6. inſ. litt. ad 3.* cùm expreſsè aſſerit, concedere alteri Sacerdoti licentiam aſſiſtendi eſſe actum iuriſdictionis voluntariæ, & noſter Coninch *diſput. 27. dub. 2. numer. 25.* Probant

Primò, eſſe actum ſuperioritatis, & iuriſdictionis, quia nemo poteſt alteri dare licentiam aliquid faciendi, niſi habeat aliquam iuriſdictioné, aut dominium, vel in eum cui dat licentiam, vel in rem circa quam dat licentiam aliquid faciendi, vt liquet in omnibus ſimilibus locutionibus.

Secundò, hæc licentia non ſolùm requiritur ne iuri ipſius paſtoris præiudicetur, ſicut requiritur licentia vt poſſit quis non ſubdito dare Extremam vnctionem, ſed vt aſſiſtens qualificetur, & idoneus fiat vt aſſiſtat. At qualificare aliquem, videtur omnino eſſe actus iuriſdictionis.

Tertiò prædicta conceſſio pertinet ad Parochum, vt Parochus eſt, ratione publici Officij, cùm nullus alius quàm proprius Parochus, quo etiam nomine intelligitur Ordinarius, eam licentiam poſſit concedere; ergo videtur eſſe actus iuriſdictionis, cùm non ſit actus ordinis.

Quartò, conceſſio licentiæ ad adminiſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ, actus iuriſdictionis eſt, vt concedunt omnes; nam ea adminiſtratio, vſus eſt iuriſdictionis. Præterea, quod magis vrget; tametſi vngere formaliter ac per ſe nõ ſit actus iuriſdictionis, ſed Ordinis; tamen dare licentiam vngendi actus eſt iuriſdictionis. Vnde hac de cauſa certum exiſtimat Suarez *tom. 5. de cenſuris diſputat 14. ſect. 1. numer. 7.* excommunicatum Parochum non toleratum non poſſe dare licentiam ad conferendum Sacramentum Extremæ vnctionis; quia licèt ad validè vngendum non ſit neceſſaria iuriſdictio; ad vngendum tamen licitè & iure neceſſaria eſt vel iuriſdictio propria, vel licentia valida ab eo manans, qui ad eam dandam vſum iuriſdictionis habeat; quem vſum non habet prædictus excommunicatus. Igitur ſimiliter dicendum tametſi matrimonio aſſiſtere non ſit vſus iuriſdictionis, dare tamen alteri Sacerdoti licentiam aſſiſtendi, actus iuriſdictionis cenſendus eſt.

Vltimò, inde colligi concedere licentiam matrimonio aſſiſtendi eſſe actum iuriſdictionis; quia etiamſi Concilium non dixiſſet, vel alio ſacerdote de ipſius Parochi licentia, adhuc potuiſſet Parochus eam licentiam concedere: ſignum igitur eſt iuriſdictionis eius eſſe, & ad illum tanquam ad Ordinarium pertinere, atque ita delegare poſſe. Si enim id non pertineret ad iuriſdictionem, nullo modo poſſet. Nam procurator datus ad contrahendum matrimonium nõ poteſt ſubſtituere, niſi ſpecialiter ſibi concedatur, vt conſtat ex *cap. finali, de procur. in 6.* ergo dare illam licentiam ad iuriſdictionem ſpectat.

Dico *primò*, prædictum Parochum excommunicatum validè licentiam conferre Sacerdoti vt matrimonio aſſiſtat. Ita Henriquez *lib. 11. de matrimonio cap. 3. numer. 3.* Sanchez *diſput. 21. numer. 7.* Baſilius Ponce *cap. 17. numer. 14* Emanuel Sà *verb. matrimonium n. 1.* Hurtado *difficult. 8. numer. 27.* Roſellus *lib. 2. q. 8* & alij Moueor, quia collatio dictæ licentiæ non eſt actus iuriſdictionis, qualis eſt licentia audiendi confeſſiones; quoniam non eſt inſtitutio iudicis, ſed eſt tantùm quędam deſignatio ſpectatoris matrimonij, vt poſſit de eo teſtificari, facta ex ordinatione Tridentini, à quo Sacerdos, dicta deſignatione ſuppoſita, accipit poteſtatem ad id, & non à Parocho. Vnde collatio dictæ licentiæ non eſt actus poteſtatis Parochi, vt Parochus eſt, ſed eſt actus auctoritatis à Tridentino annexæ Officio Parochi. Firmo, quia Parochus expreſsè accepit eam facultatem à Tridentino, quod certè opus non eſſet, ſi foret actus iuriſdictionis, cùm totam hanc habeat iam à iure antiquo, & ex ſuo Officio, atque adeo tanquam ordinarius poſſit alium delegare, vt in cæteris fit. Solùm igitur eſt ſubſtitutio poteſtatis ſibi datæ à Tridentino, nempe deſignatio ſpectatoris matrimonij, vt poſſit de eo teſtificari; ergo nihil obeſt quod Parochus ſit excommu- 13

nicatus

nicatus vt talem licentiam concedat: nam talis conceſſio non eſt actus Parochi formaliter in quantum habet iuriſdictionem, ſed in quantum eſt perſona qualificans matrimonium ſua aſſiſtentia, ſimul habens facultatem ſubſtituendi ad eundem actum. Quare ſicut ſi quis haberet mandatum ad contrahendum nomine alterius eum poteſtate ſubſtituendi, & ſubſtitueret, certè illa ſubſtitutio eſſet quidem actus poteſtatis ſubſtituendi, non tamen eſſet actus iuriſdictionis, vt conſtat, vnde validè ab excommunicato non tolerato fieret; ita pariter in præſenti validè conceditur ea licentia à Parocho non tolerato. Hine

14 Dico *ſecundo* Parochum excommunicatum non toleratum non tantùm validè, ſed etiam licitè conferre licentiam prædictam. Ratio eſt, quia tameſi det facultatem illam, at ibi, vt ſæpe dictum eſt, nullam exercet iuriſdictionem; & id efficit ob vtilitatem, imò ob neceſſitatem contrahentium, qui nequeunt matrimonium contrahere abſque eo, vel abſque eius licentia, vt liquet.

Ad argumenta contraria.

Ad primum negatur antecedens; nam conſtat ſine vlla iuriſdictione conferri poteſtatem procuratori, & mandatum ad contrahendum nomine alterius, etiam cum poteſtate ſubſtituendi; idem ergo dicendum in præſenti.

Ad ſecundum dico ſequiri ex Tridentino eam licentiam, vt aſſiſtens qualificetur, vt poſſit eſſe teſtis; non verò vt exerceat aliquem iuriſdictionis actum, cùm nec ſit miniſter illius ſacramenti, ſed ſolùm numerus aſſiſtens dans auctoritatem contractui matrimonij.

Ad tertium, reſpondeo prædictam conceſſionem non pertinere ad Parochum ex vi ſui officij, & ſuæ iuriſdictionis; hanc enim totam habet ex ſuo officio, & à iure antiquiori ante Tridentinum, tanquam paſtor ordinarius; habet ergo illam ex vi ſpecialis facultatis à Tridentino collatæ ad valorem matrimonij; annexuit enim Tridentinum hanc poteſtatem, & auctoritatem Parocho, ratione dignitatis parochialis.

Ad quartum, conceſſo antecedente, negatur conſequentia: nam in primis ad ſacramentum Pœnitentiæ validè adminiſtrandum deſideratur poteſtas Ordinis, & iuriſdictionis; vnde Parochus concedens alteri vt poſſit illud adminiſtrare, transfundit in illum iuriſdictionem, & actum iuriſdictionis exercet. Vnde ſicut Parochus non toleratus priuatus eſt actiua illius ſacramenti adminiſtratione, ita etiam & poteſtate concedendi alteri licentiam adminiſtrandi. Similiter dico eſſe actum iuriſdictionis concedere alteri licentiam adminiſtrandi Extremam vnctionem, & ideo nequit eam dare excommunicatus non toleratus. At, ſacramentum matrimonii non petit iuriſdictionis vſum, ſed tantùm habitualem iuriſdictionem, vel dignitatem Parochi in aſſiſtente, vel licentiam aſſiſtendi datam. Quare ſicut Parochus excommunicatus non toleratus non eſt priuatus poteſtate aſſiſtendi, ita nec poteſtate prædictam licentiam concedendi.

Ad vltimum, negatur aſſiſtentiam Parochi in contractu matrimonij, & conceſſionem licentiæ alteri ſacerdoti aſſiſtendi, competere Parocho ex vi ſuæ iuriſdictionis, & ex vi ſui officij publici à iure antiquo conceſſi, nam conſtat hanc poteſtatem Parocho competere tantùm ex vi ſolius Tridentini. Quòd ſi Tridentinum non conceſſiſſet eam licentiam ſubſtituendi, nõ poſſet Parochus ſubſtituere; nam tunc cenſeretur perſonæ induſtria electa, vt maiori fide teſtimonium eſſet dignum: ſicut quando certus tabellio eligitur ad depoſitiones teſtium ſcribendas, eius fidei committens negotium, non poteſt alium ſubſtituere loco ipſius ad id peragendum, quia cenſetur electa induſtria perſonæ.

SECTIO V.

An Parochus habens titulum coloratum, & qui eſt intruſus non habens titulum, ſolo errore communi, validè matrimonio aſſiſtat, & ad id licentiam conferat.

Circa primum, de Parocho qui verè non eſt Parochus, habet tamen titulum coloratum Parochi; præmittenda eſt doctrina communiſſimè ab omnibus recepta, geſta per iudicem, aut Parochum carentem legitimo titulo, habentemque ſolum putatiuum ex communi errore quo creditur habere verum titulum, valida eſſe in vtroque foro, ex æquitate, & diſpoſitione iuris, ſupplente iure ipſius defectum, ob bonum commune & publicam vtilitatem, conferendo ei quodammodo actualem iuriſdictionem ad ſingulos eius actus, dummodo tamen materia ſubiecta ſit poteſtati humanæ Principum. Id conſtat *primò* ex leg. *Barbarius Philippus ff. de officio prætorum*. Vbi expreſsè hic caſus proponitur de Barbario. Cùm enim iſte eſſet alibi conditione ſeruus, & Romæ lateret eius conditio, & liber haberetur, promotus eſt ad præturam, cuius tamen ob illud impedimẽtum occultum ſeruitutis, erat incapax; approbata nihilominus fuerunt eius acta quæ geſſit, quandiu latuit, idque ob vtilitatem eorum qui apud ipſum egerant. Et ratio additur, quia populus Romanus, cuius auctoritate hæc dignitas collata fuerat, potuiſſet etiam ſeruo hanc poteſtatem decernere. Idem ſtatutum eſt in iure Canonico *cap. infamis* 3. q. 7. ibi: verum tamen, ſi ſeruus dum putaretur liber, ex delegatione ſententiam dixit, quamuis poſtea in ſeruitutem depulſus ſit, ſententia ab eo dicta rei iudicatæ firmitatem habet. Et ratio eſt, quia niſi huiuſmodi acta eſſent valida, magna ſequeretur in republica, & populo Chriſtiano perturbatio; omnes enim ſententiæ, collationes officiorum, & beneficiorum præſentationes, electiones, & alia huiuſmodi, deberent reſcindi tanquam inualida. Vnde prædicta doctrina locum habet, non ſolùm in foro contentioſo, ſed etiã in ſacramentali: quia licèt expreſſum ius hac de re non habeatur, id tamen intelligendum etiam eſt in aliis, vbi eſt par, vel maior ratio, vt eſt in præſenti. Nam ſuppoſita poteſtate Ordinis, in reliquis vtriuſque fori eſt paritas, nec plus requirit hoc forum quã illud; ſufficit enim vtrique eadem iuriſdictio; eadem enim ratio boni communis id poſtulare videtur: & Eccleſia defectum iuriſdictionis nõ minus hìc, quàm in foro externo ſupplere poteſt, & vult, concurrente titulo colorato, & communi errore. Quare etſi illi qui ſolùm habent titulum coloratum, poſſint generatim dici peccare vſurpatione iudicij, quia quantum in ipſis eſt, vſurpant poteſtatem quam non habent; non tamen ſententia illorum irrita eſt; quia dum hoc attentant, Eccleſia iuriſdictionem extraordinariè in ipſo actu ſuppeditat propter commune & publicum bonum. 1

Sunt verò duo obſeruanda.

Primum eſt duas conditiones concurrere debere, vt iudicis putatiui acta valeant; vnam ex parte iudicis, nimirum, vt habeat titulum; alteram ex parte populi, vt communi errore putetur legitimus ſuperior. 2

gior. Vtrumque infertur ex iuribus relatis; quibus concurrentibus, ius ipſum confert iuriſdictionem extraordinariè ad ſingulos actus, propter bonum commune. Debet autem hunc titulum habere à vero ſuperiore, vel ſaltem ab eo qui aliàs poterat illum dare, vt inſinuatur dicta lege *Barbarius*: nam approbantur acta illius, quia populus à quo habebat officium, potuiſſet ei hanc poteſtatem decernere. Et ratio eſt, quia ſi non accepit ab eo qui poterat dare, iam non habet titulus ille colorem, quo verus videri poſſit; imò non eſt titulus, cùm hic non niſi à ſuperiore dari poſſit: omnis enim iuriſdictio à ſuperiore deſcendit. Oportet etiam adeſſe communem errorem quo ille verus iudex exiſtimetur, vnde non ſufficit error vnius, vel alterius: tunc enim non ſequuntur incõuenientia, & ſcandala contra publicum bonum, ex ſententiarum reſciſſione, quibus occurrere voluit ius, quando error eſſet communis. Vnde nec ſufficit error ſolius Principis concedentis titulum, & exiſtimantis illum, cui concedit, habilem eſſe. Nec ſufficit error communis ſi craſſus ſit, vel ſupinus, ſed oportet vt probabilis ſit. Quia ille error ſcientiæ æquiparatur *cap.* 2. *de conſtitutionibus in* 6. Addo non ſolum errorem cõmunem, ſed etiam probabilem Doctorum opinionem ſufficere, vt Eccleſia det iuriſdictionem, etiam ſi fortè opinio illa falſa ſit, vt docet Henriquez *lib.* 2. *de pœnit. cap* 4. *numer.* 3. *&* 4. & optimè Sanchez *lib.* 3. *diſput.* 22. *numer.* 65. vt ſi probabile ſit talem poſſe abſoluere à reſeruatis, vel cenſuris, aſſiſtere matrimonio, excommunicare, eligere confeſſorem, priuilegium non eſſe reuocatum, & alia ſimilia; & ex illa ex hac opinione operetur, validum erit, Eccleſia ſupplente defectum, ſi fortè ſubſit. Cùm enim licitum ſit operari ex opinione probabili, ſi omnia illa eſſent irrita, grauiſſima incommoda ſequerentur.

Secundum quod obſeruari debet, eſt, prædictam doctrinam locum habere, quando impedimentum eſt iuris humani, & auctoritate humana introductum; qua auferrur etiam, ſicut introductum eſt; ideò dixi ſuprà, dummodo tamen materia ſubiecta ſit poteſtati humanæ Principum. Ratio eſt manifeſta, quia geſta prædicta valent ex æquitate iuris ita diſponentis propter bonum publicum, At æquitas iuris tantùm habere poteſt locum in his, in quibus ipſum ius humanum ſupplere defectum poteſt. Vnde fit, ſi careat iudex vſu rationis, vel furioſus ſit, nulla eius acta valere; eſt enim defectus iuris naturalis, quem nulla Principum poteſtas ſupplere poteſt. Idem eſt dicendũ, ſi non Sacerdos abſolueret, vel ordinaret. Cùm enim determinati ſint iure diuino miniſtri, & materia & forma Sacramentorum nequeât iure humano ſuppleri, aut immutari ſi deficiat id quod iure diuino conſtitutum eſt, parum prodeſt communis error. Idem eſt, ſi quis Clericus ſine intentione debita protulerit Sacramentorum formas, vel abſoluerit, vel baptizauerit, nulla ſunt ab eo collata ſacramenta ex defectu intentionis, quæ diuino iure ad conficienda Sacramenta requiritur.

5 His præmiſſis, facile conſtat, quid ſit dicendum ad primam ſectionis partem. Dicendum enim eſt, cùm Parochus titulum habet à legitimo ſuperiore collatũ, & ratione alicuius defectus occulti non eſt Parochus, certè valere matrimonium, ſi aſſiſtat. Ratio eſt, quia ſuperior doctrina procedit etiam in iis quæ geruntur ex officio publico, quamuis non ſint actus iuriſdictionis. Vt in inſtrumento tabellionis, & in electione, & præſentatione ad beneficia, & officia. Igitur & in actu quoque Parochi aſſiſtentis contractui matrimonij; quia dum adeſt communis illa ignorantia, & error, veram Parochi rationem ſortitur. Sic Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 3. *numer.* 4. Manuel 1. *tom. ſumma caſu* 29. *numer.* 8. Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. & iure cap.* 29. *dub.* 8. *numer.* 67 Coninch *diſput.* 27. *dub.* 2. *numer.* 26. Hurtado *difficult.* 8. *numer.* 29. Baſilius Ponce *lib.* 5. *cap.* 39. *numer.* 19. Sanchez *lib.* 3. *diſput.* 22. *numer.* 60. & alij. Et hoc quidem verum eſt, tametſi contrahentibus notum ſit illum vero Parochi titulo carere; quia etiam reſpectu ſcientium tituli nullitatem valent geſta, dum adeſt communis error. Valet etiam matrimonium, tametſi is cui concedit Parochus licentiam aſſiſtendi matrimonio, ſit merus laicus, ſi communi æſtimatione, & errore, credebatur Sacerdos, pro tali publicè ſe gerens. Quia quamuis Parochus nequeat dare licentiam non ſacerdoti; at concurrit titulus præſumptus, videlicet licentia, & à ſuperiori potente concedere data, eſtque communis error, & impedimentum ob quod inualida fuit, eſt ſolius iuris humani. In quo caſu, vt dixi, ius ſupplet defectũ, & geſta per talẽ valida ſunt. Sicut ſi Tridentinum diſponeret, vt ſoli Sacerdoti catholico poſſet dari licentia aſſiſtendi matrimonio, valeret vtique, ſi aſſiſteret Sacerdos hæreticus, communi errore exiſtimatus catholicus, ex licentia Parochi; quia vitium illud, ob quod licentia nulla fuit, erat ſolius iuris humani, & communiter latebat.

Circa ſecundum, maior eſt difficultas, an ad idem ſufficiat Parochus intruſus abſque titulo accepto à ſuperiore legitimo, quamuis adſit error communis. 4

Nam Baſilius Ponce *lib.* 5. *cap.* 20. probabilius putat, Parochi quoque, qui caret titulo, & eſt intruſus, ex communi tamen errore eſt putatiuus, valere geſta per eum, atque ideo validè matrimonio aſſiſtere, & dare alteri Sacerdoti licentiam aſſiſtendi loco ipſius. Probat

Primò, textu *in Authentico de tabellionibus*, ſiue *Nouella* 44. *cap.* 5. *in fine*, vbi approbatur tabellio talis ex ſolo communi errore, etiam ſine titulo à legitimo ſuperiore dato, atque adeò valent geſta à notario putatiuo, etiam ſine titulo; idem ergo erit de Parocho.

Secundò, quia tabellio ibi interdicitur delegare, quia delegatus non habet titulum, & tamen delegatio valet, & geſta per delegatum non infirmantur; ergo ſine titulo valent; ergo idem erit in Parocho.

Tertiò, fauet ratio communis vtilitatis, quæ non militat in hoc caſu plus, quàm in alio, in quo Parochus habet titulum coloratum; ergo eadem debet eſſe iuris diſpoſitio.

Vltimò, negari non poteſt, præſcriptione, ſeu conſuetudine acquiri iuriſdictionem; ergo neceſſarium non eſt ſemper illam haberi à ſuperiore legitimo.

His argumentis concludit Baſilius duo. *Primum*, tam notarium, quàm iudicem præſentatum ad beneficia, vel collationem beneficij, vel etiam electionem factam ab eo, qui eſt in poſſeſſione eligendi, aut eum actum exercendi, & communi errore ſic exiſtimatur, licèt ſit intruſus, valere omnia per eum geſta. *Secundum*, idem quoque dicendum, quoad forum internum attinet, in his quæ iure humano ſuppleri poſſunt. Quare licèt quis non ſacerdos exiſtimatus ſacerdos, inualidè abſoluat; ſacerdos tamen exiſtimatur Parochus, & intruſus verè abſoluit, & confert reliqua ſacramenta, quæ ſacerdoti iure diuino conferre licet. Vnde etiã fit, ſi quis in Parochum conſtitutus eſſet ab oppidi conſilio, & cõmuni omnium errore exiſtimaretur verus Parochus, ſacramenta ab illo adminiſtrata matrimonij & confeſſionis valida fuiſſe; aliter enim quanta animarum perturbatio ſequeretur, ſi illa fuiſſent inualida. Huic opinioni fauet Ioannes Sanchez *in ſuis ſelectis diſp.* 44. *n.* 3. *ad finem*, dum ait, vt geſta valeant tam in foro externo, quàm interno conſcientiæ

ſcientiæ, ſatis eſſe habere communem errorem, nec neceſſarium eſſe titulum collatum à ſuperiore legitimo.

5 Vera tamen eſt oppoſita ſententia, quæ eſt communior apud Theologos, & Iuriſperitos, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. 3. diſp. 22. num. 49. & 50.* docens non ſatis eſſe communem errorem, ſed neceſſarium eſſe titulum collatum à ſuperiore, quamuis inualidus ſit ob aliquod vitium occultum; atque adeò ſi quis ſine titulo, & auctoritate Superioris in officium iudicis, Parochi, aut Confeſſoris ſe intruſit, licèt communis error facti accedat, geſta per illum ad vtrumque forum ſpectantia inualida eſſe: ac proinde matrimonium contractum coram Parocho intruſo, & non conſtituto à ſuperiore legitimo non valere, & ſimiliter licentiam ab illo conceſſam inualidam eſſe. Moueor ex *l. Barbarius*, & ex *cap. infamis*, ſuprà relatis. Nam prædicta iura expreſsè aiunt adfuiſſe ibi auctoritatem eius qui poterat dare officium vel poteſtatem; ergo ſine tali titulo collato non ſufficit illi communis populi error. Quod magis conſtabit ex ſolutionibus argumentorum, quæ à contrariis allata ſunt.

Ad primum, falſum eſt, tabellionem ſine titulo eſſe verum tabellionem, & geſta per ipſum valere. Ibi verò ſolùm dicit Gloſſa, non ex eo quòd tabellio perdat officium ob aliquod delictum, debere vitiari eius inſtrumenta, niſi quando perdit titulum. Quod contingit quando per ſententiam iudicis propter tale delictum priuatur titulo; tunc enim perdit titulum, & poſtea per ipſum geſta inualida ſunt. At ibi in eo caſu, adhuc tabellio non erat priuatus titulo per ſententiam iudicis, atque ideo verum retinebat titulum, eratque verus tabellio, ac proinde geſta per ipſum valebant.

6 Circa ſecundum argumentum, duo ait Baſilius relatus *n. 5.* contra noſtrum Thomam Sanchez. *Primum* illius vim non omnino percepiſſe. *Secundum*, in eo ſibi ipſi repugnare. *Primum* oſtendit explicando vim argumenti hoc pacto. Tabellioni per eam Iuſtiniani Nouellam interdictum eſt delegare, atque ita interdictum, vt omnino priuatus ſit poteſtate delegandi; ergo idem iudicium de illo eſt, quoad delegationē, ac ſi intruſus delegaret; & de delegato idem iudicium faciendum erit, atque de eo, qui nullum titulum à ſuperiore habet. *Secundum* oſtendit, ſic dicens. Cùm ideo Thomas Sanchez *num. 51.* proferat hæc verba. Idem diceret quando verus Superior delegaret caſu quo verè delegare non poſſet; nam tunc geſta per delegatum, non obſtante communi errore, eſſent inualida, eo quòd deficit titulus collatus ab habente poteſtatem. Hæc ibi. Quomodo ergo iſte auctor ſui oblitus pauciſſimis interiectis lineis, videlicet *num. 54.* ſcribit delegatum tabellionis habuiſſe auctoritatem à vero tabellione, in caſu dictæ Nouellæ, & quamuis illi interdictum ſit, ne delegaret, valere tamen delegationem. Ecce verum tabellionem, & in caſu quo verè delegare non poteſt, & tamen delegatio valet, & geſta per delegatum non infirmantur, vt idem affirmat. Eſt ergo opinio Sanchez & contra textum, & ſibi ipſi parum conſona. Hactenus Baſilius Ponce.

Cæterùm immeritò hic auctor carpit in prædictis duobus noſtrum Thomam Sanchez. Patet, quia in primis mentem, & vim textus illius Nouellæ plenè intellexit. Nam tabellioni, tametſi per illam Iuſtiniani Nouellam fuerit interdictum delegare; non tamen erat priuatus poteſtate delegandi, nec titulo per ſententiam iudicis, atque adeò adhuc manebat verus tabellio, & cum vero titulo, ac poteſtate, ac proinde etiam delegatus ille habuit auctoritatem à vero tabellione, licèt interdicto, habente poteſtatem; & inde eſt vt valuerit delegatio eius. Præterea optimè dixit Sanchez iuxta ſua principia *num. 51.* ſi error communis ſit in perſona delegantis, qui exiſtimabatur communi errore verus Prælatus, cùm tamen intruſus eſſet abſque ſuperioris auctoritate, geſta per delegatum eſſe irrita; quia caret titulo collato à legitimo Superiore. Optimè quoque dixit, idem dicendum quando verus Superior delegaret, caſu quo verè delegare non poſſet: nam tunc idem iudicium ferendum eſt quoad delegationem, ac ſi intruſus delegaret. Denique huic doctrinæ non obſtitit, cùm dixit Sanchez *num. 54.* illum delegatum habuiſſe auctoritatem à vero tabellione habente poteſtatem delegandi, & ideo valuiſſe delegationem. Igitur manifeſtè liquet noſtrum Doctorem ſibi ipſi non repugnaſſe, & confirmationem illam rectè fuiſſe ab illo ſolutam. Atque hac doctrinâ, quàm veriſſimam iudico, manet quoque ſolutum argumentum ſecundum.

Ad tertium dico, eandem perturbationem ſequi 7
quoque ſi Parochus ſine intentione miniſtret. In quo caſu certum eſt Sacramenta Baptiſmi & confeſſionis, & alia non valere, etiamſi adſit communis error. Quare ſicut intentio in Sacramentis iure diuino requiritur; ita iure humano non applicatur iuriſdictio, vel valor materiæ, niſi adſit titulus collatus à legitimo ſuperiore. Quando autem eſt titulus, & adeſt error communis, ius facit quod poteſt ad euitandam totam perturbationem.

Ad vltimum de præſcriptione, conſtat in primis, præſcriptionem propriè eſſe dominij acquiſitionem, vel alieni iuris peremptionem per continuationem temporis lege definiti. Ad quam, vt docent Doctores, requiritur ordinariè titulus probabiliter præſumptus, id eſt, qui bona fide putetur validus. Verum eſt non ſemper requiri titulum ad præſcriptionem, ſed ſufficere poſſeſſionem bonæ fidei, & eius continuationem certo tempore; id tamen cum iura ipſa præſcribant in ipſa præſcriptione, inde non infertur, idem poſſe contingere in Parocho, iudice, & ſimilibus. Præterea de conſuetudine conſtat, tollere legem. Vt autem legem tollat, ſolum requiritur, vt lex non ſeruetur, quando occurrit ſeruanda, ſciente Principe, & non ſe opponente. Vnde Princeps permittens conſuetudinem, implicitè detrahit ſuæ legi vim obligandi. Et vt conſuetudo tollat legem, non requiritur, vt ſit longior quàm neceſſe eſt vt Princeps cenſeatur eam permittere. Quare conſuetudo inducitur ſuperiore conſentiente.

SECTIO VI.

An Parochus non proprietarius ab Epiſcopo delegatus, & amobilis ad nutum illius, poſſit matrimonio aſſiſtere, & ad id licentiam conferre.

Parochus non proprietarius dicitur, qui præficitur 8
toti parochiæ per Epiſcopum, vt curam eius tegat. Quod communiter ſolet contingere, quando moritur proprius Parochus, dum alius in proprietarium conſtituitur; vel etiam quando proprius Parochus non eſt Sacerdos; vel denique quando ipſe Epiſcopus eſt immediatus Parochus totius diœceſis, vt

Digitized by Google

vt contingit Hiſpali, Cordubæ, Granatæ, & in aliis diœceſibus, in quibus non ſunt beneficia curata, & rectores tantum ad nutum Epiſcopi conſtituuntur.

2 Certum eſt autem poſſe Parochum non proprietarium validè matrimonio aſſiſtere. Ratio eſt, quia ille eſt verus Parochus, & gaudet Parochi nomine. Præficitur quoque ad omnes cauſas Parochialis officij in tota parochia; ergo poteſt, & debet aſſiſtere matrimonio. Firmo, quia etiam ille, quem aliquis Parochus aſciuit coadiutorem, poteſt aſſiſtere matrimonio, vt conſtat ex deciſione, vel declaratione Cardinalium apud Farinacium, *pag.* 268. ſic dicente: Matrimonium coram coadiutore in adminiſtrandis ſacramentis Parochi, vel vicarij perpetui in illa parochia valet. Igitur multo magis id poterit præſtare Parochus non proprietarius.

3 Difficultas eſt, an etiam poſſit licentiam conferre, vel delegare aſſiſtentiam matrimonij alteri ſacerdoti.

Negant Sotus *in 4. diſp.* 28. *q.4.a.* 3. & Bartholomæos Ledeſma *de pænitentia dubio* 13. *concluſione* 1. Probant, quia prædictus Parochus eſt delegatus; at qui eſt delegatus, nequit alterum ſubdelegare. Firmatur, quia hoc intereſt diſcrimen inter Ordinarium, & delegatum; nam ille cùm iure proprio, & in ſe ipſo habeat iuriſdictionem radicatam, poteſt delegare; vt conſtat ex *cap. cùm Epiſcopus, de officio ordinar. in 6.* iſte autem cùm nihil proprium habeat, ſed alienæ iuriſdictionis vſum, non poteſt delegare: excepto delegato ſupremi Principis, vt habetur *l. fin. ff. de officio delegati.*

4 Dico *primò*, Parochos non proprietarios poſſe delegare aſſiſtentiam matrimonio alij ſacerdoti. Ita Sanchez *lib.* 3. *diſp.*31.*n.* 13. Baſilius Ponce *lib.* 5. *c.* 28.*n.* 2. Henriquez *lib.*11. *de matrimonio c.*3.*n.*5. & communiter Doctores. Sic etiam declarauit Congregatio Cardinalium apud Farinacium, *pag.* 275. quæ ſic habet. Vicarij etiam temporales ad nutum amouibiles Eccleſiæ parochialis, qui ſacramenta adminiſtrant, & matrimoniis interueniunt, ſicut ipſi interuenire poſſunt, ita etiam dare licentiam aliis poſſunt interueniendi. Et ratio eſt, quia licèt delegati ſint, cùm tamen ſint delegati ad vniuerſalitatem cauſarum, poſſunt illi delegare ſpecialem aliquam cauſam; quia reputantur quaſi ordinarij, & ſubinde delegare poſſunt. Videatur Sanchez de hac re *diſp. citata* 31.*n.*2. Et quamuis Baſilius Ponce *lib.* 5.*c.* 26. *n.*10. exiſtimet id nulla lege probari, imò rationem iuris reſiſtere, addit tamen *n.*12. illud eſſe verum vſu & conſuetudine ſancitum; & ideo in praxi obſeruandum eſſe; quia in cauſis iuriſdictionis recedendum non eſt ab his, quæ diu ſeruata, & recepta ſunt, quæ in hoc caſu legem vincere poterunt. Vnde quamuis nequiret delegatus iuriſdictionem ad omnem cauſam ſibi delegatam ſubdelegare, poſſet tamen ad vnam, vel ad alteram, ac proinde poſſet ad aſſiſtendum matrimonio, quamuis id eſſet iuriſdictionem concedere. Firmo magis dictum: nam tametſi verum eſſet, delegatum non poſſe iuriſdictionem ſubdelegare; at eam licentiam aſſiſtendi matrimonio concedere, non eſt ſubdelegare iuriſdictionem; quia vt ſæpe dictum eſt, aſſiſtere matrimonio, ad quod conceditur licentia, non eſt actus iuriſdictionis.

5 Dico *ſecundò*, idem dicendum de Vicecuratis plenè delegatis à proprio Parocho, non ſolùm in abſentia, ſed etiam in præſentia Parochi proprietarij poſſe concedere alteri ſacerdoti aſſiſtentiam matrimonio. Ratio eſt eadem, quia etiam iſti ad vniuerſitatem cauſarum ſunt deſtinati ab Epiſcopo, ſiue à Parocho proprietario, & ita ſunt verè Parochi, quamuis non proprietarij, ſed delegati, & mercenarij.

Dico *tertiò*, poſſe hos Vicecuratos, vbi eſt conſuetudo, ſubſtituere aliquem, dum ad breue tempus abſunt, ad vniuerſitatem cauſarum; & hunc poſſe delegare licentiam aſſiſtendi matrimonio. Ita Sanchez citatus *n.*15. *&* 16. *Primum* conſtat, quia Epiſcopus vicecuratos inſtituens, & conſcius conſuetudinis tacens, videtur tacitè dare facultatem ad eam ſubſtitutionem: ſtante enim conſuetudine, vt delegati delegent, poſſunt delegare, vt expreſsè habetur *l. cùm prator* 12. *verſ. Item ij quibus. Secundum* liquet, quia prædictus ſubſtitutus eſt delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, & non cenſetur delegatus illius vicecurati; is enim non poterat ſic delegare; ſed eſt delegatus ipſius ordinarij, ſcientis, & patientis eam conſuetudinem; nam ea ſcientia, & patientia, eſt tacita licentia; tacens enim videtur tacitè dare facultatem ad eam ſubſtitutionem. 6

Dico *quartò*, Parochus delegatos ad vniuerſitatem cauſarum, quamuis poſſent delegare licentiam aſſiſtendi matrimonio, vt dictum eſt; non tamen poſſe dare illi ſubdelegato facultatem iterum delegandi, id eſt, dare licentiam, vt poſſit ille concedere alteri ſacerdoti facultatem aſſiſtendi matrimonio. Ratio eſt, quia nullus delegatus etiam Principis poteſt ſubdelegare cum facultate ſudelegandi. In hoc enim differt ab Ordinario: nam minimus ordinarius hoc poteſt, non autem delegatus, quia delegatus etiam Principis, & ad vniuerſitatem cauſarum non habet facultatem vltra ſibi commiſſam; illi verò ſolùm reperitur in iure conceſſum, vt poſſit ſubdelegare; nullibi verò conceditur poſſe dare facultatem ſubdelegandi. Hinc 7

Dico *vltimò*, ſacerdotem delegatum ad aſſiſtendum alicui matrimonio, non poſſe ſubdelegare; ſiue ſit delegatus Parochi, ſiue Epiſcopi. Ratio eſt, quia non eſt delegatus ad aſſiſtendum omnibus parochiæ matrimoniis, vnde non eſt delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, ſed ſolùm eſt delegatus ad vnam cauſam; talis autem non poteſt totam cauſam delegare, niſi ſit delegatus ſupremi Principis. Videatur noſter Sanchez *diſp.*31.*n.*1. *&* 10. 8

Ex his patet ſolutio ad argumentum contrariæ ſententiæ, præſertim ex dicto primo. Ad confirmationem iam dixi etiam delegatum ad vniuerſitatem cauſarum poſſe ſubdelegare. Vnde Ordinarius à delegato in eo differt, quòd poteſt Ordinarius delegare cum facultate ſubdelegandi, quia iure proprio, & in ſe ipſo habet iuriſdictionem radicatam; non verò delegatus, qui ſolùm habet iuriſdictionem ſibi commiſſam. 9

SECTIO VII.

Quis cenſeatur Parochus vagorum, ſeu vagabundorum, vt illos matrimonio coniungat.

PRæmitto *primò* vagabundos, ſeu vagos, dici illos in iure, qui nullum habent firmum domicilium, ſed ſemper vagantur; ac proinde nullum habent firmum & certum Parochum; quia fideles ex domicilio ſortiuntur Parochum, vt ſtatuitur *in cap. vltimo, de parochiis.* Vagi etiam dicuntur, qui proprium domicilium deſerunt, vt aliò illud transferant. Nam eo ipſo quo iſti parochiam ſuam egreſſi ſunt, animo ibi amplius non habitandi, donec perueniant ad locum 1

eum in quo habitare conſtituunt, & in eo ſedem fixerint, omni parochia & domicilio carent; atque adeò vagi ſunt, quia reuera nullam parochiam habent cùm priſtina deſerta ſit, & noua nondum ſit habitatione cœpta, acquiti. Ob eandem ratione, qui relicto priori domicilio, iter faciunt ad locum, vbi figere pedem decreuerunt, dum ſunt in via, cenſentur vagi; quia vagus dicitur qui nullibi firmam ſedem & domiciliũ habet. At qui relicto priori domicilio iter agit ad locum, vbi decreuit manere, dum eſt in via, caret domicilio; quia iam omnino perdidit prius domicilium, cùm illud animo, & facto ipſo deſeruerit; poſterius autem nondum acquiſiuit, cum ſolo animo, abſque facto ipſo, id eſt, abſque actuali habitatione, comparari nequeat.

2 Præmitto *ſecundò*, ex materia de pœnitentia, probabilius mihi videri, vagos habere pro Parocho ad audiendas confeſſiones, eum in cuius parochia pro tempore verſantur, cuius eſt ipſis ſacramenta adminiſtrare, qui eos abſoluere poteſt ab iis omnibus à quibus proprios parochianos abſoluere poteſt. Quare ibi habent proprium Sacerdotem, vbi vagantur, & in huiuſmodi hominibus actualis habitatio ſuccedit loco domicilij, cùm aliud nõ habeant; & conſequẽter ordinarius Parochus illorũ eſt ille, in cuius parochia habitãt, & mutata habitatione mutatur & Parochus. Et ratio eſt, quia iſtis aſſignãdus eſt aliquis proprius Parochus, cui incũbat eorũ cura ſpiritualis; aliàs nõ fuiſſet illis ſufficienter prouiſum: nullus autem alius eis congruè aſſignari poteſt, niſi ille, in cuius parochia actu habitant, tempore quo ſacramenta recipiunt. Quod etiam praxis confirmat; quia nullus Parochus cenſetur obligatus ad conferendam Euchariſtiam, & Extremam vnctionem vagabundo ægrotanti, niſi ille, in cuius parochia tunc vagabundus hoſpitatur, & habitat. Vnde is Parochus tenetur ex officio eis miniſtrare Sacramenta, ſi indigeant, eoſque poteſt ad præceptum implendum compellere.

3 Præmitto *tertiò*, præceptũ Tridentini *ſeſſ.* 24. *de matrimonio cap.* 7. præcipiens ne Parochi vagos coniungant matrimonio, niſi priùs diligenter inquiſiuerint de eorum ſtatu, & habilitate ad contrahendum, & rem ad ordinarium detulerint, eiuſque licentiam obtinuerint, quia periculum eſt ne alibi vxore relicta, hîc aliam ducant. Verba Tridentini hæc ſunt, Multi ſunt, qui vagantur, & incertas habent ſedes, & vt improbi ſunt ingenij, prima vxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa viuente, diuerſis in locis ducunt; cui morbo cupiens ſancta Synodus occurrere, omnes, ad quos ſpectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facilè recipiant: magiſtratus etiam ſeculares hortatur, vt eos ſeuerè coërceant: Parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis interſint, niſi priùs diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. Hactenus Tridentinum.

4 Circa quod Tridentini decretum, tria ſunt obſeruanda.

Primum eſt illud de ſolis vagis eſſe, non quibuſcumque, ſed qui vagantur, & habent incertas ſedes. Quare qui in eodem oppido de vna parochia ad aliam vagantur, & dum domicilium in aliqua figunt, quia alio habitatore occupatum eſt, breui tempore alicubi hoſpitantur, non computantur inter vagos; illi enim in oppido ſatis noti ſunt. Quare vel in ea parochia, vbi diutius habitarunt, contrahent; vel in ea, in qua ad tempus habitant, & idem de illis, atque de alienigenis cognitis iudicium erit. Idem dicendum de illis, qui in aliqua terra ab vno oppido in aliud per plures annos tranſeunt, non enim vagi ſunt, ſed alienigenæ. Vnde Congregatio Cardinalium apud Farinacium *ſeſſ.* 24. *de matrimonio cap.* 7 *numer.* 1. inquit. Non dicitur vagans illa mulier, quæ per octo annos in vna eademque terra habitauit.

Secundum eſt prædictum decretum extenſione quadam & identitate rationis extendi non ſolùm ad eos qui verè vagantur, & nullibi certa habent domicilia, ſed etiam ad alienigenas, qui alibi habent domicilium, breui tamen aliquo loco commorantur, & ignoti ſunt. Tum quia eadẽ prorſus militat ratio; cùm enim ignoti ſint, poſſunt alibi matrimonio vincti eſſe, atque adeò poſſunt in iſtorũ matrimoniis eędem fraudes euenire, quibus occurrere vult Concilium Tridentinum. Tum etiam, quia olim vſus obtinuerat, ne forenſes ignoti, matrimonio copularentur, abſque literis teſtimonialibus ſui Epiſcopi.

Tertium eſt, eandem ſufficientem diligentiam adhibendam eſſe & licentiam Ordinarij, quando alter ſolus ex contrahentibus vagus eſt, vel forenſis ignotus. Patet, quia periculum cui Tridentinum occurrere intendit, omnino militat, quãdo alter vagus, aut forenſis eſt. Hic autem Ordinarius, cuius licentia petenda eſt, erit Epiſcopus, vel eius Vicarius generalis. Atque idem dicendum eſt de Vicariis aliorum Prælatorum habentium iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem: hi enim omnes Ordinarij ſunt, & nomine Ordinarij comprehenduntur, vt dixi ſuprà *ſect.* 1. *num.* 5. & 9.

His præmiſſis, ſentiunt Sanchez *lib.* 3. *diſput.* 25. 5
nume. 11. Baſilius Ponce *lib.* 5. *cap.* 14. *numer.* 5. Henriquez *lib.* 11. *de matrimonio cap.* 3. *numer.* 3. & alij, proprium Parochum vagorum eſſe quemcumque Parochum illius oppidi, atque adeò quemcumque poſſe matrimonio illorum intereſſe. Probant, quia vagabundi non habent proprium Parochum ratione certi domicilij, quo omnino carent; ergo quilibet Parochus poteſt eorum matrimonio aſſiſtere, & eorum confeſſiones audire; quia non eſt maior ratio vnius Parochi quàm alterius.

Dico *primò* Parochum vagabundorum, vt eorum 6
matrimoniis aſſiſtat, & eorum audiat confeſſiones, eſſe illum, in cuius parochia actu habitant, & hoſpitantur. Ita Petrus Soto *lect.* 5. *de confeſſ.* Coninch *diſput.* 27. *dub.* 2. *numer.* 20. Hurtado *diſput.* 5. *diffic.* 12. *numer.* 41. & alij. Ratio eſt adducta ſuprà *numer.* 2. quia his neceſſariè aſſignandus eſt aliquis proprius Paſtor à quo Sacramenta ſuſcipiant, nec alius, quàm dictus, congruè aſſignari poteſt. Præterea ſi iſti nullum haberent paſtorem, ideoque à quouis poſſent Sacramenta ſuſcipere, ſequeretur eos à nullo niſi à Pontifice poſſe Sacramenta ſuſcipere, quia nemo poteſt alicui Sacramenta conferre niſi proprius ipſius Paſtor, vel alius cum eius licentia, ex communi omnium ſententia. Denique, quia praxis hoc omnino confirmat. Nec enim ſine ſcandalo Parochus, v. g. D. Martini in hac ciuitate Valentina conferret Euchariſtiam vel extremam vnctionem vago ægrotanti in parochia S. Nicolai.

Neque argumentum aduerſariorum eſt vllius roboris. Nam vagi quamuis careant domicilio, & non habeant proprium Parochum firmum; non ideo tamen abſolutè carent proprio Parocho, quia actualis habitatio eſt illis in locum domicilij; ſaltem ex interpretatiua, & rationabili volũtate ſũmi Pontificis; quia conſonum eſt rationi, imò & iuri poſitiuo, parochias aſſignari ex habitatione ſubditorum, ac proinde quando non habent firmam, aſſignari debet ex actuali habitatione non firma.

Dico *ſecundò*, ſi contingat in ciuitate aliqua eſſe 7
parochiam aliquam ab Epiſcopo pro vagabundis deputatam;

pntatam; adhuc nihilominus Parochum, in cuius parochia actu habitant, eſſe ſufficientem vt eorum matrimonio validè aſſiſtat: tametſi aſſignatus ab Epiſcopo eſſet ſufficiens, vt licitè & validè aſſiſteret.

Prima pars dicti firmatur, quia iure pontificio communi, Parochus, in cuius Parochia actu habitant vagabundi, eſt proprius Parochus eorum; tametſi illicitè aſſiſteret, quando aſſignatione alterius Parochi ab Epiſcopo facta ex rationabili cauſa prohiberetur illi aſſiſtere. Et quamuis Tridentinum in decreto allato prohibeat Parochis, ne vagorum matrimonio interſint abſque licentia Ordinarij; validè tamen interernnt ea omiſſa, vt ſtatim dicam.

Secunda pars conſtat, quia aſſignatus ab Epiſcopo eſt ſufficiens, vt validè & licitè aſſiſtat, non vt Prochus, ſed ex licentia generali Epiſcopi, quam eo ipſo quòd eum aſſignat tamquam Parochum, ipſi confert ad id.

Eſt verò notandum, ſi magis aſſignetur parochia ſolùm, vt in ea ſatisfaciant præcepto annuę confeſſionis, & communionis, tunc Parochum iſtius parochiæ non eſſe ſufficientem, vt eorum matrimonio aſſiſtat; quia tunc non eo ipſo ei conceditur licentia aſſiſtendi. Quare tunc tantùm erit ſufficiens ad id Parochus, in cuius parochia actu habitant.

8 Dico *tertiò*, Parochum dictum, etiamſi validè aſſiſtat matrimonio vagorum, peccare mortaliter ſi non ſeruet decretum Tridentini, rem ad Ordinariũ deferens, & ab eo licentiam obtinens. Ita bene Sanchez *diſp. 25. num. 16.* Ratio eſt, quia violat Tridentini præceptum in re grauiſſima, & valdè neceſſaria. Quod etiam eſt verum, quamuis vnus tantum ex contrahentibus ſit vagus. Tunc verò eorum matrimonium poterit contrahi coram Parocho cuiuſlibet, ſiue alterius, iuxta dicta ſupra ſectione ſecunda.

9 Dico *vltimò*, matrimonium vagorum contractum coram Parocho, non præmiſſa diligentia dicta Tridentini, nec Ordinarij licentia petita, validum nihilominus eſſe. Ita Veracruz, Henriquez, Petrus de Ledeſma, & Sanchez, quos refert & ſequitur *diſp. cit. 25. num. 17.* Probatur. Tum quia Tridentinum non prohibet abſolutè matrimonium abſque dicta licentia, ſed præcipit Parochis, vt diligentiam præmittant, & licentiam petant; ergo eius omiſſio culpa erit, ſed non vitiabit matrimonium. Præſertim, quia id ſpeciale eſt in matrimonio, vt ex ſimplici prohibitione, abſque decreto irritante non cenſeatur annullari, vt colligunt Doctores ex *cap. 2. de matrim. no contract. contra interd. Eccl.* ibi, Licèt enim contra interdictum Eccleſiæ ad ſecunda vota tranſire non debuerit, non tamen eſt conueniens, vt ob id ſolum Sacramentum cõiugij diſſoluatur. Tum etiam, quia pro matrimonij eſſentia tantùm deſideratur præſentia Parochi, & duorum teſtium. Tum denique, quia ad eundem finem exigitur hæc diligentia pro vagabundis, ad quem eodem Tridentino petuntur pro indigenis denuntiationes; at his omiſſis valet matrimonium, vt conſtat, & infrà dicemus; ergo illa diligentia omiſſa.

Vnde colligo idem dicendum eſſe, ſi alius Sacerdos ſnlius Parochi licentia obtenta, interſit tali matrimonio: peccabit enim, vt dixi, valebit tamen matrimonium, ob rationes dictas.

Sectio VIII.

An ſit neceſſarium ſaltem neceſſitate præcepti Parochum in matrimonio aliqua verba proferre.

PRæmittendum eſt quod præcipit Tridentinum *decreto de reformatione matrimonij, cap. primo*, ſic dicens. Vbi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: vel aliis vtatur verbis, iuxta receptum vniuſcuiuſque prouinciæ ritum. 1

Hinc ergo poſſet quis exiſtimare ea verba eſſe de neceſſitate Sacracramenti matrimonij ſicut in reliquis Sacramentis verba miniſtri ſunt de eſſentia. Præſertim, quia verba ea, *vos coniungo*, cùm ſint vera, debent efficere quod ſignificant, & conſequenter videtur Sacerdos conficere matrimonium, & ea verba eſſe de eſſentia.

Dico *primo*, certum eſſe ea verba non eſſe de eſſentia Sacramenti matrimonij. Ita omnes. Ratio eſt, tum quia, vt conſtat ex dictis ſuprà *diſputatione decimaquarta, ſectione ſecunda*, nec Sacerdos eſt miniſter huius Sacramenti, nec eius verba ſunt materia & forma. Tum etiam, quia neceſſaria verba neceſſitate Sacramenti debent eſſe certa & determinata. At Tridentinum petit indeterminata verba, cùm petat ea, vel alia ſecundùm patriæ conſuetudinem. Tum denique, quia Tridentinum in clauſula irritante tantùm expreſſit, qui aliter quàm præſente Parocho; nec explicuit dicenti verba, & eſt decretum correctorium; ergo non eſt extendendum, vt debeat de neceſſitate Sacramenti dicere verba. Quare ad valorem matrimonij non requiritur, quòd Parochus proferat illa verba, Ego vos coniungo, neque alia: quia præſentia Parochi non eſt neceſſaria vt miniſtri, ſed vt aſſiſtentis dantis auctoritatem matrimonio. Vnde in hoc diſpar eſt ratio de matrimonio, ac de cæteris Sacramentis; nam in cæteris Sacramentis Sacerdos eſt miniſter, & ideo eius verba ſunt neceſſaria; ſecus in matrimonio, vbi ſoli contrahentes ſunt miniſtri. Quare illa verba, Ego vos coniungo, hunc ſenſum reddunt, Ego approbo, & declaro coniunctionem veſtram eſſe legitimam. 2

Dico *ſecundò*, peccare Parochum ſi prædicta verba omittat, ſed non mortaliter. Ita Sanchez *lib. 3. diſp. 38. num. 7.* & Hurtado *diſp. . , n. 50.* 3

Prima pars conſtat, quia Tridentinum vtitur verbis præceptiuis; ergo ea verba ſunt de neceſſitate præcepti, & conſequenter erit peccatum ea omittere.

Secunda verò *pars* ideo firmatur, quia eſt omiſſio rei leuis: nam ea verba non ſunt forma Sacramenti, nec pertinent ad ſolemnitatem magni momenti, nec includunt aliquod myſterium magnæ ſignificationis. Firmo, quia rametſi Tridentinum vtatur verbis præceptiuis, at ſub illo præcepto non continetur tantùm vt Parochus ea verba proferat, ſed alia magni momenti, nempe vt præmittantur denuntiationes, & vt matrimonium celebretur coram Parocho & teſtibus, vt habeat librum, &c. cùm ergo illa verba proferre, non ſit ſolùm materia illius præcepti, ſed contineatur inter alia grauiora, & illud quid leue ſit; certè eius omiſſio non erit peccatum mortale, ſed veniale.

Hinc verò conſurgit duplex dubitatio. *Prima* eſt, an teneatur Parochus interrogare contrahentes de 4

mutuo

muruo conſenſu, nempe virum, an velit fœminam habere in vxorem, & fœminam, an velit illum in maritum. Cenſet Sanchez *d. ſp. cit. n.* 9. cum Veracruz teneri, ſed ſub veniali tantùm, quia ea omiſſio eſt res leuis. Ego certè opinor cum Vega *lib.* 6. *ſummæ caſu* 112. per ſe loquendo eſſe peccatum mortale id omittere. Moueor, quia id præcipit Tridentinum *dicto cap. primo*, vt conſtar ex verbis relatis. Et ea interrogatio petitur à Tridentino vt fiat, dum ſunt in facie Eccleſiæ, id eſt, coram teſtibus, volentes iam contrahere, vt conſter omnibus de libero mutuo conſenſu. Vnde eſt res grauis, & de re valde ſubſtantiali; ergo nullo pacto omittenda. Dixi *per ſe*: nam ſi Parocho & teſtibus conſtaret de libero mutuo conſenſu, quia nimirum contrahentes coram illis, etiam non interrogati proferunt verba quibus liberum ſuum exprimunt conſenſum, non teneretur Parochus id interrogare. Nam finis interrogationis intentus à Concilio ſolùm eſt vt Parochus & teſtes mutuum contrahentium conſenſum intelligant; quod ſatis exprimitur illis verbis, & mutuo conſenſu intellecto; ergo ſi per ipſoſmet contrahentes non interrogatos ille manifeſtè intelligatur, non videtur neceſſaria nec vtilis de ea re interrogatio.

5 Altera dubitatio eſt, an teneatur Parochus interrogare contrahentes, an aliquod impedimentum habeant, ne contrahere poſſint. Reſpondeo, ſi nulla ſit ſuſpicio impedimenti, nulla eſt obligatio prædictæ interrogationis; multo minus, ſi compertum ſit nullum inter eos ſubeſſe impedimentum. Nec Tridentinum præcipit, vt de impedimento interrogetur, ſed de mutuo conſenſu. Præterea cùm deuenitur ad matrimonium, iam denuntiationes præceſſerunt, ex quibus conſtare debet, an ſubſit impedimentum. Quòd ſi ex Ordinarij diſpenſatione illæ non præmittantur, ipſius Ordinarij intereſt informationem præmittere de impedimentis; Parochi autem ſolùm eſt, obedire Ordinario præcipienti vt aſſiſtat tali matrimonij contractui. Denique non videtur opportuna occaſio interrogandi de impedimentis, quando coram teſtibus volunt iam contrahere. Tum, quia tunc contrahentes facile poſſunt decipere Parochum, & negare. Tum maximè, quia cum ibi famæ iacturam facere deberent, ſi impedimentum eſſet infamans; etſi impedimentum non eſſet infamans, ſaltem ſe infamarent, cùm illius impedimenti conſcij eſſent iam parati ad contrahendum, certè occultarent illud. Quare valde conueniens eſt ac neceſſarium, vt multo ante inquiratur diligenter an ſubſit impedimentum; & non cum iam in facie Eccleſiæ coram Parocho & teſtibus contrahere volunt.

SECTIO IX.

Quot & quales teſtes requirantur, & ſufficiant ad valorem matrimonij.

1 PRimò certum eſt, ad matrimonij valorem, præter Parochum, vel alium Sacerdotem de licentia Parochi, requiri, & ſufficere duos teſtes coram quibus contrahatur; nec ſufficere vnum teſtem cum eo de Parocho. Patet, quia Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de matrimonio, cap. illo primo* expreſſè irritat matrimonium non contractum coram Parocho, vel Sacerdote de eius licentia, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus. Eſt verò doctrina certa, quando ſtatutum requirit ad certum actum, duo perſonarum genera, perſonam vnius generis non poſſe vtriuſque vicem gerere, atque adeò ſtante ſtatuto vt valeat actus coram Presbytero, & tot teſtibus, Presbyter ipſe non poteſt eſſe vnus ex illis teſtibus. Cùm ergo Tridentinum exigat duo genera perſonarum, nimirum Parochum, ſeu Sacerdotem de eius licentia, & duos ſaltem teſtes præſentes, non poterit Parochus vel ille Sacerdos obire munus Parochi, & ſimul vicem alterius ex illis duobus teſtibus ſupplere.

Secundò certum eſt, exigi vt Parochus & teſtes vſum rationis habeant, & intelligant conſenſum vtriuſque contrahentis. Vnde ſi eſſent ebrij, vel dormientes, vel nõ aduerterent, vel teſtes eſſent infantes, non valeret matrimonium. Ratio eſt manifeſta, quia ideo petit Tridentinum aſſiſtentiam Parochi & teſtium, vt conſter Eccleſiæ de matrimonio contracto, & de eo teſtificari poſſint, ne viuente prima vxore aliquis poſſit aliam ducere, eo quòd matrimonium non conſtabat Eccleſiæ. At qui non adſunt more humano, intelligentes & aduertentes quid agatur, teſtificari illud nequeunt. 2

Tertiò certum eſt Parochum & alios duos teſtes ſimul intereſſe debere matrimonio, nec ſufficere ſi ſucceſſiuè coram illis explicent contrahentes conſenſum. Patet, quia Tridentinum copulatiuè exigit aſſiſtentiam Parochi & teſtium, vt poſſint teſtificari de matrimonio tanquam de vno & eodem contractu; at non plenè conſtat, quando non ſunt ſimul phyſicè Parochus & teſtes, cùm ſint teſtes ſingulares. Vnde non ſufficiet ſimultas moralis, vt ſufficit ſimultas materiæ, & formæ in aliis Sacramẽtis; quia hîc aſſiſtẽtia Parochi & teſtiũ deſideratur à Tridentino, vt per eos poſſit plenè conſtare de contractu matrimonij inito. 3

His poſitis difficultas eſt an requiratur ad valorem matrimonij, vt teſtes ſint omni exceptione maiores, hoc eſt, tales, vt careant omni defectu, ob quem teſtes iure repelli ſolent à ferendo teſtimonio; an potiùs ſufficiant qualeſcumque teſtes. 4

Sunt nonnulli qui exiſtimant requiri ad valorem matrimonij, vt ſint teſtes omni exceptione maiores.

Primò, quia ex *cap.* 1. *de conſanguinitate* & ex aliis iuribus conſtat ad cauſas matrimoniales requiri teſtes omni exceptione maiores; ergo etiam ad teſtificandum de contractu ipſo facto.

Secundò, matrimonij cauſa eſt adeò ardua, vt non per quoſlibet iudices tractanda ſit, ſed per diſcretos, *c.* 1. *de conſanguinitate, ad finẽ*. At in cauſa ardua nõ admittitur teſtis, cuius fides ex aliqua cauſa dilui poteſt.

Tertiò, quia ratio quam aſſignat Tridentinum irritandi matrimonia clandeſtina, eſt ne quis poſſit publicè ſecundum inire matrimonium, eo quòd primum probari nequeat. At ſi ſufficerent illi teſtes, qui ob aliquot vitia à teſtimonio repelluntur, & quibus non adhibetur fides in foro externo, idem ſequeretur inconueniens, cùm adhuc improbabile maneret primum matrimonium.

Vltimò, cùm Tridentinum exigit teſtes in matrimonio, intelligi debet de iis teſtibus, qui iure antiquo ad probationẽ matrimonij deſiderabantur; quales ſoli ſunt, omni exceptione maiores.

Communiter verò Doctores, quos refert & ſequitur Sãchez *diſp.* 41. *n.* 5. ſentiunt ad valorem matrimonij non requiri, quòd teſtes aſſiſtentes ſint omni exceptione maiores. Vnicum fundamentum eſt, quia iſta maioritas, ſeu carentia dictorum defectuum nullo iure requiritur. Patet, quia non iure Tridentini, cùm hoc nullam qualitatem in aſſiſtentibus requirat, niſi quòd vnus ſit Parochus, vel Sacerdos de eius licentia. Non iure aliquo antiquo peculiari circa matrimonium. Quia quamuis *in dicto cap.* 1. *de conſanguinitate*, & aliis, dicta maioritas requi- 5

ratur ad diſſoluendum matrimonium, non tamen ad ei aſſiſtendum. Nec denique iure communi, quo generaliter dicta maioritas requiritur; quia hæc tantùm requiritur in aliis negotiis, & non in fauorabilibus, qualis eſt celebratio matrimonij.

6 Hanc ſententiam iudico veriorem. Tum quia teſtes omni exceptione maiores difficile inuenirentur; & ſic daretur occaſio maioribus damnis, & luibus, quibus Eccleſia intendit obuiare in contractu matrimonij. Tum etiam, quia cùm ius Tridentini ſit odioſum, & nullus teſtis in eo excipiatur, non eſt cur reſtringendum ſit ad dictos omni exceptione maiores; præſertim cùm matrimonium fauorabile ſit. Tum denique, quia ſecluſa prohibitione legis, admitti poſſunt teſtes inhabiles ex mutuo conſenſu partium, ſeu contrahentium, vt conſtat: hic verò in matrimonio nec lex aliqua vetat, nec ſine conſenſu contrahentium admittuntur; ergo. Vnde

Colligo *primo* quamcumque perſonam vſu rationis præditam, poſſe validè aſſiſtere matrimonio.

Colligo *ſecundò*, poſſe in matrimonio eſſe teſtes, cognatos, parentes, amicos, fœminas, ſeruos, infames, excommunicatos, imò & infideles. Quia Tridentinum ſolum petit teſtes qui faciant aliquam fidē, non qui omnino plenam, cùm matrimonium fauorabile ſit, & aliunde ſuppleatur ſæpe eorum vitium aſſiſtentia & dignitate Parochi, vel ſacerdotis ex eius licentia intereſſentis: nam tunc habilitas vnius ſupplet inhabilitatem alterius; & ideo teſtes inhabiles ſolent admitti quando concurrunt cum alio habili, & fide digno; maximè ſi alter ex aſſiſtentibus ſit Parochus; cuius auctoritati multum tribuitur in iure, vt liquet ex *c. cum eſſes, de teſtamentis.* Vbi non obſtante conſuetudine antiqua ciuitatis Hoſtienſis, vt non valeat teſtamentum abſque quinque teſtibus, definitur valere, ſi in præſentia Parochi & duorū teſtiū fiat.

Colligo *tertiò*, tametſi expediens ſit vt in matrimonio adhibeant teſtes omni exceptione maiores, vt omnis quæſtio è medio tollatur; at nihilominus teſtibus etiam inhabilibus eſſe quoque integram adhibendam fidem, vt probant rationes adductæ in confirmationem noſtræ ſententiæ; maximè, quia conſenſu vtriuſque contrahentis, & Parocho eorum vitium ſupplente, interſunt.

7 Colligo *vltimò*, nullā deſiderari ætatem, nec qualitatem aliam in procuratore ad matrimonium conſtituto, præter eam quam ius naturale expoſcit ad explicandum conſenſum nomine alterius, nimirum rationis vſum, vt de teſtibus diximus. Ratio eſt, tum quia in procuratore tametſi requiratur certa ætas, vt annorum viginti quinque ad iudicia, ſed non in procuratore ad negotia; iudicium enim eſt inter contradicentes; contractus verò inter conſentientes celebrantur, vnde quælibet ætas in procuratore ad illos conſtituta, eſt idonea, dummodo ſit capax conſenſus. Tum etiam, quia tametſi ad alia negotia deſideraretur in procuratore certa ætas, non ideo requireretur in procuratore ad matrimonium; quia nulla prorſus eius induſtria deſideratur, quia tantùm explicat conſenſum abſentis. Vnde duriſſimum videretur poſſe puerum quatuordecim annorum, ſe ligare matrimonio, & ad id capacitatem ſufficientem habere, & non ad exprimendum conſenſum alterius contrahere volentis. Tum denique, quia cùm matrimonij contractus ſit cæteris fauorabilior, non quæcumque cæterorum contractuum valorem impediunt, matrimonij impedient valorem, niſi in iure exprimatur de ipſo matrimonio, vt conſtat de muto & ſurdo à natura, qui nullum contractum inire poteſt iure communi id prohibente, & tamen in illa prohibitione generali contractuum non clauditur matrimonium: nam mutus ſimul & ſurdus, ſi intellectum habeat perſpicacem, ita vt ſignis edoceri poſſit quid ſit matrimonium, & ſignis indicare conſenſum, validè contrahit illud, ſicut & poteſt confiteri, & abſolui.

Ex his facile ſoluuntur argumenta contraria.

Ad primum iam conſtat ibi agi de matrimonio diſſoluendo. Et eſto idem requiratur ad probandum matrimonium; certè id debet intelligi niſi vitium teſtium aliunde ſuppleatur; ſicut in contractu matrimonij ſuppletur per Parochi præſentiam; & quia communi contrahentium conſenſu adhibentur; quæ duo vt dixi ſupplent vitium.

Ad ſecundum ſimiliter reſpondeo in cauſa ardua, non ſat eſſe quoſcumque teſtes, niſi ſit fauorabilis, & vitium aliunde ſuppleatur.

Ad tertium negatur ſequi illud inconueniens, quia vt oſtenſum eſt, ad probandum prius matrimonium contractum eſſe, ſufficiunt etiam teſtes inhabiles, iiſque adhiberi debet integra fides.

Ad vltimum, dico illud eſſe verum quando ius nouum loquitur in eodem caſu iuris antiqui. Quod non contingit in præſenti: nam ius antiquum loquitur in caſu in quo non ſuppletur inhabilitas teſtium per aliquid aliud, & agit de probatione matrimonij non neceſſaria ad eius valorem, & ideo nihil mirum eſt, ſi eam rigidiorem poſtulet. At Tridentinum loquitur in caſu, in quo vitium teſtium ſuppletur per Parnchi præſentiam, & agit de probatione requiſita ad matrimonij valorem, & ideo leuintem exigit. Vnde tametſi verum ſit, etiam hodie eſſe matrimonium clandeſtinum, cui deficit legitima probatio. At attento Tridentino legitima eſt probatio quando intereſt Parochus, vel Sacerdos ex illius licentia, & interſunt quicumque alij teſtes.

Sectio X.

Qualis præſentia Parochi & teſtium requiratur, & ſufficiat ad valorē matrimonij.

CONueniunt omnes, ad valorem matrimonij requiri in Parocho, & in aliis teſtibus præſentiam moralem, ſeu humanam, qua aſſiſtant aduertendo ad contractum, & intelligant id quod fit: aliàs nō poſſent de eo teſtificari, quia nemo eſt teſtis eius quod neſcit. Vnde talis teſtis nequit eſſe infans, dormiens, ebrius, amens. Neque etiam illi, qui neſciunt linguam contrahentium, ſi contractus exigat verba. Eſt tamen

Prima difficultas, an ſufficiat, ſi Parochus & teſtes percipiant ſolùm conſenſus contrahentium, per interpretem.

Affirmat Sanchez *lib. 3. diſp. 39. n. 3.* Et meritò. Quia contrahentes ſatis explicant ſibi conſenſus per interpretem; ergo etiam explicant eos ſatis ipſi Parocho & teſtibus per eundē; patet conſequentia, quia quod eſt ſufficiens ſignum vt contrahentes percipiant ſuum conſenſum, eſt etiam ſufficiens ſignum vt Parochus & teſtes poſſint de eo teſtificari: neque enim Tridentinum exigit maiorem notitiā conſenſus in Parocho aſſiſtēte, vel in aliis teſtibus, quàm in ipſis contrahentibus. Et ſanè ſi in aliis contractibus eſt ſatis interpres ad eorum probationem, erit etiam in iſto. Imò à fortiori in iſto, cùm ius Tridentini ſit correctorium, neque expreſsè exigens teſtes per ſe ipſos cognoſcentes conſenſus, & non per interpretem. Firmatur

ampliùs

amplins : nam interpres vnam perſonam conſtituit eum contrahente ; exprimit enim conſenſnm ipſius ex eius voluntate , nomine , & mandato ; ergo Parochus,& alij reſtes poterunt abſolutè teſtificari de conſenſu talium contrahentium , quamuis ipſos non percipiant immediatè ab eis : ſicut nec percipit conſenſum qui datur per procuratorem , & tamen rectè teſtificatur de eo. Nec valet dicere , quando danrur conſenſus per procuratorem , adeſſe literas mandantis , & inſtrumenta manifeſtantia conſenſnm. Noo, inquam , valet , quia illud mandatum non eſt ſufficiens expreſſio conſenſus ad matrimonium , niſi illæ literæ contineant poreſtatem vt procurator exprimat conſenſum ; vel niſi ſir non reuocata voluntas , qnæ noo conſtat Parocho & reſtibus. Adde ſi inſtrumenta ſint idiomatis ignoti à Parocho & teſtibus , iſti indigebunt interprete. Idemque erit ſi fiat matrimonium per literas ignotæ linguæ ; & tamen hæc matrimonia valida ſunt ; ergo etiam & illud in qùo Parochus & teſtes percipiunt conſenſus contrahentium per interpretem. Quòd ſi in hoc caſu ſit aliquando periculum litis , id erit per accidens ; nam etiam in aliis caſibus poteſt eſſe idem periculum litium , & tamen id non obſtat.

3 *Secunda difficultas* eſt , an in Parocho & aliis teſtibus ſufficiat attentio virtualis , vt contingit , quando animo aſſiſtendi acceſſerunt aduertenter , tempore tamen quo fit contractus , mentis euagatione diſtrahuntur.

Nam Henriquez 11. *de matrimonio cap.* 3. docet ſufficere attentionem virtualem, quia etiam ea ſufficit in Miſſa & ad valorem aliorum Sacramentorum , & ad conſecra tionem. Firmatur , quia in contrahentibus matrimonium ſufficit intentio & attentio virtualis; ergo & in Parocho & teſtibus.

Dico tamen cum communiori ſententia non ſufficere attentiooem virtualem , ſed requiri actualem. Ratio eſt, quia niſi Parochus & teſtes actu aduertant, nequeunt certò teſtificari quòd initum ſit matrimonium ; nam ad effectnm teſtificandi de eo , perinde eſt , atque actu non aduertere , & non adeſſe. Firmo, quia Tridentinum patificat præſentiam Parochi & teſtium ; ibi , qui aliter quàm præſente Parocho , & duobus teſtibus , vbi copula , & caſus ſimiles coniungit. At ſi teſtes præ mentis euagatione non aduerterent ad mutuum conſenſum , minimè ſufficeret, quia reuera non eſſent teſtes; ergo idem dicendum eſt de Parocho. Quare ſicut Parochus iudex Sacramenti Pœnitentiæ , licèt velit aduertere , ſi tamen actu non aduertat , nihil facit , quia nequit iudicare de peccatis confeſſis , ita neque hìc Parochus , vel teſtes , quia nequeunt teſtificari de matrimonio facto. Quòd ſi Parochus conſultò vellet non intelligere conſenſum , vt ſi occluderet aures & oculos ; ſi reuera non attendit , nec intellexit conſenſus , nullo modo valeret matrimnnium : quia tunc reuera non eſt præſens, nec poteſt teſtificari de matrimonio. Nec huic dnctrinæ obſtat declaratio Cardinalium , quæ ſic eſt intalligenda , vt velit fieri verum matrimonium , cùm Parochus inuitè aſſiſtens, affectatè fingit, ſe non percipere , cùm tamen reuera perceperit , ac intellexerit.

Ex his patet ſolutio ad argumentum appoſitæ ſententiæ ; nam in Miſſa requiritur attentio , non vt audiẽs ſit teſtis, ſed vt debita reuerẽtia ſeruetur Miſſæ, & ſit ille actus religionis: quod debitè ſeruatur, quando audiens voluit attendere, & præter intentionem ex fragilitate diuagatur. Ad omnia etiam Sacramẽta requiritur intentio cõficiendi & recipiendi Sacramentum , ne confectio & ſuſceptio ſit actus fictitius; quæ intentio virtute durat, dum à principio habita eſt, nec in contrarium mutatur. Attentio autem & aduertentia Parochi & teſtium deſideratur , vt ipſorum teſtimonio comprobari pôſſit , & ipſi Eccleſiæ cõnſtet; quod teſtimonium nullo modo ferre poſſunt , niſi actu aduertant. Ad confirmationem diſpar eſt ratio ; nam in Parocho & teſtibus requiritur attentio actualis , vt teſtentur de facto ; quod præſtare nequeunt niſi actu attendant. In contrahentibus verò ſolùm requiritur , vt fiat Sacramentum ; ad quod ſufficit attentio , & intentio virtualis , vt ex aliis Sacramentis conſtat apud omnes.

Tertia difficultas eſt , an ſufficiat aſſiſtere , quando Parochus & teſtes contra ſuam voluntatem aſſiſtunt detenti , & coacti. Sunt qui affirmant non ſufficere. 4

Primò, quoniam aſſiſtentia coacta non videtur humana , ſeu hominis vt homo eſt , quia eſt contra voluntatem ; & ad aſſiſtentiam humanam , non tantùm videtur requiri auertentia intellectus , ſed etiam conſenſus voluntatis ; quia homo vt homo non tantùm conſtat intellecto , ſed etiam voluntate ; non ergo ſufficiet præſentia coacta , aut dolo debita.

Secundò , quando in iure præcipitur aliquid fieri coram aliquo , debet ipſe intereſſe moraliter ſecundùm ſuum modum , & officiom , vt patet in tabellione , qui non exiſtit tantùm vt teſtis , ſed vt exercens ſuum officium. Vnde fit , vt ſi per vim ſubſcribat , & ſigillo muniat inſtrumenta , nihil iſta valeant. Cùm igitur Parochus ex Tridentino aſſiſtat vt qualificans & approbans matrimonium , & nomine Eccleſiæ dans auctoritatem ſacramento , non exercebit ſuum officium , ſi inuitus , aut caſu ad aliud vocatus interſit.

Communis tamen eſt Doctorum ſententia , & vera , aſſiſtentiam coactam , ſeu violentam ſufficere ad valorem matrimonij. Quod etiam declaraſſe Congregationem Cardinalium de Parocho , de quo poterat eſſe maior difficultas , affirmant Doctores graues. Iuxta quam

Dico *primò* valere matrimoniom , quamuis Parochus & teſtes vi detenti interſint , dummodo intelligant conſenſus contrahentium. Ratio eſt , qnia Tridentinum tantùm requirit præſentiam Parochi & teſtium ſufficientem ad teſtificandum matrimonium eſſe factum. Aſſiſtentia verò , ſeu præſentia , quamuis coacta , ſufficit ad dictam teſtificationem , vt liquet , quia poteſt eſſe cum actuali aduertentia. Vnde in hoc tantùm ſenſu requiritur quòd præſentia ſit humana, nempe quòd ſit ſufficiens ad teſtificandum, quod conuenit aſſiſtentiæ coactæ , & etiam aſſiſtentiæ dolo procuratæ. 5

Dico *ſecundò* , eos qui contrahunt coram Parocho coacto , per ſe loquendo peccare mortaliter. Probatur , quia grauem iniuriam irrogant ipſi Parocho vt miniſtro Eccleſiæ ab ipſa deputato ad autorizandum matrimoniom ; ergo peccant grauiter contra religionem , vel contra duliam ſacram. Peccant verò contra iuſtitiam , aut mortaliter , aut venialiter , pro quantitate violentiæ. Dixi , per ſe loquendo ; nam poſſet contingere vt eſſet grauis neceſſitas contrahendi , & abſque iuſta cauſa nollet Parochus aſſiſtere , tunc enim poſſet doloſa æquiuocatione vocari Parochus ; non tamen vi cogi , quia priuati nequeunt id efficere. 6

Dico *tertiò* , qui contrahunt coram teſtibus coactis, vel dolo adductis , non peccare grauiter contra religionem, ſed ſolùm venialiter. Patet, quia ipſi non gerũt vices Eccleſiæ, auctoritatẽ præſtãdo ipſius nomine, matrimonio, qnod Parochus præſtat, ſed ſolùm 7

obeunt teſtium miniſterium , quod æquè præſtare poſſunt vi detenti; aut ad aliud dolo vocati : eſſet tamen culpa venialis contra religionem , quia non ſeruatur debita reuerentia ſacramento. Peccant verò contra iuſtitiam , aut mortaliter , aut venialiter, pro quantitate violentiæ ipſis illatæ ; hæc enim ex qualitate iniuriæ penſanda eſt , an ſit mortalis. Similiter dico de teſtibus , ſi abſque iuſta cauſa nollent aſſiſtere , & eſſet grauis neceſſitas contrahendi, poſſent vocari doloſa æquiuocatione , ſed nulla vi cogi ; id enim officium eſt non priuatæ, ſed publicæ poteſtatis.

Ad argumenta contraria.

Ad primum dico , tametſi præſentia moralis perfecta hominis vt homo eſt, poſtulet aduertentiam intellectus , & conſenſum voluntatis ; præſentiam verò moralem quam poſtulat Tridentinum, ſolum deſiderare aduertentiam intellectus, cùm hæc ſufficiens ſit ad teſtificandum de matrimonio , & clandeſtinitatem omnino excludat.

Ad ſecundum , reſpondeo Tridentinum exigere præſentiam Parochi tanquam perſonæ qualificatæ, id eſt , habentis dignitatem Parochi, vt ex ſua auctoritate nomine Eccleſiæ det auctoritatem ipſi contractui & ſacramento matrimonij. Vnde manifeſtè conſtat exemplum illud de tabellione noo eſſe ad rem.

8 *Quarta difficultas* eſt , an valeat matrimonium , ſi celebretur coram Parocho & teſtibus caſu trãſeũtibus.

Baſilius Ponce *lib. 5. c. 21. n. 4.* negat valere. Probat, quia vt Parochus dicatur præſens matrimonio requiritur , vt ſit ad eum caſum formaliter adhibitus, & vocatus. Adhibitus enim in iure dicitur , qui rogatur. *l. heredes § in teſtamentis. ff. qui teſt. fac. poſſ.* Igitur ſi caſu Parochus adfuerit , etiamſi coram illo matrimonium contrahatur, nullum erit: niſi Parocbum caſu tranſeuntem moneant priùs ſe velle contrahere, & ideo valebit, Parocho tunc gradum ſiſtente. Vnde ſi qui tranſeunte illac caſu Parocho, ita altè proferrent verba contractus, vt audiret Parochus, oihil agerent. Idem dicendum , ſi Parocho ſacrum agente aliqui contraherent non præmiſſo aliquo , quo indicaretur adhibitus ad eum actum. Addit dictus Baſilius eſſe ſuam ſententiam expreſsè à Cardinalibus declaratam , atque ideo iam non licere de eo ampliùs dubitare.

9 Verius iudico oppoſitum , validum eſſe matrimonium , etiam ſi celebretur coram Parocho & teſtibus caſu tranſeuntibus , ſic Petrus de Ledeſma *de matrimonio q. 45. a. 5. puncto 3. dubio 2. ad finem*, Sanchez *diſp. 39. n. 11.* Hurtado *diſp. 5. difficult. 15. n. 50.* & alij. Ratio eſt , quia cùm verè aduertant, ſufficienter dicuntur præſentes, cùm præſentia ad valorem matrimonij petita contenta ſit ſola intellectus aduertentia , qua ritè teſtimonium contracti matrimonij proſiberi poſſit. Firmo , nam in aliis contractibus, qui caſu adeſt, poteſt teſtificari de eis ; ergo & hîc in contractu matrimonij ; quia ius Tridentini eſt correctorium , vnde intelligi debet de præſentia, quæ minus corrigat , dummodo humana ſit , & ſufficiens ad finem Tridentini, qualis eſt dicta. Nam caſu tranſeuntes ita teſtificari poſſunt , ſi aduertant , ac ſi data opera intereſſent.

Ad argumentum Baſilij dico Parocbum caſu aſſiſtentem cenſeri formaliter Parochum ; quia præſentia ipſius formalis eſt , iuxta finem , & intentum Tridentini , & ſufficiens ad teſtificandum de matrimonio. Vnde non eſt vnde colligatur requiri maiorem præſentiam à Tridentino , quàm iſta ſit, cùm ſit humana , & ſufficiens ad teſtificandum , & tandem potens intelligi abſolutè ſub illis verbis correctoriis , præſente Parocho. Quare negandum eſt in illis caſibus non eſſe validè matrimonium , ſi Parocho tranſeunte , vel iter agente verè aduertat ; id enim ſufficit vt teſtificari poſſit , ac ſi data opera intereſſet.

Ad illud quod addit Baſilius de Cardinalium deciſione contraria noſtræ ſententiæ. Dico non eſſe. Nam ſolùm ait , Parochum & teſtes debere eſſe ad hunc actum matrimonij adhibitos. Adhibitos autem noo intelligo quòd ea de cauſa ſint vocati ; neque quòd fuerint antea moniti de contractu matrimonij futuro ; nam Tridentinum non meminit monitionis , ſicut neque vt vocentur ea de cauſa , ſicut enim Parochus & teſtes poſſunt attendere humano modo , quin ſint vocati ea de cauſa, ita etiam & quin ſint antea moniti : non enim neceſſaria eſt præmonitio , nec vocatio , vt aliquis verè attendat dictis. Dicuntur ergo etiam adhibiti , quando tametſi non ſint ea de cauſa vocati , ſed acceſſerint ex alia cauſa , vel caſu tranſierint , adſunt tamen præſentes contractui matrimonij , & adhibentur à contrahentibus , clarè coram illis contrahentibus, & eo modo quo poſſint ritè contracti matrimonij teſtimonium perhibere.

Denique valde diſplicet, quod ſubdit Baſilius , ob expreſſam Cardinalium declarationem in ſuæ ſententiæ fauorem , iam non licere de eo ampliùs dubitare. Nam nulla datur declaratio Cardinalium noſtræ doctrinæ contraria ; & licèt ea daretur , cùm authentica non ſit , non obligat , vt latè tractat Ioannes de Salas *de legibus diſp. 2. ſect. 9.*

SECTIO XI.

Cui actui matrimonij inter eſſe debeant Parochus, & teſtes.

PRocedit quæſtio de matrimonio , poſt Tridentini decretum. De quo dicendum eſt , in quo etiam conueniunt omnes Doctores , Parochum & teſtes debere eſſe præſentes actui ſufficienti ex hominum inſtitutione , vel recepta conſuetudine ad ſignificandum conſenſum de præſenti , & aliàs matrimonium eſſe nullum. Ratio eſt euidens , quia ex decreto Tridentini ideo requiruntur Parochus & teſtes , vt poſſint Eccleſiæ ſufficientem probationem offerre de coniugio eorum ; ergo debent eſſe præſentes actui , ſiue ſignis manifeſtatiuis conſenſus de præſenti ; aut deficiet omnino forma à Concilio præſcripta. Ex hac doctrina generali, 1

Colligo *primò*, ſi Parochus , & teſtes ſint præſentes ſponſalibus confirmatis iuramento, adhuc non eſſe validum matrimonium. Hoc eſt certum , quia ſponſalia illa etiam iuramento confirmata non habent vim matrimonij , ſed tantùm ſponſalium , quibus additur per iuramentum obligatio religionis : iuramentum enim ſolùm confirmat obligationem , quæ eſt in actu, non autem facit tranſire de vno contractu in alium, nempe de contractu ſponſalitio ad contractum matrimonij. 2

Colligo *ſecundò*, etiamſi Parochus & teſtes adfuerint ſponſalibus & copulæ ſecutæ, non effici matrimonium. Ratio eſt , quia poſt Tridentinum ſublata ſunt matrimonia præſumpta ; copulam autem non iudicat Eccleſia eſſe ſignum conſenſus, ſed præſumit , ne peccatum præſumeret, ante copulam ſibi mutuo explicuiſſe conſenſum de præſenti, ne 3

peccarent;

peccarent; non quaſi conſenſus ſponſalium ſecuta copula fiat matrimonium. Vnde in hoc tantùm ſenſu dici poteſt ſponſalia tranſire in matrimonium per copulam, quia videlicet præſumebat Eccleſia verum conſenſum mutuo ſignificatum de præſenti iam præceſſiſſe inter eos, ſiquidem ad copulam accedebant. Firmo corollarium: nam vel Parochus & teſtes qui fuerant præſentes ſponſalibus de futuro, & poſtea adfuerunt copulæ, tantùm viderunt copulam nullis aliis verbis auditis, quibus ſibi mutuo indicarent, qui contraxerant ſponſalia, conſenſum de præſenti, quo copula eſſet licita; & ſic non poſſunt teſtificari de matrimonio, ſed de ſponſalibus, & copula quæ potuit eſſe inter illos affectu fornicario, etiam ſi præceſſiſſent ſponſalia, neque ipſi explicarunt non eſſe ex affectu fornicario. Quare ſolùm teſtificari poterunt ſe vidiſſe illos copulari, & præſumere, antequam copularentur, habuiſſe conſenſum de præſenti, licèt ipſis non conſtet. quod quidem non eſt teſtificari de matrimonio. Vel cùm viderunt copulam, audierunt etiam verba quibus illi mutuo ſibi manifeſtarunt conſenſum de præſenti, ne in copula peccarent; & tunc valebit quidem matrimonium, non quia Parochus & teſtes præſentes fuerunt copulæ, & ſponſalibus, ſed quia præſentes fuerant illis verbis, quibus conſenſum manifeſtarunt; cùm hoc ſolùm ſufficeret ad matrimonium, etiamſi aliis rebus non interfuiſſent.

4 Colligo *tertiò*, idem eſſe dicendum propter eandem rationem, ſi Parochus & teſtes ſint præſentes matrimonio de præſenti impuberum, vel puberis cum impubere quando malitia non ſupplet ætatem, quia illa ſponſalia tantùm fuerunt, non verò matrimonium, vt conſtat ex *cap. finali, de deſponſatione impuberum, & cap. vnico, eodem in 6.* & non ſufficit quòd fuerint præſentes illi matrimonio & copulæ propter rationem dictam præcedenti corollario. Et firmatur, quia neceſſariò coram Parocho & teſtibus præſtandus eſt conſenſus externus de præſenti, legitimus ad conſtituendum matrimonium; ille autem conſenſus habitus prius coram Parocho & teſtibus, eſt verè de futuro, nec conſtituit matrimonium, ſed ſponſalia. Vnde illud matrimonium, & ille conſenſus, voce fuit de præſenti, reipſa tamen fuit conſenſus de futuro, & ſponſalia.

5 Colligo *vltimò*, etiamſi Parochus & teſtes ſint præſentes matrimonio conditionato, ſi non ſint præſentes poſtea conditioni, vt nimirum ſit illis notum eam eſſe impletam, non habere valorem abſolutum matrimonij. Ratio eſt, quia eſt ſimpliciter neceſſarium, vt Parochus & teſtes poſſint teſtificari de valore matrimonij, & iudicare de matrimonio eſſentialiter perfecto quo ad exterius ipſum, in quo conſiſtit eſſentia exterior matrimonij. At eſſentia exterior matrimonij conditionati perficitur eſſentialiter conditionis impletione, quia talis contractus vltimò completur, & perficitur eſſentialiter per impletionem conditionis; nam exterior expreſſio mutui conſenſus, in quo conſiſtit contractus maritalis, quoad exterius ipſum, eſt ex voluntate contrahentium alligata impletioni conditionis. Videantur à nobis dicta ſuprà de hac re *diſp. 16. ſect. 14. num. 7. & ſequentibus.*

DISPVTATIO XLI.

De aſſiſtentia alterius Sacerdotis loco Parochi, vt ſit matrimonium ſolemne, & non clandeſtinum.

POſtquam diximus de Parocho matrimonio aſſiſtente, quæ neceſſaria viſa ſunt; oportet agamus de eo qui aſſiſtit matrimonio loco Parochi ex eius licentia, ac delegatione. de quo Trident. *ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matr.* id ſolum habet. Qui verò aliter quã præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarij licentia, &c. Quibus verbis ſatis clarè ſignificat poſſe Parochum licentiam cõcedere alteri Sacerdoti vt aſſiſtat. Vnde ad tria præcipua capita reducenda ſunt, quæ in hac diſputatione tractanda ſunt. *Primum*, quis poſſit licentiam concedere alteri vt aſſiſtat *Secundum*, cui concedenda eſt, id eſt, quæ qualitates requirantur in eo cui conceditur. *Tertium*, quomodo concedenda, & quis vſus illius, & quæ pœna eius qui aſſiſtit ſine licentia Parochi.

SECTIO I.

Quis poſſit licentiam concedere aſſiſtendi matrimonio, & an ea debeat eſſe ſpecialis & expreſſa.

CIrca primum certum eſt *primò*, prædictam licentiam debere dari ab eo, qui habet veram poteſtatem ad id: aliàs enim nulla eſſet; quia effectus nequit excedere virtutem agentis.

Secundò, certum eſt, eam licentiam poſſe concedere omnes Ordinarios, qui poſſunt per ſe aſſiſtere validè tali matrimonio. Nam iſti omnes intelliguntur hîc nomine Parochi, vel Ordinarij, qui cùm per ſe validè aſſiſtere poſſint matrimonio, non eſt cur etiam non poſſint per alium à ſe delegatum. Idem quod de Ordinario dixi, dicẽdum eſt de Capitulo ſede vacante; eſt enim eius poteſtas ordinaria: & de Abbate nulli Epiſcopo ſubiecto; & de Prioribus Militarium in ſuis Prioratibus, qui nullius diœceſis ſunt; & de Cardinali in Eccleſiis ſui tituli; & de Legato in prouincia ſuæ legationis; eſt enim Ordinarius. *c. 2. de officio legati in 6.* Quod verum eſt, ſiue ſit Legatus à latere, ſiue non; quo ad hoc enim nullum inter ipſos diſcrimen eſt. Idem etiam de Vicario generali Epiſcopi, & etiam Capituli ſede vacante; ſunt enim Ordinarij, efficiuntque vnum Tribunal; & nomine Ordinarij intelliguntur in Tridentino, tam in hoc decreto, quàm in aliis. Videantur de hac re dicta à nobis ſuprà præcedenti diſputatione *ſect. 1. & 2.* 2

Tertiò certum eſt iuxta noſtram doctrinam, ſuprà traditam præcedenti diſputatione *ſect. 4. diſſic. 3.* poſſe Parochum excommunicatum validè & licitè concedere Sacerdoti licentiam aſſiſtendi matrimonio. 3

Quartò etiam eſt nobis probabilius, Parochum habentem titulum coloratum, & communi errore putatum legitimum ſuperiorem poſſe prædictam licentiam concedere, non verò Parochum intruſum abſque titulo, vt conſtat ex dictis præcedenti diſputatione integra *ſectione quinta.* 4

Quintò, nobis videtur verius Parochos non proprietarios poſſe licentiam conferre, vel dele- 5

Qq 3 gare

gare aſſiſtentiam matrimonij alteri Sacerdoti, vt oſtẽdi *diſput. præcedenti ſect. 6. numer. 4.* Idem ibi dico *n. 5.* de Vicecuratis plenè delegatis à proprio Parocho; non ſolùm in abſentia, ſed etiam in præſentia Parochi proprietarij poſſe concedere alteri ſacerdoti aſſiſtentiam matrimonio.

Circa ſecundum, an ſufficiat licentia tacita & præſumpta, quæ per ratihabitionem habetur, an verò requiratur expreſſa vt diſtinguitur contra tacitam & præſumptam. Omi ſſis opinionibus

6 Dico *primò*, licentiam tacitam & præſumptam ex ratihabitione de futuro, quia videlicet Sacerdos probabiliter credit ratihabiturum, non eſſe ſufficientem vt ſit validum matrimonium. Hoc eſt certum apud Doctores. Ratio eſt, quia prædicta licentia ad matrimonij valorem eſt requiſita; ergo debet adeſſe ſaltem dum matrimonium celebratur; ſed cùm eſt tantùm ratihabitio de futuro, non eſt licentia de præſenti cùm celebratur matrimonium, quia dicta ratihabitio, & conſequenter facultas ex ea orta adhuc non eſt præſens cùm fit contractus; ergo illa non ſufficit. Firmo, quia licẽtia Parochi vt Sacerdos interſit matrimonio, debet neceſſariò præcedere vt validum ſit; quoties enim ad actus valorem deſideratur licentia, debet ea neceſſariò præcedere. *Auth. licentia C. de Epiſcopus, & Cleric. l. ſi quis mihi bona § iuſſum. ff. de acquiren. hered.* At in ratihabitione de futuro non præcedit licentia, & conſenſus, ſed tantùm eſt probabilis præſumptio conſenſus poſtea præſtandi; ergo. Vnde manifeſtè ſequitur, quando licentia & iuriſdictio eſt neceſſaria ad ſubſtantiam, & valorem rei, vt in ſacramento Pœnitentiæ, & matrimonij, non ſatis eſſe ratihabitionem de futuro, quia hæc non præcedit, nec ſimul cum eo fit abſolutio, vel contractus matrimonij perficitur.

Obiicies regulam ratihabitionis *de regulis iuris in 6.* vbi dicitur ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari; ergo iam tunc ex iſta retrotractione cenſebitur eſſe præſens, non ſecus ac ſi adeſſet mandatum. Reſpondeo eam regulam intelligi ſolùm tunc, cùm valor actus dependet ex ſolo mandato & voluntate domini mandantis; ſecus quando pendet ab alio, vt eſt valor matrimonij, quia non pendet à ſola voluntate Parochi, ſed etiam à vera aſſiſtentia habentis poteſtatem ad id, & ab ipſis contrahentibus, qui defectu facultatis prædictæ debebunt poſtea de nouo contrahere. Nullo ergo modo ſufficit ad valorem Sacramenti matrimonij præſumpta ratihabitio Paſtoris, etſi ea poſtea ſequatur; quia nihil potuit operari antequam eſſet, nec eſſentia ſacramenti poteſt pendere à conditione futura.

7 Dico *ſecundò*, licentiam tacitam, quæ habetur ex ratihabitione de præſenti, ſufficere vt poſſit Sacerdos alienus aſſiſtere matrimonio, id notát, & amplectũtur communiter Doctores. Vt quando vidente & ſciente, ac Parocho tacente cùm poſſit facile, & ſoleat cõtradicere, aſſiſtit. Probo id, quia eſt eadem ratio hîc, & in facultate audiendi confeſſiones. Ad hãc autem ſufficit, ſi mihi conſtet Parochum ſcire, vel ſaltem credere me carere omni iuriſdictione, eumque eſſe talem, qui libertimè contradiceret, ſi factum meum non approbaret. Vnde tunc eius taciturnitas eſt expreſſum ſignum conſenſus; ergo. Firmo, quia ſcientia & patientia in iis quæ ſunt modici præiudicij, operatur conſenſum, vt docent Iuriſperiti. At huiuſmodi aſſiſtentia matrimonio, modicum, aut nullum præiudicium infert Parocho. Igitur illa ſcientia, & patientia inducit conſenſum, & legitimam licentiam.

8 Dico *tertiò*, non requiri licentiam ſpecialem ad matrimonium, ſed ſufficere generalem, qua Parochus concedit alicui Sacerdoti licentiam ad exercendum in ſua parochia quæ ad curam animarum pertinent. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia regulariter diſpoſitio, & conceſſio generalis eſt generaliter intelligenda, *cap. ſi Romanorum, diſt.* 19. ergo illa licentia generalis ad exercendum curam animarum eſt intelligenda generaliter, vt etiam matrimonium includat.

Vnde colligo non ſufficere ſi Parochus concedat alicui licentiam miniſtrandi omnia Sacramenta. Nam talis licentia intelligenda eſt, ſicut clauſula Bullæ Cruciatæ, concedens ſimilem licentiam, quæ intelligitur de Sacramentis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, quæ ſunt maximæ neceſſitatis. Placet tamen quod rectè obſeruat Sanchez *diſput. 35. numer.* 8. prædictam doctrinam eſſe veram, quando Parochus præſens eã licentiam concederet; nec eſt coniectura probabilis voluiſſe includere etiam matrimonium: ſecus quando Parochus in abſentia relinquit ſubſtitutum, tametſi ſolùm illi dicat vt adminiſtret Sacramenta vice ipſius; tunc enim ſufficiens eſt illi licentia ad matrimonium, quia eſt illum vicecuratum ſubſtituere, dum ipſe abeſt.

Dico *vltimò* prædictam licentiam non exigi in ſcriptis eſſe. Patet, quia Tridentinum ſolum petit Parochi licentiam, nec exprimit vt ea ſit in ſcriptis. At vbi Tridentinum vult licẽtiam concedi in ſcriptis, id expreſſit, vt *ſeſſ. 25. de regularibus cap. 5.* vbi præcipitur, vt nemini liceat intra ſepta monaſterij ingredi, cuiuſcumque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi, vel ſuperioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Et ratio eſt generalis, quia omnis diſpoſitio poteſt fieri verbo, niſi lex requirat ad actus valorem ſcripturam. Ex dictis 9

Colligo *primò*, licentiam aſſiſtendi matrimonio debere exprimi exteriùs, aliàs non intelligeretur eſſe cõceſſa: cùm homines non intelligant ſe per meros actus internos; imò & ſolum hoc modo cenſetur concedi humano modo: ſufficit autem conceſſio externa facta quibuſlibet verbis, vel ſignis.

Colligo *ſecundò*, ſufficere quoque approbationem Parochi præſentis & ſcientis me carere facultate, & ſimul videntis, quòd incipiam aſſiſtere matrimonio. Taciturnitas enim ipſius cùm poſſit contradicere, iudicatur conſenſus, dummodo talis ſit occaſio vt credam illum reſtituturum, niſi conſentiret.

Colligo *tertiò*, vt valida ſit aſſiſtentia Sacerdotis ex licentia à Parocho conceſſa, oportere vt non ſit reuocata. Quia ſi ſit reuocata à Parocho, iam non erit talis facultas, & perinde erit, ac ſi non fuiſſet conceſſa. Semel autem conceſſa ea facultas poteſt à Parocho reuocari pro libito, & ſine cauſa; quia conceſſio à ſola libera eius dependet voluntate. Cenſetur autem tunc reuocata, cùm reuocatio intimatur Sacerdoti nomine reuocantis; aliter ſemper cenſetur ſufficienter perſeuerare. Vnde non ſufficienter cenſetur reuocata, quouſque reuocatio intimetur ipſi habenti licentiam, ſiue per nuntium, ſiue per epiſtolam, & non ſufficere aliunde noſſe reuocationem.

SECTIO II.

Vtrùm Sacerdos habens licentiam ad aſſiſtendum, eam tamen ignorans, validè aſſiſtat.

CErtum eſt *primò*, debere eſſe ſacerdotem, cui conferatur licẽtia aſſiſtendi. Quare aſſiſtere Diacono 1

cono de licentia Ordinarij, vel Parochi, matrimonium
erit irritum. Ratio eſt, quia verba ſecundùm com-
munem intelligentiam accipienda ſunt. At ſecundùm
communem vſum loquẽdi verus Presbyter intelligi-
tr nomine ſacerdotis. Igitur dum Tridentinum dicit,
vel alio ſacerdote de licentia ipſius Parochi, vel or-
dinarij, intelligit verum Presbyterum. Poteſt ta-
men Parochus hanc licentiam concedere ſimplici ſa-
cerdoti, non approbato ab ordinario. Quia hanc ap-
probationem ſolùm petit Tridentinum *ſeſſ.* 23. *c.* 15.
pro confeſſionibus audiendis, propter magnam pru-
dentiam, vitæ probitatem, ac ſcientiam, quæ ad tale
miniſterium rectè obeundum exiguntur cum ſit me-
dicus, & iudex animarum. Poteſt verò ſacerdos cui
licentia datur, aſſiſtere, licèt ſit excommunicatus, vel
irregularis; quia, vt conſtat ex ſuperioribus prædi-
cta aſſiſtentia non eſt actus iuriſdictionis, exerceri-
que poteſt per excommunicatum, vel irregularem.

2 Certum eſt *ſecundò*, ſacerdotem cui conceſſa eſt
licentia non petita nomine ſuo, ſed à Parocho pro-
pria ſponte, vel rogato ab alio, quamdiu eam igno-
rat, non poſſe validè aſſiſtere matrimonio. Ratio eſt,
quia ſaltem tunc non habet licẽtiam acquiſitam, quia
non habet eam acceptatam à ſe, nec ab alio nomine
ſuo: ante acceptationem enim non cenſetur eam ab-
ſolutè haberi. Difficultas eſt, an quando Sacerdos ha-
bet licentiam nomine ſuo petitam, eam igno-
rat conceſſam, valeat illi ad validè aſſiſtendum ma-
trimonio. Reſolutio huius difficultatis pendet ex alia,
quam tractant Doctores in materia *de legibus*, an ni-
mirum conceſſio aliqua, vel priuilegium nondum
priuilegiario notum, nec ab illo acceptatum, confer-
re illi poſſit aliquod ius. quam exactè & latiſſimè
tractat noſter Suarez *lib.* 8. *de legibus cap.* 25.

Videtur autem eſſe communis Doctorum ſenten-
tia, quam etiam ſequitur Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 36. *n.* 2.
conceſſionem, vel priuilegium conceſſum priuatæ
perſonæ nihil poſſe operari ante notitiam habitam
illius ab ipſo priuilegiario. Quia ad effectum priuile-
gij vt validè operetur, non ſatis eſt conceſſio actiua
concedentis, ſed debet etiam ſupponi acquiſitio paſ-
ſiua; hæc autem non fit ſine voluntate priuilegian-
di acceptantis, nam beneficium non fit inuito, ne-
que aliquis potens vti voluntate, acquirit aliquid
non volens; ad voluntatem autem acceptandi neceſ-
ſaria eſt notitia, quia voluntas non fertur in inco-
gnitum; ergo de primo ad vltimum priuilegium
operari non poteſt ante ſui notitiam circa ignoratem.

Firmatur, quia priuilegium eſt quædam donatio;
3 hæc autem non acquiritur abſenti ante acceptationem.
Vnde vt perfecta ſit & irreuocabilis donatio, accepta-
tionem donatarij deſiderat, qua nondum ſecuta libe-
rè reuocari poteſt: nullus enim vim habet efficaciter
obligandi, donec mutuus conſenſus accedat; quia
obligatio non oritur niſi ex mutuo duorum conſen-
ſu. Vnde fit, vt etiam vota Deo facta obligatoria
non ſint, quando Deus ipſe ea non acceptat, vt cum
ſunt de rebus indifferentibus.

Eandem ſententiam ſequitur Vaſquez *tom.* 2. *in* 1.
2. *diſp.* 156. *c.* 4. dum ait, priuilegium quod habet
vim diſpenſationis in aliqua lege communi, non va-
lere, quouſque veniat ad notitiam priuilegiarij, quia
hic non poteſt licitè vti eo priuilegio ignorato, credi
autem non poteſt quòd conferens priuilegium, velit,
vt hoc valeat illi qui nequit tuta conſcientia vti eo; ad
hoc enim ipſum vt ſecurè operetur concedit priuile-
gium. Hanc ſententiam exiſtimo veriorem. Ad eam
exactè explicandam notandum eſt, eſſe diſtinguen-
dos varios modos, quibus poteſt ſacerdos prædictam
licentiam aſſiſtendi matrimonio petere à Parocho.
Nam illam petere poteſt per literas ad Parochum ab
ipſo ſacerdote miſſas; vel per nuntium ad eum miſ-
ſum, vel per ipſos contracturos, vel denique per pro-
curatorem. Videamus igitur an omnibus his modis
petita licentia vt habeat affectum, debeat eſſe nota ſa-
cerdoti, cui conceditur.

Dico *primò*, conceſſionem, vel priuilegium abla- 4
tiuum oneris, vt tollens inhabilitatem, vel obligatio-
nem legis, quaſi diſpenſando in illa, ordinariè non
habere effectum ante notitiam propriam priuilegia-
ti. Ita ſentio cum Vaſquez *citato*, quod etiam tenet
Suarez *loco cit. n.* 25. Ratio eſt, quia honeſtas talis actus
aliàs prohibiti pendet ex diſpenſatione iam conceſſa,
vel ex conceſſione valida; ergo qui non ſcit conceſ-
ſionem, vel diſpenſationem, validè & cum effectu
eſſe iam conceſſam, non poteſt prudenter & ſine gra-
ui peccato exercere talem actum. Quomodo enim
quis prudenter operari poteſt id, quod nondum ſcit
ſibi licere? ergo non eſt veriſimile voluiſſe conceden-
tem facultatem, vel priuilegium, concedere cum effe-
ctu diſpenſationem, antequam illius notitiam ha-
beat priuilegiatus. Patet conſequentia: tum quia non
eſt veriſimile velle dare occaſionem illius praui vſus;
tum etiam, quia diſpenſatio, vel facultas illa, vt dice-
bat Vaſquez, non datur niſi propter vſum honeſtum,
vel qui moraliter & regulariter poſſit eſſe honeſtus.

Dices, etiam facultas, vel diſpenſatio huiuſmodi
ſæpe datur, vt actio poſſit eſſe valida; ergo parum
refert quòd actio, vel vſus licitus ſit. Sed contrà eſt,
quia cùm eadem ſit lex prohibens & irritans actum,
non eſt veriſimile, concedentem diſpenſare ſtatim in
illa vt irritans eſt, & non eſt vt prohibens. Igitur vtrú-
que intendit conferens priuilegium, vel diſpenſatio-
nem, vt nimirum velit, vt ea non valeat illi, qui ne-
quit tuta conſcientia vti illa: ad hoc enim vitandum
tale priuilegium concedit. Hinc

Dico *ſecundò* licentiam illam aſſiſtendi matrimonio 5
conceſſam à Parocho non valere ſacerdoti donec ip-
ſe ſciat eam eſſe ſibi conceſſam. Id etiam defendit Ba-
ſilius Ponce *lib.* 5. *c.* 29. *n.* 8. dicens, licentiâ conceſsâ
vti non poſſe illum cui conceditur, niſi illi innote-
ſcat; nec ſatis eſſe quòd fuerit conceſſa ad eius peti-
tionem, & innotuerit procuratori, vel nuncio. Ra-
tio huius concluſionis eadem eſt ac præcedentis; quia
credi non poteſt Tridentinum, & Parochum velle,
vt licentia conceſſa valeat, & ſit vera licentia, quouſ-
que is, cui conceditur, poſſit eâ licite aſſiſtere, quia
ad id conceditur. At qui ignorat licentiam eſſe ſibi
conceſſam, quamuis iam acquiſitam acceptatione, à
nunc nequit licite eà aſſiſtere matrimonio.

Dico *tertiò*, quando prædictam licentiam à Parocho 6
petit Sacerdos per litteras, vel nuncium ab eo miſſum,
& ipſe Parochus eam concedit, non valere à tempo-
re quo id nuncio intimatur, ſed vt valeat, oportere
vt ipſi ſacerdori nota ſit, talis licentia per litteras Pa-
rochi mandato ſcriptas, vel per nuncium ab eo dire-
ctum. Ita expreſsè Coninch *diſp.* 17. *dubio* 3. *num* 32.
Et ratio eſt, quia prædictus Sacerdos non acquirit
eam licentiam & facultatem, niſi eam acceptet; non
poteſt autem eam acceptare niſi oblatam; nec po-
teſt cenſeri oblata, niſi offerens ſuam voluntatem
aliquo ſigno externo ipſi expreſſerit; ergo neceſſe eſt
vt eam conceſſionem cognoſcat per litteras Parochi
mandato ſcriptas, vel per nuncium ab eo miſſum.
Vnde non ſufficit eum conceſſionem cognoſcere per
aliquem qui caſu eam audiuit; quia offerens non
poteſt dici ſuam voluntatem ei per hunc ſignificare,
niſi eum ad ipſum direxerit. Eſt enim hæc conceſſio
priuilegij quaſi quædam donatio; hæc verò vt efficax
ſit, & omnino valida, oportet, vt per nuntium deſti-

natum ad id intimetur, vel etiam per literas à Parocho miſſas intelligatur.

7 Dico *quartò* idem dicendum de prædicta licentia obtenta per procuratorem, non valere à tempore quo id procurator intelligit, ſed à tempore quo priuilegiatus habet notitiam per illum. Moueor, quia, vt ſuprà dixi, intentum Parochi non eſt vt licentia ab eo conceſſa valeat quouſque Sacerdos cui conceditur poſſit ea licitè vti. At qui ignorat licentiam eſſe ſuo procuratori conceſſam, & ſuo procuratori intimatam vt de ea faciat principalem ſuam perſonam certiorem, nequit licitè virtute illius aſſiſtere matrimonio, neque vti illa; nullus enim propriè poteſt vti priuilegio ante notitiam eius, quia vſus proprius & legitimus requirit notitiam, vt per ſe conſtat. Si autem Sacerdos velit anticipare licentiæ vſum ante notitiam certam, propter ſpem licentiæ ac priuilegij, non rectè faciet, quia nundum ſcit ſibi licere.

Obiicies, ſufficere moralem præſumptionem & ſpem licentiæ conceſſæ, qualis habetur, quando, v.g. per coniecturas conſtat iam nunc eſſe impetratam per procuratorem licentiam. Reſpondeo omnino falſum id eſſe, & contra iudicium omnium prudentum. Tum quia talis operandi modus eſt infinitis periculis expoſitus, nam coniecturæ illæ facile fallunt; & negotium quod breui tempore expediendum creditur, per occaſiones innumeras impeditur, vel differtur ex alio capite, res eſt materia grauiſſima, ex qua pendet validitas matrimonij, eiuſque ſubſtantialis ſolemnitas. Tum etiam, quia lex Tridentini de aſſiſtentia Parochi in contractu matrimonij, eſt, vt ita dicam, in actuali poſſeſſione prædictæ obligationis; ergo non poteſt illa priuari, donec conſtet conceſſum eſſe à Parocho priuilegium, ſeu licentiam alteri Sacerdoti, vt loco ipſius matrimonio aſſiſtat.

8 Dico *vltimò*, non eſſe facilè credendum contracturis ſe habere licentiam vt alienus Sacerdos matrimonio aſſiſtat, niſi ſint perſonæ valde fide dignæ. Ita cōmuniter Doctores. Ratio eſt, quia in his, quæ pertinent ad forum externum, vt pertinet dicta licentia, eſt difficile credendum partibus. Firmo, nam licèt in foro pœnitentiali, ad quem pertinent confeſſio, Euchariſtia, & Extrema vnctio, credatur ſe habere licentiam dicenti, at in foro externo & in rebus ſpectātibus ad ipſū non creditur, vt conſtat ex *c. ſicut, de ſentent. excommunicationis*, vbi probatur non adhiberi fidem excommunicato, dicenti ſe abſolutum eſſe ab excommunicatione, niſi excommunicati literas abſolutionis oſtendant, aut alio modo legitimè de eorum abſolutione conſtet: non alia de cauſa, niſi quia pertinet ad forum externum; ergo cùm matrimonium pertineat ad forum externum, & ad externam Eccleſiæ gubernationem, non creditur dicenti ſe habere licentiam. Niſi aliàs perſonæ ſint valde timoratæ, & fide dignæ. Nam etiam notant Doctores, Paludanus, Angelus, Syluester & Nauarrus, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 3. diſput. 37. numer. 3.* tametſi *in cap. ſicut, de ſenten. excommunicationis* dicatur non eſſe credendum excommunicato, dicenti ſe abſolutum eſſe, niſi id legitimè oſtendat; nihilominus tamen ſatis eſſe ſi excommunicatus ſit perſona fide digna, & aſſerat ſe abſolutum eſſe; ergo ſimiliter in matrimonio eſt dicendum. Quando enim agitur ſolùm de periculo animæ eorum qui contracturi ſunt, in rebus merè ſpectantibus ad forum conſcientiæ, rationi conſonum eſt ipſis credi; ſecus quando agitur de re ſpectante ad forum externum, & ad externam & prudentem gubernationem Eccleſiæ, & validitatem in foro externo rei adeò grauis, qualis eſt matrimonij contractus, & ideo non facile credi debet niſi perſonæ contracturæ ſint ſpectatæ virtutis, & valde fide dignæ. Quia durum eſſet talibus ſine euidenti cauſa fidem negare.

Sectio III.

An Sacerdos cui Parochus committit, vt matrimonio aſſiſtat, poſsit id munus obire in aliena parochia, & diœceſi.

DE Parocho iam oſtendi ſuprà præcedenti diſpu- 1
tatione *ſect. 2. numer. 5.* poſſe validè & licitè intereſſe matrimonio, etiamſi in aliena parochia vtriuſque contracturi, vel etiam in aliena diœceſi celebretur. Difficultas eſt de ſacerdote delegato.

Primò, quia Religioſi, quia ſunt delegati confeſſores, non poſſunt audire confeſſiones extra diœceſim. Sic enim habetur Clementina *Dudum*, de ſepult. Vbi de illis poſſe audire confeſſiones intra diœceſes Epiſcoporum quibus ſunt præſentati.

Secundò, idem oſtenditur ex communi vſu, quo Parochus ſolet alieno Sacerdoti committere facultatē aſſiſtendi matrimonio, quam videtur limitare intra parochiam: quia ſic ſolet concedi, Coniunge matrimonio Petrum & Mariam in Eccleſia mea, vel in mea parochia; vel etiam, Vade domum Mariæ, & aſſiſte ibi matrimonio, quæ domus eſt intra ſuam parochiam.

Tertiò, alienus Sacerdos extra parochiam Parochi, vel diœceſim illius, eſt omnino priuata perſona; ergo nequit extra eam iuriſdictionem voluntariam exercere; ergo neque aſſiſtere matrimonio, quia eiuſmodi aſſiſtentia licèt non ſit propriè actus iuriſdictionis, reducitur tamen ad iuriſdictionem voluntariam. Propter hoc argumentum negat Nauarrus *lib. 4. tit. de ſponſalibus conſ. 47.* poſſe ſacerdotem proprium & alienū iungere matrimonio in alieno territorio. Quia in contrahendo Tridentinum requirit præſentiam Parochi, ſiue Ordinarij autorizantis per poteſtatem quā habet in ſubditum eo loco in quo contrahitur, qui tamen extra eum locum in alieno territorio cenſentur priuatæ perſonæ quoad exercitium ſuæ poteſtatis.

Cæterùm multo verius eſt, non tantùm proprium 2
Parochum, ſed etiam aliū ſacerdotem de illius licentia aſſiſtentem matrimonio, validè aſſiſtere extra propriam parochiam, vel diœceſim, ſicut ſi Parochus ipſe extra illam intereſſet. Ita Sanchez *lib. 3. diſput. 34. numer. 2.* Coninch *diſput. 27. dub. 3. numer. 38.* Rebellus *lib. 2. quæſt. 8. numer. 5.* Baſilius Ponce *lib. 5. cap. 29. numer. 9. & 10.* Paulus Conitolus *lib. 2. reſponſorum moral.* & alij. Moueor *primò*; quia ex decreto Tridentini conſtat formam ab eo præſcriptam ſeruandam in matrimoniis in eo intrinſecè, & eſſentialiter ſitam eſſe, vt adſit Parochus, vel alius Sacerdos de licentia Parochi, vel Ordinarij, & duo præterea teſtes. Igitur reliqua omnia, tempus, & locus, & alia accidentaria ſunt. Cumque Tridentinum non addat matrimonij contractum fieri debere in parochia, vel territorio proprij Parochi; cur ergo addetur tam odioſa limitatio in decreto exorbitante à iure communi? Quod proinde ſtricti iuris interpretationem recipere debet; præſertim cum ea limitatio ſit contra fauorem, ſeu validitatē matrimonij. *Secundò, l. 2. ff. de off. proconſu. & c. nouit. de offic. legat.* indiſtinctè decernunt poſſe iuriſdictionem voluntariam extra territorium exerceri; nec faciūt vim in eo quòd iuriſdictio exercentis ordinaria ſit, ſed quia nulla irrogatur iniuria iudici alieni territorij, cùm abſque ſtrepi-

ru,

Digitized by Google

re, & figura iudicij exerceatur. Quæ ratio æquè militat in iudice ordinario, & delegato. Firmo, quia munus auctorizandi matrimonium non pertinet ad iuriſdictionem litigioſam, cùm non exerceatur inter partes litigantes, ſed ad voluntariam, cùm fiat inter contracturos circa huiuſmodi contractus approbationem à Parocho faciendam conſentientes. At quæ non ad contentioſam, ſed ad voluntariam iuriſdictionem pertinent, conſtat exerceri poſſe extra locum iuriſdictionis; idque procedit, etiamſi res fiat per delegatum. *Tertiò*, Paſtor poteſt aſſiſtere extra ſuam parochiam, vt ſupra oſtendi; ergo & poteſt alteri dare veniam aſſiſtendi. Quod etiam clariùs conſtabit ex ſolutionibus argumentorum contrariorum.

3 Ad primum dico, iuxta communiſſimam Doctorum ſententiam, iuriſdictionem ad audiendas confeſſiones non terminari localibus terminis, ſed perſonis. Quare Epiſcopus poteſt abſoluere ſubditum ſuum, ſi cum illo ſimul verſetur extra diœceſim ſuā, vel poteſt illi dare facultatem eligendi Confeſſorem vbicumque extiterit. Ratio eſt, quia hoc Sacramentum per ſe requirit iuriſdictionem in perſonam, quia illa iudicanda eſt; hæc autem iuriſdictio nec acquiritur, nec amittitur ratione præſentiæ, vel abſentiæ localis. Præterea hoc iudicium ſacramentale non requirit publicam & exteriorem ſolemnitatem in determinatione loci, vel aliarum cerimonialium; & ideo qui aliàs eſt ordinarius iudex reſpectu perſonæ, poteſt vbicumque voluerit ius dicere: in quo differt hoc iudicium ab externo. Nam iuriſdictio Epiſcopi in ordine ad ſui ſubditi abſolutionem à peccatis, non eſt contentioſa, nec requirit ſtrepitum iudicialem. Idem ſeruata proportione, etiam in delegatis locum habet, vt rationes factæ probant rectè illam circumſtantiam loci nihil referre ad abſolutionem à peccatis, nec tollere, nec dare iuriſdictionem. Quod intelligi debet dummodo Epiſcopus delegans non limitet delegationem ad talem locum, vel diœceſim. Hinc autem manifeſtè colligitur Religioſos approbatos poſſe audire confeſſiones ſubditorum, extra diœceſim, qui ſunt etiam delegati, ob rationes dictas. Nec obſtat illud Clementinæ *Dudum*: quia tametſi ibi dicatur de illis poſſe audire intra diœceſim; at ſenſus eſt, non poſſe extra diœceſim audire illos, qui non ſunt illius diœceſis, in qua ſunt præſentati, ſeu approbati; ne putarent ſe vbi ſemel approbati ſunt in vna diœceſi, eſſe totius orbis Confeſſores.

Ad ſecundum, etiam ſi Parochus illis vtatur for-
4 mulis, non videtur limitare licentiam ad aſſiſtendum intra parochiam. Nam omnia illa fiunt causâ demonſtrationis, & non causâ reſtrictionis. Quando enim dicit in Eccleſia, quis dicet validè non aſſiſtere in priuata domo conſtituta intra parochiam? Et quando dicit, do licentiam ad aſſiſtendum matrimoniis in mea parochia, ſenſus legitimus videtur eſſe, do licentiam ad coniūgendos matrimonio meos parochianos: ſicut dum dicitur Clementina *Dudum*, poſſe Religioſos audire confeſſiones intra diœceſim, non fuit animus Pontificis locum reſtringere, ſed perſonas, id eſt, ſubditos illius diœceſis. Et conſtat id clariſſimo Tridentini exemplo, quod *ſeſſ. 24. de reformat. c. 6.* dans facultatem ibi Epiſcopis diſpenſandi in irregularitatibus, & abſoluendi in quibuſcumque caſibus occultis, etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, limitat clarè prædictam facultatem, vt intra diœceſim ſolùm illam habeant, ſic dicens, *delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in diœceſi ſua in foro conſcientiæ gratis abſoluere*, &c. Vbi conſultò dixit, *ſubditos ſuos*, & *ſua diœceſi*, vt clarè ſignificaret Concilium limitare perſonas, & locum.

Ad tertium negatur antecedens: nam ſicut nomen Epiſcopi & Parochi eſt nomen hominis publicam auctoritatem habentis tam in propria, quàm in aliena parochia, vel diœceſi, ita & aliud Sacerdotis pro ut ſubſtituti loco Ordinarij, vel Parochi nomen auctoritatis iudicari debet, publicum officium exprimens à Concilio præſcriptum, vt occurratur incommodis clandeſtini matrimonij, & ipſi Eccleſiæ conſtet matrimonium ipſum.

Sectio IV.

An & quomodo ſit valida licentia aſſiſtendi matrimonio ſub conditione conceſſa.

Certum eſt dictam licentiam non eſſe validam, ſi 1
non ſeruentur conditiones licitæ & honeſtæ, ſub quibus datur, dependenter ab illis; ſecus verò ſi iſtæ adimpleantur. Hoc de ſe patet, quia certum eſt delegatum obligari vt eas ſeruet, modò rationabiles ſint, etſi delegans det facultatem dependenter ab illis, quis dubitet non eſſe validam licentiam ſi non adimpleantur.

Difficultas eſt in aſſignandis caſibus, in quibus conditio adhibita à Parocho in conceſſione, irritet actum, ita vt ea non ſeruata, conceſſio ſit nulla; an potiùs adhuc ea non ſeruata ſit inualida dicta conceſſio.

Communiter Doctores circa eiuſmodi conditio-
nes duas tradunt regulas generales, præſertim Co- 2
uarruuias *in c. Alma mater, p. 1 §. 9. num. 8.* & Nauarrus *c. 27. num. 37.*

Prima eſt, quando conditio illa eſt etiam in iure, & in conceſſione exprimitur ſub eadem forma iuris; tunc eius omiſſio non irritat actum, niſi etiam ea conditio in iure irritans ſit. Quia conditio tacitè ſubintellecta, & expreſsè appoſita idem operantur; atqui illa conditio ex iuris interpretatione ſubintellecta non irritat actum; ergo nec eum irritat expreſsè appoſita.

Secunda regula eſt, quando conditio non eſt in iure, vel eſt in alio modo, & aliter apponitur, quàm de iure ineſt, tunc ea non ſeruata, actus eſt irritus.

Ipſe verò his regulis ſubſcribo, quas bonas iudico, niſi aliud conſtet ex intentione, ac voluntate concedentis. De qua ſi conſtet, non eſt multum laborandum de reliquis, vt omnes fatentur. Vel etiam niſi aliud conſtet ex fine: ſemper enim ſpectandus eſt finis ob quem conditio eſt addita. Nam ſi irritatio actus ex omiſſione conditionis conduceret ad finem præſcriptum obtinendum, ſignum eſſet eſſe in concedente voluntatem irritandi actum ex omiſſione talis conditionis. Si verò irritatio ad id non conduceret, non eſt credendum voluiſſe obligare tam rigoroſè; non enim eo modo ſe prudenter gereret.

His præmiſſis facilè expediri poſſunt varij caſus circa hanc rem, quos ſequentibus propono dubiis.

Dubitatur igitur *primò*, an ſi concedatur facultas
hoc pacto: Do tibi licentiam aſſiſtendi matrimonio, 3
aut ſi præcipias contracturis ne conſumment matrimonium ante benedictionem, vel ante denuntiationes, an iſtis omiſsis, valida ſit aſsiſtentia. Reſpondeo in his omnibus caſibus, facultatem aſsiſtendi, & aſsiſtentiam ipſam validam eſſe. Ita bene Sanchez *diſp. 33. num 2. & 3.* Coninch *diſp. 27. dubio 3. num. 36.* & alij. Probatur, tum quia prædictæ conditiones in iure

Digitized by Google

iure non irritant contractum; ergo nec irritabunt aſſiſtentiam iuxta primam regulam adductam. Præterea, quia illa forma in commiſſione expreſſa circa denúciationes, pertinet ad eſſentiam licentiæ, ſed ad inſtructionem, vt ſciat Sacerdos quid moniturus ſit. Nam quoties Epiſcopus diſpenſat in monitionibus, ſiue coram Parocho contrahendum ſit matrimonium, ſiue coram alio ſacerdote de licentia Epiſcopi, aut Parochi, datur eadem inſtructio, vt moneat ſponſos, ne ante monitiones conſumerent, & datur eodem tenore. At quis dicet in Parochis eſſe formam eſſentialem ad valorem matrimonij? non igitur eſt cur talis ſit in alio ſacerdote. Firmo id ampliùs, quia nemo negare poteſt ſatisfieri intentioni Prælati, ſi Sacerdos poſt contractum matrimonium, ſtatim imponat dictum præceptum de monitionibus faciendis ante conſummationem; imò ita communiter fieri ſolet, quia ad finem, quem Prælatus intendit, nihil refert antè, vel pòſt imponi; ergo non eſt requiſitum eſſentiale ad matrimonij valorem, aliàs neceſſariò præmittendum eſſet matrimonio. Cùm enim denunciationes non ſint de eſſentia matrimonij, præceptum intimandi, vt conſummationi præmittantur, non eſt cur dicatur peti, tanquam requiſitum eſſentiale ad illius valorem. Denique idem potiori iure dicendum, quando Parochus concedit veniam aſſiſtendi ſacerdoti, modò præcipiat coniugibus ne ante benedictionem conſumment; quia hoc non eſt tanti momenti, nec obligans ſub peccato ſaltem mortali, vt rationabiliter velit eos aliàs irrite contrahere.

4 Dubitatur *ſecundò*, an ſi in commiſſione facta ſacerdoti vt interſit matrimonio, præmiſſis denuntiationibus, vel ſi contrahendi impedimento careant, & Sacerdos iſte illis omiſſis, nec præmiſſa indagine impedimenti, interſit, valeat matrimonium, ſi reuera nullum erat impedimentum dirimens. Reſpondeo eo non obſtante validam eſſe dictam aſſiſtentiam, & licentiam. Moueor, quia quoties exprimitur in commiſſione forma iuris communis, eo modo quo iure ineſt, non eſt intentio committentis inducere nouam formam & conditionem, ſed eſt monitio quædam, vt ſeruetur forma iuris communis; ergo ea prætermiſſa non irritatur actus, qui aliàs validus eſſet, niſi in cõmiſſione ea forma exprimeretur. Firmo, quia expreſſio eius quod tacitè ineſt, nihil prorſus operatur, *c. ſignificaſti, de electione*, nam licèt non exprimeretur, iure ſubintelligebatur. Igitur cùm ſit iure communi expreſſa illa forma, præmiſſis denunciationibus *cap. finali, de clandeſt. deſponſ.* & in Tridentino *ſeſſ. 24. c. 1. de matrimonio*, & ſimiliter ſi non ſint impediti, vt conſtat ex eodem Tridentino *c. 1.* ibi, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum; dum exprimitur in ipſa licentia ea forma, non eſt conditio, & reſtrictio licentiæ, ſed admonitio, vt ſeruetur dictum caput finale, & Tridentinum; atque adeò cùm in neutro loco præſcribantur monitiones, tanquam de eſſentia matrimonij, illarum omiſſio nec vitiabit licentiam, nec matrimonium.

Hinc colligo, ſi in commiſſione facta ſacerdoti dicatur, coniunge aliquos matrimonio, ſi per ſolertem indaginem inueneris, eos non eſſe impeditos, dictum ſacerdotem inualidè intereſſe, ea informatione non præmiſſa. Ratio eſt, quia illa verba conditionem important alio modo quàm iure ineſt, & formam ſpecialem inducunt: nam aliud eſt dicere, ſi fuerint idonei; tunc enim non inducitur conditio, quia iure ineſt, & exprimitur modo quo ineſt; aliud verò, ſi inueneris eſſe idoneum; quia petitur informationem fieri, quod iure non inerat, & ideo talis clauſtra inducit formam & conditionem.

Dubitatur *tertiò*, quando Petrus & Maria volunt contrahere, & Franciſca ſe opponit matrimonio, dicens ſe ſub promiſſione matrimonij defloratam à Petro, vel ſaltem contraxiſſe cum eo ſponſalia, præſertim iuramento firmata; ſi tunc Parochus committat ſacerdoti licentiam vt aſſiſtat, ſi reperiat Petrum non eſſe Franciſcæ obligatum, & Sacerdos de eo nec inquirat, nec curet, ſed aſſiſtat matrimonio, erit ne ea aſſiſtentia inualida, & matrimonium irritum? Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia Parochus delegans in eo caſu ſine iniuria partis non poteſt velle matrimonium, eo caſu eſſe ratum & validum, imò expreſsè vult ne illud matrimonium cedat in graue præiudicium partis, cùm expreſsè dicat vt aſſiſtat, ſi reperiat Petrum non eſſe obligatum Franciſcæ; ergo cenſetur velle irritum eſſe contractum ſine ſufficiente inquiſitione factum, quia cederet in graue præiudicium partis, ſi validus eſſet; ergo. 5

Dubitatur *vltimò*, an ſi Epiſcopus per ſe, vel per conſtitutionem Synodalem interdicat Parochis dare licentiam aſſiſtendi niſi ſacerdotibus approbatis ab Epiſcopo, & Sacerdos cui data eſt licentia, non ſit ex approbatis, ſit valida dicta licentia, aſſiſtentia, & matrimonium ipſum? Reſpondeo cum Sanchez *lib. 3. diſp. 32. n. 2.* validum id totum eſſe, niſi Epiſcopus, aut conſtitutio Synodalis expreſsè addat decretum irritans aliter geſta. Ratio eſt, quia id ſpeciale ſtatutum eſt in fauorem matrimonij, vt irritum non reddatur ex ſimplici prohibitione, ſic conſtat ex *cap. 2. de matrimonio contracto contra interd. Eccl.* ibi Licèt enim contra interdictum Eccleſiæ ad ſecunda vota tranſire non debuerit, non tamen eſt conueniens, vt ob id ſolum ſacramentum coniugij diſſoluatur. Igitur quàuis Epiſcopus, vel ſynodalis conſtitutio ſimpliciter prohibeat, dum non addit decretum irritans, matrimonium non irritabitur. Firmo amplius, nam Tridentinum *ſeſſ. 24. de matrimonio c. 7.* præcipit Parochis, ne interſint vagorum matrimonio, niſi præmiſſa diligenti informatione, & Epiſcopi licentia, & tamen ſi Parochus his non ſeruatis, interſit eorum matrimonio, eſt validum, vt oſtendi diſputatione præcedenti *ſectione 7. num. 9.* ergo ſi coniungere aliquos matrimonio, contra Concilij prohibitionem, vel dare licentiam alteri, ad coniungendum, abſque diligentia ibi præſcripta, non reddit illud irritum, à fortiori non reddet ſimplex Epiſcopi, vel Synodi prohibitio. 6

SECTIO V.

An ſufficiat ad validitatem matrimonij licentia Parochi extorta per vim & metum.

PRocedit quæſtio de metu abſolutè graui, qui cadit in conſtantem virum. Videturque nonnullis inualidam eſſe talem licentiam. 1

Primò, quia quæcumque donatio non liberalis eſt inualida, quia liberalitati repugnat donatio coacta; at talis eſt quæ extorquetur per talem metum. Antecedens illud eſt certum ex liberalitatis definitione; nam liberalitas eſt virtus beneficiorum erogatrix, quæ pro affectu habet benignitatem, & pro effectu beneficentiam. In eo autem qui inuitus donat, nequaquam beneficium eſt. Igitur ex liberalitatis natura liquet repugnare coactam donationem.

Secundò, iuriſdictio per metum extorta non valet, *l. 2. ff. de iudiciis*, at prædictæ licentiæ conceſſio vel eſt

actus

Digitized by Google

actus iuriſdictionis, vel ad illam reducitur;ergo.

Tertiò, contractus matrimonij, quia eſt nullus metu extortus, etiam & dos promiſſa vel ſoluta per metum eſt omnino irrita,quia eſt neceſſaria ad matrimonium ; ergo cùm prædicta licentia ſit etiam acceſſoria matrimonio , vt validè fiat, ſi obtineatur per metum, inualida erit.

2 Dicendum tamen eſt, validã eſſe prædictam licentiam , quamuis metu graui obtineatur. Ita Sanchez *lib. 3. diſput. 39. numer.* 13. Coninch *diſput.* 27. *dub.* 3. *numer.* 37. Hurtado *diſput.* 5. *difficult.* 11. *num.* 39. & alij.

Moueor *primò*,quia contractus lucratiui,in quibus nihil rependitur , vt ſunt ſimplex promiſſio & donatio , tametſi metu graui extorti , validi ſunt iure naturæ,& iure poſitiuo. Nam ſunt ſimpliciter volũtarij. Qui enim metu coactus conſentit , abſolutè conſentit voluntariè : omnibus enim conſideratis vult. Eſt etiam in illis contractibus,titulus iuſtus ; nam in contractu donationis , v. g. titulus legitimus eſt ipſemet titulus donationis , qui ſolùm importat dationem liberalem , id eſt, nullo pretio recepto. Et quamuis hic titulus reperiatur cum admixtione inuoluntarij ratione metus , dicitur titulus iuſtus , id eſt , titulus, cuiius non reſiſtit , ipſum annullans. Metus verò iniuriæ , quæ in tali donatione intercedit , nihil obeſt. Tum quia iniuria non eſt immediata cauſa contractus , ſed conſenſus contrahentis. Tum etiam , quia tametſi iniuria poſſit eſſe ſufficiens cauſa ad reuocandum conſenſum, & contractum irritandum, non tamen eſt ſufficiens vt ipſum reddat omnino irritum;vt conſtat in contractu , cui dolus cauſam dedit , qui, etſi iniuria interueniat , non eſt tamen iure naturæ irritus , ſed irritandus , quia talis dolus verſatur , non circa ſubſtantiam contractus , aut materiæ , ſed circa cauſam contrahendi , quæ eſt extrinſeca rei & acceſſoria,ac proinde non tollit conſenſum qui ſit ſufficiẽs ad naturam contractus. Videantur à nobis dicta ſuprà *diſput.* 17. integra *ſect.* 3.*&* *ſect.* 5.*numer.* 2. *&* 3.

Moueor *ſecundò* , quia illa licentia , loquendo in rigore , non eſt donatio alicuius rei , quæ fiat illi , cui datur licentia ; quia ſi talis eſſet , poſſet videri inualida defectu tituli , nempe liberalitatis ; quamuis , vt dixi,reuera non ſit inualida , ſed eſt quædam conceſſio facultatis ad aſſiſtendum , quæ abſque vllo fundamento negatur eſſe valida , quamuis concedatur ab inuito ratione metus & coactionis, ſi hic & nunc efficaciter concedatur. Et certè ſi Parochus iuſtè cogeretur ad hanc licentiam concedendam , nemo diceret eſſe inualidam , & tamen eſſet ſimile inuoluntarium, & ſimile nolle;ergo tametſi iniuſte cogatur, erit idem dicendum.

Denique moueor , quia tametſi iuriſdictio metu extorta nequeat validè transferri , id tamen extendi non debet abſque aliquo textu contra regulam generalem , ad licentiæ conceſſionem , quæ nec actus iuriſdictionis eſt, nec per eam iuriſdictio aliqua transfertur : nam auctoritatem præſtare matrimonij contractui ſua pręſentia,nõ eſt actus iuriſdictionis. Quod à poſteriori patet , quia præſentia Parochi vel Sacerdotis ex eius licentia omnino inuiti, & contrariam intentionem habentis ſufficit ad valorem matrimonij,vt oſtendi ſuprà præcedenti diſputatione *ſect.* 10. *numer.* 9. & tamen nullus actus ſiue Ordinis , ſiue iuriſdictionis , validè poteſt fieri ab omnino inuito , & contrariam habente intentionem.

Ad argumenta oppoſita.

3 Ad primum dico,non obſtante illo metu graui donationem eſſe liberalem , & procedere ex affectu benignitatis , & beneficentiæ , quia ſit donatio nullo pretio recepto , neque vt aliquid reddatur donanti tanquam iure debitum , & ideo eſt abſolutè datio liberalis , quæ eſt intrinſeca ratio donationis. Neque enim donationi liberali propriè repugnat coactio, ſed donatio oneroſa.

Ad ſecundum , in primis dico verius eſſe iuriſdictionem metu extortam validè transferri. Lex verò illa in contrarium adducta , loquitur in caſu ſpeciali, dum litigantes compelluntur conſentire in iudicem non ſuum , & ita prorogare eius iuriſdictionem,quæ prorogari nequit niſi libera eorum voluntate ; & ita cùm ſit caſus ſpecialis , exceptus à regula generali, tradenti geſta metu tenere , non debet extendi. Addo quod ſuprà iam eſt dictum , tametſi iuriſdictionis tranſlatio , & prorogatio eſſet inualida , non eſſe id extendendum ad licentiæ conceſſionem , abſque aliquo textu.

Ad tertium dico, ideo dotem promiſſam , vel ſolutam ob metum grauem , eſſe irritam. Quia cùm ſit acceſſoria ad matrimonium,ita eſt cautum & pręſcriptum *ff. quod metus cauſa* , *l. ſi mulier* , §. *ſi dos.* At de licentia illa, tametſi ſit neceſſaria ad validitatem contractus matrimonij , nullus eſt textus , nulla eſt lex inualidam illam reddens;& ideo abſque vllo fundamento ad illam extenditur.

SECTIO VI.

An valida ſit licentia Sacerdotis dolo & mendaciis impetrata à Parocho, aliàs nullatenus conceſſuro.

SEnſus quæſtionis eſt , an ſi quis falſo nomine alicuius magnatis , vel parentis petat à Parocho vt concedat licentiam certo Sacerdoti vt aſſiſtat tali matrimonio , talis licentia ſic dolo & mendacio extorta, valida cenſenda ſit. 1

Eſſe inualidam probant nonnulli.

Primò , quia falſitas circa cauſam finalem diſpoſitionis , ipſam vitiat ; ſed in hoc caſu eſt falſitas circa cauſam finalem , quia Parochus illa ratione ceſſante nullo modo conceſſiſſet eam licentiam ; ergo.

Secundò, diſpenſatio ex falſa cauſa obtenta eſt ſubreptitia , & nulla , *cap. quia , de conſanguinitate* ; ſed prædicta licentia conceditur ex falſa cauſa , & eſt quædam diſpenſatio ; ergo eſt nulla.

Tertiò , deeſt conſenſus Parochi in ea licentia;ergo eſt inualida : antecedens probatur , quia nihil magis contrarium conſenſui , quàm error , *l. ſi per errorem. ff. de iuriſdictione omnium iudicum.* In hac re

Dico *primò* , validam eſſe licentiam , quando certò conſtat de Parocho , etiamſi ſciret mendacium, adhuc illam conceſſiſſet. Hoc eſt certum , quia in eo euentu ipſe verè ac liberè eam concedit ; ergo non eſt cur inualida iudicetur. Firmo , quia tunc dolus ſeu mendacium propriè non dedit cauſam conceſſioni licentiæ, cùm etiamſi illud ſciret , tamen vellet concedere. Et communis eſt Doctorum ſententia, dolum , vel mendacium quod verſatur non circa ſubſtantiam contractus,aut materiæ , ſed circa cauſam contrahendi, quæ rei eſt extrinſeca , & acceſſoria , ſi ea talis ſit vt propriè non det cauſam contractui , quia etiam ſi illam ſciret contrahens , tamen vellet contrahere , non reddere illum inualidum. 2

Dico *ſecundò* , idem dicendum ſi petitio illa falſa magnatum , non fuit Parocho cauſa motiua , ſed impulſiua tantùm. Patet , quia tunc illa ratio impellens Parochum non fuit quæ mouit Parochum abſolutè 3

ad

ad licentiæ conceſſionem, quia non fuit ratio finalis; ergo ea ceſſante, non ceſſat licentia conceſſa. Vnde in hoc ſenſu eſt verum dictum commune Theologorum & Iuriſperitorum, ceſſante cauſa impulſiua, non ceſſare diſpoſitionem.

4 Dico *tertiò*, etiamſi talis dolus, vel mendaciũ fuiſſet
cauſa impulſiua & motiua, ſine qua licentia non fuiſſet conceſſa, dummodo habuerit Parochus aliud motiuum & finem eam concedendi, adhuc licentiam conceſſam eſſe validam, & conſequenter contractum matrimonij. Probatur, quia tunc habuit aliud motiuum & cauſam finalem, quæ eum mouit ad eam licentiam dandam; ergo valida eſt. Nec obeſt illum dolum, vel falſitatem Parocho propoſitam fuiſſe cauſam, ſeu potiùs conditionem ſine qua non; quia in naturalibus videmus aliquid eſſe conditionem, & nõ eſſe cauſam principalem. Vt remouens prohibens eſt cauſa ſine qua non eſt deſcenſus lapidis, cùm tamen talis deſcenſus cauſa principalis, & vnica ſit propria lapidis grauitas In moralibus quoque extat *l. 1. §. ſexum. ff. de poſtulando.* vbi ſancitum eſt ne mulieribus in poſterum cauſas agere liceat. Quod non fuiſſet ſancitum niſi Calphurniam impudenter in iudicio poſtulaſſet. Hæc enim fuit mulier importuniſſima, quæ ſexus ſui verecundiã oblita, per ſe ipſam cauſas egit, adeoque moleſtam ſe iudicibus præbuit, vt occaſionem dederit legis, qua cautum eſt ne mulieri in poſterum cauſas agere liceat. Et tamen notat ibi Iuriſcõſultus, dictam Calphurniam non dediſſe cauſam finalem, ſed primam & principalem cauſam fuiſſe, vt iretur obuiam impudẽtiæ fœminarum, vt benè notat ibi Gloſſa *verb. cauſam.* Similiter igitur in præſenti, tametſi Parochũ impulerit ac mouerit ad conceſſionem licentiæ falſa petitio Principis, vel parentis, verè illum mouit alia præcipua cauſa, quæ eſt ex officio ipſũ teneri per ſe, vel alium aſſiſtere; atque ideo talis licentia valida eſt & ſubſiſtens. Videantur dicta ſuprà *diſput. 24. ſect. 3. numer. 11.*

Dico *quartò*, ſi illa falſa exiſtimatio Principis, vel
5 Magnatis talem facultatem petentis, fuit vnica & totalis cauſa finalis, & motiua prædictæ conceſſionis, tunc in eo caſu validam non fuiſſe licentiam. Hoc etiã videtur certum, quia tunc ille dolus & mendacium tollit omnino conſenſum, qui eſt ſimpliciter neceſſarius ad liberam talis licentiæ conceſſionem. Vnde ex defectu conſenſus erit nulla talis licentia, cùm abſolutè non conſentiat voluntariè, nec velit niſi ob eam cauſam vt veram ab ipſo apprehenſam, cum tamen reuera ſit falſa.

Dico *quintò*, regulariter loquendo non ita contin-
6 gere; vt velit Parochus ſuam licentiam eſſe nullam, ſi cauſa allegata falſa ſit Patet, quia non videtur rationi conſonum, vt ea ſit mens Parochi concedentis licentiam, vt nimirum velit eam eſſe irritam, ea petitione falſa exiſtente, ob damnum graue quod inde ſequitur, vt videlicet matrimonium paſſim irritetur. Quod maximè firmo, quia Parochum, vel Ordinarium concedentes prædictas licentias, ſi ſint viri docti & prudentes, non latet, ſæpè mendaces eſſe, & fictitias ſimiles Principum & Magnatum petitiones. Vnde non illis innituntur vt eas concedant, ſed quia tenentur ex officio per ſe, vel alium aſſiſtere, atque adeò validè concedunt.

Dico *vltimò*, in eo caſu, in quo mendacium & do-
7 lus eſſet circa ſubſtantiam, vel concedens exprimeret deficiente veritate talem licentiam non cõcedere, certum eſt conceſſionem inualidam fore. Hoc negari nõ poteſt, quia in primis, ſi putaretur Petrus petere ſibi hanc facultatem, & non Paulus, eſſet error, vel dolus circa ſubſtantiã, quia deeſt ſubſtãtialis conſenſus, cum nõ conſentiat in illum quẽ putat, ſed in aliũ. Atque in hoc ſenſu intelligenda eſt lex illa ſi per errorem adducta ſuprà in argumẽto tertio oppoſito. Vbi dicitur, nihil tam eſſe contrarium conſenſui, quàm errorem; apertè enim de eiuſmodi errore ſubſtantiali loquitur. Præterea quando concedens limitat ſuam conceſſionem, ſi vera ſunt quæ proponuntur, clariſſimum eſt deficiente veritate conceſſionem eſſe nullam. Atque hæc eſt ratio cur reſcripta Pontificum dolo obtenta, ſunt nulla: quia Pontifex hoc in iure apertè declarauit.

Ad argumenta primo loco propoſita.

Ad primum, iam dictum eſt dicto quarto, cauſa finali vnica ceſſante & falſa exiſtente, non valere eã licentiam. Cæterùm id moraliter non contingere, vt explicui dicto quinto. Nam error & falſitas non contingit circa cauſam finalem, ſed circa ſolam impulſiuam.

Ad ſecundum, maior eſt vera, quia eſt ita diſpoſitum in iure, & à Pontifice declaratum. Minor verò eſt falſa, quia talis facultas datur ex vera cauſa motiua & finali, tametſi aliqua falſitas ſubſit in cauſa impulſiua.

Ad vltimum, negatur antecedens; illa verò lex iam eſt ſufficienter dicto vltimo explicata.

DISPVTATIO XLII.

De pœnis in iure matrimonio ſimpliciter clandeſtino conſtitutis.

HACTENVS dictum eſt quid neceſſariò requiratur, vt matrimonium non ſit ſimpliciter clandeſtinum; vnde præſentiam Parochi, vel Sacerdotis ex eius licentia ac teſtium ad matrimonij valorem poſt decretum Tridentini neceſſariò requiſitam, latè explicuimus; nunc in hac diſputatione de pœnis ipſius matrimonij ſimpliciter clandeſtini agendum eſt. Nec verò modò dicemus de pœnis matrimonij ſecundùm quid clandeſtino, ex defectu denunciationum, de quibus tractabimus *diſput. ſequenti*; ſed de pœnis matrimonij ſimpliciter clãdeſtini ex defectu Parochi & teſtium, quæ forma iure nouo Concilij Tridentini inducta eſt. Seruatà verò optimà methodo, *primum* ſermo inſtituetur de pœnis contrahentium. *Secundum*, de pœnis ipſorum teſtium. *Tertium* denique de pœnis Parochi, vel alterius Sacerdotis aſſiſtentis.

SECTIO I.

Quibus pœnis puniantur contrahentes clandeſtinè abſque Parocho, vel teſtibus, vbi viget Tridentinum.

COnſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 1.* 1
contrahentes abſque Parocho, vel teſtibus, puniri, vbi Tridentinum viget, inhabilitate ad ſic contrahendum, & eſſe puniendos etiam pœna graui arbitrio Ordinarij.

Circa priorem pœnam, quòd contrahentes ſint in- 2
habiles ad ſic contrahendum, propriè loquendo, dicendum eſt non eſſe pœnam, ſed effectum formalem ipſius irritationis, quæ conſiſtit in perpetua inhabilitate

tate ad ſic contrahendum. Nam de dictis contrahentibus ſic ait Tridentinum, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendũ omnino inhabiles reddit. Notanda ſunt verba, *dicuntur inhabiles ad ſic contrahendum*, id eſt, clãdeſtinè. Illud autem aduerbium, *omnino*, ſignificat in perpetuum, excluſa anni gratia & diſpenſatione: eſt enim dictio præciſa, & ita importat præciſã executionẽ. Gloſ. *Clemen. 1. verb. omnino, de vita, & honeſtate clericorũ*; ſignificatque, ſine vlla exceptione, ſine remedio, & ad vnguẽ, excludẽs omnẽ gratiã, & diſpẽſationem.

Vnde manifeſtè infero cũ omnium ſententia, cõtrahentes clandeſtinè tãtùm eſſe inhabiles ad ſic clãdeſtinè contrahendũ, atque adeò ſi velint iterũ, palam & ſolemniter cõtrahere, nulla indigere diſpẽſatione: ſunt enim perpetuò inhabiles, non ad contrahendum ſimpliciter, ſed ad clam contrahendũ. Ratio eſt, quia Tridentinũ non dicit abſolutè eſſe inhabiles, ſed limitatè, ad ſic contrahendũ, nẽpe abſque Parocho & teſtibus, vt præcedentia immediatè verba declarãt, ibi, qui aliter quàm præſente Parocho, &c. & mox ſubdit, eos ad ſic contrahendũ omnino inhabiles reddit. Igitur nõ abſolutè reddit inhabiles ad contrahendum, ſed ad contrahendum modo ibi prohibito, nẽpe abſque Parocho & teſtibus. Et certè cùm hæc perpetua inhabilitas ſit maxima pœna, & grauiſſima, non eſt veriſimile fore nec credibile, vt Concilium volens eam imponere, non exprimeret. quod etiam congregatio Cardinalium declarauit.

3 Circa ſecundum de pœna arbitraria, præcipit Tridentinum *loco citato*, vt contrahentes abſque Parocho & aliis teſtibus, vbi Tridentinum viget, ſint grauiter puniendi arbitrio Ordinarij, ex quo ſit peccare Epiſcopum illos nõ punientem, quia ſancta Synodus eos puniri præcipit. Quòd ſi matrimonium clandeſtinum conſummauerint, cùm grauius delictum ſit, grauiori debent puniri pœna.

Præter has pœnas, in aliquibus diœceſibus contrahentes abſque Parocho & aliis teſtibus, excommunicantur ipſo facto excommunicatione ſynodali. Quod ita factum eſt, quia creſcẽte quotidie hominũ malitia, expedire viſum eſt & pœnas quoque augeri debere.

Præterea contrahentes candeſtinè, id eſt, abſque teſtibus lege Eccleſiaſtica requiſitis, iure antiquo Caſtellæ *l. fin. tit. 3. par. 4.* tradendi erant in perpetuam ſeruitutem propinquioribus conſanguineis vxoris.

Verùm hæc pœna iam non habet locum, quia ea lex in deſuetudinem abiit, & alia mitior ſtatuta eſt *lege 41. Tauri*, quæ habetur *lib. 5. nouæ recopilat. titulo 1. l. 1.* nempe pœna, priuationis omnium bonorum, & exilij ab illis regnis.

Denique vltima pœna contrahentium clandeſtinè eſt exhæredationis, quòd poſſint à parentibus exhæredari, quæ habetur *in dicta lege Tauri*. De qua pœna eſt peculiaris difficultas, an habeat locũ, vbi viget Tridentinum, & matrimonium clãdeſtinum inualidũ eſt.

4 Nam ratio dubitandi eſt, quia, cùm tale matrimonium ſit hodie vbi viget Tridentinum, omnino irritũ, non videtur ea pœna à contrahentibus incurri. Ex alia verò parte, videtur quòd ea pœna incurratur: nã prædictum matrimonium olim ſubiiciebatur pœnis clandeſtini; & cùm hodie, ſicut olim, verè, & propriiſſimè ſit clandeſtinum, non videtur qua ratione ab eiſdem pœnis, & conſequẽter ab iſta eximi debeat. Variæ ſunt de hac re opiniones, quas refert Sanchez *lib. 3. diſp. 2.* Mihi placet cum illo dicere, non incurri modò eã pœnam. *Primò*, quia ex *l. 1. in fine C. de ſepulcro violato*, habetur, notarium conficientem inſtrumentum falſum, inualidum, non pœna iuris, ſed alia plectendũ eſſe; ergo idem dicendum de contrahentibus clam inualidè, non incurrere pœnas iuris. *Secundò*, quod nullum eſt, nullum producit effectum. *l. 4. §. condemnatum. ff. de ſentent. & re iudicata, c. illud, de iure patronat.* Quocircà dicit ibi textus, matrimonium cum infante initum accuſari non poſſe, eo quòd irritum ſit; ergo matrimonium clandeſtinum quod nullum eſt accuſari nequit, vt illius pœnis plectatur. *Tertiò* emphyteota non cadit in pœnam commiſſi impoſitam *l. fin. C. de iure emphyteot.* ſi venditio facta irrequiſito domino ſit nulla & inualida, quia talis non eſt venditio. Iura autem interdicentia clandeſtinum, apertè conſiderant iuris effectum, & non factum, nec animum facientis attendunt, ſed damna ex matrimonio clandeſtino conſurgẽtia, vt conſtat apertè ex verbis illis Tridentini *ſeſſ. 24. c. 1.* Cùm ſancta Synodus grauia peccata perpendat, quæ ex clandeſtinis coniugiis ortum habeant, præſertim verò eorum qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palàm contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt. Ecce quàm clarè conſiderat iuris effectum, & damna ex clandeſtino conſurgentia. Cùm igitur illa minimè conſurgant, dum eſt matrimonium inualidum, quia tunc cùm palam contractum valeat, non viuunt coniuges in perpetuo adulterio: ſequitur non incurrere pœnam vllam iuris antiqui. Et quamuis Tridentinum in ea pœna arbitraria attendit ſolum factum, quia id expreſſit; cæteræ tamen iura conſtituentia pœnas, cùm id non exprimant, in ſenſu fauorabiliori accipienda ſunt. *Vltimò*, quia, vt conſtat ex dicto *cap. 1.* Tridentini imponitur pœna contrahentibus clandeſtinè, inualidè, vt vidimus, vt nimirum arbitrio iudicis puniantur; ergo per hanc pœnam impoſitam lege noua Tridentini corrigitur pœna legis antiquæ, & conſequenter ceſſabunt pœnæ antiquitus impoſitæ matrimonio clandeſtino, atque adeò & pœna exhæredationis, exilij, & amiſſionis omnium bonorum.

Obiicies *primò*, ex doctrina Bart. *l. non dub. num. n. 20. C. de legibus*, facta contra legem habere pro infectis, 5
quantũ ad vtilitatem facientis, ſecus quoad damnum; ergo matrimonium clandeſtinum inualidum reputandũ eſt, ac ſi validum fuiſſet, vt contrahentes damnum ſubeant, & pœnis clandeſtini afficiantur. Reſpondeo, doctrinam Bartoli eſſe veram quando actus nullus eſt ob ſolam conſtitutionem irritãtem in pœnam & odiũ contrahentium; non verò quando actus nullus eſt ob ſolemnitatis requiſitæ defectum, vt contingit in matrimonio clandeſtino. Nam in priori caſu annullatio actus eſt pœna in odium frangentis legem inducta, & ideo non mirum ſi actus valeat in odium ipſius tranſgreſſoris, ne ex delicto ſuo commodum reportet; in poſteriori verò annullatio matrimonij, non eſt pœna, quia de ratione pœnæ eſt vt infligatur ad delicti punitionem, & vbi non eſt delictum, non eſt locus pœnæ. Talis autem annullatio non infligitur ob delicti punitionem; nam licèt contrahens eſſet immunis culpæ, inuincibiliter prohibitionem ignorans, adhuc actus eſſet nullus, vt conſtat; ſed ob bonum reipublicæ, cui expedit illum actum abſque ea ſolẽnitate non ſubſiſtere, irritatur: nõ ſecus ac irritatur alienatio rerũ Eccleſiæ abſque debita ſolemnitate, & annullatur teſtamentum minus ſolemne: & ita nihil mirum, ſi ſit omnino irritus, ſiue commodum attendatur, ſiue damnum contrahentis.

Obiicies *ſecundò*, matrimoniũ cũ cõſãguinea cõtractũ, 6
tametſi ſit iure irritũ, ſubiicitur excõmunicationi *Clemẽtina 1. de cõſanguinitate*, vt dixi ſuprà *diſp. 31. ſect. 7.* Et beneficiarius Sacris initiatus inualidè cõtrahit, & tamẽ incurrit pœnã amiſſionis beneficij; ergo ſimiliter in noſtro caſu. Reſpondeo eam Clemẽtinã manifeſtè punire ſolùm factum, & animum contrahentium, nam

aliàs fruſtrà fuiſſet lata, cùm conſtet matrimonium inter conſanguineos nullum eſſe. Aliud verò exemplum, eſto verum ſit, procedit ex præſumpta contrahentis voluntate; viſus enim eſt dimittere beneficium, aſſumendo ſtatum illi incompatibilem. At in noſtro caſu id non reperitur.

Sectio II.

Quibus pœnis ſubiiciantur validè contrahentes clandeſtinè, vbi non viget Tridentinum.

1 LOquor de matrimonio contracto, ſimpliciter clandeſtino, in quo, aut teſtes, aut Parochus deficiunt, & proinde clam omnino celebratur. Quod certum eſt validum eſſe, vbi non viget Tridentini decretum illud annullans. Vnde non eſt ſermo de altero matrimonio quod fit abſque denuntiationibus, quod etiam dicitur clandeſtinũ ſecundùm quid, quia denuntiationes ad perfectam eius publicationem ab Eccleſia peritæ, deſiderantur. Nam de hoc ſequenti diſputatione, & de eius pœnis *ſection. vndecima & duodecima.*

2 Dico itaque *primò*, certum mihi videri, non puniri ſic contrahentes pœna vlla appoſita *in c. finali, de clandeſtina deſponſatione.* Id rectè notauit Baſilius Ponce *lib. 5. c. 37. n. 4. & n. 12.* Moueor, quia in dicto capite ſolùm puniuntur matrimonia clandeſtina valida, ſed illicita ob defectũ denuntiationum. Patet, quia ibi expreſsè præcipitur, vt cùm matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſiis per Presbyteros publicè proponãtur, & vt ipſi Presbyteri inteſligent, vtrùm aliquod impedimentum obſiſtat. Quibus verbis manifeſtè liquet, pręcipi, vt pręmittantur à Presbyteris proclamationes, & puniuntur qui eas contempſerint. Igitur in dicto capite non eſt ſermo de matrimonio ſimpliciter clandeſtino, præcisè vt ſic, ſed de clandeſtino ſecundùm quid ex defectu denuntiationum. Hinc

3 Dico *ſecundò*, certum mihi videri, pœnam illam in dicto capite finali impoſitam de illegitimitate prolis, non incurrere contrahentes matrimonium clandeſtinum validum, ſi non fuerunt prætermiſſæ denuntiationes. Patet ex pręcedẽti dicto. Quare ſi dictæ enuntiationes fuerint omiſſæ, certum erit incurri eam pœnam, modo quo id declaro infrà *diſputatione ſequenti ſect.* 1.

Dicunt aliqui contrahentes clandeſtinè incurrere pœnam amiſſionis omnium bonorum. Probant, quia ſic habetur *in lege 49. Tauri.* Neque illa eſt correcta per aliquod ius Canonicum.

4 Dico tamen *tertiò*, eam pœnam non incurrere ſic contrahentes clandeſtinè validè. Probant nonnulli, quia ea lex ciuilis valida nõ eſt reſpectu matrimonij, cuius punitio ſpectat ad Eccleſiam, vel ad iudicem Eccleſiaſticum. Verùm hæc ratio infirma eſt, quia lex ciuilis valida eſt, dum non corrigitur per aliquod ius Canonicum, atque adeò & lex ciuilis plectens matrimonia clandeſtina valida erit. Quod in ſpecie probo. Tum quia, quamuis iudiciũ de matrimonio quoad eius ſubſtantiam fori ſit Eccleſiaſtici; nullibi tamẽ principibus ſecularibus adimitur poteſtas leges condendi, & pœnas ſtatuendi, in eos qui contra iuris ordinem contrahunt matrimonia. Quamuis enim inferior nequeat abrogare legẽ ſuperioris; at poteſt, nouis pœnis eam, quo meliùs ſeruetur, adiuuare, atque adeò poterit Princeps ſecularis condere leges ad punienda matrimonia clandeſtina, quæ Eccleſia grauiter deteſtatur, & præcipit puniri. Tum etiam, quia ad poteſtatem ſecularem pertinet cuſtodire pacem, ac reipublicæ tranquillitatem; ergo cùm per matrimonia clandeſtina, maximè ea pax perturbetur, ac reipublicæ tranquillitas; poteſt ſecularis poteſtas ea debitis pœnis plectere. Hac enim de cauſa iuſtiſſimè Principes ſeculares pœnas decernunt periuriis, vſuris, & inceſtis nuptiis. Ratio igitur concluſionis hæc vnica eſt, quia lege illa 41. Tauri, quæ habetur *lib. 5. nouæ Recopilat. tit. 5. l. 1* non habet locum niſi reſpectu contrahentium clandeſtinè, id eſt, abſque teſtibus, & omiſſis denuntiationibus: nam hoc olim ab Eccleſia ante Tridentinum, habitum eſt clandeſtinum. Verba enim legis hæc ſunt. *Mandamos que el que contraxere matrimonio, que la Ygleſia tuniere por clandeſtino, el, y los que en ello entreuinieren, y los teſtigos de el tal matrimonio incurran en perdimiento de todos ſus bienes, y ſean deſterrados de nueſtros Reynos, y que eſta ſea iuſta cauſa paraque el padre y la madre puedan desheredar, ſi quiſieren à ſus hijas, en lo qual otro ninguno pueda acuſar, ſino el padre, y la madre, muerto el padre.* Notentur illa verba, *que la Ygleſia tuniere por clandeſtino.* Ex quibus manifeſtè conſtat loqui de matrimonio clandeſtino facto abſque vllis denuntiationibus, quod olim habebatur & appellabatur clandeſtinum, vt liquet ex *cap. finali, de clandeſtina deſponſatione.*

Dico *vltimò*, verius videri, ſic clandeſtinè contrahentes non incurrere aliam pœnam vt exhæredari poſſint à ſuis parentibus. Ratio eſt iam dicta, quia illâ pœnâ ſolùm puniuntur valida matrimonia clandeſtina, ſed illicita ob defectum teſtium, & promulgationum, ſeu denuntiationum, quæ præſcribuntur *in cap. fin. de clandeſtina deſponſatione.* 5

Sectio III.

Quibus ſubiiciantur pœnis teſtes aſſiſtentes matrimonio clandeſtino abſque Parocho.

SErmo eſt de matrimonio iſto clandeſtino poſt decretum Tridentini omnino inualido & nullo. 1

In dicto Tridentini decreto *ſeſſ. 24. de matrimonio cap. 1.* puniuntur teſtes matrimonium teſtificantes abſque aſſiſtẽtia Parochi, vel Sacerdotis de eius licentia. Statuit enim ac præcipit, eſſe grauiter puniendos arbitrio Ordinarij. Et meritò, quia cùm peccent auctoritatem præſtando matrimonio ab Eccleſia interdicto & nullo, eius iuſſa contemnentes, condigna ſunt pœnitentia puniendi.

Eſt verò notandum, ibi nullam illis certam ac determinatam ſtatui pœnam; & conſequenter cùm pœna non ſit ibi præſcripta, eſſe arbitrariam. Vnde prædicti teſtes puniri debent ab Ordinario pœna arbitraria pro qualitate culpæ. Et verè Ordinarius peccaret eos non puniens, Quia dicit Tridentinum, ſancta Synodus eos grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit.

Certum eſt autem huiuſmodi teſtes non incurrere illam pœnam ſuſpenſionis triennalis, poſitam *in cap. finali. de clandeſtina deſponſatione.* quia ibi tantùm pœna illa imponitur Sacerdoti qui contempſerit prohibere matrimonia clandeſtina facta abſque vllis denuntiationibus. Neque etiam illa pœna eſt laïcis teſtibus proportionata. Sunt verò circa hanc rem tria notanda, 2

Primum

Digitized by Google

Primum eſt, dictorum teſtium delictum, ſicut & laicorum clam contrahentium, mixti fori eſſe, vnde iudicem qui præuenerit, ſiue Eccleſiaſticũ, ſiue ſecularem, punire hoc delictum: quia hæc eſt quæſtio facti, & non iuris. Vnde etiam poteſt ſecularis iudex cognoſcere, an ſit matrimonium clandeſtinum. Quia eſt quæſtio de facto, & nõ de iure. Quare cùm dubitatur an matrimonium fuerit legitimum, cùm ſic vertatur quæſtio iuris, pertinet ad iudicem Eccleſiaſticũ. Si verò dubitetur, an matrimonium ſit contractum de facto, iudex ſecularis etiam competens eſt. Sicut etiamſi quæſtio ſit, an matrimonium ſit de facto contractum in facie Eccleſiæ, vel clam, ſecularis iudex poteſt cognoſcere, quia ſpectat ad factum. ex quo infertur ius Canonicum & ciuile, in ponitione matrimonij clandeſtini, veluti vnum ius reputari, vt alterius iuris deciſiones, & pœnæ in vtroque foro ſeruandæ ſint, Eccleſiaſtico videlicet, & ſeculari, vbi non reperiuntur contrariæ: ius enim ciuile procedit adiuuando Canonicum.

Secundum eſt obſeruandum, ſi iudex Eccleſiaſticus non condignè puniat teſtes aſſiſtentes matrimonio clandeſtino, abſque Parocho, vel alio ſacerdote de eius licentia, ſicut ſi non condignè puniat clam contrahentes, poſſet eos iudex ſecularis iterum punire, non ſecus ac ſi puniti non eſſent; ita tamen ve ſecunda iſta punitio temperetur, ac condigna ſit, habita ratione pœnæ à iudice Eccleſiaſtico impoſitæ, vt rectè notauit Sanchez aliis relatis *lib. 3. diſput. 54. numer. 7.*

Hinc *vltimò*, inferendum eſt, mixti fori criminis reum, prius per ſecularem iudicem punitum, non poſſe amplius per Eccleſiaſticum puniri, dummodo pœna corporalis, vel pecuniaria per ſæcularem impoſita non ſit leuior imponenda per iudicem Eccleſiaſticum. Ratio eſt, quia pœna inflicta per ſecularem, cenſetur ſemper competens, & grauior, & non tam eſt medicinalis, quàm afflictiua.

SECTIO IV.

Quænam ſint pœnæ Parochi, vel alterius Sacerdotis aſſiſtentis matrimonio clandeſtino inualido ex defectu numeri teſtium.

1 Conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 24. de matr. cap. 1.* Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minori numero teſtium, quàm duorum, matrimonio clandeſtino inualido interfuerit, eſſe grauiter arbitrio ordinarij puniendum. Verba enim Tridentini hæc ſunt. Inſuper ſancta Synodus Parochũ, vel alium ſacerdotem, qui cum minori teſtium numero, huiuſmodi cõtractui interfuerint, grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit. Vbi notandum eſt nullam illis certam ſtatui pœnam, ſed grauiter iudicio Ordinarij puniendos eſſe. Hoc poſito

2 Sentiunt nonnulli contra eundem Parochum, vel alium ſacerdotem aſſiſtẽtem matrimonio clandeſtino ſine aliis teſtibus, eſſe ſtatutam aliam pœnã triennalis ſuſpenſionis, in capite finali, de clandeſtina deſponſatione. Vbi expreſsè deciditur, vt Parochus vel alius Sacerdos aſſiſtens matrimonio clandeſtino ſine aliis teſtibus, per triennium ab officio ſuſpendatur, grauius puniendus, ſi culpæ qualitas poſtulauerit. Nec poſt decretum Tridentini hanc pœnam ceſſare affirmant. *Primò*, quia Tridentinum non derogat iuri antiquo, imò profitetur ſe inhærere veſtigiis Concilij Lateranẽſis, ex quo illud ius, & caput finale deſumptum eſt. *Secundò*, quia quando eidem delicto diuerſæ pœnæ imponuntur, quamuis diuerſis legibus, ſeruandæ ſunt; præſertim, ſi pœna, quæ imponitur poſteriori lege, ſit aliquo modo contenta in priori lege. Ergo quamuis lege Tridentini decernatur pœna arbitraria, etiam perſeuerabit pœna illa ſuſpenſionis triennalis dicti capitis finalis, præſertim cùm in eo decernatur vltra ſuſpenſionem triennalem grauiùs puniendum, ſi qualitas delicti poſtulauerit.

3 Oppoſitum ſentiunt multis aliis relatis, noſter Sanchez *lib. 3. diſp. 48 n. 4.* & Gaſpar Hurtado *diſp. 5. difficultate 8. numer. 55.* & alij dicentes, ceſſare hodie ſuſpenſionem triennalem per pœnam arbitrariam impoſitam in Tridentino. Probant duplici argumẽto. *Primum* eſt, quia rationi conforme eſt, vt quando lege noua imponitur mitior pœna, quàm erat impoſita lege antiquiori, ceſſat antiqua, præſertim quando tẽpore legis nouæ delictum factum cenſetur eſſe minus perniciosum Reipublicæ, quàm antea; ergo per pœnã arbitrariam impoſitam noua lege Tridẽtini, ceſſat antiqua triennalis ſuſpenſionis, quia illa arbitraria eſt mitior, & poſt decretum Tridentini matrimonium factum clandeſtinè, vtpote nullum, eſt minus perniciosum Reipublicæ, quàm antea, quando validum manebat. Quamuis enim ſit grauius delictum hodie matrimonium clandeſtinum in ordine ad Deum; at reſpectu damni Eccleſiæ, & inconuenientium ac grauium peccatorum quæ ex clandeſtinis coniugiis ortum habent, ad quæ vitanda Tridentinum illa irritauit, minus graue delictum eſt hodie matrimonium clandeſtinum inualidum; ex eo enim inconuenientia & peccata non ſequuntur, quæ olim dum validum erat, oriebantur, vt perpetuus concubinatus, cogi ab Eccleſia ad matrimonium publicum inualidum propter clandeſtinum validum ipſi Eccleſiæ ignotum: non igitur tam graui pœna, ac olim afficiendum eſt. Ergo non incurretur dicta ſuſpenſio triennalis. Alterum fundamentum eſt. Quia tale matrimonium defectu numeri teſtium hodie eſt inualidum, vbi receptum eſt Tridentini decretum. Igitur in illo non habebit locum ea pœna ſuſpenſionis triẽnalis olim impoſita matrimonio clandeſtino, quod erat tunc validum. Patet conſequentia, quia quando matrimonium clandeſtinum eſt irritum, pœnæ olim impoſitæ clandeſtino, quod erat validum, non incurruntur, vt multis probat noſter Sanchez *lib. 3. diſputat. 1. numer. 5.* quia, quod nullum eſt, nullum producit effectum; non entis enim nullæ ſunt qualitates. *cap. a nobis de diſſoluendum, de deſponſatione impuberum*, vbi textus decidit matrimonium cum infante initum accuſari non poſſe, eo quòd irritum ſit: paria enim ſunt non eſſe, & eſſe nullum, *l. duo ſunt Titij. ff. de teſtament. tutel.* & non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum; *reg. non præſtat, de regulis iuris in 6.* & verba cum effectu ſunt intelligenda. *cap. relatum, de Cleric. non reſiden.* ergo cùm tale matrimonium clandeſtinum ſit nullum, & reputetur ac ſi non eſſet, non debet matrimonij clandeſtini ſubiecti iuris, aut Synodi pœnis nomine comprehendi.

Ego verò exiſtimo hanc pœnam ſuſpenſionis non incurri à dicto Parocho aſſiſtente matrimonio inualido. Nitor tamen alio fundamento ſolidiori. Quia nimirum, vt optimè notauit, & ponderauit Baſilius Ponce *lib. 5. cap. 37. numer. 12.* illa triennalis ſuſpenſio appoſita eſt *in cap. finali, de clandeſtina deſponſatione*, contra Parochum aſſiſtentem matrimonio ſecundùm quid clandeſtino, non ab defectũ numeri teſtium, ſed ob defectum denũtiationũ. Vnde prædicta 4

pœna ſuſpenſionis non èſt correcta per Tridentinum. Nam pœna arbitraria à Coocilio ſtatuta eſt in diuerſo caſu. Hæc enim intelligitur tantùm quando Parochus vel Sacerdos ex eius licentia adeſt matrimonio nullo, & inualido, & abſolutè ac ſimpliciter clandeſtino ob defectum ſufficientis numeri teſtium, vt conſtat manifeſtè ex ipſo Tridentini decreto. Illa verò pœna ſuſpenſionis triennalis ſolùm apponitur Parocho, quando adeſt matrimonio, valido quidem, ſed illicito, & ſecundùm quid clandeſtino, ob defectum denunciationum; nam in dicto capite expreſsè præcipitur, vt præmittantur publicationes, ſeu denunciationes, & puoitur eâ pœna, qui eas contempſerit, vt patet ex ipſo textu. Spectat igitur hæc pœna ad dioerſum caſum. Vnde prædictæ duæ pœnæ non ſunt impoſitæ eidem delicto, ſed diuerſis omnino delictis.

5 Ex quo manifeſtè ſequitur *primò*, neque eam pœnam ſuſpenſionis triennalis incurrere Parochum aſſiſtentem matrimonio ſine ſufficienti numero teſtium, vbi non viget Tridentinũ. Quia, vt dictu eſt, ſolùm ea pœna impoſita eſt propter omiſſionẽ publicationum, vel denunciationũ, quæ præcedere debent antequam perficiatur matrimonium. Vt in eo capite præſcribitur ſub comminatione talis pœnæ, ne Parochus tali matrimonio aſſiſtat, quin ante prædictæ denũciationes fiãt. Sequitur *ſecundò*, argumenta propoſita pro priori ſententia nullã habere vim contra hanc ſecundam, & cõtra fundamentum cui nos innitimur. Nam, vt diximus, Tridentinum non derogat iuri aotiquo Concilij Lateranenſis, quod habetur in dicto capite finali, neque illud corrigit, quia loquitur in diuerſo caſu. Præterea iam conſtat illas duas pœnas non impooi eidem delicto, ſed dioerſis; atque ideo non habere locum, quod ibi dicitur, tametſi eidem delicto diuerſæ pœnæ imponantur, eſſe eas omnes ſeruandas.

Sectio V.

Quæ pœna ſit impoſita Parocho alieno, vel Sacerdoti qui aſſiſtit matrimonio, ſine licentia proprij Parochi.

1 IN Concilio Tridẽtino *ſeſſ.* 14. *de reformatione matrimonij cap.* 1. ſtatuitur, vt Parochos, aut alius Sacerdos adhuc regularis qui auſus fuerit matrimonialiter coniũgere, aut benedicere alienos Parochianos abſque licentia proprij, ipſo iure ſuſpenſos maneat, quandiu ab Ordinario Parochi, ad quem id pertinet, abſoluatur. Verba Tridentini ſunt hæc: Si qois Parochus, vel alius Sacerdos, ſiue regularis, ſiue ſecularis ſit, etiamſi id ſibi ex priuilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius parochiæ ſponſos, ſine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo iure tandiu ſuſpenſus maneat, quandiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſoluatur. Hæc ibi Tridentinum.

Circa quod decretum quatuor ſunt notanda.

2 *Primum* eſt, dictam pœnam ſoſpenſionis eſſe ab officio tantùm. Neqoe enim veriſimile eſt, ob eam culpam ſuſpendi ab omni officio & beneficio. Tum quia deberet id clarè & manifeſtè exprimi, cùm ſit res odioſa, atque adeò reſtringibilis. Tum quia peccatum illud non videtur dignum tanta pœna, inſpecta Eccleſiæ benignitate. Tum deoique, quia illa pœna æquè ac indifferenter fertur in Parochos, & Sacerdotes ſimplices, tam regulares, quàm ſeculares, vt cooſtat ex tenore verborum dictorum; ergo ſuſpenſio debet neceſſariò eſſe ſolum de re communi omnibus illis, qualis eſt ſuſpenſio ab officio, & non à beneficio. Vnde etiam cenſeo illam eſſe ſuſpenſionem ab officio ſacerdotali, vel ad ſummum à munere ſacerdotali; quia iuxta communem intelligentiam Canoourn, & ordinarium intelligendi modum, ex materia ſubiecta determinatur pœna, vt in eo quis puniatur, in quo deliquit. Quare cùm Sacerdos propter abuſum ſacerdotalis muneris ſuſpenditur, rectè intelligitur ſuſpendi formaliter, quatenus Sacerdos eſt, atque adeò à ſacerdotali munere.

Secundum eſt, prædictam ſuſpenſionem eſſe latam, & non ferendam; nam eſt ipſo iure lata: eamque non eſſe ad tempus præciſum, ſed ad nutum Epiſcopi. Vnde tale tempus poteſt ipſe Epiſcopus minuere, vel augere pro qualitate malitiæ, & criminis: imò & ipſam ſuſpenſionem tollere, prout ipſi prudenter viſum fuerit. Quia prædicti ſacerdotes ſunt de iure ſuſpenſi ad nutum Epiſcopi. 3

Tertium eſt, ab hac dicta ſuſpenſione Tridentini excuſare quamlibet ignorantiam, etiam craſſam, dummodo oon ſit ita craſſa, vt ingens temeritas cenſeatur. Ita rectè notauit Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 48. *n.* 7. Et ratio eſt, quia Tridentinum dicit, *auſus fuerit*. At iſtud verbum dicit eſſe rem temerariam; nam aodacia dicit temeritatem. Hiſpanè etiam audax dicitur *atreuido*. At temerarius verè non eſt, ignoraotia etiam craſſa aliquid faciens; nam verè ignorans facit. 4

Quartum denique eſt, prædictam pœnam ſuſpenſiooii, ſi quis noo Sacerdos abſque licentia proprij Parochi coniungeret aliquos matrimonio, minimè incurrere. Quia illa expreſsè fertur in Parochum, vel alium ſacerdotem abſque licentia proprij Parochi aſſiſtentem. At nomine ſacerdotis in materia pœnali, qualis eſt hæc, non cõprehendũtur Diaconus, & ſubdiaconus, & cæteri qui ſacerdotes non ſunt. Cæterùm ſi is non Sacerdos Parochus eſſet, incurreret vtique ſuſpeoſionem Tridentini, coniugens alienos parochianos; quia reſpectu Parochi non petit Concilium qualitatem ſacerdotij. 5

His poſitis duo ſuperſunt dubia breuiter explicanda. 6

Primum eſt, an pœnam ſuſpenſionis triennalis, quæ habetur *cap. finali, de clandeſtina deſponſatione*, incurrat alienus Parochus, vel quicũque alius Sacerdos regularis, aut ſecularis ſine proprij Parochi licẽtia aſſiſtens matrimonio. Dico oon incurrere eam pœnam: vt cum aliis docet Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 48. *n.* 6. Moueor potiſſimum ratione adducta præcedenti ſectione, quia, vt cõſtat ex textu, & verbis prædicti capitis finalis, ibi ſolùm punitur parochialis Sacerdos, aut quilibet, etiã regularis, qui aſſiſtit matrimonio clandeſtino ſecundum quid, ob defectum publicationum, vel denũciationum; non verò iſtud aliud delictum aſſiſtendi ſine licentia proprij Parochi.

Secundum dubium eſt de pœna excommunicationis lata *in Clementina Religioſi*, quæ eſt prima de priuilegiis, ferturque contra Religioſos qui matrimonia ſolemnizare ſine Parochialis Presbyteri licentia ſpeciali præſumpſerint; qui hac de cauſa excommunicationis incurrunt ſentẽtiam ipſo facto per ſedem Apoſtolicam dumtaxat abſoluendi. Eſt igitur difficultas, ao religioſus matrimonium ſolemnizans abſqoe proprij Parochi liceotia, vltra ſuſpenſionem ad nutum Ordinarij ſtatutam in Tridentino, incurrat 7

prædictam

prædictam excommunicationem Pontifici reſeruatam.

Qua in re certum videtur, cùm in matrimonio ſint duo diſtinguenda, ſcilicet ſubſtantia Sacramenti, & ſolemnitas Eccleſiaſtica, non incurri eam cenſuram per aſſiſtentiam præcisè ad ſubſtantiam Sacramenti. In quo iuxta veriorem ſententiam Sacerdos non eſt miniſter, ſed ipſi contrahentes. Vnde in dicta Clementina *de Sacramenti matrimonij adminiſtratione* nihil dicitur, ſed de ſolemnizatione, quæ conſiſtit in ſacerdotali benedictione, quam ſponſi poſt matrimonium rectè contractum publicè ac ſolemniter in Eccleſia recipiunt. Vnde dicta Clementina expreſsè loquitur de religioſo hoc munus vſurpante ſine facultate Parochi, de quo ait prædictam excommunicationem incurrere.

Obiicies, poſt Concilium Tridentinum ad Sacramentum matrimonij rectè conficiendum neceſſaria eſt præſentia Parochi, quæ eſt quædam ſolemnitas nunc neceſſaria in hoc Sacramento; ergo Religioſus illud miniſterium vſurpans illam cenſuram incurrit; nam ſub generali prohibitione ſolemnizandi matrimonium, illa ſolemnitas videtur contineri: nam lex generaliter lata complectitur omne tempus futurum, & omnem materiam ſuis verbis comprehenſam. Reſpondeo tamen Religioſum non incurrere illam cenſuram in dicto caſu, ſed aliter puniri iuxta Concilium Tridentinum modo dicto ſuprà *n. 1. 2. 3. 4. & 5.* Ratio eſt, quia licèt illa præſentia Parochi dici poſſit nunc quædam ſolemnitas matrimonij contrahendi, non eſt tamen ſolemnizatio illa de qua loquitur Clemens V. *in dicta Clementina*; nam ſine dubio loquitur ſolum de illa ſolemnitate, quam Concilium Tridentinum vocat benedictionem Sacerdotis; lex autem præſertim pœnalis non debet extra mentem legiſlatoris, & verborum ſignificationem vſurpari.

Procedit igitur quæſtio de ſolemnizatione illa, ſeu ſolemnitate Eccleſiaſtica, quæ conſiſtit in ſacerdotali benedictione publica & ſolemni in Eccleſia conceſſa.

8 Circa quam actionem, ſunt nonnulli, inter quos Gaſpar Hurtado *diſp. 5. difficultate 17. n. 57.* qui exiſtimant, per eam modò non incurri prædictam pœnam excommunicationis, ſed eam corrigi, & ceſſare per impoſitam pœnam Tridentini ſuſpenſionis ad nutum Epiſcopi. Probant, quia noua pœna mitior lege noua ſtatuta corrigit rigidiorem antiquioris iuris; ergo prædicta ſuſpenſio Tridentini, quæ mitior pœna eſt, ac iuris nouioris, corriget eam excommunicationem, quæ eſt antiquioris iuris.

Sanchez verò *lib. 3. diſp. 48. n. 8.* contrarium ſentit, non corrigere, ſed religioſum vtraque affici pœna. Probat, quia ea doctrina modò allata teſte Nauarro *lib. 5. conſil. in 1. editione tit. 37. de pœnis conſ. 1. per totum, in 2. lib. 1. tit. de conſtitutionibus toto conſi. 10.* verum habet in pœnis à iudice infligendis; non autem in iis, quæ ipſo iure incurruntur, vt ſunt excommunicatio, & ſuſpenſio illa Tridentini.

9 Magis inclino in primam opinionem. Tum quia doctrina illa Nauarr. nō eſt certa, neque ab ipſo probatur. Tum maximè, quia in fauorem primæ ſententiæ extat declaratio Cardinaliū apud Rebellum, *n. 83.* Nam Congregatio declarans verba illa Tridentini, *ipſo iure tamdiu ſuſpenſus maneat*; ſic ait, id eſt, ſublata pœna excommunicationis, de qua in Clementina prima in fine, de priuilegiis. Ceſſat igitur illa grauis excommunicationis pœna contra Religioſos ſolemnizantes matrimonia: ne etiam duplex pœna ob idem delictum incurratur.

DISPVTATIO XLIII.

De denūtiationibus, ſeu monitionibus, quæ præmittendæ ſunt, vt perfectam publicitatem habeat matrimonium.

HOc eſt vltimū de matrimonio tractandum, vt ſit omnino publicum & ſolemne, & nullo modo clandeſtinum, etiam ſecundùm quid. Tria verò tractanda ſunt. *Primum* de denuntiationibus, quæ præmitti matrimonio ſolent. *Secundum* de obligatione denunciandi impedimentum ex vi harum denunciationum. *Tertium* denique de pœnis in iure conſtitutis contra matrimonium ſine denunciationibus contractum.

SECTIO I.

Vtrùm denuntiationes ſint adeò neceſſariæ, vt ſine illis matrimoniū nec valeat, nec liceat.

DEnuntiationes appellamus admonitiones quaſdam, quibus in Eccleſia monentur Chriſtiani, vt ſi aliquod impedimentum nouerint inter eos, qui matrimonium contrahere intendunt, illud aperiant. 1
De quibus Cōcilium Tridentinum hæc habet *ſeſſ. 24. de matr. c. 1.* Sacri Lateranenſis Concilij ſub Innocentio III. celebrati, veſtigiis inhærendo præcipit, vt in poſterum antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtiuis in Eccleſia inter Miſſarū ſolemnia publicè denuncietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum. Quibus denuntiationibus factis ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Eccleſiæ procedatur.

De eiſdem etiam antea *in c. finali, de clandeſt. deſponſ.* deſumpto ex Concilio Later. *c. 51.* decernitur, requiri fieri ſaltem ſemel à Presbyteris in Eccleſia. Eſt igitur

Prima difficultas an denuntiationes prædictæ, præſertim vbi Tridentinū viget, ſint adeò de ſubſtantia matrimonij, vt eis omiſſis inualidū eſſet. Ratio enim dubitandi eſt, quia Tridentinum iubet, vt Parochus aſſiſtat matrimonio præmiſſis proclamationibus; quibus verbis videtur concedi Parocho limitata poteſtas aſſiſtendi matrimonio, nempe præmiſſis denuntiationibus; ergo abſque eis non validè aſſiſtat, quia nequit excedere fines mandati, atque adeò matrimoniū fiet inualidè, quia ad eius valorem requitur valida Parochi aſſiſtentia. Firmatur, quia factum contra legem pro infecto habetur, vt conſtat ex *regula 64. de regulis iuris in 6.* ſic dicente. *Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi.* At matrimonium non præmiſſis denuntiationibus celebratur contra ius. Igitur habetur quaſi infectum, & eſt irritum. 2

3 Certa tamen eſt & communiſſima Doctorum ſententia prædictas denunciationes non eſſe de eſſentia, neque de ſubſtantia matrimonij, quaſi nullum ſit, ſi abſque illis fiat, valet enim etiam illis omiſſis Probatur efficaciter. *Primò* ex ipſo decreto Tridentini. Cùm enim præmiſiſſet, quæ ad denunciationes pertinent, & ſuprà retulimus, inquit. Qui aliter quàm præſente Parocho vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & an-

nullat. Hæc ibi. Ergo tantùm defectus Parochi, & teſtium, facit matrimonium nullum, non defectus denunciationum. Quare cùm iure antiquo, *in cap. finali, de clandeſtina deſponſatione*, valeret matrimonium ſine illis, vt eſt certum, quoad hoc non eſt immutatum. Solum enim tradidit Concilium ordinem, & formam quaſi accidentariam, ſecundùm quam licitè, rectè, ac ritè Parochus procedat ante contractum matrimonij; non verò quaſi formam ſubſtantialem, quæ ſi deſit, annullet actum. Firmo, nam Tridentinum præcipiens denuntiationes non irritat matrimonium aliter factum, ſicut præcipiens aſſiſtentiam Parochi & duorum teſtium irritat matrimonium aliter factum, vt conſtat: neque ex toto contextu aliud colligitur, niſi ſolùm præcipi Parochis ordinem, quē in celebratione matrimonij teneantur ſeruare. Vnde cùm ibi ponit conditiones eſſentialiter requiſitas, has non ponit. Præterea circa denuntiationes Tridentinū nihil innouat, ſed idem quod ſtatutum erat in Concilio Lateranenſi, quia in diſſuetudinem paſſim abibat, in priſtinam obligationem, ac ſtatum reſtituit, vt conſtat ex illis verbis, ſacri Concilij Lateranenſis veſtigiis inhærendo. Olim autem validum erat matrimonium, omiſſis denuntiationibus, vt definit Tridentinum *eodem cap. 1. in initio*, damnans eos qui matrimonia clādeſtina rata & vera matrimonia olim fuiſſe negant. Igitur, & modo matrimonium omiſſis illicitè denuntiationibus, adhuc validum eſt. *Secundò*, quoties diſpoſitio præfigens tempus, concedit iudici arbitrium in prorogatione temporis, & etiam in omittenda tali diſpoſitione, non dicitur illud de forma ſubſtantiali, ſed de accidentali quadam ſolemnitate. Similiter quæ actum ſubſequi, & præcedere poſſunt, quoties de ſolemnitate actus, quàm de forma dicuntur, vt benè probat Felinus *cap. cùm dilecta numer. 6.* At Tridentinum *eo cap. 1.* concedit Ordinario arbitrium in prorogandis, vel omittendis denuntiationibus; concedit etiam ex Epiſcopi diſpoſitione poſſe denuntiationes præcedere, & ſubſequi. Non igitur illæ pertinere poſſunt ad eſſentiam & formam ſubſtantialem matrimonij. *Tertiò*, Concilium prædictas requirit denuntiationes, vt vitetur, ne cum impedimēto dirimente matrimoniū inualidè contrahatur. At hunc finē potiùs euerteret, ſi aliter cōtractū matrimonium ſine denuntiationibus irritaret, quia efficeret vt ſæpiùs inualidè cōtraheretur; quod tamen vitare vult.

4 Ex his patet ſolutio ad argumentum oppoſitum. Conſtat enim dari Parocho limitatam poteſtatem, quoad rectè, & ritè agendum, dum præcipit Tridentinum Parocho, vt præmittat denuntiationes, non tamen quoad validè agendum. Sicut cùm præcipitur iudici *cap. cùm medicinalis, de ſent. excommunicationis in 6.* ne excommunicet niſi in ſcriptis, & præmiſſa trina monitione, traditur forma excommunicandi ritè, & rectè, quæ tamen non deſideratur, vt valeat excommunicatio. Vt illa conditio denuntiationum præmiſſarum inde colligitur, quòd ſolùm importet formam accidentariam, vt ritè & rectè celebretur matrimonium, non autem vt validè, quia ea conditio iam tacitè inerat, & iure communi erat requiſita ad ritè tantùm ac rectè agendum. Quare eius expreſſio à Tridentino, nihil nouum in ſubſtantia operari debet: quia ex tenore decreti Tridentini conſtat non alio modo exprimi, quia dicit, veſtigiis ſacri Concilij Lateranenſis inhærendo; & quia in clauſula irritante ſolùm expreſſit præſentiam Parochi & teſtium, vt dictum eſt. Ad confirmationem dico ſic intelligi eam regulam, vt factum contra legem habeatur pro infecto, quando lex ſtatuit formam ſubſtantialem actus; ſecus quando ex lege colligitur, vt in præſenti, ſolam formam accidentariam, & modum vt rectè fiat, præſcribi. Addo id eſſe ſpeciale in fauorem matrimonij, ne ex ſimplici prohibitione, abſque clauſula irritante matrimonium irritetur, vt docent Decius *cap. 1. de teſtibus numer. 17. verſ. ſi ſiccus temporalis ſit*, & Rota *in nouiſſimis tom. 1. deciſione 750. numer. 3.* igitur matrimonium tametſi contra legem fiat, ſi cum ipſa prohibitione non addatur clauſula illud irritans, ſicut de facto Tridentinum præcipiens denuntiationes, non ponit decretum irritans, omiſſio illarum contra ſimplicem prohibitionem non annullabit ipſum.

Secunda difficultas eſt, an ſaltem dictæ denuntiationes ſint ex præcepto præmittendæ, vt licitè matrimonium celebretur.

Sotus *in 4. diſput. 28. quæſt. 1. art. 2. ad 1.* ſentit eas omittere tantùm eſſe veniale peccatum, per ſe loquendo: eſſe verò mortale, ſi per accidens in aliqua diœceſi eſſet lata excommunicatio maior contra omittentes. Probat illud primum, quia iure communi Tridentini & Concilij Lateranenſis denuntiationes non præcipiuntur graui pondere. Firmari idem poteſt, quia ſæpè Parochus aliunde diligentiam adhibuit, & moraliter eſt illi certum nullum ſubeſſe impedimentum; ergo denuntiationum omiſſio hac diligentia adhibita non videtur eſſe magni momenti, ſed res leuis, atque ideo eas tunc omittere non eſſet mortale. 5

Cenſeo tamen cum communi Doctorum ſententia, eas denuntiationes non poſſe omitti ſine mortali culpa. Moueor, quia res eſt grauis, & grauiter *cap. vltimo, de clandeſtina deſponſatione*, & à Tridentino ſuprà prohibita ob grauia incommoda quæ poſſunt inde ſequi. Quòd videlicet ita facile aliqui cum occulto impedimēto contraherent. Quare non video vnde poſſit dici eam omiſſionem eſſe ſolùm venialem culpam. Firmo, quia idem Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 5.* contrahentibus ignoranter in gradibus prohibitis, omiſſis denuntiationibus, negat ſpem diſpenſationis obtinendæ, & ſubdit hæc verba: non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facilem experiatur, cuius ſalubria præcepta temerè contempſit. Ex quibus verbis manifeſtum videtur hoc præcepto voluiſſe obligare ſub mortali: nam omittentem vocat temerarium contemptorem; cuius nomine indignus eſſet ob ſolam venialem culpam; & ob ſolam eam, alienum eſſe à more, & Eccleſiæ benignitate, ac rigidiſſimum ſpem diſpenſationis negare. His addo, pœnas impoſitas omiſſioni denuntiationum eſſe graues, & rigidas, vt videbimus infrà *ſect. 11. & 12.* Signum igitur eſt illud præceptum obligare ad lethale; nam iniuſtum videretur venialem culpam tam graui plecti ſupplicio. 6

Ex quo patet ſolutio ad argumentum oppoſitum.

Ad confirmationem dico, diligentiam Parochi non ſupplere defectum denuntiationum: nam factis denuntiationibus certius eſt fore, vt ad populi notitiam perueniat matrimonium, & magis timent homines impedimentum occultare quod ſciunt. Et quamuis æquiualeret ea diligentia, adhuc Parochus tranſgreditur præceptum graue formam diligentiæ præſcribens. Imò & ſi certò ſciret Parochus nullum ſubeſſe impedimentum, & hìc, & nunc, non eſſe periculum, adhuc obligaretur prædicta lege, & præcepto præmittendi denuntiationes; quia licèt prædicta lex, & damna quæ intendit vitare, non occurrerent in ſpeciali aliquo caſu; ipſa tamen lex ſemper vigeret, quia lex non attendit ad caſum aliquem ratum, nec deſinit obligare, tametſi eius ratio in particulari ceſſet: vt tetigi ſuprà *diſput. 39. ſect. 2. numer. 7.*

Tertia difficultas eſt, an ſit etiam obligatio præmittendi non ſolùm denuntiationes, ſed & tres numero, ita vt vnam omittere ſit lethale peccatum. 7

Credis

Credit Sanchez *lib. 3. diſput. 5. numer. 7.* omittere aliquam ex tribus denunciationibus non eſſe lethale, quando certum eſſet moraliter nullum ſubeſſe impedimentum. Quia eſt leuis materia, & partialis præcepti. Idem ſentit Gaſpar Hurtado *diſp. 5. n. 59.* Quia tunc non videtur omiſſio magni momenti.

Contrarium exiſtimat Coninch *diſp. 27. dub. 5. n. 51.* & Baſilius Ponce *lib. 5. c. 30. n. 3.* vnam omittere eſſe mortale peccatum. Quia omiſſio vnius denuntiationis, non eſt materia leuis, vt conſtat ex fine ad quem ordinatur. Vnde Parochus qui id ſuo arbitratu faceret, grauiter puniendus eſſet ab Epiſcopo.

Hoc ſecundum mihi videtur verius ac ſecurius, niſi adeſſet grauis & vrgens neceſſitas. Tum propter rationem dictam. Tum quia diſpenſatio in vna denuntiatione non relinquitur à Tridentino Parochi arbitrio, ſed Epiſcopi; ergo ſignum eſt grauiter delinquere Parochum ſi vnam omittat, & conſequenter grauiter debet puniri vnam omittendo.

SECTIO II.

Vbi & quomodo debeant fieri prædictæ denuntiationes.

1 IVxta decretum Tridentini adductum præcedenti *ſect. n. 1.* vbi illud viget, certum videtur *primò*, dictas denuntiationes efficiendas eſſe à proprio contrahentium Parocho, vt in ipſo decreto exprimitur. Faciendæ autem ſunt à Parocho, ſiue per ſe, ſiue per alium cui ipſe committat, vt conſtat ex praxi. Sicut enim Parochus poteſt delegare alteri facultatem aſſiſtendi matrimonij contractui, quod maius eſt; poterit à fortiori committere alteri publicationem, ſeu denunciationem matrimonij, quòd minus eſt. Cui enim licet quod eſt plus, licet quod eſt minus. Regula, *cui licet, de regulis iuris in 6.*

2 Conſtat *ſecundò*, ex Tridentino, debere fieri tribus diebus feſtiuis continuis: ex praxi tamen id eſſe ſic intelligendum, vt dies non ſe immediatè ſequantur, quin aliquot dies intermediant feriales. Imò ſic conueniens eſſe videtur, & melius ſatis fit intento dicti decreti, detegendi videlicet impedimenta. Si enim denuntiationes ſint ita ſibi immediatæ, non ſuppeteret tempus ad excogitanda, & opponenda impedimenta. Niſi aliàs vrgens neceſſitas, vel conſuetudo aliud requireret. Quando verò vna tantùm præmittenda eſt denuntiatio, non ſtatim matrimonium celebrandum eſt. Sed expectandum eſt aliquo temporis ſpatio poſt ipſam factam: aliàs talis denuntiatio parum vtilis eſſet.

3 Conſtat *tertiò*, prædictas denuntiationes faciendas eſſe in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia, cùm ingens hominum copia ſolet confluere in illam. Tum præterea faciendas eſſe non in quacumque, ſed in propria parochia, vt deducitur ex eo quod in dicto decreto Tridentini dicitur, faciendas eſſe à proprio Parocho contrahentium. Poſſunt tamen ab alio, vt dixi, de ipſius licentia fieri.

4 Conſtat *quartò* ex eodem decreto, faciendas eſſe in vtriuſque contrahentis parochia, quando ad diuerſas pertinet, vt liquet etiam ex praxi ipſa. Et ratio eſt, quia Tridentinum dicit faciendas eſſe à proprio Parocho contrahentium; ergo vterque Parochus quando ſunt diuerſarum parochiarum, eas facere debet. Sic enim, ſcientes contrahentium impedimenta, illa detegent: neque enim in vicinia mulieris poſſunt moraliter ſciri impedimenta viri, neque econtra. Quòd ſi fuerit parua diſtantia parochiarum, ſufficiet promulgatio in parochia vnius, ſiue viri, ſiue fœminæ, vt poſſint impedimenta manifeſtari. Et quando contrahens pertinet ad duas parochias, ſufficiet quòd fiant denuntiationes in qualibet earum, in qua ſit ſufficienter notus: potiori tamen ratione in parochia illius Parochi, coram quo matrimonium eſt contrahendum. Quod ſi ad vnam tantùm parochiam pertineat, & in ea non ſit ſufficienter notus; faciendæ ſunt in illa parochia aliena, in qua ſit ſufficienter notus: faciendæ tamen ſunt cura, ac diligentia Parochi ipſius contrahentis.

Addit Sanchez *lib. 3. diſp. 6. n. 9. & 10.* denuntiationes poſſe etiam fieri extra Eccleſiam in locis competentibus, vt in prædicationibus, magna populi copia confluente. Probat, quia finis illius Tridentini decreti, dum petit in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia denuntiationes fieri, eſt certè, vt ad multorum notitiam matrimonium perueniat, quò faciliùs impedimenta detegantur. Cui fini ſatis fit, ſi in locis publicis vbi maior eſt populi concurſus, fierent, ob eandem rationem iudicat idem dicendum, quando non eſſet dies feſtus; eſſet tamen ex aliqua cauſa magnus populi concurſus ad Eccleſiam, vt quia eſt feſtus vocationis illius Eccleſiæ dies, vel quia inſignis concionator habet concionem: quia ſatisfit Concilij fini.

Ego verò ſentio, de iure denuntiationes debere fieri in Eccleſia, vt conſtat ex verbis Tridentini. Quare cenſeo non poſſe fieri extra Eccleſiam; etiamſi locus aptus ſit vt ad multorum notitiam perueniat: niſi aliàs id eſſet alicubi conſuetudine introductum. Sicut enim immemorabili conſuetudine induci potuit, vt non eſſent denuntiationes præmittendæ; ita etiam eadem conſuetudine poſt Tridentinum induci poteſt, ne denuntiationes in Eccleſia fiant, ſed in alio publico loco, & præconis voce.

5 Conſtat *quintò*, denuntiationes faciendas eſſe antequam matrimonium contrahatur, niſi adſit prudens ſuſpicio, quòd matrimonium malitioſè impedietur. Quia tunc vna tantùm ſufficiet ante matrimonium, vel nulla erit neceſſaria, ſi ob vnam id timeatur. Verùm tunc poſtea ante illius conſummationem faciendæ ſunt denuntiationes: ſufficiet tamen vna, vt declarauit Congregatio Cardinalium, quia ex vna parte pro eo caſu Tridentinum contentum erat vna denuntiatione ante contractum matrimonij facienda, & ex alia parte vna denuntiatione poſtea facta ſatis fit verbis Tridentini, pro eo caſu dicentis, ante conſummationem fiant denuntiationes. Quia hoc in plurali dictum poteſt ſufficienter intelligi pro omnibus matrimoniis ſic celebratis, quamuis non pro quolibet matrimonio. Poſſunt quoque omnes omitti omnino, ſi Ordinarius id iudicet expedire. Verba Concilij *cap. 1.* ſunt hæc. Quòd ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes, tunc vel vna tantùm denuntiatio fiat: vel ſaltem Parocho & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus, matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſummationem, denuntiationes in Eccleſia fiant, vt ſi aliqua ſubſunt impedimenta, faciliùs detegantur: niſi Ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædictæ denuntiationes remittantur; quod illius prudentiæ & iudicio ſancta Synodus relinquit.

6 Conſtat *ſextò*, non multo elapſo tempore poſt denuntiationes matrimonium eſſe contrahendum. Ratio eſt, quia poteſt longo tempore poſt denuntiationes elapſos ſuperuenire impedimentum ex affinitate aliqua.

Conſtat *vltimò*, eſſe mortale ſi non fierent denuntia-

tiooes in vtriuſque contrahentis parochia. Quia eſt contra præceptum Tridentini : & in aliena parochia minimè ſciri poteſt ſi aliquo laboret impedimento alienus ille contrahens. Idem dicendùm, ſi magnum intercederet ſpatium inter vnam, & alteram denuntiationem, quia ſic parochiani illarum obliuiſcerentur. Addit Sanchez *lib. 3. ad finem diſput. 5. num. 8.* ſe non damnaturum ad mortale, ſi vna vel altera dies feſtiua intercedens illas diſcontinuaret denuntiationes.

Sectio III.

Quis poſſit diſpenſare, vt denuntiationes matrimonij poſtponantur, vel vt omnino omittantur.

1 IN hac re certum eſt *primò*, attento iure antiquo non poſſe Epiſcopum diſpenſare, ne denuntiationes præmittantur matrimnoio, niſi in caſu vrgentis neceſſitatis, quando eſſet periculum in mora. Ratio eſt, quia regulariter nequit Epiſcopus in lege ſummi Pontificis, vel Coocilij Generalis diſpenſare; poteſt tamen in caſu vrgentis neceſſitatis, quando ad Pontificem aditus non patet. At denuntiationes erãt præceptæ in Concilio Generali Lateranenſi. Verum eſt modò iam ex conſuetudine ſcita & tolerata à Pontifice poſſe Epiſcopos diſpenſare.

2 *Secundò*, etiam eſt certum, hodie poſſe Epiſcopum diſpenſare, vt omittantur tres denuntiationes, vel aliqua illarum ante, & poſt matrimonij conſummationem. Sic expreſsè deciditur in Tridentino *dicto cap. 1.* Nam ibi id remittit arbitrio Ordinarij, Epiſcopus autem eſt verè Ordinarius.

3 Eſt tamen *prima difficultas*, an id etiam poſſit prouiſor vel Vicarius generalis ex vi ſui officij.

Negant Henriquez *lib. 11. de matrimonio cap. 5. n. 5.* Baſilius Ponce *lib. 5. cap. 31. numer. 5.* & alij Ordinarij oomine in eo loco Concilij intelligi Vicarium generalem, & ita illum non poſſe has denuntiationes remittere, niſi ſpecialiter committatur. Probat *primò*, quia Congregatio Cardinalium declarauit in hoc caſu non intelligi Vicarium generalem.

Secundò, quia ſi Vicarius generalis eo ipſo quo conſtituitur, habet à Tridentino poteſtatem denuntiationes remittendi, nnn poſſet per Epiſcopum tolli: ſicut quamuis reſiſtat, & contradicat Epiſcopus, non poteſt tollere à Parocho licẽtiam aſſiſtendi matrimonio, neque poteſtatem concedendi alteri licentiam. Cùm igitur poſſit Epiſcopus denegare id Vicario, cui generalem adminiſtrationem commiſit, vt fatetur Sanchez *lib. 3. diſput. 7. numer. 13.* manifeſtum eſt ſignũ non eſſe illi conceſſum à Tridentino, eo ipſo quòd Vicarius eſt. Nam inferior contra legem Superioris nihil poteſt. *cap. inferior, de maioritate, & obedientia.*

Tertiò, in generali commiſſione Vicariatus non clauditur diſpenſandi poteſtas, niſi ſibi committatur; quia diſpenſatio habetur inſtar reſtitutioois in integram, quæ in generali mandato non continetur, vt conſtat ex *l. illud ff. de minor.* Ergo non poteſt Vicarius Epiſcopi diſpenſare in denuntiationibus abſque ſpeciali commiſſione.

Veriorem iudico partem affirmantem, quam te-
4 nent multi, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. 3. diſput. 7. numer. 10.* Coninchius *diſput. 27. dub. 6. n. 55.* Hurtado *diſput. 19. difficult. 19. numer. 63.* Riccius *in praxi deciſ. 259.* & alij. Moueor, quia Tridentinum hanc tribuit poteſtatem Ordinario, illis verbis: Niſi Ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædictæ denuntiationes omittantur. At Vicarius generalis eſt verè Ordinarius iudex, cùm idem tribunal habeat cũ Epiſcopo, eademque cenſeatur perſona; eandemque etiam ſuo modo cum eo habet poteſtatem, vt habetur *cap. Romana, de appellationibus in 6.* & nomine Ordinarij, tam à Concilio hîc, quàm alibi à iure comprehenditur, vt eſt communis Theologorum & Iuriſperitorum ſententia. Vnde etiam intelligitur nomine Ordinarij ab eodem Tridentino ex omnium ſententia, cùm agit de Ordinario qui poteſt aſſiſtere matrimonio. Firmo, quia ante Tridentinum poterat ex generali ſaltem conſuetudine diſpenſare. At non reperitur Trideotinum id ei oegare, ſed potiùs concedere illâ voce communi Ordinarij. Quando enim voluit Tridentinum excludere Vicarium, id manifeſtè expreſſit, vt *ſeſſ. 22. cap. 6. de reformatione*, ibi, & non eorum vicariis.

5 Ad primum oppoſitum dico, tametſi demus id quod refertur in declarationibus Coogregat. Cardinal. apud Rebellum *numer. 22.* Papam dixiſſe quoad hoc nomioe Ordinarij intelligi Epiſcopùm, non ideo eſſe excludendum eius Vicarium generalem, quia eſt eadem perſona cum Epiſcopo. Vnde ſentio id etiam poſſe quemlibet habentem iuriſdictionem epiſcopalem nulli Diœceſano ſubditum. Quia etiam iſti ſunt verè Ordinarij, vt dixi ſuprà *diſput. 40 ſect. 1.* poſſuntque comprehendi nomine Epiſcopi, cuius fit mẽtio in nuper dicta declaratione, cùm habeant iuriſdictionem Epiſcopalem annexam ſuæ dignitati. Vnde Papa ſolùm voluit excludere habentes Abbatias, aut alias dignitates in commendam, quibus annexa eſt iuriſdictio Epiſcopalis, & non ipſos Abbates proprietarios, vt deducitur ea relata declaratione.

6 Ad ſecundum negatur antecedens: nam ſicut poteſt Epiſcopus totum officium reuocare, ita & partem. Vnde ſi Epiſcopus illud ſibi vni particulariter reſeruaſſet, benè faceret; quia id facere poteſt.

7 Ad tertium dico, tametſi verum ſit ex generali cõmiſſione Vicariatus, non poſſe Vicarium generalem diſpenſare in omnibus in quibus poteſt Epiſcopus; poſſe tamen in caſibus, quorum diſpenſationem ius committit Ordinario, vt in præſenti caſu de ipſis denuntiationibus.

8 *Secunda difficultas* eſt, an poſſit Epiſcopus alieni delegare facultatem diſpenſandi in his denuntiationibus. Breuiter reſpondeo affirmando. Tum quia in hoc non eſt electa induſtria Epiſcopi, cùm id munus demandarum ſit perſonis incertis ignotis, & tam præſentibus, quàm futuris. Tum quia poteſtas hæc data Epiſcopo per Concilium, cum ſit perpetuò adiuncta ſedi Epiſcopali, eſt ordinaria, & ita poteſt eam delegare. Imò ſentio eam Vicarium generalem poſſe delegare alteri, quia eſt Ordinarius. Vnde quamuis non poſſit alium Vicarium inſtituere, vt conſtat ex *cap. Clericos, de offic. vicarij*; at poteſt vnam, vel plures cauſas delegare.

9 *Tertia difficultas* eſt, an cùm contrahentes ſunt ex diuerſis diœceſibus, & Ordinarius vnius remittit denuntiationes in ſua diœceſi, conſequenter videatur diſpenſare ne fiant in alia parochia.

Affirmant Sanchez *diſput. 7. cit. numer. 7.* & Coninch ſuprà relatus *numer. 54.* Quia in hac re coniuges cenſentur quaſi vna perſona, & ratione connexionis cauſæ vterque alterius Prælato cenſetur ſubiectus: atque adeò ſicut poteſt alteruter Prælatus ratione connexionis vtrumque copulare matrimonio; ita eo ipſo quòd diſpenſat cum ſuo ſubdito, vt abſque denuntiationibus ineat matrimonium, cenſetur conſequenter

ſequenter diſpenſare cum alio ; cùm illæ denuntiationes, & diſpenſatio illa ordinentur ad matrimonium, quod indiuiduum eſt, conſtans ex duplici extremo.

10 Baſilius verò Ponce *lib. 5. cap. 31. num. 9* dubitat de huius dicti veritate. Quia ſæpe poteſt contingere, vt impedimentum quod in vna diœceſi notum non eſt, ſit notum in alia ; & ita ex diſpenſatione denuntiationum in vna diœceſi non ſequitur per connexionem & colligationem aliquam diſpenſatio in alia. In quo, inquit, eſt valde diuerſa ratio de matrimonio, & de ipſis denuntiationibus. Nam in matrimonio, cùm ſit neceſſariò vinculum duorum, neceſſariò etiam ſit, vt qui vnum coniungere poteſt, poſſit & alium: eſt enim mutua coniunctio. At in denuntiationibus non eſt ita neceſſaria colligatio, & conſequentia, vt per ſe patet.

11 Denique Bonacina & alij exiſtimant, poſſe ſolum Ordinarium, in cuius diœceſi celebrandum eſt matrimonium, in denuntiationibus diſpenſare pro vtroque contrahente. Probant

Primò, quia alter Ordinarius nullam habet iuriſdictionem in ſubditum alterius Ordinarij.

Secundò, quia ex eo ſolùm poteſt Ordinarius cum vtroque contrahente diſpenſare, quia eorum matrimonio aſſiſtere debet; ergo ſi non debet aſſiſtere, non poterit diſpenſare.

12 Perplacet magis prima Sanchez opinio, poſſe quemlibet Ordinarium eorum diſpenſare in denuntiationibus cum vtroque contrahente. Moueor. Tum quia alter contrahens ratione connexionis matrimonij eſt ſubditus etiam Ordinarij alterius, nam cauſa matrimonialis ratione duplicis extremi coniuncti eſt indiuiſibilis; ergo poterit ab eo diſpenſari. Tum etiã, quia ea diſpenſatio facta ab alterutro pro vtroq; contrahente, verè fiet ab Ordinario, quamuis ſit vnius tantum, quo ſatis ſit decreto Cõcilij Tridentini: quod eſt verum, quamuis matrimonium fiat in diœceſi Ordinarij alterius ; quia etiam ſatisfit dicto decreto: ſicut ob eandem rationem ſuprà *diſp. 40. ſect. 2. n. 4. & 5.* diximus contrahentes diuerſarum parochiarum validè contrahere coram Parocho vnius, etiam in parochia, & diœceſi alterius. Tum denique, quia Tridentinum dat iſtam facultatem ei Ordinario, qui poteſt matrimonio aſſiſtere, ſed vterque poteſt aſſiſtere, vt conſtat ; ergo vterque poteſt diſpenſare.

13 Ad Baſilium reſpondeo non eſſe cur dubitare debeat de prædocti Sanchez dicti veritate: illi verò incommodo dico facile poſſe præcaueri per diligentiam quam Ordinarius diſpenſans præmittet diſpenſationi.

Ad primum Bonacinæ negatur aſſumptum ; non enim ratione connexionis fieri poteſt, vt in ea cauſa vnus ſit ſubditus, & non alius.

Ad ſecundum, admitto libenter ideò poſſe Ordinarium diſpenſare, quia poteſt aſſiſtere; non verò quia actu aſſiſtit, vel ex eo quod futurum ſit vt aſſiſtat. At alteruter Ordinarius poteſt aſſiſtere.

14 *Quarta* & vltima *difficultas* eſt, an poſſit Parochus in aliquo ſpeciali euentu remittere denuntiationes, ſeu in illis diſpenſare. Vt cùm timetur matrimonium malitioſè impediendum, ſi præmittantur denuntiationes, de qua ſola cauſa loquitur Tridentinũ *ſeſſ. 24. cap. 1.* In quo etiam caſu certum eſt non poſſe Parochum ex hac cauſa omnino remittere denuntiationes ; non enim poteſt diſpenſare, ne ante matrimonij conſummationem fiant. Quia hoc *ibi* Tridentinum remittit Ordinario, cuius nomine Parochum non comprehendi eſt manifeſtum. Certum etiam eſt, vbi Epiſcopus reſeruaſſet ſibi hanc diſpenſationem, non poſſe Parochum diſpenſare : ſicut dixi ſuprà *num. 6.* de Epiſcopi Vicario. Solùm igitur eſt dubitatio, an propter malitioſi impedimenti probabilem ſuſpicionem poſſit Parochus remittere, ſeu diſpenſare, vt matrimonium contrahatur non præmiſſis denuntiationibus, vt poſtea ante matrimonij conſummationem fiant. Cum communi doctrina dicendum eſt non poſſe in eo euentu. Ratio eſt, quia Tridentinum referens hunc caſum ait ſolùm in eo eſſe iuſtam cauſam diſpenſandi : agens verò de poteſtate diſpenſandi ſoli Ordinario eam concedit ; ergo non Parocho, qui nõ venit ibi ſub hoc nomine: & de Parocho nulla fit mentio, niſi vt aſſiſtat matrimonio. Firmo, quia non videtur Concilium rem tantam arbitrio Parochorum commiſiſſe, quorum non pauci ſolent eſſe homines minus docti, & qui facile quouis caſu permitterent ſibi perſuaderi nõ eſſe denuntiationes prætermittendas. Et cùm facilè poſſit Epiſcopus adiri, nulla eſt neceſſitas talem poteſtatem Parocho concedendi.

Quæret aliquis, an Parochus aſſiſtens matrimonio omiſſis denuntiationibus, mortis ſibi comminatæ timore, peccet. Reſpondeo cum communi doctrina non peccare, quia præcepta Eccleſiæ, quale eſt illud præmittendi denuntiationes, non eo rigore obligant. Quod intelligendum eſt, niſi tyrannus in contemptum denuntiationum mortem minaretur : tunc enim teneretur potius illam ſubire, vt in omnibus præceptis Eccleſiaſtici vniuerſi fatentur Doctores. 15

SECTIO IV.

Ob quas cauſas poſſit Ordinarius in denuntiationibus diſpenſare.

Certum eſt *primò*, requiri iuſtam cauſam, vt licita ſit Ordinarij diſpenſatio. Patet. Tum quia ex communi omnium doctrina diſpenſatio ex cauſa iuſta requiritur in omnibus aliis diſpenſationibus. Tum in ſpecie, quia Tridentinum requirit vt Ordinarius iudicet expedire diſpenſationem, eam relinquens illius iudicio, & prudentiæ ; quod fieri non poteſt, niſi iudicet ſubeſſe iuſtam cauſam. Quando enim non eſt cauſa aliqua rationabilis, non expedit; quia diſpenſatio eſt ruptio iuris communis, quæ abſque rationabili cauſa non expedit. Vnde peccat mortaliter Epiſcopus abſque legitima cauſa diſpenſans, quia materia eſt grauis. 1

Secundò probabilius videtur, non requiri cognitionem cauſæ iudicialem. Non enim requiritur cauſa iudicialiter cognita, quia Tridentinum id non exigit: ſolùm enim committit Ordinarij prudentiæ, & iudicio, ſeu conſcientiæ: nam iudicium & conſcientia idem ſunt, nempe mentis dictamen. Quoties autem aliquid committitur conſcientiæ, & prudentiæ alicuius, non eſt neceſſaria probatio iudicialis, ſed ea cognitio extraiudicialis, ſufficiens ad informationem conſcientiæ Ordinarij. Vnde hæc diſpenſatio denuntiationum poteſt fieri extra diœceſim, quia eſt actus iuriſdictionis voluntariæ, cùm non requiratur cognitio cauſæ iudicialis. 2

His præmiſſis, deſignandæ ſunt iuſtæ cauſæ diſpenſandi, quæ plurimæ eſſe poſſunt, & ſufficit quæcumque arbitrio Ordinarij iuſta. Quamuis enim Tridentinum vnam ſolùm expreſſerit in genere, quãdo nimirum probabilis ſuſpicio eſt matrimonium malitioſè impediendum: cùm tamen totum id negotium prudentiæ & conſcientiæ Ordinarij remiſerit, varias ac plures occurrere poſſe quis neget ? Proponendæ

tiendæ igitur ſunt, quæ à Doctoribus in ſpecie deſignantur, & declarandæ.

3 Ad quarum maiorem dilucidationem, prænotandum eſt, ex cauſis iuſtis, ob quas poteſt Ordinarius in denũtiationibus diſpenſare, alias eſſe iuſtas, vt denuntiationes omittantur ante contractum matrimonij, fieri tamen debeant poſt matrimonium contractum, ante illius cooſummationem; alias verò eſſe poſſe iuſtas, vt dictæ enuntiationes omnino omittantur, adhuc poſt matrimonium contractum.

Ab his vltimis initium ſumendo *prima cauſa* iuſta diſpenſandi in denuntiationibus, vt omnino omittantur ante, & etiam poſt factum matrimooium, eſt quando noo poſſunt fieri abſque infamia contrahentium. Vt quando duo ſunt in concubinatu, & publicè cenſentur coniugati. Patet, quia ſi nimius pudor ac verecundia contrahentium cenſetur eſſe prudenti iudicio iuſta cauſa, vt dicam; à fortiori erit ſufficiens & iuſta, vbi & verecundia, & infamia concurrunt.

4 *Secunda cauſa* eſt contrahentium pudor, quando nimio pudore ſuffunderentur denuntiationibus factis, hæc enim eſt cauſa iuſta diſpenſandi, vt omnino omittantur, ſi nequeant fieri abſque pudore contrahentium, vt quando ſunt ſenes, pudetque eos publicare matrimonium: tunc etiam fit quædam irreuerentia ſacramento, dum ſenes contrahentes irridentur. Ob eandem verecundiam ſunt qooque omnino omittendæ denutitiationes propter oimiam diſparitatem, vt ſi valde ſenex ducat iuuenculam; vel valde oobilis, ignobilem; vel valde diues, pauperem, aut è contra. Quod non ſolùm intelligendum eſt, dum timetur impediendum eſſe hoc matrimonium ob hanc diſparitatem; ſed generaliter, ratione pudoris & verecundiæ, vt bene Sanchez cum aliis *lib. 3. diſputat. 9. num. 3.*

5 *Tertia cauſa* iuſta diſpenſandi, vt omnino omittantur denuntiationes, eſt quando magnates contrahere volunt, repente, & occultè. Ratio eſt, quia horum matrimonia ſunt valde publica, ipſique ſuot valde noti. Vnde ſi aliquod impedimentum inter eos eſſet, ſtatim ſciretur: ergo in illis abſque denuntiationibus facile conſtant impedimenta. Ex quo infero generaliter eſſe cauſam iuſtam ad ſic diſpenſandum cum quibuſcumque, quando oon eſt timor alicuius impedimenti: quia cauſâ detegendi impedimenta fiunt denuntiationes. Vnde iuſta eſt diſpenſandi cauſa, dum ceſſant omnia inconuenientia, ob quæ vitanda denuntiationes fiunt.

6 *Quarta cauſa* iuſta diſpenſandi in denuntiationibus, vt omnino omittantur etiam poſt factum matrimonium, eſt, quando matrimooium priùs publicè coorractum, poſtea conſtat eſſe nullum ob impedimentum occultum. Hæc cauſa ab omnibus admittitur ad vitandum ſcandalum.

7 *Quinta cauſa* iuſta eſt, quando vir in articulo mortis volt concubinam ducere, vt legitimet filios ex ea habitos, vel vt eam non relinquat inhooratam, quamuis ex ea non genuerit filios. Patet, quia nulla vrgentior ratio poteſt aſſignari, cùm id maximè expediat animæ ſaluti.

Sexta & vltima *cauſa* iuſta omnino omittẽdi denuntiationes, generaliter eſt ob quamcumque notabilem commoditatem contrahentium, ſiue ſpiritualem, ſiue temporalem, dummodo aliàs non ſit ſuſpicio, vel periculum occulti impedimenti. Id enim totum ſpectare debet, & attentè conſiderare Ordinarij prudentia, & rectum illius dictamen & iudicium.

8 Cauſæ verò iuſtæ, vt denuntiationes omittantur ante matrimonium, & fiant poſt illud contractum, ſed ante conſummationem, ſunt ſequentes.

Prima eſt, quando non poſſunt præmitti abſque periculo notabilis iacturæ animæ, aut rei temporalis, aut abſque impedimento operis notabilis miſericordiæ. Sic contingit, quando duo concubinarij intendunt contrahere, & prudenter timetur eſſe carnaliter miſcendos, dum fiunt denuntiationes. Præterea ſi repentinus caſus offerret rationem contrahendi matrimonium in duobus concubinariis comprehenſis à iudice, vt poſſent temporali pœna eximi, vellent ſe eſſe coniugatos, eſſet iuſta diſpenſandi cauſa in denuntiationibus præmittendis. Denique ſi meretrix in lupanari expoſita vellet cum aliquo inire matrimooium, iuſtam diſpenſandi cauſam præberet, vt omitterentur denuntiationes ante matrimonij contractum, vt nimirum ipſa deſiſteret ſtatim à malo ſtatu, & etiam ob periculum ne ipſa, vel ſponſus voluntatem mutaret, & in illo malo ſtatu permaneret. Patet, quia ſi ob corporis periculum vt concubinarij temporali pœna eximantur, id licitum eſt; à fortiori id licebit, vt vitetur animæ periculum.

Secunda cauſa iuſta diſpenſandi, vt denuntiationes 9
poſtpooantur, eſt, quando tempus, quo ouptiæ ſolemnes prohibentur, inſtat, & poſt factum matrimonium timetur, ante tempus, in quo liceant nuptiæ, futura cõmixtio carnalis, quæ ante nuptias ſolemnes, ſeu benedictiones nuptiales eſt illicita, aut ſaltem non expediens. Nam Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 1.* hortatur, vt conſummationi matrimooij præmittantur benedictiones. At expectare vt contrahatur, vel conſummetur matrimonium tranſacto eo tempore, eſſet manifeſtum periculum diſſolutionis, vel fornicationis, ſi nondum contractum eſt; vel ſi contractum eſt, vt ante benedictiones conſummetur.

Tertia cauſa iuſta, vt omittantur denuntiationes 10
ante contractum matrimonium eſt, cùm timetur fore vt conſanguinei ioiuſtè matrimonium impediant. Id conſtat ex Tridentino *citato*, vbi dicitur eſſe iuſtam cauſam quando eſt ſuſpicio malitioſi impedimenti: malitia autem dolum, & calomniam importat. ex quo infero tunc eſſe iuſtam cauſam, quando parentes minis, dolo, vi, vel falſitate, vt ſuppoſitis falſis teſtibus, vel calumniis impedirent matrimonium: ſecus quando adeſt iuſta impediendi cauſa, ob notabilem diſparitatem: nec violentia, ſed precibus & ſuaſionibus impedire volunt; quia ibi nihil malitiæ adeſt, ſed iure ſuo vtuntur bene filiis conſulentes.

Quarta cauſa eſt, quando parentes, vel tutor volunt 11
vt virgo nubat indigno. Vel quando valde aliquibus expediret coniugium, timerentque impediendum. Patet, quia in vtroque caſu erant olim licita matrimonia clandeſtina; ergo à fortiori erit iuſta cauſa diſpenſandi in denunciationibus in vtroque euentu. Vnde

Infero *primò* in omnibus caſibus, in quibus olim licita erant matrimonia clãdeſtina, iuſtam eſſe cauſam diſpenſandi in deountiationibus.

Infero *ſecundò*, ſi virginis deflorator damnum velit reſarcire eam ducens, & ſit periculum vt animum mutet, iuſtam eſſe caoſam: quia tunc valde expedit cooiugium. Similiter eſt iuſta cauſa, quando duo fidem ſibi dederunt de matrimonio contrahendo, & alter tam leuis eſt, vt probabilis timor ſit hac leuitate, vel aliis coniecturis attentis, vt à fide data iniuſtè reſiliat. Ratio eſt, quia tale coniugium valde expediens eſt vtrique contrahenti, alteri de quo eſt timor, ne peccet mortaliter ioiuſtè reſiliendo; alteri verò ne matrimonio ſibi ex iuſtitia debito defraudetur.

Quinta & vltima *cauſa* iuſta eſt ad vitanda ſcan- 12
dala ob aliquam factionem, quæ vitari poſſunt ſtatim inito matrimonio. Id eſt certum, quia in

minoribus

minoribus periculis id concedunt Doctores, vt vidimus.

Duo verò ſuperſunt circa hanc rem obſeruanda.

13 *Primum* eſt, in omnibus prædictis euentibus, in quibus denuntiationes omittendæ ſunt ex diſpenſatione, teneri Epiſcopum prius pro rerum commoditate, quantum poterit, diligentiam adhibere, vt ſciat *primò* vtrùm ſubſit aliquod impedimentum. *Secundò*, vtrùm ea cauſa verè ſubſiſtat: aliter enim mortaliter peccaret, non ſatisfaciens ſuo muneri.

Alterum eſt, quando cauſa ſolùm requirit vt matrimonium celebretur ante denuntiationes, debere eas poſtea fieri ante conſummationem, niſi omnino apertè conſtet nullum eſſe impedimenti periculum. Quia quantum fieri poteſt, cauendum eſt ne ſponſi cum periculo impedimenti dirimentis matrimonium conſumment. Vnde ſi in eo caſu Ordinarius non prohiberet conſummationem, ne videlicet illa fieret ante denuntiationes, grauiter peccaret, niſi ipſi certò conſtaret nullum ſubeſſe impedimentum ibi. Similiter & ipſi coniugati mortaliter peccant, quoties denunti ationibus non præmiſſis habent copulam. Quia vtrique, niſi diſpenſatum ſit, agunt in re graui contra præceptum Tridentini, quod abſolutè iubet eas præmitti ante conſummationem, ne contingat ſubeſſe impedimentum, atque ita copulam eſſe fornicariam. Quæ ratio militat non tantùm in prima copula, ſed & in reliquis, quæ eodem modo prohibentur.

Dices, hîc & nunc coniugibus conſtare nullum ſubeſſe impedimentum; ergo ſaltem in eo caſu poterunt ſe cognoſcere non præmiſſis denuntiationibus. Reſpondeo dato antecedente, negando conſequentiam, quia ex illo antecedente ſolum ſequitur ceſſare rationem legis in particulari, quo non obſtante pergit lex obligare, vt dixi ſuprà *ſect.* 1. *numer.* 7. Adde etiam non ſufficere quòd id conſtet coniugibus; quia debet etiam conſtare Eccleſiæ, quæ non iudicat id ſibi ſufficienter conſtare, donec fiant denuntiationes, vel iudicio Epiſcopi remittantur.

Sectio V.

An teneatur Ordinarius diſpenſare in denuntiationibus exiſtente cauſa iuſta; & ſi nolit, poſſint illæ omitti abſque diſpenſatione.

1 Circa primum, dico *primò*, cum communi Doctorum ſententia, & cum noſtro Sanchez *diſput.* 10. *numer.* 6. Baſilio Ponce *lib.* 5. *cap.* 32. *numer.* 6. & Hurtado *diſput.* 5. *difficult.* 20. *numer.* 71. Ordinarium teneri diſpenſare partibus petentibus in illis caſibus, in quibus ſcandalum ſequeretur, aut eſt ſuſpicio malitioſi impedimenti, & quando ſubditis expedit valde ad bonum animæ, aut corporis diſpenſatio. Vt quia vir deflorauit fœminam, & eſt periculum mutationis voluntatis viri: vel contrahentes ſunt in peccato concubinatus, & illo pacto ſuæ ſaluti ſpirituali conſulens, eſtque periculum in mora, vel morti vicinus vult ducere concubinam, vt in bono ſtatu decedat, & prolem legitimet. Patet, quia poteſtas diſpenſandi in Prælatis eſt in bonum commune, & in bonum ſuorum ſubditorum; ergo quoties proficit diſpenſatio notabiliter, aut bono communi, aut ipſis contrahentibus, ſiue ſpiritualiter, ſiue temporaliter, tenetur Ordinarius diſpenſare partibus petentibus, maximè quando adeſt cauſa ſuſpicionis malitioſi impedimenti, quia ſubeſt cauſa diſpenſandi expreſſa in Tridentino; non obſtante, quod ſtatim relinquat arbitrio Ordinarij, quod regulatum ratione debet eſſe.

2 Dico *ſecundò*, quando nullum publicum, vel priuatum notabile damnum ſequitur, etiamſi exiſtat cauſa ſufficiens, non teneri Ordinarium. Vt quando ſenex cum iuuencula, vel duo ſenes contrahere volunt, vel quando nullus eſt timor impedimenti inter contrahentes, vel ſunt magnates, & ſic in aliis ſimilibus caſibus. Ratio eſt, quia diſpenſatio ex iuſta cauſa non ſemper eſt debita, ſed aliquando eſt gratia, & miſericordia. Vnde in iure aliquando appellatur *gratia*, vt *cap. licet Canon, de elect. in* 6. ibi, poſſit Ordinarius gratiam diſpenſationis facere. Et *cap. dudum* 1. *quæſt.* 7. ibi, diſpenſationis enim gratia, & *cap. penultimo, de Cleric. excommun. miniſtr.* ibi, propter quod diſpenſationis gratia. Cùm igitur in prædictis caſibus diſpenſatio non ſit debita, ſed ſit gratia, & fauor, Prælatus non iniuſtè negabit diſpenſationem, atque adeò non tenebitur.

Vnde colligo, exiſtentibus eiſdem cauſis, ſi Ordinarius cum vno diſpenſet, alteri autem neget, eſſe acceptorem perſonarum, quando diſpenſatio debita eſt; ſecus quando tantùm eſt permiſſa, & gratuita; tunc enim poteſt Ordinarius ceſſante ſcandalo, cum quo maluerit diſpenſare, abſque vitio acceptionis perſonarum: ſicut concurrentibus duobus æquè dignis poteſt Ordinarius vtri illorum velit, beneficium conferre.

Circa ſecundum, an ſi Epiſcopus iniuſtè neget diſpenſationem, vel non ſit recurſus ad ipſum, poſſit matrimonium omiſſis denuntiationibus licitè celebrari.

3 Dico *primò*, quoties Epiſcopus tenetur diſpenſare, ſi ſit graue periculum in mora expectandi denuntiationes, nec poteſt haberi copia Epiſcopi diſpenſer, poſſe illis omiſſis contrahi matrimonium. Hoc videtur communiter à Doctoribus receptum. Mouco peculiari ratione deſumpta ex materia de legibus. Quando certò conſtat materiam legis ex accidenti euentu, vel circumſtantia, factam eſſe iniquam, ſeu contrariam alteri præcepto, aut virtuti magis obliganti, tunc ceſſat obligatio legis, & propria auctoritate poteſt omitti, non ſolùm quando non eſt copia recurrendi ad Principem, ſed etiam quando eſt recurſus ad illum, quæ eſt doctrina D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 120. *art.* 1. *ad* 3. dicente: In manifeſtis non eſt opus interpretatione, ſed excuſatione. Et ratio eſt, quia ibi ſuperioris auctoritas nullum effectum habere poteſt: nam etiamſi poſt recurſum ad illum vellet, & ſubditus legem ſeruaret, non poſſet ibi obedire, quia obediendum eſt Deo magis, quàm hominibus; ergo impertinens eſt in eo caſu licentiam poſtulare. Hinc autem probatur concluſio: nam in caſibus, in quibus tenetur Epiſcopus diſpenſare, deficit lex præmittendi denuntiationes, ita vt ſeruare illam ſit nociuum. Nam concurrunt duo præcepta, vnum poſitiuum Eccleſiaſticum ſeruandi denuntiationes, aliud alterius virtutis, nempe charitatis, vel miſericordiæ, vel ſalutis proximorum, quæ magis vrgent, & præponderant; atque adeò iniquitas eſſet denuntiationis tempus expectare, & ideo omnis illius legis obligatio ceſſat, etiamſi ſit recurſus ad ſuperiorem. Cùm enim ſuperior non poſſit id quod iniquum eſt, præcipere, non eſt opus ad illum recurrere, vt ea lex ſeruetur; imò neque licentiam petere, licèt non obtineatur; quia nullo iure cogimur eam licentiam petere, neque ex natura rei eſt neceſſaria, propter rationem dictam. Vnde ſimiliter in eis caſibus adhuc vrgentibus, quamuis Ordinarius poſſit commodè adiri, & ſit paratus diſpenſationem

diſpenſationem concedere, non eſt neceſſarium eam petere; quia diſpenſatio non eſt neceſſaria, vbi certò conſtat præcepti obligationem ceſſare omnino, vt rectè notauit Gaſpar Hurtado *diſput. 5. difficultate* 20. *num.* 72.

4 Dico *ſecundò* etiam ſi in prædictis caſibus ſolùm probabiliter iudicetur non eſſe obligationem præmittendi denuntiationes, ſecurè excuſari ab obligatione legis earum, ſi non datur tempus conſulendi Ordinarium. Hoc manifeſtum eſt, & practicè certum, ex materia de conſcientia. Quia iudicium probabile in rebus mortalibus ſufficit ad prudenter operandum, præſertim vbi regula certa applicari non poteſt. Et alius modus operandi eſt vltra humanam conditionem, & prudentiam, cùm omnis ferè cognitio humana coniecturalis ſit, & præſertim in rebus agendis Firmo, quia aliàs imponeretur grauiſſimum onus hominibus, ſi numquam liceret eis vti epiikia ex iudicio probabili, quando non patet aditus ad ſuperiorem. Quis enim auderet vnquam excuſari à lege poſitiua propter neceſſitatem occurrentem? cùm nemo ſit tam certus de ſufficientia cauſæ, quin dubitet, vel formidet. Item in his caſibus non poſſent ſimplices ſequi conſilium hominis docti & pij, nec ipſe poſſet tale conſilium dare, quia nunquam ferè ducitur niſi iudicio probabili. Conſtat autem contrarium eſſe in vſu totius Eccleſiæ, & approbari ab omnibus Doctoribus. Dixi, ſi non datur tempus conſulendi Ordinarium: nam in praxi inordinatum videtur vti coniecturis, & propter illas ſolas relinquere obligationem præmittendi denuntiationes, quin ſuperior conſulatur. Nam cùm poteſt conſuli Ordinarius, ceſſat neceſſitas vtendi iudicio probabili de voluntate eius; quod ſecus eſt, quando eſt periculum in mora, & ideo tunc poteſt illud iudicium probabile ad praxim applicari ex principiis certis, quod in neceſſitate vti poſſumus iudicio probabili ad euitandum aliquod grauamen.

5 Dico *tertiò* de caſu dubio, in quo iudicari non poteſt probabiliter, an caſus comprehendatur ſub legis obligatione de præmittendis denuntiationibus, nec ne, in caſu patiente moram, recurrendum eſſe ad Ordinarium vt concedat diſpenſationem, ſtandumque eſſe eius iudicio. Patet, quia in eo caſu impoſſibile eſt operari cum conſcientia certa practicè, quia ex tali dubio naſcitur practica dubitatio, an tunc lex illa violetur, nec ne, agendo contra illam, & nullum eſt morale principium, quo poſſit practicè deponi illa conſcientia dubia, inconſulto ſuperiore, quando ille poteſt conſuli; ergo nunquam licet cum illo dubio agere contra illam legem, quia operari cum conſcientia practicè dubia ſemper eſt malum. Quòd verò ſtandum ſit iudicio Ordinarij, conſtat, quia eſt ſuperior & poſſidet ſuum ius, & in dubiis melior eſt conditio poſſidentis.

6 Dico *quartò*, in caſu vrgente, in quo Ordinarius conſuli non poteſt, & dubitatur, an caſus comprehendatur ſub prædictæ legis obligatione propter concurrentiam præceptorum; tunc licitum eſſe vti Epiikia omittendo ipſas denuntiationes ante contractum matrimonij. Patet, quia cùm dubium naſcatur ex concurrentia legum, quæ pro eodem tempore ſimul impleri non poſſunt, & homo dubitet quid facere debeat, tunc licitè poteſt agere contra legem de præmittendis denuntiationibus, quando nullum eſt impedimenti periculum, implendo illam aliam legem, quam tunc facta diligentia morali, iuxta perſonæ & temporis capacitatem, bona fide iudicat eſſe grauiorem, & magis obligare. Quia tunc homo non debet eſſe perplexus, nec neceſſariò peccare, & faciendo quod in ſe eſt, ſatisfacit vni legi, & aliam non tranſgreditur. Vnde tunc non eſt Epiikia voluntaria, vt ſic dicam, ſed oeceſſaria, quia in eo caſu non ſolùm poteſt quis ooo ſeruare legem poſitiuam, ſed etiam tenetur, vt ſeruet aliam naturalem, quam reputat grauiorem. Quare in eo caſu rectè etiam poteſt proferri iudicium poſitiuum, non ſolum probabile, ſed etiam certum practicè, nempe legem poſitiuam non ligare.

7 Dico *vltimò*, in illis caſibus, in quibus non tenetur Ordinarius diſpenſare, non poſſe denuntiationes propria auctoritate remitti. Hoc eſt certum, & patet, quia in illis caſibus nullluin eſt periculum animę, vel corporis in mora; vnde in eo caſu lex de præmittendis denuntiationibus non deficit contrariè, ergo nec ceſſat eius obligatio. Firmo, quia Ordinarius non diſpenſando, nullam irrogat iniuriam, cum diſpenſando, nullam irrogat iniuriam, cùm diſpenſatio in dictis caſibus ſit gratuita: non quæcumque cauſa ſufficiens, vt cum aliquo diſpenſetur in lege, ſatis eſt, vt ſecluſa diſpenſatione ab illius tranſgreſſione excuſetur; auctoritas enim ſuperioris ſupplet id quod deficit vt cauſa ipſa excuſet, aliàs impertinens eſſet diſpenſatio; quando enim ſola cauſa excuſare poteſt, ea non deſideratur.

SECTIO VI.

Ad quid teneatur ex vi denuntiationum, qui aliquod impedimentum nouit, occultum tamen.

NOn procedit dubium de Ordinario, aut Parocho, de quibus dicam *ſect.* 8. ſed de aliis quibus notum eſt aliquod impedimentum, occultum tamen.

1 Certum eſt autem *primò*, eum qui tantùm ex auditu nouit impedimentum, nec recordatur à quo, vel à quibus audierit, non teneri manifeſtare impedimentum. Ratio eſt, quia teſtes de auditu alieno, non deponentes à quibus audiuerint, nihil probant; & inutile eſt eorum teſtimonium, & nullius momenti, vt cum multis docet Farinacius 2. *p. praxis de teſtibus queſt.* 69. *n.* 75. *cum ſequentibus*. Idem dicendum eſt, etiam ſi recordentur à quibus audiuerint, ſi non ſint perſonæ fide dignæ, graues, non ſuſpectæ, aut omni exceptione maiores. Quia eius teſtimonium de auditu nullum etiam eſt *c. licet ex quadam, de teſtibus*; qui textus loquitur in probatione conſanguinitatis, quæ eſt impedimentum matrimonij, ibi: Nec ab infamibus, & ſuſpectis, ſed à fide dignis, &c. omni exceptione maioribus, cùm ſatis videretur abſurdum illos admitti, quorum repellerentur auctores.

2 *Secundò* etiam eſt certum, eum qui nouit impedimentum eſſe, diſpenſatum tamen pro foro interno, nna teneri, ſi occultum ſit, manifeſtare. Ratio eſt, quia iam eſt ſublata occaſio peccati, quod vitare intenditur ea denuntiatione. Dico quando eſt occultum; nam ſi ſit iam manifeſtum, & publicum, cùm illa diſpenſatio non proſit pro foro externo, tenebitur.

3 *Tertiò* etiam eſt certũ, eum qui nouit impedimentum aliquod occultè, ſi timet probabiliter magnum periculum, aut ſcandalum ex denuntiatione, tunc licèt probari poſſit, & mandatum denunciandi ſit ſub excommunicatione lata, non teneri denunciare, vt notat Sanchez *diſp.* 13. *num.* 5. quia iuxta generalia principia in materia de correctione fraterna, non tenetur

nerui quis cum tam graui damno fratrem admonere.

4 Denique certum eſt, quando impedimentum eſt publicum vt probari poſſit, teneri illud manifeſtare, quamuis ipſe in occulto ſciat, & etiamſi ſit impedimentum ortum ex peccato, & ſequatur infamia contrahere volentibus. Patet, quia nulla ratio adeſt quæ excuſet à denunciando; non ſecretum, cùm publicum ſit; non exiſtimatio quod non proderit; neque effectum habitura ſit manifeſtatio, cùm probari poſſit; non punitio, cùm non ordinetur ad punitionem, ſed ad vitandum peccatum. Eſt verò prius fraternè monendus laborans eo impedimento, vt deſiſtat à matrimonio; quòd ſi monitus non acquieſcat, denunciandus erit.

5 His præmiſſis, reſtat difficultas, an quando vnus tantum nouit impedimentum, & ex conſequenti probari non poteſt, teneatur illud ex vi harum denunciationum Ordinario manifeſtare.

Baſilius Ponce *lib. 5. c. 34. n. 5. & ſequentibus*, cum Ioanne Maiore negat obligationem eſſe detegendi impedimentum, ſi illud eſt omnino occultum, & ipſe ſolus nouit, ita vt probari nullo modo poſſit. Probat id *primò*, ſi contrahentes ſunt in bona fide, neque exiſtimant ſubeſſe impedimentum, nulla eſt ratio, quæ ſuadeat eum, qui ſolus nouit impedimentum, manifeſtare debere. Quia probari non poteſt impedimẽtum, nam abſque teſtibus non poteſt ſufficienter probari; at nemo tenetur denuntiare quod ſufficienter probare non poteſt. Et quamuis Doctores dicant, etiam quando probari non poteſt, eſſe obligationem manifeſtandi, ideo id dicunt, quia agitur de vitando peccato, & non inferendo damnum tertio, ad quod ſolus ille ſufficit. At in hoc caſu nullum eſt peccatum quod vitetur, neque damnum quod inferatur, quia contrahentes ſunt in bona fide, & ideo non peccant contrahendo matrimonium: Eccleſia quoque matrimoniũ cenſebit validum, & proles naſcetur legitima, cùm ſit ſuſcepta bona coniugum fide, & matrimonio in facie Eccleſiæ contracto; neque infertur iniuria ſacramento, cùm ibi non ſit ſacramẽtũ. Igitur nullũ eſt peccatum quod vitari debeat, nullum etiam damnũ imminet, quod repelli neceſſarium ſit.

Præterea, ſi contrahentes ſint in mala fide, & illis notum ſit impedimentum, & illud non eſt ortum ex peccato, vt eſt impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, vel cognationis ſpiritualis, quoties ille qui nouit, putat probabiliter non profuturum, non tenetur reuelare, ceſſat enim tunc denuntiationis, vel correctionis obligatio. At in præſenti caſu vnius teſtis denuntiatio non eſt profutura, quia conſanguinitas, aut affinitas non poteſt vnico teſte probari *c. licet ex quadam, de teſtibus*; vnde neque ad matrimonium impediendum ob conſanguinitatis impedimentum ſufficit vnicus teſtis.

Tandem ſi impedimentum oritur ex peccato, multo certius videtur, non teneri reuelare, ſiue contrahentes ſint in bona fide, ſiue in mala, & non ſperatur eos admonitos à matrimonio cõtrahẽdo ceſſaturos. Quod ſic probatur; nã ſi illud impedimentum ortũ eſt ex peccato eius qui nouit, vt ſi ſit Sacerdos qui ex diuerſis fœminis duos ſuſcepit filios, maſculum & fœminam, & illi ignari impedimenti poſtea vellent contrahere, quod impedimentum matre defuncta ſolus pater nouit, non tenetur manifeſtare impedimentum conſanguinitatis inter illos contrahentes. Quod ſi confuſè diceret ſe ſcire illos eſſe conſanguineos, non indicans quo modo, aut quâ ratione id ſciret, & vnde ea conſanguinitas prouenirет, nullius momẽti illet teſtimonium [illegible] in re adeò graui. At ſigillatim & diſtinctè eorum cognationem exponere ſuo peccato, nõ explicato, non poteſt: eum autem ad illud peccatum detegendum compellere nulla permittit ratio; neque enim me infamia aliqua laborantem prodere teneor ex communi ſententia, etſi interroger: ſi enim omnes excuſant aliquem, quando ex manifeſtatione timetur ſcandalum, cur hic non excuſabitur, quando ex manifeſtatione oritur ſuæ propriæ infamiæ periculum. Hæc omnia docet prædictus Baſilius.

Sanchez verò *diſp. 13. n. 2. & ſequentibus*, Coninchius *diſp. 27. dub. 7. n. 61*, Gaſpar Hurtado *diſp. 5. difficultate 21. n. 75.* & alij, docent quemlibet teneri denuntiare impedimentum occultum quod ſcit, quamuis ſolus ſciat. Probant, quia quilibet tenetur vitare peccatum mortale proximi, ſi commodè poſſit, præſertim quando id à ſuperiore præcipitur. At quando eſt impedimentum præſertim dirimens, eſt peccatum mortale cum eo contrahere, & cõtrahentes in perpetuo concubinatu viuunt; & ſciens impedimẽtũ poteſt illud denuntiando, vitare peccatum proximi mortale, quamuis ipſe ſolus ſciat, quia vnus ſolus quamuis denuntiator ſi deponat vt teſtis, & iuratus, ſufficit ad id quando agitur de euitando peccato, vt tunc agitur, & non de punitione. Dixi, ſi commodè poſſit, quia ſi non poteſt niſi cum conſiderabili incommodo, aut cum ſcandalo aliorum, non tenetur. prædictam concluſionem etiam veram eſſe ſentiunt, tametſi quis ſub ſecreto & iuratus ſciuerit impedimẽtum occultum, & quamuis ortum ex peccato infamante: quia maior ratio habẽda eſt ſalutis animæ proximi, quã ſeruandi ſecretũ, & famam illius; neque poteſt iuramento obligari ad non denuntiandum, quod aliàs tenetur, ſaltem ex vi præcepti ſuperioris id præcipientis mediis denuntiationibus. In hac re 6

Dico *primò*, mihi magis placere dictum primum Baſilij Ponce, ſi contrahẽtes ſint in bona fide, & ſciens impedimentum ſimul ſcit ipſum ignorari à contrahẽtibus eo quòd ſit ita occultũ, vt ſit probabile quod nunquã eſt manifeſtandũ, non eſſe obligationẽ detegendi illud impedimentũ. Patet ob rationem ab ipſo adductam, quia cùm cõtrahentes ſint ignari impedimenti, & id ſit valde occultũ quod nũquã eſt manifeſtandum, non peccabunt, neque eſt periculum vt peccent, & filij licet ſint in re illegitimi, pro legitimis habebũtur ab omnibus: nulla igitur eſt ratio cur tale impedimentum detegatur. 7

Dico *ſecundò*, ſi quis ſciat impedimentũ inter contrahentes mala fide, & cum peccato, teneri illud Parocho, vel ordinario manifeſtare. Ita Sãchez, Coninch, Hurtado & alij cũ communi ſententia. Et patet, tum quia quiſque quantũ commodè poteſt, tenetur peccatum proximi impedire; at niſi reuelet, alij cũ peccato contrahent, & in continua fornicatione viuẽt. Tum etiã, quia quiſque ſuperiori iuſtè præcipienti tenetur obedire. At præcipit Eccleſia, vt tales impedimenta aperiant. Hæc concluſio vera eſt, quantumcunque eſſet impedimentum occultum, & quamuis quis ſecretò id audiuiſſet, & iuratus ſecretum promiſiſſet; quia talis denuntiatio ſufficit ad impediendum matrimonium, quod alij cum peccato volunt contrahere; & maior habenda eſt ratio ſalutis proximi, quàm famæ: nec iuramento poteſt ſe quiſquam obligare, vt ſuperioris, ac naturalis de fraterna correptione præcepto nõ obediat. Hoc tamen euentu proximus priùs ſecretò monendus eſt ſecundùm leges correptionis fraternæ. Et quamuis teſtimonium vnius tantùm non ſufficit vt diſſoluat matrimoniũ, ex *cap. licet. de teſtibus*, bene verò ad ipſum impediendum, ex *cap. ſuper eo, de teſtibus*. Et licet non ſufficeret, aperit viam ſaltem Ordinario ad inquirendum, & ad [illegible]ahendum contrahentes 8

à matrimonio, iam monendo, iam terrendo. De ipſis verò contrahentibus interrogatis quomodo ſe gerere debeant, dicam ſectione ſequenti.

Sectio VII.

An ſi Ordinarius petat à volentibus contrahere, an aliquo impedimento ligati ſint, teneantur impedimentum fateri.

1 Communis eſt Doctorum ſententia, cum agit de ipſis contrahentibus ad quid teneantur ex vi denuntiationum, docet, ſi conſcij ſibi ſint alicuius impedimenti dirimentis, quantumuis ſit occultum, & ortum ex peccato, teneri veritatem dicere, etiam ſi ipſis infamia ſequatur, aut à matrimonio contrahendo deſiſtere. Sic in ſpecie de matrimonio docet Enriquez *lib. 1 9. de Sacramento Ordinis c. 18. n. 1 in commentar litera* D. Sanchez cum multis *lib. 3 diſp. 3 4. n. 2.* Vaſquez *2. tom. in 1. 2. diſp. 168. c. 6. n. 43.* & alij. Huius autem ratio deſumitur ex quadam generali doctrina, quam de inquiſitione ad detegendum impedimentum in vniuerſum tradunt Syluester *verb. inquiſitio 1. quaeſt. 4.* Angelus eodem verbo *num. 1.* Sotus *de tegendo, membro 2. quaeſt. 6. poſt. 3. concluſ.* Nauarrus *c. inter verba 1 2 quaeſt. 3. concluſ. 6. Corollario 6 3. n. 1 81.* & alij. Quia quamuis nullus etiam interrogatus ſub iuramento teneatur crimen ſuum manifeſtare, quando proceditur ad punitionem, vel pœnam, niſi contra ipſum fuerit ſemiplena probatio, quia nullus debet eſſe primus teſtis contra ſeipſum; hoc enim eſſet nimis durum: tamen quando iudex procedit ad cognitioné impedimenti matrimonij, quia inde ſequerentur damna contra caſtitatem, & iuſtitiam, ſi quis illegitimè contraheret, eo quòd matrimonium nullum eſſet ac irritum, ideò quiſque debet, etiam ſi non interrogetur, manifeſtare impedimentum, aut ita ſe gerere, vt nullo modo fiat tale matrimonium: niſi enim impedimentum detegatur, ſequerentur multa damna, quæ vnuſquiſque debet euitare, etiam cum infamia propria; ſiquidem poterat aliunde omnia illa impedire, ſi ad tale matrimonium non procederet. Vnde ſibi imputare debet, quod ſe in eas redegerit anguſtias.

2 Hanc doctrinam iudico veriſſimam: nam ex doctrina Abbatis *cap. continebatur num. 8. de deſponſ. impuberum*, & Theologorum, quotieſcumque animæ periculum vertitur, poteſt iudex exigere iuramentum à reo, licèt actor nihil probauerit. Vt ſi Petrus petit, vt Paulus iuret aliquod debitum quo ſibi obligatum eſſe exiſtimat. Cùm igitur in matrimonio vertatur periculum animæ, ne impediti contrahant, ordinarius abſque vlla præcedenti informatione poteſt inquirere à contrahentibus, de impedimento occulto. Vnde iudex tunc iure interrogat, idque ad excuſandam culpam, & non ad puniendam. Igitur ipſi contrahere volentes tenentur verè reſpondere, quamuis ſint impediti impedimento infami, ſi nolint à matrimonio deſiſtere; quia id eſt fauor cùm tunc procedatur non ad puniendum, ſed ad vitandū peccatū mortale & ad vitanda multa dāna, quæ debent vitari etiā cum propria infamia, quod totum eſt fauorabile ipſis contrahentibus; præſertim cum ipſi infamiam ipſam vitare poſſent ceſſando à matrimonio; vnde ſi non ceſſant ab eo, & ſequatur infamia, erit eiſdem imputanda.

3 Eſt verò notandum excipiendos eſſe eos contrahere volentes, qui occultè habent diſpenſationem impedimenti, & in foro conſcientiæ, q[illegible] tunc [illegible] poſſent validè contrahere ſine animæ periculo, poſſent etiam negare impedimentum mentali reſtrictione, non ita eſſe, vt teneantur illud propalare, non enim tenentur illud fateri, dū impedimentum eſt ita occultum, vt plenè probari non poſſit, neq[illegible] probatur plenè vnico teſte: is enim ſolum plen[illegible] bat, quando agitur de peccato vitando, quod hic non contingit. Firmatur, quia cùm iudex in eo caſu non interroget, aut inquirat, niſi ad vitandum peccatum, & illud iam per eam diſpenſationem vitetur, non tenetur reſpondere. Vnde ob eandem rationem alij qui ſciunt impedimentum occultum, ſi etiam ſciant diſpenſationem, quamuis occultam, non tenētur illud reuelare. Quod ſi impedimentum alias fiat publicum, vel ſit publica vox de illo, idque conſtaret volenti contrahere, tenentur fateri veritatem, quia pro foro externo ea diſpenſatio nihil prodeſt, & periculum eſt ne probetur in foro externo, tale matrimonium irritum eſſe. Verum eſt ſi conſcij impedimenti occulti nouerint volentes contrahere impetraſſe diſpenſationem occultam pro conſcientiæ foro, non teneri denuntiare. Quia eò tendunt prædictæ denuntiationes, vt peccatum, ac matrimonij nullitas vitentur; cumque illi validè & abſque peccato, poſſint contrahere, & in foro conſcientiæ perinde ſit, ac ſi impediti non eſſent, tametſi ea diſpenſatio in foro externo allegata non proſit, ideo non tenentur denuntiare. Vnde ſimiliter dico, ſi volentes contrahere coram iudice & Notario faterentur impedimentum occultum, eiuſque diſpenſationem pro foro interno, poſſe ipſum iudicem eos monere vt taceant, & in acta illud non referant, ſi nullus ſe opponat matrimonio, quia tunc nondum impedimentum illud eſt probatū. Quod ſi impedimentum fuiſſet iam diuulgatum & factum publicum, túnc diſpenſatio pro foro interno nihil prodeſſet in externo, & matrimonium impediret, & tunc tenerentur illud detegere.

4 Vt doctrina ſuprà dicta in confirmationem communis ſententiæ, quam amplexus ſum, magis roboretur, nonnulla colligenda ſunt.

Collige itaque *primò*, ordinandum tempore ordinationis, aut ante, debere manifeſtare ſuam irregularitatem, vel cenſuram, ſi qua ligatur, vel diſcedere, & ab Ordinibus deſiſtere, vt conſtat ex [illegible] *priatem, de renuntiatione*, ibi, licèt irregularit[illegible] huiuſmodi non potuerit ſubticere. Vbi Gloſſa *verb. non potuerit*, id eſt, non debuerit de iure, tempore ſuæ examinationis. Et *cap. innotuit, de electione*, ibi qui ſuum maluit confiteri reatum, quàm la[illegible] ſcientia thronum cōſcendere paſtoralem. Vbi Gloſſa, *verb. reatum*, id eſt, defectum, vel impedimentum. Et *cap. ex pœnitentibus, diſt. 50.* ibi deponatur, quia ſe ordinationis tempore non prodidit. Et ratio eſt, quia cùm Ordinarius non inquirat de impedimento ad Ordines, vt puniat ordinandos, ſed ne indignè & inhabiles ordinentur, tuſſè abſque infamia & alia informatione procedit, & conſequenter tenetur volens ordinari propalare ipſi impedimentum, quantumui occultum, vel ab Ordine deſiſtere.

5 Collige *ſecundò*, [illegible] dicendum eſſe in elec[illegible] paſſiua alicuius ad prohibendā aliquam dignitat[illegible], aut prælaturam, vel teneri detegere impedimentum, vel recuſare ne promoueat[illegible] iuxt[illegible] textum *in cap. cum nobis 1 9. & cap. cum dile[illegible] 3 2. de electione.* Ratio eſt eadem, vt te[illegible] d[illegible] Innocentius *in c. 1. de poſtulat. Prælatorum n.* [illegible] quia q[illegible] nimis cùm fit inquiſitio contra p[illegible] motu[illegible] vt puni[illegible] liceat abſque infamia procedere, & [illegible]

[illegible] ur

quatur textus *in cap. qualiter, & quando, de accuſat.* Attamen, quando ſit inquiſitio contra promouendum ne promoueatur indignus, non requiritur infamia, ſed debet ſuperior ex officio inquirere, iuxta textum *in cap. cum nobis, de electione.*

6 Colligo *tertiò*, idem dicendum eſſe in electione actioa. & ſuffragio ferendo. Qui enim ſcit ſe inhabilem eſſe ad ferenda ſuffragia, ſiue in Cathedris, ſiue in aliis, iuxta conſtitutiones Vniuerſitatis, quæ inhabilitatem ipſo facto imponunt, tenetur, vel deregere impedimentũ, rogatus, etiam ſi occulta ſit inhabilitas, vel deſiſtere à ferẽdo ſuffragio, aliàs periurij reus erit. Quam doctrinam defendit Vaſquez *citatus*, & probat multis Suarez *lib. 5. de leg. c. 9. n. 15.* Tũ, quia illa interrogatio non eſt primariò propter punitionem, ſed propter morale bonum commune Reipublicæ; & nõ oritur ex affectu iuſtitiæ vindicatiuæ, ſed ex affectu iuſtitiæ diſtributiuæ, & legalis, & hoc eſt ſatis, vt interrogatio ſit iuſta, etiamſi infamia non præcedat. Vnde eſt magna differentia inter hanc interrogationem, & illam, quæ tendit ad vindictam: nam in hac poſteriori, interrogatio, & reſponſio eſt quaſi coacta, & in malum interrogati; illa verò prior eſt magis voluntaria ei, qui vult ferre ſuffragium, & per ſe ordinatur ad ſeruandam iuſtitiam in electionibus, & ideo non eſt neceſſarius alius ordo iuridicus in hac interrogatione præter illum, quem ſtatuta Vniuerſitatis præſcribunt, cui electores voluntariè ſubduntur. Tum etiam, quia lex illa indifferenter præcipit exigere iuramentum, ad cauenda mala, & occaſiones iniuſtitiæ publicæ, & acceptionis perſonarum, & ſimiliter ponitur pro omnibus perſonis, nulla habita ratione infamiæ, nec alterius ordinis iudicialis; ergo ſupponit illa lex interrogationem illam eſſe iuſtam, & æquè poſſe omnes obligare; ergo tenentur omnes reſpondere veritatem, præſertim in inhabilitatibus iuris, ſeu ſubſtantialibus, quantumuis ſint occultæ. Tum denique, quia ſub ea lege & conditione, & quaſi pacto, admittuntur omnes ad ſuffragium ferendum, vt illis interrogationibus verè reſpondeant iuxta mentem interrogantis, quoniam hæc eſt proculdubio intentio legis, & has conditiones accipiunt electores ſine vlla limitatione, vel diſcrimine: ergo tenentur illas ſeruare, vel non dare ſuffragium. Placet tamen mihi quod rectè notauit Gabriel Vaſquez, non fore periurij reum electorem, etiamſi neget ſub iuramento ſuam inhabilitatem, ſi alia via velit lationem ſuffragij declinare. Ratio eſt, quia tunc ſolum tenetur reſpondere ad mentem interrogantis, quatenus neceſſarium eſt, vt ſi non habet ius ſuffragandi, non ſuffragetur: ſed illo non ferente ſuffragium, vel ſchedulam ſignante, mordente, vel rumpente aliqua ex parte, vel aliquid aliud faciẽte, quo iuxta Vniuerſitatis ſtatuta ſuffragiũ reddatur inutile, ſatisfiet huic intentioni. Igitur ſatis erit non ferre ſuffragium, ſed alio titulo ſe inhabilem oſtendere, aut ſe à ſuffragio excuſare.

7 Colligo *vltimò*, quid dicendum ſit, cùm ab Ordinatio volentes contrahere ad diſpenſandum interrogantur etiam de copula carnali, tenentur ne reſpondere? Breuiter enim dico, ſi interrogatio copulæ non conduceret ad diſpenſationis valorem, non tenerentur detegere Ordinario interroganti etiam ſub iuramento. Si autem conduceret neceſſariò, tenerentur, ne remaneret impedimentum indiſpenſatum, & ſequeretur damnum contra caſtitatem ex nullitate matrimonij. Neque enim interrogatio illa eò tenderet, vt illi punirentur, ſed vt impedirentur vti diſpenſatione ſubreptitia, & inualidè contraherent.

SECTIO VIII.

Quid agendum Parocho, vel Ordinario, qui in confeſſione ſacerdotali nouit impedimentum volentium contrahere; vel quando ſoli ipſi, & occultè nouerunt impedimentum.

Circa primam ſectionis partem, ſuppono *primò*, ex dictis à me in tractatu *de confeſſione*, non poſſe Prælatos, vel ſuperiores vti ſcientia debita ex confeſſione ad gubernationem externam ſubditorum, vt decreuit Clemens VIII. anno 1594. die 26. Maij, his verbis. Tam ſuperiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarij, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur, &c. Et ratio eſt, tum quia non ſolùm non licet reuelatio directa, ſed etiam indirecta, vt conſtat. Vnde neque indirectè poteſt Prælatus peccatum in confeſſione auditum exprobrare pœnitenti: at exprobraret indirectè ſi aliquid ingratum faceret, quod pœnitens intelligit fieri propter peccatum à ſe in cõfeſſione dictum; ſicut manifeſtat indirectè aliis, quibus dat ſimilem rationem ſuſpicandi; ergo non poteſt ex tali notitia remouere ſubditum ab officio, vel negare etiam gratuita, & indebita, ſaltem quando pœnitens poteſt intelligere id fieri propter peccatum ſuum, quod Prælato confeſſus eſt. Tum etiam, quia illud obligatione ſigilli prohibetur, quod confeſſionem redderet grauem, & odioſam fidelibus. Certum eſt autem, quòd non minus, ſed magis grauis redderetur confeſſio, ſi confeſſarius ex illa notitia poſſet pœnitentem lædere in honore, fortunis, muneribus, officiis, & aliis, ad quæ homines maximè afficiuntur, quàm ſi cum pœnitente poſſet de iis loqui; ergo ſicut propter reuerentiam, & libertatem Sacramenti prohibetur loqui cum ipſo pœnitente, ne difficilis reddatur confeſſio; multo magis debet propter eandem rationem prohiberi, ne poſſit occaſione confeſſionis pœnitens in aliis lædi rebus; cùm hæc læſio magis difficilem redderet confeſſionem, vt apertè conſtat. 1

Suppono *ſecundò* ex eodem tractatu, certum eſſe, propter notitiam ex ſola confeſſione habitam, non eſſe vitandum excommunicatum, neque in publico, neque in occulto, neque illi neganda eſſe ſacramenta. Patet, quia ſi inde ſequeretur reuelatio aliqua peccati, non eſt dubium quin non debeat vitari propter ſigillum ſeruandum. Quòd ſi non ſequatur reuelatio, ſed tamen pœnitens ipſe intelligit id fieri propter talem cenſuram; tunc etiam conſtat, non eſſe vitandum, quia ea eſſet exprobratio indirecta peccati: ſi enim nõ licet ſeueriorem vultum pœnitenti oſtendere ob notitiam confeſſionis, quanto minus licebit faciem auertere, & cõmunicationem ciuilem ei denegare? Firmo, quia ſigillũ obligat, non ſolùm ad non exprobrandum pœnitenti ſuum peccatũ directè, nec indirectè, ſed etiã ad non faciendum propter illam notitiam aliquid quod redderet confeſſionẽ difficiliorem, ſi pœnitens ſciret illud licitè fieri poſſe à Confeſſario: propter quã cauſã non poteſt licitè negari pœnitẽti ſuffragiũ, etiam occultè, propter eam notitiam, licèt id pœnitens ſcire non poſſit; quia nimirum ſufficit, quod ſcire illud poſſe fieri, redderet confeſſionem difficilem, & odioſam. Cùm ergo negare pœnitenti communicationem ciuilem, & eius commercium fugere, ſit aliquid incommodi pœnitenti, non licebit ex confeſſio- 2

nis noticia illud ponere, quòd ſi à pœnitente ſciretur, redderet difficiliorem confeſſionem ſui peccati. Videatur de hac re noſter Sanchez *lib. 3. diſputat. decima ſexta.*

Vnde manifeſtè infertur, nec poſſe illi negari ſacramenta ob rationem dictam: & firmatur, quia talis pœnitens habet ius petẽdi à ſuo Parocho, vel qui eſt illius loco ſua ſacramẽta, neque abſque iniuria poteſt ea illi denegare, niſi adſit manifeſta denegationis cauſa. Quod enim quis tanquam ſibi debitum poſtulat, non poteſt abſque manifeſta cauſa denegari. At impedimentum illud, quod per confeſſionem nouit, ignotum eſt, & quaſi non nocet; nullam ergo habet cauſam denegandi.

3 His præmiſſis breuiter explicare oportet, qualiter ſe debeat habere Ordinarius, vel Parochus, qui nouit in confeſſione, impedimentum dirimens matrimonium volentium contrahere? Dico igitur Parochum, vel quemcumque alium ſacerdotem habentem licentiam aſſiſtendi matrimonio, non poſſe expellere peccatorem etiam occultè petentem, ob ſolum peccatum in confeſſione notum. Quia, vt oſtenſum eſt, nequit iuuari ex confeſſionis ſcientia ad actus externos, quoties redderetur confeſſio odioſa, & retraherentur homines ab ipſa, quod eueniret, ſi noſſent ob peccata in confeſſione audita poſſe illis matrimonium negari. Teneretur tamen eum monere in confeſſione, vt deſiſtat.

4 Sed quid dicendum, ſi contingeret Parochum cognoſcere ex confeſſione ſubeſſe impedimentũ, & contrahere volentes nõ poſſent ſine magno ſcãdalo à matrimonio deſiſtere? Baſilius Ponce *lib. 5. c. 35. n. 4.* adfert ex Ludouico Beia *parte 2. caſuum conſcientiæ caſu 32.* remedium ſatis rationabile, & minimè contemnendum, vt omne peccatum effugiatur. Poſſet enim tunc Parochus, & teneretur conſulere, vt de communi ſcientia, & conſenſu contraherent, non quidem intentione faciendi verum matrimonium de præſenti, ſed ſub conditione, ſi Papa diſpenſet, animo quidem cohabitandi tantum quoad domum tanquam fratres, non verò quoad torum, donec accedat diſpenſatio, & iterum contrahant. Hac enim ratione contractus ille matrimonialis, qui aliàs non licet, redderetur licitus, cùm non ſit prohibitum contrahere matrimonium de præſenti ſub conditione, ſi Papa diſpenſet, & interim ad euitanda magna ſcandala habitare in eadem domo, maximè cùm iure ipſo præfigatur bimeſtre tempus, in quo poſſint non coniungi ſponſi, licet habitent in eadem domo; & poſſet etiam contrahi matrimonium ſub conditione caſtè viuendi, ſiue ſit conditio caſtitatis ad tempus, ſiue perpetua. Et quamuis videantur in ea cohabitatione ſe exponere periculo fornicandi, dum diſpenſatio obtinetur; attamen id excuſatur ex occurrentia ingentis ſcandali. Maximè cùm probabilis opinio ſit à nobis vt verior amplexa ſuprà *diſp. 16 ſect. 14.* matrimonium contractum ſub conditione non eſſe neceſſariò repetendum nouo alio conſenſu poſita conditione. Quòd ſi nolint ſub ea conditione contrahere, & perſiſtant in petendo à Parocho vt aſſiſtat, debet aſſiſtere, quamuis nouerit impedimentum in confeſſione.

5 Circa ſecundam ſectionis partem, breuiter dico *primò* ſi Ordinarius ipſe ſolus nouit impedimentum, & nulla via probari poteſt, teneri publicè petenti matrimonium, non denegare. Ita Sanchez *lib. 3. diſp. 15. n. 17.* Ratio eſt, quia, cùm ſit iudex, non poteſt eſſe teſtis, & aliàs non poteſt probare cauſam denegandi matrimonium, & ita tenetur ſecundùm allegata, & probata iudicare, vt in ſimili dicunt Doctores de Epiſcopo, à quo irregularis occultus petit publicè Ordines.

Addo poſſe tunc Ordinarium denegare petenti, vt tunc qui contrahere volunt, appellent ad ſuperiorem, & ſic poſſet Ordinarius coram ſuperiori comparere, & exercere officium teſtis: ſicut in ſimili forma docent nonnulli graues Doctores debere facere eum iudicem, qui nouit occultè aliquem innocentem, ſed ſecundùm probata nocentem. Dicunt enim in eo caſu debere remittere ad ſuperiorem, vt ibi ſit teſtis, quia vnius teſtis dictum ſufficit, & ideo, eſt obligatio manifeſtandi in eo qui ſcit impedimentum. Videantur dicta ſuprà *ſect. 6. n. 6. & 8.*

Dico *ſecundò*, dum Parocho cõſtat extra confeſſionem de impedimento occulto, non poſſe publicè petenti matrimonio aſſiſtere. Ita Sanchez *lib. 3. diſp. 15. n. 12.* contra Baſilium *lib. 5. diſſ. 35 n. 6.* Ratio eſt, quia vbi opponitur impedimentum, non eſt Parochi de illius veritate diſcurrere, ſed tenetur rem ad Ordinarium deferre, vt de illo cognoſcat; nam cognitio impedimentorum matrimonij pertinet ad iudicem Eccleſiaſticum, vt conſtar ex *cap. 1. de conſanguinitate*, illis verbis. Non ſunt cauſæ matrimoniales tractandæ per quoſlibet, ſed per iudices qui poteſtatem habeant. Et quamuis nullus opponat, tenetur ipſe impedimentum opponere coram Ordinario, ſicut quilibet alius teneretur. Imò à fortiori, cùm ipſi incumbat ex officio impedimenta inueſtigare, & ſaluti ſpirituali ſuarum ouium conſulere, & eius teſtimonio ſufficienter probetur ac plene impedimentum, ne matrimonium contrahatur. 6

Dico *vltimò*, ſi nullus denuntiet impedimentum coram Parocho, vel Ordinario, & ipſis ſolis conſtet de impedimento, ſi cõſtet etiam de diſpenſatione pro foro conſcientiæ, poſſe diſſimulare, & nihil interrogare, neque inquirere de eo impedimento, ſed matrimonio aſſiſtere. Ita Sanchez *diſp. 16. n. 14.* & Baſilius Ponce *diſp. 35. n. 7.* Ratio eſt, quia quamuis ex officio teneantur inueſtigare impedimenta, id euenit, ne impediti contrahendo delinquant, ergo ad id non tenetur, cùm ipſis conſtat eos abſque culpa contrahere propter diſpenſationem in foro conſcientiæ obtentam. Et certè, cùm nullus ſit denuntiator qui iudicem compellat, & à quo ortum habeat iudicium externũ, nec iudex compellatur ex officio, quia nouit contrahere volentes eſſe culpa immunes, non eſt cur teneatur eos repellere. 7

Sectio IX.

Quomodo ſe gerere debeãt Ordinarius & Parochus cùm ab alio opponitur impedimentũ.

Certum eſt *primò*, ſi quis Parocho opponat impedimentũ, iam non poſſe Parochum vlterius procedere in matrimonio, ſed rem deferendam eſſe ad Ordinarium, vt de illo cognoſcat. Patet ex *cap. finali, de clandeſtina deſponſatione*, illis verbis. Cùm autem apparuerit probabilis coniectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expreſsè, donec quid fieri debeat ſuper eo, manifeſtis conſtiterit documentis. Vbi conſtat agi cum Parocho, ac de eius officio eſſe vt contractus interdicatur, non iudicialiter, ſic enim ad Ordinariũ pertinet, cùm ſit actus iuriſdictionis, ſed extraiudicialiter, quod nõ eſt actus iuriſdictionis. Vnde ad Parochũ pertinet impedire. Ad Ordinariũ verò ſpectat de impedimento cognoſcere, qui habet iudicialem poteſtatem, vt expreſsè dicitur 1

verbo

verbo illo, *conſtiterit*, quod importat iudicialem poteſtatem, vt liquet ex *cap. exhibita, de iudiciis.* hanc enim habet vim, vt conſtet per inſtrumenta, vel teſtes, vel aliam claram probationem: ergo cùm Parochus careat iudiciali poteſtate, non ſpectat ad ipſum de impedimento cognoſcere.

2 Hinc *ſecundo* eſt certum, non poſſe Parochum coniungere matrimonio eos, quibus opponitur fidem ſponſalium frangere; nam Ordinarij iudicium eſt videre, an liberi ſint, & ſubſit cauſa frangendi fidem. Similiter nec poteſt Parochus iungere eos quibus opponitur impedimentum, & ipſi negant; neque eos qui prius coram ipſo impedimentum confeſſi ſunt, & poſtea negarunt. Id enim ad Ordinarium deferendum eſt, ad quem ſpectat cauſam examinare: non enim iſta ſunt munia Parochi. Denique ſi opponatur impedimentum publicè coram Parocho, quamuis Parochus ſciat contrahere volentes habere diſpenſationem pro foro interno, non poteſt illos coniungere; quia ex quo oppoſitum eſt impedimentum, iam non eſt illius rem iudicare, ſed ipſius Ordinarij.

3 *Tertiò*, videtur certum, etiam ſi ſolus Parochus nouerit aliquod impedimentum, etſi ſecretum ſit, modò id ſciat extra confeſſionem ſacramentalē, nullo modo poſſe eorum matrimonio aſſiſtere, quantūcumque id publicè petant. Vnde ſi priuatim moniti nolint à matrimonio deſiſtere, tenetur impedimentum ad Epiſcopum deferre. Quia cùm poſſit hoc modo peccata eorum impedire, ad hoc tenetur, nec ſponſi vllum habent ius, vt ſuus paſtor eos permittat in perpetuo concubinatu viuere.

4 *Quartò* mihi videtur verus, ſi delatum impedimentum vel per vnum teſtem, aut famam legitimè probetur, teneri Ordinarium impedire matrimoniū. Quia ad eum ſpectat impedire peccata ſubditorum. Idemque dicendum, quando ipſe ſolus hoc impedimentum extra confeſſionem nouit, ob rationem dictam. Quando enim agitur ſolùm de peccato impediendo, idem poteſt eſſe iudex & teſtis ſimul: quia cùm tunc iudicium in nullius cedat præiudicium, ſed ſit totum fauorabile, etiam iis contra quos fertur, quibus omnino expedit à tam grauibus peccatis impediri, nulli omnino fit iniuria, ſi idem Ordinarius ſit iudex & teſtis.

5 *Quintò* videtur certum, quod eſt communiter à Doctoribus receptum, quando contrahentes non habent aliud impedimentum matrimonij, quàm quòd ſint in peccato mortali, adeoque indignè ſuſcepturi Sacramentum, quando id occultum eſt, etſi per duos teſtes probari poſſit, debere Parochum, vel alium Sacerdotem habentem licentiam aſſiſtendi eos priuatim monere; non poſſe tamen eos publicè petentes repellere: ſicut nec poſſet eos repellere à ſuſceptione Sacramenti Euchariſtiæ. Ratio eſt, quia noluit Chriſtus ſuos à ſuſceptione Sacramenti ob talem cauſam publicè excludi, vnde etiam proditori ſuum corpus tradidit; idque ob plurima incommoda quæ aliàs ſequerentur. Vnde potiſſima ratio cur occulto peccatori non ſit publicè neganda communio, eſt voluntas ac lex Chriſti, qui hoc ita ſtatuit; vt ſatis cognoſcimus tum ex ipſius facto, qui Iudæ etiam communionem tribuit; tum ex perpetuo Eccleſiæ vſu. Vnde infero aliam eſſe rationem, quando agitur de iungendis matrimonio qui habent occultum impedimentum, & quando agitur de contrahendo matrimonio, quando ſunt contrahentes in peccato mortali, & indignè ſuſcepturi matrimonij Sacramentum. Nam in hoc ſecundo caſu agitur tantùm de vnico peccato externo vitando, quod iam peccator quantū potuit, interius compleuit, & iam interius indignè ſuſcepit, & à quo ſperatur poſtea facilè emendādus. At in priori euentu agitur de plurimis peccatis vitandis, quę talis impeditus tota vita committet illegitimè vtendo matrimonium inualido, fornicando cū putatitia vxore, aut ſaltem violando votum caſtitatis, aut etiam de vitando irreparabili damno tertij cum quo alteruter tenetur contrahere. Quæ cùm grauiſſima ſint, longè magis nos obligant, vt impediamus talem matrimonij contractum, etiam cum aliqua eorum infamia, tametſi impedimētum ſit occultū; dummodo tamen hi priùs iuxta legem correptionis fraternæ moneantur, vt deſiſtant à matrimonio.

Sextò videtur mihi certum, cum Sanchez *diſp. 15. citata à n. 19.* & Baſilio Ponce *c. 56. n. 8.* poſſe Prælatos cenſuris compellere ſubditos, vt diſcant doctrinam, & ob hanc ignorantiam, ad breue tempus eos arcere à matrimonio contrahendo, non tamen abſolutè, nec per longum tempus, præſertim, vbi volentes contrahere inſtarent. Patet, quia expedit valde, vt calleant doctrinam Chriſtianam, & eam memoria teneant, quo myſteriorum fidei rationem reddere valeant; & conſequenter etiam licèt ſuauiter & abſque violentia ad breue tempus eos detinere, vt ſic diſcendæ doctrinæ curam habeat. Non tamen video, qua ratione poſſit Prælatus ob prædictam ignorantiā arcere illos abſolutè & ad lōgum tempus à matrimonio contrahendo: quia ipſius nō eſt impedimenta matrimonij conſtituere, vt oſtendi ſuprà *diſp. 21. ſect. 4.* neque hoc impedimentum eſt ab Eccleſia ſtatutum. 6

Denique certum eſt, vbi nullum reperitur impedimentum, debere Parochum volentes contrahere, matrimonio in facie Eccleſiæ coniungere. Id conſtat manifeſtè ex verbis Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. c. 1.* ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationē matrimonij in facie Eccleſiæ procedatur. Quid verò ſit matrimonium celebrari in facie Eccleſiæ, breuiter dico, non eſſe in ipſa Eccleſia, vel Templo materiali, vel in eius limine celebrari; nec illud celebrare coram fideliū multitudine, ſtrictè loquendo; ſed eſſe hodie contractū coram Parocho & duobus teſtibus, denuntiationibus præmiſſis. Hanc enim formam tradit Tridentinum *loco citato*, vt dicatur, & cenſeatur eſſe initum matrimonium in facie Eccleſię. 7

Sectio X.

Qua ratione requiratur benedictio nuptialis, aliave ſolemnitas.

Circa benedictiones nuptiales, vulgò *velationes* dictas, certum eſt, *primo*, eas non eſſe neceſſarias ad valorem matrimonij, conuenientiſſimè tamen ab Eccleſia adhiberi. *Primum* conſtat, quia ante ipſas, quando adhibentur, ſupponitur iam validum matrimonium. Vnde *in Canon. 1. 30. q. 5.* quando coniugiū, cui non accedunt benedictiones, dicitur non eſſe legitimum, tantùm ſignificatur non eſſe ſecundùm totum decorem, & ſecundùm totam honeſtatem requiſitam à lege, ſeu iure. *Secundum* liquet, quia de his benedictionibus extat Canon vndecimus Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. de matrimonio*, ſic dicentis. Si quis benedictiones, aut alias cærimonias, quibus Eccleſia in ſolemnitate nuptiarum vtitur, damnauerit, anathema ſit. Et ratio eſt, quia benedictiones nuptiales fuerint inſtitutæ tum propter Sacramenti dignitatem, tum vt actus matrimonij ritè peragantur, atque ideo iure decuit, vt illæ præmitterentur. 1

Secundò certum eſt, benedictiones nuptiales à proprio Parocho contrahentium impendendas 2

Digitized by Google

eſſe, & à nullo alio, niſi de licentia Ordinarij, vel Parochi, non obſtante quacumque conſuetudine, etiā immemorabili, vel priuilegio. Sic deciditur in Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. Vnde integrum eſt vtriuſuis contrahentis Parocho, benedictiones has impertiri, & id non eſſe ſolius Parochi mulieris. Ratio eſt, quia Tridentinum eodem tenore, & in eadem clauſula petit, vt proprius Parochus interſit matrimonio, & vt benedictiones conferat, ſed ad illud ſufficit Parochus vtriuſuis contrahentis, vt oſtendi ſuprà *diſput.* 40. *ſect.* 2. ergo & ad hoc.

3 *Tertiò* certū eſt benedictiones nuptiales eſſe neceſſarias ex præcepto, vt conſtat ex *cap. noſtrates* 30. *quæſt.* 5. præſertim *cap.* 3. & ex conſuetudine, qua in omnibus diœceſibus iā cōiugati compelluntur ad eas excipiendas. Quod fieri nequiret, ſi ſolum eſſet cōſiliū.

4 His poſitis ſunt nonnullæ difficultates proponendæ, ac diſſoluendæ.

Prima eſt, an ſit peccatum mortale eas omnino omittere, an tantùm veniale. Et quidem certum eſt, ſi ex contemptu omittantur, eſſe peccatum mortale. Tunc verò eſſet illarum contemptus, ſi quis eas omitteret, eas nihili faciendo, ac ſi eſſent res vanæ; vel vile, ac puerile exiſtimaret ſe eis ſubiicere. Citra hunc contemptum eſt diſceptatio apud Doctores, an eas omittere ex mera negligentia ſit mortale.

VValdenſis *tom. de Sacramentis cap.* 133. *numer.* 3. Ochagauia *tract.* 5. *quæſt.* 5. & alij ſentiunt eſſe mortale, quia ſunt magni momenti, & valde congruunt bono matrimonij progreſſui.

Sanchez verò cum Soto & aliis *lib.* 7. *diſput.* 82. *n.* 6. iudicat eſſe tantùm veniale. Quia non ſunt Sacramentum, ſed quoddam ſacramentale; nec tanti momenti, quanti Sacramentalia, quæ Baptiſmo præmittuntur.

Ipſe ſentio, omittere omnino benedictiones per ſe loquendo non eſſe mortale. Quod etiam defendit noſter Hurtado *diſp.* 5. *diffic.* 23. *n.* 83. Nā licèt verum ſit earū omiſſionē nō poſſe omni culpa vacare, cùm ipſæ abſolutè exigantur à Tridentino; quia verò non videtur res grauis, nec valde congruens progreſſui matrimonij, ſolùm erit venialis culpa. Dixi *per ſe loquendo*: nam ratione alicuius præcepti impoſiti ab Ordinario, poterit eſſe mortalis, tum etiam ratione ſcandali. Cùm enim ſit communiter vſu & conſuetudine receptum benedictiones prædictas ſuſcipere, eſſet graue ſcandalum eas ſine vlla cauſa omnino omittere; quia vulgo præſumeretur ex aliquo contemptu fieri. Vnde ob hanc rationem videmus in omnibus diœceſibus iam coniugatos compelli ad eas recipiendas.

5 *Secunda difficultas* eſt, an actus coniugalis, vel matrimonij conſummatio licita ſit ante benedictiones nuptiales.

Sunt qui dicant eſſe peccatum mortale conſummare ante benedictiones acceptas. Alij ſentiunt, mortale tantum in prima conſummatione, non verò in aliis actibus coniugalibus qui ſequuntur. Alij eſſe peccatum in petendo, non autem in reddendo. Alij denique eſſe veniale. quas opiniones & fundamenta latè refert noſter Sanchez *lib.* 3. *diſput.* 22. *à numer.* 1. *vſque ad* 6. incluſiuè.

6 Dico *primò*, per ſe loquendo, non eſſe peccatum lethale conſummare ante Eccleſiæ benedictiones. Ita Sanchez *relatus*, Baſilius *lib.* 10. *cap.* 4. *numer.* 3. Nauarrus *cap.* 22. *numer.* 83. Gaſpar Hurtado *diſput.* 10. *difficultat.* 3. *numer.* 8. & alij. Ratio à priori hæc eſt, quid ſi eſſet peccatum mortale, ideo eſſet, quia eſſet grauis obligatio præmittendi benedictiones. At hæc non datur. Quod ſic probo; quia hæc obligatio nequit eſſe ex naturali iure. Quæ enim naturalis connexio eſt matrimonij, cum Eccleſiæ benedictionibus? nā matrimonium eſt contractus de iure naturæ, benedictiones verò inductæ ſunt auctoritate Eccleſiæ. Neque etiam ea obligatio prouenit ex iure Eccleſiaſtico. Tum, quia licèt admittamus aliquos Canones antiquos præcepiſſe, vt non conſummaretur matrimoniū ante benedictionem nuptialem, iam conſuetudine contraria ſunt abrogati. Tum maximè, quia Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. tantùm dixit. Hortatur ſancta Synodus, vt coniuges ante benedictionem ſacerdotalem in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent. Quo verbo conſilium, non præceptum prohibens ſignificatur. Sicut cùm idem Concilium loquitur ibi de præmittenda confeſſione ante matrimonium contrahendum, vſum eſt eodem verbo, *hortatur*. Nullus autem dixit eſſe præceptum præmittendi confeſſionem ante aliquod Sacramentum, excepta Euchariſtia, quamuis ſit conſcius culpæ mortalis, ſed ſufficere contritionem. Dixi, per ſe loquendo: quia per accidens ſi adſit contemptus, vel graue ſcandalum, vel ſi ſit excommunicatio lata in aliqua diœceſi aduerſus conſummantes, non præmiſſis benedictionibus intra tempus commodum, ſic enim eſſet culpa lethalis.

Notandum verò, quando ratione iſtorum contigerit eſſe peccatum, tantùm fore in prima conſummatione, non poſtea; cùm ea prohibitio, ſi eſſet, ſolùm eam reſpiceret. Ratio eſt, quia ea prohibitio non eſt, niſi vt debitus ordo conſummandi ſeruetur, & reuerentia benedictionibus debita, præmittendo eas priori copulæ, quâ matrimonium legitimè conſummatur, qua habita ſeruari amplius non poteſt. Secus autem eſt, quando conſummatur matrimonium ante denuntiationes, quia ea prohibitio eſt, propter impedimenti timorem, quod per denuntiationes detegi poteſt; quæ ratio militat etiam in ſequentibus copulis. Eſt etiam obſeruandum, ſi eſſet culpa mortalis cōſummare ante benedictiones, tam potens, quàm reddens peccarent mortaliter. Vnde non eſt, ſicut dum alter coniux voto caſtitatis tenetur, qui peccat petendo, non tamen reddendo: id enim prouenit ex eo quòd alter impeditus non eſt ad petendum, & vtendum re ſua: at in noſtro caſu, ſi conſummatio, culpa eſſet grauis, præceptum præmittendi benedictiones, & ſeruandi debitum ordinem, quæ ligat vtrumque coniugem, atque ideo eſt impedimentum commune; nec alter reddere tenetur, niſi debito ordine, & tempore petatur.

Dico *ſecundò*, probabile eſſe, per ſe loquendo, eſſe culpam venialem conſummare ante Eccleſiæ benedictiones; probabilius tamen videri, nullam eſſe culpam, ſed ſolum conſilium non conſummare ante benedictiones. *Prima pars*, nempe eſſe veniale, ſi fiat quando non intercedit iuſta cauſa, poteſt probari, quia aliquo pacto anteuertitur legitimus vſus matrimonij, qui eſt conſummare, poſt benedictiones Eccleſiæ. *Secunda pars*, quæ eſt Nauarri *ſum. Hiſp. cap.* 28. *additione ad numerum* 71. *& in Latina cap.* 22. *numer.* 83. §. *de benedictione nuptiarum*, Sanchez relati *numer.* 7. Baſilij Ponce, Gaſparis Sanchez, & aliorum, probatur, quia nullo iure præcipitur ne matrimonium conſummetur ante benedictiones, vt oſtenſum eſt, & Tridentinum hortatur, clarè denotans eſſe conſilium. Et aliquando poteſt eſſe optimum conſilium, ſi ſit periculum incontinentiæ ex eo quòd benedictiones ex aliqua iuſta cauſa differantur. 7

Tertia difficultas eſt, an ſit aliqua prohibitio iuris pro certo anni tempore non accipiendi prædictas benedictiones. Certa eſt pars affirmans, de qua latè egi ſuprà *diſput.* 23. integra *ſect.* 2. 8

Quarta

Digitized by Google

9 *Quarta difficultas* eſt, an primæ tantum nuptiæ ſint ſolemniter benedicendæ, an etiam ſecundæ, Verùm de hac re dixi iam ſuprà *diſputat.* 35. *ſect.* 5. *num.* 2.

Vltima difficultas, ſint ne aliæ ſolemnitates in matrimonio ab ipſo Parocho ſeruandæ?

Dico ex Tridentino citato conſtare plures exigi ſolemnitates ad matrimonium celebrandum: ex quibus quædam ſunt ſubſtantiales, quæ ſubſtantialiter matrimonium perficiunt, quarum defectus ipſum irritant; aliæ verò ſunt accidentariæ, quæ ſolùm accidentaliter perficiunt, quarum defectus ipſum non irritant, ex quibus aliæ obligant ſub mortali, aliæ ſub veniali, & aliæ ſolum de conſilio. Quod tam ex Tridentino, quàm ex ſingularum explicatione & ex dictis in ſuperioribus patet.

10 Ex parte contrahentium quatuor aſſignantur à Tridentino ſolẽnitates. *Prima* eſt, vt adhibeant ſuũ Parochũ, vel aliũ ſacrdotẽ de eius licentia cum duobus, vel tribus teſtibus, & ſic & non aliter matrimoniũ contrahant. De qua ſolemnitate iam conſtat eſſe ſubſtantialẽ, ſub graui peccato obligantẽ, atque eius defectum, matrimonium reddere, irritum. *Secunda*, vt ita mutuum conſenſum exprimant in contractu matrimonij, vt ſi opus ſit, de eo Parochus, vel Sacerdos aſſiſtens, & teſtes teſtificantur. Quæ etiam eſt ſubſtantialis, & ſub graui obligans. *Tertia*, vt Eccleſiæ benedictiones ſuſcipiant, antequam cohabitent; de qua antea ſatis dictum eſt. *Quarta* denique, vt antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonij conſummationem ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum piè accedant. Quæ ſolemnitas accidentalis eſt, & ſolùm de conſilio, vt verbum ipſum Tridentini, hortatur ſancta Synodus, ſatis declarat. Quamuis enim ad recipiendum hoc ſacramentum teneantur eſſe in gratia, ſed non peccata ſacramentaliter confiteri.

Prædictis ſolemnitatibus ex parte contrahentium addit aliam Suarez *tom 3. in 3. p. diſp.* 13. *ſect.* .. quam putat eſſe ſubſtantialem iure diuino Chriſti fidelium matrimonio appoſitam: quatenus ait Intentionem faciendi ſacramentum, & affectionem ipſius ita eſſe cõditionem eſſentialem ex inſtitutione Chriſti addendam matrimonio celebrato à fidelibus, vt ſine ea nullum valorem habeat: quod nequit intelligi niſi dicatur eam intentionem eſſe ſolemnitatem ſubſtantialem à Chriſto Domino additam tali matrimonio. Cæterùm, vt conſtat ex *diſputat.* 19. *ſect.* 10. iam dixi non ſatis conſtare de tali lege Chriſti, atque adeò eam ſolemnitatem non eſſe matrimonio additam tanquam ſubſtantialem, ſed ad ſummum dici poſſe eſſe additam tanquam accidentariam, & ſub graui obligantem.

11 Ex parte Parochi aliæ quattuor exiguntur à Tridentino ſolemnitates. *Prima* eſt, vt tribus diebus feſtiuis continuis inter Miſſarum ſolemnia denunciet contrahere volentes, & de impedimentis inquirat. Hæc ſolemnitas eſt accidentaria, obligans ſub graui culpa Parochum, quia eſt præceptum in re graui, vt ſatis in ſuperioribus oſtenſum eſt. *Secunda* eſt, vt ambos contrahentes de libera voluntate cõtrahendi taliter interroget, vt vtrinſque conſenſum intelligat per aliquod ſignum externum, quod qualecumque eſſe poteſt, etiam per interpretem. Hæc quoad interrogationem etiam eſt accidentalis, ſed obligans ſolum ſub veniali, vt vult Sanchez. Quod intelligo, cùm abſque ea interrogatione conſtat Parocho eos liberè conſentire. *Tertia* eſt, vt cognitis conſenſibus, dicat hæc verba, Ego vos coniungo, vel ſimilia iuxta morem loci. Quæ etiam eſt formula accidentalis, quia nec eſt propriè forma ſacramenti; nec de neceſſitate eius, neque Sacerdos eſt miniſter. *Quarta* eſt vt Parochus librum habeat, in quo coniugum & teſtium nomina, diemque, & locum contracti matrimonij deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat. Hæc conditio accidentaria eſt, ſed obligans ſub mortali tum Parochum, tum quemcumque alium qui ex priuilegio aſſiſtat matrimonio. Ratio eſt, quia hoc conducit valde, vt ante iudicem poſſit conſtare de matrimoniis initis, quod eſt magni momenti.

Ex dictis in hac & præcedentibus diſputationibus, liquet manifeſtè defectum ſolemnitatis aſſiſtentiæ Parochi & teſtium reddere ipſum matrimonium clandeſtinum ſubſtantialiter, & ſimpliciter: defectum verò denuntiationum debitarum, ipſum reddere clãdeſtinum ſolum accidentaliter, & ſecundùm quid, quia etiam ſic fit aliquo modo clam; quia tamen adhuc poteſt conſtare Eccleſiæ de eo; ideo non eſt abſolutè & ſimpliciter clandeſtinum. 12

Sectio XI.

Quas pœnas incurrant contrahentes abſque denuntiationibus illicitè omiſſis.

PRæcipua pœna contrahẽtium matrimonium abſque denuntiationibus illicitè omiſſis, eſt priuatio duplicis priuilegij, quod habet matrimonium ſolemne ac publicè præmiſſis denuntiationibus contractum. 1

Primum eſt, quòd quando hoc ob occultum impedimentum eſt irritum, proles bona fide ſaltem alterius parentis ex eo ſuſcepta, eſt legitima, vt manifeſtè conſtat ex *cap. cum* .. *& c. ex teno.* 14. .. *qui filij ſint legitimi.* At quando parentes contrahunt nullis præmiſſis denuntiationibus, in gradu prohibito etiam ignoranter, proles illegitima cenſetur quia tales contrahentes non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videntur; quoniam ſponte omittunt ea media, nempe denuntiationes, quas Eccleſia præſcribit, vt impedimenta ſciri poſſint. Id totum expreſsè habetur *cap. finali, de cland. ſp. deſponſat.* Et ratio eſt, quia cùm legitimatio proueniat ex matrimonio bona fide ſaltem alterius parentis, & ſit contractum in facie Eccleſiæ præmiſſis denuntiationibus præſcriptis, non mirum ſi filij legitimentur. At quando contrahentes illicitè denuntiationes omittunt, delinquunt in matrimonij contractu, & deficit bona fides & impedimenti ignorantia inuincibilis. Nam tales contrahentes non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videntur, quia videlicet ſponte omittunt denuntiationes, & Eccleſiam valde offendunt, eius præcepta contemnentes. Vnde non mirum ſi eis non faueat, & ſuum eis deneget auxilium. Fruſtrà enim Eccleſiæ auxilium implorat qui eius contempſit auctoritatem.

Exiſtimo autem cum communiori ſententia, hanc pœnam illegitimationis prolis non reſtringi ad ſolos contrahentes abſque denuntiationibus in gradu prohibito conſanguinitatis, vel affinitatis, vel cognationis, de quibus loqui videtur textus citatus, ſed etiam ad eos, ob quodcumque aliud impedimentum, matrimonium irritum contrahentes. Ratio eſt. Tum quia iura concedentia priuilegium illud legitimitatis, expreſsè illud concedunt ſolis illis qui in facie Eccleſiæ contrahunt, & id ponderant. Vnde non videtur illud priuilegium aliis matrimoniis concedendum, quæ inita ſunt abſque denuntiationibus; ne ea quæ puniunt, 2

tali afficiant priuilegio. Tum etiam, quia eadem prorſus militat ratio in quocumque alio impedimento: at vbi ratio expreſſa in textu omnino militat, lex quantumcumque pœnalis, extendenda eſt ad eum etiam caſum in quo eadem ratio inuenitur.

3 *Secundum priuilegium* eſt deſumptum ex *ſeſſ. 24. de matrimonio cap. 5.* vbi de contrahentibus, ſolemnitatibus adhibitis, id eſt, denuntiationibus præmiſſis, ſi impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cuius ille probabilem habuit ignorantiam, facilius eum eis & gratis diſpenſare poſſe præſcribit: & ordinat, vt eo priuilegio careat ac ſpe diſpenſationis conſequendæ, qui ſolemnitates requiſitas in matrimonio contrahendo neglexerit. Non enim, inquit Concilium, dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facile experiatur, cùius ſalubria præcepta temerè contempſit. Vnde manifeſtè ibi punit Concilium omittentes denuntiationes.

4 Dubitari verò poteſt, quem effectum habeat hæc pœna. Noſter Sáchez afferit duos. *Primus* eſt quòd Papa ſine graui cauſa illicitè cum talibus diſpenſet. *Secundus* eſt, quòd diſpenſatio ſit irrita, niſi illa circumſtantia exprimatur in petitione; quia reddit difficiliorem ipſam diſpenſationem; & Pontifex non cenſetur velle diſpenſare in decretis Generalis Concilij, niſi id exprimat; vnde eam circumſtantiam ignorans poteſt videri inuitus diſpenſaſſe. Vnde fit, vt habens priuilegium diſpenſandi in impedimentis matrimonij nihil poſſit in hoc caſu, niſi particulatim in priuilegio exprimatur. Verùm de hac re plura infrà *diſput. 46. ſect. 7.*

5 Altera pœna matrimonij contracti ſine requiſitis denuntiationibus, eſt, vt Eccleſia ſemper præſumat pro matrimonio in facie Eccleſiæ contracto, contra illud aliud, niſi fortiſſimè probetur.

6 Denique altera pœna puniuntur contrahentes, proclamationes illicitè omittentes, *in cap. finali, dicto.* Vbi decernitur, vt his condigna pœnitentia iniungatur. Quibus verbis apertè iubet textus debere puniri omittentes denuntiationes. Non deſignat certam & determinatam pœnam; erit igitur pœna arbitraria iudicio Ordinarij, proportio nota & condigna iuxta qualitatem culpæ. Et meritò quidem, quia ex talibus matrimoniis poſſunt ſequi multa incommoda, & contrahentes facile cum impedimentis contrahere.

Aliqui volunt hanc pœnam extendere etiam ad eos, qui ex diſpenſatione contraxerunt omiſſis denuntiationibus, ſi poſtea ante eas matrimonium conſummenr. Verùm id manifeſtè dicitur ſine textu, quia omnia iura loquuntur de contrahente clandeſtinè, ſeu non præmiſſis denuntiationibus; non autem de conſummante contra prohibitionem.

SECTIO XII.

Quam pœnam incurrat Parochus aſſiſtens matrimonio inito abſque denuntiationibus illicitè omiſſis.

1 Dico, Parochum, vel alium ſacerdotem, cum eius licentia matrimonio validè contracto abſque denuntiationibus, vel proclamationibus illicitè omiſſis aſſiſtentem eiuſmodi matrimonia prohibere contemnentem, ſeu non prohibentem cùm facile poſſet, triennio ab officio eſſe ſuſpendendum. Patet ex *cap. finali, de clandeſtina deſponſat.* vbi de hac re tantùm agi textum, docui ſuprà præcedenti diſputatione, *ſect. 4. numer. 4.*

Circa quam pœnam, quatuor ſunt obſeruanda.

2 *Primum*, eam ſuſpenſionem triennalem eſſe tantùm ab officio, & non à beneficio. Nam hæ duæ ſuſpẽſiones ſunt valde diſtinctæ, & textus ſolùm dicit ſuſpendendum eſſe ab officio, nempe ſacerdotali, ſeu à munere ſacerdotali. Cùm enim Sacerdos propter abuſum ſacerdotalis muneris ſuſpenditur, rectè intelligitur ſuſpendi formaliter, quatenus Sacerdos eſt, atque adeò à ſacerdotali munere.

Secundum, prædictam ſuſpenſionem non eſſe latam ipſo iure, ſed ferendam à iudice, vt conſtat ex textu, & verbo ibi poſito, nempe ſuſpendatur, quod eſt verbum futuri optatiui modi, reſpiciens actum, ac iudicis miniſterium, vt ſimiliter dicitur de verbo alio, excommunicetur. Verbum enim futuri temporis & modi actum iudicis ac miniſterium reſpicit, & conſequenter importat manifeſtè ſententiam ferendam, vt fatetur communis Theologorum, & Iuriſperitorum ſententia.

Tertium, illud tempus triennij aſſignatum in *dicto cap. finali*, cùm aſſignetur eſſe miniſterio iudicis imponendum, poſſe ex cauſa iuſta augeri, & minui; iuxta doctrinam traditam à Gloſſa *in cap. cùm ſit Romana, de appellationibus.* Et confert nõ parum id quod habetur *prædicto cap. finali*, illis verbis: grauius puniendus, ſi culpæ qualitas poſtulauerit. Vbi videtur committi arbitrio iudicis, poſſe tempus illud augeri, ſi culpa fuerit grauior; & conſequenter etiam minui ſi delicti leuitas poſtulauerit.

Quartum denique, quòd à prædicta ſuſpenſione excuſabit ignorantia qualibet, etiam craſſa, dummodo non ſit ita craſſa, vt ingens ſit temeritas. Ratio eſt, quia caput finale expreſsè dicit, qui præſumpſerit; at præſumere dicit temeritatem. Vnde præſumere dolum & temeritatem importat. Non eſt autem dolus, & temeritas, quando eſt ignorantia craſſa; nam verè ignorans facit.

3 Notandum eſt, quòd ex dictis ſequitur, Parochum non proprium, vel regularem aſſiſtentem matrimonio clandeſtino, præmiſſis tamen denuntiationibus, ſine licentia Parochi, aut ſine teſtibus, non puniri dicta pœna ſuſpenſionis triennalis, hæc enim tantum impoſita eſt aſſiſtenti matrimonio clandeſtino ob defectum denuntiationum, vt obſeruat Baſilius Ponce *lib. 5. cap. 37. numer. 12.*

4 Ex dictis ſequitur *primò*, matrimonium celebratum coram Parocho, & duobus teſtibus, dici clandeſtinum quoad pœnam prædictam incurrendam, ſi denuntiationes illicitè omittantur. Patet. Tum quia *in dicto cap. finali, de clandeſt. deſponſat.* poſtquam textus præmiſerat, denuntiationes ante matrimonium eſſe faciendas, eo quòd Eccleſia deteſtetur matrimonia clandeſtina, ait, ſi quis verò huiuſmodi matrimonia clandeſtina, ſeu interdicta inire præſumpſerit; & ſubiicit pœnam ſuſpenſionis. Vbi ponderandum eſt verbum illud, *huiuſmodi clandeſtina*; cùm enim de matrimonio, cui denuntiationes non præmittuntur, egiſſet, manifeſtè, id matrimonium appellat clandeſtinum.

5 Sequitur *ſecundò*, illam Parochi pœnam ſuſpenſionis præſcriptam *in cap. finali, de clandeſtina deſponſatione*, non fuiſſe correctam per Tridentinum. Patet. Tum quia non conſtat vbi Tridentinum eam corrigat pœnam. Et tantum abeſt, vt Tridentinum illud corrigere voluerit, vt potiùs *ſeſſ. 24. cap. 1.* ſic dicat. Sacri Concilij Lateranenſis veſtigiis inhærendo, præcipit ſancta Synodus, vt antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio Parocho denuntiationes fiant. Tum etiam, quia Tridentinum *eadem ſeſſ. 24. cap. 5.* ſtatuit pœnam contrahentibus coram Parocho

&

& teſtibus, abſque denuntiationibus, nempe vt ſi in gradibus prohibitis ignoranter matrimonium contractum ſit, ſpe diſpenſationis careaot, vt vidimus præcedenti ſectione: ergo ſignum eſt noluiſſe corrigere pœnam Parocho antiquitus impoſitam. Et meritò Eccleſia ſic punire Parochum debet, quia omiſſis illicitè denuntiationibus, poteſt dici tale matrimonium verè occoltum, cùm ſit tribus tantùm cognitum: nec detegentur impedimenta, ſi quæ fortè ſint, cùm publicè non conſtet, & facile ſit tres impedimenti ignatos eſſe.

DISPVTATIO XLIV.

Quinam poßint diſpenſare in impedimentis matrimonium dirimentibus.

EXPLICATIS iam omnibus matrimonij impedimentis dirimentibus, operæ pretium eſt, vt de eorum diſpenſatione in hâc, & ſequentibus diſputationibus diſſeramus. Argumentum certè graue, valde frequens in praxi, & ideò ſcitu digniſſimum. Cæterùm cùm in diſpenſatione interueniant & poteſtas diſpenſandi, & cauſa requiſita ad valorem diſpenſationis; & qui diſpenſationem impetrat, & modi quoque quibus extingui, vel ceſſare, aut expirare diſpenſatio poſſit; ac denique nônulla alia circa clauſulas diſpenſationum; ideo hæc omnia ſolitâ claritate percurremus. Atque in hac diſputatione, præmiſsâ doctrinâ generali de diſpeoſatione, ac poteſtate diſpenſaodi, agemus de his, quibus comperit diſpenſandi poteſtas circa impedimenta matrimonium dirimentia.

SECTIO I.

Quid propriè ſit diſpenſatio; & an ea latè, an potiùs ſtrictè ſit interpretanda.

1 CErtum eſt *primò*, diſpenſationem propriè acceptam eſſe vocé applicatam à Theologis ad ſignificandum actum, quo quis ab obligatione legis eximitur. Vnde in lege diſpenſare, tunc fit, quando lege manente in ſuo vigore, aliquis ab eius obligatione liberatur. Ex quo manifeſtè ſequitur, diſpenſationem eſſe actum iuriſdictionis, quia datur ad liberandum ſubditum ab obligatione legis, quod ſine poteſtate ſuperioris fieri nequit.

2 *Secundò* etiam eſt certum, diſpenſationem propriè, & ſtrictè ſumptam valde diſtiogui ab irritatione, abrogatione, & derogatione Nam diſpenſatio fit, quando quis ab obligatione legis liberatur, adhuc perſiſtente totâ lege in ſuo vigore. Irritatio tunc cootingit, quando is, cuius eſt legem confirmare, impedit quo minùs ea feratur, volendo eam omnino eſſe irritam. Vt ſi legem à ciuibus conſtitutam Principis confirmatione indigentem, vt obliget, Prioceps nullo modo confirmet, ſed ceſſet, & annullet. Abrogatio eſt, cùm quis legem iam latam omoioo tollit. Derogatio denique accidit, cùm quis legem iam latam ex parte tollit.

3 *Tertiò* quoque certum eſt diſpenſationem, de qua tractamus, diuerſam omnino eſſe ab interpretatione, quæ per epiikeiã fit, ſiue in caſu euidente, aut probabili, ſiue in caſu dubio, in quo auctoritas ſuperioris poſtulatur. Epiikeia enim non eſt actos iuriſdictionis, ſed doctrinæ, & prudentiæ, quâ vir doctus, & probus declarat, legem hîc, & nunc ob aliquam cauſam non obligare; ſiue talem caſum lege oon comprehendi. At diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis. Iotetpretatio autem in caſu omnino dubio, tametſi præter prudentiam, iuriſdictionem requirat; non tamen ſupponit obligationem legis certam; ſed potiùs in dubio declarat, illam ceſſaſſe, non autem in rigore aufert illam. Diſpenſatio autem ſupponit obligationem legis, etiam certam, & fertur ad tollendam obligationem etiamſi præexiſtat. Vnde fit, vt in lege diuina habeat locum interpretatio hominis, etiam iu caſu dubio, non verò diſpenſatio. At verò in legem humaoam non interpretatio tantùm in caſu dubio, ſed etiam propriiſſima diſpenſatio, in caſibus, in quibus de præexiſtente legis oblatione nullâ poterat eſſe dubitatio, concedi per hominem poteſt.

Denique certum eſt, propriam diſpenſationem legis cadere in legem obligantem, & tollere obligationem eius in particulari caſu, vel perſonâ. Ita confirmat vſus, & neceſſitas huius poteſtatis in hominibus ad humanam gubernationem: & firmat euidens ratio, quia ſicut lex humana à voluntate humana orta eſt, ita per eandem tolli poteſt. 4

His poſitis, facile erit diſpenſationis naturam, ſeu rationem formalem explicare. Ex Iuriſperitis quamplures cum aliqoibus Theologis ſic eam definiunt: Eſt iuris relaxatio facta cum cognitiooe cauſę ab eo, qui poteſt relaxare. Noſter Sanchez *lib. 8. diſp. 1. n. 2.* ſic eam defioit; iuris relaxationem à poteſtatem relaxandi habente factam. 5

Neutra ex his difinitiooibus placet. Non prima, quia non præciſam diſpenſationis naturam declarat, ſed etiam requiſita vt licitè fiat. Nam ſi legiſlator in ſua lege diſpenſet abſque cauſæ cognitione, vera erit diſpenſatio, non tamen licita. Diſplicet quoque ſecunda, quia illa particula, *ab habente poteſtatem factam*, explicat cauſam efficientem, quæ eſt extra naturam, & eſſentiâ diſpenſationis, quare optima eſt communis definitio diſpenſationis. Diſpenſatio eſt iuris alicuius relaxatio, ſeu exemptio alicuius à legis obligatioue. 6

Dices *primò*, relaxatio non eſt diſpenſatio, ſed diſpenſationis effectus; ergo noo rectè per illam definitur. Sicut lex non dicitur eſſe obligatio, quamuis hæc ſit legis effectus; nec votũ etiam dicitur eſſe obligatio, ſed promiſſio, ex quaobligatio naſcitur. Reſpõdeo nomine relaxationis intelligi actũ illũ, quo ſuperior relaxat ſubdito legis obligationem, & effectum; vnde perinde eſt dicere diſpenſationẽ eſſe relaxationem, ac dicere eſſe actum, quo lex relaxatur. Quare actiua relaxatio eſt ipſa diſpenſatio, qooniam actiua relaxatio nihil eſt aliud, quàm actus, quo vinculum legis ſoluitur; paſſiua autem relaxatio erit diſpenſationis effectus. Vnde diſpenſatio ipſa quid poſitiuũ eſt, & contrariè oponitur legi; eſtque actus voluntatis Principis, quo vult liberum eſſe ſubditum à iugo legis ſuæ, aliquo exterioti ſigno ſufficienter maoifeſtatus. 7

Obiicies *ſecundò*, prædictam definitionem non eſſe propriam diſpenſationis: nam conoenit abrogationi, quæ eſt multò maiot relaxatio legis. Priuilegium etiam eſt relaxatio iuris humani, & tamen non eſt diſpenſatio. Reſpondeo, licèt omnis diſpenſatio ſit in bono ſenſu quædam iuris derogatio, non tamen è contrario omnis derogatio legis eſt propriè diſpenſatio: 8

ſatio: nam ſi pars aliqua legis pro totâ communitate auferatur, eſt propria derogatio, & tamen non dicetur diſpenſatio, quia de ratione diſpenſationis legis eſſe videtur, vt eadem lex, prout per diſpenſationem relaxatur, circa quoſdam tollatur, in ſe verò maneat. Et nomen ipſum relaxationis ſatis indicare videtur, vinculum, quod aufertur, non auferri, aut prorſus tolli, ſed laxari tantùm; & ideò abrogatio non dicetur propria relaxatio. Ad illud de priuilegio dico, priuilegium, quod fuerit contra ius, & illud relaxauerit, eſſe quidem diſpenſationem; illud autem priuilegium, quod non fuerit contra ius, non eſſe relaxationem iuris, ideoque nec diſpenſationem eſſe; & ita nihil continetur ſub definitione, quod diſpenſatio non ſit.

9 Tandem obiici poteſt, promiſſionem, & licentiam eſſe quoque relaxationem iuris, & abſolutionem à cenſuris eſſe etiam iuris relaxationem. Reſpondeo, permiſſionem propriè, & ſtrictè non auferre peccatum, neque culpam, atque adeò neque legis obligationem, & ideo non eſſe iuris relaxationem. At diſpenſatio tollit. Idem dico de ſimplici licentiâ; nam hæc non tollit obligationem legis, ſed apponit conditionem quandam, quam lex ipſa poſtulabat. Vt cùm lege ſtatuitur, ne quis frumentum extrahat ſine Regis licentiâ, cùm illa conceditur à Rege, non dicitur in ſuâ lege diſpenſare. Similiter cùm quis de licentiâ Pontificis ingreditur monaſterium ſacrarum fœminarum, vel cùm religioſus de licentiâ Prælati aliqua donat, non diſpenſat Papa in obligatione clauſuræ, nec Prælatus in voto paupertatis, ſed adhibet conditionem neceſſariam, & quam lex ipſa petit, ne videlicet ingreſſus in monaſterium, vel donatio fiat ſine licentiâ. Denique abſolutio à cenſuris non eſt propriè alicuius iuris relaxatio; nam abſolutione, ſiue à peccatis, ſiue à cenſuris, nulla relaxatetur lex, quin potiùs executioni mandatur, cùm lex iubeat hominem diſpoſitum abſolui à peccatis; & hominem recedentem à contumaciâ, & obedientem Eccleſiæ, abſolutum à cenſurâ, & reſtitui communioni fidelium. At diſpenſatione vulneratur lex, quia vere contrarius, dum ex parte tollitur. Ex dictis

10 Colligo *primò*, diſpenſationem validè diſtingui ab interpretatione: nam interpretatio non eſt actus iuriſdictionis, ſed doctrinæ: quilibet enim vir doctus interpretari poteſt legem in tali, vel tali caſu non obligare; diſpenſare autem non poteſt. Quòd ſi in caſu dubio alteri à ſuperiore nõ permittatur interpretatio, non inde infertur interpretationem eſſe actum iuriſdictionis, ſed doctrinæ, reſeruatæ tamen ſuperiori. Videatur Caſtro Palao *parte 1. operis moralis, tract. 3. disput 6. punct. 10. n. 3.* vbi alia proponit diſcrimina diſpenſationis, & interpretationis legis.

11 Colligo *ſecundò*, diſpenſationem legis, & diſpenſationem voti, & iuramenti, multum differre. *Primò*, quia diſpenſatio in voto, & iuramento nunquam fieri poteſt validè ſine causâ; at legis propriè diſpenſatio optimè poteſt, vt dicam. *Secundò*, in voto, & iuramento diſpenſat Prælatus nomine Dei, cui eſt ius per votum adquiſitum, & ipſe vices ſuas Prælato committit: at in lege proprio nomine propriè diſpenſat. *Tertiò*, in voto poteſt fieri commutatio, etiam propriâ authoritate, ſi ſit in melius, & in euidenter æquale, vt eſt probabile: at in lege nunquam dari poteſt commutatio; quia obligatio voti à vouentis voluntate ortum habuit, & ſolum diuinum honorem reſpicit, qui cùm per materiam meliorem, vel æquè bonam conſeruetur, poteſt ex voluntate vouentis mutari: at legis obligatio ex voluntate legiſlatoris pendet, vnde ex ſola voluntate legiſlatoris pati poteſt mutationem. Denique ex iuramento ſæpè oritur non ſolùm obligatio Deo, ſed etiam alteri homini. Vt ſi in fauorem alicuius feciſti iuramentum, ipſeque acceptauit, non poteris commutare, illo non conſentiente: & licèt Prælatus poſſit relaxare obligationem Deo factam; at ſæpè non poteſt obligationem homini acquiſitam, quia illius vices non habet.

Circa ſecundum, an diſpenſatio ſit ſtrictè intelligẽda. De hac re videri poteſt Sanchez *lib. 8. disp. 1. n. 4. & ſequentibus*. Breuiter dico cum communi doctrina, diſpenſationem per ſe loquẽdo ac regulariter reſtringendam eſſe. Quia à iure exorbitat, & ius vulnerat, & ita procedit in illa, regula 27. *de Regulis iuris in 6.* Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda. Hæc verò reſtrictio non debet eſſe vltra proprietatem verborum, vnde ad comprehenſa ſecundùm propriam verborum ſignificationem bene extenditur. Nec debet eſſe tanta, vt excludat ea, quæ neceſſaria ſunt ad valorem, & effectum diſpenſationis, quæve cum illo ſunt neceſſariò connexa, ſeu ad illam neceſſaria. Quod vniuerſi fatentur, ne diſpenſatio ſuo effectu fruſtretur. Qui enim dat formam, dat conſequentia ad formam; aliàs eſſet fruſtratoria diſpenſatio. Præterea eſſe non debet tam vniuerſalis reſtrictio, vt de omnibus diſpenſationibus indifferẽter intelligatur. Nam excipiendæ ſunt illæ, quæ ratione materiæ, vel grauiſſimæ, aut piiſſimæ cauſæ, omnibus penſatis, cenſentur fauorabiles. Denique ſi lex aliqua ſpecialis diſpenſet in anteriori lege vniuerſali, & inſerta ſit in corpore iuris, cenſenda eſt fauorabilis & amplè interpretanda. Quoties etiam ipſa lex expreſsè concedit, vel permittit diſpenſationem, non tam rigorosè reſtringenda videtur, ſicut illa, quæ eſt contra legem abſolutè prohibentem, nulla facta mentione diſpenſationis, quia hæc magis videtur exorbitare à iure, & magis vulnerat ius. 12

Sectio II.

An poteſtas data ad diſpenſandum, ſit ſtrictè, an latè interpretanda.

Ratio dubitandi eſt, quia diſpenſatio eſt ſtricti iuris, vt vidimus; ergo & poteſtas data ad diſpenſandum: quia talis eſt poteſtas, qualis eſt actus, cùm ab illa ſpeciem ſumat; & quia ſi actus eſt odioſus, non poteſt poteſtas non eſſe odioſa, quia virtute continet actum; & quia ampliata potentia, neceſſe eſt, actum ampliari, quia ad plura, vel plures actus extenditur. In contrarium verò eſt, quia poteſtas ad diſpenſandum nõ eſt iuri contraria, & eſt beneficium Principis; ergo eſt fauorabilis, ergo non eſt ſtricti iuris, ſed extendenda. 1

In hac re certum eſt *primò* apud Doctores, poteſtatem ordinariam diſpenſandi in lege non eſſe odioſam, ſed fauorabilem & ampliandam. Ratio eſt, quia ea poteſtas non eſt contra ius, ſed potiùs ſecundùm ius, nec per ſe poteſt cenſeri odioſa, aut nociua, cùm ſit ſimpliciter neceſſaria ad commune regimen, & ad conuenientem vſum legum; & per illam per ſe primò ſolùm intenditur fauor communitatis; ergo eſt latè interpretanda. 2

Secundò videtur verum, & commune apud iuris canonici interpretes, delegationem poteſtatis diſpenſandi in aliqua lege generaliter factam quoad perſonas ſine illarum expreſſione, eſſe fauorabilem, & latè interpretandam. Probatur: quia poteſtas ordinaria ad diſpenſandum in lege non cenſetur odioſa, ſed fauorabilis, 3

Digitized by Google

rabilis, & ampliandâ; ergo etiam poteſtas delegata generaliter ad diſpenſandum eſt fauorabilis. Probatur conſequentia. Tum quia modus conceſſionis per delegationem, vel per legem, aut viam ordinariam, non variat rationem poteſtatis, ſed ſolum pluribus conceditur, & pluribus modis. Quod certe non facit illam odioſam, ſi ſecundùm ſe fauorabilis eſt. Tum etiam, quia ideo illa poteſtas ordinaria fauorabilis eſt, quia non eſt contra ius, ſed potiùs ſecundùm ius, ſed poteſtas etiam delegata generaliter non eſt contra ius, nec alicui nocet, imò ad commune etiam commodum ordinatur; ergo ſimiliter eſt fauorabilis. Tum denique, quia per eiuſmodi poteſtatem generaliter delegatam & ſic conceſſam, per ſe primò ſolùm intenditur fauor communitatis, & illius, cui talis poteſtas communicatur; quod totum eſt beneficium Principis; ergo eſt latè interpretandum.

4 Difficultas ſolùm eſſe poteſt de facultate data ad diſpenſandum pro perſona certa, vel perſonis, quæ non videtur reſpicere commune bonum, ſed priuatum commodum, an ſit latè accipienda. Nam doctrina communis Sanchez *diſput.* 2. *numer.* 6. & 7. & aliorum, eſt, eſſe eam facultatem latè interpretandam, quando ea conceditur ad diſpenſandum cum perſonis non expreſſis; quia tunc eſt beneficium ac priuilegium actiuum illius qui diſpenſaturus eſt, & in eius gratiam confertur, & ideo vt beneficium Principis latè exponendum. At strictè intelligendum, vbi exprimuntur perſonæ, cum quibus eſt diſpenſandum; quia tunc non fit fauor ipſi diſpenſanti, ſed eſt quaſi inſtrumentum ipſius concedentis eam facultatem, qui moraliter loquendo cenſetur hic diſpenſare; quare instar diſpenſationis factæ eſt strictè interpretandum, ex quo infert priuilegia Bullæ Cruciatæ eſſe strictè intelligenda, quia continent ſolum gratiam factam ipſi, cum quo eſt diſpenſandum.

5 Ex alio verò capite videtur aliquibus prædicta diſtinctio non eſſe ſubſiſtens. Cur enim eadem facultas diſpenſandi data in fauorem diſpenſaturi, fauorabilis eſt, & amplianda, & data in fauorem eius, cui concedēda eſt diſpenſatio, non eſt fauorabilis, ſed odioſa, ac reſtringenda? Nam illa facultas in ſe eadem eſt, & ſemper habet illos duos reſpectus; & fieri poteſt vt perſona indigens diſpenſatione non ſit minus digna illo fauore, quam perſona volens diſpenſare. Imò petitio illius facultatis ex parte perſonæ indigentis diſpenſatione, videtur magis fauorabilis, quia eſt perſonæ indigentis, & ſub [illegible]ione miſerabilis, & humiliantis ſe, ac forte con[illegible] ſectum ſuum. Petitio verò actiuæ diſpenſationis facta ab eo qui diſpenſatiuus eſt, videtur magis ambitioſa, niſi principaliter fiat in gratiam eius, cui ſubuenire deſiderat; & tunc etiam cenſeri poteſt gratia principaliter facta illi cum quo diſpenſandum eſt. Vel certè licèt fiat ipſi delegato, non apparet cur ſit magis fauorabilis, quàm facta indigenti diſpenſatione, præſertim quando vtroque modo conceditur facultas ad vſum voluntarium ipſi commiſſario. Nam tunc talis facultas data ex intentione concedentis propter commodum diſpenſandi, non magis continet virtualem diſpenſationem quandam in fauorem diſpenſantis. Igitur vel vtroque modo reſtringenda eſt, ſi reputatur virtualis diſpenſatio, vel vtroque modo eſt amplianda, ſi talis non exiſtimetur, ſed ſolummodo poteſtas diſpenſandi.

6 Dico *primò*, delegationem diſpenſationis, quæ fit per mandatum, eſſe odioſam, & strictè interpretandam. Ratio est; quia illa facultas licèt non ſit conſummata diſpenſatio & formalis, eſt tamen inchoata, & virtualis; ergo æquè odioſa cenſetur, ac propria diſpenſatio. Firmatur, quia illa dici ſolet diſpenſatio neceſſaria, quia ita à Papa eſt conceſſa ſub illa conditione, ſi preces veritate nitantur, vt poſt exploratam, & inuentam veritatem non poſſit diſpenſatio negari; ergo non immeritò de tali modo conceſſionis; & mandati perinde, ac de diſpenſatione iudicatur quoad reſtrictionem, vel odium.

Hinc colligo diſpenſationem conceſſam ad poſtulationem ſupplicantis, regulariter loquendo, dari per modum neceſſarij mandati, ſiue commiſſio fiat determinatæ perſonæ ſub proprio nomine, ſiue nomine alicuius dignitatis, vel officij, ſiue optio perſonæ ipſi ſupplicanti concedatur, vt ex vſu conſtat, & ita idem dicendum.

Dico *ſecundò*. Quoties datur facultas ad diſpenſandum cum aliquo in particulari, ſiue fiat delegatio ad petitionem partis, ſiue ad petitionem delegati, & ſiue fiat determinatæ perſonæ, ſiue electio perſonæ committatur diſpenſando, stricti iuris eſt conceſſio, ſeu delegatio, aut diſpenſatio. Hæc eſt communis ſententia Doctorum *in cap. at ſi Clerici* §. *de adulteriis, de iudiciis, & in cap. vltimo, de ſimon.* aiunt enim poteſtatem diſpenſandi cum certis perſonis expreſſis eſſe strictè interpretandam. Ratio verò, cur facultas diſpenſandi cum certa perſona ſit stricti iuris, non eſt, quia facultas illa datur in gratiam indigentis diſpenſatione, vel in fauorem delegati; ſed quia moraliter perinde reputatur, ac ipſa diſpenſatio: nam quod eſt ex parte ſuperioris iam fit diſpenſatio, licèt executio & modus alteri committatur. Quòd verò hæc cōmiſſio fiat in fauorem commiſſarij, vel alterius, non mutat naturam actus, nec moralem illam æquiualentiam, ſeu æſtimationem. 7

Ex his colligo manifeſtam differentiam inter poteſtatem diſpenſandi generaliter conceſſam, abſque vllo reſpectu ſeu expreſſione perſonarum, vel per reſpectum ad expreſſam perſonam: nam prior non reſpicit bonum priuatum, ſed commune, & ideo non eſt reſtringenda, vt dixi in hac ſectione *num.* 3. Poſterior verò neceſſariò reſpicit priuatum bonum & commodum cum exceptione à communi iure, & ideo hæc poſterior ex ſe eſt reſtringenda. 8

Ex quo patet ſolutio ad rationem dubitandi initio ſectionis adductam. Nam prior illius pars probat optimè primum & ſecundum dictum. Altera verò firmat quod dictum eſt *num.* 3. quia talis poteſtas reſpicit bonum commune, & ideo non eſt iuri contraria. Ex quo etiam patet ſolutio ad ea quæ dicta ſunt *num.* 5.

Sectio III.

An poſſit Papa diſpenſare in impedimentis matrimonij iure naturali dirimentibus illud.

PRo explicatione ſuppono *primò* ex materia de legibus ius naturale dici quod ex ipſis rerum naturis oritur, videlicet ex natura rationali, & naturali conditione operum, de quibus hoc ius diſponit. Vnde eius rectitudo, ſuppoſita exiſtentia naturæ humanæ, non pendet ex aliqua libera ordinatione Dei, vel hominis, ſed ex ipſa rerum natura. Quare ſicut naturæ conditio eſt immutabilis, ita quoque lex naturalis eſt immutabilis manentibus iiſdem circumſtantiis rerum, vt bonum faciendum, malum vitandum, & cætera quæ euidenter ex his principiis deducuntur. 1

Suppono *ſecundò*; tribus modis poſſe aliquid dici 2
de

Digitized by Google

de iure naturali. *Primus*, & maximè proprius eſt, quãdo lex aliqua naturalis id præcipit. Ad quod neceſſe eſt, vt ratio naturalis per ſe ſpectata dictet, aliquid eſſe neceſſarium ad morum honeſtatem; ſiue id dictet abſque diſcurſu, ſiue ex illo, ſiue vno, vel pluribus, dummodo illatio ſemper ſit neceſſaria. *Secundo modo* dicitur aliquid eſſe de iure naturali ſolùm permiſſiuè, aut negatiuè, aut conceſſiuè. Talia ſunt multa, quæ attento ſolo naturali iure licita ſunt, vel data hominibus, vt rerum communitas, hominibus libertas, & ſimilia, de quibus lex naturæ non præcipit vt in eo ſtatu permaneant, ſed hoc relinquit hominum diſpoſitioni iuxta rationis exigentiam. Sic libertas eſt homini naturalis, quia ex vi iuris naturalis illam habet, licèt lex naturæ non vetet illã amittere. *Tertiò* dicitur aliquid eſſe de iure naturæ, quia fundamentum habet in conditione naturali, licèt non ſimpliciter præcipiatur iure naturali; dicitur enim accedere ad æquitatem naturalem, & illi conformari: quale eſt filium ſuccedere patri ab inteſtato; æquitati enim naturali conueniens eſt, vt ad illum, cui eſſe ipſum datum eſt à patre, pertineant etiam bona per patrem quæſita. Itaque licèt id non præſcribat omnino lex naturæ, ad id inclinat, & quaſi naturaliter ſequitur, niſi aliunde impedimentũ ponatur. In hac verò ſectione nos de iure naturali primo modo accepto loquimur; ille enim eſt modus proprius iuris naturalis.

Suppono *tertiò*, præcepta naturalia primi modi, eſſe duplicis generis. *Primum* eſt eorum quæ præcipit lex naturalis, independenter ab alicuius operantis, aut exequentis conſenſu præuio, tales ſunt leges affirmatiuæ religionis erga Deum, pietatis erga parentes, & miſericordiæ, vel eleemoſynæ circa proximum; & negatiuæ non occidendi, non infamandi, non mentiendi, & ſimilia: huiuſmodi enim obligatio non ſupponit conſenſum aliquem voluntatis operantis, ex cuius poſitione conſurgat obligatio. *Aliud genus* eſt eorum, quæ licèt præcipiat lex naturalis, verſantur tamen circa pacta, conuentiones, aut obligationes, quæ per humanas voluntates introducuntur: vt ſunt leges de ſeruandis votis, & promiſſionibus humanis, ſiue ſimplicibus, ſiue iuramento confirmatis; & idem eſt de aliis contractibus iuxta ſingulorum conditiones, & de iuribus, vel actionibus, quæ ex illis naſcuntur. Et in vtroque genere iſtorum præceptorum eſt eadem neceſſitas quoad formalem rationem iuris, atque adeò eadem mutabilitas, & immutabilitas. Ex parte tamen materiæ priora præcepta habent maiorem immutabilitatem, quia non habent quaſi pro materia ipſum humanum arbitrium, quod mutabile valde eſt, & ſæpe indiget correctione.

4 Denique ſuppono ex impedimentis matrimonium dirimentibus explicatis, ſolum dirimere matrimonium iure naturæ rigoroſo, tria nempe impedimentum erroris perſonæ, & impotentiã abſoluta & perpetuã, quæ reddit aliquem impotentem reſpectu omnium, & nullam habet potentiam ad vſum matrimonij & cognationem in primo gradu conſanguinitatis aſcendentium & deſcendentium inter patres & filios: alia verò ſunt, quæ fundamentum habent in conditione naturali, licèt non ſimpliciter præcipiantur iure naturali; talia ſunt impedimenta cognationis naturalis in primo gradu, ligaminis, & cultus diſparitatis. His præmiſſis

Dico *primò*, nullam poteſtatem humanam etiamſi Pontificia ſit, poſſe proprium aliquod præceptum legis naturalis abrogare, nec illud propriè & in ſe minuere, neque in illo diſpenſare. Loquor de præceptis iuris naturalis abſolutis quæ non pendent ex hominum conſenſu tamquam ex materia ob[illegible], & ſemper ſunt eadem in quauis circumſtan[illegible] occurrente. Ita omnes. Ratio eſt manifeſta, q[illegible] naturæ quoad ſua præcepta, dicta eſt immuta[illegible] natura ſua, pertinet enim ad naturales hominis proprietates. At non poſſunt homines mutare id quod immut[illegible] eſt, neque enim poſſunt naturas rerum mutare. F[illegible]mò, quia ſi ius humanum poſſet naturale derogare, poſſet aliquid contra illud ſtatuere, non enim poteſt intelligi alius modus mutandi illud. At hoc non poteſt; quia quod eſt contra ius naturæ prædictum intrinſecè malum eſt, ac proinde illud ius humanum eſſet de re intrinſecè mala, & conſequenter non eſſet ius, neque lex. Imò nec Deus ipſe prædicta præcepta 6
legis naturæ abſoluta, quorum obligatio reperitur vna & eadẽ in quauis circumſtantia occurrente poteſt permutare, vel in illis diſpẽſare. Quod ſic explicatur. Nam inter præcepta naturalia etiam abſoluta quædam ſunt, quorum obligatio reperitur ſemper vna & eadem quauis occurrente circumſtantia, vt non mentiri, non odio habere Deum, & ſimilia; & in his nequit dari mutatio, neque vlla diſpenſatio etiam ab ipſo Deo. Iſta omnia omnino immutabilia ſunt quia in quauis, quæ ponatur cir[illegible], & in quouis euentu occurrente ſemper reperitur eadem deformitas; huiuſmodi eſt deformitas o[illegible] Dei & mendacij. Vnde ſi prædicta præcepta n[illegible]que à Deo diſpenſabilia ſunt, neque in illis diſp[illegible] poterit à Papa, neque ordinaria poteſtate, [illegible] le[illegible] & nomine Dei, quod eſt intentum noſ[illegible] [illegible]nis. Alia verò ſunt præcepta naturalia, abſoluta [illegible] licèt non pendeant ex hominum conſenſu ta[illegible] [illegible] ex materia, exigunt tamen ad ſui obligatio[illegible] peculiares circumſtantias, quibus ablatis tollitur materia præcepti, atque adeò & obligationis. Vnde iſta p[illegible]cepta mutabilia ſunt, non quia præceptum [illegible]tur, vel tollatur; ſed quia aufertur circumſtantia, quæ conſtituebat materiam præcepti. Vnde manet actionis ſubſtantia ſine circumſtantia illa; mutatur autem vel ex voluntate Dei, vel alia ratione. Dec[illegible] [illegible] exemplis. Hominem interficere malum e[illegible] qui alium occidit, id facit publica auctoritat[illegible] [illegible] ob defenſionem vitæ, non eſt malum; quoniam deeſt circumſtantia ad malitiam neceſſariò requiſi[illegible] vt fiat auctoritate propria, neque ad defenſio[illegible] vitæ. Simili ratione furari malum eſt; at ſi quis in extrema neceſſitate conſtitutus al[illegible]d ex alterius bonis ſibi capiat, vt ſuæ occurrat n[illegible]itati, non eſt m[illegible]m, quia deeſt circumſtantia r[illegible] [illegible]enæ inuito r[illegible] no[illegible] ter domino. Nam in neceſſitatis extremæ caſu n[illegible] alienum eſt, cùm omnia ſint communia. M[illegible]lo[illegible] que eſt alterius opes, & bona inuadere, at ſi f[illegible] iuſſu Dei, malum non eſt, quia tollitur circumſt[illegible]ia rei alienæ. Vnde ſi aliquando Deus iuſſit filium [illegible]o-centem Iſaac à parente pio & optimo Abrah[illegible] occidi; vel vt Hebræi ſpoliarent Ægyptios, aut in[illegible] [illegible]nitæorum fines inuaderent, & occuparen[illegible] [illegible] Oſeæ Prophetæ vt acciperet ſibi mulierem [illegible]riam; in nullo ex iſtis caſibus diſpenſauit [illegible] præceptum naturale non [illegible]idendi, non fur[illegible] [illegible] fornicandi, ſed abſtulit materiam præce[illegible] præceptum naturale, occ[illegible] [illegible]nnem prohib[illegible] [illegible] auctoritate, factam prohibet etiam co[illegible] [illegible]orem rei alienæ, vel acceſſum ad non [illegible] pſi Abrahamo, Iſraelitis, & Oſeæ præci[illegible], qui eſt dominus vitæ, & mortis, cor[illegible] & omnium bonorum, quo ablata eſt circ[illegible]ia rei alienæ, quæ erat neceſſaria a[illegible] mat[illegible]iam præ[illegible], ex qua conſurgebat obligatio.

Dico.

7 Dico *ſecundò*, circa alia præcepta iuris naturalis, quorum obligatio pendet ex conſenſu voluntatis humanæ, vel ex eius efficacia ad aliquid agendum poſſe Papam in illis diſpenſare, vel ea remittere. Ita omnes. Ratio eſt, quia prædicta præcepta ſunt aliquo modo mutabilia, ac variabilia; ergo etiam ſunt diſpenſabilia, non directè auferendo obligationem legis naturalis, ſed indirectè, remiſſione aliqua facta ex parte materiæ: vt contingit in voto & iuramento. Sicut enim inter homines remittit homo alteri homini promiſſionem factam, qua remiſſione ceſſat obligatio naturalis promiſſionis; ita remittitur à Papa debitum ortum ex humano conſenſu, nomine Dei, cui ea promiſſio facta eſt; conceſſit enim Deus Pontifici, vt ipſe debita remittat rationabili ex cauſa Et ſicut me cedente alterius hominis promiſſioni, ceſſat etiam promiſſionis obligatio; ſic etiam Deo, in quantum illi debitum eſt, quod voto, vel iuramento fuerat promiſſum.

8 Dico *tertiò*, nullo modo Pontificem poſſe diſpenſare in impedimento iure naturali dirimente matrimonium, impotentiæ abſolutæ & perpetuæ. Ratio eſt manifeſta, quia cum prædicta impotentia nequit iniri matrimonium, vt conſtat, quia hoc eſſentialiter conſiſtit in tranſlatione mutua dominij corporum ad vſum matrimonij; at nemo poteſt in alterum transferre dominium eius rei quam nullo modo habet; & in ita impotente nulla eſt potentia ad vſum matrimonij; ergo nequit in illo dari matrimonium; ergo nequit Pōtifex in illo diſpenſare, qui nequit deſtruere naturam & eſſentiam contractus matrimonij. Imò, perſeuerante prædicta impotentia nec Deus ipſe poteſt diſpenſare, quia nequit dari matrimonium ſine prædicta tranſlatione dominij cum potentia intrinſeca & abſoluta ad copulam, cùm matrimonium eſſentialiter & per ſe ordinetur ad prolis propagationem per copulam. Si enim matrimonium ſolum eſſentialiter ordinaretur ad mutuam cohabitationem coniugũ, & ad domus gubernationem, potuiſſet ex Dei cōceſſione conſtitui matrimoniũ inter omnino impotentes. At cùm cōſtet eſſentiam matrimonij conſiſtere in dicta dominij mutua trāſlatione corporum in ordine ad copulā; vbi eſt naturalis, abſoluta, & perpetua impotētia & incapacitas, ea durante, nequit matrimonium conſiſtere, neque vlla à Pontifice poteſt fieri diſpenſatio, neque ab ipſo Deo.

9 Dico *quartò*, nec Papā poſſe diſpenſare in impedimēto erroris perſonæ, matrimoniũ dirimente. Hoc etiam eſt certũ, quia non poteſt Papa efficere vt detur matrimoniũ ſine cōtractu matrimoniali, ſed cũ impedimēto erroris nō datur cōtractus matrimonialis, quia iſte nō poteſt dari ſine mutuo contrahentiũ cōſenſu; mutuus autē cōſenſus nō datur cũ impedimēto erroris perſonæ, vt eſt per ſe notum; ergo à primo ad vltimum nequit Pontifex in hoc impedimento erroris diſpenſare.

10 Eſt verò obſeruandum id non opponi doctrinæ à nobis traditæ ſuprà *diſp. 4. ſect. 6.* vbi cũ veriori ſētentia docuimus poſſe diuina virtute dari matrimonium formaliter ſine mutuo conſenſu contrahentium: quia cùm matrimoniũ eſſentialiter cōſiſtat in vinculo, ſeu mutuo corporũ dominio in corpora cōtrahentiũ in ordine ad copulā, poteſt dari dominiũ corporũ in ordine ad copulā independēter à mutuo contrahētiũ cōſenſu. Non, inquā, opponitur: quia de facto Deus nō dedit ſummo Pontifici talē poteſtatem, quæ non videtur expedire bono cōmuni fideliũ. Quòd ſi in aliquo caſu Deus daret eā poteſtatem ſummo Pontifici, vt reuera poſſet, tunc dicerē poſſe Papam efficere matrimonium independenter à mutuo contrahentium conſenſu, & conſequenter quaſi diſpenſare in impedimēto erroris.

11 Dico *quintò*, nullo modo poſſe Pōtificem diſpēſare vt pater & filia, vel mater & filius nubere queant. Ratio eſt quia, vt dixi ſuprà *diſp. 28. ſect. 3.* quia in nullo caſu poteſt tale matrimoniũ irritari, honeſtari, & ideo nequit Deus concedere facultatem Papæ vt illud contrahatur.

Dico *vltimò*, poſſe Papam diſpenſare circa omnia alia impedimenta iuris naturalis, quæ habent conformitatem & fundamentum in iure naturali, ſed non neceſſariam conuenientiam, vel conformitatem cum illo. Ratio eſt, quia prædicta impedimenta introducta ſunt iure poſitiuo Eccleſiaſtico, vt vidimus, cùm de vnoquoque impedimento egimus; ergo poſſunt tolli poteſtate Eccleſiæ & Papæ. Quòd ſi aliquod ex illis introductum ſit iure diuino, quid circa illud præſtare queat ſummus Pontifex, dicam ſectione ſequenti.

Sectio IV.

An ſummus Pontifex poſſit diſpenſare in impedimentis ſi quæ ſint, iure poſitiuo diuino matrimonium dirimentibus.

Nonnulli Doctores relati à Sanchez *lib. 8. diſp. 6. n. 8.* affirmant poſſe Pontificē in talibus impedimentis diſpenſare. Quod probari poteſt, 1

Primò, quia Chriſtus Dominus ſuo Vicario conceſſit abſolutā & ſupremam poteſtatē ad bonũ Eccleſiæ regimen, & tranquillam Reipublicæ gubernationem, illis verbis Ioan. 21. *Paſce oues meas*, vt etiam cōſtat ex dictis ſuprà *diſp. 21. ſect. 1.* ſed ad bonum regimen Eccleſiæ, & Reipublicæ tranquillitatē aliquādo expedire poteſt, vt celebretur matrimoniũ inter eos, qui iure diuino ſunt impediti; ergo reſpectu eorum habet Pontifex poteſtatem: alias non ſufficienter prouidiſſet Chriſtus ſuæ Eccleſiæ.

Secundò, ſi Pontifex ita conderet ſuas leges, vt Epiſcopus in magna fidelium neceſſitate non poſſet in illis diſpenſare, non ſufficienter prouideret ſuæ Eccleſiæ; ergo multo minus Deus, ſi eā poteſtatem Papę nō conceſſiſſet: quia ad Papam poteſt eſſe recurſus, licet difficilis, ad Deum verò non niſi per miraculum.

Tertiò Papa diſpenſat in voto, quod iure diuino ligat, & idem eſt de iuramento; ergo iā diſpenſat Papa in iure diuino. Cur igitur nō diſpenſabit in impedimentis matrimonij iure diuino dirimentibus, ſi id expediens eſt ad commune animarum bonum.

Pro explicatione obſerua *primò*, legem, vel ius poſitiuũ à nobis appellari quod nō eſt innatũ cum natura, neque ex illa neceſſariò manās, ſed eſt quaſi additũ legi, vel iuri naturali: legem autē, vel ius poſitiuum diuinum dici quod ab ipſo Deo immediatē latum eſt, & toti legi naturali additum. 2

Secundò nota nullā eſſe controuerſiā de Deo, an poſſit in lege ſua poſitiua diuina diſpēſare. Nā ſi hoc poteſt legiſlator humanus in ſua lege, multo magis Deus. Imò licèt homo nō rectè, aut licitè id faciat ſine cauſa; ſi Deus id faceret, honeſtiſſimè & rectiſſimè faceret; quia eſt ſupremus dominus, & eius volũtas ſuprema eſt regula bonitatis. Neque id fieret cum mutabilitate ſuę volũtatis, quia ſine ſui mutatione poteſt Deus mutare quæ ſtatuit, & ita ex æternitate potuit Deus habere decretũ tollendi obligationē ſuæ legis ab aliquo in tali tempore, per quod ſine ſui mutatione cũ illo diſpēſaret. Huiuſmodi ergo diſpenſatio poſſibilis eſt de potētia abſoluta. At de lege ordinaria certũ eſt regulariter non concedi, quia Deus vult homines per homines gubernare Neque admittenda eſt talis diſpēſatio, niſi Eccleſiæ de illa conſtare poſſit, & per illam approbetur, iuxta regulam Innocentij tertij *in cap.* 3

cùm ex iniuncto, de haret. & *in cap. niſi cùm pridem, de denunciat.* Quæſtio igitur eſt de diſpenſabilitate huius legis, vel iuris poſitiui diuini per hominē, & tota reducitur ad ſummū Pontificē. Nā cùm auctor huius legis ſit ſuperior omni homine, certū eſt nullū hominem poſſe in ea diſpenſare, niſi per poteſtatē ſupernaturalem & ſpiritualem à legiſlatore conceſſam; quia inferior non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris, niſi ex eius voluntate, & conceſſione. Ex quo manifeſtum eſt nullum temporalem Principem, Regem, vel Imperatorem poſſe in eo iure ac lege diſpēſare, quia poteſtas eorum ſpiritualis non eſt à Chriſto conceſſa, nec eſt ſupernaturalis, ſed eſt merè temporalis, & humana, ad ordinem tantùm naturæ ſpectans. Vnde ſi talis poteſtas eſt in hominibus, ſolùm eſſe poteſt in ſūmo Pontifice, in quo eſt ſuprema ſpiritualis iuriſdictio.

4 *Vltimò* obſeruandum eſt, ac recolendum axioma Theologorum dicentium, in noua lege nulla eſſe diuina præcepta poſitiua niſi fidei, & Sacramentorum. Quod intelligunt de præceptis affirmatiuis; nam in lege noua nullum eſt præceptum negatiuum diuinum quod ad ius poſitiuū pertineat, quia præcepta Sacramentorum tantum ſunt affirmatiua. Sub Sacramentis verò comprehenditur ſacrificium, quia eſt vnum ex Sacramentis quoad rē in illo oblatam. Præcepta verò poſitiua circa vſum Sacramentorum ad tria reducunt communiter Theologi, videlicet Baptiſmi, Confeſſionis, & Euchariſtiæ. Nam de Confirmatione & Extrema vnctione res eſt dubia. In matrimonio autem & ordine non inuenitur obligatio, niſi ex cauſis extrinſecis in particularibus caſibus oriatur, & tunc magis erit ex iure naturæ, vel ex præcepto humano, quàm ex iure diuino poſitiuo. His præmiſſis

5 Dico *primò*, nullum modò eſſe circa matrimonia impedimentum iure diuino poſitiuo ſtatutum. Patet, quia nullum extat ius id explicans, vel ſignificans. Et quamuis Deus inſtituerit matrimonium, vt vidimus ſuprà *diſp. 18. ſect. 1. &* 2. & fuerit obligatio matrimonij, & præceptum Dei poſitiuum quod obligauit primos parentes, & tēpore diluuij, vt docui in dicta diſputatione *ſect. 4. n. 6.* nunc tamen lege noua ceſſauit iā obligatio contrahendi matrimonium, quia nulla eſt iā neceſſitas modò propagandi genus humanum: ſi ergo nullum eſt præceptum poſitiuum diuinum obligans circa matrimonium; neque etiam erit illud impediens, nec dirimens.

6 Dico *ſecundò*, ſi admittatur aliquod matrimonij impedimentum dirimens, iure poſitiuo diuino introductum, nō poſſe Papam in illo diſpenſare. Probo id ex communi Theologorum ſententia abſolutè negante legem Chriſti diuinam eſſe diſpenſabilem etiam per Pontificem. Cui fauent multa decreta, 25. q. 1. præſertim *c. ſunt quidam*, & duo ſequentia, in quibus dicitur contra ſtatuta Patrum nihil poſſe condi, vel mutari, etiam per ſedis Apoſtolicæ auctoritatē. Quod neceſſariò debet intelligi de ſtatutis traditis ab Apoſtolis ex ore Chriſti. Et ita Leo Papa *Epiſtola 90. c. 1.* & habetur *in c. vlt. diſp. 14.* diſtinguit quædā ſtatuta immutabilia ab aliis, quæ pro varietate temporū mutantur. Priora ergo intelligit eſſe diuina; poſteriora autē humana. Idē poſtulare videtur Eccleſiæ vnitas, quæ maximam deformitatem, & diuerſitatem pateretur, ſi ſemel daremus diſpenſari poſſe ea quæ habemus ex inſtitutione Chriſti pertinentia ad fidem, & Sacramenta. Ratio à priori eſt, quia inferior non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris, niſi ab eo habeat ſpecialem poteſtatem. Et ob hanc cauſam in legem veterem diſpenſatio non cadebat, quia lex Dei erat, & Deus non dederat talem hominibus poteſtatem. At etiam in lege noua non eſt data hominibus talis poteſtas. Nam verba illa generalia Matth. 16. *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolueris ſuper terrā, erit ſolutum & in cælis;* non ſufficiunt vt per illa intelligamus datā poteſtatem ad ſoluendum ius diuinum. Tum quia ſub generali conceſſione nō ſolent venire ea, quæ magnam ſpecialitatem habent, & quæ veriſimiliter non eſſet ſuperior in particulari conceſſurus; talis autē eſſet hæc poteſtas. Et ideo notanter dixit D. Th. 1. 2. *q. 97. art. 4. ad 3.* in præceptis iuris diuini, quæ ſunt à Deo, nullus poteſt diſpenſare niſi Deus, vel is, cui ipſe ſpecialiter cōmitteret. Oportet ergo vt talis commiſſio ſpecialis fieret. Tum etiā, quia ibi tantùm intelligitur conceſſa poteſtas, quæ futura erat in ædificationem, nō in deſtructionem, at poteſtas hæc potius eſſet in deſtructionem, eo vel maximè, quia ſi illa verba ita extendantur, intelligenda erunt de poteſtate diſpenſandi in omnibus diuinis præceptis, quod incredibile eſt: nulla verò conueniens ratio aſſignari poteſt ad differentiam, vel exceptionem aliquam ferendam. Tum denique, quia explicare quid contineatur ſub illis verbis, maximè pertinet ad ipſos Pontifices ſucceſſores Petri; at ipſi Pontifices in ſe hāc poteſtatē non agnoſcunt, vt conſtat ex Canonibus adductis, & quia vbicumque agitur de iure diuino, ſi de illo conſtet, diſpenſare refugiūt. Imò etiam in præceptis, vel inſtitutionibus Apoſtolicis difficile diſpenſant. Nullū ergo fundamentum relinquitur ſufficiens huius poteſtatis, vel conceſſionis. Firmo id totum; quia, vt dixi, Chriſtus Dominus nulla alia præcepta poſitiua Eccleſiæ impoſuit, præter illa, quæ pertinent ad fidem, & ad Sacramenta, & ſacrificia; at ſi in his admittatur diſpenſatio Pontificia, facile Eccleſia corruere poſſet, cùm eius fundamenta corruerent. Nulla etiam poteſt excogitari cauſa legitima diſpenſandi in aliquo præcepto diuino, quæ in omnibus præceptis locū nō habeat: at concedere poteſtatem diſpenſandi in omnibus, videtur Eccleſiæ vnitati, & ſtabilitati pernitioſum; ergo & concedere poteſtatem diſpenſandi in impedimento matrimonij iure diuino dirimente, ſi tale daretur. Antecedens liquet exemplis, quia ſæpe contingit caſus, vt ob defectum aquæ paruulus ſine Baptiſmo moriatur: ſæpe vt Sacerdos nō adſit abſoluendo: poterit ergo in his caſibus diſpenſare, vt aqua roſata pro naturali apponatur, & laicus nomine Sacerdotis abſoluat? abſit. Item in aliqua regione eſſe poteſt ſumma penuria tritici, in alia vini: diſpēſet ergo Papa vt in pane hordeaceo, vel in ſicera conſecretur? Abſit. Item ex obſeruatione ſigilli confeſſionis, graue damnū Sacerdoti, vel regno imminere poteſt: diſpenſet ergo Pontifex ex tali præcepto? Abſit. Quod ſi in his & aliis dari non poteſt diſpenſatio, in nullo præcepto diuino eſt concedenda. Quia firmitas horum præceptorum magis expedit Eccleſiæ, quam quælibet alia cauſa, quæ pro illorum diſpenſatione poſſit excogitari.

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum, iam dictum eſt ſub illa generalitate verborum, non comprehendi diſpenſationem in legibus ipſius Chriſti; nec eā extenſionem eſſe conformem traditioni Eccleſiæ nec rationi conſentaneam, cùm ſit contraria ſtabilitati & vniformitati legis Chriſti. Falſum verò eſt illud fore expediens ad bonum regimen Eccleſiæ, imò potiùs eſſet in illius deſtructionem. 7

Ad ſecundum, negatur conſequentia: nā Chriſtus in lege noua non multa, ſed pauca præcepit, ſpectantia tantùm ad fidē & Sacramenta; quæ cùm ſint quaſi fundamentalia, pertinentia ad ſubſtantiale Eccleſiæ fundamentum, debent eſſe prorſus immutabilia, & indiſpenſabilia; ideò in illa nequit cadere humana mutio. At diſpoſitiones Pontificiæ ad regimen Eccleſiæ, & ad bonum fidelium ſpectantes, ſunt quamplurimæ 8

ac

Digitized by Google

ac penè infinitæ, ideo neceſſe eſt vt poſſit in multis eorum diſpenſare Epiſcopus.

9 Ad tertium dico exempla illa de votis & iuramentis non eſſe ſimilia: quia cùm illa diſpenſantur, nõ relaxatur aliqua lex diuina, ſed materia eius ſubtrahitur per remiſſionem: nõ enim in voto, v.g. relaxatur obligatio naturalis manente in vno voluntate vouendi, & in Deo acceptandi; nam impoſſibile eſt velle Deũ acceptare promiſſionẽ, aut tam manere acceptationem à Deo factam, & aliàs relaxari obligationẽ, & non manere; poſitis enim illis extremis, non poteſt non cõſurgere obligatio, neque vlla potentia impediri: relaxatur ergo votum ablata eius acceptatione à Deo facta, & remiſſa, ac proinde ideo ceſſat obligatio voti, quia fit remiſſio eius promiſſionis ex parte Dei cui promiſſio facta eſt. Vnde in hac voti ablatione concurrit Pontifex, vel Prælatus ex parte Dei, vicem gerens, remittendo obligationem Deo factam, & declarãdo ſibi eſſe placitum vt non ſeruetur. Hoc autẽ modo fieri diſſolutionẽ pacti, & extingui obligationem, facillimum eſt. Nam etiã inter homines hoc modo tolluntur obligationes promiſſionum, & Rex poſſet committere officiali ſuo, vel miniſtro, vt promiſſiones ſibi factas relaxaret, vel componeret: ita ergo intelligere poſſumus feciſſe Deum. Vnde tunc non diſpenſatur in iure diuino, ſiue in lege, ſed eſt diſpenſatio in iure facti, ſeu in iure Deo acquiſito per votum, quod ſuo modo ad factum pertinet, quatenus ius dicit actionẽ ad debitũ, vel vt dicit dominiũ. Quo modo poſsũt homines dici diſpenſatores iuriũ, ſeu honorũ Dei, ſicut à Paulo dicũtur diſpenſatores myſteriorum Dei, 1. *Cor.* 4. ſi enim poſſunt remittere peccata, quibus homo maximè efficitur debitor Dei; quid mirum quòd poſſint remittere debita promiſſionũ Dei? Hoc igitur modo mutare votum, non eſt contra legem naturalem & diuinam reddẽdi vota; quia lex illa ſolũ petit immutabilitatem in voluntate promittentis ſine conſenſu promiſſarij, non autem illo conſentiente, vel iuri ſuo cedente per ſe, vel per Vicarium ſuum.

10 Obiici verò poſſet contra prædictã doctrinã, modũ iſtum explicandi hanc voti ablationem non conſtare, quia non conſtat à Chriſto eſſe datam. Præterea eam voti ablationem, non eſſe propriè diſpenſationem, ſed remiſſionem debiti, ſicut homo remittens debitũ promittenti, non diſpenſat, ſed donat ius ſuum. Denique videtur potius eſſe abrogatio, quàm diſpenſatio; quia cum votum ſit priuata lex, non poteſt tolli, quin omnino tollatur & abrogetur.

Occurro tamen dicens manifeſtum eſſe potuiſſe à Chriſto dari eam poteſtatem. Quod autẽ data ſit ex illis verbis Chriſti Ioan. 21. *paſce oues meas*, & ex illis aliis Matt. 16. *Quodcũque ſolueris ſuper terram*, &c. ſufficiẽter infertur. Nã licèt in illis non fiat ſpecialis mentio prędictæ poteſtatis; tamen in abſoluto verbo, *paſce*, & in vniuerſali diſtributione, *Quodcumque ſolueris*, verè cõtinetur: ſicut etiam licèt ibi non explicetur in particulari poteſtas concedẽdi indulgẽtias, & diſpẽſandi merita & ſatisfactiones Chriſti & ſimiles, nihilominus cenſentur in generali clauſula conceſſæ, propter eminentẽ Chriſti poteſtatẽ in cælo, & in terra, quam largiſſimè ſuo Vicario cõmunicauit, & propter Eccleſię traditionẽ, quæ ita ſenſum illorum verborũ explicat; & etiam, quia id maximè congruebat ad perfectionẽ ſpiritualem Eccleſiæ Chriſti. Similiter ergo ob eãdem rationem comprehenſa eſt ibi hæc alia poteſtas diſpẽſandi, quia eſt eadem neceſſitas, & ibi eſſe cõprehenſam ſatis declarat eadem Eccleſiæ traditio, & vſus. Ad illud aliud ingenuè fateor diſpenſationem eſſe quandam remiſſionem debiti nomine Dei factam, quę etiã in rigore poteſt dici abſolutio, vel relaxatio; ideo verò meritò dicitur diſpenſatio, quia non Deus ipſe immediatè, ſed per ſuum Vicarium, & quaſi diſpenſatorem hanc facit remiſſionem. Tum maximè, quia non vocatur diſpenſatio in præcepto, ſed in voto, ex qua fit vt ceſſet obligatio præcepti reddendi vota, licet in ea nõ diſpenſetur. Dico etiam poſſe hanc diſpenſationem vocari voti abrogationem, quando nimirum totaliter aufertur; ideo verò ſemper & propriè vocatur diſpenſatio, quia tametſi reſpectu ipſius perſonæ, à qua votum aufertur, videatur hæc eſſe voti abrogatio; tamen reſpectu aliorum habentium ſimilia vota, à quibus nõ aufertur, vocatur hæc diſpenſatio; nam iugum caſtitatis, v.g. ab vno aufertur, & non ab omnibus; quod eſt proprium diſpenſationis propriè ſumptæ. Obiici etiã poſſunt contra prædictam doctrinã, duo exẽpla. *Vnum* eſt Sacramenti Confirmationis, cuius miniſter iure diuino eſt Epiſcopus; & ex conceſſione Papæ etiam eſt ſimplex Sacerdos. *Alterũ* eſt, de diſpenſatione in conſecrãdo pane ſine calice: at fieri ſacrificiũ ſub vtraque ſpecie eſt de iure diuino. Reſpondeo, vtrique exẽplo rectè ſatisfacere Suarium *lib.* 10. *de leg. c.* 6. *n.* 20. *&* 21. Et Caſtrum Palao ſuprà relatũ *diſp.* 6. *punct.* 3. Breuiter dico ad primum exemplũ, Epiſcopum eſſe miniſtrũ non abſolutè, ſed ordinarium; atque adeò ibi nullam eſſe diſpẽſationẽ in diuina inſtitutione. Ad aliud exẽplum, non eſt admittẽda illa diſpenſatio. Quod ſi admittatur, auctoritate Pontificia poſſe in vna tantùm ſpecie ſacrificiũ offerri; id explicandum eſt per modũ interpretationis doctrinalis, non per modũ diſpenſationis, aut exceptionis in lege diuina. Quod enim offeratur ſacrificium, ex iure diuino eſt; at quod fit in vtraque ſpecie, nõ eſt per ſe ex iure diuino, ſed ex naturali, dictante, ſi offeratur ſacrificium Deo, integrum & perfectum eſſe offerẽdum. Si ergo Papa permitteret in aliqua Prouincia vrgẽti graui, & communi bono illius, ſacrificium in vna ſpecie offerri, declararet vtique præceptum naturale integrè ſacrificando, ad illum caſum non ſe extendere: quia videri poſſet gratius eſſe Deo & homini vtilius, ſic confici ſacrificium, quàm nullo modo. Aduertit verò rectè Suarez, hanc interpretationem fieri non poſſe ab alio præter Romanum Pontificem, quin eſt res grauiſsima, & valde dubia, & contra vniuerſalem Eccleſiæ morem.

Sectio V.

An poſſit Papa diſpenſare in impedimentis matrimonij ſolo iure Canonico, vel Eccleſiaſtico illud dirimentibus, & in radice illius.

Circa primam rationem dubitandi mouent nonnulla iura canonica *in c. contra ſtatuta* 25. *q.* 1. *& in c. ſunt quedam, diſt.* 14. dicentia aliqua eſſe à Patribus ſtatuta, quæ omnino ſunt immutabilia, vt de ieiunio Quadrageſimæ, de irregularitate bigamiæ, de quota decimarũ, & de traditionibus Apoſtolicis, quę ab ipſis Apoſtolis immediatè originem traxerunt. Idem ergo dici poſſet de aliquibus impedimẽtis, non poſſe Papã in illis diſpẽſare, ſicut dixerunt aliqui non poſſe diſpẽſare cum bigamo, vt ad ſacros Ordines promoueatur. 1

Certiſsimũ tamẽ eſt apud omnes Theologos, poſſe Papã diſpẽſare in omnibus matrimonij impedimentis irritantibus, lege tantùm Eccleſiaſtica inductis. Ratio eſt, quia ex parte materiæ nulla eſt repugnantia; nam voluntas humana mutabilis eſt, & circa materiam mutabilem verſatur. Et poteſtas non deeſt; nam eſt in Eccleſia poteſtas æqualis poteſtati Petri, atque adeò ſufficiens ad diſpenſandum in omni iure humano, 2

etium Apoſtolico. Nam Apoſtolicæ conſtitutiones ab ipſis Apoſtolis immediatè procedentes non tranſcēdunt ius humanum, vt conſtat. Vnde licèt Apoſtolorum magna ſit dignitas, attamen in poteſtate iuriſdictionis Papa nō eſt inferior illis. Quæ verò ſunt ab illis promulgatæ ex ore Chriſti, nō ſunt diſpēſabiles. Idque volunt iura citata. Vnde omne genus irregularitatis etiam bigamiæ eſt diſpenſabile per Eccleſiam. Firmo dictum, quia legiſlator poteſt in legibus quæ ab eius volūtate & poteſtate pendent, diſpenſare. At Pontifex eſt ſupremus legiſlator reſpectu iuris, & Canonū, quæ ab ipſo, vel à Concilio generali ſtatuta ſunt. Nā Concilio ſuperior eſt Papa, & ſi Cōcilium includit Papā, eſt æqualis. Poteſt autem Princeps diſpenſare in legibus latis ab habēte æqualē auctoritatem in eadē ſede.

Ex quo infero verum eſſe Papā non poſſe diſpenſare in impedimento erroris, quia iſte dirimit ex defectu conſenſus, quem Pontifex ſupplere non poteſt; neque in impedimento impotentiæ perpetuæ, neque inter patrem & filiam, vel matrem & filium, quia ſunt iure naturæ dirimentia, neque in impedimento ligaminis, quia abſque Dei conceſſione non poteſt dirimi; & conſtat Pontificem id non poſſe dirimere, cū auctoritas ordinaria ſuperioris pure humani ad id nequeat extēdi; de extraordinaria autē & ſuperaddita Dei commiſſione, aut conceſſione, non cōſtat eam à Deo accepiſſe. Circa alia verò omnia impedimenta dirimentia poſſe diſpenſare cōſtat, quia omnia illa, præter dicta dirimunt ſolo iure Eccleſiaſtico.

3 Maior difficultas eſt circa ſecundum, an poſſit Pōtifex diſpenſare in radice matrimonij irritè contracti, efficiēdo diſpenſationem retro trahi, ac proinde legitimando prolem antè habitam, quoad ſpiritualia, & temporalia.

Quia in re certum videtur Pontificē poſſe talē prolē omnino legitimare in ordine ad effectus omnes Eccleſiaſticos & ſpirituales, ordines videlicet, & beneficia. Sed difficultas eſt de effectibus ciuilibus ac tēporalibus bonis, verbi gratia de ſucceſſione in paterna hæreditate; ad quos Papa ſibi ciuiliter nō ſubiectū ſecundum omniū fere ac veriorem ſententiam, directe non poteſt legitimare.

4 Multi, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 8. diſp. 6. n. 3*, affirmant eum id poſſe indirectè. Probant

Primò, quia tota radix illegitimationis eſt lex Eccleſiaſtica ſtatuēs impedimentū dirimens, ſed hoc tollit Pōtifex, ergo indirectè & per quandā conſequentiā, deſtruendo legem ſuam Eccleſiaſticam ex qua tanquam ex fundamento illegitimitas, & illi omnes effectus pendent, poterit omnes illos abolere.

Secundo ex *Clem. vnica, de immun. Eccleſ.* cōſtat Clementem Quintum reuocaſſe quaſdā prædeceſſorum conſtitutiones, etiā quoad effectus antea productos, ibi, Quicquid ex eis ſequutū eſt, vel ob eas, penitus reuocamus, & eas haberi volumus pro infectis. Vbi Gloſſa & Iuriſperiti notāt tantā eſſe Pontificis poteſtatem circa ea, quæ ſunt iuris poſitiui, vt poſſit ea reuocare prout ex tūc, quādo edita ſunt; ac omnes effectus præteritos abolere, ac ſi nunquā edita fuiſſent: Igitur ſic diſpenſans Papa in radice matrimonij, id eſt, in initio ipſius, reuocādo impedimētū quod irritauit matrimonium ac ſi nunquā irritaſſet, efficiet, vt diſpenſatio retrotrahatur ad matrimonij initiū, atque ideo cēſeatur ac ſi id matrimoniū fuiſſet ab initio validū, nullo impedimento irritante exiſtente, in quo caſu proles eſſet verè legitima quoad omnia.

Tertio, multa poſſunt fieri indirectè, & per quandā conſequentiam, quæ directè, & principaliter fieri nequeūt: Sic ius patronatus non poteſt per ſe ac directè vendi abſque peccato ſimoniæ, cùm tamen in cōſequentiam vendatur vendito fundo, cui eſt annexus. *c. ex litteris, de iure patr.* ergo licèt Pōtifex nequeat directè diſpēſare in iure ciuili, ac eius effectibus, poterit vtique indirectè & per quandā conſequentiam. Firmatur, nam lege ciuili incurruntur ea damna à prole, ſuppoſita legis Eccleſiaſticæ irritantis prædictū matrimoniū firmitate; ex qua ſubſecutū eſt, vt matrimoniū ſit irritū, & ſubinde proles ex eo concepta ſit illegitima, & ſubiecta omnibus illegitimatis dānis iure ciuili ſtatutis. Igitur cum Pontifex ſua diſpenſatione in ipſa matrimonij radice tollat directè firmitatē illius legis Eccleſiaſticę, eamque prorſus aboleat, perinde ac ſi lex illa nunquā prodiiſſet, efficiet indirectè & per quandā conſequentiam, vt ea omnia dāna ceſſent, vtpote quæ ex legis Eccleſiaſticæ firmitate pendebant.

Contrariū ſentit Molina *tom. 3. de iuſtitia diſp. 624. n. 3.* Cooinchius *diſp. 33. dub. 4.* Gaſpar Hurtado *diſp. 26. difficultate prima n. 5* & alij, dicentes Pontificem nō aliter poſſe in radice matrimonij diſpenſare, quàm directe & immediatè auferendo omnes effectus ex ipſius inualiditate ſecutos, & conſequēter ſolum pro illis effectibus quos per ſe immediatè auferre poteſt. Quare ſuppoſito quòd Pōtifex nequeat talē prolē directè legitimare, niſi quoad ſola ſpiritualia, nec poterit illā indirectè per talē diſpēſationē ad plura legitimare. Quia nō poteſt Papa habilitare ad officia tēporalia & ſecularia non tollēdo illegitimationē, & hanc nequit tollere, quia nequit tollere radicē illius; nō enim efficere poteſt matrimonium non fuiſſe nullum.

Hæc ſecunda ſentētia mihi magis placet. Ad cuius maiorem explicationem,

Dico primò, certū eſſe ſummū Pontificē non poſſe efficere, vt matrimoniū quod à principio fuit nullum propter impedimētū dirimēs, reddatur à principio validū, diſpēſando in tali impedimēto, & illud auferēdo. 5
Patet, quia ſummus Pōtifex nō habet ad præteritum potentiā, vt nimirū validū matrimoniū efficiat, quod validū nō fuit re ipſa, & vt nō adfuerit impedimentū illud dirimēs, quod verè affuit tēpore contracti illius matrimonij, eo quòd in illo nō fuerit diſpēſatū; ergo diſpenſare iā nō poterit vt à principio nō adfuerit, ac proinde vt nō fuerit nullū matrimoniū, quod nullum ob illud impedimentū re ipſa fuit. Firmatur, quia ſine nouo cōtrahentiū conſenſu, & nouo inter eos matrimonij cōtractu, poſt impedimentū ſublatū, non poteſt inter eos eſſe legitimū matrimoniū; vnde nec ſūmus Pōtifex efficere poteſt vt antiquus cōſenſus ſufficiat ad legitimū matrimoniū, diſpenſando in impedimēto, quod aderat tempore talis cōſenſus, ſed neceſſarius omnino eſt ad verū & legitimū matrimoniū, ac prolē legitimā generandā, nouus inter ipſos mutuus cōſenſus, & nouus matrimonij cōtractus. ergo nec poterit Pōtifex efficere vt matrimoniū quod à principio fuit nullū, propter impedimentum, reddatur à principio validum diſpenſando in tali impedimento.

Dico ſecundò, poſſe Papam, prolem illā illegitimè natā, ita legitimare quaſi à principio nata fuerit legitima, auferēdo ab illa omnē inhabilitatē canonicā quæ ſub illius iuriſdictionē per ſe & directè cadit. Patet, quia tametſi prædictā prolem nequeat ita legitimare, quaſi à principio nata fuerit legitima, efficiēdo vt nūquā fuerit illegitima, quia id eſſet ad præteritū potentia, quod cōtradictionē implicat, adeo vt nec Deus ipſe poſſit id efficere; tamē poteſt auferre ab illa omnē inhabilitatē canonicā, quæ ſub illius iuriſdictionē cadit; quia inhabilitates canonicæ quas proles illa, ita naſcendo, cōtraxit, omnes ſunt de iure humano in quo Pontifex diſpenſare poteſt; ergo efficere poteſt vt quoad inhabilitates canonicas, proles illa reputetur, ac ſi à principio eſſet legitimè nata. 6

Dico tertiò, eſto demus impedimentum matrimonium dirimens non eſſe de iure humano, ſed diuino, 7

vel

vel naturali, nec Papam poſſe in illo diſpenſare; ſi velit eam prolem legitimare, poteſt, quaſi à principio eſſet legitimè concepta. Ratio eſt, quia inhabilitates canonicæ, quas proles illa ita naſcendo contraxit, ſubiacent directæ iuriſdictioni Papæ, & omnes ſunt de iure humano; ergo quamuis nequeat diſpenſare in impedimento, & efficere, vt inter eos parentes legitimè contrahatur matrimonium, poteſt tamē abolere ab ea prole inhabilitates canonicas, ex ea illegitima natiuitate euenientes, ac ſi nata eſſet ex matrimonio nullo ob impedimentū canonicum iure humano introductum; ergo ita poteſt prædictam prolem legitimare quaſi à principio eſſet legitimè concepta.

8 Dico *quartò*, non poſte Papam etiam indirectè auferre à prædicta prole inhabilitates ciuiles quæ non ſubiacent eius poteſtati. Probo id, quia non poteſt Papa talem prolē directè legitimare, niſi quoad ſola ſpiritualia; ergo non poterit eam indirectè legitimare quoad temporalia & ciuilia: patet conſequentia, quia nemo poteſt aliquid facere indirectè, niſi faciēdo aliquid directè, ex quo illud neceſſariò ſequatur, vt verbi gratia, impoſſibile eſt Eccleſia indirectè præcipiat actum internum, niſi directè præcipiat externum; ſed impoſſibile eſt vt Papa directè aliquid tollat à quo illegitimatio illius prolis pendet; ergo nec hanc poteſt indirectè tollere; ergo nullo modo poteſt auferre inhabilitates ciuiles, ac temporales. Minor oſtenditur, quia illegitimatio non pendet ab illo impedimento prout exiſtit poſt eius natiuitatem; ſiue enim iam ſit, ſiue non ſit, eodē modo manet illegitimatio, ſed prout exiſtebat pro eo tempore quo parentes tenebant contrahere matrimonium; & vt ſic præciſè eſt radix illius illegitimationis, ſed impoſſibile eſt vt Papa efficiat, vt tunc non fuerit illud impedimentū, vt probatum eſt; ergo nec poteſt tollere radicem illius illegitimationis. Firmo, quia Pontifex noo poteſt alter tollere indirectè illegitimitatē quoad ciuilia, niſi tollendo impedimentū, ſed illegitimitas nō prouenit immediatè ex impedimēto, ſed ex nullitate matrimonij, quam Papa oon poteſt tollere, cùm ſit impoſſibile quòd iſte non ſit natus ex illegitimo toro; ergo. Hinc

9 Dico *vltimò*, manifeſtè Papam non poſte diſpenſare in radice matrimonij, neque quo ad effectus ſeculares, neque quoad effectus ſpirituales, ſeu officia Eccleſiaſtica ex vi talis radicis. Patet, quia inprimis cōſtat non poſſe prolem illegitimā, quæ talis eſt, quia concepta ex matrimonio nullo ob impedimentum dirimens, habilitare ad ea officina ſæcularia, ad quę illegitimus eſt inhabilis iure ciuili; quia non poteſt auferre dictam inhabilitatē, non tollendo illegitimationē, & hāc nequit tollere, quia nequit tollere radicē illius; nō enim poteſt efficere matrimoniū nō fuiſſe nullū. Similiter ob eandem rationem nec poteſt prædictam prolē ex vi radicis habilitare ad officia Eccleſiaſtica, quia nequit auferre illegitimatiooem, ex qua oritur inhabilitas ad illa. Abſolutè tamen poteſt prolem illegitimā habilitare ad bona & officia ſpiritualia, quia poteſt inhabilitatem ipſam immediatè & in ſe ipſa tollere, quia iure Eccleſiaſtico oritur ex illegitimatione, in qua etiam Pontifex poteſt immediatè diſpenſare.

10 Ex his facile ſoluuntur argumēta primæ ſententiæ.

Ad primum negatur propoſitio; nam radix illegitimationis non eſt niſi nullitas matrimonij; quam nequit tollere Pontifex, vt oſtenſum eſt.

Ad ſecundum, dico Pontificem ibi apertè ſolùm agere de effectibus iure Eccleſiaſtico inductis, quos per ſe immediatè poterat tollere.

Ad tertium, eiuſque confirmationem liquet ex dictis, nihil poſſe fieri indirectè niſi faciendo aliquid directè; at Eccleſia nihil directè efficere poteſt circa radicem illegitimationis, quia huius radix eſt nullitas matrimonij contracta tempore conceptionis prolis, & hanc nullitatem non poteſt Papa auferre, modo in hac ſectione ſæpe dicto.

Sectio VI.

An poſſit Epiſcopus diſpenſare in impedimentis matrimonum dirimentibus.

1 Certum eſt, & commune apud omnes Doctores Epiſcopum non poſſe ordinariè diſpenſare in impedimentis dirimentibns. Ratio eſt, quia à Pontifice, vel à Concilio Generali ſtatuta ſunt, & omnia illa ſunt vel iure naturali, vel iure communi inducta, quibus Epiſcopus inferior eſt; ergo nequit tamquam in lege ſuperioris ordinariè diſpenſare, *c. inferior d.* 21. *Clem. ne Romani, de elect.* Difficultas verò eſt, an id in aliquibus caſibus poſſit facere. In duobus caſibus præcipuè id examinandum eſt.

2 *Primus caſus* eſt, an poſſit Epiſcopus diſpenſare quando matrimonium bona fide publicè in facie Eccleſiæ contractum eſt, ac etiam præmiſſis denunciationibus, & impedimentū eſt occultum, nec ſine ſcandalo poteſt fieri ſeparatio, nec Pōtifex facile adiri poteſt ob coniugum paupertatem, ac loci diſtantiam, vel quia ſine probabili peccandi periculo non poteſt diſpenſatio differri.

Dominicus Soto 1. *de iuſtit. q. 7. a. 3. & in 4. d. 37. q. vnica c.* 2. cum aliis in partem negantem inclina. Quia nequit Epiſcopus in lege Pontificis vel Concilij diſpenſare, quâ impedimēta matrimonij ſtatuta ſunt.

3 Multo veriorem iudico partem affirmantem cum multis, quos refert & ſequitur Sanchez *lib 2. de matrim. diſp. 40. n. 5.* Coninch *diſp. 33. dub. 3.* Hurtado *diſp. 26. diffic. 1. n. 4.* Baſilius *lib. 8. c. 13. n. 2.* Rebellus *lib. 3. q. 5. n. 20.* & alij, qui meritò docent in eo caſu Epiſcopū ex tacita Pontificis conceſſione pro foro conſcientiæ diſpenſare poſſe. Quod certè iā videtur certum poſtquā Pontifici conſtat id fieri ab Epiſcopis; quia id ſua taciturnitate approbare præſumitur. Cùm etiā multi celebres Doctores hoc teneant, & publice in lectionibus ac libris editis doceant, videtur omnino incredibile, Pontificē hoc latere, vnde etiā meritò præſumitur tacitè id approbare. Firmatur. Tum quia Romanus Pontifex id cōceſſiſſet, ſi de eo requiſitus eſſet ob animarum ſalutem: incredibile enim eſt Pontificem hanc diſputationē velle tali caſu ſibi reſeruari cum grauiſſimo animarum periculo. Ergo perinde eſt ac ſi conceſſiſſet, iuxta doctrinā Gloſſæ *in l. tale pactū § fin. D. de pactis.* Tū etiam, quia Epiſcopus poteſt contra ius cōmune ſtatuere, modò id faciat ex euidenti & neceſſaria cauſa, quę ſuperiorem ad id concedendum moueret. argum. *l. hominem D. mandati.* Et ita Iaſon *in l. omnes populi, lect. 2. D. de Iuſt. & iure.* Tum denique, quia leges impedimentorū ad bonum commune cōditæ ſunt; ergo ex tacita conceſſione Pontificis poterit vrgente prędicta neceſſitate diſpenſare Epiſcopus, alioquin manerent multi deſtituti remedio, & in periculo euidenti condemnationis æternæ, quod totum contra bonū publicū eſt. Quibus omnibus rationibus, addenda eſt conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres; & ad acquirendam ſufficit iuriſdictionem.

4 Hanc doctrinam iudico etiam eſſe veram, quamuis contrahentes non ſint pauperes. Quia etiam in diuitibus poteſt vrgens neceſſitas occurrere ex diſtantia ab vrbe Romana, & magno incontinentiæ periculo, vt docent Sanchez, & Baſilius *citati.* Et certè ſi

Epiſcopus cum paupere diſpenſare poteſt, qui ratione inopiæ nõ habet recurſum ad Pontificem; cur non poterit ſimiliter idem præſtare, quando ratione vrgentis neceſſitatis animæ, & periculi magni incontinentiæ in ipſâ morâ conſulendi Pontificem.

5 Habet etiam locum prædicta doctrina, quamuis occurrant duo occulta impedimenta, ſiue etiam plura, vt docent quoque Sanchex *diſput. cit. numer.* 6. & Baſilius *cap.* 13. *numer.* 3. quia quando committitur alicui facultas delegata diſpenſandi in aliquo impedimento, tametſi non poſſit diſpenſare repertis duobus, quia mixtum ſub ſimplici non comprehenditur; attamen cùm in hoc caſu neceſſitatis ſit, quæ tollit reſeruationem, ſicut tollit comparatione ſimplicis, tollit etiam comparatione mixti. Ex his

6 Colligo *primò*, hanc facultatem diſpenſandi in Epiſcopis circa impedimenta dirimentia, debere intelligi de impedimento occulto. Quare ſi impedimentũ fuerit publicum, & periculum eſt vt in foro externo detegatur, non poterit diſpenſare Epiſcopus; quia nullum ſcandalum ſequi poteſt ex eo quod ſeparentur. Cæterùm non video cur non poſſit Epiſcopus diſpenſare, ſi ex tali ſeparatione aliquod imminens, & valde graue damnum ſequeretur.

7 Colligo *ſecundò*, debere quoque matrimonium occultum eſſe bonâ fide contractum: ſi enim malâ fide contractum eſt, non poterit Epiſcopus diſpenſare. Ratio eſt, quia cùm ea diſpenſatio detur ab Epiſcopo ex præſumptâ licentiâ, & conſenſu Pontificis, vt dixi, non poteſt in eo caſu præſumi, ne faueatur audaciæ, & iniquitati. Idque ſatis colligitur ex Tridentino *ſeſſ.* 24. *de reformatione matrimonij cap.* 5. ſic dicente: Si quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat, idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quòd ſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubiiciatur pœnis. Non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cuius ſalubria præcepta temerè contempſit. Hæc Tridentinum.

8 Satis tamen erit bona fides alterius tantùm ex contrahentibus, vt notant Sanchez, & Baſilius. Et ratio eſt; tum quia ex Tridentini decreto non colligitur vnius tantùm malam fidem ſufficere, vt ſpe diſpenſationis careat; & aliàs ex iure communi, iuxta textum *in cap. cum inhibitio, de clandeſt. deſponſat. & cap. ex tenore, qui filij ſint legitimi*, vnius bona fides ſufficit, vt proles naſcatur legitima, & vt tale matrimonium reputetur ab Eccleſia; ergo idem in noſtro caſu dicendum eſt. Tum etiam, quia Tridentinum *dicto cap.* 5. vocat hanc pœnam, ibi, *eiſdem pœnis ſubiiciatur*: non videtur autem æquitati congruum eſſe puniri innocentem ob alterius delictum.

9 Colligo *tertiò*, quando dicenda ſit mala fides, quando nimirum coniuges non ſolùm ſciunt impedimentum cùm contrahere volunt, ſed etiam ſciunt inde oriri impedimentum dirimens ad matrimonium contrahendum: nec eſt mala fides, quamuis procedat ex latâ culpâ, & ignorantiâ culpabili, quia Tridentinum citatum expreſsè petit, vt ſcienter præſumatur: at non verè dicitur ſcienter facere qui ex ignorantiâ craſsâ facit, ſed dolus requiritur. Vnde ſolùm excluderur hæc bona fides quando ignorantia eſſet adeò craſſa, vt eſſet ingens temeritas; quia tunc æquipararetur dolo, vt benè Sanchex *numer.* 4.

10 Colligo *vltimò*, non poſſe Epiſcopum diſpenſare, ſi facilis ſit aditus ad Nuncium, vel ad alium, qui habeat poteſtatem diſpenſandi; quia Epiſcopo ſolùm conceditur ratione vrgentis neceſſitatis, quæ ceſſat, quando adeſt facultatem habens diſpenſandi. Quare extra neceſſitatem in nullo impedimento dirimente poteſt diſpenſare Epiſcopus, ſiue ſit cognationis ſpiritualis, ſiue legalis, ſiue publicæ honeſtatis; quia tam hæc, quàm alia ex iure humano orta ſunt, ac proinde eodem modo loquendum eſt de omnibus illis.

Secundus caſus eſt, An Epiſcopus poſſit etiam di- 11
ſpenſare in impedimentis dirimentibus, etiam ante contractum matrimonium, in caſu neceſſitatis, ſi non patet aditus ad Papam, vel ad alium ſuperiorem habentem facultatem? Affirmat Baſilius Ponce *cap.* 13. *citato numer.* 6. quia certum eſt interuenire poſſe caſum neceſſitatis, etiã ante contractum matrimoniũ. Vt ſi quis morti proximus ad legitimandos liberos, vel reſtaurandum honorem, vel pro bono pacis deberet citò contrahere, & obſtaret impedimentum dirimens. Probat, quia ratione vrgentis neceſſitatis tollitur reſeruatio, ſicut cùm iam matrimonium contractum eſt: & eâ neceſſitate vrgente poteſt inferior in legibus ſuperiorum diſpenſare. Idem ſentit Ioannes de Salas *de legibus diſput.* 20. *ſect.* 3. Gaſpar Hurtado *diſput.* 26. *difficult.* 2. *numer.* 7. Idem defendit, & latè probat Sanchez *lib.* 2. *diſput.* 40. *numer.* 7. ſi vrgentiſſima neceſſitas talem poſtulet diſpenſationem, apponitque hoc exemplum. Accedit mulier manè confeſſura ſacramentaliter, & reperitur habens impedimentum dirimens, cuius detentio infamiam notabilem produceret, & ſunt omnia iam parata ad nuptias veſpere celebrandas, & tentatis omnibus mediis, nulla euadendi via aperitur, ſed ſuſpicio vehemens orietur alicuius criminis detecti in confeſſione ſacramentali, ſi fœmina abſtinere velit à nuptiis, aut differre, dum Papæ diſpenſatio obtinetur. Probat in hoc caſu, ſi non ſit aliqua via prudentis arbitrio, attentis circumſtantiis, vt fœmina illa euadere poſſit incolumis, poſſe Epiſcopum diſpenſare. *Primò*, quia impedimentum hoc eſt iuris humani, ſtatutum lege Pontificiâ, vel Concilij; ſed in hâc lege ex magna neceſſitate poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt docent Doctores graues, quos refert idem Sanchex *dictâ diſp.* 40. *n.* 3. cùm ergo magna in prædicto euentu neceſſitas vrgeat, quid obſtat, ne Epiſcopus poſſit? *Secundò*, votum ſimplex caſtitatis impedit matrimonium contrahendum, & eius diſpenſatio Pontifici reſeruatur: & tamen in caſu vrgentis neceſſitatis, quando magnum incontinentiæ periculum vrget, nec conſuli patet Papa, ratione paupertatis, vel quia eſt graue periculum in morâ, poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt docent Angelus, Sylueſter, Nauarrus, Palacios, Enriquez, & Aragon, quos ibi refert dictus Sanchez; ergo poterit diſpenſare in impedimento dirimenti, in caſu præſenti, vbi vrgentior eſt neceſſitas. *Tertiò*, quia opinio docens poſt contractum matrimonium, poſſe Epiſcopum diſpenſare, illi innititur fundamento, quod poſſit Epiſcopus in lege Papæ, vel Concilij diſpenſare in caſu vrgentis neceſſitatis; ergo ſimiliter poterit ante matrimonium, vrgente neceſſitate pari, vel certè maiori. *Vltimò*, negari non poteſt, quin hæc ſententia aliquam habeat probabilitatem: at quando notabile proximi damnum imminet, licitum eſt, omiſsâ probabiliſſimâ, & communiſſimâ opinione, eam amplecti, quæ aliquam habet probabilitatem, vt docet cum Soto, & Nauarro idem Sanchex *lib.* 2. *diſput.* 36. *numer.* 8. In hac re

Dico *primò*, ſi re verâ eueniat caſus, in quo viſis 12
circumſtantiis, prudentum iudicio ſit neceſſitas adeò vrgens, vt nulla ſit via, ac nullum medium, vt fœmina graue periculum ſui honoris, vel vitæ euadat, poſſe tunc Epiſcopum diſpenſare in impedimento dirimente

Digitized by Google

te ante contractum matrimonium. Hoc probant rationes adductæ numero præcedenti;& tot graues ſentiunt Doctores,vt re vera eam ſententiam valdè probabilem,& in praxi ſecuram efficiant.

13 Dico *ſecundò*, regulariter, ac moraliter loquendo, mihi non videri poſſe occurrere caſum, in quo non pateat aditus, & via fœminæ euadendi periculum iacturæ propriæ famæ, vel honoris, & etiam vitæ; ac proinde moraliter loquendo ante contractum matrimonium non poſſe Epiſcopum diſpenſare in impedimento dirimente. Patet hoc in exemplo allato à Sanchez, & in remedio ab ipſo adhibito, vt nimirum fœmina ita oppreſſa voueat caſtitatem ad tempus, verbi gratiâ per menſem, conſulto confeſſario, & dicat cõſanguineis,ſe voto caſtitatis eſſe ligatam,& iuſſum ſibi eſſe à confeſſario,vt à nuptus abſtineat,donec voti diſpenſatio impetretur à Papâ (tacere enim debet votum fuiſſe ad tempus, ne Epiſcopi diſpenſatio teneatur) & dum pro illâ diſpenſatione obtinendâ Romam emittitur, poteſt occultè diſpenſatio veri impedimenti obtineri. Quod medium mihi videtur poſſe optimè reduci ad praxim. Quòd ſi id non ſufficiat, vel non poſſit fieri, occurrit mihi aliud, quod fortè executioni mandari poterit, & ſine vllâ publicitate, ac maiori ſecreto,vt nimirum fœmina oppreſſa timore, ac graui metu ſui periculi proprij nimirum honoris, vel vitæ, contrahat matrimonium cum illo impedimento dirimente, ſine vllo tamen animo conſummandi illud, donec obtineat diſpenſationem. Suppono impedimentum eſſe ſolo iure humano introductum, nam de impedimento iure naturæ dirimente non eſt quæſtio, nec caſus procedit, quia hoc indiſpenſabile eſt etiam ab ipſo Papa, vt vidimus ſuprà *ſect.* 2. Quando autem eſt impedimentum dirimens iure Eccleſiaſtico,quod diſpenſabile eſt;illud fieri poteſt licitè ſine culpa mortali,& etiam ſub veniali,ſi deſit fictio, vt oſtendi ſuprà *diſp. decima ſeptima ſect* 12. *& diſp.* 12. *ſect.* 5. *dicto primo.* Quare cõcludendum eſt, ſi prædicta media,& alia,ſi quæ ſint, prudentis arbitrio, attentis circumſtantiis, non ſufficiant vt fœmina illa euadere poſſit incolumis, poſſe in eo euentu Epiſcopum diſpenſare ante contractum matrimonium.

Duæ tamen ſuper ſunt difficultates explicandæ.

14 *Prima* eſt, num poſſit Epiſcopus virtute decreti Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *de matrimonio c.* 5. diſpenſare cum habentibus dirimens impedimentum, quando bona fide,ac præmiſſis denuntiationibus contraxere vt denuo illud ineant. Nam ibi Tridentinum concedit poſſe diſpenſari,nec explicat à quo, atque ideo poteſt ad Epiſcopum extendi.

Certum tamen mihi videtur,non poſſe. Ratio eſt manifeſta, quia ex toto illo capite euidenter colligitur totum illud decretum cum Papa loqui,proponendo illi expedire, vt nunquam diſpenſet cum iis qui mala fide ſimilia iniere matrimonia,ſecus quando bona fide. Et patet ex vniuerſali conſuetudine, & praxi Eccleſiæ.

15 *Altera difficultas* eſt, an poſſit Epiſcopus diſpenſare in impedimento dirimenti, quando eſt obtenta diſpenſatio in illo, ſed ſurreptitia? Ratio dubitandi ſumitur ex *cap. quia circa, de conſanguinitate*, vbi conſultus Innocentius Tertius de quibuſdam qui ſurreptitia diſpenſatione matrimonium contraxerunt, ſic reſpondet. Diſſimulare poteris,vt remaneant in copula ſic contracta, cum ex ſeparatione graue videas ſcandalum imminere: vnde videtur Epiſcopo conceſſa diſpenſandi facultas.

Breuiter reſpondeo, non eſſe talem facultatem Epiſcopo conceſſam. Quia textus ſolum habet, Epiſcopum diſſimulare poſſe, vt remaneant illi in matrimonio mediante diſpenſatione ſurreptitia contracto, ſi ex ſeparatione graue immineat ſcandalum. Nam coniuges bona fide exiſtimabant ſe legitimè coniugatos eſſe, & ex veritatis detectione timebatur graue ſcandalum, quapropter Papa tacendum, & diſſimulandum eſſe dicit, illoſque in matrimonio putatiuo, & inuincibili ignorantia excuſato, permittendos eſſe.

Sectio VII.

An alij, præter Epiſcopos, poſſint diſpenſare in impedimentis matrimonij dirimentibus.

Prima difficultas eſt, de Legato Pontificis à latere, an illi integrum ſit in his impedimentis diſpenſare? Reſpondeo non poſſe ordinariè. Ratio eſt, quia, vt cõſtat ex communi doctrina,Legatus etiam à latere circa diſpenſationes ea poteſt ſolum in prouincia ſibi commiſſa, quæ poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi: atque ideo non poterit ordinariè, ſicut nec Epiſcopus. Cùm enim impedimenta matrimonij procedant à iure ſuperioris Pontificis, in quo tanquam in lege ſuperioris nequeunt inferiores ordinariè diſpenſare, Legatus qui inferior eſt, nec generaliter, nec ſpecialiter diſpenſare valet. Dixi *ordinariè*: nam poſſet diſpenſare in ſpeciali caſu, quando cauſa vrgeret, nec eſſet recurſus ad Papam,& impedimentum eſt occultum: ſicut in ſimili caſu dixi præcedenti ſectione id poſſe Epiſcopum. Cùm eadem poteſtas circa hæc ſit legalis, & Epiſcopis conceſſa,atque adeò eadem conditiones ſunt neceſſariæ. 1

Quæres, an in ſpeciali caſu, in quo dubitatur, an res egeat diſpenſatione, poſſit Legatus,vel etiam Epiſcopus diſpenſare. Placet mihi reſolutio Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 6. *n.* 18. ſi omnino res ſit dubia, an ſit impedimentum, nulla opus eſſe diſpenſatione; quia in hoc dubio præſumptio eſt pro libertate ad contrahẽdum. Vnde poſſet tunc Epiſcopus ad tollendum ſcandalum declarare non eſſe opus diſpenſatione. Quòd ſi poſtea inito matrimonio conſtaret impedimentum dirimens, diſpenſatio à Papa impetranda eſſet: quia nec Epiſcopus, nec Legatus poteſt ordinariè diſpenſare in hoc dubio in impedimentis dirimentibus, ſed ſolum adhibere prudentialem quandam declarationem, quam etiam vir doctus poſſet facere. Quòd ſi res non ſit omnino dubia, quia præſumptio vrget, pro impedimento eſt neceſſaria diſpenſatio, nec poteſt ordinariè Epiſcopus, nec Legatus eam concedere. Vt ſi quis cum fœmina coeat, & dubitet,an ſemen inciderit intra vas, quia vel dubitat an ſeminauerit, vel eſto ſeminauerit, an intra, vel extra, atque ideo contraxerit affinitatem cum ſorore illius, in hoc dubio non poterit ſororem illam ex Epiſcopi, vel Legati diſpenſatione ducere. Ratio eſt,quia cum in hoc dubio præponderet præſumptio ex communiter accidentibus orta, nempè quando eſt coitus cum fœmina intra vas, eſſe quoque intra ſeminationem, cenſendus eſt ille coïens laborare impedimento dirimente. Quamuis enim certum ſit ex ſola vaſis fœminei penetratione,non emiſſo intra virili ſemine non oriri affinitatem, quia hæc oritur ex copula, qua fiunt vir & fœmina vna caro,& ſic non fiunt niſi per copulam perfectam,& ſufficientem ad prolis generationem, qualis eſt ſola illa, in qua virile ſemen intra vas fœmineum recipitur; quia tamen ex ea copula ſatis præſumitur ſeminis effuſio, 2

non haberetur fides niſi in ſolo conſcientiæ foro, copulam habentibus, & ſeminis effuſionem negantibus.

3 *Secunda difficultas* eſt, an Vicarius generalis Epiſcopi poſſit in prædictis impedimentis diſpenſare? Reſpondeo cum omnium ſententia, non poſſe: quia ex generali commiſſione vicariatus non habet poteſtatem diſpenſandi, niſi ſibi committatur. Ratio eſt, quia diſpenſatio habetur inſtar reſtitutionis in integrum, quæ in generali mandato non continetur *l. illud ff. de minoribus*; ergo non poteſt Vicarius Epiſcopi diſpenſare in impedimentis abſque ſpeciali commiſſione. Ita Enriquez *lib. 12. de matrimonio cap. 5. numer. 2.* Poteſt autem Epiſcopus in impedimento dirimente matrimonium occulto & reliquis caſibus, qui ratione neceſſitatis vrgentis ſibi competunt, poteſt, inquam, hæc omnia generaliter delegare ſuo Vicario generali, vel alij. Quia eſt in Epiſcopo iuriſdictio ordinaria, perpetuò ſuæ dignitati, vel Officio annexa, nec in eo eligitur induſtria perſonæ, quia, vt optimè notant Iuriſperiti, quoties aliquid conceditur Prælatis præſentibus, & futuris in perpetuum, non poteſt dici electam eſſe induſtriam perſonæ, cum perſonæ incognitæ delegetur. Cùm ergo prædicta diſpenſandi poteſtas ſit ordinaria in Epiſcopo, poterit generaliter delegari, more cuiuſlibet ordinariæ poteſtatis. Videatur de hac re Sanchez *lib 2. de matrimonio diſput.* 40. *numer.* 14. *& ſequentibus.*

Obiicies ex Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformatione*, vbi concedit Epiſcopis caſus Pontifici occultos, & explicat, per ſe, vel per Vicarium; ergo clarè denotat non poſſe Epiſcopos delegare, vbi non committitur Epiſcopis delegandi poteſtas. Reſpondeo, Concilium ſolum velle Vicarium Epiſcopi non habere ex generali commiſſione vicariatus, prædictos caſus, niſi ſibi ſpecialiter committantur, non verò intendere Epiſcopo negare poteſtatem generaliter delegandi.

4 *Tertia difficultas* eſt, de Commiſſario Bullæ Cruciatæ, in quibus impedimentis matrimonij poſſit diſpenſare.

Dico *primò* poſſe Commiſſarium pro foro conſcientiæ diſpenſare cum his, qui bona fide ſaltem alterius inualidè contraxerunt ob affinitatem occultam ortam ex fornicatione in primo, vel ſecundo gradu, vt iterum validè contrahant. Ita conſtat ex tenore Bullæ Cruciatæ.

5 Circa quam conceſſionem Pontificiam, ſex ſunt obſeruanda.

Primum eſt, id Commiſſarium poſſe, quamuis Pontifex ſit præſens. Quia hoc illi conceditur abſque vlla limitatione, abſolutè, & non ratione vrgentis neceſſitatis. Non enim id in eius conceſſione adhibetur.

6 *Secundum* eſt, eam poteſtatem non conuenire pro omnibus impedimentis matrimonij, ſed tantùm pro impedimentis affinitatis, ex copula fornicaria in primo, vel ſecundo gradu; neque conuenire, niſi contracto matrimonio bona fide ſaltem alterius, non tantum ſeruata forma ſubſtantiali matrimonij, nempe, vt id contractum ſit coram Parocho & teſtibus, ſed etiam præmiſſis denuntiationibus. Si enim illæ culpabiliter eſſent omiſſæ, nequiret Commiſſarius diſpenſare, ſicut neque Epiſcopus etiam vrgente neceſſitate: vt cum multis docet Sanchez *lib. 2. de matrimonio diſput.* 40. *numer.* 4. Et probat ex verbis Tridentini *ſeſſ.* 24. *de matrimonio cap.* 5. ſic dicentis. Si quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat: idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quòd ſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubiiciatur pœnis. Non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facile experiatur, cuius ſalubria præcepta temerè contempſerit. Ex quibus verbis firmatur optima ratio: nam Tridentinum manifeſtè exponit, mentem Pontificis non eſſe iniquitati fauere, & peruerſæ contrahentium audaciæ, & vt illa ſit facilioris diſpenſationis occaſio; ne quotidie ea ſpe celebrarentur matrimonia contemptis impedimentis dirimentibus; atque ideo contrahentes mala fide ſpe diſpenſationis conſequendæ perpetuò carere debere ſtatuit: & conſequenter neque Epiſcopus, neque Commiſſarius poterit in eo caſu diſpēſare. Idem dic, quamuis ignoranter contractum ſit matrimonium, ſi ſolemnitates denuntiationum requiſitæ in matrimonio fuerint neglectæ, quia idem in hoc caſu decernit ibi Tridentinum. Tunc verò eſt mala fides contrahentium, quando non ſolùm ſciunt, v. g. contraxiſſe poſt commiſſum peccatum cum conſanguinea vxoris, ſed etiam cognitione practica ſciunt id eſſe impedimentum dirimens matrimonium, & nihilominus contrahere præſumpſerunt: hoc totum conſtituit malam fidem. Quare ſcientia qua coniux ſcit ſe peccaſſe cum conſanguinea vxoris, non conſtituit in mala fide, niſi adſit altera cognitio qua norit eſſe impedimentum dirimens matrimonium.

Tertium eſt cùm dicitur Commiſſarium poſſe diſpenſare in primo gradu affinitatis, hunc primum gradum in quo poteſt diſpenſare, intelligi, ſiue ſit in linea tranſuerſa, ſiue in recta. Quia conceſſio ei facta eſt abſque diſtinctione. Et vterque gradus eſt ſolo iure Pontificio inductus. 7

Quartum eſt, ex ſententia Sanchez, prædictam poteſtatem ſolum eſſe conceſſam Commiſſario non aliter, niſi detecta prius alteri coniugi nullitate matrimonij. Quare ſi ea non detecta expediret celebrari matrimonium, vrgente neceſſitate, ceſſaret facultas Commiſſarij, & locum haberet iuriſdictio Epiſcopi, & ad hunc eſſet recurrendum. Cæterùm placet magis oppoſitum cum Baſilio Ponce *lib.* 8. *cap.* 13. *numer.* 8. exiſtimo enim clauſulam illam non apponi in eo priuilegio tanquam quid peculiare, ſed quia ex natura rei neceſſarium eſt coniuges admoneri de priori nullitate; aliàs per ſe & ordinariè loquendo, nihil efficerent, tametſi ſæpè conſenſum renouent. 8

Quintum eſt, hanc facultatem diſpenſandi conceſſam eſſe Commiſſario, ſicut & Epiſcopo, pro ſolo conſcientiæ foro; ac proinde neutram eſſe faciendam publicè cum Notario, & teſtibus, nec explicari debere nomina eorum cum quibus diſpenſatur, ne impedimentum fiat publicum. Vnde tacitis eorum nominibus debent expediri literæ, vt expediuntur literæ in ſacra Pœnitentiaria pro cōſcientiæ foro conceſſæ, vel abſque literis debet intimari diſpenſatio confeſſario, vel partibus ea indigentibus. Ex quo etiam fit, vt impedimentum, in quo diſpenſatur, debeat eſſe occultum. Quando autem dicatur occultum, prout diſtinguitur contra publicum, dicetur infrà *diſput.* 48. *ſect.* 6. *numer.* 7. vbi explicabitur clauſula illa quæ habetur in diſpenſationibus ad ineundum matrimonium, vel inſtaurandum inualidè initum cum impedimento occulto, quæ ſic ſe habet. Dummodo impedimentum inde proueniens occultum ſit. 9

Sextum denique eſt facultatem dictam Commiſſarij ad diſpenſandum, eſſe quodammodo ampliorem ea, quæ conceditur Epiſcopis, ratione vrgentis neceſſitatis, & quodammodo ſtrictiorem: eſt enim amplior, quia Epiſcopus nequit diſpenſare, quoties eſt 10

recurſus

Digitized by Google

recurſus ad Papam, vel ad alium habentem ab eo diſpenſandi facultatem, vt dixi ſuprà *ſect.6. num.10.* At Commiſſarius, vt dixi, poteſt, etiamſi Papa præſens eſſet. Præterea eſt amplior Commiſſarij poteſtas, quia illi conceditur facultas legitimandi prolem, quoad omnes Ordines & beneficia quæuis, vt ſtatim dicam. At Epiſcopus tantùm poteſt diſpenſare ad Ordines minores, & ad quædam beneficia ſimplicia. Eſt verò ſtrictior Commiſſarij facultas, quia ſolùm poteſt diſpenſare in ſolo impedimento affinitatis ex copula fornicaria, & nunquam ante matrimonium initum. At Epiſcopus poteſt in omnibus impedimentis iure Pontificio dirimentibus, & aliquando ante contractum matrimonium, vt dixi *ſect. 6.* Vnde quoad hoc amplior eſt facultas diſpenſandi in Epiſcopo.

11 Dico *ſecundò*, poſſe Commiſſarium Bullæ Cruciatæ pro ſolo conſcientiæ foro diſpenſare legitimando prolem ſuſceptam ex matrimonio prædicto ad omnes Ordines, & beneficia, ſed non in radice matrimonij, neque in Ordine ad bona temporalia. Hoc etiam videtur certum. *Prima pars* legitimationis intelligenda eſt, quando proles concepta eſt, ac ſuſcepta poſt cognitam nullitatem matrimonij ab vtroque parente. Patet, quia antea ſuſcepta bona fide, legitima proles eſt. Conſtat enim ex *cap. cùm inter, & cap. ex tenore, qui filij ſint legitimi*, filios ex tali matrimonio genitos, quamdiu ſaltem alter parentum manet in bona fide, eſſe legitimos, neque diſpenſatione indigere. Attamen ſi poſtquam vterque contrahens nouit impedimentum, concepta, & nata ſit proles, ante matrimonij diſpenſationem, cùm tunc proles ſit illegitima & diſpenſatione indigens, poteſt eam legitimare Commiſſarius pro foro conſcientiæ ſolo. Vnde in hoc euentu prædictum Commiſſarij priuilegium operatur, quia iam impletur conditio petita, eo quòd verè initum ſit matrimonium cum bona alterius fide: ea enim adetat tempore cōtractus, quod re-uera ſufficit. *Secunda pars*, quòd poſſit prædictā prolē legitimare quoad omnes Ordines, & beneficia quæuis, ideò conſtat; quia abſolutè conceditur dicto Commiſſario poteſtas legitimandi. Quod verò non extendatur ad bona temporalia virtute illius legitimationis factæ à Commiſſario, liquet. Tum quia eàm diſpenſatio ſit ſtricti iuris, non de omni legitimatione intelligenda eſt, ſed de ea quæ iure proprio conuenit Papæ, vt Papa eſt. At Papæ id conuenire nequit extra loca temporalia ſuæ iuriſdictioni ſubiecta: quia ſicut Princeps ſecularis nequit legitimare quoad Eccleſiaſtica; caret enim iuriſdictione Eccleſiaſtica, cuius id eſt; ſic nec Pontifex extra ea loca poteſt quoad temporalia, cùm etiam vacet iuriſdictione temporali, cui id incumbit. Tum etiam, quia hæc diſpenſatio non eſt in matrimonij radice, circa quam nequit Pontifex diſpenſare, vt cōſtat ex *ſect.5.* At quando diſpenſatio non eſt in matrimonij radice, non trahitur ad bona temporalia. Nihilominus tamen prædicta proles ſuccedet etiam in bona temporalia, alio nomine & titulo, nempe quia eſt verè legitima; nam habita eſt ex matrimonio, quamuis irrito, adfuit bona fides in altero parente. Nam in hoc ſolo caſu, vt dixi, conceditur Commiſſario facultas diſpenſandi. Vnde in hoc caſu erit proles legitima quoad vtrumque forum, & in omnibus, vt liquet ex iure, præſertim ex *cap. cùm inter, qui filij ſint legitimi.*

12 Quæres, an caſu quo proles fuit verè illegitima, quia habita iam concepta mala fide in vtroque parente conſcio nullitatis illius matrimonij, poſſit à Commiſſario fieri legitima iuxta facultatem ei conceſſam, non diſpenſando tamen vt validè contrahatur matrimonium, vel quia iam alter parens obiit, vel quia nolunt de nouo contrahere. Reſpondeo, mihi placere quod docet Sanchez *lib. 8. diſp.6. n.16.* nequaquā poſſe, niſi diſpenſet quoque in matrimonio. Imò licèt in matrimonio diſpenſauerit, ac prolē legitimauerit, ſentio eam legitimationem pendere à matrimonio poſtea ineundo, atque adeo vim non habituram, niſi poſtea denuo ineatur. Rationem aſſignat Sanchez, quia tametſi diſtinctæ ſint facultates diſpenſandi in matrimonio, & in illegitimatione prolis; conceſſit tamen Papa hanc ſecundam gratiam acceſſoriè, legitimè contrahendis nuptiis inter prolis illius parentes, in ipſius matrimonij fauorem: ergo non poterit talem gratiam præſtare Commiſſarius, non diſpenſando in matrimonio; vel diſpenſando, ſi tale matrimonium poſtea non ſubſequatur. Addit idem Sanchez, ſi Epiſcopus diſpenſaret in eo matrimonio, caſu quo poteſt, vel alius Commiſſarius Cruciatæ, nec tamen prolem legitimaſſet, poſſet ſubſequens Commiſſarius vti hac poteſtate prolis legitimandæ, ſubſecuto inter illos parentes vero matrimonio: quia cùm ſit diuerſa poteſtas à diſpenſatione in matrimonij impedimento, poteſt per diuerſos exerceri, dummodo tale matrimonium ineatur, in cuius fauorem ea conceſſio facta fuit.

Quarta difficultas eſt, an aliqui Religioſi, præſertim mendicantes habeant priuilegium diſpenſandi in aliquo impedimento. 13

Affirmant nonulli habere priuilegium à Leone X. conceſſum ad diſpenſandum cum illis qui ſcienter, vel ignoranter contraxere matrimonium cum impedimento affinitatis occulto, nec deducto in iudicium.

Cæterùm id negandum eſt cum Manuele Rodriquez *3.tom. 9. regul.q.1.a.2.* Henriquez *lib.12. de matr. c.3.n.3.* & omnibus communiter. *Primò*, quia tale priuilegium non extat, & nullo modo eſt in vſu. *Secundò*, fortè in aliquo ſpeciali caſu fuit conceſſum pro vnico ſolo actu. *Tertiò*, quod firmius eſt, dari quidem priuilegium à Pio V. conceſſum Franciſcanis de Obſeruantia, quo etiam gaudent Patres Societatis Ieſu, vt ex commiſſione Prouincialis diſpenſare queant in foro conſcientiæ ad petendum debitum cum iis, qui conſanguineum, vel conſanguineam ſui coniugis poſt matrimonium carnaliter cognouerunt. At eiuſmodi priuilegium non poteſt extendi ad diſpenſandum in matrimonio ipſo contracto cum impedimento affinitatis. Quæ eſt res valde diuerſa. Vnde ad Epiſcopum ſi vrgeat neceſſitas, ad id recurrendū eſt.

Eſt verò notandum circa priuilegium quod dicitur habere mendicantes, vt diſpenſare poſſint cum infidelibus ad fidem conuerſis, qui in locis remotiſſimis exiſtunt, & tempore infidelitatis contraxere matrimonium in gradibus ſolo iure humano prohibitis, vt in eo permanere valeant, fuiſſe ad maiorem ſuperabundantiam conceſſum, quia conſtat ex *cap. gaudemus, de diuortiis*, nullam diſpenſationem neceſſariam eſſe; quia matrimonium tempore infidelitatis contra ſolas leges Pontificias validum eſt, vt dixi ſuprà *diſp.21. ſect.5. num.1. & 2.*

Vltima difficultas eſt, an Princeps ſecularis infidelis ſupremus poſſit cum ſuis ſubditis & cum ſeipſo diſpenſare in impedimentis dirimentibus. 14

Dico *primò* certum videri poſſe diſpenſare cum ſuis ſubditis infidelibus. Patet, quia poteſt ipſe Princeps ſtatuere impedimenta matrimonij prout eſt contractus ciuilis, vt dixi ſuprà *diſp. 21. ſect.5.n.1.* ergo & poterit in illis diſpenſare.

Dico *ſecundò*, poſſe Principem infidelem ſecum diſpen-

diſpenſare quoad ipſa impedimenta ab eo, vel à prædeceſſore ſuo ſtatuta, ſicut poteſt cum ſuis ſubditis. Hoc videtur etiam certum apud omnes, & paret, quia talia impedimenta quæ ſunt quaſi leges humanæ, ac ciuiles, principaliter, ac per ſe pendent à Principe ſupremo; ergo diſtributio obligationis earum, vt ſic dicam, ab eadem voluntate, & poteſtate pendent; ergo non minus poteſt diſpenſare ſecum, quàm cũ alijs. Probatur conſequentia, quia per ſe loquendo, eius eſt ſoluere, cuius fuit ligare, & res per eaſdem cauſas tolli poteſt, per quas fuit conſtituta, niſi aliud obſtet. Dices hîc obſtare identitatem perſonæ diſpenſantis, & diſpenſatæ: nam diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis, iuriſdictio autem tantùm exercetur circa ſubditos. *c. cum inferior, de maiorit. & obedient.* quia nulla poteſtas agit extra ſphæram ſuæ actiuitatis; ergo ſola perſona ſubdita eſt capax diſpenſationis: nemo enim videtur in ſe ipſum iuriſdictionem poſſe exercere, & ſibi ipſi ſubijci. Sed contrà eſt, quia iuriſdictio quæ requirit diſtinctionem perſonarum, eſt iuriſdictio coactiua; nemo enim à ſe ipſo cogi poteſt. Item eſt iuridictio contentioſa, quæ inter partes fieri debet. Item eſt iuriſdictio in actu ſententiæ; nemo enim ſe ipſum ſententiare, condemnare, vel abſoluere in aliqua cauſa poteſt. At iuriſdictio, quæ in diſpenſatione exercetur, neque eſt contentioſa, neque condemnatiua, aut abſolutiua, ſed omnino voluntaria. Igitur non repugnat ex natura rei vt in ſe ipſum quis illam exerceat. Quare ſicut ſupremus Princeps poteſt diſtribuere bona communia inter membra communitatis, comprehendendo etiam ſe ipſum, & ita ipſe imponit tributa ſibi ſoluenda, prout ratio iuſtitiæ exigit; ita cum diſpenſatio in lege ſit quaſi commune bonum diſtribuendum, & applicandum membris prout expedierit, non minus poteſt Princeps hoc facere circa ſe ipſum, quàm circa alias.

16 Dico *tertiò*, talem diſpenſationem Principis ſibi factam ſine legitima cauſa, fore nullam. Ita communiter Doctores qui affirmant Principem ſua lege propriè & directè non ligari, ſed ligari lege naturali dictante, vt ſe conformet communitati, de qua re plura ſequenti diſputatione, *ſect. 3.*

DISPVTATIO XLV.

De cauſis requiſitis ad diſpenſationẽ.

EXplicatis iam perſonis habentibus diſpenſandi poteſtatem in impedimentis matrimonij; iam cauſas neceſſariò requiſitas ad diſpenſandum, tam in genere, quàm in ſpecie exponendas ſuſcipimus in hac præſenti diſputatione. In qua agemus tam de cauſa quæ requiri poteſt vt licitè & abſque peccato diſpenſatio concedatur, quàm etiam de cauſa requiſita, vt validè concedatur

Sectio I.

An cauſa requiratur pro diſpenſatione legis ſuperioris vt valida ſit.

1 CIrca validitatem diſpenſationis, dico *primò* certum eſſe apud Theologos cum D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 12. & Canoniſtas cum Gloſſa *cap. non eſt, verſ. adimplere, de voto*, in lege diuina & naturali quamlibet diſpenſationem factam ab humano legiſlatore ſine cauſa vlla, inualidam eſſe. Ratio eſt, quia inferior diſpenſans in lege ſuperioris, non poteſt validè diſpẽſare ſine cauſa, & pro libito, vt ſuppono ex dictis à nobis in materia *de legibus*, cum omnium doctrina. Tum, quia præiudicat iuri ſuperioris. Tum, quia voluntas inferioris non eſt per ſe efficax ad mutandam voluntatem ſuperioris ſolo ſuo arbitrio: non enim eſt efficax voluntas ſuperioris ad tollendum effectum per ſuperiorem voluntatem conſtitutum; niſi quatenus ab ipſo ſuperiore eſt conceſſum: non eſt autem veriſimile eſſe conceſſum, vt hoc poſſit inferior ſine cauſa; & ideo tunc inferior excedit formam mandati, & operatur ſine poteſtate, & ideo actum nullum facit.

Dico *ſecundò*, diſpenſationem inferioris in lege ſuperioris inualidam eſſe, ſi facta ſit abſque cauſa legitima. Ita communis ſententia. Et ratio eſt, quia non cenſetur ſuperior poteſtatem concedere, niſi pro diſpenſatione rationabili: ergo inferior aliter diſpenſans excedit commiſſionem, & mandatum, & conſequenter nulla eſt eius diſpenſatio. 2

Dico *tertiò*, diſpenſationem validam eſſe quoque, ſi inferior Prælatus bona fide procedat, ac prudenter iudicet cauſam eſſe iuſtam ac legitimam, licet verè non fuerit cauſa ſufficiens. Ita Sanchez *lib. 8. diſp. 17. n. 8.* Azor *lib. 7. inſtit. moralium cap. 29. quæſt. 6.* vbi ſic ait. Si Prælatus aliquis bona fide lege ieiunij aliquem liberet, putans cauſam eſſe iuſtam, relaxatio prodeſt. Conſentit etiam Ioannes Sanchez *in ſelect. diſp. 54. n. 39.* Moueor ratione morali ſatis efficaci, quia non eſt credendum aliam eſſe Pontificis mentem circa ſuas leges, & Dei circa ſuas, in quibus permittitur inferiori diſpenſare. Id enim recta Eccleſiæ poſtulat gubernatio, quo ſcropulis obuietur, & conſcientiæ ſecuræ reddantur, & geſta à Prælatis firma permaneant. Quæ omnia rectæ Eccleſiæ gubernationi conducunt. Firmo, quia opinio probabilis eſt, quæ firma ratione fulcitur, neque contra ſe habet rationem conuincentem; ſi enim illam haberet, iam non eſſet opinio, ſed error. ex alio capite in negotiis & cauſis non ſemper habemus euidentiam rerum, vnde ſæpe neceſſe eſt vti rationibus probabilibus, & ſecundum illas probabiliter opinari; ergo & hoc modo debemus iudicare de cauſis neceſſariis ad diſpenſationes. Neque enim in eis dignoſcendis credendum eſt velle Deum, vel Papam obligare inferiores Prælatos vt plus quàm humano modo, & more habeant ſemper euidentiam cauſæ ſufficientis ad diſpenſandum; ſufficiet igitur probabilis ac prudentialis illius cognitio. 3

Contrarium defendit Baſilius Ponce *lib. 8. c. 14. n. 8.* & Caſtro Palao *part. 1. tract. 3. diſp. 6. puncto 8. §. 2. n. 5.* Tum, quia ad rectam gubernationem Eccleſiæ non pertinet firmare diſpenſationes ſine cauſa, ſed illas excuſare: aliàs pertineret etiam ad rectam gubernationem, vt quoties diſpenſandi putarent bona fide nullam ſibi diſpenſationem eſſe neceſſariam, validos actus efficerent, nulla adhibita diſpenſatione, & ſic contrahentes bona fide in gradibus prohibitis validè contraherent. Tum quia allegantes ſuperiorem abſque legitima cauſa diſpenſaſſe, audiuntur, etiamſi ſuperior bona fide proceſſerit; ergo ſignum eſt bonam fidem diſpenſantis non firmare diſpenſationem. 4

Verùm hæ rationes non vincunt. Non *prima*, quia manifeſtum videtur ſpectare ad Eccleſiæ gubernationem firmari diſpenſationes factas bona fide, & prudenti ratione, vt dixi; & ſimiliter ad conuenientem fidelium conſolationem pertinere, vt ſcrupuli è medio tollantur, & conſcientiæ ſecuræ reddantur,

vt

vt quoties diſpenſandi putent bona fide & prudenti ratione probabili nullam ſibi diſpenſationem neceſſariam eſſe, validos actus efficiant, & validè contrahāt; alter enim quamplurima inconuenientia reſultarent. Non *ſecunda*, quia allegantes ſuperiorem abſque legitima cauſa diſpenſaſſe, ideo audiuntur, quia dubitatur practicè an ſit ſufficiens & rationabilis cauſa. At ſi conſtaret cauſam eſſe verè probabilem, quis negaret eſſe legitimam, tametſi reipſa eſſet inſufficiens. Adde ſæpè peti & impetrari diſpenſationes, non ob præciſam neceſſitatem, ſed ad maiorem ſolum ſuperabundantiam. Ex dictis

5 Colligo *primò*, diſpenſationem voti ſine cauſa legitima eſſe nullam, & obligationem non auferre. Patet, quia in tali diſpenſatione Papa non mutat aliquid quod ſua voluntate ſit conſtitutum, vt per ſolam ſuā voluntatem tanquam per principalem cauſam poſſit validè talem mutationem facere; diſpenſat ergo cedendo iuri ipſius Dei ex commiſſione ipſius Dei, & ideo non diſpenſat vt dominus, ſed vt miniſter, qui non poteſt excedere commiſſionem ſuam. Si ergo remittat ſine cauſa, nihil facit; tum quia operatur vt dominus, tum quia excedit commiſſionem, quia non agit vt fidelis diſpenſator, ſed vt diſſipator. Sicut inter homines procurator, vel OEconomus remittēs debita domini ſola voluntate, nihil facit; & mandatarius excedens finem mandati, non operatur validè.

6 Colligo *ſecundò*, idem à fortiori eſſe dicendum de Epiſcopis, qui neque in votis, neque in legibus Papæ diſpenſare poſſunt validè ſine cauſa: nam ratio adducta magis in illis conuincit.

7 Colligo *tertiò*, idem dicendum de omnibus diſpenſantibus poteſtate delegata. Quia non poſſunt maiorem poteſtatem accipere à delegante, quàm in ipſo ſit. Si igitur delegans non poteſt diſpenſare ſine cauſa, multo minus delegatus.

8 Colligo *quartò*, ad validitatem diſpenſationis ab inferiori datæ, non requiri neceſſariò vt diſpenſet ſemper cauſa cognita iudicialiter. Explico rem: nam dupliciter poteſt prædicta cauſa cognoſci; *primò* iudicialiter, ſecundùm ordinem iuris de ea inquirendo, & eam probando: *ſecundò* poteſt cognoſci cauſa quacumque via, ac diligentia adhibita, quæ ſufficiens ſit. Dico ergo hanc poſteriorem cognitionem ſufficere in foro conſcientiæ, quia ex natura rei ſufficit, & nullum eſt ius poſitiuum annullans diſpenſationem datam, non ſeruata forma iuridica in cognitione cauſæ. Quod à poſteriori conſtat, quia etiam in diſpenſatione ſupremi Principis requiri ſolet cognitio cauſæ, vt liquet ex Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 8. & tamē eſt certum apud omnes in diſpenſationibus Pontificiis non requiri illam formam cognitionis cauſæ vt validæ ſint. Solùm igitur poteſt illa forma eſſe neceſſaria, vt in foro exteriori cenſeatur valida diſpenſatio, quia vbi non præcedit illa cauſæ cognitio, ſurreptitia præſumitur diſpenſatio, vt idem Tridentinum dixit.

Sectio II.

An diſpenſatio propriæ legis humanæ ſine vlla cauſa, valida ſit.

Circa præſentem ſectionem, difficultas eſt de diſpenſatione Principis in lege ſua, & eadem eſt de quocumque legiſlatore in ſua lege, etiamſi ſupremus ſimpliciter non ſit, quia eandem proportionem ſeruat ad legem ſuam.

Communiſſima eſt Doctorum ſententia, quos refe- 1
runt, & ſequuntur Salas *tract. de legibus diſput.* 20, *ſect.* 4, *numer.* 37 Sanchez *lib.* 8. *diſput.* 17. *numer.* 24. Caſtra Palao *diſput.* 6. *puncto* 8. *numer* 1. Baſilius Ponce *lib.* 8. *cap.* 14. *numer.* 7. & aliorum, nullam cauſam requiri, vt validè legiſlator in propria lege diſpenſet. Ratio eſt, quia voluntate Principis lex conſtituitur, & ex illa integrè pendet eius obligatio: ergo ſi Princeps velit ab obligatione eximere aliquos, aliis obligatis manentibus, exempti erunt ab obligatione. Quæ ratio æquè probat non ſolùm de ſupremo legiſlatore, ſed etiam de quolibet alio inferiore reſpectu propriarum legum.

Cæterùm Vaſquez *tom.* 2. *in* 1. 2. *diſput.* 178. *cap.* 2
4. videtur cum nonnullis iuris Interpretibus inclinare in oppoſitam ſententiam, eorum rationes firmando, tametſi in fine dicti capitis quarti dicat, in eo quod aſſerit ea ſententia diſpenſationem legis ſine cauſa inualidam eſſe, ne communi Theologorum opinioni videatur aduerſari, præiudicare nolle, ſed iudicium de eius probabilitate aliis integrum relinquere. Probari verò illa poteſt,

Primò, quia prædicta lex eſt communis reſpiciens totam communitatem; ergo inhoneſtum eſt ſemper ſine cauſa iuſta aliquod membrum cum reliquo corpore non concordare: ſine cauſa enim nullus excuſatur ab obligatione conformandi ſe ad totum corpus, cuius eſt membrum.

Secundò, quamuis in voluntate legiſlatoris ſit ponere, vel auferre legem; tamen ſi vult per legem obligare totam communitatem, non poteſt etiamſi velit eximere aliquem ab efficacia legis ſine cauſa: quia lex per ſe primò reſpicit communitatem, & ideo quamdiu durat, neceſſariò, & quaſi naturaliter, ſeu ex vi iuris naturę obligat omnes qui ſunt de communitate, & vniformiter participant cauſam, ſeu rationem legis; ergo exemptio ab illa obligatione iam non poteſt effici ſola voluntate, ſed per poteſtatem diſpenſatiuā, quæ reſpicit cauſam: quodammodo enim læditur ius naturale, ſine cauſa diminuendo obligationem legis, perſeuerante lege.

Tertiò, in poteſtate voluntatis eſt habere, vel non habere actum & impedire effectum eius, vt in voluntate mea eſt promittere, vel non promittere, non eſt autē in poteſtate mea promittere, & non me obligare; ergo licèt in poteſtate & voluntate legiſlatoris ſit ponere, vel auferre legem ſuam, non tamen ſi vult totam communitatem obligare, eximere aliquem ab obligatione ſine cauſa.

Quartò, diſpenſatio multum differt ab abrogatione legis: per hanc enim tollitur omnino lex, & ideo licèt irrationabiliter fiat, valet, quia legem eſſe vel non eſſe abſolutè pendet à voluntate legiſlatoris: at per diſpenſationem non tollitur lex, ſed manente lege per talem diſpenſationem fieri tentatur vt obligatio legis non vniformiter deſcendat ad eos, in quibus eadem cauſa & ratio reperitur, quod eſt contra legem naturalem; ergo non ita pendet ex nuda voluntate legiſlatoris, etiam vt factum teneat, ſed oportet, vt inæqualitas, vel diſparitas ſit in cauſa.

Vltimò, iure naturali prohibitum eſt Principi diſ- 3
penſare abſque cauſa, ideo enim ſic diſpenſans peccat; ergo diſpenſat tunc in iure naturali; ergo nulla erit diſpenſatio tanquam abſque cauſa legitima facta.

Adhæreo priori opinioni quæ eſt ferè omnium. Quia tunc legiſlator diſpenſat in re propria tanquam dominus, & in propria voluntate, eam mutans, à qua ſola vim habet lex; ergo ea diſpenſatio tanquam in bonis propriis facta valida eſt abſque cauſa, eſto diſpenſans peccet: ſicut prodigus ſua bona prodigens

verum

Digitized by Google

verum dominium transfert ſicut dominus, eſto prodigendo peccet. Vnde tametſi Papa, cùm diſpenſat in lege diuina ſuperiori egeat legitima cauſa, vt validè diſpenſet, quia ea diſpenſatio procedit à poteſtate clauium, quæ eſt miniſterialis, data Pontifici in ædificationem, & non in deſtructionem. Cæterùm cùm diſpenſat in pura lege humana, diſpenſat in propria lege vt dominus, & ideo licèt delinquat in illius poteſtatis abuſu, factum verò tenet ad ſolius propriæ voluntatis diſſolutionem, qua lex ſtatuta eſt.

Amplius hanc communem ſententiam firmo: nam eſto lex propria legiſlatoris maneat circa communitatem, non ſequitur neceſſariò & quaſi naturaliter obligare omnes, ita vt nequeat ab aliquibus auferri etiam ſi pro communitate permaneat. Quod ſic probo, quia à voluntate legiſlatoris omnino pendet obligatio legis: at voluntas legiſlatoris libera eſt in obligando tam communitatem totam, quàm ſingulos de communitate; ergo ex parte obiecti nō eſt indiuiſibilis, ſed extēſionem habet, ratione cuius poteſt perſeuerare circa communitatem obligando illam, & mutari circa vnum, vel alium de communitate nolendo illum obligare, vt manifeſtè patet in diſpenſatione ex cauſa legitima, quæ habet extenſionem ad communitatem ex parte obiecti, & partialem, vt ſic dicam, diminutionem ex parte voluntatis obligandi: poterit ergo eodem modo mutari, ſeu diminui voluntas legiſlatoris, etiā ſine iuſta cauſa, cum hoc ſolo diſcrimine, quòd mutatio ex iuſta cauſa eſt licita, ſine cauſa tamen erit illicita; quia voluntas ſuperioris diſpenſantis abſoluta eſt & efficax; vult autem tollere obligationem ab eo cū quo diſpenſat, & ideo tollit illam. Neque enim aliquo iure poſitiuo, vel naturali impeditur quo minus legem poſitam auferre poſſit, licèt peccet auferendo. Vnde diſpenſatio Epiſcopi, vel Archiepiſcopi in ſuis legibus ſine cauſa valet, tametſi ſint confirmatæ à Pontifice; niſi Pontifex confirmatione illas leges ſuas efficiat. Nam tunc confirmatio ſolùm eſt approbatiua, non auctoritatiua, qua illas leges Papa ſibi proprias facit.

4 Ex his facile reſpondetur ad argumenta oppoſita.

Ad primum dico eo argumento ſolùm probari diſpenſationem non eſſe licitam, ſed inhoneſtam, ſeu illicitam, non tamen probari eſſe inualidam.

5 Ad ſecundum negatur antecedens, quia, vt dictum eſt, licèt lex maneat circa communitatem, non ideo neceſſe eſt vt maneat circa ſingulos de communitate, etiamſi in omnibus illis eadem ratio reperiatur, quia hoc pendet ex libera voluntate legiſlatoris, ſiue iuſta, ſiue iniuſta. Nec tamen eiuſmodi diſpenſatione læditur ius naturale, niſi quoad honeſtatem, ſed non quoad valorem, & ſubſtantiam irritando actum; tantùm enim cohibet voluntatem legiſlatoris, quia nequit fieri licitè & honeſtè, ſed non aufert poteſtatē.

6 Ad tertium, conceſſo antecedente, negatur conſequentia: nam in ratione intrinſeca promiſſionis includitur neceſſariò ſaltem virtualis intentio ſe obligandi, vt oſtendi ſuprà *diſp.1. ſect.6. n.8.* at quòd ponatur, vel non ponatur lex communitati eſt in poteſtate & voluntate legiſlatoris, à qua ſola pendet eius conſeruatio, & mutatio ſeu diminutio reſpectu huius, vel illius.

7 Ad quartum dico, exemplum illud abrogationis legis eſſe in fauorem noſtræ ſententiæ: nam abrogatio legis vtilis ſine cauſa facta non eſt minus iniuſta & iniqua, imò magis, quàm diſpenſatio iniqua, & illicita, & nihilominus facta tenet, igitur & diſpenſatio. Neque obſtat illa differentia, quia licet facta diſpenſatione maneat lex, non tamen æquè integra ſicut antea, ſed vulnerata.

8 Ad vltimum, conceditur antecedens, & negatur conſequentia: nam lex naturalis ex eo ſolùm quod factum prohibeat, non impedit factum, quoad valorem & ſubſtantiam, ſed quoad honeſtatem; ſolùm enim cohibet voluntatem, ſed non aufert poteſtatem. At ſecus eſt, quando in illa diſpenſatur, quia tunc obligatio legis tollitur. Et lex naturalis ſuaptè natura ſecum affert, vt à nullo diſſolui poſſit niſi iuſta intercedente cauſa: exemplum eſt in diuite prodigo, lex naturalis obligat diuites ad ſuperflua elargiēda pauperibus grauiter egentibus: ſi prædictus diues ea prodigeret, factum tenetet, & ius naturale violaret, ſed non diceretur in eo diſpenſans; quia iuris naturalis obligationem non aufert, ſed violat. At ſi Papæ datum eſſet in eo præcepto diſpenſare, eſſet nulla diſpenſatio abſque iuſta & legitima cauſa conceſſa.

Sectio III.

An Princeps, vel legiſlator poſſit ſecum diſpenſare validè in ſua lege ſine vlla cauſa.

1 Præſens difficultas appendix eſt præcedentis. Circa quam cum multis ſentit noſter Suarez *tract. de legibus lib.6. c.19. n.7.* diſpenſationem, quam ſibi legiſlator concedit in ſua lege ſine cauſa iuſta, nullam eſſe, & nullum effectum in ipſo habere. Probat:

Primò, quia obligatio Principis ad obſeruationem legis ſuæ non eſt à voluntate humana, ſed eſt de iure naturali præcipiente illi vt legem communem obſeruet propter vniformitatem capitis cum corpore. At per diſpenſationem datam ſine cauſa non aufertur obligatio legis naturalis; ergo valida non eſt.

Secundò, diſpenſatio data ab inferiori in lege ſuperioris ſine cauſa non eſt valida, vt conſtat ex *ſectione prima*; ſed quando Princeps ſecum diſpenſat circa obſeruantiam, ſeu executionem ſuæ legis, non diſpenſat reuera in lege ſua, quia non obligatur per illam vt ſua eſt, ſed diſpenſat in ſuperiori lege; ergo niſi id faciat ex iuſta cauſa, non erit valida diſpenſatio.

Tertiò, ſi à principio Princeps legem ferat animo non ſe obligandi ſine cauſa, ſed ſola voluntate, adhuc manet obligatus ex vi legis naturæ; ſi autem ex iuſta cauſa ſe eximeret, valeret exceptio; ergo idem dicendum eſt de diſpenſatione.

2 Baſilius verò Ponce *lib.8. cap.1. n.9.* cenſet oppoſitum, nimirum eam diſpenſationem ſine cauſa validam eſſe, quamuis illicitam; & conſequenter tametſi teneatur Princeps eam diſpenſationem reuocare, dum tamen illam non reuocat, geſta quæcumque ex illa diſpenſatione valere. Probat, quia quòd Princeps teneatur ſua lege, depēdet, vel ſupponit voluntatē ipſius legiſlatoris conſeruantis legē erga ſeipſum, ceſſat etiam naturalis obligatio, ſecundùm quam tenetur conformari populo, non ſecus ac ſi ea lex nunquam lata fuiſſet reſpectu Principis.

3 Dico *primò* communius eſſe ex materia de legibus teneri Principem, ſeu legiſlatorē tam ciuilem, quàm Eccleſiaſticum ad ſeruandas ſuas leges, ſecundùm vim dirigentem, quando materia communis eſt, & eiuſdem rationis in ipſo, & in aliis. Patet, quia hoc petit naturalis æquitas: cùm enim materia eſt communis omnibus, & eiuſdem rationis in Principe & ſubditis, vniformitas in illis legibus eſt neceſſaria ad bonam gubernationem, pacem, imò & ad iuſtitiæ æquitatem, tenetur igitur Princeps toti communitati conformari.

Dico

Digitized by Google

4 Dico ſecundò, quando materia legis cõmunis eſt, & poſtulat conformitatem in capite cum Principe, Principem, ſeu legiſlatorem obligari ad obſeruandam ſuam legem, ex vi legis naturalis præcipientis illi vt obſeruet illud medium virtutis quod ſua lege toti communitati præſcripſit. Ita communiter Theologi. Et manifeſtè probatur, quia, vt conſtat apud omnes, lex poſitiua habet efficaciam conſtituendi materiam ſuam in aliqua ſpecie virtutis, & præſcribendi medium neceſſarium ad honeſtatẽ talis virtutis. Sic, verbi gratia, lex Principis taxans pretium rei, ligat ad illud, & conſtituit illud in ipſa ſpecie virtutis iuſtitia, adeò, vt ſi quis rem carius vendat, peccet contra iuſtitiam; & tenetur ad reſtitutionem ex communi ſententia, quia hoc poſtulat naturalis æquitas. Similiter lex ieiunij poſita à Pontifice, præſcribit medium virtutis temperantiæ neceſſarium ad honeſtatem talis virtutis, ita vt ſi quis eo die non ieiunet, agit contra temperantiam; ergo poſita lege Princeps ideo tenetur eam ſeruare, quia ſeruat medium virtutis, ex lege & æquitate naturali: poſtquam enim illud medium conſtitutum eſt, in illo abſolutè conſiſtit virtus iure naturæ, adeò vt ab illo recedere ſit manifeſte peccatum; ergo proxima ratiò illius obligationis reſpectu Principis naſcitur ex lege ipſa lege naturali, poſita ſua lege humana.

5 Obiicies legem humanam non conſtituere medium virtutis abſolute, & ſimpliciter reſpectu omniũ, ſed reſpectu ſubditorum: at ipſe Princeps ſubditus non eſt. Sed contrà eſt, quia legiſlator obligatur ſua lege ex voluntate & poteſtate Dei, qui eſt Principalis auctor poteſtatis Principis, quam illi confert ſub conditione vt ipſe etiam maneat obligatus legibus à ſe latis; quod totum colligitur ex ipſamet ratione naturali, abſque alia reuelatione, vel pacto humano: nam omnis poteſtas legiſlatiua eſt à Deo principaliter, vel immediate, vt in poteſtate Eccleſiaſtica Papæ, vel mediante Republica, vt in ciuili. Vnde licet Princeps immediate legem ferat, eius intentio, & voluntas ferendi legem, debet conformari intentioni Dei dantis poteſtatem. At Deus vt auctor naturæ vult, legiſlatorem humanum non habere poteſtatem ad ferendas leges, niſi cum vniuerſali obligatione illarum, qua totam Rempublicam vt conſtantem ex corpore, & capite comprehendat. Vnde iure naturali ex ipſa neceſſitate communis boni, ad quod ea poteſtas ordinatur, quæ non datur in deſtructionem, ſed in ædificationem, naſcitur, quòd prædicta poteſtas ita ſit data Principi, vt licèt in voluntate eius ſit legem ferre, ſi tamen feratur, debeat eſſe vniuerſalis ipſum comprehendens. Quare rectè dixit Ariſt. 3. *Politic. c. 7.* legẽ debere in Republica dominari: quia, vt bene explicat D. Thom. dum non occurrit ſufficiens ratio excipiendi aliquid à lege, etiam ipſe Princeps debet illi ſubiici, & ſecundùm illam legem, vel operari, vel iudicare, quia aliàs inutilis redditur lex, & Reſpublica perturbatur. Vnde fit hanc obligationem in Principe eſſe naturalem, quia ſequitur ex ipſa ratione naturali. Nam eadem lege naturali, qua ſubditus debet ſuperiori obedire, ſuperior etiam tanquã caput ad reliquum corpus conformari debet: ſicut enim ius naturæ præcipit vt inferiores ſuperiorum mandatis & præceptis obediant, & ad illa ſe conforment; illis enim non obedite magna eſſet in corpore myſtico Reipublicæ diſſonãtia cũ ſuo capite; eodem modo ratione naturali conſtat principem vita & moribus cum reliquo corpore cõuenire debere: quòd ſi ſuam legem non obſeruaret, ſed alio iure viueret, multũ à reliquo corpore Reipublicæ diſcordaret in detrimentum Reipublicæ, & rectæ gubernationis.

Solùm verò in hoc differt Princeps ab Inferiori, quòd Princeps, vel legiſlator non poteſt obſeruare ſuam legem ex affectu obedientiæ, quia nullũ agnoſcit ſuperiorem, à quo præceptum accipiat, ſed tantùm ex affectu virtutis, in cuius materia collocatur id, quod lege ſtatutum eſt; vt ſi ſit in materia ieiunij, obſeruare poterit legem ex affectu abſtinentiæ, vel temperantiæ, & ſic de aliis. At inferior legem ſibi impoſitam obſeruare poteſt, & ex affectu obedientiæ, quia poteſt reſpicere legem vt traditam à ſuperiore; & ex affectu eius virtutis, quæ lege ipſa præcipitur.

Dico *vltimò*, non poſſe legiſlatorem validè ſecum diſpenſare ſine legitima cauſa in ſua lege ſtatuta pro tota communitate, quando materia legis communis eſt, & conformitatem poſtulat in capite cum corpore, vbi nulla ratio iuſta interuenit exceptionis. Ita ſentio cum Doctoribus primæ ſententiæ, præſertim Suario, cuius argumenta id rectè firmant. Et ratio à priori eſt, quia obligatio legiſlatoris ad opus præceptum per legem ſuam, ſuppoſita voluntate ferendi illã legem, non pendet ex ſpeciali voluntate eiuſdem legiſlatoris, comprehendendi ſe ipſum ſub tali lege; quia neceſſariò obligatur, etiamſi nolit, ex vi legis naturæ præcipientis illi, vt obſeruet illud medium virtutis, quod per legem ſuam ſtatuit pro tota communitate. Vnde legiſlator non obligatur ad ſeruandam ſuã legem directè ex vi ſuæ legis, cum nemo poſſit ſibi imperare; ſed ſuppoſita eius lege communi, ligatur ex vi legis naturalis, qua tenetur ſe conformare cõmunitati. Igitur diſpenſatio qua ſecum diſpenſat, eſt in lege naturali, quia ligatur lege naturali dictante non eſſe excuſandum ab obſeruatione ſuæ legis, cum honeſtam aliquam cauſam excuſationis non habeat. Si ergo ea abſque iuſta & legitima cauſa fiat, nulla erit diſpenſatio. Quare ſi Princeps à principio ferret legẽ, animo obligandi alios, & non ſe ipſum, ea exceptio valida non eſſet, propter rationem dictam. In quo Princeps nõ eſt æquiparandus cum inferiori, vel ſubdito, circa quem validè poteſt ſine cauſa diſpẽſare, nõ verò circa ſe ipſum. Cuius diſparitatis ratio hæc eſt, quia in ſubdito obligatio manat immediatè & per ſe à lege, & voluntate hominis, qui poteſt illam efficaciter mutare etiam ſine cauſa legitima & iuſta. At obligatio Principis non eſt per ſe à lege ſua, vt ſic, ſed poſita tali lege eſt à ratione naturali eiuſque auctore, & ideo niſi Princeps auferat ſuam legem reſpectu communitatis, non poteſt ſola volũtate propria auferre à ſe obligationem, quæ in ipſo naturaliter reſultat, poſita tali lege. Nec mirum ſi in hoc ſit quodammodo durior conditio Principis, quia etiam ſtatus eius requirit altiorem obligationem, cùm non poſſit directè per ſuum ius humanum obligari, & ideo in Principe naturalis obligatio ad vniformitatem ſeruandam in legis executione, ex parte illius immediatè fundatur in dignitate, & officio ſuo; in ſubditis verò fundatur potiùs in obligatione legis poſitiuæ aliquid præcipientis.

Atque hinc patet ſolutio ad argumentum Baſilij: 7
eſt enim negandum Principem vt teneatur ſua lege, dependere, vel ſupponere voluntatem ipſius conſeruantis illam erga ſe ipſum: conſtat enim poſita ſua lege pro tota communitate, teneri ad illius obſeruationem lege naturali; quia expoſitione talis legis humanæ reſultat in illo naturalis obligatio iure naturæ, ſecundum quam tenetur conformari toti communitati. Quare niſi Princeps auferat ſuam legem reſpectu communitatis, nequit ſola ſua propria voluntate auferre à ſeipſo obligationem eam ſeruandi, quæ in ipſo naturali iure reſultat, poſita tali lege.

Digitized by Google

SECTIO IV.

An diſpenſatio in lege humana, deficiente cauſa legitima, ſit culpæ obnoxia, in concedente, petente, acceptante, & ea vtente.

1 CErtum eſt apud Dnctores, diſpenſationem in lege diuina, vel cuiuſcumque ſuperioris, datam ſine cauſa peccatū mortale eſſe, atque adeò illam petentem, & vtentem lethaliter peccare, niſi lenitas materiæ excuſet à tanta culpa. Ratio eſt, quia, vt dixi ſuprà *ſect.*1. *n.*1. & 2. prædicta diſpenſatio irrita eſt; ergo à legis tranſgreſſione non excuſat. Quæſtio igitur ſolum eſt de diſpenſatione in propriis legibus humanis. Circa quam varia ſunt difficultates.

2 *Prima* igitur *difficultas* eſt, an legiſlator in prædicta lege diſpenſans ſine eanſa peccet. Ratio dubitandi eſt, quia obligatio legis humanæ pendet ex voluntate legiſlatoris; ergo ſicut iſte potuit pro libito illam imponere, ita poteſt eam abrogare, vel diſpenſare. Firmatur, quia Deus poteſt pro ſola ſua voluntate à legum obligatione aliquem eximere; ergo etiam legiſlator humanus id ipſum poterit.

3 Communis tamen, & vera cum D. Th. 1. 2. *q.* 97. *a.* 5 affirmat legiſlatorem diſpenſationem ſine iuſta cauſa concedentem, peccatum committere. Et meritò, quia ſi legiſlator, vel Princeps ſine cauſa ab obligatione legis communis eximit Petrum, v.g. facit inæqualitatem, & occaſionem aliis præbet querelas efformandi, cùm videant ſe eſſe ſub onere legis, à qua Petrus ſine ſpeciali cauſa exemptus eſt; ergo id eſt contra rationem, quia Princeps debet eſſe fidelis, & prudens obligationum diſpenſator, vnde non poteſt hanc facere inæqualitatem. Firmo, quia Pontifex, vel etiam Rex, etiam ſi ſit auctor legum, non eſt dominus, ſed diſpenſator earum, neque enim eſt abſolutus dominus communitatis ſibi ſubditæ, ſed paſtor, & rector, & ideo non poteſt leges ponere in ſuam priuatam vtilitatem, ſed pro communi ciuium vtilitate, & ideo vocantur legiſlatores à Paulo miniſtri & diſpenſatores Dei; ergo ipſa legiſlatio eſt quædam fidelis adminiſtratio, ſeu diſtributio obligationis, quæ per legem imponitur, eſt enim in legiſlatore eiuſdē poteſtatis actus diſpēſandi in lege, cuius eſt actus ferendi legem; atque ideò eſt actus non domini abſoluti, ſed adminiſtrationis, & eſt actus diſpenſatoris vt ſic; ergo etiam debet eſſe fidelis & prudens. At diſpenſatio ſine cauſa facta non eſt prudens, quia non eſt cōſentanea rectæ rationi, nec fini poteſtatis à qua procedit; nam quæ prudens eſt per ſe, eſt propter bonum commune, illa autem diſpenſatio eſt tantū propter priuatum commodum, vel affectum; ergo ſic diſpenſans abutitur ſuo munere, & peccat.

Ad rationem dubitandi reſpondeo, eo argumento
4 ſolum probari talem diſpenſationem validam eſſe, non verò eſſe licitā, quia iure naturæ obligatur Princeps bono communi proſpicere, cui non ſatis conſuleret, ſi pro libito ab obligatione legis aliquos eximere vellet. Ad confirmationem diuerſa eſt omnino ratio, tum quia voluntas diuina eſt ſumma regula bonitatis, quæ tamen non eſt humana. Tum etiam, quia legiſlator humanus tenetur tam in legis impoſitione, quàm in illius diſpenſatione bono communi proſpicere, quia eſt diſpenſator bonorum communium; cui tamen bono non tenetur Deus attendere; ſufficit, ſi bono ſpeciali alicuius reſpiciat, quia eſt dominus omnium. Quare legiſlator, vel Princeps humanus, tametſi poſſit tributa ſibi debita debitori remittere abſque vlla alia cauſa, præter eius voluntatem, & vt illi benefaciat; non tamen poteſt à legis obligatione debitorem remittere; quia in remiſſione tributi debiti habet ſe Princeps vt priuata perſona; at in exemptione à lege non priuatam perſonam, ſed communem induit.

Secunda difficultas eſt, quòd peccatum ſit diſpenſationem ſine cauſa concedere, veniale ne, an mortale?

Eſſe ſolum veniale ex genere ſuo, ſi ſecludatur ab extrinſeco ſcandalum, & damnum notabile aliorum, quale eſſet, alios nimis grauari, ex eo quòd quis abſque cauſa liberaretur tributi ſoluendi lege, ſentiunt Sanchez, plures referens *lib.*8. *diſp.*18. *n.* 7. Salas *de legibus diſput.* 20. *ſect.* 5. *num.* 55. Valenz. 1. 2. *diſput.* 7. *q.* 5. *puncto* 9. *ad finem*, Baſilius Ponce *lib.* 8. *cap.* 14. *n.* 4. Caſtro Palao *de diſpenſat. diſput.* 6. *puncto* 8. *num.* 5 & alij. 5

Probant *primò*, quia non videtur grauis deformitas partem toti non ſe conformare, neque eſt res tanti momenti quempiam abſque cauſa à legis obligatione eximi, cùm lex illa à legiſlatoris pendeat voluntate; ergo ſecluſo ſcandalo, & damno notabili aliorum, non eſt graue peccatum ſine cauſa diſpenſationem concedere.

Secundo, malitia huius actus diſpenſandi ſine cauſa in lege, tantùm eſt contra virturem fidelitatis; ergo tantum eſt ex genere ſuo venialis culpa; conſequentia patet, quia fidelitas ex ſuo genere tantum obligat ſub veniali, ſicut & veritas; ergo illa malitia ex ſuo genere tantum eſt venialis.

Suarez verò *lib.*6. *de legibus cap.* 18. *num.* 9. & 10. cum Caiet. Soto, Armilla, Couarruuia & aliis, quos ipſe refert, cenſet in Principe eſſe culpā mortalem ex genere ſuo, diſpenſare in lege ſua, ſine cauſa. Probat. 6

Primo, quia legiſlator ex iuſtitia tenetur non diſpenſare in ſua lege ſine iuſta cauſa, ergo peccat contra iuſtitiam aliter diſpenſando, ergo peccat mortaliter, quia omnium conſenſu violatio cuiuſcumque iuſtitiæ ex ſuo genere mortale peccatum eſt. Antecedens probatur, quia Princeps ex officio tenetur talem diſpenſationem non dare; & obligatio ex officio maximè ſpectat ad iuſtitiam commutatiuam. Præterea ex iuſtitia legali tenetur Princeps nihil agere contra commune bonum; at talis diſpenſatio ex ſe multum nocet communi bono, & eſt illi contraria. Denique prædicta diſpēſatio videtur eſſe propriè ſpecifica malitia contra iuſtitiam diſtributiuam, nam eſt directè acceptio perſonarum, acceptio verò perſonarum opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ. Id autem ex genere ſuo eſt culpa mortalis, maximè quando radicatur in obligatione officij. Quare ſicut eſſet contra iuſtitiam diſtributiuam & de ſe mortale, ſi à principio Princeps ferret legem non ſimpliciter pro tota communitate, ſed excipiendo aliquos ad libitum ſine cauſa, ita ſimiliter ſi poſtea diſpenſet ſine cauſa, quia illud fit virtute per talem diſpenſationem.

Tertiò Tridentinum *ſeſſ.* 25. *c.* 5. *de reformatione*, grauiter prohibet diſpenſationem ſine cauſa datam. Cuius rei rationem reddit in dicta *ſeſſ.* 25. *c.* 18. dicens, diſpenſare ſine cauſa nihil aliud eſſe, quàm vnicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire, quia negari non poteſt inde ſumi occaſionem minoris obſeruantiæ. In hac re

7 Dico *primò*, certum eſſe, in quo conueniunt omnes, ſi adſit ſcandalum, ac notabile aliorum damnum, eſſe culpam mortalē diſpenſare ſine iuſta cauſa. Patet, quia ſi ex conceſſa diſpenſatione ſine cauſa, ipſi

diſpen

diſpenſati ſumerent occaſionem grauem contemnendi legem, tunc certè teneretur Princeps ſub mortali talem negare diſpenſationem. Et idem eſt, ſi graue damnum Eccleſiæ, vel ſubditis ex tali diſpenſatione proueniret, ſi enim, verbi gratia, abſque vlla cauſa diſpenſaretur cum Sacerdote in cœlibatu, vel in recitatione continua horarum, vel in pluralitate beneficiorum, & in aliis ſimilibus, graue damnum Eccleſiæ, & ipſis ſubditis ex tali diſpenſatione ſine dubio proueniret. Atque hoc ſaltem voluit Tridentinum cum grauiter prohibuit diſpenſationes ſine cauſa, quia timuit damna & magna inconuenientia quæ ex eiuſmodi diſpenſationibus ſequi ſolent, & poſſunt. Quare in caſu in quo illa ſequuntur, erit mortale diſpenſationem ſine cauſa concedere.

18 Dico *ſecundò*, non ſolùm ab extrinſeco ratione ſcandali & damni aliorum notabili, ſed ab intrinſeco, & ex genere ſuo, eſſe grauem culpam in Principe diſpenſare ſine cauſa in lege ſua. Ita ſentio cum Suario, cuius ratio prior ſatis efficax eſt, neque eſt contemnenda ratio poſterior. Addo aliam quæ me quoque vincit. Nam illud peccatum eſt mortale ex genere ſuo, quod intra propriam ſpeciem poteſt eſſe mortale ex materiæ grauitate. Sic enim apud omnes furtum ex genere ſuo eſt peccatum mortiferum, quia intra propriam ſpeciem furti infert proximo nocumentum graue, in bonis fortunæ. Vnde per accidens ratione paruitatis materiæ eſt tantum veniale, quia in furto tali non eſt notabilis læſio. At mendacium, præciſè quatenus eſt locutio contra mentem, cum videlicet aliquid loquimur exteriùs, & aliud interiùs ſentimus, ideò per ſe, & ex genere ſuo non eſt peccatum mortale, ſed ſolùm veniale, quia inordinatio illa neminem grauiter lædit, & deceptio proximi, quando nihil intereſt, ſic, an aliter res habeat, eſt parui momenti; quod certè ita habet mendacium, vt intra propriam ſpeciem illius nequeat eſſe mortale ex materiæ grauitate; non enim concipi poteſt intra ſuam ſpecificam rationem formalem læſio, vel deceptio, quæ ex materiæ grauitate cenſeatur magni ponderis, niſi adiungatur illi per accidens aliqua alia inordinatio & turpitudo contra religionem, vt in periurio, vel etiam iniuſtitiæ, vt in mendacio offenſiuo, quæ eſt extra propriam ſpeciem. At in præſenti diſpenſatio in lege communi abſque cauſa ex materiæ grauitate, & multiplicitate ſit culpa mortalis. Quis enim neget eſſe rem grauem diſpenſare in obſeruatione Quadrageſimæ ſine cauſa, vel cum Sacerdote in onere recitandi officium pro libito, vel cum laico in obligatione audiendi ſacrum diebus Dominicis, & Feſtis per annum, ex mera voluntate? Igitur prædicti actus, ſeu diſpenſationes, quæ ſtatim apparent adeo graues ac deformes, culpæ mortales ſunt iudicandæ ex genere ſuo.

9 Dico *tertiò*, fieri poſſe, vt prædicta diſpenſatio abſque cauſa ſit tantùm peccatum veniale ex materiæ paruitate. In hoc conuenio cum Doctoribus primæ ſententiæ; non enim videtur grauis deformitas partem toti communitati non ſe conformare, in re quæ non eſt tanti momenti; nec talis inæqualitas præciſè videtur. Vt ſi quis eximatur ſine cauſa, & ad breue tempus, vt auditione ſacri in vno die Dominico, vel recitatione horarum altero die, & ſic in aliis. Neque hinc ſequitur ipſius diſpenſati, vel aliorum notabile damnum; neque id multum nocet communi bono. Et ratio à priori eſt, quia in hac materia, ſicut & in aliis ſpectantibus ad materiam iuſtitiæ commutatiuæ, & diſtributiuæ, dari poteſt paruitas materiæ; ergo & venialis culpa ex materiæ paruitate.

10 *Tertia difficultas* eſt, de Principe ſecum ſine cauſa diſpenſante in ſua lege. Ad quam breuiter dico peccare mortaliter, per ſe loquendo. Ratio eſt, quia Princeps obligatur ſuis legibus iuxta grauitatem earum; ergo non poteſt à ſe auferre pro ſua voluntate talem obligationem ſine cauſa, quia in tali diſpenſatione peccet mortaliter: aliàs enim inutilis, & ridicula eſſet talis obligatio. Adde iuxta dicta ſuprà *ſect.* 3. Principem ſecum validè non diſpenſare abſque cauſa; ergo grauiter delinquit non ſeruando ſuam legem. Dixi per ſe, ſeu ex genere ſuo: nam in leuioribus legibus, vel circumſtantiis earum poſſet eſſe veniale peccatum ex leuitate materiæ, vt in aliis rebus contingit.

Quarta difficultas eſt, quantum peccet ſubditus petendo diſpenſationem à legiſlatore ſine cauſa? Videtur enim petere rem irrationabilem, & communi bono contrariam, velle nimirum diſcrepare à toto corpore ſine cauſa. 11

Communiter Doctores ſentiunt ſubditum petentem diſpenſationem ſine cauſa peccare eodem genere peccati, quo peccat legiſlator, vel Princeps illam concedens; quia petit rem illicitam, & cooperatur concedentis peccato, ad idque inducit. Atque idem eſt de acceptante, licèt non petierit, quia ſimiliter conſentit, & cooperatur diſpenſantis peccato, quia diſpenſatio non plenè ſuum effectum ſortitur donec acceptatur. Ita cum aliis Sanchez *diſp.* 18. *n.* 8 Qui addit non ideo ſequi peccare petentes diſpenſationes matrimoniales concedi abſque cauſa aſſignata. Nam quamuis nulla aſſignetur cauſa, non tamen ſine cauſa conceduntur; quia pro cauſa conceſſionis ſuccedit copioſior pecuniaria compoſitio, ſeu eleemoſyna à diſpenſato data in beneficium publicum, ac in ſumptus publicos: non ſecus ac pro cauſa concedendi priuilegium Bullæ ſuccedit eleemoſyna à quolibet Bullam ſumente donata.

Suarez verò *lib. 6. de legibus c.* 18. *n.* 1 a. diſtinguit, & ait illam ſubditi actionem dupliciter conſiderari poſſe. *Primò* præciſè vt eſt actio propria ſubditi, & voluntas eſt cuiuſdam obiecti inordinati; *alio modo* vt eſt inductio ſuperioris ad actionem iniquam, atque adeo eſt cooperatio ad illam Priori modo excuſari poteſt ſubditus à culpa mortali etiam ex genere, quia non tenetur propria obligatione iuſtitiæ ad illam conformitatem cum toto. At poſteriori ratione peccat ex genere ſuo mortaliter, quia cooperatur peccato mortali, & eſt cauſa illius: in indiuiduo autem ita peccabit ſicut ſuperior quem inducit. 12

Dico *primò*, certum eſſe ſubditum ignorantia poſſe excuſari ab omni culpa, tametſi Prælatus non excuſetur. Patet, quia poteſt ſubditus bona fide procedere, & petere diſpenſationẽ, putans ex ignorãtia inuincibili ſe illam poſſe petere vel fideliter narrans factũ, & remittens ſuperiori iudiciũ cauſæ. In hoc enim euẽtu quis non videat ſubditũ eſſe omnis culpæ immunẽ, etiamſi non ſit certus non peccare Prælatũ, quia in dubio pro illo præſumere debet, vt cõſtat. Firmo, quia ignorantia quæ in ſubdito eſt inuincibilis, in Prælato eſt culpabilis propter maiorem obligationem, & occaſionem ſciendi; ergo poteſt ſubditus diſpenſationem petere bona fide, tametſi Prælatus eã habere nequeat. 13

Dico *ſecundò*, certum etiam eſſe poſſe contingere, vt excuſetur ſuperior omni culpa, putans adeſſe cauſã ad diſpenſandũ, & ſubditus nõ excuſetur culpa mortali ex genere ſuo, ſciens talem non adeſſe cauſã. Patet quia ſi ſubditus mala fide procedat, & decipiat Prælatum falſam cauſam allegando, ipſe peccabit mortaliter ex genere ſuo, quia de ſe grauem iniuriam intulit Prælato, niſi ex leuitate materiæ minuatur, Prælatus verò bona fide procedens, putans eſſe legitimam cauſam, non peccabit. At ſi ſuperior cognoſcat 14

ſcat cauſam non adfuiſſe ad diſpenſandum, diſpenſationē tenetur reuocare, quia ſemper tenetur cōſulere, vt ſubditi vniformiter viuant, & legibus communibus æqualiter obligentur, niſi iuſta cauſa excuſans intercedat.

15 Dico *tertiò*, abſolutè loquendo petentem diſpenſationem ſine cauſa peccare mortaliter ex genere ſuo, inducendo ſuperiorem ad actionem illam iniquā. Ita Sanchez & Suarez *citati*. Ratio eſt, quia ſuperior ſine cauſa diſpenſans peccat mortaliter ex genere ſuo, vt oſtendi ſuprà *num*.8. ergo & petens eam diſpenſationem inducendo ad illam, quia verè cooperatur peccato mortali.

16 Dico *vltimò* actionem ſubditi præciſè, vt eſt voluntas diſpenſationis ſine cauſa, non eſſe ex ſe illicitam ex genere ſuo. Ita ſentio cum Suario *citato*. Ratio quæ me mouet hæc eſt, quia ſubditum velle præciſè illam diſpenſationem, ſolum eſt velle vti tali diſpenſatione: at id non eſt cooperari peccato diſpenſantis, ſed vti effectu talis diſpenſationis, in quo effectu, ſeu vſu nulla eſt malitia, nulla deformitas, vt dicam *difficultate ſexta*: quia velle diſcrepare à toto corpore ſine cauſa, virtute illius diſpenſationis, non eſt per ſe, & ex obiecto malum, quia nulla videtur eſſe obligatio ad tantam vniformitatem in opere, vbi eſt difformitas in obligatione legis, ratione diſpenſationis, quæ, vt iam conſtat, valida omnino eſt.

17 *Quinta difficultas* eſt, de acceptante diſpenſationem cum cauſam iuſtam deficere nouerit.

Sentit Sanchez *diſp*.18.*n*.8. peccare, eo modo quo diſpenſans; quia cooperatur peccato illius, cùm diſpenſatio plenè non ſortiatur ſuum effectum donec acceptetur.

Placet dicere cum Suario *diſp*.18.*n*.13. non peccare ex vi cooperationis, quia illa non eſt vera cooperatio; quoniam diſpenſatio à ſolo ſuperiori datur, & ad illam vt procedit à ſuperiore, ſubditus non concurrit, ſicut cooperatur, quando ſuperiorem excitat, vel inducit. Et quamuis acceptatio ſit neceſſaria ad effectum; non tamen eſt neceſſaria vt concauſa, ſed vt conditio neceſſaria, quam ponere, ſolum eſt permittere effectum, non facere. Firmo, nam poſita diſpenſatione ex parte ſuperioris ponitur tota malitia grauis illius actionis, & quod ſequatur effectus non habet nouam malitiam; ergo acceptare, aut velle illum effectum, non eſt in ſubdito cooperatio ad malum. Quod amplius conſtabit ex difficultate ſequenti.

18 *Sexta*, & vltima *difficultas* eſt, an vtens diſpenſatione ſine cauſa à legiſlatore conceſſa in propria lege, verè peccet?

Nonnulli cum Petro de Ledeſma 2.*p*.*q*.17.*a*.3. ſentiunt peccarè mortaliter, quia ſic vtens cooperatur iniquæ diſpenſationi ſuperioris, qui eam concedens peccat lethaliter.

Sanchez verò *loco cit*.*n*.12. duo dicit. *Primum*, vtentem non peccare lethaliter, ſed venialiter tantùm, ſecluſo ſcādalo, vel notabili aliorū damno. Probat, quia vſus illius diſpenſationis non eſt conſentire peccato diſpenſantis, nec proſecutio peccati admiſſi in petitione, vel acceptatione diſpenſationis, cùm ea peccata omnino tranſierint; ſolùm ergo ſupereſt in illius vſu ea partis cum toto deformitas inde ſequens non ſe conformando cum aliis, quæ, ſi ſcandalum, & aliorum notabile damnum non ſit, non ita grauis eſt, vt culpam venialem excedat. *Secundum*; vtentem tali diſpenſatione teneri iure naturæ, non obſtante diſpenſatione, legem ſeruare ſub culpa veniali. Ratio eſt, quia cùm peccet venialiter in vſu diſpenſationis, qui eſt non ſeruare legem communem, peccat contra ius naturæ dictans indecens eſſe partem non conformari toti; ergo eodem iure naturæ tenetur exequi quod lex iubet.

Verius iudico, quod citatis multis docet Suarez 19
lib.6.*c*.19.*n*.14. Baſilius Ponce *c*.14.*n*.5. Caſtro Palao *diſput*. 6. *puncto* 8. *num*.8. & alij, ſic vtentem diſpenſatione valida, per ſe loquendo, ac ſecluſo ſcandalo, non peccare nec venialiter. Probo, quia vtens in eo caſu non cooperatur peccato diſpenſantis, ſed vtitur effectu talis diſpenſationis, in quo effectu nulla eſt malitia. Imò licet daremus ſubditum peccaſſe petendo diſpenſationem, adhuc tamen poſtea illa vtens non peccaret; quia non proſequitur, vel quaſi continuat prius peccatum, quod iam præteriit. In quo magna eſt differētia inter diſpenſantem & diſpenſatum ſine cauſa: nam qui diſpenſauit, poteſt reuocare diſpenſationē quoad vſum futurum, & tenetur id facere, & ideo quoties ſciens & videns id non facit, quaſi proſequitur prius peccatum, ſeu de nouo illud repetit; ſicut dici ſolet de illo qui furatus eſt, dum non reſtituit. At verò diſpenſatus poſtquam obtinuit diſpenſationem, non poteſt eam reuocare, neque illi tenetur renuntiare, quia ſubdito nō incumbit tale onus. Firmo, nā talis diſpenſatus vtēs diſpenſatione illa, non peccat contra legem poſitiuam, quæ iam non eſt reſpectu illius; neque contra iuſtitiam, vt per ſe notum videtur; neque contra charitatem, quia ſecluſo ſcandalo, nulla interuenit ratio talis obligationis; nec denique contra legem naturalem dictantem vt ſe conformet cum aliis; quia diſpenſatus non tenetur ex iure naturæ ſe aliis conformare; habet enim cauſam legitimam exemptionis, ſcilicet diſpenſationem validam, etiamſi illicitè obtentam. Vnde talis diſpenſatus nequit dici turpiter agere diſcordando à toto, quia etiam eſt diſpar in obligatione legis; nec oſtendi poteſt, vnde oriatur obligatio ad tantam vniformitatem, vbi eſt difformitas in obligatione legis, vnde nec ipſi legi, nec bono communi eſt præiudicium aliquod, per ſe loquendo. Igitur cùm talis vſus nullo modo ſit contra vllam virtutem, nec in eo aſſignari queat ſpecialis malitia, & fieri poſſit propter honeſtum finem; nulla in eo nec leuis, ſeu venialis culpa per ſe & ex obiecto erit.

SECTIO V.

Quæ ſint iuſtæ cauſæ ad diſpenſandum in impedimentis matrimonium dirimentibus.

SVppono *primò*, diſpenſationem in impedimentis 1
iure tantum humano introductis factam abſque cauſa ab eo qui habet poteſtatem ordinariam diſpenſandi, eſſe validam, quamuis illicitam; vt conſtat ex dictis ſuprà *ſect*. 1. *&* 2.

Suppono *ſecundò*, non eſſe æquales cauſas diſpen- 2
ſandi in legibus impedimentorum, ſed quò propinquior eſt gradus conſanguinitatis, vel affinitatis, difficiliorem eſſe diſpenſationem, & maiorem requiri cauſam. Idem eſt ſi comparentur gradus æquales conſanguinitatis cum affinitate. Maior enim diſpenſatio eſt illa: & ſimiliter ſi comparetur linea recta cum tranſuerſa.

Suppono *tertiò*, cùm leges ſint quoddam bonum 3
commune, quod omnes æqualiter debet reſpicere, vt in iis licitè diſpenſetur, requiri aliquam cauſam, quæ bonū cōmune aliquo modo ſaltem indirectè reſpiciat. Cæterùm, quia bonū cōmune naſcitur ferè ex bono priuatorum eiuſdem communitatis, prout bonum

partis

partis redundat in bonum totius, ideo communiter ſuffici., vt notabile horum bonum diſpenſationē exigat, qu.ndo illud tale eſt, vt bonum cōmune ex eo aliquo modo iuuari poſſit, quod communiter ita fit.

4 Suppono *quartò*, citra omnem acceptionem perſonarum Eccleſiam facilius diſpenſare cum magnatibus, aut potentibus, quàm cum aliis: quia vtilitas publica magis ab iis pendet, & ipſi Eccleſiæ expedit eos habere fauentes. Hinc rectè Tridentinū *ſeſſ a 4. de reform. matrim. c. 5* ſic ſtatutum reliquit. In ſecūdo gradu numquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam. Notat autem Sācbez *lib. 8. diſp. 19. n. 2.* tales eſſe dominos ſolos titulares, qui meritò magni domini appellari poſſunt. Notat etiam illud Tridentini decretum intelligi de gradu conſanguinitatis, vel affinitatis ortæ ex legitimo matrimonio, quia in affinitate orta ex fornicatione longè facilius diſpenſatur, quia ea valde imperfecta eſt, nec ſecundum gradū excedit. Notat denique & rectè, cùm prædictum Tridentini decretum ſummū Pōtificem minimè conſtringat, & rigor vnius iuris ſit temperandus per alterius iuris benignitatē, ſolere Pōtifices ex benignitate diſpēſate cū perſonis inferioris notæ: quia etiā ſpectat indirectè ad publicū bonū, proſpicere bono illarū priuato. Præſertim cū adsūt huiuſmodi cauſæ; nimirū, vel matrimoniū eſſe inter hos initum cum ignorātia rigoris prohibitionis Tridētini; vel prolē iā habitam; vel diuturnitatē matrimonij malè contracti; vel ſcādalum ex ſeparatione oriturū; vel denique clementiā Pontificis, quòd puella pauper ſit, & velit patruelis ipſam ducere, ac honeſtè dotare.

5 Suppono *quintò*, ſimiliter abſque vlla acceptione perſonarum iure diſpenſari facilius in matrimonij impedimentis cum diuitibus, & potentibus, quā cum pauperibus, ac popularibus: quoniam id magis neceſſarium eſt bono communi, præſertim quia diſpenſatio in diuitibus & potentibus præcipue conceditur ob firmandum pacis fœdus.

His præmiſſis variæ aſſignātur à Doctoribus cauſæ ad legitimam diſpenſationem impedimentorum dirimentium iure Eccleſiaſtico introductorum, quas ad numerum octonarium reduco.

6 *Prima* eſt extinctio grauis diſcordiæ, aut impeditio magnæ litis inter conſanguineos, & affines. Ad quam reducitur euitatio ſcandalorum, iacturæ famæ, & aliorum damnorum, quæ probabiliter timentur, niſi matrimonium fiat. Quæ cauſa legitima eſt, quoniam pax & animorum coniunctio cùm ſit vnus ex matrimonij finibus, maximè congruit propter eam expediri diſpenſationem. Conducit etiam publico bono pax & concordia ciuium.

7 *Secunda cauſa* eſt quando non reperitur aliud competens matrimonium, niſi cum conſanguineis, vel affinibus. cuius cauſæ ratio eſt, quia valde expedit bono communi vt matrimonia inter pares ineantur. Diſparitas autem ſtatus debet eſſe aliquo modo notabilis, vt nuptiæ, quæ cum non conſanguineis iniri poſſunt, dicātur inæquales. Æqualitas autem nuptiarum non ſolùm ex paritate generis, vel diuitiarū, ſed magis etiam ex morū congruentia eſt ſpectanda, ne perpetuæ lites inter cōiuges oriantur. Valde etiam durū eſt fœminæ abſtrahi à ſuis, & in aliena & diſtanti ciuitate nubere, vbi perpetuo eſt caritura conſortio parentum, & conſanguineorum, & vitam tranſigere debet acerbam, ac ſolitariam; vnde id erit etiam ſufficiens cauſa diſpenſationis.

8 *Tertia* eſt, defectus dotis competentis, quô efficitur vt fœmina non poſſit reperire ſponſum ſe dignum, niſi ex propinquis. Et idem eſt ſi vir defectu ſubſtantiæ nequeat inuenire vxorem ſibi dignam, niſi impeditam. Ratio eſt, quia in hoc euentu fœmina cū conſanguineo, vel affine, cogetur inire vel manere innupta, vel nubere indigno. At multum confert ad bonum commune ne defectu dotis competētis fœminæ innuptæ maneant cum periculo incontinentiæ, vel viro inæquali nubant, cum periculo diſcordiarum & rixarum ex coniugio diſpari oriri ſolitarum. Sunt verò duo notanda. *Primum* eſt, ſubeſſe hunc defectum dotis competentis, etiam quando ob aliquam deformitatem, vel ſimilem cauſam non poteſt fœmina reperire maritum dignum ſuo genere, niſi habeat ampliorem dotem, quàm aliæ ſimilis conditionis non laborantes eo defectu Si enim talis hoc augmento careat, verè patitur defectum dotis. Vnde infero non dici pati defectum dotis, quæ ſufficientem habet vt reperiat maritum ſuæ conditionis, multo tamen inferioris quàm ſit conſanguineus, vel affinis qui eam vult ducere. Ratio eſt, quia tunc ceſſat cauſa pietatis vnicè mouens, quæ eſt, ne ipſa cogatur innupta manere, vel indigno ſe nubere. Vnde tunc non ageretur de prædicto damno vitando, ſed de lucro acquirendo: quæ cauſa eſt longè diuerſa, & inſufficiens, quia pietas in hoc euentu ſolum ſuadet facere ea quæ auertunt proximi damnum, non verò ea quibus procuraretur eius lucrum. *Alterum* eſt, fœminam in ordine ad hunc effectum poſſe dici pauperem, & carere dote competente, quando nihil habet proprium, tametſi habeat parentes, & alios conſanguineos diuites, quando non poteſt illos cogere, vt dent illi dotem competentem. Patet, quia cum ſola cauſa huius diſpenſationis ſit, ne aliàs fœmina cogatur, aut manere innupta, aut nuptias ſe indignas contrahere; quandiu de hoc conſtat morali aliquo modo, ſufficiens eſt cauſa, vndecumque id proueniat. Hactenus propoſuimus tres cauſas, quæ de more admittuntur in praxi à ſtylo Curiæ Romanæ. Præter iſtas, aſſignant Doctores alias cauſas etiam ſufficientes.

Quarta ergo in ordine *cauſa* eſt, conſeruatio diuitiarum in eadem cognatione, & familia, ne cauſa 9 dotis diſtrahantur diuitiæ ad aliam cognationis familiam, quando eæ ampliſſimæ ſunt. Ita Sanchez *diſp. 19. n. 30.* Coninch *diſp. 33. dub. 5. n. 49.* Henriquez *lib. 12. c. 3.* Hurtado *diſp. 26. difficultate 3. n. 12.* & alij. Ratio eſt, quia expedit Reipublicæ & bono publico magnas familias in ſuo ſtatu & amplitudine opum conſeruari: nam tali conſeruatione abundat Reſpublica viris nobilibus ac locupletibus, qui commodius ipſi inſeruiant: ſicut ob hanc cauſam iuſtæ redduntur maioratuum inſtitutiones, tanquam valde expedientes bono publico.

Quinta cauſa eſt, conſeruatio familiæ illuſtris intra eundem ſanguinem. 10 Ita Doctores relati, quia pertinet quoque ad pietatem, & publicum bonum conſeruari illuſtres familias. Quod maximè verum eſt, quando caput familiæ perituræ eſſet fœmina. Vnde Henriquez citatus in commento, *litera D.* ob hanc cauſam refert diſpenſaſſe Gregorium XIII. anno 1575. cum D. Luiſia Comitiſſa Sanctæ Gadeæ, vt nuberet patruo, cui prius ſoror eius nupſerat, & illa voto continentiæ erat aſtricta.

Sexta cauſa eſt excellentia meritorum erga Eccleſiam, 11 ſiue petentis diſpenſationem, ſiue eius in cuius gratiam petitur, quia æquum eſt, vt qui de Eccleſia ſunt bene meriti, eius benignitatem experiantur. Vt ſi quis ſtrenuè ſe geſſit in militia contra infideles, aut alij miniſterio ad bonum Eccleſiæ conferenti vacauit.

12 *Septima cauſa* eſt, proles habita ex conſanguinea bona fide ſuſcepta. Vt quando aliqui prius matrimonium contraxerunt, & altera ſaltem pars ignorabat impedimentum. Quia cùm tunc proles ſit legitima, vt conſtat ex *cap. ex tenore. qui filij ſint legitimi*, ad bonam eius educationem valdè confert tale matrimonium inſtaurari. Addit Coninch *citatus*, ſufficere ipſum matrimonium ſic contractum publicè in facie Eccleſiæ ſaltem in gradu non ita propinquo, quia vix ſine graui incommodo ſeparantur, præſertim quando conſummatum eſt. Secus verò eſſet, ſi mala fide id matrimonium iniiſſent, aut omiſſis denuntiationibus, vt liquet ex Tridentino *ſeſſ. 24. de matr. c. 5.*

13 Denique *octaua cauſa* diſpenſandi in gradibus non ita propinquis, eſt copioſior pecuniaria compoſitio ad aliquod opus pium, vel ad ſumptus publicos. Quæ ſola abſque alterius cauſæ allegatione ſufficiens eſt, cùm bonum publicum ſpectet.

His omnibus duo addenda ſunt. *Primum*, præter dictas cauſas, poſſe eſſe alias plures, quæ ſufficiant, quæ iudicio prudentis & docti viri diſcernendæ ſunt. *Secundum*, ſæpe contingere vt plures cauſæ aggregatæ ſufficiant, quarum ſingulæ non ſufficiunt. Quæ omnia prudentis diſpenſantis arbitrio relinqui debent.

Ex dictis colligo, quænam ſint cauſæ legitimæ ad diſpenſandum in impedimentis impedientibus tantùm. Nam in votis, quibus matrimonium impeditur, ſeu prohibetur, dico neceſſariam eſſe rationabilem cauſam, iudicio viri prudentis & docti diſcernendam. Talis eſt ſpes publicæ pacis, aut quòd materia voti ſit facta periculoſa vouenti, ſiue ob occaſiones moraliter ineuitabiles, ſiue ob ſcrupulos, ſiue ob fragilitatem, vel quòd ſit dubium an fuerit validè promiſſa Deo, vel an fuerit ſatis maturè promiſſa. Similiter dico, ad validè diſpenſandum in ſponſalibus, vt poſſit contrahi cum altera, eſſe quoque neceſſariam rationabilem cauſam arbitrio docti & prudentis diſcernendam, qualis eſt, ſi timeatur priorem ſponſam futuram eſſe occaſionem peccandi ſponſo; aut ſi ex matrimonio cum altera ſperetur publica pax, aut extinctio, vel impeditio grauium diſcordiarum.

Sectio VI.

Quo tempore verificari debeant cauſæ diſpenſationis, vt ipſa diſpenſatio valida ſit.

1 Diuidenda ſunt varia tempora, vel ſtatus in quibus cauſæ in precibus narratæ debeant eſſe veræ: nam deficiente cauſa motiua, nequit diſpenſatio perſeuerare valida, nec licita. Præmittere verò oportet Pontificem non ſolere communiter per ſe diſpenſare, ſed hoc committere Vicario Epiſcopi in cuius diœceſi habitat is cum quo diſpenſandum eſt, vt ipſe inquirat, an preces & cauſæ Pontifici oblatæ ſint veræ, & ſi reperiat veras, diſpenſet.

2 *Prima* igitur *difficultas* eſt de tempore, vel ſtatu, quando impetrans miſit Romam, & literæ nondum expeditæ ſunt, an ſubreptitia ſit diſpenſatio quando cauſa eo tempore falſa fuit, tametſi vera ſit, quando Pontifex diſpenſationē committit, & deinceps. Ratio dubitandi eſt, quia cùm cauſa allegata ſit doloſè & animo Pontificem decipiendi allegata, nec dolus alicui debeat ſuffragari, videtur contra Pontificis mentem impetrata; qui certè doli conſcius eam non conceſſiſſet.

Certum tamen eſt apud Doctores, ſolam cauſæ veritatem tempore conceſſionis Pontificiæ eſſe attendendam, nec tempus antecedens in conſideratione eſſe. Ratio eſt, quia Pontifex ipſe eſt, qui reuera diſpēſationem concedit; ergo par eſſe videtur vt non antea, ſed tunc vera ſit cauſa. Firmo, quia clauſula illa in diſpenſationibus appoſita, *ſi preces veritate nitantur*, ad id tempus referri debet, quo Pontifex diſpenſationem concedit: nam veritatem precum poſtulat, ne diſpenſatio à veritate & rectitudine deficiens, ſit reipſa, ac cenſeatur eſſe diſſipatio; ad hoc autem nihil refert, an cauſa tempore præcedenti fuerit vera, nec ne, ſed an tunc vera ſit. Ergo.

Ad rationem dubitandi reſpondeo expreſſionem rei falſæ, quando eſt extrinſeca, nec confert ad diſpenſationis ſubſtantiam, non vitiare diſpenſationem, quamuis Papa veritate cognita non cōcederet illam. Id cōſtat manifeſto exēplo de Clerico irretito magnis criminibus, ſed non reddentibus beneficij incapaci, qui validè impetrat collationis gratiam à Pōtifice, quamuis certò conſtet quòd eam denegaſſet eorum criminum conſcius: quia nimirum in his conceſſionibus gratuitis ignorantia qualitatis extrinſecæ ad eas non conferentis, nullo modo vitiat, tametſi illas concedens, illius conſcius, denegaret: ſicut etiam eleemoſynam non vitiat ignorantia qualitatis extrinſecæ ad ea non conferentis, vt eleemoſyna collata pauperi nequiſſimo, & illam peſſimè expendenti valida eſt, quia paupertas cauſa illius intrinſeca eſt vera, quamuis eleemoſynam largiens non daret, ſi illius mores noniſſet. Simili modo philoſophandum eſt de veritate cauſæ pro tempore præterito, eſſe valde extrinſecam, ac minimè ad rem præſentem conducere. Addo, ſi Pontifex denegaret, maxime eſſet in pœnam doli: hanc verò doloſus ſubire non tenetur, antequam ſibi infligatur; atque adeò ante eius diſpenſatio nequit eſſe ſubreptitia.

Secunda difficultas eſt, de tempore, vel ſtatu, quando Pontifex diſpēſationem concedit, Ordinario committit vt diſpenſet, cum clauſula, *ſi preces veritate nitantur*; an ſufficiat preces fuiſſe veras tempore præcedenti, quo miſſum eſt Romam pro diſpenſatione impetranda, vel tempore ſubſequenti quo Ordinarius eſt diſpenſaturus; an verò opus ſit preces tunc eſſe veras. Reſpondeo cum communi Doctorum doctrina, omninò deſiderari vt tempore conceſſionis Pontificis cauſæ allegatæ veræ ſint. Ratio eſt, quia Pontifex eſt qui verè diſpenſationem concedit, & ſolam executionem Ordinario, vel confeſſori remittit, præmiſſo veritatis precum examine. Ergo oportet tunc veram eſſe cauſam, & preces Pontifici propoſitas veras eſſe. Vnde infero Ordinarios, vel confeſſarios teneri diligenter examinare tempus datæ, & an tunc verificetur cauſa, ne diſpenſatio ſit ſubreptitia; quia contingere poteſt vt eius veritas non tempore conceſſionis, vel datæ, ſed poſt conceſſionem Romæ factam ſubſiſtat. Vt, v. g. allegatur Pontifici fœminam iacturam famæ paſſam eſſe ex frequenti conuerſatione cum viro cui nuptura eſt; & ſæpe ea infamia poſt tempus datæ diſpenſationis ſuborta eſt. 3

Tertia difficultas eſt de tempore alio & ſtatu, quando diſpenſatio commiſſa à Pontifice eſt Ordinario, vel Confeſſario, nondum tamen diſpenſauit. Et in hoc tempore ac ſtatu exiſtimo cauſam perſeuerare debere, ne ruat omnino diſpenſatio. Quare ſi aliqua fœmina impetret diſpenſationem, vt cum conſanguineo nubat ex defectu dotis, licet ea cauſa verè exiterit tempore conceſſionis, ſi tamen ceſſauit, antequam Ordinarius diſpenſaret, tunc diſpenſatio illa ceſſabit. Ratio eſt, quia in eo euentu nequeunt coram ordinario 4

nario

natio verificari cauſæ ob quas ei diſpenſatio commiſſa eſt.

5 *Quarta difficultas* eſt de alio tẽpore & ſtatu, quando iã Ordinarius diſpenſauit, nondũ tamẽ ea diſpenſatio mandata eſt executioni; an tunc ceſſante cauſa, ceſſet diſpenſatio: & ſermo eſt de ceſſatione cauſæ non impulſiuæ, ſed motiuæ, & finalis, & eius quæ præbuit ſufficientem cauſam diſpenſationi.

Qua in re noſter Sanchez *lib. 8. diſp. 30. n. 14.* Coninch *diſputatione 33. num. 94.* Hurtado *diſp. 26. difficult. 3. n. 15.* ſentiunt in eo caſu & ſtatu ceſſante cauſa ceſſare etiam diſpenſationem. Probat, quia diſpenſatio vt ſit iuſta, neceſſariò includit hanc conditionem, ſi cauſa perſeueret, quando executioni mandanda eſt; aliàs iniquus eſſet diſpenſans dans licentiam ad operandum contra legem, etiam ſine cauſa. Idque declaratur exemplo diſpenſationis, conceſſo alicui ad concedendum carnes in Quadrageſima, propter ſpecialem ægritudinem; quæ reuera ceſſat, quotieſcũque in Quadrageſima talis ægritudo ceſſauerit, aliter enim non eſſet iuſta diſpenſatio; ergo idem dicendum eſt in omni alia diſpenſatione.

Secundò, lex in communi deſinit obligare ceſſante legis cauſa negatiuè, & in vniuerſali; ergo idem dicendum eſt de priuilegio: facilius enim tollitur ius extraordinarium, & ſpeciale, quale eſt priuilegium, & diſpenſatio, quàm ordinarium & commune.

Tertiò, conceſſio priuilegij, vel diſpenſationis ſine cauſa eſt illicita, vt conſtat, quia non licet ſine iuſta cauſa violare ius commune; ergo & conſeruatio eius priuilegij Non enim præſumendum eſt Principem velle conſeruare priuilegium in eo ſtatu, in quo non concederet, & iudicaret illicitam eſſe eius conceſſionem. Vnde habetur in iure *l. 1. D. de condict. ſine cauſa*, paria eſſe, à principio non habuiſſe cauſam, & illam eſſe deſiiſſe.

6 Verius iudico oppoſitum cum Suario *lib. 6. de legibus c. 20. n. 15. & ſeq.* Baſiliu Ponce *lib. 8. c. 20. n. 4.* & aliis, non ceſſare diſpenſationem quacumque cauſa ceſſante, ante executionem diſpenſationis, neque vinculum ſemel iam ablatum redire. Ratio à priori eſt, quia gratia diſpenſationis conſummatur & perficitur in relaxatione legis, ſeu ablatione vinculi, aut impedimenti per legem introducti; ergo ſi iam eſt ſublatum impedimentum, illa non poteſt reddi inualida, cum ſemel iam fuerit iuſta & licita, & habuerit effectum. Firmo, quia licèt cauſa poſtea ceſſet ante executionem diſpenſationis; tamen negari non poteſt diſpenſationem iam factam manere iuſtam, & validam; ergo & effectus eius permanet, quia ille effectus non pendet in ſuo eſſe à tali cauſa. Quod patet manifeſtis exemplis. Nam irregularis diſpenſatus ad Ordines propter paupertatem propriam, vel parentum, vel propter indigentiam miniſtrorum Eccleſiæ, licet poſtea ceſſet illa cauſa ante ſuſceptionem Ordinum, poteſt adhuc licite ordinari ex vi illius diſpenſationis, quia per illam fuit irregularitas abſolute & ſimpliciter ablata; neque eſt vnde redire valeat propter ſolam ceſſationem cauſæ. Quia neque ab aliqua lege, vel homine ſit: nec eſt veriſimile fuiſſe ſolum ſublatam quaſi ſub conditione, ſi cauſa illa duraret vſque ad Ordinum ſuſceptionem. Nam talis reſtrictio ex forma diſpenſationis colligi nequit, cum abſolute concedatur; neque eſt neceſſaria ad iuſtitiam diſpenſationis, quia non tenetur diſpenſans præuenire effectus contingentes, & accidentarios, ſed ſatis eſt quòd eo tempore, quo fit diſpenſatio, habeat iuſtam cauſam:, non enim diſpenſator legis, ſicut & legiſlator, tenetur conſiderare ratum, & contingentem euentum, ſed ea quæ in plurimum accidunt. Aliter enim etiam dici poſſet in eodem exemplo, illum irregularem ſic diſpenſatum, & iam ordinatum ceſſante cauſa diſpẽſationis, debere ceſſare ab vſu Ordinum, quia etiam ille vſus Ordinum eſt effectus diſpẽſationis, & maximè intentus per illam. Quare ſicut talis vſus abſolute conceditur virtute diſpenſationis prius factæ, ſiue cauſa ceſſauerit, ſiue non, ita & iuſtè concẽditur abſoluta facultas ad Ordines, ſeu ablatio irregularitatis, quæ duret quoad omnem ſuum effectum, ſiue cauſa diſpenſationis duret, ſiue non. Sunt etiam alia plura exempla. Nam ſi oppoſita ſententia vera eſſet, fieret, ſi ob coniugium eſſet diſpenſatum cum aliquo in voto caſtitatis, & poſtea nollet nubere, quod iterum teneretur voto. Item ſi alicui Monaſterio indultum eſſet priuilegium non ſoluendi decimas ob Monaſterij paupertatem, ſi poſtea ad pinguiorem fortunam deueniret, non poſſet eo priuilegio gaudere. Denique ſi cũm aliquo neophyto diſpenſatum eſſet ad dignitatem, vel officium ob morum honeſtatem, tanquam ex cauſa motiua, ſequeretur ſi mores mutaret, rurſus inhabilem effici. Quæ certè videntur abſurda,

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum, negamus diſpenſationem ſimpliciter & abſolutè conceſſam, & ſtatim habentem ſuum proximum & per ſe effectum, includere illam conditionem, ſeu limitationem, vt effectus non duret, non durante cauſa; negatur quoque diſpenſationem fore iniuſtam niſi illam includat conditionem, quia cauſa præſens poteſt eſſe ſufficiens ad tollendum vinculum, vel impedimentum, ita vt ſemel ablatum non redeat, etiamſi contingere poſſit, in rebus fieri aliquam mutationem. Ad exemplum dico, diſpenſationem reſpectu totius Quadrageſimæ nõ totam ſimul, ſed ſucceſſiuè eſſe intelligendam, quia materia eius non eſt indiuiſibilis, ſed ſucceſſionem habet. Nam lex ieiunij quadrageſimalis licèt per modum vnius concipiatur, eſt tamen virtute multiplex, & ſingulis diebus quaſi nouam obligationem imponit, & ideo diſpenſatio in illa lege non ſit abſolutè tota ſimul, ſed eſt virtute multiplex diſpenſatio, & pro ſingulis diebus veluti ſingulæ diſpenſationes conceduntur, & vnaquæque propriam cauſam pro ſuo die requirit. Vnde quamuis in eo caſu detur ſimul pro tota Quadrageſima, non tamen ita datur, vt ſtatim auferat totum vinculum legis pro tota Quadrageſima, ſed vt ſucceſſiue illud auferat, prout ſucceſſiue obligauerit, ſi eadem ratio excuſationis perſeueret. Idem eſt in aliis ſimilibus præceptis habentibus tractum ſucceſſiuum. Secus verò eſt in diſpenſatione, quæ ſtatim tota ſimul conceditur, & habet quaſi indiuiſibilem effectum, tollendo inhabilitatem, impedimentum, aut votum: nam illa ſimul habet totum effectum, & ſimul etiam habet cauſam præſentem, propter quam abſolutè concedatur. 7

Ad ſecundum, diſpar eſt ratio legis, ac priuilegij ſeu diſpenſationis: nam lex obligationem inducit, priuilegium autem fauorem eius, cui conceditur. Vnde lex ceſſante cauſa in vniuerſali ceſſat, quia deſinit eſſe lex, & amittit propriam rationem formalem legis, cum fiat inutilis communitati. At priuilegium, vel diſpenſatio iam facta, ex eo quod ceſſet cauſa, non redditur inutilis illi, cui conceſſa eſt. 8

Ad tertium conceſſo antecedente negatur conſequentia, quia non conſtat in Principe, quando priuilegium, aut diſpenſationem concedit, eſſe debere eam intentionem, vt tandiu duret, quandiu durauerit cauſa. Quamuis enim in his, in quibus eſt ea intentio Principis, per ceſſationem cauſæ ceſſet conceſſio, vt accidit in illis iuribus allegatis. Attamen non probatur eſſe neceſſariam eam intentionem in Princi-

pe concedeore priuilegium, vt manifeſte liquet ex adductis exemplis. Sicut enim multa illicitè fiunt, quæ tamen facta licitè conſeruantur: ſic enim conſtat diſpenſatiooem datam à principio ſine cauſa illicitam eſſe, & tamen ea ſemel data licitum eſſe vſum illius, vt dixi ſuprà *ſect.4.num.19.* ſic etiam multa licitè conſeruantur, quæ tamen illicitè concederentur. Videmus quoque cauſam temporalem ſufficientem eſſe, vt moueat Principem ad concedendum priuilegium, vt videre eſt in nonnullis religionibus, quibus à principio ob auſteritatem vitæ, & reformationem, conceſſa ſunt priuilegia; quæ tamen nullus dicet ceſſare, eo quod mores ab illa priſtina ſeueritate deflexerint. Sicut etiam ſæpe donat quis alicui licitè ob indigentiam, non donaturus licitè, niſi ea ſuppoſita, & tamen nullus dicet malefacere, ſi non reuocet, ceſſante indigentia.

DISPVT. XLVI.

De nullitate diſpenſationis, in cuius petitione reticetur verum, aut exprimitur falſum.

DIctvm eſt hactenus de diſpenſatione quantum ad poteſtatem diſpenſantis, & quantum ad cauſas neceſſarias ad illius valoré & honeſtatem; iam io hac diſpenſatione dicemus, quid ex parte petentis, ſeu impetrantis requiratur, vt ea irrita non ſit. Nam contingere poteſt vt diſpenſatio fiat ex cauſa iuſta, & ab habente poteſtatem, & tamen irrita ac nulla cenſeatur, vel quia impetrans ſubticuit exprimenda, vel quia expreſſit falſa. In his enim caſibus dicitur diſpenſatio ſubreptitia, & obreptitia. Quæ verba ſynonyma eſſe, ac idem ſignificare notauit Sanchez *diſp.21. num.2* ac oihil inter ſe differre. Quare diſpenſatin dicetur indifferenter obreptitia, vel ſubreptitia, quoties malè impetratur, ſiue tacita veritate neceſſariò explicanda, ſiue falſum ad rem ipſam conducens in precibus oarrando.

Sectio I.

An taciturnitas veritatis, pertinentis ad cauſam impulſiuam & finalem impetrationis, efficiat diſpenſationem ſubreptitiam & nullam.

1 PRæmitto quod certum eſt apud omnes Doctores, duplicem eſſe cauſam conduceotem diſpeoſantem ad conceſſionem diſpenſationis. *Vna* eſt motiua, ſeu finalis, quæ expreſſa ita de facto mouet ad concedendam diſpenſatiooem, ſiue ſola, ſiue ſimul cum aliis, vt ſi illa non exprimeretur, non concederetur diſpenſatio, aut non niſi cum quibuſdam conditioibus, ac limitationibus concederetur. *Alia* verò eſt impulſiua, quæ non conducit, nec mouet, vt concedatur abſolutè, ſed vt facilius concedatur; ſeu, quod idem eſt, non conducit ad ſubſtantiam conceſſionis, ſed tanquam ad medium illam facilitans. Eadem proportione, qua ſunt & diſtinguuntur cauſa motiua & impulſiua in ordine ad conceſſionem diſpenſationis, etiam ſunt, & diſtinguuntur in ordine ad negationem diſpenſationis. Quare illa eſt cauſa motiua, ſeu finalis ad negationem diſpenſationis, quæ ſi exprimatur, mouebit ad negationem diſpenſationis, ſiue ipſa ſola, ſiue ſimul cum aliis. Illa verò eſt impulſiua, quæ licèt exprimatur, non mouebit ad negandum diſpenſationem, ſed tantùm ad facilius negandum. Hoc præmiſſo circa præſentem difficultatem variæ ſunt opiniones, quæ videri poſſunt apud Sanchez *lib.8. diſp.21.n.10.* & ſequentibus. Quod mihi verius videtur, aperiam ſequentibus dictis.

Dico ergo *primò*, quando in petitione gratiæ, vel 2
diſpenſationis aliquid verum taceatur, quod ius iubet exprimi, etiamſi tale verum pertineat ad cauſam impulſiuam taotum, efficere diſpenſationem ſubreptitiam, & per errorem factam. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia quoties aliquid præcipitur in petitione gratiæ exprimi, hoc exigitur tanquam forma præſcripta, qua deficiente totum actum deficere neceſſe eſt. Vnde talis gratia non poteſt non cenſeri obtenta per ſurreptionem, quæ obtinetur contra Principis voluntatem in legibus expreſſam. Firmo idem ex *cap. ſi motu proprio 23. de prabendis in 6.* vbi deciditur ex quantumuis modici beneficij taciturnitate reddi alterius impetrationem ſubreptitiam. At manifeſtè liquet modicum beneficium tacitum non fore impedimento, quominus Pontifex conſcius eadem facilitate aliud concederet. Quia nimirum tunc conceditur diſpenſatio dependenter ab expreſſione illius veri tanquam à conditione. Nec ignorantia aliqua id poterit excuſare: quia cùm omittatur aliquid, formæ corruet actus, nec ignorantia iuuabit, niſi ad excuſandum à culpa. In quo eſt manifeſta differentia diſpenſationis ab excommunicatione: hæc enim incurritur ob inobedientiam, & contumaciam, quæ ceſſant, vbi eſt inuincibilis ignorantia. At illa corruit ex non ſeruata forma ad eius valorem neceſſaria, & ex defectu intentionis concedentis; quæ nullo modo ſopplet ignorantia etiam culpabilis. Dixi, *in petitione*, quia prædicta doctrina tantum eſt vera, quando diſpenſatio fit ad petitionem partis, & non quando fit motu proprio Pontificis, vt patet ex dicto cap. *ſi motu proprio.* Et ratio eſt, quia cùm ea gratia ex mera Principis liberalitate procedat, præſumitur fore vt veritatis conſcius æque concederet. Quod limitandum eſt, niſi taceatur inhabilitas concernens perſonam, vt ſi beneficium obtenturus ſit irregularis, vel careat legitima ætate, non ſupplebit clauſula, *motu proprio*, hos defectus; quia hæc clauſula non ſupplet perſonæ inhabilitatem, nec diſpenſationem inducit, cui opponitur ius commune, in quo tunc Pontifex non intendit diſpenſare. Id etiam limitandum eſt, niſi illa taciturnitas ius tertij reſpiciat, vt ſi ſit beneficium iuris patronatus, & hoc taceatur. Quia motus proprius non aufert ius in re, vel ad rem alteri quæſitum.

Dico *ſecundò*, quando in petitione tacetur aliquid 3
verum pertinens ad cauſam motiuam conceſſionis, efficere diſpeoſationem oullam, etiamſi quod tacetur iure non præcipiatur exprimi. In hoc etiam conueniunt Doctores. Ratio eſt, quia diſpenſatio fit dependenter ab exiſtentia motiui quod exprimitur, aut à nõ exiſtentia motiui ad negandum motiui, inquam, quaſi ſubſtantialis, & intrinſeci, & per ſe ad rationabilem & prudentem conceſſiooem, aut negationem conducentis; in qua concedenda, vel deneganda ratione diſpenſantem duci oportet; ergo tunc ignorantia, aut error diſpenſantis circa cauſam finalem, qua verè cognita, gratiam non conceſſiſſet, vitiat, & annullat diſpenſationem. Firmo, quia in cæteris omnibus diſpoſitionibus defectus cauſæ finalis ſubſtantialis facit

Digitized by Google

facit actum omnino inuoluntarium ac nullum, vt omnes Doctores obſeruant *c. poſt tranſlationem, de renunciat. c. & ſi Chriſtus, de iure iurando, & cap. cum ceſſante, de appell.* ergo idem dicendum in gratiis, & diſpenſationibus.

4 Dico *tertiò*, quando nihil tacetur quod ius iubet exprimi, & veritas tacita tantum pertinet ad cauſam impulſiuam, & ſi ſcienter ab impetrante id factum ſit, non reddere conceſſionem, vel diſpenſationem ſubreptitiam. Ita Couarruuias, Henriquez, Sà, & multi alij, quos refert & ſequitur Sanchez *diſp. 21. n. 11. & 17.* & Hurtado *diſp. 26. difficult. 4. n. 19.* Ratio eſt, quia tunc error aut ignorantia non eſt in cauſa vt fiat diſpenſatio, quia quamuis verum illud non taceretur, etiam fieret diſpenſatio, cùm non pertineat ad cauſam motiuam, vt ſuppono, ſed ad impulſiuam; ergo tunc diſpenſatio non eſt ſubreptitia, & nulla. Firmo, quia quando exprimitur cauſa de ſe ſufficiens ad concedendam diſpenſationem, etiam tacita cauſa, quæ difficiliorem redderet cõceſſionem, quamuis quoad modum quendam accidentalem, nec variantem rei ſubſtantiam, nec abſolutam conceſſionem, ſed quoad ſolam maiorem concedentis facilitatem ſit aliquatenus inuoluntaria conceſſio: at ſimpliciter, & quoad ſubſtantiam eſt voluntaria; ergo non eſt cur cenſeatur ſubreptitia, & nulla. Nam ſubreptio ſignificat errorem dantem cauſam conceſſioni, at tunc ſubeſt ſufficiens ratio motiua & finalis ob quam rationabiliter fieri poteſt conceſſio, atque adeò diſpenſatio non poteſt tunc propriè dici facta per errorem. Vnde quamuis diſpenſans ſi ſciuiſſet petentem eſſe ſibi inimicum, aut hominem improbum, noluiſſet concedere gratiam diſpenſationis; adhuc tamen eiuſmodi ignorantia non faceret diſpenſationem ſubreptitiam: quia ſubeſt iuſta cauſa motiua diſpenſandi, quam Papa v. g. tanquam diſtributor boni publici ſpectare tantum debet, & ideo vt talis non errat, quatenus facit diſtributionem, & concedit diſpenſationem. Quare aliæ cauſæ habent ſe quaſi per accidens, & omnino accidentariæ. Hac de cauſa Doctores meritò affirmant pauperem improbum obtinentem eleemoſynam ab eo qui cognita improbitate eam non dediſſet, non dici eam per errorem obtinuiſſe, quia verè eſt pauper & miſer, & ad ſubleuandam eius inopiam, ac miſeriam motus eſt largiens eleemoſynam. Vnde cauſa illius intrinſeca eſt vera, quamuis largiens eleemoſynam non daret, ſi illius mores dignoſceret.

5 Quæres, quænam cauſa ſit motiua, & per ſe, cuius taciturnitas efficit diſpenſationem nullam, quæ verò non ſit motiua, ſed tantum impulſiua, aut ſi eſt motiua, ſed non per ſe, & quaſi ſubſtantialis, ſed per accidens, cuius taciturnitas non efficit diſpenſationem nullam. Reſpondeo id arbitrio viri docti & prudentis diſcernendum eſſe, quando nec ex iure, nec ex ſtylo curiæ conſtat: nam ſtylus curiæ ius quoque facit. Quod ſi prudenter, ſeu probabiliter diſcerni nequeat, an cauſa ſit motiua, & id maneat ſub puro dubio practico, iudico verius eum Molina *diſp. de iuſt. & iure diſp. 173.* Coninch *diſput. 33. n. 70. & 93.* & Hurtado *difficultate 4. citata, ad finem*, diſpenſationem cenſendam eſſe nullam. Quia impedimento certo non ſufficit diſpenſatio incerti ſeu dubij valoris. In hoc enim dubio, tutior pars, ea videlicet, in qua nequeat eſſe peccatum, eligenda eſt. Firmo, quia in hoc euentu, error ſeu dubium eſt circa cauſam finalem, vel potius circa rem ipſam in qua diſpenſandum eſt; & obligatio dubia, & certa multum inter ſe diſtinguuntur, & variant iudicium diſpenſantis. Vnde ob eandem rationem dico quando dubium eſt an preces veritatem iuſtamque cauſam contineant, & conſequenter an ſubreptitia ſit diſpenſatio, præſumenda eſt ſubreptitia, & nulla. Quia in hoc caſu valet dictum axioma, In dubio melior eſt conditio poſſidentis; poſſeſſio autem pro impedimento ſtat. Et illud aliud, Debito certo non ſatisfit per ſolutionem, at remiſſionem incertam. Ex dictis

Colligo *primò* ad valorem diſpenſationis neceſſarium eſſe vt ex voluntate Prælati, ſeu diſpenſantis procedat. Patet, quia diſpenſatio, actus humanus eſt; debet ergo procedere ex libera volũtate. Actus etiam agentium non operantur vltra intentionem eorum, vnde ſi deſit intẽtio in diſpenſante, nihil efficiet. Hac enim ratione in ſacramentis miniſtrandis, & cenſuris ferendis, vel tollendis, & ſimilibus actibus moralibus, qui à poteſtatibus moralibus deriuantur, neceſſaria eſt voluntas, ac intentio libera ad valorem actuum. 6

Colligo *ſecundò*, tunc diſpenſationem eſſe irritam ex defectu voluntaris concedentis, vel diſpenſantis, ob taciturnitatem veri per ſe conducentis ad ipſius rei ſubſtantiam, modo dicto. Ratio eſt, quia per eam taciturnitatẽ occultatur ſubſtãtialis materia, circa quam verſari debet voluntas diſpenſantis, & ideo nequit diſpenſatio à vera voluntate procedere. 7

Colligo *tertiò*, ad valorem diſpenſationis ſatis eſſe proponere cauſam motiuam, etiamſi taceantur aliqua quæ difficiliorem redderent voluntatem diſpenſantis, non tamen ſimpliciter impedirent voluntatem eius. Ratio eſt, quia nullo iure humano contrarium inuenitur ſtatutum, aut declaratum, nec etiam ex natura ſequitur vt debeat totum illud exprimi, quia talis reticentia, ſeu diſſimulatio non cauſat in eo caſu inuoluntarium ſimpliciter, quandoquidem de facto & de præſenti voluit Papa, vel Prælatus diſpenſare, & diſpenſauit rationabiliter; & cum effectu eſſet volituтus ac diſpenſaturus, etiamſi alio modo clariori, aut puriori veritas proponeretur. Quod verò tunc eſſet difficilius voliturus, eſt accidentarius defectus & inſufficiens ad diſpenſationem annullandam. Addo ſi reticerentur circumſtantiæ de ſe impertinentes ad cauſam diſpenſationis, tametſi ſi illas ſciret, moueret, ſeu mutaret voluntatem diſpenſãtis, adhuc non ſufficere ad nullitatem diſpenſationis, taciturnitatem earum, qua cognita diſpenſans non diſpenſaſſet. Vt verbi gratia ſi occultatur perſona, ne illam cognoſcat, quia ex odio, vel alio ſimili reſpectu illi denegaret diſpenſationem aliàs iuſtam. Idem eſt, ſi occultatur qualitas perſonæ, quæ non refert ad cauſam, vt quòd ſit vitioſa, vel ex tali, aut tali origine, & ſimilia. Ratio eſt, quia ignorantia illa in his caſibus non impedit, quominus diſpenſans hîc & nunc velit diſpenſare ex iuſta, & rationabili cauſa. Quod autem id non eſſet voliturus, ſi tales circumſtantias, quæ ad cauſam non referunt, cognoſceret, non facit præſentem actum inuoluntarium, quia illa nolitio ſub conditione tantum futura nihil in præſenti operatur, nec præſens quaſi habitualis diſpoſitio minuit actualem voluntatem, aut ponit aliquam conditionem in obiecto, ratione cuius videri poſſit inuoluntarium, cum illa diſpoſitio ſit impertinens, & extra cauſam. Denique, ſi conditiones quæ reticentur, & occultantur, habeant connexionem prudentem, & rationabilem cum materia diſpenſationis; tunc certè ſi illa occultatio ita eſt cauſa volendi diſpenſare, vt ſine illa diſpenſans nollet diſpenſare, tunc diceremus diſpenſationem illam ſubreptitiam eſſe, & conſequẽter nullam. De qua te plura infrà *ſect. 8. n. 6. 7. 8. & 9.* 8

SECTIO

Sectio II.

An diſpenſatio primò petita, & negata, & poſtea iterum petita, & obtenta, tacita priori denegatione, ſit ſurreptitia, & nulla, ob priorem taciturnitatem.

1 SVperiori ſectione in genere dixi quæ tacita, vel ſuppreſſa reddant diſpenſationem ſurreptitiam, & nullam: nunc verò in hac & ſequentibus ſectionibus id in ſpeciali eſt explicandum.

Affirmat Menochius *lib. 2. de arbitrar. centur. caſu* 203. *n.* 6. nullam eſſe diſpenſationem ſi in illius impetratione nulla fuit mentio facta alio tempore, denegatam eſſe. Probatur, quia tunc diſpenſans concedit ex errore, aliàs non conceſſurus, ſi ſciret antea negaſſe.

2 Dico *primò*, obtentam diſpenſationem priùs petitam, & non conceſſam ab eodem ſuperiore, nullo modo eſſe ſurreptitiam ob taciturnitatem illam. Ita cum communi ſententia Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 22. *n.* 14. Suarez *lib.* 6. *de legibus c.* 21. *n.* 1. Baſilius Ponce *lib.* 8. *c.* 17. *n.* 5. & alij. Ratio eſt, quia nullo iure illud diſponitur, neque ex ſtylo, neque ex conſuetudine illud habetur: neque eſt ſufficiens ratio quæ conuincat. Quia ſi aliqua eſſet maximè quia præſumptio eſt ſuperiorem non conceſſurum diſpenſationem, ſi prioris denegationis memoriam haberet. At hæc præſumptio nullo iure fundata eſt, nec per ſe ſpectata eſt ſufficiens; nam ſi in ſecunda petitione plures rationes & cauſæ allegentur, quæ diſpenſationem magis honeſtent, & ſuperiorem magis mouere prudenter poſſint, tunc nec probabilis eſt illa præſumptio, nec in eo caſu ſuperior eſſet rationabiliter inuitus. Si autem nihil de nouo additur, ſed eadem repetitur, & cum eiſdem circumſtantiis, ſi cauſa allegata ad diſpenſandum ſufficiens eſt, tacere negatam eſſe prius diſpenſationem, non poteſt reddere illam inſufficientem, & ita in ſecunda vice erit ſufficiens, quia prior denegatio nihil ad cauſam refert, & ob eam ſolam cauſam denegare diſpenſationem non videtur rationi conſentaneum: nam ſi iuſta cauſa ſubeſt, potius decet priorem rigorem temperare. Quare prædicta circumſtantia præcedens, vel memoria eius impertinens eſt ad valorem diſpenſationis poſtea ſubſecutæ. Atque hic diſcurſus maximè procedit reſpectu eiuſdem ſuperioris quando propter mutationem temporis prioris denegationis eſt omnino oblitus.

3 Dico *ſecundò*, idem dicendum reſpectu ſucceſſoris in eadem ſede, non oportere exprimere à ſuo prædeceſſore fuiſſe illam diſpenſationem denegatam Pater, tum ob rationem dictam, quia id nihil ad cauſam refert. Tum præcipuè, quia ſucceſſor in eadem ſede cum habeat eandem poteſtatem, & non regatur per iudicium, & voluntatem ſui prædeceſſoris; in illo multo minus probabilis eſt illa præſumptio inuoluntarij.

Dico *tertiò*, idem procedere in ſuperiore reſpectu
4 inferioris. Vt ſi Epiſcopus neget diſpenſationem, & à Papa poſtea obtineatur, non facta mentione prioris recurſus ad Epiſcopum, validam cenſendam eſſe diſpenſationem. Ratio eſt manifeſta, quia multo magis videtur impertinens illa circumſtantia reſpectu ſuperioris: minus enim regitur inferioris iudicio, aut minus ex eo pendet; multoque minor præſumptio inuoluntarij eſt in ſuperiore.

Dico *quartò*, etiamſi negata ſit à ſuperiore diſpen- 5
ſatio, & petatur ſecundò ab inferiori ordinariam iuriſdictionem habente, illudque taceatur, validam eſſe diſpenſationem. Ita Suarez & Baſilius Ponce *ſuprà citati*. Et ratio eſt, quia ſuperior ea denegatione non reſeruauit ſibi diſpenſationem, vt eſt per ſe notum, ac manifeſtum, neque abſtulit ab inferiori iuriſdictionem ordinariam concedendi, cùm poſſet etiam ſua tantùm voluntate negare. Neque eſt probabilis præſumptio non fuiſſe conceſſurum diſpenſationem, ſi ſciret fuiſſe à ſuperiore denegatam: tum quia illa præſumptio nullo iure fundatur, neque ex illo facto ſufficienter colligitur, conſiderata natura diſpenſationis, quæ eſt quædam gratia. Cùm enim diſpenſatio non ſit debita, poteſt denegari à Pontifice ex ſola voluntate; ergo per hoc non eſt cur cenſeatur auferre ab inferiori, poteſtatem illam concedendi, ſi velit; præſertim ab inferiori ordinario, quia ordinaria poteſtas difficilius tollitur, & maiorem cauſam requirit. Firmo hoc idem, nam denegatio diſpenſationis poteſt prouenire ex particulari iudicio ſuperioris, quod talis cauſa non ſufficiat ad iuſtam diſpenſationem. At Epiſcopus non tenetur conformari Pontifici in hoc iudicio; quia licèt Papa non ſoleat diſpenſare ex aliqua cauſa, neque admittere illam vt ſufficientem, poteſt Epiſcopus diſpenſare ex illa, ſi probabiliter iudicet eſſe legitimam. Non enim repugnat, vt Papa applicans proprium voluntatem ad operandum iuxta proprium iudicium, relinquat Epiſcopo ſuam poteſtatem, & arbitrium operandi etiam iuxta iudicium ſuum. Neque per hoc derogatur poteſtati Pontificis: quia inferior, dum non prohibetur, poteſt in ſuo foro vti ſua poteſtate, vt iudicauerit expedire; hic autem nulla facta eſt prohibitio. Nec petitio prius oblata Papæ operatur præuentionis effectum, ne liceat poſtea id ab inferiori petere. Tum quia in vſu iuriſdictionis voluntariæ non habet locum eiuſmodi præuentio, cum liberum ſit poſtulanti recedere à priori petitione, & aliam intentare. Tum etiam, quia ſuperior negando diſpenſationem, iam quodammodo à ſe abiecit caſum illum.

Contrarium ſentit Sanchez *lib* 8. *diſput.* 14. *n.* 5. 6
Quia eo ipſo quod Pontifex denegauit in illo caſu particulari diſpenſandi, videtur facultatem auferre inferiori in eo caſu diſpenſandi, niſi noua cauſa emergente fuerit propoſita. Quod firmari poteſt exemplo condemnationis; poſtquam enim Papa aliquem condemnauit, non poteſt Epiſcopus illum abſoluere; licet fortaſſe potuiſſet, ſi cauſa prius ad illum delata fuiſſet. Alio exemplo idem roboratur confirmationis. Nam cum Papa leges confirmat, cenſetur tollere poteſtatem Epiſcopis diſpenſandi in illis. Verùm his non obſtantibus perſiſto in veritate propoſita dicti quarti; quia, vt probatum eſt, ex negatione ſuperioris non eſt ſublata, aut reſtricta inferioris facultas. Si ergo antequam Papa negarat, poterat Epiſcopus diſpenſationem expedire, idem poterit poſt negationem. Nec eſt ſimile quod de illis exemplis affertur. Nam condemnatio fit per ſententiam, quæ includit præceptum, & imponit obligationem, quam non poteſt inferior auferre. At negatio diſpenſationis non fit per ſententiam iudicam, nec præceptum aliquod, vel obligationem ſuperior per illam imponit, ſed ſolum relinquit præexiſtens vinculum de negando vſum propriæ poteſtatis. Similiter alia eſt ratio de confirmatione, alia verò de diſpenſationis denegatione: nam in confirmatione adeſt decretum quo Papa ſuam facit eam legem, & ex conſequenti aufert poteſtatem diſpenſandi in illa, niſi in aliquibus caſibus præciſè. At negationi diſpenſationis non ineſt aliquod præceptum, vel prohibitio. Quare taciturnitas illa diſpenſationis

ſationis

ſationis negatæ à Papa non reddit diſpenſationem Epiſcopi ſurreptitiam, ac nullam; quia ſuppoſita poteſtate, quoad voluntatem eadem eſt ratio in inferiori, quæ in æquali, vel ſuperiore.

Vnde infero adhuc Epiſcopo non ignorante priorem denegationem, ſi iudicet cauſam eſſe legitimam, & diſpenſet, validam eſſe diſpenſationem. Quia neque habet defectum poteſtatis, nec voluntatis, nec iuſtitiæ.

7 Dico *vltimò*, valere quoque diſpenſationem datam à delegato, quamuis à ſuperiore delegante negata ſit. Ratio eſt, quia poteſtas generaliter & abſque vlla reſtrictione commiſſa non eſt reſtringenda ſine maiori cauſa & fundamento; & vt probatum eſt, ex ſola denegatione non colligitur diminutio prioris poteſtatis etiam delegatæ. Quia ſæpe ſuperior delegans committit alteri poteſtatem delegandi, ex eo quod ipſe non vult, vel non audet ſua poteſtate vti. Vnde ſuam poteſtatem delegat committens prudentiæ delegati iudicium cauſæ iuſtæ. At ſuppoſita poteſtate in delegato, quod pertinet ad voluntatem, rationes eodem modo procedunt. Quare in eo caſu nulla committitur ſurreptio quæ inualidam reddat diſpenſationem.

Ad argumentum propoſitum *num.* 1. iam conſtat ex dictis diſpenſantem non concedere ex errore, quia circumſtantia illa ignorata, nihil conducit ad ſubſtantiam rei.

SECTIO III.

An taciturnitas prioris diſpenſationis obtentæ reddat poſteriorem inualidam.

1 Videtur communis Doctorum ſententia ſtare pro parte affirmante. Quæ ſolet probari.

Primò ex *cap. 2. de filiis Preſbyterorum in 6.* vbi deciditur ſurreptitiam fore diſpenſationem à ſede Apoſtolica impetratam, vt illegitimus obtineat plura beneficia, ſi prius ad vnum diſpenſatum ſecum ſit, nec in poſteriori diſpenſatione mentio illius defectus facta ſit. Et reddit rationem textus, quia non eſt veriſimile ſedem ipſam cum illo prædictum patiente defectum, voluiſſe, ſi hoc fuiſſet expreſſum, eidem in pluralitate beneficiorum eiuſmodi diſpenſare.

Secundò, fundari ſolet *in cap. penultimo, de praeſcriptionibus.* vbi iudicatur ſurreptitium priuilegium recipiendi ſacramenta à quouis Antiſtite abſolutè conceſſum cuidam Abbati, non facta mentione alterius priuilegij eidem Abbati conceſſi non ita amplè, ſed cum moderatione iſta, ſi proprius Antiſtes gratis & ſine prauitate miniſtrare nollet. Quia nimirum Pontifex vel non concederet, vel difficilius concederet diſpenſationem ſecundam, ſi de priori mentio facta fuiſſet. In hac re,

2 Dico *primò* certum videri apud omnes, ſi prior, & poſterior diſpenſatio cadant ſuper diuerſas materias, & tendant ad fines, ſeu effectus omnino diſparatos, non eſſe neceſſarium, vt in ſecunda diſpenſatione fiat mentio prioris. Vt, verbi gratia, ſi quis impetrauerit prius diſpenſationem in recitatione horarum, & poſtea impetret alteram in diſpenſatione caſtitatis, nullam ſurreptionem committet, petendo hanc ſine mētione prioris, atque adeo ſecunda ſic obtenta valida erit, & idem eſt in omnibus ſimilibus. Id ſatis firmat generalis conſuetudo; frequenter enim ita eiuſmodi diſpenſationes ſucceſſiuè petuntur iuxta occurrentes caſus, & neceſſitates. Et ratio eſt, quia nullo iure cauetur, vt fiat mentio talis prioris diſpenſationis, neque ex natura rei neceſſaria eſt; nam illa taciturnitas per ſe non cauſat inuoluntarium, vt videtur per ſe notum. Neque eſt ſufficiens coniectura, vnde meritò colligitur cōtrariam fore voluntatem Principis conſcij prioris diſpenſationis. Quare ſubdiaconus, v.g. cum quo diſpenſatum eſt in ſacro Ordine vt ducat vxorem, ſi velit poſtea conſanguineam ducere, non tenetur in poſteriori diſpenſatione mentionem prioris facere.

Dico *ſecundò*, quando prior & poſterior diſpenſatio ſunt circa eandem rem, neceſſariò requiri, vt 3
prioris mentio fiat, in caſibus in iure expreſſis. Hoc etiam conſtans debet eſſe apud omnes. Et conſtat præcipuè ex *dicto cap. penultimo, de praeſcriptionib.* vbi dicitur eſſe ſurreptitium priuilegium amplioris exceptionis, obtentum ſine mentione prioris priuilegij exemptionis magis ſtrictæ eidē, & in eadem materia, & reſpectu eiuſdem conceſſi, quod certè eſt valde rationi conſentaneum, quia omnis gratia cum præiudicio tertij valde odioſa eſt, & ideo nunquam cenſetur valida, niſi ex ſufficienti notitia Principis procedat. Quare dicendum eſt, quoties primum priuilegium cedit in præiudicium tertij, & conceſſum eſt cum aliqua limitatione moderante præiudicium tertij, & conſeruante aliquod ius, quod illi de iure communi competit; ſi obtineatur poſtea ſecundum priuilegium amplians primum, & plus derogans iuri tertij, neceſſarium eſſe in ſecundo facere mentionem de primo, ne ſit ſurreptitium. Vnde id locum habet, vbicumque eadem ratio formalis materiæ ſeu iuſtitiæ verſatur, vt eſſe ſolent materiæ decimarum, beneficiorum, & ſimiles, in quibus ius vel præiudicium tertij intercedit. Hac ergo de cauſa qui diſpenſationem habet non ſoluendi decimas ex vinea, v.g. ſi deinde obtineat priuilegium non ſoluendi illas ex area vel fundo, nulla facta mentione prioris, non poterit vti ſecundo priuilegio, quia ſurreptitium eſt, quoniam cedit in præiudicium tertij, quod Papæ non ſatis fuit illo modo propoſitum. Cui etiam alia ſuffragatur ratio, quia merito proponitur non fuiſſe Principem conceſſurum abſolutam diſpenſationem, vel abundantius priuilegium in eadem re, ſi illi fuiſſet propoſitum, ipſummet, vel prædeceſſorem prius conceſſiſſe diſpēſationem, cum maiori moderatione, quia tam facilis & leuis mutatio non debet præſumi de conſtantia Principis, quando eſt in præiudicium tertij. Vnde ſi poſterius priuilegium redundet in præiudicium alterius, etiamſi ex noua cauſa petatur, irritum eſt ex diſpoſitione illius iuris, quia non fuit facta mentio prioris priuilegij ſpecialiter conſeruantis illud ius tertio.

Dico *tertiò*, idem dicendum eſſe, quando neceſſa- 4
ria eſt mentio prioris diſpenſationis, vt Princeps non ignoret totum vinculum, vel impedimentum quod aufert, vel quantitatem gratiæ quam facit per vnam, vel per plures diſpenſationes. Hoc etiam à Doctoribus non negatur: conſtat enim manifeſtè ex dicto *cap. 2. de filiis Preſbyter. in 6.* Nam diſpenſatio ſecunda ibi obtenta, ideo ſurreptitia iudicatur, quia non fuit ſufficienter propoſitum totum impedimentum quod illi obſtare potuiſſet. Ratio concluſionis manifeſta eſt, quia tunc voluntas diſpenſantis non potuit extendi ad id quod latebat; ergo ex ea parte impedimentum manſit integrum, ac proinde diſpenſatio non potuit habere effectum. Firmo, quia ſi Princeps non ſatis intelligit qualitatem, & quantitatem gratiæ, quam confert, non poteſt illam velle; ergo ſi ex taciturni-

tate

tate prioris diſpenſationis ſequatur illa ignorantia, clara eſt ſurreptio; nam eſt in re valde ſubſtantiali. Vnde in prædicto exemplo per ſe non eſt neceſſaria declaratio prioris diſpenſationis, ſi alio modo impedimentum totum ſufficienter referatur, quia tunc ceſſat ratio facta, & textus ille non plus requirit. Nam in illo textu dicitur, ſi illegitimus diſpenſationem obtinuit ad vnum beneficium, & obtineat ſecundam diſpenſationem ad plura beneficia, *tacito prædicto defectu*, poſteriorem diſpenſationem eſſe ſurreptitiam, & nullam. Vbi ponderanda ſunt illa verba ibi poſita, *tacito prædicto defectu*, iuxta quæ, ideo neceſſarium eſt, in ſecunda diſpenſatione facere mentionem primæ, vt perſonæ defectus intelligatur. Quare ſi talis illegitimus, declarando ſe eſſe illegitimum, peteret diſpenſationem ſecundam, nulla facta mentione primæ, valida eſſet diſpẽſatio. Sæpe autem per ſe eſt neceſſaria expreſſio prioris diſpenſationis ſi aliter non poſſit materia, ſeu vinculum tollendum per ſecundam diſpenſationem ſufficienter explicari. Quod declaratur exẽplis. Nam beneficiatus qui obtinuit diſpenſationem non reſidendi per quinquennium cum perceptione fructuum, ſi expleto quinquennio, aliam ſimilem poſtulet, nulla facta prioris mentione, ſi tempus illud
4 continuum ſit, ſecunda diſpẽſatio ſurreptitia eſt. Quia Papa nunquam concipit ſe diſpenſare in decennio reſidentiæ, quia concipiendo prius vnum quinquennium, & poſtea aliud ſine recordatione prioris, nunquam concipit decennium, quod veriſimiliter non conceſſiſſet, ſi intellexiſſet. Similiter, ſi quis habens votum caſtitatis obtineat diſpenſationem ad vnum matrimonium contrahendum, & mortua vxore iterum petat diſpenſationem ad matrimonium tacito priori, poſterior diſpenſatio eſt ſurreptitia, quia non poteſt Papa concipere quantam gratiam, vel relaxationem faciat in illo voto. Idem dico in alio exemplo de illo, qui ſemel obtinuit diſpenſationem ad matrimonium in impedimento dirimente vxoricidij cum machinatione; & poſtea iterum ſimile crimen committat, & aliam diſpenſationem de illo petat, non facta mentione prioris. Ratio eſt, quia cùm ſecundum crimen eiuſdem rationis præſertim adeo graue, commiſſum poſt remiſſionem primi, magis pœnam mereatur, & difficilius remiſſibile ſit, neceſſe eſt, vt ſecunda diſpenſatio ſit longè difficilior in ſecundo crimine, poſt diſpenſationem in primo crimine, & ideo neque grauitas impedimenti, neque gratia quæ conceditur, ſufficienter concipitur ſine expreſſione prioris diſpenſationis, & ideo optimè poſterior ſurreptitia iudicatur. Notat Sanchez *diſp.* 22. *citata n.* 20. ſi contingeret, vt prioris diſpenſationis vſus non extiterit, quia id matrimonium initum non eſt, in poſterioris criminis diſpenſatione non opus eſſe prioris mentione: quia cum prior ad effectum perducta non ſit, perinde eſt, ac ſi crimen prius remiſſum non eſſet.

5 Dico *vltimò*, quotieſcumque non interceſſerit aliqua circunſtantia ex dictis, vel ſimilis connexio inter poſteriorem diſpenſationem cum priori, non eſſe neceſſarium priorem exprimere, vt poſterior valida ſit. In hoc ſenſu intelligenda eſt communis ſententia, docens attenta diſpenſationis natura præcisè, non eſſe ſurreptitiam diſpenſationem poſteriorem, eo quòd non fuerit facta mentio prioris eidem perſonæ conceſſæ. Ratio eſt manifeſta, quia nulla eſt ratio, ac nullum ius requirens per ſe hanc conditionem declarandi priorem diſpenſationem ad valorem ſecundæ etiã circa eandem rem, niſi quando concurrunt aliæ circunſtantiæ ſuprà *num.* 3. & 4. explicatæ, vt ſatis probatum eſt. Firmo idem exemplis. Si enim quis ob dubium, vel ſcrupulum prioris diſpenſationis in voto, vel in impedimento, petat ſecundam, non eſt prioris mentio facienda, vt valida ſit. Patet, quia contra nullum ius poſitiuum eſt, nec in ſe continet taciturnitatem, quæ veriſimiliter reddat poſteriorem diſpenſationem inuoluntariam, neque ingerit deceptionem, vel ignorantiam relinquit, quæ faciat ad rem. Simile exemplum eſt de diſpenſatione ſuper irregularitate, ſi enim irregularis petat diſpenſationem ad minores Ordines ſuſcipiendos, & ea obtenta antequam illa vtatur, petat aliam ad omnes Ordines eandem irregularitatem exprimendo, non verò primam diſpenſationem, adhuc tamen valida erit ſecunda, quia neque agit cõtra aliquod ius, nec aliquid occultat quod poſſit Papæ voluntatem mutare, vel impedire. Si ille verò iam eſſet vſus priori diſpenſatione, & poſtea impetraret ſecundam ad Ordines tãtùm ſacros, multo plus valeret, quia explicando irregularitatem, neceſſario ſupponit iam eſſe diſpenſatum ad ordines minores. Potiori iure ſi iſte irregularis diſpenſatus ad omnes Ordines, peteret poſtea diſpenſationem in interſtitiis, nulla facta mentione prioris, ſecunda valida eſſet, etiamſi non declaret defectum irregularitatis, quia ille iam eſt ſublatus per diſpenſationem, nec per ſe refert ad interſtitia, nec difficiliorem reddit illorum diſpenſationem. Idem eſt in diſpenſatione ad contrahendum cum conſanguinea: ſi enim quis obtineat vnam diſpenſationem cum vna cognata, & illa mortua ſecundam petat pro alia in eodem, vel diuerſo gradu coniuncta, valida erit ſecunda, licet obtineatur ſine mentione primæ, quia ſunt de rebus diſtinctis, & vna non habet connexionem cum alia, neque aggrauat illam, aut difficiliorem reddit, & vnaquæque poteſt habere propriam cauſam ſufficientem nõ obſtante alia, & independenter ab illa. Idem putat
Sanchez *diſput.* 22. *n.* 15. eſſe dicendum, etiamſi talis 6
perſona non fuerit vſa priori diſpenſatione quacumque ex cauſa, & petat ſecundam non facta mentione prioris. Sentio tamen in hoc caſu eſſe ſecundam diſpenſationem ſurreptitiam; quia tunc ſecunda diſpenſatio coniungitur primæ, & ex vtraque ſimul reſultat vna gratia exorbitans, quæ non cadit ſub intentionem Pontificis; neque enim ſine ſcientia & conſenſu Pontificis poſſunt illæ duæ diſpenſationes validæ ſimul permanere, quia eſt indulgentia quædam nimis extraordinaria. Quare ad valorem ſecundæ neceſſarium eſt exprimere priorem, quo illud incommodum vitetur. Vnde non eſt ſimile, quando prior diſpenſatio ſuum vſum habuit per quem extincta eſt; nam tunc non coniunguntur diſpenſationes, ſed quælibet eſt vnica pro ſuo tẽpore: eſſet autem ſimile, ſi abſque vſu prior diſpenſatio fuiſſet extincta per mortem alterius partis, vel per aliud impedimẽtum perpetuum: nam tunc ex defectu obiecti euaneſceret prima diſpenſatio, & ideo eſt impertinens eius memoria. Ex dictis patet quid dicendum ſit ad duo illa capita relata *num.* 1.

Sectio IV.

An quando plura impedimenta ſunt neceſſariò exprimenda, neceſſarium ſit exprimi ſimul in vna petitione, vt ſimul diſpenſentur, an ſufficiat ſeparatim in diuerſis.

Henriquez *lib.* 12. *c.* 3. Sà *verb. diſpenſatio, n.* 16. 1
cum Nauarro & aliis docent, non eſſe neceſſarium omnia ſimul exprimi in vna petitione, ſed ſuffi-

cere

Digitized by Google

eere vno tacito, poſtea diſpenſando, exprimere alterum. Probant

Primò, quia poteſt tolli vnicum impedimentum ſine alio, ſicut & poteſt eſſe; ergo ex hac parte non repugnat talem petitionem, ac diſpenſationem validam eſſe, & habere effectum.

Secundo, oppoſitum contrariæ ſententiæ non habet fundamentum, quia id non requiritur iure aliquo: non poſitiuo, vt patet, quia nulla eſt lex quæ præcipiat expreſſionem plurium defectuum, vt tollatur vnum; neque iure naturali, quia vnum poteſt auferri non ablato alio; & vt Princeps habeat iuſtam, & efficacem voluntatem tollendi aliquem defectum, vel vinculum, ſatis eſt vt illud perfecte narretur, cum cauſa ſufficiente ad diſpenſationem: hoc autem totum ſufficienter narrari poteſt, explicando vnum impedimentum ſine aliis; ergo ſi pro diſpenſatione omnium ſit ſufficiens cauſa, poterit diſpenſatio ſeparatim peti.

Tertiò, idem oſtenditur, quia ita obſeruatur ex ſtylo curiæ habente vim legis; ergo.

Quartò impetratio veniæ diuerſorũ criminum, verbi gratia, furti & homicidij, valet ſeorſum facta, nec in vnius impetratione neceſſaria eſt alterius mentio; ergo idem dicendum in præſenti.

Vltimò, valet impetratio abſolutionis ab vna excommunicatione, non facta mentione de aliis, quibus idémet ligatur, ergo ſimiliter in prędicta impetratione.

2 Alij verò, quos refert & ſequitur Sanchez *diſp.* 23. *n.* 2. ſentiunt, neceſſarium eſſe in materia matrimonij omnia impedimenta exprimi ſimul in vna & eadem petitione. Fundamentum eſt, quia vt diſpenſatio legitimè obtineatur, neceſſarium eſt proponi Pontifici totum vinculum diſſoluendum ſecundùm totam grauitatem, quæ intrinſece poteſt diſpenſationem difficiliorem reddere. At vnum impedimentum cenſetur moraliter habere maiorem grauitatem in illo genere, quando eſt coniũctum aliis, quàm ſolitariè ſumptum: nam impedimenta ſimul iuncta ſine dubio reddunt perſonam minus dignam diſpenſatione, etiam in ſingulis, vnde etiam ſimul propoſita magis auertunt animum Principis ad concedendum tale matrimonium, vel ad habilitandam talem perſonam, vt experientia ipſa docet, & per ſe videtur prudentiæ conſentaneum. Vnde videmus in humano iudicio, cum in aliqua perſona plura ſunt atrociora delicta, ſingula difficilius remitti. Firmatur idem: nam quodlibet impedimentum fortius ligat, quando eſt coniũnctum cum aliis, ac quando eſt abſque illis, ac proinde non eo ipſo, quod Pontifex diſpenſat in aliquo impedimento exiſtẽte in perſona nullum aliud habente, diſpenſat in eo exiſtente in perſona illud habente coniunctum cum alio. Et certè aliàs manifeſtè aperiretur via fraudibus, obtinendo videlicet per plures diſpenſationes, quod ſæpiſſime Pontifex, re tota intellecta, per vnam non concederet.

3 Dico *primo*, quando plura impedimenta ſunt adeò diuerſæ rationis ac diſparata, vt vnum indigeat diſpenſatione, alia verò tolli poſſint abſque diſpenſatione, certum videri nõ teneri omnia illa in petitione exprimere, ſed ſolùm illud quod eget diſpenſatione. Vt, verbi gratia, ſi quis ligatus ſponſalibus de futuro cum quadam fœmina, & voto caſtitatis, vel religionis, ante pubertatem emiſſo, nec poſt pubertatem ratificato, velit conſanguineam ducere, ſolius conſanguinitatis teneri facere mentionem in petitione. Patet, quia illorum impedimentorum diſpenſatio nõ eſt neceſſaria, ſed alio modo poteſt ei occurri: nam poteſt obtinere à fœmina cui fidem dederat, remiſſionem ſponſalium: poteſt etiam irritationem illius voti petere à parentibus, vel tutoribus, qui iuxta probabiliorem ſententiam poſſunt ea vota irritare, dũmodo poſt pubertatem non fuerint ratificata; non igitur opus eſt ea diſpẽſanti narrare cum impedimento conſanguinitatis, quod diſpenſatione indiget neceſſariò.

Dico *ſecundo*, quando ſunt plura impedimenta adeò diuerſæ rationis & diſparata, vt licèt egeant diſpenſatione, non tamen ordinentur omnia per ſe ad matrimonium, poſſe ſeparatim peti eorum diſpenſationem. In hoc conſentio cum Doctoribus primæ ſentẽtiæ. Vt ſi, v.g. quis egeat diſpenſatione voti caſtitatis & conſanguinitatis vt talem fœminam ducat, valida erit diſpenſatio voti caſtitatis, ſi prius petatur diſpenſatio eius quàm alterius impedimenti conſanguinitatis, etiamſi ſolùm illud ſine iſto impedimento narretur. Ratio eſt, quia diſpenſatio voti per ſe non ordinatur ad tale matrimonium, tametſi habens tale votum habeat intentionem ducendi conſanguineam, obtinendo poſtea aliam diſpenſationem; hoc enim accidentarium eſt, quia diſpenſatio voti ex ſe & per ſe generaliter ſolùm ordinatur vt liceat vſus coniugalis, quem votum caſtitatis impediebat. Præterea vtrumque impedimentum quamuis coniungatur, nullam auget indecentiam ad matrimonium contrahendum, nec vnum fit ſtrictius & grauius ex coniunctione cum altero; nec vnum impedimentum colligatur cum alio in ordine ad diſpenſationem; ergo poteſt vtriuſque ſeparatim peti diſpenſatio. Vnde ſi tenera detur ſufficiens cauſa independens à matrimonio cum tali conſanguinea, diſpenſationis voti; rectè poteſt obtineri primò diſpenſatio de ſolo voto, & poſtea etiam ad obtinendam diſpenſationem circa conſanguinitatem non oportebit prioris diſpenſationis mentionem facere, quia iam impedimentum voti non exiſtit, ſed legitimè fuit ſublatum abſolutè, & ſine ordine ad matrimoniũ, quantum eſt ex ſe, & ex vi cauſæ; intentio autem operantis eſt per accidens, & non mutat diſpenſationis naturam. Dixi, neceſſarium eſſe, vt cauſa diſpenſationis voti non pendeat ex matrimonio cum tali perſona: nam ſi pendeat, neceſſarium erit, omne aliud impedimentum matrimonij cum eadem perſona explicare, quia non poteſt aliter iudicium ferri de tali cauſa, & quia tunc vnum impedimentum colligatur cum alia in ordine ad diſpenſationem. Quod dixi de voto caſtitatis, dictum puta de voto religionis. Imò licèt eadem perſona vtrumque votum habeat, poterit validas diſpenſationes vtriuſque obtinere, non facta mentione conſanguinitatis, vel aliorum impedimentorum matrimonij, quia neutra ex illis diſpenſationibus neque vtraque ſimul dicit habitudinem ad matrimonium cum impedimento contrahendum. Eſt verò notandum ligatum voto caſtitatis, ſi velit, primo nondum ablato per diſpenſationem voto, impetrare diſpenſationem ad ducendam conſanguineam, teneri in eadem petitione explicare votum, & eo tacito diſpenſationem impedimenti dirimentis, nempe conſanguinitatis, ſurreptitiam fore. Ratio eſt, quia in eo caſu cùm tunc ſint duo illa impedimenta ad illud ſpeciale matrimonium, cuius diſpenſatio petitur, alterum dirimens, & alterum impediens, vtrumque eſt in eadem narratione exprimendum, ne ſurreptitia ſit diſpenſatio. Abſurdum enim videtur admittere validam eſſe diſpenſationem laborantis octo impedimentis dirimentibus, decepto Pontifice, petitis ab ipſo octo diſpenſationibus ſeorſim; nam facillimo negotio eas octo perſonis concederet, at vni nullatenus, vel magna cum difficultate concederet; ergo idem cum proportione dicendum de duobus, vel tribus. Et certè Põtifex diſpenſans in vno 4

impedimento ſibi propoſito, decipitur in re neceſſaria, quoties plura ſubſunt impedimenta; exiſtimat enim meritò petentem diſpenſationem vnius impedimenti, nullo alio impedimento laborare ad contrahendum.

5 Dico *tertiò*, quando ſunt plura impedimenta colligata in ordine ad matrimonium, vt affinitas & cognatio, v.g. per ſe loquendo neceſſarium eſſe ſimul exprimi in vna petitione. In hoc ſenſu intelligo veram eſſe ſecundam ſententiam Sanchez, & firmant eam argumenta propoſita ſuprà *num.* 2. Idque obſeruat praxis Romana, exceptis quibuſdam caſibus occultis, quos ſtatim proponam; quæ exceptio potius firmat regulam in contrarium, & concluſionem iſtam confirmat. Et ratio etiam eſſe poteſt, quia talis diſpenſatio directè videtur peti, & concedi ad contrahendum matrimonium, & ad id ex ſe ordinatur, & ideo intentio diſpenſantis non videtur eſſe tantùm tollere vnũ, vel aliud impedimentum, ſed ſimpliciter habilitare perſonam; ergo ſi narratio ad hoc non ſufficiat, tota diſpenſatio cenſetur irrita ex mente concedentis. Præſertim, quia Pontifex ſimpliciter accipit verba narrationis, & intelligit perſonam non habere aliud impedimentum ad matrimonium, niſi quod proponitur, & ideo qui vnum proponit, & aliud tacet, virtualiter illud negat, & Pontificem decipit. Vnde experientia conſtat, longè aliter, & cum maiori onere, vel grauamine dari diſpenſationem, quando plura impedimenta concurrunt, & ſæpè propter eam cauſam negari; ſignum ergo eſt nolle Pontificem diſpenſare in ſingulis impedimentis, niſi omnia quæ ſimul ſunt, & per ſe ordinantur ad matrimonium, ſimul etiam proponantur.

6 Dixi in concluſione, per ſe loquendo neceſſariũ eſſe vt prædicta impedimenta exprimantur, quia per accidens, ſi alterum impedimentum ſit occultum, & eius generis vt ex manifeſtatione ſequeretur infamia, tunc ſatis erit Pontifici proponere publicum vt in foro externo diſpenſet, & occultum ſacræ Pœnitentiariæ, explicato quoque ibi impedimento publico ſuper quo diſpenſauit Pontifex. Vt ſi quis velit ducere propriã conſanguineam, cui affinitate occulta coniunctus eſt, ratione copulæ occultæ cũ eius ſorore. Ratio eſt, quia piè & iure creditur ea eſſe intentio Pontificis, ne ſimilis caſus remedio diſpẽſationis deſtituatur; ne quoque hi cogantur crimen occultum in foro externo prodere, cum propriæ famæ iactura, & periculo, vt crimen illud ſic explicatum deferatur ad iudicium ſeculare, & damnentur pœnis inceſtus iure ſtatutis. Ideo verò neceſſe eſt vtrumque impedimentum declarari ſacræ Pœnitentiariæ: quia cùm in ea diſpenſatione non contineantur nomina contrahentium, manet adhuc occultum crimen, ac vtrumque impedimentum fit notum Pontifici, cum quo conſultatione habita diſpẽſat Pœnitentiaria, & perpendit an diſpenſare expediat, concurrente eo duplici impedimẽto, atque adeò nihil contra Pontificis mentem impetratur. Idem dico cum Sanchez *diſp.* 23. *n.* 8. quamuis impedimentum occultum non ſit eius generis, vt ex manifeſtatione nõ ſequeretur infamia, vt ſi eſſet votũ caſtitatis. Sat enim eſſet tunc Pontifici repræſentari publicum, vt in eo diſpenſet, & poſtmodum vtrumque ſacræ Pœnitentiariæ. Reddit rationem Sanchez, quia cùm Pontifex ſacram Pœnitentiariam deſtinauerit vt in occultis diſpenſet, nec ea voluerit publicè in foro externo proponi, piè credi poteſt velle cum ſufficere, & requiri, vt vel vtrumque impedimentum ſibi proponatur, vel ſacræ Pœnitentiariæ, explicato tamen publico ſibi, ſuper quo ſacra Pœnitentiaria poteſtate caret. Quod ſi prius impetraretur à ſacra Pœnitentiaria, vel à Põtifice illius voti diſpenſatio, non eſſet opus mentione alterius impedimenti, iuxta dicta ſuprà *n.* 4. ſed tunc ſolùm quando prius impetratur alterius impedimenti diſpenſatio.

Dico *vltimò*, in diſpenſationibus aliis irregularitatũ, & aliarum inhabilitatum, & pœnarum, per ſe loquendo, vnam irregularitatem poſſe tolli ſine alia, vt irregularitatem homicidij poſſe tolli abſque alia illegitimi. Ita omnes. Ratio eſt, quia inter has irregularitates, & pœnas non eſt connexio, & taciturnitas vnius non confert aliquid ad diſpenſationem alterius, niſi quatenus tollit aliquam maiorem difficultatem, quam fortaſſe haberet Princeps in diſpẽſando, ſi omnes cognoſceret. Huc autem nõ ſufficit ad ſurreptionem, niſi vel ius aliquod cogat, vel aliæ circumſtantiæ, & rationes concurrant. Hîc autem nullum eſt ius, nec ratio fauet, quia multitudo irregularitatum, vel ſimilium vinculorum ad ſummum reddit perſonam magis inhabilẽ extenſiuè, & minus dignam quocumque beneficio: hoc autem non ſufficit ad ſurreptionem, quia cum eo ſtat quòd diſpenſatio fiat cum plena volũtate, & cum cognitione omnium, quæ ad valorem actus neceſſaria ſunt. Quod firmatur à ſimili, nam qui plures habet excommunicationes, minus dignus eſt quacumque abſolutione, & tamen ſi impetret abſolutionem vnius tacita altera, valebit, vt concedunt omnes, quia nullo iure plus exigitur. At nec in irregularitatibus poſtulatur. Præterea, qui plura habet crimina, minus dignus eſt beneficio, & ſi eſſent cognita, difficilius illud obtineret, vel fortè non obtineret, & tamen collatio valida eſt, ſecluſo alio maiori impedimento. Rurſus qui propter diſtincta crimina obnoxius eſt multis pœnis, minus dignus eſt cuiuſlibet remiſſione, & difficilius illam obtineret, ſi omnia ſimul remittenda proponeret, & tamen valida eſt remiſſio vniuſcuiuſque, tacitis aliis, niſi vbi lex aliud diſponit, vel vnum non poteſt ſine alio ſufficienter explicari, quia cùm ſunt omnino diuerſa, nullam connexionem habent in remiſſione: & illa difficultas quæ per taciturnitatem euitatur, non cauſat inuoluntarium, niſi valde accidentarium, & diminutum, quod non impedit valorẽ actus. Igitur idem dicendum eſt in irregularitatibus, & aliis ſimilibus pœnis, per ſe loquendo, valere diſpenſationem vnius ſine expreſſione alterius. Quod intellige niſi grauitas vnius nequeat ſatis ſine alia explicari. Vnde hac de cauſa diſpenſatio irregularitatis contractæ occidendo clericum, non eſt valida explicato homicidio, niſi explicetur ſacrilegium. Qui etiam plura homicidia commiſit, ſi vno tantùm narrato velit diſpẽſationem vnius irregularitatis obtinere, nihil faciet, quia tametſi illæ irregularitates ſint numero diuerſæ, moraliter tamen quaſi efficiunt vnam grauiorem, ità vt vna earum non ſatis explicetur ſine alia. 7

8 Ex dictis facilè ſoluuntur argumenta primæ ſententiæ, prout opponuntur dicto tertio.

Ad primum iam conſtat cur vtrumque impedimentum in eadem diſpenſatione ſit exprimendum, quia ſi vtrumque conducat, & per ſe ordinetur ad matrimonium, quodlibet fit ſtrictius ex coniunctione cum altero, ac proinde quodlibet difficiliùs ſoluitur, & diſpenſatur, & maiorem requirit cauſam.

Ad ſecundum dico illud requiri ſaltem ex iure poſitiuo, quia ita obſeruatur ex ſtylo curiæ habente vim legis.

Ad tertium negatur antecedens, illud enim non habet ſtylus Curiæ, niſi in duplici caſu explicato ſuprà *num.* 6.

Ad quartum conceſſo antecedente, negatur conſequentia:

Digitized by Google

ſequentia: nam impetratio illius veniæ diuerſorum criminum tendit ad diuerſos fines, & vna non pendet ab altera: at diſpenſatio vtriuſque impedimenti ordinatur per ſe, & tendit ad idem matrimonium ineundum, cui vtrumque illud impedimentum reſiſtit, & ideo vt valeat, vtrumque ſimul impedimentum exprimendum eſt.

Ad vltimum, diuerſa eſt ratio: nam ad diſpenſationis valorem petitur iure omnia impedimenta explicari, & in eadem diſpenſatione: ad valorem verò abſolutionis ab excommunicatione nullo iure cauetur, vt impedimentum aliquod explicetur, præter eam cauſam præcisè ob quam excommunicatio incurſa eſt, cuius abſolutio petitur.

SECTIO V.

An quando ſunt plura impedimenta, ſint & quo pacto exprimenda, ad valorem diſpenſationis.

1 CErtum eſt *primò*, quoties ſunt plura impedimenta diuerſæ rationis, v.g. conſanguinitatis & affinitatis, omnia eſſe neceſſariò exprimenda ad valorem diſpenſationis. Patet, quia cum omnia illa matrimonio ineundo obſtent, & quodlibet egeat diſpenſatione, & ſint adeò diuerſæ rationis, vt vnum non exprimatur expreſſione alterius, neceſſe eſt vt omnia illi Pontifici in petitione exprimantur adhuc in eadem narratione, modò dicto præcedenti ſectione.

2 Certum eſt *ſecundò*, neceſſe quoque eſſe, vt valida ſit diſpenſatio exprimere gradum coniunctionis in conſanguinitate, affinitate, & publica honeſtate ex matrimonio rato, in qua etiam ſunt gradus. Conſtat id ex communi ſtylo Curiæ. Et ratio eſt, quia quo gradus coniunctior eſt, eo difficilior eſt diſpenſatio, & exigitur maior compoſitio, & vrgentioribus cauſis expoſitis ſolet concedi: quodlibet enim impedimentum ex dictis ſtrictius eſt in gradu propinquiori, & in linea recta, & maiorem requirit cauſam. Vnde fit vt diſpenſatio ſurreptitia ſit, ſi hæc in genere explicentur tacito gradu, quia deeſt qualitas neceſſariò exprimenda: ſicut communiter docent Doctores, ſurreptitiam eſſe legitimationem ſpurij, ſi ſolum declaretur eum eſſe ſpurium, tacitis qualitatibus, & circumſtantiis coitus, ex quo procreatus eſt.

His poſitis ſex occurrunt difficultates circa præſentem quæſtionem.

3 *Prima* eſt, an ſi duo ſint duplici titulo coniuncti in eodem, vel diuerſo gradu, ſit vtraque coniunctio exprimenda. Verbi gratia, ſunt ex parte vtriuſque parentis coniuncti in ſecundo gradu, id eſt, *primos hermanos por dos partes*, vel ex vno parentis latere ſunt coniuncti in ſecundo gradu, & ex altero in tertio vel quarto: vel ſunt affines duplici titulo, vt quia contrahens rem habuit cum duabus perſonis conſanguineis intra ſecundum gradum alterius contrahentis: vel duplici titulo contraxere cognationem ſpiritualem, vt ſi alter alterius duos filios baptizauit, vel ex ſacro fonte leuauit; vel duplici ex parte habet impedimentum publicæ honeſtatis, quia contraxit matrimonium ratum validum cum duplici cognata intra quartum gradum eius cum qua vult contrahere: & ſic de aliis.

Docet Henriquez *lib.* 12. *c.* 10. ſatis eſſe dicere, ſumus patrueles, id eſt, *primos hermanos*, non explicando an ex vtroque parente, vel ex altero tantum conſanguinitatis dicto gradu ſe attingant. Et idē dicit loquēs de affinitate. Et loquēs de affinitate ſentiunt idē Petr. de Ledeſm. *in ſum.* vbi de matrimonio *c.* 27. poſt ſextā concluſionem, *diffic.* 2. Rodrig. 1. *tom. ſum. c.* 258. & Vega 2. *tom. ſummæ c.* 34. *caſu* 98. Idem dicerent de gradibus publicæ honeſtatis, & cognationis ſpiritualis. Probant, quia vterque vbi ex vtroque latere conſanguineus eſt, vnicum eſt conſanguinitatis vinculum, nec inde gradus hic recipit augmentum, quia tunc conſanguinitas ob vnitatem ſubiecti, quamuis ex duplici parte proueniens, eſt tantùm vna, & etiam affinitas, quamuis ex duplici parte, eſt tantum vna. Quare ſicut irregularis tametſi ſæpè cum excommunicatione celebrauerit, non tenetur id exprimere in impetratione diſpenſationis: nec habens rem ſæpè cum ſorore fœminæ ducendæ, non tenetur multiplicem copulam narrare: nec natus ex duplici adulterio coniugati cum coniugata, non tenetur in legitimationis impetratione vtrumque vitium exprimere, ſed ſatisfaciet narrans ſe ex coniugato, & ſoluta natum eſſe, quia ſic explicat ſe ex adulterio natum eſſe: ita ſimiliter ſufficiet explicare gradum propinquiorem conſanguinitatis, vel affinitatis, non explicata multiplicitate illius gradus.

Oppoſitum tamen iudico probabilius cum Sanchez *diſput.* 24. *n.* 5. Baſilio Ponce *lib.* 8. *cap.* 17. *punct.* 5. *num.* 25. Hurtado *diſput.* 26. *difficult.* 6. *num.* 18. & aliis. Moueor, quia tametſi duplex ille coniunctionis gradus ſit eadem numero coniunctio ex vnitate ſubiecti in quo reperitur, eſt tamen multo intenſior, & talis, ac ſi eſſet alia coniunctio: & ſimiliter licèt ſit tantùm vnum impedimentum, eſt tamen habens plures gradus, quorum quilibet auferri poteſt remanente alio, ſicut etiam vnus poteſt introduci abſque alio, ac proinde non eo ipſo, quod eſt diſpenſatio vnius gradus, eſt diſpenſatio aliorum, & ideo omnis multiplicitas gradus exprimenda eſt, ne diſpenſatio ſit ſurreptitia. Firmo explicando rem ipſam: nam dum conſanguinitas, verbi gratia, ex duplici parte conſurgit, tunc non eſt vnius ſanguinis communicatio, ſed eſt duplicis ſanguinis communicatio verè participati à duobus diuerſis; vnde cum ex ſanguinis participatione conſurgat impedimentum conſanguinitatis, pullulabit inde, vel duplex impedimentum, vel certè duplicatus intenſionis gradus eiuſdem impedimenti. Idem eſt quando contrahitur duplex affinitas cum eadem fœmina ex duplici copula habita cum duabus eiuſdem conſanguineis; tunc enim non datur ſimplex eorundem ſeminum commixtio, ex qua ſequitur affinitas, ſed eſt duplicata diuerſorum numero ſeminum commixtio. Idem dic de aliis; ergo. 4

Hinc colligo manifeſtum diſcrimen inter diſpenſationem, & poteſtatem diſpenſandi: nam hæc in aliquo coniunctionis gradu conceſſa, extenditur ad eum gradum, licèt duplicatum: at diſpenſatio in aliquo coniunctionis gradu non extenditur ad coniunctionem duplicatam ex vtroque parente. Quia diſpenſatio tanquam odioſa eſt reſtringenda, poteſtas verò diſpenſandi tanquam fauorabilis eſt extendenda. Cæterùm id cui poteſtas data eſt diſpenſandi in certo gradu, puta, in ſecundo, non poſſet ſi illi quoque adiunctus eſſet alius gradus etiam inferior, nempe tertius. Quia tametſi potens diſpenſare in ſecundo gradu, poſſit à fortiori in tertio, tanquam in minori; at nequit quando vterque gradus in eodem reperitur, quia multo maior eſt quàm ſecundus ſolus, nec comprehenditur ſub ſecundo, tanquam ſub genere; nam ſecundus gradus eſt quaſi genus ad eundem gradum multiplicatum, ſed non eſt genus ad ſecundum, & tertium. 5

Ad argumentum contrariæ ſententiæ, dico eſſe

quidem vnum impedimentum, effici tamen vnũ vinculum longè gtauius, & vnam cognationem intenſiorem duos quaſi gradus habẽte. Et ſimile optimũ eſt in diſpenſatione cum illegitimo ex adulterio; ſi enim non explicetur an adulterium ſit ex vtraque parte, cẽſetur irrita diſpenſatio, vt optimè Molina *tom. 1. de iuſtitia tract. 2. diſp. 173. verſ. Hinc colligitur.* & Sanchez *citatus* cum aliis. Vnde conſtat diuerſam eſſe rationem ſi affinitas orta ſit ex pluribus actibus repetitis, cum eadem tamen conſanguinea; tunc enim non eſt id neceſſarium explicare: quia non conſurgit minus impedimentum affinitatis ex vna, quàm ex pluribus copulis cum eadem, nec cõtrahũtur plures affinitates, ſeu plures eiuſdem affinitatis grados; ſicut nec multæ irregularitates ex multiplici celebratione excõmunicati; ſolum enim addũtur nouæ illæ actiones, quibus ſufficienter cũtraheretur irregularitas, vel affinitas, niſi eſſet iã contracta: ſicut ex multiplici eiuſdẽ voti repetitione nullũ vinculum nouum conſurgit. Dixi, cũ eadẽ conſanguinea: nam ſi ſint diuerſæ fornicationes cum diuerſis conſanguineis, ſunt diuerſa numero impedimẽta intra eandem cognationis ſpeciem, vel ſaltẽ ſunt quaſi diſtincti plures gradus eiuſdẽ ſpecificæ cõiunctionis. Quare ſi ante diſpenſationẽ factã per Ordinarium ſæpius quis copularetur eidẽ conſanguineæ vxoris ducendæ, non eſſet neceſſaria alia diſpenſatio, quia prædicta copulæ multiplicatio nõ auget affinitatẽ, nec nouum aliquem eius gradũ producit, ſed eadem net affinitas manet, in qua diſpenſati committitur Ordinario. Secus eſſet, ſi poſt diſpenſationẽ ab Ordinario factam, iterum illam cognoſceret; quia hæc iã eſſet noua affinitas, in qua nulla eſt diſpenſandi commiſſio, cum prior affinitas ſit omnino per diſpenſationem ablata.

7 *Secunda difficultas* eſt, an in diſpenſationis impettatione ſuper gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis, quando contracturi diſtant inæqualiter à ſtipite, vt ſi alter diſter in ſecundo, & alter in tertio, an neceſſariò explicandus ſit gradus propinquior, an verò ſufficiat remotior.

Breuiter dico, ad obtinendam diſpenſationem in conſanguinitate, & affinitate, ſufficere de iure communi exprimere remotiorem gradum eorum qui diſtant inæqualiter à communi ſtipite, quia re ipſa ſolùm ſunt in eo gradu. Cæterùm nunc iure peculiari Pij V. in motu proprio, qui incipit, *Sanctiſſimus*, ad valorem diſpenſationis conſanguinitatis, & affinitatis; requiritur, vt quando propinquior ſtipiti proximo diſtat in primo gradu, etiam iſte primus exprimatur, & non ſufficiat expreſſio remotioris. Quando verò propinquior diſtat in ſecundo, aut tertio, & remotior in quarto, decretum ibi eſt, vt ſufficiat mentio remotioris, habitis tamen literis declaratoriis ſuper propinquiori gradu non expreſſo in petitione diſpenſationis. Loquitur autem Pius V. tantùm in conſanguinitate & affinitate. Quare ſi petatur diſpenſatio in impedimẽto publicæ honeſtatis ex matrimonio ratò, ſufficiet remotioris gradus mentio, nullis literis declaratoriis poſtea impetratis. Quia cùm de hoc non loquatur, ſtandum eſt iure communi, quo attento ſola remotioris gradus mentio ſufficit. Notat benè Sanchez cum aliis, literas prædictas declaratorias peti pro ſolo foro externo, vt caueatur ſcandalum: poterant enim aliqui ſcandali anſam ſumere, videntes non eſſe diſpenſatum in gradu propinquiori, ac propterea exiſtimantes matrimonium eſſe irritum; ergo petitio earum ſolum forum externum reſpicit. Vnde infert Sanchez, & Baſilius quoque quando non timetur ſcandalum, poſſe licitè contrahi matrimonium abſque dictis literis.

Exiſtimat verò Sanchez *dicta diſput. n.* 12. non ſatis eſſe explicare inæqualitatem gradus modo dicto, ſi fœmina ſit ſtipiti proximior, ſed explicari debere, an fœmina ſit in ſecundo, vel tertio gradu. Quod etiã docuit Molina *tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſput. 161. verſu, illud tamen.* Quia cùm tunc fœmina ſit amita, vel matertera viri, id eſt, auia ſua, multo abſurdius eſt id matrimonium. Cæterùm, vt rectè notauit Baſilius Ponce *§. quinto citato num.* 27. cùm Pius V. abſolutè, & ſine diſtinctione doceat non eſſe neceſſarium propinquiorem exprimere, nulla facta diſtinctione fœminæ, aut viri, non apparet quo fundamento deducatur neceſſarium eſſe explicare propinquiorem, ſi fœmina propinquior ſit ſtipiti quàm vir. Quare dicendum puto, in eo caſu nõ eſſe neceſſarium, & multo minus in affinitate, ob eandem Pij V. conſtitutionem. Hinc 8

9 Colligo *primò*, non eſſe neceſſarium explicare, an ea diſtantia ſit in linea recta, vel tranſuerſali. Nam ſi ex conſtitutione Pij V. non eſt neceſſaria inæqualitatis explicatio, quando grados propinquus concurrit cum remoto, modo dicto; ergo neque neceſſarium eſt explicare qualis ſit ea propinquitas, vel diſtantia. Si enim in recta linea conſanguinitatis eſt impedimentum naturale vſque in infinitum, vt multi volunt, diſpenſatio eſſe non poteſt. Si verò non extendatur niſi vſque ad quartum gradum, vt ipſe opinor, & petitur in eo gradu in quo diſpenſatio eſſe poteſt, non video cur neceſſe ſit diſtantiam explicare. Quare niſi Pontifex, vel ſtilus Curiæ id exigat ad diſpenſationis valorem, illud certè tenendum eſt.

10 Colligo *ſecundo*, quando in petitione eſt error in gradu, vt quando exprimitur maior pro minori, verbi gratia, ſecundus, pro tertio; vel tertius, pro quarto, diſpenſationem validam eſſe, quia minor continetur in maiori, & qui diſpenſat in maiori, eo ipſo diſpenſat in minori. Quod intelligi debet quando maior & minor ſunt eiuſdem ſpeciei, vt conſanguinitatis, aut affinitatis. Nam quando ſunt diuerſæ ſpeciei, diſpenſatio eſt nulla, vt ſi exprimatur ſecundus gradus conſanguinitatis pro tertio affinitatis; quia tunc minor tacitus non continetur in maiori expreſſo. Et in diſpenſatione non eſt argumentum à maiori ad minus, niſi quando minus includitur in maiori. Similiter ſi error ſit explicando gradum inferiorem, vt quartum, cùm tamen ſit ſuperior, nempe tertius, quantumuis ex ignorantia inculpata procedat, eſt irrita diſpenſatio. Quia contingit circa diſpenſationis ſubſtantiam, & ita nullatenus in illo gradu ſuperiori diſpenſatur, vtpote, qui nec formaliter, nec virtute clauditur in inferiori.

11 *Tertia difficultas* eſt, an concurrentibus affinitate, & publica honeſtate; ſat ſit affinitatis mentio, tacita publica honeſtate. Vt, exempli cauſa, quis vult ducere conſanguineam intra quartũ gradum prioris vxoris à ſe cognitæ, habet impedimẽntum publicæ honeſtatis ortum ex matrimonio cum conſanguinea huius prius inito, & affinitatis ortum ex illius matrimonij conſummatione, quæritur an in diſpenſationis impetratione ad ducendam eam fœminam ſatis ſit affinitatem narrare.

Variæ ſunt opiniones quæ videri poſſunt apud Sanctium *diſp. 24. cit. n. 36. 37. & 38.* Placet mihi in hac re diſtinctio qua vtitur prædictus Sanchez. Nã ſi explicetur affinitas ex copula licita proueniens, vt petendo diſpenſationem ad conſanguineã vxoris ducẽdam, valebit, tametſi publica honeſtas taceatur; quia tacitè iam illius mentio fit; iam enim in tali affinitate intelligitur, & ibi neceſſariò includitur. At ſi explicetur affinitas in genere, non valet, quia in affinitate

in genere non includitur publica honeſtas. Maximè cùm neceſſarium ſit explicare, an affinitas ſit ex copula licita, vel illicita, & non ſufficiat ſi explicatur affinitas in genere, quia ea affinitas tam de licita, quæ publicæ honeſtati coniungitur, quàm de illicita, quæ eſt ſine illa, intelligi poteſt. Hinc

12 Colligo *primò*, petitam diſpenſationem affinitatis in tertio, vel quarto gradu valere, quamuis non explicetur, an ex copula licita oriatur, & publica honeſtas. Quia cùm ex ſola copula coniugali oriatur in his gradibus affinitas, ſaltem tacitè exprimitur & virtute eam oriri ex copula coniugali, & conſequenter tacitè quoque declaratur publica honeſtas.

13 Colligo *ſecundò*, in petitione diſpenſationis affinitatis in primo, vel ſecundo gradu, ſi ex copula coniugali oriatur, eſſe id neceſſariò narrandum. Quia duplex tunc oritur impedimentum, nempe affinitatis & publicæ honeſtatis; & tacitum eſt hoc. Vnde nec ſufficeret mentio affinitatis in genere, & publicæ honeſtatis in genere. Tum quia cùm publica honeſtas oriatur quoque ex ſponſalibus, non explicatur an ex matrimonio orta ſit, quod certe neceſſarium eſt. Tũ quia neque etiam explicatur de affinitate an ex matrimonio orta ſit, cùm hoc quoque neceſſarium ſit, quia eſt multo fortius vinculũ affinitate orta ex fornicatione.

14 Colligo *vltimò*, in poteſtate diſpenſandi in affinitate, includi quoque publicam honeſtatem cum illa concurrentem: ita Sanchez *diſp. cit. num* 41. Et patet, quia cùm affinitas genus ſit ad ortam ex copula licita, & illicita, & poteſtas diſpenſandi ſit latè interpretanda, ad vtramque extendetur. Quamuis diſpenſatio ipſa quæ eſt ſtricti iuris, de ſola minori affinitate intelligatur. Nam ſi ſola affinitas in genere explicetur, cùm poſſit eſſe ex matrimonio, & ſic coniuncta cum publica honeſtate, & poſſit eſſe ex fornicatione, & ſic abſque illa, eo ipſo quo ſimpliciter expreſſa eſt, intelligitur reſpectu diſpenſationis de ſimplici affinitate, & non de mixta cum publica honeſtate. Quia in materia odioſa, & ſtricti iuris, verba, quæ poſſunt intelligi in ſignificato potentiori, & in minori, ſemper intelliguntur in minori, vt conſtat ex *cap. finali, de prob. ua. cap. cum illis, in* 1. *reſponſo*, *& cap. quamuis, eodem titulo in* 6. ſicut ſuprà dixi *n.* 5. poteſtatem diſpenſandi in aliquo gradu, extendi ad eum duplicatum ex vtroque latere, ſecus de ipſa diſpenſatione. Cùm igitur ea diſpenſandi in affinitate poteſtas claudat quoque affinitaté ex copula coniugali, cui neceſſariò coniuncta eſt publica honeſtas, extendetur quoque ad publicam honeſtaté. Imò ad hanc extendetur quoque, tametſi ſit abſque affinitate, vt ſi ex ſolo matrimonio rato, vel ex ſolis ſpõſalibus orta ſit. Quia eo ipſo quòd datur facultas ad affinitaté ex copula licita, ſupponitur præceſſiſſe ſponſalia, & matrimoniũ ratũ, indeque ortum publicæ honeſtatis impedimentũ; atque ideo facultatem illam ad hoc quoque extendi. Firmatur hoc idem, quia publica honeſtas non oritur ex matrimonio ratione conſummationis, ſed ex ſolo ipſo matrimonij contractu naſcitur, atque ideo publica honeſtas, ad quam ea poteſtas extenditur, non eſt alia, quàm ea, quæ ex matrimonio rato producitur. Nam quæ naſcitur ex ſponſalibus, eſt gradus minor eiuſdem ſpeciei publicæ honeſtatis, incluſus in publica honeſtate ex matrimonio orta.

15 *Quarta difficultas* eſt, an quando publica honeſtas oritur ex matrimonio rato, non ſatis ſit mentionem publicæ honeſtatis facere, quando petitur diſpenſatio in primo gradu, ſed etiam neceſſe ſit eam exprimere ex matrimonio rato ortam. Reſpondeo affirmatiuè. Tum quia impedimentum ex matrimonio rato eſt multo vrgentius quàm illud aliud ex ſponſalibus ortum. Tum quia multo indecentius eſt inire matrimonium cum ſorore ſponſæ de præſenti, quam cum ſorore ſponſæ de futuro. Cuius manifeſtum ſignum eſt, quia Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de reformatione c.* 3. reſtrinxit impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus ortum, vt non excedat primum gradum, cùm tamen publica honeſtas ex matrimonio rato extendatur vſque ad quartum. Quòd ſi vltra primum gradum peteretur diſpenſatio in publica honeſtate, non eſſet opus exprimere, vnde orta ſit, quia poſt dictum Tridentini decretum ex ſolo matrimonio rato poteſt oriri.

Quinta difficultas eſt, an quando eſt error communis circa gradum, vel impedimentum, valida ſit diſpenſatio ob eum communem errorem. Caſus eſt, ſunt duo contracturi qui communiter exiſtimantur conſanguinei in tertio gradu, & tamen verè ſunt in ſecundo; vel etiam communi errore putantur affines, & tamen verè ſunt conſanguinei; impetratur diſpenſatio iuxta hunc communem errorem, quæritur an ſit ſurreptitia, & nulla, an potius valida ob prædictum errorem communem. 6

Validam eſſe, poſſet quis opinari, ductus alia ſimili doctrina quam tradit Molina *tom.* 1. *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 173. *colum.* 9. *verſu, quando qualitas.* Vbi loquens de petitione legitimationis, ait quoties qualitas aliqua ideo non fuit expreſſa in illa, quia tempore coitus, & expeditionis legitimationis ignorabatur, non reddi diſpenſationem, ſeu legitimationem ſurreptitiam. Vt ſi quis genuiſſet filium ex ea, quæ communiter reputabatur vidua, & poſt legitimationem compertum ſit eam fuiſſe coniugatam, dicit valere legitimationem non explicato adulterio Pontifici. Quia ad valorem actus opinio communis quandoque præfertur veritati, vt conſtat ex *l. Barbarius, ff. de offic. prætoris.* Firmatur, quia multi Doctores graues affirmant expreſſo aliquo vacationis beneficij modo, non venire alium, niſi eſſet communis error, exiſtimans modo illo expreſſo id vacaſſe; tunc enim prædictus communis error excuſaret.

Sanchez verò dicta *diſput.* 24. *num.* 10. nullatenus audet hanc ſententiam defendere, ſed contrariam. Quia tametſi ignorantia à peccato excuſet, vt eſt manifeſtum, at nihil poteſt conferre ad id, vt diſpenſatio trahatur ad caſum aliũ, quàm ad determinaté expreſſum. Cùm ergo in petitione ipſa, vel narratione ſolus tertius gradus ſit expreſſus, vel ſola conſanguinitas, non ſit expreſſus, vel ignorantia inculpata, ſeu inuincibilis, vt diſpenſatio trahatur ad ſecundum gradum, vel ad affinitatem, in quibus non eſt diſpenſatum. 17

Prudenti huic noſtri Sanchez reſolutioni magis inclino: quia in noſtro caſu eſt error in ipſamet ſubſtantia rei in qua diſpenſatur: & narratio ipſa eſt contra formam ſubſtantialem ſeruandam in illa, vt exprimatur quod re ipſa eſt impedimentum, & certus ac determinatus gradus; ergo ſtante illo defectu nequit valere diſpenſatio, quia abſque forma ſubſtantiali non poteſt res ſubſiſtere; ergo neque diſpenſatio illa poteſt ſuum valorem habere ſine tali forma, atque adeo tali forma deficiente non poreſt impediri defectus nullitatis.

Ad argumentum oppoſitum dico, illud eſſe valde diuerſum; nam lex illa *Barbarius* ſupplet defectum in cauſa efficiente, quem quidem ſupplet illa lex in iudicibus, & in aliis miniſtris publicis, quando defectus iuriſdictionis eſt ita occultus, vt communiter illi putentur veri miniſtri. Vnde eſt communiſſima Doctorum ſententia, Eccleſiam quando adeſt communis error, dare iuriſdictionem

propter publicam vtilitatem. Imò & quando adeſt probabilis opinio Doctorum affirmantium dari poteſtatem iuriſdictioois in miniſtro, propter communem vtilitatem fidelium, qui iuxta illam probabilem ſententiam operantur, ipſa Eccleſia dat iuriſdictionem, etiam ſi ſententia illa ſit re ipſa falſa. At in noſtro caſu, neque illa lex, neque vlla alia diſponit, vt conceſſum in vno caſu, cenſeatur concedi in alio diuerſo propter communem errorem, vel publicam vtilitatem. Ex quo patet ad confirmationem, nam in noſtro caſu eſt error in ipſamet ſubſtantia caſus, in quo non diſpenſatur. At in eo caſu beneficij, non eſt error in beneficij ſubſtantia, ſed in quodam accidente parum conducēte ad collationem; & ideo iure ac merito ea mens Pontificis eſſe creditur, vt ob id accidens communiter ignoratum non vitietur collatio.

18 *Sexta*, & vltima *difficultas* eſt, qualiter petenda eſt diſpenſatio vt valida ſit, illius, qui vxorem interimit animo ducēdæ concubinæ, vel abſque eo animo; nec res eſt occulta, quia in foro externo delatus eſt, & damnatus non pœna ordinaria, ſed arbitraria defectu plenæ delicti probationis. Ratio dubitandi eſt, quia cum ſit hoc impedimentum non occultum, ſed deductum ad forum contentioſum, & reus damnatus, non admittetur diſpenſatio in ſolo conſcientiæ foro conceſſa. Si verò in foro externo petere velit, cùm nomen petentis exprimatur, ex ſua confeſſione conuincetur, & pœnam delicti ordinariam ſoluet.

Reſpoodet bene Sanchez citatus *num.* 12. ſi vir iſte interfecit ſuam vxorem abſque animo ducendæ concubinæ, facilè poſſe impetrare diſpenſationem in foro externo, narrando ſibi impedimentum opponi interfectionis vxoris, cùm verè non interfecerit; ac ſe illam petere, vt foro externo ſatisfaciat. Nec in hoc mentitur, etiamſi poſtea coram officiali Epiſcopi iuret veras eſſe preces. Quia, vt dixi ſuprà *diſp.* 33. *ſect.* 1. *n.* 6. machinatio abſque eo animo non dirimit matrimoniom: neque impedit; iuxta doctrinam à nobis traditam ſuprà *diſp.* 22. *ſect.* 8. hoc impedimentum, & cætera impedientia, præter votum, & alia ſponſalia eſſe vſu abobita, & ita verum narrat hic impetrans, cùm non occiderit quatenus eſt impedimentum ſuper quo cadit diſpenſatio. Quòd ſi eo animo interfecerit, opportunum remedium eſt, narrare Pontifici ſe de eo delicto infamatum, ac delatum in foro externo, & damnatum arbitraria pœna defectu plenæ probationis, & nec fateatur, nec neget delictum io ea narratione. Et in ſacra Pœnitentiaria petere aliam diſpenſationem, referendo quòd in publica fori externi petitione propoſitum eſt, ac ibi tacitam eſſe delicti veritatem, ob periculum propriæ proditionis; & in hac debet impetrans fateri veritatem, quia ceſſat periculum, cum in hac nomen petentis non exprimatur. Nec refert, ſiue prius proponatur occultum ſacræ Pœnitentiariæ, & poſtea publicum Papæ, ſiue è contra; quia idemmet eſt effectus, & vtroque modo intentioni Pontificis ſatisfit.

Sectio VI.

An taciturnitas copulæ habitæ inter conſanguineos, aut affines, irritet diſpenſationem conſanguinitatis, vel affinitatis.

1 Certum eſt apud omnes, copulam habitam inter conſanguineos, vel affines poſt diſpenſationem expeditam ab Ordinario, cui fuit à Pontifice commiſſa, non irritare diſpenſationem iam expeditam. Patet, quia nihil in diſpenſatione tacitum eſt quod explicandum foret, cùm iam eo copula contigerit poſt diſpenſationem omnino conſummatam. Idem dic, tametſi diſpenſatio à Pontifice ſit conceſſa ſub ea conditione, vt copula non interuenerit; quia ſatis ei conditioni ſatisfit, cum ante diſpenſationis conſummationem copula non adfuerit. Nam ea poſtea adueniens nequit eneruare vires diſpenſationis omnino cōſummatæ. Difficultas ergo eſt, an taciturnitas copulæ habitæ ante conceſſionem Papæ, ſeu poſt, antequam Ordinarius illam expediat, vel confeſſarius, ſi illi commiſſa eſt diſpenſatio in foro conſcientiæ, irritet diſpenſationem conſanguinitatis, vel affinitatis.

Nam Sanchez cum multis aliis *diſput.* 25. *n.* 8. docet irritare. Probat *primò* ex ſtylo curiæ qui obtinuit, vt inceſtus exprimatur in petitione, vt ſic timore huius manifeſtationis, conſanguinei, & affines arceantur ab inceſtuoſa copula. At ea quæ ſtylus Curiæ ſeruat, ſunt neceſſariò in diſpenſatione explicanda, quia ſtylus curiæ ius facit, *c. quam graui, de crimine falſi*; nec ab eo eſt recedendum. 2

Secundò, copula illa expreſſa efficit, vt diſpenſatio concedatur cum quibuſdam limitationibus, nempe addita pœnitentia contrahentibus, & maiori compenſatione pecuniæ. Et quod eo matrimonio per mortem diſſoluto ſuperſtes non contrahat aliud; ergo taciturnitas copulæ, vtpote pertinentis ad cauſam motiuam, efficit diſpenſationem nullam.

Tertiò, tametſi verum ſit in deſuetudinem abiiſſe peti diſpenſationem, vt inceſtuoſus matrimonium contrahat, id videtur intelligi quando cum alia fœmina, ab ea cum qua inceſtum commiſit, vult contrahere. At quando cum ea vult, mentio inceſtus eſt neceſſariò facienda ob prædictum Curiæ ſtylum moderamina adhibere ſolentis. Qua de cauſa, tametſi aliàs Epiſcopus poſſit in hoc inceſtu diſpenſare, at nequit quando illi conſanguinei, vel affines nolunt inter ſe matrimonium contrahere: obſtat enim ſtylus curiæ petens vt in conſanguinitatis, vel affinitatis diſpenſatione explicetur quoque is inceſtus, ne ſurreptitia ſit.

Baſilius verò Ponce cum Nauarro, Ouando, Salzedo, Man. Rodriquez, Henriquez & aliis *lib.* 8. *c.* 17. §. 6. *n.* 32. & Hurtado *diſp.* 26. *difficult.* 5. cenſent, ſi poſt copulam carnalem cum conſanguinea impetretur diſpenſatio ad contrahendum matrimonium, tacita copula carnali, diſpenſationem valere, & noo eſſe ſurreptitiam. Probat, quia copola illa carnalis, ſi fuiſſet expreſſa, faciliorem reddidiſſet Pontificem ad concedendam diſpenſationem. At quando tacetur veritas quæ ſi fuiſſet expreſſa, faciliorem reddidiſſet Pontificem ad concedendum reſcriptum, non cenſetur ſurreptitium. Hæc ſententia mihi videtur probabilior. Iuxta quam 3

Dico *primò* non eſſe neceſſariò exprimendam copulam habitam ante commiſſionem Papæ vt diſpenſatio valida cenſeatur. Moueor, quia hic inceſtus non eſt impedimentum egens diſpenſatione de ſe, vt conſtat. Nec iure aliquo iubetur copula exprimi, cum nullum extet ius ſcriptum, neque eſt ius introductum conſuetudine, ſeu ſtylo curiæ, cùm non ſemper exprimatur ex conſilio virorum doctorum ſecundæ ſententiæ, tametſi aliquando fiat ex conſilio Doctorum primæ ſententiæ. Deinde ſtylus Curiæ, vt ait Rodriquez ex multis Iuriſperitis non obligat extra Curiam, niſi confirmetur decreto aliquo Papæ, quod hîc non eſt. Præterea quando ex ſtilo Curiæ exprimitur, non pertinet ad cauſam motiuam in ordine 4

dine

dine ad diſpenſandum, vel non diſpenſandum in conſanguinitate, vel affinitate, ſed ſolùm tanquam quid impellens ad concedendam diſpenſationem, cum illis additamentis, quæ non adduntur pro diſpenſatione præcisè, ſed in pœnam eius copulæ expreſſæ. Tandem Congregatio Cardinalium, quæ ſolet in fauorem contrariæ ſententiæ adduci, ſecuta eſt partem probabilem & tutiorem, inquit Hurtado, ſed non probabiliorem. Qui optimè addit à fortiori verum hoc eſſe etiam de cognatis ſpiritualiter; ſi enim non eſt exprimenda copula inter cognatos naturales, minus erit inter ſpirituales, inter quos non eſt tam arcta cognatio.

5 Dico *ſecundò* taciturnitatem copulæ habitæ poſt commiſſionem Papæ ante expeditionem diſpenſationis ab Ordinario, non irritare diſpenſationem. Patet, quia ſi taciturnitas copulæ habitæ ante commiſſionem Papæ, non dirimit diſpenſationem conſanguinitatis, vel affinitatis, multo minus dirimet, ſeu irritabit taciturnitas copulæ habitæ poſt commiſſionem Papæ ante expeditionem diſpenſationis ab Ordinario. Nam rationes ſuperiori dicto traditæ hoc efficacius demonſtrant.

6 Dico *tertiò*, ſi in diſpenſatione non apponatur clauſula illa, *dummodo copula non interuenerit*, manifeſtum videtur validam eſſe, etiamſi contrahentes interrogati ab Ordinario negent interceſſiſſe eam copulam. Ratio eſt, quia ea diſpenſatio commiſſa eſt à Papa pro foro externo, ergo & ea commiſſio eſt facta pro foro externo, at pro eo foro non conſtat fuiſſe copulam, licet in re ipſa fuerit, ergo valebit prorſus ea diſpenſatio, tacita copula. Vnde contrahentes ſi ab Ordinario interrogentur, & ſub iuramento de copula habita, poſſunt ſub æquiuocatione negare, reticendo in mente, vt tibi dicam, etiamſi copulæ adſit infamia, aut ſemiplena probatio; quia tunc Ordinarius non interrogat iuridicè, quia interrogat de re non pertinente ad diſpenſationem ſibi commiſſam. Vnde ait Baſilius Ponce meritò eſſe reprehendendos Ordinarios, qui quando ea clauſula non apponitur, interrogant de copula habita.

7 Dico *quartò*, quando in diſpenſatione clauſula illa, *dummodo copula non interuenerit*, apponitur, & commiſſio Papæ facta eſt pro foro exteriori, adhuc diſpenſationem ab Ordinario factam eſſe validam, niſi ipſi copula plenè conſtet. Ita Hurtado citatus *n.* 25. Ratio eſt, quia quando Ordinario non cõſtat de plena probatione, quamuis ſit infamia, aut ſemiplena probatio copulæ, non dicitur interueniſſe copula modo ſufficienti, quia cùm commiſſio facta fuerit Ordinario in foro externo, ſeu iudiciali, etiam clauſula illa intelligenda eſt in eodem foro. Quòd ſi Ordinario copula plenè conſtet, & diſpenſet, nulla erit diſpenſatio, quia clauſula illa eſt conditionalis, qua commiſſio ei limitatur, vt diſpenſet iuridicè dependenter à veritate iuridicè conſtante, ac proinde quando ei plenè conſtat copulam interueniſſe nequit validè diſpenſare. Imò quamuis contrahentes interrogati negent illicitè copulam, quia exiſtente infamia, aut ſemiplena probatione copulæ, tenentur eam fateri, adhuc diſpenſatio ab Ordinario facta valida erit, ob rationem dictam, quia Ordinario non conſtat plenè de illa.

8 Dico *quintò*, ſi commiſſio Papæ ſit pro foro conſcientiæ, vt quando committitur confeſſario, ſeu diſcreto viro, & in ea ponitur clauſula illa, dummodo copula non fuerit, tunc diſpenſationem eſſe nullam ſi copula fuit verè habita, quamuis ſit omnino occulta, & non conſtet commiſſario. Patet id manifeſtè, quia clauſula illa eſt conditionalis, & commiſſio tunc ſit Commiſſario vt diſpenſet dependenter à veritate non habitæ copulæ. Clauſulæ enim diſpenſationi adiectæ ſemper debent intelligi iuxta diſpenſationis naturam, vnde ſi adiiciantur per modum conditionis, vt tales, intelligendæ ſunt.

Ad argumenta primæ ſententiæ adducta *num.* 2. iam ex dictis conſtat ſolutio.

Ad primum enim iam conſtat expreſſionem copulæ non eſſe introductam ſtylo curiæ, tanquam iure habente vim legis, cùm multi Doctores id meritò negent, atque adeò donec non conſtet decreto Pontificio ſtylum prædictum habere vim legis, non erit obligatio exprimendi copulam habitam inter diſpenſationem petentes. 9

Ad ſecundum, conceſſo antecedente negatur conſequentia, quia, vt dictum eſt, expreſſio illius copulæ non additur pro diſpenſatione conſanguinitatis, vel affinitatis, ſed in pœnam copulæ expreſſæ, & vt facilius impetretur diſpenſatio, nam id mouere ſolet ad pietatem, & efficit faciliorem diſpenſationem, tantum abeſt vt ingerat difficultatem, & reddat difficiliorem diſpenſationem, nedum ſurreptitiam, ac nullam.

Ad tertium liquet ſolutio ex ſolutione primi.

Sectio VII.

Quænam ſint exprimenda in diſpenſatione vt valida ſit poſt decretum Tridentini ſeſſ. 24. de matrimonio. c. 5.

Oportet explicare mentem ac decretum prædictum Tridentini *ſeſſ.* 24. *c.* 5. vbi ſic decernit, ſi quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit eiſdem ſubiiciatur pœnis. Non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facile experiatur, cuius ſalubria præcepta temere contempſit. Si verò ſolemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo, & gratis diſpenſari poterit. Hæc Tridentinum. 1

Circa quod Tridentini decretum, 2

Suppono *primò* quod latè oſtendit Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio diſp.* 42. *n.* 7. intelligi non ſolùm de conſanguinitatis & affinitatis impedimento, ſed etiam de quocumque alio dirimente, quia tale decretum eſt in maximum animarum fauorem ad retrahendum à matrimoniis irritis, quæ paſſim ſpe diſpenſationis cõſequendæ contrahebantur. Quod quidem in omni impedimento dirimente procedit. Vnde gratia exempli tantùm ſubiecit intra gradus prohibitos, gratiaque frequentioris vſus: communiter enim ratione alicuius gradus prohibiti matrimonia irrita ſunt.

Suppono *ſecundò* non loqui Tridentinum de matrimonio ſcienter cum impedimento dirimente inito, vt meritò tenet Sanchez cum multis *diſp.* 25. *n.* 34. Tum, quia Tridentinum ea pœna punit præſumentes contrahere matrimonium cum impedimento dirimente. At hi contrahentes non præſumpſerunt inire matrimonium, cùm deficiat forma eius ſubſtantialis. Tum maximè, quia lex intendit pœnis afficere ea, quæ frequenter accidunt, parum de raro contingentibus curans. At Tridentinum rectè nouit fore, vt matri- 3

monia clandeſtina ab eo irritata, in poſterum, aut nunquam, aut rariſſimè inirentur, vtpote quæ nullius emolumenti futura ſint, cùm nec externam matrimonij ſpeciem habeant, ſed ſint veri concubinatus.

4 Suppono *tertiò*, non procedere illud decretum Tridentini de ſponſalibus de futuro, etiam ſubſecuta copula, quia decretum illud loquitur, & procedit contra ſcienter matrimonium contrahere præſumentis, & ita non habet locum contra ineuntes ſponſalia de futuro. Et quamuis, vt conſtat ex *cap. is qui fidem, de ſponſalibus*, ad euitandum peccatum fornicationis præſumebatur olim conſenſus in matrimonium de præſenti per copulam ſubſecutam præcedentibus ſponſalibus de futuro, id tamen militabat quando illa interueniebant inter habiles ad contrahendum matrimonium, & quando poterat matrimonium valere, & euitari prædictum fornicationis peccatum. Non autem illud procedere poterat inter inhabiles ad contrahendum, quia tunc nullus poterat dari fauor matrimonij, cùm eſſet nullum, nec poterat euitari peccatum fornicationis nullo exiſtẽte matrimonio. Quinimo, ſicut quando poterat valere matrimonium, præſumebatur conſenſus ad euitandum peccatum; ita quando non poteſt valere matrimonium etiam inter inhabiles, & prohibitos, debet præſumi diſſenſus ad matrimonium vt euitetur peccatum, ſi non copulæ, ſaltem contemptus, & inobedientiæ contra Eccleſiam.

5 Suppono *vltimò*, quod eſt certum, prædictum Tridentini decretum inſtruens de modo concedendi diſpenſationem, tametſi ligare nequeat manus Pontificis, eſſe tamen maximi momenti. Patet *primum*, quia Concilium auctoritate Papæ congregatum, & ab ipſo confirmatum, paris eſt auctoritatis cum ipſo Pontifice; par autem in parem non habet imperium. *c. innotuit*, de elect. *Secundum* liquet, quia tametſi diſpenſatio aliter conceſſa valida eſſet, cum ſit in iure humano, at lethaliter peccaret, ſi illam concederet abſque iuſta cauſa. Quia Concilium in ea declaratione nequit errare; ergo talis diſpenſatio ſine cauſa eſſet pernicioſa Eccleſiæ, & conſequenter lethalis culpa. Si tamen ſit ex cauſa iuſta, non eſt talis, nec Eccleſiæ pernicioſa. His poſitis,

6 Dico *primò*, certum videri ſi in impetratione diſpenſationis non ſit facta mentio matrimonij ſcienter initi intra gradus prohibitos, aut ignoranter, omiſſis denuntiationibus, & ſi conſummatum ſit, ipſius quoque conſummationis, ſurreptitiam eſſe ac irritam talem diſpenſationem. Patet, quia eo ipſo quòd decernit Concilium hos contrahentes ſpe diſpenſationis carere debere, conſtituit huiuſmodi matrimonium eſſe impedimentum ad impetrandam diſpenſationem, & conſequenter tacitè iubet illud exprimi debere. Maxime, quia in decretis Concilij nunquam eſt viſus Pontifex diſpenſare niſi ſpecialem mentionem faciat: nam cùm decreta Concilij ita matura deliberatione ſancita ſint, videntur continere vim clauſulæ derogatoriæ ad alia decreta poſteriora contraria, niſi de illis fiat ſpecialis mentio. Nec deſunt Doctores graues, vt Henriquez *lib. 7. de indulg. c. 26. n. 3.* & Viualdus *Candelabro 3. p. c. 12. num. 22.* qui affirmant, ſi Concilium generale modernum ſit, quale eſt Tridentinum, oportere etiam illius mentionem facere, nec ſufficere generalem derogationem decretorum cuiuſcunque Concilij. Idem dicendum tametſi illud dictum matrimonium & eius conſummatio contingat, poſtquam Pontifex diſpenſationem conceſſit, at nondum ea per Ordinarium cui commiſſa eſt, expedita eſt, vitiari nimirum diſpenſationem: quia ante eius diſpenſationis complementum, quod contingit per eius executionem factam ab Ordinario, cui committitur, mutatur caſus in diſpenſatione contentus, cùm iam adiunctus ſit caſus, qui erat neceſſariò explicandus. Vnde clauſula illa adhiberi ſolita in commiſſione diſpenſationis, *ſi preces veritate nitantur*, refertur ad tempus conceſſionis Pontificis, & executionis Ordinarij.

Dico *ſecundò*, ſi prædictum matrimonium eo ani- 7
mo ineatur, vt faciliùs Pontifex diſpenſet, hunc quoque animum ſimul cum matrimonio explicandum eſſe, vt valeat diſpenſatio. Hoc etiam mihi videtur certum, quia Tridentinum *dicto cap. 5.* ideo ſtatuit, vt ſcienter contrahens illud matrimonium, careat ſpe diſpenſationis, ad compeſcendam multorum audaciam, qui ea ſpe freti inibant, ac conſummabant matrimonium, non obſtante impedimento dirimente. Igitur Tridentinum volens punire eam deordinatam ſpem facilioris diſpenſationis ex facto ipſo præſumptam, à fortiori formalem ipſam ſpem puniet, volens ipſam explicari. Idem dico ſi ea ſpe conſummetur matrimonium; eſt enim conſummationis & illius ſpei mentio facienda.

Eſt verò notandum hanc ſpem, cuius eſt mentio facienda, debere eſſe exteriùs ſignificatam, & non tantùm interiùs conceptam; quia ſpes interiùs tantum concepta, non ſubeſt humanæ poteſtati.

Dico *tertiò*, ſi copula carnalis interueniat ſine ma- 8
trimonio, inter impeditos, non eſſe illam in impetratione exprimendam. Id conſtat ex dicto primo præcedentis ſectionis. Et quia Tridentinum in ſuo decreto nihil innouare voluit, quando copula carnalis interuenit ſine matrimonio. Moueor cum Baſilio *lib. 8. c. 17. §. 6. n. 33.* quia incongruum videtur, quòd copula carnalis, quæ olim mouebat ad pietatem, & faciebat faciliorem diſpenſationem, hodie ingerat difficultatem, & reddat difficiliorem diſpenſationem; ergo ſicut olim copula carnalis inter prohibitos, cùm redderet faciliorem diſpenſationem, non erat neceſſarium illam in ſupplicatione explicare, ita nec modò poſt Tridentinum. Nam expreſsè loquitur Cõcilium, quando inter prohibitos interuenit copula carnalis cum animo de facto conſummandi matrimonium antea inter illos ſcienter contractum. Nam expreſsè ait, cum ſpe diſpenſationis conſequendæ carere, multo magis quò non tantùm matrimonium contrahere, ſed & conſummare auſus fuerit. Vnde ſicut matrimonium ipſum ſcienter contractum reddit difficiliorem diſpenſationem ex Tridentino, ſic ex eodem, à fortiori reddere debet difficiliorem, ſi fuerit copula carnali coniunctum. Id quod etiam ante Concilium Tridentinum dicendum erat ex bene fundata iuris Pontificij doctrina. Igitur Tridentinum nihil innouauit quando copula carnalis interuenire ſolet inter impeditos, ſine vllo matrimonio.

Dico *quartò*, ſi copula inter impeditos ſine matri- 9
monio contracta, habita ſit ſpe exteriùs ſignificata faciliùs impetrandæ diſpenſationis, verius videri eam ſpem neceſſariò exprimendam in ſupplicatione, ne ipſa impetratio ſit ſurreptitia. Ita cum multis Sanchez *diſp. 25. n. 38.* Ratio eſt: non quia Tridentinum eam ſpem declarandam cenſuerit; nam ſolùm loquitur quando ea ſpes cum matrimonio interuenit: ſed quia ſtylus curiæ habet, vt in litteris diſpenſationis impedimenti conſanguinitatis, vel affinitatis, explicata copula, addatur clauſula conditionalis eiuſmodi, *dummodo copula habita non ſit ſpe facilioris diſpenſationis.* Qua poſita, ſi fuerit talis ſpes bene probata, irritam faciet diſpenſationem ex eius taciturnitate. Vnde de hac ſpe exteriùs ſignificata, idẽ dicendũ eſt quod dixi præcedenti ſectione de copula appoſita *n. 7. & 8.*

Dico

10 Dico *vltimò*, ſi non ponatur clauſula illa conditionalis, *dummodo copula habita non ſit ſpe facilioris diſpenſationis*, etiamſi re ipſa fuerit copula, & ſpes ipſa, non reddi diſpenſationem ſurreptitiam. Scio contrarium docere Sanchez *diſput. 25. ad finem num. 58*. Quia putat eam clauſulam ſuppleri; & eſto non apponatur, intelligi clauſulã illam apponi ſolitam de ſtylo curiæ; nam clauſulæ apponi ſolitæ ſupplentur, quamuis non exprimantur. Dictum tamen probo, quia pro foro externo & iudiciali non conſtat de illo animo & ſpe obtinendæ diſpenſationis, licèt in re ipſa fuerit; ergo valebit ea diſpenſatio tacita illa ſpe: ob hanc enim rationem idem diximus de copula præcedenti *ſectione num. 6*.

15 Tria verò prædictis ſunt addenda. *Primum* eſt, ſi inhabiles ad contrahẽdum matrimonimonium de facto illud contrahant per verba de præſenti, ſub conditione impoſſibili, contractum eſſe ridiculum, nec conſentire in matrimonium, nec indignos effici diſpenſatione ad iterum contrahendum, nec ex dicto contractu oriri impedimentum publicæ honeſtatis, cùm matrimonium fuerit nullum ex defectu conſenſus. Nam conditio impoſſibilis tunc remouetur, & habetur pro non adiecta fauore matrimonij, quando poteſt valere matrimonium inter habiles; ſecus verò inter inhabiles, vbi non poteſt valere matrimonium, nec militat matrimonij fauor. *Secundum* eſt, ſi ignoranter à principio in gradu prohibito fuit contractum matrimonium adhibitis ſolemnitatibus, tunc faciliùs impetrari diſpenſationem, vt dicitur in ipſo Tridentini decreto. Quod etiam procedit, tametſi poſtquam ſuperuenit ſcientia de impedimento, perſeuerauerint in matrimonio, & copula. Quia in hoc caſu non habet locum pœna dicti Concilij Tridentini, nec ipſi efficiuntur indigni diſpenſatione. *Tertium* denique eſt, poſt contractum matrimonium bona fide, & conſummatum per copulam, ſi contrahentes perſeuerent in bona fide, & habeant probabilem, ſeu inuincibilem ignorantiam, quòd diſpenſatio fuit ſurreptitia, ob aliquem defectum, quamuis hoc intelligat Ordinarius, poſſe diſſimulare & tacere propter periculum, quod imminet ex ſeparatione matrimonij. Quod manifeſtè colligitur ex *cap. quia circa, de conſanguinit. & affinit.* ibi, *diſſimulare poteris*. Et reſoluit Couarr. *2. p. de matrimonio c. 6 §. 10. num. 15*.

Adhuc tamen ſuperſunt duo dubiola ſoluenda.

21 *Primum* eſt, qualis ignorantia excuſet à prædicti decreti Tridentini pœna, vt nimirum non ſit neceſſariò mentio facienda matrimonij ignoranter contracti, aut eius conſummationis in diſpenſatione impedimenti. Reſpondeo ſi ſint præmiſſæ denuntiationes, excuſare ab hac pœna, quamuis ignorantiam, quantumuis craſſam, modò non ſit ingens temeritas. Quia Tridentinum ibi petit ſcientiam, audaciam, & temeritatem præſumptionem. Vt verò id matrimonium ignoranter initum præmiſſis denuntiationibus, præbeat cauſam facilioris diſpenſationis, oportet ignorantiam iuſtam, & probabilem eſſe, quia non de pœna agitur, ſed de gratia & fauore facilioris diſpenſationis.

23 *Secundum dubiolum* eſt, an ſufficiat ignorantia ex parte alterius coniugis, quamuis alter ſciens contraxerit, ad euitandam pœnam Tridentini, vt videlicet non ſit neceſſaria in diſpenſatione mentio matrimonij malè contracti, & conſummati. Reſpondeo affirmáter cum Henriquez *lib. 12. de matrimonio c. 3. n. 8 in commento, litera* S. Et ratio eſt, quia malitia vtriuſque coniugis deſideratur ad eam pœnam incurrendam, ne innocens ad alterius ſcelus puniatur. Vnde manifeſtè infero clauſulam apponi ſolitam in diſpenſatione, *explicata copulâ*, nimirum ſi non fuit habita ſpe facilioris diſpenſationis non verificari quando ea ſpes concepta fuit ex parte vnius tantùm: & ſimiliter dico non eſſe neceſſarium eius ſpei mentionem facere, ſiue in ea copula, ſiue in matrimonio ſcienter inito, quando fuit ex parte vnius tantum. Ratio eſt, quia hæc obligatio ſpei manifeſtandæ conſurgit, vt diximus, ex Tridentini decreto, quia contrahentes illa ſpe incurrunt prædicti decreti pœnam. At pœna illius decreti requirit vtriuſque culpam, vt vidimus. Igitur non habebit locum in hoc caſu, vbi ea ſpes ab altero ſolo concepta eſt, & expreſſa, non enim iuſtum eſt, vt delictum alterius ſit cauſa punitionis innocentis.

Sectio VIII.

An, & quando diſpenſatio reddatur nulla ex expreſſione falſi.

Explicato vitio taciturnitatis faciente diſpenſationem ſurreptitiam & nullam, oportet iam declarare, quando diſpenſatio reddatur nulla, quia expreſſit falſa. Nam ſi diſpenſatio ſit ſurreptitia tacendo, multo magis fiet negando. 1

Certum eſt autem *primò*, diſpenſationem matrimonij fieri nullam per falſam narrationem, ſeu admiſtionem falſitatis, quæ mutet ſubſtantiam eius. Ratio eſt manifeſta, quia tunc error eſt in ſubſtantia vinculi, ſeu impedimenti quod tollendum eſt; quo errore ſtante non poteſt ad illud dirigi voluntas diſpenſantis, vt in aliis diſpenſationibus voti id commune eſt, ac certum.

Secundò etiam videtur certum, quando in petitione exprimitur aliquid falsũ pertinens ad cauſam conceſſionis, aut negationis diſpenſationis, efficere nullam diſpenſationem. Ratio eſt, quia cùm in impedimentis matrimonij diſpenſatio petatur ex cauſa, ſi falſa cauſa proponatur, cùm fiat ex falſa cauſa, fit ſine cauſa, quia falſa cauſa non eſt cauſa, cùm reuera non ſit; ideo enim falsò allegatur, igitur ea diſpenſatio nulla eſt. Procedit hoc in cauſa, quæ fundat diſpenſationem, quæ appellari ſolet finalis, & motiua, & propria ratio talis actionis, & quæ iuſtificat diſpenſationem: hæc enim eſt propria & ſimpliciter cauſa: nam aliæ cauſæ & motiua quæ ex parte diſpenſantis ſolent occurrere, magis ſunt cauſæ applicantes voluntatem eius ad diſpenſandum, quàm ipſius diſpenſationis, niſi per accidens, & remotè. 2

Tertiò etiam videtur certum, ſi plures cauſæ proponantur ad diſpenſationem obtinendam, & vnaquæque per ſe eſt inſufficiens, omnes tamen ſimul ſumptæ integrant vnam cauſam ſufficientem, ſi aliqua earum eſt falſa, corruere diſpenſationem. Patet, quia illis omnibus ſimul iunctis nititur voluntas diſpenſantis, volentis ex cauſa iuſta ac ſufficienti diſpenſare. Firmatur, quia verba illa quæ apponuntur in reſcriptis, vel literis diſpenſationis, *ſi preces veritate nitantur* intelliguntur in ſubſtantialibus, in iis, ex quibus gratia diſpenſationis pendet, ita vt illa aliàs non concederetur. 3

His præmiſſis ſex occurrunt difficultates breuiter diluendæ. 4

Prima eſt, an ſolius cauſæ finalis falſæ expreſſione vitietur diſpenſatio, nimirum quando Papa ea falſitate non expreſſa gratiam non conceſſiſſet; an etiam reddatur ſurreptitia, etiam ſi cauſa falſo expreſſa ſit ſolum impulſiua, quà non leuiter mouetur ad gratiam concedendam, tametſi ea non narrata conceſſiſſet.

Digitized by Google

ſiſſet. Ratio dubitandi eſt, quia tametſi cauſa finalis vera ſufficiat ad diſpenſationis valorem, etiam ſi cauſa impulſiua falſa ſit, quia iam adeſt tunc ſufficiens cauſa, & ideo non inualidatur diſpenſatio ex defectu ſufficientis cauſæ; poteſt tamen inualidari ex defectu cauſæ efficacis in actu ſecundo, id eſt, ex defectu cauſæ actu mouentis diſpenſantem, ſeu actualis voluntatis diſpenſantis, quæ neceſſaria eſt ad conferendam cum effectu diſpenſationem. Patet, quia adhuc propoſita & cognita ſufficienti cauſa ad diſpenſandum, poteſt Papa nolle, ſeu non velle; ergo ſi per errorem, vel ignorantiam cogatur velle, quod aliàs nollet, erit diſpenſatio nulla ex defectu voluntatis. Firmatur, quia poteſt Papa, & de facto mouetur ex vtraque cauſa ſimul, finali nempe, & impulſiua, & fortaſſe ſi noſſet, hanc eſſe falſam, vel ſi ſola finalis vera proponeretur, non vellet diſpenſare, ergo de facto inuoluntariè diſpenſaret, quod ſatis eſſet, vt diſpenſatio non valeret.

5 Pro explicatione notandum eſt *primò*, id quod falsò additur in petitione diſpenſationis, vel eſſe tale vt difficiliorem redderet voluntatem diſpenſantis, non tamen ſimpliciter impediret voluntatem eius; vel diſpenſans eſt ita diſpoſitus, vt ſi integra, & omni ex parte vera narratio fieret, non eſſet gratiam conceſſurus, atque adeo illud falſum impediret voluntatem diſpenſantis.

Præterea notandum eſt, conditionem, vel cauſam impulſiuam, quæ falsò additur vel poſſe pertinere ad conuenientem, vel meliorem vſum, ſeu ad finem diſpenſationis, quia habent connexionem prudentem & rationabilem cum materia diſpenſationis, de qua tractatur: vel eſſe res & circumſtantias de ſe impertinentes ad cauſam diſpenſationis, quæ nihilominus mouerent, ſeu mutarent voluntatem diſpenſantis, ſic vel aliter propoſitæ. His ita diſtinctis,

6 Dico *primò*, quando in diſpenſatione quod falsò additur, tale eſt, vt ſolùm difficiliorem redderet voluntatem diſpenſantis, gratiam tamen concederet licèt minori voluntate, non impedire valorem diſpenſationis. Ita referens plures ſentit Sanchez *diſp.* 21. *n.* 32. Ratio eſt, quia nullo iure humano contrarium inuenitur ſtatutum, vel declaratum, nec etiam ex natura rei ſequitur: quia talis fictio, vel falſitas non cauſat in eo caſu inuoluntarium ſimpliciter, quandoquidem de facto & de præſenti Prælatus vult diſpenſare, & cum effectu eſſet voliturus, etiamſi falſitas illi conſtaret. Quod autem tunc eſſet difficilius voliturus, eſt accidentarius defectus, & inſufficiens ad annullandam diſpenſationem. Idem firmo. Tum rationibus ſuprà adductis *ſect.* 1. *n.* 4. ad probandum ſolius cauſæ finalis taciturnitatem inducere ſurreptionem: eadem enim eſt ratio de falſi expreſſione, ac de taciturnitate veri quoad hoc. Tum, quia eandem, imò & maiorem libertatem poſtulat donatio, vtpote quæ nullam debiti rationem habet, ac gratia diſpenſationis à Prælato conceſſa, quæ aliquomodo quandam habet debiti rationem, præſertim cùm imminet neceſſitas ſalutis proximi ſpiritualis. At donatio procedens ex cauſa falſa ſimulata impulſiua non eſt irrita, ſed tantùm vbi falſitas contingit in cauſa finali, vt docent communiter Doctores. Tum denique, quia conditio in literis diſpenſationis poſita, *ſi preces veritate nitantur*, ab omnibus Doctoribus intelligitur in ſubſtantialibus, id eſt in iis ex quibus gratia pendet, ita vt aliàs non concederetur.

7 Dico *ſecundò*, ſi conditio vel cauſa impulſiua quæ falsò additur, habeat connexionem prudentem & rationabilem cum materia diſpenſationis, de qua tractatur; ſi illa expreſſio falſi ita eſt cauſa volendi diſpenſare, vt ſine illa Prælatus nollet diſpenſare, tunc diſpenſationem cēſendam eſſe ſurreptitiam & nullam. Hoc prudenti iudicio ſtabilitur, iuncta manifeſta coniectura ex conſuetudine diſpenſantis, ſi non ſoleat cū tali, vel tali circumſtantia diſpenſare, etiamſi poſſit, idque ex cauſa rationabili pertinente ad modum diſpenſandi, quem ipſe putat eſſe meliorem, & prudentiorem, vel ſi antea declarauit ſufficienter, ſe eſſe in tali propoſito. Patet, quia prædicta interpretatio voluntatis eſt iuſta, & rationabilis, & omni iuri conformis: & vnuſquiſque cenſetur operari prudenti intētione, & conformi ſuæ conſuetudini rationabili, vel iuxta priorem deliberationem non retractatam. Firmo, quia recta ratio poſtulat, vt nihil occultetur, vel fingatur, quod ſit contra honeſtam intentionem, etiam habitualem, & prudentem rationem diſpenſantis, qui habet ius vtendi ſua poteſtate, ſecundùm ſuam rationabilem voluntatem, & nōn ab alio circumuentus, & ſeductus. Vnde hac ratione dicunt iura, non comprehendi ſub generali conceſſione id, quod in ſpecie propoſitum non eſſet aliquis conceſſurus; quia videlicet ex vi illius habitualis diſpoſitionis rationabiliter ſubintelligitur conditio, vel exceptio, etiam ſi conceſſio ſit generalis, vel indefinita. Ita ergo in præſenti reſpectu Prælati diſpenſantis, qui talem habitum & diſpoſitionem habet rationabilem, ſubintelligitur dicta exceptio, vel conditio, quia reſpectu illius caſum ſpecialem conſtituit.

8 Dico *tertiò*, quando ea quæ finguntur & falsò exprimuntur in ſupplicatione diſpenſationis, ſunt de ſe impertinentia, & nihil conducentia ad cauſam diſpenſationis, vt ſi quis ad illam obtinendam fingat ſe eſſe virum ſtudioſum, vel doctum, aut quid ſimile ad cauſam diſpenſationis nihil referens, non inualidare diſpenſationem ipſam. Ita ſumitur ex Thoma Sanchez *diſp.* 21. *n.* 18. cùm dicit, quando diſpoſitio habitualis diſpenſantis prouenit ex affectu, non ex iuſta cauſa, rationi vel iuri conformi, non obſtare valori gratiæ diſpenſationis. Probatur concluſio: nam in his caſibus ignorantia illa, vel deceptio non impedit quo minus diſpenſans hîc & nunc velit ſoluere hoc vinculum & impedimentum ex iuſta, & rationabili cauſa. Quòd autem id non eſſet voliturus, ſi talem circunſtantiam quæ ad cauſam non refert, agnoſceret, non facit præſentem actum inuoluntarium, quia illa nolitio, ſub conditione tantùm futura, nihil in præſenti operatur, nec præſens quaſi habitualis diſpoſitio minuit actualem voluntatem, aut ponit aliquam conditionem in obiecto, ratione cuius videri poſſit inuoluntarium, cum illa diſpoſitio ſit impertinens, nec rationi conformis, & extra cauſam.

9 Dices, tametſi talis diſpoſitio impertinens ſit, & irrationabilis; efficit tamen voluntatem conditionatam diſpenſantis, & conſequentem inefficacem. Sed contrà, negatur id, quia voluntas diſpenſantis interpretanda eſt ſecundùm rectam rationem, & ſecundùm iura; & quoties aliquis actus rectè & honeſtè vult, cenſetur retractare priorem irrationabilem voluntatem, vel conſuetudinem, aut effectum potius, quàm ſecundùm illum agere. Et hoc videntur ſentire omnes Doctores, qui dicunt non obeſſe occultationem circumſtantiæ, quam ius declarare non præcipit, etiamſi illa cognita, Prælatus non eſſet gratiam conceſſurus, vt bene Sanchez *diſp.* 21. *n.* 12. Quod ipſe intelligo nō ſolùm de iure poſitiuo, ſed etiam de iure naturali, & recta ratione; eſt enim par ratio.

Ex dictis conſtat ſolutio ad rationem dubitandi propoſitam numero quarto.

10 Conſtat etiam ex dictis, quid dicendum ſit de conceſſione impetrata ab Epiſcopo, vel alio ſuperiore, ad

diſpenſandum

diſpenſandum in quodam caſu, quando impetrans data opera tacet caſum, quia exiſtimat fore, vt eo expreſſo Prælatus deneget: & Prælatus non interrogans caſum, ſed fidens petenti, concedit illi ſuas vices ad diſpenſandum? Iuxta ſuperiorem doctrinam meo iudicio eſt diſtinguendum. Nam ſi petens ſciat Prælatum eſſe in contraria voluntate habituali iuſta & rationabili, quia in ſimilibus caſibus nunquam vult ex rationabili cauſa diſpenſare, non valebit impetratio, quia concedendi intentio deficit. Nam ſicut in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis veriſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus, *reg. in generali, de regulis iuris in 6.* ita nec in illa conceſſione determinata venit caſus; qui habituali ac prudenti concedentis voluntati aduerſatur. Si autem non adeſſet hæc habitualis voluntas rationabilis, & ex iuſta cauſa, nec opinio contraria probabilis, ſed tantùm crederetur fore vt à conceſſione aliqualiter retardetur, & fortè nolit, quia minutiſſima ſpectet, vel ſcrupulis agitetur, valida erit impetratio. Quia abſolutè Prælatus conceſſit, & nulla eſt actualis, vel habitualis voluntas rationabilis in contrarium.

11 *Secunda difficultas* eſt, in dubio an cauſa falsò expreſſa in ſupplicatione diſpenſationis ſit finalis, ita vt ſine illa diſpenſatio non concederetur, vel ſit impulſiua tantùm, ſine qua difficiliùs concederetur, quid præſumendum ſit. Sanchez *diſp.21.n.20.* verius exiſtimat in dubio non præſumi cauſam finalem, ſed impulſiuam, ac proinde præſumi fore vt illâ causâ verè expreſsâ Prælatus concederet diſpenſationem, vt vel ſic illa valida ſit. Probat, quia valori actus iura maximè fauent, & in dubio eum rationabiliter præſumunt.

12 Sentio tamen in dubio practico prædictam cauſam præſumendam eſſe finalem, & conſequenter diſpenſationem ſurreptitiam eſſe. Ita Molina *tom. .. ae iuſt. tract. 2. diſp. 173.* paulo ante verſum, quando qualitas, dum dicit, quando dubium eſt an veritas tacita, ſit cauſa finalis, præſumendum eſt quòd ſit finalis. Meliùs idem dixiſſet, & efficaciùs de cauſa falsò expreſſa. Idem tenet Coninch *diſp.33.n.93.* Quod probatur doctrina ſuprà tradita *ſect.1.n.5.* Nam dubitare an cauſa falsò expreſſa ſit finalis, eſt dubitare de valore diſpenſationis. At quando dubium eſt, an ſurreptitia ſit diſpenſatio, ex nullo iure præſumendum eſt non eſſe ſurreptitiam. Quia tametſi præſumatur pro valore actus, *c. Abbates, de verbor. ſignificat.* quando nimirum verba alicuius conſtitutionis, vel priuilegij obſcura ſunt; quæ certè potius interpretanda ſunt, vt valeat actus, quàm vt non-valeat; eo quòd aliàs eſſet nugatorium priuilegium, vel conſtitutio. Inde autem nullo modo colligitur, quando dubium practicum eſt, an ſurreptitia ſit diſpenſatio, præſumendum eſſe non eſſe ſurreptitiam. Quia etſi præſumendum ſit concedentem priuilegium, vel gratiam diſpenſationis noluiſſe nugari; non tamen præſumendum eſt, eum voluiſſe diſpenſare, quando dubium eſt, an preces veritatem iuſtamque cauſam contineant. Quare in hoc caſu valet Axioma illud, *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*; at poſſeſſio ſtat pro impedimento; erit igitur melioris conditionis, vt non dirimatur propter ſolam dubitationem cauſæ iuſtæ ſufficientis ad diſpenſandum. Nam *in cap. in pari 65. de regul. iur. in 6.* abſolutè dicitur, in quacumque cauſa præferri ius poſſidentis.

13 *Tertia difficultas* eſt, an ſi in foro externo veritas cauſæ ac precum in diſpenſationibus allegatis probetur falſis teſtibus, cenſenda ſit ea diſpenſatio irrita. Breuiter reſpondeo, ſi cauſa vera in ſe ſit à parte rei, tametſi falſis teſtibus probetur, vel quia teſtes illam ignorabant, vel credebant illam eſſe falſam, valere vtique diſpenſationem. Ratio eſt, quia cauſa erat vera in ſe, & talis iudicata ſecundùm allegata & probata; ergo valida eſt diſpenſatio. Quòd ſi cauſa in ſe vera non ſit, tametſi falſi teſtes eam veram eſſe iurent, ſurreptitia cenſenda eſt diſpenſatio. Quia fundatur in falſa præſumptione. Idem dico, etiamſi teſtes illi veri eſſent, quia putabant ſe verum teſtari. Quia nimirum à parte rei, & in rei veritate nequit verificari conditio illa, ſi ita eſt.

Quarta difficultas eſt an expreſſio falſi contingens 14
in quadam ſola petitionis parte, vitiet tantum eam partem, an potius totam gratiam vitiet, & conceſſionem. de qua re latè Sanchez *diſp.21. num. 53. & ſequentibus,* vſque ad finem diſputationis dictæ.

Breuiter me expedio, dicens cum communi doctrina, quando gratia conceſſa, eſt diuiſibilis, tunc expreſſio falſi, ſicut & reticentia veri, etiam pertinentis ad cauſam finalem, ignoranter facta vitiat tantùm eam partem, quæ recognita non fuiſſet conceſſa; ſi verò id factum ſit fraude petentium, in pœnam malitiæ tota conceſſio eſt irrita. Vt, verbi gratia, petit Petrus diſpenſationem in voto caſtitatis, eo quòd graue ei periculum lapſus ex infirmitate immineat ob grauiſſimas tentationes, quas continuò patitur, & ſimul vt poſſit ducere ſuam cognatam, quia hæc aliter non reperiret dignum ſe maritum: ſi prima cauſa ſit vera, & ſecunda omnino falſa, obtenta diſpenſatione, poterit ducere vxorem, ſi ignoranter, & bona fide proceſſerit, non tamen cognatam, quia ex hac parte deficit cauſa finalis diſpenſationis; ſi verò id cum fraude & mala fide egerit, neutrum poterit, in pœnam malitiæ. Totum id manifeſtè probatur ex *cap. ſuper literis 20. de reſcriptis.* Quod neceſſariò hoc modo & in tali caſu intelligendum videtur, non autem quando falſi expreſſio verſatur tantùm circa cauſam impulſiuam, quia nimirum requiritur ibi fraus, & malitia, & tamen comparantur reticentia veri, & expreſſio falſi. At certum eſt reticentiam veritatis, quæ non afficit cauſam finalem, nec iubetur exprimi in iure, non continere fraudem, aut malitiam, cùm petens non teneatur eam exprimere. Imò hoc etiam verum iudicatur de eiuſmodi falſi expreſſione. Nec enim poteſt dici Prælatus fraude inductus ad diſpenſandum, qui veritate cognita diſpenſaſſet. Igitur textus intelligendus eſt quando illa verſatur circa cauſam finalem. Quis enim dicet fraude, ac ſurreptitiè impetraſſe diſpenſationem à Papa eum, qui hunc valde odit, & tamen hoc in ſupplicatione tacuit, & etiam dixit ſe optimè erga eum affici? Firmatur magis ac explicatur, nam totus ille textus agit de taciturnitate veritatis, vel expreſſione falſitatis cauſæ conducentis ad valorem reſcripti; loquitur enim de hac ſurreptione, eam ponderans ad valorem, vel nullitatem reſcripti. At cauſa impulſiua non eſt huiuſmodi, ſed ſola cauſa finalis, vt conſtat. Igitur de ſola ſurreptitione circa cauſam finalem agitur ibi. Præterea textus quoad hoc æquipatat prorſus malitiam, & fraudem in tacenda veritate, vel exprimenda falſitate. At tacens veritatem quam explicare non tenetur, qualis eſt circa cauſam impulſiuam, nequit meritò fraude, vel malitia notari. Hæc enim grauem implicant culpam, cùm tamen nulla ſit in eorum taciturnitate, quæ quis explicare non tenetur. In expreſſione quoque falſi licèt ſit culpa mendacij, at ſi non contingat circa cauſam conducentem ad reſcripti valorem, non afficitur ea culpa malitia ſpeciali mendacij, ratione reſcripti, in quo contingit. Sicut qui mentitur in confeſſione ſacramēti circa rem non neceſſariò detegendam in eo, licèt ſit reus mendacij ſimplicis, ſed non mendacij ad confeſſionem pertinentis. Igitur ſicut hoc mendacium

non

Digitized by Google

non vitiat confeſſionem, ita neque illud debet vitiare reſcriptum.

15 Eſt verò notandū, quod rectè probat Sanchez *n.* 74. non irritari ipſo iure, & in foro conſcientiæ, eam partem reſcripti, vel diſpenſationis quæ vitio caruit, ſed opus eſſe iudicis declaratione. Quia textus dicti capitis, *ſuper literis*, non decidit, ratione ſurreptitionis doloſæ in altera gratiæ parte, reddi quoque alteram ſurreptitiam, quaſi per neceſſariam conſequentiam, ſed tantùm decidit debere impetrantem carere alterius partis commodo, quæ aliàs vtilis erat, nullum ex illis literis commodū conſequendo, idque in doli pœnam, ſeu, vt ait textus, in ſuæ peruerſitatis pœnam; ergo manifeſtum eſt eam irritationem ſequi debere naturam pœnæ. At natura pœnæ eſt, vt non incurratur ipſo iure, ſed poſt iudicis ſententiam, vbi contrarium non reperitur expreſsè deciſum in iure. Præcipuè, quia hoc ius eſt pœnale, & correctorium iuris communis, iuxta quod vtile per inutile non vitiatur, quando commodè ſeparari poſſunt; *reg. vtile, de regulis iuris in* 6. Vnde potiùs eſt valde reſtringendum, ne ea pœna, & correctio cenſeatur inducta ipſo iure.

Quinta difficultas eſt, an error in nomine, & diœceſi eius cui diſpenſatio impetratur, vitiet diſpenſationem.

16 Dico *primò*, cum omnium ſcotentia, errorem nominis non vitiare diſpenſationem, quando conſtat de perſona cui conceditur. Patet, quia diſpenſans intendit eam concedere petenti, ſiue hic ſit Petrus, ſiue Paulus: nam æquus diſpenſator ſpectare non debet niſi ſolam cauſæ æquitatem; quod præſertim in diſpenſatione ſemper præſumendum eſt, quando adſunt iuſtæ cauſæ diſpenſandi.

17 Dico *ſecundò*, quando concedens gratiam agnoſcat perſonam cui petita eſt, errato nomine veri petentis, adhuc diſpenſationem validam eſſe, quando ex alus circumſtantiis non conſtaret à concedente ſpectatum eſſe perſonam ſibi notam, ſed conſtat eodem modo concedendam cuicumque petenti. Patet, quia in his omnibus ad Prælati officium ſpectantibus, mens eius eſt propoſitæ cauſæ iuſtæ merita attendere, & quamuis in nomine perſonæ erretur, intentionem dirigere ad eam cui verè petitur, quia nullam illi diſpenſandi anſam præbet perſona, ſed merita cauſæ, ſicut in collatione ſacramentorum contingit, in quibus miniſter dirigit intentionem ad perſonam quæ ſibi præſens eſt, ne ſacramentum irritetur, atque ideo error circa perſonam eſt nullius momenti ad eorum valorem. Dempto ſolo matrimonio, quod eſt contractus cum perſona omnino determinata. Excipiendus verò eſt caſus, quo perſona expreſſa in ſupplicatione eſſet cognita diſpenſanti, & concedere gratiam præcipuè in eius fauorem; tunc enim reſtringeretur conceſſio ad hanc determinatam perſonam.

18 Dico *tertiò*, ſi erretur in diœceſi, cuius eſt is cui impetratur diſpenſatio, vt ſi dicatur eū eſſe diœceſis Cæſaraugustanæ, cùm tamen ſit Valentinæ, certum videri non poſſe Officialem Cæſaraugustanum eam diſpenſationem exequi. Patet, quia deficit intentio Pōtificis committentis, quæ iuxta præſcriptum in Tridentino *ſeſſ.* 22. *c.* 2. de reformatione, eſt committere legitimo Ordinario impetrantis, qui eſt officialis Valentinus.

19 Dico *vltimò* nec poſſe Officialem Valentinum, qui eſt legitimus Ordinarius, illam exequi diſpēſationem. Ratio eſt, quia in hoc euentu non eſt error in nominè, qualis eſſet, ſi diceretur appellari officialem veræ diœceſis Petrum, cum appellaretur Paulus: ſed erratum eſt, aſſerendo poſtulantem eſſe diœceſis Cæſaraugustanæ, & virtute petita eſt commiſſio officiali Cæſaraugustano; at illi noluit Pontifex committere, cùm conceſſio fuerit inuoluntaria, vtpote ex errore orta. Et quamuis ſi petita eſſet vero Ordinario Valentino, illi committeretur; at illi nec petita eſt, nec commiſſa. Vnde error quantumuis culpa careat, non efficit, vt reſcriptum extendatur ad caſum, qui ſub verbis eius non continetur, tametſi ſi is peritus eſſet, literæ ſimiliter concederentur. Sicut ſi quis narraſſet in reſcripto Petrum ſibi obligatum ex mutuo, petens vt cogatur ſatisfacere, & eſſet in cauſa debiti, vtpote quod ex alio contractu conſurgit, non poſſet eo reſcripto iuuari.

DISPVTATIO XLVII.

De modis, quibus diſpenſatio ſemel obtenta expirat, tam ex parte illius cui conceditur, quàm ex parte concedentis.

DISPENSATIO matrimonij tres potiſſimum ſtatus ſortiri poteſt. *Primus* eſt, quando non eſt diſpenſatio executioni mandata, eſt tamen conceſſa. *Secundus* eſt, quando iam diſpenſatio eſt facta, & habuit ſuum effectum proximum, videlicet remotionem vinculi, vel impedimenti. *Tertius* eſt quando iam eſt executioni mandata, & habuit ſuum vltimum effectum, vt quando iam eſt contractum matrimonium ex diſpenſatione impedimenti. In hoc vltimo ſtatu certum eſt, nullo iam modo ceſſare, vel expirare poſſe diſpenſationem: habuit enim iam conſummatum effectum. In hac ergo diſputatione explicandum eſt, quando expirare, vel ceſſare poſſit in aliis duobus primis ſtatibus. Eſt autem eadem diſceptatio de diſpenſatione, reſcriptis, priuilegiis, & licentia ad confeſſiones audiendas, vel ad aliquid aliud faciendum.

SECTIO I.

An & quo pacto ceſſet, vel expiret diſpenſatio matrimonij per renuntiationem eius cui conceſſa eſt.

SVppono *primò* cum communi doctrina nec ſpeciale, nec generale mandatum requiri ad diſpenſationem matrimonij obtinendam, eius cui impetratur, ſed validè concedi ipſo ignorante. Patet, quia ſuper nulla lite impetratur, ſed de gratia tantùm conceditur. Vnde id generale eſt de impetratione aliarum gratiarum, & beneficiorum. 1

Suppono *ſecundò* nō prodeſſe diſpenſationem ignoranti, donec ab ipſo acceptetur, vel ab alio habente ſpeciale eius mandatum, ſicut de beneficio communiter dicitur. Ratio eſt, quia diſpenſatio eſt quædam donatio, hæc autem non acquiritur abſenti ante acceptationem: quia hæc acceptatio eſt vt perficiatur contractus, cuius perfectio conſiſtit in voluntatum vnione. Hac etiam de cauſa promiſſio abſenti facta reuocabilis eſt ante acceptationem, quia obligatio non oritur niſi ex mutuo duorum conſenſu. Vnde fit, vt etiam vota Deo facta obligatoria non ſint, quando Deus ea non acceptat, vt ſi ſint de rebus indifferentibus. 2

Suppono

3 Suppono *tertiò* vt certius, diſpenſationem impetratã ab altero volentium matrimonium inire, vel qui irritum inierunt, prodeſſe vtrique, tametſi alter prorſus ignoret impedimentum ac diſpenſationem: quod intelligendum eſt quando impedimentum neceſſariò afficit vtrumque, vt eſt conſanguinitas, vel affinitas, quę alterũ ſolum afficere nequit. Ratio eſt, quia diſpenſatio ad neceſſariò connexa extenditur. At diſpenſatio conſanguinei ad contrahendum cum fœmina conſanguinea eſt annexa diſpenſationi fœminæ ad contrahendum cum eo, & eo ipſo quòd alter ex his ſuam diſpenſationem acceptat, fit habilis ad contrahendum cum altero; quod fieri nequit, niſi vterque habilis ſit. Igitur procedit illa diſpenſatio alteri ignoranti. Quare dicendum eſt quando matrimonium fuit irritum ob aliquod impedimentum ab altero ignoratum, poſſe coniugem impedimenti conſcium, impetrata illius occulta diſpenſatione, nec alteri illa explicata, nec impedimento, ſimulatè petere illius conſenſum. Dixi, quando impedimentum neceſſariò afficit vtrumque. nam ſi eſſet impedimentum alterius tantùm, vt ſi alter ſolus caſtitatem vouerit; vel ſit ita commune, vt ſit prorſus in vtroque diuerſum, vt ſi vterque caſtitatem promiſerit, neceſſe eſt vt ille qui impedimẽto affectus eſt, & ſi vterque ſit, vterque illam acceptet; quamuis abſque eius mandato poſſit impetrari. Ratio eſt, quia diſpenſatio directè impetratur habenti impedimentum, nec impetrata vni, impetratur per quandam neceſſariam conſequentiam alteri, ſicut contingit in caſu antea memorato; ergo is qui ea indiget, debet eam noſcere, & acceptare; & ſi vterque egeat, vterque ſciat.

4 Suppono *vltimò*, diſpenſationem matrimonij expirare morte eius cui impetrata eſt. Patet vt certum, quia ea diſpenſatio fuit conceſſa perſonæ, & ideo eſt perſonalis, & qualitas rei conceſſæ natura ſua eſt perſonalis. At perſonalia cum perſona pereunt.

His poſitis ſolum videndum eſt, quo pacto impetrans diſpenſationem, ſi illi renuntiet, ea ita expiret, vt nequeat amplius illi prodeſſe. Qua in re omiſſis aliorum dicendi modis, breuiter præmitto non eſſe ſermonem de renuntiatione impropriè dicta ſumpta pro non vſu, non enim qui habet diſpenſationem in matrimonij impedimento, & nolit contrahere, & ea vti, poteſt verè dici diſpenſationi renuntiaſſe. Sumitur ergo propriè pro abdicatione à ſe iuris vtendi diſpenſatione, adeò vt iam amplius ea vti non liceat.

5 Dico ergo *primò*, certum eſſe, poſſe vnumquemque renuntiare diſpenſationi, vel priuilegio, vt conſtat ex *cap. ſi de terra, cap. accedentibus, de priuileg. cap. ad Apoſtolicam, de regular.* Et ratio eſt, quia hoc poſtulat natura priuilegij, ſi ad ipſum priuilegiarium proprium comparetur, vt reſpectu illius beneficium priuilegij non ſit coactum, nec conferatur inuito, ideoque ab eodem renuntiari poteſt, ſi velit.

6 Dico *ſecundò*, ad prædictam renuntiationem requiri voluntatem exteriorem renuntiantis, & abdicantis à ſe ius, & poteſtatem vtendi eo priuilegio. Ita latè Suarez *lib. 8. de legibus cap. 33. numer.* 18. *& ſequentibus.* Probatur efficaciter, quia non poteſt quis ſe ipſum priuare priuilegio, quia noua obligatio inde illi naſcatur. Hoc videtur certum, quia priuilegium proprium ac rigoroſum, vel remittit aliquid de iure communi, vel aliquid contra illud concedit. Vnde ex vi talis priuilegij aliquid homini licet, quod ſine illo non liceret, vt nubere ex diſpenſatione cum conſanguinea, vel affine, & ſimilia; ergo non poteſt quis renunciare tali priuilegio quin inde ſubijciatur obligationi, quam antea non habebat, ratione cuius aliquid non licet illi, quod antea licebat; oritur igitur in illo obligatio non faciendi quod antea licebat. Igitur ex renunciatione priuilegij ſemper reſultat in priuilegiario noua obligatio. At noua obligatio non poteſt oriri ex ſola ſua voluntate interna in hac materia matrimonij. Nam voluntatis promiſſio, ſi non tranſeat in promiſſionem reſpectu alterius, nunquam inducit nouam obligationem, quia ſolùm eſt nudum propoſitum, ſeu nuda voluntas per modum propoſiti; ergo non poteſt inducere nouam obligationem, quæ antea non eſſet, atque ideo nec poteſt tollere priuilegium. Neceſſarium igitur eſt, vt voluntas renunciandi priuilegium exteriùs ſe prodat. Vnde ſi ſit ſola interna voluntas, nequit per illam auferri priuilegium, ſed licitum erit mutare propoſitum; & illo mutato, licitum erit priuilegio vti; quia propoſitum illud non eſt contrarium priuilegio, ſed vſui tantùm, quod eſt valde diuerſum. Sunt enim hæc duo valde diuerſa, videlicet non vti priuilegio voluntariè, & tollere à ſe ius & poteſtatem vtendi. Nam per ſolam negationem vſus non tollitur poteſtas, ſed tantùm non exercetur actus. Priuilegium autem de quo tractamus, nempe nubendi cum conſanguinea, vel affine, in poteſtate conſiſtit, & ideo ille non vſus etiam voluntarius per ſe & intrinſecè, non eſt propriè renunciatio; hæc enim eſt voluntaria abdicatio & refutatio illius iuris, & poteſtatis, quam priuilegium concedebat; ex qua ablatione conſequitur, vt non poſſit quis amplius vti tali priuilegio, quia nemo poteſt vti re, quæ iam non eſt.

Dico *tertiò*, ad effectum abdicationis priuilegij, 7
non ſufficere voluntatem exteriorem renunciandi, ſed neceſſariã eſſe acceptationẽ, vel cõſenſum alterius. Ita cõmuniter Doctores, & benè Suarez citatus, & Sãchez *diſp.* 33. *n.* 2 quia diſpenſatio in materia matrimonij, eſt fauor, ſeu priuilegium quaſi abſolutum, non reſpiciens alterum; ad cuius renunciationem, neceſſaria eſt ſaltem concedentis acceptatio. Patet, quia renunciatio priuilegiati non mutauit voluntatem Prælati concedentis, ſed eadem perſeuerat; ergo quamdiu non conſtat de illius mutatione, liberum eſt priuilegiario mutare voluntatem ſuam, & priuilegium acceptare. Firmo nam ad ſuperiorem per ſe pertinet tam mutatio priuilegiorum, quàm conceſſio; & ab illius conſenſu per ſe pendet tum priuilegij effectus, tum etiam effectus priuilegio contrarius. Ita etiam expedit humanæ gubernationi vt omnia ordinatè fiant. Et certè omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, ſi diſſolubilis ſit. Cùm ergo ad priuilegij acquiſitionem exigatur concedentis, & ei cui conceditur voluntas; ſimiliter ad eius deſtructionem vtraque deſiderabitur. Quare ſicut quando alter coniux verè conſentit, & alter fictè, vt matrimonium conualeſcat, ſatis eſt, ſi altero in priori conſenſu permanente, ille fictus conſentiat: ita vt priuilegium vel diſpenſatio cui prius quis renũciauit, conualeſcat, ſatis eſt noua renuntiantis voluntas ſuperiori manente in priſtina voluntate, vtpote, qui nondum renuntiationem acceptauit. Hinc

Colligo *primò*, ſolum eum ſuperiorem à quo gratia diſpenſationis promanat, poſſe prædictam renuntiationem acceptare. Ratio eſt, quia valor eius gratiæ, ab illius volũtate pendet; ergo quandiu ille in eadem voluntate perſtiterit, poteſt is cui conceditur re- 8

ſilire,& acceptari: hoc enim ſolum ad plenum gratiæ
fauorem deſideratur. Vnde cùm poteſtas Ordinarij,
vel confeſſoris, cui ſolùm committitur diſpenſationis
executio cognita precũ veritate, ſit limitata ad id ſo-
lum,nõ poſſunt renunciationem acceptare,ne ſuæ po-
teſtatis limites excedant. Quare ſicut is cui ex priuile-
gio,vel conſuetudine incũbit præſentatio, vel cõferre
poſſeſſionem beneficij, nequit illius reſignationẽ, aut
renuntiationẽ acceptare, ſed is ſolus cui iure ordina-
rio collatio competit: ita cũ Ordinario vel confeſſori
ex ſolo illo diſpenſati reſcripto competat examinare
preces,& diſpenſationem exequi, nullum ius habent
admittendæ renunciationis diſpenſationis.

Colligo *ſecundò*, tametſi is cui cõceditur matrimo-
nij diſpenſatio,literas diſpenſationis canceller, vel cõ-
cidat, dum tamen ſua renunciatio non eſt à ſuperiori
9 acceptata,non eneruatur diſpenſatio. Et ſi ea ſemel li-
teris expeditis conceſſa eſt,non pendet eius firmitas à
literarum conſeruatione.

Colligo *tertiò*, quando diſpenſatione obtẽta,vt in-
ter duos conſanguineos matrimoniũ ineatur,alter,vel
vterque aliis nuptiis copulatur,relictis illis ad quas di-
10 ſpenſatio obtẽta eſt,poſſe viduos effectos iũgi inter ſe
matrimonio virtute prioris diſpenſationis. Ratio eſt,
quia cum ſemel ablatũ ſit impedimentũ conſanguini-
tatis,& illi habiles effecti ſint ratione diſpenſationis
præteritæ, nõ eſt cur ratione ſequẽtis matrimonij im-
pedimentũ illud reuiuiſcat. Et quãuis tacita fuerit il-
lius diſpenſationis renũciatio per trãſitũ ad alias nu-
ptias; non tamen fuit à concedẽte acceptata. Idẽ dico
tametſi impedimentũ ablatum nõ ſit, eo quòd Ordi-
narius,vel confeſſor,cui diſpenſationis executio com-
miſſa eſt,nondum illam ſint executi: quia cum tacita
illa renunciatio non ſit acceptata, non periit facultas
illa ad exequendam diſpenſationem.

Colligo *vltimò*, quid dicendũ ſit,quando quis ob-
tenta diſpenſatione ducendæ conſanguineæ, noluit
eam adducere, ſed obtinuit alteram diſpenſationem
ducendi aliam,an obtẽta hac poſteriori, prior euane-
11 ſcat. Dico priorem diſpenſationem euanuiſſe per hu-
ius poſterioris,ſi valida fuit, impetrationem, licèt il-
la non ſit vſus, cum duxerit poſteriorem conſangui-
neam. Ratio eſt, quia tametſi per ſecundum matri-
monium,ad quod non interfuit diſpenſatio, non vi-
deatur renunciari diſpenſationi, neque illa euane-
ſcat, vt dixi antea præcedenti corollario; at diuerſa
eſt ratio, quando contrahitur matrimonium per im-
petrationem poſterioris diſpenſationis. Tum quia
cùm eiuſmodi duæ diſpenſationes ſimul ſtare ne-
queant,ſed repugnent quoad executionem; per impe-
trationem poſterioris viſus eſt impetrans renuntiare
priori in manus Pontificis, à quo poſteriorem impe-
trauit;& ideo amplius ea vti nequibit, ſed ſola poſte-
riori diſpenſatione. Quam non eſſe ſurreptitiam, eo
quòd de priori non fecerit mentionem, moueor; quia
cùm prædictæ diſpenſationes ſint ſuper diuerſis ma-
trimoniis, & neutra habeat connexionem cum alia,
non eſt neceſſaria prædicta mentio. Tum etiam,
quia,eſto animus impetrantis fuerit nolle renuntiare
priori diſpenſationi; at Pontifex noluit concedere
duplicem diſpenſationem, vt vtraque ſtaret, &
ad libitum poſſet veraius vti impetrans. Et
ſi id peteretur,negaret certè tanquam
rationi valde diſſonans.

* * *

Sectio II.

An per non vſum expiret diſpenſatio propter tacitam renuntiationem.

PRo explicatione notandum *primò* hunc eſſe aliũ 1
modum quo diſpenſatio expirare poſſet, & fini-
ri ex parte eius, cui diſpenſatio conceditur. Renun-
tiatio autem tacita, ex parte eius cui conceditur di-
ſpenſatio, maximè attenditur ex ſignis, vel indiciis
externis, quæ non apertè, ſed per coniecturas oſten-
dunt voluntatem carendi diſpenſatione. Hæ autem
coniecturæ maximè videntur ſumi poſſe in ordine
ad non vſum illius, vel per ordinem ad contrarium
vſum, & actus qui non videntur ſtare cum animo
vtendi diſpenſatione.

Præterea notandum eſt, poſſe in præſens eſſe ſer- 2
monem vel de tacita renuntiatione veræ & propriæ
diſpenſationis, v. g. alicuius priuilegij; vel de re-
nunciatione quæ conceditur ad auferendum aliquod
matrimonij impedimentum.

Circa priorem de priuilegio, latè in materia de le- 3
gibus. Breuiter duo dico.

Primum eſt, ſi priuilegium ſit reſpectiuum,ex quo
redundat in alios aliquod grauamen, vel ſeruitutis
genus, vt ſunt priuilegia decimas accipiendi, im-
ponẽdi tributa, & eligendi, ex priuilegio cum gra-
uamine aliorum: iuxta communem doctrinam hu-
iuſmodi priuilegia amittuntur per non vſum, ſed non
quemcumque, ſed cùm ex parte alterius, in cuius
grauamen cedunt, eſt præſcriptio contra priuilegia-
tum, ſi deſinat vti: præſcribit enim is in cuius dam-
num redundat. Tempus autem huius præſcriptionis
cenſetur eſſe decennium ab vltimo vſu priuilegij
computandum. Similiter iuxta communem doctri-
nam, per vſum contrarium amittitur priuilegium
reſpectiuum, ſi nimirum is qui actum contrarium
exercet, potens ſit illi priuilegio renunciare. Vnde ſi
in eius poteſtate non eſt, quamuis actum exerceat
contrarium, non dicitur renuntiaſſe, ſiquidem non
magis operatur tacitum, quàm expreſſum: ſicut er-
go expreſſa eius renunciatio nullius eſſet effectus, ſic
neque ea tacita renunciatio, quæ præſumitur ex vſu
contrario, ſic intelligendum eſt *cap. contingit, de ſent.
excommunic.* vbi tametſi clericus ſe violenti percuſſio-
ni ſubiiciat, adhuc oon amittit priuilegium Cano-
nis. Et illud aliud caput *ſi diligenti, de foro com-
petenti*. Vbi licèt clericus ſe patiatur iudicari à iu-
dice ſæculari, iudicium eſt omnino nullum; quia
in eius poteſtate non eſt illi priuilegio fori renun-
tiare, neque in toto, neque in parte. Denique vt
vſus contrarius priuilegio quaſi reſpectiuo illud auer-
tat, neceſſe eſt vt talis vſus contrarius ſit cum præ-
ſcriptione legitima coniunctus.

Secundum eſt, ſi ſermo ſit de priuilegio quaſi
abſoluto, quod ſolum concedit priuilegiato fa-
cultatem circa actiones ſuas ſine aliorum graua-
mine; quale eſt priuilegium non ieiunandi, non re-
citandi, comedendi laticinia,eligendi confeſſorem,&
ſimilia. Dico eiuſmodi priuilegia non amitti per non
vſum,cuiuſcumque temporis ſit,niſi in alicuius priui-
legij peculiari conceſſione tempus non vtendi de-
finiatur. Neque etiam amitti per vſum contrarium
priuilegio. Quare priuilegium noo recitandi, v.g.
non ieiunandi,quamuis quis reciret, vel ieiunet, nun-
quam amittitur.

Circa

4 Circa poſteriorem diſpenſationem, in qua conceditur extinctio alicuius impedimẽti dirimentis ad matrimoniũ contrahendũ. Dicendũ eſt circa prædictã diſpenſationẽ, nullum eſſe locum tacitæ renũtiationi. Id manifeſtè colligitur ex his quæ diximus præcedenti diſputatione. Probatur autẽ ſimul, ac explicatur. Nam in primis prædicta renunciatio tacita nõ debet præſumi ex nõ vſu. Quia quod quis nõ vtatur ea diſpẽſatione, ſtare optimè poteſt cũ voluntate retinẽdi poteſtatẽ vtendi diſpenſatione, vt eſt per ſe notũ; ergo nõ vſus præcisè nõ eſt ſufficiens ſignũ dictæ renũciationis tacitæ. Præterea nec debet ea renũciatio colligi ex aliquibus actibus, qui videantur ſignificare animũ renunciandi: quoniã aſſignari facile nequit actus aliquis, ex quo ea renunciandi voluntas ſufficiẽter præſumatur, ſolet aſſignari, quando petitur ſecunda diſpenſatio poſt primam circa idem, quia nimirum de prima dubitatur; tunc enim videtur renunciare primæ. At id, inſufficiens ſignũ eſt colligendi renunciationẽ. Quia ex eo quòd quis ſecundam diſpenſationem obtineat magis fauorabilem, aut magis apertã & clarã, nõ videtur eſſe amittendi priorẽ. Quod ſi aliquando obtenta ſecunda diſpenſatione ceſſet prima, id non eſt ob renunciationem impetrantis, ſed quia eſt circa eandem rem; neque eſt intentio Pontificis circa eandẽ rẽ duas concedere diſpenſationes. Rurſus certũ eſt non renũciari primæ, quando ſecũda diſpenſatio eſſet nulla, cũ animus eſſet, primã omittere, ſi ſecunda valeret. Denique nec ſi quis poſt obtẽtã diſpẽſationẽ aliquid agat, quod cum vſu eius diſpenſationis ſtare non poſſit, nõ ideo videtur renũciaſſe diſpẽſationi obtentæ. Vt verbi gratia, ſi poſtquam Petrus impetrauit diſpenſationẽ vt conſanguineam Franciſcã ducere poſſit, & ducat Mariam non conſanguineam, vel ſi emittat votũ caſtitatis, aut religionis; non eſt cur cenſeatur renunciaſſe diſpenſationi obtentæ, cum poſſit defuncta Maria quam duxit, Franciſcam cõſanguineam ducere; & etiam emiſſo voto matrimoniũ validè contrahere, licet cũ peccato. Igitur licèt verum ſit cum vſu diſpenſationis eſſe incompoſſibilem illũ actum, ſed non cum ipſa diſpenſatione, & poteſtate. Vnde ſi ſtare poteſt cum ipſa diſpenſatione, non eſt vnde colligatur ea tacita renunciatio. Similiter etiam ex ſuperueniente voto licet impediatur vſus primæ diſpenſationis, non tamen cenſeri debet aliqua renunciatio tacita. Quòd à poſteriori conſtare poteſt, quia ſi dictus Petrus peractis vori diſpenſationem, non indigebit rurſus diſpenſatione ſuper impedimento conſanguinitatis, ſed ea, quam prius obtinuerat, vti poterit. Idem ſentio in eo caſu, in quo quis rumperet inſtrumentum, vel indultum diſpenſationem continens, quod ſignum, quamuis vehemens videatur indicium, cum nequeat eſſe vtilis diſpenſatio in foro externo ſine literis authenticis; at non eſt indicium ſufficiens, niſi eiuſmodi ruptio inſtrumenti ad Principis notitiam perueniat, & ab illo acceptetur. Nam ſine ea acceptatione nulla diſpenſationis reuocatio valere poteſt, vt oſtendi præcedenti ſectione *num.* 7. & ſequentibus.

Sectio III.

An, & quomodo ceſſet diſpenſatio, & finiatur per reuocationem concedentis.

Oſtenſum eſt hactenus quo pacto diſpenſatio finiatur, & expiret, ex parte eius cui diſpenſatio conceditur. Nunc in hac, & ſequentibus ſectionibus quomodo expiret ex parte concedentis.

1 In præſenti autem difficultate vera, & Doctorum omnium ſenſu receepta ſententia eſt, finiri poſſe diſpenſationem, ſi is qui conceſſit, verè & ex animo reuocet. Et ſumitur ex generali doctrina in materia de priuilegiis, quæ docet reuocari poſſe beneficium gratuitum à concedente, ſicque finiri, & expirare. Faueteque, huic doctrinæ conſuetudo recepta; videmus enim quotidie reuocari priuilegia per leges Pontificias, Conciliares, & Regias.

Nihilominus in contrarium obiici ſolet, donationem ſemel factam non poſſe reuocari à donante; ſed priuilegij conceſſio eſt quædam donatio: ergo reuocari non poteſt.

Duo circa præſentem controuerſiam breuiter explicabo. *Primum*, quid de priuilegiis in genere dicendum. *Secundò* agam ſpecialiter de diſpenſationibus in matrimonij impedimentis.

2 Circa primũ, præmittenda eſt priuilegij diſtinctio; aliud enim eſt oneroſum, ſeu lucratiuum, quod nimirum datur per contractum oneroſum, ſeu lucratiuum: aliud eſt gratuitum, quod gratis omnino conceſſum eſt. Ad illud priuilegium quod per viam contractus obtinetur, reducitur priuilegium remuneratiuum, quod nimirũ alicui conceditur in meritorum remunerationem, etiamſi ſola gratitudinis lege remuneratio debita ſit. Præterea, priuilegium gratis omnino conceſſum duplex eſt; vnum quod conſiſtit in abſoluta donatione cum tranſlatione dominij alicuius rei, vel iuris, vt cũ conceditur caſtrum, vel ius vectigaliũ, aut alterius tributi, aut ſeruitutis. Aliud verò eſt priuilegium conſiſtens tantum in facultate vel licentia operandi aliquid præter vel contra commone ius. Et hoc adhuc ſubdiſtingui poteſt, nam vel eſt priuilegium conceſſum non ſubdito, & ab eo acceptatum, vel eſt gratis omnino ſubdito conceſſum. Quo præmiſſo,

3 Dico *primò*, priuilegium gratuitum manens in pura ratione priuilegij, id eſt, facultatis, ac licentiæ præter, vel contra commune ius ſubdito conceſſum, reuocabile eſſe à concedente. Ita cõmuniter omnes. Ratio eſt, quia prædicta conceſſio à mera concedentis volũtate pẽdet, nec tranſit in dominium ſubditi; & ita eſt ſemper pendens ab illius voluntate; ergo per illã poteſt reuocari. Firmo, nã licèt ſuperior auferat præceptũ, poteſt iterũ illud ponere; ſicut è conuerſo poteſt auferre præceptũ quod antea poſuit; ergo eadẽ ratione poteſt liberè reuocare huiuſmodi priuilegiũ; patet conſequẽtia, quia hæc reuocatio nihil eſt aliud quàm iterata virtualis impoſitio præcepti prius ſublati, vel virtualis prohibitio eius, quod antea concedebatur. Hanc autem reuocationem poteſt efficere concedens abſque cauſa, validè, ac licitè, per ſe loquẽdo, quia vtitur iure ſuo, & nulli alteri fit iniuria. Dixi reuocabile eſſe à cõcedente, nomine cõcedentis, cõprehendendo ſucceſſorẽ, quia ſuccedit in æquali poteſtate, imò moraliter eſt vna, & eadẽ; neque ideo ea poteſt perſona præcedens ſuccedenti præiudicare, ſub eodẽ nomine cõprehẽdo quoque nõ ſolum habentẽ ſupremã poteſtatem, vt Papã, vel Regem, ſed etiam inferiores concedentes, nã hi etiam cũ proportione talia priuilegia cõcedunt, & ea pendent ex volũtate ipſorum; & illi poſſunt iterum ponere præceptum, vel prohibitionẽ quæ abſtulerunt, in his quæ ſubſunt eorum poteſtati.

4 Solum hoc inuenio diſcrimen; nam priuilegium conceſſum ab inferiori, poteſt à ſuperiori reuocari ex iuſta cauſa, validè & licitè; quia ſuperior habet altiorẽ iuriſdictionem cui inferior ſubordinatur. Dixi *ex iuſta cauſa*: nã ſine illa nõ rectè fiet, quia eſt cõtra debitum ordinẽ, & non ſine iniuria inferioris Prælati, nec ſine detrimento ſubditorum, per ſe ac regulariter loquendo

do. Imò & probabile eſt talem reuocationem inualidã eſſe, quia talis ſuperior non poteſt priuare inferiorem ſua ordinaria iuriſdictione, ſine cauſa iuſta, & pro ſua voluntate; eſt enim priuare alterum rationabiliter inuitum re ſua; id enim excedit ſuam poteſtatẽ, & priuilegium conceditur ab inferiori Prælato ex ordinaria poteſtate. Sicut ſuperior ſi velit ſuſpendere ſubditũ à ſuo munere iniuſtè, & ſine vlla cauſa, non poterit, neq; aliquid validè efficiet. Quæ ratio efficax eſt in Epiſcopis, quia poteſtatẽ habent communi iuri magis addictam. Nam ſi Papa id faciat, factum tenebit, quia ab illo pendet omnis iuriſdictio inferiorum.

5 Dico *ſecundò*, quando priuilegium tranſit in cõtractum, non poſſe abſque iuſta cauſa reuocari per Principem, eiúſve ſucceſſorẽ; at iuſta exiſtente cauſa poſſe: vt ſi pretio recepto priuilegium concedat. Ita cõmuniter omnes. Ratio eſt, quia in hoc euẽtu Princeps ſuo contractu aſtringitur, ac per illum eſt ius plenè acquiſitum tertio. At iuri alteri acquiſito nequit abſque cauſa legitima præiudicari. Vnde ea obligatio naſcitur ex naturali iuſtitia, quæ etiam Principẽ obligat, vt eſt per ſe clarum. Excipe, niſi Princeps ſuam iuriſdictionẽ conceſſerit; tũc enim poteſt ſine cauſa reuocare. Quia in conceſſione intelligitur ſemper excepta ſuperioris auctoritas. Hinc optime dixit Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 26. ſect. 3. n. 3.* ſuperiorem qui delegauit facultatẽ, ſuo arbitrio ſine alia cauſa poſſe reuocare, non ſolùm validè, ſed etiam licitè, per ſe loquendo; quia vtitur iure ſuo, & quaſi re propria. Subdit tamen & benè, ſuperiorem delegantis non poſſe abſque cauſa reuocare. Quia iniuria irrogaretur deleganti, priuando eũ abſque cauſa iure delegandi, quod ex ſua iuriſdictione ordinaria habet. Et adeo manifeſtè iniuſta reuocatio eſſe poſſet, vt videretur nulla: ſicut ſi ſuperior vellet iniuſtè, & ſine vlla cauſa ſubditum priuare munere ſuo, nihil validè efficeret. Ex hoc dicto

6 Colligo *primò* teneri Principẽ ex iuſta cauſa reuocantem priuilegium, quod in contractum tranſit, recompenſationem facere ſubdito dato æquiualenti, vt notant Sanchez *lib. 8. diſp. 33. n. 9.* Suarez *lib. 8. de legibus c. 38. n. 3.* Baſilius Ponce *lib. 8. c. 19. §. 2. n. 13.* & alij. Rationem reddit Suarez, quia licèt Princeps poſſit reſcindere priorem contractum propter neceſſitatẽ publicam, vel aliam vrgentem cauſam, non tamen poteſt iuſtè omnino priuare ſubditum re ſua ſine vlla recompenſatione; cùm hoc neceſſarium non ſit ad commune bonum, nec ſubditus teneatur gratis cedere iuri ſuo, quando poteſt ei recompenſatio fieri, cum Princeps non ſit abſolutus dominus rerum ſubditi.

7 Colligo *ſecundò*, non ſufficere reuocationem generalem ad cenſendum reuocatum priuilegium per modum contractus conceſſum, ſed opus eſſe expreſſa mẽtione ſaltem generali cuiuſuis priuilegij conceſſi per modum contractus, vt docent etiam prædicti Doctores Baſilius, Sanchez, & alij. Et ratio eſt, quia nõ præſumitur reuocandi voluntas, quando ea tertij ius auffert. Ex quo infert Sanchez citatus, nõ ſuſpendi Bullã Cruciatam anno Iubilæi, quia priuilegia Bullæ dãtur per modum cõtractus, vt conſtat ex illis verbis, *porque diſtes de limoſna*, &c. Nec poteſt dici modica eleemoſyna, quæ pro Bulla cõtribuitur. Nam licèt vnuſquiſque modicam tribuat; at tota ſumma quæ quotannis pro Bullæ eleemoſyna contribuitur, excedit octingẽta aureorum millia. In reuocatione autem quæ fit anno Iubilæi, nulla fit mentio facultatum per modum contractus conceſſarum; nec eleemoſyna contributa iuſſa eſt reddi. Cum tamen vtrumque neceſſarium ſit ad priuilegij per modum contractus conceſſi legitimam reuocationem.

8 Dico *tertiò*, priuilegium remuneratiuum, reduci ad illud quod per viam contractus obtinetur, & ideo eſſe per ſe irreuocabile. Ita Doctores relati. Ratio eſt, quia quod datur cum onere, vel cum obligatione in futurum, reuocari non poteſt, impleta conditione; quia quod ſic datur, non cenſetur gratis datum. Idem eſt, quãdo aliquid datur in remunerationem præteriti laboris. Eſt verò notandum, quando remuneratio eſt tãtum ex gratitudine, cum ſola ratio gratitudinis non ſufficiat ad proprium, & rigoroſum contractum, non eſt tam irreuocabile priuilegium datum ex gratitudine, ſicut ex iuſtitia, quia fortius eſt iuſtitiæ vinculum. Vnde in caſu neceſſitatis, ac cæteris paribus, potiùs eſſet reuocandum priuilegium datum ex gratitudinis obligatione, quàm datum ex commutatiua iuſtitia.

Dico *vltimò*, priuilegium cõceſſum non ſubdito, & 9
ab eo acceptatum, eſſe à concedente, & à ſucceſſore irreuocabile. Ita multi, quos refert & ſequitur Suarez citatus *lib. 8. c. 37. n. 2.* Ratio eſt, quia priuilegium conceſſum non ſubdito, & ab eo acceptatum tranſit in cõtractum; ergo non poteſt reuocari: patet conſequentia, quia nullus Princeps habet ius priuandi non ſubditũ rebus ſuis, & legitime acquiſitis, vndecumque ad illũ peruenerint; & ideò licet illas quis receperit à Principe non ſuo, manet tamen poſtea in illis perinde non ſubditus, ac ſi aliunde illas obtinuiſſet. Atque hæc ratio æquè procedit in ſucceſſore, atque in concedente; tum quia neque ſucceſſor poteſt priuare non ſubditũ iure ſuo; tum etiam quia aliàs nulla pacta cum Principibus ſupremis eſſe poſſent firma, & perpetua, quod eſt contra ius gentium, & contra rectam gubernationem & pacem generis humani. Quæ ratio æquè procedit in alienatione iuriſdictionis per priuilegiũ datũ non ſubdito, quàm in aliis materiis. Suppono autem rem conceſſam per priuilegium non ſubdito talẽ eſſe, vt potuerit à principe alienari, & diuidi, non ſolùm à perſona ſua, ſed etiam à Corona, ſeu Sede ſua; nã tunc irreuocabile manet priuilegium reſpectu ſucceſſorũ, quia eſt abſolutè, & ſimpliciter conceſſum.

Quibus verò modis ſoleat priuilegium reuocari, non eſt huius loci tractatio, videatur Suarez *lib. 8. de legibus*, hãc rem doctè pertractans tribus vltimis illius libri capitulis, nempe 38. 39. & 40.

Circa ſecundum facilè ex dictis, de diſpenſationibus, ſpecialiter in materia matrimonij diſcurritur.

Dico *primò*, quando Papa diſpenſat in aliquo impe- 10
dimento lege ſua, vel iure communi dirimente, nulla compoſitione facta, ſed omnino gratis, poſſe dictã diſpenſationem validè ab ipſo reuocari abſque aliqua cauſa. Hoc eſt certum, quia ea diſpenſatio eſt quaſi priuilegium conceſſum circa rẽ ipſius ſuperioris propriam; vnde ſicut poſſet denuò ſubditum lege illa ligare, ita poteſt reuocare diſpenſationem, per quam à lege eximitur. Quòd ſi ex cauſa diſpẽſet Prælatus, nec res ſint mutatæ, & talis diſpenſatio ſit neceſſaria ſaluti ſpirituali ſubditi, teneretur eam non reuocare, quia tenetur ſaluti eius ſpirituali concedere.

Dico *ſecundò*, diſpenſationes impedimentorum ma- 11
trimonij in foro externo à Papa conceſſas, nõ poſſe ad libitum ab eo reuocari, niſi iuſta exigente cauſa, & tũc reſtituta compoſitione, ſoluta ab eo cum quo diſpenſatum eſt. Hoc etiam cõſtat apud Doctores. Ratio eſt, quia prædictæ omnes diſpẽſationes conceduntur per modum contractus, ſoluta nempe compoſitione in Dataria Romana, ergo nequeunt reuocari niſi iuſta exigente cauſa, & reſtituta compoſitione.

Dico *tertiò*, diſpenſationes matrimoniales in foro 12
conſcientiæ à ſacra Pœnitentiaria conceſſas, non poſſe ab ipſa abſque cauſa reuocari, at benè poſſe exiſtente cauſa. Ratio eſt, quia diſpenſat in lege Pontificis ex ipſius commiſſione; ergo nequit abſque cauſa reuocare. Nam ſicut duratio prædictæ diſpenſationis pendet à duratione cauſæ, ita vt ea ceſſante,

ceſſet;

ceſſet; ita etiam perdet à reuocatione rationi conformefacta à concedente ob legitimam cauſam ſuperuenientem.

Ad rationem dubitandi traditam ſuprà *n.1.* iam ſatisfactum eſt doctrina adhibita in concluſionibus, vel dictis. Prima enim pars illius probat benè de beneficio, ſeu priuilegio omnino gratis conceſſo. Secunda verò de priuilegio per modum contractus conceſſo, quo adquiritur ius, ſicut per donationem acceptatam.

Sectio IV.

An promiſsiones diſpenſandi in impedimentis matrimonij extinguantur per mortem, vel ceſſationem officij perſonæ cui committuntur.

VAriis modis poteſt contingere, vt diſpenſationes ſemel conceſſæ legitimè extingui poſſint ac euaneſcere, ex parte concedentis, præter reuocationem, nempe per mortem, vel ceſſationem officij perſonæ cui commiſſa eſt, & etiam per mortem vel ceſſationem officij delegantis. Primum autem in hac ſectione diſcutiendum eſt. In qua primò agemus de cõmiſſionibus diſpenſandi in matrimonij impedimentis ſpectantibus ad forum externum; & deinde de diſpenſationibus, quæ in foro conſcientiæ committuntur expediendæ confeſſori per ſacræ Pœnitẽtiariæ reſcriptum.

1 Circa priores igitur commſſiones, præmitto in primo, nomine officialis diœceſani intelligi Vicarium generalẽ Epiſcopi illius diœceſis. Id patet vſu, & experientia, & manifeſtè conſtat ex *Clem.2. de reſcript.* iūcta Gloſſa *verb. officialis.* nã textus ait. *Et ſi principalis officialis Epiſcopi.* Et Gloſſa ait, eundem officialem dici Vicariũ. Et *c.1. & 2. de offic. Vicarij in 6.* textus eundem vocat officialem, & ſtatim *cap. finali*, dicitur disiunctiuè, officialis, aut Vicarius generalis Epiſcopi.

2 *Secundo* nota, vt meliùs explicetur, quando expiret ob mortem eius cui conceditur facultas diſpenſandi, præmitti debet communis illa diuiſio facultatis in realem, & perſonalem. Qualis verò ſit quæ in reſcripto continetur, ſi clarè non proponatur, colligi debet *primò*, ex qualitate rei in cõceſſione cõtentæ. Nam ſi hæc natura ſua ſit perſonalis, perſonalis etiam erit cõceſſio: & tunc officiorum conceſſio ſemper extinguitur cum perſona. *Secundò*, conceſſio quæ perſonis conceditur, perſonalis eſt; quæ verò cauſæ, aut rei, realis; & etiam quæ fit Vniuerſitati, Capitulo, & ciuitati, realis cẽtenda eſt, quia corpora hæc nunquam pereunt.

3 *Tertiò* obſerua, ſi in reſcripto ſolum perſonæ delegati nomẽ exprimatur, eſſe commiſſionem perſonalẽ, ac morte delegati extingui; vt cum dicitur, committo hoc Petro. Quando verò nomen dignitatis, vel officij ſolùm exprimitur, commiſſio erit realis, & eo delegato mortuo tranſibit ad ſucceſſorem in ea dignitate, vel officio. Vt, committo hoc Archiepiſcopo Valentino. Id conſtat expreſſè ex *c. quoniam Abbas, de offic. deleg.* ibi, Quia ſub expreſſis nominibus locorum, & non perſonarum commiſſio emanauit. *Locorum*, id eſt, dignitatum, quæ locis præſunt, vt explicat *ibi* Abbas *n.8.* ab omnibus receptus. Quare dũ eſt commiſſio perſonalis, ſemper extinguitur cum perſona delegati: quãdo autem eſt realis, tranſit ad ſucceſſorem, ſiue commiſſio cœpta ſit à defuncto, ſiue res integra manſerit: quia ratio vtriuſque partis, nempe perſonam mori, non autem dignitatem, militat, ſiue res ſit integra, ſiue non.

4 *Quartò* hinc nota, dignitatem vel officium Vicarij generalis, propriè loquendo, non habere ſucceſſorẽ in Vicariatu, neque eſſe perpetuam: nam Vicarius nõ habet iuriſdictionem nomine proprio, ſed iuriſdictio ſua eſt Epiſcopi faciens idem conſiſtorium, *c.2. de conſuet. in 6.* Item ſi eſſet perpetua dignitas, diceretur vacare per mortem, & non penderet ab Epiſcopi voluntate Vicarium conſtituere, ſed adeo teneretur eũ creare, vt elapſo termino legitimo poteſtas creandi ad Papam deuolueretur *c.1. & toto tit. de ſuppl. neglig. Prælat.* At Epiſcopus non tenetur creare Vicariũ *c.1. & 2. de offic. Vicarij, in 6.* ergo Vicariatus dignitas nõ eſt perpetua, nec in ea ſucceditur, ſed dicitur de nouo aſſumi à Vicario denuo creato. Nihilominus tamen, licet propriè, & rectè Vicarius Epiſcopi non habeat dignitatẽ, quæ perpetuò exigatur in Eccleſia, nec propriè ſucceſſorẽ habeat; commiſſionẽ illi factam ſub nomine Vicariatus tranſire ad illũ qui illi ſuccedit in officio, tenendũ eſt & in hoc ſenſũ habere ſucceſſorẽ. Probatur. Quia eã eſſe Pontificis mentẽ, ac verè ab ipſo cõſiderari Vicarij tribunal, dum illi varias commiſſiones cõmittit ſub nomine Vicariatus, quotidiana experientia, & praxis ipſa ſatis teſtatur. Idque ſuadet ſuauis & prudens Eccleſiæ gubernatio. Nã cùm cõmiſſiones diſpẽſationũ in foro externo conceſſatũ ſẽper dirigãtur Officiali diœceſano, ſi perſonales eſſent, paſſim perirent, & magnæ expenſæ in impetrãdis aliis reſcriptis fierent. Quod dico de Vicario Epiſcopi, idem intelligo de Vicariis Capituli ſede vacante, ac Prælatorum habentiũ quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem in ſua diœceſi, ita vt nulli Epiſcopo ſubſint. His poſitis

Dico *primò*, cõmiſſiones diſpenſandi in matrimonij impedimẽtis factas Officiali, vel Vicario, nõ poſſe expediri per Epiſcopũ, etiã officiali remoto, ſed ad ſucceſſorẽ Vicarij. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia aperta eſt differẽtia inter Epiſcopũ & officialem eius, vt cõſtat ex *c. venerabilibus, in princ. de ſent. excõ. in 6.* ibi, *Archiepiſcopo, vel eius officiali.* Igitur ſi cõmiſſio ſoli officiali fiat, nullatenus poteſt ad Epiſcopũ pertinere, ſed ad officialẽ, & eo amoto, ad ſucceſſorem officij. Et quãuis ſit idem Epiſcopi, & eius Vicarij tribunal; id tamen ſolum habet verũ in cauſis quę iure ordinario cõpetunt ipſi Vicario generali. Idẽ dicẽdũ eſt, quãuis ipſe officialis, vel Vicarius generalis in Epiſcopũ eiuſdẽ diœceſis eligeretur. Nã Epiſcopatus, & Vicariatus ſunt diuerſæ dignitates, licet Vicariatus nõ ſit propriè dignitas, ſed quaſi dignitas; ergo non poteſt tũc illi cõpetere cõmiſſio, ſed ſucceſſori in Vicariatu. 5

Hinc colligo Vicariũ Capituli ſede vacante, poſſe eas diſpenſationes exequi, & de quauis ſimili delegatione cognoſcere. Patet. Tũ quia forma cõmittẽdi nõ eſt Officiali Epiſcopi, ſed Officiali, expreſſo nomine Diœceſis, v.g. Valentinæ. At dum ſedes eſt vacãs, officialis illius, eſt officialis illius diœceſis. Tum etiam, quia Vicarij Capituli ſede vacante, ſunt Vicarij iuriſdictionis Epiſcopalis. Imò, vt rectè notauit Sanchez *lib.8. diſp.27. n.33.* etiãſi clauſula commiſſionis dicat, Officiali Epiſcopi, poteſt de ea cognoſcere, non Capitulum ipſum, ſede vacante, ſed eius Vicarius. Ratio eſt, quia Capitulum non ſuccedit Vicario Epiſcopi, ſed Epiſcopo ipſi. At Vicarius Capituli ſuccedit in illa quaſi dignitate Vicarij Epiſcopi. Et ipſe Vicarius Capituli poteſt dici Vicarius Epiſcopi, id eſt, habentis iuriſdictionem Epiſcopalem. Nec huic obſtat regula illa 79. *de regulis iuris in 6. Nemo poteſt plus iuris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur.* Nam hoc argumento etiam probaret nec Vicarium Epiſcopi poſſe de ea cauſa cognoſcere, cùm nequeat Epiſcopus de ea cauſa cognoſcere. Quare dicu, quòd illa regula verificaretur, ſi Capitulum ipſum, vel Epiſcopus transferret iuriſdictionem 6

cognoſcendi de ea cauſa delegata in Vicarium. At certum eſt eam non transferre, quia ſolùm conſtituit Vicarium, & eò ipsò quòd ſiceſt Vicarius conſtiturus, poteſt eam commiſſionem exequi virtute reſcripti Apoſtolici Vicario committentis.

7 Dico *ſecundò*, Vicarios Prælatorum habentium iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſua diœceſi nulli Epiſcopo ſubdita, capaces eſſe delegationis Pontificiæ, & poſſe prædictas exequi diſpenſationes matrimoniales, vt tenet cum aliis Sanchez relatus *num.* 34. Ratio eſt. Tum quia nomine officialis Epiſcopi, vt dixi, intelligitur officialis habẽtis iuriſdictionem Epiſcopalem, cuiuſmodi ſunt Vicarij Capituli. Tum quia hi Vicarij ſunt ordinarij, ſicut & Vicarius Epiſcopi, cum eandem habeant à Canone iuriſdictionem, quam Vicarius Epiſcopi; & nullus alius ſit Ordinarius eius diœceſis his Prælatis ſubiectæ, niſi officialis illorum. Tum denique, quia ipſa conſuetudo & praxis ita habet, & manifeſtat.

8 Hinc colligo, Vicarium generalem Epiſcopi confirmati, nondum tamen conſecrati, poſſe prædictas exequi diſpẽſationes. Quia nimirum nullus alius eſt illius diœceſis officialis, & ipſe eſt capax harum delegationum. Tum etiam, quia cum Epiſcopus ille ante conſecrationem habeat plenam iuriſdictionem Epiſcopalem, ſuus Vicarius verè dicitur Vicarius Epiſcopi, id eſt, habentis plenam iuriſdictionem Epiſcopalem.

9 Dico *tertiò*, ſi duo ſint officiales Epiſcopi, & delegatio fiat ſimpliciter officiali, & alter ex illis eſt principalior, illi ſoli cenſeri commmiſſionem factam. Ita notant communiter Doctores ex *Clem.* 2. *de reſcriptis*: vbi dicitur principalem Epiſcopi officialem eſſe capacem huius delegationis. Et etiam, quia nomen dignitatis abſolutè prolatum ſtat pro principali. Vnde in ſimili, quando fit commiſſio Archidiacono, & ſunt plures, debet intelligi de principaliori.

10 Dico *vltimò*, ſi vterque officialis ſit æquè principalis, & nullus deſignatur in reſcripto, verius eſſe in diſpenſationibus & commiſſionibus, quæ ſunt contentioſæ, neutrum cum effectu eſſe iudicem donec delegans de quo intellexerit, declaret. Ratio eſt, quia eſt iudex incertus; quamuis non ſit iudex incertus ex incertis perſonis, & ob id valeat reſcriptum; eſt tamẽ incertus ex certis, & ideo non habet effectum, donec delegans declaret quem eorum elegerit. Quod intelligo in commiſſionibus, & diſpenſationibus, quæ cõtentioſæ ſunt, & inter partes agitantur. Vnde in aliis cõmiſſionibus, & diſpenſationibus quæ cõtentioſæ nõ ſunt, & inter partes non agitantur, verius eſt eſſe iudicem illum, cui reſcriptum fuerit præſentatum: cum nulla in his pars aduerſa ſit, quæ id incertitudinis vitium opponere poſſit. Semel autem præſentatum reſcriptum illud diſpenſationis alterutri ex officialibus æquè principalibus Epiſcopi, vt illud exequatur, non poteſt alter Officialis æquè principalis adiri. Nam in literis gratiarum exequutoris præuenitur iuriſdictio per ſolam reſcripti cum animo procedendi præſentationem. Atque vbi ſemel iudicium cœptũ eſt, ibi terminari debet. *l. vbi cœptum.* 30. *ff. de iudiciis.*

11 Circa alias commiſſiones, & diſpenſationes, quæ in foro conſcientiæ committuntur expediendæ Confeſſori, per ſacræ Pœnitentiariæ reſcriptum, eſt vnica dubitatio, an poſſit pœnitens, vbi ſemel literas cuidam Confeſſario præſentauit, illum eligens, vt diſpenſationem exequatur, alterum eligere eo dimiſſo.

12 Dico *primò* cum communi ſententia, non tantùm vbi ſemel literæ præſentatæ ſunt cuidam Confeſſario, ſed etiam poſtquam ab eo pronunciatum fuit diſpenſationem eſſe ſurreptitiam, poſſe impetrantem adire alium confeſſarium, qui in ea ſit opinione, vt valeat reſcriptum. Imò & poſſe eundem met confeſſarium, re meliùs perſpecta, diſpenſationem illam mutata ſententia exequi. Quare habenti priuilegium virtute Bullæ, vt abſoluatur à reſeruatis, vel eius commutentur vota, denegata abſolutione, vel commutatione per quendam confeſſarium, eo quòd iudicauerit ſe in eo caſu non poſſe, integrum erit alium confeſſorem adire, & poſſe abſolutionem & commutationem ab ipſo obtinere, ſi ſit contrariæ ſententiæ: & ſimiliter poterit idem confeſſarius, qui ſemel negauit, mutare ſententiam, & concedere. Ratio totius huius rei hæc eſt, quia cùm ea commiſſio facta ſit in foro conſcientiæ, ſequitur eius fori naturam, quæ eſt, vt non aſtringatur pœnitens acquieſcere ſententiæ vnius confeſſarij, ſed poſſit alium adire: atque idemmet confeſſarius ſententiam mutare poſſit. Vnde in hoc euentu non prorogatur iuriſdictio de perſona ad perſonam ex voluntate ſola partis, aut confeſſarij, ſed etiam ex voluntate ipſius Pœnitentiarij qui literas conceſſit. Nam ea cenſetur eius voluntas, vt liceat diuerſos confeſſores adire, & idemmet poſſit ſententiam mutare; quia nimirum natura fori conſcientiæ, pro quo illæ literæ conceduntur, id poſtulare videtur: atque ideo illi omnes cenſentur electi ab ipſo Pœnitentiario, vt literas expediat. Quare ſicut in ſimili docuit Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſput.* 27. *ſect.* 4. *n.* 7. ſi quis virtute Iubilæi concedentis ſemel eligi confeſſarium, is non abſoluat, vel cum eo non finiat confeſſionem, integrum eſſe illi alium eligere, quia intelligitur ea poteſtas ſemel eligendi de actu conſummato. At prior actus conſummatus non eſt, cum abſolutio non ſit obtenta. Ita in præſenti cum proportione idem dicendum.

Dico *ſecundò*, poſſe etiam impetrantem, eligere quendam Confeſſarium vt diſpenſet, & alium vt prolem legitimet in foro conſcientiæ. Quamuis ſecus ſit in foro externo reſpectu Ordinarij. Id rectè notauit Sanchez *lib.* 8. *d.* 27. *n.* 17. Ratio eſt, quia cùm Confeſſarius ſit iudex in foro conſcientiæ, quamuis cœperit iuriſdictione vti, poteſt adiri alius, & ideo illa duo poſſunt data opera peti à diuerſis. Sicut dum virtute Bullæ, vel Iubilæi conceditur Confeſſario poteſtas abſoluendi à reſeruatis, & commutandi vota, poteſt pœnitens quendam Confeſſarium adire, vt à reſeruatis abſoluat, & alium vt vota commutet. Quod ſecus ſe habet in Ordinario, quia Ordinarius cùm ſit iudex in foro externo, ſemel cœpto iudicio ita manet iudex vt alius adiri nequeat, niſi ſucceſſor in officio ſit. 13

Sectio V.

An commiſſiones diſpenſandi in impedimentis matrimonij expirent concedentis morte, re integra.

IN hac re, communis ferè omnium ſententia docet poteſtatem diſpenſandi commiſſam cum perſonis incertis, non extingui morte concedentis, re integra. Ita Sanchez *lib.* 8. *diſputat.* 28. *n.* 62. Suarez *lib.* 8. *de legibus c.* 3. *num* 5. *&* 7. Salas *de legibus diſp.* 20. *ſect.* 17. Et de licentia confeſſiones audiendi idem docet Coninch *diſputatio.* 8. *num.* 10. *&* 72. citatis aliis, Baſilius Ponce *lib.* 8. *cap.* 19. *n.* 2. & alij. Probatur efficaciter, quia omnia iura quæ dicunt poteſtatem delegatam expirare morte concedentis, ſolùm loquuntur de cauſis contentioſis, ſecundùm

quas

Digitized by Google

quas gratiæ non ſunt regulandæ. At verò literæ gratiæ, ſi contineant gratiam factam, non expirant morte concedentis. Quod principium colligitur ex *cap. ſi cui 36. de præbendis in 6.* vbi deciditur facultatem conceſſam cõferendi beneficia minimè expirare morte concedentis; ſecus ſi ſit licentia conferendi certis & expreſſis perſonis. Vbi Gloſſa rationem reddit, quia in primo caſu eſt gratia facta, nullo alio indigens cõparatione eius cui facta eſt, ſcilicet collatoris beneficij: in ſecundo caſu non eſt facta, ſed mandabatur fieri, id eſt, erat gratia facienda. Hinc autem facile probatur communis ſententia; nam prædicta facultas conceſſa ad diſpenſandum cum perſonis incertis, non eſt facultas ad exequendum aliquid iuſtitiæ, vt conſtat; vnde ex hoc capite non expirabit morte concedentis, præterea continet gratiam factam ipſi diſpenſaturo. Gratia enim facta dicitur, quando perfectè conceditur ei, in cuius fauorem datur, & independenter ab alio, cui facienda committatur: gratia verò facienda dicitur, cum non conceditur abſolutè ei, in cuius fauorem datur, ſed dependenter ab alio, cui facienda committitur Igitur hæc facultas, vel indultum diſpenſandi non expirat morte concedentis. Quia ea gratia eſt iam plenè facta diſpenſaturo, qui illam ex tunc poſſidet plenè atque perfectè. Firmatur idem, quia tametſi licentia audiendi confeſſiones ſit in fauorem pœnitentium, computatur meritò inter gratias factas; quia cùm non cõcedatur reſpectu perſonæ determinatæ, in peculiarem illius fauorem, & ad ipſius petitionem, reputatur potius gratia facta ipſiſmet ſacerdotibus, & confeſſariis, vtpote quæ in maximum eorum fauorem redundat, & ſtatim ac ipſis conceditur, eſt perfectè conceſſa, & à nullius executione dependens; quæ gratiæ factæ definitio eſt. At gratia facta non expirat concedentis morte Igitur poteſtas diſpẽſandi cum perſonis incertis non extinguitur morte concedentis, re integra. Atque ita ipſa praxis teſtatur, quæ eſt optimum huius rei argumentum. Hinc

2 Colligo *primò*, prædictam doctrinam eſſe veram, ſiue indultum illud concedatur à Pontifice, ſiue ab inferioribus; nulla enim in hoc eſt ratio differentiæ. Quamuis enim iura ſæpè loquantur de Pontifice, non tamen excludunt alios inferiores Prælatos, ſed loquũtur in caſibus propoſitis, & gratia exempli. Idem dicendum ſiue materia odioſa ſit, ſiue fauorabilis; nam in vtraque eſt gratia facta. Et iura abſolutè loquuntur de gratia, & non diſtinguũt inter eam quæ alteri præiudicat, vel non præiudicat; ergo neque nos diſtinguere debemus ſine textu, vel ratione cogente. At priuilegium etiam rigoroſè ſumptum pro illo, quod derogat iuri, eſt vera gratia, abſolutè & ſimpliciter loquendo. Imò tanto eſt maior gratia reſpectu eius, cui fit, quanto non obſtante lege, vel iure alterius, ei conceditur. Vnde nulla ratio permittit, vt propter eam cauſam ſit gratia minus ſtabilis, ſeu perpetua. Videatur de hac re Suarez *lib. 8. de legibus cap. 31. num. 2. & 3.* & Sanchez *diſput. 28. numer. 8.* Idem dicendum quamuis res ſit omnino integra, quia eſt mera gratia plenè facta, & non eſt delegatio iuriſdictionis fori contentioſi. Hac enim ratione per mortem concedentis non ceſſat licentia facta ſacerdoti ad audiendas confeſſiones, licet per illam delegetur iuriſdictio in foro pœnitentiæ; ergo idem erit dicendum, etiam ſi ille Sacerdos nunquam fuerit illa vſus. Idemque eſt cum proportione, de licentia eligendi confeſſorem. Et ratio à priori eſt, quia illa conditio non eſt neceſſaria ex natura rei; nam poteſt fieri perfecta donatio, & traditio, antequam donatarius incipiat vti re donata; ſic ergo priuilegium dari poteſt, priuſquam priuilegiarius illo vti incipiat: ergo ita intelligendum eſt dari cum abſolutè conceditur, cum nec ius, nec homo limitationem ponant Et ita ex praxi & conſuetudine videtur conſtare, priuilegium cenſeri ſufficienter radicatum, & poſſeſſum ante vſum, præſertim ſi reſcriptum ſit bullatum, & traditum.

Maior difficultas eſt de facultate & indulto quod datur, vt fiat diſpenſatio cum aliqua perſona determinata, & certa, an tunc expiret morte concedentis re integra. 3

Nam communis ſententia ſentit expirare re integra à morte concedentis. Cuius præcipuum fundamentũ eſt id quod ſumitur ex *dicto cap. ſi cui, de præbendis in 6.* vbi poteſtas collata alicui ad conferendum beneficium non determinatis perſonis, cenſetur non expirare gratia facta. Expirare autem poteſtatem conferẽdi beneficium determinatæ perſonæ, quando non in fauorem conferentis conceſſa poteſtas eſt, ſed in fauorem recipientis. Vbi Gloſſa rationem reddit, quia tunc gratia non eſt perfectè facta, ſed facienda. Quia tunc non fit propriè gratia illi, qui talem actum effecturus eſt, ſed illi in cuius commodum actus eſt efficiendus: nam tota gratia ordinatur ad illum actum, & ideo dum ille non eſt factus, non cenſetur gratia facta, ſed facienda, & conſequenter commiſſio poteſtatis ad illum actum faciendum non eſt firmata, re integra. Vt in exemplo dicto *cap. ſi cui*, ſi Papa committat Epiſcopo, vt det beneficium quod vacauerit Petro, gratia cenſetur conceſſa Petro, & antequam beneficium conferatur, cenſetur facienda, non facta, & ideo expirat in eo ſtatu exiſtens per mortem concedentis.

Cæterùm Baſilius Ponce cum aliis *lib. 8. cap. 19. numer. 4.* hanc ſententiam iudicat ſibi eſſe valde difficilem, & in praxi habere nonnulla, quæ valde dura videntur. 4

Primò, facultas conceſſa alicui ad diſpenſandum cum aliqua determinata perſona non eſt res iuſtitiæ, ſed gratiæ; ergo magis regulanda eſt per regulas gratiæ, quàm iuſtitiæ.

Secundò, gratia facta iuxta dicta non expirat morte concedentis; in hoc autem caſu hæc eſt gratia facta comparatione eius, cui conceditur ea poteſtas. Nullus enim fingi poteſt caſus, nulla conceſſio, quantumuis ſit in fauorem alterius, & diſpenſandi, qui non ſit etiam in fauorem diſpenſaturi; cum ea perſona ſit magis intenta, & aſſumatur vt magis idonea, & prudens ad eam diſpenſationem faciendam.

Tertiò, ſequeretur licentiam conceſſam alicui vt audiret confeſſiones determinatæ perſonæ expirare morte concedentis. Quod videtur durum: tum quia etiam comparatione confeſſoris eſt gratia facta: tum etiam, quia licentia data pœnitenti ad eligendum talem confeſſorem non expirat; cùm etiam ſæpè contingere poſſit, vt ſit gratia etiam confeſſoris, & non ſolum pœnitentis: ergo etiam in prædicto caſu; quia nulla commoda aſſignari poteſt ratio diuerſitatis, cum in vtroque caſu ſit etiam fauor pœnitentis, & confeſſoris. Quare his argumentis conuictus dictus Baſilius Ponce *numer. 5.* exiſtimat, vniuersè loquendo, omnem licentiam, vel facultatem, vel reſcriptum conceſſum vni in ordine ad effectum cauſandum ab alio, cenſeri gratiam ſtatim factam ex vi priuilegij, ante quemcumque eius vſum, ſi materia gratiæ ſit ſpiritualis; imò & in quacumque materia, dummodo non ſit iure prohibita, vel excepta. Putat verò iure ipſo aliter ſtatutum in duplici caſu. *Primus* eſt in materia ambitioſa, qualis eſt beneficialis, vt *in dicto cap. ſi cui, de præbendis in 6. & cap. ſi ſuper gratia, de offic. deleg. in 6.* *Alter* eſt in materia fori contentioſi, vt *in cap. gratum*,

gratum,

Digitized by Google

gratum, *& cap. relatum*, *de offic. de leg.* Ad quam etiam reducuntur leges quæ ſtatuunt mandatum expirare morte mandantis re integra. Vnde ea deciſio non eſt ad omnes caſus extendenda.

5 Suarez tandem *lib. 8. de legibus c. 31. n. 18. & 19.* circa hanc difficultatem iudicat hanc diſtinctionem eſſe ſeruandam, vt nimirum facultas directè data delegato in fauorem tertij, non ſit gratia facta tertio, ſed facienda, & pereat ſi re integra concedens moriatur; ſi verò concedatur facultas directè ſubdito, licèt vſus eius pendeat ex alio operante circa ipſum, erit gratia iam facta quoad ſuam immediatam conceſſionem; & ideo etiamſi moriatur concedens, re exiſtente integra, non pereat. Hoc videtur minus rigoroſum, & conforme praxi, & fauori animarum, & ideo à noſtro Suario *lib. 8. de legibus c. 31. n. 18. & 19.* libenter admittitur. Explicat ſingula. *Primum* ſic declarat & firmat ſimul. Nam licentiæ & priuilegia data ad actus qui non pendent ex actione alterius tertij circa priuilegiatum, vt ſunt licentia non ieiunandi, laborandi in die feſto, celebrandi in priuato Oratorio, audiendi ſacrum tempore interdicti, & ſimilia, ſunt verè gratiæ iam factæ, & ideo non ceſſant per mortem concedentis etiam re integra, vt tenet communis conſenſus Doctorum, & firmat praxis totius Eccleſiæ. Igitur idem erit in aliis facultatibus, licentiiſve conceſſis ſubditis, etiamſi vſus eius pendeat ex alio operante circa ipſos, vt eſt in licentia eligendi confeſſorem, vel confitendi tali ſacerdoti deſignato à concedente, & in literis dimiſſoriis ad ſuſcipiendos Ordines à quocumque, vel à tali Epiſcopo, & ſimilibus. Patet conſequentia, quia eodem modo eſt iam facta gratia ſubdito, & non tantum facienda, cum ſub eadem forma detur licentia: & gratia quæ fit priuilegiato, non eſt ſolus effectus futurus, neque eſt ſola permiſſio, vel denominatio à poteſtate alteri conceſſa, ſed eſt vera conceſſio alicuius immunitatis, vel moralis poteſtatis. Vnde in his reſcriptis delegatus eſt quaſi executor gratiæ alteri iam factæ, & ideo firmatur ratione illius, etiam ſi res ſit integra, argumento *cap. ſi ſuper gratia*, *de offic. delegati*, *in ſexto*, & regulæ generalis, quòd acceſſorium ſequitur principale. *Secundum* ſic oſtendit, nam illud ius, vel licentia quæ datur delegato in fauorem ſubditi, non cenſetur propriè gratia vlla facta ipſi delegato, neque eſt in illo factum aliquid, quod in ipſo permanere poſſit, ſi re ipſa integra concedens moriatur: non enim fit vlla gratia illi, ſed ſolùm paratur via ad illam obtinendam, & creatur cauſa ipſi, vt ſic dicam, per quam fiat, & ideo donec illa cauſa aliquid operetur circa illum tertium, nempe delegatum, non cenſetur gratia vlla facta illi. Quod ſic probo, nam illud ius, vel facultas, ſeu licentia non reputatur vt aliquid in ipſo delegato exiſtens, ſed vel eſt ſola permiſſio, vt alius poſſit circa illum operari, vel eſt quaſi denominatio extrinſeca reſultans ex poteſtate alteri conceſſa, quæ denominatio non poteſt durare, deficiente illa poteſtate concedentis; nec poteſtas illa firmari poteſt ex illa denominatione, cum ab illa potius reſultet. Et quamuis poteſtas illa ſit iam moraliter in delegato cui directè conceditur, non cenſetur priuilegium eius, nec fauor, nec gratia illi facta, cùm non ſit data in fauorem eius, & ideo per ſe non firmatur ſine aliquo vſu, quia reputatur mandatum, & non gratia. Vnde idem dicitur quoad hanc partem de reſcriptis diſpenſationum, quæ ſecum afferunt obligationem diſpenſandi, quia ibi non habet locum ratio, vel natura priuilegij reſpectu delegati, ſed potiùs ratio mandati, vt per ſe patet. Quòd ſi illi obiiciatur tunc ſequi, idem dicendum eſſe de iudicio confeſſionis, in quo admittenda erit illa differentia inter facultatem datam Petro pœnitenti ad aſſumendum talem confeſſorem, & facultatem datam confeſſori ad audiendum talem pœnitentem, nempe Petrum: vt nimirum prior facultas ſit iam gratia facta, & re integra non pereat, & ſecunda ſit gratia facienda, & re integra pereat: negat Suarez habere locum in hoc caſu prædictam doctrinam, quia iudicium confeſſionis magis eſt gratiæ quàm iuſtitiæ. Verùm hæc ratio non videtur ſufficiens, quia in aliis indultis quæ dantur determinatæ perſonæ, & in ordine ad determinatam perſonam, etiam reperitur ratio gratiæ potius quàm iuſtitiæ; & nihilominus expirare cēſentur morte cōcedentis ab ipſo Suario, quia cōmittuntur delegato in fauorem tertij, quia tunc non eſt gratia facta tertio, nempe ſubdito, ſed facienda.

In hac re, quæ ſatis difficilis eſt, quia comprehendit multos caſus, qui videntur omnino ſimiles. Mihi videtur dicendum *primò*, eſſe valde probabilem & gratam explicationem, vel modum ab ipſo Baſilio traditum, quo docet omnem licentiam, vel facultatem, aut qualecumque priuilegium, ſeu reſcriptum gratiæ, conceſſum vni in Ordine ad effectum gratiæ conſequendum ab alio, cui poteſtas conferendi, vel diſpenſandi delegatur, cenſeri, & eſſe gratiam ſtatim factam ex vi priuilegij, ante quemcumque vſum eius, ſi materia gratiæ ſit ſpiritualis: ſecus verò eſſe in aliis facultatibus extra huiuſmodi materiam conceſſis. 6 Moueor, quia iuxta hanc explicationem facilè componuntur omnes difficultates propoſitæ, & communia iura, quæ in hac materia loquuntur, commodè exponuntur. Fauet etiam hic modus dicendi animæ & religioni. Et certè in ea materia ſpirituali, veriſimile eſt velle Pontifices non minus fauere iis pro quibus gratiæ conceduntur, quàm iis quibus conceduntur. Neque enim negari poteſt quando variæ gratiæ & delegationes conceduntur commiſſariis vel delegatis, eſſe etiam id ipſis fauorabile & honorificum, atque ideo continere gratiam factam. Quod etiam ſatis efficaciter probant argumenta & exempla adducta à Baſilio. Non verò eſt eadem ratio in aliis licentiis, vel facultatibus extra huiuſmodi materiam ſpiritualem conceſſis, iure poſitiuo aliter diſponente. Et ideo non procedunt alia exempla, quia nec materia, nec diſpoſitio iurium eſt ſimilis. Nec etiam procedunt rationes, quia cum hæc res pendeat ex iure, & diſpoſitione Pontificia, illi ſtandum eſt neceſſariò.

Dico *ſecundò*, ſi velimus ſequi communiorem ſententiam traditam ſuprà *n. 3.* eam ſic declarandam eſſe, 7 vt nimirum ſi facultas quæ datur alicui in ordine ad aliam determinatam perſonam, ſit in vtilitatem exequentis, vel delegati, & non ſubditi, verè expiret morte concedentis, re integra; ſi verò ſit in vtilitatem & fauorem ſubditi, vel illius cui conceditur, non expiret, adhuc re integra. Ratio eſt, quia in priori caſu non eſt gratia facta, ſed facienda, & ad illum cui conceditur poteſtas exequendi, tantum pertinet, tanquam mandatum, quod expirat morte mandantis. Quod etiam limitandum eſt, niſi ea gratia, quamuis facienda ſit acceſſoria gratiæ iam factæ. Quæ eſt deciſio Pontificis *in cap. ſi ſuper gratia, de officio & poteſt. delegati 6.* vbi fuit caſus de quodam Canonicatu creato à Papa, & exhibito, v.g. Petro, cui dedit executores ad compellendum Canonicos; antequam illi exequerentur mandatum, Papa mortuus eſt; fuit oppoſitum quod poteſtas ipſorum executorum expirauerat per mortem Papæ. Conſultus Papa reſpondet, vt ſicut ipſa gratia, nempe Canonicatus, licet nondum ſit in eius executione proceſſum, morte non perimitur concedentis, nec etiam re integra perimatur executoribus data poteſtas: quam veluti gratiæ prædictæ

Digitized by Google

ctæ acceſſoriam, naturam ſequi congruit principalis; ne gratiam reddi omnino inutilem contingat. Vbi expreſsè Pontifex ideo non vult perire poteſtatem datam executoribus ſuper gratia iam facta, licet ea po-
1 teſtas adhuc non habuiſſet effectum, & potius reſpiceret commodum alterius, quàm executorum, quia erat acceſſoria gratiæ factæ. Vnde ſicut hæc non perit morte concedentis, ita neque æquum eſt perire eam poteſtatem executoribus datam, cùm ſequatur naturam principalis, ne aliàs gratia facta reddatur inutilis. In ſecundo verò caſu ſi facultas ſit conceſſa ſubdito, in fauorem & vtilitatem ipſius ab ipſo accepta, cùm ſit iam gratia facta, non expirat morte concedentis. Sic iuxta hanc doctrinam facultas conceſſa Petro, v.g. vt eligat ſiue determinate, ſiue indeterminate confeſſorem, non expirat morte concedentis, quia cum non ſit ob fauorem confeſſoris, ſed Petri pœnitentis, iam eſt gratia facta, & beneficium legitimè & plenè poſſeſſum à pœnitente, cui præcipuè ea conceſſione fauetur. Idem dico de facultate eligendi aliquem, qui diſpenſet ſuper aliquo voto, vel matrimonij impedimento, vt eum committitur viro docto & diſcreto in Theologia, vel in iure Canonico, quamuis decedat Pontifex, nondum electo eo, qui diſpenſaturus eſt, non expirat, quia fuit illa gratia facta comparatione eligentis; ſicut & de facultate conceſſa alicui ad comedendum carnes in die ieiunij, vel dicendi Miſſam in Oratorio priuato, vel etiam in dimiſſoriis ad Ordines ſuſcipiendos. Quia hæc omnia ſtatim atque acceptata ſunt ab eo cui conceditur, iam ſunt gratia facta illis qui acceptarunt, & non ſunt in gratiam & fauorem eligendi ad id munus implendum, ſed in gratiam, vel fauorem eius, cui ea facultas conceditur. Denique idem dico de poteſtate data alicui confeſſori ad audiendam confeſſionem determinatæ perſonæ, ſi nihil ſpeciale in prædicta conceſſione exprimatur; non expirare integra re, per mortem concedentis, quia eſt in gratiam pœnitentis. Quod manifeſtè conſtat, ſpectato ipſo iure Pontificis *in cap. ſi cui nulla. 36. de præbendis.* vbi expreſſe deciditur facultatem conceſſam conferendi beneficium certę perſonæ, non ob ſuam, ſed eius cui prouidetur mandari gratiam, vel fauorem, expirare omnino, ſi concedens re integra moriatur. Vbi notanda eſt particula illa, non ob ſuam. Quia declarat, vt expiret ea gratia conceſſa alicui in ordine ad determinatam perſonam, debere eſſe ob ſolam gratiam tertij cui committitur talis facultas. Id enim ſignificat illa vox *non ob ſuam*. Quare ſi ſimul ſit in gratiam & fauorem vtriuſque, iuxta prædictam deciſionem non expirabit. Quia ſi ex parte perſonæ determinatæ ſit fauor, & gratia facta, gratia facta non expirat; cumque non poſſit claudicare ex aliqua parte, neceſſario per conſequentiam ſit, vt ex omni parte maneat. At in prædicto indulto, in quo datur alicui poteſtas ad audiendam confeſſionem determinatæ perſonæ, quis non videat, in ea conceſſione interuenire gratiam, & fauorem vtriuſque tam confeſſoris, quam pœnitentis, communiter loquendo. Igitur in eo caſu non expirat talis facultas, re integra per mortem concedentis. Quare prædicta reſcripta, & conceſſiones, ita ſunt regulariter intelligendæ, niſi vel ex eorum verbis aliud aperte conſtet, vel in aliquo particulari caſu, aut munere, praxis ipſa, vel vſus declaret aliã eſſe Pontificis mentem.

* * *

Sectio VI.

Quæ requirantur alia, vt diſpenſationes & cæteræ gratiarum literæ non expirent poſt mortem concedentis.

SVperſunt nonnulla explicanda, vt prædictæ di- 1
ſpenſationes, & priuilegia, ſeu gratiæ cenſeantur plenè conceſſæ & firmatæ ad permanendum poſt mortem concedentis.

Prima difficultas eſt, an præter conceſſionem concedentis verbis ſufficienter expreſſam, neceſſarium ſit inſtrumentum ſcriptum, & bullatum, ſeu authenticum. Ratio dubitandi ſumitur ex Gloſſa *in cap. 1. de cenſibus in 6. verb. in ſcriptis.* Vbi priuilegia ponit inter ea, quæ in ſcriptis redigi debent. Allegatque caput *porrò, de priuileg.* Quia in eo dicitur inſpicienda eſſe priuilegia, vt eorum tenores ſeruentur. Fauet quoque caput *contra mores, diſt.* 100. ibi, *Aut ſcriptis priuilegiis ſe tueri.* Accedit, quòd interdum per ſpecialem gratiam Pontificis conceditur, vt viuæ vocis oraculo valeant in conſcientia; ergo ſignum eſt per ſe non valere.

Dico *primò*, certum eſſe apud Doctores, ſcripturam 2
non eſſe de ſubſtantia priuilegij, & gratiæ, ſed ſtatim ac conceſſa eſt per verbum *fiat* validam eſſe in ſe, & perfectam quoad ſubſtantiam; atque adeo priuilegium ſolo verbo conceſſum, & nondum in ſcriptis authentice redactum non amitti per mortem concedentis ex ſolo illo defectu. Id conſtat primum ex *cap. inſtitutionis* 25. *q.* 2. vbi id notat Gloſſa. Et ex *Clement. Dudum, de ſepult.* ibi, *Gratias, aut priuilegia, verbo, aut ſcripto conceſſa.* Et ex *Extrauag. Et ſi dominici, vlt. de Pœnit. & remiſ.* ibi, *Tam verbo, quam ſcriptis, confectis exinde literis, vel non.* Et iterum. *Quas concedi quomodolibet in poſterum contingit, verbo, literis, &c.* Ratione oſtenditur, quia nullum eſt ius poſitiuum, quod ſcripturam requirat ad valorem, vel effectum priuilegij; nec etiam ex natura rei eſt neceſſaria, quia ſufficit voluntas & poteſtas Principis ſatis declarata verbo ergo. Firmo, quia diſpenſationes & licentiæ poſſunt ſine ſcriptis concedi: eſt etiam regula Iuriſtarum omnem diſpoſitionem poſſe fieri verbo, quæ ex iure poſitiuo ſcripturam non requirit. Et meritò, quia verbum ex ſe non eſt minus efficax ſignum, quàm ſcriptura, licèt non ſit adeo permanens, & ideo ad alios effectus, nempe ad perpetuitatem, & probationem non ſit ita accommodatum; at hæ conditiones non ſunt de ſubſtantia priuilegij; ergo nec ſcriptura. Hinc

Collige *primò* gratiam non expirare mortuo Pon- 3
tifice ante expeditionem literarum; quia iam perfectè facta eſt, & nihil ad eius valorem deſideratur.

Colligo *ſecundò* integrum eſſe cuilibet in foro conſcientiæ vti gratia conceſſa, tametſi literæ nondum ſint expeditæ. Quia ſine illis gratia eſt in ſe perfecta, & quoad ſubſtantiam; ſolumque quoad probationem in foro externo indiget ſcriptura, ergo licebit ea gratia vti in foro conſcientiæ ante literarum expeditionem.

Dico *ſecundò*, diſpenſationem non ſuffragari in fo- 4
ro externo literis non expeditis, at quando ſemel expediuntur, ſuffragari à puncto gratiæ conceſſæ. Hoc conſtat ex regula Cancellariæ petente literarum expeditionem, vt diſpenſatio ſuffragetur in foro externo, non verò petente à principio iudicij literas expeditas eſſe. Sicut etiam ex eadem regula Cancellariæ

liquet

liquet literas iuriſdictionem concedentes iudicibus, qui per eas deputantur, requirere neceſſariò ante iudicij initium eas expeditas eſſe, ita vt ſi iudicium inchoëtur conceſſa ſupplicatione, nondum tamen literis expeditis & intimatis, eſt omnino nullum, nec valorem obtinebit, eo quòd in iudicij progreſſu literæ expediantur, & præſententur.

5 Ad rationem dubitandi dico ex ibi allegatis ad ſummum colligi ſcriptum priuilegium fuiſſe neceſſarium ad probationem priuilegij, non verò fuiſſe neceſſariũ ad ſubſtantiam: hæc enim duo valde diuerſa ſunt. Et quamuis Scriptura regulariter neceſſaria ſit ad probationem priuilegij, adhuc tamen aliquando illud probari poteſt per teſtes, maximè quando inſtrumentum fuit aliquando obtentum, & caſu periit; vel etiam in priuilegiis, quæ non cedunt in præiudicium tertij, & maximè ſi id fiat ex aliqua conſuetudine.

6 *Secunda difficultas* eſt, an requiratur acceptatio priuilegiarij, vt non expiret priuilegium non acceptatum neque per ſe, neque per alium, morte concedentis. Dico cum Sanchez *diſput. 28. num. 43. & 69.* tale priuilegium non extingui ipſo facto morte concedẽtis, ſed manere in eodem ſtatu in quo antea erat, vt poſſit acceptari ab eo, cui eſt conceſſum, & ita conſummari, & prodeſſe illi. Ratio eſt, quia priuilegium illud ex parte Papæ, vel Principis fuit perfectè conceſſum, & in morte non eſt reuocatum per expreſſam voluntatem concedentis, vt ſuppono; ergo in illo priuilegio ſeruanda eſt regula gratiarum, quæ non expirant morte concedentis, quia in ea magis attenditur voluntas concedentis abſoluta, quàm acceptatio alterius. Dixi permanere in eodem ſtatu, in quo antea erat, quia non confert nouum ius priuilegiario, ſed ſolùm ad hoc perſeuerat ex vi voluntatis defuncti, vt poſſit ab illo acceptari. Vnde ſicut antea erat tale priuilegium reuocabile à concedente ante acceptationem, ita poſtea poteſt reuocari à ſucceſſore concedentis antequam ſit acceptatum; nam eandem omnino & æquè plenam habet poteſtatem, cum ſuccedat ex noua electione, & prouiſione in integra dignitate, ac poteſtate.

Sectio VII.

Quando ratione formæ conceſſionis duratio priuilegij limitetur ad vitam concedentis.

SEctione quinta dictum eſt, priuilegium, vel gratiam ſemel & abſolutè conceſſam, quando iam eſt gratia facta, non ceſſare morte concedentis. Quoniam verò aliquando in forma conceſſionis ſolent apponi variæ limitationes, explicandum ſupereſt, quænam hæ ſint, & quid operentur.

1 Sit igitur *prima difficultas*, quid operetur, ſi concedens expreſsè dicat in ceſſione priuilegij, quamdiu vixero, vel quid ſimile. Reſpondeo certum eſſe & euidens extingui per mortem illius. Quia non poteſt eſſe clarior forma ſuæ voluntatis. Nam illa verba habent vim ponendi terminum durationi priuilegij. Quare ſicut ſi concedens diceret, quamdiu præſens fuero, vel quamdiu abſens fuero, vel quid ſimile, expreſsè ponit terminum durationi priuilegij; ita cùm dixit, quamdiu vixero, vult, vt duret, durante eius vita, & ideo per illius mortem ceſſet.

2 *Secunda difficultas* eſt, an gratia conceſſa ad beneplacitũ cõcedentis extinguatur eius morte. Ratio dubitãdi eſt, quia nõ videtur extingui. *Primò*, quia conditio illa, vſque ad beneplacitum meum, poſita in conceſſione, eſt intrinſecè incluſa in conceſſione cuiuſcumque priuilegij, etiam ſi verbis maximè abſolutis fiat, quia ſemper priuilegium eſt dependens à voluntate concedentis; ergo talis conditio expreſſa non mutat naturam diſpoſitionis: nam iuxta principia iuris, conditio incluſa, licèt exprimatur, nec facit diſpoſitionem conditionatam, nec aliquid operatur. At conceſſio priuilegij abſolutè facta non expirat per mortem concedentis. Igitur licèt addatur illa clauſula, *Vſque ad meum beneplacitum non expirabit. Secundò*, idem probari poteſt ex praxi & conſuetudine nonnullorum Epiſcoporum, qui omnibus ſuæ Diœceſis tam regularibus, quàm ſæcularibus ſacerdotibus concedunt licentiam audiendi confeſſiones ad beneplacitum ipſorum, & ea forma apponitur in licẽtia ſcripta: quæ tamen licentiæ non ceſſant per mortem ipſorum Sede vacante, nam nec Capitulum Sede vacante, nec eius Vicarius generalis de nouo eas licentias concedit; quod neceſſarium eſſet, ſi prædictæ licentiæ fuiſſent extinctæ morte Prælatorum, qui eas conceſſere cum ea limitatione, ac dependentia.

3 Conueniunt tamen omnes Doctores tam antiqui, quàm recentes, quando gratia conceditur ad beneplacitum perſonæ concedentis, extingui eius morte. *Primò*, quia illa verba includunt beneplacitum, quod vita finitur; ergo etiam priuilegium illud vel gratia finitur vita concedentis. *Secundò*, cùm gratia conceditur ad beneplacitum perſonæ concedentis, expreſsè conceditur durante eius voluntate; at eius voluntas perit per mortem; ergo & peribit gratia conceſſa, dũ ea voluntas durauit. *Tertiò*, cùm in conceſſione dicitur, *vſque ad meum beneplacitum*, illa verba aliquid amplius operantur, quàm ſi abſolutè diceretur, *concedo tibi licentiam*. Quia abſoluta conceſſio ſolùm requirit, vt cùm fit, interueniat conſenſus; de perſeuerentia autem eius conſenſus nihil ſtatuit, neque poſtulat, & ideo talis conceſſio nunquam finitur ob ſolam negationem voluntatis, ſed debet finiri per contrarium actum, & retractationem prioris. At cum dicitur, ad meum beneplacitum, tunc vltra conſenſum in fieri ipſius priuilegij, requiritur perſeuerantia eiuſdem voluntatis. Et inde fit vt amitti poſſit eiuſmodi conceſſio non ſolùm per contrariam voluntatẽ, ſed etiam per defectum priuatiuum voluntatis concedentis, videlicet per defectum durationis illius beneplaciti, quæ contingit per mortem concedentis. Denique idem manifeſtè liquet ex *cap. ſi gratioſe 5. de reſcriptis in 6.* vbi Pontifex tractans de gratia retinendi quædam beneficia vſque ad ſuæ voluntatis beneplaciti, expreſsè ſic ait, *huiuſmodi gratia per eius obitum, per quem ipſius beneplacitum omnino extinguitur, eo ipſo expirat.* Quid clarius? Hæc autem doctrina vera eſt de omni genere gratiæ, vt conſtat ex ratione tradita dicto *cap. ſi gratioſe*, ibi, *Per obitum, per quem ipſius beneplacitum omnino extinguitur.* Quæ ratio in omnibus conceſſionibus factis ad beneplacitum perſonæ æqualiter procedit. Hinc

4 Colligo *primò*, ſicut conceſſio gratiæ facta ad concedentis beneplacitum, expirat eius morte; ita finito eius officio, ratione cuius potuit concedere. Quia dicta verba intelligi debent, donec concedens permanens in officio velit. Non tamen expirant conceſſa ad concedentis voluntatem, illo excommunicato. Quia tametſi pro tunc nequeat officio fungi, eius tamen voluntas durat: ſicut etiam quamuis iuriſdictio delegata pereat delegantis morte, non tamen eius excommunicatione. Neque etiam conceſſa ad voluntatem concedentis ceſſant per concedentis furorem, ſicut per mortem, quia nimirum morte ceſſat voluntas, non autem furore.

Colligo

5 Colligo *ſecundò*, facultatem alicui datam vt audiat confeſſiones ad beneplacitum concedentis, vel quamdiu ei placuerit, expirare morte concedentis; quia cum mortuus non poſſit amplius habere beneplacitum, gratia conceſſa per eius mortem expirat. Idemque eſſet, ſi concedens ab officio amoueretur. Secus eſſet, ſi ſolum excommunicaretur, vt dixi.

Ad argumenta oppoſita.

6 Ad primum neganda eſt maior; nam illud additum, *ad beneplacitum meum*, aliquid addit quod in abſoluta conceſſione non fuiſſet incluſum. Quia abſoluta conceſſio ſolum requirit, vt cùm fit, interueniat conſenſus, & voluntas concedentis, de perſeuerantia autem eius nihil ſtatuit, nec poſtulat, & ideo talis conceſſio nunquam ab intrinſeco amittitur propter ſolum defectum voluntatis priuatiuum, vt ſic dicam, ſeu negatiuum, ſed neceſſaria erit aliqua contraria voluntas, per quam illa prior retractetur. At verò quando conceſſio fit ad beneplacitum perſonæ, tunc vltra conſenſum ad fieri priuilegij, requiritur perſeuerãtia, vel permanentia eiuſdem voluntatis, vt ad perſeuerantiam eiuſdem priuilegij; & inde fit, vt tale priuilegium amitti poſſit non ſolùm per contrariam volũtatem, ſed etiam per defectum priuatiuum voluntatis concedentis, nimirum per carentiam durationis illius beneplaciti, quæ contingit per mortem concedentis.

7 Ad ſecundum dico in primis negari non poſſe approbationem datam ab Epiſcopo, vel licentiam audiendi confeſſiones datam alicui cum limitatione ad certum tempus, vel ad ſuum beneplacitum non eſſe damnandam: quia poteſt eſſe perſona talis, de qua prudenter timeatur, quod habita ſemel abſoluta approbatione, vel licentia non amplius curabit de ſtudio neceſſario ad illud miniſterium; vnde poſt aliquod tempus obliuione, & aliis curis obruetur illa doctrina, & notitia, quam nunc habet, & redibit ad priſtinam ignorantiam; atque ideo non poteſt ille prudenter nunc iudicari aptus ad audiendas confeſſiones per totam vitam, ſed pro hoc anno, vel durante beneplacito cõcedentis. Atque in hoc caſu certum videtur prædictam licentiam expirare morte concedentis: nec poſſe hanc perſonam vti illa, mortuo concedente, niſi per tacitam conceſſionem Capituli, vel ſucceſſoris continuetur. Præterea dico ſi ea limitatio apponatur omnibus indiſcriminatim Confeſſariis totius Diœceſis, ne appareat irritationabilis & iniuſta; (nam moraliter in vna Diœceſi ſunt quamplurimi viri doctiſſimi regulares, & ſeculares valde benemeriti abſoluta licẽtia ſine vlla limitatione) ac inualida, interpretanda eſt illa limitatio, vt nimirum idem ſignificet vt duret, niſi ab ipſo concedente reuocetur: confunditur itaque tunc beneplacitum ipſum cum ipſa reuocatione, atque hanc eſſe eius mentem, ne illius limitationem improbemus. Quòd ſi aliud ſignificaret beneplacitum, nempe permanentiam ſuæ voluntatis, certè talis limitatio vt iniuſta, & inualida eſſet habẽda. Quia verò ea limitatione ſolùm intelligitur reuocatio, & hæc, vt ſtatim dicam, non fiat per mortem concedentis, ideo non expirat talis conceſſio, nec eſt cur Capitulum, vel eius Vicarius generalis Sede vacante eam concedere ſit neceſſarium.

8 *Tertia difficultas* eſt, an gratia conceſſa ad beneplacitum Sedis, finiatur per mortem concedentis. Dico, conuenire in hoc omnes Doctores, non extingui. Quia tunc eſt perpetua, donec à ſucceſſore, vel ab eodem reuocetur. Ratio eſt, quia Sedes non moritur, eiuſque dignitas eſt perpetua, & eadem reputatur in ſucceſſore, ac proinde idem erit de gratia ad illius beneplacitum conceſſa, vt nimirum tale priuilegium non extinguatur per mortem concedentis, ſed duret, donec reuocetur. Idque habetur expreſsè *cap. ſi gratioſè, de reſcript. in 6.* prædicta ratione reddita, his verbis. Secus autem ſi vſque ad Apoſtolicæ Sedis beneplacitum gratia concedatur prædicta: tunc enim quia Sedes ipſa non moritur, durabit perpetuò, niſi à ſucceſſore fuerit reuocata.

9 *Quarta difficultas* eſt, quid dicendum ſit quando in priuilegiis continetur hæc forma, *Concedo tibi hanc gratiam donec reuocauero.*

Poſſet aliquis exiſtimare, illa verba, *Concedo tibi hanc gratiam donec reuocauero*, æquiualere illis aliis vſque ad beneplacitum, atque adeò expirare conceſſionem æqualiter in vtroque caſu. Antecedẽs illud probatur, quia illa verba, *vſque ad beneplacitum meum*, nihil aliud ſignificant, niſi *donec ipſe voluero*: hoc autem perinde eſt, ac ſi diceretur, *donec reuocauero voluntatem*, quia quamdiu non reuocauero, in priori voluntate perſiſto interpretatiuè, nec oportet vt aliter velim; ergo quamdiu voluero, idem eſt, ac quamdiu non reuocauero. Firmari etiã poteſt talem gratiam cum illa clauſula, *donec reuocauero*, extingui morte concedentis. Quia negari non poteſt, hæc verba dicere habitudinem ad perſonam concedentis; ergo videntur includere dependentiam à vita eius, quia poſtea non poterit reuocare; ergo deficiente vita concedentis, ceſſabit gratia, quæ ita videtur conceſſa, vt ſi reuocari non poſſit, ceſſet omnino.

10 Dico tamen cum ſententia communi, clauſulam illam, *donec reuocauero*, non facere priuilegium dependens à vita concedentis. Aliqui id probant, quia particula, *donec reuocauero*, eſt incluſa intrinſecè in conceſſione priuilegij, quod natura ſua reuocabile eſt, tam à concedente, quàm à ſucceſſoribus, & ideo nihil additur quod in abſoluta conceſſione non ſit incluſum; ergo non ſit conceſſio magis dependens à vita concedentis, quàm ſi abſolutè eſſet facta. Verùm hæc ratio non eſt adæquata, quia conſtat eſſe aliqua priuilegia quæ non ſunt reuocabilia ex mera voluntate concedentis. Quare efficacior ratio ſumenda eſt ex manifeſto diſcrimine quod reperitur inter illas duas clauſulas, *Vſque ad beneplacitum meum*, & *donec reuocauero*. Nam clauſula, *Vſque ad beneplacitum*, ſolùm poſtulat perſeuerantiam in priori voluntate, & non aliquem nouum actum eius. Vnde fit, vt illa perſeuerantia nihil aliud ſit, quàm conditio requiſita ad conſeruationem priuilegij, ideoque ablata perſeuerantia illa, ceſſat priuilegium, quia erat quaſi conditionatum dependẽs ab ea conditione. Aufertur autem conditio, ſeu beneplacitum per ſolam mortem concedentis, quia licet perſeuerantia illa tantùm ſit moralis & interpretatiua, ad illam requiritur duratio perſonæ, & voluntatis eius in tali ſtatu; quia moralis hæc præſumptio, ſeu duratio non extenditur vltra ſtatum præſentis vitæ, præſertim quoad voluntatis diſpoſitionem dependentem à poteſtate propria huius vitæ: eſtque hæc ratio in iure expreſſa, vt vidimus ſuprà *num. 3.* At verò altera clauſula, *donec reuocauero*, ad deſtructionem priuilegij, vel expreſsè, vel ſaltem tacitè poſtulat reuocationem eius, & ideo quamdiu illa non fit, priuilegium permanet. Vnde quia per mortem ſolam non fit reuocatio; ideo non ponitur conditio neceſſaria ad deſtructionem priuilegij iuxta verba concedentis, & ideo ex vi talis formæ non ceſſat priuilegium per mortem concedentis. Imò per illam quodammodo magis firmatur, quatenus iam illa conditio impoſſibilis facta eſt ob ſucceſſum mortis ipſius ſic concedentis.

Ex quo patet ſolutio ad argumentum oppoſitum: conſtat enim non eſſe idem, nec æquiualere hæc duo,

vſque

vſque ad placitum meum, & donec reuocauero. Ad confirmationem negandum eſt, illa verba, donec reuocauero, dicere immediatè & per ſe dependentiam & habitudinem ad perſonam concedentis; hanc enim materialiter ac remotè reſpicit: ſolum enim proximè ac immediatè petit, ac reſpicit negationem, vel priuationem actus reuocationis, & ideo quandiu iſte non fit, priuilegium permanet in re ipſa.

11 *Quinta difficultas* eſt, an æquiualeant hæ duæ formæ, *concedo tibi hanc gratiam donec reuocetur*, vel *donec reuocauero*: atque adeò exiſtente qualibet ex illis in priuilegio, iſtud non finiatur per mortem concedentis.

Dico *primò* negari non poſſe prædictas duas clauſulas eſſe diuerſas. Patet, quia illa, *donec reuocetur*, eſt magis abſoluta, & indefinita, non enim dicit relationem ad perſonam concedentis, ſed ad poteſtatem ipſam, per quam reuocari poteſt, & ita quandiu reuocata non fuerit, permanebit, & ſic æquiparabitur hæc clauſula cum illa alia, *vſque ad beneplacitum Sedis*, de qua dixi ſuprà *num.* 8. Alia verò clauſula, *donec reuocauero*, non videtur includere dependentiam à vita concedentis, niſi penes negationem, vel priuationem actus reuocationis, quam poteſt dum viuit efficere, & deficiente vita minimè poteſt. Non igitur illa duo ſunt æquiualentia Illud autem verbū, *donec reuocauero*, erit omnino æquiualens huic alteri, *donec reuocetur à me*.

Dico *ſecundò*, qualibet ex illis duabus clauſulis poſità in conceſſione gratiæ, vel priuilegij, non extingui, ſed permanere poſt mortem concedentis: quia ad deſtructionem illius, requiritur reuocatio eius, & ideo quandiu illa non fit à concedente, priuilegium permanet ſemper.

12 *Sexta difficultas* eſt, an oriatur aliqua diuerſitas quoad priuilegiorum durationem, ſi in priuilegio dicat Papa, *Sedes Apoſtolica tibi concedit hoc*, vel ſi dicat, *Ego concedo*, vel *Vrbanus Octauus concedit*.

Mihi videtur dicendum cum communi Doctorum ſententia, nullam eſſe varietatem quoad gratiarum, vel priuilegiorum durationē in illis verbis. Ratio eſt, quia illa verba variata ſolùm ex parte perſonæ non limitant formam conceſſionis ex parte durationis, ſed abſolutam illam relinquunt, & ideo illa non obſtant, quominus verum ſit priuilegium abſolutè conceſſum non expirare per mortem concedentis. Hoc enim verum eſt, ſiue concedatur à dignitate, vt ſic dicam, ſeu à Sede, ſiue concedatur à perſona. Imò pro ſola conceſſione quæ fit à perſona, dictum eſt ſi illa ſit abſoluta, non extingui morte concedentis: nam pro cōceſſione quæ fit à Sede non erat neceſſaria, imò nec congruenter poſſibilis, cùm Sedes non moriatur: ſecus autem eſt, quando clauſula illa additur ad modificandam conceſſionem ex parte durationis eius. Cùm enim Papa etiam in propria perſona concedens poſſit priuilegium concedere cum dependentia, vel independentia in ſua duratione à vita concedentis, ex eo ſolùm quòd ex parte concedētis exprimatur perſona; non limitatur priuilegium ad conceſſionem cum dependentia à vita concedentis, ſed indefinita manet, & ideo ſequitur fauorem gratiæ, & independenter conceſſa merito cenſetur. Quando verò additur declaratio ex parte durationis, iam limitatur forma, & ideo fit dependens priuilegium à vita concedentis.

13 *Septima* eſt *difficultas*, an ſi Papa concedat gratiam, vel priuilegium pro vno anno ad beneplacitum ſuum, ſi Papa intra annum moriatur, ceſſet priuilegium.

Sanchez cum aliis Doctoribus ab ipſo relatis *diſ.* 28. *n.* 51. ſentit non expirare gratiam, vel priuilegium morte concedentis, donec prædictus annus lapſus ſit. Quia eſt ſenſus, concedo ad annum, & vlteriùs ſecundùm meam voluntatem: ita vt voluerit concedens, vt eo anno duraret gratia, & deinceps dum duraret voluntas: quaſi prior duratatio anni eſſet quaſi abſoluta, & independens à vita concedentis; continuatio verò poſt annum eſſet cum dependentia à vita & beneplacito concedentis.

Suarez verò *lib. 8. de legibus c. 32. n.* 11. cùm videat præcedentis interpretationis nullam reddi rationem, & ſenſum prædictorum verborum poſſe eſſe multiplicem; cenſet dictam interpretationem non videri neceſſariam. Quia optimus ſenſus eſſe poteſt, concedo per annum, & in illo, ac intra illum, ad beneplacitum meum. Quæ interpretatio videtur ſimplicior, & magis intenta ex vi verborum. Nam illa additio, ad beneplacitum ſuum, facta in conceſſione abſoluta, non fit natura ſua ad augendum, ſed ad reſtringendum, vt patet ex dictis; ergo etiam addita poſt conceſſionem ad annum, additur ad reſtringendum cum proportione conceſſionem illius anni, vt ſit dependens à vita concedentis Igitur dicendum eſt, licentiam illam, vel gratiæ conceſſionem eſſe annuam tantum, & intra annum limitatam ad beneplacitum.

Dico *primò*, ſi verba conceſſionis ſint, do licentiam ex beneplacito ad annum, probabilius videtur eſſe conceſſionem factam per annum, nec ceſſare gratiam illam intra annum per mortem concedentis; non verò durare poſt annum etiam viuente concedente. *Prima pars* probatur, quia prædicta verborum formâ, beneplacitum non ponitur ex parte termini, nec vt limitatio durationis annuæ, ſed tantùm vt principium gratiæ & conceſſionis factæ ſimpliciter per annum; vnde pro illo anno ſimpliciter eſt facta ex beneplacito; ergo illis verbis clare ſignificatur non ceſſare gratiam intra annum per mortem concedentis. *Secunda pars* liquet, quia per ſe notum eſt, præcisè ad annum illam conceſſiſſe, nec beneplacitum eius ad maius tempus fuiſſe extenſum, nec per ſolam vitæ durationem extendi. 14

Dico *ſecundò*, ſi verba conceſſionis gratiæ eſſent eiuſmodi, concedo ad annum, & ad beneplacitum, tunc certè non expiraret gratia, vel priuilegium morte concedentis, ſi prædictus annus lapſus non ſit. In hoc ſenſu admitto ſententiam Sāchez. Ratio eſt, quia ſenſus illorum verborum eſt quaſi diuiſiuus, & copulatiuus, ſcilicet, Concedo ad annum, & ad beneplacitum, quia, dictio copulatiua in conceſſione ponitur modo prædicto; ergo ſenſus illorum verborum eſt, concedo ad annum, & vlteriùs ſecundùm meum placitum. 15

Dico *tertiò*, iuxta alia verba, Concedo tibi gratiam pro vno anno ad meum beneplacitum, eam conceſſionem non durare tranſacto anno, cùm ſimpliciter annua tantùm ſit, & additionem ad beneplacitum reſtringere illam; atque ideo extingui morte concedentis. Ita ſentio cum Suario, ciuſque ratio perplacet mihi. Quod amplius firmo: nam ſi concedens dicat, ad annum, niſi reuocauero, certè finito anno extinguitur facultas, etiamſi non reuocetur; quia ſecundùm communem ſenſum & vſitatum, illa additio, ſi non reuocauero, non auget, ſed limitat, vel declarat conceſſionem annuam, vt nihilominus intra annum poſſit reuocari. Idemque dicendum eſt, ſi dicatur, ad annum donec reuocauero; eſt enim idem ſenſus, & eadem intentio loquentis. Igitur idem dicendum eſt de illo alio complexo, ad annum ſecundùm meum beneplacitum: patet conſequentia, quia magis reſtricta 16

ctiua

ctiua eſt hæc particula *ad beneplacitum*, quàm illa, *donec reuocauero*: erit igitur illa conceſſio annua, & intra illum limitata ad beneplacitum; & conſequenter, ſi intra annum concedens moriatur, ceſſat omnino gratia illa, vel priuilegium.

DISPVT. XLVIII.

De explanatione diſpenſationum in vtroque foro pro impedimentis matrimonij.

HOc eſt vltimum caput circa materiam diſpenſationis, exactè explicandum, in quo triā potiſſimum cõprehenduntur. *Primum*, quaſi præludium aliorum, an diſpenſatio ſit ſemper ſtrictè interpretanda, cùm ſit odioſa, quia ſemper eſt contra ius, & iuris ipſius relaxatio. *Secundum*, exacta expoſitio clauſularum quæ pro foro externo ponuntur in diſpenſationibus matrimonij impedimentorum. *Tertium* denique, explanatio accurata variarum clauſularum diſpenſationum pro foro cõſcientię.

SECTIO I.

An ſemper diſpenſatio pro impedimento matrimonij ſit ſtricte interpretanda.

1 SVppono *primò*, diſpenſationem propriè, quę ſẽper eſt contra ius, & ideo odioſa eſt, eſſe ſtrictè interpretandam, vt oſtendi ſuprà *diſput. 44. ſect. 1. n. 11.* & patet, quia ſi lex quæ corrigit ius commune, eſt ſtrictè interpretanda *regul. 28. de regulis iuris in 6.* quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda. Id eſt, vt ibi Gloſſa, nec amplianda, ſed reſtringenda: à fortiori, diſpenſatio, quæ eſt vulnus legis. Atque idem propter eandem rationem ſentiendum eſt de priuilegiis in quibus aliquid conceditur contra ius commune. Quando enim priuilegium eſt contrarium iuri, idem eſt ac diſpenſatio, & eodem modo ſtrictè interpretandum. Si autem ſit beneficium Principis, nihil contra ius, ſed ſolùm præter illud concedentis, eſt latiſſimè interpretandum.

2 Suppono *ſecundò* diſpenſationem non eſſe ita reſtringendam, vt reddatur captioſa, ac illuſoria, & inutilis reddatur. Argumento ex *cap. ſi ciuitas, de ſent. excom. in 6.* Debet enim intelligi priuilegium iuxta materiam, quam tradit. Vnde ex hoc capite licentia teſtandi Epiſcopis & Monachis non finitur in primo teſtamento, quia teſtamentum vſque ad mortem reuocabile eſt. Debet etiam diſpenſatio dilatari, quando Princeps ob cauſam occurrentem tenetur diſpenſare. Tunc enim potiùs eſt fauor debitus cauſæ, & ſic amplianda eſt. Vnde diſpenſationes quæ fiunt ex neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ exigente, ampliandæ ſunt, velut ex debito iuris emanantes.

3 Suppono *tertiò*, diſpenſationem ſic ſtrictè eſſe interpretandam, vt non vltra propriam verborum ſignificationem extendatur: imò vt neque extendatur ad omnia, quæ intra propriam verborum ſignificationem continentur, quoties vel vſu, vel ſtylo, vel iure reſtricta ſint verba diſpenſationis, ita vt non extendatur ad illa omnia, quæ illis verbis propriè ſignificantur. Hinc fit, vt diſpenſatus ad Ordines, non intelligatur diſpenſatus ad maiores, ſed ad minores, & illegitimus, cum quo diſpenſat Pontifex vt Ordines ſuſcipiat, tantum poſſit minores Ordines ſuſcipere: niſi iam minores Ordines habeat, & Pontifex id ſciat, ne ſit eius priuilegium ſine effectu, vt conſtat ex *cap. ſi Papa 10. de priuilegiis in 6.* vbi expreſsè dicitur verba aliquid operari debere. Similiter ſpurius diſpenſatus, vt ſacros Ordines ſuſcipiat, nõ intelligitur eo ipſo habilis ad beneficia etiam ſimplicia. Et ſpurius diſpenſatus ad beneficia, non ideo diſpenſatus eſt ad dignitates. Et ſpurius, cui à Romano Pontifice conceſſum eſt, vt ad dignitates aſcendat, non intelligitur conceſſum, vt ad dignitates etiam maiores promoueri poſſit. Quorum omnium, & aliorum ſimilium ea eſt ratio, quia vel iure, vel ſtylo, & conſuetudine ea verba in his diſpenſationibus reſtricta ſunt; & ita in illis non præſumitur intentio concedentis. Quæ valde inſpicienda eſt: nam ea intentio facit, vt ſæpè etiam recedamus à tenore verborum, & priuilegij.

Suppono *quartò*, ſimiliter non eſſe ita ſtrictè diſpenſationem interpretandam, vt non extendatur etiā ad ea, quæ ſunt neceſſariò connexa. Vnde diſpenſatus ad duo beneficia incompatibilia, diſpenſatus eſt ad non reſidendum in vtroque, ſed in ſolo altero. Et diſpenſatus quis in minori ætate, vt obtineat beneficium parochiale, diſpenſatus eſt, vt non promoueatur intra annum; & ſic euitet pœnam ſtatutam *c. licet canon. de elect. in 6.* contra eum, qui cùm beneficium parochiale habeat, non promouetur intra annum. Ratio eſt, quia ætate in qua ſecum ad id beneficium diſpenſatur, nequit ad ſacerdotium intra annum tranſire. Aliàs etiā eſſent prædictæ diſpenſationes inutiles. 4

His præmiſſis, vnica reſtat, difficultas examinanda, an in diſpenſationis intelligentia locum habeat argumentum à paritate rationis, vel à maiori ad minus; ita vt in iis extenſio fiat à caſu in quo eſt par, aut minor ratio, ad caſum in quo eſt eadem, aut maior conceſſionis ratio. 5

Qua in re certum eſt habere locum quando minus includitur in maiori, vel ei neceſſariò coniunctum eſt. Sic diſpenſatus expreſsè ad Sacerdotium, cenſetur eſſe diſpẽſatus ad inferiores Ordines, ſine quibus ad ſacerdotiũ perueniri non poteſt. Vel diſpenſatus vt poſſit facere teſtamentum, poterit etiam codicillũ facere: hæc enim duo includuntur in genere vltimæ volũtatis; & codicillus eſt pars vltimæ voluntatis. Vel etiam diſpenſatus vt comedat oua, poteſt etiam comedere lacticinia, quia vnica & indiuidua eſt prohibitio ouorum, & lacticiniorum, eo quòd ſementinam originem à carnibus trahant; ex *c. denique, diſt. 4.* ſicut eſt vnica & indiuidua prohibitio omnium carnium. Vnde cui eſus carnium conceditur, ſubinde ouorum & lacticiniorum vſus permiſſus eſt. Quia, vt dixi, toleratio prohibitionis horum eſt, eo quòd à carnibus ſementinam originem trahant. Quare quoties vnum in alio includitur, diſpenſatus ad vnum, eſt diſpenſatus etiam ad aliud. Difficultas ergo ſolùm eſt, an valeat in diſpenſatione argumentum à pari, vel à maiori.

Decius in regula *non debet, D. de reg. iuris, & in c. quia tantum, numer. 15.* quem ſequuntur non pauci, ſentit prædictum valere argumentum. Quod ſatis probabile iudicat Sanchez *lib. 8. diſput. 1. num. 12.* 6

Probat *primò*, quia ius concedit hanc extenſionem in aliis, etiam ſi odioſa ſit. *l. nec in ea 12. D. ad l. Iul. de adulter*, ibi, *ſed qui occidere poteſt adulterum, multo magis poteſt eum iniuriâ afficere.* Vnde colligunt Doctores licere adulterum ſpoliare, quia licet interficere. Et *cap. ex parte tua, de decimis,* priuilegium de decimis non ſoluendis, extendi ad

ad noualia. Et ſubiungitur ratio, quia vbi conceditur maius, minus quoque conceſſum eſſe videtur.

Secundò probat idem ex *cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi*, ibi, *Quod in maiori conceditur, licitum quoque eſſe videtur in minori.* Et fit eo loco argumentum à ſpiritualibus ad temporalia, imò & à ſimili, & in materia odioſa, qualis eſt legitimatio, vtpote quæ ius minuit legitimorum.

7 Mihi verius videtur cum communiori ſententia, id argumentum non valere in diſpenſationibus, ſed ſtandum eſſe tenori diſpenſationis, neque extendendum id eſſe ad parem, vel ſimilem caſum, aut etiam ad minorem. Id manifeſtè probatur ex *cap. cui de non ſacerdotalis 27. de præbendis in 6.* vbi ille, cui integra præbenda conferri mandatur, non poteſt dimidiam accipere: etiamſi in ea Eccleſia ſint quædam integræ, & quædam dimidiæ. Hæc enim ſunt verba textus. *Si in Eccleſia, in qua integra, ac dimidia præbenda habentur, mandetur integra conferri præbenda; quamquam ille pro quo ſcriptum extitit, dimidia velit eſſe contentus, ei de ipſa non poterit prouideri.* Et ſimiliter ſi mandatur conferri præbendam certi valoris, non poſſe minoris valoris recipere. Facit etiam ad idem firmandum, regula illa iuris, *Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.* Igitur cùm diſpenſatio ſit huiuſmodi, non valet in ea argumentum à maiori ad minus.

8 Eſt verò limitanda prædicta ſententia in duobus caſibus. *Primò*, vt valeat argumentum à maiori, quando caſus in quo diſpenſatur, continet rationem expreſſam conceſſionis, tunc enim extenditur ad caſum non expreſſum, vbi reperitur eadem ratio. Quia tunc non eſt propriè extenſio, ſed declaratio, qua declaratur includi eum caſum ex tacita diſpenſantis mente. Vnde quando eſt ratio expreſſa in lege, non eſt propriè extenſio, ſed tantùm, quando à ſimilitudine, vel maioritate rationis non expreſſæ ducitur argumentum. *Secundò* limitatur quoque, vt intelligatur in dipenſationibus odioſis, vt ad plura beneficia, ſed non in fauorabilibus, in quibus agitur de publico religionis fauore, vel animæ, vt in diſpenſatione illegitimi ad Ordines, ex *cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi*, vbi Pontifex hoc argumento vtitur in legitimatione dicta, quæ non odioſa, ſed fauorabilis eſt, ob filiorum fauorem, & præiudicium, quod ex ea legitimatione ad Ordines ſequitur aliis, non curant iura, præſertim cum illud fiat in fauorem religionis, vel animæ. Nam in tali euentu extenſio fit etiam in materia exorbitante. Vulnerationi enim iuris communis factæ per diſpenſationem præponderat ſubiecta materia.

Ad argumenta oppoſita.

9 Ad primum dico, ad omnia illa iura. Cùm enim ea ſint priuilegia, vel facultates in corpore iuris inſertæ, non ſunt ſtrictè interpretanda, ſed latè; recipiunt enim omnem ſimilis legis extenſionem, nempe, ad omnes caſus, in quibus eadem, vel maior ratio inuenitur. Nos autem agimus de diſpenſatione quæ eſt extra iuris communis corpus.

Ad ſecundum dico, ea contineri in allegatione partis, atque adeò illis nihil probari. Addo, eam eſſe quandam limitationem, iam ſuprà *num.* 8. expoſitam.

Sectio II.

Quo pacto intelligantur clauſulæ diſpenſationum quæ circa matrimonij impedimenta Ordinariis in foro externo expediendæ committuntur.

Diſpenſationum clauſulæ in foro externo videātur apud Sanchez *diſput. 35. n. 1. 2. 3. & 4.* Nos expendemus illas in ſpeciali. 1

Prima clauſula continet perſonam cui diſpenſatio committitur, qui eſt Officialis illius diœceſis, cuius ſunt impetrantes diſpenſationem.

Circa quam duo notanda ſunt. *Primum* eſt, ſufficere ſi literæ præſententur coram vnius ex contrahentibus Ordinario, quando ſunt diuerſæ diœceſis. Patet id, tum ex praxi, quia nunquam vtriuſque diœceſis fit mentio, nec vnquam vtrique officiali diœceſum illarum committitur diſpenſatio, ſed alteri ſoli. Tum etiam, quia id fit, vt ſatisfiat decreto Tridentini *ſeſſ. 22. cap. 5. de reformatione*, ſtatuentis, vt huiuſmodi diſpenſationes Ordinario præſententur. Quod exactè impletur, illis præſentatis alterutri Ordinario explicato in literis diſpenſationis. Tum denique, quia Ordinarius alterius poteſt cum ſibi ſubdito diſpenſationem illam ſibi commiſſam exequi, vt conſtat. Cumque effectum habere nequeat, niſi ad vtrumque extendatur, porrigetur ad non ſubditum. Hac enim de cauſa oſtendi ſuprà *diſputat. 43. ſect. 3. num. 12.* poſſe alterius contrahentis ordinarium diſpenſare cum vtroque in denunciationibus matrimonio præmittendis. Quia eo ipſo quòd diſpenſat cum ſuo ſubdito, vt abſque denunciationibus ineat matrimonium, cenſetur conſequenter diſpenſare cum alio, cum eiuſmodi denuntiationes, & diſpenſatio illa ordinentur ad matrimonium, quod indiuiduum eſt, conſtans ex duplici extremo. Et ob eandem rationem diximus quoque poſſe alterutrius contrahentis parochum copulare matrimonio vtrumque ratione connexionis eo quòd matrimonium non niſi inter duos conſiſtere poſſit; atque ideo eo ipſo quòd quis eſt parochus ad coniungendum vnum, per neceſſariam connexionem erit ad vtrumque. *Secundum* eſt, commiſſionem diſpenſationis per Pontificem factam vni ex illis ordinariis, ſolùm illum poſſe illam exequi, & non alterius contrahentis ordinarium, cui commiſſio facta non eſt. Patet, quia cùm vnus tantùm ſola illa gaudeat commiſſione & facultate, ſolus ille cui facta eſt, poterit exequi illam.

Secunda clauſula continet diſpenſationis cauſas, 2 quando ex cauſa conceditur. Variæ autem aſſignari ſolent. Nos ſuprà *diſputat. 45. ſect. 5. à num. 6. vſque ad finem*, aſſignauimus octo, quæ ſolent eſſe præcipuæ, ac frequentiores.

Tertia clauſula continet prohibitionem ſub pœna 3 excommunicationis latæ ſententiæ recipiendi cuiuſcumque muneris ab Ordinario, cui hæc diſpenſatio exequenda committitur.

Circa quam eſt difficultas, an licita ſit conſuetudo, quæ in aliquibus diœceſibus inoleuit, accipiendi ſcutum aureum, vel aliam quantitatem, pro labore, quem dictus officialis diœceſanus

ſubit

Digitized by Google

ſubit in teſtium informatione recipiendâ ad verificanda narrata in precibus,& in ea diſpenſatione expedienda.

4 Negat licere Nauarrus *lib.1.conſ.in 2.edit.tit. de reſcriptis, conſilio vltimo. Primò*, quia huius clauſulæ verba omnem muneris , ac præmij acceptionem excludunt. *Secundò*, quia *cap.ſtatutum,§.inſuper, de reſcript. in 6.* prohibetur omni iudici Eccleſiaſtico delegato, receptio cuiuſcumque muneris,aut ſtipendij , præter eſculenta,& poculenta gratis oblata, quæ paucis diebus conſumuntur,& præter itineris expenſas, ſi causâ delegationis è domicilio exeat. Verba Bonifacij VIII. hæc ſunt.Inſuper vt gratis & cum omni puritate iudicium coram ipſo procedat,nullum munus , vel quicquid aliud (niſi forſan eſculentum , vel poculentum mera liberalitate oblatum,quod paucis conſumi poſſit diebus:vel niſi cum ipſum propter cauſam ſibi commiſſam contigerit extra ſuum domicilium proficiſci, moderatas expenſas)recipere ab eiſdem partibus qualitercumque præſumat.

5 Sanchez verò *lib.8.diſp.35.num. 11. & ſequentibus*, duo dicit. *Primum* , recipi poſſe ſtipendium huius laboris , vbi eſt iure , vel conſuetudine debitum,quia mens Pontificis in hac prohibitione eſt ne iudex muneribus corruptus minus benè ſuum munus exequatur : at ſtipendium iure , vel conſuetudine debitum non corrumpit iudicem. *Secundum* eſt , prohiberi Ordinario prædicto eſculentorum , & poculentorum receptionem , quia clauſula diſpenſationis expreſsè ait , *cuiuſcumque muneris* , & ſtatim *a quo abſtinere omnino* , vbi ponderanda eſt dictio vniuerſalis , *cuiuſcumque* , quæ omnia dona amplectitur ; & dictio illa *omnino*, quæ eſt dictio præciſa , & ſignificat ſine vlla exceptione,ſine remedio , & ad vnguem.

6 Dico *primò* , certum videri , ſi dictus Officialis, expedita omnino diſpenſatione , & finita delegatione munera reciperet , non contrauenire huic clauſulæ, nec incurrere illius excommunicationem.Patet, quia ceſſat iam omnino tota prohibitionis cauſa, cùm iam fuerit ſuo munere functus. Quòd ſi ſpe dicti muneris , ac remunerationis pòſt finitam diſpenſationem oblati , moueretur iudex ad minus benè munus ſuum obeundum,illicita illi eſſet talis muneris ac præmij receptio, & cęſuram incurreret;quia mens Pontificis in prædicta prohibitione eſt ne Ordinarius muneribus excæcatus non rectè fungatur ſuo officio.Vnde ſi munus illud finita executione dandum illum etiam excæcat , & corrumpit,manifeſtè contrauenire videtur prædictæ clauſulæ , & cenſura ligari. Firmo hoc verbis vltimis reſcripti diſpenſationis , ſic dicentibus. Mandamus,quatenus depoſita per te omni ſpe cuiuſcumque muneris , aut præmij etiam ſponte oblati , à quo te omnino abſtinere debere monemus.Vbi ponderanda eſt illa particula , *depoſita omni ſpe.* Volumus autem , quòd ſi ſpreta monitione noſtra , eiuſmodi aliquid muneris , aut præmij occaſione dictæ diſpenſationis exigere , aut oblatum recipere , temerè præſumpſeris , excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurras. Quæ verba ſi rectè ponderentur comprehendunt quoque munus acceptum finita diſpenſatione , ſi ſpe illius allectus Officialis ſuum obierit miniſterium.

7 Dico *ſecundò* , per talem clauſulam non prohiberi Officiali commiſſario , laboris impenſi in exequenda diſpenſatione ſtipendium aliquod, ſi illud ſit iure, vel conſuetudine debitum. In hoc conuenio cum Sanchez ob rationem dictam *numer.* 5. Addo tamen , cùm expeditio diſpenſationis communiter ſit breuiſſima , & facillima , vix credi poſſe vt iure aliquo , vel conſuetudine ſit pro ea obeunda deſignatum ſtipendium aliquod. Nam iudici delegato , qualis eſt ipſe Officialis in ordine ad diſpenſationis executionem , prohibetur ſtipendium quod ſit alicuius ponderis , vel momenti.

8 Dico *tertiò* , probiberi Officiali prædicto munus aliquod quod ſit alicuius momenti , ſub excommunicationis pœna. Patet ex verbis clauſulæ adductis *numer.* 5. Tum etiam , quia , vt conſtat ex cap. citato *ſtatutum* , iudici delegato , qualis eſt in ea cauſa diſpenſationis ipſe Officialis , prohibetur aliquid recipere à partibus tanquam munus oblatum, etiamſi in gratitudinis præmium ſponte offeratur , adeò vt teneatur ad reſtitutionem, non obſtâte quauis partium remiſſione.

9 Dico *vltimò* , prædicto Officiali non eſſe prohibitum accipere eſculentum , vel poculentum mera liberalitate oblatum , quod paucis diebus conſumitur. Moueor *primò* , quia id permiſſum eſt accipere iudici delegato , vt conſtat ex *cap. ſtatutum, de reſcriptis in 6. Secundò* eiuſmodi eſculenta & poculenta ſolùm exhiberi ſolent non ad corrumpendum iudicem , vt minus benè munus ſuum obeat , ſed vt maiori diligentia , ac breuitate perficiat ſuam commiſſionem. *Tertiò* , quia iam videtur vſu & conſuetudine receptum , vt ingrati animi ſignificationem prædicta eſculenta , & poculenta exhibeantur ad conciliandam beneuolentiam ; & ſimiliter acceptentur ob eundem finem , & ne ea offerentes ægrè ferant & indignentur , ſi non recipiantur. Vnde infero in tali reſcripti clauſula ſolum prohiberi, munera præſertim à manu , vt pecuniam , equum, torquem , annulum , & his ſimilia : & ab eis meritò dici vt omnino abſtineant. Et prohibitio cuiuſcumque muneris , intelligenda eſt de hoc genere munerum à manu , quod ſolet eſſe maioris æſtimationis , pretij ac valoris apud homines. Hinc manent ſoluta quæ obiecta ſunt contra hanc ſententiam.

10 *Quarta clauſula* continet examen faciendum ſuper veritate cauſarum , ſi nimirum preces veritate nitantur. De qua re quo tempore verificari debeant , iam ſuprà tractatum eſt *diſputat.* 45. integra *ſect. 5. & vltima.* Vtrùm verò deſideretur cognitio iudicialis veritatis harum precum , diſcutiam *ſect. ſequenti*,

11 *Quinta clauſula* , quæ apponitur in diſpenſationibus abſque cauſa conceſſis , hæc eſt , *ipſi ex certis rationabilibus cauſis eorum animum mouentibus cupiunt inuicem matrimonialiter copulari.* Circa quam dicendum eſt cum Sanchez *diſputat.* 35. *numer.* 24. eas rationabiles cauſas , quibus illi ducuntur , non eſſe probandas , nec iudicem Eccleſiaſticum aliquid , vel ab impetrantibus diſpenſationem , vel ab aliis circa illas debere inquirere. Ratio eſt , quia quoties Princeps profitetur ſe gratiam largiri ob ſeruitia ſibi impenſa , vel ex certis cauſis, non declarando in ſpecie, quæ illa ſint , ſunt verba generalia, non vt probentur appoſita , ſed potiùs ad induendam gratiam quodam ſpecimine honeſtatis. Nec obſtat clauſula ſuperaddita, *De præmiſſis diligenter informes.* Nã id ſolùm ad impedimentum quod allegatur , & in quo diſpenſandum eſt, eſt referendum , & non ad omnia præmiſſa, quæ ex cõmuni ſtylo curiæ apponi ſolent. Et quamuis generaliter apponãtur eodem modo,quo in diſpẽſationibus ex certa cauſa cõceſſis;id tamẽ eſt ex Notariorum ſtylo,& non vt æquè in vtraque diſpẽſatione ad omnia præmiſſa referatur.Cuius ſignũ eſt quòd Pontifex cũ vult cauſas verificari,eas in ſpecie narrat;

& certè fruſtrà ſine cauſa concederetur, ſi eæ cauſæ generales eſſent verificandæ. Adde cùm nullius cauſæ in particulari mentio ſit, cenſeri Pontificem gratis diſpenſare, pecunia à contrahentibus in ſubſidium data.

12 *Sexta clauſula* eſt, vt diſpenſet Officialis & ſeruata forma Concilij Tridentini contrahere valeant. Circa quam aduertendum eſt, ſi matrimonium hoc nondũ ſit contractum, ſeruandam in eo non ſolum formã ſubſtantialem Trident. *ſeſſ. 24. c. 1. de matrimonio*, quæ eſt, vt celebretur coram parocho, & duplici teſte, ſed etiã accidentariã ibi ſtatutam, nimirũ vt denũtiationes præmittantur. Nec tamen per hanc clauſulam adimitur Ordinario facultas diſpenſandi ex iuſta cauſa in illis denuntiationibus: Quia forma in Tridentino ſtatuta eſt, vt præmittantur denunciationes niſi Ordinarius diſpenſet. Quòd ſi contraherent coram parocho & duplici teſte omiſſis denuntiationibus abſque diſpenſatione, adhuc valeret matrimonium. Quia in eiuſmodi literis non aliter accipienda eſt ea conditio denunciationum, ac in Tridentino exprimitur. In hoc verò ſolùm petitur præmitti denunciationes tanquam formam accidentariam, cuius omiſſio ſubiacet culpæ mortali, non tamen matrimonium irritat.

13 *Septima clauſula* eſt, prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nunciando. Iam conſtat, etiamſi hæc clauſula non adderetur, prolẽ fore legitimã quoad omnia in vtroque foro, vtpote habitam ex matrimonio cum legitima pro vtroque foro diſpenſatione contracto.

Octaua clauſula continet contrahentium qualitatẽ, dum aſſerunt inter cauſas ſe eſſe nobiles. Quæ certè cùm ſit aſſerta ab ipſis contrahentibus, eſt verificanda tanquam cauſa appoſita modo explicato *diſput. 46. sect. 8.*

14 *Vltima clauſula* eſt, *Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque non obſtantibus*, Circa quam dico, cum omnium doctrina, illam genericam derogationem eſſe reputandam pro ſpecifica, & expreſſa, nec deſiderari aliam magis ſpecificam Concilij mentionem, quô ei derogatum cenſeatur, quia Pontifex diſpenſat in ſpeciali, & certo caſu contra generalis Concilij prohibitionem. Quia cum clauſula generalis prædicta nequeat vera reddi niſi in eo ſolo caſu contra Concilij prohibitionem, debet hæc generica derogatio reputari pro ſpecifica & expreſſa.

Sectio III.

An deſideretur cognitio iudicialis veritatis precum, & ea poſſit ille cui diſpenſatio in foro externo committitur, alteri ſubdelegare.

1 Circa primum, non deſunt qui affirmant deſiderari cognitionem iudicialem veritatis precum ad diſpenſandum in foro externo.

Primò, quia diſpenſatio eſt iuris relaxatio cum cauſæ cognitione facta; ergo Papa remittens Officiali diſpenſationem in foro externo, intelligitur præmiſſa veritatis precum iuridica cognitione.

Secundò, hæc diſpenſatio eſt pro foro externo; ergo petit informationem cauſæ pro foro externo; aliàs nihil eſſet diſcriminis inter eam, & diſpenſationem pro ſolo conſcientiæ foro, cum hæc etiam occultam cauſæ exigat cognitionem.

Verius tamen eſt & communius apud Doctores, 2
non requiri ad expeditionem Notario & teſtibus iuratis veritatem inueſtigare, ſed quomodocumque de veritate cauſarum, quæ ad diſpenſationem concedendam ſunt allegatæ, certus fiat, ſufficere. Ratio eſt, quia cognitio cauſæ diſpenſationis committitur conſcientiæ iudicis, eſtque ad eius conſcientiam informandam, vt conſtat ex illis verbis reſcripti, *ſuper quo conſcientiam tuam oneramus*; ergo illud conſcientiæ relinquitur ipſius, ergo quouis modo ſatisfiat iudicis conſcientiæ, ſatis erit. Quòd ſi notoria eſſet precum veritas, vel aliunde de ea iudici conſtaret, nulla opus eſſet informatione. Quia iam conſcientiæ iudici ſatis factum eſt. Si verò ignarus precum diſpenſaret, etiam ſi preces in ſe veræ eſſent, non valeret diſpenſatio, Ratio eſt ſumpta ex ipſis verbis. Nã cùm apponuntur hæc verba, *ſi ita eſt*, aut *ſi preces veritate nitantur*, ponitur clauſula iure communi intellecta, & quæ tacitè ineſt; expreſſio verò eius quod tacitè ineſt, nec formam, nec conditionem importat, & eius omiſſio non irritat actum. Quia quoties exprimitur in commiſſione, forma iuris communis, eo modo quo iure ineſt, non eſt intentio committentis inducere nouam formam, & conditionem, ſed eſt admonitio quædam, vt ſeruetur forma iuris communis; & ideo ea prætermiſſa non irritatur actus, qui aliàs validus eſſet, niſi in commiſſione ea forma exprimeretur. At quando committitur diſpenſatio, ſi per diligentem examinationem inueniatur ita eſſe, cùm alio modo expreſſio fiat, quàm iure ineſt, inducit formam, & conditionem.

Ad primum argumentum oppoſitum, dico ſolum 3
illo probari neceſſariam eſſe cauſæ cognitionem, ſed non iudicialem, ſatis enim eſt extraiudicialis, qua ſatisfiat conſcientiæ diſpenſantis.

Ad ſecundum, dico vtramque examinationem veritatis precum diſpenſationis fori interni, & fori externi conuenire in hoc quòd neutra indigeat Notario, nec teſtibus iuratis: diſtingui verò; nam in illa ſpectante ad forum internum, ſola partis informatio accipienda eſt, vtpote quæ occultè omnino facienda eſt, & ſolius fori interni leges ſequitur. In hac autem fori externi, vtpote quæ publica eſt, & leges fori externi, in quo conceſſa eſt, ſequitur, certior faciendus eſt iudex ex aliorum teſtimonio.

Circa ſecundum, an Officialis, vel iudex Eccleſia- 4
ſticus, cui prædicta diſpenſatio committitur, poſſit eam ſubdelegare, vel ſaltem informationem cauſæ, aut aliud ſimile.

Ratio dubitandi eſt, quia videtur in eiuſmodi diſpenſatione electa induſtria perſonæ. Dicitur enim, *diſcretioni tuæ, de qua in his ſpecialem in domino fiduciam obtinemus.* Item conſcientia oneratur diſpenſantis, tam in examinatione veritatis, quàm in diſpenſatione facienda. At quoties conſcientia alicuius grauatur, videtur ſubdelegatio prohibita, & perſonæ induſtria ſpecialiter electa.

Dico *primò*, certum videri apud omnes ferè Do- 5
ctores, diſpenſationem, legitimationem prolis, abſolutionem, impoſitionem pœnitentiæ, ſeu commutationem in pia opera ſubdelegari non poſſe. Ratio eſt, quia eſt nudum miniſterium, quòd ſubdelegari non poteſt, ex doctrina recepta *in cap. finali, de offic. deleg.* Et de legitimatione prolis eſt alia ſpecialis ratio, quare ſubdelegari non poſſit, quia eſt ex reſeruatis Principi in ſignũ ſuæ ſupremæ iuriſdictionis. At vbi reſeruata Principi delegantur, nequeunt ſubdelegari, vt tradunt communiter Iuriſperiti.

Atque

Atque hoc dictum firmat benè dubitaodi tatio.

6 Dico *ſecundò*, etiamſi perſonæ nominatæ commiſſio fiat à Papa, poſſe veritatis indagationem, ac teſtium examinationem ſubdelegari. Ita tenent multi, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 8. diſp. 27. n. 43.* & Caſtro Palao *de diſpenſatione tract. 3. diſput. 6. puncto 15. §. 2. num. 4.* Ratio eſt, quia examen teſtium, & indagario veritatis eſt actus iuriſdictionis, ac proinde ſubdelegari poteſt. Quare, vt rectè tradit Innocentius *cap. finali, in fine, de offic. deleg.* vbi nudum miniſterium vnà cum iuriſdictione aliqua committitur à Principe, non poteſt quidem nudum ſubdelegari miniſterium, benè tamen illa iuriſdictio. Quod hîc contingit; quia in his reſcriptis diſpenſationum matrimonij committitur Officiali iuriſdictio veritatis precum examinandæ, & nudum miniſterium exequendæ diſpenſationis à Pontifice conceſſæ; poterit ergo illa ſubdelegari, non autem hoc. Quod ſi illa teſtium receptio extra diœceſim Officialis diſpenſaturi, facienda ſit, fiet ab Ordinario, cui delegatus ille remittit, non autoritate propria ordinaria, ſed auctoritate ſubdelegata ſibi commiſſa ab officiali illo delegato.

7 Ad rationem dubirandi prout opponitur huic dicto, reſpondeo per illa verba, & ſimilia, vt, *iudicio, & prudentia tuæ remittimus*, non cenſeri electam induſtriam perſonæ, quando delegatio non fit perſonæ cognitæ, & determinatæ, ſed dignitati. Vt enim rectè ootauit Sanchez *lib. 3. de matrimonio diſput. 7. numer. 20.* non eſt vniuerſaliter verum, eligi perſonæ induſtriam, vbi negotium eſt arduum, & committitur prudentiæ alicuius, ſi delegatio fit perſonæ incognitæ, & inde terminatæ, vt officiali præſenti, & futuro, prout hîc contingit. Aliàs enim dicendum eſſet eam commiſſionem mortuo eo officiali præſenti noo tranſire ad ſucceſſorem. Quare ſicut poteſt Epiſcopus alicui delegare facultatem diſpenſandi in deounciationibus quæ præmittuntur matrimonio contrahendo, cum talis facultas non coocedatur Epiſcopo determinato, & cognito, & ideo non cenſeatur eius electa induſtria, ſed indefinitè omnibus Ordinariis, præſentibus & futuris, ita pariter in præſenti poterit officialis ſubdelegare.

Sectio IV.

Cuius expenſis diſpenſatio impetranda ſit: & quando à fide matrimonij data reſiliens, teneatur eas intergrè ſoluere.

1 Circa primam ſectionis partem,

Dico *primò*, ſi communi conſenſu impetrata ſit diſpenſatio, tametſi de expenſis oihil conuentum ſit, eſſe ſoluendam expenſis vtriuſque æqualibus. Ratio eſt euidens, quia negotium commune eſt; ergo & ſumptus debent eſſe vtriuſque communes. Nomine communis conſenſus intelligi debet non tantùm expreſſus, ſed etiam tacitus. Vt ſi quis promittat matrimonium conſanguineæ, eo ipſo quòd illa acceptat, conuenitur tacitè de diſpenſatione impetranda, vtpote quæ ad illius executionem neceſſaria eſt, & ideo communes debent eſſe expenſæ. Niſi in caſu quo alter ratione alicuius legati, vel ſucceſſionis in maioratum grauatus ſit ad id matrimonium, vt rectè obſeruat Sanchez *lib. 5. de matrimonio diſputat. 5. numer. 21.* Quia eo ipſo quòd ad aliquid exeqoendum grauatus eſt, tenetur eo ipſo ad omnia illa quæ ad executionem deſiderantur, quia tenetur implere conditionem & grauamen, ſi vult legatum, vel maioratum: ſicut ipſi incumberet quodcumque aliud onus legato adiectum ſubire.

Dico *ſecundò*, ſi non communi conſenſu, nec tacito fuit impetrata diſpenſatio, ſed alteruter deſiderans perſonæ conſanguineæ matrimonium, ipſa inconſulta impetrauit, ſoli impetranti integras expenſas ſoluere incumbit. Ratio eſt, quia tametſi matrimonium poſtea initum cedat in vtriuſque vtilitatem, cum tamen pars inſcia nihil pepigerit, & talis matrimonij inſcia fuerit, nec tacitè, nec expreſsè ad expenſarum partem ſe aſtrinxit; ideo poteſt beneficio in ſe ab impetrante diſpenſationem collato vti. Ita Sanchez *lib. 8. diſp. 36. n. 3.* Quod rectè intelligit, ſi tèpore quo conuentum eſt de matrimonio, ſciebat alter eſſe iam impetratam diſpenſationem: nam ſi id ignorabat, tenebitur ad expenſarum partem. Quia cum ſciret diſpenſationem neceſſariam eſſe io communem vtriuſque vtilitatem, & commodum, oec impetratam ſciret, tacitè ſe obligauit ad ſumptuum partem; & per accidens eſt, vt impetrata iam ſit. 2

Circa ſecundam ſectionis partem,

Primò probabilius eſt, quando alter iuſtè reſilit à fide matrimonij data abſque alterius culpa, vt ſi reſiliat amplectendo opinionem probabilem dicentem hanc promiſſionem non obligare, vel tranſeundo ad religionem, vel ſi alter fiat notabiliter deformis, non teneri reficere alteri expenſas, ſed quemlibet ſuam partem ſoluturum. Ita Sanchez *lib. 5. de matrimonio diſput. 5. numer. 33.* & rectè probat, quia nullus videtur dolo facere, qui iure ſuo vtitur, *reg. nullus 55. ff. de regul. iur.* ergo cùm hic reſiliens vtatur iure ſuo, non tenebitur refundere expenſas, quaſi dolo fecerit. Firmo, quia hîc non tenetur ratione rei acceptæ, nec iniuſtæ acceptionis, vt conſtat; nec ratione contractus, quia nullibi cautum eſt in iure, reſilientem iuſtè à ſponſalibus teneri expenſas refundere: ex alio capite, contractus eſt vtrinque æqualis, quia quilibet poteſt iuſtè reſilire, & ſine expenſarum ſolutione; ergo. 3

Secundò verius videtur ſi alter doloſè contraxerit, animo reſiliendi etiam iuſtè, vt ingrediendi religionem, ſiue ante ioitum matrimonium, ſiue ante illius conſummatiooem, teneri ſoluere alteri expenſarum partem qoam ſoluit. Ratio eſt manifeſta, quia tametſi habeat ius ingrediendi religionem; at oon habuit ius decipiendi alterum, efficiendo vt inanes expenſas faciat, niſi animum habeat ſeruandi alterum indemnem. Idem eſſet, ſi dubius eſſet tempore contractus, an ingreſſurus eſſet poſtea religionem. Quia tunc contractus oon eſſet æqualis. Nam alter firmum ſtandi promiſſis animum habet, hic autem ancipitem. Et ſi alter eius dubij conſcius eſſet, nullatenus ſe ad expenſas obligaret, ſed ea lege pactum iniret, vt in reſilientem integrarum expenſarum onus reiiceretur. 4

Tertiò, certum apparet ſi alter culpabilem alteri reſiliendi cauſam præbeat, vt ſi ſponſa fornicetur, integras expenſas teneri ſoluere. Patet, quia culpa ſua cogit alterum reſilire, qui nequit abſque damno proprio & dedecore tale matrimonium inire. Vnde fœmina, quæ fornicando conditionem ſuam fecit deteriorem, nec eam abſque dedecore poteſt alter ducere, tenebitur ad has expenſas, quia culpa ſua diſſoluuntur ſponſalia, & alter non liberè, ſed coactus reſilit, ne honoris iacturam ſubeat. Secus eſſet, ſi vir fornicaretur; non enim teneretur refundere expenſas ſponſæ reſilienti. Quia hæc licèt iuſtè, 5

liberè tamen reſilit, quandoquidem nullum damnum, nec nullam honoris, vel alterius rei iacturam patitur, illi nnbens.

6 *Quartò* negari non poteſt quòd is, cuius culpa euenit impedimentum, ne ſponſalia adimpleantur, in caſu in quo tenetur procurare diſpenſationem, vt ſi vir fœminam deflorauit, vel ea notabilem famæ iacturam patiatur niſi ducatur in vxorem, tenetur ſuis expenſis illam impetrare. Ratio eſt, quia in culpa illius impedimenti fuit.

His præmiſſis, reſtat difficultas, quando vir, qui virginem deflorauit, ingreditur poſtea religionem, teneatur integras diſpenſationis expenſas ſoluere. Qua in re omiſſis aliorum opinionibus, dicam quid ſentiam in variis caſibus, ſequentibus dictis.

7 Dico ergo *primò*, quando ſponſalia contrahens, ſub ea ſpe virginem deflorauit, vel mulierem bonæ famæ cognouit, vel ita erga eam ſe habuit, vt notabilem illam famæ iacturam patiatur, ipſo ingrediente religionem, tenetur reſtituere expenſas. Hoc mihi videtur indubitatum. Nam iſte nequit ingredi religionem, etiam ſi voto aſtrictus ſit, quia, moraliter loquendo, nequit aliter iniuriam reſarcire, niſi nubendo & conſummando matrimonium, ad quod tenetur iuſtitiæ vinculo, nec vnum pro alio inuito creditore reddi poteſt. Neque in hoc caſu ſatisfacit, ſi contracto matrimonio, & non conſummato, religionem ingrediatur; quia eo matrimonio non reſarcitur iniuria virginitatis, & famæ; imò tunc grauiori ſuſpicionis nota afficeretur fœmina. Nec obeſt votum, quia nec potuit in præiudicium fœminæ id vouere, nec adimplere, ſed illud ſolùm tenebitur implere diſſoluto matrimonio morte fœminæ. Igitur tenebitur expenſas reſtituere, cùm id ſuæ culpæ tribuendum ſit.

8 Dico *ſecundò*, ſi nulla matrimonij fide data, virgo conſentiens deflorata eſt, & poſtea deflorator matrimonium illi promiſit, poſſe defloratorem ingredi religionem, atque adeò non teneri partem expenſarum reſtituere. Hoc videtur certum in foro conſcientiæ. Ratio eſt, quia obligatio matrimonij non ex iuſtitia, ſed ex mera liberalitate proceſſit, quamuis occaſione ſumpta præcedentis delicti; nullam enim iniuriæ rationem in ſe habuit imbibitam, nec ad reſtituendum aliquid obligabat; ergo in tali matrimonio contrahendo includitur tacita conditio, niſi tranſitus ad religionem placuerit. Vnde ſibi imputet fœmina damnum honoris, quod patitur: nam illud non procedit ex ingreſſu alterius in religionem, ſed ex defloratione cui ipſa liberè, ac volens conſenſit. Non igitur ille tenetur diſpenſationis expenſas ſoluere.

9 Hinc colligo idem dicendum in hoc alio caſu, quãdo nimirum defloratio fuit ſpontanea, nec data matrimonij fide, ſed ſola aliqua pecuniaria ſumma promiſſa, at poſtea deflorator matrimonium promiſit loco illius ſummæ pecuniæ. Quia ad matrimonium nulla prorſus obligatio præceſſit, nec defloratio iniurioſa fuit, illique ſatis fit ſola pecunia promiſſa. At matrimonij promiſſio loco illius facta retinet implicitam conditionem, quam ſuapte natura habet, niſi promittens tranſeat ad religionem. Igitur ſatisfaciet hic ad religionem tranſiens, dummodo reddat pecuniam prius promiſſam, & ſolam expenſarum partem quam tenebatur ſoluere. Quòd ſi ſoluendo non fuerit, & ſit ſpes fore ſoluendo, ſi in ſeculo aliquantulum demoretur; tenebitur demorari donec ſoluat, inſtar aliorum rei pecuniariæ debitorum.

10 Dico *tertiò*, ſi defloratio fuit vi, aut dolo, & poſtea deflorans vt ei iniuriæ ſatisfaciat, promiſit ei fœminæ matrimonium, non poſſe illum tuta conſcientia ad religionem tranſire, etiamſi matrimonium ineat, & ante conſummationem tranſire velit: vnde ſi de facto profiteatur, tenebitur ad integros ſumptus diſpenſationis. Ratio eſt, quia cùm hic ex vi iniurioſæ deflorationis teneatur, vel eam fœminam ducere, vel eius dotem augere, vt conſtat ex *cap. 1. de adult.* vbi ſtatutum eſt, vt ad id, vel ad dotem teneatur deflorator, ratione grauioris iniuriæ, quàm ſi vi cognoſcatur, quæ non erat virgo; certè ea matrimonij promiſſio nequit dici abſolutè liberalis, ſed verè ſatisfaciens iniuriæ violationis, & ex vi illius debita, quamuis non determinatè, ſed ſub diſiunctione; vnde cùm deflorans promittit poſtea fœminæ acceptanti matrimonium, non imponit ſibi nouam omnino obligationem, ſed diſiunctiuam determinat ad alteram illius partem. Igitur contra hanc obligationem, quam ſibi voluntariè elegit imponendam vt ſatisfaceret grauiſſimæ iniuriæ, non poterit ad religionem tranſire, cum damno fœminæ.

Sectio V.

Qualiter ſint explicandæ quatuor priores clauſulæ diſpenſationum matrimonij pro foro conſcientiæ.

NOuem clauſulæ continentur in expeditione literarum diſpenſationum pro conſcientiæ foro; claritatis gratia, in hac ſectione priores quatuor clauſulas explicabimus, reliquas verò *in ſect. ſequenti.* 1

Prima clauſula communis omnibus diſpenſationibus, quæ pro foro conſcientiæ expediuntur in ſacra Pœnitentiaria Romana, eſt, vt executio diſpenſationis committatur diſcreto viro confeſſori, Theologiæ Magiſtro, vel Decretorum Doctori. In hac continetur qualitas eligendi, vt nimirum ſit Doctor in iure canonico, vel Magiſter in Theologia: quod eſt idem quòd in ea Doctor. Nam in aliquibus Vniuerſitatibus ad Doctoratum in Theologia promoti appellantur Magiſtri; in aliis verò Doctores. Vnde non ſufficit Doctor in iure ciuili, non Licentiatus in Decretis, aut Theologia; non publicus earum facultatum Profeſſor in Academia approbata, quantumuis idoneus. Quia diriguntur hæ literæ ad homines in ea dignitate conſtitutos, habentes publicum Academiæ teſtimonium ſuæ peritiæ. Quare ſicut ſtatutum eſt *in c. ſtatutum, de reſcript. in 6.* ne commiſſiones in foro externo à Pontifice, eiuſve Legato manantes, fiant niſi perſonis in dignitate conſtitutis, quia tales decet eſſe delegatos Papæ, eiuſve Legati: ita vult ſacra Pœnitentiaria, vt eius delegati ſint in hac dignitate, vt ad illos gradus Doctoratus promoti ſint. Vnde non ſufficit, qui communi errore Doctor exiſtimatur, ſi reuera non eſt; ſecus tamen eſſet, ſi reuera eſſet eo gradu inſignitus, quamuis indoctiſſimus ſit, & gradus eſſet irritus ob defectum occultum. Ratio eſt, quia in priori euentu non prodeſt communis error, ſed neceſſarius eſt titulus collatus à ſuperiore, quamuis inualidus ſit ob aliquod vitium latens, vt latè Sanchez *lib. 3. de matrimonio diſput. 22. n. 49.* At in poſteriori adfuit titulus, quamuis ob vitium communiter ignoratum irritus. Denique nec ſufficiunt Regulares, qui ex inſtituto aliquarum Religionum Magiſtri vocantur, niſi ij verè ad Magiſterij, vel Doctoratus gradum in aliqua Academia approbata promoti ſint. Quoniam ad hos prædicta reſcripta diriguntur ob publicum illud Academiæ teſtimonium.

Eſt

2 Eſt verò notandum, poſſe ſacerdotes Societatis Ieſu deſignatos per Generalem, aut de eius licentia per alios ſuperiores eiuſdem Societatis, & à locorum Ordinariis approbatos, vel approbandos, etiamſi nullo gradu ſint inſigniti, has literas Sacræ Pœnitentiariæ Doctoribus deſtinatas exequi; & auditis confeſſionibus recurrentium ad ipſos impoſita illis pœnitentia in literis expreſſa, vel de iure infligenda, eos abſoluere, ac in foro conſcientiæ quaſcumque ſibi verbo, vel ſcripto commiſſas abſolutiones, diſpenſationes, & pœnitentiarum iniunctiones excipere, & exequi ex priuilegio Gregorij XIII. conceſſo die 3. Aprilis an. 1582. cuius mentio fit in Compendio priuilegiorum Societatis Ieſu, *verb. confeſſarius numer. 3.* vbi Pater noſter Generalis addit, omnes Superiores Societatis approbatos ab Ordinario poſſe vti hac conceſſione: & omnes alios confeſſarios eiuſdem Societatis, quos ipſi ad id deputauerint. Non verò requiritur vt ante hanc licentiam ſuperiores ſint approbati ab Ordinario, ſed ſatis eſt, vt approbentur antequam literas expediant. Religioſi autem alij mendicantes, & qui eorum priuilegiis fruuntur, vt per communicationem hoc priuilegio fruantur, debent eſſe neceſſariò à ſuis Generalibus deſignati, vel de eorum licentia ab aliis ſuperioribus. Aliter enim quidquid egerint, irritum erit; quia hoc priuilegium hanc petit conditionem.

3 Eſt etiam notandum, errorem eſſe vulgi exiſtimare prædictas litteras ſuo effectu fruſtrari, ſi aperiantur ab eo, qui gradu in eis petito inſignitus nō eſt. Quod certè omni caret fundamento. Quia ea qualitas Doctoratus in ſolo executore diſpenſationum petitur, & eſt neceſſariò requiſita.

4 Præterea in eodem executore, præter qualitatem dictam Doctoratus, requiritur alia qualitas confeſſoris approbati ab Ordinario.

Circa quam quatuor notanda ſunt.

Primum, ſi ſemel ille ſit approbatus ab Ordinario, quamuis eſſet occultè reuocata licentia audiendi confeſſiones, ita vt illius reuocationis ſit communis error, erit ſufficiens ad has diſpenſationes expediendas. Et ſatis etiam eſſet, quamuis licentia illa eſſet irrita ob defectum occultum, & communiter ignoratum. Et etiamſi ob ſimilem defectum ſic communiter latentem collatio beneficij parochialis huic facta eſſet irrita: ſecus ſi abſque vllo titulo intruſus eſſet ille ad audiendas confeſſiones, vel in id beneficium. Ratio horum omnium eſt, quia in priori caſu eſt titulus publicus, & illius nullitas, ſeu reuocatio ſunt occulta: in poſteriori autem deficit titulus, vt patet.

5 *Secundum* eſt, verius mihi videri quod docet Sanchez *lib. 8. diſput. 38. numer. 16*, approbatum ab Epiſcopo cum limitatione perſonarum, non defectu ſcientiæ, ſed ratione ætatis quòd iuuenis ſit, quod contingit dum approbatur ad audiendas ſolas virorum confeſſiones, poſſe eligi ad expediendas prædictas diſpenſationes, ſiue viris, ſiue fœminis conceſſas. Ratio eſt, quia in eis literis, dum petitur in expedituro approbatio Ordinarij vnà cum gradu Doctoratus, ſpectatur potius ſcientia, ac rerum moralium peritia ad earum expeditionem. At hic vtrumque ſuæ ſcientiæ teſtimonium habet. Quod etiam firmatur, quia valde probabile eſt, cenſeri quoque hunc ſufficienter approbatum, vt per Bullam poſſit ad vtriuſque ſexus confeſſiones eligi.

6 *Tertium* eſt, quantumcumque indoctus ſit Doctor ille, ſi approbatus ſit ab Ordinario, poſſe validè diſpenſationes has expedire. Quia habet vtramque conditionem in eis petitam: ſicut etiam iſte verè poteſt eligi per Bullam. Quamuis ob aliam cauſam poſſet eſſe confeſſio irrita, nempe ob peccatum quod admitteret confitens, ſi illius ignorantiæ conſcius, illi ſua peccata ſacramentaliter fateretur.

Quartum eſt, ſi vnus confeſſor nolit exequi diſpen- 7
ſationem, quia iudicat illam eſſe ſurreptitiam, poſſe adiri alium qui exequatur, vel eundem poſſe retractare ſentētiam, vt doctè id tradit noſter Sanchez *lib. 8. diſput. 27. numer. 40.* Quare fori conſcientiæ & exterioris quoad hoc eſt diuerſa ratio. Videatur dictus auctor.

Secunda clauſula literarum diſpenſationis in foro 8
conſcientiæ, continet cauſam diſpenſationis, nempe periculum incontinentiæ. Ad cuius verificationem non ſatis eſt, quòd quomodocumque ſtimulis carnis agitetur, ſed quòd ita vexetur, vt probabile periculum ſit frequentis lapſus, & incontinentis vitæ. Id cōſtat ex illis verbis clauſulæ, *Continenter viuere poſſe non ſperat*, quæ habitum incontinenter viuendi important. Et ex illis poſitis paulo inferiùs, quatenus ſi ita eſſe, ac oratorem ſtimulis carnis adeò agitatum, vt maximè dubitet contineri poſſe: & propterea de illius incontinentia probabiliter timendum ſit. Vbi magnū petitur periculum. Firmo id, quia pati graues carnis ſtimulos, & periculum vnius vel alterius lapſus non præbet iuſtam diſpenſandi in voto caſtitatis cauſam, ſed quando eſt vehemens vitæ incontinentis probabilitas, ita vt ſit valde expediens & conforme charitati, vt proſpiciatur vouentis infirmitati, ſiue id ex prauo habitu, ſiue ex mera fragilitate conſurgat. Quia res illa promiſſa iam eſt reddita viribus impar; ac votum illi eſt factum inutile, quod non vitandis, ſed augendis peccatis deſeruit. Vnde rectè docuit Nauarrus *lib. 3. conſ. in 5. edit. tit. de voto, conſ. 36. num. 6.* eſſe iuſtam diſpenſandi cauſam, quando vouens caſtitatem perinde fornicatur, ac ſi non vouiſſet. Hoc idem dicendum in expeditione litterarum diſpenſationis, quæ nullo modo diſtinguunt ex qua cauſa periculum pullulet.

Tertia clauſula continet modum verificandæ cau- 9
ſæ; ſi ita inueneris poſt diligentem oratoris examinationem, ac poſt monita, & conſilia opportuna illis præſtita. Circa priorem partem diligens examen præmitti debet, non receptis teſtibus, ſed ipſo ſolo cum quo diſpenſaturus eſt, examinato. Cùm enim hæc diſpēſandi facultas committatur in ſolo ſecretiſſimo cōſcientiæ foro, illius fori leges aptari debent: quæ ſunt vt confeſſioni pœnitentis integra fides habeatur. Vnde nec iuramentum de veritate dicenda petendum eſt, tametſi contrarium dicat Baſilius Ponce *lib. 8. c. 21. numer. 16.* Et quamuis in hoc aſſimiletur iſta examinatio abſolutioni ſacramentali, ſed non in omnibus. Nam in ſacramentali abſolutione eſt omnino iudicium ferendum iuxta pœnitentis confeſſionem. At in eiuſmodi diſpenſatione, ſi confeſſarius ſciat aliunde quàm ex confeſſionis Sacramento, preces allegatas in ea diſpenſatione eſſe falſas, aut tacitam veritatem eſſe neceſſariò explicandam, non debet diſpenſare, quamuis pœnitens eas veras eſſe aſſerat. Addo cùm examen hoc aſſignetur pro forma executionis, adeò neceſſarium videtur, vt eo non præmiſſo, quamuis cauſæ veritas ſubſiſteret, nulla eſſet diſpenſatio, vt benè Sanchez *diſput. 34. cit. numer. 26.* & Baſilius Ponce *numer. 16.* Ratio eſt, quia fit expreſſio in literis huius conditionis, alio modo quàm iure ineſt, & ideo inducit formam. Iure enim tantùm ineſt, ſi preces veritate nitantur; at in noſtro caſu additur, ſi per diligentem examinationem inueneris ſic eſſe, ſeu preces veritate niti.

Quænam verò ſint monita, ac conſilia, & hæc in- 10
ducant conditionem, & formam, dubitant Doctores. Mihi perſuadeo cum Sanchez, & Baſilio, ea ver-

ba non inducere formam , ſed ſolum inſtructionem quandam confeſſarij, qualiter ſe debeat habere , vt de veritate certior fiat. Nec obeſt eiuſmodi verba cõiungi cum aliis formam importantibus. Quia cùm non contineant ſubſtantiam formæ, quæ in cognoſcenda veritate conſiſtit , ſed accidens quoddam , & inſtructiooem vt facilius ea cognoſcatur ; ſignum apertum eſt oon importare formam. Vnde neque important præceptum, ſed inſtructionem quandam, & monitionem. Firmo idem, nam in diſpenſatione cum illegitimo ſolet addi hæc clauſula: Dummodo paternæ incontinentiæ imitator non ſit. Et tamen cum multo magis formam conditionis habeat , ſentiunt communiter Doctores, non eſſe conditionem, ſed inſtructionem , & ideo eius defectum non vitiare diſpenſationem.

11 *Quarta clauſula* eſt , eundem à mutatione propoſiti abſoluas , hac vice in forma Eccleſiæ conſueta , iniuncta ei pœnitentia ſalutari. Quæ clauſula eiſdem verbis continetur in diſpenſatione voti religionis & caſtitatis.

Circa quam certum eſt , loqui de mutatione propoſiti, quam culpabilem eſſe conſtiterit ; eſt enim retroceſſio à meliori propoſito , quæ regulariter cum culpa eſt. Nihilominus tamen ſi retroceſſio, vel propoſiti mutatio fiat ex iuſta cauſa , & procurando diſpenſationem, omoi prorſus culpa vacat. Solùm ergo hic potiſſima difficultas verſatur , an ea diſpenſatio fieri debeat audita confeſſione, & io ſacramento cooſeſſioois.

12 Nam Baſilius Ponce *loco citat. n.* 17. cum aliis probabilius iudicat requiri , vt fiat in ſacramento confeſſionis.

Primò, quia nulla eſt diſtinctio fori pœnitentiæ, & fori conſcientiæ. Cumque Pœnitentiarius hanc diſpenſationem committat in foro conſcientiæ , debet etiam intelligi fieri debere in foro pœnitentiæ.

Secundò , omnia quæ in prædictis literis continentur, indicant ſacramentalem confeſſionem. Nam vtútur verbo abſoluendi , cuius non eſt vſus in diſpenſatinnibus. Ait etiam in forma Eccleſiæ conſueta ; quæ particula oſtendit idem ſacramentum. Requirit quoque in executore eius diſpenſationis qualitatem confeſſoris approbati ab Ordinario. At nulla alia commoda aſſignari poteſt ratio , cur ea cooditio requiratur, niſi hæc, ſi enim propter idooeitatem , ſufficiebat qualitas Doctoratus in Academia approbata, quæ ſine dubio maius eſt argumentum idoneitatis , quàm confeſſoris qualitas.

Tertiò, quia ſaltem Religioſi Societatis Ieſu, & alij regulares nollo gradu inſigniti, qui ex priuilegio ſuprà tradito expediunt has diſpenſationes, non poterunt eas exequi extra ſacramentum Pœnitentiæ , quia in Bulla Greg. XIII. in qua eiuſmodi conceditur priuilegium , expreſsè dicitur , auditis confeſſionibus.

13 Placet mihi magis ſententia Sanchez *diſput*. 3 *quæſt. n.* 29. cum aliis, oppoſitum defendens. Ratio à priori eſt, quia ſi Pœnitentiarius committens has diſpenſationes , vellet præmittendam oeceſſariò confeſſionem ſacramentalem, id claris verbis explicaſſet. Nam nulla ſunt verba in expeditione litterarum quæ id exprimant per modum conditionis , vt ex earum tenore conſtat. Non enim ponuntur cum particula aliqua conditionem denotante, qualis eſt , ſi , dummodo. Neque etiam ponuntur per ablatiuum abſolutum. Nam ille ablatiuus abſolutus, iniuncta pœnitentia ſalutari, noo iungitur facultati diſpenſandi, ſed abſolutioni ſacramentali, ſi ea verba, à mutatione propoſiti eum abſoluas , eam important. Vnde abſolutè conditionem non important , eo quòd id iure ineſt ; conſtat enim in omni confeſſione ſacramentali eſſe pœnitentiam iniungendam. Idem firmatur magis ſolutioni argumentorum quæ in contrarium appoſita ſunt.

Ad primum , diſtinguendum eſt conſcientiæ forum à pœnitentiæ foro. Nam hoc eſt ſolùm forum ſacramentale. Illud autem eſt forum internum conſcientiæ prout diſtinguitur contra forum exterius, ſeu contentioſum. Vnde facultas abſoluendi in foro pœnitentiæ intelligitur intra confeſſionem ſacramentalem ; ſecus de facultate abſoluendi in foro conſcientiæ. Quare cùm non habeatur in his litteris , facultatem exequendi has diſpenſationes committi in foro pœnitentiæ , ſed in foro conſcientiæ ; non erit neceſſariò requiſita ſacramentalis confeſſio. Firmatur, nam, vt optimè dixit Nauarrus *lib.* 5. *conſtit. de priuilegiis conſ.* 11. *n.* 2. hæc verba , *abſoluo in ſolo conſcientiæ foro*, non important , vt abſolutio ſit in ſolo pœnitentiæ foro, ſed vt nullatenus pro foro externo proſit. Vnde idem Nauarrus *in ſumma c.* 27. *n.* 41. tuetur iudicem nondum ſacerdotem poſſe abſoluere ab excommunicatione in foro conſcientiæ ; cùm tamen incapax ſit audiendi confeſſiones. Et idem affirmat de Epiſcopis, quibus ex Tridentino conceditur facultas abſoluendi in ſolo conſcientiæ foro à quibuſcumque caſibus occultis , poſſe extra confeſſionem abſoluere. Non ergo lex fori interni eſt , vt ſolùm intra confeſſionem res fiat, ſed vt, vel intra confeſſionem, vel non publicè adbibitis teſtibus , & Notario , ne proſit pro foro externo. 14

Ad ſecundum, negatur antecedens. Nam in primis tametſi petatur ipſum expediturum literas debere eſſe confeſſarium ab Ordinario approbatum, oon ideo tamen id exigitur, quia neceſſariò ſit auditurus confeſſionem ; ſed quia, vt ſciat expedire. Cùm enim ſacræ Pœoitentiariæ non conſtet de ſcientia illius, duplex illius teſtimonium petit , alterum Academiæ, conferendo illi gradum ; & alterum Ordinarij, illum approbando, vt confeſſorem idoneum. 15

Ad tertium , negat Sanchez *num.* 30. eſſe neceſſariam confeſſionem ſacramentalem. Quia ille ablatiuus abſolutus , auditis confeſſionibus , refertur ad abſolutionem ſacramentalem à peccatis , & non ad diſpenſationes, ſicut etiam eiſdem Religioſis cooceditur facultas abſoluendi à peccatis, & cenſuris eis annexis; & tamen ex probabiliſſima Doctorum ſententia conſtat , illum ablatiuum abſolutum referri ad ſolam à peccatis abſolutionem ; ac licere virtute eius priuilegij abſoluere extra confeſſionem à cenſuris. Neque enim eadem eſt ratio abſoluendi à peccatis, & diſpenſationis expediendæ. Illud enim iure diuino exigit præuiam coofeſſionem. Hoc autem nullo iure eam petit ; nec aliquam cum illa connexionem habet. Et certè vix credi poteſt , vt facultas quam ſacra Pœnitentiaria concedit Doctori extra confeſſionem , iuxta noſtram ſententiam , velit , vt coarctetur ad confeſſionem reſpectu Religioſorum.

Nam ſenſus, ac mens Pontificis eſt eandem facultatem, & eodem modo concedere Religioſis, quo Pœnitẽtiaria ſacra Doctori concedit.

SECTIO

Sectio VI.

Qualiter intelligantur quinque poſteriores clauſulæ diſpenſationum matrimonij pro conſcientiæ foro.

1 QVinta ordine *clauſula* contenta in prædictis diſpenſationibus matrimonij, pro conſcientiæ foro, continet ea opera, io quæ commutari ea vota debeot, vel iniungenda ſunt oratori in diſpenſatione. Qua in re, *primò* mihi videtur certum, non eſſe in arbitrio confeſſoris illum omnino liberare his operibus. Ratio eſt, quia Sacra Pœuitentiaria prædicta opera in ea commiſſiooe expreſſit, iudicans ea expedire ſpirituali cuiuſcnmque vouentis ſaluti, & conuenienter ſubrogari loco illius voti quo aſtringebatur.

2 *Secundo* etiam eſt certum, relinqui arbitrio confeſſoris, quantitatem horum operum, ac frequentiam. Conſtat ex literarum tenore, vbi expreſsè dicitur ea eſſe imponenda, prout iudicauerit confeſſor expedire ſaluti eius, cum quo diſpenſatur; ergo quantitas nõ eſt deſignata, ſed ea in eius arbitrio erit moderari. Debent tamen ea opera quæ confeſſor deſignauerit eſſe ſupererogationis.

3 *Tertiò* videtur verius committi quoque arbitrio confeſſoris, vt confeſſio, quæ inter ea opera numeratur, debeat eſſe menſtrua, aut minus frequens, vt bimeſtris, aut trimeſtris, &c. Ratio eſt, quia inter onera à Sacra Pœnitentiaria impoſita hoc eſt grauiſſimum, ac multis attenta naturæ corruptæ fragilitate, & occupationibus moraliter impoſſibile; ergo cùm in cæteris committatur arbitrio confeſſarij opera iniungenda minuere; potiori iure in hoc alio tam graui confeſſionis menſtruæ ooere idem eſt præſumendum. Eo vel maximè, quia experimento quotidiano comprobatur, in nullo alio opere magis expedire, vt confeſſor proſpiciat magis fragilitati pœnitentis, quã in confeſſioonm frequẽti obligatione iniungenda: rari enim ſunt qui in ea obligatione implenda non deficiant. Firmo idem; nam poſt iniunctam confeſſionẽ, & reliqua alia opera pœniteotiæ, concluditur in literis commiſſioois huius, *Prout ſecundum Deum ipſius animæ ſaluti expedire iudicaueris*. Quæ clauſula cùm appoſita ſit in fine omnium operum, & ſit multo vrgentior ratio confeſſionum oumeri temperandi, cùm ſit multo difficilius, quàm cæterorum operum, ad omnia præcedentia opera eſt extendenda. Neque in hoc video poſſe rationabiliter dubitari, attenta clauſula commiſſionis, ſic dicente. Votum prædictum, vt matrimooium ſemel dumtaxat contrahere poſſit, diſpenſando commutes in frequentiam ſacramentalis confeſſionis, ſingulis ſcilicet menſibus ſemel, vel quoties tibi videbitur. Notanda eſt hæc vltima particula, cuius ſenſus eſt, ſi durum ac difficile, ac minimè expediẽs ſaluti pœnitentis cenſueris, tam frequenter, nempe ſingulis menſibus obligare illum ad confeſſionem, impone eam frequentiam quam ei expedire iudicaueris.

4 *Quartò* videtur certum, non poſſe confeſſorem imponere frequentiorem confeſſionem, quàm menſtruã. Patet. Tum quia cuicumque etſi valde honeſto, ac pio, onus graue eſt obligari ad frequeotius fatendum, quàm ſingulis menſibus. Nedum perſonæ ſeculari, quæ ob frequentes carnis lapſus diſpenſationem voti procurat ad matrimonium. Non ergo credibile eſt remitti confeſſoris arbitrio à Sacra Pœnitentiaria, vt ad frequentiorem, quàm meoſtruam obliget confeſſionẽ. Tum etiam, quia ſi Tridentinum *ſeſſ. 25. de regularibus cap.* 10. iudicauit eſſe ſufficientem confeſſionum frequentiam Monialibus menſtruam, & eam non præcipit, ſed ſuadet. Et Clemens V. in Concilio Vienneuſi relato *Clem. 1. §. ſanè, de ſtatu monach.* eandem frequentiam Monachis ſufficientem indicauit; quis ſibi rationabiliter perſuadere poterit voluiſſe Pœnitẽtiariam committere confeſſario, vt perſooam ſecularem, ac matrimonio copulandam poſſit ſub culpa lethali obligare ad frequentius, quàm ſingulis menſibus ſemel, fatendum?

Quintò videtur verius, ſatisfieri huic menſtruæ cõfeſſioni, ſi quocumque totius menſis die fiat, licèt ab 5
vltima pluſquam menſis tranſactus ſit: vt ſi confeſſio præcedens facta fuerit prima die Iulij, ſatisfiet facta confeſſione ſequenti vltima die Auguſti. Vnde non eſt neceſſariò facienda ita, vt inter vnam & alteram confeſſionem non interponatur plus quàm ſpatium vnius menſis. Ratio eſt, quia id ſuadere videtur illa dictio, *ſingulis*, adiuncta menſibus. Quæ Hiſpanè ſignificat, *cada vn mes*. At quacumque die cuiuſlibet menſis confeſſio fiat, verum eſt dicere, confeſſionem in eo menſe factam eſſe. Quòd ſi menſis tranſeat abſque coofeſſione, non tenebitur confeſſionem omiſſam ſupplere alio menſe eam duplicando. Quia eſt onus ſingulis menſibus aſtrictum. Sicut vouens quotidie Miſſam audire, vel horas recitare, non tenetur Miſſam, aut preces alicuius diei omiſſas ſupplere. Neque etiam tenebitur menſe quo confeſſioni ab Eccleſia præceptæ ſatisfacit, eam duplicare. Quia Pœnitentiaria ſacra iniungens ſingulis menſibus cõfeſſiooem, benè nouit in aliquo illorum coincidere prædictum Eccleſiæ præceptum, & tamen ad duplicem non obligauit. Sicut eſt idem in eo qui confeſſionem menſtruam vouit.

Sextò mihi videtur verum, quod communiter à 6
Doctoribus approbatur, non ſatisfacere confeſſione ad quam ex voto vel pœnitentia tenetur ſibi iniuncta aliquo menſe, vel ſingulis menſibus facienda. Sicut vouens aliquo die ieiunare, vel ad id ex pœnitentia aſtrictus, non ſatisfacit voto, vel pœniteotiæ, ieiunio ab Eccleſia præſcripto & præcepto. Ratio eſt, quia omnia hæc, vbi aliud non exprimitur, intelliguntur iuxta communem ſenſum de operibus ſupererogationis. Cæterùm confeſſor huius obligationis conſcius prudenter ageret ſi hunc non ad aliam confeſſiooem meoſtruam obligaret, ne nimis arceatur ad duplicem confeſſionem ſingulis menſibus aſtrictus, ſed poſſet trimeſtrem, vel quadrimeſtrem imponere, Quia ei datur arbitrium circa confeſſionem menſtruã minuendam, & hic vrgens cauſa occurrit, vt ſic notauit Sanchez citatus *numer.* 39. Qui rectè addit, non ſatisfacere confeſſorem ſuæ obligatiooi, iniungendo ſolas confeſſiones, ad quas ille aliàs tenebatur. Quia manifeſta Pœnitentiariæ mens eſt opera ſupererogationis in locum voti ab ipſa diſpenſati ſubrogare. Et aliàs fieret vt diſpenſaturus ſatisfaceret huic obligationi confeſſionibus aliàs debitis, nihil explicante confeſſore.

Denique placet mihi, quæ ſint in ſpeciali opera 7
pietatis, religionis, & pœnitentiæ, in quæ confeſſor commutare debeat, quæ explicat noſter Sanchez *n.* 41, vbi duo ait. *Primum*, opera pœnitentiæ, quæ in voto caſtitatis, vel religionis diſpenſatione petuntur, poſſe ſic iniungi, vt qualibet hebdomada aliqua die, qua carnibus veſci poterat, ab illis ſe abſtineat; vel aliqua die illius ieiunet; vel cilicio, verberibuſve ſemel in hebdomada carnem affligat: aut inter hæc opera quod maluerit eligat, licèt vna hebdomada vnum,

vnum, & alia alterum opus exerceat, vt ſic faciliùs, & ſecuriùs abſque occaſione deficiendi exequatur opera iniuncta. Quòd ſi confeſſarius iudicaret attenta pœnitentis fragilitate, nimium eſſe ſingulis hebdomadibus ad aliquod opus ex his illum obligare; obligabit illum, vt ſecunda, vel tertia quoque hebdomada id faciat. *Secundum* eſt opera pœnitentiæ religionis propria, quæ quotidie facienda iubetur confeſſarius imponere, dum diſpenſat in voto religionis, vt ea quotidie exequens meminiſſe poſſit obligationis voti religionis, qua prius tenebatur, difficiles eſt aſſignare. Congruentiora videntur, recitare quotidie Litanias, vel Pſalmos pœnitentiales, vel quinquies orationem Dominicam, & tones Angelicam. Hæc enim omnia opera ſunt religionis propria Si verò votum fuit caſtitatis, eadem opera iniungi poſſunt, & alia quæcumque ex quatuordecim miſericordiæ operibus; illa præcipuè quæ ipſi diſpenſatuto magis placuerint, vt ſic faciliùs impleat commutationem.

8 *Sexta clauſula* petit, vt hæ literæ dilanientur facta diſpenſatione, nec tradantur oratori, & ſi traditæ fuerint, nihil ei ſuffragentur. Circa quam, ſolum notandum eſt, etiamſi prædictæ literæ apud partem manſerint, non fruſtrari diſpenſationem ſuo valore. Ideo verò præcipi vt hæ litteræ dilanientur. Tum, ne occulta delicta in illis contenta detegantur. Tum maximè ad denotandum nihil prodeſſe eam diſpenſationem pro foro externo, in quo exigitur fidem fieri per literas continentes diſpenſationem. Id enim clarè importat verbum, *ſuffragentur*: quod propriè trahitur ad forum contentioſum, & propriè ſignificat aliquid ad controuerſiam pertinens, vt rectè notauit Molina *tom. 3. de iuſtitia diſput.* 599. *num.* 1.

9 *Septima clauſula* apponi ſolita petit, vt impedimentum occultum ſit; & proles legitimetur pro ſolo conſcientiæ foro. Circa quam clauſulam conſtat occultum hoc loco vocari, non quod probari in iudicio non poteſt, ſed quod licet multis cognitum, non eſt tamen deductum ad forum contentioſum. Maior difficultas eſt circa prolis legitimationem, quem effectum habeat ea legitimatio in ſolo conſcientiæ foro; & an aliquando proſit pro vtroque foro. de qua re latè Sanchez *d. ſp.* 34. *à num.* 45.

10 Breuiter dico *primo* quando nondum inito matrimonio diſpenſatur, vt ineatur, legitimando prolem ſuſcipiendam, in ſolo conſcientiæ foro; tunc talem prolem verè eſſe legitimam, & quoad ſpiritualia, & quoad temporalia, in ſolo tamen conſcientiæ foro. Idemque eſſet, quamuis ſacta Pœnitentiaria concedens facultatem diſpenſandi in impedimento, nullam feciſſet mentionem legitimationis prolis ſuſcipiendæ. Quare ea ſit ad maiorem ſuper abundantiam. Ratio primæ partis eſt, quia ea proles ex legitimo, ac vero matrimonio in foro conſcientiæ naſcitur; ergo verè eſt legitima in eodem foro, etſi nulla eam legitimandi facultas concedatur. Quare proles in eodem foro conſcientiæ non erit irregularis, ſed capax Ordinum, & cuiuſcumque beneficij, tanquam verè legitima. & ſuccedet vtrique parenti, & vterque parens ipſi. Quia ex vero matrimonio habita fuit, & eſt legitimata quoque per verum ſubſequens matrimonium. Secunda pars conſtat, quia cum diſpenſatio nullo modo in foro externo ſuffragetur, reputabitur proles in hoc foro ſpuria, vtpote nata ex parentibus, inter quos non poterat conſiſtere matrimonium ob manifeſtum dirimens impedimentum.

Dico *ſecundò*, quando nondum inito matrimonio, diſpenſatur, vt validè ineatur, legitimando prolem ante ab iis contracturis ſuſceptam, tunc non diſpenſari in radice matrimonij, nec vt prolem ante diſpenſationem ſuſcepta ſit legitima quoad temporalia, ſed ſolum quoad ſpiritualia. Ratio eſt, quia cùm nullum matrimonium præceſſerit, nequit Pontifex diſpenſare in radice, nec legitimare prolem quoad temporalia, vt oſtendi ſuprà *diſp.* 44. *ſect.* 5. Ergo ea verba de ſola legitimatione quoad ſpiritualia, ſunt accipienda.

Eſt verò notandum, caſu quo proles fuit verè illegitima, quia habita iam concepta mala fide in vtroque parente conſcio nullitatis illius matrimonij, Papam non legitimare quoad ſpiritualia, niſi poſtea de nouo matrimonium ineatur. Quia Pontifex eam gratiam conceſſit acceſſoriè, legitimè contrahendis nuptiis inter prolis illius parentes, in ipſius matrimonij fauorem: non ergo poterit non diſpenſando in matrimonio, vel diſpenſando, ſi id matrimonium poſtea non ſubſequatur. 11

Octaua clauſula eſt, vt coniux impedimenti ignarus certior fiat de prioris conſenſus nullitate. Circa quam difficultas eſſe poteſt, an id inducat conditionem neceſſariam, vt validè confeſſarius diſpenſet. Breuiter dico cum Sanchez *dicta diſput.* 34 *n.* 61. eam non eſſe conditionem, ſed inſtructionem quandam confeſſarij, vt certior ſit poſterioris matrimonij contractus. Si enim id neceſſarium eſſet, ſæpe fruſtrandæ eſſent eiuſmodi diſpenſationes ſuo valore. Quia ſæpe continget non poſſe nullitatem detegi abſque periculo detegendi delicti: & maximè ſi impedimentum ſit ex parte fœminæ, rarò accidit poſſe viro aperiri nullitatem prioris conſenſus abſque maximo fœminæ periculo, & ſuſpicione alicuius delicti, & inſtabit vir vt ſibi detegatur cauſa nullitatis, & ea non detecta, vrgentiorem delicti ſuſpicionem concipiet; vnde inimicitiæ inter coniuges orientur. 12

Nona, ac vltima *clauſula* eſt, quæ apponitur à tergo literarum diſpenſationis ſacræ Pœnitentiariæ, népe, gratis vbique. Circa quam poteſt eſſe difficultas, an excludatur conſuetudo, quæ in multis partibus eſt legitimè præſcripta accipiendi ſtipendium laboris. Verùm de hac re iam dixi quid ipſe ſentiam in hac diſputatione *ſect.* 2. *n.* 6. 7. 8. & 9.

DISPVTATIO XLIX.

De vſu, & debito coniugali licito.

A DISPVTATIONE quadrageſima quarta, vſque ad quadrageſimam octauam incluſiuè egimus de diſpenſationibus. Nunc ordo inſtituti noſtri expoſcit, vt videamus de vſu, & debito coniugali licito; ideo agemus *primò*, quo fine vſus coniugalis exercendus ſit, & licitè fiat, vbi etiam de tempore & loco, quo actus coniugalis fiat illicitè. *Secundò*, an & quando committatur lethale in actu coniugali, vaſe naturali omiſſo, aut vtriuſque coniugis ſemine datâ operâ non ſimul emiſſo; vel concubente viro cum vxore, incohato coitu non abſoluto, &c.

SECTIO I.

Vtrùm vſus, ſeu actus coniugalis ſit licitus, & gratiã conſerat ex opere operato aliquando.

CIrca primum fuere non pauci ex hæreticis, vt docet Bellarminus *c.* 1. *de matrimonio*, qui olim 1

cenſuerunt

cenſuerunt omnem vſum matrimonij eſſe malum, & à diabolo. Fuere quoque aliqui Catholici, qui, vt refert Bonau. *in 4. diſput. 31. art. 2. quæſt. 1.* docebant in omni copula coniugali ſaltem eſſe peccatum veniale. Probari poteſt,

Primò, ex Siricio Papa *epiſt. ad Himerium cap. 5.* matrimonium appellante pollutionem. Et illa verba Pauli ad *Rom. 8. c. Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*; explicante de matrimonio; quaſi qui nuptiis copulantur, Deo placere non poſſint.

Secundò, *in cap. connubia 32. quæſt.* 2. habetur, tempore illo quo coniugales actus geruntur, præſentia ſancti Spiritus non datur.

Tertiò D. Hieronymus *lib. 1. contra Iouinianum*, actum matrimonij turpitudinem & immūditiam vocat, ex illo 1. Reg. 21. *Si mundi ſunt pueri, manducent*. Et ex illo Apoc. 21. *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati; virgines enim ſunt.*

Vltimò, vtens actu coniugali poſtponit bonum rationis, cuius actu tunc ſua ſponte priuat ſe propter bona inferiora; ergo ibi manifeſta eſt peruerſio debiti ordinis; ſicut accideret in præferente bona fortunæ, honori, ac vitæ; ergo adeſt ibi manifeſta culpa.

2 Dicendum tamen, certum eſſe, adeò vt oppoſitum nequeat dici abſque errore in fide, copulam coniugalem ex ſe eſſe licitam, atque adeò poſſe eam exerceri abſque vlla culpa. Probatur *primò*, quia aliàs matrimonium eſſet illicitum, vtpote natura ſua ordinatum ad rem illicitam; quod eſt hæreticum: cùm ſit à Deo inſtitutum ad generis humani propagationem. *Secundò* idem firmatur aperte ex *Geneſ.* 1. vbi Deus benedicit nuptiis primorum parentum, & commendat vſum coniugalem, illis verbis: *Creſcite, & multiplicamini, ac replete terram*; at hæreticum eſſet dicere actum de ſe malum præcipi à Deo. *Tertiò*, Paulus *ad Hebr.* 13. loquens de coniugio, ſic ait: *Honorabile connubium, & thorus immaculatus.* Si igitur ab Apoſtolo thorus coniugatorum dicitur immaculatus; ergo ex ſe licitus eſt, & ab omni culpa immunis. *Quartò* actus coniugalis eſt vſus corporis coniugis, cuius quis habet dominium, & poteſtatem in ordine ad talem vſum; ergo eſt actus virtutis iuſtitiæ, cùm reddatur coniugi debitum ex pacto matrimoniali contractum. *Vltimò*, actus coniugalis ſua natura ordinatur ad procreandam prolem in cultum Dei, & ad conſeruandā ſpeciem hominum, ad quod ipſa recta naturalis ratio inclinat; ergo ex ſe, & ex ſuo obiecto actus licitus eſt, & honeſtus.

Hinc facile ſoluuntur argumenta oppoſita.

3 Ad primum dico Siricium reprehendere coniugia Clericorum, qui iam in Sacris conſtituti erant, quibus perpetuò in Eccleſia Latina prohibita fuere coniugia. Vnde rectè dixit Siricius Clericos viuentes in carne, hoc eſt, turpiter viuentes, Deo placere non poſſe in illicitis matrimoniis. Nam licèt eo tempore non eſſent irrita; attamen eorum vſus, cùm voto caſtitatis tenerentur, non poterat ſine peccato eſſe, quia peccabant in eiuſmodi actu coniugij, ratione voti: ſicut & qui coniugati aſſumpti fuerant ad ſacros Ordines, peccabant accedentes denuo ad vxorem poſt emiſſum votum, non quidem contra temperantiam, ſed contra religionem. Quod ſatis erat, vt actus ille diceretur immundus, & iniquus, ob violationem voti, cuius erat habeoda ratio.

Ad ſecundum, dico, in illo actu non adeſſe Spiritum ſanctum ſpeciali aliquo auxilio, quod eſt verum: nam ad opera naturalia, tametſi bona, non exigitur auxilium Spiritus ſancti peculiare; & inter hæc conſtituitur opus coniugale.

Ad tertium, dico actum coniugalem, quamuis ſine peccato fieri poſſit, dici turpitudinem, & immunditiam, ex eo quòd habeat quandam turpitudinis notam, non quidem moralem in ordine ad Deum, ſed naturalem ob pudendos corporis motus, & ardorem concupiſcentiæ, quo ratio ipſa quodammodo abſorbetur.

Ad vltimum, dico non eſſe peruerſionem debiti ordinis, ſi quis leue aliquod detrimentum patiatur in bono potiori, & altiori, ob bonum aliquod maximi momenti, quale eſt bonum ſpeciei, quod ex generatione conſequitur: ſicut ob indiuidui conſeruationem iuſtè intermittuntur ſomni tempore actiones ſuperioris rationis. Verum eſt illam effrænatam, & intenſam appetitus ſenſitiui delectationem, quæ ſæpe cōtingit in actu, ſeu vſu coniugali, habere aliquod veniale peccatum coniunctum: ideoque olim acceſſuri baſilicas Martyrum ſolebant ab ea religiosè abſtinere, ſicut etiam faciunt communicaturi.

Circa ſecundum, certum videtur actum coniugij 4 poſſe eſſe meritorium gratiæ ex opere operantis, ſi fiat in gratia, cum debitis circumſtantiis, & fine; non ſecus ac ſunt meritorij cæteri boni actus iuſtorum debitis circumſtantiis, & fine affectis. Solum ergo eſſe poteſt difficultas, an in ipſo actu coniugali conferatur aliquando gratia ex opere operato. Qua in re Sanchez *lib. 9. de matrimonio diſput. 1. numer. 3.* duo dicit. *Primum*, per ipſum actum coniugalem non conferri gratiam, cùm non ſit Sacramentum, nec pars neceſſaria Sacramenti. *Secundum*, antiquitus cùm matrimonia clandeſtina valida erant, dum ſponſalia de futuro tranſibant per copulam in matrimonium, dari gratiam ex opere operato in ea priori copula Quia vicem formæ ſacramentalis gerebat; explicabant enim conſenſum de præſenti. Addit, etiam hodie poſſe aliquando perficere matrimonium, quod priùs per verba de futuro erat initum: & tunc conferre gratiam ex opere operato, tanquam formam perficientem Sacramentum.

Hoc ſecundum longè diſtare à veritate docet Ba- 5 ſilius Ponce *lib. 10. de matrimonio cap. 1. num. 3.* Quia non erat copula, quæ efficiebat ſponſalia tranſire in matrimonium, ſed conſenſus præcedens copulam ſufficientibus ſignis ante copulam explicitus; quem præſumit Eccleſiæ adfuiſſe ante copulam. Quare in eo conſenſu explicito & exteriùs ſignificato ante copulam dabatur Sacramenti gratia ex opere operato, non in ipſa copula. Addit dictus Baſilius, irrideri ab hæreticis nonnullos Catholicos, & meritò, in hac parte, quòd illis venerit in mentem in ipſa copula dari gratiam ex opere operato, & ipſam copulam eſſe ſignum ſenſibile, quo Sacramentum matrimonij conficeretur.

Vt meam explicem ſententiam, præmitto *primò*, 6 quod latè oſtendi ſuprà *diſput. 13. numer. 5. & diſput. 19. ſect. 2. numer.* 1. contractum ipſum matrimonij eſſe qui in lege noua eleuatur in Sacramentum propriè dictum cauſatiuum gratiæ; & non matrimonium ipſum ſumptum pro ipſo vinculo permanente, ac moraliter perſeuerante in coniugatis.

Præmitto *ſecundò*, ex dictis ſuprà *diſput. 13. ſect. 4.* 7 *numer. 3. & 4.* copulam coniugalem, per ſe loquendo, ac regulariter, neque eſſe partem eſſentialem contractus matrimonij, neque partem integralem: quia, vt conſtat, & eſt per ſe notum, in aliis contractibus vſus rei traditæ non pertinet ad eſſentiam, vel integritatem contractus, v. g. in emptione, venditione, & aliis ſimilibus. Igitur neque in matrimonij contractu.

Præmitto *tertiò*, quod oſtendi ſuprà *diſput. 14 ſect.* 8 *4. numer. 2. & ſequentibus*, expreſſionem interni conſenſus

ſenſos mutui per aliquod ſignum externum, eſſe partem eſſentialem contractus matrimonij humano more facti. Cùm enim matrimonij contractus ſit neceſſariò & eſſentialiter humanus, & quidpiam ſenſibile; debet eſſentialiter verbis, vel aliis ſignis ſenſibilibus perfici; niſi enim his perficiatur, ſenſibilis eſſe non poteſt: ergo ſigna externa ſunt de eſſentia matrimonij.

9 Præmiſſo *quartò*, copulam, etiam præmiſſis ſponſalibus, de ſe & per ſe non eſſe ſignum expreſſiuum conſenſus mutui interni de præſenti exiſtentis; ſed ad ſummum eſſe ſignum & indicium conſenſus, & contractus matrimonialis antea facti. Id ſuprà probaui *diſput. 8. ſect. 5. n. 3. & diſput. 15. ſect. 4. n. 2. & 3.* Quia prædictâ copulâ ſolùm efformatur prudens iudicium, ante copulam ipſam fuiſſe contractum matrimonialem iam factum.

10 Denique ſuppono, copulam poſt tractationem matrimonij in ſponſis de futuro, poſſe eſſe ſignum externum ſufficiens matrimonij de præſenti, ex peculiari conuentione contrahentium. Hoc non videtur poſſe negari. Nam ſi contrahentes aſſumerent copulam pro ſigno expreſſiuo conſenſus de præſenti, in eo euentu iuxta ius antiquum fieret validum matrimonium, ſicut fieri poteſt, & fit per quodcumque aliud ſignum expreſſiuum conſenſus de præſenti ex conuentione contrahentium. His poſitis ad præſentem difficultatem,

11 Dico *primò*, per ſe & moraliter loquendo copulam coniugalem in baptizatis non conferre gratiam ex opere operato. In hoc conuenimus omnes. Et patet ex ſuppoſitionibus poſitis. Nam conſtat copulam coniugalem ex ſe, & per ſe, neque eſſe partem eſſentialem, neque integralem contractus matrimonij, qui ſolus eſt eleuatus ad rationem ſacramenti propriè dicti; neque ex ſe eſſe eam copulam ſignum expreſſiuum interni conſenſus mutui. Igitur nullo pacto eſt cauſatiua gratiæ ex opere operato. Vnde dictum illud commune, ſponſalia per copulam ſubſecutam tranſire in matrimonium, per ſe loquendo, non eſt ſic accipiendum, quaſi copula ipſa ſit ſignum expreſſiuum conſenſus interni, ſed ſolùm quia eſt ſignum præſumptum, quatenus nimirum ex ea præſumitur prudenter matrimonium fuiſſe ante ipſam contractum.

12 Dico *ſecundò*, antiquitus, & modò etiam, vbi non eſt decretum Tridentini receptum, cùm matrimonia clandeſtina valida ſint, ſi ex conuentione contrahentium, copula aſſumatur pro ſigno expreſſiuo mutui conſenſus maritalis, eſſe cauſatiuam gratiæ ex opere operato, ſed non tunc, ſed poſtea remota fictione, ſeu peccato. Hoc dictum rectè intellectum à nemine videtur admitti non poſſe. Patet expendendo ſingulas partes illius. Nam in primis quis neget copulam poſſe ex conuentione contrahentium eſſe ſignum expreſſiuum conſenſus de præſenti, non ſecus ac ſunt ipſa verba, & quoduis aliud ſignum ſenſibile quod aſſumi poteſt ad exprimendum prædictum conſenſum? Si ergo contrahentes copulam aſſumant pro ſigno expreſſiuo, iuxta ius antiquum, & vbi non eſt receptum Tridentini decretum, validè contrahent matrimonium; ſicut illud contraherent per quodcũque aliud ſignum expreſſiuum conſenſus de præſenti ex conuentione contrahentium. Præterea ſi talis copula perficeret contractum matrimonij, & conſequenter ſacramentum; verè cauſaret gratiam ex opere operato nõ ponentibus obicem. Quia eſt de fide ſacramentum matrimonij conferre gratiam quam ſignificat ex opere operato, non ponentibus obicem, vt oſtendi ſuprà *diſp. 59. ſect. 2. n. 3. & 4.* Vnde infertur manifeſtè, eiuſmodi copulam in eo euentu, tunc non cauſare gratiam, nec eſſe cauſatiuam gratiæ. Patet, quia in eo acceſſu manifeſtum committitur mortale peccatum, quia in eo euentu intentatur acceſſus adhuc ad non ſuam; ergo eſt obex ob indiſpoſitionem ſuſcipientium, & cum fictione ſuſcipit ſacramentum matrimonij, quia nec verè legitimè diſpoſitus ad tale ſacramentum accedit, nec eius effectum accipit, ſed quodammodo fingit, ſe vtrumque facere. Vnde tunc contrahentes matrimonium validè ſuſcipiunt ſacramentum, ſed fictè, ſeu ſine collatione gratiæ ſuſcipiunt illud. Hinc conſtat vltima pars dicti, videlicet poſtea recedente fictione ex opere operato tale ſacramentum, ſeu copulam præteritam vnà cum mutuo conſenſu conſtituentem matrimonium, & ſacramentum, vt moraliter perſeuerantem, recedente fictione, cauſare gratiam. Patet, quia, matrimonium eſt opus Chriſti, & ex ſe ſanctum, eo ipſo quo ſacramẽtum eſt. Item eſt conſtans & permanens ratione vinculi & ſtatus in quo contrahentes conſtituit: qui etſi non omnino, tamen aliqua ratione perpetuus eſt, quia viuente coniuge, nec illud iterari, nec hic ſolui poteſt. Atque ita eadem in hoc & in aliis ſacramentis Confirmationis, & Ordinis, videtur ratio. Videantur dicta ſuprà *diſputatione decima nona, ſect. nona*, vbi latè de hac re eſt diſceptatio.

13 Ex his colligo, iuxta prædictam doctrinam numerò præcedenti explicatam, eſſe intelligendum Sanchez, cùm dixit antiquitus cum matrimonia clandeſtina valida erant, dum ſponſalia de futuro tranſibant per copulam in matrimonium, dari gratiam ex opere operato in ea priori copula, quia vicem formæ ſacramentalis gerebat; explicabat enim conſenſum de præſenti: id enim intelligendum eſt prædictam copulam cauſare gratiam ex opere operato, recedente fictione.

14 Dico *vltimò*, id quod dixi præcedenti dicto, potuiſſe antiquitus euenire, & modo euenire poſſe vbi non eſt receptum Tridentini decretum, & matrimonia clandeſtina valida ſunt, poſſe etiam in aliquo euentu contingere etiam in locis vbi viget decretum Tridentini. Explico ſimul ac probo dictum. Nam licèt moraliter nequeat contingere, tamen metaphyſicè non implicat vt contingere poſſit, quòd contrahentes ſponſalia de futuro ex conuentione aſſumant copulam pro ſigno expreſſiuo conſenſus mutui de præſenti, & hac fiat notum parocho & teſtibus, tunc ſi ipſa copula habita ſit coram parocho & teſtibus, in eo euentu per eam copulam coram ipſis habitam verè ac validè fiet matrimonium, ſicut fit per quodcũque aliud ſignum expreſſiuum conſenſus de præſenti ex conuentione contrahentium, vt videtur manifeſtum. Et ampliùs firmatur, quia mutuus conſenſus de præſenti ſufficienti ſigno externo manifeſtatus coram parocho & teſtibus, conſtituit matrimonium, vt eſt certum. At illa copula ex conuentione partium adhibita vt ſignum ſit externum & ſenſibile mutui conſenſus coram parocho & teſtibus, eſt ſufficiens ſignũ externum conſenſus de præſenti; ergo conſtituet hodie matrimonium, etiam vbi viget Tridentini decretum, ex quo manifeſtè ſequitur, tunc copulam illam eſſe cauſatiuam gratiæ ex opere operato, remota fictione, ſeu peccato, modo præcedenti numero explicato.

15 Ex dictis colligo, ſententiam Sanchez, prout à nobis eſt explicata, non ſolùm non longè diſtare à veritate, vt dicebat Baſilius Ponce, ſed eſſe veriſſimam. Quia in prædicto euentu copula ipſa eſt ex conuentione partium contrahentium ſufficiens ſignum externum expreſſiuum mutui conſenſus interni; neque iſte eſt ante copulam aliis ſignis explicitus. Quare in

eo

Digitized by Google

eo caſu, in tali conſenſu explicito & exteriùs copulâ ipsâ ſignificato daretur ſacramenti gratia, ex opere operato, non tunc, ſed poſtea recedente fictione, & remoto actuali peccato. Ad illud aliud quod addit Baſilius, dico potiori iure ac facile intelligi, potius hac in re à Catholicis debere irrideri hæreticos, tanquam ignorantes naturam & eſſentiam cõtractus matrimonij, qui conſiſtit ex omnium doctrina in mutuo conſenſu exteriùs ſignificato ſigno aliquo ſẽſibili. Quòd verò copula ipſa ex cõuentione & pacto eorum qui matrimonium ſunt contracturi, poſſit eſſet ſenſibile ſignum perficiens matrimonium, & Sacramentum ipſum, conſtat ex dictis negari non poſſe.

Sectio II.

Quo fine exercendus ſit vſus, ſeu actus coniugalis vt licitè fiat.

Conſtat actum, vel vſum coniugalem ex ſe licitum eſſe; iam de circumſtantiis, quibus vitiari ſolet, agendum eſt. Ac primùm de finis circumſtantia; quæ in actibus humanis primũ ac principalẽ obtinet locum. De qua re, iuxta ea quæ dixi ſuprà *diſp.* 18. *ſect.* 7. explicans quem finem contrahentes matrimonium debeant intendere, vt id licitè, & ſine copula faciant, dicendum eſt in præſenti. Certum eſt autẽ apud om-
1 nes vſum coniugalem factũ ob prolis generationem licitum eſſe. Quia iſte eſt finis præcipuus, & honeſtus ob quem inſtitutum eſt matrimonium, & eſt proprius & immediatus ipſius vſus cõiugalis; ergo recta eſt ordinatio, & valde honeſta dirigere vſum coniugalem ad hũc finem ad quem eſt inſtitutus, tanquam ad primarium finem ipſius. Difficultas ergo eſt, an vt coniux licitè petat debitum, poſſit illud petere ob alios fines præter prolis generationem.

Dico *primò*, vſum coniugalem ob finem vitandæ
2 propriæ incontinentiæ eſſe licitum, & abſque vlla culpa etiam veniali. Ita Baſilius Ponce *lib.* 10. *c.* 8. *n.* 5. Coninch *diſput.* 34. *dub.* 1. *n.* 6. Rebellus *lib.* 3. *q.* 19. *ſect.* 2. Hurtado *diſp.* 10. *diffic.* 2. *n.* 4. & alij. Ratio eſt, quia vſus coniugalis in ſtatu naturæ lapſæ ordinatur ſua natura in remedium concupiſcentiæ propriæ, vt ex ſe patet, tametſi minus principaliter, quàm in prolis generationem; ergo in vſu coniugali ob eum finem facto nulla eſt inordinatio: occulta enim lex eſt quæ cogat vt in vſu rei principaliorem finem intendamus: aliàs in præſenti materia vſus coniugalis ad vitandam incontinentiam in altero coniuge exiſtente in periculo illius, non eſſet licitus; quod eſt contra omnes. Imò nec ſterilis poſſet vti matrimonio, quia nequit prolis generationem intendere; vnde nec poſſet alteri petenti reddere, quia alter non poſſet petere, cum nequeat ex ipſo ſterili prolis generationem intendere quod tamen eſt falſum apud omnes.

Scio Sanchez cum aliis ab ipſo relatis, *lib.* 9. *diſ-*
3 *putat.* 9. *numer.* 4. cum limitatione ſentire, tunc culpa vacare petitionem debiti ad vitandam propriam incontinentiam, quando adhibitis aliis mediis nequit carnis ſtimulos ſedare, ſecus quando poteſt communiter alio modo ab incontinentia abſtinere; tunc enim erit veniale; quia venialis peruerſio eſt debiti ordinis medium de ſe ordinatum ad prolis generationem in illum alium finem referre. Verùm hoc nihil obſtare videtur, quia quòd poſſit quis aliis mediis perfectioribus, & ſpiritualibus mederi concupiſcentiæ, parum refert. Nullus enim tenetur vlla lege ad vitandum peccatum per mediũ perfectiùs, ſed ſatis eſt vt illud euitet per medium ex ſe licitum, & honeſtum; neque enim vlla obligatio oſtendi poteſt exequendi ſemper quod perfectius eſt; aliàs opera perfectiora nõ eſſent in cõſilio, ſed in præcepto. Cùm ergo hoc medium vſus coniugalis ſit licitum & honeſtum, licèt minus bonum, & aliàs vitatio incontinentiæ ſit bonus finis, non eſt vnde vitietur ille actus, cùm habeat bonitatem ex medio, & ex fine. Quare hîc nulla eſt venialis peruerſio debiti ordinis, cum ad remedium concupiſcentiæ ordinetur quoque vt ad finem matrimonium ipſum; nec id vllo modo opponitur fini intrinſeco principali matrimonij.

Obiicies, coïtum cum abſorbeat rationem, ac priuet tanto bono, imprudenter eligi, vbi medium faciliùs adeſt: ſicut imprudens eſt ſumens potionem amaram, aut venas ſcindi permittens, quo ſalutem adipiſcatur, potens faciliori medio ad eam reſtitui. Verùm reſpondeo, id nihil concludere. Nam in primis certum videtur eam priuationem vſus rationis, quæ contingit in actu coniugali, ex ea parte præciſè, nullum eſſe peccatum, neque veniale ex genere ſuo; quia actus coniugalis non priuat ratione ſecundùm habitum, ſed ſecundùm actum. At non eſt peccatum, quòd aliquis actus melior ex genere ſuo, quandoque interrumpatur pro aliquo actu minus bono, magis tamen neceſſario: nam vita contemplatiua ſic ſolet interrumpi actibus vitæ actiuæ minus bonis. Præterea exemplum illud eſt valde diſſimile, nam ſciſſio venæ, & potio amara non habent alium finem, quam reſtitutionẽ ſanitatis, quæ cum reſtitui poſſit facili medio, prodigalitas eſſet quædam ſanguinis, & laboris corporalis pro ſalute. At matrimonij actus habet etiam alios fines bonos præter prolis generationem, qui nullam habent cum iſto oppoſitionem.

Dico *ſecundò*, vſum coniugalem ob ſanitatem cor- 4
poralem, vel ob quamuis alium finẽ extrinſecum honeſtum eſſe etiam licitum. Ita Doctores præcedentis dicti. Et ratio eadem eſt. Quia finis non eſt malus, ſed licitus, ſcilicet reſtitutio, aut conſeruatio ſanitatis; medium etiam eſt licitum, ſcilicet actus coniugalis, & etiam conueniens ad eum effectum, vt Medici edocẽt. Non igitur eſt vnde malitia deriuetur. Quod enim alio etiam medio poſſit vti ad conſeruandam ſanitatem, illamque tuendam, vel reſtaurandam, non cõuincit culpam venialem: quia ſatis eſt vti medio ex ſe licito, & aliàs conuenienti. Neque etiam vlla eſt neque oſtẽdi poteſt inordinatio in eo quòd quis relicto proprio fine operis, id aſſumat ad alium finem honeſtum, ad quem habet proportionem, & conuenientiam. Vnde etiam eſt licitus vſus coniugalis etiam ſi quis ob paupertatem, vel ob alium licitum finem vellet inefficaciter non ſequi prolem ex honeſto fine. Quia bonitas vel malitia affectus inefficacis voluntatis ex motiuo penſanda eſt.

Dico *tertiò*, actum coniugalem exercitum ſolum 5
ob capiendam delectationem carnalem ipſi actui annexam, vt auidiùs appetatur ob conſeruationem ſpeciei, eſſe immunem à culpa adhuc veniali. Id latè oſtẽdi ſuprà *diſput.* 18. *ſect.* 7. *num.* 9. quia nimirum dicta delectatio, ſeu voluptas verè eſt licita, ſicut & actus ipſe.

Dico *vltimò*, nihilominus, moraliter loquendo, fe- 6
rè ſemper eſſe exceſſum in tali actu, & venialem culpam. Vnde raro accidit ſine peccato veniali exerceri actum coniugalem. Ita communiter ſancti Patres, & Doctores. Ratio eſt vehementia voluptatis in exercitio talis actus, & nimius voluptatis exceſſus, qui in eo actu procuratur à cõiugibus; ergo moraliter loquẽdo, ferè ſemper eſt exceſſus in tali actu, & venialis culpa. Vnde colligo coniugatos venialiter peccare, quando cibis calidis, aut vnguentis, oleis, muſco & aliis medicamentis vtuntur ad excitandam, & accendendam magis voluntatem: quoniam hæc intemperantia voluptatis eſt, & veniale peccatum.

Sectio III.

An, & quando actus coniugalis ſit illicitus ratione temporis.

1 VAriæ ſunt difficultates breuiter tractandæ circa temporis circumſtantiam.

Prima igitur *difficultas* eſt, an ſit illicitus actus coniugalis diebus feſtis, aut ieiunij, præſertim ſolemniotibus.

Non deſunt Doctores qui affirmant, eſſe ſaltem venialem culpam talibus diebus exercere actum coniugalẽ. Probãt, quia diebus feſtis, pręſertim ſolẽnioribus, vacandũ eſt Deo; ergo contra rationẽ eſt vacare actui coniugali, quo mens à Diuinis abſtrahitur.

Eodem argumento probarur eſſe illicitum talem vſum diebus Rogationum, & ieiuniorum, quæ Eccleſia præcipit. Quia ieiunia præſcribitur, vt caro maceretur, & voluptate etiam licita priuetur; ergo obligatio eſt abſtinendi in illis diebus à vehementi delectatione, qualis in actu coniugali inuenitur.

2 Dico *primò* conuenientiſſimum eſſe diebus feſtis, præſertim ſolemnitatibus ab vſu matrimonij abſtinere. Id omnes fatẽtur. Et ratio eſt, quia decet tũc Chriſtianum orationibus, & piis operibus vacare, à quibus multum impedit vſus matrimonij, qui valde mentem diſtrahit à Diuinis, & voluptati immergit. Atque hoc tantùm volunt ſancti Patres, cùm dicunt coniugatos debere abſtinere, vel illis vſum coniugalẽ nõ licere: nã exaggerando loquuntur, & dicunt non licere id quod non decet. Quod vel inde patet, quia etiam dicunt nos tunc etiam licitis abſtinere debere, id eſt, docere illis quoque abſtinere.

3 Dico *ſecundo*, ſolum eſſe conſilium illis diebus ab vſu coniugali abſtinere, atque ideo omni culpa vacare tunc exigere. Ita relatis multis Sanchez *lib. 9. diſp. 12. n. 5.* Coninch *diſp. 34. dub. 9. n. 75.* Ponce *lib. 10. c. 9. n. 5.* Hurtado *diſp. 10. difficultate 3. n. 9.* & alij. Ratio eſt, quia actus coniugalis ratione ſui nullo peculiari iure prohibetur in dictis diebus, neque impedit fieri id, quod in eis fieri præcipitur; ergo in dictis diebus non eſt illicitus. Conſequentia euidens eſt: quia culpa non eſt, vbi nullius præcepti adeſt prohibitio. Antecedens patet, quia præceptum diuinum minimè interdicit debiti coniugalis exactionem: illud enim de colendis feſtis prohibet ſolas operationes externas ſeruiles, qualis non eſt exigere debitum. Vnde illa quæ abſolutè his diebus ſub præceptum cadunt, coniuges implere poſſunt, etſi matrimonio vtantur. Quamuis non cum tanta decentia ac fructu, atque Eccleſia vellet. Sed hæc non cadunt ſub præceptum; ſicut nec finis præcepti, nempe vt liberius vacetur Deo, cadit ſub præceptum, vt communiter docẽt Doctores cum D. Thoma *1. 2. q. 96. a. 3. ad* 2 Neque verò eſt præceptum humanum. Nam quæ ſolẽt adduci teſtimonia, loquũtur de conſilio ſolo, vt Gloſſæ obſeruant. Quòd ſi antiquitus fuerit aliqua Eccleſiaſtica prohibitio, iam illa omnino euanuit, vt docet Ioannes Azor *tom. 3. inſtit. moral. lib. 3. c. 31. q. 7.* Vnde ceſſante ea prohibitione, iam etiam ceſſauit ea obligatio.

4 Hinc manifeſtè colligitur, nullam eſſe culpam illis diebus reddere, ob rationem dictam. Addo etiamſi petendo coniux peccaret, adhuc eſſe licitum reddere. Quia circumſtantia illa temporis non eſt tanti momẽti, vt debitum ex iuſtitia ſoluere impediat; neque illa indecentia petendi tali die ſolemni excuſat à debito iuſtitiæ.

5 Dico *tertiò*, etiam eſſe licitum vſum coniugalem diebus ieiunij. Ita Doctores relati præcedenti dicto, nixi eodem fundamento. Quia nimirum in diebus ieiunij non tenetur coniux ad aliam carnis macerationem, quàm ad eam, quæ ab Eccleſia præſcripta eſt, quæ eſt abſtinentia à pluribus comeſtionibus, & cibis vetitis.

Ex his patet ſolutio ad primum argumentum oppoſitum *num. 1.* Conſtat enim vacare orationi & carnis macerationi illo modo, eſſe finem præcepti, & optimum fideli conſilium, cæterum nõ cadere ſub præceptum, quia nulla eſt obligatio exequendi illum finem. 6

Secunda difficultas eſt, an ſit licitus coniugalis vſus, eo die quo coniuges volunt communicare. Varij ſunt dicendi modi. Quid ipſe ſentiam, breuiter ſequentibus aperiam dictis. 7

Dico *primò*, certum eſſe, nullam eſſe culpam mortalẽ Euchariſtiam recipere poſt copulã coniugalem. Patet, quia nihil ſub graui culpa Euchariſtiæ impedit receptionem, niſi mortale peccatum, aut excommunicatio. At coniugalis actus de ſe eſt licitus, & ad ſummum eſt venialis defectus alicuius circumſtantiæ debitæ; ergo.

Dico *ſecundò*, certum quoque eſſe apud Doctores, eſſe decentiſſimum, ac conuenientiſſimum, poſt vſum coniugalem ſiue petendo, ſiue reddendo exercitum, abſtinere ea die à communione; & id conſulendum eſſe, niſi iuſta aliqua cauſa oppoſitum manifeſtè ſuadeat. Ratio eſt, quia indecens eſt tali tempore eiuſmodi voluptati indulgere; & ad ſacram communionem maxima requiritur deuotio, & puritas effectus, quam talis voluptas funditus euertit, & ad omnem pietatem hominem reddit inhabilem. Igitur talibus communiter ſuadendum eſt, vt tunc communionem differant in alium diem. 8

Dico *tertiò*, ſi coniux debitum petat recto fine, vt cauſa prolis, nullã eſſe culpam ad Euchariſtiam eo die accedere, ſed ſolùm eſſe conſilium abſtinere. Ita cum multis Sanchez *diſp. 13. n. 5.* Ratio eſt, quia præponderat, vel ſaltem adæquat bonum prolis intentum, quod eſt rectus finis, & à Deo volitus. Idem dico ſi finis ſit incontinentiæ periculum euitare. 9

Dico *vltimò* debitum coniugale exigens ex nimia carnis concupiſcentia & voluptatis capiendæ gratia, regulariter peccare venialiter ſi poſt copulã accedat ad Euchariſtiam. Ita cõmuniter DD. ex SS. Patribus. Et patet, quia tũc vſus ille ob euagationẽ mentis minus aptũ reddit coniugem ad ſumptionem Euchariſtiæ. Vnde committitur defectus venialis contra præceptũ diuinũ, diſpoſitionem, & attentionẽ requirens, & eam indecentiam prohibens. Poſſunt tamen aliquæ iuſtæ cauſæ adeſſe, quæ indecentiam illam reſarciant, & cõſequenter nulla ſit culpa accedere tunc ad Euchariſtiam. Vt ſi ſit magna feſti ſolemnitas, in qua ſit decẽtiſſimum ad Euchariſtiam accedere: ſi etiã ſit dies Iubilæi, exigens communionẽ ad illum comparãdum: ſi ſit quoque ſpecialis deuotio, & præparatio ad communionem; ſi ſit denique nota aliqua ex eo quod communio omittatur. 10

Eſt verò notandum, coniugem reddentem debitũ non peccare ſi accedat ad communionem. Quia adeſt obligatio ſatisfaciendi iuſtitiæ debito. Vnde id quod diximus de petente cauſa prolis, à fortiori dicendum de coniuge reddente; nam ille actum ſpontaneum; hic verò actum neceſſarium exercet.

Tertia difficultas eſt, an vſus matrimonij eo tempore quo fœmina patitur menſtruum fluxum, contineat aliquam indecentiam, & ſit illicitus ex veniali culpa. 11

Propter circumſtantiam damni prolis concipiendę mouetur hæc difficultas. Certum eſt autẽ, vbi fluxus menſtrui fœminei fuerit præter naturam, quando nimirum præter communem fœminarum conſuetudinem,

Digitized by Google

tudinem, quaſi continuò ex morbo aliquo acciderit, tunc licitum eſſe coniugalem vſum. Tum, quia nullum tunc proli imminet damnum; fœmina enim eo morbo oppreſſa inepta eſt conceptioni. Tum maximè, quia ſi is morbus diuturnus eſſet, duriſſimum eſſet coniuges ad diuturnam abſtinentiam ab actu coniugali aſtringere. Quæſtio igitur eſt, quando menſtruum eſt naturale, vt communiter accidit ſingulis menſibus.

Variæ ſunt de hac re ſententiæ, quas refert Sanchez *lib. 9. diſputat. 21. numer. 7.* qui magis inclinat in eam quæ affirmat, ex ſe, & in plurimum eſſe culpam venialem debitum eo tempore exigere, niſi iuſta aliquà causà excuſetur, verbi gratia, ad ſedandos graues motus carnis, ad vitandum diſſidium inter ipſos coniuges, vel etiam ad vitandum incontinentiæ periculum nõ ſolum in ſe, ſed etiam in alio. Idem defendit Coninchius *dubio 9. numer. 7.* Ratio eſt, quia tunc exigere debitum eſt quædam turpitudo, indecentia, ac inhoneſtas, cùm tunc vacet fœminea natura conſuetæ purgationi, ac immunda ſit mulier, ac minus apta generationis fini.

Mihi videtur probabile valde ac verius, per ſe loquendo, ſolum eſſe conſilium tempore menſtrui à debiti petitione abſtinere, ac proinde nullam eſſe culpam tunc petere. Ita Gloſſa *cap. ſi cauſa, verb. conceptus 33. quæſt. 4* Caſtro *de lege pœnali lib. 1. cap. vltimo.* Idem docet Nauarrus *in ſumma cap. 16. numer. 32.* & alij quos refert Sanchez *numer. 6.* & Hurtado *diſp. 10. difficult. 3. numer. 10.* Iuxta quam

12 Dico *primò*, certum eſſe nullo modo eſſe culpam mortalem, tunc exigere debitum. Probatur manifeſtè, quia actus coniugalis eo tempore nequit eſſe grauiter illicitus ratione damni prolis. Patet, quia nullum eſt periculum infectionis prolis, vel quia non eſt tunc conceptio, nam fluxus menſtrui valde obſtat retentioni ſeminis in matrice vbi conceptio facienda eſt, vt docuit Ariſt. *lib. 1. de generat. animalium, cap. 19.* vel quia eſt paruiſſimum damnum; nam experientia conſtat innumeros eſſe tempore menſtrui coëuntes, & rariſſimè percipimus inde concipi prolem menſtruoſam, aut leproſam, aut alio malo infectam. Vel denique, quia quamuis damnum prolis eſſet magnum, & magni momenti; in eo tamen coïtu nulla fieret iniuria proli, quia melius eſt ei ſic naſci, quàm nõ naſci, vnde tantum abeſt vt poſſit conqueri de damno ſibi illato, cùm potiùs maximo afficiatur beneficio. Quibus addo, cùm coniuges iure ſuo vtãtur, per accidens, & præter intentionem proli ſequeretur damnum.

13 Dico *ſecundò*, neque eſſe peccatum veniale tunc exigere debitum ob honeſtum finem. Moueor, quia tametſi in ea occaſione non eſſet talis vſus coniugalis expediens ad conceptionem; atque ideo obſtaret vt fieret ob prolis generationem; tamen fieri poteſt ob alios plures honeſtos fines, vt conſtat; ergo. Firmo, quia peccatum veniale in hoc caſu naſcitur ex ipſo nimio affectu petentis, & ex vehementi appetitu voluptatis; ergo ſi is non reperiatur, ſed animus & intentio vtendi iure ſuo, non videtur eſſe actus illicitus ſub veniali culpa Neque verò turpitudo illa & indecentia in illo coïtu quaſi materialis obeſſe poteſt, quando adeſt honeſtus finis, & moderata delectatio.

14 Dico *tertiò*, marito exigenti in ea occaſione teneri mulierem reddere. Id communiter fatentur Doctores. Et patet, quia lex iuſtitiæ obligat ad reddendum, & nulla iuſta cauſa ab eo ſe onere eximendi, ſubeſt. Nam vir exigens, vt dixi, non peccat exigendo & in aliorum ſententia ad ſummum delinquit venialiter. At vbi ſola venialis adeſt culpa in exactione, tenetur alter coniux reddere, quia reddendo vacat culpa, cùm ſemper adſit cauſa iuſta, ne petenti domino rem propriam, neget debitum contra legem iuſtitiæ, vel ipſi etiam diſpliceat, vel etiam ne exciteotur odia inter coniuges, & diſcordiæ. Quòd ſi coniuges probabiliter exiſtimarent monſtrum ex eo concubito gignendum, quamuis vir non peccaret exigens, quia verificatur melius eſſe proli ita eſſe, atque ideo de damno ſibi illato non poſſe cõqueri; nihilominus tamen vxor licèt reddere poſſet, non tamen teneretur. Quia detrimentum magnum vxoris videtur eſſe filium tanto affectum morbo habere; eſſetque maximus ei dolor, prę oculis ſemper eam habere prolem: ſicut infrà dicemus vxorem poſſe debitum reddere viro leproſo cum notabili infectionis periculo, non tamen ad id aſtringi. 15

Quarta difficultas eſt, an actus coniugalis ſit illicitus tempore quo vxor eſt grauida.

Qua in re, certum eſt, eſſe illicitum, & peccatum mortale quando eſt probabile periculum aborſus prolis iam formatæ. Quia talis copula bono prolis aduerſatur, quod maximè ſpectat ipſe coniugalis vſus, & ita fruſtratur ſuo fine, & perimitur innocens fœtus. Nec incontinentiæ periculum poteſt excuſare, quia incontinentiæ aliis viis & mediis conſuli poteſt, abſque fœtus damno tam graui. Dixi *prolis iam formatæ*: nam ante formationem tempore quo materia incipit coagulari, ſeu formari, quamuis ſit periculum diſſipationis materiæ, non ob hoc erit mortaliter illicitus, quia non videtur res tanti momenti. Imò ex hac parte neque venialiter actus coniugalis erit illicitus, quia, vt docent Medici periti, dictæ diſſipationis nullum eſt moraliter periculum; quoniam matrix ſtatim poſt conceptionem ita clauditur, vt difficillimum ſit aperiri. Reſtat igitur quæſtio, an actus coniugalis ceſſante dicto periculo aborſus, & diſſipationis materiæ, ex eo præcisè, quòd habeatur tempore prægnationis, ſit illicitus ſaltem venialiter.

Multi enim, inter quos Baſilius Ponce, ſic affirmãt.

Primò, quia illud SS. Patres reprehendunt.

Secundò, videtur eſſe periculum aborſus, ſi ad mulierem quæ recens concepit, vir accedat.

Tertiò, talis copula coniugalis videtur eſſe contrà naturam & finem matrimonij, ſeu generationis; ad quem ordinatur, quia mulier dum grauida eſt, nequit concipere; erit igitur in tali concubitu manifeſta inordinatio ſaltem venialis. 16

Dico *primò*, in quo omnes conueniunt, exigere tunc debitum non eſſe peccatum mortale. Patet. Tum quia nulla inuenitur prohibitio acceſſus in eo tempore. Tum etiam, quia matrimonium non ſolum inſtitutum eſt in officium naturæ, ſed etiam in concupiſcentiæ remedium. 17

Dico *ſecundò*, neque eſſe culpam venialem. Ita Sanchez *diſput. 21. num. 6.* Coninch *diſput. 34. dubio 9. num. 78.* Hurtado *diſput. 10. difficult. 3. num. 13.* & alij. Ratio eſt, quia ex nullo capite oſtendi poteſt eſſe id aliquo modo illicitum, cum nulla ſit talis acceſſus prohibitio; ex alio capite, cùm magna temporis matrimonij parte vxor grauida ſit, certè vel abſtinendum eſſet cõiugibus ferè ſemper à debiti exactione, vel eſſent innumerabilia peccata venialia admittẽda. Quòd verò effuſio ſeminis fruſtretur generationis fine, non refert, vt ſit illicita, cum non proueniat ex natura & modo cõcubitus, quod deſideratur, vt is ſit contra naturam; nam tenera concubitus eo tempore ſit ordinario, & debito modo,

& poteſt ad alios fines honeſtos deſeruire.

18 Dico *tertiò*, potiori iure nullam eſſe culpam eo tẽpore reddere debitum. Patet, quia, vt dixi, obligatio reddendi lege iuſtitiæ præſcripta excuſat ab indecentia veniali, ſi quæ tunc eſſet in ea debiti exactione voluntaria, vt non ſit in redditione neceſſaria. Imò tenetur coniux reddere, quia nulla eſt iuſta excuſatio; & vt dixi *ſuprà*, quoties ſola eſt venialis culpa in exigente, tenetur alter coniux reddere; potiori iure ad id ligatur, cum iuxta noſtram ſententiam nulla ſit in ea debiti exactione venialis culpa. Hinc

19 Colligo *primò*, actum coniugalem tempore purgationis poſt partum non eſſe culpabilem ac illicitum: quia in eo actu tunc habito nulla apparet inordinatio. Præceptum autem antiquum præſcriptum in lege antiqua *Leuitici* 12.*c.* vt mulier maſculum pariens abſtineret quadraginta diebus ab ingreſſu Eccleſiæ; fœminam verò, octoginta; quo etiam tempore pariter videbatur vſus coniugij interdictus; illud, inquam, præceptum cum ad ceremonialia pertineret, iam prorſus extinctum eſt. Vnde ſicut non tenetur mulier eo tẽpore abſtinere ab Eccleſiæ ingreſſu; ita nec à coniugij vſu.

20 Colligo *ſecundò*, ſimiliter dicendum non eſſe illicitum actum coniugalem habitum tempore quo proles nata lactatur. Ratio eſt, quia nullum imminet periculum proli, quæ lactatur, nec, videmus illi notabile damnum euenire; neque fœtui qui concipitur, vt experientia conſtat in pauperibus parentibus, qui eo tempore nutrici lactandam prolem non committunt ob eorum pecuniam, nec videmus in prole graue ac notabile damnum, ex alio capite in tali concubitu nulla oſtendi poteſt inordinatio. Imò eſſet duriſſimum iugum, ac moraliter impoſſibile humeris coniugum imponere vt ſimul in eodem lecto accubãtes, biennio quo infantis lactatio durat, abſtineant; & iterum cum mater pepererit alio biennio; eſſetque matrimonium pauperibus non remedium concupiſcentiæ, ſed laqueus & cauſa quamplurimorum peccatorum.

Ad argumenta adducta *num.* 15.

Ad primum, dico SS. Patres illud reprehendere, quando eſt veriſimile abortus periculum, vel etiam dic id improbare de conſilio loquentes, tanquam minus perfectum.

Ad ſecundum, iam dixi *num.* 15. coniugalem vſum eſſe prorſus illicitum, ſi ſit probabile periculum abortus; ceſſante verò hoc periculo non eſſe illicitum.

Ad tertium, iam conſtat ſolutio ex *n.* 16. *&* 17.

21 *Vltima difficultas* eſt, vtrùm actus coniugalis ante benedictiones nuptiales tempore quo illæ differuntur, ſit illicitus. Verùm de hac difficultate iam latè oſtendi ſuprà *diſp.* 43. *ſect.* 10. *n.* 6. *&* 7. nõ eſſe illicitũ. Quia tametſi Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de matrimonio c.* 1. ſuadeat, & hortetur, ne habeatur antè dictas benedictiones; nullibi tamen prohibetur.

Sectio IV.

Vtrùm actus coniugalis habitus in loco publico, vel in loco ſacro, aut benedicto, fiat illicitus.

1 Circa primum de actu coniugali in loco publico, vel coram aliis,

Dico *primò*, certum eſſe apud omnes Doctores, petere, aut reddere debitum, eſſe peccatum mortale ratione ſcandali. Patet, quia eſt ex ſe occaſio grauis ruinæ ſpiritualis aſpicientibus.

Dico *ſecundò*, prædictum coniugalem actum habitum in loco publico, ſeu coram aliis, eſſe ex ſe moraliter illicitum, adhuc ſecluſo ſcandalo. Ita omnes. Ratio eſt, quia id ob turpitudinem actus, adhuc ſecluſo ſcandalo, grauiter diſſonat rationi: aduerſatur enim decentiæ, & honeſtati humanæ, adeò, vt nulla neceſſitate id valeat excuſari. Nec mirum, cum & ipſa bruta animalia nonnulla ratione carentia aliorum oculos in actu coniugali euitare dicuntur, vt de elephantis, & aliis tradunt Hiſtorici. 2

Dico *tertiò* tactus inter coniuges, aliàs licitos inter ipſos, reddi illicitos, quando aliis inſpicientibus habentur. Hoc etiam eſt certum, quia ad Venerem excitant aſpicientes. Vnde ſi tales actus eſſent tactus, vt aſtantes inducerent valde ad Venerem, attenta eorum fragilitate, eſſet culpa lethalis. Quia mortale eſt coram aliis efficere id quod ſuapte natura mortale inducit. 3

Circa ſecundum, de loco ſacro, aut benedicto, an reddat actum coniugalem illicitum, maior eſt difficultas. 4

Nonnulli, vt Paludanus *in* 4. *d.* 18. *q.* 8. *a.* 4. Antoninus 3. *p. tit.* 1. *c.* 20. Toletus *lib.* 5. *c.* 8. & alij abſolutè affirmant actum coniugalem in dicto loco, habitum eſſe illicitum, & ſacrilegum. Quia eſt prohibitum intuitu loci ſacri, vt colligitur ex *cap. vnico, de conſecratione Eccleſiæ in* 6. *&* ex *cap. finali, de conſecrat. Eccleſia*, dum dicitur. *Si Eccleſia cuiuſcumque fuerit ſemine, aut ſanguinis effuſione polluta*, &c.

Alij verò, vt Gloſſa *in can. Eccleſiis, de conſecratione diſt.* 1. Roſella *verb. conſecratio* 1. *num.* 8. Baſilius Ponce *lib.* 10. *c.* 10. cum aliis abſolutè docent oppoſitum, quia actus coniugalis in eo loco non eſt illicitus iure naturali, nec diuino, vt patet; neque etiam iure Eccleſiaſtico, quia nullibi prohibetur, nec ſupponitur prohibitus. Quia ſi alicubi, maximè in dicto *cap. finali, de conſecratione Eccleſiæ*. In eo autem non conſtat eſſe ſermonem de effuſione coniugali ſeminis. Quia ad veritatem dictorum verborum illius capitis, ſufficit effuſio ſeminis non coniugalis illicita contra caſtitatem, cuiuſcumque ſit, ſiue fœminæ, ſiue viri, ſiue Clerici, ſiue non Clerici. Quod ſatis indicatur *in eo cap.* dum dicitur, *ſi fuerit polluta*. Quia dum aliàs non conſtat actum coniugalem in Eccleſia eſſe prohibitum intuitu reuerentiæ Eccleſiæ, non eſt dicendum eo pollui Eccleſiam, ſicut nec polluitur ſanguinis effuſione, aliàs licita. Ita etiam id defendit Hurtado *diſp.* 10. *difficult.* 4. *n.* 16. *&* 17. 5

Denique alij ſub diſtinctione ſentiunt vſum coniugalem eſſe illicitum & ſacrilegum in loco ſacro, quando coniuges ſine neceſſitate eo vtuntur; quia talis actus eſt iniurioſus loco ſacro, & ſacrilegus. Secus verò, ſi longo tempore maneant concluſi in loco ſacro ratione belli, vel ob aliam cauſam, ita vt nec die, nec nocte poſſint egredi, tunc non eſſe peccatum reddere, aut etiam petere debitum in loco ſacro, præſertim ſi immineat alteri periculum incontinentiæ. Probant, quia in eo caſu id non cenſetur ab Eccleſia vetitum, videtur enim nimis graue & periculoſum, ob humanam fragilitatem eos cogere perpetuò toto illo tempore vſu coniugij abſtinere. Quare ille actus tunc non videtur illicitus, aut iniurioſus Eccleſiæ; quia neceſſitas irreuerentiam excuſat. Cum hac diſtinctione loquitur Auila *de cenſuris part.* 5. *dub.* 1. *§. ſecundus caſus eſt.* Azor *tom.* 1. 6

lib.

lib. 10. *c.* 26. *quaeſt.* 13. *& tom.* 3. *lib.* 31. *c.* 31. *quaeſt.* 3. Sayro *lib.* 5. *de cenſuris cap.* 16. *num.* 19. & Sanchez *diſp.* 15. *num.* 7. *&* 12. citatis multis.

7 Verius iudico cum Doctoribus ſecundæ ſententiæ, nullum eſſe peccatum ſi coniuges copulentur in loco ſacro, neque Eccleſiam violari, ſiue copulentur in caſu neceſſitatis, ſiue non. Moueor hac vnica ratione, quia certum eſt apud omnes actus maritales in loco ſacto non habere labem ſacrilegij ex naturali, vel diuino iure. Quod verò neque ex conſtitutione Eccleſiaſtica probatur, quia conſtitutione Eccleſiaſtica illi actus habent ſpeciem ſacrilegij, quibus ſtatutum eſt Eccleſiam manere pollutam, & reconciliandam eſſe. At nullum ius Eccleſiaſticum ſtatuit maritali effuſione ſeminis locum ſacrum pollui. Patet, quia textus ille qui adducitur ex *cap. ſignificaſti, de adulteriis*, expreſsè loquitur de copula Clerici cum alterius vxore. Præterea *in c. Eccleſiis diſp.* 68. *& de conſecrat. diſtinct.* 1. quod deſumitur ex Concilio Niceno, tantum dicitur violari Eccleſiam, ſi cuiuſcumque, hoc eſt, ſiue viri, ſiue fœminæ pollutione maculetur; eo autem verbo non ſignificatur maritalis actus. Atque idem dico de *cap. finali, de conſecrat. Eccleſiæ.* Igitur debet eſſe illicita ſeminis effuſio. Actu autem maritalis ex ſe non eſt illicitus, & ex iure non oſtenditur illicitus. Non eſt ergo vnde dicamus eſſe illicitum, & ſacrilegum in loco ſacro. Quod etiam à ſimili comprobatur, nam effuſio ſanguinis quando iuſta eſt, non habet ſpeciem ſacrilegij. Hinc

8 Colligo *primò*, ſola effuſione ſeminis ex ſe illicita, & quæ cum peccato mortali fit, pollui Eccleſiam, & illam ſolam commiſſam in loco ſacro habere ſpeciem ſacrilegij.

9 Colligo *ſecundò*, neque etiam illa effuſione ſeminis illicita pollui Eccleſiam, niſi id delictum ſit publicum, atque adeò ſi effuſio occulta ſit, neque polluitur, neque ſpeciem habet ſacrilegij. Sic Tolet. *lib.* 5. *ſummæ c.* 8. Coninck *de Sacramentis q.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 230. Gabriel Vaſquez 1.2. *diſput.* 98. *num.* 6. Baſilius Ponce *citatus numer.* 15. & alij. Probatur manifeſtis rationibus. *Primò*, quia cùm ea effuſio ſeminis ideo tantùm ſacrilegium ſit, quia ex conſtitutione Eccleſiaſtica locus ſacer illâ profanatur, & tollitur conſecratio, aut benedictio; neque enim vlla eſt alia ratio, ob quam ſit ſpeciale peccatum; ſit vt notoria tantùm effuſio ſpecialе ſacrilegij peccatum ſit. *Secundò*, cum reuerentia loco ſacro debita conſiſtat in opinione hominum, non poteſt per prædictum actum illicitum tolli niſi hominibus innoteſcat, ſicut homines non fiunt de facto per crimina infames, niſi innoteſcant. *Tertiò*, ſicut ob occulta crimina non poteſt iniungi publica pœnitentia, ne auctor iniurioſè diffametur; ita nec Eccleſia ob ſimilia poteſt pollui, quia eadem diffamatio ſequeretur. *Vltimò*, quia aliàs res eſſet intolerabilis Ponamus enim ſolum Parochum ſcire eiuſmodi factum, hærebit perplexus, quia nec poterit ſine turbatione omnino à celebrando in ea Eccleſia abſtinere; nec poterit curare vt reconcilietur, quia non poterit probare factum, ſi rei negent, qui hoc non tenentur fateri, quamdiu non eſt ſaltem ſemiplenè probatum. Nec etiam liberè in ea poterit ſicut antea celebrare; quia ſemper dubitabit an hic & nunc ſit ſufficiens neceſſitas celebrandi in Eccleſia polluta.

10 Colligo *tertiò*, publicum in hac re dici, non quòd iuridicè probari poſſet, ſed quòd vel ipſa confeſſione rei in iudicio, aut euidentia facti in multorum notitiam deuenit, & eſt quaſi diffamata Eccleſia, & denigrata eius reuerentia, vt communiter docent Doctores. Vnde ſi duo, vel tres, aut pauci homines ſcirent pollutionem, vel emiſſionem ſeminis in loco ſacro admiſſam, adhuc neque egeret reconciliatione, neque eſſet ſpeciale ſacrilegij peccatum.

Colligo *vltimò*, pollui Eccleſiam dicto actu publico facto tantùm intra corpus Eccleſiæ, & non facto in turri, nec in cubiculis corpori Eccleſiæ adhærentibus, nec in cellulis, ſeu tribunis, ex quibus Principes, qui domos Eccleſiæ coniunctas habent, audiunt ſacrum, nec in ſacriſtia, de quo legendus eſt Sanchez *citata diſputat.* 15. *à n.* 23. vſque ad finem diſputationis.

Sectio V.

Vtrùm ratione excommunicationis vtriuſque, vel alterius coniugis, vſus coniugalis reddatur illicitus.

1 Conſtat apud Doctores, licitum eſſe vxori cum excommunicato viro cohabitare, & ab eo petere debitum, & reddere. Id patet ex *cap. quoniam multos* 11. *quaeſt.* 3. vbi conceditur, ſine limitatione, vxori communicare cum viro excommunicato. Vnde ob hanc cauſam non peccat vxor cohabitando cum marito, & ei debitum reddendo, non ſolùm quantum ad actum coniugalem, ſed etiam quantum ad alias actiones, & obſequia, atque ad totam hanc vſualem communicationem. Ratio eſt. Tú, quia inter quinque illas exceptiones à generali illa prohibitione communicandi cum excommunicato, contentas illo verſiculo,

Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Secunda exceptio, nempe, *lex*, ponitur, per quam particulam intelliguntur coniuges, quos lex matrimonij inter ſe ſociat; quæ facit licitam communicationem vxoris cum viro, & viri cum vxore in omnibus pertinentibus ad ſtatum matrimonij, & domeſticam miniſtrationem. Tum maximè ex dicto *cap. quoniam multos*, vbi abſolutè ſubtrahit Pontifex perſonam vxoris ab hoc onere non communicandi ciuili, & humano modo cum excommunicato marito; & ibi nullam limitationem, vel certam actionem deſignat. Non eſt igitur cur nos illam adhibeamus, cùm fauores potiùs ſint ampliandi. Præſertim, quia moraliter loquendo vix poteſt coniugalis communicatio ſeparari ab humana, & perſonali: nam vxor exhibere poteſt marito omnem communicationem, quam vinculum matrimonij, ſiue ex primario, ſiue ex ſecundario ſuo poſtulat fine; & hæc adeò eſt familiaris, vt ſine abſoluta communicatione humana exerceri moraliter non poſſit. Erit igitur tota hæc communicatio vxori conceſſa. Et idem conceditur viro reſpectu vxoris excommunicatæ, vt vitetur periculum animarum. Quod adeò verum eſt, vt Enriquez *lib.* 13. *de excommunicatione cap.* 22. *numer.* 2. *in commento, litera I.* Emanuel Sà, & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.* 9. *diſputat.* 14. *numer.* 5. velint licitam quoque eſſe communicationem inter coniuges in Diuinis. Quia *in dicto cap. quoniam multos*, abſque vlla limitatione conceſſa eſt mulieri facultas communicandi cum marito. Quare non eſt cur coerceatur ab aliqua viri communicatione abſtinere. Nam cùm ius non diſtinguat,

diſtinguat, nec nos diſtinguere debemus. *l. de pretio. ff. de publiciana.*

3 Hoc poſito quintuplex difficultas diſſoluenda breuiter eſt.

Prima eſt, an prædicto priuilegio cõmunicandi cum excommunicato gaudeat ſponſa de præſenti reſpectu ſponſi excommunicati.

Hugolinus *de excomm. tabula 2.c.2.3.§.6.n.4* negat. *Primò*, quia in dicto *cap. quoniam multos*, vbi cum concedirur dictum priuilegium, de vxore eſt ſermo, cuius appellatione ſponſa non continetur, vt conſtat ex *l. ſi qua §.1.& ſequenti.ff. de ritu nuptiar. Secundò* ſponſa nequit habitare cum ſponſo non excommunicato, vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ.24.c.1. de matrimonio*; ergo multo minus cum ſponſo excommunicato.

Cæterùm mihi videtur certum oppoſitum, ſi ſermo ſit de ſponſa de præſenti, vt bene noſter Sanchez *diſp. 14.n. 8. Primò*, quia decretum illud excipiens vxorem fauorabile eſt, cum ad vitanda animarum pericula editum ſit. At in fauorabilibus nomine vxoris venit quoque ſponſa de præſenti, vt tetigi ſuprà *diſp.1.ſect.1.n.5. Secundò*, quia per matrimonium ratum nondum conſummatum facta eſt mutua corporum traditio inter coniuges, & ad cohabitandum, aliaque obſequia ſibi aſtricti ſunt; ac proinde ſi à participatione, ſeu communicatione ſeparentur, exponuntur maximo periculo, quod euitare voluit Pontifex eo *cap. quoniam multos*, vt ibi habetur. Nec verò Tridentinum interdicit ſponſis de præſenti cohabitationem, ſed ſolùm monet, ne cohabitent ante benedictiones in Templo ſuſceptas, quod ſolùm conſilium eſt. Poteſt etiam eſſe ſponſa de præſenti, nondum cognita, poſt dictas benedictiones; non eſt igitur cur ab ea communicatione arceatur. Vnde ob eandem cauſam exiſtimo eodem priuilegio gaudere ſponſam de præſenti nondum cognitam, reſpectu ſponſi excommunicati, etiam nondum benedictionibus Eccleſiæ ſuſceptis. Dixi id de ſponſa de præſenti; nam ſi ſermo ſit de ſponſa de futuro, certum eſt non gaudere eo priuilegio reſpectu ſponſi excommunicati.

4 *Secunda difficultas* eſt, an prædicta communicatio inter coniuges excommunicatos, tam in collocutione, & menſa, quàm etiam in petitione & redditione debiti coniugalis, poſſit ab Eccleſia prohiberi & auferri.

Noſter Suarez *de cenſuris diſp.15.ſect.4.n.3.* tenet partem affirmantem. Quia, vt conſtat ex *cap. inter alia, de ſent. excom.* beneficio canonis retinetur dictum priuilegium communicationis: ergo Eccleſia ſi ſua poteſtate & rigore vti velit, poterit huiuſmodi communicationẽ impedire. Sanchez verò *diſp.14.n.7.* ſentit cum Paludano, Gabriele & aliis, non poſſe iudicem Eccleſiaſticum excommunicantem, ob viri pertinaciam, interdicere vxori participationem cum viro quoad debitum coniugale, quia hæc obligatio ex ipſo iure naturæ conſurgit, & ipſa excommunicatio nequit tollere quod eſt de iure naturæ. Quamuis reuera poſſet Eccleſia interdicere vxori participationem cum viro, quoad humanum conuictum, ne videlicet cum ipſo loquatur, aut eidem menſæ adſit.

5 Mihi videtur iuxta primam Suarij opinionem, dicendum, non priuari, vel ſuſpendi debitum coniugale, non eſſe ita naturale, quin Eccleſia peculiati cauſa iuſta exiſtente, poſſit huiuſmodi communicationem impedire. Moueor, tùm quia, vt dictum eſt, beneficio Canonis retinetur dictum priuilegium cõmunicandi, & conſequenter retinetur debitum coniugale. Tum maxime, quia ſicut Eccleſia priuat Regem iure regni, & ſubditos eximit ab obligatione parendi Principi excom[illegible], etiam ſi [illegible] ro firmata; ita ſimiliter [illegible] ſui iuris petendi debitum [illegible] & conſequenter etiã liberare vxorem ab oblig[illegible] debitum, & parendi marito, quandiu [illegible] Imo, quia vt concedit cont[illegible] col-locutio coniugum & menſa [illegible] de iure naturæ; adhuc tamen Eccleſia [illegible] prohibere per excommunicationem; ergo & petitio, & redditio debiti. Poterit igitur Eccleſia propter [illegible] pertinaciam excommunicati, maxime ſi contra bonum commune cedat, prohibitionem communicationis vſque ad ipſas etiam vxores reſtringere. Quia verò moraliter & regulariter id non expedit, ideo Eccleſia ius coniugij integrum manere voluit, non obſtante excommunicationis cenſura. Tandem idem probatur, quia iuxta omnium ſententiam, ſi mulier participaret cum marito excommunicato in ſcelere ob quod eſt excommunicatus, incurreret quoque excommunicationem ſi ei debitum redderet, quia participat cum illo in crimine ob quod eſt excommunicatione ligatus; & in hoc euentu nullum illi priuilegium Canon concedit, cùm expreſsè *c. inter alia 31. de ſent. excommunicationis, in fine*, prohibeatur prædicta communicatio ſi in crimine communicauerint. Sicut ergo à coniugibus hac exiſtente cauſa Eccleſia tollit cummunicationem quoad debitum coniugale, ita ſimiliter poterit idem præſtare vrgente alia iuſta cauſa, nempe mariti, vel vxoris excommunicatæ pertinacia, vel alia ſimili.

Tertia difficultas eſt, an vxor quæ nupſit viro, quem ſciebat eſſe excommunicatum, poſſit communicare cum ipſo quoad humanum conuictum, & quoad debitum coniugale. 6

Qua in re certum eſt ſi mulier excommunicato nupſit bona fide, quem excommunicatum eſſe ignorabat, poſſe omnino communicare cum illo: quia tunc cùm nihil egerit contra cenſuram, non eſt cur ſuo iure priuetur. Ob eandem rationem ſi quæ mulier nunc contrahat matrimonium cum excommunicato non vitando, etiam ſi ille poſtea denuncietur, poſſe illi communicare: quia illa nihil egit contra cenſuram, & quantum ad ipſam ſpectat, ac reſpectu illius erat quaſi non excommunicatus. Vnde quoties ante cenſuram impoſitam, ac ſufficienter denunciatum matrimonium contractum fuerat, mariti excommunicati communicatio non eſt vxori interdicta. Quæſtio igitur eſt de muliere quæ excommunicato denunciato nupſit, an poſſit marito communicare.

Negat Suarez *diſput. 14.ſect.4.n.6. Primò*, quia illud matrimonium tametſi validum ſit, eſt tamen illicitè contractum, violata cenſura excommunicationis; ergo non poteſt mulier cohabitare marito, neque exigere, aut reddere debitum, donec ab excommunicatione ille abſoluatur. 7

Secundò, iniquitas nulli fauere debet, vnde ex iniquitate ſua nemo debet commodum reportare; ergo non eſt rationi conſentaneum, vt propter prauam communicationem, quam illa mulier habuit cum excommunicato, quando illi nupſit, poſſit illi poſtea licitè & impunè communicare.

Perplacet tamen oppoſitum cum Vgolino *de excommunicatione, tabula 2.c.2.3.§.6.n.1.* Henriquez *lib.13. de excommunicatione c.22.* Sanchez *diſp.14.n.3.* & aliis. Ratio eſt, quia ius *cap. quoniam multos, 11.q.3.* id expreſsè decernit, ſic dicens, *Quoniam multos pro cauſa excommunicationis perire quotidie cernimus, de illis miſericordia, Apoſtolica authoritate ab anathematis vinculo hos ſubtrahimus, videlicet vxores*, &c. in verſiculo celebri ſuprà relato *n.1.* continente caſus in quibus excuſatur 8

Digitized by Google

euſatur participans cum excommunicato, clauditur hic præſens in illa particula, *lex*, quam omnes de lege matrimonij explicant. Vbi abſolutè vxori hoc priuilegium conceditur: nec textus diſtinguit, ſi vxor tempore, quo virum duxit, ipſius excommunicationem nouerit, nec ne. Et ratio in ipſo textu tradita in prædicto euentu locum habet, ne videlicet animæ pereant, dum coniuges cohabitantes, & tam arcto vinculo conſtricti neceſſitate quaſi coacti, participant. Quare tametſi illud matrimonium fuerit factum contra prohibitionem Eccleſiæ, ratione excõmunicationis; non ideo tollit communicationem inter coniugatos, quibus non fauet iniquitas, ſed Eccleſiæ benignitas. Quod dixi de vxore, intelligo quoque de viro: nam caput illud nomine *vxoris* intellexit vtrumque coniugem, quia eſt eadem vtriuſque ratio; conceditur enim hæc communicatio ad euitanda pericula animorum, vt *ibidem* dicitur, quæ ſimiliter ſequerentur, ſi vir non poſſet communicare vxori excommunicatæ. Aliàs etiam ſequeretur virum excommunicatum, cùm poſſit frui vxoris obſequio, eſſe melioris conditionis, quàm non excommunicatum habentem vxorem excommunicatam, qui huius obſequio frui non poſſet. Quare nomine *vxoris* in prædicto textu intelligendus eſt vterque coniux. Eſto Papa vſus fuerit nomine *vxoris*; eo quòd numerabat perſonas ſubditas, qualis eſt vxor: & etiam quia fœmina rarò excommunicatur, vir tamen frequenter.

Ex his conſtat ſolutio ad argumenta illata *num*. 7.

Ad primum conceſſo antecedente negatur conſequentia, quia illud conceditur coniugibus ex benignitate Eccleſiæ, & ad euitanda animarum pericula.

Ad ſecundum, iam dictum eſt eo priuilegio cõmunicandi non cõcedi fauorem iniquitati, ſed morali neceſſitati prædictæ communicationis ne animæ pereãt.

9 *Quarta difficultas* eſt, an ipſe maritus excommunicatus poſſit licitè petere debitum ab vxore.

Certum eſt autem apud Doctores, ſi coniux non excommunicatus debitum petat ab excommunicato, teneri tunc reddere, & licitum eſſe non excommunicato illud exigere. Patet, quia excommunicatio cum non cedat in fauorem excommunicati, minimè eximit illum ab obligatione qua antea tenebatur, atque ideo non priuat alterum iure petendi ſibi debitum ab excommunicato. Quare vxor excommunicata ſicut tenetur viro ad ea obſequia, ad quæ ante obligationẽ aſtricta erat, ita & ad reddendum debitum. Si enim debitum pecuniarum poteſt non excommunicatus ab excommunicato petere, quanto magis debitum coniugale. Eſt igitur quæſtio de coniuge excommunicato an poſſit licite debitum petere. Omiſſis aliorum opinionibus,

10 Dico *primò*, licitum eſſe marito excommunicato debitum petere. Ita Sanchez multis aliis citatis *diſput*. 14. *numer*. 20. & Suarez *diſput*. 13. *ſect*. 4. *numer*. 8. Ratio eſt, quia æquitate & beneficio Eccleſiæ ſtatutum eſt, ne coniuges excommunicati teneantur ſe ipſos vitare, vt ſic animarum periculis conſulatur. At ſi Eccleſia prohiberet marito excommunicato petitionem debiti, non conſuleret periculis, ſed offendiculum illis tenderet; cùm ſit difficillimum abſtinere ab vſu coniugali. Firmo, nam Eccleſia abſolutè non priuauit excommunicatum actuali iure petendi, quamuis poſſit, vt dixi ſupra; ergo nec priuauit illum poteſtate, moraliter loquendo, valde eſſet periculoſum; & illud eſſet valde oneroſum vxori non excommunicatæ. Quare ſicut in aliis obſequiis, quia licitum eſt ſeruo, vel familiari obedire domino excommunicato imperanti, vt conſtat ex *cap. quoniam multos* 11. *quæſt*. 3. ideo licitum etiam eſt domino excommunicato imperare, & vti ſuis familiaribus, quia aliàs, & periculoſa, & moraliter inutilis eſſet illa conceſſio; ita pari ratione idem dicendum eſt in præſenti: quia idem vel maius eſt periculum; & quia textus prædicti capitis eodem modo de omnibus loquitur.

Eſt verò notandum prædictam concluſionem intelligendam eſſe non de actione forenſi, per quam 11
aliquid poſtulat in iudicio, vt vxor compellatur ad cohabitandum, &c. Nam iuxta regulam generalem *c. decernimus, de ſent. excommunicationis in* 6. negatur actio excommunicato, vt non poſſit agere vt ſibi reſtituatur vxor: ſed intelligendam eſſe de petitione priuata, quæ obligat alium in conſcientia ad reddendum debitum, & ad cohabitandum. Nam excommunicatus non priuatur vſu priuato rerum ſuarum, neque illis actionibus priuatis, quæ ad earum cuſtodiam, vel conſeruationem ſpectant. Sic ergo dixi poſſe licitè vti vxore ſua, & exigere debitum.

Dico *ſecundò*, idem quod dixi de marito excommu- 12
nicato vxorem excommunicatam non habente, eodem modo procedere in marito non excommunicato erga vxorem excommunicatam. Ita DD. relati *præcedenti dicto*. Ratio eſt, quia id poſtulare videtur communis lex matrimonij, quæ quoad mutuam communicationem æquè obligat vtrumque cõiugem, & ideo quoad præſens eadem eſt vtriuſque ratio. Quæ enim maior ratio eſſe poteſt, vt maritus excommunicatus frui poſſit conſortio, & obſequiis vxoris, & vſu coniugali, & vxor excommunicata nequeat gaudere eadem ſocietate, & officio mariti? Mirum enim eſſet, vt maritus excommunicatus non priuetur iure actuali petendi & reddendi debitum, ſeu executione, & vſu eius; & quod non excommunicatus priuetur propter vxoris excommunicationem. Quòd ſi maritus poteſt petere debitum ab vxore excommunicata, & ipſa ſine dubio poteſt reddere; & è contrario poterit etiam ipſa petere, & maritus tenebitur reddere; neque enim excommunicatio in illa eſt maior, aut efficacior, quàm in marito, neque eſt peioris cõditionis fœmina, quàm vir, eo quòd ſit fragilior. Imò ob hanc rationem debuiſſet ius, ſi fieri poſſet, plus illi fauere: at non eſſet fauor, ſed grauamen, ſi quando ipſa vxor eſt excommunicata petere non poſſet. Nullam igitur video legitimam differentiæ rationem reddi poſſe.

Dico *tertiò*, ſi vterque coniux ſit excommunicatus, 13
non priuari mutua communicatione quoad petitionẽ, & redditionem debiti, & alia obſequia æquè ac antea. Ita DD. citati. Ratio eſt, quia excommunicatio non plus operatur in ſingulis, eo quòd inſit vtrique, quàm ſi ſit in altero tantum coniugum; non enim effectus excommunicationis creſcit in marito, eo quòd vxor excommunicata ſit, vel è contrario; ergo ſi maritus excommunicatus poteſt cũmunicare cum vxore non excommunicata, etiam poterit cum excommunicata, quantum eſt ex vi ſuæ communicationis Firmo, nam excommunicatio vxoris non impedit quominus cum illa communicare poſſit maritus, vt oſtenſum eſt; ergo illæ excommunicationes ſimul ſumptæ non poſſunt inducere illud impedimentum; non enim habent ſpecialem effectum aliquem, qui ex alterutra earum per ſe non naſcatur. Neque ex iure colligi, neque in iure fundari poſſunt, & conſequenter nihil efficiunt: nam omnes hi effectus ex iure poſitiuo pendent.

Dico *vltimò*, ſi ambo coniuges ſint excommunica- 14
ti propter idem crimen, priuari mutua communicatione quoad petitionem debiti, & alia obſequia. Ita omnes. Ratio eſt, quia tunc per mutuam communicationem alter alterius contumaciam foueret; ergo tunc contumacia illa tranſiret in communicationem

in crimine, vnde eſſet nouum peccatum mortale; ergo non eſſet licita ea mutua communicatio. Idem dicendum, quandò alter coniugum tantùm excommunicatus eſt; ſi alter foueat delictum alterius, vel ſit in cauſa, vt in excommunicatione obdureſcat; quia nimirum tunc iam erit communicatio in crimine, quæ intrinſece mala eſt. Hinc

15 Colligo *primò*, ſi excommunicatio feratur in participantes, non comprehendere coniuges quoad mutuam communicationem, niſi vnus alteri communicet in crimine. Patet, quia illa ſententia excommunicationis ſolùm prohibet ſub grauiori cenſura, illam participationem, quæ per excommunicationem communem prohibita eſt ſub cenſura minoris excommunicationis, non autem prohibet communicationem aliàs non prohibitam. Neque eſt alius ſenſus illius cenſuræ, quia iuxta terminos iuris ferrur. Comprehendet verò talis excommunicatio coniuges, ſi vnus alteri communicet in crimine: nam hæc communicatio nec in iure conceſſa eſt, nec concedi poteſt.

16 Colligo *ſecundò* quid ſit dicendum, ſi per ſententiam ſpecialem ferretur excommunicatio in vnum coniugum reſpectu alterius, præcipiendo videlicet vni ne communicet alteri excommunicato ſub eadem cenſura. Cùm enim iudex nequeat prohibere communicationem, quam ius ipſum, & ſummus Pontifex concedit; vt illud mandatum ſit iuſtum, neceſſe eſt vt reſtringatur ad eam communicationem, quæ non eſt conceſſa, ſed prohibita vxori cum marito excommunicato, & è conuerſo, qualis præcipuè eſt cōmunicatio in crimine.

17 *Quinta*, & vltima *difficultas* eſt, an ſint aliqui caſus in quibus non ſit licita communicatio inter coniuges. Reſpondeo affirmando. *Primò* quando excommunicatio eſt lata in cauſa matrimonij, de cuius valore lis pendet, & ideo illis interdicitur matrimonij vſus, vt vitetur fornicationis periculum. Tunc enim communicatio in magnum cederet animarum periculum. *Secundò*, quando vnus coniugum vellet communicare in crimine crimimoſo alterius. Id enim in nullo euentu permittitur in iure. *Tertiò*, quando vterque coniux eſſet per diuortium ſeiunctus: quia tunc non haberet locum diſpoſitio capitis, *quoniam multos*, 11. *q.* 3. Quod intellige, eo tempore quo coniuges illi nequeant reconciliari: nam facta reconciliatione, iam ad mutua obſequia libentur. *Vltimò*, vnus ex coniugibus non poteſt ratione alterius communicare cū alio tertio excommunicato. Vnde vxor nequit participare cum excommunicatis, qui ſimul cum viro ſunt. Quia ſolùm fruitur priuilegio participandi cum viro excommunicato, ob matrimonij vinculum; nam priuilegium communicandi conceſſum eſt ob titulum matrimonij.

Sectio VI.

An actus coniugalis tempore amentiæ ſit illicitus.

1 In hac re *primò* certum eſt, ſi coniuges ſint fatui, quos Hiſpano idiomate, *tontos*, appellamus, eſſe inter eos licitum coniugij vſum. Patet quia hi vſu rationis ac libertate ſunt capaces, & conſequenter meriti, & culpæ.

2 *Secundò* etiam eſt certum, ſi coniuges non omnino amentes ſint, ſed in vna, vel altera re, cùm tamen circa matrimonium & alia ſint ſui compotes, eſſe inter eos licitam copulam coniugalem. Id eruditè oſtendit Sanchez *lib.* 1. *de matrimonio diſput.* 8. *n.* 23. vbi optimè probat, contingere poſſe aliquem hominem dum conſiderat aliquod ubiectum, delirare, licèt dum alia percipit non delirct, ſed deliberatione vtatur; quod delirium prouenire ſolet ex vehementi aliqua imaginatione, ita vt ab illa dependeat in fieri, & conſeruari. Vnde inueniuntur ſæpe delirantes in aliqua ſpeciali materia, atque ideo in illa rationis, liberi arbitrij, meriti, ac demeriti expertes; in aliis verò ratione vti, & liberè operari, & capaces eſſe merendi ac demerendi, atque ideo poſſe ſacramenta recipere, ſponſalia, ac matrimonium celebrare.

Tertiò videtur certum, ſi amentes lucidis interuallis fruantur, poſſe eo tempore lucidi interualli exigere debitum, dummodo abſit periculum aborſus, vel defectus educationis prolis. Patet, quia tunc liberè, & actu humano debitum petūt. Difficultas ergo ſupereſt, vbi amentia totalis eſt & perfecta abſque vlla intermiſſione. 3

Dico *primò*, quando ambo coniuges ſunt amentes, eſſe ſeparandos, ne carnaliter coniungantur, & peccare mortaliter qui eos ad copulam incitaret. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia tametſi eiuſmodi amentes non peccent defectu libertatis; at qui eos copularet, concurreret ad euidens periculum malæ educationis prolis, & ad illius damnum, cum careret parentibus, qui eam educare poſſent, ac inſtruere; ergo grauiter peccarent. Quo argumento manifeſtè vincitur, peccare mortaliter qui duos amentes non coniugatos ad copulam incitarent; quia grauius eſſet prolis damnum, quàm ſi mentis compotes eſſent. Quare illi cui amentium cuſtodia demandata eſt, tenentur niti ne congrediantur; ſicut tenentur curare vt abſtineant ab aliis malis & damnis inferendis. 4

Dico *ſecundò*, ſi alter ſolus ex coniugibus ſit amens, licitum eſſe per ſe & ex natura rei concubitum. Patet, quia eſt verum matrimonium, nec proli detrimentum ſequitur; habet enim alterum parentem rationis cōpotem à quo educatur. Vnde ſi non ſit periculum aborſus, vel damni notabilis coniugis ſani, nulla erit culpa. Firmatur, quia talis concubitus ex ſe licitus eſt, vt liquet; ratione autem periculi poſſet reddi illicitus; ergo ceſſante tali periculo, licitus eſt congreſſus. Quod æquè verum eſt ſiue vir amens ſit, & mulier mentis compos; ſiue è contra vir ſit mentis compos, & mulier inſana, & amens, ſi iſta mitis ſit, nec furioſa, & nullum aborſus, aut damni coniugis periculum ſubſit. 5

Dico *tertiò*, adhuc licere copulam coniugis ſani cum altero amente, etiamſi ſit periculum, vt amens aliquādo ſeminet extra vas. Ita Sāchez *diſp.* 23. *n.* 7. Et probat, quia coniux ſanus operam dat rei licitæ; illa autem ſeminis effuſio euenit præter eius intentionem ac per accidens; & quamuis ita aliquando contingat ex amentis culpa, non ſemper ita eueniet, atque ideo non eſt interdicenda coniugi ſano copula coniugalis. 6

Dico *quartò*, nunquam coniugem ſanæ mentis, per ſe loquendo, teneri coniugi rationis vſu ob amētiam deſtituto, debitum reddere, etiam in illis caſibus in quibus id facere poſſet. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia vſus dominij non poteſt eſſe in ſubiecto quod hic & nunc eſt incapax vſus rationis, ſicut nec ipſum dominium poteſt eſſe in ſubiecto incapaci rationis; ergo talis amens inualide exigit debitum, quia hoc eſt vſus dominij, & conſequenter alter non tenetur reddere. Firmatur, quia quamuis amens retineat dominium; attamen dominio & iuri naturali matrimonij tantum correſpondet obligatio reddendi ei, qui exigit vt homo eſt, ſeu actu humano, 7

quia

quia exigenti dormienti non eſt reddendum, amens autem non exigit vt homo. Quare ſicut amens amittit ius ad ſuam, bonorumque adminiſtrationem, ita ad vſum matrimonij, ita vt exigens obliget per ſe & ex natura rei. Per accidens autem erit obligatio, ſi ex defectu redditionis acceſſurus ſit ad aliam, aut ſe polluturus ſit, quia tunc recta ratio exigit, vt valde egēti debito, ſibi reddatur, quamuis non petat vt homo, quia non poteſt. Vnde ad euitanda grauiora mala, quandoque ſanus tenetur amenti petenti reddere. Ita Sanchez *cit. numer.* 11. Coninch *diſput.* 34. *dubio* 9. *numer.* 80. Hurtado *diſput.* 10. *difficult.* 12. *n.* 55.

8 Ex dictis colligo quid dicendum ſit de coniuge ebrio, dum vſu rationis priuatus eſt. Dico enim non teneri per ſe, & ex natura rei coniugem ſui compotē reddere ei debitum. Patet ob dictam rationem, quia non petit actu libero & humano, ſicut nec amens. Per accidens autem tenetur reddere ratione periculi incontinentiæ in ebrio, ſi fortè eſſet. Addo ſi vterque coniux ebrius eſſet, licere concubitum inter illos: cuius contrarium diximus de amentibus. Ratio enim diſparitatis eſt manifeſta, nam in amentibus id non licet propter damnum prolis educandæ; quod damnum ceſſat in ebriis; hi enim breui ad ſe redeunt, & ideo proles non deſtituitur parentibus qui de eius curent educatione.

Sectio VII.

Quomodo, aut quo ſitu actus coniugalis fiat illicitus.

ABſtinerem ſine dubio ab iſtiſ, niſi neceſſitas ea ſciendi vrgeret, ignoſcant pudicæ mentes, multa enim ſunt nunc explicanda puris conſcientiis ſatis moleſta. Cæterùm, vt optimè dicit Apoſtolus *epiſt. ad Titum cap.* 1. 15. *Omnia munda mundis.*

1 Præmitto *primò*, voluntariam ſeminis effuſionem extra vas eſſe manifeſtum peccatum mortale contra naturam. Hoc eſt certum in fide ex Paulo 1. *Corinth.* 7. *Neque fornicarij, neque molles regnum Dei poſſidebunt.* Vbi DD. paſſim per *molles*, intelligunt huic peccato deditos; quod etiam inde vocant mollitiem. Ratione probatur, quia iſte actus eſt contra primarium finem, ob quem à natura eſt inſtitutus, qui eſt generatio, vel conceptio hominis. Vnde caret principali ordine & habitudine, quam natura in eo requirit: atque ideo grauem inordinationem continet. Vnde ſi fornicatio eſt peccatum mortiferum, quæ tamen ſolùm caret debito ordine ad prolis educationem; multo magis ille actus qui aduerſatur fini generationis naturalis, ad quam natura ipſa ſemen deſtinauit. Quæ ratio in virili ſemine, vtpote omnino ad generationem neceſſario, manifeſta eſt; & etiam in fœminea pollutione voluntaria; quia illius ſemen à natura ordinatum eſt ad generationem, vel tanquam neceſſarium, vt multi volunt, vel ſaltem tanquam vtiliſſimum, & valde ad illam conferens, quia fœminea matrix voluptate effuſionis ſeminis irrita, ac incenſa, auidiùs virile ſemen complectitur.

2 Præmitto *ſecundò*, tametſi licitum ſit ſanitatis cauſa detrahere ſanguinem, & etiam ſecare manum, teſticulos, vel quoduis aliud membrum, vbi id ad vitam tuendam deſideraretur: at pollutionem procurare nunquam licere, etiam mediis aliàs licitis, vt pharmacis, nec id aliquo honeſto fine poſſe honeſtari, licèt omnino ad vitam præſeruandam neceſſarium ſit. Ita omnes. Ratio communis eſt, quia illa membra etiam teſticuli ſunt corporis, & propter bonum indiuidui inſtituta, & ideo cum partes ſint propter bonum totius, de illis diſponere poſſumus prout expedit ſaluti indiuidui. At ſemen non eſt pars corporis, nec propter illius bonum eſt inſtitutum, ſed ſobolis cauſā propter naturæ propagationem ſolum. Vnde illo vti non poſſumus, niſi eo modo vt poſſit ſequi generatio. Firmo: nam ſanguis cùm ſit alimentum, nō mirum ſi iuſtè minuatur per inciſionem venæ, quando fini, hoc eſt, nutritioni animalis obeſt, ſicut ob eundem finem abſtinemus à ciborum copia. At ſemē non eſt alimentum, ſed eſt ſuperfluum alimenti, generationi tantum deſtinatum. Vnde niſi in ordine ad eum finem, ea emiſſio ſeminis, eaque voluptas quæri non poteſt. Addo huic rationi propoſitæ, quæ ſatis efficax eſt, aliam non minus efficacem: nam in effuſione ſeminis tam vehemens delectatio ſentitur, vt ſi ſemel admitteretur, pollutionem voluntariam extra vas licitam eſſe ex iuſta cauſa, gratia nimirum tuēdæ ſanitatis, vel vitæ; eſſet euidens, ac ſummum periculum ne homo ea paſſione excæcatus, paſſim id ſibi licere ſuaderet, atque ita ſemen prodigeret; & inde fornicationes, adulteria, & alia innumerabilia luxuriç vitia aduerſus commune bonum pullularent. Quibus vt obuiaret natura iure prædictam actionem negauit, non obſtante euidenti periculo vitæ indiuidui, quæ bono communi cedere debet, & illi eſt poſtponenda. Non militat hæc ratio in cæterorum membrorum ob totius bonum adminiſtratione; nam dolor maximus ex ipſorum amputatione conſurgens coercet à neceſſaria, nedum à prodiga ipſorum ſectione. Quare ex hac ratione rectè infertur, legitimam cauſam cur voluntaria pollutio ſit vitium contra naturam, eſſe, quia aduerſatur generationi, ad quam natura ſemen deſtinauit. Cauſam verò cur in nullo euētu licita ſit, eſſe, quia omnino eſt denegata homini ſeminis extra matrimonij copulam adminiſtratio, ob commune bonum, ad occurrendum periculis ex ea adminiſtratione conceſſa conſurgentibus. Hinc

Præmitto *tertiò*, non licere cooperari ad ſeminis iam è lumbis decisi effuſionem, quamuis retentio ſaluti corporis graue detrimentum ſit allatura. 3
Ratio eſt, quia vere eſt ſeminis adminiſtratio, & fluxus illius procuratio, & non ſolum pati. Licebit tamen vbi pollutio eſt in naturali fluxu, & in ſomnis cœpit, illam non impedire ob morbi periculum, ceſſante periculo conſenſus in delectationem. Quia id non eſt procurare, ſed pati emiſſionem ſeminis, quæ non impeditur à patiente, ne corruptus ille humor noceat. Ita cum multis Sanchez *lib.* 9. *diſputat.* 17. *numer.* 17.

Præmitto *quartò*, procurare notabilem ſpirituum 4
vitalium deſeruientium generationi, & ſeminis effuſioni, commotionem, per media etiam licita eo fine aſſumpta, eſſe culpam mortalem. Ita omnes, quia talis alteratio, & commotio eſt inchoata quædam pollutio, & ad pollutionis conſummationem eſſentialiter ordinatur. Idem dico de procuratione notabilis diſtillationis. Quia talis diſtillatio notabilis eſt per ſe coniuncta cum notabili ſpirituum vitalium commotione.

His præmiſſis ad præſentem quæſtionem ſunt nō- 5
nullæ difficultates.

Prima eſt de modo concubendi quoad ſitum.

Dico *primò*, modum naturalem concubendi quoad ſitum eſſe, ſi mulier ſuccuba, vir autem incubus ſit. Ita omnes. Ratio eſt, quia modus hic aptior eſt effuſioni ſeminis virilis, ac receptioni in vas fœmineum; & congruentior eſt rerum naturæ, cum vir agens, & fœmina ſit patiens. Quare omnis deuiatio ab hoc modo

Digitized by Google

do aduerſatur aliqualiter naturæ; eoque magis, quò fini huic ſitus contrarius eſt.

6 Dico *ſecundò*, actum cōiugalē variato prædicto modo, aut ſitu naturali, eſſe illicitum, ſi fiat abſque aliqua neceſſitate Quia in dicta variatione abſque aliqoa neceſſitate clare apparet ioordinatio, & inordinata delectationis concupiſcentia.

7 Dico *tertiò*, certum eſſe, ſi id fiat cum probabili periculo pollutionis extra vas, eſſe culpam mortalem. Patet, quia per ſe mortale eſt ſemen à natura ordinatum ad generationem effundere voluntariè extra legitimum vas; ergo & illius probabile periculum.

8 *Secunda difficultas* eſt, an ceſſante dicto periculo, & non exiſtente aliqua neceſſitate ob quam fiat variatio, verè ſit mortale.

Communior & verior Doctorum ſenteotia, Henriquez *lib.11.c.16.* Coninch *diſp. 34. dub. 9. ad finem*, Toleti *lib.7.c.10.* & aliorum, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.9. diſp. 16. n. 3.* affirmat variationem modi naturalis non eſſe mortalem, quocumque modo fiat, ſiue à latere, ſiue ſedendo, ſiue ſtando, ſiue præpoſterè, ſiue viro ſuccumbente. Fundamentum eſt, quia nulla variatio modi oaturalis obſtat generationi, ergo nulla eſt cenſenda grauiter inordinata. Antecedens probatur, quia variatio quæ non impedit infuſionem ſeminis intra vas, non obſtat generationi, quia non obſtat aduentui ſeminis ad matricem, quia ad eam non venit per deſcenſum, ſed per attractiooem factam virtute naturali matricis, vt docet Ariſt. *2. de generatione animal. c.4.* Addunt prædicti Doctores, ex eo quòd actus coniugalis fiat variato modo naturali, non eſſe contra naturam quoad ſubſtantiam, cum fiat iotra legitimum vas, ſed tantum eſſe cootra naturam quoad modum, & taliter, vt non impediatur generatio, in quo non cernitur grauis inordinatio, ſed tantum leuis, à qua facile excuſabit ægritudo, aut diſpoſitio corporis, aut alia rationabilis cauſa difficile admittens modum naturalem.

Dico *primò*, regulam certiorem in hac re non eſſe
9 aliam, niſi hanc: ſolum illum modum concubendi cum vxore in vaſe naturali eſſe peccatum mortale, qui aptus eſt impedire generationem, vel cauſat effuſionem ſeminis extra locum naturalem. Ita omnes communiter. Et ratio eſt, quia ſi impediretur generatio, manifeſtum eſſet mortale ſcelus contra naturam.

Dico *ſecundò*, nullo coëundi modo in vaſe naturali
10 generationem impediri. Stc Thomas Sanchez cum multis *diſp.16.n.5.* Et optime probat, quia ſemen noo recipitur in fœmineam matricem per infuſionem, ſeu deſcenſum, ſed per attractionem, eo quòd ſit virtus naturalis in ea ſemen attrahens, ſicut in ſtomacho reſpectu cibi, vt docet Ariſtoteles *lib.2. de generatione animalium, c.4.* Et firmatur exemplo illo relato à D. Thoma *quodlib.6. art. 18.* illius fœminæ quæ cum in eodem lecto cum ſuo patre accubaret, ab ipſo ſemen in ſomnis emiſſum attraxit, grauidaque inde effecta eſt. Idemque accidiſſe in balneis, in quibus erat ſemen à viro deciſum, refertur ex Doctoribus grauibus. Igitur nullus corporis ſitus in concubitu obſtat generationi, ac proinde non erit in tali congreſſu culpa mortalis; cum ſeruetur finis matrimonij legitimus, qui eſt poſſe ſobolem concipi: & inordinate quærere delectationem intra matrimonij limites, ſolum ſit venialis culpa.

11 Hanc doctrinam Sanchez iudicat ſibi difficilem Baſilius Ponce *lib.10.c.11.n.2.* nullo nimirum coëundi modo ex his, quos excogitauit libido, impediri generationem Neque id probat. Addit verò hæc verba. Quare rem hanc Medicis relinquaoius; Theologis, qui cœlibem vitam agentes expiramento diſcere non poſſunt, ſpeculari turpe, ſcribere turpius eſt.

Cæterùm non ſatis video, quid Baſilius his verbis innuere voluerit. An forte lædere noſtri Doctoris religioſam munditiam, ac puritatem, ſeu virginalem modeſtiam ab ipſo diuinà gratia obtentam? Non creditur de viro religioſo & docto tam grauis iniuria, & offenſio. An potius Theologos animaduertere, vt eos talis cognitionis ac ſcientiæ pudeat, quaſi à ſua profeſſione, ac cœlibi ſtatu valde aliena? Hoc ſaltem ex verbis relatis euidenter colligitur, cum clarè præſcribat illud Medicis relinquendum, & vt ab ipſis definitum accipiendum; & expreſsè dicat Theologis id ſpeculari turpe eſſe, & ſcribere turpius. Ponderentur hæc vltima verba, quæ non ita conſideratè dicta videntur. Nam tametſi in eiuſmodi doctrinis dilocidandis nonnulla ſint puris mentibus ſatis moleſta: quis tamen non videat ea perfectè enucleare, in bonum animarum, non ad Medicum, ſed ad Theologum pertinere. Nonne Theologis omnino incumbit obligatio ac neceſſitas ea ſciendi, vt obuietur periculis conſcientiarum, & ignorantiis confeſſariorum, ne ex inſcitia ſequantur quamplurima peccata ex conſcientia erronea conſorgentia? Quòd ſi ea ſpeculari, ſeu ſpeculatiuè tractare, turpe eſſet, ac inhoneſtum Theologis; cur non eſſet quoque Philoſophis ac Medicis indecens, turpe, præter decorum, ac deforme; quorum imbecillitatem poriori iure, ac fragilitatem extimeſcere poſſumus: quod ſi quis parum pius, ſeu valde ſceleratus ea ſcientia abutens, inde excitaretur ad experientias illicitas. Quid inde? Sic enim nec de ea re ſcribere ac typis mandare debuiſſent Albertus Magnus, Caietanus, Sylueſt. Victoria, Sotus, Roſella, Angelus, Armilla, Palatios, Medina, Graffis, Petrus de Ledeſma, Nauarrus, Alcozer, Bartholomæus à Ledeſma, Enriquez, & alij ſexcenti viri doctiſſimi ac piſſimi, tot libris ac ſummis caſuum conſcientiæ, à quibus improbi, & vitioſi homines illici poſſent ad noua & prius incognita flagitia perſcrutandum, & experiendum. Vno verbo, panem, vinum, ignem, noctem, ſolem, de medio tollas neceſſe eſt, ſi voles tollere quicquid abuti mali homines ſolēt. Nam creaturæ omnes inſipientis laquei ſunt. Mundis igitur omnia munda ſunt. Vnde illa ſpeculari, & ſcribere in boonum animarum non ſolum non turpe, ſed valde honeſtum eſt, ac decens, & bono Eccleſiæ & conſcientiarum vtilē, ac neceſſarium.

Dico *tertiò*, ſi experimento conſtaret, ex aliquo 12
concubendi modo ſemen non retineri, ſed effundi ob fœminei vaſis nimiam humiditatem, vel laxitatem, fore peccatum mortale eo vti. Ita Ludouicus Lopez *ſ.1. inſtruct. c.82. §. Igitur loquendo, & c.87. in fine.* Ratio eſt, quia impeditur generatio poſitiuè quando ex concubendi modo illa effuſio conſurgeret, tunc enim ſitus ille eſſet cauſa effuſionis. Quòd ſi illa effuſio ſuccederet aliquando præter intentionem coniugum dantium operam rei licitæ, & non ex concumbendi modo, ſed ex aliquo morbo, dummodo impedimentum retinendi non eſſet perpetuum, contingere poſſet abſque culpa. Neque oppoſitum docet Sanchez *diſput.16. citata num. 5.* vt patet attentè legenti; quidquid dicat Baſilius *c.11. citato, num. 3.* Eſt verò obſeruandum cum Sanchez & Baſilio, ex aliqua ſeminis effuſione extra vas, non concludi variationem debiti ſitus eſſe mortalem, dummodo eo copulæ modo retineatur aliqua ſeminis pars ſufficiens ad generationem. Docent enim Medici non totam ſeminis quantitatem in matrice retineri, ſolet enim matrix aliquando eam ſolum partem retinere, quæ ad generationem ſufficiens ſit, expulſo reliquo.

Dico

Digitized by Google

13 Dico *quartò*, ſi coniuges variato ſitu crederent non ita certò futuram prolem, dummodo non eſſet animus omnino impediendi fœtū, non peccaturos mortaliter. Ita Sanchez, & Baſilius *relati*. Ratio eſt, quia non tenentur certiorem modum ad prolem concipiédam eligere, ſicut non tenentur vti mediis aliquibus faciliori conceptioni deſeruientibus, ſed ſuæ obligationi ſatisfaciunt, ſi nihil efficiant, quo conceptioni obſtetur, & vtantur medio conuenienti. Verum eſt, ſi animus adeſſet omnino impediendi fœtum, licet cóncubendo eo modo non impediretur, eſſet peccatum mortale contra naturam; quia ſicut actu impedire poſitiuè generationem eſt mortale contra naturam illius actus, quem natura ad prolis conceptionem retulit, ita erit mortale velle poſitiuè illam impedire.

14 Dico *vltimò*, aliquando omni culpa vacare inuerſionem debiti ſitus, vbi non captandæ voluptatis gratia accidit, ſed aliqua iuſta cauſa intercedit. Ita Doctores communiter. Et patet, quia ſi diſpoſitio corporis aliud non patitur ob pinguedinem viri, vel ſi ſit periculum in prægnante ſuffocandi fœtū, vel alia ſimilis cauſa honeſta occurrat, quis non videat debere inuerti debitum ſitum; atque adeò tunc nullam interuenire copulam.

Tertia difficultas eſt, an coniugi petenti modo, ſeu ſitu non naturali, teneatur alter reddere, aut licitè poſſit reddere.

15 Dico *primò*, ſi talis concubitus ſitu non naturali, eſſet culpa mortalis propter periculum effuſionis ſeminis extra vas, quà generatio impeditur, certum eſſe, mortale eſſe peccatum, etiam reddere. Patet, quia talis congreſſus eſt prohibitus ob circumſtantiā illi actui inhærentem, vnde talis congreſſus eſt contra naturam, & perinde ac ſi vir peteret vt vxor cooperaretur ſibi ad pollutionem. Vnde nullus timor etiam mortis excuſaret tunc fœminam reddentem.

16 Dico *ſecundò*, certum etiam eſſe, vbi vir petens eſſet immunis omnis culpæ, teneri vxorem reddere. Patet, quia non eſt vnde excuſetur, cum modus ille tunc nec ſit inhoneſtus, nec vitioſus.

17 Dico *tertiò*, etiamſi in exigente illo modo, ſeu ſitu non naturali ſit venialis culpa, non eſſe peccatum veniale ex parte reddentis. Ita Sanchez *diſput. 16. n. 8.* & Baſilius Ponce *relatus, numer. 4.* Probatur, tunc reddentem vacare culpa. Tum, quia cum actus ille reddendi non ſit ex ſe & intrinſecè malus, ob peccatum exigentis, poteſt ex cauſa iuſta excuſari à culpa illa veniali, quà adſummū affici deberet propter cooperationem ad culpam exigentis venialem. At ſemper in reddente adeſt cauſa iuſta ad excuſandum à culpa illa veniali; eſt enim ſufficiens & iuſta cauſa ne petenti diſpliceat, vel ne excitentur odia & diſcordiæ inter coniuges. Tum etiam, quia peccatum veniale naſcitur in hoc caſu ex affectu ipſo petentis, & ex vehementi appetitu voluptatis, cui appetitui, & affectui non cooperatur alter coniux reddens, ſed exercet actum licitum coniugibus, & ordinatum ad generationem. Adhuc enim & ille modus poſſet exerceri ſine eo appetitu, & affectu.

18 Dico *vltimò*, prædicto exigenti non ſolum poſſe, ſed teneri coniugem reddere debitum. Sequitur hoc dictum ex præcedenti. Nam ſi in coniuge reddente nulla eſt venialis culpa reddendo, non eſt cur excuſetur à talis debiti redditione; ergo tenebitur illam præſtare.

Sectio VIII.

Vtrùm ſit culpa lethalis, quoties in actu coniugali, vaſe naturali omiſſo, innaturale vſurpatur: aut vtriuſque coniugis ſemen data opera non ſimul emittitur.

Circa primam ſectionis partem,

1 Dico *primò*, certum eſſe apud omnes, copulam viri cum vxore in vaſe innaturali, vaſe naturali omiſſo, vel etiam animum ſic conſummandi, eſſe grauiſſimum Sodomiæ peccatum, & contra naturam, quod nullo modo honeſtari poteſt. Ratio eſt, quia aduerſatur fini naturali illius copulæ, qui eſt prolis generatio. Nec vxor ad ſimilem copulam, ſed ad ſolam copulam intra vas legitimum, vxor eſt. Coniuges enim ſolùm habent poteſtatem ad vſum corporis, qui matrimonio deſeruiat, non aliter.

2 Dico *ſecundò*, ſi vir volens legitimè copulari vxori, quò ſe excitet, vel maioris voluptatis captandæ gratia, inchoet copulam cum ea ſodomiticam, non animo conſummandi niſi intra vas legitimum, nec cum periculo effuſionis extra illud, committit culpam lethalem Sodomiæ inchoatæ. Hoc etiam mihi videtur certum. Ratio eſt, quia ille tactus nec ex ſe, nec ex tangentis intentione poteſt ad actum coniugalem referri, quia eſt medium improportionatum copulæ naturali, & ad alterius luxuriæ ordinem tendens; ergo participat ſpeciem lethalem Sodomiæ inchoatæ. Ex quo infero, quod notauit Sanchez *lib. 9. diſput. 17. numer. 5.* Si vir in os vxoris intromitteret ſua veretenda, ceſſante omni pollutionis periculo, non peccaret mortaliter, ſed venialiter, quia os ipſum non eſt vas ordinatum ad copulam ſodomiticam; vnde eſſet tactus impudicus inſtar aliorum qui inter coniuges culpæ veniales reputantur.

3 Maior difficultas eſt circa ſecundam ſectionis partem. De qua relatè Sanchez *diſput. 17. numer. 8. 9. & ſequentibus.* Breuiter dico duo. *Primum* eſt, expedire coniugibus, vt curetur ſimul vtrumque ſemen effundi. Quia licèt ſemen mulieris non ſit ad generationem ſimpliciter neceſſarium; multum tamen cōfert ad vtiliùs generandum; & ob hanc cauſam eſt à natura inſtitutū: nam vis actiua ſeminis, virilis in fœmineum agens conceptum pulchriorem ac nobiliorem format: & fœminea matrix voluptate effuſionis ſeminis irritata, ac incenſa, auidiùs virile ſemen amplectitur. *Secundum* eſt, non eſſe neceſſe ſub pœna peccati mortalis vtrumque coniugem ſeminare ſimul; atque adeò dum vir ſemen effudit, non teneri ſub graui culpa fœminæ effuſioné expectare. Ratio eſt, quia fœmineum ſemen nec eſt neceſſarium ad generationem, nec actiuè ad illam concurrit, vt docent periti Medici. Si ergo abſque eo ſemine, nedum vbi non ſimul, ſed pòſt effunditur, generatio ſequitur; nam experientia conſtat fœminas omnino inuitas, & in balneis ſemen virile recipientes abſque earum ſeminatione concipere; manifeſtè infertur nullum præceptum conſtringere ad pariter, vel ſimul effundendum.

4 Quæres, quid dicendum, vbi vir ſeminauit intra vas, & membrum virile extraxit, licebit ne fœminæ, quæ nondum effudit, ſe prouocare tactibus donec ſeminet? Sentit Sanchez *numer. 12.* id licere. Quia illa prouocatio fœminæ eſt actualis coniugalis perfectio, ac conſummatio; & quamuis ad generationem ſimpliciter, & omnino non deſideretur, valde tamen

confert

confert vt antea dixi,& ideo oon eſt inrer coniuges inhoneſta. Quod etiam firmat, quia alias euidentiſſimo periculo committendi quamplutima peccata mortalia fœminæ eſſent expoſitæ: quia frequenter viri, præſertim robuſtiores prius ſeminant, & illico recedunt, manente in fœminis valde irritata libidine. Quare expectare vir non tenetur, licèt poſſit etiam effuſo ſemine adhuc copulam continuare, vt fœmina ſeminet. Imò addit Sanchez *n.*10. non ſolùm poſſe virum præuenire fœminam ſeminando, ſed etiam tactibus irritare venerem, quamuis ſciat ſe ob id præmaturius fœminã ſeminaturum. Quod etiam docuit Henriquez *lib.*11. *de matrimonio c.* 15. *n.*3. quia concurſus vtriuſque ſeminis non neceſſario deſideratur ad generationem. Toti huic doctrinæ adhæret Baſilius Ponce *lib.*10.*c.*11. *n.*3. *ad finem*, ſic dicens. Res certè eſſet ſcrupulis plena, ſi ad hoc quod liceret copula, neceſſarium eſſet, vt vtriuſque ſemen ſimul concurreret. Quare non eſt cenſendum eam obligationem eſſe impoſitam naturali iure.

Sectio IX.

An ſit lethale crimen viro cum vxore concubente inchoatum coïtum non abſoluere.

1 PRo parte affirmante eſt. *Primò*, quia alias impeditur generatio ad quam coïtus ſua natura ordinatur. At fruſtrare coïtum coniugalem ſuo fine, obſtando generationi, eſt culpa lethalis.

Secundò, tactus impudici inter coniuges animo non perueniendi ad copulam, ſunt mortales, ergo multo magis clauſtra pudoris eo animo penetrare.

2 Dico *primò*, ſi neuter coniux in actu ipſo ſeminauit, poſſe abſque peccato mortali ab ipſo coitu, ſeu copula deſiſtere, nullam expectando ſeminationem. Ita fatentur communiter Doctores. Et ratio eſt, quia copula abſque ſeminatione eſt tãtum quidam tactus, qui, per ſe loquendo, licitus eſt coniugibus; quem poſſunt ſine ſeminatione ex conſenſu vtriuſque exercere abſque vlla iniuria, vel iniuſtitiæ peccato.

Cur enim tactus, etiamſi ex natura ſua ordinentur ad coitum, liciti ſunt in coniugibus, quãuis non ſit vltra progreſſus; & non erit licita in illis copula abſque ſeminatione modo dicto.

3 Dico *ſecundò*, non eſſe peccatum lethale virum ante ſeminis proprij emiſſionem ſe retrahere, ſi nondum vxor ſeminauerit, nec ſeminandi in ipſa, nec in viro extra vas, periculum ſubſit, nec ipſa diſſentiat. Ita Antoninus, Paludanus, Caietanus, Armilla, Valentia, Sà, Azor & alij, quos referunt, & ſequuntur Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 19. *n.* 3. & Baſilius Ponce *lib.* 10. *c.* 11. *n.* 9. Moueor duplici fundamento. *Vnum* eſt, quia id in nullius iniuriam cedit, non vxoris, quæ non diſſentit, non prolis, quia non habet ius vt generetur hic & nũc, niſi id ad naturæ conſeruationem neceſſarium eſſet, quod hic contingit; cui autem alteri iniuria inferatur, non conſtat; non ergo eſt mortalis culpa. *Alterum* eſt, quia vaſis fœminei penetratio abſque ſeminatione, vel illius periculo, reputatur inſtar tactuum partium verendarum, qui inter coniuges, ceſſante pollutionis periculo, non ſunt lethales, ſed permiſſi. Et quamuis tactus libidinoſi ordinentur intrinſece ad generationem, & copulam, non ideo tenentur coniuges hanc conſummare ſub mortali, vt eſt manifeſtum.

Dico *tertiò*, exiſtente cauſa iuſta non ſeminandi, ceſſante periculo pollutionis vtriuſque coniugis, nullam ibi eſſe culpam. Ita Sanchez & Baſilius *relati*. Ratio eſt, quia negari non poteſt illud multis titulis & cauſis legitimis effici poſſe: vt verbi gratia ne ſeminatio noceat ſaluti; ne filios plures habeant, quos alere non poſſunt; ne voluptati intemperanter inſeruiant; ne fœtum opprimant; ergo nulla in tali re inuenitur culpa. Firmo, quia etiamſi id fieret à coniugatis nullo alio fine quàm impediendi generationem, non eſſet peccatum. Quia impedire prolem contrario ſemine emiſſo, manifeſte culpa mortalis eſt contra naturam, quæ ad ſolam generationem ſemen deſtinauit. At vbi ſeminis iactura non fit, ſolum impeditur proles negatiue, quod non eſt peccatum: non enim tenentur cõiuges prolis generationi vacare. Vnde ſicut ad illam negatiue impediendam poſſunt communi placito à copula abſtinere, ita ab incepta copula neutrius ſemine emiſſo reſilire. Nulla enim maior aſſignari poteſt ratio, cur nimirum liceat coniugibus communi conſenſu non vacare copulæ, ac generationi; & non liceat illis eodem conſenſu à copula incepta deſiſtere, vbi neutrius ſeminis fit diſpendium. 4

Dico *quartò*, ſi vxor iam ſeminauerit, aut ſeminandi periculum ſubeat, peccare mortaliter maritum ſi data opera à copula deſiſtat ante proprij ſeminis emiſſionem, niſi vrgeat grauiſſima cauſa. Ita cum multis Sanchez *citatus n.*4. *Prima pars* ab illo probatur, quia videtur eſſe peccatum cõtra naturam, cùm ſit cõſummatus coitus ex parte fœminæ, ex quo ſequi non poteſt generatio; vnde eius ſemen prodigitur, fruſtrato generationis fine, ad quam à natura deſtinatum eſt. Firmat, quia naturalis coniugum concubitus, non ſolum exigit vas naturale ſeruari, quod eſt inſtrumentũ permanens generationis, ſed etiam inſtrumentum fluidum, quod eſt ſemen; ergo ſicut eſt culpa mortalis obſtare generationi, omiſſo legitimo vaſe ad illam neceſſario in concubitu coniugali; ita eodem modo erit mortalis culpa obſtare generationi, omittendo legitimũ ſeminis virilis cũ fœmineo concurſum ad generationẽ ſimpliciter requiſitum. Conſultò dixi, data opera; nam aliter eſſet, vbi vir ſeminis effuſioni quantum eſt in ſe daret operam, nec poſſet: tunc enim culpa vacaret. *Secunda pars*, manifeſta videtur, poſſe nimirum oppoſitum contingere, & honeſtari ex grauiſſima, & vrgentiſſima cauſa. Vt ſi poſt fœminæ ſeminationem animaduerteret vir periculum graue vitæ ſibi imminere, ſi ſeminet. Id enim ſi ante acceſſum aduertiſſet, teneretur non coire. Vbi tamẽ coiuit, ſiue aduerterit, ſiue non, poteſt quô id periculum vitet, reſilire. Idem dicendum, ſi fera, aut hoſtis ſuperueniret: vel ſi aduerſaretur honeſtati naturali, quia coniugibus inhoneſte coëuntibus, ſubito adeſſent aliqui. Has vrgentiſſimas cauſas proponit Sanchez *citatus num.*6. Additque manifeſtam differentiam inter fornicationem, & pollutionem voluntariam, ac dictam non ſeminationem. Nam illa duo in nullo caſu etiam vrgentiſſimo, licita eſſe poſſunt; quia ſunt actus poſitiui; at poſitiue & contrarie cooperari damno prolis non licet gratia cuiuſcumque mali vitandi, etiam vitæ propriæ. Illa verò non ſeminatio eſt actus negatiuus, & ſolùm opponitur quaſi negatiuè bono prolis, atque ideo nemo aſtringitur ad cooperandum illâ ſeminatione bono prolis, tanto periculo vitæ, & honeſtatis detrimento. Nec obeſt periculum illud ac moralis certitudo effuſionis ſeminis extra vas; quia in prædicto euentu ſi ea accederet, non eſſet voluita, & contingeret præter intentionem viri, & dando operam rei licitæ propter tuendam vitam, ſeu moralem honeſtatem. 5

Dico *quintò*, ſi inuita vxore vir nollet ſeminare abſque 6

Digitized by Google

que cauſa vrgenti, committeret peccatum iniuſtitiæ. Id mihi videtur certum. Ratio eſt, quia lege matrimonij is concubitus, per ſe loquendo, eſt vxori debitus, ex quo ſequi poteſt generatio; nam ad id ordinariè ac per ſe loquendo ordinatur matrimonium; in quo primo & per ſe dominium vnius coniugis in corpus alterius, eſt in ipſius ſemen, quia vnio coniugatorum eſt per ſeminum commixtionem, per quam fiunt vna caro; ergo illicitus eſt, & contra iuſtitiam concubitus ille cum negatione ſeminis. Vnde illa ſeminis negatio eſt ex genere ſuo culpa lethalis iniuſtitiæ; ſicut & negatio debiti in omnibus iis caſibus, in quibus negatio debiti eſt illicita, eſt manifeſta iniuſtitia: nam reuera illa negatio ſeminationis, eſt vera debiti negatio. Præſertim quia ius habet lex matrimonij, & vxor vt inchoato actu coniugali ſemine fœmineo non impediatur generatio per negationem ſeminationis virilis ad ipſam generationem ſimpliciter neceſſarij.

7 Dico vltimò, ſi viro ſeminante fœmina ante proprij ſeminis effuſionem deſiſteret à copula, vel data opera niteretur non ſeminare, non commiſſuram mortalem culpam, ſed ſolùm venialem. Ita Sanchez *numer.* 5. Ratio eſt, tum quia, vt ſupra dixi, eius ſemen non requiritur ad generationem; ergo ceſſat ratio ob quam damnatur culpa lethali contra naturam repreſſio ſeminis in viro, fœmina ſeminante. Tum etiam, quia conſtat ex præcedenti ſectione, *numer.* 3. non eſſe culpam lethalem virum poſt ſeminationem retrahere, cum nondum fœmina ſeminauerit; quia nimirum fœmineum ſemen ad generationem non deſideratur.

Ad argumenta propoſita *numer.* 1.

8 Ad primum iam conſtat ex dictis fruſtrare actum conſummatum ſuo fine, eſſe culpam mortalem propter ſeminis diſpendium ad generationem natura ſua ordinati. At vbi ex parte coniugum nulla eſt ſeminatio, nullum eſt diſpendium, & id in nullius iniuriam cedit, & ideo nulla eſt culpa mortalis, imò nec venialis, modo ſuprà dicto *numer.* 3. & 4.

Ad ſecundum, conſtans eſt apud Theologos illos tactus abſque pollutionis periculo non eſſe mortales inter coniugatos, de qua plura infrà ſuo loco.

DISPVT. L.

De vſu, ac debiti coniugalis obligatione.

VIDIMVS ſuperiori diſputatione, qua ratione actus matrimonij, ſeu vſus coniugalis ſit licitus; modò agendum eſt de mutua coniugum obligatione quantum ad vſum & debitum matrimonij. Et quamuis in actu coniugali vir nobiliores peragat partes; eſt enim agens, & in diſpenſatione domeſtica ſit caput, & gubernet; vxor verò ſit patiens, & gubernetur: tamen vir & vxor ſunt pares in petendo & reddendo debitum: nam æquè tenetur vir in actu coniugali, & domeſtica diſpenſatione ad ea, quæ viro ſunt propria, ſicut vxor ad propria vxoris munia.

* * *

SECTIO I.

An ſit obligatio, & præceptum actus coniugalis quoad petitionem debiti.

PRo huius materiæ maiori explicatione, obſeruandum eſt *primo*, ex matrimonio legitimè contracto, quando ordinario & communi modo, & abſolutè contrahitur, duplicem obligationem oriri in ordine ad vſum corporum. *Vna* eſt negatiua, non tradendi corpus ſuum alteri viro, vel fœminæ: æqua enim eſt vtriuſque conditio. *Altera* eſt poſitiua obligatio petendi & reddendi debitum coniugi petenti. Non procedit quæſtio de priori obligatione, quæ eſt proprietas matrimonij inſeparabilis, vt oſtendi ſuprà *diſput.* 13. *ſect.* 9. *numer.* 2. & 3. illa enim obligatio perſeuerat ſemper; & ratione illius qui accedit ad alium, vel aliam, adulter eſt, & obligat ſemper, & pro ſemper, ſicut dicitur de quauis alia negatiua obligatione. De illa alia poſitiua obligatione procedit difficultas. 1

Præterea notandum eſt, obligationem radicalem reddendi debitum, eſſe paſſionem neceſſariò conſequentem matrimonium, & ab illo inſeparabilem; propter rationem formalem vinculi, & mutui iuris, ac corporum dominij in quo intelligitur eſſe ratio formalis & eſſentialis matrimonij, ex qua neceſſariò ſequitur talis obligatio radicalis, vt *loco citato* oſtendi. Cæterùm proximam & formalem obligationem reddendi debitum, & ipſum vſum, ſeu conſummationem matrimonij non eſſe proprietatem inſeparabilem ipſius matrimonij. Quia ex voto, vel ex mutuo pacto tam poſt nuptias, quàm ante nuptias ea formalis obligatio auferri poteſt, vt latè oſtendi ſuprà *diſput.* 13. *ſect.* 6. Nihilominus, per ſe loquendo, & de ordinario communi modo contrahendi loquendo, naſcitur ex dicto matrimonio prædicta mutua obligatio reddendi debitum. Quæ obligatio cùm ſit affirmatiua, obligat ſemper, ſed non pro ſemper, ſed cùm alter coniux rectè & legitimè petierit. Nam, vt videbimus *diſputationibus ſequentibus*, multa ſunt, quæ impedire poſſunt debiti redditionem, & excuſant à reddendo. His præmiſſis, 2

Certum videtur *primò*, apud Theologos, per ſe loquendo, nunquam teneri coniugem petere debitum. Ratio eſt, quia ex matrimonio, per ſe loquendo, non oritur obligatio petendi; nemo enim tenetur vti iure ſuo, quod pro ſe tantùm introductum eſt, ſed poteſt illo cedere; vt conſtat ex *cap. ad Apoſtolicam, de regular. cap. ſi de terra, de priuilegiis,* ibi, *cùm liberum ſit vnicuique ſuo iuri renunciare.* Nec tenetur quiſquam nondum exactus, id debitum creditori offerre, quia eſt eius naturæ vt non debeatur niſi exactum: huiuſmodi autem eſt debitum coniugale, quod eſt talis naturæ, vt non debeatur niſi cùm exigitur. Vnde in nullo caſu tenetur coniux ratione ſui commodi petere, cùm, etiamſi in eo ſit periculum incontinentiæ, poſſit orationibus, & ieiuniis mederi illi periculo. 3

Secundo etiam eſt certum, per accidens coniugem teneri, ſi credat aliàs coniugi imminere periculum incontinentiæ, quod petendo poſſit auertere. Ratio eſt, quia quiuis tenetur peccatum proximi impedire ſi commodè poſſit, & præcipuè

perſonæ ita ſibi coniunctæ. Difficultas ergo eſt, an in eo euentu teneatur coniux petere debitum ex iuſtitia.

1 Affirmat Petrus de Ledeſma *q.49 art.5. dub.2. concluſ.2.* Probari poteſt *primò*, quia coniux ita periclitans moraliter petit debitum; ergo eſt obligatio iuſtitiæ.

2 *Secundò*, Medicus ex iuſtitia tenetur offerre medicinam infirmo, etſi hic non petat; ergo etiam coniux coniugi periclitanti tenetur ſuccurrere, offerendo concubitum ne alter peccet; præſertim cùm matrimonium ſit inſtitutum in remedium concupiſcentiæ.

3 *Tertiò*, maritus magis tenetur prouidere bono ſpirituali vxoris, quàm alterius; ergo tenetur ex iuſtitia.

Vltimò, pertinet ad fidem matrimonij ne coniuges adulterentur; ergo contra eam fidem peccat qui non impedit coniugis adulterium; nam vbi periculum eſt incontinentiæ in altero, ad fidelitatem quam ſibi mutuo coniuges debent, pertinet ſubuenire petendo debitum, vt vel ſic ardor, vel illa praua libido impellens illum ad illicitam venerem, refrigeſcat; ergo cùm peccetur contra fidem coniugalem, erit etiam peccatum contra iuſtitiam. Propter hoc vltimum argumentum Sanchez *lib.9. diſput.2. num.7.* talem obligari ex iuſtitia latè ſumpta ad petendum debitum: quia videlicet contra officium prudentis coniugis peccat. Nam ad boni coniugis officium pertinet, non modò proprium, ſed etiam conſortis bonum, ac ſalutem quærere, ac mala auertere.

Dico *primò*, certum eſſe apud Doctores ſi vir attenta ſuæ vxoris natura, ingenio, & moribus præuideat periculum incontinentiæ in aliquo caſu, & ipſa naturali pudore impedita, ac ſi verecundia, expreſsè non petat, tamen appetit copulam, teneri ex rigore iuſtitiæ præuenire, ac illi ſubuenire exigendo, ac petendo ab ea debitum. Ratio eſt manifeſta, quia prædicta exactio in eo caſu potius eſt redditio quædam, qua neceſſitati clamanti, & exigenti ſubuenitur; ergo eſt obligatio ex iuſtitia, quia coniux habet ius & poteſtatem in corpus alterius, & è contra, in ordine ad vſum coniugalem, vt conſtat ex natura ipſa contractus matrimonij; ergo obligatio reddendi alteri, implicitè exigenti, eſt ex iuſtitia.

4 Dico *ſecundò*, quando ex parte vnius coniugis nulla eſt petitio expreſſa, vel tacita, non teneri alterum ex iuſtitia ſpeciali & ſtricta petere debitum, ob periculum incontinentiæ quod patiatur ille. Ita Sanchez *cit.* Coninch *diſput.34. dub.2. num.14.* Hurtado *diſput.10. difficult.11. num.47.* & alij. Ratio à priori eſt, quia nulla eſt ratio ex qua prædictam obligationem colligere poſſimus. Nam per matrimonium tantùm traditur alteri dominium corporis, & conſequenter ius eo vtendi. At inde nullo modo ſequitur obligatio cogendi illum, vt vtatur re ſua. Sicut vendendo alicui pallium, obligo me ne impediam, quin eo, ſicut libuerit, vtatur: at nullo modo obligor vt cogam ipſum eo vti, etiamſi hoc ſit neceſſarium ad eius ſalutem conſeruandam. Vnde multo minus obligor ex iuſtitia, vt eum ad hoc inuitem. Firmo: nam vbi eſt vera iuſtitiæ obligatio ad reddendum alicui quod ſuum eſt, nihil refert ſit illi profuturum, necne. Vnde dum coniux expreſsè, vel tacitè petit, reddendum eſt ei ſemper, eſto illi non proſit ad ſedandos & comprimendos motus carnis inordinatos. Obligatio item reddendi ex vera lege iuſtitiæ oritur ex voluntate verbis, aut ſignis explicita alterius coniugis petentis rem ſuam. At in prædicto caſu concluſionis nec ſignis, nec verbis petit explicitè, vel tacitè; ergo nulla eſt tunc obligatio orta ex vera iuſtitiæ lege.

5 Dico *tertiò*, coniugem teneri coniugis alterius incontinentiam impedire, ſi commode poſſit petere; non tamen teneri ad petendum debitum ex iuſtitia latè ſumpta. *Primum* probo, quia tenetur coniux impedire peccatum perſonæ tam coniunctæ ſibi, cùm facilè præſtare hoc poſſit. Nam ad bonum coniugis officium pertinet, non modò proprium, ſed etiam conſortis bonum ad ſalutem quærere, ac mala auertere. *Secundum* liquet, quia nullam video in coniuge maiorem obligationem in hoc peccato, quàm in quouis alio auertendo, per ſe loquendo: ergo nulla concipi poteſt lex iuſtitiæ etiam latè ſumpta quæ obliget illum ad petendum debitum.

6 Dico *quartò*, teneri coniugem in eo caſu ex virtute caſtitatis impedire peccatum alterius coniugis, ſi commode poſſit, petendo debitum. Ratio eſt, quia virtus caſtitatis, ſicut & quæcumque alia virtus, obligat, ſi non primariò, ſaltem ſecundariò, ad impediendum in aliis peccatum contra illam virtutem; ergo ex virtute caſtitatis ligatur coniux impedire incontinentiam alterius coniugis; at nullo commodiori modo, ſi verè commodè poteſt, poteſt illum impedire, niſi petendo debitum, quo illius motus carnis ſedarentur; ergo tenetur ex virtute caſtitatis ad id petendum. Ob quam rationem exiſtimo, vt oſtendi in materia de charitate, correctionem fraternam eſſe actum illius virtutis, contra quam eſt peccatum, quod correctione ipſa impedire conamur.

7 Hinc dico *vltimò*, ſi coniux timeret in altero coniuge commiſſurum adulterij peccatum, ſi ipſe non peteret debitum; tunc in eo caſu ex virtute iuſtitiæ teneri impedire illud petendo debitum, ſi commodè poſſit. Moueor ob eandem præcedentis dicti rationem; nam virtus iuſtitiæ obligat ad impediendum in coniuge, ſicut & in aliis, peccatum iniuſtitiæ, quale eſt adulterium, quod eſt iniurioſum in ipſum.

8 Ex his facilè ſoluuntur argumenta oppoſita.

Ad primum dico, ſi coniux attentis circumſtantiis iudicet neceſſitatem ipſam, & periculum incontinentiæ in coniuge eſſe tacitum petendi genus in periclitante, certum eſſe teneri ex iuſtitia exigere debitum; quia in eo euentu ea exactio potius redditio quædam eſt, qua neceſſitati clamanti, & exigenti ſubuenitur, cùm conſtet matrimonium etiam in remedium concupiſcentiæ fuiſſe inſtitutum. Communiter tamen & ordinariè falſum eſt antecedens, non enim periclitans moraliter petit debitum. Patet id, tum quia talis communiter poſitiuè non cupit à coniuge ad ſimilia inuitari, vt maiorem cum aliis ſentiat voluptatem. Tum etiam, quia aliàs teneretur alter tunc petere debitum, etſi crederet coniugi non profuturum: quod omnes etiam ipſi aduerſarij negant.

9 Ad ſecundum, dato antecedente, negatur conſequentia; nam contractus matrimonij non obligat directè ad impediendam coniugis incontinentiam, nec ad hoc per contractum ſe obligauit alter, ſed ſolùm vt reddat petenti debitum: matrimonium enim non ita inſtitutum eſt in remedium concupiſcentiæ, quaſi ipſi cõiuges per ipsũ ſe directè obligent, vt vnus alterius incontinẽtiæ periculo proſpiciat; aliter enim vxor

peccaret

Digitized by Google

peccaret contra iuſtitiam, ſi non omnibus quibus poteſt modis, virum auerteret, ne ad ea loca iret, in quibus eius continentia poſſet periclitari; ſed vt quiſque petendo debitum poſſit concupiſcentiæ ardorem in ſe ſedare, & periculum incontinentiæ vitare. Verùm eſt indirectè & ſecundariò poſſe obligari ex virtute caſtitatis, & etiam iuſtitiæ ad impediendum illud peccatum, modo ſuprà dicto *num.6. & 7.*

10 Ad tertium, admitto libenter maritum ſpeciali titulo teneri prouidere bono ſpirituali vxoris; nam charitas, ſicut & quæuis alia virtus, eſt ordinata, & ex illa obligor magis ſubuenire propinquioribus: nullam tamen agnoſco in marito maiorem obligationem ad hoc peccatum aduertendum, quàm in quouis alio, ſi commode poſſit illud auertere. Vnde præceptum correctionis æquè militat in marito & in aliis, tametſi marito ſpeciali motiuo ac titulo incumbat.

11 Ad vltimum reſpondeo adulterantem peccare contra fidem matrimonij, non autem omittentem eum retrahere: quia coniuges ex vi contractus matrimonij promittunt ſibi non adulterari; non autem alterius adulterium impedire. Quare innocens non aliter peccat contra iuſtitiam, quam is cui ſocius in mercatura fidem violat. Solùm ergo tenetur ex præcepto correctionis fraternæ adulterium illius impedire eo modo quo commodè poteſt; & ob hanc rationem ſi petendo debitum, efficaciter illud peccatum impediat, ſi illud poteſt commodè petere, tenetur ex obligatione caſtitatis, vel etiam iuſtitiæ, illud vitare modo explicato numero ſexto, & ſeptimo.

SECTIO II.

An coniuges teneantur ad redditionem debiti.

1 IN hac re dico *primò*, certum eſſe apud Doctores coniugem teneri reddere debitum alteri petenti coniugi. Hoc expreſſit Paulus manifeſtè *1. Cor. 7. 3.* illis verbis. *Vxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & vxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Nolite fraudare inuicem.* Quibus verbis, noſtrum dictum firmat, & probat ex natura ipſa contractus matrimonij; quia vir habet poteſtatem & ius in corpus vxoris, & è contra, in ordine ad vſum coniugalem; ergo in vtroque eſt obligatio reddendi alteri exigenti: quia iuri in vno correſpondet obligatio in altero.

2 Dico *ſecundò*, alterum alteri ex iuſtitia teneri debitum reddere. Id etiam eſt certum, quia vnuſquiſque ex coniugibus eſt dominus corporis alterius, quoad vſum coniugalem, ratione iuris quod habet adquiſitum in illum; ergo contra iuſtitiam facit qui ſine cauſa negat vſum, ergo ex iuſtitia tenetur reddere debitum; ſicut contra iuſtitiam facit qui renuit ſoluere debitum pecuniæ, ſine cauſa.

3 Dico *tertiò*, teneri coniugem alteri exigenti reddere debitum ſub mortali, ſi rectè & legitimè exigat. Ita omnes. Ratio eſt, quia copula eſt res grauis, & ex iuſtitia debita, ergo redditio illius obligat ſub mortali. Dixi, ſi coniux rectè & legitime petierit. Nam multa ſunt quæ impedire poſſunt debiti redditionem, ac excuſare à reddendo, quæ in ſequentibus explicanda ſunt. Nunc ſolum tria aduertenda ſunt. *Primum*, tametſi teneatur coniux alteri copulam exigenti reddere ſub mortali, quia copula eſt res grauis; eſſe tamen ſolum veniale, quando non ſæpe, ſed vna, aut altera vice negatur: & quando negatur exigenti remiſsè; & quando non tam negatur redditio, quàm pro paruo tempore differtur: vt quando exigenti manè, redditur nocte, & quando exigenti nocte, redditur manè, vt notauit Hurtado *diſputat. 10. difficult. 11. num. 51.* Cuius rei rationem hanc eſſe puto, quia tunc vel nulla, vel leuis fit iniuria. *Secundum* eſt, excuſari quoque coniugem à culpa graui ſi non reddat, quando alter non petit copulam tanquam debitum, ſed tantùm beneuolè, & amicè, vt res aliàs debitas ſolemus ab amicis petere non animo obligandi; tunc enim non eſt obligatio reddendi, vt aduertit bene Rebellus *lib. 2. q. 16. ſect. 1.* *Tertium* eſt, vt petitio debiti obliget, debere eſſe moderatam; nam nimia eſſet magna alterius ſeruitus; neque ex matrimonio oritur obligatio ad importunam & immoderatam redditionem; atque ideo nec coniuges ad nimis importunam redditionem cenſentur ſe obligaſſe; vt docet Coninch *diſput. 34. dub. 2. n. 16.*

Dico *quartò*, alteri petenti tanquam debitum, non ſolùm expreſsè, ſed etiam ſi implicitè tantùm petat ac interpretatiuè, eſſe grauem obligationem reddendi. Ita omnes. Ratio eſt, quia reddere alicui quod ſuum eſt, lex iuſtitiæ præcipit, quouis modo ſiue expreſsè, ſiue tacitè, ſeu interpretatiuè petat. Nihil enim refert qualiter voluntas exprimatur, verbis, factiſve, vel ſignis. Id præcipue habet locum in fœminis, quas ob verecundiam communiter pudet explicite petere, atque ideo vir tenetur ei reddere, quoties ex ſignis aduertit id eam petere. In vxore autem erga virum, vt rectè notat Sanchez cum aliis *lib. 9. diſput. 2. n. 5.* licitum eſt vxori expectare petitionem expreſſam viri; quia tametſi pares ſint in redditione debiti; tamen, cum viros non pudeat verbis expreſſis debitum exigere, dum id appetunt; merito ac iure poteſt vxor præſumere, ac ſibi perſuadere virum expreſsè non petentem, nequaquam velle; & ſigna illa quæ in mulieribus natura verecundis tacitam & interpretatiuam voluntatem indicant, in ipſis viris non indicare. Quòd ſi daretur idem pudor exigendi debitum, aut timor in viro, vel ob naturalem pudorem, vel ob reuerentiam erga fœminam, quia magnæ auctoritatis eſt, vel ob eius morum aſperitatem non auderet verbis petere, ſed ſignis poſtulare, eadem prorſus ratio eſſet; teneretur enim tunc fœmina reddere viro tacitè petenti; cum ſint coniuges in actus coniugalis obligatione pares. Ex dictis 4

Colligo *primò* obligationem eſſe in coniugibus conſeruandi vires, quibus indigent ad moderatè, & iuxta rationem vtendum coniugio. Nam lex iuſtitiæ, quæ obligat ad reddendum, obligat etiam ad media neceſſaria vt reddi debitum poſſit. Ex quo fit peccare mortaliter eum, qui medus illicitis ſe reddit impotentem ad vacandum actibus coniugalibus; vnde vel pollutionibus voluntariis, vel ad alias accedendo ſe reddit notabiliter impotentem, vt nequeat reddere debitum vxori iuxta leges prudentiæ exigenti; peccat enim iſte ſi ad id aduertat, & peccato contra caſtitatem, & peccato contra iuſtitiam. 5

Colligo *ſecundo*, ſi quis ieiuniis, vel abſtinen- 6

Digitized by Google

tiis ſe reddat etiam notabiliter impotentem, peccare mortaliter, & teneri non ſeruare. Quod verum eſt, ſiue ieiunia ſint voluntaria, ſiue ex Eccleſiæ præcepto; quia fortius eſt iſtud iuſtitiæ vinculum. Cæterùm hoc prudenter eſt decernendum, attenta valetudine viri, & vxoris conditione, & ingenio. Quædam enim ſegniùs, quædam ardentiùs incitantur venereis ſtimulis. Vnde vota ieiuniorum, abſtinentiæ, peregrinationum, & aliarum aſperitatum; iuxta hæc erunt licita, vel illicita, ſi obſtent, vel non obſtent redditioni debiti.

7 Colligo *tertiò*, vxorem, ſi abſtinentiis, ac ieiuniis pallida, & deformis reddatur, timetque poſſit, ea de cauſa odioſam futuram marito, & auertendum coniugis animum ab ipſa ad quærēdas alias, quod attento viri ingenio, & moribus iudicandum erit, teneri deſiſtere ab huiuſmodi abſtinentiis, etiam ſi ſint ex Eccleſiæ præcepto; ob eandem rationem dictam ſtrictioris obligationis: eſtque valde neceſſarius ad vitam coniugalem quietè traducendam, mutuus coniugum amor.

8 Colligo *quartò*, quod docet Sanchez cum Ludouico Lopez, idem dicendum eſſe de fœmina nubere volenti: ſi enim ieiunio deformis efficiatur, ita vt difficiliùs multo nubat, excuſabitur à ieiunio. Id aliquantulum durum videtur Baſilio Ponce *lib.* 10. *cap.* 2. *numer.* 8. nec id probat. Mihi tamen videtur probabile, & prudenter dictum propter rationem ab ipſo Sanchez adductam: quia nimirum illud notabile damnum fœminæ nupturæ cenſetur; & præcepta poſitiua Eccleſiæ non obligant cum tanto damno, ac detrimento.

9 Colligo *vltimò*, eſſe obligationem fœminæ deſiſtendi à ieiunio Eccleſiæ ob præceptum mariti, ſi notabiles diſcordiæ, & rixæ inde oriantur, rectè notauit Sanchez cum Medina, Bartholomæo Ledeſma, Nauarro, & aliis. Idemque docet Ioannes Azor *tom.* 1. *inſtitutionum lib.* 7. *cap.* 19. *quæſ.* 7. & Baſilius Ponce *citatus*, *numer.* 8. Ratio eſt, quia tametſi maritus nullum habeat dominium in vxorem quoad præcepta Eccleſiæ, ſicut habet quoad ieiunia, ad quæ ſua ſponte vouendo ſe aſtrinxit: ſi, tamen notabiles diſcordiæ oriantur inter ipſam, & virum, niſi ipſi obtemperet, abſolutè licitum erit vxori ea de cauſa ieiunium ſoluere. Tum quia mutuus amor coniugum illi anteponendus eſt. Tum quia poſitiua præcepta non obligant cum ſcandalo, *cap. nihil cum ſcandalo*, *de praſcript.* Quod intellige, niſi in contemptum ieiunij Eccleſiaſtici id præciperet maritus: tunc enim vita potius exponenda eſſet, quàm ieiunium omittendum.

Sectio III.

An & quomodo coniuges obligentur ad mutuam cohabitationem, ne impotentes conſtituantur ad reddendum debitum.

1 Certum eſt *primò* coniugalem cohabitationem eſſe homini naturalem, & ex naturali propenſione, ac inclinatione dimanantem. Patet, tum, quia natura ipſa coniugibus diuerſa munia impertiens, ex iis quæ ad vitam humanam traducendam neceſſaria ſunt, hunc coniugalis ſocietatis ſcopum indicat eſſe naturalem: nam viro rebus externis & forenſibus occupari tribuit, vxori verò domeſticis; viri etiam vt prudentioris eſt vxorem dirigere, & gubernare domum; vxoris autem obedire, & in rebus domeſticis viro famulari; quod totum nequit diu, & ſuauiter impendi abſque indiuidua vitæ conſuetudine. Tum etiā quia propagatio, & commoda prolis educatio, ad quam natura ipſa inclinat, eſſe nequit ſecluſa parentum cohabitatione: nam filius apud vtrumque parentem educandus eſt, nec commode educari, nec inſtitui poteſt, illis non cohabitantibus, ob varias res quibus indiget proles, quarum aliæ matribus, aliæ patribus propriæ eſſe cenſentur.

Certum eſt *ſecundò* cohabitandi obligationem oriri ex ipſāmet natura & ratione contractus coniugalis. 2
Patet, tum, quia id ſatis declarat particula illa illius celebris definitionis matrimonij, indiuiduam vitæ cōſuetudinem retinens. De qua definitione egi ſuprà *diſput.* 14. *ſect. vltimo*, *numer.* 3. Tum etiam, quia natura ipſa inclinans ad maris & fœminæ coniunctionem, & ad propagandam ſobolem, inclinat ad eorum cohabitationem, vt ſoboles ipſa commodius educetur. His præmiſſis

Dico *primo*, coniuges teneri ad mutuam cohabitationem, & neutrum poſſe ab altero mutuo diu abſ- 3
que neceſſitate abeſſe, verbi gratia, longè peregrinando. Ratio eſt manifeſta, quia id eſſet pro longo tempore ſe conſtituere impotentem ad reddendum debitum, quod abſque neceſſitate efficere eſt contra ius alterius. Vnde quamuis vir poſſit modico tempore, non tamen poteſt diutiùs abeſſe, vt conſtat ex *cap.* 1. *de conuerſ. coniug.* ibi, *cum vir & vxor vna caro ſint, non debet alter ſine altero diutius eſſe.* Quamdiu verò poſſit vir abeſſe, arbitrio prudentis id definiendum cenſeo, conſideratis abſentiæ cauſis, & incontinentiæ periculo, ne patiatur vterque, aut alteruter incontinentiæ periculum.

Eſt verò notandum, quoties viri docti & prudentis arbitrio ad familiæ gubernationem, & rei fami- 4
liaris neceſſitatem, exigitur diuturna abſentia, non debere cenſeri irrationabilem, & illicitam: nam coniuges in ipſo matrimonij contractu pollicentur ſibi mutuum obſequium, & operarum communicationem, quantum ad œconomiam, & propriæ domus gubernationem; & ad hoc tendit ſocietas coniugalis. Vnde in hoc euentu vxor eſt irrationabiliter inuita, & ideo vir non tenetur illi morem gerere, ſubeundo bonorum iacturam. Idem dicendum, ſi Princeps illum ad bellum conuocaret, quia tenetur præbere ſe Regi obedientem.

Dico *ſecundò*, ordinariè loquendo, non valere pactum inter coniuges iuuenes nunquam cohabitandi. 5
Ita communiter Doctores, quia permitti non debet coniuges iuuenes ſeparatos eſſe, ob incontinentiæ periculum. Et lex charitatis obligat coniugem, vt alteri in hoc periculo conſtituto ſubueniat, quamuis propter illius conſenſum non violaretur iuſtitia.

Dico *tertiò*, non poſſe virum, renitente vxore, longas peregrinationes ſuſcipere, etiam ex voto. Ita communis omnium ſenſus. Ratio eſt, quia hoc impedit omnino vſum matrimonij. Nec Deo placent, quæ implenda ſunt cum proximi damno, quale eſt huiuſmodi votum, quod in præiudicium debiti, & habitationis coniugalis tendit. Imò nec votum peregrinandi in Terram ſanctam ſolius cauſa deuotionis, renitente vxore nequit vir emittere, nec exequi, quia eſt in præiudicium vxoris. Solum enim *in cap. ex multa §. in tantum*, *de voto*, votum in ſubſidium Terræ ſanctæ eundi poteſt emitti renitente vxore, & exequi tenetur. Quia vxor poteſt ſequi virum, quòd ſi nequeat, iuſtum eſt vt ad tempus contineat fauore boni publici totius Eccleſiæ, ſuſtinet enim illud

præiudicium

Digitized by Google

præiudicium ob fauorem boni publici, quod nõ contingit, quando peregrinatio eſt ſolius deuotionis cauſa, ob ſolam priuatam vouentis vtilitatem. Quod autem diſpoſitum eſt in viro in ſubſidium Terræ ſanctæ, non eſt ad vxorem extendendum: nam mulier cum maiori caſtitatis diſcrimine, & minori Eccleſiæ commodo poteſt peregrinari. Cumque ex alia parte debeat regi à viro, facilius illa tenetur ipſum ſequi, quàm è contra vir ipſam. Dixi in concluſione, non poſſe virum peregrinationem longam ſuſcipere abſque vxoris conſenſu; nam breuem aliquam bene poterit vouere, & exequi. Ratio eſt, quia vir cùm ſit caput, poteſt etiam abſque voto illam exequi. Neque idem poterit vxor præſtare marito retinente, ſed opus eſt, vt aſſenſum præſtet; quia in vouendi poteſtate non ſunt pares, cum vir ſit caput, & mulier ipſi ſubdita. Adde etiam non decere vxorem peregrinari; id enim eſſet in viri præiudicium.

7 Obiicies, vxor tenetur ſequi virum, quòd ſi nolit, ſibi imputari debet; ergo ipſa inuita poterit maritus longæ peregrinationis exequi votum. Reſpondeo vxorem non teneri ad quamcumque viri ſequelam, ſed ad eam ſolam, quæ ipſius ſtatum decet. Quare non tenetur virum peregrinationis longæ votum exequentem comitari, quando autem breuis eſſet, vtique teneretur.

Sectio IV.

Quibus excuſetur coniux à redditione debiti.

1 Dico *primò*, certum eſſe apud Doctores, coniugẽ excuſari ab obligatione reddendi debitum, quando ipſi ex redditione imminet probabile periculum dãni notabilis in ſalute corporali. Ratio eſt, quia rectus ordo naturæ exigit, vt prius conſulatur incolumitati proprij indiuidui, quàm generationi prolis. Firmo, quia cùm tunc non vrgeat externa neceſſitas propagandæ, aut conſeruandæ ſpeciei, ſola inuenitur in eo debiti redditione obligatio iuſtitiæ particularis ſpectantis priuatum coniugis petentis commodum, quæ cum graui debitoris nocumento non obligat, nec ordinatæ charitatis legi aduerſetur. Igitur quando coniux non poteſt reddere debitum ſine notabili periculo ſalutis corporali, ad id non tenetur; quia nec communiter humani contractus, nec alia debita cum tanto incommodo obligant. Dixi, vbi eſſet probabile periculum damni notabilis: nam ſi eſſet modicum, illi præponderat lex iuſtitiæ obligans ad reddendum debitum. Concluſio vera eſt, tametſi exigenti immineat periculum incontinentiæ, vt notarunt Sanchez *diſput.* 24. *n.* 12. & Coninch *diſputat.* 34. *dub.* 3. *num.* 21. Quia cum tanto detrimento non tenetur vitare peccatum alterius. Neque enim coniux ſe obligauit præcisè ad debitum reddendum, ſed ſalua incolumitate perſonæ, & ſeruato ordine naturæ, in cuius officium eſt matrimonium principaliter inſtitutum, qui eſt vt prius incolumitati conſulatur propriæ. Et ordo charitatis poſtulat de neceſſitate præferri bonum ſpirituale vitæ, vbi eſt extrema neceſſitas in patiente ſpirituale periculum: vel ſi eſt grauis, is qui ſubuenire debet, eſt Prælatus. Qualis non eſt coniux, nec ea eſt extrema neceſſitas, quia poteſt aliis medijs illi incontinentiæ periculo ſubueniri. Hinc

2 Colligo *primò* coniugem febri laborantem non teneri reddere, quia graue eſt damnum. Idem eſt ſi coniux ſit vulneratus, vel alio morbo, aut dolore ad tempus vexetur, vbi copula vehementer noceret dolori illi.

Colligo *ſecundò* non teneri coniugem alteri immoderatè, ac ſæpius quàm par eſt, petenti, reddere ſemper. Patet, quia notabiliter vires extenuat, & ſalutem lædit frequentia copulæ. 3

Colligo *tertiò* idem dicendum, quando periculum damni corporalis imminet ex morbo alterius valde diuturno, & perpetuo, vt ex lepra, aut ex morbo Gallico. Non enim ad reddendum debitum obligatur cum tanto detrimento; niſi quando ante matrimonium præcedit morbus, & cognoſcitur à ſano, quia tunc eo ipſo, quod contrahit matrimonium, cenſetur obligari ad reddendum, non obſtante eo periculo. Vnde in hoc euentu intelligitur dictum capitis x. *de coniugio leproſorum*, nempe ſanum teneri ad reddendum coniugi leproſo. Et etiam quando lepra aduenit, aut cognoſcitur poſt matrimonium, quando ex redditione non imminet ſano infectio, vt ſæpe contingere poteſt, quòd non immineat ex vno, vel altero coitu. 4

Dico *ſecundò*, nec licitum eſſe viro reddere cum notabili ſuæ ſalutis detrimento, & ſimiliter vxori. Ita ex Soto, Caietano, & aliis Sanchez *diſputat.* 24. *num.* 8. & Coninch *citatus*. Ratio eſt, quia coniuges non ſunt abſoluti domini ſuorum corporum; ergo non poſſunt illa exponere euidenti periculo ſine graui neceſſitate; tenetur enim curam habere vitæ tuendæ, nec illam graui diſcrimini exponere, vbi vrgentior cauſa non exigit. Quare, per ſe loquendo, eſt culpa mortalis, niſi vel inaduertentia tanti damni, vel incontinentiæ periculum, vel alia ſimilis iuſta cauſa excuſet: ſicut etiam eſt lethalis culpa vti cibis ratione exceſſus, vel eorum qualitatis, notabiliter ſibi nocentibus, niſi excuſet ipſa damni inaduertentia. Vnde infero ſi alteri coniugi conſtaret debiti redditionem eſſe in graue ſalutis exigentis diſpendium, nec teneri reddere, nec licitè poſſe. *Primum* liquet, quia nemo tenetur gladium domino petenti tradere, ſi illo ſe velit perimere. *Secundum* etiam patet, quia eſt eadem ratio, ac ſi redderet in ſalutis propriæ notabile damnum. 5

Dico *tertiò* excuſari coniugem ab obligatione reddendi, ex eo quòd plures filij naſcantur, quando non exiſtente periculo incontinentiæ in altero, parentes non ſufficiunt ad tot filios alendos. Ratio eſt, quia tametſi per ſe loquendo matrimonium, cum ordinetur ad multiplicationem prolis, ab ea obligatione nequeat excuſare ne proles multiplicetur; attamen incommoditas magna alendi tot filios, eximere poteſt ab obligatione reddendi debitum, ſicut etiam incommoditas magna reſtituendi eximit debitorem ab obligatione reſtituendi. 6

Dico *quartò* excuſari coniugem à reddendo ratione amentiæ coniugis exigentis, etiam quando ei poteſt licitè reddi. Ratio eſt, quia tametſi amens retineat dominium; cæterùm dominio & iuri naturali matrimonij tantùm correſpondet obligatio reddendi ei, qui exigit, vt homo eſt, quia exigenti dormienti non eſt reddendum; amens autem non exigit vt homo. Erit autem obligatio, ſi ex defectu redditionis acceſſurus ſit ad aliam, aut ſe polluturus ſit; quia ratio exigit, vt valde exigenti debito, ſibi reddatur, quamuis non petat vt homo, quia non poteſt. Videantur dicta ſuprà *diſp. præcedenti, ſect.* .. 7

Sectio V.

An quoties coniux peccat exigendo, ſit coniux reddens ſimilis culpæ reus.

CErtum eſt quando exigenri eſt actus coniugalis licitus, ei eſſe reddendum; in hoc enim nulla eſſe poteſt difficultas. Procedit quæſtio tantùm, quando ei eſt illicitus.

1 Ratio dibitandi eſt, quia pro parte affirmante videntur eſſe efficacia argumenta. *Primo*, quia nemo habet ius exigendi, quando in ipſa exactione peccat, nam ſi haberet ius, peteret iuſte, atque adeò exactio illa eſſet abſque vlla culpa; ergo reddens tunc vere peccaret: nam illius peccato cooperaretur. *Secundò* quando duo ſunt inſeparabilia, non poteſt alteri conſenſus præſtari, alio excluſo; ergo cum in copula coniugali actus vtriuſque coniugis ſint inſeparabiles, cõſentiens redditioni eo ipſo eſt conſentiens petitioni, & conſequenter conſentiens eſſe cenſetur peccato exigenti. *Tertiò* bonum ſpirituale coniugis præſtat bono corporali; ſed petenti cum notabili damno corporali proprio, vel alieno, vt prolis, non eſt reddendum; ergo à fortiori quando exigens incurrit damnum ſpirituale, quale eſt malum culpæ, petendo. Ex alio capite pro parte negante reddentem non peccare, tametſi peccet exigens, videtur manifeſtè oſtendi, quia voto caſtitatis coniugem aſtrictum petere, manifeſtum eſt lethaliter peccare, & tamen tunc tantum abeſt, vt reddens peccet, vt potius reddere teneatur. Ratio eſſe videtur, quia voto caſtitatis ſe aſtringens non amiſit dominium corporis alterius coniugis per matrimoniũ acquiſitum, ſed tantum peccat exigens in ordine ad Deum, cui fidem voti violat; ergo tenetur coniux exactus reddere petenti rem ſuam: ſicut ſi pecuniam apud alterum à ſe depoſitam peteret ad fornicandum.

2 Hanc rem exactè tractans Sanchez *lib. 9. diſput. 6.* quatuor proponit regulas ſequendas.

Prima eſt, quam tradit *num. 4.* Non quoties peccat alter reddendo, & eximitur à reddendi obligatione. Probat *primò* duplici exẽplo. *Primum* eſt ſi vir affectu fornicario velit vxorem cognoſcere, & ita exigat, petens lethaliter peccabit, & tamen vxor reddere tenebitur. *Alterum* eſt, ſi coniux exiſtimans matrimonium eſſe nullum ob impedimentum dirimens, petat debitum, tamen alter coniux certò ſciens non eſſe nullum, non poteſt debitum negare, quamuis alter eo errore ductus peccat exigendo. Probat etiam ratione, quia reddens debitum iniquè peteṇti non cooperatur peccato exigentis, formaliter loquendo, quia tantùm cooperatur actui ex ſua natura licito coniugibus, & quem ipſe debet alteri reddere, quantumuis ex parte alterius ſit peccatũ. Reddẽs enim non cooperatur petitioni, ſed copulæ, quæ aliàs licita eſt, & à ſe debita. Neque enim cooperatur directè, cùm non inuitet ad peccatum; neque indirectè, cùm non teneatur euitare peccatum exigentis. Addit *numer. 5.* Quoties cõiux exactus poteſt commodè, abſque timore odij, indignationis, & incontinentiæ alterius coniugis peccãtis mortaliter in exactione, & abſque ſuo damno, teneri illum præcepto correctionis fraternæ ad auertendum alterum: quia lex charitatis obligat ad rettahendum proximum à peccato, vbi commodè fieri poteſt. Cæterùm rariſſimè ſentit ad id obligari vxorem. Tum quia mortaliter poteſt rimere viri indignationẽ, ne ſuſpicetur ipſam non virtutis zelo, ſed alieno amore captam induci. Tum quia moraliter poteſt credere virum qui contra votum eſt ſacrilegus in petendo, v. g. ita ardere carnis incenſum eſſe, vt facilè incontinentiæ periculum patiatur, negata ſibi copula, atque ideo moraliter non eſt ſpes emendæ, quæ deſideratur, vt præceptum obliget correctionis, imò eſt timor maioris damni. Tum denique eſt onus grauiſſimum verecundiæ, quæ fœminas decet, offerre ſe viro ad ſæpè petendum. Vnde viri facilius hoc præcepto obligari poſſunt; quia vxoribus petentibus eum peccato poſſunt conſulere, ne peccent petendo, & ſe illis offerre ad crebrius petendum: maius enim in vxorem imperium habent, cùm ipſis incumbat eam gubernare.

Secunda regula eſt, quam adfert *n. 6.* Quoties exigens ſolius culpæ venialis reus eſt exigendo, reddens vacat culpa, & tenetur reddere. Probat, quia, cùm actus ille reddendi non ſit ex ſe & intrinſecè malus ob peccatum exigentis, poteſt ex cauſa iuſta excuſari à culpa illa veniali, qua ad ſummum affici deberet propter cooperationem ad culpam exigentis venialẽ. At ſemper in reddente adeſt cauſa iuſta ad excuſandum à culpa illa veniali, ne nimirum petenti diſpliceat, ne excitentur odia inter coniuges, & diſcordia, ne priuetur abſque culpa iure reddendi. 3

Tertia regula eſt, quam habet *num. 7* Quando exigere debitum eſt culpa lethalis, non ob aliquam circumſtantiam tenentem ſe ex parte actus, ſed ob circumſtantiam perſonalem ipſius exigentes, vt ſi malo fine petat, vel ratione voti caſtitatis quo ligatur, tunc reddens tenetur reddere. Quod probat. Tum quia actus ille cum non ſit ex ſua natura illicitus, ſed tantùm ex circumſtantia ſe tenente ex parte exigentis; idem met actus, vt ſe tenet ex parte reddentis, qui nullo defectu laborat, poterit eſſe non ſolùm licitus, ſed debitus ex iuſtitia. Tum etiã, quia coniux a quo exigit debitũ voto caſtitatis aſtrictus, tenetur illud reddere. Tum denique, quia ſi quis certam quantitatẽ pecuniæ apud alium depoſuiſſet, & poſtea neque donans, neque promittens illi, ſoli Deo voueret ſe illam minimè petiturum, teneretur ille, apud quem depoſuit, petenti reddere, vtpote nullum habens ius retinendi, neque diceretur cooperari ſacrilegæ violationi voti; ergo idem in noſtro caſu dicendum. 4

Quarta regula, quam tradit *numer. 16.* eſt, quando petens delinquit mortaliter ob aliquam circumſtantiam illius actus, & non ſolùm ob circumſtantiam perſonalem, tunc etiam reddere eſt mortale. Vt ſi petat coniux in loco ſacro, vel publico, aut cum periculo aborſus, ſicut petitio illa afficitur illa praua circumſtantia, ita & redditio; vtraque enim polluit locum ſacrum, vel aduerſatur honeſtati naturali, vel eſt in tertij damnum; & ita vtraque eſt illicita. 5

Baſilius verò Ponce *lib. 9. cap. 3.* cùm has quatuor regulas retuliſſet, addit ad finem illius numeri: prædictas regulas neque ſolidas eſſe, neque veras, nec ſatis inter ſe cohærentes. Quare *numer. 3.* vnam tantùm conſtituit vniuerſalem regulam, qua præſentem difficultatem definit. Quotieſcumque petens debitũ peccat in petitione, ſiue ratione circumſtãtiæ ſe tenentis ex parte actus, ſiue ex parte perſonæ petentis, ſi non eſt in poteſtate petẽtis ſe ab ea circũſtãtia quæ reddit illicitam petitionem prout tunc exercitam, liberare eſt peccatum in reddendo. At cum petitio mala eſt ex circumſtantia, à qua ipſe petens ſe poteſt ipſa petitione perſeuerante liberare, non eſt peccatum reddere. Hæc regula duas habet partes. 6

Primam partem probat hac ratione, quia reddens debitum illi, quem ſcit cum peccatu petere, ob impedimentum quod ab eo actu hic & nunc exercito

ſeparabile

ſeparabile non eſt, cooperatur peccato alterius, quod committit in actu exteriori prauè vtendo corpore alterius coniugis; ergo non licet. Antecedens oſtendit: quia vt ſic reddens dicatur cooperari peccato, non eſt neceſſarium intendat ruinam proximi, ſed ſatis eſt cooperetur ad actum, qui hic & nunc non poteſt fieri bene, vel malè, ſed neceſſariò malè. At vſus illius corporis hîc & nunc, prout eſt ab eo homine impedito voto, vel impedimento, non poteſt bene fieri; neque enim in eius poteſtate eſt tunc tollere impedimentum: igitur cooperatur illi. Firmat hoc idem, quia ſi ille poſſet licite reddere, non ſolum poſſet, ſed etiã teneretur, atque ideo non reddens peccaret, ergo contra virtutem aliquam. At manifeſtum videtur contra nullam peccare: nam ſi eſſet contra aliquam, certè eſſet contra iuſtitiam: at non eſſe contra iuſtitiam patet, quia petens iniquè nullum habet ius iniquè petendi; id enim poſſumus, quod iure poſſumus. Quare licèt ille qui impedimentum habet voti, vel loci, vel aliud, habeat dominium eius corporis, cuius vſum exigit, id tamen dominium quoad vſum impeditum eſt voto, verbi gratia, & non habet ius niſi ad vſum licitum: ille autem ſub ea circumſtantia eſt illicitus; ergo non facit contra ius illius qui negat in eo caſu. Vnde infert Baſilius *n.4.* nihil obſtare eam differentiam de circunſtantia ſe tenente ex parte perſonæ, aut ex parte actus, quia exiſtimat circunſtantiam illam quæ ſe tenet ex parte perſonæ, vitiare actum prout hîc & nunc fit. Quod probat actu illo confeſſionem adminiſtrandi, qui vitiatur ob excommunicationem, quâ ligatur ſacerdos, tametſi ſecundùm ſe actus ille ſit bonus, & non afferat ſecum eam circunſtantiam. Vnde ab eo petens ſacramentum abſolutionis lethaliter peccat: quia tunc petit ſacramentum ab eo, qui acquieſcens eius petitioni non poteſt bene, vel malè adminiſtrare ſacramentum, ſed neceſſariò adminiſtrat malè, cùm non habeat copiam abſolutionis. Vnde tunc petitio habet rationem ſcandali actiui, quia petit id quod neceſſariò faciendum eſt malè, ſi fiat. Sic ergo qui cooperatur vſui corporis cum petente, impedimento aſtricto, v.g. voto, peccat; quia licet ille vſus ex ſe ſit licitus, & non afferat ſecum eam circunſtantiam voti; tamen prout hîc & nunc exercetur, non eſt licitus. Circunſtantia enim illa vitiat non ſolùm petitionem, ſed etiam vſum petentis, cuius vi alter cooperatur reddens. Quod etiam variis firmatur exemplis: nam qui miniſtrat carnes in die Veneris, aut cœnam ieiunanti parat, peccat, quia actus ille licet ſecundùm ſe non ſit illicitus, ex circunſtantia tamen temporis illicitus eſt. Si quis etiam miniſtraret cœnam ſcienti habere votum ieiunandi illo die, peccaret, vel etiam qui miniſtraret carnes Carthuſiano, quem ſciret non poſſe carnes comedere: cum tamen hæc omnia non ſint ſecundum ſe mala, ſed ex circunſtantia perſonæ.

7 *Secundam partem* prædictæ regulæ, nempe, quando is qui petit malè, ideo malè petit ex aliqua cauſa, quam ipſe tollere & remouere ab eadem petitione poteſt, licitè reddo, vt cùm petit ex prauo fine, licitè reddo, probat Baſilius. Quia coopεror actui, quem ille hîc & nunc poteſt bene exercere, & ſua culpa facit malè, & ideo mihi non imputatur eius peccatum. Hac ratione non peccat, qui petit ſacramentum confeſſionis ab eo ſacerdote, quem ſcit eſſe in peccato mortali; quia poteſt habere actum contritionis, quo dignè miniſtrat, & ſua culpa non habet. Hac etiam ratione non peccat, qui petit mutuum ab vſurario, quem ſcit exacturum vſuras, quia ille petit tantum mutationem pecuniæ, quam poſſet bene exercere. Nec etiam peccat eadem de cauſa, qui dat pecuniam exactam ab vſurario, quia actus ille dandi etiam hîc & nunc non eſt malus, & actum accipiendi poſſet vſurarius bene exercere, reddendo quod datur vltra ſortem, & ſua culpa facit malè.

8 Mihi tamen videtur quatuor regulas ſupradictas à noſtro Sanchez propoſitas, ſolidas eſſe ac veras, & inter ſe valde cohærentes. Ita ſentit cum Ægidio Coninch *diſputat. 34. dubio 4. n.27. & 28.* Iuxta eas

Dico *primo*, quando actus coniugalis, qui exigitur, eſt illicitus exigenti ratione alicuius circumſtantiæ ſe tenentis immediatè ex parte ipſius actus: vt cùm exigitur cum periculo abortus, verbi cauſa, tunc ſic illicitè exigenti, id eſt, exigenti actum illicitum, non poſſe licitè reddi. Ita Sanchez *regula 4.* propoſita *num.5.* Et in ea communiter conueniunt Doctores. Ratio eſt, quia tunc actus coniugalis, qui exigitur, eſt abſolutè, & ratione ſui illicitus, ac verum peccatum; ergo à neutro tam exigente, quàm reddente poteſt licitè exerceri.

9 Dico *ſecundo*, quando exigens debitum ſolum peccat ratione alicuius circumſtantiæ, quæ non afficit ipſum actum externum ſecundùm ſe, ſed ſolam perſonam exigentis, vt quia hæc vouit caſtitatem, aut ex malo fine petit debitum, tunc alium coniugem communiter illud licitè reddere. Ita Petrus Soto *ſect. 16. de matr. in fine.* Couar. 4. *decret. p. 2. c. 3. §. 1. n.6.* Angelus *v. matrim. 3. impedimento 5. n.* 5. Henriquez *lib. 11. de matrimonio. c. 15. n. 18.* & Sanchez *regula prima & tertia*, tradita ſuprà *num. 2. & 4.* Ratio eſt, quia tunc actus tantùm eſt illicitus exigenti, non verò alteri reddenti, quia actus ille externus ſecundum omnes circunſtantias quæ ipſum ſecundum ſe afficiunt, manet alteri parti reddenti licitus; nec eſt vlla ratio cur ex parte ipſius reddentis reddatur illicitus. Patet, quia id in primis non eſt cooperari peccato alterius exigentis. Quia reddens debitum non poteſt dici conſentire in alterius exigentis peccatum, cùm doleat ipſum peccare, nec hoc impedire poſſit ſine grauiori damno: nam internam alterius volitionem, in qua conſiſtit præcipua ratio peccati, impedire non poteſt, ſed ad ſummum, actum externum, idque cum periculo grauis odij, aut ne exigens contra naturam, aut cum aliis peccet. Et quamuis materialiter cooperetur externæ actioni, in qua exigens etiam peccat, non tamen ei formaliter cooperatur, quâ peccatum eſt; quia nullo modo eſt alteri cauſa, cur aut debitum exigat, aut tali animo exigat, ſed ſolùm ei cooperatur quatenus eſt actio ſibi licita. Sicut ex iuſta cauſa accipiens mutuum ab vſurario, illud dante ad vſuram, vel accipiens eleemoſynam ab eo qui malo animo eam dat, nullo modo cenſetur illorum peccato cooperari. Idem probant rationes ſupra adductæ, *num.4.*

10 Dixi communiter reddere debitum licitè. Quia contingere poteſt ſine graui incommodo coniugem poſſe negare debitum, vt ſi ſperet fore vt hac ratione efficeret, vt alter in poſterum ab eiuſmodi petitione deſiſteret: tunc igitur ad id ex charitate teneretur. Quia tenetur alterius peccatum, cùm commodè poteſt, impedire. Cæterùm hoc rarò contingit, quia communiter adeſſe ſolet morale periculum diſcordiarum, ac grauis odij, vel grauioris peccati in exigente, ideoque licitè redditur debitum; non enim teneris proximi peccata cum notabili tuo incommodo, vel alterius maiori damno ſpirituali impedire. Quare tali coniugi potiùs eſt ſuadendum, vt quoties credit rationabiliter eſſe periculum ne alter petat, ipſum petendo præueniat, vt hoc modo illius peccatum euitet. Hoc verò honeſtis matrimoniis, quæ innata verecundia à tali petitione valde deterrentur,

ſæpè eſſet valde graue. Et ideo ſentio ad hoc oon teneri, præſertim vt explicitè petant.

11 Dico *tertiò*, coniugem à quo alter dicto modo illicitè exigit debitum, non ſolùm poſſe, ſed etiam teneri ei reddere debitum. Ita Doctores relati præcedẽti dicto. Ratio eſt, quia per hoc quod coniux, v. g. vouit caſtitatem, non amiſit dominium in corpus ſuæ coniugis, nec hæc ſoluitur obligatione reddendi debiti; ergo tenetur id exigenti reddere, vt probat ratio dubitandi pro parte negante ſuprà poſita *numer*. 1. Verum eſt poſſe differre, & interdum debere differre redditionem debiti, lege charitatis, ſi nimirum tali dilatione poſſim vitare peccatum illius. Quare ſicut ſi reſtitutio puretur creditori, vel alteri nocitura, poteſt differri, & interdum debet differri ex lege charitatis. Nam qui differt ſolutionem, vt creditorem à malo, in quod alioquin incurret, auocet, vtiliter, & ſalubriter negotium eius gerit; ergo ille non poteſt iure id ægrè ferre. Imò ſi dominus repetat rem ſuam, v. g. depoſitum, vel mutuum, vt inſumat in libidines, & dilata ſolutione ſpes ſit, malum illud fore impediendum; tunc lege charitatis teneor differre, niſi inde aliquod notabile incommodum metuam; quia teneor impedire malum proximi ſpirituale, etiam cũ aliquo ipſius incommodo temporali. Et quamuis habeat ille ius petendi rem ſuam, per ſe loquendo; ſed quando vult re illa, ad quam ius habet in ſuum, vel alterius damnum abuti, ex charitate teneor obſiſtere, ſi commodè poſſim; & quamdiu eſt ſpes illud impediendi, non facio iniuriam, quia ſalubriter eius negotium ago, nec eſt formaliter contra ius illius, cum iuſta cauſa ſubſit, ſicut in eo qui negat depoſitum furenti, ſed ſolùm materialiter, quatenus res illa denegatur, vel tollitur, ad quam, præciſa illa praua intentione ius habet. Ita ſimiliter dicendum eſt de marito qui vouit caſtitatem, tametſi habeat ius petendi, & vxor teneatur communiter reddere, quamuis ille petendo peccet; poterit tamen vxor debitum negare, vel differre, ſi commodè poteſt, & ſperet hoc pacto peccatum mariti impeditum iri, præſertim in poſterũ. Quod vltimum addo, quia maiori mora & tergiuerſatione vtendum eſt, quando agitur de impediendis nouis peccatis, in quæ vel ille incideret, vel alium induceret, quàm cùm agitur de impediendo opere externo, cuius iam culpa eſt interius commiſſa. Aduertendum verò eſt, ſi ex negatione, vel dilatione debiti quod petit, ſit periculum maioris, vel paris incommodi, non poſſe illud à coniuge negari, vel differri, quia non eſt ius differendi, niſi quatenus eſt ſpes mali impediendi. Si etiam coniugi inde aliquid incommodi notabilis metus erit, non tenebitur, vt ſi idcirco vel illius amorem & pacem, vel aliqua emolumenta amitteret; quia non tenetur vxor peccata mariti cum notabili ſuo incommodo impedire.

12 Dico *vltimò*, veram etiam eſſe ſecundam regulam Sanchez traditam ſuprà *numer*. 3. vt ibi probatur.

13 Ex dictis colligo regulam Baſilij traditam ſuprà *n*. 6. non eſſe ſolidam & veram. Patet, nam prima illius pars non eſt ſubſiſtens. In primis enim quando exigẽs debitum, exigit illicitè ratione circumſtantiæ ſe tenentis ex parte perſonæ, quia antea emiſit votum, tametſi non ſubſit libertati exigentis, vt ſe poſſit à voto liberare, verè tamen exigit iuſtè, id eſt, habet ius iuſtitiæ exigendi debitum, non enim petit alienum, & habet ius in re petita; illicitè tamen petit, quia debitum modum non ſeruat. Vnde alter coniux licitè & iuſtè reddit, imò tenetur reddere modo ſuprà explicato. Neque id eſt cooperari actui malo, quia, vt dictum eſt, ſolum eſt cooperari ei quatenus eſt actio ſibi licita. Nec mirum videri debeat quòd eadẽ actio externa copulæ ſit illicita petenti, & ſit licita reddenti. Quamuis enim ſit eadem ſecundùm rem, ſed non voluntatem: nam in Chriſti crucifixione videmus eãdem eſſe ſecundùm rem crucifixionem actiuam & paſſiuam, & tamen crucifixio Chriſti actiua fuit illicita & diſplicuit Deo, cui tamen paſſiua valde placuit, quia ſecundùm voluntatem & affectum fuerunt ſeparabilia. Vnde etiam dicendum eſt reddentem in eo caſu licitè, teneri ex iuſtitia: quia petens habet ius, & non petit iniquè contra ius iuſtitiæ in re petita; ſolùm enim petit iniquè, id eſt, illicitè, quia debitum modum non ſeruat.

Præterea falſum eſt, circumſtantiam ſe tenentem ſolùm ex parte perſonæ petentis vitiare actum prout hìc & nunc fit à perſona reddente, quia reddens vt dixi tantum cooperatur actui ex ſua natura licito cõiugatis; neque enim cooperatur reddens petitioni alterius, ſed ea ſuppoſita, cooperatur copulæ, quæ licita eſt, & à ſe ex iuſtitia debita.

Neque exempla adducta à Baſilio, & propoſita ſuprà *numer*. 6. aliquid probant contra noſtram ſententiam Nam exemplum illud confeſſionem adminiſtrãdi ab excommunicato, manifeſtè vitiat actum ipſum tam ex parte adminiſtrantis, quàm etiam ex parte pœnitentis. Quia Sacramentum Pœnitentiæ ab huiuſmodi excommunicato collatum extra caſum neceſſitatis extremæ ipſius pœnitẽtis, non eſt validum, quia miniſter huius Sacramenti, ſi non habet iuriſdictionem, non conficit Sacramentum; & huiuſmodi excommunicatus priuatus eſt omni iuriſdictione. Pœnitens quoque ſi nouit ſacerdotem eſſe ſic excommunicatum, duplex tunc concurrit cauſa nullitatis, altera iam dicta ex defectu iuriſdictionis, & altera ex defectu materiæ eſſentialis, qualis eſt integra confeſſio cum ſufficiente dolore: hanc enim habere oon poteſt qui actu & voluntariè peccat mortaliter in ipſa confeſſione. Vnde exemplum iſtud noo eſt ad rem. Alia verò exempla quæ adhibet, continent actiones malas & prohibitas ob circumſtantias ipſorum actuũ, quæ non poſſunt licitè fieri, vt conſtat ex *dicto* 1. *numer*. 8. 14

Ad ſecundam partem regulæ Baſilij Ponce, traditæ ſuprà *numer*. 7. dico illam doctrinam nobis probari: quia, vt liquet ex exemplis ibi adductis, ſermo eſt de actionibus quæ licitæ ſunt ſecundùm omnes circumſtantias quæ ipſas ſecundùm ſe afficiunt, & ideo ſi non adſit aliqua circumſtantia ex parte perſonæ praua, ſine peccato fieri poſſunt; tunc enim ſolùm in illis eſſet circumſtantia malitiæ tenens ſe ex parte ſubiecti, vel perſonæ, non verò ex parte obiecti. Vnde non eſt ſufficiens ratio, vt illicitè agens poſſit, vel non poſſit ab actu ſe liberare. Nam tametſi, v. g. qui emiſit votum caſtitatis, non poſſit ſe liberare à peccato, ſi petat debitum, ſicut poteſt ſe liberare coniux qui prauo fine debitum petit, ceſſando à tali fine prauo; attamen abſolutè aſtrictus voto poteſt ſe liberare à culpa, non petendo; & ideo peccat, quia illicitè & liberè petit; ſicut & ille alius, qui liberè apponit prauam finis intentionem in copula cõiugali, verè peccat, quia liberè apponit talem circumſtantiam ex parte ſubiecti. Ratio igitur cur vterque peccat petendo debitum, & reddens vacet culpã reddendo, adæquata eſt, quia illa circumſtantia violationis voti, vel prauæ intentionis, ſolum ſe tenet ex parte perſonæ exigentis, & non ſe tenet ex parte actus, neque afficit illum, atque ideo poteſt eam actionem copulæ præſtare, ac reddere alter coniux reddens. 15

Ad rationem dubitandi & ad argumenta pro parte affirmante *numer*. 1. propoſita.

Ad primum, negatur antecedens, ſi peccet ratione 16
circumſtantiæ

Digitized by Google

circunſtantiæ ſe tenentis tantùm ex parte ſubiecti, ſeu perſunæ, vt contingit in præſenti; verè enim coniux voto ligatus caſtitatis habet ius in corpus alterius, neque exigit iniuſtè contra iuſtitiam, ſed illicitè, propter votum contra virtutem religionis.

Ad ſecundum dico illam maiorem eſſe veram, vbi illa ſunt ſecundùm rem, & voluntatem inſeparabilia, ſecus ſi ſeparati valeant penes affectum & voluntatem, vt dixi *num.* 13.

Ad tertium dico, eo argumento bene probari, ſi contingat coniugem ſine graui incommodo poſſe negare debitum, & ſperet fore, vt hac, ratione efficiat, vt alter in poſterum ab eiuſmodi petitione deſiſtat, ad hoc ex charitate teneri, quia tenetur alterius peccatum impedire, cum commodè poteſt. Sed hoc rarò contingit; nam communiter ex negatione redditionis debiti merito timentur grauiora mala, quàm ex redditione, ideoque communiter talis redditio debiti licita eſt.

Argumentum pro parte negante propoſitum in dicta ratione dubitandi, probat manifeſtè noſtrum tertium dictum *n.* 11. propoſitum.

DISPVTATIO LI.

De voto ſimplici caſtitatis religionis, non contrahendi matrimonij, & ſacros Ordines ſuſcipiendi, impediente vſum matrimonij.

DICTVM eſt hactenus de actu coniugali licito, obligatorio, & etiam de illicito; agendum eſt iam de his quæ priuant iure exigendi debitum, ſeu actum coniugalem. Huiuſmodi ſunt votum, cognatio ſpiritualis, & affinitas poſt matrimonium orta. In præſenti de voto ſermo inſtituitur, in ſequentibus verò de cognatione, & affinitate. Poteſt autem contingere votum variis modis. Nam poteſt emitti, vel ab altero coniuge tantum, vel ab vtroque: item vel antequam matrimonium ineatur, vel poſtea: item poteſt fieri vt vnus coniugum voueat caſtitatem, aut religionem altero ignorante, aut inuito: vel contra ipſo conſentiente, vel etiam iuri ſuo renuntiante. Et ſimiliter poteſt vterque vouere per ſe ſeparatim independenter ab altero, vel cum mutuo pacto ac conſenſu. His igitur omnibus modis diſcutrendum eſt in hac re; ac ſemper agendum non de voto ſolemni, ſed de ſimplici emiſſo in ſeculo.

SECTIO I.

An voto caſtitatis ligatus, matrimonium iniens, poſſit debitum petere.

1 CErtum eſt, matrimonio ſemel iam conſummato teneri coniugem voto caſtitatis aſtrictum, reddere debitum alteri petenti. Ratio eſt, quia voto non obſtante tranſtulit verum corporis dominium in alterum coniugem: at maior eſt obligatio matrimonij, quô fit prædicta corporum actualis traditio, quàm voti ſimplicis, quod meram promiſſionem importat. Id quoque verum eſt, tametſi coniux petens conſcius voti alterius coniugis, cum eo contraxerit. Quia ex vna parte hic per contractum matrimonij, quamuis ab ipſo illicitè contra Religionem factum, verè acquiſiuit dominium corporis illius, qui caſtitatem vouit; & ex altera petendo, non facit contra votum alterius, nec ipſe vouerit, neque alterius ſvoto conſenſerit, ſed vtitur iure ſuo. Vnde fit vt vir conſcius voti virginis, quam deſponſauit ſibi per matrimonium, non ſolùm dominium corporis eius acquirere, & perpetuo retinere, propter validitatem matrimonij, ſed etiam libere illa vti, non ſolum reddendo, ſed etiam exigendo. Quia ille non obligatur ad non petendum proprio voto caſtitatis, quia illud non habet, vt ſupponitur, nec obligatur voto vxoris, quia votum non obligat niſi vouentem, nec obligatur ratione peccati commiſſi inducendo, vel cooperando ad fractionem voti, quia fractio voti non obligat poſtea ad recompenſationem, ſed ad pœnitentiam ipſum vouentem; ergo multo minos obligabit cooperantem vel inducentem.

Difficultas eſt, num tali coniugi voto caſtitatis aſtricto licita ſit debiti petitio; præſertim vbi ſemel matrimonium iam eſt conſummatum.

Ratio enim dubitandi eſt *primò*, quia videtur eſſe ea intentio vouentis, vt ſolum extra matrimonium ſit caſtitas obſeruanda. Hac enim de cauſa qui promiſit religionem, quamuis culpa ſua non ingrediatur, non tenetur extra illam ſeruare vota paupertatis, & caſtitatis, quia vouentis intentio præſumitur eſſe, vt ſolùm in religione ea obſeruet. 2

Secundò, maior difficultas ſuperueniens eximit à voti obligatione; vnde hac de cauſa qui poſt votum caſtitatis contraxit matrimonium, non tenetur ante conſummationem ingredi religionem, quia eſſet nimis durum ad tale votum ſeruandum, obligari ad aſſumendum medium ita arduum, & difficile, & multo difficilius tota re voto promiſſa. At matrimonio iam inito longè difficilius eſt caſtitatem ſeruare, abſtinendo à petitione debiti; eritque vouens maximo peccandi periculo expoſitus cum debeat cohabitare, imò & ſæpe in eodem lecto accubare cum altero coniuge.

Tertiò, redderetur matrimonium alteri coniugi valde oneroſum, cùm ſemper eſſet cogendus petere; maximè ſi coniux qui vouit, ſit vir ipſe.

Oppoſitam ſententiam veriorem iudicant omnes communiter Doctores, quorum plurimos refert Sanchez, & ſequitur *lib. 9. diſputat.* 53. *num.* 5. Iuxta quam

Dico *primò*, ſi ligatus caſtitatis voto contrahat, nunquam poſſe petere debitum. Ita ſtatutum eſt *cap. quidam 3. de conuerſione coniugatorum*. Vbi Alexander Tertius decernit de quodam qui renitente vxore profeſſus eſt, quamuis profeſſio non tenuerit, teneri non exigere debitum, quod in eius poteſtate erat, & ideo quoad hoc votum tenuiſſe. Et ratio eſt, quia iſte ante matrimonium iam ſe obligauerat ad ſeruandam omnimodam caſtitatem; ergo & modò obligat tale votum quantum poteſt, ſed ſine præiudicio matrimonij poteſt caſtitatem ſeruare non petendo, cum ex vi contractus, vt dixi præcedenti diſputatione *ſect.* 1. *n.* 3. & 4. non obligetur petere; ergo. Firmo, quia votum caſtatis includit vim & obligationem præcepti negatiui abſtinendi ab omni venereo actu; ergo obligat ſemper, & pro ſemper; ergo licèt inito iam matrimonio teneatur vouens, reddere ratione vinculi fortioris, nempe ratione perpetui iuris alterius; at non poterit petere, quia ille, etiam poſt matrimonium conſummatum, eſt liber ad non petendum, quia non 3

petendo

Digitized by Google

petendo non præiudicat alteri.

4 Dico *ſecundo*, etiam infidelem votum caſtitatis emittentem, ſi poſtea vxorem ducat, non poſſe petere. Patet ob eandem rationem, quæ etiam militat in infideli, quia cùm voti obligatio ſit de iure naturali, æquè obligat fideles ac infideles.

5 Dico *tertiò*, idem dicendum de illo qui poſt votum virginitatis abſolutè contractum, matrimonium contraxit, attenta voti illius natura, nunquam poſſe petere debitum. Ita cum D.Thom. communiter Doctores 2. 2. *q.88. art. 3. ad* 2. Ratio eſt, quia in eo voto per ſe & ex natura ſua includitur perpetua continentia ab omni actu venereo, adhuc omiſſa virginitate; ergo ſupereſt obligatio deinceps continendi; ergo de tali voto virginitatis abſolutè promiſſæ iudicandum eſt omnino, ſicut de voto caſtitatis; ergo ſi is qui virginitatem vouit, poſtea matrimonium contrahat, nunquam poterit exigere debitum. Dixi, *attenta voti illius natura*: nam ſi expreſſa vouentis intentio ſolum fuit obligandi ſe ad ſolam à primo actu venereo continentiam, quo virgo permaneret; tunc amiſſa virginitate poterit debitum petere. Patet, quia obligatio voti non aliter reſpicit materiam aliquam, quàm votum ipſum illam reſpiciat. At in eo caſu votum non reſpicit continentiam ab aliis actibus, niſi mediante continentia à primo, quæ fuit primaria, ac immediata voti materia; ergo vbi votum iam non reſpicit illam continentiam à primo actu, quia facta eſt impoſſibilis, non etiam reſpiciet continentiam ab aliis, atque adeò nec voti obligatio ſuper illam cadet. Igitur matrimonio ſemel conſummato, cùm iam voti materia facta ſit impoſſibilis, & ideo voti obligatio ceſſauerit, poterit petere. In dubio autem de intentione in prædicto voto virginitatis, cenſeo cum communi doctrina obligare ad perpetuam continentiam: quia votum ſuaptè natura ad id obligat; vnde ipſum poſſidet vim obligandi, dum de oppoſita vouentis intentione non conſtat.

6 Dico *vltimò*, ſi vterque coniugatus ante matrimonium voto caſtitatis ſit aſtrictus, poſt conſummatum matrimonium, neutrum poſſe petere; teneri tamen vtrumque alteri petenti reddere debitum. Ita rectè notauit Sanchez *diſput.* 31. *et. numer.* 8. Ratio eſt, quia per matrimonij contractum vterque coniugatus tranſtulit verum ſui corporis dominium in alterum; ergo tenebitur vterque reddere debitum alteri petenti. Neutri tamen licitum erit petere, impediente voto caſtitatis vtriuſque. Et quamuis neuter ratione voti licitè exigere queat; non tamen priuat votum iure iuſtitiæ erga alterum ſibi debitorem, vt ſatis conſtat ex dictis *diſput. præcedenti ſect.* 5. *per totam.*

7 Ex dictis colligo, votum caſtitatis præcedens, per ſubſequens matrimonium non extingui, ſed triplicem cauſare effectum. *Primus* eſt, ſi coniux voto caſtitatis aſtrictus cum alia fornicetur, reus erit præter adulterium ſacrilegij contra votum. *Secundus*, teneri ſub mortali abſtinere à debiti petitione. *Tertius*, altero coniuge defuncto teneri omnino caſtitatem ſeruare. Quia ceſſauit iam fortius vinculum matrimonij, quod cogebat copulæ vacare, debitum reddendo.

Ad argumenta propoſita *num.* 2.

8 Ad primum negatur antecedens, quia abſolutè vouens caſtitatem, ad omnimodam caſtitatem ſibi poſſibilem obligatur. Vnde tametſi ceſſet in illo voti obligatio, quæ eſt incompatibilis cum vinculo matrimonij, & ideo tenetur reddere debitum; non tamen ceſſat id quod eſt cum ipſo compatibile, nempe triplex ille effectus præcedenti numero memoratus. Diuerſa verò eſt ratio vouentis caſtitatem, ac religionem: nam vouens religionem non vouet formaliter illa vota, nec includuntur veluti partes in eo voto: non enim includuntur immediatè ſub obiecto formali voti religionis, ſed vbi ſtatus religionis aſſumptus fuerit. At vouens caſtitatem formaliter vouet abſtinentiam ab omni actu venereo, ſiue petendo, ſiue reddendo. Vnde non petere, & non reddere continentur formaliter ſub obiecto voti caſtitatis: propter obligationem tamen ſatisfaciendi alteri coniugi habenti ius, quod fortius eſt, non agit contra votum formaliter, reddendo.

Ad ſecundum, dico quando maior difficultas eſt extrinſeca & in obiecto ipſius voti non eſt incluſa, excuſare ab impletione ipſius, qualis eſt ingreſſus religionis vt votum caſtitatis ſeruetur; non enim ſtatus religionis in eo clauditur voto: ſecus verò eſt, quando difficultas eſt intrinſeca, & formaliter in ipſius voti obiecto incluſa, qualis eſt in voto caſtitatis abſtinere ab omni actu venereo poſſibili ſecundum vouentis ſtatum. Nec obeſt illud periculum cui expoſitus eſt vouens; nam ſua culpa ſe expoſuit illi, & patet remedium diſpenſationem impetrandi.

Ad vltimum, dico tametſi tunc reddetur matrimonium aliquantulum oneroſum: teneri nihilominus alium coniugem id pati, quia exigit id natura voti à ſe liberè emiſſi.

Sectio II.

Vtrùm coniux cui debiti petitio interdicta eſt ratione voti caſtitatis, poſſit aliquando, & teneatur petere.

De hac re optimè Sanchez *lib.* 9. *diſput.* 7. iuxta eius doctrinam,

Dico *primò*, virum, ſiue maritum, cui petere eſt interdictum, cùm tamen reddere teneatur, vt contingit quando eſt voto caſtitatis aſtrictus, poſſe aliquando inſinuare ſe vxori, & offerre ad vſum coniugalem; ac petere ab ea debitum gratia vxori complacendi, & non ei reddendum matrimonium graue & oneroſum. Ratio eſt, quia ſi id rectè inſpiciatur, potius eſt vxorem interpretatiuè petere, ac virum reddere, cùm in ſolius vxoris gratiam ſit, quæ ob verecundiam ſolet ab exactione debiti id optans arceri: ne videlicet matrimonium reddatur vxori graue, ac oneroſum, ſi quoties concubitum appetit, cogatur contra naturalem verecundiam fœminis inſitam, exigere. Hoc verò intelligendum eſt, niſi vxor vouendi caſtitatem viro licentiam conceſſiſſet. Nam in eo euentu, cum ſuo iure ceſſerit in hoc, vt permittat matrimonium ſibi fore oneroſum, marito ſe obligante ad non petendum; conqueri iure nequit de hoc onere, & quòd ipſa cogatur copulam appetens, expreſsè, aut interpretatiuè petere. Ex hoc dicto 1

Colligo *primò*, licitum eſſe viro ita impedito ad petendum, exigere, quoties voluntatem petendi in vxore non audente præ verecundia, coniecerit. Quia id eſt in vxore interpretatiua, & tacita petitio, in viro autem redditio. Cùm enim mulieres verecundæ ſint, nec ſoleant verbis expreſſis petere, ſufficiens ſignum eſt tacitæ petitionis. 2

Collige *ſecundò*, quoties licebit viro ita impedito petere ab ea debitum: toties enim id ei licebit, quoties marito prudenter viſum fuerit honeſtum; attendendo ad eam rationem ne matrimonium reddatur vxori graue ac oneroſum, ſi quoties copulam appetit, cogatur contra naturalem verecundiam fœminis à natura 3

tura inſitam exigere. Quoniam verò ex fœminis quædam ſunt in venerem propenſiores aliis, & conſequẽter copulam appetant viri frequentius; ideo ad hoc librandum prudenter attendenda eſt conditio natiua vxoris, ac eius in copulam propenſio.

3 Dico *ſecundò*, non eſſe idem dicendum, quando vxor eſt voto caſtitatis aſtricta. Probatur, quia regulariter non eſt idem iudicium, neque eadem ratio. Nam nec viro indecens eſt exigere, nec ipſum pudet, & ideo non redditur ipſi oneroſum matrimonium, ſi ſemper dum petit, cogatur petere. At ſi maritus talis eſſet, vt more fœminæ non auderet petere, præ verecundia; tunc idem dicendum eſt de fœmina, cui petere eſt interdictum; poteſt enim ſe aliquoties marito ad eum vſum offerre, & ab eo petere, volente concubitum, nec ab eo petere audente.

4 Dico *tertiò*, licere coniugi voto caſtitatis impedito exigere ab altero, vbi in ipſo periculum incontinentiæ ſentiret. Ratio eſt, quia hoc eſt quodammodo reddere: & quia votum non obligat ad non petendum cum diſpendio ruinæ alterius coniugis. Et quãuis, vt ſuprà dixi, non poſſit coniux ſic impeditus offerre ſe alteri qui vouendi conceſſerat licentiam; at ſi periculum ſit incontinentiæ in altero, tenebitur. Quia concedens eam licentiam ſolùm ceſſit iuri ſuo, vt alter non teneatur ſibi aliquoties ſe offerre, gratia non reddendi matrimonium oneroſum. At in hoc caſu obligatio non conſurgit ex hoc capite, ſed ex obligatione orta ex ipſamet matrimonij inſtitutione, & bono fidei. Ex inſtitutione quidem, quia matrimonium poſt naturæ lapſum inſtitutum eſt in concupiſcentiæ remedium, ac proinde vbi alter hoc remedio indiget, licèt non petat, tenetur alter coniux offerre; ſicut medicus ægroto, cui medetur, tenetur adhibere medicinam, quam ei ſalubrem fore exiſtimat, quamuis non petat. Ex bono fidei; quia ad bonum fidei ſpectat non tantum reddere debitum, ſed etiam abſtinere ab alio concubitu; ergo vbi periculum eſt incontinentiæ in altero, ad fidelitatem quam ſibi mutuo coniuges debent, pertinet ſubuenire petendo debitum, vt ſic ardor & illa praua libido impellens illum ad illicitam copulam, frigeſcat. Vnde in hoc caſu nullam differentiam pono, ſiue vir ſit cui debitum petere eſt prohibitum, ſiue ſit fœmina. Quamuis ceſſante incontinentiæ periculo ſit verum diſcrimen adductum ſuprà numero præcedenti.

5 Eſt verò notandum, ſi coniux voto caſtitatis aſtrictus agitetur carnis tentationibus etiam vehementibus, non licere ſibi petere debitum. Quia id nullo ſolido fundamento aut iure licere, probatur. Non enim ſuaui iugo Chriſti aduerſatur, ſicut nec illi repugnat, votum caſtitatis impedire matrimonium contrahendum abſque diſpenſatione, non obſtantibus vehementis carnis ſtimulis. Nec iuuat inſtitutio matrimonij poſt lapſum, vt huic incontinentiæ ſubueniatur. Quia ea ſe medicina deſtituit quoad facultatem petendi qui caſtitatem vouit, licet ſit matrimonio ligatus.

6 Dico *quartò*, coniugi voto caſtitatis aſtricto licere ſignificare alteri coniugi ſuum impedimentum, ne eius petitionem expectet. Ratio eſt, quia id propriè non eſt petitio debiti, quæ ſola interdicitur, ſed redditio; ne reddatur ei matrimonium oneroſum. Eſt verò notandum coniugem voto caſtitatis ligatum non teneri indicare alteri ſuum votum, vt à petendo abſtineat, quamuis nouerit fore vt non petat. Quia actus copulæ reddendo deſinit eſſe voti materia, durante obligatione reddendi ob matrimonium. Idem ob eandem rationem dicendum eſt, quocumque alio exiſtente impedimento.

Dico *quintò*, talem coniugem impedimentum non poſſe prouocare non impeditum vt petat; nec è contra hic illum, licèt eius timeat lapſum. Hoc videtur 7 certum. Patet *primum*, quia illud eſſet exigere, quod eſt illi per votum caſtitatis prohibitum. *Secundum* ſimiliter liquet, quia illud eſt incitare ad peccatum. Debet ergo tunc ab eo debitum petere, vt ſic licitè actum coniugalem exerceat, quem petendo illicitè exerceret.

Dico *vltimò*, ſi ambo coniuges promiſerunt Deo 8 ſe debitum non petituros, poſſe licitè copulam habere, quando quilibet ſentiret alium indigere propter incontinentiæ periculum. Probatur, quia tametſi nequeant debitum petere, quia id aduerſatur voto emiſſo, tamen in eo euentu neuter verè petit, atque ideo neuter peccat aduerſus votum; & ex alia parte eſt quodammodo redditio, cum neuter gratia ſibi ſatis faciendi, ſed gratia annuendi voluntati alterius coniugis accedat, cui reddere tenetur. Idem dicendum ob rationem dictam, quando vterque coniux nouit alterum affectare copulam, & petiturum, ſi poſſet. Quia eſt quodammodo redditio, & in gratiam alterius. Idemque dicendum, licet communi conſenſu id votum emiſerint. Quia cùm ſolum ſe non petituros promiſerint, reddere tenentur; & illa copula eſt quodammodo redditio. Idem dicendum ſi votum abſolutum ante, vel poſt matrimonum coniuges emiſerint, non communi conſenſu. Quia id votum non eximit ab obligatione reddendi, ſed ſolum obligat ad non petendum. Eſt verò notandum ſi coniuges per viam pacti mutuo conſenſu caſtitatem vouiſſent, non poſſent licitè copulam habere, nec mutuam exigendi voluntatem exhibere. Quia iam nec petendi, nec reddendi facultatem habent. Quòd ſi coniuges non mutuo conſenſu caſtitatem vouiſſent, & alter ſigna petitionis oſtenderet, nullo modo hic alius reus eſſet culpæ. Ratio eſt, quia illa eſt petitio interpretatiua & tacita, & ideo grauiter peccaret. At verò alter annuens prædictæ petitioni, vacat omni culpa, quia verè reddit, ad quod ex iuſtitia tenetur, non obſtante voto caſtitatis.

Sectio III.

An voto caſtitatis aſtrictus, contrahens matrimonium, teneatur ingredi religionem; an potiùs poſſit illud reddendo debitum conſummare.

Sententia eſt D. Th. Scoti, Petri Soto, Roſellæ, Armillæ, Sylueſtri, & aliorum, quos refert Coninch *diſput. 34. dub. 5. n. 34.* affirmans, teneri ante conſummationem matrimonij ingredi religionem ad non violandum votum. 1

Primò, quia talis ante matrimonium tenebatur abſolutè ſeruare caſtitatem, nec per ſuum ſcelus, quo matrimonim contraxit, potuit ſe illa obligatione eximere; ergo etiam poſtea tenetur ſeruare caſtitatem quantum poteſt. At poteſt eam abſolute ſeruare ingrediendo religionem; ergo ad hoc tenetur, quia ſi religionem non ingrediatur, tenebitur ad reddendum alteri coniugi, quo violabit votum caſtitatis. Firmo, quia iſte tenetur ſeruare caſtitatem quantum poteſt ex vi voti, ſed ante conſummationem matrimonij poteſt illam integrè ſeruare ingrediendo religionem, quia tranſacto bimeſtri cogetur conſummare; ergo tenebitur ingredi. Qui enim tenetur ad aliquem finem,

nem, tenent quoque ad medium vnicum.

Secundò, votum caſtitatis in ordine ad matrimonium eſt fortius religionis voto, cùm illud debiti petitione ſemper priuet, hoc verò non: ſed voto religionis aſtrictus peccat prima vice reddens; ergo à fortiori ligatus caſtitatis voto.

Tertiò, qui videt clare ſe non poſſe votum caſtitatis, quod emiſit, abſque ſummo periculo in ſeculo obſeruare, tenetur ingredi religionem, ut id contingit in præſenti.

2 Contrariam ſententiam, non teneri religionem ingredi, nec peccare matrimonium conſummando, reddendo debitum, vt veriorem ſequuntur quamplurimi, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 9. diſp. 34. n. 3.* Coninch *diſp. 34 dub. 8. n. 35.* Baſilius Ponce *lib. 10. c. 5. n. 12* Gaſpar Hurtado *diſp. 10. difficult. 8. n. 32. & 33.* & alij.

3 Dico *primò*, prædictum coniugem voto caſtitatis ligatum ante contractum matrimonium non teneri ante conſummationem ingredi religionem ad illud votum implendum, ſed poſſe matrimonium conſummare, non exigendo, ſed reddendo. Probo id *primò*, quia iſte non vouit religionem ingredi; ergo non eſt ad id cogendus, vt poſſit ſeruare caſtitatem; quia vt huius voto ſatisfaciat, non tenetur ſuſcipere medium tam arduum, ac difficilius re ipſa quam vouit. Sicut ſi quis habitans Romæ vouiſſet peregrinationem ad Virginem Lauretanam, ſi poſtea trāſferret domicilium ante impletionem voti in Indias, tametſi peccaret, tamen hoc facto non obligaretur voto, quia contrarium eſſet nimis durum, ac moraliter impoſſibile. *Secundò* nemo tenetur rem inferioris ordinis compenſare cum re ſuperioris ordinis meritiſſima, vt qui debet pecuniam, quam abſque vitæ, vel famæ detrimento reſtituere nequit, excuſatur. At talis eſt religio reſpectu continentiæ promiſſæ. Quamuis enim religio ſit magnum Dei donum; id tamen eſt ſponte eligenti. Vnde negari non poteſt eſſe grauiſſimum onus, & tale, vt nemo ſit illud ſubire compellendus, niſi ſe expreſſe obligauerit; & conſtat ſtatum religioſum niſi ſponte ſuſcipiatur, difficiles ſolere exitus habere. Denique id manifeſtè oſtenditur ex Extrauaganti Ioan. XXII. *Antiquæ concertationi, de voto.* In qua decernit eum, qui poſt contractum matrimonium ante conſummationem inuita vxore fuerat Sacris initiatus, inducendum quidem, non compellendum vt Religionem ingrediatur; nolentem autem ingredi, compellendum vt petente ſponſa matrimonium conſummet; cùm tamen talis ſuſcipiendo Ordinem ſacrum obligauerit ſe voto caſtitatis. Hæc enim ſunt verba Pontificis. Ad ingreſſum huiuſmodi (nempe Religionis) ſic ordinatum, ſi matrimonium conſummatum non fuerit, per Diœceſanum inſtāter moneri præcipimus, & induci: quod ſi forſan renuerit adimplere, ipſum, ſi ſponſa eius inſtiterit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellendum decernimus contractum matrimoniū conſummare. Vbi Gloſſa, verbo, *renuerit adimplere*, ait Pontificem expreſsè ſupponere, licere illi renuere. Quia aliàs non eius voluntati id relinqueretur, ſed potius compelleretur. Si igitur ex hac deciſione conſtat coniugem promotum ad Ordinem ſacrum poſt matrimonium ratum, cùm poſſit caſtitatem in eo promiſſam obſeruare religionem ingrediens, ad id non teneri; à fortiori non tenebitur qui ante matrimonium vouerat caſtitatem. Quare cùm ille ſit compellendus reddere debitum per Eccleſiaſticam cenſuram poſt bimeſtre iure conceſſum, vt ibi deciditur; manifeſtum eſt illum non peccare reddentem, ſed potius ſi debitum negaret, verè peccaret. Hoc argumentum adeò efficax eſſe cenſetur, vt meritò dicat Baſilius Ponce ſe non videre quomodo ſtante dicta Pontificis deciſione, ſententia oppoſita defendi queat. Hinc

Dico *ſecundò*, idem dicendum eſſe, ſi votum caſtitatis emittatur poſt matrimonium ratum. Probatur rationibus numero præcedenti adductis, maximè deciſione dictæ Extrauagantis. Vbi, vt dictum eſt, deciditur, ſic ſacris initiatum non teneri ad religionem, vt votum obſeruet. Addo nec teneri ingredi religionem, etiamſi velit alter coniux cedere iure ſuo abſtinens à debito petendo, niſi expreſsè voluiſſet, dum caſtitatem ſic vouit, ſe ad religionem obligare, quamuis ſciret non poſſe caſtitatem, quam promiſit, obſeruare, niſi ingrediendo religionem. Ratio eſt, quia adhuc eſt medium difficilius & altioris ordinis: & nemo tenetur rem furto ablatam alteri reſtituere, patiendo iacturam in re altioris ordinis, tametſi tempore furti crederet ſe aliter non fore reſtituendo, & eam iacturam teneri pati. Explico id clariùs, diſtinguendo rem ipſam. Nam ſic vouens, ſi tempore quo caſtitatem illam vouit, actu non meminit ſe ad religionem obligari, non tenebitur ad religionem. Quia votum ad id non obligat ſuapte natura, nec vouentis intentio fuit ad religionem ſe obligare, ſed illud ſimpliciter abſque alia intentione emiſit. Si verò tempore quo caſtitatem vouit, actu meminit ſe ad religionem obligari, tenebitur vtique, quia reuera id eſt vouere vtrumque. Ratio eſt, quia votum in tantum obligat, in quantum vouens ſe obligare intendit; naſcitur enim obligatio voti ex propria voluntate. At vouens tunc caſtitatem, intelligens ſimul ſe ad religionem obligari, iam expreſsè vtrumque amat vt ſui voti obiectum; manebit ergo ad vtrumque obligatus: ſicut qui exiſtimaret eſſe votum, dicere ſic, faciam hoc; teneretur vtique ex vi voti. Quia iam ea verba proferens obligationem voti amplectitur, ad quam forma verborum non eſt neceſſaria, poteſt enim ſola mente fieri. 4

Dico *vltimò*, eum qui poſt ſponſalia de futuro emiſit votum caſtitatis, non teneri ad religionem ingredi, ſed poſſe ingredi, ſi velit, ſin minus, teneri ſponſalia perficere matrimonio contracto. Ita communiter Doctores. *Primum* probatur ex dictis, quia iſte non vouit religionem, & licèt iam non aliter poſſit integrè ſeruare votum niſi ingrediendo religionem, non ideo tamen tenetur, tam notabili mutatione, & tam difficili, ac eſt ingreſſus religionis, illud perfectè implere. *Secundum* liquet, quia cùm ſponſalia per tale votum non diſſoluantur, tenetur illa implere. 5

Ad argumenta primæ ſententiæ.

Ad primum, dico tametſi poſſit metaphyſicè loquendo implere votum ingrediendo religionem, non tamen poſſe moraliter, & eo modo quo ſe obligauit vt probatum eſt. Ex quo patet ad confirmationem, tametſi ingreſſus in religionem ſit medium vnicum ad ſeruandum integre votum, eſt tamen valde extraordinarium, ac difficile. Ex obligatione enim finis ſequitur obligatio mediorum, quæ ordinariè, & ſine maxima difficultate adhiberi poſſunt. Sic Valentinus qui vouiſſet peregrinationem ad Virginem *del Pilar* nuncupatam, peccaret quidem transferendo habitationem Romæ ad implendum votum; ſemel autem facta illa mutatione, nullus illum obligaret ad votum implendum. Sic ſimiliter peccabit iſte nubendo, ſemel autem matrimonio inito, non tenetur cum tanta difficultate ſeruare illud votum, aſſumendo ſtatum, & rem longè difficiliorem. 6

Ad ſecundum, reſpondeo votum caſtitatis eſſe fortius

Digitized by Google

tius & ſtrictius religionis voto, quantum ad aliquid, nempe quoad priuandum petitione debiti: eſſe verò minus ſtrictum quoad obligandum ad religionis ingreſſum, ob rationes ſuprà allatas.

Ad tertium, dico caſum illum antecedentis non poſſe moraliter contingere: neque enim poteſt occurrere euentus, in quo ingreſſus religionis ſit medium ſimpliciter neceſſarium ad ſeruandam caſtitatem promiſſam, cùm poſſit vouens manens in ſeculo aliis mediis vti, orationis & pœnitentiarum. Quod adhuc præ fragilitate tentationibus ſuccumbat, ſumat medium petendæ diſpenſationis.

Sectio IV.

An votum caſtitatis emiſſum poſt matrimonium conſummatum, ab altero coniuge ſine alterius licentia, ſit validum, & obliget etiam ad non reddendum.

1 CErtum videtur, ſi votum caſtitatis emittatur poſt matrimonium nondum conſummatum, & animo ingrediendi religionem, eſſe omnino validum, & obligare ad non reddendum, quoties redditio eſt voluntaria, vt priori bimeſtri ante matrimonij conſummationem Patet, quia is vouens licèt id intendens potuit ſe obligare ad omnimodam caſtitatem; idque intendit, cum abſolutè vouerit caſtitatem, & vt eam ſeruare poſſet, habuit dum vouit animum tranſeundi ad religionem. Si verò non animo ingrediendi religionem, nec de ingreſſu cogitans promiſit; idem iudico dicendum, quod modò diſputandũ eſt de eo voto emiſſo poſt matrimoniũ cõſũmatũ.

2 De quo ſentiunt nonnulli, ſi fuit à coniuge emiſſum ſine licentia alterius, non valere, præſertim quando vir illud emittit.

Primò, quia illud cedit in graue vxoris præiudicium, cui ob innatam verecundiam graue eſt, ſi ſemper debeat petere, quoties matrimonij vſũ appetit.

Secundò, verior doctrina edocet votum rei partim licitæ, & partim illicitæ, vel partim poſſibilis, & partim impoſſibilis factum per modum vnius ad nihil obligare. At in præſenti caſu per modum vnius cadunt ſub votum caſtitatis nec petere, nec reddere debitum; nam à vouente reſpicitur vtrumque tanquam obiectum comprehenſum in caſtitate. Igitur, ſicut vouens ſe nunquam peccaturum, quia reſpicit per modum vnius omnia peccata, vt ſub ratione generica peccati includitur, non tenetur virtute illius voti vitare etiam partem peccatorum poſſibilium, ita ſimiliter cum pars talis voti ſit de re illicita, & contra iuſtitiam, qualis eſt non reddere poſt conſummatum matrimonium, corruet totum votum.

3 Dico *primò*, votum caſtitatis abſolutum poſt matrimonium conſummatum, factum ſine licentia coniugis, validum eſſe, & obligare. Ita quamplurimi, quos refert & ſequitur Sanchez *diſput. 35. numer. 25.* Coninch *diſput. 34. dub. 6. n. 40.* Baſilius Ponce *lib. 10. cap. 5. n. 19.* & alij. Probatur manifeſtè ex *c. quidam 3. de conuerſ. coniug.* vbi quando vir renitente vxore profeſſus eſt, decernitur profeſſionem fuiſſe nullam, at obligari vouentem ad votum caſtitatis in ea profeſſione emiſſum, in quantum ſe potuit obligare. Verba enim ſunt huiuſmodi. Votum non tenuit, vlteriùs verò non poterit vxorem accipere: promiſit enim ſe non exigere debitum, quod in eius poteſtate erat, & ideo quoad hoc votum tenuit: nõ reddere autem non erat in eius, ſed in mulieris poteſtate. Idem habetur *cap. placet 12. de conuerſ. coniugatorum*; vbi ſermo eſt de muliere coniugata, quæ credens virum obiiſſe profeſſa eſt. Et ſic dicitur. Licèt votum eius vſquequaque non tenuerit eatenus tamen fuit obligatoriũ, quatenus poterat ſe obligare. Ratione probatur, quia ſic vouens vouet caſtitatem modo ſibi poſſibili, at ille etiam poſt matrimonium conſummatum poteſt, & eſt liber ad non petendum, quia non petendo non præiudicat alteri coniugi; ergo obligatus manet quoad hunc actum non petendi debitum.

Dico *ſecundò*, vouens ſic caſtitatem poſt matrimonium conſummatum, licèt intendat abſolutam caſtitatem, at non intendit vouere omnes eius actus per modum vnius rei indiuiſibilis. Probatur, quia vouens caſtitatem ante matrimonium, non promittit per modum vnius omnes eius actus; aliàs iniens matrimonium poſtea, cùm iam tota materia non eſſet poſſibilis, ſed tantùm pars, ad nihil teneretur, quia ſimpliciter eſſet de materia inepta, & incapaci, nam directè caderet in totam illam materiam, vt vnum quid eſt, & inde acciperet rationem, & proprietates ſuas. Vnde ſi talis intenderet vouere abſolutam omnino caſtitatem, qua obligetur ad omnes actus eius non petendi, nec reddendi, idque per modum rei indiuiſibilis, ita nolit ſe obligare ad vnam ſolam partem, inualidè id faceret, quia hoc illi impoſſibile eſt. Firmo, quia prædictum votum caſtitatis non reſpicit abſtinere à petitione, & redditione, & ab alio matrimonio ineundo, & à fornicatione, tanquam indiuidua ſub vna ſpecie, aut ſpecies ſub vno genere contenta, ſed tanquam actus diuerſos caſtitatis; & obligatio hæc eſt commodè ſeparabilis ac diuiſibilis; ſi ergo omnes actus ſunt poſſibiles, obligabit ad omnes: ſi aliqui non ſunt ratione ſtatus poſſibiles, obligabit ad cæteros, & tunc dabitur ſufficiens ratio diuiſionis, ac ſeparationis, atque ita materia erit diuidua, nec promiſſa per modum vnius, & conſequenter pars inutilis non vitiabit vtilem, quia hæc regula intelligitur; quando vtile ſine inutili conſiſtere poteſt. Quod patet variis exemplis: nam ſi quis vouit ire genibus flexis Ieroſolymam, tenetur ire modo poſſibili, reiecto impoſſibili. Si quis etiam voueat triduo ire Romam, tenebitur ire quamprimum poſſit. Sicut *in leg. ſi quis ita 2. ff. de condit. inſtitut.* dicitur, legatum, vel inſtitutionem relictam ſub conditione, ſi intra niduum poſt mortem teſtatoris monumentum feceris, non obligare ad modum impoſſibilem, licèt obliget quoad opus ipſum. Denique ſi quis vouit ieiunare totam Quadrageſimam, & non poſſit integram, poſſit autem partem, tenetur ad partem ſecundum omnes, quia virtute continet vota ſingula pro ſingulis diebus, vnde nihil obſtat quominus tale votum ex parte ſit validum, & ex parte inualidum. Similiter ergo in præſenti dicendum de voto caſtitatis emiſſo à coniugato, caſtitatem non eſſe vnum totum indiuiſibile, ſed eſſe collectionem plurium actuum, quorum ſinguli per ſe ſub votum cadunt, quia in ſingulis honeſtas caſtitatis ſimpliciter reperitur, & per ſingulos offenditur caſtitas. Vnde materia caſtitatis negatiua non vtendi venereis, poteſt explicari quantum poſſibile fuerit, & ideo licèt quoad aliquid non ſit poſſibile, quoad cætera obligabit. Quare in vniuerſum dicendum eſt, quoties materia totalis voti non eſt totum aliquod moraliter, & ſecundùm ordinarium vſum indiſſolubile, ſed eſt tãtùm multitudo, vel collectio actuum, tũc licèt nõ ſit poſſibile totam materiam & ſingulas partes implere, nihilominus votum obligare ad partes, vel ad colle-

Digitized by Google

ctionem partium poſſibilem, vbi de contraria intentione voueatis non conſtiterit. Addo hoc vltimum; quia ab illa pendet tota obligatio, & pro libertate ſua poteſt connectere quoad obligationem ea, quæ ſecundum ſe connexa non ſunt, & poteſt nolle vnum niſi dependentet, & ſub conditione alterius, quia hoc totum liberum eſt.

5 Quæres, vnde cognoſci poterit in prædicto coniuge caſtitatem vouente, an voluerit ſe obligare per eiuſmodi votum ad omnes actus, nec petẽdi, nec reddendi, an ſolum ad non petendum? Reſpõdeo ex ipſa materia voti, quæ non poſtulat talem intentionem in coniugato, ratione ſtatus, & obligationis reddendi, & non lædendi ius alterius coniugis, quod habet in illum. Cognoſci etiam poteſt ex relatione, & conſcientia vouentis, cui credendum eſt in eius foro. Si ergo ille expreſsè concepit ſuam intentionem fuiſſe obligandi ſe ad petendum, & ad non reddendum ſimul, & non aliter, tunc ſatis conſtabit de intentione; & ita cum id ſit impoſſibile, non tenebitur votum implere. Deinde quando intentio non eſt ita expreſſa, ſpectanda eſt ratio volendi: nam ſi penſatis omnibus credatur principale motiuum vouendi caſtitatem fuiſſe omnimodam & integram puritatem, & negationem omnis actus venerei, omnino pendentem à tali modo, tunc ſignum eſt materiam illam fuiſſe intentam cum tali modo, & non aliter, quia ex motiuo & fine pendet tota voluntas, atque ideo tale votum non obligare. Eſt manifeſtum exemplum de illo qui vouit ingredi hoc monaſterium ex peculiari affectu ad illud: ſi enim fiat illi impoſſibilis ingreſſus in illud, quia non admittitur, non obligatur ad alia, quia non intendit ſe obligare ad ſtatum religioſum abſolutè, ſed veſtitum tali circumſtantia. Idem eſt ſi quis vouit confiteri intuitu lucrandi Iobileum, & præcisè ratione illius; nam ſi fiat impoſſibile Iobileum, vel quia ceſſauit antea, vel quia non poteſt vouens alias diligentias neceſſarias facere, non tenebitur confiteri. Idem denique eſt, quoties principalis finis operantis redditur impoſſibilis, quia tunc obligatio voti circa alia ceſſat, quia reſpectu voluntatis vouentis ſunt quaſi acceſſoria, quæ ceſſant, ceſſante principali.

6 Sed quid ſi poſt diligentem examinationem conſcientiæ coniugis caſtitatem vouentis poſt conſummationem matrimonij, non poſſit certò conſtare de intentione illius, ſed maneat res dubia? Dico, tale votum obligare ad id quod poſſibile eſt. Ratio eſt, quia eo ipſo quòd de contraria intentione vouentis non conſtet, iudicandum eſt votum obligare iuxta exigentiam materiæ, & intentionem fuiſſe materiæ proportionatam. Vnde licèt aliàs moueatur dubium, cùm materia talis voti ſit, vt partes eius non ſint connexæ, nec componere ſoleant vnum totum quaſi indiuiduum, quod impoſſibile eſt propter obligationem ſtatus coniugalis, votum illud obligat ad partem poſſibilem. Quia tunc ſatis conſtat de voto emiſſo; conſtat etiam quod ordinaria, & quaſi connaturali intentione factum obligat ad partem poſſibilem, & non conſtat fuiſſe aliter intentionem conceptam. Vnde pro voto, cui materia fauet, præſumendum eſt, & poſſidet votum.

7 Dico *tertio*, votum caſtitatis poſt matrimonium conſummatum emiſſum ab altero coniuge abſque alterius licentia, obligare ad non petendum debitum. Hoc eſt certum, & expreſsè definitum *cap. quidam 3. & c. placet 12. de conuerſione coniugatorum*, vt videmus, & euidens eſt ex dictis *nume. 4. 5. & 6.*

8 Dico *vltimò*, prædictum votum eſſe nullum quoad partem non reddendi, quando ex iure iuſtitiæ exigitur, at quoad partem non reddendi, quando alter non habet ius exigendi, vt ſi adulter ſit, eſſe validum. Ita Baſilius Ponce *num. 19.* ... & Coninchius *dubio 6. cit. num. 41.* & alij. Contrarium ſentit Sanchez *n. 26. & 28.* nimirum eiuſmodi votum eſſe prorſus irritum quoad non reddendum dubitum, taléque præcisè vouere non petere, nullo tamẽ modo vouere, non reddere. Probatur tamen noſtrum dictum, quia videlicet talis obligauit ſe voto caſtitatis quantum potuit, tota enim caſtitatis materia coniugi poſſibilis cecidit ſub eo voto; ergo cùm potuerit ſe obligare ad non reddendum debitum coniugi adulteranti, verè ſe obligauit ad non reddendum debitum illi; ergo tũc tenebitur implere votum quoad totam materiam. Firmo, quia ſi ſolum materia eius voti eſſet de non petendo, poſſet eo diſſoluto matrimonio aliud inire, cùm etiam alio inito matrimonio poſſet idem votum implere de non petendo, cùm tamen omnes & ipſe Sanchez expreſsè dicat nõ poſſe iniri, & conſtat ex *c. quidam*, iam ſuprà citato; ergo ſignum eſt totam materiam caſtitatis eſſe eo voto comprehenſam quoad petitionem etiam tunc, quia in eius tantum eſt poteſtate; quoad redditionem verò quando ius alterius impeditum fuerit. Impeditur autem & culpa adulterij commiſſa, aut morte, & ſic tunc tenebitur implere quoad totam materiam. Igitur dicendum eſt conſequenter, eum qui votum caſtitatis emiſit, ſiue ante, ſiue poſt conſummationem, peccare contra votum non ſolùm petendo, ſed etiam reddendo, quoties liberum eſt reddere, aut quoties alter petit illicitè ratione adulterij commiſſi. Vnde non video, quomodo hæc duo quæ docet Sanchez, cohærere poſſint. *Primum*, talem coniugatum præcisè vouere non petere, nullo autem modo non reddere, ideoque ait ipſum adulteranti coniugi poſſe reconciliari, ac petendi debitum reddere, quia hoc ipſius voto non repugnat. *Secundum*, eum mortua coniuge non poſſe aliam ducere, quia videlicet talis obligauit ſe voto caſtitatis quãtum potuit; potuit autem ſe obligare, vt coniuge mortua, aliam non duceret. Hæc inquam duo non ſatis capio quàm ſint conſequenter dicta. Nam ſi talis ſe obligauit voto caſtitatis quantum potuit, cùm potuerit ſe obligare ad non reddendum debitum coniugi adulteranti, ad hoc verè obligabitur. Si verò nullo modo ſe obligauit ad non reddendum debitum, ſicut tunc poterit adulteræ coniugi reconciliari cum animo reddendi debitum, & nunquam petendi; ita ea mortua poterit eadem intentione, aliam ducere. Neque enim hîc vlla videtur eſſe ratio diuerſitatis. Quare hac in re dicendum eſt ſi talis dum vouit, intenderit ſaltem implicitè obligare ſe ad abſolutam caſtitatem, poſito quod ſiue per adulterium coniugis, ſiue per eius mortem, nec poteſt adulteræ coniugi reconciliari, nec ea mortua aliam ducere. Præſumitur autem communiter ita vouiſſe quicumque ex ſincero affectu & amore caſtitatis eam vouet, niſi expreſsè contrarium intendat. Nam cùm talis ita amet caſtitatem, vt velit ſe ad eam, quãtum poteſt, ſeruandam obligare, quando hoc ei difficillimum eſt ob communem vſum tori; quanto magis intendit ſe obligare, vt eam integrè ſeruet, accedente caſu, quo hoc facilius longè poterit. Addo tamen ſi talis expreſsè ſolum intenderet eam vouere quatenus pro eo ſtatu eam poteſt ſeruare, nullo modo obligaret ſe ad ſeruandam caſtitatem, quatenus repugnat præcisè redditioni debiti, etiam in eo caſu quo ei eſſet licitum non reddere. Vnde talis, per ſe loquendo, non peccaret contra votum ſi adulteræ reconcilietur, aut coniuge mortua aliam ducat, modo vtrumque ea intentione faciat, vt nunquam debitum petat, ſed ſolum reddat, quia nullo

Digitized by Google

nullo modo vouit non reddere, vt bene docet Coninchius citatus *n.* 43.

9 Ad argumenta ſupra adducta *n.*2.

Ad primum dico, tametſi illud ſit oneroſum, & aliquale grauamen alteri coniugi, ideo tamen teneri id ſubire, cum vouens vtatur iure ſuo.

Ad ſecundum, admiſſa maiori negatur minor; conſtat enim ex *n.* 4. *&.* 5. non promitti caſtitatem, & omnes eius actus per modum vnius rei indiuiſibilis. Exemplum illud de voto de non peccando non opponitur noſtræ doctrinæ. Nam in primis illud votum non obligat ad ſui obſeruationem quoad totam materiam, quia eſt de re impoſſibili: nam vitare omnia peccata, venialia etiam ex ſurreptione, & collectiuè; non eſt abſolute poſſibile, quia humano modo fieri non poteſt, nec fieri vnquam contingit per gratiam ordinariam abſque ſpecialiſſimo priuilegio. Præterea ſatis probabile eſt, tale votum obligare ad vitanda omnia peccata deliberata, vel ſaltem mortalia, quia hæc pars illius obiecti poſſibilis eſt, & non eſt per ſe connexa cum alia parte impoſſibili. Videatur de hac re noſter Suarez *tom.* 2. *de religione lib.* 2. *de voto cap.* 3.

Sectio V.

Ad quid obligentur coniuges, qui vouerunt religionem ingredi.

1 IN hac re *primò* certum eſt illum qui emiſit religionis votum, obligari ante conſummationem matrimonij religionem ingredi. Ratio eſt, quia ante conſummationem poteſt licite votum illud implere; ergo tenebitur.

2 *Secundò*, conſtat quoque apud omnes, eum qui voto religionis aſtrictus, matrimonium prima vice conſummat, ſiue petendo, ſiue reddendo, mortaliter delinquere. Ratio eſt, quia dum matrimonium init, poteſt adhuc ſuum votum implere religioné ingrediés, & ad id ſe expreſſo voto aſtrinxit: & conſummans conſtituit ſe in eo ſtatu, vt implere nequeat. Vnde nõ peccat contra caſtitatem, cùm non emiſerit votum caſtitatis, ſed contra votum religionis, quia liberè apponit impedimentum impletioni voti; cùm poſt conſummationem matrimonij nõ poſſit ille ad religioné tranſire. Peccat verò duplici peccato mortali; *primò*, dũ matrimonium init animo ipſum conſummandi; & *ſecundò*, dum conſummauit.

3 *Tertiò*, ſemel conſummando matrimonio, licitum eſt voto religionis aſtricto perinde poſſe petere & reddere, ac ſi nullo voto teneretur. Hoc etiam eſt certum apud Doctores, quia iſte non fecit votum caſtitatis, & ita etiam ſi petat, non peccat contra caſtitátis votum. Qui enim vouet ſtatum, non ſe obligat ad leges illius, donec illum re ipſa aſſumat; cum in ſuo voto nullam exprimat ad illius legis obligationem; ſicut vouens ſe Ordines ſacros aſſumpturum, non tenetur donec aſſumat, recitare officium Canonicum, nec tenetur ad caſtitatem ex vi voti in illis emittendi; vnde ſi tunc fornicetur, ſimplex erit fornicatio contra virtutem temperantiæ, non contra religionem, ſicut nec tenetur ad paupertatem, & obedientiam donec profiteatur. Præterea nec peccat contra votum religionis. Quia per conſummationem matrimonij iam factus eſt impotens ad implendum votum perſeuerante matrimonio. Vnde etiamſi poſtea petat, aut reddat debitum, non apponit amplius impedimentum impletioni voti. Impoſſibilium enim nulla eſt obligatio.

Quartò, diſſoluto eo matrimonio per mortem coniugis, voto religionis ligatum poſſe & teneri tranſire ad religionem, affirmant omnes, & patet quia cum iã ceſſauerit impedimentum, poteſt ille implere ſuũ votum, ergo tenetur. Neque enim eſt cur omnino illius obligatio ceſſet, ſed tantum ſuſpenſa eſt. Idem dic exiſtẽte iuſta cauſa diuortij ob alterius coniugis adulterium, cũ ipſe vouens ſit innocẽs; tenebitur enim tunc votum religionis implere, quia iam ceſſauit impedimentum, & tranſire ad religionem poteſt, & debet. 4

His poſitis, duplex reſtat difficultas diſſoluenda. *Prima* eſt, ad quid teneantur coniuges, qui ante matrimonij conſummationem ex mutuo pacto vouent religionem ingredi. *Secunda* eſt, ad quid obligentur, ſi conſummato iam matrimonio pari conſenſu voueant religionem ingredi.

Circa priorem difficultatem, duo docet noſter Sãchez *lib.* 9. *diſp.* 37. *n.* 5. *Primum*, prædictos coniuges nõ peccare, ſiue petendo, ſiue reddendo, ſicut peccat quãdo alter ſolus vouit religionem, & matrimoniũ prima vice conſummat. Probat aſſignando diſparitatem: nã quando alter ſolus vouit religionem, ſeu etiam vterque de licentia alterius, non tamen communi conſenſu, & per modum pacti, tenetur vterque independenter ab altero religionem ingredi, quod præſtare non poteſt ſemel conſummans, atque ideo mortaliter peccat, quaſi ſe impotentem reddens ad explendum votum. At quando vterque communi conſenſu, & ex mutuo pacto vouit, poteſt vterque implere æque votum ſiue matrimonium conſummet, ſiue antea. Nam licèt antea poſſet alter ingredi altero nolente, ſecus autem poſt, & ita impotentior videatur effectus ad votum explendum: attamen ingredi non tenetur, altero ingredi nolente; cùm per modum pacti ſe obligauerit vterque, ac proinde altero impleri nolente, alter liber eſt. Quod ſi vterque velit ingredi, poteſt æque conſummato matrimonio, ac ante conſummationem. Nec votum illud religionis impedit debiti petitionem, aut redditionem, quando hæc non impediunt facultatem ingrediendi, cùm non ſit votum caſtitatis. Nec dici poteſt ſtatim voto religionis emiſſo, cùm ſtatum velint mutare, abdicaſſe eos à ſe dominium, ac ius corporum. Quia ſimplex promiſſio religionis non eſt abdicatio vſus coniugalis, vtpote qui voto non aduerſetur, ſed eſt promiſſio aſſumendi ſtatum in quo illi vſui renunciabitur voto ſolemni. *Secundum* quod ait eſt, neutrum teneri coniugem in eo euentu ad reddendum alteri ante matrimonij conſummationem. Probat, quia non priori bimeſtri, cùm ſecluſo voto ad id minime teneatur. Nec eo bimeſtri tranſacto, quia poteſt cogere alterum, vt fidem pacti ſeruet, & religionem ingrediatur; quod ſi nolit, poteſt ſe illæſum conſeruare, vt altero inuito ingredi poſſit. Quod efficere nõ poſſet trãſacto eo bimeſtri, eo voto abſque cõmuni conſenſu, & pacto emiſſo, niſi ſtatim ingrederetur religionem, propter iniuriam matrimonij. 5

Placet mihi in hac re reſolutio noſtri Coninch *diſputat.* 34. *dubio* 7. qui optimè prænotat, hæc duo multum inter ſe differre, voueo ingredi religionem, ſi tu voueas ingredi illam; & voueo ingredi religionem, ſi tu eam ingrediaris: ſicut multum differunt, aliquem vouere ingredi religionem, & eam de facto ingredi. Nam ſi priori modo voueam religionem, teneor eam ingredi, ſi alter eam verè voueat, etiam ſi eam nũquã ingrediatur; quia conditio ſub qua voui, verè impletur hoc ipſo quo alter vouet, meũ votũ nullũ eſt, quia deficit cõditio. Si autẽ, ſecũdo modo vouerim, quãtũ- 6

cumque alter religionem voueat, ad nihil obligat donec alia eam ingrediatur; quo facto ſtatim obligor ingredi, quia tunc conditio requiſita ponitur, non autem ante. Vnde ſi alter religionem nunquam ingrediatur, nunquam tenebor eam iogredi, quia deficit conditio. Quo præmiſſo,

7 Dico *primo*, cum dicto Ægidio Coninchio, ſi coniuges aote matrimonij conſummationem mutuo conſeoſu & pacto priori modo vouerint religionē ingredi, poſito quòd vterque verè oouerit, vtriuſque votum ſtatim tranſire in abſolutum. Hoc manifeſtum videtur, quia ſtatim impletur conditio ſub qua vouerunt. Quare vterque independenter ab altero tenetur religionem ingredi, poſita dicta conditione, eodem modo ac ſi ſeparatim, & abſolute vouiſſent. Norat benè dictus Coninch, quando coniuges ante conſummationem communi conſenſu, & pacto vouerint ingreſſum in religionem, cum id faciant ex vero deſiderio propriæ perfectionis, ac ſalutis, cenſeri id vooere priori modo, atque ita vtrumque independenter ab altero teneri ingredi. Hine

8 Dico *ſecundò*, dictos coniuges ſic priori modo vouentes, conſummando matrimonium peccare. Ratio eſt, quia exponunt ſe periculo manifeſto, vt fiant imporentes implere votum. Quod apertè oſtenditur. Tum quia poſt conſummationem neuter poterit ingredi, ſi pars noluerit, aut non potuerit ingredi; cùm tamen in eo caſu ex vi voti etiam teneatur ingredi. Tum etiam, quia exponunt ſe euidenti periculo ne vxor concipiat, atque ita fiat impotens ingredi religionem, & conſequenter etiam maritus ingredi nequeat. Firmo, nam vt omnes fatentur, ſi vterque coniux ſeparatim & abſolutè vouiſſet ingreſſum in religionem, peccaret conſummando matrimonium, ob rationes dictas. At vterque eo caſu eodem modo ſuo voto obligatur, ac ſi ſeparatim & abſolutè vouiſſent, vt oſtenſum eſt. Igitur eodem modo peccant conſummando.

9 Dico *tertio*, ſi coniuges ante matrimonij conſummationem, voueant ſecundo modo ingreſſum religionis, non peccare contra votum, illud communi conſenſu conſummando. In hoc ſenſu intelligenda eſt doctrina Sanchez adducta, quæ veriſſima eſt, & probator, quia cum neuter teneatur ingredi religionem, niſi altero legitimè ingrediente, neuter contra votum peccat faciendo aliquid, ex quo ſequatur, vt nequeat ingredi, niſi altero ingrediente. Imò, vt rectè notauit Coninch, neuter peccat, ſi vterque nolit ingredi, aut ſi communi coonſenſu aliquid faciant, ex quo ſequatur neutrum ingredi poſſe: quia tantum efficiunt vt deficiat conditio ſub qua vouerant, quam non tenebantur ponere, cùm ad hoc ſe non obligauerint.

Circa poſteriorem difficultatem, quando poſt conſummationem matrimonij vterque pari conſenſu & mutuo pacto vouerunt religionem ingredi,

10 Dico *primò*, neutrum peccare, quamdiu non ingrediuntur, vtendo matrimonio, petendo, vel reddendo. Ratio eſt, quia ante profeſſionem neuter tenetur ad caſtitatem. Quod intellige, niſi eſſet periculum ne vxor conciperet, atque ita redderet ſibi ingreſſum impoſſibilem propter neceſſitatem prolis, cui non poſſet ſatis proſpicere, niſi manendo in ſecuro.

11 Dico *ſecundò*, neutrum in eoeuentu teneri reddere. Ratio eſt, quia promittendo religionis ingreſſum, renunciarunt iuri petendi ſeu exigendi, ſeque videntur mutuo ab hac obligatione abſoluiſſe: cùm ad hoc, ſtatutum mutandi, facultatem ſibi ipſis conceſſerint coniuges, vt perpetuò abſtineant. Itaque habent adhuc mutuum ius & dominium, vt licitè, & amicabiliter debitum petant, non tamen vt exigant, ſeu cogant ad reddendum. Nam hæc duo iura ſeparari poſſunt mutuo pacto; ſicut priori bimeſtri, vel quando alter adulter eſt, ſeparantur. Poteſt enim illo bimeſtri vterque amicabiliter petere, vèl adulter ab innocente, non tamen exigere.

Dico *tertiò*, in prædicto euentu vnom non teneri 12
religionem ingredi, altero nolente ingredi. Patet, quia conſummaro matrimonio hoc ei non licet per ius ipſum; niſi vxor ſit ſenex, nec ſuſpecta de incontinentia, voueatque caſtitatem. Et illo caſu ſolus ille peccabit, per quem ſtat, quominus votum impleant, quia alter excuſabitur imporentia. Vnde in tali caſu peccabit lethaliter ille, qui eſt in mora implendi votum; alter autem paratus implere, vacabit culpa, quia nec tenetur, nec poteſt ingredi altero non ingrediente.

Sectio VI.

Ad quid obligetur coniux qui vouit ſacros Ordines ſuſcipere, vel non contrahere matrimonium, vel non petere debitum.

AD primam difficultatem de coniuge qui vouit ſacros ordines ſuſcipere, & poſtea matrimonium contrahit,

Dicendum *primò*, communiter peccare mortaliter, 1
maximè ſi contrahat animo conſummādi. Patet, quia hoc repugnat ipſius voto; nam conſummando reddit ſe impotentem illud implere.

Dico *ſecundò*, eum qui voto aſſumendi Ordines 2
ſacros aſtrictus, vxorem duxit, non teneri religionem ingredi, vt votum obſeruet. Conſtat ex eiſdem rationibus, quibus id eſt ſuprà *ſect.* 3. probatum de voto caſtitatis. Quia eadem eſt ratio, imò magis ad id videtur obligare votum caſtitatis. Idemque dico, quāuis poſt matrimonium ratum hoc votum emiſerit, adhuc enim non peccat conſummando, quia non tenetur ingredi religionem. Et quamuis aſtrictus voto caſtitatis peccet conſummando ad ſui petitionem, quia tenetur non petere, & ſimiliter reddendo priori bimeſtri ante matrimonij conſummationem; quia in tantum excuſatur reddendo, in quantum ad id tenetur lege matrimonij, & priori illo bimeſtri non tenetur. At aſtrictus voto aſſumendi Ordinem ſacrum non peccat etiam conſummando ad ſui petitionem, & priori illo bimeſtri, quia id votum non obligat ad caſtitatem, & ſic vbi iam ſeruari nequit, vt contingit poſt matrimonium ratum, ad nihil obligat durante eo impedimento.

Dico *tertio*, mortua coniuge, vel adulterante, vel 3
volente religiooem ingredi, ſiue ante matrimonium conſummatum, ſiue poſt, teneri implere votum ſacros Ordines ſuſcipiendi. Ratio eſt, quia hoc in ipſius eſt poteſtate, & tale votum fuit licitum, nec extinctum per vſum matrimonij, ſed ſuſpenſum. Et quamuis id certius ſit de voto religionis; nam omnes fatentur, exiſtente iuſta cauſa diuortij ob alterius coniugis adulterium, ſi ipſe vouens innocens ſit, teneri tunc votum religionis implere. Nihilominus tamen probabilius eſt idem dicendum de voto ſuſcipiendi Ordines ſacros.

Dico *quartò*, ſi id votum poſt matrimonium con- 4
ſummatum fuerit factum, obligabit pro tempore ſoluti matrimonij, idemque prorſus de illo eſt dicendum quod ſuprà dictum eſt *ſect. præcedenti num.* 4.

Digitized by Google

num. 4 quia eſt eadem ratio. Vnde ſimiliter dicendum eſt id votum obligare, quoties licebit ratione diuortij ingredi religionem, quia eadem militat ratio, & tunc pariter ceſſat impedimentum.

5 Ad ſecundam difficultatem de coniuge emittente votum de non contrahendo matrimonio, certum videtur, ſi vouerit non contrahere matrimonium, peccare contrahendo. Eſt verò duplex quæſtio. *Prima* eſt, an peccet etiam conſummando. Sentit Sanchez *diſput.* 34. *n.* 7. nullius culpæ reum eſſe ſi matrimonium conſummat. Probat, quia hoc votum non interdicit debiti petitionem. Nec impleri iam vllo modo poteſt, dum alter coniux ſuperſtes eſt, niſi ingrediendo religionem ante conſummationem, vel facto diuortio, ad quem ingreſſum non tenetur.

6 Baſilius verò Ponce *lib.* 10. *c.* 5. *n.* 16. ſecutus Ioannem Azor. *tom.* 1. *inſtitut. moral. lib.* 11. *c.* 21. *quæſt.* 7. conſulendam ait eſſe mentem vouentis, ſi enim in animo habuit tantum vouere, non contrahere, & non ſe obligare ad non conſummandum, peccabit contrahendo tantum, non conſummando. At ſi vtrumque voto ſuo comprehendit, peccat etiam in conſummando. Quòd ſi dubius animus ſit, an ſe obligauerit voto ad non contrahendum, vel etiam ad non conſummandum, in eo dubio potiùs ex natura rei interpretandum eſt vouiſſe, nec contrahere, nec conſummare, cùm videatur voluiſſe abſtinentiam à nuptiis, quæ vtrumque includunt, cum nuptiæ ordinentur ad conſummationem.

7 Dico *primò*, certum eſſe, ſi de hoc voto loquamur iuxta mentē illius qui vouet, ſi in animo eius qui vouit tantum fuit non contrahere, peccare quidem contrahendo, conſummando non item. Si verò in animo habuit neque contrahere, neque conſummare, non ei licere conſummare, etiam ſi contraxerit. Hoc per ſe manifeſtè claret.

8 Dico *ſecundo*, ſi ſimpliciter vouit non contracturū ſe matrimoniū, nihil cogitans, conſummaturus eſſet necne, non eſſe aſtrictum ad nunquam conſummandum. Ita ſentio cum Sanchez *citato*, quia hæc duo, non inire nuptias, & non eas conſummare, ſunt obiecta valde diſtincta, & minime cōnexa, atque ideo volito primo, non eſt neceſſe volitum ſit ſecundò, & conſequenter qui vouit nunquam contrahere, non ſe obſtrinxit, vt nunquam conſummaret. Quare ſicut qui iurat ſe cōtracturum, non eo ipſo ſe conſummaturum iurat, ſiquidē poſt nuptias contractas poteſt, tuta conſcientia, eas non conſummare; ita qui vouit ſe non contracturum, non idcirco vouit ſe non conſummaturum: ſunt enim res valde diuerſæ.

9 Dico *tertio*, ſi dubitet rationabiliter an ſe Deo obligauerit voto nunquā contrahendi, & conſummādi ſimul, an ſolum contrahendi, ſtandum eſſe pro libertate vouentis, non extendi votum niſi ad ſolùm non contrahendum. Patet, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Et quamuis nuptiæ per ſe contrahantur vt compleantur; ſæpe tamen non eo animo contrahuntur, & ideo attendi debet animus vouentis, & quando de illo non conſtat, pro vouente ſtandum eſt.

10 Altera quæſtio eſt, an votum habens non ineundi matrimonij, teneatur eo inito abſtinere à debiti petitione. Ratio dubitandi eſt, quia vouens abſtinentiā à matrimonio ineundo, cenſetur conſequenter vouere abſtinentiam ab illius vſu, qui matrimonium conſequitur, ad quem ipſum ordinatur, per ſe & communiter loquendo.

11 Verior ſententia eſt Doctorum, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 33 *n.* 22. licere ſic vouenti, vbi iam matrimoniū conſummauit, quod facere potuit ſine peccato, vt vidimus, reddere & petere. Ratio eſt, quia votum hoc non eſt caſtitatis, ſed tantùm habet pro obiecto non inire matrimoniū, quod eſt obiectum valde diuerſum. Firmo, nam ſi tale votū obligaret ad abſtinendum ab actu matrimonij, id non eſſet per ſe & primariò, ſed mediatè ſuppoſita abſtinentia ab ipſo matrimonio ineundo, quæ fuit primaria, & immediata voti materia. Igitur quando iā primaria materia non eſt poſſibilis, quia initum eſt matrimonium, non obligabit ad ſecūdariam, nempe ad abſtinentiam ab vſu. Ex quo patet ſolutio ad rationem dubitandi, non enim antecedens illud eſt verum, tum quia ſunt obiecta diuerſa; tum quia vbi primaria voti abſtinentia à nuptiis iam non ſubſiſtit, non cenſetur cadere ſub votum illius abſtinentia ab actu, vt dictum eſt.

Eſt verò notandum teneri hunc mortuo altero cōiuge ab aliis nuptiis abſtinere. Quia votum non erat extinctum, ſed ſuſpenſum durante matrimonij impedimento, vt diximus in præcedentibus ſectionibus de voto caſtitatis. 12

Circa poſteriorem difficultatem, de voto non petendi debitum. Dubitatur an id votum validum ſit. Quia cùm ſit in graue alterius coniugis præiudicium, cui onerosum erit vt debito cōiugali ſuum poſſit ſēper petere, videtur non eſſe validum, maximè ſi à viro emittatur, quia vxori oneroſum eſt præ pudore ſemper petere. 13

Communior verò ſententia affirmat validum eſſe, & obligare coniugem ſic vouentem, vt à petitione debiti abſtineat. Ratio eſt, quia coniux non tenetur lege matrimonij petere, ſed tantùm reddere; ergo cum non petere ſit liberum, ac opus virtutis, erit honeſta materia voti. Et quamuis tale votum ſit oneroſum, & præſertim vxori aliquale grauamen; tenetur illud ſubire, cum vouens vtatur iure ſuo. Quare prædictum votum cùm ſit tantùm de debito non petendo, ad id ſolum obligabit. Vnde ſic vouens non tenetur abſtinere à debiti redditione, quando id ſibi liceret ob alterius coniugis adulterium. Et eo matrimonio ſoluto poteſt aliud inire animo non petendi. Nec adulterium admittens, ſacrilegium committet contra votum; quia non fuit caſtitatis, ſed ſolùm non petendi, cui nihil horum aduerſatur. 14

Addo, tametſi hoc votum ſi conſideretur ſecundū ſe, licitè & validè emitti queat; poſſe tamen non eſſe licitum attentis circunſtantiis periculi vouentis, & oneris grauiſſimi alterius coniugis, vt ſi coniuges ſint iuuenes, & in eodem accubent lecto. Ceſſantibus autem his circunſtantiis, quia coniuges ſunt ſenes, & in neutro eſt incontinentiæ, aut tentationum vehementium periculum, nulla exiſtet culpa, ſed erit opus licitum, & honeſtum. 15

DISPVTATIO LII.

De cognatione ſpirituali & affinitate matrimonio contracto ſuperueniente, an impediat eius vſum.

PRÆTER votum, ſolent cōmuniter à Doctoribus aſſignari alia duo quæ impediunt vſum matrimonij, nēpe cognatio ſpiritualis poſt matrimonium inter cōiuges orta, & affinitas, quæ etiam ſuperuenit matrimonio iam contracto. De quibus videndum in hac diſputatione an, & quo pacto impediant vſum matrimonij quoad petitionem, & redditionem.

Sectio I.

An coniuges filium ſuum baptizantes, aut in Baptiſmo, vel Confirmatione tenentes, impediantur ab vſu coniugali quoad petitionem & redditionem.

HAnc difficultatem ſuprà *diſput.* 29 *ſect.*6. per totam exactè declaraui. Nec aliquid occurrit illi addendum. Quare in eum locum reiicio benignum lectorem; vbi ſolido fundamento oſtendi ratione prædictæ cognationis ſpiritualis matrimonio iam contracto ſuperuenientis, etiamſi ex culpa contingat, non impediri vſum coniugij, nec quoad redditionem, nec quoad petitionem.

Sectio II.

An affinitas poſt matrimonium inter coniuges orta impediat debiti petitionem.

TVnc ſuperuenit matrimonio contracto affinitas, quando alter coniux alterius coniugis conſanguineo, aut conſanguineæ carnaliter copulatur, ratione illius copulæ inceſtuoſæ.

1 Dico *primò*, certum eſſe ex copula fornicaria cum conſanguinea vxoris affinitatem oriri, & hanc non impedire redditionem debiti. Conſtat id manifeſtè ex *cap. diſcretionem, de eo qui cognouit conſanguineam*, illis verbis. Sed nec affinitas poſt matrimonium iniquè contracta, ei debet officere, quæ huiuſmodi iniquitatis particeps non exiſtit, cum ſuo iure non debeat ſine ſua culpa priuari. Idem repetitur *c. penultimo, & c. finali, eodem titulo.* Neque obſtat textus *in cap. qui dormierit* 27. *quaſt.* 2. vbi deciditur nefas eſſe hunc inceſtuoſum reddere debitum. Ibi enim verbo reddendi ſignificatur petitio debiti, vt exponit Gloſſa, *verb. qui dormierit.* Vel etiam dici poteſt, dum textus dicit inceſtuoſo non licere reddere, ſenſum eſſe, vxori non licere reddere inceſtuoſo, vtpote non potenti petere, ita vt ſupra particulam inceſtuoſo, immediatè cadat particula, reddere, & non particula, licere. Quo ſignificat textus, non licere reddere iniquè petenti.

2 Dico *ſecundò*, inceſtuoſum coniugem cum conſanguinea alterius coniugis non poſſe à ſua vxore debitum petere, atque adeo eam affinitatem impedire debiti petitionem. Id manifeſtè liquet ex *cap.* 1. *de eo qui cognouit*, illis verbis. Si quis cum filiaſtra ſua ſcienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiaſtra, nec ille vllo vnquam tempore poterunt ſe aliis matrimonio copulare. Hoc tamen intelligendum eſt, quando copula cum conſanguinea talis fuerit vt ſufficiat ad conſummandam & contrahẽdam affinitatem, iuxta dicta ſuprà *diſput.* 31. *ſect.* 1. *per totam.*

3 Dico *tertiò*, etiam ex inceſtu occulto oriri priuationem debiti petendi. Ita communiter omnes, vt manifeſtè colligitur ex ipſo textu, qui indiſtinctè loquitur; & non innititur ſcãdalo quod ex publico inceſtu oriri poſſet, ſed affinitati iniquè cum altero coniuge contractæ, vt conſtat præcipuè ex *cap. cit. diſcretionem.* At affinitas æquè contrahitur ex copula illa occulta, ac ſi publica eſſet.

Dico *quartò*, eſſe hanc doctrinã extendam ad vtrũque coniugem, ſi vterque contraxerit affinitatem cognoſcendo conſanguineam alterius. Patet, quia textus indefinitè loquitur de quocumque coniuge. Vnde non licet vtrique debitum exigere, ob factam hinc inde compenſationem, ſicut quando vterque coniux eſt adulter. eſt enim notanda hæc differentia: quando de vtilitate diſtinguentium agitur, & in eorum fauorem ius exigendi debitum aufertur, paria delicta mutua compenſatione tolluntur, vt in adulterio contingit: ſecus verò vbi non de eorum fauore agitur, ſed in delicti pœnam priuatio illius iuris indicitur, vt contingit in præſenti. 4

Dico *quintò*, coniugem conſentientem inceſtui nõ priuari iure petendi. Ita conſtituo cum Ochag *tract.* 5. *q.* 5. & Hurtado *diſput.* 10. *diffic.* 7. *num.* 28. Ratio, quia non eſt cur extendatur ad id ea pœna cùm ſit odioſa & reſtringenda. Quamuis enim grauiter peccet conſentiens: at ex ipſo conſenſu præciſè nulla oritur affinitas in conſentiente, ratione cuius impediatur petere debitum; nam affinitas non oritur niſi ratione copulæ inceſtuoſæ contractæ in ipſo inceſtuoſo: at coniux qui conſenſit vt alter coniux per copulam iniquam affinitatem contraheret, non contraxit affinitatem per copulam à ſe habitam. 5

Contrarium docent Sanchez *diſput.* 27. *numer.* 3. & Baſilius Ponce *lib.* 10. *cap.* 7. *numer.* 1. Probant, quia affinitate ab altero iniquè contracta diſponit ius vt coniuges ad continentiam ſeruandam moneantur, quòd ſi nolit innocens, iubet vt ſibi debitum reddatur, ne abſque ſua culpa priuetur iure ſuo, cùm iniquitatis particeps non fuerit. Hinc autem colligitur à contrario ſenſu, vt vbi alius coniux reus eſt culpæ, ac particeps iniquæ contractionis affinitatis, amittat ius debiti exigendi. Nihilominus tamen ſtandum noſtro dicto. Tum quia id nullo iure ſtatuitur, vt eſt manifeſtum. Tum etiam, quia argumentum à contrario ſenſu ex quo illud inferunt, eſt omnino inefficax, ſaltem ad inferendam pœnam, quæ cum ſit odioſa, eſt ſtrictè intelligenda, & non eſt extendenda.

Dico *ſextò*, inceſtuoſo cum propriis conſanguineis non interdici debiti petitionem. Ita Sanchez, Baſilius, & alij. Ratio eſt, quia quamuis hic inceſtus grauius peccatum ſit, at cùm ex ipſo non oriatur vinculum affinitatis cum proprio coniuge, non ita matrimonio aduerſatur; quod ſecus euenit in inceſtuoſo cum cõſanguineis alterius coniugis, per quem ius matrimonij violatur producta affinitate cum coniuge, & ideo merito inceſtus hic punitur in vſu matrimonij, interdicta ſibi debiti petitione. Firmo, nam cùm hæc ſit pœna, non eſt extendenda vltra caſus in iure expreſſos. Ius autem ſolum eam indixit inceſtuoſo cum conſanguineis proprij coniugis. 6

Dico *ſeptimò*, neque eam pœnam interdicti eſſe extendendam ſi coniux rem habeat cum affinibus alterius coniugis. Ita omnes. Ratio eſt manifeſta, quia illa copula nec eſt inceſtuoſa, nec ex ea aliqua oritur affinitas cum altero coniuge, cùm cõſtet affines vnius coniugis nullo modo alteri coniunctos. Simili modo ſine fundamento extenditur, vt nequeat coniux petere debitum ſi inceſtum admittat cum fœmina, cum qua habet publicæ iuſtitiæ impedimentum, quia coniux iſte ante matrimonium cum eius vxore ſponſalia inierat. Id, inquam, dicitur ſine fundamento, quia quamuis ea copula ſit inceſtuoſa, at textus non loquitur niſi de copula cum conſanguineis alterius coniugis ex qua oritur affinitas. 7

Dico *vltimò* hunc inceſtuoſum, cui interdicitur petere debitum, grauiter peccare, ſi abſque diſpenſatione debitum petat. Ita omnes. Patet, quia contra- 8

uenit præcepto Eccleſiæ in re graui, & petitio illa debiti eſt manifeſtè inceſtuoſa. Nec dici poteſt abolitum eſſe hoc præceptum per non vſum; cum quotidie experimento conſtet peti ad id à Prælato diſpenſationem. Adde etiam coniugem reddentem, ſi id impedimentum ſciat, peccare etiam mortaliter; neque enim iniquè petenti reddere poteſt.

Sectio III.

Quoto conſanguinitatis gradu debeat perſona carnaliter cognita à coniuge, coniuncta eſſe alteri coniugi, vt coniux ille inceſtuoſus priuetur iure petendi.

1 Certum eſt in hac re apud omnes, attento iure antiquo, extendi eam conſanguinitatem vſque ad quartum gradum. Quia ratio & fundamentum prædictæ pœnæ eſt affinitas iniquè contracta ex eo inceſtu cum altero coniuge, vt conſtat ex *cap. diſcretionem*, illis verbis, Sed nec affinitas, quæ poſt contractum legitimè matrimonium inter virum & vxorem iniquè contrahitur. Igitur ad eum conſanguinitatis gradum extendi debet, & non vltra, ex quo ea affinitas conſurgit per copulam. Hic autem eſt quartus gradus, vt patet ex *cap. non debet, de conſang. & affin.* Firmatur, nam in dicto *cap. diſcretionem*, ſermo eſt de fœmina cognita à conſanguineo viri, & tacetur conſanguinitatis gradus; ergo hic eſt accipiendus ex iis, ex quibus affinitas illa conſurgit, quæ eſt cauſa prædictæ pœnæ. Procedit difficultas, quid ſit dicendum, attento Tridentini decreto, *ſeſſ. 24. de matrim. cap. 4.* vbi affinitas dirimens matrimonium contrahendum orta ex copula fornicaria fuit reſtricta vſque ad ſecundum gradum, quæ iure antiquo extendebatur vſque ad quartum gradum.

2 Multi probabiliter exiſtimant inceſtum habitum cum perſona conſanguinea coniugis, etiam in quarto gradu, ſufficere, vt inceſtuoſus priuetur iure petendi. Ita inter alios Comitolus *lib. 1. reſponſ. moral. q. 138.* Probaturque

Primò, quia Tridentinum affinitatem ortam ex copula fornicaria reſtrinxit ad primum, & ſecundum gradum, ad eum tantum effectum, vt non impediat, neque dirimat matrimonium, vt Pius V. declarauit; non autem vt non impediat debiti petitionem, quia hæc diſtincta eſt à matrimonio; & matrimonij tantùm fit mentio in Tridentino, & non petitionis debiti. Igitur tanquam caſus omiſſus manet in diſpoſitione iuris communis.

Secundò, Tridentinum reſtringens affinitatem, ſolum intendit vitare ſcandala quæ oriebantur ex frequenti matrimonij nullitate, aut impedimento. At illi ſtui ſatis conſulitur, ablata ea affinitate quoad dirimendum matrimonium, & cauetur occaſio peccandi ea manente affinitate ad impediendam petitionem debiti; ergo verè hanc impedit.

Tertiò, inceſtus grauius crimen eſt quàm adulterium, vt liquet ex *cap. adulterij 32. q. 7.* ſed adulterium priuat iure petendi debitum; ergo multo magis inceſtus.

3 Verius iudico oppoſitum, copulam habitam cum conſanguineis alterius coniugis in tertio, & quarto gradu, non impedire debiti exactionem. Ita Nauarrus *lib. 4. conſ. de conſ. conſil. 3. num. 2. 3. & 4.* & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 9. diſp. 27. n. 14.* Baſilius Ponce *lib. 7. cap. 33. num. 6.* Henriquez *lib. 11. cap. 15.* Huttado *diſp. 10. difficult. 7. num. 30.* & communiter Doctores. Ratio à priori eſt, quia affinitas non impedit nec dirimit matrimonium, niſi ob copulam ad quam ordinatur, quia eſt indecens inter affines; ergo eo ipſo, quòd dicta affinitas reſtricta eſt poſt Tridentinum, vt non impediat, neque dirimat matrimonium, niſi in primo, & ſecundo gradu; etiam cenſetur reſtricta vt non impediat petitionem copulæ niſi in eiſdem gradibus. Vnde hac de cauſa diximus ſuprà *diſput. ... ſect. ...* fornicationem cum affine ex copula illicita in tertio & quarto gradu non eſſe inceſtum, quia fornicatio cum affine in his gradibus non habet ſpecialem malitiam irreuerentiæ ſeu inceſtus iure naturali, vt liquet, neque iure Eccleſiaſtico, quia ius Eccleſiaſticum prohibens dictam copulam intuitu reuerentiæ conferendæ affinibus ceſſauit, ceſſante prohibitione matrimonij, quod ſolùm prohibebatur ob indecentiam copulæ inter illos. Igitur quamuis petere debitum ſit diſtinctum à contractu matrimonij; eo tamen ipſo quòd affinitas non obſtat contractui, neque obſtabit petitioni debiti. Firmo, nam acceſſorium matrimonio eſt copula: ergo ſequi debet naturam principalis, iuxta regulam illam 42. *de regulis iuris in 6.* ergo ſi matrimonium in tertio & quarto gradu eſt licitum omnino, ac omni vacat impedimento; & copula etiam erit omnino licita. His accedit declaratio Cardinalium, apud Farinacium *ſeſſ. 24. de reformatione cap. 4.* in hæc verba. S.D.N. Gregorius XIII. ex ſententia Congregationis dixit, per hoc decretum ſublatum cenſeri impedimentum quoque ſuperuenientis affinitatis poſt contractum matrimonium, Quia ſi impedimentum dirimens ſublatum eſt, quod maius eſt; ergo & iſtud quod ſolum impedit, ne is per quem contracta eſt affinitas ſine peccato poſſit exigere debitum, quod minus eſt: præterea Concilium ſuſtulit tertium, & quartum; ergo in omnibus. Hæc ibi.

Ex his patet ſolutio ad argumenta oppoſita. 4

Ad primum, falſum eſt antecedens, vt conſtat ex doctrina tradita *num. 3.*

Ad ſecundum reſpondeo non ſatis conſuli manente impedimento quoad petitionem debiti. Quia inde etiam multa peccata oriebantur. Vnde hac de cauſa Tridentinum eam etiam reſtrinxit.

Ad vltimum, data maiori, ad minorem dico, adulterum non peccare ſi petat debitum; vnde argumentum quod ex adulterio ſumitur, nullius eſt momenti.

Sectio IV.

An ſi vxor vi, vel metu à viri conſanguineo cognoſcatur, priuetur poteſtate debitum petendi.

Certum eſt *primò*, ſi vis præciſa fuit, non priuari debiti exactione. Patet, quia, vt conſtat ex *cap. diſcretionem, de eo qui cognou. conſang.* affinitas iniquè contracta ei non officit coniugi, qui iniquitatis particeps non fuit; iniuſtum enim eſt quenquam culpa immunem ſuo priuari iure. At vbi vis illata eſt vxori, à culpa inceſtus omnino eximitur: ergo & à pœna priuationis debiti exigendi. 1

Secundò, etiam eſt certum, vxorem leui metu inceſtui conniuentem priuari debiti exactione. Ratio eſt, quia culpa ſua affinitatem contraxit. Quòd ſi mariti conſenſu, 2

conſenſu, vel præcepto id effectum ſit, ſentit Sanchez *diſput.* 31. *numer.* 2. non tamen vxorem ei debitum reddere, quia eiuſdem particeps fuit iniquitatis. Contrarium cenſeo iuxta dicta ſuprà *ſect.* 2. *num.* 5. vbi cenſui coniugem conſentientem inceſtui non priuari iure petendi.

3 His poſitis procedit difficultas, quando fuit metus grauis, ſeu cadens in fœminam conſtantem, an vxor metu illo cognita à viri conſanguineo, priuetur debiti petitione.

Videtur enim non priuari Nam Chriſtiani in Turcarum triremibus remigrantes bello indicto aduerſùs Chriſtianos, metu mortis ac tormentorum coacti, licèt mortaliter peccent, ſed non incurrunt excommunicationem *cap. ita quorundam, de Iudæis*, latam contra opem infidelibus in ſimili bello ferentes. Quia credibile non eſt velle Eccleſiam ſuis pœnis mulctare eos, qui tali metu compulſi, ſuis præceptis non obtemperant; ergo idem dicendum in præſenti caſu, cùm pœna priuationis debiti ſit impoſita ab Eccleſia ob crimen iniquæ affinitatis contractæ, non legabit vxorem quæ tanto coacta metu illam contraxit.

4 Veram iudico ſententiam Sanchez *lib.* 9. *diſput.* 31. *numer.* 4. Baſilij Ponce *lib.* 10. *cap.* 17. *numer.* 6. & aliorum, fœminam eiuſmodi, tametſi metu graui fuerit cognita à viri conſanguineo, priuari poteſtate exigendi. Ratio & fundamentum ſolidum eſt, quia in eo euentu non ceſſauit culpa inceſtus, tenebatur enim vitam exponere, ne conſentiret; ergo nec excuſabitur ab illa pœna. Quare ſicut metus grauis non excuſans participantem cum excommunicato à culpa, neque excuſat etiã à cenſura excommunicationis; ita cùm vxor in caſu non excuſetur à culpa inceſtus, eam non eximet ab illa pœna. Falſum tamen eſt quod dicitur de remigrantibus aduerſùs Chriſtianos; nam ſi peccant mortaliter, non eximuntur ab excommunicatione. Veriùs tamen eſt excuſari ab hac cẽſura, quia communiter non peccant mortaliter remiges illi metu mortis id efficientes, de quo videri poteſt noſter Molina *tom.* 1. *de iuſtitia diſputat.* 115. *pag.* 658. qui benè explicat ibi caſum rarum in quo culpa eſſet.

5 Notat verò Baſilius *citatus* contra noſtrum Sanchez, non ſatis conſequenter locutum. Nam cum *lib.* 4. *diſput.* 2. dicat grauem metum non eſſe æſtimandum comparatione mali quod eligitur ad malũ quod euitatur, ſed tantum expendi debere obiectum metus, & ita grauem metum eſſe, quamuis eligatur peccatum, dummodo ſit graue malum ex ſe, quod vitatur; modo dicit non eſſe grauem metum nunc, quamuis eligatur concubitus ad euitandam mortem. Dicere enim debuit nunc eſſe grauem metum, ſi conſequenter loqui vellet, & ita nullum eſſe impedimentum quod ex ea copula ſequitur per vim extorta. Hæc Baſilius.

Cæterùm meo iudicio carpit immeritò Sancium de inconſequentia. Nam in primis rectè docuit Sanchez grauem metum eſſe æſtimandum ex obiecto ipſo graui ex ſe, quamuis eligatur peccatum, quod latè ipſe tractauit *diſput.* 17. *ſect.* 2. *per totam.* Præterea, oppoſitum huius doctrinæ non docuit hic; nam expreſsè loquitur de illo caſu in quo vxor debuiſſet vitam exponere ne committeret peccatum inceſtus, metus autem vitæ grauis eſt: ait enim debuiſſe fœminam illam exponere vitam ne conſentiret in inceſtum; & quia conſenſit, ſubdit, incurrere pœnam priuationis petitionis debiti, quia verè peccauit. Vbi ergo dixit non eſſe grauem metum, quamuis eligatur concubitus, ſeu copula inceſtuoſa, ad euitandam mortem; Rurſus clarè docet, in eo euentu, cum non ceſſet culpa, priuari vxorem poteſtate debiti exigendi, quia talis metus etiam vitæ amittendæ, qui grauis eſt, non excuſat à culpa. Denique concludit totam doctrinam à ſe traditam procedere de quocumque metu, ſic dicens: Quæ omnia de quocumque metu procedunt.

Sectio V.

Vtrùm coniux qui ex ignorantia iuris prohibentis, vel facti, vel pœnæ efficitur affinis alterius coniugis, priuetur debiti petitione.

De hac re latiſſimè Sanchez *diſp.* 32. per varias quæſtiones. Nos iuxta principia ab omnibus cõmuniter recepta, hãc difficultatẽ breuiter expediemus. 1

Prænoto ignorantiam iuris eſſe, quando neſcit cõiux ſpecialiter vetitum eſſe lege Eccleſiaſtica acceſſum cum alterius coniugis conſanguineis. Ignorantia ſolius facti eſt, ſi coniux illud ius ſciebat, at ignorabat conſanguinitatis gradum fœminæ, aut viri, cum quibus fuit habita copula. Ignorantia denique ſolius pœnæ eſt, quando & prohibitionem nouit, & conſanguinitatem; at ignorauit eſſe delicto illi indictam pœnam priuationis petitionis debiti. Hoc præmiſſo

Dico *primò*, ignorantiam facti inuincibilem excuſare ne coniugi interdicatur petitio debiti in affinitate contracta. Hoc eſt certum, & ſtatutum *in cap. de eo, qui cognouit conſang.* illis verbis. Si quis cum filiaſtra ſua ſcienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiam vnquam habere poteſt vxorem. Vbi manifeſtè conſtat peti expreſsè ſcientiam ad incurrẽdam priuationem debiti petendi. Et ratio eſt, quia interdictio illa eſt pœna culpæ admiſſæ in contrahenda ea affinitate. At vbi eſt ignorãtia inuincibilis facti, ceſſat culpa illa inceſtus; ergo ceſſabit & pœna. Firmo, quia lex iuſta non imponit pœnam, niſi vt pœnam, ſed ablata culpa non habet locum pœna vt pœna; ergo nec debitum eius; ergo talis ignorantia quæ tollit culpã, excuſat omnino à pœna in vtroque foro. 2

Dico *ſecundò*, idem dicendum de ignorantia iuris inuincibili, vt communiter fatentur Doctores. Quod ſimul probatur, ac declaratur. Quia in primis negari non poteſt poſſe dari ignorãtiam huius iuris priuationis debiti inuincibilem, cum ſit ius poſitiuum humanum. Neque enim homo per ſe valet ſcientiam omnium præceptorum conſequi, & interdum, ac ſæpè etiam deficiunt occaſiones, vel opportunitates ad cõparandam illam notitiam, ſine hominis culpa, aut voluntate, quia non habuit, vnde, aut quomodo excitaretur ad illam notitiam procurandam. Præterea quis neget ignorantiam inuincibilem, etiamſi iuris ſit, excuſare à culpa, cum excuſet à voluntaria tranſgreſſione legis. Igitur neceſſe eſt excuſet à pœna. 3

Dico *tertiò*, idem etiam dicendum, quamuis ea ignorantia tam huius iuris, quàm facti ſit culpabilis; dummodo tamen non ſit affectata. Id conſtat manifeſto iuris principio, quod quando lex requirit ſcientiam, vel dolum, non ſufficit dolus præſumptus, & ideo excludit dolum, vel ſcientiam quæuis ignorantia etiam craſſa. Cuius rei ratio hæc eſt, quia pœnæ, vt in iure dicitur, leniendæ potius ſunt, quàm exaggerandæ. *cap. pœna, de pœnitentia diſt.* 1. quando autem lex requirit ſcientiam, & dixerit, ſi ſcienter, ſi præſumpſerit, ſi auſus fuerit, ſi temere hoc fecerit, ipſamet lex moderatur pœnam, neque vult illam incurri, niſi quando peccatum, aut factum contra legem habet illam circumſtantiam. Quare quando adeſt 4

ignorantia

ignorantia etiam craſſa, excluditur ille modus quem lex requirit ad indictionem pœnæ. Cùm ergo lex in dicto *cap. ſi vir*, in caſu de quo loquimur, ſcientiam petat, quæuis ignorantia etiam craſſa excuſat ab ea pœna Nam licèt talis ignorantia non excuſet abſolutam grauitatem peccati, excuſat nihilominus ab illo modo grauitatis peccati, ſine quo noluit lex peccatum punire.

5 Dico *quartò* non excuſare ignorantiam affectatam, Ita communiter omnes. Ratio eſt, quia ignorantia affectata in iure æquiparatur ſcientiæ, quia & ſufficit ad directam intentionem, temeritatem, & præſumptionem; & includit ſcientiam ſaltem periculi, & dubitationis, & hac ratione quodammodo videri poteſt, augere culpã potius, quàm minuere. Secluſa ergo ignorantia affectata, alia craſſa, & negligens non æquiparatur ſcientiæ.

6 Dico *vltimò*, ſi adſit ſcientia iuris, & facti, ſolaque ſit ignorantia huius pœnæ illo iure ſtatutæ, non excuſare. Ratio eſt, quia tametſi in excommunicatione id ſpeciale ſit, quia eſt vltima, ac ſumma pœna Eccleſiaſtica, exigens ſpecialiter ipſius notitiam, vt ſic detur in delinquente ſumma contumacia. Idemque dicendum videtur de omnibus aliis cenſuris, ac etiam de irregularitate, quando eſt mera delicti pœna, & habet rationem cenſuræ, quia eſt eadem ratio. Cæterùm in aliis pœnis ordinariis & proportionatis, qualis eſt pœna priuationis debiti exigendi impoſito propter copulam inceſtuoſam, non eſt hoc idem dicendum. Patet, quia ſententia communis eſt Doctorum ignorantiam ſolius pœnæ regulariter non excuſare eiuſdem pœnæ reatum. Quia ignorantia pœnæ quantumcumque ſit antecedens non excuſat culpam in tranſgreſſione legis, vt per ſe conſtat; vt enim lex obliget in conſcientia, non oportet, vt addat pœnam; ergo vt quiſpiam agat contra conſcientiam, violando legem, non oportet vt ſciat pœnam; illa ergo ignorantia non excuſat culpam; ergo nec pœnam, quia non ceſſante cauſa non ceſſat effectus. Item quia illa ignorantia ad ſummum facit, vt illa pœna non ſit voluntaria; hoc autem nihil refert, quia pœna potius poſtulat vt inuoluntaria ſit. Vnde videmus ſeruari tam à Deo, quàm ab hominibus: puniet enim Deus æterna pœna etiam illos, qui ignorabant ſuis peccatis deberi talem pœnam; & ab hominibus ſuſpenditur fur, etiam ſi pœnam ignorauerit. Firmo, quia ex vi culpæ ita homo ſubiicitur poteſtati iudicis, vt poſſit ab illo puniri, iuſta pœna, vel iuxta leges, ſi in illis contineatur pœna, vel eius arbitrio, ſi ei commiſſum ſit, ſiue pœna ſit huius generis, ſiue alterius, & ſiue ſit moderata, ſiue rigoroſa, dummodo non excedat proportionem delicti: hoc enim ſolum requirit æquitas iuſtitiæ ex parte delinquentis; optio autem pœnæ, legiſlatoris iudicio commiſſa eſt. Dixi regulariter, propter cenſuras, præſertim excommunicationem, ob peculiarem naturam, & conditionem huius pœnæ, quæ eſt cenſura; quia requirit peculiarem modum contumaciæ, & inobedientiæ; eo quòd non ordinetur per ſe primo ad puniendum delictum commiſſum, eo tantùm, quòd commiſſum eſt; ſed ad emendationem eius, vel ad cogendum peculiari modo ne committatur, ſcilicet, ſub illo peculiari & rigoroſo modo præcipiẽdi ſub comminatione, cenſuræ.

Sectio. VI.

An deſideretur iudicis ſententia, vt coniux inceſtuoſam affinitatem contrahens, debiti petendi facultate priuetur.

Simancas *de inſtitut. catholicis tit. 9. num. 102.* docet incertum eſſe, an inceſtuoſus cum conſanguineis vxoris incidat ſtatim in foro conſcientiæ in hanc pœnam ante iudicis ſententiam. Quod firmari poteſt, quia eiuſmodi priuatio debiti petendi verè eſt pœna culpæ affinitatis iniquè contractæ; ergo non debet incurri abſque iudicis ſententia, ſicut aliæ pœnæ priuatiuæ, irregularitatis, ſuſpenſionis, excommunicationis, quæ non contrahuntur abſque iudicis ſententia. Idemque dicunt non pauci Doctores, de inhabilitate ad beneficia, & de inhabilitate ad ferendum ſuffragium. 1

Fateor communem eſſe Doctorum ſententiam, vt incurrat coniux huiuſmodi priuationem iuris petendi debitum ratione affinitatis iniquæ contractæ non eſſe neceſſariam aliquam iudicis ſententiam, ſed ſtatim priuari coniugem poteſtate debitum petendi. Cæterum ſi huius rationem petas, ait Sanchez *lib. 9. diſp. 30. n. 2.* ſe nullam concludentem inuenire, niſi ſolum quòd ſit ita vſu receptum ac declaratum, vt nulla indigeat ſententia. 2

Ipſe verò vt rem hanc radicitus explicare poſſim, breuiter diſcurram per varia genera pœnarum priuatiuarum, inde poſtea inferam ordines vt inde poſtea inferam, quid ſit dicendum ad præſentem quæſtionem. Eas omnes ad tres refero claſſes vel ordines. In *prima* pono cenſuras, & irregularitatem. In *ſecunda*, priuationes quaſdam, quæ non conſequuntur ſuum plenum effectum ſine actione hominis, vt ſunt priuatio beneficij acquiſiti, vel propriorum bonorum. In *tertia* conſtituo illas priuationes, quæ per legem ſolam integrè fiunt, & non requirunt per ſe aliquam actionem hominis, nec ad illam obligant, ſed ſolùm ad abſtinendum ab aliqua receptione, vel actione, vt inhabilitas ad beneficium, ad ferendum ſuffragium, ad matrimonium contrahendum, & ſimilia; ad quam reduco coniugis inceſtuoſi priuationem debiti exigendi. 3

Circa pœnas priuatiuas primi ordinis cum omnium doctrina breuiter dico, inter omnes pœnas priuatiuas cenſuras eſſe, quæ certius, & facilius incurruntur quantum ad conſcientiam ipſius delinquentis ipſo facto, & ante omnem ſententiam declaratoriam criminis. Ideoque quoties in canone cenſuram ferente additur ipſo iure, vel ipſo facto, aut quid ſimile, eſſe canonem latæ ſententiæ. Id patet ex communi vſu, & ſenſu, & obſeruantia, cuius rei ratio eſſe poteſt, vel quia hæ pœnæ ſunt ſpirituales, & medicinales, & ideo animam ſtatim ligare cenſentur, & cum hac veneratione & timore ſemper ſuſcepta ſunt; vel quia per cenſuras ſeparatur quis à communibus bonis Eccleſiæ tanquam indignus, & ideo ſtatim obligatur in conſcientia vt ſe ſeparet, & abſtineat. In hoc ordine comprehenditur quoque irregularitas, quæ talis pœna eſt, vt nunquam niſi ipſo facto incurratur, & ideo quomodocumque feratur, ipſo iure imponi cenſetur, & incurri ante ſententiam declaratoriam, niſi neceſſaria ſit, vt infamia compleatur, vt in propria materia id latè tractatur. 4

Circa alias pœnas priuatiuas ſecundi ordinis placet mihi quod ex communi ſententia docet noſter Sanchez *tract. de legibus lib. 5. c. 8. num. 3.* Quoties lex fert pœnam priuationis rei propriæ, & iam obtentæ, quæ ſine actione hominis non poteſt plenè mandari executioni, tunc talis lex non inducit abſolutam priuationem, nec obligat in conſcientia ad illam exequendam, quæ ex actione rei pendet, ante ſententiam declaratoriam criminis, niſi ex aliis verbis legis, vel ex materia, aut conſuetudine aliquid amplius colligatur. Quod probat tum ex principio generali, quòd 5

pœnæ

pœnæ temperandæ ſunt potius, quàm augendæ. Tum etiam, quia aliàs ſæpe tales leges eſſent nimis rigoroſæ & ferè inhumanæ. Tum denique, quia communis vſus ita interpretatur huiuſmodi leges. Et ideo iura ipſa, quando maiorem obligationem imponere volunt, plura etiam verba addunt, & magis rem explicant.

6 Denique circa alias pœnas priuatiuas paſſiuas, quæ ex lege imponuntur ipſo facto, quando executio pœnæ nullam hominis actionem requirit, vt eſt inhabilitas vt non eligatur, velut non habeat beneficium, docet Suarez *actio lib. 5. cap. 9. num. 2. & 3.* ſi in lege dicatur ipſo iure, & addatur, abſque alia declaratione, vel quid ſimile, ſtatim abſque mora legem ipſam exequi pœnam, quia pureſt, & nihil eſt quod expectetur. Idemque iudicat, quando lex pœnalis cum additione ipſo facto, vel ſimili, imponit huiuſmodi inhabilitatem, etiamſi non addat, abſque alia declaratione, vel aliud æquiualens, inducere ſtatim illam inhabilitatem ante omnem ſententiam etiam declaratoriam criminis. Cuius rei ratio hæc eſt, quia aliàs, verba legis eſſent inania, neque efficerent quod ſignificant, imò nec effectum aliquem moralem habere poſſent.

His præmiſſis, quod attinet ad præſentem difficultatem,

7 Dico *primò*, reduci ad ordinem priuationum paſſiuarum, priuationem impoſitam coniugibus propter affinitatem iniquè contractam, debitum non exigendi, non ſecus ac inhabilitatem ad matrimonium propter vxoricidium quam imponunt Canones in pœnam talis delicti, vt conſtat ex *cap. 1. & cap. ſuper eo, & cap. ſignificauit, de eo qui duxit in matrimonium.* Pater, quia eſt impedimentum purè paſſiuum, vt liquet.

8 Dico *ſecun*dò, talem priuationem ac pœnam eſſe ipſo facto. Nullus id negat. Et probatur, quia tametſi in iuribus eam pœnam præſcribentibus, non habeatur particula, ipſo facto, vel ſimilis; tamen ex effectu colligitur eſſe priuationem ipſo facto, quia illa oritur quoque ex inceſtu occulto, vt dixi ſuprà *ſect. 2. num. 3.* At inceſtus occultus per ſe non cadit ſub iudicium externum iudicis, nedum in illius ſententiam. Hinc

9 Dico *vltimò*, ſtatim, abſque iudicis ſententia affinitatem inceſtuoſam contrahentem priuari facultate debiti petendi abſque vlla declaratione, aut iudicis ſententia. Et amplius probatur, quia niſi ex vi iuris, aut legis obligaretur tali modo ad non petendum debitum, inutilis eſſet talis lex ipſo facto impoſita, præſertim reſpectu inceſtus occulti; nullum enim moralem effectum inde haberet; quod admittendum non eſt. Dices in foro conſcientiæ non habere effectum, habere tamen poſſe in ordine ad forum externum. Sed contrà eſt, quia non poſſet in foro exteriori quis incurrere pœnam ex occulto inceſtu. Quia non poteſt iudex in foro externo exequi pœnam in aliquem, quin prius declaret illum commiſiſſe tale delictum: at id non poſſet declarare de crimine occulto, & non deducto, nec deducibili ad forum externum. Nullius ergo eſſet vtilitatis talis lex, neque eius obligatio eſſet vllius momenti, niſi eſſet in conſcientia. Quare ex vi talis legis delinquens non poſſet puniri illa ſpeciali pœna, atque ideo inutilis eſſet talis lex. Dicendum igitur eſt in affinitate iniquè contracta, non deſiderari aliquam iudicis ſententiam, ſed ſtatim priuari coniugem poteſtate debitum petendi, quia eſt pœna priuatiua paſſiua: ſicque eſt ab omnibus communi vſu receptum.

DISPVT. LIII.

De actu coniugali, an ſit illicitus, quando eſt dubium de valore matrimonij.

HÆc eſt grauis, ac valde neceſſaria tractatio, quo pacto ſe gerere debeat dubitans de valore matrimonij, in ordine ad vſum coniugalem petendi, & reddendi debitum. Sermo verò eſt de dubio, quod verè dubium eſt, & iuſta, ac rationabili cauſa, & ratione dubitandi nititur. Nam ſi ſit merè ſcrupulus, nullo fundamento innixus, nullo modo eſt audiendus, ſed eſt omnino deponendus prudenti iudicio, & liberè vtendum matrimonio.

SECTIO I.

Quid debeat facere coniux, quæ certò ſcit matrimonium eſſe nullum, nec poteſt hoc probare, ideoque cogitur coniugi cohabitare.

PRæmitto, tunc quoad rem præſentem, nos dici aliquid ſcire, cùm moralem de eo habemus certitudinem, etſi non talem, cui non poſſit ſubeſſe falſum: quia huiuſmodi certitudinem circa res agendas in rebus humanis vix habere poſſumus. 1

Quo præmiſſo, certum eſt,

Primò, coniugem qui certò ſcit nullitatem matrimonij, non ſolùm non poſſe petere, ſed neque reddere. Ratio eſt manifeſta, quia tunc commixtio carnalis eſſet fornicatio, quia eſſet acceſſus ad non ſuam, qui nullo modo honeſtari poteſt. 2

Secundò etiam eſt certum, quando coniux eſt probabiliter certus, abſque eo quod oppoſita partis ſit probabilitas, nec poſſe petere, nec reddere. Patet ob eandem rationem, quia moraliter certò accedit ad non ſuam, & verè fornicatur, cum nullam habeat probabilitatem quòd ſit vxor ipſius. Vt ſi, v. g. quis à tribus fide dignis audiret, ſe eſſe conſanguineum ſuæ vxoris in quarto gradu, & oppoſitæ partis nullam haberet probabilitatem, non poſſet petere, nec reddere, & tamen non haberet maiorem certitudinem, quàm probabilem.

Tertiò, etiam eſt certum apud Doctores, ſi contingeret vt pro quolibet parte contradictionis, nempe pro valore, & pro nullitate matrimonij, eſſet verè opinio probabilis, poſſe coniugem in eo euentu amplecti opinionem quam voluerit, ſiue pro nullitate vt nequeat petere, neque reddere; ſiue pro validitate ſeu valore, vt poſſit petere, & teneatur reddere. Ratio eſt aperta ex materia de conſcientia, quia quamlibet opinionem verè probabilem amplectendo, prudenter procedet, & honeſtè. 3

His præmiſſis reſtat difficultas, quid facere debeat coniux certus de nullitate matrimonij, quando id ſcit priuatim, poteritne ſaltem reddere debitum.

Affirmant Magiſter *in 4. diſt. 38. in fine*, Hugo de ſancto Victore de ſacramentis *p. 11. cap. 6.* & alij. *Primò*, quia non eſt minus malum occidere innocentem, quàm fornicari: ſed iudex licitè occidit publicè probatum nocentem, quem priuatim nouit innocentem, 4

nocentem : ergo coniux licitè reddit debitum ei, qui publicè probatur eius coniux,etſi priuatim ſciat contractum eſſe nullum.

Secundò, coniux qui eſt in bona fide,habet ius petendi debitum;ergo alter tenetur reddere.

Tertiò, ex duobus malis minus eſt eligendum; at minus malum eſt fornicari,quàm contra iuſtitiam, & Eccleſiæ præceptum cum ſcandalo negare petenti debitum,& nolle cohabitare cum illo.

Vltimò, Sacerdos,vt ſuppono ex materia de Euchariſtia, tenetur dare illam peccatori, licèt ſciat occultè eſſe indignum,quia habet ius petendi; ergo ſimiliter coniux qui ſcit occultè matrimonium eſſe nullum, tenetur reddere,quando alter petit,qui inuincibiliter putat hanc fœminam eſſe ſuam.

5 Cum communiori Doctorum ſententia dico, talem nullo modo poſſe reddere debitum quocumque periculo propoſito. Hoc exiſtimo eſſe expreſsè definitum *cap. Inquiſitioni 44. de ſententia excommunicationis*. Vti Innocentius Tertius dicit talem potius debere humiliter ſuſtinere ſententiam excommunicationis, quàm cum peccato mortali carnale commercium exercere,ſcilicet reddendo debitum,his verbis : Si alter coniugum pro certo ſciat impedimentum coniugij, propter quod ſine mortali peccato non valeat carnale commercium exercere, quamuis illud apud Eccleſiam probare non poſſit; in hoc caſu debet potius excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere,quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. Et ratio eſt manifeſta, quia ea copula eſſet manifeſtè fornicaria; at fornicari eſt abſolutè malum, ideoque ob nullam omnino cauſam licet;ergo numquam licet,dum manet impedimentum,reddere illi,& reddendo cooperari tali malo, quodcumque ſequatur ſcandalum. Quare in hoc euentu talis coniux tenetur, aut occultè fugere, ſi qua ratione poſſit,aut petere diſpenſationem in impedimento, ſi obtineri poteſt, & tunc ſecundò eſt contrahendum, aut diuortium petere ob ſæuitiam,vel adulterium alterius,ſi hæ cauſæ concurrant. Quòd ſi nihil horum poſſit facere,tam excommunicatio, quàm alia incommoda patienter ſuſtinenda ſunt, quia fornicatio cum ſit acceſſus ad non ſuam,eſt intrinſecè mala, & numquam licita eſt, etiam ad vitandum vitæ, vel famæ periculum.

6 Quæres,an is coniux impedimenti conſcius, ſi ab Eccleſia excommunicetur, quia debitum negat, ſit verè excommunicatus. Breuiter dico eam excommunicationem verè eum reo non ligare; quia excommunicatio non incurritur niſi ob inobedientiam lethalem,quæ protſus in hoc caſu abeſt. Et certè rigidiſſimum eſſet, ac valde durum, eum verè excommunicatum eſſe,qui Dei timore ductus Eccleſiæ falsâ præſumptione niteuti,non obedit.

7 Ad argumenta oppoſita.

Ad primum, multo probabilius iudico iudicem non poſſe talem reum occidere,vt optimè docet Leſſius *de iuſt.cap.29.dub.10*. Quia humana auctoritate directè & ex propoſito occidere innocentem eſt intrinſecè malum,ſicut cognoſcere non ſuam; eſt enim per ſe malum adimere alicui vitam ſine auctoritate:at iudex nullam habet auctoritatem in vitam innocentis,cùm hæc ſoli Deo ſit ſubiecta. Quare ſicut nemo poteſt reddere debitum alicui mulieri, quam certò nouit non eſſe ſuam coniugem, etiamſi millies probetur eſſe ſua vxor,ita nec poteſt hunc morte damnare, quem nouit vacare culpa. Quod ſi admittatur contraria ſententia, quæ etiam probabilis eſt, dicam eſſe aliquam diſparitatem:nam iudex ideo tunc licitè condemnat innocentem, quia bonum commune, quod maximè nititur in punitione delinquentium, præponderat bono particulari vitæ priuati, ſi alia via illud conſeruari nequit, niſi deciſione huius, & ita nec iudex peccat condemnando, nec carnifex inferendo necem, quia ad conſeruandum bonum commune habet Reſpublica & eius miniſtri, dominium in vitam, & bona priuatorum. At in caſu præſenti Reſpublica nullum habet dominium in corpora in ordine ad matrimonium,quia vix poterat contingere vt hoc foret neceſſarium ad bonum commune; & ideo copula illorum ſemper erit fornicaria, dú manet impedimentum, & ita numquam licebit, etiam reddendo,illi cooperari, quodcumque ſequatur ſcandalum,vel damnum.

Ad ſecundum diſtinguendum eſt antecedens, habet ius verum,nego;apparens,concedo. 8 Neque enim bona petentis fides ei tribuit aliquod verum ius petendi;nam id totum elidit certum ius quod alter habet non reddendi debitum, cum vtrumque ius ſimul conſiſtere nequeat. Sicut etſi millies publicè probaretur Petro,debere mille;ſi tamen certò ſciret Petrus ſe ea non debere, non teneretur ea ſoluere, ſi ſine ſcandalo id poſſet vitare, quia ius Petri quod fundatur in veritate, elidit aliud quod fundatur in falsa præſumptione.

Ad tertium, negatur tunc duo mala incompoſſibilia concurrere; 9 nam poſita ſcientia nullitatis in altero coniuge,nulla eſt iniuſtitia non reddere.

Ad quartum conceſſo antecedente, negatur conſequentia: nam peccator occultus ius habet iuſtitiæ tuendi famam, & ne publicè infametur, negata ſibi Euchariſtia. At coniux ille non habet verum petendi ius,quando matrimonium eſt inualidum, ſed tantum ex ignorantia putat ſe habere.

SECTIO II.

An coniux qui contraxit mala fide, dubius de illius valore, poſſit licitè petere,& reddere.

DVplex eſt præſentis difficultatis caſus. *Primus* eſt, quando alter ſolus coniux dubia vel mala fide contraxit;poſterior, quando vterque.

Circa priorem caſum, certum eſt coniugem du- 1 bium de valore ſui matrimonij, ſi mala fide illud contraxit,non poſſe debitum petere, vt definitur *in cap. Dominus 2. de ſecundis nuptijs*. Et ratio eſt, quia ei qui mala fide contraxit, non fauet poſſeſſio. Vnde poſſeſſio non ſuffragatur ei, vt in dubio ſit melior eius conditio: poſſeſſio enim eſt rei cum bona fide detentio. Difficultas eſt, an poſſit reddere alteri poſſidenti bona fide.

Ratio dubitandi eſt,quia, vt dixi, poſſeſſio mala fide incepta non ſuffragatur: ergo claudicat matrimonium ex parte habentis malam fidem; ergo nec ipſe nec alter poſſeſſor bonæ fidei poteſt petere, non enim poſſeſſor bonæ fidei poſtulat ſibi debitum, & ideo nequibit alter reddere.

Communior & vera ſententia tenet, coniugem 2 dubium de valore matrimonij,etiamſi mala fide illud contraxerit, teneri reddere debitum alteri coniugi bona fide poſſidenti. Ita habetur *cap. 2. de ſecundis nuptiis*. Ratio eſt, quia cùm alter coniux ſit bona fide in poſſeſſione matrimonij, habet verum ius petendi debitum,& vt alter ſibi reddat, ſiue à parte rei ſit verum matrimonium, ſiue non, quo iure iniuſtè ab alio ſpoliaretur. Vnde in hoc caſu verificatur

commune

Digitized by Google

commune dictum, in dubio ſemper melior eſt conditio poſſidentis. Quod ſumitur ex *regul. 65. de regulis iuris in 6.* Vbi dicitur; In pari delicto, aut cauſa, melior eſt conditio poſſidentis. In dubio autem par vtrinque eſt cauſa. Vnde in tali caſu æquus iudex re cognita iudicaret poſſidentem poſſe rem retinere, nec alium habere ius eam repetendi. Nam cùm ſunt partium iura obſcura, reo fauendum eſt potius, quàm actori; vt dicitur *regula 11. in 6.* At poſſidens eſt reus, alter actor. Vnde alter qui mala fide contraxit, dubitans de valore nullum habet ius negandi debitum alteri bona fide poſſidenti, quo ipſius ius elidat, cùm non ſciat matrimonium eſſe irritum: ſicut quando bona fide poſſides rem de qua dubito an ſit mea, nullum ius habeo impediendi te ab eius vſu. Nec dubitans excuſatur à redditione debiti ob periculum fornicationis, cui ſe exponit, quia cùm illud euitare nequeat niſi negando alteri ſuum ius, etſi fortè matrimonium ſit inualidum, fornicatio erit materialis; magis autem tenetur non facere alteri apertam & manifeſtam iniuriam ac iniuſtitiam, quàm vitare periculum materialis fornicationis. Nec refert quòd ſit etiam periculum faciendi iniuriam priori coniugi, qui fortè adhuc viuit; quia hæc erit etiam ſolum materialis, vel potiùs omnino nulla; quia hic non habet vllum ius ne alter non vtatur re quam bona fide legitimè poſſidet: nam poſſeſſione matrimonij bona fide capta contractu ipſo bona fide facto, ita ius coniugis in corpore alterius perficitur, & fortificatur, vt poſſit eo vti, ac ſi non eſſet dubium, ſicut in quacumque alia materia iuſtitiæ.

3 Hinc patet ſolutio ad rationem dubitandi, in eo caſu matrimonium claudicare tantum, quia dubitans nequit petere, cum ei poſſeſſio malæ fidei non ſuffragetur, at cùm alter poſſideat bona fide, & talis poſſeſſio ſit certa, & prævaleat, poteſt petere, & reddere, & ipſi tenetur alter reddere.

Circa poſteriorem caſum, quando videlicet vter-
4 que coniux mala fide contraxit, & dubitat vterque de impedimento: certum videtur neutrum poſſe petere, nec reddere, quia neutri ſuffragatur poſſeſſio mala fide incepta, & ita nullum ius concedit. Nec eſt ſimile de coniuge contra votum petenti, cui alter reddere tenetur: nam ille habet poſſeſſionem & ius iuſtitiæ certum ad exigendum, & tantum eſt reus religionis voti petendo, vt qui petit rem ſuam ad ea abutendum. Quare dicendum quoque eſt vtrumque coniugem nec poſſe reddere, niſi cauſa ſubſit, vt illud dubium practicè deponant, & probabile eſſe valere matrimonium exiſtiment. Vt ſi arbitrio hominis docti ac prudentis rationes ita probabiles ſint ad perſuadendum matrimonium valere, vt efficiant opinionem probabilem, etiamſi probabilius ſit matrimonium non tenere; quia iuxta veriorem doctrinam deſumptam ex materia de conſcientia, ſatis eſt in moralibus ſententiam probabilem amplecti: atque ideo ea opinione verè probabili valoris matrimonij exiſtente, poteſt vterque petere, & reddere. Id rectè notauit ex Henrico noſter Sanchez *lib. 2. diſp. 42. n. 9.*

Sectio III.

Vtrùm matrimonio bona fide vtriuſque coniugis inito, & rationabiliter dubitatur de eius valore, poſſit vterque coniux petere & reddere.

IN duplici ſenſu procedit quæſtio. *Prior* eſt, matrimonio bona fide vtriuſque contracto, alter ſolùm dubitat de eius valore, non ex leui ſcrupulo, ſed iuſta cauſa, poterit ne ratione poſſeſſionis quæ eſt pro matrimonio, reddere, & petere debitum? *Poſterior* eſt, an cùm vterque coniux bona fide matrimonium iniit, poſtea verò dubitat vterque de eius valore, poſſit petere, & alteri petenti reddere. 1

Circa primum, varias opiniones refert Sanchez *lib. 2. diſput. 41 quæſtione quarta.* Ratio verò dubitandi eſſe poteſt; nam videtur hic nec reddere poſſe. Quia agere contra conſcientiam practicè dubiam eſt illicitum, & malum, ſed iſte reddendo ageret contra conſcientiam practicè dubiam, dubitat enim an accedat ad ſuam, vel an fornicetur, quia fornicatio eſt acceſſus ad non ſuam: dubitans autem in acceſſu; an fornicetur, dubitat practicè; ergo. Firmatur, quia Prælato iubente detegere crimen fratris, non tenetur ſubditus dubitans an iure præcipiat, obedire, non obſtante Prælati poſſeſſione; ergo coniugi poſſidenti non tenetur alter coniux dubitans reddere. 2

Dico *primò*, in hoc caſu, teneri dubitantem de valore matrimonij adhibere moralem diligentiam ad vincendum illud dubium, ſi hanc poſſibilem iudicat, & ante hanc adhibitam diligentiam non poſſe petere, ſed reddere. Hoc videtur certum meo iudicio. *Primum* liquet, quia ſi iſte coniux petat, manifeſtò ſe exponit periculo peccandi, cùm ignoret an illud ſit licitum; ergo tenetur inquirere ſuper dubio practico, niſi certò cognoſceret eſſe impoſſibile illud vincere; hoc enim ipſo tale dubium deponeretur. *Secundum* etiam oſtenditur, quia ius petendo alterius eſt certum; ergo prævalet dubio iſtius, ſed totum habetur cap. *dominus*, de ſecundis nuptiis, illis verbis: Si quis de morte prioris coniugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei qui ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti, quod à ſe tamen nouerit nullatenus exigendum. 3

Dico *ſecundò*, poſtquam adhibita eſt ſufficiens diligentia, non conſtat matrimonium eſſe nullum, & ſemper perſeuerat dubium, ſi bona fide contraxit, poteſt petere debitum. Ita Sanchez cum multis quos ipſe refert *diſput. 41. num. 46. & 47.* Ratio eſt, quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, non ſolùm in rebus iuſtitiæ, ſed etiam in aliis, vt cum grauiſſimis Doctoribus oſtendo in tractatu *de conſcientia.* Hinc autem firmo argumentum, poſſeſſor bonæ fidei ſi dubitat rem eſſe alienam, & facto ſufficienti examine nequit dubium vincere, poteſt non tantùm rem detinere, ſed illa etiam vti; ſi enim iuſtè poteſt poſſidere, nulla eſt ratio ob quam perpetuò ab vſu abſtinere debeat; ergo coniux dubitans, ſi præmiſerit ſufficiens examen, & adhuc dubius maneat, poterit vti matrimonio petendo, & reddendo. 4

Reſpondebis diuerſam eſſe rationem. Tum quia poſſidere rem alienam, & illa vti, non eſt ita intrinſecè malum, vt nequeat ex aliqua cauſa honeſtari; at accedere ad non ſuam, nunquam poteſt eſſe honeſtū, quia eſt intrinſecè malum. Tum etiam, quia nulla lex poteſt corporum dominium transferre; at aliarum rerum potuit dominium & vſum transferre, & ita permiſit earum vſum in eo dubio. Tum denique eſt diſſimilis ratio, quia in aliis conſumptibilibus poteſt adhiberi remedium, reſtituendo vero domino comparenti rem quæ per eum vſum facta fuit deterior, & ita nullum verſatur periculum, vel damnum in earum vſu. At petens debitum exponit ſe periculo vtendi re aliena, abſque vllo remedio. Verū manifeſtè oſtendam nullam ex dictis diſparitatem ſubſiſtere. Non 5

prima:

Digitized by Google

primi:nam illud idem probaret de redditione debiti, quæ ſi fiat aliena, eſt intrinſecè mala. At hoc non obſtante, in caſu dubij eſt licita, & concedũt omnes; ergo idem erit de petitione, poſt factam diligentem inquiſitionem. Neque etiam valet ſecunda, quia ad id nihil refert lex poſitiua: nam ſublata omni lege poſitiua, iure naturali licet vti re bona fide poſſeſſa, in dubio, quando præmittitur ſufficiens examen; quia ſi iure naturæ conceditur iuſtè huic poſſeſſio, ſimiliter etiam concedi debet vſus qui ex iuſta poſſeſſione oriri conſueuit. Nec denique obſtat *tertia*, quia ſicut in aliis rebus poteſt adhiberi remedium reſtituendo eas vero domino comparenti: ita hoc idem adhiberi poteſt in debiti petitione, & redditione; interim verò adhibita diligentia licebit vti matrimonio reddendo & petendo. Nec refert quòd ſit periculũ fornicationis, & etiã faciendi iniuriam priori coniugi, qui fortè adhuc viuit: quia vtraque erit etiam materialis ſolum. Firmatur amplius concluſio: nam præmiſſa ſufficienti diligentia coniux habet inuincibilem ignorantiam; ergo excuſatur à culpa, petendo: nam inuincibilis ignorãtia eſt, quæ ſufficienti diligentia vinci non poteſt, licet veritas non innoteſcat. Hinc

6 Dico *tertiò*, quando moraliter eſt impoſſibile adhibita diligentia poſſe vinci dubium; tunc etiam poſſe coniugem dubitantem reddere, & petere. Patet, quia hoc idem probant rationes adductæ præcedenti dicto, & quia fruſtra ea diligentia adhiberetur. Vnde in eo euentu nulla præmiſſa, cum impoſſibilis ſit, poteſt ratione poſſeſſionis reddere, & petere, & practicè non dubitare, non obſtante dubio ſpeculatiuo an ſit matrimonium validum; quia poſſidens certus eſt iuris poſſidendi; hoc enim eſt magnum poſſeſſionis commodum. Cum igitur coniux ille dubitans bona fide poſſideat ius petendi debitum, eo non debet ſe ſpoliare, quandiu non conſtat non eſſe ſuum, vt in aliis rebus.

7 Ad rationem dubitandi, conceſſa maiore, negatur minor: nam licèt ille dubitet ſpeculatiuè, non tamen practicè, ratione certæ poſſeſſionis, quæ dat illi ius ad petendum debitum, & ad deponendum omne dubiũ practicum. Vnde negatur ſe exponere periculo fornicationis, cùm practicè non dubitet, & fornicatio ſit acceſſus ad certò, vel cum dubio practico cognitam, non eſſe ſuam. Ad confirmationem eſt diſparatio: nam ſicut Prælatus eſt in poſſeſſione reſpectu ſubditi, ita & alter eſt reſpectu ſuæ famæ, & Prælatus manet in poſſeſſione præcipiendi, licet in hac re ſibi non obtemperetur; alter autem perpetuo famã amittit, & ita maius damnum ſequitur ſi illi obediatur. At in noſtro caſu coniux non dubitans eſt in poſſeſſione omnino, & ideo maius damnum ſequitur ſi non reddatur.

8 Circa ſecundum, videtur pars affirmatiua vera, quia vterque in hoc dubio poſſidet, & in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Nihilominus tamen

Dico *primò*, in eo dubio, diligentia non præmiſſa neque adhibita ad illud vincendum, neutrum poſſe petere, nec reddere. Ratio eſt, quia diligentia non præmiſſa, poſſeſſio in dubio non confert ius vtendi re; fruſtra enim dominum inquireret, prout tenetur, ſi rem illi conſeruare non teneretur; ergo coniux tunc petens, petit id ad quod nullum habet ius, & ad quod poſſeſſio non ſuffragatur; ergo alter nequit reddere; tota enim ratio ob quam tenetur reddere, eſt, quia alter petit ſibi debitum ratione poſſeſſionis, ne fiat illi iniuſtitia debitum negando. At in hoc caſu ante adhibitam diligentiam non fauet poſſeſſio, & negando nulla fit iniuſtitia. Verum eſt, ſi alter tantùm dubius ſit, & petat à non dubitante ante præmiſſum debitum examen, poſſe coniugem non dubitantem conſcium dubij alterius, negare debitum, quia dubitans ante adhibitam diligentiam non habet ius ad petendum: poſſe etiam reddere debitum, quia cum ipſe ſit in pacifica poſſeſſione, nec dubitet de matrimonij valore, nec teneatur credere alteri aſſeueranti, niſi tales ſint coniecturæ vt credere conuincatur, multo minus dubitanti, poteſt vti plenè ſua poſſeſſione, petendo, & reddendo.

9 Dico *ſecundò*, diligentia adhibita poſſe vtrumque reddere, & petere. Patet ex ſuprà dictis: quia tunc poſſeſſio infert ius ad omnem vſum.

Hinc patet ſolutio ad rationem dubitandi, meliorem eſſe conditionem poſſidentis in eo dubio, ne vxore ſpolietur, ſed non vt habeat ius ipſius vſus matrimonij, donec impendatur debita diligentia ad veritatem aperiendam.

10 Eſt verò notandum, ſi dubium ſit de impedimento impotentiæ & frigiditatis, licitum eſſe petere, & reddere. Ratio eſt, quia quando dubium eſt de impedimento matrimonij, ius habet vnuſquiſque inquirendi de prædicto impedimento. Impedimentum autem frigiditatis inueſtigari non poteſt niſi vſu, atque conatu, & ideo licebit in tali vſu & inueſtigatione perſeuerare tempore ab Eccleſia præſcripto, vel dum experientia compertum ſit non poſſe vti coniugio.

11 Eſt etiam ſciendum, ſi matrimonium nondum conſummatum ſit, & dubium incidat de valore matrimonij, toto tempore duorum menſium non poſſe reddere debitum. Patet, quia toto eo tempore liber eſt, & licitè ac ſecundùm iura negare poteſt, & negando non ſe exponit periculo agendi iniuſtè; ergo tutius eſt eo tempore negare, quàm reddere: elapſo autem eo tempore non debet retinere alterum coniugem ſuſpenſum, ſed vel detegere dubium, vt impedimentum examinetur, ſi tamen eam manifeſtationem credat non nocituram, ſed profuturam. Quòd ſi non credat fore alicuius momenti, reddat debitum, & non petat. Nam nimis videtur durum obligare dubium coniugem ad ingreſſum religionis, vt ea ratione liberum relinquat alium coniugem ad iucundum cum altero matrimonium: quia niſi ſtatus religionis ſponte ſuſcipiatur, difficiles ſolet exitus habere, & multæ aliæ cauſæ ſeſe offerre poſſunt, ob quas ad ingreſſum in religionem cogi non poſſit.

12 Denique notandum eſt, quomodo ſit intelligendum illud axioma commune, *In dubio tutior pars eſt eligenda*. Ex quo videtur colligi contra ea quæ ſuprà diximus, dubium de valore matrimonij, etiam adhibita diligentia, tutius eſſe non petere debitum, quia in hoc nullum eſt peccatum, cum non ſe exponat nulli periculo. Cæterùm dico, illud commune Iuriſtarum dictum eſſe intelligendum non de dubio ſpeculatiuo, ſed tantùm de practico: quia cognitio ſpeculatiua non eſt quæ immediatè dirigit actionem moralem, ſed ſolùm practica. Quare ſicut in materia iuſtitiæ, vt ego licitè vſurpem, vel retineam aliquid, non eſt opus, vt non dubitem ſpeculatiuè an ſit meum; licèt enim iudicarem meum, ſi tamen hîc & nunc iudicarem ex aliquibus circumſtantiis me non poſſe vſurpare, vel retinere illud, adhuc peccarem: ita è contra, licèt dubitem eſſe meam; ſi tamen hîc & nunc iudicem me licitè eam poſſe retinere, non peccare retinendo; quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis; ex quo dicto elicio hanc concluſionem practicam, me licitè poſſe vti illa re, quidquid ſit de dubio illo ſpeculatiuo.

Sectio IV.

Vtrùm ſi coniux qui bona fide contraxit, poſtea non dubitet, ſed opinetur matrimonium eſſe nullum, poſſit petere, & reddere.

1 NOſter Sanchez *lib. 2. diſput. 44. num. 4.* ſentit ſi coniux habeat probabilem aſſenſum impedimenti, vt, v.g. habet probabilem opinionem vitæ alterius prioris viri, & ſimiliter probabilem aſſenſum mortis, & ita valere matrimonium, poſſe reddere & petere debitum. Probat, quia licitum eſt amplecti opinionem probabilem valoris matrimonij. Idem ait, tametſi probabilius credat non valere matrimonium: ſi enim probabilem opinionem valoris habeat, poteſt petere, & reddere, quia ſatis eſt in moralibus ſententiam probabilem amplecti iuxta veriorem opinionem. In hac re

2 Dico *primò*, coniugem qui bona fide contraxit, ſi poſtea habeat nullitatis matrimonij opinionem probabilem, & non habeat aſſenſum opinatiuum alterius partis, nempe valoris matrimonij, teneri reddere, non tamen poſſe petere. Ita communiter Doctores, qui primam partem dicti manifeſtè colligunt ex *cap. Inquiſitioni, de ſententia excommunicationis*, ibi: Si habeat conſcientiam ex credulitate probabili, & diſcreta, quamuis non euidenti, & manifeſta reddere debet. Et ratio eſt quia cùm alter bona fide poſſideat, illi ſuffragatur ſua poſſeſſio, vt non ſpolietur iure vtendi matrimonij, vt exigere poſſit, & alter teneatur reddere ei, cum non ſit certum eſſe matrimonium nullum. *Secundum* verò firmant Doctores, quia cùm dubitat coniux, vt vidimus ſuprà, non poteſt petere; ergo multo minus quando opinatur. Addo dubitantem poſt adbibitam diligentiam poſſe petere; contrarium verò dicendum de hoc opinante, quando non habet aſſenſum opinatiuum vtriuſque partis, ſed ſolùm nullitatis matrimonij, cum dubio & formidine valoris. Quia dubitanti ſuffragatur poſſeſſio, non autem fauet habenti aſſenſum opinatiuum.

3 Dico *ſecundò*, ſi coniux habeat probabilem aſſenſum impedimenti, v. g. opinionem vitæ prioris coniugis viri, & ſimiliter probabilem aſſenſum mortis, poſſe reddere & petere. Id ſentio cum Sanchez, propter rationem dictam. Opinio autem probabilis ea eſt, quæ firma ratione fulcitur, neque contra ſe habet rationem conuincentem; ſi enim illam haberet, iam non opinio, ſed error eſſet. Contingere autem poteſt, vt vni probabiliter opinanti ratio aliqua in contrarium videatur conuincens, ſed non ideo probabilitatem opinio amittit: nam licèt quis ſoluere illam rationem nequeat; alius tamen ſoluere poterit, & hoc ſibi debet alter perſuadere; cum ſæpe multæ rationes vni inſolubiles repræſentenrur, quæ tamen ab aliis facillimo negotio ſoluuntur. Quare imprudenter procederet quis, ſi ob hanc cauſam aliorum opiniones, quæ vt probabiles circumferuntur, improbabiles iudicarentur.

4 Obiciunt contra prædictam doctrinam nonnolli recentiores, dicentes non ſemper ſufficere opinionem probabilem de valore matrimonij ad vtendum iure petendi debitum. *Primo*, ſi vtrinque ſint opiniones probabiles quod prior coniux abierit, vel non, nequit vir petere debitum accommodando ſe opinioni probabili quod obierit, ſi contraxerunt cum hac fide; quia tunc adhuc poſſeſſio ſtat pro priore coniuge, quem non conſtat iure ſpoliatum. *Secundo* ſi poſſeſſio ſtet pro impedimento, quia reuera coniugibus conſtat fuiſſe impedimentum; dubitant verò an ſit ſublatum per diſpenſationem, non poſſunt petere, quia ius impedimenti eſt certum, & poſſidet. Si verò eſſet certum obtentam eſſe diſpenſationem, dubitaretur verò an eſſet valida, poſſet præſumi valida. *Denique* ſi dubitent coniuges an fuerit impedimentum iuris humani, cum poſſeſſio ſtet pro libertate contrahendi, poſſunt contrahere, vel vti matrimonio contracto ſequendo opinionem probabilem.

Verùm dicta exempla nihil faciunt contra nostram doctrinam, ſi mente recolamus communem iam dictam ſuprà *num. 2.* poſſeſſionem ſolùm ſuffragari practicè dubitanti poſt adbibitam diligentiam, vt vidimus præcedenti ſectione; non verò ſuffragari habenti aſſenſum opinatiuum: quia tametſi cum opinione probabili ſimul ſtare queat firma ratio, cum formidine tamen, & ideo poſſit eſſe ſimul cum opinione dubium ſpeculatiuum, ſed non dubium practicum, ſeu negatiuum, quod tunc adeſt, quando pro neutra parte habet quis ſufficientes rationes vt poſſit probabilem aſſenſum elicere, ſed intellectus ſuſpenſus hæret. Quo poſito reſpondeo ad primum exemplum, falſum eſſe, ſi vtrinque ſint opiniones probabiles quòd prior coniux obierit, vel non, non poſſe virum petere debitum, accommodando ſe opinioni probabili quòd obierit, ſi cum hac contraxerunt bona fide. Quia tunc nulla ſtat poſſeſſio pro priore coniuge, quem conſtat mortuum eſſe firma ac probabili ratione. Similiter dico ad ſecundum exemplum, ius impedimenti non eſſe certum, nec poſſidere, cùm ſit verè probabile eſſe iam ſublatum per diſpenſationem, neque in ea re eſſe vllum dubium practicum. Denique idem dico ad tertium exemplum, non dubitare coniuges an ſuerit impedimentum iuris humani, ſed habere opinionem probabilem quod non fuerit, & ideo potuiſſe contrahere, vel vti matrimonio contracto, iuxta eum probabilem aſſenſum. 5

DISPVT. LIV.

De delectationibus moroſis, & tactibus turpibus coniugatorum.

CVm iam egerimus de actu, ſeu vſu coniugali, quando liceat, necne; ad illius complementum operæpretium eſt agamus tandem de moroſis delectationibus, tactibus, aſpectibus, turpibuſque confabulationibus inter coniuges; quæ etiam eſt materia neceſſaria & ſcitu digna, vt ſic animabus conſulatur.

Sectio I.

An liceat coniugibus moroſè delectari ſecluſo periculo pollutionis, in copula cogitata tanquam præſenti.

SVppono *primò*, vt certum, delectationem omnem de peccato mortali eſſe mortalem. Ratio eſt, quia illa delectatio eſt affectus vitalis liber, & de obiecto malo formaliter, & grauiter malo; ergo eſt grauiter 1

grauiter mala. Quare ſicut cõſenſus efficax effectiuus accipit malitiam ab obiecto & effectu malo; ita conſenſus effectiuus, ſeu complacentiæ erit malus, ſi verſetur circa obiectum malum, licet non ſit effectiuus, quia terminatur ad obiectum hîc & nunc intrinſecè malum, ſpectatis omnibus circunſtantiis. Vnde nullo honeſto motiuo honeſtari poteſt gaudium de peccato proprio, vel alieno, quia obiectum illud habet intrinſecam turpitudinem. Et quamuis poſſit quis gaudere de peccato, vt eſt cauſa alicuius boni, quod ex eo ortum eſt; tamen gaudium de peccato, vt eſt occaſionaliter cauſa boni, eſt gaudere effectu ipſo, non de peccato.

2 Suppono *ſecundò*, omnem delectationem moroſam in materia venerea eſſe malam, & mortalem, quia eſt de obiecto grauiter turpi, & id habet ſingulare, vt ex voluntate redundet in appetitum, & reſidens in appetitu habeat vim accendendi ſanguinem, & fouendi corporis ardorem, & ſubminiſtrandi libidinis materiam ex diuerſis partibus corporis vocatam.

3 Suppono *tertiò* non licere homini ſoluto delectari veneree ſub conditione, ſi mulier eſſet ſua. Nam quidquid ſit an ea delectatio liceat in aliis materiis, certè in materia venerea non licet. Ratio eſt, quia tametſi obiectum non ſit de præſenti, & poſita conditione illa fieret licitum; attamen ipſa delectatio præſens eſt, & de præſenti eſt principium ex ſe operis illiciti, & commotionis dictæ *numer. ſecundo*.

4 Suppono *quartò*, non licere delectationem veneream coniugis vidui ortam ex cogitatione copulæ habitæ tempore matrimonij. Ratio eſt, quia delectatio illa eſt principium operis illiciti externi, nempe coitus, qui, ſicut illi prohibitus eſt, ita & delectatio cogitationis illius.

5 Denique ſuppono, omnem delectationem moroſam in materia venerea eſſe peccatum mortale, & non eſſe in illa paruitatem materiæ; nõ enim datur in rebus venereis paruitas materiæ, Ratio eſt. Tum quia nulla eſt tam exigua fornicatio, quin ſit peccatum mortale: ergo cùm delectatio ſortiatur morem actus, videtur omnis delectatio moroſa in iſta materia eſſe mortalis. Tum etiam, quia omnis delectatio venerea cenſetur eſſe inchoatio quædam pollutionis, atque ideo ſicut inchoatus actus pollutionis eſt mortalis, ita etiam & quæcumque eiuſmodi delectatio.

6 His poſitis, ad præſentem quæſtionem, videtur non licere coniugibus prædictam delectationem moroſam. Quia, vt dictum eſt, ea delectatio eſt quaſi incepta ſeminis effuſio, & ad illam tendit, cum ipſam comitetur membrorum generationi inſeruientium commotio; ergo. Firmatur, quia, vt dictum eſt *n.* 4. ea delectatio in vidua eſt mortalis, ergo & in coniuge, vbi non eſt opportunitas, nec voluntas copulæ habendæ. Patet conſequentia, quia eadem videtur eſſe ratio, cum neutra delectatio in copulam licitam referatur.

7 Dico *primò*, non eſſe culpam lethalem in coniugatis delectationem moroſam. Ita communiter Doctores, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 44. *n.* 3. Ratio eſt, quia conſenſus in delectationem nequit grauior eſſe culpa, quàm conſenſus in actum, de quo capitur delectatio, talis enim eſt delectatio, quale eſt obiectum, vt docuit Ariſtoteles *lib.* 10. *Ethicorum c.* 4. *&* 5. ſed copula de qua eſt delectatio, inter coniuges eſt licita; ergo ex hac parte non eſt culpabilis delectatio: eſſet autem culpa venialis ſi careret debito fine, ad quem actus coniugalis à natura ipſa dirigitur.

Dico *ſecundò*, neque eſſe mortalem in viro dictam delectationem moroſam ſecluſo pollutionis periculo, quando eſt abſens vxor, & è contra. Ita Doctores relati. Et patet, quia matrimonium efficit, ne eiuſmodi delectatio ſit culpa mortalis; non enim voluptas illa venerea quæritur extra matrimonium, ſed in re ſuapte natura ordinata ad matrimonij actum; ergo nihil refert præſentem, vel abſentem eſſe vxorem. 8

Dico *tertiò*, idem eſſe aſſerendum, tametſi ex ea delectatione conſurgeret membri pudendi commotio, & alteratio, abſque pollutionis periculo, videlicet nullam eſſe culpam mortalem conſenſum in illam. Ratio eſt, quia, vt optimè docuit Vaſquez 1. 2. *diſput.* 113. *num.* 2. *&* 3. matrimonium excuſans à copula mortali delectationem ſenſitiuæ partis, ſubinde excuſat quoque commotionem illam naturaliter ex ipſa conſurgentem. Quare ſicut eſſet culpa mortalis ſi coniux in actu coniugali delectaretur in alterius viri, aut fœminæ cogitatione carnaliter dilectorum, quia eſt delectatio moroſa in obiecto mortaliter graui & turpi; ita è contra excuſatur à culpa mortali illa delectatio & commotio, quia eſt de obiecto & copula licita, tametſi per accidens ſit alter coniux abſens. Ad rationem dubitandi, conceſſo antecedente, negatur conſequentia, quia totum illud ordinatur ad copulam cum proprio coniuge, idque eſt ſufficiens ne ſit culpa mortalis, tametſi tunc copula non poſſit haberi, id enim per accidens eſt. Ex quo patet ad confirmationem; magna eſt enim diſparitas: nam viduæ eſt iam prohibita copula, quia defecit matrimonium, atque ideo eſt etiam prohibita delectatio ſenſitiua cogitationis illius. Quod ſecus ſe habet in coniugatis, in quibus vtrumque excuſat, nempe matrimonium perſeuerans, & quòd ipſa copula ſit licita inter illos. 9

Sectio II.

An tactus, aſpectus, & verba turpia inter coniuges licita ſint, ſecluſo pollutionis periculo.

NOn deſunt aliqui qui exiſtimant eiuſmodi eſſe mortalia. Quia ſunt actus libidinoſi ſeu venerei, & non referuntur in copulam coniugalẽ in quam ſua natura ordinantur, ſed fiunt tantum ob capiendam libidinem, ſeu voluptatem veneream in ipſis repertam. 1

Alij verò Doctores, & communiter recentiores docent non eſſe mortalia. Quia libido in dictis tactibus reperta non quæritur omnino extra matrimonium, ſed in ipſo, quia quæritur in tactibus ſua natura ordinatis ad copulam coniugalem; atque ideo ſicut matrimonium excuſat libidinem quæſitam in copula, ſaltem à mortali, ita etiam excuſabit ſaltem à mortali libidinem in dictis tactibus quæſitam, vtpote coniugalem. 2

Adhæreo huic doctrinæ, quam faciliùs ſequentibus dictis explanabo.

Dico ergo *primò*, quando tactus, etiam ſi ſint in partibus inhoneſtis, fiunt ob copulam cõiugalem, in quã ſuapte natura ordinãtur, licitos eſſe, & omni culpa vacare. In hoc conueniunt Doctores. Ratio eſt, quia licitum eſt iuuare naturam ad actum rationi conſonum mediis ſua natura ordinatis ad illum. At prædicti tactus iuuant naturam ad copulam coniugalem ex ſe licitam, & honeſtam, & ordinantur in finem natura ipſa tactibus deſtinatum, & ob quem in ipſis voluptatem conſtituit. Id etiam verum iudico, 3

quando fiunt ob quemlibet alium finem honeſtum, vt ad ſedandam tentationem carnis, aut ad oſtendendum amorem erga alterum coniugem; quia prædicti fines ſunt boni, & ad ipſos etiam ordinatur matrimonium.

4 Dico *ſecundò*, ſi tactus illi referantur ad maiorem voluptatem in ipſa copula captandam, eſſe venialem culpam. Ratio eſt, quia cum voluptas illa ſit nimia, & copula ipſa coniugalis ad eum finem relata, & ob illum exercita, venialis eſt; ergo & ipſi tactus.

5 Dico *tertiò*, non eſſe in illis tactibus culpam mortalem, etiamſi fiant tantùm ob capiendam libidinem, ſeu voluptatem veneream in ipſis repertam. Ita quamplurimi, quos refert & ſequitur Sanchez *diſp.* 44. *num.* 12. Ratio eſt iam dicta ſuprà *num.* 2. quia voluptas illa venerea non quæritur extra matrimonium, ſed in actu ſua natura ordinato ad matrimonij actum. Vnde ſi nimia ſit, erit venialis culpa.

6 Dico *quartò*, etiamſi coniugatus ſe ipſum tangat propter voluptatem captandam abſque pollutionis periculo, ſolum eſſe venialem culpam. Ita Sanchez relatus *num.* 16. Et probat, quia cum tactus ille indifferens ſit ad copulam coniugalem licitam, vel ad illicitam, poſſitque ad vnam, vel alteram referri, nec ex intentione tangentis ſe, diſtrahatur à ſua natura, & ab hoc ordine, vt ad copulam illicitam ordinetur, non eſt cur de culpa lethali damnandus ſit. Sicut dixi de moroſa delectatione copulæ cum coniuge abſente, non eſſe culpam lethalem, quia ſuapte natura referri poteſt ad copulam coniugalem, licèt actu non dirigatur. Vnde falſum eſt, vt ille tactus ſit coniugalis, deſiderari vt habeatur cum coniuge; non enim vt actus coniugis ſit, requiritur eum cum coniuge fieri, ſed ſatis eſt vt ad coniugium præſens ſua natura ordinari poſſit, nec ab hac natura ex intentione illo vtentis deuiet. Firmatur hoc idem, quia prædicti tactus impudici ideo inter ſolutos ſunt mortales, quia excitant delectationem veneream ſimilem illi quæ habetur in copula, & ad hoc natura ſua ordinatur. Igitur quibus licita eſt copula, & in ea dicta delectatio, vt coniugibus, etiam illi tactus liciti erunt, ſi finem aliquem honeſtum habent; veniales, ſi eo careant, ſicut ipſa copula eſſet.

7 Dico *vltimò*, idem dicendum de aſpectibus, ac verbis turpibus inter coniuges abſque pollutionis periculo, non eſſe peccata mortalia, ſed indifferentia iuxta finem eis appoſitum. Ita omnes. *Primum* conſtat, quia matrimonium omnia hæc à peccato mortali excuſat. *Secundum* liquet, quia ſi prædicta ad maiorem voluptatem capiendam ordinentur, venialia ſunt; ſi verò in illis nullus alius finis intendatur, quàm mutua amoris indicia ſibi ipſis coniuges præbere, nulla eſt culpa, & licita ſunt.

Ex dictis patet ſolutio ad argumentum propoſitum *num.* 1. Nam licèt illi tactus ſint turpes: at ſua natura ordinantur, & referuntur in copulam coniugalem; ſolentque communiter eſſe veniales ſi fiant animo captandi maiorem, vel nimiam voluptatem veneream.

SECTIO III.

An liceant delectationes moroſæ, & tactus coniugatis, quando ob aliquod impedimentum eis non licet actum coniugalem exercere.

COmmunis videtur eſſe modò Doctorum ſententia, delectationes moroſas, tactus impudicos inter coniuges, colloquia & aſpectus turpes non eſſe mortales, ſecluſo periculo pollutionis, tametſi copula, vel actus coniugalis per accidens eſſet coniugibus illicita; vt quia haberi non poſſet ſine aliquo prolis, vel alterius coniugis notabili damno; aut ſi eſſent iam ad eam redditi impotentes ob frigiditatem, &c. Secus ſi vouiſſent caſtitatem, aut matrimonij valor dubius eſſet. 8

Contra quam doctrinam, obiici poſſet,

Primò, quia talis eſt delectatio, quale eſt obiectum, at tunc acceſſus ad coniugem eſſet culpa lethalis; ergo & delectatio moroſa.

Secundò, non videntur eſſe liciti tactus verendorum, & partium illis vicinarum, niſi dum coniugi licet reddere, & petere; quia ij tactus reputantur vt vnum moraliter cum vſu matrimonij; ergo ij ſaltem minimè licebunt.

Tertiò, tametſi copula ſit coniugibus illicita ob extrinſecam voti circunſtantiam, verbi gratia, cùm tamen adhuc permaneat matrimonium, non erit illicita delectatio. Ideo enim non eſt prohibita delectatio in carnium eſu in Quadrageſima, quia cùm ab intrinſeca rei natura malitiam non habeat, ſed ſolùm ab extrinſeca prohibitione Eccleſiæ, poteſt præſcindi malitia, & in illo eſu licebit delectari. Hac enim de cauſa, prædicta moroſa delectatio licita eſt in coniugibus, interdicta copula ob circunſtantiam periculi morbi, aut aborſus extrinſecam. Nihilóminus eam communem ſententiam veram iudico. Iuxta quam

Dico *primò*, certum mihi videri, quoties copula interdicitur coniugibus ob circunſtantiam extrinſecam, quæ per ſe neutrum coniugem arcet ab vſu matrimonij, vt propter notabile ſalutis, vel aborſus periculum, vel aliam ſimilem cauſam, licitam eſſe delectationem moroſam, & tactus eodem modo quo liciti eſſent, ſecluſo eo impedimento extrinſeco, ob honeſtum finem: & non eſſe mortalia, ſecluſo pollutionis periculo ſi careant debito fine, & fiant ob nimiam delectationem. Ratio horum omnium hæc vnica eſt, quia tunc per ſe & ex ſua natura licitus eſt vſus matrimonij, & ſolum ab extrinſeco prohibetur, ratione pietatis, vel alterius virtutis obligantis vt præcaueatur damnum coniugis, vel prolis; at his virtutibus nullo modo aduerſantur tactus, & delectatio moroſa, vt eſt per ſe manifeſtum, cùm ex illis ſimile damnum timeri nequeat. Igitur hæc nullo pacto cenſentur eſſe prohibita. Quare ſicut miſceri coniuges in loco publico nefas eſt; non tamen erit mortalis delectatio interna ibi habita de copula coniugali cogitata, quia hæc non aduerſatur honeſtati naturali, cui verè opponitur copula illa, ratione cuius cenſetur eſſe copula illa iure illicita; ita ſimiliter dicendum in aliis caſibus. Idem aſſero, ſi ſubſit impedimentum phyſicum ad copulam, vt ſi impotentia coëundi ſuperueniat matrimonio contracto: ob eaſdem rationes. Vnde ſenes, quibus vires & poteſtas ſeminandi intra vas deficiunt, etiamſi conſtet impotentiam eſſe perpetuam, 9

tuam, delectationes moroſas habere, & prædictis tactibus citra pollutionis periculum vti poſſe, ſi pollutionis periculum abſit, concedunt iure Doctores: quia ſunt veri coniuges, quibus illa permiſſa ſunt; & quamuis ea nequeant ad copulam coniugalem tanquam impoſſibilem referre; poſſunt tamen ea ordinare ad concupiſcentiam carnis ſedandam, & ad amoris mutui ſigna præbenda.

3 Dico *ſecundò*, idem eſſe affirmandum, quando eſt interdicta copula ratione alicuius Eccleſiæ præcepti, vt interdicitur coniugi propter affinitatem iniquè contractam cum altero coniuge debiti petitio, & ſimiliter vtrique, ſi vterque illam contraxit. Ratio eſt, quia adhuc illud impedimentum eſt extrinſecum, & arcens à copula in pœnam delicti commiſſi, nempe affinitatis iniquè contractæ; cumque ſit verè pœna talis culpæ, non eſt cur extendatur ad delectationem, & tactus, vt ſimiliter illa prohibeat.

4 Dico *tertiò*, coniugi, quando ratione voti interdicitur petitio debiti, nullo modo eſſe licitam delectationem moroſam. Ita optimè Sanchez *lib. 9. diſput. 44. num. 25.* Coninchius *diſput. 34. dub. 11. num. 109.* & alij. Ratio eſt, quia vouens abſolutè caſtitatem, tenetur in quantum poteſt abſtinere ab omnibus illis, quæ caſtitati aduerſantur, ſolumque illi permittitur id ad quod lex iuſtitiæ matrimonij obligat, nempe reddere debitum, quando ſolus ipſe vouit: nam per votum omnem delectationem veneream ſibi interdixit; cùm caſtitatis voto non ſolum actus externus libidinoſus, ſed etiam interna de eo delectatio aduerſetur. At ſeruata lege matrimonij poteſt abſtinere ab illa delectatione, vt patet. Igitur verè tenetur, & ſacrilegè contra votum peccaret eam ſponte admittens. Idem dicendum eſt de tactibus impudicis, etiam ſecluſo pollutionis periculo teneri coniugem voto caſtitatis aſtrictum, abſtinere ab illis, niſi ad expreſſam, vel tacitam alterius coniugis petitionem; quia illos etiam per votum ſibi interdixit. Quare ſicut ſi coniugatus expreſsè vouiſſet ſe abſtinere à delectatione venerea, & tactibus, niſi ad alterius coniugis petitionem, teneretur vtique eo voto, cum eſſet de re honeſta, & ſibi licita: ita coniux vouens abſolutè caſtitatem, promittit abſtinentiam ab illis omnibus; quia hæc omnia aduerſantur caſtitati, quam ipſe abſolutè vouit.

5 Vnde colligo *primò*, longè etiam eſſe rationem de harum rerum delectatione, quæ ſolùm ex circunſtantia extrinſeca ſunt malæ, vt quando actus coniugalis eſt malus ob ſalutis periculum, vel ratione loci publici, aut affinitatis iniquæ contractæ. Quia nimirum nec delectatio venerea, neque illi tactus opponuntur illi circunſtantiæ extrinſecæ. At iſta directè opponuntur circunſtantiæ extrinſecæ voti: nam votum caſtitatis obligat ad abſtinendum ab omnibus venereis, & conſequenter ab his.

6 Colligo *ſecundò*; non eſſe idem iudicium ferendum de vouente non comedere carnes, is enim licitè circa earum eſum cogitatione delectari poteſt. Ratio eſt, quia ſola externa comeſtio aduerſatur mortificationi carnis, quam ipſe vouendo intendit, ideoque hæc ſola per ſe aduerſatur ipſius voto, & conſequenter etiam voluntas eas comedendi.

7 Colligo *tertiò*, ſi coniux vouiſſet ſolum ſe non petiturum debitum, illi liceret delectatio venerea & tactus. Patet, quia eiuſmodi votum non eſſet abſolutè de caſtitate, ſed ſolùm de petitione debiti; ergo ſolum interdicit debiti petitionẽ; ergo huic voto delectationes & tactus minimè aduerſãtur, & ex alia parte ſũt ex ſua natura cõiugi liciti ratione matrimonij.

8 Dico *vltimò*, quoties coniugi interdicitur debiti petitio, quia eſt dubius de valore matrimonij, eſt mortalis delectatio venerea. Patet, quia matrimonium eã delectationem cohoneſtans, eſt dubium; ergo dubia etiam erit honeſtas illius delectationis; ergo non licita. Nec aliunde ius poſſeſſionis præpõderat, ſicut nec ad debiti petitionem. Addit bene Sanchez citatus *n. 24* nec licere delectationem veneream de actu redditionis debiti cogitato ſub conditione ſi petatur. Quia tametſi licita ſit redditio debiti, poſita ea conditione ſi petatur; attamen ea nondum poſita non licet copula, ita nec delectatio illa venerea: quoniam prædicta delectatio oritur ex vehemẽti commotione ſpirituum vitalium ſubſeruientium generationi; ac proinde eſt quaſi inchoatio coitus præſentis, qui illicitus eſt, cum non adſit conditio. Eodem argumento ſimiliter probatur tactus in eiuſmodi coniuge impudicos eſſe mortale; niſi habeantur in gratiam alterius coniugis, tacitè, vel expreſsè petentis debitum. Tunc enim ſpectant ad redditionem debiti.

Obiicies, ſicut dubius de matrimonij valore caret iure iuſtitiæ ad petendum, ita qui contraxit ex culpa affinitatem cum coniuge, ſed huic permiſſa ſunt delectatio & tactus, vt dixi ſuprà *n. 3.* ergo & illi. Reſpondeo negando conſequentiam ob manifeſtam diſparitatem: nam ille priuatur eo iure ab intrinſeco & ex natura rei propter dubium de matrimonij valore cohoneſtãte actum; at iſte priuatur ſolùm ob extrinſecam Eccleſiæ prohibitionem in pœnam peccati cõmiſſi. Quæ extendenda non eſt cùm ſit pœna culpæ, vltra terminos in quibus loquitur, vt dixi *n. 3.*

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum, dico talem eſſe delectationem quale eſt obiectum ſecundùm ſe, & ab intrinſeco, ſecus quando ab extrinſeca circunſtantia malitiam habet, cui circunſtantiæ delectatio venerea non aduerſatur. Quod contingit in præſenti, vt in ipſis dictis manet explicatum. 9

Ad ſecundum, iam oſtenſum eſt ex ſe permitti illos tactus impudicos ſecluſo pollutionis periculo, & ſolum ratione extrinſeci voti prohiberi. Nec verũ eſt, reputari idem moraliter cum copula: nam, vt dictum eſt, omnibus coniugibus effectis impotentibus poſt matrimonium, affinibus, & aliis, vbi eſt periculum notabilis ſalutis, vel abortus, licent eiuſmodi tactus, cum tamen non liceat ipſa copula.

Ad tertium conſtat diſparitas ex *n. 4. & 6.* & in vouente caſtitatem abſolutè, nullo modo licitam eſſe veneream delectationem, quia eſt mala propter ſpecialem illius voti extrinſeci obligationem, quæ arcet ab omnibus illis quæ caſtitati aduerſantur, cui directè opponitur delectatio venerea; ſolumque permittit, id quod lex matrimonij petit, & obligat.

Sectio IV.

An ſemper ſit culpa lethalis vacare actioni in qua præuidetur pollutio præter intentionem ſubſequenda.

HÆc difficultas præmittenda eſt & explicanda, vt cognita natura pollutionis, quando non eſt intenta, ſed præuidetur in cauſa, poſtea faciliùs *ſect. ſequenti* videamus quando delectatio venerea, tactus, aſpectus, & verba turpia in coniugatis mortalia ſunt, cum pollutionis præuiſæ periculo, ſed non intentæ. 1

Suppono *primò*, quod eſt certum, pollutionem per ſe intentam, & procuratam eſſe peccatum mortiferum: quia iſte actus eſt contra primarium finem, ob quem à natura eſt inſtitutus, qui eſt generatio, vel

conceptio hominis, & ideo grauamen continet inordinationem. Vnde ſemper eſt culpa mortalis, licèt ſolius ſanitatis, vel tentationis mitigandæ causâ procuretur. Et quamuis in remedium concupiſcentiæ cõceſſa ſit pollutio intra legitimum vas in legitimo coniugio, ſed non extra; poſtulat enim eum ſtatum in quo proles ſuſcipi, & rectè educari poſſit, qui eſt matrimonium.

2 Suppono ſecundò pollutionem non ſolum dici voluntariam per ſe, cum directè eſt volita, & procurata, ſed etiam in cauſa, quando præuidetur ex aliqua cauſa ſecutura, & illam idcirco vitare tenemur, nec tamen vitamus. Vnde tria requiruntur, vt pollutio ſit voluntaria in cauſa. *Primum*, vt aliquo modo præuideatur illam ſecuturam; quod enim nullo modo eſt cognitum, nec præuiſum, non poteſt cenſeri voluntarium, vel liberum, atque ideo non poteſt imputari. *Secundum*, vt cauſam propter illum effectum pollutionis teneamur vitare: ſi enim cauſam vitare non tenemur, iam effectus ille nequit nobis imputari ad culpam. *Tertium*, vt ipſa cauſa non vitetur, quæuis illa ſit.

3 Suppono *tertiò* ex communi omnium doctrina, vacare culpa dare operam cauſæ aliàs licitæ, neceſſariæ, vel vtili, quamuis præuideatur fore, vt pollutio ſubſequatur. Quare quoties ſequitur præter intentionem pollutio ex cauſa aliqua neceſſaria, vel conuenienti corpori; vt eſt cibus, vel potus moderatus; aut animæ, vt orare, ſtudere, vel vtilis aliis, vt audire confeſſiones, præſertim fœminarum, nulla eſt culpa non deſiſtere à tali cauſa, tametſi in ea præuideatur pollutio inde ſubſequenda. Ratio eſt, quia non imputatur ius ſuum proſequenti effectus per accidens, & præter intentionem ſubſecutus. Aliter enim quamplurimæ actiones neceſſariæ eſſent omittendæ, & innumeri laquei animabus inijcerentur. Quod intellige quoque, tametſi cauſa illa ſit mortalis ob circumſtantiam extrinſecam nihil ad pollutionem conferentem. Vt ſi quis cibos neceſſarios ſuſtentationi edat, quibus præceptum ieiunij violatur, pollutio inde præter intentionem ſecuta, quamuis præuiſa, vacat omni culpa: quia hæc violatio ieiunij impertinens eſt vt pollutio ſequatur; & damna non imputantur ius ſuum proſequenti, quamuis aliunde peccet, vt videre licet in audiente confeſſiones per inanem gloriam; & in iudice punientē reum, ob iram. Hæc doctrina ſemper eſt intelligenda, niſi aliàs ſubſit probabile periculum conſenſus in pollutionis delectationem, vt liquet.

4 Suppono *quartò*, cauſas in quibus pollutio præuidetur, quaſdam eſſe ex luxuriæ genere, videlicet quæ per ſe turpes ſunt, & ad luxuriam directè pertinent vt tactus, aſpectus, verba turpia; hæc enim proximè ad venerem excitant appetitum: alias verò eſſe non ex genere luxuriæ, vt ſunt nimius eſus, aut potus, vel equitatio, quæ non ita proximè, ſed remotè excitant appetitum ad illam.

His poſitis, difficultas eſt, an vbi nec neceſſitas, nec cauſæ vtilitas adeſt, ſit mortale illi operam dare ob pollutionem in ea præuiſam, abſque periculo conſenſus in illam. de qua tres proponit opiniones noſter Sanchez *lib. 9. diſputat. 41. n. 11. 12. & 13.*

5 Breuiter dico *primò* cum communi Doctorum ſententia eſſe peccatum mortale ratione pollutionis præuiſæ, non vitare abſque neceſſitate vrgenti eas cauſas, & actiones, ex ſua natura turpes, & graues per ſe tendentes ad actus venereos, & pollutionem excitandum. Hoc eſt certum, quia lex naturalis obligans ad non procurandum ſeminis effuſionem, conſequenter obligat ad vitandas cauſas per ſe & notabiliter influẽtes ad illam, vbi ceſſat neceſſitas; quia perinde videtur tunc illas applicare, ac procurare. Ex quo fit omnem actum turpem mortalem contra ſextum præceptum, ſi in eo præuideatur pollutio, etiam non intenta, habere ſpecialem malitiam contra naturam, ratione illius pollutionis præuiſæ. Quia notabiliter ad illam influit, & eſt per ſe cauſa illius.

Dico *ſecundò*, carere culpa mortali non vitare alias cauſas non turpes, quæ per accidens ad pollutionem concurrunt. Ita Enriquez *lib. 8. de Eucharistia cap. 51. num. 2.* Suarez *3. p. q. 80. art. 7.* paulo poſt initium, & Vaſquez *t. 2. diſp. 115. n. 9.* Vbi tunc dicit eſſe mortale peccatum, quoties applicatur cauſa; quæ ex ſe nullum alium habet effectum, & per ſe tendit ad pollutionem; vt tactus. Secus ſi alium habeat effectum, vt crapula mortalis. Ex quo fit pollutionem præuiſam in peccato gulæ, etiam mortali, vt in ebrietate, vel nimia comeſſione mortali, non habere ſpecialem malitiam peccati contra naturam, niſi ſit intenta, aut ſit probabile periculum conſenſus. Patet de gula veniali, quia qui comedit, vel bibit, proſequitur ius quod habet à natura id faciendi: & difficillimum eſt in cibo, & potu, quæ neceſſariò ſumenda ſunt, modum tenere, propter corruptionem naturæ, & appetitus, & quia ignoratur quantitas neceſſitati naturæ determinata. Idem liquet de gula mortali, quia hæc cauſa non ita influit vt pollutio ſubſequatur, ſicut cauſæ turpes ad luxuriam pertinentes. 6

Dico *tertiò*, non eſſe mortalem pollutionem, ſi cauſa ad luxuriam pertinens ſit tantùm venialis, vel ex defectu plenæ aduertentiæ in delectatione moroſa rei turpis, quæ ex ſe eſt mortalis, vel ex paruitate materiæ, vt ſi ex tactu leui manus, viſu, verbis, lectione aliquantulum libidinoſis, & venialiter turpibus, ſequatur pollutio. Ita cum multis Sanchez *diſp. 45. n. 19. & ſequentibus. Primum* illud de inaduertentiæ defectu, manifeſtum eſt, quia vbi eſt plenæ aduertentiæ defectus, non poteſt eſſe culpa mortalis. Vnde ſicut is excuſat à culpa lethali delectationem illam moroſam, quæ ex ſe, & ex ſua natura mortalis eſt, ita excuſabit quoque à mortali pollutionem inde ſecutam. *Secundum* de paruitate materiæ liquet, quia cùm cauſæ illæ leuiter influant, ſunt quodammodo, & ſecundùm quid cauſæ, & potius illa pollutio à cauſa naturali procedit; ſunt enim res leues, & ideo non influunt notabiliter. 7

Dico *vltimò*, quoties eſt culpa mortalis dare cauſam pollutioni præuiſæ non remouendo cauſas notabiliter influentes, eſſe etiam mortale dare cauſam notabili diſtillationi, aut commotioni ſpirituum vitalium ſeruientium generationi per ſimiles cauſas. Ratio eſt, quia hæc diſtillatio & commotio ſpirituum, eſt notabiliter turpis, & quaſi inchoata pollutio. 8

SECTIO V.

An delectationes moroſæ, tactus, aſpectus, verba turpia, inter coniugatos, reddantur illicita ratione periculi pollutionis in alterutro coniuge præuiſi.

HÆc omnia diximus ſuprà *ſect. 3.* non eſſe mortalia inter coniugatos, ſi abſit periculum pollutionis; 1 vtrùm verò talia ſint ratione periculi pollutionis in alterutro coniuge præuiſi, modò eſt breuiter explicandum ſequentibus dictis.

Dico ergo *primò*, non eſſe mortale in coniugatis,

per

per tactus, aſpectus, verba turpia, ac delectationem veneream ex copula cogitata conſurgentem, dare operam commotioni membrorum ſeruientium generation, & incidere in diſtillationes præuiſas. Ita Sanchez *diſput. 45. n. 45.* Ratio eſt, quia, vt conſtat ex dictis *ſect. 1. n. 7. & 8.* prædicta delectatio moroſa & ſpirituum commotiones in coniugatis, vacant culpa lethali, quamuis prædicta inter ſolutos mortalia ſint. Et ex alio capite, hoc non eſt graue damnum generationis in tali ſtatu.

2 Dico *ſecundò*, delectationem moroſam coniugis in copulæ coniugalis cogitatione, quam ſecluſo pollutionis periculo dixi ſuprà *ſect. 1. n. 7.* non eſſe mortalem, eſſe peccatum mortale, præuiſo pollutionis periculo. Ratio eſt, quia eſt res ad venerem per ſe pertinens & valde ad pollutionem prouocans, & habetur abſque vlla vrgente cauſa; ergo eſt culpa mortalis.

3 Hinc colligo ob eandem rationem, aſpectus, & verba turpia cum delectatione venerea ſufficiente ad culpam lethalem inter ſolutos, tametſi inter coniugatos ſecluſo pollutionis periculo ab ea excuſentur; vt dixi ſuprà *ſect. 2. n. 7.* non ab ea excuſari, exiſtente pollutionis periculo. Quia nimirum valde iuuant ad pollutionem habendam, & deficit cauſa iuſta.

4 Dico *tertiò*, coniuge reddente non eſſe mortales tactus impudicos, quamuis adſit periculum pollutionis in alterutro coniuge, modò non ſit conſenſus in pollutionem in ipſo reddente. Ita Sanchez *diſp. 45. n. 35.* Ratio eſt, quia reddens debitum coniux, dat operam rei licitæ, ad quam ex iuſtitia obligatur ratione iuris alterius in ipſum. Conſtat autem culpa vacare eiuſmodi tactus exercitos cum periculo pollutionis, vbi adeſt cauſa vrgens. At ſatis vrgens cauſa eſt reddendi actus ab altero coniuge exactos. Prudenter notat Sanchez id eſſe temperandum, niſi tactus tales ſint, vt ita ad pollutionem tendant, vt ſint quaſi pollutio inchoata, & coniuges in eo loco exiſtant, in quo habere copulam nequeant, præuiſo pollutionis periculo.

5 Dico *quartò*, in coniuge petente non ſemper eſſe mortales tactus cum periculo pollutionis in ſe, vel in altero coniuge, quando nec ea eſt intenta, nec eſt conſenſus periculum; ſed erunt mortales quando abſque cauſa legitima exercentur. Hoc eſt commune Doctorum dictum. Ratio eſt, quia licèt hi tactus ſint cauſa per ſe pollutionis, at excuſat tali cauſæ operam dantem vrgens cauſa; vt conſtat ex amplexu iuxta patriæ conſuetudinem, quo euitato in notam inurbanitatis incideretur. Et ex tactu quo chirurgus verenda fœminæ attrectat; vel ex eorum aſpectu cauſa medicinæ adhibendæ; quamuis enim hæ cauſæ valde influant in pollutionem, ſunt tamen valde neceſſariæ. Similiter licet ſentienti magnum pruritum in partibus verendis, illas refricare, quo pruritum ſedet, ſi adſit pollutionis periculum, abſque periculo conſenſus; quia licèt tactus ille & refricatio proximè tendat ad pollutionem; attamen iuſtitia & neceſſitas cauſæ excuſat; experientia enim liquet, quantum doloris & moleſtiæ pruritus ille afferat, adeo, vt difficillimum ſit, ne dicam moraliter impoſſibile à refricatione abſtinere. Quòd verò aliquando in coniugatis adſit vrgens cauſa, quis neget? Eſt enim vrgens cauſa huiuſmodi tactus exercendi, ad mutuum indicandum, & fouendum amorem inter ipſos; videreturque magna auſteritas, & amor minueretur, ſi ab huiuſmodi tactibus abſtinerent. Quare ſicut amplexus inter ſororem & fratrem foris venientes ad indicandum amorem, & ne inurbani videantur, non damnantur, ob pollutionis præuiſæ periculum, ita neque inter coniuges tactus illi damnandi ſunt. Vnde colligo tactum quo coniux ſemetipſum tangit cum pollutionis periculo, eſſe culpam mortalem. Quia ad eam valde influit, nec cauſa vrgens illum exercendi adeſt; tametſi eo periculo ſecluſo, non ſit culpæ mortali tribuendus.

Sectio VI.

An ſponſis de futuro licitæ ſint delectationes captatæ ex futuræ copulæ coniugalis cogitatione, & liceant illis tactus.

Circa primum breuiter dico cum communi Doctorum ſenſu, peccatum mortale eſſe captare delectationem moroſam ſponſos de futuro in copula futura tempore matrimonij cogitata. Ratio eſt, quia talis delectatio ſemper fertur in copulam præſentem, vt præſentem cum præſenti commotione ſpirituum, & ad illam ordinatur, eſtque ipſius copulæ inchoatio quædam. At copula præſens ſolis coniugatis licita eſt. Vnde à fortiori mortale eſt delectari venereè de copula cogitata, ſub conditione, ſi adeſſet matrimonium. Patet, quia tametſi conſenſus & deſiderium ferantur in actum ſub conditione, & ideo licitum videretur in eum actum conſentire, illumque deſiderare ſub conditione matrimonij. Attamen delectatio illa ſenſibilis non fertur in actum ſub conditione, ſed in actum præſentem, & vt talem apprehenſum. 1

Circa ſecundum, de oſculis, amplexibus, aliiſque tactibus non impudicis ſponſorum de futuro, ratione contractus ſponſalium inter ipſos initi, latè egimus ſuprà *diſp. 8. ſect. 6. per totam.* Videantur ibi dicta, vbi aſſeruimus in ſponſis de futuro non ſolùm libidinoſam de actu coniugali futuro conſiderato vt præſenti voluptatem eſſe mortalem, ſed etiam tactus libidinoſos, quamuis tantum fiant ob voluptatem in ipſis repertam, eſſe mortales; quia grauiter opponuntur caſtitati, & nondum eſt matrimonium quô poſſint excuſari, quia ſponſalibus ipſis excuſari nequeunt, quia ſponſalia quamuis ſint inchoatio quædam matrimonij, & prædicti tactus tantum ſint inchoatio quædam copulæ coniugalis, non ideo ſufficiunt ad eos excuſandos: nam inchoatio contractus non ſufficit ad excuſandum vſum rei, de qua eſt contractus, quamuis ſolum inchoatum, & imperfectum; quia quouſque contractus eſt perfectus, non traditur dominium rei: qui autem nondum eſt dominus rei, nullatenus adhuc imperfectè poteſt ea vti, vtpote adhuc aliena, quamuis iam ſibi promiſſa. 2

Sectio VII.

An inter omnino ſolutos liceant tactus, aſpectus, & verba turpia dicere, vel audire.

De hac re latè & doctè Sanchez *lib. 9. diſput. 46. quæſtione prima, ſecunda, & tertia*, & Leſſius *lib. 4. de iuſt. & iure lib. 4. c. 3. dubit. 8. & 15.* Attingam breuiter quod mihi videtur verius.

Dico ergo *primò*, delectationem veneream, ſeu libidinoſá, quæ in ipſa carne ſentitur, & quæ ex imaginatione rei turpis exiſtit, eſſe peccatum mortale inter omnino ſolutos. Ratio eſt, quia contactus turpis, & 1

opera venerea externa ſunt peccata mortifera, quia ſunt propinqua diſpoſitio ad illicitam genituræ profuſionem. At turpis imaginatio & delectatio ſubſequa etiam diſponunt naturam ad eundem effectum; nam delectatio non ſequitur ex opere imaginario, niſi quatenus ipſum eſt diſpoſitio naturam commouens, & ad ſeminationem excitans; ergo talis delectatio eſt peccatum mortiferum.

2 Dico *ſecundò*, oſculum in ſignum amicitiæ ſecundùm conſuetudinem patriæ per ſe eſſe licitum, ſimiliter & delectationem inde conſequentem; ſi verò fiat cauſa delectationis concubitus, extra matrimonium, eſſe peccatum mortiferum. Ita communis ſententia Doctorum. *Primum* patet, quia hoc nihil eſt aliud quàm teſtari eo ſigno externo beneuolẽtiam & vnionem animorum fundatam in coniunctione ſanguinis, vel profeſſionis, vel in alia cauſa honeſta; ergo delectatio hinc conſequens licita eſt; ſeruanda tamen cõſuetudo recepta, & ſcandalum cauendum, quale eſſet, ſi viri Eccleſiaſtici, maximè religioſi, hoc modo teſtarentur amicitiam erga fœminas etiamſi ſanguine ſint iunctæ. *Secundum* liquet. Nam manifeſtum eſt ſi quis vtatur oſculo tanquam diſpoſitione ad concubitum, animo per illas blanditias ad concubitum excitandi, cum ordinetur ad finem mortiferum, eſſe peccatum lethale. Si etiam vtatur oſculo tanquam ſigno, quo phantaſiæ repræſentetur ipſe concubitus, vt ſic voluptate concubitus in ſigno fruatur, hoc modo cõſtat etiam eſſe mortale, quia exhibet voluptatem actus illiciti tanquam præſentis, ſimili modo corpus commouens, & ad ſeminationem ſpiritus concitans. Si denique oſculum ſumatur, vt eſt delectabile carni, etiam eſt peccatum mortiferum; quia vt ſic natura ſua eſt ſignum copulæ vel inſtantis, vel futuræ, vt etiam ex vſu animantium conſtat; vnde in illo contineri videtur tacitus quidam conſenſus in copulam. Alia tamen eſt ratio aſpectus, quia natura ſua eò non tendit, neque corpus ita commouet.

3 Dico *tertiò*, tactus impudicos partium vicinarum verendis, vel ipſarum verendarum, abſque neceſſitate habitos inter perſonas diſtincti ſexus eſſe mortales. Probatur, quia prædicti tactus inter virum & fœminam ex natura rei tendunt ad veneream delectationem, & illam valde excitant. Idem à fortiori mortale eſt, ſi perſonæ eiuſdem ſexus, vt ſi vir viri, aut fœmina fœminæ pudenda tangant ob delectationem veneream ex eo tactu conſurgentem. Dixi, ob delectationem veneream: quia ſecus eſſet, ſi ex quadam leuitate, & ioco abſque animo turpi tactus ille haberetur: vt ſolet pueris euenire ioco pudenda arripientibus. Quia deficit animus libidinoſus; nec tanta verſatur indecentia, vel inhoneſtas, ac inter perſonas diuerſi ſexus. Vnde colligo eſſe mortale propria verenda tangere, venerea delectatione ex eo tactu orta. Quia tendit ad molliciem; ſecus de tactu ex curioſitate, aut leuitate, aut gratia manus calefaciendi, abſque libidine.

4 Dico *quartò*, aſpectus valde turpes, gratia delectationis, quæ in ipſis capitur, vt conſpicere verenda fœminæ, vel è contra abſque vrgenti neceſſitate, mortale eſſe, tametſi non ex libidine fiat, ſed ex indiſcreta mortificatione, aut curioſitate. Ratio eſt, quia valde honeſtati naturali aduerſantur, & ſolet fieri magna commotione in corpore. Quòd ſi ratione ætatis puerilis, aut ſenilis, aut frigidiſſimæ complexionis, ceſſet id periculum commotionis magnæ in aſpiciente, & videat ob ſolam curioſitatem, non erit mortale. Vnde fit inſpicere crura, brachia, vel pectora nuda fœminarum, non eſſe de ſe mortale, ſecluſo alio periculo; quia in his aſpectibus non eſt tanta inhoneſtas; nec adeò ad malum prouocant.

Dico *quintò*, eſſe mortale inſpicere viri cum fœmina concubitum. Patet, quia eſt proximum ruinæ ſpiritualis periculum, & valde aduerſantur honeſtati naturali; & inhoneſtior eſt iſte aſpectus, & magis ad luxuriam prouocans, quàm conſpectus nudæ fœminæ, vel verendorum, qui etiam ſola curioſitatis cauſa, eſt mortalis. Non verò communiter lethale eſt aſpicere brutorum concubitum, vel partes eorum fœdas turpiter commotas. Quia non eſt hoc ita inhoneſtum, nec valde ad luxuriam prouocans. Cæterùm ſi inde redundaret in aſpicientem notabilis delectatio ſenſualis, eſſet culpa mortalis. Quia ea delectatio ſenſibilis indicat cogitari tunc ſimilem actionem vt à propria perſona exercendam, & ita amari.

Dico *ſextò*, dicere verba turpia, ob veneream rei turpis delectationem cogitatæ, quæ cogitatio excitatur, & fouetur verbis illis, eſſe mortale. Hoc eſt certum, quia illa delectatio conſurgens ex re turpi apprehenſa eſt mortalis; ergo à fortiori illam verbis fouere. Idem ſentio de delectatione captata e turpibus geſtibus, aut nutibus, turpiumve auditione; eſt enim mortalis cum intenditur delectatio conſurgens ex rebus ipſis turpibus cogitatis, quæ auditione illa, aut geſtibus, aut nutibus fouetur. 5

Dico *vltimò*, loqui turpia ex quadam leuitate, non gratia delectationis venereæ captandæ, ſed cuiuſdam vani ſolatij, ob delectationem artificij, vel ob aliam vanam cauſam eſſe ſolum veniale. Ratio eſt, quia non apparet grauis aliqua inordinatio. Nec finis intentus, ex cuius malitia eſt metienda culpa, excedit limites venialis culpæ. Idem ſentio cantione, & auditione turpium, vel geſtibus turpiter factis ob eandem ſolam vanitatem; quia eadem eſt omnium horum ratio. Eſt verò obſeruandum, verba prædicta turpia, cantiones, & geſtus poſſe per accidens eſſe peccata mortalia ratione ſcandali aſtantium. Vt cùm audientes ſunt ſpiritu debiles, & verba, aut cantica, aut geſtus, ſunt adeò laſciua, vt loquens credere debuiſſet audientes inde inducendos ad culpam luxuriæ ſaltem deſiderij, vel cogitationis; nam verba turpia ex ſe & ex ratione ſua vehementer fouet venerem; & ad eam excitant. 6

DISPVT. LV.

De repudio, ſeu diuortio matrimonij quoad vinculum.

HACTENVS diſputata ſunt omnia quæ pertinebant ad contractum matrimonij perficiendum, & ad eius debitum vſum; & ſimul explicata manent, quę pugnare videntur cum matrimonio contrahendo, & cum legitimo eiuſdem vſu, quocirca tandem in hac & ſequentibus vſque ad ſexagenam, quæ vltima eſt totius huius tractatus diſputatio, explicanda ſunt ea quæ pugnant, vel vinculo matrimonij contracti, vel eiuſdem toro & habitationi. Poſſet enim contingere vt contractum ſemel validè & legitimè matrimonium, diſſoluatur omnino quoad vinculum; & quando eſt omnino indiſſolubile quoad vinculum, diſſolui queat quoad torum & habitationem. Illud igitur *primum* in diſputatione præſenti tractandum erit; *ſecundum* verò in aliis ſubſequentibus. De illo primo multa diximus ſuprà *diſput.* 20. de indiſſolubilitate matrimonij.

SECTIO

eſt veroſimile manifeſtè ad cœlibem vitam aſtrictam, ſed vinculum diſſolutum.

S E C T I O I.

Vtrùm in lege veteri apud Iudæos per libellum repudij diſſoluebatur matrimonium quoad vinculum.

1 RAtio dubitandi eſt, quia videtur manifeſtum tunc in lege antiqua ex diuina conceſſione licitum fuiſſe ex rationabili cauſa ſoluere matrimonium quoad vinculum per libellum repudij. Nam *Deuteronomij 24. cap.* ſtatuta fuit lex repudij, his verbis. *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua. Cumque egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudij, & dimiſerit de domo ſua, vel certè mortuus fuerit; non poterit prius maritus recipere eam in vxorem: quia polluta eſt, & abominabilis facta eſt coram Domino.* Vbi apertè oſtenditur validè eam ſecundo nubere. Imò non poſſe amplius recipi à primo, quæ dici non poſſent, niſi vinculum eſſet ſolutum. Ex alia verò parte apparet quòd tunc non diſſoluebatur matrimonium quoad vinculum, ſed tantùm quoad torum, & cohabitationem. Id enim expreſſiſſe videtur Christus Dominus *Matth. 19.* dum dixit, *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores.* Vbi ſatis exprimitur, Deum non conceſſiſſe, ſed tantùm permiſiſſe dimiſſionem vxoris; atque ideo matrimonium tunc non diſſoluebatur quoad vinculum, quia abſque Dei conceſſione diſſolui non poterat. Firmatur ex verbis adductis Deuteronomij, in quibus dicitur, vxorem repudiatam, quæ alterum maritum duxerit, iſto mortuo, aut etiam repudiante, non poſſe à primo marito recipi, quia polluta erat, & abominabilis facta coram Domino: ſed ex nullo alio videtur facta abominabilis coram Domino, niſi quia nupſit ſecundo viro, & eam cognouit; ergo prius matrimonium non diſſoluebatur; quia ſi diſſolueretur, non fieret abominabilis coram Domino, ob celebrationem ſecundi, & ob vſum illius.

2 Dico *primò*, verius eſſe, cum noſtro Cardinali Bellarmino 1. *de matrimonio cap.* 17. Coninchio *diſput.* 26. *dub.* 1. *num.* 6. Sanchez *lib.* 10. *diſput.* 1. *num.* 7. Baſilio Ponce *lib.* 7. *cap.* 50. *numer.* 1. & aliis, licitum fuiſſe in antiqua lege ex rationabili cauſa ſoluere matrimonium quoad vinculum. Probatur. Quia in primis quòd per libellum repudij matrimonium diſſolueretur quoad vinculum, ſatis efficaciter deducitur ex dictis verbis *Deuteronomij* 24. quia in eis apertè ſupponitur, vxorem repudiatam validè nubere alteri, ac proinde prius matrimonium fuiſſe diſſolutum. Et certè ſi prius non diſſolueretur, poſterius fieret inualidè & illicitè, & vſus etiam illius eſſet illicitus; igitur dicendum eſt non fuiſſe prædictum matrimoniũ permiſſum tantùm ad maius euitandum malum, ſed fuiſſe verè licitum, & à peccato immunem. Firmo, quia nunquam id matrimonium reprehenſum fuit à Deo, vel ab aliquo ex Prophetis; neque inter alia illius populi ſcelera, nunquam id fuit enumeratum; neque *Deuteron.* 24. & alibi nuptiæ repudiatarum cùm aliis fuere punitæ. Non videtur autem credibile eſſe, vt permitterentur communi lege publica adulteria; nam talia fuiſſent, ſi non extitiſſent valida matrimonia illa. Conſtat etiam Abraham perpetuò repudiaſſe Agar ancillam, & vxorem ſuam; quam tamen non eſt veroſimile manifeſtè ad cœlibem vitam aſtrictam, ſed vinculum diſſolutum.

Dico *ſecundò*, prædicti matrimonij diſſolutionem 3
quoad vinculum fuiſſe validam & licitam in antiqua lege, non ex mutuo coniugum conſenſu, ſed ex diuina conceſſione. Hoc etiam videtur certum. Primum conſtat non potuiſſe diſſolui mutuo conſenſu contrahentium, quia contrahentibus nulla eſt talis à Deo conceſſa facultas; quibus licuit contrahere, ſed cum indiſſolubilitate annexa ex Dei inſtitutione. Ex quo patet ſecundum, quia diſpoſitionis matrimonij ac inſtitutionis Deus eſt ſupremus Dominus; qui ſicut inſtituit, vt vinculum maris & fœminæ, poſito mutuo conſenſu, eſſet inſolubile, quia ſine tali vinculo indiſſolubili, humano more fieri non poterat, per ſe loquendo, vt proles rectè educaretur, cùm ad hoc non ſolùm materna, ſed etiam paterna cura ſit neceſſaria; atque ideo perpetuitas vinculi rectè fuit à Deo inſtituta in matrimonio in ordine ad finem generationis humanæ obtinendum, qui eſt bona prolis inſtitutio; ita ſimiliter ex Dei conceſſione conceſſum fuit Hebræis vt matrimonium diſſolueretur: neque enim matrimonium habet indiſſolubilitatem ex natura ſua, & quaſi ab intrinſeco neceſſariam, ſed eam habet à Deo inſtituente, vt latè oſtendi ſuprà *diſput.* 20. *ſect.* 1. & 2. videantur ibi dicta. Quare ſicut ex ſimili diuina conceſſione fuit Iudæis licita polygamia pluriũ vxorum, quas ſimul validè vnus vir ducebat, vt conſtat ex ſanctiſſimis viris, qui id fecerunt, vt Abrahamo, Iacob, Elcana patre Samuelis, Dauid, & aliis, quos dicere in perpetuò vixiſſe adulterio, idque omnino palam, videtur intolerabilis error, cùm omnes à diuina Scriptura vtriuſque Teſtamenti laudentur, nec vllibi, vel minimum ex illa parte reprehendantur. Videantur de hac re dicta à nobis ſuprà *diſput.* 35. *ſect.* 3. Ita pariter ex diuina conceſſione licitum fuit in antiqua lege ex rationabili cauſa ſoluere matrimonium quoad vinculum.

Dico *tertiò*, prædictam conceſſionem repudij & 4
diſſolutionis matrimonij Iudæis factam, iam omnino ceſſaſſe à die Pentecoſtes, non antè. Ita communiter Doctores. *Primum* conſtat, quia poſt legẽ Euãgelicam iam Iudæis non permitti repudium, nec per illud dirimi matrimonium, res eſt certa. Et ratio eſt, quia lex vetus iam amiſit vim ſuam; ergo eam amiſit quoad effectum diſpenſandi, ſeu concedendi repudium. *Secundum*, docet egregiè Suarez *tract. de legibus lib.* 9. *cap.* 21. *num.* 6. & 7. quia lex vetus ante diem Pentecoſtes non amiſit vim ſuam quoad effectum diſſoluendi matrimonium per diuortium, quia illa lex vetus intacta manſit toto illo tempore, nec magis quoad hũc effectum reuocata eſt, quàm quoad alios, quia nihil de hoc effectu ſpecialiter ſtatutum eſt, nec terminus durationis in illis præceptis fuit diuerſus, aut magis limitatus, quàm in aliis. Vnde ſi in triduo mortis Christi, vel in diſcurſu dierum Paſchalium vſque ad Pentecoſtem Iudæus dimitteret vxorem iuxta permiſſum legis, matrimonium verè diſſolueretur. A die autem Pentecoſtes cœpit illa lex repudij ceſſare, quæ non fuit mortua vſque ad integram mutationem ſtatus Synagogæ, quæ tunc facta eſt, quando promulgato Euangelio, lex illa cœpit eſſe mortifera. Vnde vſque ad illud tempus durare potuit, quia pro illo tempore legitimè durauit illius Reipublicæ ſtatus, & liberum fuit illi vti legibus ad eundem ſtatum pertinentibus; ergo fuit liberum, vti priuilegiis & fauoribus per illas leges ſibi conceſſis; ſicut pro eo tempore durabant onera, & rigores legum iudicialium. At verò poſt illud tempus, & promulgato ſufficienter Euangelio euacuata eſt omnino illa lex quoad

Digitized by Google

quoad effectum repudij, & quoad alios; quia ex tunc iudiciaria etiam præcepta fuerunt omnino mortua, & extincta. Tota enim illa lex vetus eundem terminum obligationis, & conceſſionis habuit, & abſolutè reuocata eſt.

Obijcies, dictam legem, & conceſſionem repudij, & diſſolutionis matrimonij, Iudæis factam, ceſſaſſe ſpecialiter viuente Chriſto, quia reuocata fuit à Chriſto *Matth.* 19. vbi ſatis publicè prædicauerat. Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit niſi ob fornicationé,& aliam duxerit, mœchatur; & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Reſpondeo eo loco tantum voluiſſe, illam legem Moyſi fuiſſe ex quadam conceſſione, ac diſpenſatione, quæ iam ſuo tempore ceſſatura erat, & ad ſtatum perfectiorem, & legi naturæ conſentaneum reducenda Non tamen tunc antiquam legem, vel generaliter, vel illam in particulari reuocauit, ſed tantum ad reuocationem futuram, viam, & animos præparauit per doctrinam, & declarationem veritatis, non per promulgationem alicuius noui præcepti.

5 Dico *vltimò*, nunc inter Iudæos infideles non diſſolui matrimonium virtute illius legis repudij. Patet, quia iam ſufficienter eſt promulgata lex Euangelica, & ceſſauit omnino lex vetus; & iudicialia etiam præcepta, & leges concedentes, ſeu facientes huiuſmodi effectus diſſolutionis matrimonij, & concedentes polygamiam, ſeu multiplicitatem vxorum, quæ fuerunt iudiciales, ſunt omnino mortua, & extincta Vnde conſequenter matrimonium cõtractum cum alia poſt tale repudium nullum eſt, & ſi talis vir conuertatur ad fidem, ſeparandus eſt à ſecunda vxore, & cogendus eſt reuerti ad primam, ſi tamen illa cõuerti etiam velit. Nam ſi nolit, iam ex alio capite diſſolueretur prius matrimonium, & licebit viro denuo ducere ſecundam Chriſtianam ſi velit, vt tradit Innocentius III. in cap. *gaudemus*, de diuort. vbi licèt non in ſpecie de Iudæis, ſed generatim de infidelibus loquatur, tamen Iudæos etiam comprehendit, quia Chriſtus ita ſtatuit, & conſequenter contrarias leges, etiam licitas reuocauit. Vnde Iudæi nunc repudiantes vxorem, rei ſunt culpæ mortalis, niſi eos excuſet ignorantia inuincibilis.

6 Ad rationem dubitandi, conſtat pro nobis eſſe primam illius partem. Ad ſecundam dico, verbo illo, *permiſit*, non ſignificari rigoroſam permiſſionem minoris mali, ſed veram conceſſionem minoris boni, Iudæis factam ob eorum duritiem, & facilitatem ad dimittendas vxores. Deus enim conniuens populi illius fragilitati ac cordis obſtinationi, conceſſit, ac diſpenſauit vt liceret illis repudium. Ad confirmationem reſpondeo, ideo repudiatam quæ alterum ducebat, dici in illo loco Deuteronomij, pollutam, & abominabilem coram Domino, non quia alterum ducebat, ſed quia publicè, & conſequenter coram Domino fuit iudicata talis à priori marito, & ob id non permittebatur iterum ab eo recipi.

Sectio. II.

An inter Gentiles licuerit aliquando repudium, ſeu diſſolutio matrimonij quoad vinculum.

1 BAſilius Ponce *lib.* 7. *c.* 50. *n.* 2. veroſimile putat conceſſionem repudij factam Iudæis in veteri lege, fuiſſe eo tempore extenſam ad gentes, ab illiſque repudia citra culpam recepta vſu & conſuetudine. Quod probari poteſt,

Primò quia tunc non erat matrimonium ratum.

Secundo, apud Romanos fuit Romuli lex repudij, qua non mulieribus, ſed viris dimittendi vxores tribus de cauſis licentiam conceſſit; ſi in liberorum veneficio, aut in adulterio foret deprehenſa, aut claues ſubieciſſet, vt auctor eſt Plutarchus *in vita Romuli*. Vnde à Romanis repudia citra culpam recepta fuere vſu, & conſuetudine obligante.

Tertiò, diſpenſatio plurium vxorum conceſſa Iudæis in veteri lege fuit extenſa ad populum Gentilium, vnde eis antiquitus fuit licita vxorum pluralitas, vt docet Auguſtinus *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 47. ergo idem dicendum de repudio.

Vltimò infideles niſi baptizentur, non tenentur ad non admittendum repudium, ſicut nec tenentur ad confeſſionis præceptum, nec ad alia præcepta poſitiua Euangelij, dempto Baptiſmi præcepto; ergo ſignum eſt repudium fuiſſe illis licitum.

Veriorem iudico communiorem ſententiam, quam ſecutus eſt Soto *in* 4. *diſp.* 33. *q.* 2. *art.* 2. *concluſ.* 1. inter Gentiles nullo modo fuiſſe licitum aliquando repudium, nec potuiſſe matrimonium diſſoluere. Ratio vnica hæc eſt, quia matrimonium ex ſua primæua inſtitutione indiſſolubile fuit; & iſtam indiſſolubilitatem non habet ex natura ſua, & quaſi ab intrinſeco neceſſariam, ſed eam habet à Deo inſtituente. At Deus non conceſſit aliter hominibus poteſtatem transferendi dominium vſus corporum niſi per indiſſolubile vinculum. Solus enim Deus habet proprium dominium abſolutum noſtrorum corporum, & homines ſolùm eorum vſum; quem ipſe illis conceſſit, non omnino abſolutè, ſed cum ea limitatione, vt daretur tale dominium vſus corporum per nexum, & vinculum perpetuum atque inſolubile. Quare citra Dei conceſſionem, vel diſpenſationem dirimi non poteſt per repudium. Hanc autem conſtat Iudæis in lege veteri Deum conceſſiſſe; eam verò Gentilibus conceſſam eſſe, nullibi legitur; ergo nullo modo potuit repudium Iudæorum extendi ad Gentiles, nec illis fuit licitum, nec potuit diſſoluere matrimonium. 2

Firmo, quia diuina conceſſio de pluralitate vxorum facta primis Patriarchis populi Dei, pro ipſis, & pro toto populo Dei non fuit facta populo Gentilium, vt communior ſentit Doctorum ſchola, quia populus Gentilis non fuit populus Dei electus, & dilectus; & reſpectu Gentilium ratio conceſſionis non militabat, quia Deus ſoli populo ſuo, ex quo Meſſias oriturus erat, id conceſſit, vt nimirum populus ille tunc exiguus multiplicaretur ſicut arena maris. Vnde pluralitas vxorum in Gentilibus fuit ſemper nulla, & ex obiecto mala, & illicita: ergo ſimiliter cùm diuina conceſſio de repudio, facta populo Hebræo, non fuerit facta populo Gentilico, cùm nec populus Dei ſit, nec militet eadem ratio, nempe ſubueniendi eo priuilegio eorum imbecillitati, cùm ſit Deo populus exoſus, & abominabilis; ſequitur manifeſtè repudium in illis fuiſſe ſemper nullum, & ex obiecto malum, & illicitum. Vnde

Colligo *primò* Gentiles repudiantes vxorem ſemper fuiſſe reos culpæ mortalis, nec eos excuſare poſſe niſi ſolam ignorantiam inuincibilem. 3

Colligo *ſecundò* infideles ad Chriſtianiſmum conuerſos, ſi tempore infidelitatis legitimas vxores repudiauerant, cogendos eſſe ad illas redire, quamuis iam aliud iniiſſent matrimonium; niſi caſus accideret in quo per conuerſionem alterius dirimeretur matrimonium tempore infidelitatis contractum. Id firmat D. Auguſtinus *lib. de fide & operibus c.* 1. cùm dicat in 4

Africa

Digitized by Google

Africa non admiſſo. Géules, qui dimiſſis primis vxoribus cum ſecundis nuptias contraxiſſent. Ad hanc autem, inquit, videntur diſputationem impulſi, quod eos nouerint non admitti ad Baptiſmum, qui dimiſſis vxoribus alias duxerint, vel fœminas quæ dimiſſis viris aliis nupſerint, quia hæc non coniugia, ſed adulteria Dominus Chriſtus ſine vlla dubitatione teſtatur, &c. Et apertiſſimè idem docuit Innocentius I I I. *in cap. gaudemus, de diuortiis*, cùm de repudiata ab infideli ſermo eſſet. Qui autem, inquit, ſecundùm ritum ſuum legitimam repudiauit vxorem, cùm tale repudium veritas in Euangelio reprobauerit, nunquam ea viuente poteſt aliam etiam ad Chriſti fidem conuerſus habere, &c.

Ad argumenta oppoſita *num.* 1.

5 Ad primum dico, tametſi matrimonium infidelium non ſit ratum, quia ratum dicitur reali ſuſceptione Baptiſmi tanquam cauſa; ex qua reali Baptiſmi ſuſceptione habet inſolubilitatem quandam extrinſecam, quæ illi accedit, quatenus ceſſat iam ille caſus in quo poterat diſſolui in fauorem baptizati; eſt tamen matrimonium infidelium legitimum, iuxta leges, & iuxta inſtitutionem diuinam factum, & ideo inſolubile eſt, niſi caſus accidat, in quo per conuerſionem alterius dirimatur matrimonium infidelitatis tempore contractum, modo quo id fuit explicatum ſuprà *diſput.* 36. *ſect.* 4.

6 Ad ſecundum, dico eam Romuli legem fuiſſe illicitam, & malam contra diuinam matrimonij inſtitutionem, & ideo fuiſſe nullam, neque obligare potuiſſe Romanos. Vnde nec lege aliqua, vel conſuetudine habente vim legis potuerunt repudia ipſa legitimè introduci, nec vllo modo obligare: quia lex, vel conſuetudo contra ius diuinum nullum effectum habere poteſt. Ratio eſt, quia tametſi materia talis legis, vel conſuetudinis repudij, non ſit intrinſecè mala, ſed ſolum quia prohibita, & ex ea parte non repugnaret per conſuetudinem introduci; tamen quia illa prohibitio diuina eſt, nam ex diuina inſtitutione conſtat matrimonium eſſe inſolubile; non poſſunt homines contra illam præualere, quia non poſſunt mutare diuinam legem, aut voluntatem. Nec Deus ipſe cenſetur conniuere, & auferre legem, ſicut in homine legiſlatore ſolet contingere; quia nullum eſt principium, vel fundamentum ad hoc præſumendum de diuina voluntate; neque etiam erat expediens, aut diuinam decens authoritatem; oportet enim legem Dei immutabilem eſſe.

7 Ad tertium, negatur antecedens, vt conſtat ex dictis ſuprà *numer.* 2. neque eſt, vnde colligatur Auguſtinum fuiſſe illius ſententiæ.

Ad vltimum negatur quoque antecedens, nam præceptum diuinum inſolubilitatis matrimonij non fuit pendens obligatio Baptiſmi, nam ex primæua ſui inſtitutione in Adamo & Eua habuit eſſe indiſſolubile vinculum ex Dei præſcripto. Apud Iudæos verò cœpit prohibitio repudij à die Pentecoſtes. Quia eo die pro toto terrarum orbe fuit abrogata lex vetus, ita vt deſineret obligare. Nam videtur omnino certum, illos qui tunc interérant illi promulgationi, cùm ſtatim redirent in patriam ſuam, non fuiſſe obligatos ſeruare adhuc cæremonias legis. Quòd ſi illi non obligabantur, nec etiam alij, niſi ex conſcientia erronea. Ergo etiam veriſimile eſt, vno eodemque tempore ac die, cœpiſſe vbique habere vim ſuam legem nouam, quia vetus abrogabatur per nouam; ac proinde à die Pentecoſtes fuit abrogata, & ceſſauit omnino repudij lex apud Hebræos, & fuit omnino abolita.

Sectio III.

Vtrùm propter adulterium alterius coniugis fiat diuortium, & diſſoluatur matrimonium quoad vinculum.

ERror fuit Græcorum, in quo verſantur hæretici 1
noſtri temporis, coniugem ob adulterium alterius poſſe matrimonium quoad vinculum diſſoluere, & aliud inire, quod probant ex verbis Chriſti Domini *Matth.* 19. ſic dicentis. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Vnde ſupponere videtur, ob adulterium poſſe vxorem dimitti, & aliam duci, quia particula illa, *niſi*, eſt exceptiua, & exceptiuè ſumitur, qua aliis cauſis excluſis, vt inſufficientibus ad id admittitur fornicatio vt ſufficiens. Quòd verò exceptiuè ſumatur, ſatis colligitur ex *Matth.* 5. vbi ſimilis ſententia habetur cum exceptione fornicationis, his verbis. *Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Firmatur, nam diuortium nouæ legis ſucceſſit loco repudij veteris legis, vt conſtat ex dicto *cap.* 19. *Matthæi*, vbi reprobato antiquo repudio, ſtatuit Chriſtus legem de diuortio. Ergo ſicut ob repudium veteris legis diſſoluebatur matrimonij vinculum, ita ob diuortium legis nouæ; cum hoc ſolo diſcrimine, quod illud ex pluribus cauſis licuerit, hoc verò permittatur ex ſola fornicationis cauſa.

Veritas fidei eſt, coniugem ob adulterium alterius 2
non poſſe ab eo quoad vinculum ſuperari. Ita definitum fuit ab Alexandro I I I. *in cap. ex parte* 9. *de ſponſalibus*, & in Concilio Florentino *in inſtruct. Armenorum*, & nouiſſimè in Tridentino *ſeſſ.* 24. *de matrimonio, canone* 7. Quod *primò* oſtenditur, quia id Eccleſia vniuerſalis perpetuò ſenſit, ac tenuit, vt oſtẽdit Cardinalis Bellarminus *lib.* 1. *de matrimonio cap.* 16. & clarè docuit Paulus 1. *Cor.* 7. illis verbis. *Præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Vbi Paulus in prioribus verbis, quando ait, vxorem à viro non diſcedere, loquitur de diſceſſione abſque iuſta cauſa, quam Chriſtus *Matth.* 19. dixit eſſe fornicationem, & non aliam: in poſterioribus verò quando dicit, *quòd ſi diſceſſerit*, &c. loquitur de diſceſſione iuſta, videlicet ob fornicationem, permiſſa à Chriſto *Matth.* 19. aliàs non daret optionem vxori, vt poſt diſceſſionem vel maneret innupta, vel viro ſuo reconciliaretur; ſed potiùs iuxta dictum Domini præceptum cogeret, vt ad virum iniuſtè relictum rediret. Si ergo vxor à viro adultero diſcedens, neceſſariò debet innupta manere, aut viro reconciliari, euidens eſt non ſolui matrimonij vinculum per adulterium. *Secundò*, Chriſtus Dominus libellum repudij Hebræis omnino ſuſtulit. At repudij libellum dare, nihil aliud erat in veteri lege, quàm illa vxore repudiata, liberum eſſe viro aliam ducere. Ergo vir diuertens ab vxore fornicante, non poteſt aliud matrimonium ea viuente inire; aliàs repudij libellus non omnino ſublatus eſſet. *Tertiò*, quia aliàs melioris eſſet conditionis adultera, quàm quæ ob morbum dimittitur, cùm illa libera remaneret, hæc ſecus. *Quartò*, Marcus *cap.* 10. Lucas *cap.* 10. Paulus *Rom.* 7. & 1. *Cor.* 7. abſolutè pronuntiant nulla ex cauſa licere dimittere & ſeparari vinculum; non quidem oppreſſuri ſilentio adulterium, ſi ea cauſa ſufficiens eſſet, & id

Digitized by Google

id indicaret ille locus apud Matthæum, cùm poſterius ſcripſerint Euangelium, & Epiſtolas. Tandem ratione firmatur, nam matrimonium ex diuina inſtitutione eſt indiſſolubile, & diſpenſatio illa qua à Iudæis diſſolui poterat libello repudij, iam ceſſauit. Et quamuis in Pontifice ſit ſpecialis, & extraordinaria facultas ex Dei commiſſione ad diſſoluenda matrimonia rata baptizatorum ex rationabili cauſa, vt oſtẽdi ſuprà *diſput. 20. ſect. 7. num. 3. & 4.* de facto tamen non decreuit ea per adulterium diſſolui, neque expediebat; ergo abſque fundamento, & contra naturam inſtitutionis matrimonij dicitur, poſſe de facto ob matrimonium diſſolui.

4 Ad argumentum oppoſitum ex illo loco Matthæi, dico, quamuis particula, *niſi*, exceptiuè ſumatur, non inde ſequi poſſe diſſolui matrimonium ob adulterium. Nã Chriſtus nõ loquitur de dimiſſione quoad vinculum, cùm eam ob fornicationis cauſam concedit, ſed de dimiſſione quoad torum, & habitationem. Rectè autem ſatisfacit interrogationi Phariſæorum quærentium de dimiſſione quoad vinculum: nam cùm dimiſſio quoad vinculum claudat poteſtatem dimittendi vnam, & ducendi alteram; Chriſtus Dominus has duas dimiſſiones ſeiungens, priorem conceſſit, & poſteriorem negauit. Vnde illa particula exceptiua, *niſi*, non debet referri ad vtramque partem, ſed ad ſolam priorem: vt ſenſus ſit, quicumque dimiſerit extra cauſam fornicationis vxorẽ mœchatur, quia eſt cauſa fornicationis vxori; nam ea dimiſſio eſt vxori occaſio adulterandi, quod marito imputatur, quia iniuſtè dimittit eam in perpetuum, Et qui dimiſſam quacumque ex cauſa, etiam fornicationis, duxerit, mœchatur. Ad confirmationem, dico non omnino diuortium ſuccedere repudio loco repudij, ſed ſolum inadæquatè quoad torum, & habitationem.

SECTIO IV.

An & in quibus euentibus nunc in lege Euangelica poſſit diſſolui matrimonium, quoad vinculum.

1 SErmo eſt de matrimonio rato, & de matrimonio conſummato, & etiam de matrimonio legitimo infidelium.

2 Dico ergo *primò*, matrimonium ratum in lege Euangelica baptizatorum poſſe diſſolui dupliciter quoad vinculum. *Primò* per profeſſionem ſolennem in religione approbata vnius coniugis, ita vt alter licitè aliud matrimonium inire poſſit. Id latè oſtendi ſuprà *diſputat. 20. ſect. 3. per totam. Secundò* matrimonium ratum baptizatorum nondum conſummatum poteſt diſſolui per Pontificis ſummi diſpenſationem, vt latè ſuprà demonſtraui *dicta diſputat. 20 ſectione ſeptima, per totam.* Præter hos duos modos diſſolutionis matrimonij rati, non apparet alius, nec inueniri poteſt.

3 Dico *ſecundò*, ſi ſermo ſit de matrimonio conſummato baptizatorum, habere omnimodam indiſſolubilitatem, ita vt in nullo caſu, nec per ſolemnem profeſſionem, nec per Pontificis diſpenſationem queat diſſolui. Hoc latè explicui *diſputatione 20. ſect. 9.* vbi id probo, & vnde proueniat vt tale matrimonium ſit omnino diſſolubile, manifeſtè oſtendo.

4 Dico *tertiò*, matrimonium legitimum infidelium, non ſolùm conſummatum, ſed etiam ante conſummationem, eſſe omnino indiſſolubile. Patet, quia poſita diuina inſtitutione matrimonij, iſtud legitimum nequit mutuo conſenſu contrahentium diſſolui, vt liquet. Præterea nec poteſt dirimi Principis Gentilis authoritate: quia iſte non habet peculiarem poteſtatem ad id dirimendum à Deo, ſed tãtùm habet ordinariam & generalem ſuperioris humani; quo etiam pacto nec Pontifex poteſt, vt dixi *dicta diſput. 20. ſect. 7. numer. 3.* Nec denique tale matrimonium poteſt diſſolui à Pontifice, quia non habet in eiuſmodi infideles poteſtatem. Neque eſt vnde credamus à Deo relictam eſſe hanc poteſtatem Pontifici, quamuis relinqui poſſet. Nam vniuersè ſcriptum eſt à Paulo 1. *Cor. 5. 12. Quid enim mihi de iis qui foris ſunt iudicare?*

Dico *quartò*, prædictum matrimonium infidelium, etiam conſummatum, poſſe diſſolui, propter cauſam, vel bonum fidei, quando nimirum vnus conuertitur ad fidem, altero nolente cohabi[illegible] abſque iniuria creatoris. Quod latè probo ſuprà *diſput. 36. ſect. 4.* 5

Dico *quintò*, matrimonium conſummatum infidelium, ante Baptiſmum, ſi poſt ſuſceptum Baptiſmum, & poſt factum ratum, ſit denuo conſummatum, non poſſe iam vllo modo diſſolui, nec Pontificis dirimi diſpenſatione. Patet, quia tunc iam eſt matrimonium baptizatorum conſummatum, quod habet omnimodam inſolubilitatem. 6

Dico *vltimò*, dictum matrimonium conſummatum ante Baptiſmum, cùm coniugati ad fidem conuertuntur, antequam poſt Baptiſmum fiat denuo conſummatum, probabile eſſe poſſe diſſolui authoritate Pontificis: probabilius tamen iudico oppoſitum, & probo *dicta diſput. 20. ſect. 10. num. 8.* 7

DISPVT. LVI.

De diuortio quoad torum, ob delictum adulterij.

EGi diſputatione præcedenti de matrimonij ſolutione quoad vinculum; quam illi non conuenire inſpecta diuina inſtitutione, niſi in certis euentibus, vt certum ſtatuimus; nunc in hac & ſequentibus dicam de matrimonij ſolutione, quoad ſolum torum, ſiue etiam cohabitationem; quæ ſolutio *Diuortium* dicitur, quia coniuges, manente vinculo, à ſe mutuo diuertunt. Huiuſmodi verò tori, aut cohabitationis ſeparatio, multis de cauſis contingere poteſt, vel ob culpam, vel ſine culpa, ob aliquam honeſtum ac religioſum finem. In præſenti diſputatione, de diuortio, cuius eſt cauſa adulterium, agam: causâ enim fornicationis, vel adulterij Chriſtus Dominus coniugibus *Matth. 19.* diuortium conceſſit.

SECTIO I.

An & quo iure ratione adulterij alterius coniugis licitum ſit diuortium perpetuum quoad torum, & cohabitationem.

CErtum eſt *primò* coniugem innocentem poſſe in perpetuum dimittere adulterum à ſuo toro, & cohabitatione. 1

cohabitatione. Id ſtatutum eſt à Chriſto Domino vt licitum, *Matth.* 19. & multis Canonibus ſtabilitum, præcipuè *cap. ſignificaſti*, 4. *cap. ex litteris* 5. *& cap. gaudemus* 8. *de diuortiis.* Cuius rei ratio manifeſtè ſumitur ex ipſa natura contractus matrimonij. Nam frangenti fidem, fides ſeruanda non eſt, *cap. peruenit* 2. *de iureiurando, & cap. ſi infidelis* 28. q. 2. ergo coniux, cui alter adulterans fidem frangit, non tenetur illi fidem ſeruare, manendo cum ipſo, ſed poteſt ab ipſo diuertere: neque enim coniuges cenſentur ſe obligaſſe, vt parti diutiùs cohabitent, quàm hæc fidem, & torum immaculatum ſeruet.

2 *Secundò* etiam eſt certum, in hac re pares eſſe tam maritum, quàm vxorem, atque adeò ſicut vir innocens poteſt ab adultera vxore diuertere, ita econtra vxor innocens à viro adultero. Ita firmant omnes Doctores contra Caietanum aſſerentem non eſſe pares coniuges in iure diuortij celebrandi propter adulterium, ſed id ſolis viris permitti ob vxoris adulterium. Oppoſitum ſatis expreſſit Paulus 1. *Cor.* 7. dum ait. *His qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere,* (ſubintellige abſque iuſta cauſa) quod ſi diſceſſerit, (intellige ſemper ex cauſa iuſta) manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Vbi expreſsè ſupponit Apoſtolus vxorem poſſe iuſtè à marito diſcedere, cùm non cogat vxorem, quæ à marito diſceſſit, ad eum redire, imò ei optionem concedat, aut redeundi, aut continenter viuendi. Quòd ſi vxor poteſt ob cauſam aliquam iuſtam diſcedere, abſque dubio poterit ob adulterium, quo ipſi frangitur fides matrimonij: vxor enim & maritus pares ſunt quoad obligationem ſeruandi fidem. Et quamuis Chriſtus Dominus *Matth.* 5. & 19. legem hanc diuortij explicans, de ſolis viris mentionem fecerit, id certè fecit, quia frequentiùs eſt vt viri petant diuortium hac de cauſa; quippe adulterium vxoris longè grauiorem iniuriam viro infert, propter ſobolis incertitudinem, ac viri infamiam.

3 Vnde in hoc diſtinguit optimè D. Thom. *in* 4. *diſt.* 35. *q. vnica art.* 4. *ad* 1. diuortium à repudio: nam hoc concedebatur in lege veteri ad vitandum homicidium coniugis adulteri; & quia periculum hoc moraliter non inueniebatur, niſi in ſolis viris, ideo illis ſolis permiſſum erat. At diuortium conceditur ratione fidei coniugalis fractæ, quæ æquè inuenitur alterutro coniuge fornicante, atque ideo vtrique æquè diuortium conceditur: nam vterque perfectè frangit fidē datam, & ideo dat alteri ius reſiliēdi à pactis.

4 *Tertiò* etiam eſt certum, cùm vterque coniux ſibi mutuo obligetur ex iuſtitia ad fidem ſeruandam; contra hoc nullam præualere conſuetudinem poſſe, vt diuortium non liceat, nec præſcribi vllo tempore contra petitionem diuortij, ſed quocumque elapſo peti poſſe, vt colligitur ex *cap. admonere* 32. *q.* 1. 5. vbi adhuc poſt ſeptennium facultas eſt diuertendi ab adultera vxore. Vnde non ſunt audiendi qui dicunt, obtinuiſſe conſuetudinem, vt vxor nequeat virum adulterum dimittere. Nam licèt rarò fœminæ hoc diuortium intentare ſoleant ob virorum adulteria; id tamen non aufert ab illis ius intentandi, eo vel maximè quod hoc eſt ius naturale, vt ſtatim dicam, quod eſt immutabile, & nulla conſuetudine vinci poteſt.

His poſitis reſtat difficultas, an diuortium ſit de iure naturæ, ob cauſam adulterij commiſſi.

5 Affirmant communiter Doctores.

Primò, quia ex contractus matrimonij natura oritur, vt coniuges mutuam ſibi ſeruare fidem quoad torum & habitationem, ac reliqua miniſteria teneantur. At ipſummet ius naturæ dictat, vt frangenti fidem non ſit ſeruanda fides.

Secundò contractus promiſſionem includens non obligat ſuaptè natura rebus notabiliter mutatis, vt conſtat, ſed hæc accidit coniuge altero adulterante: ergo eximitur innocens ex iure naturæ.

Alij verò, inter quos Caſtro *lib.* 2. *de lege pœnali* 6 *cap.* 4. *in fine*, exiſtimant, illud eſſe de iure diuino poſitiuo. Probant, quia diuortium ratione adulterij nunquam innotuit ante legem euangelicam; nullum enim in veteri Teſtamento inuenitur huius legis veſtigium, in quo adulteræ pœna fuit lapidari. At ſi eſſet de lege naturæ, fuiſſet in aliquo loco veteris Teſtamenti declaratum, vt multa alia non æquè neceſſaria fuerunt ibi expreſſa.

Adhæreo priori ſententiæ, vt communiori, ac veriori, modo explicando ſequentibus dictis.

Dico ergo *primò*, coniugem innocentem ob adul- 7 terium commiſſum ab altero, habere iure naturæ manifeſtum ius reſiliendi ab illo, quoad torum, & cohabitationem, & conſequenter facultatem & licentiam dimittendi illum ob adulterium conuenire ei iure naturali. Id manifeſtè conſtat ex natura matrimonij, ſuppoſito adulterio. Et probant rationes primæ ſententiæ. Quia frangenti fidem, vt frangit adulter, iure naturæ nulla eſt obligatio ſeruandi fidem quoad torum & cohabitationem. Cùm enim coniux naturali iure teneatur fidem ſeruare; quando ille debitam fidem violat, ex naturæ iure conceditur ius innocenti, vt ſeparari poſſit. Vnde quamuis contractus matrimonij claudat ſponſionem redditionis debiti, ac mutuæ habitationis, ſi alter coniux in adulterium labatur, eximitur innocens ex vi naturæ ipſiuſmet contractus ab ea obligatione.

Dico *ſecundò*, non obligari innocentem iure na- 8 turæ ad vtendum diuortio cum alia coniuge propter adulterium commiſſum. Hoc etiam videtur certum: nam prædicta executio diuortij propter offenſam adulterij non habet intrinſecam connexionem ac neceſſariam conſonantiam ad naturam rationalem, tametſi ſit conformis iure naturæ ipſi matrimonij contractui; ergo in hoc ſenſu non eſt iure naturæ debita inflictio actualis diuortij. Antecedens conſtat, quia ſi prædicta diuortij executio propter adulterij offenſionem eſſet intrinſecè ac neceſſariò infligenda, certè eius remiſſio, cum innocens cederet iuri ſuo, eſſet per ſe & intrinſecè mala, non ſecus ac odium Dei, vel mendacium formale; quod manifeſtè falſum eſt: nam ex alterius coniugis ceſſione, vel etiam ex Dei conceſſione poſſet auferri tale diuortium abſque vlla diſſonantia ad rectam rationem, vel naturam rationalem. Nam quamuis diuortium illud ſit iuſtum, & debitum, & conforme naturæ rationali; non verò eſt contra rectam rationem, vt in illud remittatur à coniuge offenſo ob honeſtum finem, & etiam à Deo matrimonij inſtitutore. In quo valde differt ab odio Dei, & mendacio formali quod ex ſe ita eſt malum intrinſecè, ac diſſonum naturæ rationali, vt nequeat reddi licitum & honeſtum ex bono & honeſto fine. Firmo: nam ius naturę eſt immutabile & perpetuum, vtpote immutabilem rectitudinem continens manentibus iiſdem circunſtantiis materiæ. Hoc enim intereſt inter ius naturale, & poſitiuū, quòd ius naturale ſemper vim habeat manentibus iiſdem circunſtantiis materiæ, ius poſitiuum poteſt tolli, etiamſi nulla mutatio fiat circa materiā, quia ceſſat voluntate legiſlatoris, qui manētibus iiſdem circunſtantiis materiæ, poteſt illud tollere. Igitur coniux adulter tametſi poſſit iure affici diuor-

tio dicto, propter adulterij offenſam & iniuriam; cùm hæc poſſit licitè & etiam honeſtè ab alio coniuge offenſo condonari, & adulter coniux admitti queat ad torum & cohabitationem; dicendum eſt coniugem innocentem & offenſum non ligari iure naturæ ad illud diuortium exequendum: nam hoc eodem modo ſe habens, & manentibus iiſdem circunſtantiis & poterit admitti, & poteſt etiam non admitti.

Dico *tertiò*, neque eſſe vllum præceptum poſiti-
9 uum obligans ad dictum diuortium executioni mandandum. Patet, quia nullum tale extat; datur quidem licentia, & permiſſio, ſed non datur præciſa obligatio, per ſe loquendo.

Dico *vltimò*, ob adulterium commiſſum tempore
10 infidelitatis poſſe etiam celebrari diuortium, etiamſi coniux adulter poſtea baptizetur. Ita notant communiter Doctores. *Primum* oſtenditur, quia infideles iuri & legi naturali ſubiiciuntur, ergo ratione offenſæ commiſſæ per adulterium ius habent diuortij. *Secundum* conſtat, quia Baptiſmus tametſi remittat peccatum adulterij in ordine ad Deum, ſed non vt eſt viri offenſa, cui fracta eſt fides coniugalis; atque ideo ratione huius offenſæ ius habet diuortij: ſicut non obſtante baptiſmo poſſet reſilire innocens à quocumque alio contractu, altero non ſeruante fidem.

Ex dictis manifeſtè colligitur coniugi innocen-
11 ti non eſſe impoſitam neceſſitatem dimittendi adulterum coniugem, ſed illum retinere, & cum illo cohabitare poſſe, niſi ſcandalum ex adulterio alterius coniugis ſequatur. Ex hoc enim ſolo capite, ſcilicet euitandi ſcandali eſt obligatio diuertendi, quæ ceſſat, ſi ſcandalo aliis medijs conſulatur. Sic enim adſit ſcandalum, coniugem nocentem retinere, & iudicatur perinde, atque eius adulteriis fauere, tenebitur illum abiicere, ne criminis particeps videatur: tamen per ſe loquendo non tenetur dimittere coniugem adulterum, ſed poteſt innocens vti iure ſuo.

Sectio II.

Quid adulterij nomine ſit intelligendum, vt dicatur illud præbere iuſtam cauſam diuortio perpetuo.

1 Certum eſt non ſufficere voluntatem ſolam adulterandi, etiamſi illa verbis, aut aliis ſignis externis manifeſtetur. Ratio eſt, quia ea voluntate non infertur matrimonio damnum, nec fides eius violatur, nec caro coniugis diuiditur, dum nihil opere eſt patratum.

Difficultas eſt, an nomine adulterij intelligatur
2 quoque Sodomia, ſiue viri, ſiue vxoris, conſummata tamen, id eſt effuſo ſemine intra vas præpoſterum.

Communis eſt inter Doctores ſententia, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 10. diſput. 4. num. 1.* prædictam Sodomiam iuſtam præbere cauſam diuortio perpetuo. Probat id Sanchez, quia cùm matrimonium eò tendat, vt efficiantur coniuges vna caro, *Gen. 2. Et erunt duo in carne vna*; violat perfectè & conſummatè fidem matrimonij, carnem ſuam in alium, vel in aliam diuidens, indeque oritur ius diuortij. Violanti enim perfectè fidem matrimonij diuidendo carnem ſuam, alter non tenetur ſeruare fidem cohabitans, ac debitum ei reddens. Cumque hæc diuiſio carnis perfectè reperiatur in omni concubitu, ſiue naturali, ſiue ſodomitico, hinc eſt vt vterque ſufficientem diuortio perpetuo cauſam præbeat. His etiam addunt beſtialitatem præbere quoque iuſtam diuortio perpetuo cauſam, quia caro coniugis diuiditur in carnem beſtiæ cum qua copulatur.

Baſilius verò Ponce *lib. 9. cap. 16. num. 5.* iudicat ſibi 3
verius, nec peccatum nefandum, nec brutalitatem eſſe cauſam perpetui diuortij. Probat, quia cùm diuiſio carnis in plures dicitur in iure eſſe cauſa diuortij, de ea intelligendum eſt, quæ iuxta vſum naturalem eſt. Idque probat, quia ea diuiſione inducitur in iure bigamia, & irregularitas. At nulla turpis coniunctio extra naturale vas bigamiam, & irregularitatem inducit ex bigamia ortam, vel vera, vel ſimilitudinaria, vt manifeſtum eſt. Igitur tantum diuiſio carnis, quæ iuxta naturalem vſum eſt, adulterij nomine intelligenda eſt.

Probabilius iudico hoc ſecundum. Quod amplius 4
firmo ex doctrina ipſius Sanchez *lib. 7. diſput. 83. n. 7.* & communiter omnium Doctorum, dicentium non eſſe bigamum, vel irregularem, ſi prior vxor, aut fœmina quam ducit ſit cognita ſola copulâ extra vas, aut ſodomiticè. Quia tunc non eſt diuiſio carnis ſuæ in plures intra naturale vas aptum ad generationem: ergo idem dicendum eſt reſpectu diuortij, tametſi Sodomia, & brutalitas ſint horrenda crimina, ideo non dare cauſam perpetui diuortij, quia vere per illa non diuiditur caro iuxta naturalem vſum aptum & idoneum generationi. Hinc

Colligo *primò*, eſſe grauius peccatum in ſe, nihil 5
conferre ad diuortium perpetuum. Nam odium Dei, ac blaſphemiæ hæreticales ſunt longè grauiora delicta adulterio, & illa non ſufficiunt ad perpetuum diuortium. Vnde ſolùm eſt attendendum num magis repugnet fidei matrimonij in ordine ad prolem, illudque grauius offendat. At Sodomia in hoc ſenſu leuior eſt adulterio: minus enim læditur matrimonium per vſum ſodomiticum, quàm per concubitum naturalem cum alieno viro, vel vxore, quia ex concubitu ſodomitico non concipitur proles ex aliena fœmina, ſicut ex concubitu naturali; quod grauiſſimè vxorem offendit, ac filios ex matrimonio habitos.

Colligo *ſecundò*, non ſatis eſſe ad prædictum di- 6
uortium perpetuum quamlibet pollutionem extraordinariam habitam cum tertia alia perſona, ſicut nec peccatum mollitiei, ſiue viri, ſiue vxoris. Ratio, quia tametſi aliquo modo matrimonium lædatur, quatenus prodigitur ſemen viri, vel fœminæ debitum vſui coniugali; non tamen integrè, & conſummatè læditur matrimonium, cùm non diuidatur caro viri in aliam per concubitum intra vas naturale, & aptum generationi.

Colligo *tertiò*, ſolos tactus, quantumuis libidi- 7
noſos, & animo perueniendi ad adulterium habitos, eo non ſecuto, non præbere iuſtam diuortio perpetuo cauſam. Ratio eſt, quia diuortij fundamentum, & radix eſt actualis diuiſio carnis in aliam iuxta naturalem vſum; quæ in ſolis oſculis, amplexibus, & tactibus non ſecuto concubitu, minimè reperitur.

Colligo *quartò*, ſi copula tantum penetret vas, 8
ſemen verò intra illud non emittat, non eſſe iuſtam diuortij cauſam. Ratio eſt, quia per talem copulam non eſt concubitus conſummatus, ſed attentatus, & ita non conſummat matrimonium. Patet, quia copula carnalis, per quam matrimonium

conſum

conſummatur; eſt ea per quam coniuges efficiuntur vna caro: at dum ſemen non recipitur intra clauſtrum fœminæ, non efficiuntur vna caro, atque ideo per talem copulam non conſummatur matrimonium. Vnde nec caro coniugis in aliam diuiditur, ſed diuidi attentauit.

9 Colligo *vltimò*, non eſſe cauſam diuortij; ſi vir in balneo exiſtens ſemen voluntariè expellat, & matrix alicuius fœminæ illud ingredientis, attraheret illud. Quia fuit præter intentionem viri, & ita ex intentione non fuit perfectus concubitus.

Sectio III.

In quibus caſibus adulterium non ſufficiat ad diuortium perpetuum.

VArij ſunt caſus, in quibus coniux non poteſt coniugem nocentem eiicere, & eiectum tenetur ad ſe reuocare, quos omnes quatuor caſibus comprehendo.

1 Sit igitur *primus caſus*, adulterium non ſufficere ad diuortium, quando ab vtroque coniuge commiſſum eſt. Ita habetur cap. *ſignificaſti*, de diuortiis. Fuit caſus in ſpecie, de quodam viro, qui dimiſit vxorem ſuam, pro eo quod ſuggeſtum ei fuit, cum quodam conſanguineo ſuo eam inceſtum commiſiſſe, propter quod & fuit excommunicatus. Sed mulier illa de alio ſobolem ſuſcepit, nihilominus petebat viro ſuo reſtitui, dicens quòd iniuſtè eam dimiſerat, & ſibi materiam adulterandi dediſſet. Conſultus de hac re Alexander III. ſic reſpondit. Si notorium eſt, mulierem ipſam adulterium commiſiſſe, ad eam recipiendam præfatus vir non debet cogi, niſi conſtaret ipſum cum alia adulterium commiſiſſe. Vbi Gloſſa ſic notat, paria delicta mutua compenſatione tolluntur. Vnde in hoc caſu compenſatur iniuria: nam iniuria vni facta compenſatur iniuria ab eo alteri facta, & è contra, quoad auferendum ius diſcedendi. Nec refert vter prius commiſerit crimen, aut quod vnus ſæpius altero, aut quod vnius crimen ſit publicum, & alterius omnino occultum, & coniugem lateat, quia vterque verè fidem matrimonij fregit. Vnde ambo coniuges æquales ſunt quoad hoc, quod eſt eſſe fidei fractores, & dediſſe cauſam ſufficientem diuortij; ac proinde cauſa & infidelitas vnius, etiam qui pluries adulterauit, compenſatur cauſa & infidelitate alterius, etiam qui ſemel tantum. Et ob eandem rationem quod vnus ſecretò adulterauit, & alter publicè non ſufficit, vt qui ſecretò, poſſit à publico adultero diuertere, quia pares ſunt quoad hoc, quod eſt eſſe infideles, & dediſſe cauſam ſufficientem ad diuortium. Nam ſoli innocenti conceditur diuortium. Firmatur: nam iura ſolùm ponderant vtrumque coniugem ſimili crimine adulterij iam infici, & neutrum matrimonij fidem illæſam ſeruaſſe, non habita ratione prioritatis, vel poſterioritatis, neque multiplicitatis, neque publicitatis. Hinc

2 Colligo *primò*, ſi contingat ex coniugibus vnum eſſe emendatum, & alterum perſiſtere in adulterando, non ſufficere, vt emendatus poſſit diuertere ab eo altero. Ratio eſt, quia emendatio non tollit, neque extinguit iniuriam alteri illatam, atque ideo manet dignus, vt ei nunquam ſeruetur fides. Quod etiam eſt verum, quamuis emendatus admoneat, vel inducat alterum ad emendationem, & ad reconciliationem; quia ea inuitatione non extinguitur iniuria inuitato illata; nam ea inuitatio, vel inductio, non eſt ſatisfactio pro illa.

Colligo *ſecundò*, ſi poſt alterius, aut vtriuſque adulterium coniuges reconcilientur, quicumque ex illis fornicetur, poteſt ab altero diuerti; quia per reconciliationem prior iniuria omnino ablata eſt. 3

Colligo *tertiò*, ſi poſt adulterium vtriuſque, aut vnius tantum, ipſi coniuges reconcilientur; quicumque ex illis, qui poſt reconciliationem adulteret, poteſt ab altero dimitti: quia adulterium poſt reconciliationem commiſſum nequit dicta præterita iniuria, quæ iam per reconciliationem fuerat remiſſa, compenſari. 4

Colligo *vltimò*, ſi innocens coniux poſt factum diuortium adulteret, teneri alterum iterum admittere, vt notauit rectè Coninkius *diſput. 33. dubio 2. num. 14. & 15.* Patet, quia iniuria ſibi facta ſufficienter compenſatur per adulterium poſtea à ſe commiſſum contra alterum. Quod verum iudico, tameſi diuortium factum fuerit per ſententiam iudicis, & quæ tranſierit in rem iudicatam: quia etiam poſt ſententiam innocens adulterando infert iniuriam coniugi dimiſſo, quia iniuria ipſi innocenti facta à dimiſſo compenſatur, atque ideo ius antea innocentis perſiſtendi abſque altero ceſſat; innocens enim ſententia illa non acquiſiuit ius adulterandi, ſed declaratum fuit, quod habebat ius diuertendi ab adultero. Firmo, quia quandiu manet vinculum matrimonij, vterque habet dominium corporis alterius; conſiſtit enim vinculum matrimonij eſſentialiter in hoc dominio, vt oſtendi ſuprà *diſput. 13. ſect. 5. per totam.* Quamuis autem vnus per alterius crimen acquirat ius non reddendi debitum, non tamen adulterandi; nec per ſententiam diuortij ei vllum ius conceditur, ſed ius quod habet declaratur, vt publicè eo liceat vti. Ex eo autem quòd ſententia tranſierit in rem iudicatam, nullum nouum genus conceditur innocenti, nec hic liberatur ab aliis actionibus, ſed tantum efficitur ne reus poſſit ipſam ſententiam amplius reuocare in dubium, niſi reſtituatur in integrum. Inde tamen non ſequitur, quin ob aliam cauſam, ſcilicet propter iniuriam per recens adulterium ſibi factam, poſſit ei intentare litem, eumque repetere. Quare eodem modo dimittens tenetur alteri petenti reconciliari, ac ſi ante ſententiam latam contigiſſet eius adulterium. 5

Secundus caſus, eſt in quo adulterium vxoris non eſt ſufficiens ad diuortium, quando à viro proſtituitur ad id, vt lenocinium exerceat: tunc enim ob adulterium, cuius ipſe auctor fuit, repudiare eam non poteſt. Ita conſtat ex *cap. diſcretionem 5. de eo qui cognouit conſanguineam.* Quod verum eſt, quamuis vxor non coacta, ſed conſentiens proſtituatur à marito, vt clarè deducitur ex dicto *cap. diſcretionem*, dum additur, præſertim inuitam; quia eo addito ſupponitur, id etiam eſſe verum, quando non proſtituitur inuita. Ideo autem quando maritus eſt cauſa fornicationis vxoris, aut in eam conſentit, nequit ab vxore diuertere, non quia tunc vxor non inferat iniuriam marito, quia verè ei, quamuis conſentienti, iniuriam infert; quia coniux nequit cedere iuri, quod habet, vt alter non fornicetur; hoc enim ius non habet abſolutè, ſicut habet in aliis materiis, ſed in fauorem generationis, cui poſitiuè nocet fornicatio cum alio; ſed quia æquum non eſt vt obiiciat vxori adulterium factum ipſius conſenſu, & vt ob id debitum neget. Cenſetur autem conſentire, quoties potens prohibere non prohibet, ſi non habeat iuſtam cauſam 6

ad non prohibendum. Non tamen cenſetur conſentire, aut eſſe cauſa adulterij vxoris , quamuis ei occaſionem remotam tribuat, negando videlicet debitum, aut ei neceſſaria , aut eam à domo eiiciendo , ſi non efficiat ex intentione quod adulteret, vt docent communiter Doctores , & deducitur ex cap. *ſignificaſti 4. de diuortiis.* Et ob dictam rationem vxor , quæ maritum inducit ad adulterium , & in id conſentit , nequit ab eo diuertere , quia videlicet æquum non eſt , vt tunc obiiciat adulterium marito , & ob id ei debitum neget. Ratio enim generalis horum omnium videtur eadem eſſe , quæ ſupra allata eſt , videlicet mutua compenſatio parium criminum.

7 *Tertius caſus* in quo nequit coniux ab altero coniuge ob commiſſum adulterium ſeparari, eſt , quando adulterium commiſſum eſt ſine culpa coniugis adulteri : quia tunc nullam formalem iniuriam intulit, neque commiſit formale adulterium, ſed ſolum materiale ; debet autem eſſe formaliter adulterium, *cap. in lectum 34. q. 2.* Vnde ſi vxor cognita ſit per fraudem ab aliquo ſe virum ſimulante , excuſatur ab adulterij labe. Similiter ſi per vim, & omnino coactè opprimitur à viro alieno: quamuis nonnulli ſentiant non excuſari, ſed virum poſſe petere diuortium; meo tamen iudicio excuſabitur , ſi illata vis reddidit omnino inuoluntariam copulam. Quod contingere poſſe quis neget ? In hoc enim caſu ea ratio prohibet diuortium, quia ea fœmina iniuriam non intulit , diuortium autem ſolum habet locum ratione iniuriæ illatæ. Non enim poteſt fieri vt niſi quis mœchetur prius in corde, mœchetur in corpore, *cap. de pudicitia 32. q. 5. & cap. non poteſt, cum duobus ſequentibus , eadem cauſa , & quæſtione.* Dixi *omnino coactè* : quia ſi vxor non omnino coactè opprimatur , quamuis cogatur metu graui cadente in conſtantem virum , poterit à ſuo marito dimitti; quia nullo metu excuſatur à culpa adulterij graui. Huc etiam pertinet, ſi mulier, quæ viro ſuo in captiuitate , aut expeditione per plures annos commorante, præuiis conteſtationibus de morte ſui viri, quas veras eſſe credidit , quia videlicet teſtes fide digni ſub iuramento depoſuerant , ipſum obiiſſe , alteri nupſerit ; poſtea verò priore marito reuerſo ſe abſtineat à conſuetudine poſterioris mariti, cupiens ad priorem reuerti ; tunc non poteſt criminis adulterij inſimulari , nec poteſt prior vir ab illa diuertere , propter eandem rationem dictam, quia tunc non eſt adulterium formaliter, & culpa vacat. Nec ſufficeret qualiſcumque culpa, ſed oportet eam eſſe mortalem ; eſt enim diuortium quid grauiſſimum , ac ſubinde indignum vt ob leuem culpam incurratur. Vnde infero , ſi coniux credens probabiliter alium coniugem mortuum fornicetur, non poſſe à coniuge ratione illius fornicationis dimitti. Quia excuſante iuſta matrimonij ignorantia , fornicatio illa vacat culpa adulterij, nec tale eſt formaliter : ſicut accedens ad conſanguineam vxoris, ignarus inuincibiliter conſanguinitatis, quia excuſatur ab inceſtu, non incurrit eius pœnam , quæ eſt priuatio petendi debitum coniugale.

8 *Quartus caſus* , in quo nequit coniux ob adulterium diſcedere ab adultero, eſt , quando ei remiſit iniuriam : quia remiſſione cedit iuri ſuo diſcedendi : quæ fieri poteſt , aut expreſsè , vt quando expreſsè affirmat ſe remittere ; aut tacitè , vt quando coniux conſcius adulterij liberè accedit ad adulterum ; quia tunc acceſſus videtur ſufficiens ſignum externum remiſſionis. Quòd ſi accedat ignarus adulterij , aut non omnino liberè, ſed cauſa redimendæ alicuius vexationis , non cenſetur remittere, quia tunc acceſſus non eſt ſufficiens ſignum remiſſionis. Hinc

Colligo *primò* , non ſatis eſſe remiſſionem mente retentam , nec ſigno aliquo externo coniugi nocenti expreſſam. Patet. Tum quia propoſitum mente retentum in his contractibus inter homines initis, nullius efficaciæ eſt. Tum etiam , quia cum remiſſio illa ſit velut quædam iuris diuortij & accuſandi donatio , oportet vt firma ſit , eam parti cui fit intimari. 9

Colligo *ſecundò* , ſi remiſſione facta & reconciliatione , coniux ille reconciliatus in adulterium relabatur , poſſe non obſtante priori illa remiſſione, & reconciliatione , de nouo eo adulterio illum accuſari , & ratione illius celebrari diuortium. Patet, tum quia præcedens venia non trahitur ad futura delicta , ſed ſola præterita reſpicit. Tum etiam, quia reconciliatio illa contractum matrimonij ad priſtinum vigorem reſtituit , ac ſi nullum eſſet vſque tunc adulterium commiſſum , ſed in eo euentu poſſet coniux reus noui adulterij dimitti , & de illo accuſari ; ergo idem dicendum eſt facta ea remiſſione , & reconciliatione ; non enim rationi conſentaneum eſt , vt illa remiſſio criminis futuri præſtet impunitatem. 10

Colligo *vltimò*, ad dictam remiſſionem , vel reconciliationem ſufficere , vel externa verba , quibus iniuria adulterij condonetur , vel etiam copulam poſtea habitam , vel etiam tactus , & oſcula. Imò & inſpecto viri ingenio ſatis erit conuictus & conuerſatio poſt cognitionem adulterij , vt habet deciſio Rotæ 193. apud Farinacium *lib. 2. conſiliorum.* Dixi *poſt adulterij cognitionem.* Quia ſi vir conſcius adulterij non eſt , quamuis perſeuerauerit cum vxore , & actus maritales cum ea exercuerit , non cenſetur reconciliatus. Idem eſt ſi vterque fuerit adulteratus , & ſibi mutuo remiſerint iniuriam. At ſi poſtea alter labatur in adulterium , poteſt iam peti diuortium ab alio , etiamſi alius ſemel, aliúſve pluries adulter extitiſſet , vt etiam dictum eſt ſuprà *num. 4.* 11

SECTIO IV.

Vtrùm maritus teneatur dimittere vxorem adulterantem, perſiſtentem in adulterio.

CErtum eſt *primò* , extra dictos caſus præcedenti ſectione coniugem innocentem nunquam abſolutè teneri reconciliari alteri coniugi adultero , quia abſolutè liber eſt ab onere coniugali. Honeſtas tamen & etiam charitas , quandoque requirunt licèt non obligent , vt eum emendatum recipiat , quando id commodè poteſt , & vlteriùs saluti expedit. Et ſic intellige caput , *ſi vir* , de adulteriis. vbi dicitur eum debere id facere : videlicet ex quadam æquitate , vt notat *ibi* Gloſſa. Adulter verò tenetur redire ad innocentem , quandocumque id petierit : quia hic nullum ius diuertendi habet, niſi alteruter legitimè ſtatum incompoſſibilem ſuſcepiſſet. Quod intellige, per ſe loquendo : nam ſi ex reditu probabiliter timeret ſibi imminere mortis, vel alicuius grauis damni periculum , non teneretur redire. 1

Secundò etiam eſt certum, licere viro vxorem adulteram reſipiſcentem ſibi reconciliare. Ratio eſt , quia 2

ſeparatio

ſeparatio illa eſt quaſi pœna adulterij debita ex ipſa natura contractus matrimonij, & ipſius iniuriæ illatæ viro. At cuilibet licitum eſt iniuriam ſibi illatam condonare,& iam vxore emendata, ceſſat ratio ſcandali. Quæſtio igitur eſt,an teneatur vir quando vxor non eſt emendata,ſed in adulterio perſiſtit.

3 Nam multi,quos refert Sanchez *lib.* 10. *diſput.* 13. *num.*4.affirmant virum teneri ſub culpa mortali vxorem in adulterio perſiſtentem deſerere.

Primò,quia id expreſsè deciditur *in cap. ſi vir*, 3.*de adulteriis*,dum dicitur, *ſi vir ſciens vxorem ſuam deliquiſſe,& in fornicatione permanere, cùm ea viuat, reus erit,& peccati particeps.*

Secundò, idem deduci videtur ex illo Prouerbiorum 18.*c.Qui autē tenet adulteram,ſtultus eſt,& inſipiēs.*

Tertiò, vir non diuertens ab huiuſmodi adultera, videtur reus criminis,ſcandali anſam præbet ſuſpicandi illi conniuere, ac patrocinari, & lenonem eſſe; & periculo exponitur, vt proles ſit incerta & legitimi hæredes illi non ſupponantur.

Contrarium verius & communiter ab omnibus receptum.

Dico *primò*, propter ſolam adulterij rationem,non teneri coniugem innocentem diuertere vxorem adulteram pertinacem, etiam publicā.Ita omnes. Et patet, quia tametſi Chriſtus Dominus *Matth.*5.*&* 19.explicuerit diuortium eſſe licitum ratione adulterij, illud tamen non præcepit, ſed tanquam licitum permiſit, vt declaratur *cap.Idololatria* 28.*q.*1. Et ratione oſtenditur, quia diuortium eſt inductum in fauorem innocentis, & in ſupplicium adulteri ob iniuriam innocenti illatam; ergo ius proprium viri eſt poſſe diuertere;ergo poteſt iure ſuo cedens condonare iniuriam.

4 Dico *ſecundò*, nec teneri virum ab vxore adultera diuertere,ob præceptum correctionis fraternæ. Probatur. Tum quia ad hoc ſufficit vt eam moneat, & pœnis inferni illi propoſitis terreat, ac moderatè provt poteſt puniat, ad quod ſolum tenetur. Quia vxorem dimittere eſt medium viro nimis incommodum,ad quod ratione correctionis non tenetur; quia ſic tenebitur cælebs viuere, & ſolus domum regere, & eius infamia manifeſtior fiet. Imò id vxori eſt periculoſius, quia vxor quæ ſæpe reprehenſa & punita non emendatur, libetius viuet ſi dimittatur. Igitur prædicta expulſio fruſtratur fine per correctionem intento,qui eſt correctio vitæ,& reſipiſcentia à vitiis.

Dico *tertiò*, nec teneri talem vxorem dimittere ra-
5 tione ſcandali,quod erit ſuſpicandi ipſum conniuere, & patrocinari adulterio vxoris, ſi cum illa inhoneſtè viuente cohabitet. Probatur, quia in primis nullum erit ſcandalum ſi crimen ſit occultum. Præterea ſi publicum ſit, ſufficiet virum publicè etiam conari vxorem emendare, eam pro ſua poteſtate puniendo, ita vt intelligant vicini,ne videatur conſentire. Quòd ſi aliqui putent adhuc, eum conſentire, erit ſcandalum acceptum, non datum, quod non tenetur cum tanto damno euitare.

Dico *vltimò*, forſan rariſſimè teneri virum eam dimittere. Patet, quia ſi vir commodè poſſet ad tempus vxorem diuertendo eam emendare, & dictam ſuſpicionem,ac ſcandalum tollere, & marito non ſit valde incommoda, neque aliud ſit medium ſufficiens ad emendationem,& ad ſuſpicionem vitandam, teneretur eam dimittere. Et ſic intelligendum eſt *cap. ſi vir, de adulteriis*, & alia iura dicentia virum debere talem dimittere, ne videatur patronus turpitudinis. Verùm hic caſus rariſſimus eſt, quia prædicta omnia rariſſimè coniungentur.

Ex his patet ſolutio ad argumenta oppoſita.

7 Ad primum iam conſtat ex modò dictis *n.*6.

Ad ſecundum, dico locum illum Prouerbiorum tantùm intelligi,quando vir pacificè, & quietè cohabitat cum dicta vxore.

Ad tertium,iam conſtat, ratione ſcandali quid vir oporteat facere.

Quæres an è contra vxor innocens teneatur dimittere virum adulterum pertinacem in adulterio. 8
Reſpondeo, vxorem multominus teneri ad dimittendum maritum adulterum in adulterio perſiſtentem. Patet, quia neque ratione adulterij, vt liquet, neque ratione correctionis fraternæ, quia per hoc non emendaretur;neque enim ea dimiſſio,præterquā quod eſſet maximè incommoda vxori, eſſet apta ad emendationem viri, & mulieris non eſt virūm corrigere niſi precibus,& ſuauibus admonitionibus. Nec denique ratione ſcandali,& vitandi ſuſpicionem conſenſus vxoris, quia rarò præſumitur vxorem conſentire, & quando id præſumatur, facilè poterit huic præſumptioni aliis mediis occurrere. Quod ſi vxor omnino crederet virum eſſe emendandum ſi ad tempus illum diuerteret, & poſſet id facere ſine vllo notabili incommodo,ad id teneretur ex charitate:ſentio tamen vix vnquam eſſe talem ſpem; imò moraliter ſemper eſſe timorem peioris exitus, ſi vir ab vxore dimittatur.

SECTIO V.

Qualis notitia adulterij deſideretur, vt poſſit coniux innocens in foro conſcientiæ ab adultero diuertere,ac ei debitum negare.

CErtum eſt deſiderari ad id, vt coniux innocens certus ſit de alterius adulterio. Pater, quia cum 1
poſſeſſio ſtet pro altero coniuge, ea non debet in dubio priuari. Qualis verò certitudo neceſſaria ſit, modò eſt breuiter explicandum.

Dico ergo *primò*,non deſiderari certitudinem me- 2
taphyſicam, ſed ſatis eſſe moralem, qualis habetur per ea indicia, quæ in foro externo probata conuincerent coniugem de adulterio. Ita omnes. *Primum* conſtat, quia cùm adulterium ſit ex illis criminibus, quæ in abdito loco, & omnino occultè admittuntur, nequit certitudine metaphyſica conuinci. Nam etiam ſi quis nudus ſupra nudam fœminam in ipſo actu reperiatur,non conſtabit certitudine metaphyſica eſſe adulterium conſummatum, quale ad diuortium exigitur. Quia fieri poteſt vt fœmina ſit arcta, vel vir impotens,vel quòd non ſeminauerit intra vas.

Dico *ſecundò*, ad id deſiderari ſuſpicionem vio- 3
lentam. Ita communiter omnes. Et patet, tum quia non tam exactæ probationes petendæ ſunt in adulterio,ac in aliis criminibus,quæ oculis patent, & palam perpetrantur. Tum maximè, quia ſuſpicio violenta ſufficit ad diuortij ſententiam, vt conſtat ex *cap.literis,de præſumpt.* ibi, *Solum cum ſola, nudum cum nuda in eodem lecto iacentem viderunt multis locis ſecretis,& latebris ad hoc commodis,& horis electis.* Reſpondemus, quod ex huiuſmodi violenta, & certa ſuſpicione fornicationis, poteſt ſententia diuortij promulgari. Igitur in foro conſcientiæ hæc certitudo moralis ſufficiet ad diuertendum adulterum, & ei debitum negandum.

Dico *tertiò*, non induci violentam ſuſpicionem 4
adulterij ex ſolis oſculis, & amplexibus, quando alia adminicula non concurrunt. Ita communiter Doctores. Ratio eſt,quia tametſi coniecturis adulterium

probibetur:at illæ debent eſſe, vel à narura, vel à lege receptæ & probatæ. Oſcula autem & amplexus, nec à natura, nec à lege pro vrgenti conie&tura admittuntur, nec etiam ab homine recipi debent, cum nulla vrgens ratio id ſuadeat. Firmo, quia tametſi oſcula & amplexus cauſent ſuſpicionem probabilem, at non vrgentem, ac violentam: at non ſufficit quæcumque ſuſpicio probabilis, ſed deſideratur violenta ſuſpicio, Vnde colligo, nec à fortiori ſufficere xenia miſſa ab adultero vxori alienæ, vel amatoria verba, vt probetur adulterium, quia minora indicia ſunt amplexibus, & oſculis.

5 Dico *vltimè*, in foro conſcientiæ ſufficientem notitiam eſſe, quū coniux innocens diuertere poſſit, ſi de adulterio ſui coniugis certior fiat à perſona fide digniſſima, cui meritò prudentiſſimus fidem haberet, teſtante ſe vidiſſe adulterium, aut eius violentam ſuſpicionem. Probatur, quia talis perſona efficit certitudinem moralem. At hæc ſatis eſt in matrimonio quod eſt probatu difficillimum.

Sectio VI.

Quid iuris ſit coniugi innocenti poſt factum diuortium.

1 De hac relatè noſter Sanchez *lib. 10. diſput.* 10. Breuiter dicam quid ſentiam ſequentibus dictis. Præmittendo priùs, quod eſt certum, diuortium factum ſiue per ſententiam iudicis, ſiue per notorium adulterium, eſſe in fauorem innocentis, & cōiugis nocentis odium. Id enim exigit ipſamet natura contractus, vt eſt per ſe notum.

2 Dico ergo *primò*, certum mihi videri, poſſe innocentem, quandiu ſtatus vtriuſque coniugis eſt omnino immutatus, cogere adulterum vt ſibi reconcilietur, & teneri adulterum conniuere. Ita docent innumeri, quos refert, & ſequitur Sanchez *diſput.* 10. *citata n.* 3. Probatur. Tum quia cum diuortium factum ſit in fauorem innocentis, & odium nocentis, non eximitur nocens ab innocentis poteſtate, ſi velit innocens cedere iuri ſuo, etiam adquiſito per ſententiam; aliàs eſſet ſententia illa in damnum innocentis, & in fauorem adulteri, quod iniuſtum eſt. Tum etiam, quia cōiux innocens non priuatur per diuortium etiam latum per ſententiam, iure, & dominio quod habet in adulteri corpus: aliàs prodeſſet diuortium, & ſententia lata ipſi reo, aduerſus quem lata eſt. Dixi, *quando ſtatus vtriuſque non eſt immutatus*, quia neuter ſtatum mutauit, nec voto caſtitatis ſe aſtrinxit.

3 Dico *ſecundò*, quando res non eſt integra ex parte innocentis, eo quòd iam ſtatum mutauit, factus profeſſus, aut Sacris initiatus, manifeſtum eſſe nullum supereſſe ius innocenti ad reconciliandum adulterum. Patet, quia aſſumpſit ſtatum immutabilem, ſeſeque tradidit religioni per profeſſionem, vel Eccleſiæ per ordines ad ſacra miniſteria, vnde non poteſt ad coniugem redire, neque ab ſtatu præſenti reſilire, & ideo eum ſtatum aſſumens, omne à ſe ius matrimonij abdicauit. Quòd ſi coniux innocens ſit nouitius tantùm, vel ſolùm in minoribus conſtitutus, poteſt adhuc reconciliari; habet enim ius iuſtitiæ ad coniugem nocentem, & illud ius nondum impeditum eſt alio iuſtitiæ iure, quale habet religio in profeſſum, vel Eccleſia in ſacris initiatum. Idem eſt, ſi tantum impediatur voto ſimplici, extra religionem tamen poteſt quidem redire ad ſuum coniugem nocentem, licet peccet, cum ſe exponat periculo violandi votum, tenebiturque reddere, ſed non exigere.

Dico *tertiò*, coniugem innocentem qui ſtatum non mutauit, habere ius circa mutationem ſtatus nocentis, ita vt ſi ob adulterium notorium ſint ſeparati, non licet adultero ſtatum mutare inſcio innocente. Ratio eſt, quia cum iuxta dicta, innocens quandiu ipſe non mutat ſtatum, habeat ius liberum, & expeditum ad reuocandum ad ſe nocentem, ſi velit, non poteſt nocens quidquam agere, vel diſponere contra iſtud ius. Vnde ſi mutauerit ſtatum, nihil prorſus efficiet, ſed reuocari ab innocente poterit, quia eo inſcio mutatio ſtatus facta eſt. 4

Firmatur, quia dictum diuortium, etiam quando fit à iudice, fit in fauorem innocentis, cui per adulterium illata eſt iniuria, & deobligatus eſt à reddendo debito, & à cohabitando, non verò in fauorem coniugis nocentis, quia iſte non deobligatur, ac proinde quoties innocens velit, alter eſt ad ipſum reuocandus, Dixi, ſi ob adulterium notorium fuerit facta ſeparatio. Nam ſi præceſſit iudicis ſæcularis ſententia intrudentis fœminam adulteram in monaſterium, cōceditur innocenti biennium, vt deliberet an velit coniugem reperere, & intra illud biennium profeſſio adulteri nulla eſt, ſecus elapſo eo termino. Ita habetur *Authent. ſed hodie C. ad legem Iuliam de adulteriis*, quæ diſpoſitio iure Canonico reuocata non eſt, de qua re plura *ſect. ſequenti*.

Dico *quartò*, coniugi innocenti licitum eſſe ad religionem tranſire inuito coniuge adultero, vel ſimplex votum caſtitatis emittere. Patet, quia id conſtat ex *cap. conſtitutus, & c. veniens, de conuerſ. coniugat. & ex cap. Agathoſa* 27. *q.* 2. Et ratio eſt aperta, quia adulter omne ius coniugale amittit, quod ſolùm obſtaculo erat ingreſſui religionis innocentis. Nec oportet adulterum ſimul ingredi, aut voto caſtitatis ſe aſtringere, vt dicam *ſect. ſequenti*. Similiter poteſt innocens adultero inuito votum ſimplex caſtitatis emittere, quia adulter iure exigendi deſtitutus, id prohibere nequit. Eſt verò notandum, tunc licere innocenti ad religionem tranſire adultero inuito, ita vt non poſſit repeti ad adultero, nec ei ſit reſtituendus, quando vel præceſſit ſententia diuortij, vel ea nō expectata, adulterium ita notorium eſt, vt poſſit innocens propria authoritate deſerere conſortium, & habitationem adulteri, abſque metu reſtitutionis, de quo plura infrà *diſput. vltima*. 5

Hinc colligo poſſe virum innocentem ad ſacros Ordines tranſire, inuita adultera vxore, in illis caſibus, in quibus ei eſt integrum profiteri. Ratio eſt, quia ius coniugale æquè obſtat ingreſſui religionis, ac ſuſceptioni Ordinum. Cumque adultera omni iure coniugali deſtituatur, æquè licebit viro ipſa inuita tranſire ad Ordines, ac ad religionem. Et quamuis non ſit textus id diſponens circa ſacros Ordines, ſatis eſt id diſpoſitum extare circa tranſitum ad religionem. Vtrūque enim æqualiter impeditur propter ius coniugale; & vbi tranſitus ad religionem permittitur, cenſetur conceſſus tranſitus ad Ordines: niſi aliunde obſtaculum adeſſet, vel quia vir eſſet bigamus, aut aliàs irregularis. 6

Obiicies, non poteſt vir ad Ordines promoueri, niſi vxore in ſæculo relicta promittenti continentiam, *c. coniugatus, de conuerſ. coniugat.* Reſpondeo eum textum loqui, quando matrimonium eſt integrum, & illæſum; noluit enim ius Canonicum concedere tranſitum ad Ordines, vel religionem coniugi, ex ſola alterius licentia. Secus autem eſt, quando coniux diuerrit ob adulteriū alterius. Tunc enim cùm liber ſit ab omni coniugali onere, poteſt liberè ad Ordines, vel ad religionē tranſire, perinde ac ſi coniugatus nō eſſet. 7

Sunt

Digitized by Google

8 Sunt verò duo notanda. *Primum*, ſi contingeret quòd coniux innocens ante profeſſionem, vel ante promotionem ad Ordinem ſacrum, minoribus initiatus, vel nouitius iam factus, mœchatur; reſtituendum eſſe coniugi nocenti, nec poſſe vlteriùs ſine eius conſenſu progredi, aliàs profeſſio erit inualida. Ratio eſt, quia ex vna parte iniuria, quam nocens intulit innocenti, poſtea ipſius innocentis fornicatione ſufficienter compenſatur; & ex altera innocens nondum habet ſtatú incompoſſibilem cũ ſtatu maritali, cui per reſtitutionem fieri poſſit iniuria. *Secundum*; ſi contin-
9 gat vt diuortium fuerit factum iniquè, vt quia vnus fuit falsò accuſatus: aut ſi petens diuortium occultè etiam fuerit fornicatus, profeſſionem ſecutam inuito coniuge eſſe inualidam; & ordinarum ſacerdotem cognita veritate eſſe coniugi reſtituendum.

10 Dico *vltimò*, ſi coniux innocens eligat in ſæculo manere facto diuortio, nulla lege conſtringi nocentem recipere, ſicut neque retinere, etiam ſi nocens pœnitentiam egerit, & ad meliorem mentem reuocatus ſit. Ita communi ſententia, & vno ſenſu fatentur Doctores. Ratio eſt, quia ob iniuriam illam, ſi publica ſit, probata in iudicio, iure naturali oritur ius diuortij. Ergo nulla lege cogitur retinere: alias nullum ius emanaret, ſi retinere, vel non abiicere cogeretur.

Neque contra hanc doctrinam opponi poſſunt aliqua iura. Nam omnia illa, vel probant tantum, ſi pœnitentiam egerit coniux nocens poſſe reconciliari. Vnde interpretanda ſunt, tanquam optima conſilia, non præcepta, & de honeſtatis ac æquitatis debito congruenti, non de neceſſaria ſeu legali debito. Vel forſan fuere præcepta loco & tempori accommodata ob peculiares cauſas, vt ſi ex ſeparatione, cùm emendata iam fuiſſet vxor, maius aliquod damnum timeretur.

Sectio VII.

Quid liceat coniugi nocenti poſt diuortium, ad Religionem, vel Ordines ſacros tranſeundum, vel vt votum ſimplex caſtitatis emittat.

1 IN hac re dico *primò*, non eſſe licitum coniugi adultero, facto legitimè diuortio, inuito innocente, nec poſſe religionem ingredi, aut ad Ordines ſacros promoueri; quòd ſi ingrediatur, poſſe etiam poſt profeſſionem reuocari. Ita Sanchez cum aliis, *lib.* 10. *diſput.* 10. *num.* 12. Ratio eſt, quia tenetur adulter reconciliari innocenti id petendi, cùm iam conſtet ex præcedenti ſectione ad id habere ius; ergo ſi volente innocente coniuge reconciliationem, renuat alter coniux adulter, & illo inuito profiteatur, ea profeſſio manifeſtè iuris coniugis innocentis præiudicabit; ergo poterit talis coniux adulter etiam poſt profeſſionem reuocari. Hinc

2 Dico *ſecundò*, non poſſe coniugem adulterum ad religionem tranſire, ignorante, & inconſulto coniuge innocente, ſed eius licentiam deſiderari. Patet, quia cùm coniux innocens habeat ius cogendi adulterum ad reconciliationem, neceſſe eſt vt circa mutationem ſtatus adulteri conſulatur, & eius beneplacitum petatur, ne iuri ſibi acquiſito præiudicetur.

3 Dico *tertiò*, coniugem adulterum validè mutare ſtatum, ſi id ſciat innocens, nec contradicat cum poſſit. Ratio eſt, quia hoc pacto ſatis videtur data licentia: & ſcienti, ac volenti nulla fit iniuria.

Dico *quartò*, vt adulter de licẽtia innocentis profiteatur, vel ſacris initietur, non eſſe neceſſariũ, vt innocẽs etiã ad religionem tranſeat, vel votum caſtitatis emittat, ſed poſſe manere in ſæculo abſque vllo voto. Probatur, quia id apertè conſtat ex *c. Agathoſa* 27. *q.* 2. vbi deciditur coniugem ingreſſum in religionem vxore manente in ſæculo abſque voto, reſtituendũ eſſe vxori, niſi mulier fornicata ſit. Vnde textus prohibentes mutationem ſtatus alterius coniugis, altero in ſæculo manente, ſaltem abſque caſtitatis voto, vt *c. ſanè c. cùm ſis, c. ſignificauit, de conuerſ. coniugat.* loquũtur, vbi matrimonium integrum, & illæſum perſeuerat, ſecus vbi eſt diuortium. Et ratio eſt aperta, quia cùm innocens liber ſit à iugo debiti coniugalis, poteſt independenter ab vlla mutatione ſtatus adulteri, ad religionem, vel ad Ordines tranſire. At ſi id non poſſet ita liberè adulter, certè proueniret ob fauorem innocentis, ne videlicet iuri reconciliãdi quod habet derogetur; ergo renunciante innocenti huic fauori, poterit nocens ita liberè tranſire ad Ordines, vel ad religionem, vt ipſe innocens. 4

Dico *vltimò*, coniuge innocente reconciliationem nolente, integrum eſſe coniugi adultero mutare ſtatũ, ſemel iam profeſſum reuocari non poſſe. Ratio eſt, quia innocens reconciliationem non admittens, videtur concedere licentiam adultero vt ad religionem tranſeat. Neque enim coniux innocens, poſt factũ legitimè diuortium, habet ius omnino in coniugẽ adulterũ, vt ipſum quaſi ligatũ habeat, nec poſſit ſibi cõſulere ſtatum eligendo, ſi ad reconciliationẽ non admittatur. Solum enim habet ius reconciliandi & reuocandi ad priſtinum matrimonij vſum; ergo ea reconciliatione denegata liberum erit adultero mutare ſtatum. Neque tunc innocens eſt rationabiliter inuitus, quia non habet ius vt alter cogatur perpetuo de ſuo ſtatu incertus manere, nec poſſit animæ ſuæ aliquem ſtatum ſuſcipiendo conſulere. 5

Sunt verò duo notanda. *Primum*, vt reconciliatione negata, liberũ ſit adultero ad religionẽ trãſire, requiri vt coniux adulter verè ſit emendatus. Non enim tribui poteſt innocentis coniugis culpæ, aut moræ, ſi adulterũ coniugem in delicto perſiſtentẽ nõ dimittat. *Secundũ*, nõ ſemel tantũ debet coniux innocẽs admoneri, ſed ſæpè. Ratio eſt, quia tũc verè poterit dici, eſſe innocentem in mora, & cõtra rationis limites denegare reconciliationem; quod ex ſemel negata reconciliatione dici non poteſt. Neque enim rationi conſonum eſt, vt ſtatim cõiux innocens acquieſcat, vt ſic adulter nõ parui pẽdat ſuũ delictũ, & inde anſam ſumat iterũ labendi in illud. Quare dicta monitio ſæpè facienda eſt arbitrio prudentis, qui iuxta delicti qualitatem, & conditionem perſonarum arbitrari poterit, quando innocens commonitus dicatur eſſe in mora. 6

DISPVT. LVII.

De diuortio quoad torum ob alia crimina ab adulterio diſtincta.

PRÆTER adulterij crimen, de quo egimus diſputatione præcedẽti, tria alia crimina enumerantur à Doctoribus. *Primum* eſt adulterium ſpirituale, quale eſt hæreſis, vel apoſtaſia à fide, in quã alter coniux labitur. *Secundum*, ſi alter coniux impellat alterum ad peccatum. *Tertium* denique ſæuitia alterius coniugis. De quibus omnibus in præſenti diſputatione eſt examinandum, quale diuortiũ, tẽporale ne ſolùm, an etiam perpetuum cauſare videãtur.

Sectio. I.

An hæreſis vnius coniugis cauſam præbeat diuortio ſufficientem.

1 DIco *primò*, vt certum de fide, coniugem poſſe ob alias cauſas ab altero quoad torum, & cohabitationem ſeparari. Nam in Coocilio Tridentino *ſeſſ. 24. de matrimonio can.* 8. definitum eſt alias etiam eſſe cauſas diuortij præter adulterium carnale, his verbis. *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cùm ob multas cauſas ſeparationem inter coniuges, quoad torum, ſeu quoad cohabitationem, ad certum, incertúmve tempus fieri poſſe decernit, anathema ſit.* Neque huic deciſioni obſtat, quod *Matth.* 5. & 19. dicitur coniugem non poſſe dimitti, (ſubintellige in perpetuum, niſi ob fornicationem. Quia ibi tantùm agitur de dimiſſione, quæ iure naturali, attenta natura matrimonij fieri poteſt, quia ea attenta nequit in perpetuum fieri niſi ob fornicationem, qua fides matrimonij violatur. Chriſtus igitur aſſignauit ibi cauſam propriam & per ſe ac perpetuam diuortij. At nulla alia eſt per ſe & perpetua præter adulterium. Quòd ſit propria & per ſe, manifeſtum eſt, quia ſola fornicatio, vel adulterium per ſe opponitur obligationi, fidei quæ ex matrimonio naſcitur, vnde ſola fornicatio eſt propria cauſa per ſe diſſolutionis matrimonij. Quòd ſit perpetua conſtat etiam ex dictis: nam ſi alter coniux committat adulterium, licèt ſemel, etiamſi reſipiſcat, non tenetur alter reducere neque acceptare, per ſe loquendo. At verò alia crimina per accidens opponuntur matrimonio, quia directè & per ſe non opponuntur obligationi fidei, quæ ex matrimonio naſcitur, vt eſt per ſe notum. Imò ſunt cauſæ communes aliis confœderationibus, contractibus, & communitatibus, quæ diſſoluuntur etiam illis, præſertim hæreſi. Nec ratio diuortij in iſtis eſt perpetua; quia ſiue quis incidat in hæreſim, ſiue crudelis ſit, ſiue ad peccatum pertrahat, ſi corrigatur, & deſiſtat à peccato, ac redeat ad meliorem frugem, ceſſat omnimodè ratio diuortij. Solum in hæreſi eſt diſpoſitio peculiaris Eccleſiæ in pœnam tam grauis culpæ vt innocens iudicio Eccleſiæ ſeparatus ab hæretico ob hæreſim, non teneatur poſtea admittere hæreticum quamuis iam emendatum, vt ſtatim dicam.

2 Dico *ſecundò*, etiam eſſe certum hæreſim vnius coniugis, aut apoſtaſiam à fide causâ præbere diuortio ſufficientem, dum non reducitur. Ita conſtat ex cap. *fin. de conuerſ. coniug. c.* 2. & *c. quanto. de diuortiis, cap. non ſolum, cap. de Idololatria* 28. *q.* 1. Cuius rei præcipua ratio deſumenda eſt ex generali prohibitione, qua hæretici vitari præcipiuntur à Paulo *ad Titum* 3. *Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita.* Et ratio eſt, quia ſemper ex cohabitatione cum eo perſeuerante in hæreſi, aut in apoſtaſia, eſt periculum aliquod infectionis, niſi quis magna cura procedat, ad quam non tenetur, vt non ſeparetur ab eo. Ex quo fit iure ipſo naturali oriri hanc diuortij cauſam, cùm ius naturale præcipiat vitandum eſſe periculum ſubuerſionis. Vnde & poteſt ab hæretico propria authoritate recedere, ob periculum, quod ſtatim vitandum vrget. Et debet ſeparatio fieri non tantùm quoad torum, ſed etiam quoad cohabitationem, & obſequia, ne cum illis vlla communicatio intercedat. Et aliàs meritò cohabitans, vel nubens hæretico ſcienter, habet contra ſe eiuſdem criminis præſumptionem, vt latè Farinacius *in tractatu de hæreſi quæſt.* 190. *q.* 3. *num.* 50. & ſimiliter mulier receptans maritum hæreticum, tanquam fautrix hæreticorum punitur, niſi probetur non cauſa hæreſis, ſed affectionis maritalis recepiſſe, vt docet idem Farinacius *dicto tractatu de hæreſi q.* 182. *num.* 150. & *ſeq.* Dixi, *dum non reducitur*, in quo eſt diſcrimen inter hæreſim & adulterium à coniuge commiſſum: nam in matrimonio ſemel adulteraſſe ſatis eſt ad diuortium, etiamſi omnino corrigatur. At in hæreſi, ſi coniux hæreticus reſipiſcat, non poteſt alter diuertere. Loquor antequam Eccleſiæ iudicio ſeparetur in pœnam peccati. Itaque ante iudicium Eccleſiæ tenetur reſipiſcentem admittere; non poteſt ad religionem tranſire, & ſi religionem intraſſet, & profeſſus fuiſſet, profeſſio nulla eſſet, & reuocari poſſet, ac repeti, ſicut dixi præcedenti diſputatione de eo qui ſine licentia coniugis ad religionem tranſit.

Dico *tertio*, ſi coniux hæreticus Eccleſiæ iudicio 3
ſeparatus eſt ab altero coniuge, non teneri huoc redire ad illum etiam reconciliatum & correctum, vel emendatum, nec compelli poſſe, ſed ipſi liberum eſſe in ſæculo remanere, aut religionem aſſumere. Hoc etiam videtur certum. Nam liberum eſſe illi ad religionem tranſire quando Eccleſiæ iudicio ſeparatio facta eſt, planè deciditur *in cap. finali, de conuerſione coniugatorum*; his verbis. *Mulier quæ in fide remanſit, poteſt nolente viro, qui ab infidelitate reuertitur, propter quam ab eo fuerat iudicio Eccleſiæ ſeparata, ad religionem liberè conuolare.* In quo textu, *infidelitatis* nomine, apoſtaſiam à fide intelligi, manifeſtum videtur, quia fuit Eccleſiæ iudicio facta ſeparatio. At ſi fuiſſet infidelis, qui nunquam fidem ſuſcepiſſet, non pertinuiſſet ad Eccleſiæ iudicium, nec ſeparatio facta fuiſſet Eccleſiæ iudicio. Eſt verò expendendum in eo capite non imponi neceſſitatem conuolandi ad religionem, quaſi vel debeat illum recipere ab infidelitate redeuntem, vel conuolare ad ſtatum religioſum, ſed libera conceditur facultas. Vnde eo textu ſubindicatur, poſſe, ſi velit, remanere in ſæculo, neque ad virum reuerti, etiam correctum, & emendatum. Non ergo tenetur coniux fidelis ad debitum coniugale, & cohabitationem cum hæretico ob contractum matrimonij debitam, vbi is iudicio Eccleſiæ damnatus fuerit. Id etiam clariſſimè deciditur *cap. de illa* 6. *de diuortiis*, per hæc verba. *De illa, quæ viro ſuo labente in hæreſim, ipſius conſortium ſine iudicio Eccleſiæ declinauit: videtur nobis, quod mulier (maximè ſi ea intentione diſceſſit, vt lapſus in hæreſim odio pariter & confuſione affectus, ſe ab errore ſuo conuerteret) ei cùm reuerſus fuerit, eſt reddenda: quæ etiamſi reuerti noluerit, compellatur. Si verò iudicio Eccleſiæ ab eo receſſit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam.* Hæc Vrbanus tertius. Quid clarius? Atque iuxta hunc ſenſum accipienda ſunt verba textus *in cap. quanto, de diuortiis.* Nam ibi ſolùm innuitur, quando mulier proprio iudicio ſeparata eſt à viro hæretico, cogi ad eum pœnitentẽ redire. Atque huius ſentẽtiæ ratio optima eſt, quia ſeparatio à coniuge Catholico pœna eſt propter hæreſim inflicta. Non ergo vult Eccleſia vt præueniens coniux catholicus iudicium Eccleſiæ, ſeparetur propria authoritate, cùm poſſit ille negare ſe eſſe hæreticum, neque omnino conſtet. Poterit ergo innocens coniux ad ſacros Ordines promoueri, ſi voluerit, altero inuito, & poteſt etiam ad religionem tranſire, poſt Eccleſiæ iudicium. Nec enim in hoc eſt differentia vlla inter ſacros Ordines, & religionem. Dicitur autem Eccleſiæ iudicio ſeparari, nõ quia neceſſe ſit ſpecialis ſententia de diuortio, ſed quando iam eſt de hæreſi per Eccleſiam condemnatus:

cùm

Digitized by Google

eùm hæc ſeparatio ſit pœna, quæ conſequitur hæreſis delictum. Cùm enim diuortium hoc ſit quædam pœna hæreſim conſequens, eo ipſo quòd coniux per ſententiam iudicis declaratur hæreticus, damnatur hac pœna, ſicut & amiſſione bonorum, & cæteris pœnis hæreticorum, vt cum multis bene aduertit Sanchez *lib. 10. diſput. 15. n. 20.* Eſt etiam notandum, tametſi coniux catholicus nequeat compelli poſt Eccleſiæ iudicium, vt redeat ad coniugem reſipiſcentem, tamen ille qui deliquit non poteſt ſtatum mutare, neque ad ſacros Ordines, neque ad religionem tranſire, ſine catholici conſenſu, atque licentia, vt de coniuge adultero dictum eſt præcedenti diſputatione. Vnde ſi abſque licentia id faciat, profeſſio erit nulla, & reuocabitur. Quod certè verum eſt, niſi catholicus vel profeſſus eſſet, vel ſacros Ordines ſuſcepiſſet; tunc enim reconciliatus ille poteſt ſtatum religionis, vel clericalem amplecti. Quod ſi ante conſummatum matrimonium ſententia lata ſit, vterque liberè poteſt ad religionem conuolare, & tunc per profeſſionem matrimonium diſſoluetur.

Sectio II.

An copula ſponte à Catholico habita cum hæretico, poſt notitiam hæreſis, ſit condonatio, ita vt ampliùs non liceat diuertere.

1 PRocedit quæſtio, quando iam eſt hæreticus reconciliatus, ſeu correctus, & emendatus: nam ſi non ſit, toto tempore quo pertinacia in hæreſi durat, nequit catholicus ius recedendi ad tempus quo illa durat, remittere, quia ratione periculi tenetur recedere Ius enim naturæ obligat cauere proprium animæ periculum, & in hoc euentu grauiſſimum imminere eſt certiſſimum.

2 Ratio verò dubitandi eſt, quia ex vna parte videtur pars negans vera. Quia prædictum diuortium eſt pœna hæreſis; ergo non poteſt etiam expreſsè remitti à catholico, nedum tacitè per copulam. Sicut ſi coniux affinitatem contrahat cum altero coniuge, cóiux innocens petens ab eo debitum, non cenſetur remittere pœnam, qua alter à debiti petitione affinitatis iniquè contractæ arcetur: quia enim ea priuatio petendi debitum non ſit in fauorem alterius coniugis innocentis, ſed in pœnam inceſtus, & affinitatis contractæ, nequit coniux innocens hanc pœnam remittere. Ex alia verò parte videtur pars affirmans verior; quia cùm ea ſeparatio in noſtro caſu non tantùm inducta ſit in pœnam hæreſis, ſed etiam in fauorem coniugis catholici, & ideo ſit voluntaria catholico, ſi ille velit diuertere; ſi reuera copulatus eſt vxori, poſt ſententiam ceſſiſſe videbitur iuri ſuo: & ita dicendum eſt, quamuis ipſe catholicus oppoſitum affirmet, iuxta ea quæ ab omnibus dicuntur de coniuge innocente, quando poſt adulterium copulatur adultero.

3 Noſter Sanchez *diſp. 15. n. 26.* exiſtimat, quando copula adeſt poſt ſententiam latam, ſi in coniuge catholico nullus eſt animus nec condonandi, nec non condonandi, tunc non conceſſiſſe iuri ſuo, & conſequenter non cenſebitur remittere, atque ideo licebit illi diuertere. Probat ex differentia quæ eſt in hoc crimine hæreſis, atque in adulterio carnali. Nam in hoc ratio diuortij eſt mera iniuria illata innocenti, & carnis diuiſio, ac proinde ad copulam & actus amicitiæ coniugalis, per quæ caro quaſi diuiſa iterum vnitur, ſequitur ex quadam naturali neceſſitate condonatio prioris iniuriæ, vbi contraria intentio non reperitur; & ideo non tam exacta notitia iuris diuertendi, & cõdonationis ſequentis prædictos actus, ac tam expreſſa condonandi voluntas deſiderantur. At in hæreſi non eſt ratio diuortij iniuria alteri coniugi illata. Nam omnes ſubditi abſoluuntur à debito fidelitatis ſeruandæ hæreticis, *c. fin. de hæret. in 6.* Cùm tamen illis nulla irrogetur iniuria; ſed potiſſima ratio eſt, quia in pœnam fidelitatis Deo debitæ violatę per hæreticum, abſoluuntur ſubditi à fidelitate ipſi hæretico debita, vt in quo deliquit, puniatur: atque ideo actus copulæ, & amicitiæ coniugalis, non eam habent connexionem cum huius iuris condonatione, ſicut in adulterio carnali, proptereaque exigitur maior notitia, & expreſſior voluntas, vt condonationes ſint.

Baſilius verò Ponce *lib. 9. c. 22. n. 5.* ab hac doctrina diſſentit, exiſtimans hac in re inter adulterium & hæreſim nullum poſſe aſſignari diſcrimen. Quia cùm ea ſeparatio relinquatur libera, & in poteſtate, & voluntate, aut arbitrio catholici coniugis, planum eſt eam in eius fauorem etiam eſſe magna ex parte inductam. Iam enim non eſt periculum peruerſionis emẽdato coniuge infideli: ſed quia infame & moleſtum eſſet catholico cum illo qui fuit hæreticus cohabitare, datur facultas, ſiue permiſſio diuertendi, ſi velit. 4

Dico *primò*, in quo conueniunt omnes, copulam ante ſententiam habitam non eſſe condonationem, neque in foro externo præſumi condonationem. Ratio eſt, quia ante ſententiam coniux innocens nondum habet ius diuertendi in perpetuum, ſed tantùm ad tempus ratione periculi; ius verò recedendi ad tempus quo pertinacia in hæreſi durat, remittere nequit catholicus, cum ratione periculi teneatur recedere, vt conſtat ex præcedenti ſectione *num.* 1. ergo tunc nullo modo eſt condonatio. 5

Dico *ſecundò*, ſi copula ſit ante ſententiam qua hæreticus condemnatur, & in catholico ſit expreſſus animus condonandi ius diuertendi, quod poſt ſententiam ſecutam competet illi, valeret condonatio: etiamſi ſola mente fieret, nec expectaretur hæretici acceptatio. Probatur *prima pars*; quia tametſi catholico ante ſententiam nondum ius diuortij acquiſitum ſit, ac proinde nihil eſt de præſenti quod remittat; tamen ſi ſit animus expreſſus quo feratur in ius futurum, manifeſta eſt remiſſio, vel condonatio, quia remiſſio ex natura ſua ad præſens, vel futurum debitũ ferri poteſt. *Secunda pars*, eam condonationem valere, etiam ſi ſola mente fieret, nullà expectata hæretici acceptatione, probatur, quia vbi nullo pacto inito, ſed ſola ceſſione, qua proprio iuri quis renunciat, interueniente, aliquid acquiritur cuidam tertio, nulla opus eſt illius tertij acceptatione, ſed ſola ceſſio iuri proprio renunciantis, ſatis eſt, vt in hæreditatis repudiatione contingit: qualitercumque enim occulte hæreditas repudietur, obuenit ſubſtituto. Igitur poſt hæreſim, ante ſententiam latam, vt hæreticus, qui iam pœnituit de tali peccato, recuperet vel conſeruet ius coniugale exigendi debiti, ſatis erit tolli impedimentum voluntatis coniugis innocentis vtẽtis iure ſuo, & renunciantis iuri futuro. Quia eo ipſo quòd renunciat iuri futuro diuortij perpetui, conſeruatur nocenti ius coniugale, & ideo ſufficiet ea renunciatio quamtumuis occulta, & ſola mente facta, nulla hæretici acceptatione expectata. Quare ſicut videmus in iudice, eius poteſtatem per excommunicationem impeditam, ſtatim ac excommunicatio ceſſat, abſolutionis beneficio ſibi etiam renitenti impenſo, reuiuiſcere, nullo actu ipſius requiſito, quia poteſtas iuriſdictionis 6

iuriſdictionis non omnino extincta erat, manet enim iudicis officium, ſed tantum ſuſpenſa, ac impedita ratione excommunicationis. Sic ſimiliter contingit in præſenti: nam cùm poſt hæreſim maneat ſemper vinculum matrimonij, quod eſt radix mutuæ obligationis reddendi debitum, ſolumque ius hoc vt ſibi reddatur, ſit in hæretico impediendum poſt latam ſententiam hæreſis, dum coniux catholicus iure diuortij perpetui vti voluerit; nihil aliud opus eſt vt hæreticus priſtinum ius non amittat, quam ceſſatio illius voluntatis catholici iuri futuro ſibi per ſententiam acquirendo cedentis, & ſtatim ac ille cedit, comparat hæreticus, vel non amittit ius exigendi, nulla ipſius acceptatione deſiderata. Igitur ſatis eſt in catholico coniuge illa remiſſio vel renunciatio iuris proprij poſt ſententiam futuri, quamuis etiam ſola mente ſit facta, vt iam amplius reſilire nequeat in foro conſcientiæ. Quod idem ſeruaretur in foro externo, ſi per propriam coniugis catholici confeſſionem, aut per alium modum ea remiſſio, vel condonatio conſtaret. Sicut hoc idem dicunt Doctores in adulterio, nulla enim in hoc ratio diſcriminis inuenitur inter vtrumque delictum, cum in vtroque ſit fauor innocentis libertas diuertendi; manente ligato hæretico, vel adultero, ac proinde vt illud ius reſtauretur, vel non amittatur, ſufficiat innocentem, vel catholicum cedere iure ſuo modo explicato.

7 Dico tertiò, ſi copula ſit poſt ſententiam latam, ſi ſit animus non condonandi, non eſſe condonationem, nec teneri catholicum reuocare ad priſtinam amicitiam illum hæreticum. Probo manifeſtè, quia in primis catholicus non tenetur abſtinere à diuortio per ſententiam lato, ratione condonationis huius iuris; quia vt ſupponitur ea condonatio non eſt ratione animi habiti non condonandi. Neque etiam ratione contractus tacitè incluſi, dum eo ipſo quòd hæreticus reddit catholico petenti, eſt tacitus contractus, facio, vt facias, id eſt, reddo tibi debitum, vt condonata iniuria reddas mihi in poſterum; non inquã ratione huius contractus tenetur, quia ſi catholicus reddat petenti hæretico, non ideo eſt vllus tacitus contractus: nam hæreticus nihil præſtat coniugi catholico, quin potius magno afficitur beneficio à catholico reddente debitum. Si autem è contra hæreticus reddat innocenti catholico petenti, tametſi in eo caſu ſit tacitus contractus & promiſſio virtute incluſa in ea debiti exactione, adhuc non tenetur ratione contractus; quia promiſſio & contractus ficta fuere. Nec denique poſſet obligari ratione iniuſtitiæ admiſſæ contrahendo fictè, cum teneretur verè contrahere; quia iuſtitia non obligat ad reſtituendum vltra damni æſtimationem: damnum autem copulæ extortæ per catholicum ab hæretico, ſimulato illo contractu, adeo eſt exigui momenti, vt pro nihilo reputari debeat, è contra vero damnum remittentis, vel condonantis eſt maximum, cedit enim iuri diuortij, perdit libertatem tranſeundi ad ordines, vel religionem, ac iterum ſeruituti ſe ſubiicit: non ergo lex iuſtitiæ poſtulat damnum exiguum hæretici decepti, tanto catholici innocentis detrimento compenſari. Quare innocens catholicus petens debitum à coniuge hæretico, animo non condonandi, ſolius venialis culpæ reus eſt, quia nullius momenti eſt detrimentum illa fictione illatum. Vnde hic innocens rogatus à iudice de copula illa, vt cogatur nõ diuertere ratione hæreſis delicti, quaſi illud iam condonatum ſit, poteſt iureiurando negare copulam; quia verè reſpondet iuxta mentem iudicis debitam: non enim habuit copulam, quæ ſit condonatio, & iure diuortij priuet.

Dico quartò, ſi copula ſit poſt ſententiam latam animo condonandi, manifeſtum eſſe veram condonationem. Conſtat ex proximè dictis. Neque enim tunc requiritur diſtincta cognitio iuris competentis ad diuertendum, ſed ſatis eſt velle catholicum reducere ad conſortium coniugale illum hæreticum, obliuioni mandantem iniuriam illam, & ea poſtpoſita velle amicitiam coniugalem. Quia id eſt, virtute omne ius ſibi competens ratione illius iniuriæ velle remittere.

Dico vltimò, ſi in catholico innocente neuter animus ſit, nec condonandi, nec etiam non condonandi, tunc eſſe veram condonationem, ſicut in adulterio carnali. Ita ſentio cum Baſilio. Moueor, quia ea ſeparatio datur maximè in fauorem coniugis catholici, & actus ille amicitiæ coniugalis ex ſe, & per ſe habet maximam connexionem & affinitatem cum reconciliatione ad priſtinam amicitiam, & cum conceſſione veniæ; ergo ſi non adſit animus contrarius non condonandi, tali actu verè ſit remiſſio iniuriæ, illatæ per hæreſim, ſicut etiam tali copula ſit remiſſio iniuriæ illatæ, coniugi innocenti per coniugem adulterum. Neque enim video in hoc vllam diſparitatem. Nam licèt verum ſit in pœnam fidelitatis debitæ Deo violatæ per hæreticum, abſolui fidelem ſubditum à fidelitate ipſi hæretico debita ratione regiminis; tamen quia infame & moleſtum eſſet catholico cohabitare cum coniuge hæretico, in fauorem ipſius catholici abſoluitur ipſe à fidelitate hæretico debita ratione coniugij, nempe à redditione debiti, vnde illi datur facultas & permiſſio diuertendi ſi velit; cum verò per copulam maximam habentem connexionem cum veniæ conceſſione, coniungitur illi, ſatis declaratur illius iniuriæ remiſſio, & condonatio. 9

Ex his patet ſolutio ad rationem dubitandi.

Ad primam illius partem ductam ex affinitate contracta, dico eſſe diuerſam rationem. Quia ea pœna ita eſt pœna vt nullo modo ſit in fauorem alterius coniugis; vnde ipſo inuito poteſt id impedimentum auferri Epiſcopo diſpenſante. At in hæreſi, ſicut & in adulterio, ita eſt pœna hæreſis, vt ſit etiam fauor catholici: nam indulgetur illud diuortium catholico ad cauendam infamiam facti, quam contraheret habitando cum hæretico. Vnde ipſo inuito nequit tale impedimentum tolli. 10

Ad ſecundam partem, reſpondeo manifeſtè firmare noſtrum vltimum dictum propoſitum *num. 9. præcedenti.*

Sectio III.

Vtrùm detur compenſatio, ſi vterque coniux ſit reus delicti hæreſis; vel vnus ſit adulter, & alius hæreticus, ita vt neutri diuertere liceat.

Omiſſis opinionibus variis circa præſentem difficultatem, quæ videri poſſunt apud Sanchez *lib. 10. diſput. 16. num. 1. & 2.* breuiter dicam quid ſentiam.

Dico ergo *primò*, ſi vterque coniux lapſus fuerit in hæreſim, & vterque hæreſis damnatus ſit per ſententiam, non eſſe compenſationi locum. Ratio eſt manifeſta, quia iura tantùm concedunt coniugi catholico, vt poſſit alium emendatum repetere, non autem concedunt coniugi nocenti. Cùm ergo vterque coniux fuerit nocens, neuter habet ius repetendi alterum, 1

Digitized by Google

rum, ſicut habet quando vterque commiſit adulterium. Cuius diuerſitas naſcitur ex eo, quia iniuria in adulterio fit directè & per ſe matrimonio; at crimen hæreſis per ſe non infert iniuriam coniugio, & ita non ſequitur ex crimine vtriuſque naſci ius in alterum, aut compenſatam iniuriam ad repetendum alium ad vſum matrimonij.

2 Dico *ſecundo*, nec dari compenſationem adulterij cum hæreſi ante ſententiam latam. Hoc videtur certum, quia vt conſtat ad hoc vt ratione compenſationis denegetur diuortium allegato delicto illud petentis, neceſſariò deſideratur vtriuſque coniugis delictum eſſe ſufficientem diuortij cauſam. At, vt conſtat ex *ſect.* 1. hæreſis ante ſententiam non eſt ſufficiens cauſa diuortij niſi ad tempus, dum deeſt emendatio, & illo exiſtente nullo modo. Igitur non datur compenſatio adulterij cum illa hæreſi, ſed licitum erit hæretico nondum damnato diuertere à coniuge adultero; non tamen è contra, niſi ad tempus, dum non corrigitur.

3 Dico *tertiò*, nec dari compenſationem adulterij cum hæreſi poſt latam ſententiam condemnationis. Ratio eſt, quia tametſi in eo euentu vtrumque delictum ſufficiens ſit diuortij cauſa, ideo tamen nequit dari compenſatio, neque adulterum teneri recipere hæreticum reconciliatum, neque tunc teneri admittere adulterum, quia ſunt hæc crimina diuerſæ rationis. Et quamuis crimen hæreſis longè ſit adulterio grauiùs; in ordine tamen ad matrimonium magis pugnat coniugium cum adulterio, quàm hæreſis, maiorque iniuria matrimonij eſt. Vnde longè diuerſa eſt ratio diuortij in vtroque delicto; in adulterio quidem eſt ratio, fides violata, & caro in aliam diuiſa; in hæreſi verò, in pœnam hæreſis damnatæ abſoluitur catholicus à debito coniugali & à cohabitatione cum hæretico. Vnde ſi catholicus adulter petat diuortium ratione hæreſis, non poterit hæreticus, quaſi compenſatione vtens, obiicere illi fidem violatam coniugij per adulterium: nam adulterium huius non tollit pœnam alterius hæretici: ſicut ſi dominus hæreſis damnatus peteret debitum fidelitatis à vaſallo, & hic reſponderet ſe ab eo abſolutum eſſe propter hæreſim, nihil conferret contra hanc exceptionem vaſalli obiectio domini, quòd ipſe vaſallus à fide contractus cum domino defeciſſet. Quia abſolutio illa à debito fidelitatis, & ſubiectionis, non conſurgit ex fide aliqua homini præſtita medio contractu, & violata, ſed in pœnam hæreſis. Quare catholico adultero reiecta exceptione adulterij allegata per hæreticum, erit licitum diuortium; ſimiliter ſi hæreticus damnatus, & iam Eccleſiæ gremio reſtitutus petat diuortium propter adulterium catholici, nihil ad rem faciet, ſi catholicus illi opponat exceptionem pœnæ diuortij, quam propter hæreſim incurrit; quia pœna coniugis hæretici non eximit catholicum à pœna adulterio debita.

4 Obijcies, in materia iuſtitiæ ſæpe compenſari diuerſa debita, tametſi iniuriæ ſint diuerſiſſimæ, & nequeant compenſari. Sic videmus ſi Petro debeam mille ratione furti perpetrati à me, & Petrus debeat mihi totidem mille, quia meum patrem interfecerit, tametſi iniuriæ ſint diuerſæ rationis, fit optima compenſatio: ergo ſimiliter in noſtro euentu, tametſi iniuriæ hæreſis & adulterij nequeant compenſari: nam illa fit Deo, cui debita fides non ſeruatur, hæc verò fit alteri coniugi violando fidem coniugij, poterunt compenſari diuortia inde conſurgentia. Reſpondeo manifeſtam eſſe diſparitatem: nam in debitis eſt aliquid neceſſariò tradendum creditori, & cum idem creditor mihi tantumdem mille tradere teneatur, optima datur inter huiuſmodi debita compenſatio: eſſet enim circulus inutilis petere idem quod ſtatim reſtituendum eſt. At in diuortio nihil tradendum eſt alteri, ſed ſolùm reus amittit ius petendi debitum, & habitationem mutuam, manente illæſo iure innocentis potentis reum inuitum ſibi reconciliare. Quarè vbi cauſæ & iniuriæ ex quibus diuortia manant, ſunt diuerſæ rationis, & diuerſis illatæ, ſicut inter illas non datur compenſatio, ita nec inter diuortia. Firmatur prædicta doctrina exemplo ſatis accommodato. Nam in ſponſis de futuro, ſi vterque ſponſus habeat iuſtam cauſam diſſoluendi ſponſalia, ſi tamen cauſæ ſint diuerſæ rationis, nequit dari compenſatio, ſed vtrique integrum erit altero inuito reſilire. Vt ſi ſponſa fornicata ſit, & ſponſus lepra laboret; ipſi ſponſæ fidem petenti obſtabit propria fornicatio, ſponſo autem lepra, ob quæ neuter fide ſponſalium ſtare tenetur, cum ob diuerſas rationes vterque ius cogendi alterum amiſerit. Sic ſimiliter in noſtro caſu: nam vterque coniux ius cogendi alterum ob diuerſæ naturæ rationes perdidit; liberum ergo erit vtrique diuertere, nec dabitur hinc inde compenſatio.

SECTIO IV.

An ſi coniux pertrahat alium ad peccatum, ſit ſufficiens cauſa diuortij.

Dico *primò*, communem eſſe Doctorum ſententiam, & veram, ſi coniux pertrahat alterum coniugem ad peccatum, & ad illud ſolicitat, eſſe cauſam diuortij manifeſtam. Ratio eſt, quia iure naturali & diuino cuique integrum eſt periculum corporis, nedum animæ præcauere. Probat idem textus in *cap. 2. de diuortiis, & cap. Idololatria* 28. *q.* 1. Quamuis enim in his Canonibus agatur tantum de eo qui ad infidelitatem pertrahit, eſt tamen eadem ratio de inducente ad alia peccata, cùm ſit periculum peruerſionis, quod euitandum eſſe lex naturalis dictat, iuxta illud Chriſti Domini Matth. 18. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Vbi interprete D. Hieronymo ſententia Chriſti eſt, vt ſi hi qui nobis coniuncti ſunt, & etiam inſtar oculorum, vt parentes, filij, vxor, cauſa ſint ruinæ, ab eis recedamus. Hinc 1

Colligo *primò*, iuſtam præbere cauſam diuertendi vxori, ſi vir lenocinium cum vxore exerceat, vel in domum ſuam introducat iuuenes procaces & parum pudicos, qui vxorem ſollicitent, eoſque ſolos cum vxore relinquat; quia incitat ad peccandum, & eſt manifeſtum animæ periculum. 2

Colligo *ſecundò*, idem aſſerendum eſſe, quando coniux habitare renuit, niſi ſub conditione peccati patrandi. Vt ſi coniux nolit cohabitare, niſi alter latrocinium exercens ſuorum furtorum participem faciat, furta tegendo, & ſimulando. 3

Colligo *tertiò*, in his & ſimilibus euentibus, non eſſe neceſſariam iudicis ſententiam ad hoc diuortium, ratione periculi lapſus in peccatum. 4

Dico *ſecundò*, prædictum diuortium non eſſe perpetuum, ſed tantùm temporale, ſiue ad tempus, quo inductio illa ad peccandum durat, atque adeo reſipiſcente coniuge ad peccatum inducente, & ſeriò conuerſo, teneri alterum coniugem ad eum admittendum. Patet, quia ceſſauit tota ratio & cauſa ſeparationis, ceſſante ea inductione ad peccandum; ergo tenetur coniugem recipere, etiam poſt Eccleſiæ iudicium: nã ſententia ſeparationis data authoritate iudicis ſolũ lata eſt ob animæ periculũ, quod iã non durat. 5

Hinc

6 Hinc colligitur ratio ob quam ob adulterium carnale concedatur diuortium perpetuum, & ob prædicta crimina ſolum ad tempus: quia cauſa in adulterio eſt ex ipſa coniugij natura, eo quòd fides promiſſa eſt violata, & cùm hæc ſit perpetua, ita & dimiſſio, vel diuortium; cæteræ autem cauſæ ob alia peccata cum non ſint ex natura ipſius coniugij, non ſunt perpetuæ, atque ideo tantum dum ipſæ permanent, permittitur diuortium. Vnde ex iure Eccleſiaſtico non conſtat, vbi hoc diuortium perpetuum concedatur ob alia crimina præter adulterium; ſolum enim id ſpeciale eſt in hæreſi poſt ſententiam latam, in pœnam tanti criminis, vt dixi ſuprà *ſect.1.n.3.*

7 Dico *tertiò*, ob nullum aliud crimen ab adulterio vel hæreſi, licere coniugibus diuertere, ſi coniux illo implicitus non pertrahat alterum ad peccandum. Id conſtat ex *cap.2. de diuortiis*, illis verbis. Mulier pro furto, vel alio crimine viri ſui, niſi fidei ſuæ religionem corrumpere velit, ab eo ſeparari non debet. Et ratio eſt, quia adulterium directè opponitur fidei coniugali, & certitudini prolis: hæreſis verò coniux damnatus poſt ſententiam, tametſi iam reconciliatus, vt pœna, punitur eo diuortio; quæ in aliis criminibus nullo modo reperiuntur.

8 Addit Sanchez *diſput.17.num.4* cum aliis Doctoribus, ſi vxor grauiſſimis peccatis ſit irretita, licere viro cauſa illam corrigendi, ad tempus recedere à conſortio coniugali, quo ipſa eo ſolatio deſtituta, reſipiſcat. Quia eſt caput, & ipſius eſt vxorem corrigere. Imò & id quoque licere vxori ad viri ſceleribus implicita correctionem, affirmat, ſi commodè poſſit, ac probabiliter ſperetur fore, vt vir reſipiſcat. Ego certè cenſeo in vtroque exequendo maturo iudicio, & magna prudentia opus eſſe: poſſunt enim facilè multo maiora ſequi damna tam animæ, quàm corporis, & irreparabiles ruinæ, & ſcandala, vt experientia ipſa compertum eſt.

Sectio V.

An, & quando coniugis ſæuitia iuſtam alteri diuortij cauſam præbeat.

1 IN hac re dico *primò*, certum eſſe apud Doctores, coniugem poſſe ab altero ſeparari quando ob ſæuitiam illius timet ab eo graue aliquod malum, quod virum conſtantem terreat. Id manifeſtè deducitur ex *cap.litteras, de reſtitut.ſpoliat.& cap.ex tranſmiſſa, eo tem titulo.* Et ratio eſt aperta, quia ius naturale vnicuique concedit facultatem vitandi graue malum; nec contractus matrimonij obligat ad cohabitationem cum tanto grauis damni periculo. Igitur illa ſæuitia iuſtam præbet ſeparationis cauſam quo incutitur iuſtus metus cadens in virum conſtantem, qui conſtare debet ex ſæuis factis coniugi. Hinc

Colligo *primò*, eſſe ſufficientem cauſam vt vxor
2 diuertere poſſit, ſi vitæ ipſius maritus inſidietur, tentans veneno, aut alia via ipſam perimere. Ita conſtat ex dictis Canonibus. In quo eſt æqua conditio viri, & vxoris. Et ratio naturalis æquè militat in vtroque coniuge, cum alter vitæ alterius inſidiatur, nec aliter coërceri poteſt, niſi diuortio facto. Vnde cum vir & vxor ſint correlatiua, diſpoſitum in textibus citatis in vxore, cuius vitæ maritus inſidiatur, cenſendum eſt diſponi in viro eaſdem vxoris inſidias patienti.

Colligo *ſecundò*, etiam eſſe ſufficientem cauſam, ſi
3 vir gladium appoſuerit ad collum & gulam vxoris, animo occidendi, vel feriendi. Similiter ſi ſint minæ de occidendo, & ſoleat vir præ terribili ingenio exequi minas. Similiter ſi minus accedant minæ, & aliæ malæ tractationes, quæ excedant terminos leuis correctionis marito in vxorem permiſſæ. Similiter etiam dant ſufficientem cauſam percuſſiones graues, & atroces, vt ſi ex illis ſecutus eſſet fœminæ abortus: aut ſi percuſſiones illæ eſſent ſanguinolentæ. Vel ſi in facie, capite, vel oculo illatæ fuiſſent percuſſiones, cum haſta, ſeu baculo fracto in percuſſione, vel in pectore, vnde per aliquot dies ſanguinem expueret; vel in manibus, brachiis, ita vt per aliquod tempus illis vti non poſſet; vel quæ facerent vt vxor in lecto aliquot diebus iaceret.

Colligo *tertiò*, præſtare cauſam ſufficientem di- 4
uortij verbera, ſi ſint immoderata, & quæ excedant leuem correctionem viro permiſſam. Patet, quia tametſi leui, & moderata, & ex cauſa vrgente, verberatione, etiam ingenui puniri poſſint, nec ea domeſticæ punitionis limites excedit, & ideo non eſt cur viro denegetur; tamen acris verberatio, etiamſi delicti qualitas eam poſtulet, non viro incumbit reſpectu vxoris, filiorum, & familiæ, ſed iudici relinquenda eſt, cuius eſt iuridica punitio, ac delicto graui conſona.

Colligo *vltimò*, non poſſe negari iudicium de ſæ-
uitiæ qualitate eſſe arbitrarium iudicis, vel prudentis 5
viri qui immoderatam ſæuitiam & moleſtam tractationem iudicabit, attenta qualitate perſonarum, & fœminæ quæ vexatur. Si enim illa nobilis, pudica, honeſta, & bonis morata moribus fuerit, minores moleſtiæ cenſeri debent ſæuitiæ nomine. Adde denique his, quando ex ſignis, factis, & diſcordiis aſſiduis colligitur odium capitale.

Dico *ſecundò*, ſtante prædicta ſæuitia graui non ſolum non teneri coniugem cohabitare, ſed nec red- 6
dere debitum. Ita communiter Doctores. Et ratio eſt, quia vbi coniux ob culpam propriæ ſæuitiæ priuatur conſortio maritali, donec reſipiſcat, & ſufficientem incolumitatis cautionem præſtet, omnimodum ius eius ſuſpenditur, vt vel ſic diligenter incumbat remedio adhibendo. Igitur vt coniux teneatur reddere, non ſatis eſt in redditione deeſſe periculum, ſed id etiam abeſſe debet à cohabitatione, quando ex mariti voluntate id periculum prouenit. Hoc autem quod dixi etiam eſt verum, quamuis vxor ſua culpa viri ſæuitiam, vel odium in ſe concitauerit. Quia licèt præcedat culpa, non imputantur, quæ ex ea procedunt. Quod manifeſtè colligitur ex *cap. de Benedicto 32.q.1.* vbi Pelagius Pontifex iubet adulteram reſtitui marito, præſtita cautione non offendendi.

Dico *tertiò*, etiam furorem coniugis, exiſtente gra-
ui vitæ periculo, licere alteri diuertere. Patet, quia 7
præualet ius propriæ vitæ tuendæ. Idem eſt cum alio graui periculo. Quoties autem id periculum abeſſet, non liceret diuortium, ſicut nec ob alia crimina, quæ in alterius coniugis perniciem non vergunt.

Dico *quartò*, quando ſæuitia coniugis talis eſt, vt 8
illi per cautionem ſatis prouideri poſſit, eam eſſe adhibendam, quæ ad damnum vitandum ſufficiat; ſi verò tanta eſt ſæuitia coniugis vt illi per cautionem ſatis prouideri nequeat, eſſe omnino diuortium ſtabiliendum. Ita omnes communiter. *Prima pars* conſtat ex cap. *literas* in fine, & cap. *ex tranſmiſſa*, de reſtit. ſpoliat. vbi petitur expreſsè cautio ſufficiens. Qualis verò debeat eſſe, iuratoriane tantum, an etiam pigneratitia, vel fideiuſſoria, iudicis arbitrio decidendum perſpectis bene omnibus circunſtantiis occurrentibus relinquitur. *Secunda pars* etiam eſt euidens; quia cautio non ſemper mutat maleuolum animum.

Quæres,

9 Quæres, an celebrato diuortio ratione ſæultiæ, liceat alteri, aut vtrique ad religionem, vel ad Ordines ſacros tranſire. Ad hanc difficultatem ex communi dn-ctrina tria dico. *Primum*, ſi diuortium ad tempus tantnm ſit, ratione ſæuitiæ, ad experiendum num coniux ſæuus ingenium mntet, & ab iræ impetu ſe abſtineat, aut vt det cautionem ſufficientem, qua alter poſſit tutò cum illo commorari, non poſſe innocentem ad religionem tranſire. Hoc euidens eſt, qnia cum diuortium non ſit perpetunm, ſed temporale, ius coniugale non eſt amiſſum, ſed ſolum eius executio eſt temporaliter ſuſpenſa. *Secundum*, ſi iudex Eccleſiaſticus abſolutam diuortij ſententiam pronunciauit, deſperans de coniugis ſæuientis correctione, ita vt nulla incolumitatis alterius coniugis ſufficiens ratio præſtari queat, licere innocenti tranſire ad religionem altero inuito. Patet, quia tunc tale diuortium eſt abſolutum, & perpetuum, ſicut quod ratione adulteri celebratur: ergo per illud ius omne coniugale extinguitur, quod tranſitum ad religionem impediebat. Ille antem qui ob ſæuitiam condemnatus eſt, non poterit ſtatum mutare inuito altero; nam ea ſententia in fauorem illius qui vexatur, lata eſt. Quod ſi poſtea copulentur, cenſebitur reconciliatus alter alteri. *Tertium*, ſemel iam profeſſum, aut in ſacris conſtitutum non poſſe poſtea reuocari ab altero iam correcto, aut cautionem ſufficientem adhibente. Ratio eſt, quia legitimus omnino fuit ingreſſus, nec ex falſa præſumptione procedens, & in pœnam culpæ ſæuitiæ alterius, ad tutamen innocentis, cui aliter conſuli non poterat, lata eſt abſoluta diuortij ſententia.

DISPVT. LVIII.

De diuortio quoad torum conſummato matrimonio, per ingreſſum ad Religionem.

HACTENVS explicatū eſt, quando diſſoluitur matrimoniū cōſummatū quoad torum, & habitationem, per delictū, videlicet per adulterium, hæreſim, & ſæuitiam; nunc reſtat agamus de eius diſſolutione quoad torum & habitationem, per tranſitū ad religionē, acturi ſequenti diſputatione de eiuſdem diſſolutione per tranſitū ab Ordines ſacros. Duplex autē ingreſſus ad religionem eſt diſtinguendus. *Vnus*, qui vocatur primus, qui à principio fit, ad probandā religionem, & Nouitiatum peragendū, per integrū annū ſaltē. *Alius* eſt ingreſſus, qui talis abſolutè dicitur per profeſſionē validam facta. In hac diſputatione de vtroque ingreſſu, quæ requirantur vt licitè & validè fiat à coniugato, diſtinctè, & exactè eſt diſputandum.

SECTIO I.

An & quo pacto requiratur in coniugato, alterius cōiugis cōſenſus, vt licitè, & validè fiat primus Religionis ingreſſus ad Nouitiatum.

1 SVppono *primò*, quod certum eſt apud omnes, ad validum nouitiatum neceſſariò deſiderari conſenſum nouitij & religionis, ſicut & ad validā profeſſionem; quia horum duorum libero conſenſu indiget.

Suppono *ſecundò*, matrimonium conſummatum, 2
niſi alter coniux conſentiat, prohibere hunc primum ingreſſum ad Nouitiatum; ſi verò fiat ex conſenſu alterius, licitum eſſe & honeſtum. Ita omnes. Ratio eſt, quia illa receptio ad Nouitiatum eſt directè repugnās cum vſu matrimonij, quem alter coniux licitè poteſt exigere, cùm ad id habeat ratione matrimonij contracti verum, & legitimum ius; ergo ſine illius conſenſu manifeſtam continet iniuriam; ergo ex natura rei talis receptio ſine illius conſenſu eſt illicita. Firmo, quia certum eſt ac indubitatum, alterum coniugem renuentem poſſe ſtatim talem nouitium coniugatum reuocare, & cogere ad egreſſum; ergo ſignum eſt euidens ingreſſum illum, inſcio altero coniuge, vel non conſentiente, non fuiſſe licitum.

His poſitis, duplex eſt difficultas diſſoluenda. *Prima* eſt, an coniux, qui dedit licentiam alteri coniugi vt religionem ingrederetur, poſſit reuocare licentiam datam, etiam poſtquam eſt ingreſſus Nouitiatum, ante profeſſionem. *Secunda* eſt, an ingreſſus religionis à principio factus ſine licentia alterius, poſſit poſtea confirmari, & ratus haberi ac licitus, per ſuperuenientem conſenſum illius.

Circa primam, pars affirmatiua veriſſima eſt. Ratio à priori eſt, quia alter coniux ex eo quòd illam licentiam dederit, non ſtatim ſe priuauit dominio ſuo, vt illam reuocare non poſſit; imò toto eo anno probationis ſui coniugis, poteſt alter conſiderare, an ſibi expediat perpetuò ab illo ſeparari per illius profeſſionem; ergo poteſt licentiam datam reuocare ante eius profeſſionem. Firmo, nam coniux qui ingreſſus eſt religionem ad probandum illam pro anno Nouitiatus, poteſt ſua ſponte exire ante profeſſionem, & ad alterum coniugem redire, qui tenetur illum recipere, & maritalem vitam cum eo agere; ergo etiam iſte poteſt alterum reuocare, reuocando licentiam datam; & ipſe nouitius parere tenebitur: quia debent eſſe iura pro vtroque paria. Quare, ſicut communiter Doctores affirmant, poſſe maritum reuocare licentiam datam vxori ad vnuendum, ſi eam præueniat prius quàm votum emittat; quia nondum orta eſt obligatio ad Deum ex parte eius, cui data eſt licentia; nec qui illam dedit, ſtatim ſe priuauit dominio ſuo, vt illam reuocare non poſſit: ita ſimiliter dicendum eſt in præſenti, cùm ſit omnino eadem ratio. 3

Obiicies, ſi pater det filio impuberi facultatem ingrediendi religionem, non poteſt illam reuocare ante profeſſionem; ergo nec coniux poterit reuocare talem facultatem datam alteri coniugi, præſertim ſi ingreſſus ſit iam Religionis nouitiatum. Reſpondeo diſparem eſſe rationem. Tum, quia pater offerens filium ſuum impuberem religioni, quandam donationem facit, & ſuo iuri abſolutè cedit; coniux verò ſolùm dat licentiam ad probandum, & tacitè ſibi ius talis probationis reſeruat: præſertim, quia communiter vterque coniux ex mutua facultate religionem ingreditur; & ſi vnus non perſeuerat, poteſt alterum reuocare, quia vterque cenſetur probare cum dependentia ab alio. Tum etiam, quia pater quando offert filium impuberem, non propriè, & immediatè offert filium ad probationem; hæc enim non incipit, donèc filius propria voluntate vult ingredi, aut manere in religione ad experiendam illam, quòd neceſſariò iam eſſe debet poſt adultam ætatem, & 4

ideo illa eſt abſoluta oblatio ad educationem filij teligioſam pro tempore impubertatis, ideoque non pendet ex probatione, nec perſeuerantia filij pendet amplius ex voluntate patris, ſed filij tantum. Quod certè in coniugibus ſecus eſt, vt diximus.

5 Circa ſecundam difficultatem. Ratio dubitandi eſt, quia ex vna parte videtur pars affirmans vera. Quia nullo iure, aut ratione probatur, illum ingreſſum fuiſſe inualidum, & probationem non exiſtente conſenſu coniugis, inualidè faciendam. Patet, quia in primis iura ſolum irritant profeſſionem factam ab vno coniuge ſine licentia alterius, vt dicemus infrà *ſect.* 7. De primo verò ingreſſu nihil ſpeciale ſtatuunt. At ex vi illius deciſionis ad ſummum colligi poteſt, ingreſſum non poſſe habere effectum in ordine ad profeſſionem, ſtante illo impedimento, non verò quòd illo ſublato non poſſit. Prætetea nulla videtur eſſe ratio contrarium concludens, quia non eſt cur imponatur illud onus. Si enim vxor bona fide ingreſſa eſt Nouitiatum religionis, putans maritum eſſe mortuum, & poſtea illum viuere conſtaret, eiuſque conſenſus obtineretur, non eſſet rationi conſonum, vt nouum nouitiatum inchoaret, ſed completo anno poſt primum ingreſſum poſſet profeſſionem emittere; ergo idem dicendum eſt, etiam ſi à principio mala fide ſine conſenſu mariti ingreſſa fuiſſet: quia quod interuenerit iniuſtitia contra maritum, non impedit valorem actus, niſi aliquo ſpeciali iure id ab Eccleſia ſtatutum ſit; quod certè non dari, nec aſſignari, certum eſt. Ex alia parte videtur pars negans valde ſubſiſtens; quia quod à principio inualidum eſt, non poteſt tractu temporis confirmari, nec poteſt quis ratum habere quod ſuo nomine non eſt geſtum; ſed ille ingreſſus nouitiatus fuit à principio inualidus; quia fuit ſine conſenſu alterius coniugis factus. ergo. Firmatur, quia quod nullum eſt in ſe, nullum iuris effectum operari poteſt, & cùm ſemel irritus fuerit, & ad præteritum non ſit potentia, non poteſt poſtmodum effici, vt præcedens nouitiatus valuerit, ad eum effectum, vt vere dicatur præmiſſus profeſſioni denuo faciendæ. Quod ad ipſius valorem petit Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de regularibus, cap.* 15.

6 Iudico partem affirmantem veriorem eſſe cum Suario *tom.* 3. *de religione lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 10. *&* 11. & noſtro Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio diſputat.* 37. *num.* 70. vbi de coniuge qui ſine valida licentia coniugis profeſſus eſt, probat, eam profeſſionem quæ irrita erat, poſſe conualeſcere, & ratificari, nec deſiderari nouitiatus iterationem. Idem tenet Ioannes Azot *lib.* 12. *inſtitut. moral. cap.* 1. *q.* 6. § *ſi quæras*, vbi profeſſionem coniugis abſque alterius licentia factam, dicit, ſtatim ac alter moritur, ratificari. Vnde ſentit non eſſe opus iterari Nouitiatum: cum tamen coniugatus abſque coniugis licentia ſit prorſus inhabilis ad ingreſſum. Iuxta hanc ſententiam,

7 Dico *primò*, ex natura rei ſecluſo omni iure poſitiuo illum ingreſſum ac probationem ſeu nouitiatum in eo fundatum valere ad profeſſionem validam faciendam. Probo, quia ſi id ex natura rei conſideretur, interueniunt ibi ea omnia, quæ ad veram probationem & experientiam religionis ſufficiunt; interuenit enim ſufficiens conſenſus ex vtraque parte, id eſt religionis, & futuri religioſi; interuenit etiam humanum experimentum ex vtraque etiam parte; ergo ex natura rei illud ſufficit ad veram probationem, & conſequenter ad verum illum primum ingreſſum, in quo illa fundari poſſit. Firmo, quia negari non poteſt loquendo ex natura rei, poſſe eſſe actionem validam, etiam ſi ſit iniurioſa: nam profeſſio coniugis, vt infra dicam, ſecluſo iure poſitiuo irritante valida eſſet ex natura rei, etiam ſi fieret cum iniuria coniugis non conſentientis, ſolumque ſuſpenſa maneret quoad effectum, quem ſine iniuria coniugis habere non poſſet. Ergo ſimiliter ſecluſo iure poſitiuo ex natura rei ille primus ingreſſus cum iniuria coniugis, tametſi iniquus ſit, & ratione illius non fiat licitè nouitiatus, aut profeſſio, non conſentiente coniuge; nihilominus tamen ex ſe non inualidat actum nouitiatus.

8 Dico *ſecundò*, neque attento iure poſitiuo antiquo, illum ingreſſum ita fuiſſe validum, vt poſſit ſuperueniente conſenſu coniugis ſufficere ad profeſſionem validam faciendam. Probatur, quia nullum eſt ius antiquum talem probationem annullans: ſolum enim iura irritant profeſſionem factam ab vno coniuge ſine licentia alterius: de primo verò eius ingreſſu, ac nouitiatu, vel probatione ſine licentia alterius coniugis, nihil ſtatuunt, nihil dicunt. Firmo, quia vt optimè notat Suarius *citatus*, iura, quando volunt receptionem indebitè factam eſſe ita inualidam, vt licèt poſtea defectus emendentur, vel impedimenta tollantur, ad nouitiatum, vel profeſſionem non deſeruiat, non tantùm profeſſionem, ſed ipſam etiam receptionem ſpecialiter annullant, vt facit Sixtus V. in quodam motu proprio de illegitimis; quia nimirum ſola irritatio profeſſionis non ſufficit ad annullandum abſolutè receptionem, etiam ſi fiat illicitè, & cum impedimento irritante profeſſionem; ſic igitur dicendum in præſenti, receptionem coniugis, ſine alterius coniugis conſenſu, per ſe & ex ſe, licet male factam, fundare verum nouitium, ſeu nouitiatum, & non annullare abſolute ingreſſum, atque adeò ſuperueniente conſenſu fieri validam profeſſionem ſubſecutam.

9 Dico *tertiò*, neque inſpecto nouo iure Tridentini eum nouitiatum factum ſine licentia coniugis irritum eſſe. Id optimè probat Sanchez *citatus*, exemplo matrimonij. Nam matrimonium ſemel contractum coram parocho & teſtibus, irritum tamen ob impedimentum occultum, verbi cauſa, conſanguinitatis, non eſt neceſſariò in parochi & teſtium præſentia iterandum, etiam ex ipſius Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de matrimonio*, intentione, petentis ad eius valorem præſentiam parochi, & teſtium: quoniam ex ratione eius decreti id nunquam extenſum fuit ad huiuſmodi matrimonium. Ratio enim decreti fuit, vt matrimonium conſtaret Eccleſiæ, & vitarentur peccata ex clandeſtinis nuptiis pullulantia, quæ in his matrimoniis, quæ iam ſemel Eccleſiæ conſtiterunt, & reputabantur valida, nunquam locum habuit, atque ideo nec decretum de illis locutum eſt, vt totum id latè oſtendit Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio, diſputat.* 37. *num.* 3. *&* 7. At id prorſus contingit in noſtro caſu. Nam dum Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de regularibus cap.* 15. decreuit annum nouitiatus præmittendum profeſſioni validæ, eò ſpectauit, vt faueret & monaſterio, & ipſi monacho, illi, vt mores religioſi experiretur; huic, vt auſteritatum religionis experientiam ſumeret, vt expreſſe dicitur *ca. ad Apoſtolicam, de reg.* Quæ ratio in hoc euentu locū non habet, nam nouitius ille poſt habitum ſuſceptū expertus eſt plenè

Digitized by Google

plene religionis auſteritates, inſtar aliorum nouitiorum, & religio illius mores. Ergo cum ratio finalis illius decreti à ſui initio hunc caſum non comprehenderit, nec caſus hic ab initio in eo decreto eſt comprehenſus.

10 Ex his patet ſolutio ad rationem propoſitam pro parte negante in ratione dubitandi, dico, non eſſe concedendum illum ingreſſum nouitiatus fuiſſe à principio inualidum, quia fuerit ſine conſenſu alterius coniugis; ſed ad ſummum fuiſſe illicitum, & prohibitum, quia fuit ingreſſus cum iniuria coniugis. Ad confirmationem ſimiliter dico, illum nouitiatum fuiſſe validum quoad eum effectum, vt verè nouitius expertus ſit religionis auſteritates, & religio ſit experta eius mores, qui eſt finis anni nouitiatus, ac proinde is iterandus non ſit ad validitatem profeſſionis, quæ valida eſt, ſuperueniente conſenſu coniugis. Neque id opponitur decreto Tridentini; quia finis illius decreti noſtrum caſum minimè comprehendit, ac ſubinde nec decretum ipſum, vt exemplo matrimonij adducto manet ſatis explicatum.

Sectio II.

An ad primum ingreſſum coniugati ad Nouitiatum, præter licentiam alterius coniugis, requiratur licentia Epiſcopi ad valorem illius, vel ſaltem ex neceſſitate præcepti.

1 NOn inuenio dubium hoc in terminis à Doctoribus tractatum, cùm hæc ſcriberem: ſolùm enim præſentem exagitant quæſtionem, cùm tractant de ſecundo ingreſſu coniugati per profeſſionem, an nimirum vt valida ſit profeſſio, vel licita ex præcepto, præſupponi debeat licentia Epiſcopi. De qua dicam infrà *ſect. quinta*, quid ſentiam cum grauiſſimis Doctoribus.

2 Nunc verò ad præſentem quæſtionem, poſſet quis opinari, neceſſariò ante hunc ingreſſum præueniri debere licentiam Epiſcopi.

Primò, quia ea requiritur ad profeſſionem ſaltem neceſſitate præcepti; ergo & ad probationem vnius integri anni.

Secundò, conſtat ex variis iuribus vt vnus coniux religionem ingrediatur, non poſſe facere profeſſionem in ea, niſi ex licentia alterius coniugis; & ſi concedens licentiam iuuenis ſit, religionem ingredi debet; ſi verò ſit ſenex, & ceſſet incontinentiæ periculum, votum ſimplex caſtitatis emittat in ſeculo. Quod totum *in cap. ſi vir & vxor 27. q. 2.* committitur Epiſcopo loquens ius de coniugatis qui ambo ad religionem tranſire decreuerunt, præſcribit his verbis, vt dicti coniugati ab Epiſcopo ſingulariter prouiſo conſtituantur loco; ergo ſpectat ad Epiſcopum prouidere quoque de primo ingreſſu coniugum ad religionem, & de nouitiatu peragendo, & de tempore ac die quo vterque eſt emiſſurus profeſſionem diuiſim, vnuſquiſque in ſuo diuerſo Monaſterio; nam auctoritate Eccleſiæ debet geri eiuſmodi ſeparatio.

3 Certiſſimum tamen videtur mihi, prædictam Epiſcopi licentiam neque eſſe neceſſariam ad validitatem Nouitiatus, neque eſſe ex aliquo præcepto, vel iure requiſitam. Non vidi vllum ex Theologis antiquis, & recentioribus in ſuis editis libris contrarium aſſerentem. Solùm ſunt nonnulli Canoniſtæ, & ex Theologis pauci qui eam licentiam eſſe neceſſariam ex præcepto ad faciendam profeſſionem aſſeuerant. De quo videbimus infra *ſect. 5*. At de nouitiatu, & probatione præuia profeſſioni, nec verbum quidem. Ratio à priori hæc eſt, quia neque id conſtat ratione ex natura rei, neque ex aliquo iure poſitiuo; ergo non eſt tale onus ſine fundamento imponendum. Antecedens quoad primam partem euidens eſt, quia abſque tali licentia interueniunt ea omnia quæ ex natura rei ad eam probationem, & experientiam religionis ſufficiunt. Patet, quia interuenit ſufficiens conſenſus ex vtraque parte, nempe religionis, & religioſi; interuenit etiam, quia eſt coniugatus, conſenſus, & licentia alterius coniugis; interuenit etiam humanum experimentum ex vtraque etiam parte; ergo ex natura rei nihil amplius requiritur ad veram probationem, & conſequenter ad verum ingreſſum primum, in quo illa fundari poſſit. Secundam partem manifeſtè oſtendo, quia nullo iure id probari poteſt, quia nullum tale extat: nam iura, vt infra dicemus, ſolùm irritant profeſſionem factam ab vno coniuge, ſine licentia alterius; de primo verò ingreſſu nihil ſpeciale ſtatuunt, neque de licentia requiſita alterius vxoris, nedum de licentia Epiſcopi, aliquid decernunt. Si ergo ex iure poſitiuo nulla eſt lex ſpecialiter eam licentiam Epiſcopi præcipiens, vnde colligi debet eſſe neceſſariam ſub præcepto? Validus ergo, & licitus erit primus ingreſſus, nulla habita ratione licentiæ Epiſcopi. Firmo authoritate grauiſſimorum Prælatorum, qui de hac re nihil curarunt, & meritò, cùm in ſacrarum religionum ſtatutis ſit ſufficienter prouiſum, quomodo ſe gerere debeant ſuperiores circa receptionem nouitiorum coniugatorum, cum ipſis incumbat legitima illorum receptio, & profeſſio, ſicque vſu & conſuetudine videmus roboratum. Nec vnquam id ad officium Epiſcopi pertinuit: quod ſi in aliqua Diœceſi fuit aliquando illud introductum, iam conſuetudine contraria ſatis præſcriptum eſt hanc licentiam neceſſariam non eſſe, nec ad valorem nouitiatus, neque vt iſte licitè fiat. Vnde

Colligo *primò* non poſſe Epiſcopum contra religioſos exemptos procedere, quando detinent nouitium coniugatum, & impediunt, ne habitu religionis priuetur, quia ingreſſus eſt religionem, & ſuſcepit illum, nulla licentia petita ab Epiſcopo, neque obtenta. Ratio eſt, quia in hoc euentu nullam habet iuriſdictionem; ergo non eſt cur procedat contra exemptos, vt impedientes ſuam iuriſdictionem. 4

Colligo *ſecundò*, multo minus poſſe Epiſcopum cenſuris prædictos exemptos compellere impedientes extractionem nouitij coniugis è ſuo monaſterio. Patet, tum quia hac in re non impediunt ſuam iuriſdictionem, cum illam non habeat in eo euentu à iure conceſſam. Tum etiam, quia tametſi eam haberent, quod falſum eſt, eſt ſpeciale priuilegium conceſſum mendicantibus ne poſſent excommunicari, ſuſpendi, vel interdici ab Epiſcopo, vt eruditè ponderat noſter Sanchez *lib. 7. diſp. 33. n. 23*. 5

Ad argumenta oppoſita.

Ad primum, falſum eſt antecedens, vt conſtabit ex dicendis infra. 6

Ad ſecundum, dico ad Prælatos Religionum per ſe ſpectare illa omnia diſponere, vt ſeruatis conditionibus quæ in iure præſcribuntur ad receptionem coniugatorũ, eos recipiant ad primũ ingreſſum ſeu nouitiatũ, & probationẽ. Cùm enim auctoritate Apoſtolica, abſque illa ab Ordinariis depẽdẽtia, & ſubiectione habeant facultatem recipiendi in ſuam religionem

Digitized by Google

nouitios, ad eos ſpectat eligere eos, quos iure idoneos, & inſtituto ſuo accommodatos præuia conſultatione maturo iudicio expedire iudicauerint. Vnde nihil horum ſpectat ad Epiſcopos, qui nec curare debent de religionum priuilegiis, ſeu ipſa concernentibus circa receptionem, & profeſſionem religioſorum, nec de ſtatu regularium. Solùm enim Ordinarij proprium eſſe videtur, vt conſtat ex *cap.* 1. *de conuerſ. coniugat.* curare de matrimonij inſtauratione, coniugiſque reuocatione, qui minus legitimè profeſſus fuit, de quo modo non diſputamus. Vnde ad illum textum capitis, *ſi vir & uxor*, reſpondeo non loqui in præſenti caſu. Quare placet mihi quod notat Gloſſa *ibi verb. conſcientia*, intelligi, quando coniugati volunt monaſterium conſtruere, ad quod tranſeant. Id enim ſine facultate Epiſcopi ædificari nequit, vt conſtat ex c. *nemo, de conſecrat. diſt.* 1. Et quamuis ius illud loqueretur in noſtro caſu, iam conſuetudine receptum eſt, vt ea licentia non petatur ab Epiſcopo, nec cum illo tractetur de legitima receptione coniugatorum.

Sectio III.

An ſine licentia coniugis conſummato matrimonio valeat ſecundus ingreſſus ad Religionem per ſolemnem profeſſionem.

1 NOn procedit quæſtio, quando eſt cauſa perpetui diuortij per adulterium. Conſtat enim ſi alter cõiux adultererit, alterum liberè poſſe religioné profiteri, ipſo adultero inuito, vt liquet ex *cap. Agathoſa* 27. *q.* 2. *& c. veniens, & c. gaudemus, de conuerſ. coniugat.* Quia tunc coniux innocens omnino eſt liber in perpetuum ab obligatione talis matrimonij, id eſt ab obligatione reddendi debitum. Idem exiſtimo, quoties cauſa perpetui diuortij interceſſit, & per Eccleſiam declarata eſt, quia interuenit eadem ratio. Quæſtio igitur intelligenda eſt, quando & matrimonium, & obligatio vſus coniugalis integra eſt.

2 Præterea notandum eſt, duobus modis poſſe quæſtionem hanc exagitari, & bifariam poſſe coniugatum profiteri poſt tale matrimonium, ac eo durante. *Primò* abſque licentia alterius cõiugis. *Secundò* de eius licentia, & illo etiam ſuam conuerſionem iuxta ius requiſitum promittente. Sermo eſt nunc in hac ſectione de priori ſenſu, ac modo; de alio in ſequenti ſectione.

3 Circa præſentem igitur quæſtioné certum eſt, abſque licentia alterius coniugis profeſſionem eſſe nullam, ob præiudicium coniugis, cui eſt ius quæſitum. habetur expreſsè *cap. placet, & cap. quidam, de conuerſ. coniugatorum.*

4 Eſt verò *prima difficultas*, an ſit talis profeſſio nulla ex natura rei, omni ſecluſo iure poſitiuo. Videtur enim ita eſſe, quia traditio de re aliena ex natura rei nulla eſt; at talis videtur eſſe dicta profeſſio, teſtante Apoſtolo 1. *Cor.* 7. *Vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier: nec mulier ſui corporis poteſtatem habet, ſed vir.* Igitur traditio illa, quæ in tali profeſſione fit, cùm ſit de re aliena, & inuito domino, eſt nulla. Firmatur, quia ob eandem rationem videtur profeſſio ſerui, inſcio vel inuito domino, eſſe nulla ex natura rei; quia quod vni traditum eſt, non poteſt alteri validè tradi; ſeruus autem traditus eſt domino, ergo traditio religioni facta ex natura rei eſt inualida.

Sentio tamen, ſecluſa lege Eccleſiaſtica, prædictam coniugati profeſſionem non eſſe ex ſe nullam, ſed eſſe de illa iudicandum ex ſola rei natura, perinde ac de profeſſione ſerui facta inuito domino; nam eadem ratio in illa militare poteſt. Quare ſicut profeſſio ſerui non eſt irrita iure naturæ, ſed eſt valida, ſolumque ex lege iuſtitiæ ſuſpendi poteſt quoad actualem vſum in his quæ iuri domini repugnant: nam poterit dominus non obſtante profeſſione ſeruum repetere, & ſibi, non religioni ſeruire cogere, argumento cap. *nullus*, cum ſimilibus, *diſput.* 54. nihilominus tamen ille verus religioſus erit, quia extra monaſterium poteſt eſſe verus religioſus, & ſeruare tenebitur caſtitatem, & paupertatem: obedientiam autem, cuius habet vſum impedimentum, in animi præparatione ſeruare tenebitur; vnde quacumque ratione liber fiat, vel facultatem à domino habeat, ad religionem redire tenebitur. Ita ſimiliter dico de coniuge ex natura rei; quia ſi à coniuge vſus alteri debitus non auferatur, quod vinculum profeſſionis teneat, nihil obſtat dominio eius, vt per ſe conſtat, quia non obſtante tali vinculo, non fraudatur iure ſuo: ſicut votum ſimplex religionis cuiuſlibet coniugis validum eſt, quamuis non poſſit impleri viuente alio, eo inuito: ita ergo & traditio profeſſionis poſſet eſſe valida, quamuis vſus non poſſet iuſte religioni concedi, altero coniuge viuente, & inuito. Ex quo patet ſolutio ad argumenta obiecta. 5

Secunda difficultas, an, & vnde ſufficienter conſtet talem coniugati profeſſionem lege Eccleſiaſtica eſſe nullam. Quia tametſi iura dicant votum eiuſmodi coniugati non tenere, intelligi poſſet, non tenere quoad obligationem reddendi debitum, cum quo tamen ſtare poteſt vt profeſſio fuerit valida. 6

Dico tamen certum eſſe hanc profeſſionem omnino eſſe nullam: idque ſufficienter colligi ex iuribus ipſis. *Primum* liquet ex *cap. notificaſti* 33. *q.* 5. *& cap. veniens, de conuerſ. coniugat. & ex c. placet, c. quidam, eodem titulo.* Neque obſtat factum Theonæ Abbatis, quod laudat Caſſianus *collatione* 21. *cap.* 9. qui poſt quinquennij habitationem vxorem dimiſit. Vel enim ibi interfuit inſpiratio diuina, ac peculiaris inſtinctus Spiritus ſancti: vel occulta violatio fori, quam vir iuſtus manifeſtare noluit, vel ignorantia inuincibilis, quæ excuſauit factum. *Secundum*, ſufficienter colligitur ex eo, quod in prædictis iuribus dicitur, non teneri talem perſonam mortuo coniuge ad ingrediendum monaſterium. At ſi profeſſio fuiſſet valida, ex illa ſine dubio huiuſmodi oriretur obligatio. Vnica igitur ratio, ob quam talis profeſſio nulla ſit, eſt, quia Eccleſia ita ſtatuit in prædictis iuribus. Quod meritò fecit ad euitanda ſacrilegia, atque etiam diſſidias inter coniuges. 7

Sed cur Eccleſia ita annullauit hanc profeſſionem coniugati, & non profeſſionem ſerui? Nam conſtat nullum inueniri ius canonicum quod hanc irritam fecit. Dico, rationem reddi poſſe, quia ex valore profeſſionis ſerui non redundat in dominum magnum grauamen: in coniugem autem redundat, propter rigoroſam, & quaſi inutabilem obligationem caſtitatis, & ſuo etiam modo propter votum paupertatis. Vinculum etiam inter ſeruum & dominum non eſt ita indiſſolubile, nam poteſt ſeruitus tolli pretio datu, vel aliis modis, & ideo non debuit ob eam rem omnino impediri perpetuum vinculum profeſſionis; quod ſecus eſt in matrimonio conſummato, quod eſt vinculum omnino indiſſolubile.

Tertia

Digitized by Google

9 *Tertia difficultas*, an ex dicta profeſſione, quæ ex lege Eccleſiæ fuit nulla, maneat adhuc votum caſtitatis ſimplex. Negat manere Baſilius Ponce *lib 9. c. 11. n. 3.* quia animus vouentis non fuit obligare ſe ad caſtitatem ſeruandam per ſe, ac ſeparatim, ſed ſolùm vt coniunctam ſtatui religioſo, ac regulari: at cum hoc animo expreſſo nulla poteſt eſſe obligatio, cum nullus vere ſit religioſus ſtatus aſſumptus. Ita etiam cõmuniter ſentiunt Doctores. Mihi verò magis placet dicere cum Suario *tom. 2. de religione c. 7. n. 6. & 7.* qui dicit duo. *Primum*, ſi dicta profeſſio fuiſſet nulla ex ſe ac intrinſece, ſeu ex natura rei, certè & votũ etiam caſtitatis fuiſſet nullum; quia quod nullum eſt, nullam inducit obligationem, & illud votum non ſit niſi vt annexum profeſſioni, atque ideo ablato principali, acceſſorium etiam tollitur. *Secundum* eſt ipſam Eccleſiam quæ fecit illam profeſſionem inualidam, ipſam potuiſſe non omnino annullare illam, ſed aliquid illius ratum habere, quod ſine præiudicio coniugis, & ſine vllo diſpendio, vel incommodo ſtatus matrimonialis validum eſſe poſſet. Huiuſmodi autem eſt votum caſtitatis, cum ea limitatione quæ ab eiſdem iuribus proponitur, nempe quoad non petendum debitum. Quod non eſt ſimile de voto religionis, vt nimirum manſerit votum ſimplex religionis. Quia qui profitetur, non facit vllam promiſſionem in tali religione, & ideo ſi de facto non ingreditur ob nullitatem profeſſionis, non poteſt in eo manere talis promiſſio, quia non poteſt extrinſecus imponi, & ab intrinſeco non proceſſit. At in profeſſione facit formalem promiſſionem caſtitatis, quæ in profeſſione habet quidem ſolemnitatem adiunctam ex profeſſione, & ideo annullata profeſſione, tollitur ſolemnitas; ipſa tamen promiſſio caſtitatis valida retineri poteſt, quia Eccleſiam noluit illam omnino irritare. Vnde ſecluſa illa expreſſa voluntate non ſe obligandi ad caſtitatem quàm dependenter ab ſtatu religioſo, qua poſita nulla poteſt poſtea manere obligatio; cenſetur talem coniugatum qui non habuit talem expreſſam voluntatem, debitum petere non poſſe, eſto teneatur reddere; quia illa profeſſio quoad illam obligationem non petendi debitum, acceptata fuit ab Eccleſia, vtpote, quæ non cedit in præiudicium coniugis non conſentientis, vt conſtat ex *c. placet*, & *c. quidam*, de conuerſ. coniugat. Vnde nec poterit licite mortuo coniuge aliud matrimonium inire, bene tamen valide, quia non eſt votum caſtitatis ſolemne, ſed ſimplex.

10 *Quarta difficultas* eſt, an ſimiliter alia duo vota paupertatis, & obedientiæ in huiuſmodi profeſſione nulla facta, cùm ſint etiam irrita, ſicut & votum ſolemne caſtitatis, ad aliquid poſtea obligent, ſicut diximus de voto caſtitatis. Hanc difficultatem ſolùm attingit Suarez *citatus*, qui optimè dicit, ad nihil poſtea obligare. Quia in illis iuribus ſolum de voto caſtitatis fit mentio, vnde videtur eſſe veluti exceptio quæ firmat regulam in contrarium: quia annullata profeſſione, annullatur quidquid illi annexum eſt, niſi ex intentione annullantis aliquid relinquatur; his autem ſolum votum caſtitatis in dictis iuribus relinquitur. Igitur omnia alia inualida fiunt. Firmat idem ratione ſatis congruenti: nam votum obedientiæ in profeſſione ſolum fit ſecundum regulam, vnde ablata regula non eſt quod maneat. Paupertatis verò obligatio multum eſt aliena à ſtatu matrimonij, imò vix habet materiam certam in eo caſu, annullato ſtatu religionis, extra quem regulariter forte non expedit. At votum caſtitatis per ſe magis accommodatum eſt, pro quolibet ſtatu, ſeruata proportione.

11 *Quinta difficultas*, an coniux, ſine cuius licentia profeſſio fuit nulla, ſi poſtea conſenſum præſtet profeſſioni, iſta reddatur valida. Dico cum cõmuni Doctorum plauſu, huiuſmodi profeſſionem eo conſenſu non reddi validam. Ratio eſt, quia toto eo tempore præcedente conſenſum alterius coniugis, fuit profeſſio nulla, vt conſtat, ſed ex conceſſione conſenſus non conualeſcit; ergo. Minor patet, quia profeſſio ſemel irrita nequit tractu temporis conualeſcere abſque noua ratificatione; non enim profeſſio poteſt eſſe in pendenti, nec poteſt Eccleſia ſupplere conſenſum, vt valida efficiatur profeſſio. Idem eſt, etiam ſi moriatur coniux, quia morte ipſius non firmatur profeſſio, ſed nouo conſenſu indiget, ac noua Prælati acceptatione. Imò neque ſi ſe ingerat etiam poſtea actibus profeſſorum, erit valida tacita profeſſio. Quia ea tacita profeſſio induci non poteſt, niſi ſeruatis de iure ſeruandis. Eſt enim neceſſarium vt Prælatus ſciens nullitatem, & ſciens iam adeſſe conſenſum, admitteret ad profeſſorum actus, & pateretur, ſi ſe illis ingereret.

Sexta difficultas, an integrum ſit coniugi, abſque cuius licentia profeſſio facta fuit, ſic profeſſum reuocare ſine authoritate iudicis; & poſſit talis profeſſus propria authoritate religionem deſerere altero non repetente. 12

Circa primum omnes fatentur, integrum eſſe coniugi talem profeſſum reuocare; ſic enim expreſſe habetur *c. quidam, & c. placet, de conuerſ. coniug.* Et ratio eſt, quia nequit coniux inuitus expoliari iure ſuo. Oportet tamen vt id fiat authoritate iudicis; quia abſque ea non licet, nec poteſt coniugem vi eripere monaſterio quaſi poſſidenti. 13

Circa ſecundum, negari non debet poſſe talem coniugem in dicto caſu religionem deſerere abſque petitione coniugis. Patet, quia ſolum profeſſionis virtute aſtringi poterat in religione perſeuerare, ſed profeſſio non tenuit, vt ſupponitur; ergo ceſſat cauſa obligationis. Nec huic aduerſatur textus *in cap. placet, de conuerſ. coniugat.* ibi, *homo verò ad ſeculum in eius poteſtate non erat, ſed in poteſtate mariti.* Quia intelligi debet de reditu ad ſeculum, intercedente copula coniugali, vt ex contextu conſtat, quod in ſola mariti poteſtate erat; ſi quidem ipſa à debiti petitione ob votum caſtitatis emiſſum impedita erat. Non tamen negatur ibi, poſſe ad ſeculum redire à petitione debiti abſtinendo.

Maior difficultas eſt, an id poſſit facere abſque iudicis ordinarij authoritate. Noſter Sanchez *lib. 7. diſp. 34. n. 15.* licere affirmat exire propria auctoritate, & licentia non petita. 14

Primo, quia coniux qui profitetur ſine alterius licentia, eſt reus iniuſtitiæ, tanquam raptor rei alienæ; ergo tenetur eam iniuſtitiam lethalem reuocare. Quis enim neget repugnante coniuge ſi non exiret à monaſterio, eſſe alieni raptorem.

Secundo, in cap. accedens, de conuerſ. coniug. narratur, virum de licentia vxoris metu extorta profeſſum exiiſſe, neque illius exitus reprehenditur.

Tertiò, in cap. 2. notificaſti 33. q. 5. vbi idem factum non reprehenditur, ſed clare videtur approbari, ibi, non enim violentia, ſed ex pari voluntate, & conſenſu hoc debet fieri.

Vltimò, in cap. vna ſola 33. q. 5. ibi, *Nam & vouenda talia non ſunt à coniugatis, niſi ex conſenſu, & voluntate communi: & ſi præpoſterè factum fuerit, magis eſt corrigenda temeritas, quam perſoluenda promiſſio.* Vbi Gloſſa, *verb. corrigenda*, hinc ſumi argumentum, quòd ſi alter ſine licentia alterius intret religionem, quod ſua authoritate poteſt exire.

Ego verò oppoſitum ſentio cum Baſilio Ponce *lib. 9. c. 11. n. 18.* & Caſtro Palao *tom. 1. tract. 16. diſputat. 2. puncto 2. §. 4. n. 3.* & alij prædictum coniugem cùm conſtet publice profeſſum eſſe, conſtare etiam neceſſe eſſe de nullitate profeſſionis publico iudicio. Moueor auctoritate Tridentini *ſeſſ. 25. de regularibus cap. 19.* vbi cauetur, neminem poſſe habitum religionis deſerere, niſi cauſa nullitatis coram Ordinario examinata; aliàs tanquam apoſtata debeat puniri. Et meritò ſic ſtatutum eſt ne Religioſi ſumerent occaſionem vagandi. Cum enim publice Eccleſiæ conſtiterit de profeſſione, publicè etiam debet conſtare de eius nullitate, vt diſſoluta cenſeatur.

16 Neque contra hoc dictum vrgent relata pro Sanchez.

Ad primum, non negamus tunc profeſſum contra coniugis voluntatem teneri ſe ei reſtituere, ſed dicimus id præſtare debere iuris ordine ſeruato, videlicet authoritate iudicis, qui cauſa cognita nullitatem profeſſionis declaret.

Ad ſecundum, dico ex illo textu nihil nobis aduerſum inferri: nam fatemur virum illum ad ſeculum rediiſſe. At non conſtat ex eo capite quomodo redierit, an ipſe propria auctoritate habitum dimiſerit, an eiectus fuerit à Prælato cognita cauſa, vel ob defectus aliquos. Vnde ex eo capite firmum argumentum ſumi non poteſt.

Ad tertium, ibi ſolùm dicitur non debere virum ab vxore recedere, & monaſterium ingredi extorta licentia ab vxore, ſed pari conſenſu, & volũtate. De deſertione habitus religioſi ſuſcepti nihil ſpeciale notatur à Pontifice; ex relatione tamen partis conſtat ad petitionem vxoris, & conſequenter cauſa cognita religionem deſeruiſſe.

Ad vltimum, dico ibi rectè dici ea vota de communi conſenſu facienda, quod veriſſimum eſt, & ſecus facta corrigenda. Sed non exprimit, quomodo ſit corrigenda temeritas illius, qui inconſulto coniuge ad religionem tranſit. Quare datur locus aſſerendi corrigendam eſſe iudicis auctoritate.

17 *Septima difficultas*, an coniux inualidè profeſſus poſſit etiam reſilire à religione, quamuis coniux, ſine cuius licentia ingreſſus eſt, adulterium commiſerit poſt alterius profeſſionẽ. Reſpondeo poſſe. Ratio eſt, quia tametſi coniux adulter amiſerit per adulterium ius repetendi coniugem illum profeſſum, attamẽ adulterio coniugis manente in ſeculo, non conualeſcit profeſſio alterius. Vnde cùm ea ſit omnino nulla, poteſt à monaſterio recedere, vt rectè docet cũ aliis Thomas Sanchez *lib. 7. diſp. 36. n. 3.* qui bene expendit textum in *cap. veniens, de conuerſ. coniugat.* vbi de viro cum licentia metu extorta profeſſo, & adultera poſtea vxore, ſic dicitur. *Mandamus, quatenus ſi ita eſt, prædictum Laurentium in Monaſterio quod intrauit, perſeuerare liberè permittatis.* Non cogitur vt perſeueret, ſed permittitur eius libertati perſeuerantia. Igitur nullum monaſterio ius quæſitum eſt, quo retinere poſſit illum inualide profeſſum, etiam iam adulterante vxore.

18 *Octaua difficultas*, an ea quæ diximus de coniuge, qui ſine licentia alterius coniugis profitetur, dicenda ſint de eo qui profitetur de licentia vxoris extorta metu cadente in virum conſtantẽ, vel ex iuſto metu? Reſpondeo affirmatiuè cum communi Doctorũ ſentẽtia, quam multis citatis ſequitur Thomas Sanchez *lib. 7. diſp. 36.* Ratio eſt, quia ea licentia metu extorta perinde eſt, ac ſi nulla eſſet, *cap. 2. 33. q. 5.* & *cap. accedens, de conuerſione coniugatorum*; ergo illius profeſſio nulla eſt, & conſequenter illi licent, quæ licere diximus illi qui ſine vlla licentia vxoris profitetur. Idem dicendum, ſi graui dolo extorta fuerit licentia: errantis enim nullus eſt conſenſus. Idem dicit Thomas Sanchez de eo qui profeſſus eſt cum ſola vxoris diſſimulatione. Quia tametſi in aliquibus rebus, non contradicere, pro conſenſu reputetur, attamen cum in iſto caſu requiratur licentia, diſſimulatio non habetur pro licentia.

Vltima difficultas eſt, an ſi vterque coniux mutua li- 19
centia non petita profiteatur, ſiue conſcius, ſiue ignarus profeſſionis alterius, valeat profeſſio. Breuiter reſpondeo cum diſtinctione, vel enim id factum fuit ignoranter, vel ſcienter. Si enim ignoráter factum eſt, neutrius profeſſio valida eſt, quia neuter licentiam alterius habuit; & profeſſio prius coniugis profeſſi valere non potuit, quia cõſenſus alterius defecit, nec potuit rata fieri abſque noua ratificatione. Nec etiam poſterior valida eſſe potuit profeſſio; nam ſi prioris profeſſio non valuit, nec poſterior coniux abſque eius conſenſu profiteri poterit. Si tamen factum fuit ſcienter, quia cuilibet fuit alterius profeſſio cognita, eo ipſo videntur tacite ad inuicem conſenſiſſe.

Sectio IV.

Quid exigatur, vt ſecũdùm iuris canonici definitionem poſſit alter coniux de alterius licentia ad religionẽ tranſire per profeſſionem.

CErtum eſt *primò*, profeſſioné ab vno cõiuge factã 1
de licẽtia & legitima conuerſione alterius validam eſſe ex natura rei, & ex iure canonico. Patet ex *cap. cum ſis, & cap. ſignificauit, de conuerſ. coniugatorum*, & ex dictis præcedenti ſectione. Et ratio ipſa demonſtrat: nam in primis tũc ceſſat omnis iniuria vtriuſque partis, cum volenti & conſentienti non fiat iniuria. Præterea ceſſat omne periculũ, quia vterque conuertitur, vt caſtitatẽ ſeruet. Denique ceſſat omne impedimẽtũ religioſi ſtatus; quia ex tunc neuter coniugum manet obligatus ad vſum matrimonij. Igitur his omnibus modis talis profeſſio non ſolùm valida, ſed etiam licita eſt. Hinc bene intelligitur vinculum matrimonij & vinculum profeſſionis religioſæ nõ eſſe formaliter repugnantia: nam in eo caſu vinculũ matrimonij nõ diſſoluitur, ſed quaſi ſepitur, & impeditur quoad vſum per vinculũ profeſſionis ei ſuperadditum; ſolumque manet quoad hunc effectum, vt neuter coniugũ poſſit aliud matrimoniũ contrahere; hoc autem nihil repugnat vinculo profeſſionis. Igitur nihil eſt vnde illa duo vincula habeant formalẽ repugnantiam ex natura rei, ſed ſolum illam habent in caſibus à iure expreſſis.

Secundò etiam eſt certum, ex variis iuribus, ex *cap. ad* 2
Apoſtolicam, c. vxoratus, & c. cùm ſis, de conuerſ. coniugatorum, regulariter non poſſe virum coniugatum profiteri religionem etiam ex conſenſu vxoris, niſi ipſa etiã religionem ingrediatur. Solum enim excipitur caſus, quando vxor ita eſt ſenex, & ſterilis, vt ſine ſuſpicione poſſit in ſeculo manere. Et tunc etiam ab ea exigitur vt caſtitatem promittat, ſi autem periculum incõtinentiæ adſit, religionem ingrediatur. Atque hæc eſt legitima conuerſio alterius coniugis, quæ in iure merito exigitur. His præmiſſis,

Prima difficultas eſt, an tranſitus ad religionem coniugis iuuenis, vt alter profiteatur, debeat eſſe ad profeſſionem emittendam quoque; an verò ſufficiat, vt ibi incluſus à vagationibus arceatur, & ſic periculo incontinentiæ conſulatur.

Dico cum communi ſententia, iuuenem, tametſi 3
de continentiæ periculo reſpectus non ſit, debere religionem

ligionem profiteri, quia ſufficit ratione ætatis ſuſpectum eſſe. Id manifeſtè docent ſacri Canones *cap. cum his, de conuerſ. coniug.* ibi, *Niſi vterque ad religionem migrauerit, & cap. 1. eodem titulo.* ibi, *Niſi vxor ad religionem transierit.* Non enim tranſit ad religionem qui non profitetur, *& cap. Agathoſa 27. q. 2.* illis verbis: *Poſtquam copulatione coniugij viri, atque mulieris, vnum corpus efficitur, non poteſt ex parte conuerti, & ex parte manere in ſeculo.* Quod idem dicitur *cap. ad Apoſtolicam, de conuerſ. coniugat.* At non dicitur conuerti, ſed in ſeculo manere, ſi non profiteatur. Ex quibus omnibus textibus clarè deducitur, non ſatisfacere, ſi iuuenis religionem ingrediatur, vt ibi commoretur, quia illi clarè indicant ingreſſum per profeſſionem requiri. Quod certè eſt multum rationi, & optimæ prouidentiæ conſentaneum.

Sentit verò Sanchez *lib. 7. diſput. 32. num. 4.* non
4 ſatis eſſe ſi profiteatur vir aſſumpto habitu equitum D. Ioannis. Quia etſi ea ſit profeſſio ſolemnis, at ij manent in ſeculo cum periculo incontinentiæ; eius contrarium petitur dicto *cap. vxoratus.* Baſilius verò *lib. 9. cap. 12. num. 5.* & Caſtro Palao *diſput. 2. punct. 2. §. 4. num. 10.* ſentiunt ſatisfacere huic obligationi, ſi religionem equitum S. Ioannis profiteatur, quia eſt vera, & propria religio. Neque obſtat hos equites non videri remotos à ſecularium hominum conuerſatione: nam verè ſunt ab ea remoti, cum ſolùm ex licentia ſui Prælati in ciuitatibus commorentur, & extra conſortium, & cohabitationem mulierum, diſpoſitique ſint, vt remoueantur, quando ſuperioribus placuerit. Quod etiam conſtat ex praxi. Addo etiam cùm omnium doctrina, ſenem coniugem obligari quoque ad profeſſionem, ſi non careat periculo incontinentiæ, non ſecus ac iuuenem, vt manifeſtè probat textus *in cap. cùm his, de conuerſ. coniug.* & colligitur ex *cap. vxoratus, cap. ad Apoſtolicam, cap. ſignificauit, eodem titulo.*

Secunda difficultas eſt quid facere debeat in hoc
5 euentu alter coniugatus qui ſenex eſt? Dico ſenem in ſeculo manentem debere emittere votum perpetuæ continentiæ, vnde non ſufficit votum temporale, dum coniux profeſſus ſuperſtes fuerit, vt conſtat ex *cap. 1. de conuerſione coniugat.* ibi, *Niſi vxor ad religionem tranſierit, aut perpetuò caſtitatem ſeruare promiſerit, & cap. ad Apoſtolicam, eo titulo,* ibi, *Niſi reliquus perpetuam continentiam repromittat.* Votum autem quod emittere debet, eſt perpetuæ continentiæ ſimplex, non ſolemne. Quia nullibi à iure ſolemnizatur; ac proinde ex ſe matrimonium contrahendum mortuo coniuge non dirimit, tametſi impediat. Neque enim eſt votum ſolemne, niſi in profeſſione religionis approbatæ, aut ſacri Ordinis ſuſceptione, vt conſtat ex *cap. vnico, de voto in 6.* Quòd ſi tempore nouitiatus, religionem deſerat, vel ab ea expellatur, ceſſat votum manentis in ſeculo, ſi illud præmaturè emiſit; quippe ſub conditione illius profeſſionis eſt emiſſum. Si autem ſenex in ſeculo remanens poſt alterius profeſſionem incontinenter viuat, & votum non ſeruet, non deſunt qui exiſtiment cogendum religionem ingredi, & ibi profiteri. Quia tametſi non emiſerit votum religionis, tamen iure ipſo, ſi ſuſpecta eius continentia ſit, tenetur ingredi religionem. Verùm, vt optimè notauit Sanchez *diſput. 32. num. 12.* durum videtur, cogendum eſſe profiteri, cùm non ſit textus expreſsè id præſcribens, & durum valdè ſit illum obligare ad rem tam arduam. Quare ſat erit, vt ad monaſterium aliquod reuocetur, non vt profiteatur, ſed vt
6 ibi continenter viuens votum ſeruet. Quis verò debeat dici ſenex, & ſterilis ratione ætatis, vt merito non timeatur incontinentiæ periculum, diſputat Sanchez *dicta diſput. 32. à num. 15.* & reſoluit communiter in viris eſſe ætatem ſexagenariam, & in fœminis quinquagenariam. Cæterùm iudico in hoc caſu tem arbitrariam eſſe, & ex circunſtantiis perſonæ, valetudinis, roboris, & anteactæ vitæ conſiderandam, & definiendam. Et quamuis in aliis legibus quæ communitati imponuntur, vt in priuilegio lacticinia comedendi, non ieiunandi, & ſimilibus, determinetur ætas ad ſexaginta annos, quia leges illæ fundantur in præſumptione, vt plurimum: attamen in hoc caſu, cum ſit ſpecialis diſpoſitio hunc tantum reſpiciens, in vnoquoque iudicandum eſt ex propriis circunſtantiis, & ideo non poteſt certa regula definiri.

Tertia difficultas, an ſi coniux ingreſſus religionem de alterius licentia, exeat nouitiatus tempore, eſt ne cogendus redire ad coniugem manentem in ſeculo? Dico eſſe cogendum, quia effectus licentiæ non eſt ſecutus; ea enim licentia fuit ad ingreſſum eum effectu. Votum etiam caſtitatis eius qui remanſerat in ſeculo, non obligat: emiſſum enim eſt ſub ea tacita conditione, ſi alter profiteretur; ergo ceſſat defectu cauſæ, & conditionis. Quare tenetur exeuntem recipere, & illi debitum reddere, & alter poterit exigere. Quod ſemper intelligi debet, niſi coniux habuiſſet animum vouendi independenter ab alterius profeſſione. Tunc enim etiam altero non profeſſo ligaretur ſuo voto, & altero coniuge ſibi reſtituto, non poſſet petere, vtpote qui voto ſimplici caſtitatis obligatus eſt; at teneretur reddere, quia coniux ingrediens religionem conceſſit licentiam vouendi dependenter à ſua profeſſione. Quòd ſi dediſſet licentiam independenter, & abſolutè, adhuc iudico eam intelligendam eſſe, vt vouens coniux ſe ex parte ſua ad continentiam obligauerit abſque concedentis præiudicio, ita vt petere nequeat, at reddere teneatur. Quia ea licentia accipienda eſt, vt quàm minimum poſſit, noceat concedenti; eius enim tacita intentio, dum de contraria non conſtat, ea eſſe videtur.

Quarta difficultas eſt, an cùm quis religionem in- 8
greditur & profitetur, conceſſa ab altero licentia, poſſit alter illum reuocare.

Breuiter dico *primò*, profeſſionem coniugis de licentia alterius validam eſſe, tametſi alius non velit neque religionem ingredi, ſi iuuenis eſt, neque votum caſtitatis emittere, ſi ſenex eſt. Patet, quia profeſſio alterius valida eſt ex eo ſolum quòd licentiam conceſſerit, quamuis contra ius actum ſit, vt ſine voto, vel ingreſſu alterius in religionem ille profiteretur. Eſt caſus in ſpecie *in cap. ex parte 9. de conuerſ. coniugat.* de quodam viro, qui conſentiente vxore monachalem habitum ſuſceperat, remanente vxore ſua in ſeculo, poſtea verò liberatus ſuam vxorem retinuit, & aliam, ea defuncta, ſibi temerè copulauit. Monitus de hac re Vrbanus III. præcepit vt compelleretur redire ad monaſterium, his verbis. *Quia verò licèt prædictus vxore ſua remanente in ſeculo de iure ad religionem nequiuerit proficiſci, ea tamen ſublata è medio, votum ſine ſalutis ſuæ periculo non potuit violare; mandamus, prædictum per excommunicationem compellas, vt muliere dimiſſa ad ſuum monaſterium reuertatur, ſub regulari habitu de cætero Domino ſeruiturus.* Ex quibus manifeſtè conſtat, prædictum virum validam emiſiſſe profeſſionem, cum compulſus fuit ad ſuum monaſterium reuertere; & tamen eius vxor remanſerat in ſeculo abſque vllo voto contra ſtatuta in iure. Quare ſiue coniux in ſeculo manens, iuuenis non profiteatur, ſiue ſenex votum caſtitatis non emittat, profeſſio valida eſt.

Dico *ſecundò*, ſi is qui manet in ſeculo, votum 9
emiſit ſimplex caſtitatis, non eſſe locum reuocationi, vt nimirum coniugi reſtituatur, ex cuius licentia

profeſſus eſt. Ita Sanchez *lib. 7. diſput. 53. n. 9.* Ratio eſt manifeſta, quia eo ipſo quo licentiam conceſſit, renuntiauit à ſe quòd alter peteret debitum, & in id conſenſit, & eo ipſo quo ipſe votum emiſit, renuntiauit ius petendi, & ſe reddidit impotentem ad petendum; ergo iam non eſt amplius reuocationi locus.

10 Dico *tertiò*, ſi vxor manens in ſeculo non emiſit votum, ſed conſenſum præbuit, & eſt incontinentiæ periculum, eſſe reuocationi locum, ſiue ſit iuris conſcius, ſiue non. Ita doctè Suarez *tom. 3. lib. 6. cap. 7. n. 13. & 14.* Contrarium docet Thomas Sanchez *diſput. 33. num. 14.* Cæterùm me mouet deciſio Alexandri tertij *in cap. 1. de conuerſ. coniugat.* vbi ſpecies facti hæc eſt. Vtrùm laicus vxoratus, qui præſentibus Sacerdotibus & Monachis, ignorante Epiſcopo, de licentia & permiſſione vxoris, monaſterium ingreſſus profeſſionem fecit, vxore in ſeculari habitum remanente, nec tranſeunte ad religionem, aut perpetuam continentiam vouente, ab Epiſcopo ſuo poſſit ad torum vxoris reuocari, an illa compellenda ſit continentiam obſeruare. Ecce hæc eadem eſt quæ à nobis modò examinatur quæſtio, quando videlicet coniux conſenſit, ſed manſit in ſeculo, nec mutauit habitum, nec religionem profeſſus eſt, nec votum caſtitatis emiſit. Reſponſum autem Pontificis hoc fuit. Dicimus, quòd niſi vxor ad religionem tranſierit, aut perpetuò caſtitatem ſeruare promiſerit, vir poteſt, & debet de monaſterio reuocari. Quæ verba generalia ſunt, & non ſunt reſtringenda. Non enim reſtringenda ſunt ad vxorem ſenem. Nam ſi ſenex eſſet, non exigeretur ab illa ſub disiunctione, vt vel habitum religionis aſſumeret, vel votum ſeruaret, ſed tantùm vt votum faciens in ſeculo remaneret, ſi incontinens, aut incontinentia ſuſpecta, non exigeretur, vt votum tantum faceret, ſed vt ad religionem tranſiret. Neque etiam eſt reſtringenda ea deciſio Pontificis ad ignarum iuris, vt vult Sanchez: nam ipſe textus ſatis indicat eam fœminam admonitam ſuæ obligationis, & conſciam iuris, nihil eorum facere voluiſſe. Igitur dicendum eſt, eſſe reuocationi locum, ſiue ſit iuris conſcius, ſiue non. Vtrique fauet ius: conſcio ſubuenitur beneficio iuris, cuius eſt infirmitati ſubditorum conſulere, & fragilitati, ac periculo conſulere: ignaro potiori iure, qui ius habet vt eam reuocationem petat adiutus ignorantia probabili, ſeu inuincibili.

11 Dico *vltimò*, talem profeſſum, qui poteſt reuocari à ſuo coniuge modo dicto, mortuo illo, teneri ad ſuam religionem redire. Patet, quia ſi profeſſio valida fuit, & impedimentum eſt ablatum, nihil eſt quod ab hac obligatione reuertendi in religionem excuſet. Firmo quia ſi alter coniux, qui licentiam dedit, quocumque tempore vellet conuerti, alter tenetur vel in monaſterio permanere, vel ad illud reuerti, ſi extiſſet; ergo idem eſt ſi coniux de medio tollatur, per ſe loquendo, & ablatis impedimentis, quæ per accidens attingere poſſunt.

12 *Quinta difficultas* eſt, an ſi res eſt integra, poſſit ipſe coniux, qui licentiam conceſſit, reuocare. Aliqui putant ſi res eſt integra, quia coniux, cui data eſt licentia, nondum eſt profeſſus, poteſt licentiam à coniuge concedente reuocari; nec factum tenebit geſtum ab altero poſt eam reuocationem. Mihi videtur eſſe diſtinguendum, non poſſe coniugem concedentem reuocare, ſi licentia legitima fuit, vt quia manens in ſeculo erat ſenex, & votum emiſerat. Ratio eſt, quia iam tunc perfectè ceſſit iuri ſuo; nec eſt res integra, cum ipſe voto aſtrictus ſit pacto mutuo inito; quandoquidem alter conſenſit amiſſioni voti, vt ſibi integrum eſſet profiteri. Si verò licentia non fuit legitima, quia erat iuuenis, peccabit quidem contra votum, reuocando; at factum tenebit, & reuocatio valida erat, quia non erat renuntiatio proprij iuris ſolida, & perfecta.

Sexta & vltima *difficultas* eſt, an in Societate Iesv profeſſio teneat coniugati, niſi ſeruatis conditionibus præſcriptis à iure. Hanc difficultatem proponit noſter Suarez *tom. 4. de religione tractatu decimo lib. 3. c. 6 n. 9.* ac meritò docet in Societate nullo modo profeſſionem validam eſſe, niſi cum licentia coniugis adſint alia iuris requiſita; quibus omnino impediatur reuocatio. Ratio eſt, quia vnum ex impedimentis eſſentialibus à Sede Apoſtolica approbatis, quæ habet Societas eſt matrimonium conſummatum, vt conſtat ex examine Gen. *cap. 2. num. 4.* At hoc impedimentum non ceſſat, niſi obſeruentur ea quæ à iure ſunt requiſita, vt coniugatus religionem ingredi poſſit. Quod certè intelligi debet non ſolùm de requiſitis à iure, vt coniugatus validè religionem ingredi poſſit, ſed etiam vt poſſit licitè; aliter enim vt quid Societas hoc impedimentum tanquam ſpeciale conſtituebat? Quare illis integrè non ſeruatis impedimentum non ceſſat. Vnde licèt iure communi interdum valeat profeſſio vnius coniugis, ſine legitima conuerſione alterius, qui licentiam dedit, vt ſuprà dixi. In Societate tamen profeſſio nequit valida eſſe niſi plenè ac perfectè tollatur illud impedimentum, quoad omnem obligationem redeundi vnquam ad conſortium vxoris, vel reddendi debitum, etiamſi ipſa petat. At non tollitur plenè ac perfectè hoc impedimentum, niſi cum facultate vxoris ſimul concurrat legitima conuerſio eius. Firmo dictum ex ſpeciali iure Societatis à Summis Pontificibus confirmato. Nam *in cap. 2.* examinis abſolutè ponitur vt impedimentum irritans matrimonium conſummatum. *In cap.* verò *3. litera C.* additur declaratio. Niſi adſint conditiones illæ, quæ exigi ſolent, vt coniugatus religionem ingredi poſſit, *& in p. 1. conſtit. cap. 4. litera F.* apertiùs declaratur, tunc hoc definere eſſe impedimentum, quando à coniuge facultas concederetur, ſeruatis aliis circunſtantiis, quæ iuxta ſanam doctrinam, & vſum ſanctæ Eccleſiæ ſolent obſeruari. Ergo euidens videtur non tolli impedimentum per ſolam facultatem coniugis, niſi concurrant aliæ circunſtantiæ, quæ omnino liberam, & expeditam relinquant perſonam, ad ſumendum ſtatum religioſum, & permanendum in illo abſque vlla coniugis iniuria, etiamſi ipſa poſtea velit reuocare maritum. 13

Sectio V.

Vtrùm ſit neceſſaria licentia Epiſcopi ad valorem profeſſionis coniugatorum; vel ſaltem ſit de neceſſitate præcepti.

TRia diſtinguenda ſunt, ad quæ poſſet Epiſcopi licentia eſſe requiſita. *Primum*, ad valorem profeſſionis coniugatorum. *Secundum*, vt dicta profeſſio rectè fiat, quaſi ſit ſub præcepto ea licentia prius petenda. *Tertium*, ne coniux quamuis legitimè profeſſus, poſſit reuocari ad coniugem manentem in ſeculo, ſicut diximus præcedenti ſectione reuocari poſſe, quando coniux manens in ſeculo non vouit continentiam, at conceſſit licentiam. 1

Circa primum, ſunt aliqui Canoniſtæ, qui eam licentiam Epiſcopi iudicant neceſſariam. Ita Hoſtienſis, Ioannes Andr. Anchar, quos refert Sanchez *lib. 7. diſput.* 2

diſput.32. num.3. Idem expreſsè tenet Guilliermus Vorrillong.*in 4.diſt.32.q.vnica,art. 2.poſt* 1. *concluſionem, caſu* 1. & Maiolus *lib.* 1. *de irregularitate cap.4. num.5.*

Communior & verior ſententia affirmat oppoſi-
3 tum.Gloſſa *cap.ſi vir,verb. conſcientia.* vbi loquens de viro & fœmina, qui diuertere pro ſola religioſa inter ſe conſenſerunt vita,ait,ſi tamen ſine authoritate Epiſcopi iſtud fiat, tenet, vt generaliter interpretatur conſuetudo. Idem ſentiunt *ibi* Archid. *num.*1. Bellamera *n.vnico.* Turrecremata *n. vnico.* Federicus *conſil. 37.ad finem,*Ioannes Andr.*cap.1.num.1.de conuerſ.coniugat.*& *ibi* Anton. *num.*5. Abbas *num.* 3. Cardinalis *q.*2.& Aretinus *conſ.*59. *num.* 9. ex Theologis Scotus *in 4.d. 32.q.vnic.*& *ibi* Maioris *q.*1.*concluſ.*6. Supplementum Gabrielis *ibi q.1.art.2.concluſ.9.* Sotus *in 4. d.27.q.1.art.4.*Sanchez *diſput.32.citata num.3.*Baſilius Ponce *lib.9. cap.12. num.* 2. Gutierrez *cap.95.num.*4. Caſtro Palao *tom.3.de ſuſceptione religioſi ſtatus diſp.2. puncto 2.§.5.num.*10.& alij. Id meo iudicio euidenter colligitur ex *cap.1.de conuerſione coniugatorum.* vbi loquens Alexander tertius de laïco vxorato, qui ignorante Epiſcopo,de licentia,& permiſſione vxoris monaſterium ingreſſus profeſſionem fecit, vxore in ſeculari habitu remanente, nec tranſeunte ad religionem,aut perpetuam continentiam vouente, expreſsè dicit, quòd niſi vxor ad religionem tranſierit, aut perpetuò caſtitatem ſeruare promiſerit, vir poteſt, & debet de monaſterio reuocari:ergo à contrario ſenſu, dicit,virum qui ignotante Epiſcopo de licentia vxoris profeſſus eſt,reuocandum non eſſe,ſi vxor ad religionem tranſierit, aut perpetuò caſtitatem ſeruare promiſerit. Sentit ergo textus, ex defectu licentiæ Epiſcopi nihil offici profeſſioni;ergo valida eſt abſque tali ſcientia. Firmatur hoc idem ex alio textu à contrariis adducto,qui nihil illis fauere poteſt,quoad validitatem profeſſionis, nempe, *cap.ſi vir & vxor,*27. *q.*2.vbi tametſi licentia Epiſcopi requiratur;nullo tamen pacto irritatur profeſſio aliter facta. Igitur abſque vllo fundamento dixere Guilliermus, & Maiolus, qui ſoli contrariæ ſunt ſententiæ, eam Epiſcopi licentiam neceſſariam eſſe ad profeſſionis valorem. Quare dum *l.regia 2.tit.10.p.*4.dicitur, illud authoritate Epiſcopi faciendum eſſe,non intelligit eam eſſe requiſitam ad profeſſionis valorem,& firmitatem, vt bene intelligit ibi Greg.Lopez,verb.*Del Obiſpo.*

Circa ſecundum, Doctores citati *num.* 2. præter
4 Guilliermum,& Maiolum,dixerunt,prædictam exigi licentiam Epiſcopi ſub præcepto. Quod præcipuè probant ex Synodo Eugenij Papæ *cap.ſi vir & vxor, 27.q.*1. vbi ſic habetur : Si vir, & vxor diuertere pro ſola religioſa inter ſe conſenſerint vita; nullatenus ſine Epiſcopi licentia fiat,vt ab eo ſingulariter prouiſo conſtituaotur loco. Vbi Gloſſa,*verb. conſcientia,*ait. Hoc generaliter obtinet,vt ſemper authoritate Eccleſiæ fiat ſeparatio. Igitur prædicta verba textus, ſimul cum hac explicatione, manifeſtè videntur inducere præceptum.Idem firmatur ex *cap. cum his,de conuerſione coniugatorum.* vbi totum hoc negotium committitur Epiſcopo.

Cæterùm Doctores citati *num.*3. contrarium meri-
5 rò affirmant, non eſſe præceptum, ſed ſolùm de honeſtate, ac congruitate quadam deſiderari licentiam Epiſcopi. Moueor ad hanc ſententiam vt veriſſimam amplectendam, duplici fundamento. *Primum* eſt,nullum eſſe ius,nullumque textum tale præceptum imponentem. Nam quem allegant aduerſarij ex *cap. ſi vir & vxor,*probatiſſimi Doctores, inter quos Gloſſa, ibi verb.*conſcientia*, aſſerunt non conſtare in eo textu de iſta ſpecie ſermonem eſſe. Quia poteſt intelligi, quando coniugati volunt monaſterium conſtruere, ad quod tranſeant,ſine licentia Epiſcopi. Quod fieri non poteſt,quia id ſine Epiſcopi facultate ædificari nequit,*cap.nemo,de conſecr.diſt.*1. *Alterum fundamentum* eſt,quia etiamſi demus olim extitiſſe conſuetudinem licentiam illam petendi ab Epiſcopo,iam poſtea conſuetudine receptum eſt,& ſatis præſcriptum, hanc licentiam neceſſariam non eſſe,neque petendam, vt teſtantur Ioannes Andreas,& Cardinalis ſuprà allegati, & Doctores Theologi *relati.* Quare prædicta licentia,non de obligatione præcepti, ſed ex decentia & æquitate intelligenda eſt,præſertim cum iam conſuetudine ſit receptum, & præſcriptum, vt non petatur Epiſcopi licentia. Vide Panormitanum *in cap.* 1. *de conuerſione coniugat.*

Sed quid dicendum ſi aliquis Prælatus, vel Epi- 6
ſcopus intenderet in ſua Diœceſi eſſe conſuetudinem præſcriptam,vt coniugati tranſeuntes ad religionem, tractent de ſua conuerſione cum Epiſcopo, & ab eo licentiam exigant, antequam profiteantur? Ad hanc difficultatem id ſolum propono,conſtare apud graues Theologos,& Canoniſtas, non eſſe præceptum, nec ius Eccleſiaſticum id præcipiens,vt iam oſtenſum eſt. Neque etiam eſſe in Eccleſia Dei vniuerſalem conſuetudinem habentem vim legis. Nam viri doctiſſimi variarum diœceſum negant eam conſuetudinem extare, cùm ſint quamplurimæ Eccleſiæ Metropolitanæ,in quibus non eſt talis vſus,neque dicta conſuetudo. Quarum vna eſt Eccleſia Metropolitana Valentina, in qua talis non viguit conſuetudo tempore Illuſtriſſimi, ac excellentiſſimi Domini Ioannis à Ribera Patriarchæ Eccleſiæ Antiochenæ, & Valentinæ Archiepiſcopi, qui illum Archiepiſcopatum ſanctiſſimè ac prudentiſſimè gubernauit per tempus ferè quadraginta annorum.Quo tempore,ingreſſum coniugatorum in religionem, iuxta ea quæ ſunt in iure, curæ & gubernationi Prælatorum regularium prudenter reliquit. Quoniam ſicut Prælati religionum habent authoritatem Apoſtolicam recipiendi Nouitios in ſuis religionibus,nulla dependentia, vel licentia Epiſcoporum ad id requiſita; & quælibet religio ex Sedis Apoſtolicæ facultate, & approbatione habeat ſua etiam ſpecialia impedimenta eſſentialia,quæ inhabiles reddunt perſonas, ad illius ingreſſum; ita etiam rationi congruum eſſe videtur,vt ad ipſos Prælatos pertineat,quomodo ſe gerere debeant erga coniugatos volentes tranſire ad ſuam religionem. Quod præcipuè incumbit Prouincialibus Societatis IESV,in qua vidimus *ſect.præcedenti num.*13. nullo modo profeſſionem validam eſſe,niſi cum licentia coniugis adſint alia iuris requiſita,quibus omnino impediatur reuocatio.Quia in hac ſacra religione, matrimonium conſummatum eſt impedimentum eſſentiale; quod non ceſſat,niſi obſeruentur ea quæ à iure ſunt validè & licitè requiſita.

Circa tertium,rectè exiſtimat Sánchez *citatus*, ni- 7
hil ad rem facere, defectum licentiæ Epiſcopi, aut eam interueniſſe,quoad reuocationem. Atque ideo,ſi coniux eſt profeſſus ex licentia alterius non intrantis religionem,nec vouentis caſtitatem, poterit reuocari,quamuis ex Epiſcopi licentia id effectum ſit, vt conſtat ex præcedenti ſectione: ſi verò alterum fecerit,non poterit reuocari, quamuis Epiſcopi licentia defuerit.Hoc totum probant Doctores ſuprà *num.*3. relati.

Ad iura ſupra allata *num.* 4. dici poteſt olim hoc negotium incubuiſſe forſan Epiſcopis.Cæterùm cum iam per contrarium vſum ſit oppoſitum præſcriptum, conſuetudini iam receptæ ſtandum eſſe videtur.

DISP

DISPVT. LIX.

De diuortio quoad torum, conſummato matrimonio, per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum.

DIctvm eſt iam in præcedentibus de facultate coniugum tranſeuntium ad religionem, poſt matrimonium conſummatum, & de conditionibus ad id iure petitis: nunc agendum eſt de facultate aſcendendi ad Ordines ſacros, Epiſcopatum, & Cardinalatum, matrimonio iam conſummato.

Sectio I.

An vir poſſit ad Ordines ſacros tranſire, abſque vxoris licentia expreſſa, & ſpontanea, & ad quid obligetur.

1 DIco *primò*, certum eſſe coniugatum nec ante, nec poſt conſummatum matrimonium poſſe ad Ordines ſacros aſcendere, abſque ſpontanea vxoris licentia. Ratio eſt manifeſta, quia per Ordinis ſacri ſuſceptionem non dirimitur matrimonium ratum, vt eſt definitum in Extrauaganti *Antiqua*, *Ioannis XXII. de voto*, ac proinde fieret præiudicium mulieri abſque eius licentia, Ordine aſſumpto, ac mutato ſtatu. Quod etiam manifeſtè liquet in matrimonio conſummato: exigit enim hoc ius canonicum, iuſtitiæ ratio, & votum ſolemne caſtitatis emittendum, in ſuſceptione Ordinis ſacri, vt nullo modo abſque coniugis licentia ſuſcipiatur. Videantur dicta à nobis ſuprà *diſput. 27. ſect. 9 per totam.*

2 Dico *ſecundo*, certum etiam eſſe & expreſsè ſtatutum *cap. coniugatus, 5. de conuerſione coniugatorum*, præter conſenſum vxoris, neceſſarium eſſe vt ipſa etiam caſtitatem profiteatur. Ita tamen, vt ſi vxor eſt ſenis non ſuſpecta de incontinentia, ſufficiat votum ſimplex continentiæ ipſius in ſæculo; ſecus ſi iuuenis; tunc enim deſideratur ingreſſus ipſius in religionem. Vnde idem prorſus deſideratur in vxore, ſiue vt vir profiteatur, ſiue vt ad Ordines aſcendat. Totum id explicui ſuprà *dicta diſput. 27. ſect. 9. à num. 3. vſque ad finem.*

3 Dico *tertiò*, nullo pacto eſſe neceſſariam licentiam Epiſcopi: ita vt ea non interueniente maneat læſum matrimonium, adeò vt poſſit vir reuocari. Ita conſtat contra Maiolium ex dictis ſuprà *diſput. præcedenti ſect. quinta, & vltima.*

4 Dico *quartò*, neceſſariam coniugis licentiam eſſe, niſi vxor dederit cauſam diuortio ſua culpa. Tunc enim, etiam ipſa renuente poteſt vir ad ſacros Ordines promoueri, celebrato prius diuortio. Communiter id colligunt Doctores ex *cap. Agatheſa 27. q. 2.* Quamuis in eo capite ſolùm agatur de eo qui ex culpa vxoris tranſit in religionem, tamen eadem omnino ratio eſt de promotione ad ſacros Ordines, & de ingreſſu in religionem, quantùm ad hoc. Eſt verò notandum, nullo iure conſtare vxorem adulteram teneri votum caſtitatis emittere, quando diuortio facto vir ad Ordines promouetur, ſicut neque quando ingreditur religionem. Nam eam obligationem vota iura imponunt, quando de conſenſu vxoris fit iſte tranſitus, non verò quando ex culpa.

Circa ſecundum, videantur dicta à nobis ſuprà *diſput. 27. ſect. 10.* Nunc addo & dico *primò*, coniugatum licitè in ſacris ordinatum, eodem prorſus modo, & cum eiſdem effectibus obligari voto caſtitatis poſt matrimonium conſummatum, ac ſi ante matrimonium ordinatus fuiſſet. Hoc etiam videtur certum apud Doctores. Et patet, quia in primis per talem ordinationem fit inhabilis ad matrimonium, ita vt mortua vxore aliam ducere nequeat. Deinde tenetur integram continentiam ſeruare cum ipſa vxore, non ſolùm non petendo, ſed etiam non reddendo debitum, etiamſi illa petat. Ratio eſt, quia nihil eſt quod impediat perfectam eius obligationem, cùm votum licitè factum ſit, & vxor renuntiauerit iuri ſuo; quam renuntiationem vir acceptauit, & voto firmauit, imo & Eccleſia illam probauit, & prohibitione ſua irreuocabilem fecit; ergo tale votum abſolutè obligat ad omnem caſtitatem, & ad negandum debitum, quantumuis vxor petat. 5

Addo *ſecundò*, vix poſſe eſſe quæſtionem an liceat huiuſmodi clericum cohabitare cum vxore, & vti omni eius miniſterio tanquam ſorore, ſecluſo toro. Nam ſi vxor non ſit ſexagenaria, nec ſit extra omne periculum, & ſuſpicionem, profiteri debet religionem, vt maritus ordinetur, atque adeò iam cohabitare non poterunt. Si verò iam vxor ſenex ſit, & extra omnem ſuſpicionem, tunc per ſe loquendo negari non poteſt, quin poſſit cohabitare cum illa; tametſi ſemper conſulendum ſit illi vt abſtineat à prædicta habitatione, propter exemplum & aliorum ædificationem, & etiam ob vitandum qualecumque periculum etiam leuiſſimæ indecentiæ. Quale verò peccatum eſſet, ſi huiuſmodi clericus ſic ordinatus in ſacris vxorem ſuam cognoſceret, & quam pœnam propterea incurrat, iam docui ſuprà *diſput. 27. citata ſect. 10. n. 1. & 2.* 6

Dico *tertiò*, qui ſine conſenſu vxoris illicitè ordinatur, ad totam caſtitatem obligari, niſi ad reddendum debitum petenti. Et in eo caſu teneri virum reddere debitum, non verò obligari vxorem ad continentiam. Vtrunque eſt commune, & probaui *ſect. 10. cit. n. 3. & 4.* 7

Dico *vltimò*, virum promotum ad Ordinem ſacrum abſque vxoris licentia, nondum etiam conſummato matrimonio effici irregularem. Id latè oſtendo *ſect. 10. relata à n. 5. vſque ad finem ſectionis.* 8

Sectio II.

An vxor quæ voto caſtitatis emiſſo licentiam conceſſit viro Ordinis ſacri aſſumendi, reddatur inhabilis matrimonio incundo poſt viri obitum.

SOtus *lib. 7. de iuſtitia quæſt. 5. art. 3. ad 2.* cenſuit, non reddi inhabilem, ſed ſolùm eum peccare contra votum. Quia tale votum eſt ſimplex, nec vnquam fuit factum ſolemne; ergo non dirimit, ſed impedit matrimonium ſubſequens. 1

Alij verò id limitant, dicentes, tunc matrimonio incundo reddi inhabilem vxorem promotioni conſentientem, quando fuit conſcia iuris reddentis eam inhabilem, & adhuc conſenſum præſtitit, ſiue cum voto, ſiue abſque voto. Probant, quia non eſt rationi 2

conſonum

Digitized by Google

conſonum vt vxor ignara huius, ſibi detrimenti ſubſecuti ex illius licentiæ conceſſione, illud patiatur.

3 Denique alij dicunt, huiuſmodi vxoris votum eſſe ſolemne; quia vir & vxor actiones ſpirituales ſecum inuicem communicant; quare ſicut vir ſacris Ordinibus initiatus conſenſu vxoris votum ſolemne caſtitatis facit, ſic & vxor, quæ viro conſenſit, atque ideo ſi alteri mortuo viro nubat, nullum eſt matrimonium.

4 Dico *primò*, certum eſſe apud omnes, ſi conſenſu vxoris expreſſo, vel tacito vir ad ſacros Ordines aſcenderit, viduam relictam alteri nubere iure non poſſe. Patet, quia eo ipſo, quòd conſenſit, vt vir ſacros Ordines ſuſcipiat, cogitur religionem profiteri, ſi iuuenis ſit, vel ſuſpecta de incontinentia; & ſi fuerit ſexagenaria, cogitur continentiam perpetuam vouere.

5 Dico *ſecundò*, conſtare apud omnes, matrimonium contractum ab huiuſmodi vxore, mortuo viro ſacris initiato, irritum eſſe & nullum. Patet id ex *cap. quia ſunt, diſt.* 28. vbi in ſpecie caſus fuit de vxore conſcia promotionis viri ad Ordines ſacros, mortuo viro iam facto Diacono, ad alias nuptias tranſeunte; Et præcipit D. Gregorius Papa *ibi. Si in coniugio, Diaconi mulierem, de qua agitur, fuiſſe conſtiterit, ii qui malè ſociati ſunt, diſiungantur.* Vbi Gloſſa *verb. fuiſſe*, ait; ſupple, *& ipſum ordinatum vxore ſciente.* Idem firmatur ex textu *cap. ſi ſe, diſt.* 28. ex Concilio Aurelianenſi, ibi. *Si ſe cuiquam mulier duplici coniugio Presbyteri, vel Diaconi relicta coniunxerit, aut ſeparentur, aut certè, ſi in criminis intentione perſtiterint, pari excommunicatione plectantur.* Colligitur prætereà ex *cap. ſi qua vidua, eadem diſt.* 28. quod eſt Martini Papæ, ſic dicentis. *Si qua vidua Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi maritum acceperit, nullus clericus, nulla religioſa perſona cum ea conuiuium ſumat, nunquam communicet.* Vbi obſeruat Gloſſa, ideo non fieri mentionem de Subdiaconis, quia tempore Gregorij promouebatur quis in ſubdiaconatum non promiſſa continentia: nec fiebat vxoribus aliquod præiudicium. Quod probat ex *cap. multorum* 27. *q.* 2. *in principio. Multorum relatione comperimus, hanc apud vos olim conſuetudinem tenuiſſe, vt ſubdiaconi ſuis licitè miſcerentur coniugibus*, &c. Denique probatur dictum ex *cap. ſeriatim in fine, diſt.* 32. ibi. *Neque permittitur vxor,* (intellige, Subdiaconi, de hoc enim loquitur) *iungi eidem marito ſuo carnaliter; nec cuiquam nubere in vita, aut poſt mortem illius.* Ratio verò cur prædictum matrimonium ſit irritum, & inane, hæc vnica eſt, quia Eccleſiaſtica conſtitutio ob reuerentiam Ordinis aſſumpti à viro, ex licentia vxoris vouentis caſtitatem, reddidit eam inhabilem ad ſubſequens matrimonium. Ita expreſsè tenet Gloſſa *cap. ſi ſe, diſt.* 28. ſic dicens. *Videtur quod ſola conſtitutio Eccleſiæ hoc matrimonium dirimat, non ſcientia, vel votum. Quod ex eo patet, quia Græcus non promittit continentiam dum recipit ſacros Ordines*, cap. quoniam 31. diſt. *tamen ſi contraxerit poſt ſacros Ordines non tenet matrimonium. Hoc ergo non facit votum, ſed ſola conſtitutio Eccleſiæ* Hæc Gloſſa. Firmatur ratio: nam prædicta inhabilitas nequit procedere à voto vxoris emiſſo; quia tale votum non fuit ſolemne, ſed ſimplex: quia non poteſt fieri votum ſolemne niſi in profeſſione religionis approbatæ, vel ab ipſo viro in ſuſceptione Ordinis ſacri, vt conſtat *in cap. vnico, de voto in* 6. Prætereà ex voto ſolemni viri in ſacri Ordinis ſuſceptione, nequit redundare per actionum communicationem, vt vxoris votum ſimplex efficiatur ſolemne. Nam exigitur vouentis intentio, quæ non adeſt, niſi ad votum continentiæ ſimplex emittendum. Et in ſuſceptione Ordinis ſacri nullus extat textus decernens viro de licentia vxoris profitenti, reddi ſolemne votum ſimplex vxoris in ſeculo factum, quoad matrimonij ſubſequentis diſſolutionem, Et cùm res ſit valde odioſa, & in matrimonij præiudicium, non eſt extendenda. Igitur legitima ratio cur iſtud matrimonium irritum ſit, non eſt votum ſimplex vxoris fieri ſolemne per actionum communicationem, ſed ſola Eccleſiaſtica præſcriptio, & conſtitutio ob decentiam, & reuerentiam ordinis ſuſcepti; ſic enim Canones, & iura voluerunt.

Dico *tertiò*, non eſſe idem iuris cùm vir reluctante 6
vxore, vel inſcia, fuerit ſacris Ordinibus initiatus. Oppoſitum tenent nonnulli; quia inquiunt matrimonium non ſit irritum ratione voti, quod vxor fecerit, ſed quia Canones & iura ſtatuerunt, vt vir & vxor ſecum inuicem actiones ſpirituales communicarent; quod vim & locum habet tam in vxore ſciente & conſentiente, quàm in renuente, ac reluctante, & etiam in ignorante. Cæterùm noſtrum dictum tenent communiter Doctores, cum D. Thom. *in* 4. *diſt.* 37. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 4. & expreſsè id docet Gloſſa *cap. quia ſunt, diſt.* 28. *verb. fuiſſe*; intelligit enim eum textum irritantem matrimonium vxoris, ſolùm quando eius conſenſu ſaltem tacito vir initiatus eſt. Verba Gloſſæ ſunt iſta: *matrimonium diſiungatur, ſi conſtiterit fuiſſe eum ordinatum ipſa ſciente.* Nam ſi ea inuita ordinaretur, vel ignorante, non fieret ei præiudicium, ſed ſi ſciuit & tacuit, fit ei præiudicium, vt poſt mortem illius non poſſit nubere, vt 32. *diſtinctione* ſeriatim. Vnde non requiritur quòd mulier voueat; ſed ſufficit, ſi ſcit virum ſuum ordinari. Hæc Gloſſa. Et manifeſtè probatur, quia rationi valde diſſonum eſt, vt ex viri delicto contra vxoris voluntatem ad Ordinem ſacrum promoti, id detrimentum vxori innocenti ſubſequatur.

Dico *quartò*, vxorem, quæ nec expreſsè conſenſit, 7
nec diſſenſit, ſed conſciam promotionis viri ad Ordinem ſacrum diſſimulauit, non habere impedimentum nubendi mortuo viro. Moueor, quia ſola diſſimulatio in re tam ardua non reputatur conſenſus, nec vxori præiudicat. Non enim iura ad rem tam arduam contenta ſunt vxoris diſſimulatione, quæ varias interpretationes patitur; nec ſignum apertum licentiæ eſt, vt expreſsè habetur *c. conſuluit, de conuerſ. coniug.* quando vir profitetur vxore diſſimulante: tunc enim integrum eſt vxori manenti in ſeculo profeſſum reuocare, quoniam deſideratur licentia, vt coniux eo iure priuetur: at ſola diſſimulatio non eſt licentia. Neque ea ſufficit, vt profeſſio valida fuerit. Quare nullum ex ea diſſimulatione vxori præiudicium generatur, ſed ius ſuum viri repetendi illæſum manet. Solùm eſt hoc diſcrimen: nam vxore non repetente, poteſt profeſſus redire ad illam: non verò, ordinatus in ſacris. Quia ea profeſſio non fuit valida: at ordo ſuum omnem valorem habuit, & Eccleſia ordini caſtitatem, in quantum potuit, annexuit; ac proinde cenſetur omnem facultatem redeundi ſua ſponte ademiſſe initiato; ſaluo tamen iure vxoris ad reuocandum.

Dico *quintò*, ſi mulier conſenſum præſtet promo- 8
tioni viri; tametſi nullum emittat caſtitatis votum, reddi inhabilem ad aliud matrimonium. Id mihi perſuadeo, quia *cap. quia ſunt, diſt.* 28. id matrimonium irritans non meminit voti. Ex alia parte iam eſt oſtenſum ſuprà *num.* 5. hanc irritationem non prouenire ex voto, ſed ex Eccleſiæ conſtitutione. Igitur

Dico *vltimò*, matrimonio ineundo reddi inhabi- 9
lem vxorem promotioni ad ſacros Ordines conſentientem, tametſi probabili ignorantia neſciat ius reddere eam inhabilem. Ita ſentit Sanchez *diſput.* 40. *n.* 7. Et probat. Tum quia textus prædictam inhabilitationem imponentes, indiſtinctè loquuntur de vxore promotioni conſentiente; nec diſtinguunt de vxore talis iuris conſcia, vel ignara. Tum etiam, quia non apparet, cur ad hoc impedimentum dirimens deſideretur

ſcientia

Digitized by Google

ſcientia iuris, cum id non proueniat ex voluntate vxoris, neque ex eius voto, ſed ex iure Eccleſiaſtico; & in cæteris impedimentis dirimentibus ea ſcientia minimè deſideretur.

10 Ex dictis patet ſolutio ad contrarias ſententias.

Ad primam iam conſtat, cauſam inhabilitatis non eſſe votum, quod cùm ſit ſimplex, nequit extra religionem fieri ſolemne, ſed eſſe ſtatutum, & conſtitutionem Eccleſiæ, vt conſtat ex textibus allatis ſuprà *num.* 5. vnde illorum non meminit Sotus.

Ad ſecundam, liquet ſolutio ex *dicto vltimo n.* 9.

Ad tertiam iam probatum eſt ſuprà *n.* 5. tale votum non fuiſſe ſolemne, ſed ſimplex.

Sectio III.

Quid exigatur, vt coniugatus fiat Epiſcopus, vel Cardinalis, vxore viuente.

1 Videtur dicendum nihil amplius deſiderari ex parte vxoris, vt maritus promoueatur ad Epiſcopi dignitatem, quàm id quod requiritur vt maritus tranſeat ad religionem, vel vt ad ſacros Ordines aſcendat: nimirum, ſi vxor ſit iuuenis, tranſeat ad religionem; ſi verò fuerit ſeuex, voueat caſtitatem in ſeculo. Ita Sotus *in* 4. *d.* 27. *q.* 1. *art.* 4. *ad finem*.

2 Vera tamen ſententia & communior affirmat, ſi maritus in Epiſcopum eligatur, requiri, vt vxor ſimpliciter religionem profiteatur, quamuis ſit ætate prouecta, nec ſuſpecta de incontinentia. Hoc videtur definitum *cap. ſanè, de conuerſ. coniugatorum*, his verbis ab Alexandro tertio. *Authoritate Apoſtolica prohibemus, ne vxoratum præſumatis in Epiſcopum ordinare, niſi vxor prius profeſſa continentiam, ſacrum ſibi velamen imponat, & religioſam veſtem aſſumat.* Super quæ verba ait Gloſſa. *Nota ſpecialè in vxore Epiſcopi, quæ debet continentiam profiteri, & intrare in religionem, antequam vir eius promoueatur in Epiſcopum.* Vnde conſequenter, viro effecto religioſo, vxore vetula maneote in ſeculo cum caſtitatis voto, ſi vir ad Epiſcopatum promouendus eſſet, neceſſe erit vt vxor illa religionem profiteatur. Ratio verò talis decreti Eccleſiaſtici, hæc vnica eſſe poteſt, nempe Ordinis Epiſcopalis excellentia, & vt auferatur occaſio, vt Epiſcopus viſitetur à fœminis.

3 Quæ ratio idem probat de marito, ſi ad Cardinalis dignitatem proueheretur, ob eminentiam talis præſtantiſſimæ dignitatis, eius vxorem, qualiſcumque illa ſit, religionem profiteri debere. Et quamuis de Cardinali non ſit textus ſpecialis in eo caſu id decernens; ſufficit tamen textus ille *cap. ſanè.* Quia Cardinales in ſuis titulis habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & eorum dignitas eſt omnium eminentiſſima.

DISPVT. LX.

& VLTIMA.

De neceſſaria iudicis authoritate vt licitè fiat diuortium, ſeu dimiſſio coniugis quoad torum, & cohabitationem.

Hæc eſt vltima totius huius de matrimonio tractatus diſputatio; in qua, quid poſſint coniuges præſtare in ordine ad diuortium propria authoritate, quid verò nequeant, niſi per ſententiam iudicis, breuiter dilucidabimus.

Sectio I.

Qua ratione coniuges mutuo conſenſu poſſint facere diuortium.

Difficultas procedit, qua ratione coniuges poſſint mutuo conſenſu, toto & cohabitatione ſeparari.

1 Prænoto hoc variis modis fieri poſſe. *Primò*, vt ſolùm ex mutuo conſenſu ſine vllo voto ſeparentur toro. *Secundò*, vt etiam ſeparentur cohabitatione. *Tertiò*, vt præterea vterque caſtitatem voueat. *Quartò*, vt vir ſacros Ordines ſuſcipiat vxore ingrediente religionem, aut in ſeculo manente. *Quintò*, vt vnus ſolus, aut etiam vterque religionem ingrediatur. Videndum igitur an his omnibus modis poſſit fieri diuortium à coniugibus propria authoritate, ex ſolo mutuo illorum conſenſu.

2 Dico *primò*, certum videri, coniuges ex mutuo conſenſu, & pacto vt melius Deo inſeruiant, vel ob aliam honeſtam cauſam, poſſe ſeparari toro, ad tempus, vel in perpetuum, prout inter eos conuenerit. Patet, quia nullo iure obligantur vti matrimonio, niſi fortè illis ex ſeparatione tori periculum incontinentiæ immineret, & ei aliter non occurrerent. Tunc enim ad hoc cautiùs tenerentur vti coniugio, niſi ſperarent ſe id aliter, orationibus, ieiuniis, flagellationibus, facilè poſſe euitare.

3 Dico *ſecundò*, poſſe coniuges ex mutuo conſenſu ſeparatos toro, ſimiliter continentiam vouere, etiamſi neuter religionem ingrediatur. Patet, quia tale votum honeſtum eſt, & de re meliori. Videatur D. Auguſtinus *epiſtola* 199. *ad Ediciam*, vbi id multis probat, & firmat. Nihilominus ob periculum incontinentiæ, quod ex mutua cohabitatione eis poteſt imminere, non expedit id vouere, niſi poſt maturam deliberationem, & experientiam longam, quâ experti ſint poſſe abſque notabili periculo ita viuere.

4 Dico *tertiò*, coniuges, ſaluo ſcandalo, & incontinentiæ periculo, poſſe ex mutuo conſenſu quoad torum, & cohabitationem ſimul viuere ſeparatos, vt nonnullos ſanctos coniuges vixiſſe refertur. Ratio eſt, quia poſito illo mutuo conſenſu, & pacto, ad neutrum tenentur iure aliquo naturali, aut poſitiuo. Si verò alicui ex illis adeſſet notabile incontinentiæ periculum, lex charitatis obligaret coniugem vt alteri in hoc periculo conſtituto ſubueniret; tametſi propter illius conſenſum, & pactum mutuum non violaretur iuſtitia.

5 Sunt verò duo notanda. *Primum*, poſſe iudicem Eccleſiaſticum cenſuris, & inuocato ſecularis auxilio coniuges ad cohabitandum compellere, & vi adducere coniugem qui ſeparatus eſt, vt conſtat ex *cap. litteras, ad finem de reſtit. ſpol.* ibi, *Ad reſtitutionem plenariam debet Eccleſiaſtica cenſura compelli. Secundum*, iudicem Eccleſiaſticum nullo modo permittere debere coniuges iuuenes ſeparatos viuere, tum propter ſcandalum, tum maximè propter incontinentiæ periculum. Vnde ex officio propter hoc periculum poteſt compellere vtrumque.

6 Dico *quartò*, conſtare iam ex dictis ſuprà *diſput.* 58. *ſect.* 4. neutrum poſſe religionem ingredi, niſi vterque ingrediatur, ſi iuuenis ſit, vel ſit de incontinentia ſuſpicio, vt conſtat ex *cap. cum ſit, & cap. vxoratus, de conuerſione coniugatorum.* Vbi excipitur, poſſe maritum ingredi

ingredi non ingrediente vxore, quando vxor eſt ſenex, & non ſuſpecta de incontinentia, ſi caſtitatem voueat. Nullibi tamen excipitur in iure, poſſe vxorem ingredi non ingrediente marito, quamuis prouectæ ætatis, & potentis manere in ſæculo abſque periculo. Ad eiuſmodi autem conuerſionem non eſſe neceſſariam licentiam Epiſcopi, iam ſuprà oſtenſum eſt. Vnde propria deliberatione, & priuata authoritate id præſtare poſſunt, nulla ſpectata iudicis Eccleſiaſtici licentia, aut permiſſione.

7 Solùm obiici poteſt, cur potius permittatur coniugibus, vt mutuo conſenſu manentes in ſeculo caſtitatem voueant, quàm vt vnus ſine altero religionem ingrediatur, niſi caſu dicto; cùm in priori euentu appareat maius periculum, quàm in ſecundo. Reſpondeo id fieri, quia in priori euentu, quando eſt periculum incontinentiæ, eſt facilius remedium, obtinendo diſpenſationem in voto, quæ in ſimili caſu facile conceditur. Secus eſt in ſecundo; nam in profeſſione Religioſi, numquam niſi fortè ex grauiſſimis cauſis diſpenſatur.

8 Dico *quintò*, virum vxore conſentiente, & religionem ingrediente ſi iuuenis ſit, vel caſtitatem in ſeculo vouente, ſi vetula ſit, & nulla incontineotiæ ſuſpicio, poſſe ſacris initiari, nulla expectata licentia Epiſcopi ad hanc ſeparationem, vel conuerſionem faciendam. Ita ſuprà eſt oſtenſum præcedenti diſputatione *ſect. 1. n. 3.*

9 Dico *vltimò*, coniugem qui profeſſiooem fecit ſine licentia alterius coniugis, & ideo inualidam, ac nullam, non poſſe reuocari à Monaſterio niſi authoritate iudicis Eccleſiaſtici, qui publico iudicio declaret nullitatem profeſſionis emiſſæ à tali coniuge. Id latè explicui ſuprà *diſp. 58. ſect. 3. à num. 11. vſque ad 16.*

Sectio II.

Vtrùm coniux innocens poſſit propria authoritate nullo ſpectato Eccleſiæ iudicio debitum negare alteri coniugi propter adulterium.

1 SVppono id in quo omnes ferè Doctores conueniunt, ſolum iudicem Eccleſiaſticum eſſe competentem ad cognoſcendum de adulterio, vt ratione illius diuortium celebretur, vt conſtat ex *c. tua, de procur. & c. 1. vt lite non conteſt.* Quia cùm agatur de viribus matrimonij diſſoluendis, quod ſacramentum eſt, huiuſmodi cognitio eſt ſolius iudicis Eccleſiaſtici. Dixi *in ordine ad diuortium*; nam quoties agitur de adulterio ad pœnam ſanguinis imponendam, ſolus iudex ſecularis eſt competens. Nam Eccleſiaſtico ea pœna punire interdicitur, *cap. ſententiam ſanguinis, ne clerici, vel monachi.* Quoad alias verò pœnas eſt mixti fori, ac proinde datur locus præuentioni. Cùm enim ſit quædam ſacramenti iniuria, non minus pertinet ad Eccleſiaſticum iudicem, quàm ad ſecularem punire illud.

2 Hoc poſito circa præſentem quæſtionem videtur deſiderari Eccleſiæ ſententia, vt poſſit cooiux innocens debitum negare adultero.

Primò, quia negare debitum eſt pœna adulterij; ergo non eſt inferenda niſi per iudicem.

Secundò, pœna conuentionalis non debetur ante iudicis ſententiam, at pœna negandi debitum eſt pœna conuentionalis: nam ea lege initum eſt matrimonium, vt ſeruanti fidem fides ſeruanda ſit, ſecus vbi alter coniux eam violauit.

Tertiò, lex generalis non applicatur ad caſum particularem niſi media iudicis ſententia, cuius eſt merita cauſæ diſcutere; ergo cum lex de diuortio à Chriſto *Matthæi 19. cap.* lata ob adulterium ſit generalis, omne adulterium complectens, deſiderabitur iudicis ſententia, vt huic ſpeciali adulterio accommodetur.

Vltimò, coniux alter non eo ipſo priuatur iure exigendi debitum; ergo priuandus eſt; ergo deſideratur iudicis priuantis ſententia: non enim eſt conſonum æquitati, vt ipſe coniux iniuria adulterij affectus, ſit iudex priuans.

Dico *primò* coniugem innocentem certum de adulterio alterius, eo ipſo eximi à debiti reddeodi obligatione; neque ad id deſiderari Eccleſiæ ſententiam. Ita quamplurimi quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 10. diſputat. 12. num. 5.* Moueor hac vnica ratione, quia iure naturæ in ipſo contractu matrimonij imbibita eſt ea conditio, vt ſeruanti fidem fides ſeruetur, ſecus eam violanti; neque id ex conuentione partium inſtar meræ pœnæ conuentionalis conſurgit, ſed eſt quaſi conditio in contractu incluſa: ſicut pœna à teſtatore adiecta legato, ſub conditione caſtè viuendi, potius ſequitur conditionem naturæ quàm pœnæ. At conditione non ſeruata in pacto imbibita, alter paciſcens eſt eo ipſo liber ab obligatione fidei præſtitæ in ipſo pactu. Igitur coniux innocens certò ſciens ſibi violatam eſſe coniugalem fidem, commiſſo adulterio, liber manet à debiti reddendi obligatione. 3

Dico *ſecundò*, ſi iudex ſub excommunicatione latæ ſententiæ præcipiat coniugi innocenti certò ſcienti adulterium occultum alterius quod probare nequit, vt reddat illi debitum non teneri, per ſe loquendo, & ex natura rei, nec eſſe coram Deo excommunicatum. Probatur, quia in foro conſcientiæ veritas innocenti manifeſtè conſtat, & præceptum illud iudicis falſa præſumptione innititur, & ideo non obligat in foro conſcientiæ. Dixi, per ſe loquendo: nam per accidens ratione ſcandali vitandi, poteſt teneri. Vnde ſi coniux innocens in loca remota fugeret, vbi ſcandalum omnino ceſſaret, non teneretur reddere. Hinc 4

Dico *tertiò*, lite diuortij pendente non teneri reddere debitum innocentem certum de adulterio alterius, niſi à iudice compellatur. Ratio eſt, quia tametſi iura clament lite pendente nihil eſſe ionouandum: verùm id procedit in foro externo, in quo veritas non conſtat donec lis decidatur. Vnde coniux innocens conſcius veritatis non tenetur exitum litis expectare, quo à debiti redditione abſtineat, maximè, quia ſi tunc à iudice non coactus redderet, eſſet condonatio adulterij, ac ius diuortij petendi extingueretur. Si autem præciperet iudex, teneretur reddere per accidens ratione ſcandali, & cauſa non incurrendi cenſuram in foro externo. 5

Dico *vltimò*, coniugem adulterum, non eſſe ipſo iure priuatum facultate exigendi debitum, donec coniux alter adulterij conſcius ipſum priuet. Ratio eſt; quia reus non tenetur prodere ſuum delictum, vt à iudice, vel à coniuge priuetur in illius pœnam iure exigendi. Firmo, quia cum coniux ipſo iure priuatur debiti petitione, videmus non eſſe in alterius poteſtate hanc pœnam ei remittere, vt ſi inceſtum cum ſorore coniugis admittat. Cùm igitur coniux innocẽs poſſit remittere adultero pœnã non exigendi debitũ, 6

ſignum eſt non ipſo iure illum ſubire hanc pœnam, ſed eùm ei à coniuge innocenti infertur. Idem dico, licèt coniux innocens leuibus indiciis, nec ſufficientibus ad diuortium celebrandum, ſuſpicaretur adulterium. Vnde adulter interrogatus à iudice non teneretur fateri ſuum occultum adulterium, ſicut nec alia crimina, niſi iuridicè rogatus.

7 Eſt verò notandum, ſi adulter nouerit innocentem habere ſufficientem ſui adulterij certitudinem, vt in foro conſcientiæ diuertere poſſit, quamuis id probare nequeat, non poſſe adulterum in conſcientia ipſum innocentem compellere vt reddat ſibi debitum. Et ſi forte iudex ex falſa præſumptione compulit, tenetur ipſe à compulſione deſiſtere. Quia nolente innocente coniuge, certo de adulterio, reddere, deſtitutus eſt ipſe omni iure. Et quamuis non teneatur dotem & bona reſtituere innocenti, quorum amiſſione damnandus erat niſi ſe tueretur; at tenetur innocentem reuocare ad ſuam libertatem negandi debitum. Cuius diſparitatis ratio hæc eſt, quia bonorum omiſſio eſt mera pœna, atque ideo nullo modo debita niſi media iudicis ſententia. At vt priuetur iure exigendi, nulla opus eſt ſententia, ſed voluntas ſola innocentis conſcij adulterij ſufficit.

Ad argumenta oppoſita.

8 Ad primum, iam dictum eſt, negare debitum non eſſe meram adulterij pœnam, ſed quaſi conditionem imbibitam ex natura rei in ipſo matrimonij contractu.

Ad ſecundum, dico propoſitionem illam veram eſſe de mera pœna conuentionali, quæ ex partium ſola conuentione conſurgit; ſecus de ea quæ ſuapte natura in ipſo contractu imbibitur tanquam ex natura rei neceſſaria conditio: talis eſt illa, vt ſeruanti fidem ſeruetur, ſecus eam violanti.

Ad tertium, reſpondeo, illud antecedens verum eſſe de lege merè pœnali, & quando agitur ad pœnam lege taxatam infligendam: ſolius enim iudicis eſt eam infligere meritis cauſæ diſcuſſis: ſecus vbi lex non continet meram pœnam, vt in regno Caſtellæ ludens pecunia credita, nulla indiget iudicis ſententia, vt pecuniam perditam minime ſoluat: quoniam lex id concedens non eſt mere pœnalis, ſed contractum irritat.

Ad vltimum, conceſſo antecedente, & prima conſequentia, negatur ſecunda Quia cum illud ſit in fauorem innocentis, & non ſit decretum per modum meræ pœnæ, ſed conditionis quaſi ex natura contractus requiſitæ, ſatis eſt, vt innocens adulterij conſcius priuet adulterum iure exigendi.

Sectio III.

An liceat coniugi innocenti propria authoritate diuertere ab adultero quoad habitationem.

1 Latè de hac re & doctè noſter Sanchez *lib.* 10. *diſp.* 12. *a num.* 10. *vſque ad* 38. Breuiter

Dico *primò* cum communi doctrina, ſi adulterium ſit occultum, non permitti in foro externo, vt innocens propria authoritate, non expectata Eccleſiæ ſententia, diuertat ab habitatione. Vnde ſi adulter coniux reſtitutionem petat, ad habitationem, qua ſpoliatus eſt, reſtituetur. Ita conſtat ex *cap.* 2. *c. in literis, cap. ex conqueſtione, cap. item cùm quis, de reſtitut. ſpol.* Et ratio eſt, quia ſine citatione, & actu iudiciali, nemo eſt à ſua poſſeſſione remouendus, *c. licet Epiſcopus*, de præbendis in 6. Et certè daretur occaſio delinquendi, & res propria authoritate occupandi, ac ius ſibi dicendi, ſi reſtitutio impediretur ſpoliato abſque iudicis ſententia.

Dico *ſecundo*, vt poſſit coniux adulter expelli ab habitatione, propria authoritate, nulla expectata Eccleſiæ ſententia, ita vt in foro externo non competat adultero beneficium reſtitutionis, deſiderari adulterium ita notorium eſſe, vt nulla prorſus tergiuerſatione celari poſſit. Ita conſtat ex *cap. ſignificaſti, de diuortiis*, ibi. *Si notorium eſt mulierem ipſam adulterium commiſiſſe, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet.* Et ratio eſt, quia cùm coniux adulter ſit in poſſeſſione pacifica, vt illa, propria innocentis authoritate ſpolietur, æquum eſt, vt ita notorium ſit adulterium, quod ſpoliandi cauſam præbet, vt oculis pateat: vel notorium probetur per euidentiam rei, vel per adulteri ipſius in iudicio confeſſionem. 2

Eſt tamen obſeruandũ, ſi coniux expulſus ob adulterium dicto modo notorium, petat reſtitutionem, allegans adulterium expellentis, atque ideo compenſationem faciendam eſſe; non eſſe ſtatim reſtituendum, niſi fuerit in ſimili modo notorium adulterium expellentis quod per modum cõpenſationis obiicit; ſed audiri debent probationes, & ſi id probauerit, reſtituetur. 3

Dico *tertiò*, coniugem ſui conſcium coniugis adulterij poſſe in foro conſcientiæ ſecluſo ſcandalo, ab eius habitatione diuertere, nulla deſiderata iudicis ſententia, quamuis adulterium ſit occultum. Id videtur ſatis firmari ex *cap. dixit dominus* 32. *q.* 1. Vbicumque fornicatio eſt, vel fornicationis ſuſpicio, liberè dimittitur vxor. Vbi notandum eſt verbum, *liberè*, quod eſt canõ latæ ſententiæ, & denotat nullam requiri licentiam, vel ſententiam. Firmatur etiam ex *cap. de Beneaiclo*, 32. *q.* 1. quod eſt Pelagij Pontificis, vbi decidiтur non compellendum eſſe virum recipere vxorem, quæ ab ipſo receſſit, & fornicata eſt. At ſi ſentẽtia diuortij deſideraretur, cõpelleretur vtiquè vſque ad illam. Et ratio eſt, quia in foro conſcientiæ non tenetur quis ſeruare contractus fidem eiuſdem fidei violatori. Et certè cùm in foro conſcientiæ ſit licita dimiſſio coniugis adulteri occulti quoad torum & debitum coniugale reddendum, vt oſtẽdi præcedenti ſectione; potiori iure licebit quoad habitationem, ſi ſcãdalum ceſſet: cũ maior ſit obligatio reddendi debiti, & ex illa oriatur cohabitandi obligatio. Hinc 4

Colligo *primò*, ceſſante ſcandalo, licitum eſſe viro conſcium adulterij vxoris in partes longinquas recedere, vbi matrimonium ignoratur. Quia tota ratio prohibitionis huius dimiſſionis eſt ſcandalum. Vnde ſemper ceſſante ſcandalo licita eſt talis dimiſſio, etiamſi ſit facilis aditus ad iudicem. Quia nũquam eſt adeò facilis ſententia; cùm in rebus Eccleſiaſticis triplex conformis deſideretur, & diu duret lis, & magnis ſumptibus opus ſit, ac litis exitus ignoratur; & dum lis durat, cogetur innocens reddere debitum, & cohabitare, & ſi renuat, excommunicabitur. 5

Colligo *ſecundò*, vbi matrimonium eſſet clandeſtinum, & validum, poſſe innocentem propria authoritate diuertere, quia ceſſat ſcandalum. 6

Colligo *tertiò*, Eccleſiæ compellenti, vt innocens admittat ad habitationem coniugem adulterum occultum, teneri innocentem parere ob ſolum vitandum ſcãdali præceptum, quod communiter ex negatione habitationis oriri ſolet, cum ſeparatio habitationis publica ſit quod non contingit in debiti coniugalis negatione, quæ omnino eſt in occulto. 7

Colligo

Digitized by Google

8 Colligo *quartò*, coniugem adulterum occultum expulſum, qui nouit innocentem eſſe certum de adulterio, non poſſe in foro conſcientiæ petere reſtitutionem ad cohabitationem; ſecus ſi ignoret num coniux innocens certus ſit; ſicut circa debiti redditionem dixi præcedenti ſectione *n.7.* Quia, vt innocens in conſcientia priuet adulterum debito, & cohabitatione, per ſe loquendo, nulla deſideratur ſententia.

9 Colligo *quintò*, rectè excuſari à culpa D. Ioſephum cùm voluit à Virginis conſortio recedere ob ſuſpicionem adulterij occulti; eo quòd occulta erat futura dimiſſio, & abſque ſcandalo, quæ licita eſt in foro conſcientiæ.

10 Colligo *vltimò*, cur coniux adulter notorius expellatur ab innocente propria authoritate, ita vt coniux dimiſſus non ſit reſtituendus; & ſecus ſit, vbi eſt impedimentum notorium dirimens matrimonium, v.g. conſanguinitas, vel aliquid aliud; non enim tunc licet propria authoritate diuertere: nam in foro externo conceditur reſtitutio, quamuis impedimentum ſit notorium, vt conſtat ex *cap. porrò*, *de diuort.* vbi expreſsè habetur non eſſe licitum diuertere abſque Eccleſiæ ſententia ob notoriam conſanguinitatem, his verbis. Si etiam parentela eſſet publica, & notoria, abſque iudicio Eccleſiæ ab ea (intellige, vt conſtat ex textu, vxore) ſeparari non potuit: quare ipſum ad eam recipiendam, quæ petit reſtitutionem ipſius, diſtrictè compellas; quam ſi recipere noluerit, vinculo excommunicationis aſtringas. Huius itaque diuerſitatis rationem, hanc iudico veriorem, vt nimirum prædicta capitis, *porrò*, deciſio ſit ſpecialis in conſanguinitate, & in quocumque alio impedimento dirimente; & meritò, quia in eo caſu ſeparatio non tantùm tendit ad ſpoliandum poſſeſſione coniugem dimiſſum, ſed etiam proprietates, ipſoque matrimonij vinculo: & ideo iuſtè deciditur in dicto *cap. porrò*, nullum notorium impedimentum ad id ſufficere, ſed expectandam eſſe Eccleſiæ ſententiam, vt ſicut eius authoritate vinculum matrimonij colligatum eſt, ita oporteat eius à iudicio diſſolui. Vt enim liquet ex *cap. 1. de regulis iuris*: *Per eaſdem cauſas res naſcitur, & diſſoluitur.* Quis enim neget rem eſſe grauiſſimam, declarari vinculum matrimonij fuiſſe irritum, & ideo vtrumque coniugem tanquam ſolutum poſſe liberè ad alias nuptias tranſire. Et ideo ea res meritò reſeruatur iudicio Eccleſiæ decidenda; & interim coniux ſpolians cogitur ad ſpoliatum redire. At ſeparatio ratione adulterij, eſt quoad ſola obſequia coniugalia, manente vinculo matrimonij illæſo, adeò vt neutri liceat aliud matrimonium inire: & ideo nihil mirum ſi Eccleſiæ iudicium non deſideretur, ſed contenta ſit adulterio ita notorio, vt nulla poſſit tergiuerſatione celari.

Sectio IV.

An ſententia diuortij tranſeat in rem iudicatam, ita vt illa ſemel lata, & tranſacto appellationis termino, neutri coniugi liceat reclamare.

1 PRæ oculis habendum eſt ſententiam de diuortio latam eſſe in fauorem innocentis, ad cuius inſtantiam lata eſt, & in odium adulteri nocentis, cui nullo modo vult Eccleſia fauere.

2 Quo præmiſſo, dicendum eſt *primò*, ſententiam diuortij non tranſire in rem iudicatam, in iis quæ ſunt in adulterij coniugis fauorem; bene tamen in iis quæ in eius odium & innocentis fauorem cedunt. Ita fere omnes. Ratio eſt, quia cum ſententia diuortij feratur ad inſtantiam innocentis, & in eius fauorem, & in odium adulteri, æquitas poſcit ne in fauorem rei adulteri tranſeat in rem iudicatam, & innocentis perniciem. Firmo, quia ſi omnino tranſiret ſententia illa in rem iudicatam, quamuis poſſet iniuriam adulterij condonare innocens, & conſequenter reconciliare ſibi adulterum volentem; tamen ipſo renitente non poſſet innocens coram iudice agere ad illius reconciliationem, obſtante ſibi exceptione rei iudicatæ, quod falſum eſt. Nam tunc foueretur peccatum, quia daretur anſa coniugi adulterandi, vt ſic alter diuortium intentaret; & ſolutus eſſet lege matrimonij quoad torum, & quoad cohabitationem. Hine

Dico *ſecundò*, coniugem adulterum, tranſacto termino appellandi, volentem allegare iniuſtitiam ſententiæ, & reconciliationem petentem, non eſſe audiendum; at coniugem innocentem ſemper eſſe audiendum. Ratio eſt, quia adultero nequit ſuffragari exceptio rei iudicatæ; eſſet enim iniquiſſimum proficere rei iudicatæ exceptionem ei contra quem iudicatum eſt: eſſet enim in perniciem innocentis: hic verò ſemper eſt audiendus, quia ſententia lata eſt in fauorem ipſius; & quod fauore illius introductum eſt, non debet in eius damnum retorqueri. Hinc 3

Colligo *primò* fas eſſe innocenti ſibi nocentem reconciliare, & teneri in eo caſu nocentem parere, & ſequi innocentem, etiam ſi iudex ſententiam non retracter. Ratio eſt, quia cùm ea in fauorem innocentis lata ſit, & odium nocentis, non eximitur nocens ab innocentis poteſtate, ſi velit innocens cedere iuri ſuo adquiſito per ſententiam; aliàs eſſet ſententia illa in damnum innocentis, & in fauorem adulteri, quod iniuſtum eſt. Ita innumeri Doctores, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 10. diſputat. 10. num. 3.* Prædicta tamen doctrina eſt intelligenda, ſi res ſit integra ex parte innocentis: nam ſi ſit validè profeſſus, vel ſacris initiatus, habet iam ſtatum immutabilem, & ſe tradidit religioni, vel Ordini ſacro, & ideo iam amplius ad coniugem nequit redire. Secus ſi ſit nouitius tantùm, vel tantùm in minoribus conſtitutus; quia tunc poteſt reconciliari; habet enim ius iuſtitiæ ad coniugem nocentem, illudque ius nondum impeditum eſt alio iuſtitiæ iure, quale habet religio in profeſſum. Idem eſt ſi tantum impediatur voto ſimplici, extra religionem tamen; poteſt enim redire, licèt peccet, cum ſe exponat periculo violandi votum, tenebiturque reddere, ſed non exigere. 4

Colligo *ſecundò*, cùm ea ſententia lata ſit in odium nocentis, & in fauorem innocentis, innocentem adhuc habere ius circa mutationem ſtatus nocentis. 5 Explicio id: nam ſi nulla præceſſit ſententia, ſed ob adulterium notorium ſeparati inuicem ſunt, adhuc non licet adultero ſtatum mutare inſcio innocente. Quia cùm innocens quandiu non mutat ſtatum, habeat ius liberum, & expeditum ad reuocandum ad ſe nocentem, ſi velit, non poteſt nocens quidquam agere, vel diſponere contra iſtud ius. Vnde ſi mutauerit ſtatum, nihil prorſus efficiet, ſed reuocari ab innocente poterit, quo inſcio, mutatio ſtatus facta eſt. Si verò præceſſit ſententia iudicis Eccleſiaſtici de diuortio, ratione iuris quod adhuc manet integrum apud innocentem, non poteſt nocens inuito, aut inconſulto innocente ad religionem tranſire; vel ſacris Ordinibus initiari; & etiamſi profeſſus ſit; vel ſacris Ordinibus initiatus, poteſt reuocari ab in-

nocente : non enim valet profeſſio contra ius coniugis innocentis. Valet autem mutatio ſtatus facta à nocente, ſi vel innocens ſciens non contradicat, eo enim ipſo cedit iuri ſuo ; vel ſi diligenter monitus nolit reconciliari, *cap. gaudemus, de conuerſione coniugatorum*, ibi: *A te diligenter commonitus, iam non vult reconciliari.* Cæterùm is qui innocens eſt, non ideo conſtringitur etiam religionem ingredi, ſed poteſt in ſeculo manere, cum poſſit ob nocentis adulterium ſeparatim viuere.

6 Colligo *tertiò*, coniugem innocentem, iam facto diuortio poſt ſententiam, poſſe ad religionem liberè tranſire, etiam inuito coniuge nocente. Quoniam ea ſententia lata eſt in fauorem innocentis, & ideo innocens vtitur iure ſuo. Conſtat id ex *cap. Agathoſa, 27. queſt. 2. cap. conſtituto, cap. veniens, de conuerſ. coniugat.* Similiter poteſt ad Ordines tranſire ; quia ius coniugale amiſit coniux adulter ob culpam adulterij commiſſam, manente licet vinculo.

7 Colligo *vltimò*, ſi innocens eligat in ſeculo remanere, lata ſententia, & facto diuortio, nulla lege conſtringitur, nocentem recipere, ſicut neque retinere, etiamſi nocens pœnitentiam egerit, & ad meliorem mentem reuocatus ſit. de qua re plura diximus *diſputatione quinquageſima ſexta, ſect. 6. & 7.*

Sectio V.

An ſi poſt latam diuortij ſententiam conſtet coniugem condemnatum fuiſſe innocentem ; vel vtrumque pariter nocentem, ſit ea retractanda, & coniuges ad priſtinum ſtatum matrimonij reſtituendi.

1 Dico *primò*, quando res eſt integra ex parte vtriuſque coniugis, quia neuter ſtatum mutauit, certum eſſe apud omnes retractandam eſſe ſententiam. Probatur, quia ſententia diuortij ſolum tranſit in rem iudicatam in fauorem innocentis, & odium nocentis, vt conſtat ex præcedenti ſectione. At in hoc caſu, aut neuter eſt innocens, ſed ſimili culpa infectus ante ſententiam, vel vterque innocens erat : ergo non potuit ſententia illa in rem iudicatam tranſire, ſed erit reuocanda. Vnde alter coniux innocens, in cuius fauorem lata eſt diuortij ſententia, vbi conſcius fuerit veritatis innocentiæ alterius coniugis, tenetur in foro conſcientiæ ad ſuum conſortium coniugale illum reuocare : non enim iuuari poteſt ex ſententia lata, quam ſibi conſtat inniti falſæ præſumptioni. Vnde etiam in eo caſu ipſe coniux damnatus, quamuis audiri nequeat, ſi ex antiquis actis, & allegatis nitatur ſententiam latam impugnare, eo quòd præſumatur tranſiiſſe in rem iudicatam aduersùs ipſum, poteſt tamen audiri aduersùs illam ſententiam ex nouis teſtibus, aut ex antiquorum falſitate, volens probare antiquæ ſententiæ iniuſtitiam, petito beneficio reſtitutionis ex clauſula generali, *ſi qua mihi cauſa iuſta ſubeſt.* Quod beneficium conceditur quibuſcumque maioribus, vt retractetur ſententia, quæ in rem iudicatam tranſierat. Obiicies hinc ſequi nihil ſpeciale dari in ſententia diuortij, cum omnes aliæ ex ſimili cauſa retractentur. Reſpondeo id eſſe ſpeciale, vt etiam conſtante veritate ad omnes ſententias quæ tranſeunt in rem iudicatam retractandas, non audiatur coniux nocens & condemnatus, reclamans aduersùs illas, niſi petito beneficio reſtitutionis ex dicta clauſula generali petito.

Dico *ſecundò*, quando iam innocens coniux mutauit ſtatum, factus profeſſus, cognita falſitate eſſe reſtituendum alteri coniugi, & huic teneri reddere debitum, ſed non poſſe ab eo exigere. Hoc etiam eſt certum. *Primum* conſtat, quia in eo caſu alter coniux habet ius iuſtitiæ exigendi debitum, & talis profeſſio eſt nulla, ob alterius coniugis præiudicium. *Secundum* claret, quia votum illud caſtitatis in profeſſione emiſſum obligauit illum inquantum ille ſe obligare potuit, abſque alterius coniugis præiudicio : vt in ſimili habetur *cap. placet, de conuerſ. coniug.* de coniuge, qui exiſtimans alterum defunctum, eſt profeſſus. Idem dico, ſi vir erat iam ſacro Ordine initiatus, quia eadem eſt ratio, Vnde ea profeſſio tanquam ſine licentia, & abſque vera cauſa facta fuit omnino irrita ; ac proinde non potuit valere abſque noua ratificatione Quare coniux iſte tanquam non profeſſus poterit exire, & repetere manentem in ſeculo, ſed non abſque iudicis ordinarij authoritate : vt de profeſſo abſque licentia dixi ſuprà *diſput 58. ſect. 3. num. 15.* At ſi hic profeſſus fuiſſet mala fide, decipiens religionem, poſſet religio ipſum inuitum retinere, altero coniuge non repetente, in fraudis pœnam.

Dico *tertiò*, ſi vterque exiſtimans diuortium iuſtè celebratum, & vterque ea falſa cauſa inductus, profeſſus eſt, neutrum poſſe alterum repetere. Ita Sanchez cum aliis *lib. 10. diſput. 9. num. 11.* Tum, quia profeſſio, cui falſa cauſa anſam dedit, ſi non ſit error, vel dolus circa ſubſtantialia, irrita non eſt : nam voluntas abſoluta contrahendi matrimonij, aut profitendi, eo ipſo quod verſatur circa eiuſmodi ſtatum perpetuum, includit virtualem voluntatem ſtatus illius eligendi, etiamſi erretur in aliis circunſtantiis illius ſtatus : ſolus enim error, vel dolus circa ſubſtantialia irritat profeſſionem, ſicut & matrimonium. Talis enim error liberam tollit voluntatem. Adde, eam falſam exiſtimationem diuortij iuſtè celebrati, non eſſe cauſam finalem profeſſionis, ſed impulſiuam, quia finis profeſſionis communiter eſt ſeruire Deo in religione. Tum etiam, quia vterque ſciens alterius ingreſſum, videtur facto ipſo concedere licentiam ; atque ideo vterque non habet ius repetendi, & quantum eſt ex parte ſua ceſſit iuri ſuo, ac proinde nulla afficitur iniuria. Secus eſſet, quando ignorantia ingreſſus alterius adeſſet ; vt in ſimili dixi ſuprà *diſput. 58. ſect. 3. in fine num. 19.* quando vterque coniux mutua licentia non petita profitetur. 3

Hinc dico *vltimò*, validam eſſe profeſſionem vxoris, quæ credens falsò diuortium iuſtè eſſe celebratum, profeſſa eſt, viro iam profeſſo, vel in ſacris conſtituto. Ratio eſt, quia neque illa profeſſio eſt irrita ob falſam cauſam diuortij iuſti, vt iam eſt oſtenſum : neque etiam ob iniuriam irrogatam alteri coniugi. Quia iam cùm ille profeſſus ſit, aut ſacris initiatus, ius non habet repetendi, & quantum eſt ex parte ſua, ceſſit iuri ſuo ; nulla igitur iniuria afficitur. 4

Quòd

Quòd ſi profeſſio illa fieret altero manente in priori ſtatu, nimirum ante ordinem aſſumptum, aut religionis ingreſſum, eſſet inualida, in quantum eſt in præiudicium alterius coniugis. Vnde eo repetente, cognita iniuſtitia ſententiæ diuortij, teneretur ad matrimonium redire, iudicis ordinarij authoritate: at non poſſet debitum petere, vt iam conſtat.

Sectio VI. & vlt.

In poſt latam ſententiam diuortij, contingat coniugem innocentem labi in adulterium, compenſentur mutuo delicta, & ſit iſte compellendus redire ad coniugem cauſa adulterij dimiſſum.

1 IAm ſuprà *diſputat. 56. ſect. 3. num. 1.* oſtendimus cum communi ſententia, ſi ante diuortij ſententiam contingat innocentis lapſus, teneri hunc ad alterum coniugem nocentem redire; quia tunc mutua illa delicta compenſatione abolentur. Quæſtio itaque procedit poſt latam ſententiam diuortij.

Circa quam quatuor proponit ſententias Sanchez *lib. 10. diſput. 9. à num. 27. vſque ad 30.* quæ apud ipſum videri poſſunt. Quid ipſe ſentiam ſequentibus dictis aperiam.

2 Dico ergo *primò*, nullam actionem acquiri coniugi adultero, vt repetat innocentem, qui poſt diuortij ſententiam adulteratus eſt, atque ita ea delicta non compenſari. Moueor, quia ſententia lata diuortij abſoluit innocentem à debito coniugalis ſocietatis, & diſſoluit contractum matrimonij, quoad ius tori, & habitationis, manente vinculo, vt iam conſtat; ergo innocens poſtea adulterans, tametſi coram Deo reus ſit adulterij coram Deo ob vinculum matrimonij perſeuerans, non tamen peccat aduersùs coniugem dimiſſum, nec illi iniuriam infert, quia deſtitutus eſt per ſententiam iure in illius corpus. Firmo *primò.* nam ideo coniux altero conniuente fornicans, licèt ſit reus adulterij in ordine ad Deum ratione matrimonij, non eſt tamen in ordine ad coniugem conniuentem, cuius iniuria ceſſat, quia in eo euentu nulla datur actio coniugi conniuenti, vt ob tale adulterium exigat diuortium, eo quòd eius iniuria ceſſat, quæ fundamentum eſt actionis ad petendum diuortium; ergo ſimiliter in noſtro euentu nulla erit actio ad repetendum coniugem fornicantem poſt ſententiam, cùm omnino iniuria ceſſauerit, quæ eſt fundamentum mutuæ delictorum compenſationis, & actionis ad repetendum. Vnde licèt adulterij exceptio per ſimile adulterium extinguatur; at exceptio rei iudicatæ quæ obſtat priori coniugi repetenti, non aboletur per crimen poſt ſententiam commiſſum. Præterea idem firmo, quia ſententia diuortij non fertur ſub conditione aliqua in fauorem coniugis rei; nimirum ſi innocens contineuerit, cùm omnino in odium ipſius tranſeat in rem iudicatam, vt vidimus ſuprà *ſect. 4. per totam*; ergo cùm abſolutè & in perpetuum abſoluat coniugem innocentem à matrimonij ſeruitute, ad illam ſententiam ſequens poſtea adulterium, minimè reuocabit. Denique id ſtabilitur, quia contrarium iure cautum non inuenitur: imò omnia iura clamant ſententiam ritè latam non eſſe reuocandam. Hinc

3 Colligo *primò*, nec ius naturale, nec diuinum dictare poſt ſententiam eſſe admittendam compenſationem. Quia adultero illam alleganti obſtat exceptio ſententiæ, quæ in fauorem alterius, qui dum lata eſt, innocens erat, tranſiit in rem iudicatam. Et ius ipſum naturale & diuinum præſcribit ſententiam iuſtam obſeruandam eſſe.

4 Colligo *ſecundò*, in ſententia lata nullam ideo eſſe iniuſtitiam; nam licèt ſententia diuortij tacitam includat conditionem in fauorem innocentis, niſi ipſe velit coniugem adulterum repetere, & in fauorem adulteri nullo modo includatur etiam tacita conditio, ſi innocens continens fuerit in poſterum, non ideo ea ſententia ob eam inæqualitatem iniuſta eſt; quia hæc proficiſcitur ex eo quòd tranſeat in rem iudicatam in fauorem innocentis, & in odium alterius coniugis rei. Quæ inæqualitas, vt nimirum faueat ſententia innocenti contra reum, ſemper inuenitur in ſententia iuſta; quoniam æqualitas ſeruanda, vt iuſta ſit, ea eſt, vt vnicuique reddat quod ſuum eſt.

5 Colligo *tertiò*, hanc iudicis ſententiam ex ſe nullam præſtare anſam adulterandi, ſed alterum coniugem ob malitiam ſuam abuti libertate, & ideo dignum eſſe vt iudex ex officio ſuo ad priſtinam reuocet illum ſeruitutem, modo ſtatim dicendo.

6 Dico *ſecundò*, officio iudicis coniuges illos eſſe reconciliandos, quando eſt periculum adulterij. Ita notant communiter Doctores. Ratio eſt, quia iudex ex officio, licèt alter coniux non petat, tenetur animarum ſaluti conſulere, & periculis incontinentiæ occurrere. Vnde id præſtare debet non regulariter, ſed quando manifeſtum eſſet periculum coniugum, & aliorum ſcandalum. Et quamuis non ſit textus in hoc ſpeciali euentu; eſt tamen regula generalis, vt iudex officium ſuum impertiatur, quando id ad bonum commune, vel ad vitanda peccata neceſſarium eſt.

7 Quæres, an ſi poſt latam diuortij ſententiam coniux innocens fornicetur, poſſit iure actionis repetere eum, qui prius fuerat adulteratus. Videtur non poſſe priorem adulterum ſibi reconciliare inuitum; quia tunc extinguitur effectus ſententiæ diuortij, quæ eam actionem concedebat aduerſus coniugem adulterum: nam cùm æquales iam ſint in delicto admiſſo, debent etiam eſſe æquales in iure, & actione ad repetendum.

8 Verùm iuxta ſuprà dicta, conſequenter dico, innocentem qui poſt ſententiam diuortij adulterium commiſit, adhuc habere actionem, & ius ad reconciliandum ſibi alterum, illumque teneri, volente illo innocente, ad vſum matrimonij redire. Ratio eſt, quia in fauorem prioris innocentis tranſiit ſententia in rem iudicatam, quæ ſententia retractanda non eſt ob fornicationem ipſius ſubſecutam, atque ideo prior adulter ius non habet ad repetendum. Cùm autem non tranſierit in fauorem prioris adulteri, nihil eſt quod ipſi

ſuffragetur, quo minus redire teneatur. Si enim excipere velit de adulterio alterius, obſtat ſibi adulterium ſimile quo infectus eſt: ſi verò exceptione rei iudicatæ iuuari velit, non tranſit in fauorem ipſius ſententia in rem iudicatam, vt vidimus ſuprà *ſect.* 4. *num.* 1. *&* 3. Quare ſententia diuortij in fauorem innocentis ſolius tranſiens in rem iudicatam, eſt cauſa huius inæqualitatis inter coniuges; nec innocente poſt diuortij ſententiam fornicante, reuocantur ad priſtinam æqualitatem, quia tunc ea delicta minima compenſantur. Atque hæc de tota matrimonij tractatione ad diuinam laudem dicta ſufficiant, & ad maiorem Dei, ac Deiparæ, & Patris noſtri Sancti Ignatij gloriam.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Rerum omnium notabilium, quæ in hoc Matrimonij tractatu explicantur.

Prior numerus paginam notat; poſterior eſt marginalis.

A

Abbas.

ABBATES an poſſint diſpenſare in denuntiationibus matrimonij, vide *Ordinarius.*

Abbates an ſint ordinarij ad aſſiſtendum matrimonio, vel licentiam aſſiſtendi dare poſſint, vide *Ordinarius.*

Abſentia.

Abſentiâ ſponſi an diſſoluantur ſponſalia, vide *Sponſalia.*

Acceptatio.

Acceptatio requiritur ab eo cui fit promiſſio. 17.3 & 26.5,6

Ante acceptationem promiſſio matrimonij gratuita non obligat iure naturali. 56.5

Neque obligat iure ciuili, & Canonico. 55.1,6,7,8

Acceptationis ſignum eſt in promiſſione gratuitè facta taciturnitas in promiſſario præſente. 57.10,11

Qualis deſideretur cum promiſſione continuitas acceptationis. ibid.12

Promiſſio matrimonij facta abſenti non eſt valida niſi acceptetur per internuntium; vel per epiſtolam, vel per eum cui ius dat facultatem acceptandi. 60.1 & ſeqq.

Ante acceptationem poteſt reuocari promiſſio liberalis matrimonij facta abſenti, quamuis adſit iuramentum non reuocandi. 61.8

Acceptio.

Acceptio perſonarum non eſt cum Magnatibus & diuitibus faciliùs diſpenſare in matrimonij impedimentis. 509 4,5

Actus.

Actus coniugalis an ſit licitus, & gratiam conferat ex opere operato, vide *Vſus coniugalis*, & *Debitum.*

Actus coniugalis ob delectationem ſolum ipſi vſui annexam nec venialem culpam contrahit. 553.5

Actus coniugij moraliter loquendo ferè ſemper eſt veniali culpæ obnoxius. ibid.6

Actus coniugalis ſi periculum eſt aborſus illicitus, & mortale eſt. 555.15

Actus coniugalis tempore purgationis poſt partum licitus eſt. 556.19

Actus coniugalis tempore quo proles nata lactatur omni caret culpa. ibid.20

Actus coniugalis in loco publico, vel coram aliis eſt peccatum mortale. ibid.1,2

Nullus actus intellectus præcisè eſt cauſa efficax ſponſalium. 15.3,4,5

Actus procuratoris eſt quid vnum in genere moris cum conſenſu mandantis. 154.4

Adamus.

Adami matrimonium factum fuit ab ipſo conſentiente, non à Deo independenter à voluntate Adami. 218.1

Adam, & Eua quibus verbis contraxerint non conſtat. 219.7

Adoptio.

Vide verbo *Cognatio legalis.*

Adulter, Adulterare, Adulterium.

Adulterandi ſola voluntas licet verbis manifeſtata non ſufficit ad diuortium. 602.1

Adulterium non ſufficit ad diuortium, quando ab vtroque coniuge eſt commiſſum. 603.1

Poſt vtriuſque Adulterium coniugi reconciliato ſi alter adulteretur, licet diuortio vti. ibid.3,4

Si poſt factum diuortium coniux innocens adulteretur, tenetur alterum iterum admittere. ibid.5

Adulterium vxoris non eſt ſufficiens ad diuortium, quando hæc proſtituitur ad id vt lenocinium exerceat. ibid.6

Adulterium commiſſum ſine culpa coniugis adulteri non ſufficit ad diuortium. 604.7

Adulterium remiſſum deſinit eſſe cauſa diuortij. ibid.8

Adulterij remiſſio debet eſſe expreſſa vel verbis, vel copula poſtea habita. ibid.9,11

Adulterij remiſſione facta ſi nocens relabatur, poteſt innocens ab illo diuerti. ibid.10

Adultero coniugi abſolutè non tenetur coniux innocens reconciliari, bene verò econtra. ibid.1

Adultero reſipiſcenti licet coniugi ſibi reconciliare. ibid.1

Coniux innocens propter ſolam adulterij rationem non tenetur vxorem adulteram pertinacem, etiam publicè dimittere. 605.3

Non tenetur coniugem adulteram diuertere ob præceptum correctionis fraternæ. ibid.4

Non tenetur ratione ſcandali. ibid.5

Rariſſimè coniux tenetur dimittere adulterum. ibid.6

de Adulterio certus debet eſſe coniux innocens certitudine morali, vt diuertat. ibid.2,3

Cum adulterij ſuſpicione violen ta poteſt ab alio diſcedere. ibid.4
Adulterij violentam ſuſpicionem non inducunt oſcula,& amplexus. ibid.
De adulterio certior factus à perſona fide digniſſima, coniux poteſt licitè dimittere 606.5
Poteſt coniux innocens cogere adulterum vt ſibi reconcilietur, & tenetur adulter conniuete. ibid.2
Coniugi innocenti nullum ſupereſt ius ad reconciliandum adulterum ſi mutauit ſtatum. ibid. 3
Coniux innocens qui ſtatum non mutauit habet ius circa mutationem ſtatus adulteri nocentis. ibid.4
Inuito adultero licitum eſt coniugi innocenti ingredi religionem, vel votum caſtitatis emittere. ibid.5
Inuito adultero licet coniugi innocenti ad ſacros Ordines tranſire. ibid.6
Coniux innocens ſi eligat in ſæculo manere, quamuis adulter reſipiſcat, non tenetur cum admittere. 607.9
Coniux adulter inuito innocente non poteſt religionem ingredi. 606.1,2
Adulter coniux validè mutat ſtatum ſi innocens cum poſſit non contradicat. ibid.3
Coniux adulter vt de licentia innocentis profiteatur, vel ſacris initietur, non opus eſt vt innocens ingrediatur religionem, vel ſimplex votum caſtitatis emittat. ibid.4
Integrum eſt coniugi adultero mutare ſtatum coniuge innocente repugnante reconciliationi. ibid.5.
Adulterium ſufficit diuortio perpetuo. 612.7
Adulterium quando dirimat matrimonium, vide verb. *Imped. crim.& Index Eccleſ.*

Actus.

Actus procuratoris eſt quid vnum in genere motis cum conſenſu mandantis. 154.4
Actus coniugalis ob delectationem ſolum ipſi vſui annexam nec venialem culpam contrahit. 553.5
Actus coniugij moraliter loquendo ſere ſemper eſt veniali culpæ obnuxius. ibid.6
Actus coniugalis ſi periculum eſt abortus illicitus eſt, & mortale. 555.15
Actus coniugalis tempore purgationis poſt partum licitus eſt. 556.19
Actus coniugalis tempore quo proles nata lactatur, omni caret culpa. ibid.20
Actus coniugalis in loco publico, vel coram alijs eſt peccatum mortale. 556.1,2

Adamus.

Adami matrimonium factum fuit ab ipſo conſentiente non adeò independenter à voluntate Adami. 218.1
Adam, & Eua quibus verbis contraxerint non conſtat. 219.7

Ætas.

Defectus ætatis ad matrimoniũ quando malitia ætatem ſupplet nullo iure dirimit matrimoniũ.424.5.
Ætas ſeptennij completi requiritur ad ſponſalia. 46.1
Ad ſponſalia requiritur ætas ſeptennij completi metaphyſicè, vbi de malitia ætatem ſupplente non conſtat. ibid 5
Sufficit ſi vltima ſeptennij dies ſit incepta in fauorem matrimonij. ibid.6,11
Ætas eadem requiritur ad ſponſalia in viris, & fœminis, & cur. ibid.8
Ob defectum ætatis ſponſalia nulla poſſunt poſtea fieri valida. ibid.9
Ante ſeptennij ætatem valent ſponſalia ſi adſit contrahentibus vſus rationis. 47.2,5
Ante ætatem à iure præſcriptam ſponſalia contrahere licitum eſt ſi malitia ſuppleat ætatem. 48 2,3,4
Quota ætas ad matrimonium deſideretur. 424.1
Defectus ætatis ad matrimonium quando malitia ætatem ſupplet nullo iure dirimit matrimonium. ibid.5
Sublato iure poſitiuo ex natura rei valide poteſt matrimonium iniri inter impuberes ſi adſit ſufficiens rationis vſus. ibid.6
Quanto tempore ante ætatem pubertatis malitia eam ſuppleat, iudicis arbitrio committendum eſt. 425.7
Ætas requiſita ad matrimonium eſt pubertas, nempe annus duodecimus in fœminis, & in viris decimus quartus. 424.1
Cur citius pubeſcant fœminæ quàm viri. ibid.2
Prædicta ætas tam in viro, quàm in fœmina debet eſſe completa mathematicè, quando malitia non ſupplet ætatem. ibid.3,4
Ætas impuberum, quæ ſit. 73.1
Nec deſideratur ætas, nec qualitas aliqua in procuratore ad matrimonium conſtituto præter vſum rationis. 458.7

Affinitas.

Vera affinitas non oritur ex ſola fœminei vaſis penetratione non emiſſo intra virili ſemine. 372.1
Ad affinitatem non requiritur commixtio ſeminis ſufficiens ad penetrationem. 373.3
Ad affinitatem ſufficit commixtio abſque copula ſi virile ſemen arte dæmonis intra vas fœmineum immittatur. ibid.4
Ad affinitatem requiritur etiam ſeminatio fœminæ, ibid.5
Oritur affinitas non ſolum ex copula coniugali, ſed etiam ex copula illicita carnali. ibid.6
Affinitas orta ex copula coniugali eſt vinculum naturale inſtar conſanguinitatis. 374.1,2
Item de affinitate orta ex copula illicita. ibid.4,5,6
Affinitas poſt matrimonium orta non impedit redditionem. 582.1
Affinitas inceſtuoſo coniugi debiti petitionem interdicit. ibid.2
Affinitas etiam ex inceſtu occulto eandem priuationem petendi debitum inducit. ibid.3
Affinitas contracta ab vtroque coniuge vtrumque à petitione prohibet. ibid.4
Affinitas in 4. gradu attento iure antiquo inceſtuoſum iure petendi priuat. 583.1
Affinitas in 3.& 4. gradu attento Tridentini decreto non impedit debiti exactionem. ibid.3
Ex copula eunuchorum nulla oritur affinitas. 371.3
Validum eſt matrimonium iure naturali affinium in primo gradu, & in quouis alio lineæ rectæ. 375.4 & ſeqq.
Affinitas in ſecundo, & vlterioribus gradibus lineæ tranſuerſæ non dirimit matrimonium iure naturali. 376.1
Neque in primo gradu affinitatis lineæ tranſuerſæ. ibid.2,3
Affinitas orta ex copula fornicaria in nullo cuiuſcumque lineæ gradu dirimit iure naturæ matrimonium. 377.2,3
Ex matrimonio rato propriè, & in rigore nulla oritur affinitas, neque iure naturali, neque Eccleſiaſtico. ibid.4
Affinitas non dirimit matrimonium iure poſitiuo diuino,

uino. 378.1

Affinitas eſt impedimentum dirimens iure Eccleſiaſtico. ibid.2

Ad quos gradus ſe extendat Affinitas iure antiquo Eccleſiaſtico. ibid. 3,4,5

Poſt Tridentinum Affinitas ex copula illicita extenditur tantum ad ſecundum gradum incluſiuè. ibid.6,7,8

Fornicatio habita cum affine in tertio, & quarto gradu,non eſt inceſtus. 379.9

Si maritus cognoſcat mulierem in tertio, vel quarto gradu cum ſua vxore coniunctam,non impeditur à petitione debiti coniugalis. ibid.10

Affinitas ex matrimonio orta non eſt reſtricta per Tridentinum,ſed hodie durat,& dirimit matrimonium vſque ad quartum gradum incluſiuè.ibid.11

Vtrum Affines, & conſanguinei incurrant excommunicationem ipſo facto ineundo matrimonium fusè. diſp.31.ſect.7

Vide alia verb. *Impedimentum,& Affinitas.*

Amentes.

Amentes & mente capti nequeunt contrahere ſponſalia,& matrimonium. 6.9

Vide verb. *Vſus.*

Amplexus.

Amplexus,& oſcula an probent adulterium, vide verb. *Adulterium.*

Amplexus non impudici licent ſponſalia conditionatè contrahentibus. 113.3

Amplexus citra copulam poſt ſponſalia de futuro non ſunt indicia matrimonij præſumpti. 150.11

Amplexus non impudici liciti ſunt ſponſis de futuro. 72.1,4,5

Approbatio.

Approbatio data ab Epiſcopo ad audiendas confeſſiones cum limitatione ad certum tempus, vel ad ſuum beneplacitum non eſt damnanda. 61...

Arrha.

An ſit ſignum Matrimonij, vide verb. *Signa.* Vide de Arrhis alia verb. *Pœna ſponſalibus appoſita.*

Aſpectus.

Aſpectus inter coniuges abſque pollutionis periculo non ſunt peccata mortalia. 591.7

Aſpectus valde turpes gratia delectationis quæ in ipſis capitur abſque neceſſitate leui,non ex libidine,ſed ex indiſcreta mortificatione, aut curioſitate lethales ſunt. 596.4

Aſpectus concubitus viri cum fœmina mortalis eſt. ibid.5

Aſpectus & verba turpia inter coniuges abſque pollutionis periculo non ſunt peccata lethalia. 592.7

Author.

Author matrimonij in ratione contractus, fuit Deus per propriam legem. 214.2

B

Baptiſmus.

Baptizati ligantur legibus Pontificiis impedimenta matrimonij ſtatuentibus. 274.3

Baptizati hæretici,etiam illis ligantur. ibid.6

Baptizati poſſunt contrahere matrimonium quin ſit Sacramentum. 243.6

Si pater filium ſuum neceſſitate vrgente baptizet, nullum contrahit impedimentum petendi debitum. 365.2

Idem dic ſi coniux baptizat filium ſolius alterius coniugis in neceſſitate. ibid.3

Idem dic ſi in caſu neceſſitatis quando nullus adeſt, qui patrinus ſit,pater, vel mater id munus præſtet erga communem filium, vel ſolius alterius coniugis. ibid.4

Si pater ex ignorantia inuincibili facti vel iuris ſine neceſſitate baptizet vel confirmet, non impeditur ad actum coniugalem. ibid.5

Qui ſua culpa filium ſuum ſcienter de baptiſmo ſuſcipit, vel ſine vlla neceſſitate baptizat, poteſt nihilominus petere debitum. 366.8,& ſeqq.

Cum quis per procuratorem alium ſuſcipit,procurator ipſe non contrahit. 369.5

in Baptiſmo priuato qui tenet baptizatum,illum quaſi materialiter tenet. 360.8

Benedictiones.

Benedictiones nuptiales non ſunt neceſſariæ ad valorem matrimonij,ſunt tamen neceſſariæ ex præcepto,& à proprio Parocho impendendæ. 485.1,2,3

Omittere Benedictiones nuptiales per ſe ſolum eſt venialis culpa. 486.4

Non eſt mortale conſummare matrimonium ante Benedictiones nuptiales; imo nulla eſt culpa per ſe loquendo. ibid.6,& ſeq.

Ratione alicuius ſacræ Benedictionis votum Religioſorum non ſit ſolemne. 317.7

Beſtialitas.

Beſtialitas an ſit iuſta diuortij cauſa. 602.2

Bimeſtre.

Vide 264.17 & ſeq.

Blanditiæ.

Blanditiæ præciſè non inferunt metum viri conſtantis. 194.6

Bona.

Bona matrimonij quæ ſint. 168 1 & ſeqq.

Bona in quæ neceſſariò ferri debeat conſenſus contrahentium ad matrimonij valorem. 141.1,2,3

Bonum prolis de non impediendo poſitiuè generatione,etſi naſcatur procreanda, debet à contrahentibus intendi. 142.8

Bonorum omnium, vel potioris partis amiſſio eſt ſufficiens ad inferendum metum cadentem in virum conſtantem. 187.15

C

Capitulum.

Capitulum ſede vacante quid poſſit circa matrimonium,vide *Ordinarius.*

Cardinales.

Cardinales quid poſſint circa matrimonium, vide *Ordinarius.*

Catechiſmus.

Catechiſmus quid ſit. 289.1

Catechiſmus olim erat impedimentum matrimonij impediens tantum; nunc iam eſt ſublatum ex conſuetudine præſcripta. ibid.4,5,6

Sublatum eſt quoque per Concilium Tridentinum. ibid.

Cauſa.

Cauſæ diſpenſandi in impedimentis matrimonium dirimentibus quæ ſint, & qualiter intelligantur. 509.6 & ſeqq.

Cauſæ diſpenſandi in legibus impedimentorum inæquales ſunt. 508.2

Cauſam aliquam requirit diſpenſatio impedimentorum,quæ bonum commune aliquo modo ſaltem indirectè reſpiciat. ibid.3

Diſpenſatio legitima ſolam cauſæ veritatem tempore conceſſionis Pontificiæ, neceſſario poſtulat. 510.2

Diſpenſatio vt preces veritate nitantur,requirit quod tempore conceſſionis cauſæ allegatæ veræ ſint.ibid.5

Diſpenſa

Digitized by Google

Diſpenſatio commiſſa à Pontifice ordinario indiget perſeuerante cauſa ne omnino deficiat. ibid.4

Diſpenſatio ſubſiſtit,quacumque ante executionem ſolum ceſſante cauſa. 511.6

Cauſæ impulſiuæ , & motiuæ ad diſpenſationem diuerſitas exponitur. 512.1 & 5

Subreptitia eſt diſpenſatio ſi ſileatur cauſa vera, quam ius iubet exprimi , quamuis ſolum ſit impulſiua. ibid.2

Si cauſa vera motiua taceatur diſpenſatin eſt nulla. ibid.3,4

Valet diſpenſatio impulſiua tantum veritate tacita, & non expreſſa in iure. 513.4

Diſpenſatio ſola cauſa motiua tacitis aliis, quæ difficiliorem redderent,perſiſtit valida. ibid.8

Diſpenſatio in impedimentis iure humano tantum introductis etiam ſine cauſa ſacta valida eſt , licet illicita. 508.1

Diſpeoſationem in lege diuina, vel naturali, vel euiuſcumquo alterius ſuperioris ſine cauſa concedere,exigere,ac vti eſt lethale peccatum,niſi leuitas materiæ excuſet. 502.1,2 & 506.1

Legiſlator ſine iuſta cauſa diſpenſationem concedens peccat. ibid.3

Quod ſi adſit ſcandalum,aut notabile aliorum damnum ſine cauſa diſpenſans peccat mortaliter legiſlator. ibid.4

Etiam ſecluſo ſcandalo , & damno ab intrinſeco ex genere ſuo , ſi legiſlator ſine cauſa diſpenſet grauem contrahit culpam. 507.8

Ea materiæ paruitate ſine cauſa diſpenſans inficitur ſoluta veniali culpa. ibid.9

Sine cauſa Princeps ſecum diſpenſans mortaliter per ſe loquendo peccat. ibid.10

Subditus diſpenſationem ſine causâ petens , inducendo ſuperiorem ad actionem iniquam , peccat lethaliter ex genere ſuo. 508.15

Subditi actio præcisè vt eſt voluntas diſpenſatinnis ſine causâ,non eſt ex genere ſuo illicita. ibid.16

Subditum in tali petitione excuſare poteſt ab omni culpâ ignorantia , tametſi Prælatus non excuſetur, & econtra poteſt contingere,vt ſubdito delinquente excuſetur Superior , adeſſe cauſam exiſtimaos. 507.13,14

Subditus acceptans diſpenſatiooem validam,tametſi cauſam iuſtam deficere nouerit ex vi cooperationis non peccat 508.17

Subditus vtens diſpenſatione validâ etiam ſine causâ conceſsâ per ſe loquendo,ac ſecluſo ſcandalo, nec venialiter peccat. ibid.19

Valida eſt diſpenſatio , ſi inferior Prælatus procedat bonâ fide,& prudenter iudicet , cauſam eſſe legitimam , & iuſtam , licet verè non fuerit cauſa ſufficiens. 502.3,4

Diſpenſatio voti ſine causâ legitimâ irrita eſt. 503.5

Valor diſpenſationis datæ non requirit cauſam iudicialiter cognitam. ibid.8

Diſpenſatio legiſlatoris in propriâ lege nullam cauſam efflagitat. 502.1,3

Diſpenſatio matrimonij irrita eſt , ſi exprimatur , vel addatur falſum ad cauſam conceſſionis , vel negationis pertinentem. 523.1,2

Diſpenſationem irritat aliqua cauſa falſa plurium ſufficientium in ſufficienti ſingula ad illam impetrandam. ibid.3

Diſpenſatio valet addito falſo,quo tacito ſolùm redderetur difficilior voluntas diſpenſantis. 526.6

Diſpenſatio corruit ex falſitate cauſæ impulſiuæ habentis connexionem prudentem , & rationabilem cum materiâ diſpenſationis. ibid.7

Diſpenſationis valorem non minuit eorum fictio quæ ad cauſam diſpenſandi non ſpectant. ibid.8

Diſpenſationem irritat impetrans , ſi datâ operâ taceat cauſam , licet impulſiuam , ſciens Prælatum eſſe in contrariâ voluotate habituali,aliter verò ſi ignoret. ibid.10

Subreptitia diſpenſatio eſt in dubio practico cauſæ falſæ expreſſæ,quia finalis præſuméda eſt. 527.12

Diſpenſatio valida eſt etiamſi falſis teſtibus probetur cauſa,quæ in re talis eſt. ibid.13

Expreſſio cauſæ falſæ etiam finalis gratiam diuiſibilem diſpenſationis bona fide non totam,ſed partem vitiat : ſi fraude,totam inficit. ibid.14

Quas ob cauſas poſſit Ordinarius in denuntiationibus diſpenſare. 516.1 & ſeqq.

Exiſtente iuſta cauſa ſcandali periculi animæ tenetur Ordinarius diſpenſare in illis, ſine eiuſmodi damno,tametſi ſit cauſa ſufficiens non tenetur. 479.1,2

Quoties eſt cauſa,qua tenetur Epiſcopus diſpenſare, ſi nõ poteſt haberi copia Epiſcopi,vt diſpenſet,poteſt illis omiſſis licitè contrahi matrimonium. ibid.3,4

Vide plura verb. *Denunciationes,& Sponſalia.*

Certitudo.

Certitudo,ac ſcientiâ nullitatis matrimonij impedit petitionem,& redditionem debiti. 586.1,2

Certus impedimenti ac conſcius coniux , quæcumque periculo propoſito non poteſt reddere. 587.5

Certus impedimenti ac conſcius coniux ſi ab Eccleſia excommunicetur , non reddat debitum coram Deo non obligatur cenſura. ibid.6

Si pro vtraque parte ſit probabilis opinio de impedimento poteſt coniux quod voluerit amplecti. 586.3

Ceſſatio à diuinis.

Ceſſationis à diuinis tempore qualiter liceat nuptijs benedicere, vide verb. *Interdictum.*

Circunſtantia.

Circunſtantia ſponſalium non addit fornicationi adulterij malitiam. 53.2

Circunſtantia prædicta non addit fornicationi nouam malitiæ iniuſtitiam. 54.6,7,10

Circunſtantia diei feſti ac ieiunij non obeſt ex præcepto actui coniugali. 554.3,& 5

Circunſtantia loci ſacri non facit copulam coniugalem peccatum mortale,nec per illam Eccleſiam violatur. 557.7

Circunſtantia diei Euchariſtiæ ſumentis poſt copulam coniugalem,licet videatur indecens,non tamen facit graue,nec leue peccatum,ſi recto fine fiat copula, ſi autem hæc fiat ſolum ex voluptate eſt venialis culpa. 554.7 & ſeqq.

Clauſula.

Clauſula ad expeditionem diſpenſationis pro conſcientiæ foro nouem ſunt. 546.1

Clauſula prima vt executio committatur diſcreto viro Confeſſori Theologiæ Magiſtro , vel decretorum Doctori. ibid.

Clauſula ſecunda continens periculum incontinentiæ, vt verificetur requirit probabile periculum frequentis lapſus. 547.8

Clauſula tertiam , ſi ita inueneris poſt diligentem Oratoris examinationem, ac poſt monita & conſilia opportuna illis propoſita permitti debet non receptis teſtibus,ſed cum ſolo impetrante. ibid.9

Clauſulæ dictæ monita & conſilia non inducunt formam,ſed inſtructionem quandam Confeſſarij. ibid.10

Clauſula quarta, cumdem à mutatione propoſiti abſoluas, hac vice in forma Eccleſiæ conſueta iniuncta ei pœnitentia ſalutari non requirit præmittendum confeſſionem. 548.13
Clauſula quinta continens pia opera, in qua commutari ea opera debent, non patitur poſſe Confeſſarium illis omnino liberare impetrantem, licèt ſit arbitrio ipſius quantitas, & frequentia talium operum & confeſſionis. 546.1,2,3
Clauſula dicta prohibet Confeſſori imponere frequentiorem confeſſionem, quàm menſtruam. ibid.4
Clauſula circa confeſſionem menſtruam adimplet impetrans, quouis die menſis confiteatur. ibid.5
Clauſulæ confeſſionis non ſatisfacit confeſſio menſtrua aliunde ex voto, & pœnitentia iniuncta. ibid.6
Clauſulæ pia opera declarantur in particulari. ibid.7
Clauſula ſexta petens vt hæ litteræ dilanientur facta diſpenſatione, nec tradantur Oratori, etſi traditæ fuerint, nihil ei ſuffragentur, non valorem diſpenſationis minuit, etſi litteræ apud partem manſerint. 550.8
Clauſula ſeptima vt impedimentum occultum ſit, & proles legitimetur pro ſolo conſcientiæ foro verè ante matrimonium initum prolem ſuſcipiendam quoad ſpiritualia, & temporalia in tali foro legitimat. ibid.10
Clauſula, occultùm, impedimentum non eſt quod probari non poteſt, ſed quod deductum non eſt ad forum contentioſum. ibid.9
Clauſula prædicta executioni mandata vt validè ineatur matrimonium proles ante ſuſcepta ſolum quoad ſpiritualia legitimatur. ibid.11
Clauſula octaua, vt coniux impedimenti ignarus certior fiat de prioris conſenſus nullitate, non inducit conditionem eſſentialem, ſed inſtructionem Confeſſarij. ibid.12
Clauſula ſi ſit irritans in perpetuum, inducit impedimentum irritans. 286.6
Clauſula iſta debet eſſe ſpecialis. ibid.7
Clauſula diſpenſationis erga Officialem Diœceſis impetrantium, ſufficit præſentetur Ordinario coram ex contrahentibus diuerſi Diœceſis. 542.1
Clauſula continens prohibitionem ſub excommunicatione latæ ſententiæ recipiendi cuiuſcumque muneris, erga illum, cui committitur, non ferit Officialem, ſi accipiat expeditâ omnino diſpenſatione. 543.6
Clauſula prædicta non prohibet ſtipendium aliquod laboris impenſi in exequenda diſpenſatione. ibid.7
Clauſula prædicta prohibet munus, quod ſit alicuius momenti, ſub excommunicatione. ibid.8
Clauſula illa non interdicit accipere eſculenta, & poculenta merâ liberalitate oblata. ibid.9
Clauſula hæc: *Ipſi ex certis, rationabilibus cauſis eorum animum mouentibus, cupiunt inuicem matrimonialiter copulam*, nec inquirenda, neque à Iudice Eccleſiaſtico probanda eſt. ibid.11
Clauſula, *vt diſpenſet Officialis, & ſeruatâ formâ Concilij Tridentini contrahere valeant*, non ſolùm formam accidentalem, ſed etiam ſubſtantialem comprehendit. 544.12
Clauſula nona, prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nunciando, etſi non adderetur, foret proles legitima. ibid.13
Clauſula vltima, *Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque*, eſt repetenda pro ſpecificâ, & expreſſâ derogatione. ibid.14

Clericus.

Clericus in ſacris tentans matrimonium contrahere incurrit excommunicationem. 340.1,2,3

Cogere.

Coactio voluntatis ad quam obligationem ſufficiat. 183.1.& ſeqq.

Cognatio carnalis.

Quid ſit conſanguinitas, & quomodo eius gradus computentur tam in lineâ rectâ, quàm in obliquâ. 345.1 & ſeqq.
Cum conſanguineis vſque ad quartum gradum matrimonio modò ſunt prohibita iure eccleſiaſtico. 347.1
Non omnes conſanguinitatis gradus ſunt iure naturæ, & ab intrinſeco prohibiti ad contractum matrimonij. 348.5
Idem dic de matrimoniis conſanguineorum intra ſecundum gradum lineæ tranſuerſæ. ibid.
Matrimonium in primo gradu conſanguinitatis lineæ rectæ, vt inter patrem, & filiam, matrem, & filium eſt iure naturæ, & ab intrinſeco prohibitum. ibid.6
In primo gradu conſanguinitatis lineæ tranſuerſæ, vt fratris, & ſororis, eſt iure naturæ illicitum extra grauiſſimam neceſſitatem. ibid.7
Licitum verò eſt in extrema neceſſitate. 349.10
Inter patrem & filiam, matrem, & filium nuſquam eſt licitum matrimonium etiamſi ſoli ſupereſſent. ibid.11
Conſanguinitas in 2. 3. & vlterioribus gradibus lineæ tranſuerſæ non dirimit matrimonium iure naturæ. 352.2
Neque in primo gradu. ibid.3 & ſeqq.
Nullus conſanguinitatis gradus in lege gratiæ irritat iure diuino matrimonium. 354.1
Conſanguinitatis gradus in lege veteri prohibiti non obligant modo in lege gratiæ. ibid.2,3
Conſanguinitatis gradus irritantes matrimonium restricti ſunt vſque ad quartum incluſiuè. 355.1 & ſeqq.
Conſanguinitatis graduum reſtrictio vſque ad quartum intelliguntur quoque in recta aſcendentium & deſcendentium linea. ibid.6

Cognatio ſpiritualis.

Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas perſonarum ex Eccleſia ſtatuto ortum habens ex baptiſmo, & confirmatione. 356.1
Cognatio ſpiritualis reſtricta eſt à Tridentino ad ſolam paternitatem, & compaternitatem, inter baptizantem, vel confirmantem, & patrem, ac matrem baptizati, & inter patrinos, & patrem, & matrem. 357.3,4,5
Ex aliis ſacramentis nulla oritur cognatio ſpiritualis matrimonium dirimens. ibid.6
Impedimentum ortum ex cognatione ſpirituali, ex Baptiſmo, & confirmatione eſt perpetuum & ſolo iure Eccleſiæ inductum. ibid.7
Neceſſaria eſt conditio ex parte baptizantis vt contrahat cognationem ſpiritualem vt ſit ipſe baptizatus. 358.3,4
Infidelis incapax eſt illius cognationis ſpiritualis paſſiuæ. ibid.6
Baptizatus non confirmatus ſi ſuſcipiat puerum in baptiſmo, contrahit cum eo, eiuſque parentibus cognationem ſpiritualem. 359.7
Vt cognationem contrahant ſpiritualem ſuſceptores in confirmatione debent eſſe confirmati. ibid.8,9
Ad contrahendam cognationem ſpiritualem requiritur vtriuſque ſacramenti validitas. ibid.1
Baptizans priuatim, & in extrema neceſſitate contrahit dictam cognationem dirimentem ſubſequens matrimonium cum baptizato eiuſque parentibus. ibid.2,3
Qui tenet baptizatum tantum quaſi materialiter non contrahit ſpiritualem cognationem. 360.7
Etiamſi adhibeatur verus Patrinus ſuſceptor in Baptiſmo

Digitized by Google

ptiſmo priuato adhuc non contrahit cognationem ſpiritualem. ibid.5.9,10
Vt patrini contrahant ſpiritualem cognationem in baptiſmo, vel in confirmatione ſolemni requiri, vt baptizatum, vel confirmatum teneant dum baptizatur, vel confirmatur. 361.1
Non requiritur reſponſio pro puero dum fit catechiſmus ad contrahendum. ibid.2
Præter actum externum ferendi, vel ſuſcipiendi requiritur intentio libera cum actum efficiendi. ibid.3
Qui per ignorantiam vel errorem leuat filium Petri exiſtimans ſe Pauli filium leuare, contrahit cognationem. 361.5
Si coniux prolem communem, vel alterius coniugis ſuſcipiat, contrahit cognationem ſpiritualem. 365.1
Qui per procuratorem alium ſuſcipit, contrahit cognationem ſpiritualem. 368.2,3,4

Cognatio legalis.

Cognatio legalis eſt extranea perſonæ in filium, vel nepotem, vel deinceps legitima aſſumptio. 369.1,2,3.
Definitur propinquitas ex adoptione proueniens. ibid.6
Triplex cognationis legalis ſpecies. ibid.7
Cognatio legalis orta ex adoptione perfecta dirimit matrimonium iure tantum humano. 370.1,2,3
Si ſuperueniat matrimonio iam contracto non impedit debiti petitionem. ibid.4
Cognatio legalis orta ex adoptione imperfecta non dirimit matrimonium. ibid.5,6
Neque ex ea oritur impedimentum impediens. 371.7
Cognatio legalis prima, & ſecunda, & tertia ſpecies dirimit matrimonium latè. ibid.1 & ſeqq.
Quouſque cognatio legalis duret, & dirimat matrimonium. 372.1 & ſeqq.

Commiſſio.

Commiſſio perſonalis morte delegati extinguitur, realis tranſit ad ſucceſſorem. 533.3
Commiſſio diſpenſandi facta officiali nequit per Epiſcopum expediri. ibid.5

Concubitus.

Concubitus ex natura rei licitus eſt ſi alter ſolus ex coniugibus ſit amens. 360.5
Concubitus licet coniugi ſanæ mentis, etiamſi ſit periculum, vt amens aliquando ſeminet extra vas. ibid.6
Concubitus naturalis mulierem ſuccubam, & virum incubum poſtulat. 361.5
Concubitu naturali variato ſine cauſa actus coniugalis illicitus eſt. 561.6
Concubitum variare cum probabili periculo pollutionis extra vas mortale eſt. ibid.7
Concubitum variare ceſſante tali periculo niſi obſtaret generationi, grauis culpa non eſt. ibid.9
Concubitus quælibet variatio generationem non impedit. ibid.10
Coeundi varius modus ſi aliquando fieret ſeminis retentioni ob fœminei vaſis nimiam humiditatem, vel laxitatem, eſſet graue peccatum. ibid 12
Cubandi variato ſitu licèt coniuges credant non ita certo futuram prolem, dummodo non ſit animus impediendi actum, non peccant mortaliter. ibid.13
Concubitus debiti inuerſio aliquando omni culpa vacat. ibid.14

Compenſatio.

Compenſationi locus non eſt ſi vterque coniux lapſus fuerit in hæreſim, & vterque hæreſis damnatus ſit per ſententiam. 610.1
Compenſatio nulla datur inter adulterium, & hæreſim ante ſententiam. 611.1
Compenſatio adulterij cum hæreſi etiam deficit poſt latam ſententiam condemnationis. ibid.3

Conditio.

Conditio ſponſalibus adhibita ſuſpendit obligationem perficiendi contractum donec purificetur. 107.1
Conditio contra ſubſtantiam matrimonij ſupra ipſum immediatè cadens irritat ſponſalia. 110.3
Conditio non cadens immediatè ſupra matrimonium, ſed ſupra ſponſalia, non irritat illa. 111.5
Conditio ſterilitatis procurandæ ante matrimonium vitiat ſponſalia. ibid.2
Conditio nunquam reddendi debitum ita intellecta contrahentibus vt ſi copulentur peccare ſe credant, vitiat matrimonium. 122.6
Conditio de vitanda copula in perpetuum ex voto non eſt contra ſubſtantiam matrimonij primo contracti. ibid.7
Conditio intrinſeca ex natura rei non reddit matrimonium conditionatum. 159.3
Conditiones extrinſecæ futuræ, quæ & quales ſint, 160.2
Conditio contrahendi ſi cras ſol oriatur, vtrum reddat matrimonium conditionatum. 161 8,9,10
Conditio impoſſibilis non inualidat matrimonium in foro conſcientiæ, & externo. 162.3
Conditio impoſſibilis ex iure in matrimonio eſt habenda pro non adiecta. 163.10
Conditiones impoſſibiles quando à capite finali recipiantur. 166.23,24
Conditio turpis contra tria bona matrimonij irritat matrimonium. 168.2
Conditio turpis de qua non conſtat ſerio à contrahentibus fuiſſe iniectam, habeatur pro non adiecta. 173.3
Conditio coitus illiciti habendi ante matrimonium non illud ſuſpendit ante euentum conditionis. 174.2
Conditiones ſpeciales quæ turpibus adnumerari ſolitæ, quando, & quænam habendæ pro non adiectis, ibid.1 & ſeqq.

Confeſſio.

Confeſſio impedimenti in iudicio facta, ab vtraque parte ſufficit ad diſſoluenda ſponſalia iurata. 166.3

Coniux, & coniugatus.

Coniuges per ſe loquendo nunquam tenentur petere debitum. 565.3
Coniux tenetur petendo ſi commodè poſſit incontinentiam alterius impedire, non tamen ex iuſtitia latè ſumpta. 566.5
Coniux tenetur in tali caſu ex virtute caſtitatis. ibid.6
Coniux timens ſi non petat, alterum coniugem commiſſurum adulterium, tenetur ex virtute iuſtitiæ, petendo impedire. ibid.7
Coniux tenetur reddere debitum alteri petenti. 567.1
Coniuges ex iuſtitia tenentur mutuo reddere. ibid.2
Coniux tenetur ſub mortali reddere alteri legitimè exigenti. ibid.3
Coniugi petenti ſolum implicitè eſt grauis obligatio in altero reddendi. ibid.4
Coniuges obligantur ſeruare vires, quibus indigent ad moderatè vtendum coniugio. ibid.5
Coniux ieiuniis ſe reddens notabiliter impotentem mortaliter peccat. ibid.6
Coniuges tenentur ad mutuam cohabitationem, & neuter

neuter poteſt altero inuito diu abſque cauſa abeſſe. 568.3
Coniux excuſatur ab obligatione reddendi ſi imminent ipſi graue damnum ſalutis. 569.1
Coniux febri laborans non tenetur reddere. ibid.2
Coniux alteri immoderatè petenti à redditione excuſatur. ibid.3
Coniux liberatur obligatione reddendi ſi ex morbo alterius graue damnum immineat. ibid.4
Coniux excuſatur ab obligatione reddendi ne plures filij naſcantur ſi abſit incontinentiæ periculum, & alere non ſufficiant. ibid.6
Coniux voto caſtitatis adſtrictus tenetur reddere. 573.1
Coniux ligatus voto caſtitatis nunquam poteſt debitum exigere. ibid.3
Coniux vterque ante matrimonium voto caſtitatis impeditus non poteſt licitè petere. 575 6
Coniuges ambo qui Deo promiſerunt ſe debitum non petituros poſſunt licitè copulari ob incontinentiæ periculum. ibid.8
Coniux voti caſtitatis irretitus non tenetur ante conſummationem ingredi religionem, ſed poteſt conſummare reddendo. 576.3,4
Coniux conſentiens inceſtui non priuatur iure petendi. 582.5
Coniux rem habens cum affinibus alterius coniugis non priuatur iure petendi. ibid.7
Coniux mala fide contrahens dubius de valore ſui matrimonij non poteſt licitè petere. 587.1
Coniux qui mala fide, & dubius de valore contraxit tenetur reddere debitum alteri bona fide poſſidenti. ibid.2
Coniux vterque, & dubius de impedimento, & mala fide contrahens nec poteſt petere, nec reddere. 588.4
Coniugum bona fide contrahentium, qui rationabiliter de valore dubitat, tenetur vincere tale dubium, nec poteſt ante petere, ſed reddere. ibid.3
Coniux poſtquam adhibita eſt diligentia & perſeuerat dubium, poteſt licitè exigere debitum. ibid.4,6
Coniux vterque bona fide rationabiliter dubius ante adhibitam diligentiam non poteſt petere, nec reddere. ibid.8
Coniux vterque diligentia adhibita nec petendi, nec reddendi iure expoliatur. 589.9
Coniux qui bona fide contraxit, & poſtea non dubitat, ſed opinatur matrimonium eſſe nullum, poteſt reddere, non petere. 590.2
Coniux habens probabilem aſſenſum, v.g. circa mortem, & vitam prioris coniugis, poteſt reddere, & petere. ibid.3
Coniugem ob adulterium alterius non poſſe ab eo quoad vinculum ſeparari fidei veritas eſt. 598.2
Coniux innocens poteſt in perpetuum dimittere adulterum à ſuo thoro, & cohabitatione. 600.1
Coniux poteſt ob diſtinctas cauſas ab altero, quoad thorum, & cohabitationem ſeparari. 608.1
Coniux pertrahens, & ſollicitans alium ad peccatum dat manifeſtam cauſam diuortij. 611.1,5
Coniux poteſt ab altero ſeparari quando ob ſæuitiem illius timet malum quod virum conſtantem terreat. 612.1,2,3,4,5
Coniux ob prædictam ſæuitiem alterius nec cohabitare nec reddere tenetur. ibid.6
Coniugi licet diuertere ob furorem alterius exiſtente graui vitæ diſcrimine. ibid.7
Coniux qui alterius ſæuitiæ cautionem prouidere poteſt, tenetur adhibere, & non diuertere. ibid.8
Coniux qui dedit licentiam alteri vt religionum ingrediatur poteſt reuocare licentiam ante profeſſionem. 613.3
Coniux abſque cuius licentia profeſſio facta fuit poteſt alium ſic profeſſum ſine authoritate iudicis reuocare. 617.12
Coniux qui ſine licentia alterius profeſſus eſt, poteſt abſque petitione coniugis religionem deſerere. ibid.13
Coniux qui ita profeſſus eſt, nequit propria authoritate religionem deſerere. 618.15
Coniux inualidè profeſſus poteſt etiam reſilire, quamuis coniux ſine cuius licentia ingreſſus eſt adulterium poſt profeſſionem commiſerit. 617.12
Coniux qui metu graui extorſit licentiam etiam inualidè profitetur. 618.18
Coniux vterque ſi vnuſquiſque inſcius de ingreſſu alterius profiteatur, inualidè profitetur, ſecus eſt ſi conſcius. ibid.19
Coniugis iuuenis tranſitus ad religionem vt alter profiteatur debet etiam eſſe ad profitendum. ibid.3 & 614.6
Coniux ſenex in ſeculo manens altero profitente debet emittere votum perpetuæ continentiæ. 619.5
Coniux deſerens nouitiatum cogendus eſt redire ad alium manentem in ſæculo. ibid.7
Coniux manens in ſæculo non habet locum reuocandi coniugem profeſſum. ibid.9
Coniux manens in ſæculo ſi non emiſit votum ſimplex caſtitatis poteſt cum incontinentiæ periculo reuocare profeſſione donatum. 620.10
Coniux profeſſus reuocatus mortuo coniuge tenetur ad religionem redire. ibid.11
Coniux iuuenis illicitè, licet validè, de re adhuc integra poteſt alium de ſua licentia ingreſſum reuocare. ibid.12
Coniuges ex mutuo conſenſu ob honeſtam cauſam poſſunt ſeparari à thoro ad tempus, vel in perpetuum. 614.2
Coniuges ex mutuo pacto thoro ſeparati poſſunt continentiam vouere, etſi neuter religionem ingrediatur. ibid.3
Coniuges ſaluo ſcandalo, & incontinentiæ periculo poſſunt viuere quoad thorum, & quoad cohabitationem ſeiuncti. ibid.4
Coniuges iſti poſſunt cenſuris ad cohabitandum impelli, nec Iudex Eccleſiaſticus permittere debet viuant coniuges iuuenes ſeparati. ibid.
Coniux adulter non eſt ipſo iure priuatus facultate exigendi debitum donec coniux alter adulterij conſcius ipſum priuet. 625.6
Coniux innocens ſi adulterium ſit occultum non poteſt ab alio propria auctoritate diuertere. 626.1
Coniux innocens vt poſſit adulterum deſerere propria auctoritate, requiritur adulterium ita notorium, vt nullo modo celari poſſit. ibid.2
Coniux conſcius adulterij ſui coniugis poteſt in foro conſcientiæ ſecluſo ſcandalo ab eius habitatione diuertere abſque ſententia, licèt adulterium ſit occultum. ibid.4
Coniux expulſus, qui nouit innocentem eſſe certum de adulterio, non poteſt in foro conſcientiæ petere reſtitutionem, ſecus ſi ignoret. 627.8
Coniux adulter tranſacto termino appellandi ſi velit reclamare non eſt audiendus, ſemper verò innocens. ibid.1
Coniugi innocenti fas eſt ſibi nocentem reconciliare, & tenetur in eo caſu nocens parere. ibid.4
Coniux innocens poſt ſententiam diuortij poteſt ad religionem liberè tranſire, etiam inuito coniuge

nocente. ibid.6

Coniugum neuter poteſt alterum repetere, ſi vterque exiſtimans diuortium iuſtè celebratum, & vterque ea cauſa falſa inductus profeſſus eſt. 618.3

Coniux adulter nullam actionem acquirere in innocentem poteſt qui poſt diuortij ſententiam adulteratus eſt. 629.2

Coniuges ſeparati reconciliandi ſunt officio iudicis quando eſt periculum adulterij. ibid.6

Coniux innocens qui poſt ſententiam adulterium cõmiſit, adhuc habet actionem ad reconciliandum ſibi alterum, & nocens tenetur redire. ibid.8

Coniugum pluralitas quælibet ſucceſſiuè valida eſt, & licita. 395.1

Si coniux vterque, vel alter in primis nuptiis benedictionem acceperit non eſt in ſecundis nuptiis impertienda. 395.3,4,5

Coniux naturaliter impotens cui licitè, & abſque periculo vitæ poteſt humano remedio ſubueniri, num teneatur pati tale remedium altero id exigente tractatur. 415.1.vſque ad fin.

Si coniux fœmina experiatur ſe nequire prolẽ viuã edere adhuc licet petere, & reddere. 607.5

Coniux conuerſus, & baptizatus poteſt deſerere coniugem non baptizatum, & nouum matrimonium inire quando alter infidelis non vult cohabitare, aut ſi vult cum contumelia tantum creatoris, vel vt illum pertrahat ad peccatum mortale. 402.5

Id conceſſum eſt ex priuilegio Chriſti in fauorem fidei. ibid.6

Conſenſus.

Conſenſus mere interni non ſufficiunt ad rationem ſacramenti à Chriſto inſtituti. 135.11

Conſenſus tamen ex parte contractus, quam contrahentium dicit ordinem ad copulam. 120.6

Conſenſus contrahentium debet eſſe aliquo modo ſimul ad contractum matrimonij efficiendum. 137.1

Conſenſus contrahentium non eſt opus coëxiſtat moraliter. ibid.4

Conſanguinitas.

Conſanguinitas, vide *Cognatio carnalis.*

Contractus.

Contractus ſponſalitius ſub conditione fornicationis ipſa commiſſa, relinquit obligationem abſolutam. 110.6

Contractus quilibet inſpecto ſolo iure naturali celebrari poteſt ſub conditione impoſſibili ex natura rei. ibid.2& 162.4

Contractus ſub conditione turpi ante impletionem iſtius nullam vim inducit. 111.4

Contractus communis definitio. 129.1

Contractus lucratiuus quid ſit. ibid.2

Contractus matrimonij naturaliter factus requirit neceſſario externam cõſenſuum manifeſtationẽ 134.7

Contractus matrimonij poteſt diuinitus fieri ſine externa manifeſtatione interni conſenſus. ibid.8

Contractus lucratiuus ex metu iniuſto graui celebratus iure naturæ non eſt irritus. 190.3

Contractus oneroſus validus eſt iure naturæ etiamſi fiat ex metu iniuſto graui. 19 .2

Contractus lucratiuus metu graui extortus eſt iure poſitiuo irritandus ab eo qui metum paſſus eſt. 192.3

Contractus factus metu iuſtè illato validus eſt. 195 2

Contrahere.

Contrahere matrimonium ob delectationem carnalem annexam vſui matrimonij vt auidius expetatur ſpeciei conſeruatio, licitum eſt. 225.9

Qui contrahunt matrimonium impediti aliis impedimentis impedientibus præter voti, ſponſalium, & interdicti, non peccant. 281.5

Si quis contrahat cum impedimento impediente voti ſimplicis, vel ſponſalium, vel interdicti Eccleſiæ, nulla eſt culpa, ſi vero animo contrahat. 282.1 & ſeqq.

Qui contrahit cum ligato impedimento interdicti peccat mortaliter. 293.4

Qui contrahunt coram Parocho coacto per ſe grauiter peccant, non ita coram teſtibus coactis. 459.6,7

Non eſt facilè credendum contracturis ſe habere licentiam, vt alienus Sacerdos matrimonio aſſiſtat. 464.8

Contrahentes clandeſtinè abſque Parocho, & teſtibus puniuntur à Tridentino inhabilitate ad ſic contrahendum, & pœna graui arbitrio Ordinarij. 468.1,3

Quibus verò pœnis ſubiiciantur validi contrahentes clandeſtinè vbi non viget Trident. 470.1 & ſeqq.

Quod poſſint contrahentes clandeſtinè à parentibus exhæredari. 442.4,5,6

Copula.

Copula non eſt pars eſſentialis matrimonij, vt eſt vinculum reſultans ex contractu. 117.3

Copula eſſentialiter connotatur à vinculo matrimonij. ibid.5

Copula etiam conſummata non eſt ſignum conſenſus matrimonij. 150.1

Copula quando ſponſalia præceſſerunt eſt ſignum matrimonij præſumpti. ibid.2

Copula præcedens non conſummat matrimonium ratum ſubſequens. 264.2

Copula vi extorta poſt bimeſtre impedit coniugum ingreſſum in religionem. 265.7

Copula vi extorta ante bimeſtre impedit coniugibus ingreſſum religionis. 265.7 & ſeq.

Copula coniugalis in baptizatis ex ſe non confert gratiam ex opere operato. 552.11

Copula coniugalis antiquitus, & vbi non eſt receptum Tridentinum ſi aſſumatur pro ſigno mutui conſenſus eſt cauſatiua gratiæ ex opere operato remota fictione. ibid.12

Copula coniugalis etiam vbi viget Tridentinum ſi ſumatur vt ſignum matrimonij, poterit ex opere operato cauſare gratiam. ibid.14

Copula viri cum vxore in vaſe innaturali omiſſo naturali, & animus ſic conſummandi eſt grauiſſimum Sodomiæ peccatum. 563.1

Copula ſodomiticè inchoata ſine animo conſummandi eſt culpa lethalis ſodomiticè inchoatæ. ibid.2

Coniugibus expedit vt curetur ſimul vtrumque ſemen effundi. ibid.3

Copulam relinquere ſi neuter coniux in actu ipſo ſeminauit, nec periculum ſit pollutionis nullum peccatum eſt. 564.2,3,4

Copulam non perficere virum ſi vxor iam ſeminauit, aut ſeminandi periculum ſubeat, graue delictum eſt. ibid.5

Copula tantum penetrans vas ſine ſeminatione intra ipſum non eſt iuſta cauſa diuortij. 602.8

Copula ſponte à catholico coniuge habita cum hæretico emendato ante ſententiam non eſt condonatio. 609 5

Copula ante ſententiam ſi ſit in Catholico animus licet ſolum internum condonandi ius diuertendi, condonatio eſt. ibid.6

Copula poſt ſententiam latam ſi ſit animus non condonandi non eſt condonatio; nec tenetur catholicus reuocare hæreticũ ad priſtinã amicitiam. 610.7

Copula poſt ſententiam cum animo remittendi eſt vera remiſſio. 582.8
Copula poſt ſententiam ſi in catholico innocente neuter animus ſit n... condonandi, nec non condonandi, tunc vera eſt condonatio. ibid
Copula cum impedimento, dirimente habet diuerſam ſpecie malitiam à fornicatione ſi oppouatur alteri virtuti. 283.1.& ſeqq.
Si copuletur impeditus ex ſponſalibus cum alia ex ſe non inducit nouam ſpecie malitiam præter fornicationem. ibid.284.8

Crimen.

Criminis impedimentum ſolo iure Eccleſiæ ſtatutum. 384.2
Quomodo crimen adulterij coniuncti cum matrimonio de præſenti dirimat matrimonium. 386.1 & ſeqq.
Vide verb. *Machinatio*

D

Debitum.

Debitum exigere tempore prægnationis, ſecluſo periculo aborſus nec mortale, nec veniale eſt. 555.16
Debitum reddere amenti non tenetur coniux ſanæ mentis. 560.7 & 569.2
Vide *Matrimonium,& Vſus matrimonij.*

Decretum.

Decretum Tridentini intelligendum eſt, non ſolùm de conſanguinitatis, & affinitatis impedimento, ſed etiam de quocumque alio dirimente. 523.2
Decretum Tridentini non loquitur de matrimonio ſcienter eum impedimento inito ibid.3
Decretum Tridentini non fertur in ſponſalia, etiam ſubſecutâ copulâ. ibid.524.4
Decretum Tridentini licet Pontificem non obliget, eſt tamen maximi momenti. ibid.5

Delectatio.

Delectatio omnis de peccato mortali, mortalis eſt. 590.1
Delectatio omnis moroſa in materiâ venereâ eſt mala, & mortalis. 591.2
Delectari Venere, ſub conditione, ſi mulier eſſet ſua, non licet homini ſoluto. ibid.3
Delectatio venerea coniugis viduæ orta ex cogitatione copulæ habitæ tempore matrimonij illicita eſt. ibid.4
Delectatio moroſa in materia venereâ lethalis eſt, & non admittit paruitatem materiæ. ibid.5
Delectatio moroſa in coniugatis non eſt culpa lethalis. ibid.7
Delectari moroſè virum abſente vxore, citra pollutionis periculum non eſt lethale. ibid.8
Delectari etiam licet viro in hoc caſu abſque pollutionis periculo, quamuis accedat virilis membri commotio. ibid.9
Delectatio moroſa, & tactus liciti ſunt coniugatis, etiam impedita extrinſecè copulâ. 592.2
Delectatio, & tactus etiam licent, quando eſt interdicta copula Eccleſiæ præcepto. 593.3
Delectatio moroſa nullo modo eſt licita coniugi, ſi interdicatur petitio debiti ratione voti. ibid.4
Delectatio licet vouenti ſolùm, non petiturum debitum. ibid.7
Delectatio venerea mortalis eſt coniugi ſpoliato petitione debiti, quia dubius eſt de valore matrimonij. ibid.8
Delectatio moroſa coniugis in copulæ cogitatione præciſo pollutionis periculo mortalis eſt. 595.2
Delectatio moroſa in ſponſis de futurâ matrimonij copula, lethalis eſt. ibid.1

Delectatio venerea inter omnino ſolutos, mortalis eſt. ibid.

Delegatio.

Delegatio facta ſimpliciter Officiali, ſi duo ſint, principaliori competit. 554.9
Delegatio nulli competit, ſi vterque Officialis æquè principalis ſit. ibid.10
Delegatio diſpenſationis, quæ fit per mandatum, eſt odioſa, & ſtrictè interpretanda. 491.6

Deliberatio.

Quid ſit deliberatio. 4.1
Deliberatio aliqua neceſſaria eſt ad promiſſionem matrimonij. 5.2
Deliberatio plena requiritur quæ ſufficiens eſt ad peccatum mortale, & non requiritur maior. ibid. 5.6.7.8.10
Deliberatio victualis ſufficit ad validitatem ſponſalium. 7.1 & ſeqq.
Deliberatio victualis non ſufficit ad contrahenda ſponſalia. 4.1
Deliberatio habitualis ſufficit ad applicandum ſacrificium, eſt cur. 5.2
Deliberatio in cauſa duplex, vna volita in cauſa, ſeu in alio indirectè volito, alia deliberata, & volita in alio directè volito. 8.5
Prior deliberatio non eſt ſufficiens ad contractum ſponſalitium. ibid.6.7
Neque etiam poſterior eſt ſufficiens. ibid.8

Demonſtratio.

Demonſtratio ſponſalibus adiecta non impedit illa, etiam ſi falſa ſit. 112.4
Demonſtratio quid operetur appoſita contractui matrimonij. 168.6.7.8

Denunciationes.

Denunciationibus omiſſis validum eſt matrimonium factum per procuratorem, licet illi detur mandatum côtrahendi ſeruata forma Tridentini. 155.11
Denunciationibus prætermiſſis ignorantia etiam craſſa circa impedimentum à pœnis Tridentini excuſat. 525.12
Quid ſint denunciationes, ſeu admonitiones. 473.1
Prædictæ denunciationes non ſunt de eſſentia, neque de ſubſtantia matrimonij. ibid.3.4
Non poſſunt omitti ſine culpa mortali, ibid. 474.6.
Vnam ex tribus omittere mortale eſt ibid.7
Vbi, eſt quando fieri debeant prædictæ denunciationes. 475.1.& ſeqq.
Antiquitus non poterat Epiſcopus diſpenſare, vt omitterentur denunciationes niſi in caſu neceſſitatis. 476.1
Hodie poteſt Epiſcopus diſpenſare. ibid.2
Poteſt etiam diſpenſare Vicarius generalis ex vi ſui officij. ibid. 4.5.6.7
Ad quid teneatur ex vi denunciationum, qui aliquod impedimentum nouit occultum. 480. & ſeqq. fusè.
Præcipua pœna contrahentium matrimonium abſque denunciationibus illicite omiſſis eſt priuatio duplicis priuilegij. 487.1.2.3.4
Alia duæ pœnæ ponuntur. ibid.5.6

Deipara.

Deipara cum Ioſepho verum contraxit matrimonium. 125.1

Deus

Deus de abſoluta poteſtate poteſt efficere vinculum matrimonij, ſine coniugum conſenſu. 149.5
Dei prohibitio intrinſece pertinet ad legem naturæ. 215.6

Deus ſuppoſita hominum creatione eſt inſtitutor contractus matrimonij. 21[illegible].10
Deus inſtituit matrimonium illis verbis: Creſcite, & multiplicamini. 217.4

Diſcrimen.

Diſcrimen inter impedimentum, & adulterium ad diuertendum exprimitur. 627.10

Diſparitas cultus.

Vide verb. *Infidelis*, & *Matrimonium*.

Diſpenſatio.

Diſpenſatio vt preces veritate nitantur requirit, quod tempore cõceſſionis cauſa allegatæ veræ ſint. 510.3
Diſpenſatio prius petita, & negata: taciturnitas non reddit ſubreptitiam obtentam. 514.2
Diſpenſationis valor diſpenſantis voluntatem neceſſario requirit. 513.6
Diſpenſatio valida erit etiamſi ſucceſſori prædeceſſoris negatio taceatur. 514.3
Diſpenſationi nihil officit inferioris negantis taciturnitas reſpectu ſuperioris, vel econtra. ibid. 4.5
Diſpenſatio valet data à delegato, etiamſi à delegante negata ſit. 515.7
Diſpenſationis ſecundæ validitas ſi cadat ſuper diuerſam materiam non eget expreſſione ſecunda. ibid. 8
Diſpenſatio poſterior circa eandem rem neceſſario requirit prioris mentionem in caſibus iure expreſſis. ibid. 3
Diſpenſatio ſecunda, quando prima neceſſaria eſt, ne Princeps cæco modo procedat, indiget neceſſario ipſius mentione. ibid. 4
Diſpenſatio prior ex nullis circunſtantiis connexa cum poſteriori tacita non reddit iſtam inualidam. 6.6.5
Diſpenſatio poſterior tacita priori qua poteos non vſus eſt fuit inualida, & ſubreptitia. ibid. 6
Diſpenſatio circa impedimenta diuerſæ rationis non requirit expreſſionem illorum quæ abſque diſpenſatione tolli poſſunt, vt ad ſingula valeat diſpenſatio 517.3
Diſpenſatio circa plura impedimenta inter ſe in ordine ad matrimonium colligata, omnium expreſſionẽ neceſſario per ſe loquendo poſtulat. 518.5
Diſpenſatio circa vnum impedimentum tacitis aliis diſpenſationi ſubiectis, non tamen per ſe ad matrimonium ordinatis valida eſt, & licita. 517.4
Diſpenſatio circa irregularitates, & alias inhabilitates, & pœnas per ſe loquendo dari poteſt circa vnam & non circa aliam. 518.7
Diſpenſatio vt valeat ad plura impedimenta diuerſæ rationis omnium expreſſionem requirit. 519.1
Diſpẽſationis valor coniunctionis gradum requirit expreſſum. ibid. 2
Diſpenſatio ſubreptitia eſt ſi coniunctio duplici titulo in eodem vel diuerſo gradu taceatur. ibid. 3
Diſpenſatio conſanguinitatis, & affinitatis de iure communi ſolum requirit expreſſionem remotionis gradus eorum qui irregulariter diſtant à ſtirpe. 520.7
Diſpenſatio viget licet non explices an ea diſtantia ſit in linea recta vel tranſuerſali. ibid. 9
Diſiunctionũ error in gradibus eiuſdem ſpeciei non irritat. ibid. 10
Diſpenſatio circa affinitatem cum conſa[illegible]nea vxoris valida eſt, tameſi publica honeſtas [illegible]catur, non vero circa affinitatem vt ſit. ibid. 11
Diſpenſatio petita in [illegible] vel 4. affinitatis [illegible] valet tacita publica honeſta[illegible], & copula [illegible] 521.12
Diſpenſatio in primo, vel ſecundo g[illegible]u poſtulat narrandum neceſſario, ſi ex copula coniu[illegible]i orta ſit. ibid. 13.
Diſpenſandi poteſtas in affinitate ad publicam hone-
ſtatem extenditur. ibid. 14
Diſpenſati[illegible] in primo gra[illegible] neceſſ[illegible] petit mentionem publicæ honeſtatis ortæ ex matrimonio rato. ibid. 15.
Diſpenſatio ruit etiam errore communi circa gradus vel impedimentum. ibid. 16
Diſpenſatio circa interfectorem propriæ vxoris cum animo ducendi concubinam, vel ſine illo, delatum tamen, & damnatum vt valide impetretur, conſule. 542.8
Diſpenſationem [illegible]m expedita ab ordinario non irritat copula poſt habita inter conſanguineo[illegible] ibid. 1
Diſpenſatio valida eſt tacita copula habita ante, vel poſt commiſſionem Papæ ibid. 4.5
Diſpenſatio excluſa clauſula: *Dummodo*, &c. etiamſi contrahentes interrogati negent valida eſt. 523.6
Diſpe[illegible]io [illegible]poſita clauſula: *Dummodo*, &c. & commiſſio Papæ facta eſt, pro foro exteriori valet, etſi interuenerit copula niſi plene conſtaret Ordinario. ibid. 7
Diſpenſatio annexa clauſulæ: *Dummodo* &c. ſi commiſſio Papæ ſit pro conſcientiæ foro, ſi copula fuit vere habita nulla eſt. ibid. 8
Diſpenſatio ſi merito non fiat de matrimonio ſcienter inito inter gradus prohibitos [illegible] miſſi, ignoranter, & de continuatione, ſubreptitia eſt. 524.[illegible]
Diſpẽſatio nulla eſt ſi taceatur animus matrimonij ineundi inter gradus prohibitos vt facilius diſpenſetur, ibid 7
Diſpenſationis validitas non requirit mentionẽ carnalis copulæ inter impeditos, quæ ſine matrimonio interuenit. ibid. 8
Diſpenſatio ruit non detecta ſpe facilioris diſpenſationis [illegible] expreſſa, licet æquiualenter impediti ſine matrimonio. ibid. 9
Diſpenſ[illegible] valet ſi non ponatur clauſula, *Dummodo* [illegible] *ſpe facilioris diſpenſationis* [illegible] ſiue ipſa fuerit. 525.10
Diſpenſationem error nominis non v[illegible] 528.1[illegible]
Diſpenſationem non irritam facit error nominis [illegible] petentis, quando diſpenſans agnoſcit perſonam cui petitur. ibid. 17
Diſpenſationem nequit exequi ordinarius ſi error dioeceſis interueniat. ibid. 18, 19
Diſpenſatio nec generale, nec ſpeciale mandatum requirit impediti 528.1
Diſpenſatio non prodeſt ignoranti donec ab i[illegible]ſo, vel alio ip[illegible]ius vices gerente acceptetur. ibid. 2
Diſpenſatio impetrata ab altero volentium matrimonium [illegible] vel qui [illegible] inierunt, pro[illegible] teri prorſus ignaro. 5[illegible].3
Diſpenſ[illegible] expirat morte eius cui [illegible] ibid. 4
Diſpenſationi vel priuilegio vnuſquiſque [illegible] poteſt. ibid. 5
Diſpenſationis renuntiatio requirit voluntatem exteriorem renuntiantis. i[illegible] 6
Diſpenſationis abdicatio vt ſortiatur effectus [illegible] renuntiantem externe requirit acceptationem [illegible]ſus. [illegible]
Diſpenſationis renuntiationem ſolus qui co[illegible] cepit re poteſt. [illegible]
Diſpenſatio conſanguineis conceſſa [illegible] nuptias non vtantur ipſis viduis [illegible] das valebit. [illegible]
Diſpenſatio p[illegible] circa conſ[illegible] c[illegible] alias va[illegible] impetrat[illegible] [illegible] 11.
Diſpenſationis non [illegible] male [illegible] æquipar[illegible]

Diſpenſatio ceſſat ſi ex animo cócedens reuocet. ibid.1
Diſpenſatio circa impedimentum iure communi vel Eccleſiaſtico dirimens nulla compoſitione facta, eſt ſine cauſa reuocabilis. 532.10
Diſpenſationes impedimentorum in foro externo conceſſæ non poſſunt ſine cauſa reuocari. ibid.11
Diſpenſatio matrimonij in foro conſcientiæ à ſacra pœnitentiaria conceſſa non poteſt ab ipſa ſine cauſa reuocari. ibid.12
Diſpenſatio non ſuffragatur in foro externo litteris non expeditis, at ſemel expeditis ſuffragatur à puncto gratiæ conceſſæ. 537.4
Diſpenſatio propriè eſt ſtrictè interpretandæ. 541.1
Diſpenſatio non eſt ita reſtringenda vt reddatur illuſoria. ibid.2
Diſpenſationis reſtrictio ne vltra verborum ſignificationem extendatur, imo nec ad omnia quæ verborum pariter ſignificatio. ibid.3
Diſpenſatio extenditur ad neceſſario connexa. ibid.4
Diſpenſatio attingit minus, vel coniunctum neceſſario, vel incluſum in maiori. ibid.5
Diſpenſationem non extendit argumentom à paritate rationis. 542.7,9
Diſpenſatio aliquando admittit argumentum à maiori ad minus. ibid.8
Quid propriè ſit diſpenſatio. 489.1 vſque 11
Diſpenſatio per ſe loquendo eſt reſtringenda. 490.12
Poteſtas diſpenſandi in lege fauorabili eſt ſicut & delegatio generaliter facta. ibid.2,3
Quoties datur facultas diſpẽſandi cum aliquo eſt ſtricti iuris conceſſio. 391.7,8
Princeps infidelis cum ſuis ſubditis infidelibus, & cum ſe ipſo poteſt diſpenſare. 501.14,15,16

Diſſolutio.

Diſſolutio matrimonij rati baptizatorum non fit à Pontifice auctoritate generali ſuperioris humani, ſed extraordinaria. 267.3
Diſſolutio matrimonij rati facta à Pontifice propriè loquendo non eſt diſpenſatio. ibid.4
Diſſolutio matrimonij rati quas cauſas exigat. 268.11,12
Diſſolutio matrimonij rati nunquam ab Epiſcopo fieri poteſt. 264.1

Diſtillatio.

Diſtillatio notabilis ſequitur naturam pollutionis, & eſt lethalis in cauſa, quando pollutio lethalis eſt. 594.8
Diſtillationes præuiæ in coniugatis ortæ ex copula cogitata ratione tactuum, verborum turpium, & delectationis venereæ dantis cauſam membrorum commotioni non ſunt mortales. ibid.1

Diuortium.

Diuortium ratione adulterij quio conſuetudo, vel tempus elapſus præualeat licitum eſt. 601.4
Diuortium ob adulterium iure naturæ licet coniugi innocenti. ibid.7
Diuortio vti non tenetur iure naturæ innocens. ibid.8
Diuortium exequi nullum præceptũ poſitiuum obligat. 602.9,11
Diuortium etiam celebrari poteſt ob adulterium commiſſum tempore infidelitatis, quamuis coniux adulter poſtea baptizetur. ibid.10
Diuortio ob ſæuitiam celebrato alteri, aut vtrique ad religionem, vel Ordines ſacros aliquando licet, & aliquando non. 613.9
Diuortij lite pendente non tenetur innocens debitum reddere de adulterio certus, niſi à iudice compellatur. 625.4

Dominium.

Dominium corporum radicale in matrimonio eſt rigoroſum, & ſtrictæ iuſtitiæ. 116.3
Dominium corporum eſt ius in re, & non ad rem. ibid.4
Dominij directi in corpus traditio neceſſaria eſt ad matrimonium. [illegible]
Dominium corporum, non poteſt [illegible] Eccleſia vel republica transferri abſque conſ[illegible]trahentium. 138.3
Dominium corporum poteſt diuinitus transferri abſque conſenſu viri, & mulieris. 139.5
Dominium transfertur per con[illegible] metu graui extortum. 190.4

Dominus.

Domini temporales ſine iuſta cauſa nequeunt ſubditos compellere ad matrimonium. 208.3

Dubium.

Dubium practicum de conſenſu adhibito & matrimonio contracto non liberat à matrimonio. 159.5

E

Ebrius.

Ebrio coniugi non tenetur ſui compos debitum reddere. 561.8

Eccleſia.

Eccleſia potuit in nonnullis caſibus, aſſignare verba pro forma neceſſaria matrimonij. 131.6
Eccleſia nõ præcipit ſimpliciter, vt loqui valentes matrimonium contrahant per verba. 146.12

Eleemoſyna.

Eleemoſyna quæ datur alicui titulo paupertatis, vel ſanctitatis, ſi paupertatem vel ſanctitatem fingat, tenetur eam reſtituere. 297.11

Epiſcopus.

Epiſcopus non poteſt diſpenſare in ſponſalium adimpletione. 105.5
Data ab Epiſcopo approbatio ad audiendas Confeſſiones cum limitatione ad certum tempus, vel ad ſuum beneplacitum non eſt damnanda. 519.7
Epiſcopus non poteſt detinere contra Religioſos exemptos nouitium coniugatum. 615.4
Epiſcopus nequit cenſuris compellere exemptos impedientes nouitij coniugis abſtractionem. ibid.5
Epiſcopus non poteſt per vim, ſine graui peccato extrahere à monaſterio exempto nouitiam coniugatam. ibid.6
Epiſcopi licentia ad valorem profeſſionis coniugati neceſſaria non eſt. 621.3
Epiſcopi facultas ad talem profeſſionem deſideratur ſolum ex honeſtate & congruitate quadam, non ex prælegato. ibid.5
Epiſcopi licentiam deficere, vel interuenire, nihil ad rem facit quoad reuocationem. ibid.7
Epiſcopi licentia, vt ſacris maritus initietur nullo modo eſt neceſſaria. 622.3
Poteſt Epiſcopus delegare facultatem diſpenſandi in denunciationibus. 476.8
In dubio ſi tenetur Epiſcopus diſpenſare, nec eſt locus conſulendi Epiſcopum, licitum eſt vti epiicheia omittendo denunciationibus. 480.5,6
Ordinariè non poteſt diſpenſare Epiſcopus in impedimentis matrimonium dirimentibus. 497.1
In caſu neceſſitatis, quando non eſt aditus ad Papam poteſt. ibid.3 vſque 10
In neceſſitate vrgentiſſima poteſt Epiſcopus diſpenſare in impedimento dirimente ante contractum matrimonij. 497.11,12
Moraliter verò non poteſt talis caſus occurrere. 497.13
Nequit Epiſcopus diſpenſare vrgente graui neceſſitate

Digitized by Google

ſitate vt contrahatur matrimonium abſque Parocho & teſtibus. 459 12
Epiſcopi non habent iure diuino actu determinatam poteſtatem iuriſdictionis, ſed eam iure eccleſiaſtico à Papa accipiunt, nec habent maiorem quam Papa concedat. 276.4
Epiſcopi vt hanc vel illam iuriſdictionis poteſtatem non habeant, non eſt opus Papam iam ipſis negare, ſed ſufficere quod eis non concedatur. ibid.5
Epiſcopi vt abſoluant à cenſuris ſat eſt conceſſio generalis, non eſt idem de poteſtate diſpenſandi. ibid.6

Error.

Error cauſæ per ſe non viciat matrimonium. 167.1
Error perſonæ matrimonium dirimit. 293.3
Error antecedens matrimonium dirimit, etiamſi ſit craſſus, & facile vincibilis. ibid.5,6
Si error perſonæ ſit concomitans, dirimit quoque matrimonium. 295.7,8
Error perſonæ non dirimit matrimonium iure diuino. 296.1
Error perſonę dirimit iure naturæ matrimoniũ.ib.3,4.5
Error perſonæ irritat matrimonium iure gẽtium ibid 6
Non poteſt Papa efficere vt error perſonæ non irritet matrimonium. ibid.
Non valet inter infideles matrimonium initum cum errore perſonæ. 297.8
Error qualitatis quando ſe habet concomitanter non dirimit matrimonium. ibid.2,5
Error qualitatis, quam ſi aduertiſſet non contraxiſſet, non dirimit matrimonium. ibid.3
Error qualitatis dirimit matrimonium iure naturæ, quando matrimonium ſit dependenter ab ea tanquam à conditione. 298.4,7
Si error qualitatis det cauſam matrimonio ineundo adhuc non dirimit matrimonium. ibid.8
Cum error qualitatis redundat in errorem perſonæ dirimit matrimonium. 299 1
Error illius qualitatis inuoluit errorem perſonæ, quæ determinat intellectum contrahentis vt certam, & determinatam perſonam concipiat. 300.5,6,7
Exemplũ Tabienæ de errore ſolum fuit error ſolius qualitatis ibid 8. de aliis caſibus. ibid 9,10,11
Qui per dolum vel errorem qualitatis, v.g. virginitatis, induxit alium ad matrimonium cum periculo grauis damni peccat mortaliter, ſi fiat ſine periculo non peccat. 301.4,5,6
Sponſa credita virgo à ſponſo per errorem non tenetur reſtituere arrhas, ſiue *I. ſcreix.* ibid.
Error conditionis ſeruilis iure diuino non dirimit matrimonium. 30..3
Nec dirimit iure naturæ. ibid.4,5
Solo iure eccleſiaſtico eſt impedimentum dirimens. 305 6
Error vel ignorantia inuincibilis conditionis ſeruilis alterius dirimit matrimonium. 306.6
Idem dic etiamſi ſit ignorantia vincibilis conditionis ſeruilis. ibid.7
Idem dic etiamſi ignorantia conditionis ſeruilis ſit omnino craſſiſſima, aut valde ſupina. ibid.8
Idem dic ſi ſit error conditionis ſeruilis concomitans. 307.10
Ex vi matrimonij contracti cum errore conditionis ſeruilis non tenetur poſtea ſeruus vel ſerua contrahere cum libero, vel libera etiamſi illa velit. ibid.1

Eua.

Euæ creatio non fuit celebratio matrimonij primorum parentum. 215.5

Euchariſtia.

Euchariſtia nullam confert gratiam, oblato obice poſt conſumptas ſpecies. 142.3

Eunuchus.

Eunuchi, qui ſolo altero teſticulo carent apti ſunt ad matrimonium. 411 4
Spadones, ſeu Eunuchi vtroque teſticulo priuati ſunt inhabiles ad matrimonium iure naturæ, & Eccleſiaſtico. ibid.5 & ſeq.

Excommunicatus.

Excommunicationis iuſtæ metus non eſt cadens in virum conſtantem. 187.18
Excommunicationis iniuſtæ metus cadit in virum conſtantem. ibid.
Excõmunicato coniugi licitum eſt reddere. 559.11,12
Licitum eſt excommunicato coniugi petere debitum. ibid.10
Excommunicato vtrique coniugi etiam licita eſt mutua petitio, & redditio. ibid.
Excommunicati ambo coniuges propter idem crimen priuantur mutua communicatione petendi, & reddendi. ibid.14
Excommunicatio lata in participantes non comprehendit coniuges, niſi vnus alteri communicet in crimine. 560.15
Excommunicatio reddit communicationem inter coniuges in quatuor caſibus illicitam. ibid.17

Executor.

Executor litterarum diſpenſationis debet eſſe confeſſor ab ordinario approbatus, licet occulte reuocata ſit licẽtia, & reuocationis cõmunis ſit error. 547.4
Executoris muneri non officit limitatio perſonarum in confeſſario non defectu ſcientiæ, ſed ratione ætatis. ibid.5
Exequitur valide diſpenſationis litteras Doctor quantumcumque indoctus ſi approbatus ab ordinario. ibid.6
Executor alios primo renuente eligi poteſt ad expeditionem litterarum. ibid.7

Expenſ.

Expenſis vtrinſque æquiualibus ſoluenda & diſpenſatio communi conſenſu impetrata, tametſi de expenſis nihil conuentum. 545.1
Expenſas integras ſoluere incumbit ſoli impetranti ſi non communi conſenſu, ſaltem tacito quæſita ſit, ibid 2.
Expenſis ſuis tenetur ille impetrare diſpenſationem, cuius cauſâ euenit impedimentum, ne ſponſalia adimplerentur. 586.6
Expenſas tenetur reſtituere qui ingreditur religionem poſtquam ſponſalia contraxit, & ſub ea ſpe virginem deflorauit. ibid.7
Expenſas non tenetur reſtituere, ſi nulla matrimonij fide data virgo conſentiens deflorata ſit, licet poſtea matrimonium illi promittat, & Religionem ingrediatur. ibid 8
Expenſarum integrarum reus eſt ſi defloratio fuit vi, aut dolo, & poſtea deflorans promiſit fœminæ matrimonium, vt iniuriæ ſatisfaceret, etſi de facto profiteatur. ibid.10

Expreſſio.

Expreſſio interni conſenſus eſt par eſſentialis matrimonij more humano facti. 135.2

F

Facultas.

Facultas alia eſt realis, perſonalis alia. 533.2
Facultas diſpenſandi circa determinatam perſonam in fauorem delegati re integra, concedentis morte expirat; ſecus ſi ſit in fauorem ſubditi. 536.7
Facultas data alicui ad audiendas confeſſiones ad

Google

ad beneplacitum concedentis, eius morte euaneſcit. 539.5

Fidelis.

Fidelium matrimonium contractum ſine intentione faciendi ſacramentum numquam poterit fieri ſacramentum. 248.8

Fides.

Fidei ſeruandæ obligatio debet à contrahentibus intendi. 142.9

Fides docet, matrimonium eſſe ſacramentum nouæ legis. 227.2

Fide certum eſt, matrimonij ſacramentum conferre gratiam. 229.3

Fidei contrarium non eſt aſſerere, matrimonium in omni ſtatu fuiſſe verum ſacramentum per modum conditionis. 235.12

Fide certum eſt, matrimonium ratum ante conſummationem diſſolui quoad vinculum per profeſſionem ſolemnem in Religione approbata. 256

Fidelitas.

Virtus fidelitatis eſt ſpecie diuerſa à virtute iuſtitiæ propriè ſumptæ. 49.2

Filius.

Filij non tenentur contrahere matrimonium à parentibus promiſſum. 151.4

Filij poſſunt licitè matrimonium inire, parentibus inuitis. ibid.5

Filij contrahentes matrimonium inconſultis parentibus peccant. ibid.6

Filiis præſentibus, & tacentibus, validè contrahitur matrimonium per extraneos ad id negotium peragendum vocatus. 152.2

Filiis tacentibus non contrahitur validè matrimonium per extraneos ad id negotium non vocatos. ibid.3

Filij tenentur conſulere parentes de matrimonio ineundo. 211.5

Filij licitè contrahere poſſunt inuitis parentibus, priùs tamen conſultis. 213.6

Filius non tenetur contrahere matrimonium priùs à patre promiſſum. ibid.12

Fœmina.

Fœminæ manum porrigens viro conſenſum exprimenti conſenſum dat matrimonij. 148.2

Fœminæ licet poſtquam vir ſeminauit intra vas & membrum virile extraxerit ſe tactibus prouocare vt ſeminet. 563.4

Fœmina nubere volens ſi ieiunio deformetur excuſabitur à ieiunio. 568.8

Forma.

Forma impedimenti matrimonij ſufficit ad ſponſalia diſſoluenda. 106.5

Forma contractus matrimonij ſunt conſenſus expreſſi contrahentium prout ſunt acceptatio. 131.10

Forma ſacramenti matrimonij ſunt conſenſus vtriuſque coniugis externè expreſſi quatenus acceptatio ſunt. 237.8

Forum.

Forum externum in dubio an conditio impoſſibilis fuerit iocosè appoſitæ? præſumit illam pro non adiecta. 163.12

Forum conſcientiæ in dubio de conditione impoſſibili ſeriò appoſita iudicat eam non adhibitam. 164.13

Frigiditas.

Vide *Impotentia*, & *Impedimentum*.

G

Gratia.

GRatiæ collatio ex opere operato quid ſit. 229.2

Gratia ex opere operato confertur à ſacramento matrimonij. ibid.4

Gratiam primam per accidens aliquando conferri à ſacramento matrimonij probabilius eſt. 230.7

Gratia ſacramentalis quid ſit. ibid.9 & 14

Gratia eſt diſpoſitio ad recipiendum licitè matrimonium. 238.1

Non expirat gratia mortuo Pontifice ante expeditionem litterarum. 531.3

Gratia conceſſa ad beneplacitum perſonæ concedentis, eius morte extinguitur. 538.3

Gratia expirat finito officio concedentis. ibid.4

Gratia conceſſa ad beneplacitum ſedis non finitur morte concedentis. 539.8

Gratia conceſſa cum clauſula: *Donec reuocauero*; non facit dependentem à morte concedentis. ibid.10

Gratia annexa his duabus clauſulis: *Donec reuocetur*, vel *donec reuocauero*; permanet extincto concedente. 540.11

Gratia non variat durationem ſiue dicat Pontifex, ſedes Apoſtolica tibi concedit, ſiue ego concedo, ſiue Innocentius X. concedit. ibid.12

Gratiam conceſſam ad annum non extinguit intra annum interitus concedentis. ibid.14

H

Hæreſis.

HÆreſis vnius coniugis, aut apoſtaſia à fide cauſam præbet diuortio, dum non reducitur. 528.2

Hæreticum coniugem Eccleſiæ iudicio ſeparatum alter coniux non tenetur emendatum admittere. 529.3

Hæreſis, & adulterium ſolum ſufficiunt diuortio perpetuo. 534.7

Hermaphroditus.

Hermaphroditus validè, & licitè contrahit in quo eminet ſexus virilis cum fœmina, & in quo eminet ſexus fœmineus cum viro. 425.3

Si præualente ſexu virili copuletur viro inſtar fœminæ, vel ſi præualente fœmineo copuletur matrimonio fœminæ inſtar viri, poteſt validè contrahere. 416.4

Quando in Hermaphrodito vterque ſexus eſt æqualis poteſt iuxta ſexum quem elegerit matrimonium contrahere, factus tamen viduus licet poſſit validè, ſed non licitè contrahere matrimonium iuxta alterum ſexum. ibid.5,6

Tenetur perſiſtere in lege ſolius illius ſexus quem ſemel elegit. ibid.7

Quid verò dicendum ſit de valore matrimonij cum in coniuge Hermaphrodito mutatur ſexus. 426.1 & ſeqq.

Nequeunt validè matrimonium contrahere duo Hermaphroditi, ad vſum promiſcuum vtriuſque ſexus. 427.2

Hermaphroditus dicitur qui vtrumque ſexum habet. 425.1

Quis in illo ſexus præualeat, & quid in dubio cenſendum. ibid.2

Quando vterque ſexus eſt æqualis debet eligere ſexum, quo vti malit. ibid.3

Honeſtas.

Vide *Publica honeſtas*.

I

Ignorantia.

IGnorantia alterius coniugis etiamſi alter ſciens contraxerit ſufficit ad euitandam pœnam Tridentini. 525.13

Ignorantia facti inuincibilis excuſat ne coniugi interdicatur debiti petitio in affinitate contracta. 584.2

Ignorantia iuris inuincibilis nihil circa ius petendi coniugibus detrahit. ibid.3

Digitized by Google

Ignorantia tam iuris, quam facti, licet culpabilis, dummodo non ſit affectata excuſat etiam inceſtuoſum coniugem. ibid. 4,5
Ignorantia huius pœnæ à tali iure ſtatutæ cum ſcientia iuris, & facti non excuſat coniugem. 585.6
Quid ſit ignorantia facti, & iuris. 334.3
Ignorantia alia eſt inculpabilis alia vincibilis, & hæc alia eſt affectata, alia voluntaria indirectè, quæ ſubdiſtinguitur in craſſam, & ſupinam. ibid.

Impedimentum.

Nullum eſt modò impedimentum matrimonij iure diuino ſtatutum. 494.5
In impedimentis dirimentibus non poteſt ordinariè diſpenſare Legatus à latere. 499.1,2
Nec Vicarius Generalis. 500.3
Quid commiſſarius poteſt Bullæ Cruciatæ. ibid. 4 vſque 10
Religioſi nullo modo poſſunt diſpenſare. 501.13
Impedimenta rectè ab Eccleſia ſtatuuntur. 28 .2
Impedimenta impedientia 12. numerantur. 286.1
Impedimenta dirimentia omnia ſunt quatuordecim. ibid. 2
Non inducit impedimentum dirimens matrimonium à Papa prohibitum ſine clauſula irritante. 286.5
Cum impedimento dirimente contrahere matrimonium eſt peccatum mortale. 281.1
Non eſt tunc peccatū ſacrilegij ibid. 7. neque ſpecialo peccatum inobedientiæ ſpecialis. 282.6,8
Peccatum eſt mortale contrahere cum impedimento impediente ob prohibitionem Eccleſiæ. ibid. 2
Eſt etiam peccatum mortale contrahere cum impedimento ſponſalia. 283.3
Idem dic ſi contrahatur cum impedimēto voti ſimplicis caſtitatis, vel religionis vel cœlibatus. ibid. 4
Impedimentum voti ſimplicis caſtitatis, & eius copula eſt quoque contra Religionem. 284 8
Impeditur ex interdicto ſi copuletur non inducit ſpecie malitiam præter fornicationem. ibid.
Impeditur iure Eccleſiæ dirimenti ſi contrahat matrimonium ex metu graui ſine animo conſummandi ex ſe non peccat, nec venialiter ſi delit fictio. 284 1 & 20..10 & 15
Cum impedimento dirimente conſūmare etiam eſt peccatum mortale ex metu graui. 284.3,4
Cum impedimento dirimente iure naturæ cōtrahere matrimonium eſt peccatum mortale, etiamſi contrahat ex metu graui. ibid. 5
Si conſūmet matrimonium cum impedimento voti ſimplicis, vel ſponſalium vel interdicti Eccleſiæ ex metu graui peccat mortaliter. 285,7,8
Impedimentum interdicti poteſt poni à Parocho extraiudicialiter. 287.1
Impedimentum ex Catechiſmo olim erat impediens. 29.1,2
Nunc iam eſt ſublatum, non tam ex Tridentino, quam ex conſuetudine præſcripta. ibid. 4,5,6
Impedimentum ex ſponſalibus ortum obligat ſub mortali. 290.1
Impedimentum impediens ex inceſtu ligat, non ex vi Tridentini, ſed ex conſuetudine præſcripta. 291.1 & ſeqq.
Impedimentum ex voto ſiue religionis, ſiue caſtitatis, ſiue ſuſcipiendi Ordines ſacros ſiue non nubendi impedit ſub mortali. 292.1
Impedimentum raptus vxoricidijque quale ſit. 292.1 & ſeqq.
Impedimenta ſuſceptionis propriæ ſobolis, presbytericidij, pœnitentiæ ſolemnis, & coniugij monialis qualia ſint. 293.1 & ſeqq.
Ex impedimentis impedientibus octo non indigent diſpenſatione, quia iam ſunt abrogata. ibid. 2
Si alicubi vigeant poteſt Epiſcopus diſpenſare. 294.7
Impedimento ſponſalium, & voto ſi fuerit religionis, vel caſtitatis, nequit diſpenſare Epiſcopus, ſed ſolus Papa. ibid. 5,6

Impetrare.

Impetrans ad exequutionem diſpenſationis poteſt electo vno confeſſario alium eligere, vel ad primum redire, & mutatam ad valorem ſententiam ſequi. 534.12
Impetrans eligere poteſt vnum Confeſſarium vt diſpenſet, & alium vt prolem legitimet. ibid. 13

Impotentia.

Quid & quotuplex ſit impotentia coëundi, & quando cenſenda ſit impotentia perpetua, & quando temporales. 608. tot.
Impotentia ad ſolam generationem quæ dicitur ſterilitas, etſi ſit perpetua, & naturalis non inhabilitat matrimonium. 409.1
Senes dum potentes ſunt ad ſeminandum intra vas quamuis inueniuntur medicinæ arte habiles ſunt ad matrimonium, tametſi eorum ſemen ſit ſterile, & non prolificum. ibid. 2
Impotentia coëundi quandiu tantum eſt temporalis, & ſi naturalis ſit non dirimit matrimonium. ibid. 3
Quando eſt impotentia perpetua dirimit matrimonium. 410.4
Impotentia perpetua ſeminandi intra vas, tametſi ſit potentia penetrandi vas fœmineum dirimit matrimonium. ibid. 5,6,7 & 411,3
Impotentia coëundi perpetua, & naturalis dirimit matrimonium etiam in ordine ad caſtè viuendum. 412 1 & ſeqq.
Impotentia viri reſpectiuè perpetua reſpectu vnius, & non reſpectu alterius dirimit matrimonium reſpectu illius. 413.1
Poteſt dari impotentia naturalis reſpectiua, quæ ſit perpetua, ac dirimens matrimonium. 41 ..3,4
Impotentia ex maleficio perpetuo dirimit matrimonium. 417.5
Impotentia abſoluta & perpetua dirimit matrimonium iure naturali. ibid. 2, 3
Etiam impotentia naturalis Eunuchorum vtroque teſticulo orbatorum dirimit matrimonium iure naturæ. ibid. 4
Dirimitur iure naturæ matrimonium per impotentiam perpetuam reſpectiuam ad aliquam perſonam. ibid. 5
Etiam inter infideles eſt matrimonium irritum ob impotentiæ ad copulam impedimentum. 421.6
Impotentia perpetua ſuperueniens matrimonio conſummato non poteſt iſtud dirimere. ibid. 2
Nec matrimonium ratum dirimitur per eam impotentiam ſuperuenientem. ibid. 3
Quando impotentia ſuperueniens matrimonio eſt ſola veri ſeminis effundendi poteſt tunc licitè peti, & reddi. 421.4
Si fœmina nequeat parere abſque proprio periculo graui vitæ, quamuis non teneatur reddere, adhuc poteſt licitè petere, & reddere. ibid. 6
Sed quid de impotentia coëundi poſt matrimonium. ibid. 7
In foro conſcientiæ cum euidenter conſtat impotentiam eſſe perpetuam, ex tunc coniuges
nequeunt

Digitized by Google

nequeunt ſe maritaliter tractare. 422.1,2,5,6
Quando eſt dubium, poſſunt vti matrimonio pro tempore aliquo. ibid.3,4
In dubio quando vterque fatetur impotentiam neceſſarium eſt triennium experientiæ ad declarandum. 425.7
Triennium in impedimento frigiditatis computatur à die copulæ intentatæ. ibid.10
Quo pacto triennium debeat eſſe continuum. ibid.12
Valet matrimonium, quando dubitatur de impotentia puberi ſi eſt perpetua, idque triennio experiri debet. 425.8,9

Impubere.

Sublato iure poſitiuo ex natura rei validè poteſt matrimonium iniri inter impuberes ſi adſit ſufficiens vſus rationis. 414.6
Quanto tempore ante annum pubertatis malitia eã ſupplet iudicis arbitrio committendũ eſt. ibid.7

Inceſtus.

Inceſtus vi commiſſus nihil derogat iuri petendi. 583.1
Inceſtus metu leui admiſſus priuat debiti exactione. 584.2
Inceſtuoſo cum propriis conſanguineis non interdicitur debiti petitio. 582.6
Inceſtuoſus petitione interdictus grauiter peccat ſi abſque diſpenſatione exigat debitum. ibid.8

Indifferens.

Indifferens conditio ſuſpendit contractum matrimonij. 177.3

Indiſſolubilitas.

Indiſſolubilitas matrimonij rati prouenit ex iure diuino poſitiuo. 270.7
Indiſſolubilitas omnimoda matrimonij conſummati baptizatorum cauſa motiua quid ſit. ibid.8

Indultum.

Indultum diſpenſandi ſiue à Pontifice, ſiue ab inferioribus conceſſum ad incertas perſonas non extinguitur re integra concedentis interitu. 535.2

Infamia.

Infamia iuris, & facti, ſi grauis ſit eſt obiectum metus cadentis in virum conſtantem. 186.12

Infidelis.

Infidelium matrimonium eſt actualis repræſentatio coniunctionis Chriſti cum Eccleſia. 232.4
Infidelium matrimonium non fit propriè ſacramentum etiamſi poſt baptiſmum renouent conſenſus. 247.6
Infidelium matrimonium fit ratum, & magis indiſſolubile per ipſorum baptiſmum. 248.7
Infidelium matrimonium nequit diſſolui à Pontifice 271.2
Infidelium matrimonium poſt factum ratum per baptiſmum conſummatum nequit diſſolui à Pontifice. ibid.5
Infidelium matrimonium nequit diſſolui à Pontifice ſi fuit conſummatum ante baptiſmum vtriuſque. ibid.8
Infidelis ad Chriſtianiſmum conuerſus qui tempore infidelitatis legitimam vxorem repudiauerat cogendus eſt ad illam redire. 598.4
Infideles matrimonio coniuncti cum quocumque aſcendente, demptis patre, & matre, dummodo non contra legem ſuam irritantem illud inierint conuerſi ad fidem non ſunt ſeparandi. 352.5
Infideles ſeu non baptizati validè contrahunt matrimonium cum quouis ſibi affine. 37 2
Infidelis qui non conuertitur vna cum altero coniuge ad fidem conuerſo peccat in lege matrimonij. 400.8
Tempore Apoſtolorum, & ſexcentis poſtea annis licitum fuit fideli cum infideli coniuge cohabitare. ibid.10
Poſt dictum tempus nec fuit licitum, nec hodie licet. ibid.11,12
Quid eſt infidelem nolle cohabitare ſine cõtumelia creatoris, vel ſine pertractione ad peccatũ. 402.3,4
Si infidelis velit pacificè cohabitare, licet nolit conuerti, non poteſt conuerſus diſſoluere matrimonium, & aliud inire, ſi nulla ſit prohibitio cohabitandi cum infideli. 403.3,4
Exiſtente verò prohibitione cohabitandi, poteſt conuerſus diſſoluere matrimonium, & aliud inire. 404.4,5
Deſideratur tamen ante diſſolutionem matrimonij monitio. ibid.6 & ſeq.
In caſu quo diſſoluitur, non diſſoluitur ſtatim, ſed quando poſterius matrimoniũ cõtrahitur. 405.2,3
Matrimonium conuerſi cum infideli contractum ante baptiſmum ſi ſit conſummatum non diſſoluitur per ſolemnem profeſſionem. 407.3
Nec diſſoluitur per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum. ibid.4
Imo licet infideli diſſoluto matrimonio fidelis conuerſi ad aliud migrare. ibid.3,4

Ingreſſus.

Ingreſſus religionis à principio factus ſine licentia alterius coniugis poteſt poſtea per ſuperuenientem conſenſum confirmari. 541.6
Ingreſſus iſte ex natura rei ſecluſo iure poſitiuo, & nouitiatus in ipſo fundatus validi ſunt. 542.7
Ingreſſus iſte etiam attento iure poſitiuo antiquo non eſt ita inualidus, vt non poſſit ſuperueniente conſenſu coniugis validari ad profeſſionem faciendam. ibid 8
Ingreſſus huiuſmodi neque inſpecto iure Tridentini irritus eſt. ibid 9
Ingreſſus coniugati ad nouitiatum non requirit ad validitatem Epiſcopi licentiam. ibid 3

Inſolubilitas.

Inſolubilitas matrimonij non habet intrinſecam connexionem cum natura rationali. 253.4
Inſolubilitas matrimonij more humano facti prouenit ab inſtitutione diuina. ibid.5
Inſolubilitas matrimonij non prouenit à ſua intrinſeca natura nudè, ſed etiam à Dei inſtitutione. 254 7

Intentio.

Intentione remedij concupiſcentiæ licitè contrahitur matrimonium. 224.6
Intentio contrahentium debet ferri ſaltem implicitè in perpetuitatem traditionis corporum vſque ad mortem. 142.5
Intentio vitandi generationem non eſt contra ſubſtantiam matrimonij. 150 3
Intentio ſuſcipiendi ſacramentum matrimonij ſufficit ministro ad recipiendam gratiam per illud collatam 239 2
Intentio ſola faciendi contractum non ſufficit ad rationem ſacramenti. 142.2

Interdictum.

Matrimonium contractum tempore interdicti validum eſt. 287.3
Tempore interdicti licitè contrahitur matrimonium modò omittatur benedictio, quæ tunc illicita eſt. 288.4
Tempore interdicti non poſſunt fieri benedictiones in Eccleſia. ibid.5

Ioſeph.

D. Ioſephus excuſatur à culpa cum voluit à Virgine diſcedere. 629.3

Iudæus.

Iudæus.

Iudæus contrahens matrimonium ſub conditione dandi libellum repudij irritum facit. 172.2

Iudex.

Iudex poteſt per ſe loquendo cogere cenſuris ſponſalia iurata implere recuſantem iniuſtè. 103.2

Iudex tenetur abſoluere recuſantem pertinaciter implere ſponſalia poſt excommunicationem. 105.6

Iudex ſæcularis poteſt compellere ad ſponſalia ſeruanda etiamſi iuramento infirmata. 104.2

Iudicis ſententia neceſſaria eſt ad ſponſalium diſſolutionem, quando ſcandalum ex tali diſſolutione timetur. 105.5

Iudicialis cognitio veritatis precum non requiritur ad expeditionem diſpenſationis. 544.2

Iudex Eccleſiaſticus ſolum eſt competens ad cognoſcendum de adulterio, vt ratione illius diuortium celebretur. 625.1

Iudicis Eccleſiaſtici ſententia non requiritur vt coniux innocens debitum negare poſſit adultero. ibid.3

Iudice ſub excommunicatione latæ ſententiæ præcipiente coniugi innocēti occultum adulteriū alterius certo ſcienti, quod probare nequit vt reddat, nec tenetur, nec coram Deo excommunicatus eſt. ibid.4

Iuramentum.

Iuramentum non validat matrimonium metu contractum. 204.5

Iuramentum appoſitum matrimonio ex metu graui extorto contracto per verba de præſenti non obligat in futuro. ibid.

Iuramentum appoſitum matrimonio coacto per verba de futuro non obligat. 205.9

Non eſt in poteſtate iurantis promiſſionem grauem velle iurare, & non grauiter obligari, & cur. 53.14

Iuramentum quo quis Deum teſtatur, ſe ducturum, v.g. Mariam, validum eſt. 61.9

Iu

Ius naturale quid ſit. 491.1

Tribus modis poteſt dici aliquid eſſe de iure naturali. ibid.2

Ius petendi debitum matrimoniale poteſt impediri ſalua ſubſtantia matrimonij. 117.1

Ius Canonicum non diſponit, vt mandatum procuratoris ad matrimonium contrahendū expiretur mandante facto furioſo. 156.8

Iure naturæ irritum eſt matrimonium ſub conditione contraria bono matrimonij. 169.2

Iure ciuili nulla datur reſciſſio in his quæ leui metu geſta ſunt. 194.9

Iure naturali nulla eſt obligatio reſcindendi ea, quæ metu leui acta ſunt. ibid.2

Iure naturali, & poſitiuo validum eſt matrimonium contractum ex metu iniuſto cadente in virum conſtantem, non ad id incuſſo. 196.3

Iure gentium non eſt inualidum matrimonium contractum metu iniuſto cadente in virum conſtantem. 200.4

Iure ſolum eccleſiaſtico eſt irritum matrimonium factum ex metu cadente in virum conſtantem. 201.5

Ius Eccleſiaſticum non violat contrahens ficte ob metum grauem. 203.14

Iure municipali regni Valentini poſſunt parentes exhæredare filios pro libito. 210.15

Ius naturale iubet contractum matrimonij. 216.9

L

Laicus.

Laici domini cuiuſcumque qualitatis non poſſunt quidquam ſtatuere impedicos matrimonij liberum conſenſum. 151.5

Latro.

Latronem occultum quando [illegible] 105.6

L[illegible]lator.

Legiſlator tam ciuilis quam Eccleſi[illegible] uandas leges tene[illegible], quando materia com[illegible] eſt, & eiuſde[illegible] rationis ſu[illegible] & i[illegible] lis. [illegible]

Legiſlator parere tenetur ſuæ legi ex vi legis [illegible] lis. [illegible].4

Legiſlator diſpenſat ſecum inualide ſine l[illegible] cauſa in ſua lege, [illegible] munis eſt, & vniformitatem poſtulat in capite cum reipublicæ corpore. 504.3

L[illegible]

Omnis lex maximè canonica debet eſſe iuſtè lata. 274.1

Lex poſitiua conſtituit id quo præcipit in materia talis, vel talis virtutis iuxta varia motiua. 28 5

Lex humana nequit punire act[illegible], & affectus interiores niſi actibus exterioribus [illegible] dicentur. 38

Diſcrimen inter legem naturale[illegible], & poſitiuam: illa non obligat ceſſante ratione legis, hæc vero etiamſi ceſſet periculum ma[illegible]. 43.7

Leges reſcindentes matrimonium ob metum cadentem in virum conſtantem tantum reſpiciunt malum graue ex parte obiecti. 186.

Leges Ceſareæ municipale exhæredantes filio, non ſunt iure Canonico abrogatæ. 211.19

Obligat lex Tridentini vbi recepta eſt, non verò vbi nec promulgata, nec non recepta. 44[illegible].2

Lib[illegible] repudij.

Libellus repudij in antiqua lege ex rationabili cauſa ſoluebat matrimonium quoad vi[illegible]. [illegible].2

Libelli repudij efficacia ad diſſoluendum matrimonium non ex mutuo coniugum conſenſu, ſed ex diuina conceſſione ortum habuit. ibid.3

Libellus repudij Iudæis conceſſus omnino ceſſauit à die Pentecoſtes, non ante. ibid.4

Libelli repudij virtute nunc inter Iudæos infideles non diſſoluitur matrimonium. ibid.

Libert[illegible].

Libertas ſufficiens ad peccatum mortale debet reperiri in conſenſibus contrahentium. 189.1

Validum eſt matrimonium liberi cum ancilla, vel è contra, non ignorata ſeruitutis conditione. [illegible]6.1

Valet matrimoniū liberi cum ancilla ſi liber cognita ſeruitute ſirmet actu externo conſenſum. ibid.2

Licentia.

Licentiam aſſiſtendi matrimonio poſſunt c[illegible]dere omnes Ordinarij, qui poſſunt per ſe vali[illegible] aſſiſtere matrimonio. 411.1 ad 5

Non eſt Sacerdoti ſufficiens licentia tacita, & præſupta ex ratihabitione de futuro, bene verò ea quæ habetur ex ratihabitione de præterito. 462.6.7

Sufficit licentia generalis conceſſa Sacerdoti à Parocho, nec exigitur in ſcriptis eſſe. ibid.8.9

Licentia conferri debet Sacerdoti ſaltē ſimplici. 462.1

Si licentia ſit ſacerdoti conceſſa à Parocho propria ſponte, vel rogato, ab alio quādiu illā ignorat nō poteſt validè matrimonio aſſiſtere. 465.2 ad 7

An, & quo pacto ſit valida licentia aſſiſten[illegible] m[illegible]trimonio ſub conditione cōceſſa 36.1 vſque a[illegible].

Valida eſt licen[illegible] Parochi extorta per vim, [illegible]tum grauem. 467.[illegible]3

Vali[illegible] eſt licentia ſacerdotis dolo, & mend[illegible] obtenta quando certo conſtat de Paroc[illegible], eti[illegible] ſi ſciret mendaci[illegible] m adhuc illam conce[illegible] [illegible].46[illegible]2

Idem dic ſi petitio illa falſa non fuit Parocho ca[illegible] motiua, ſed impulſiua, ib[illegible]

Etiamſi fuerit impulſiua, & motiu[illegible] ſi Parochus habuit alium motiuum cam licentiam

conce

concedendi, valida eſt ea licentia. 468.4,5
Licentia ſeu gratia conceſſa ad annum, & beneplacitum durat intra annum mortuo concedente. 540.15
Licentia, ſeu gratia conceſſa his verbis, concedo tibi hoc pro vno anno ad meum beneplacitũ, non durat elapſo anno, & extinguitur morte concedentis. ib.16

Ligamen.

De fide eſt ligamen eſſe impedimentum dirimens aliud matrimonium. 391.5

Littera.

Litteræ diſpenſationis non fruſtrantur ſuo effectu ſi aperiantur ab eo qui gradu inſignitus nõ eſt. 547.3

M

Machinatio.

Machinatio ſola in mortem coniugis quando fit ab alio cõiuge, & ab altero cum quo eſt matrimonium ineundum, nullo interueniente adulterio eſt impedimentum dirimens. 384.4
Vt talis machinatio ſit impedimentum debet ſubſequi mors, & quod iſta fiat animo exterius ſignificato matrimonij contrahendi. ibid. 5,6,7,8
Eſt impedimentum ſiue vxorem occidat ſiue virum gratia alterius matrimonij contrahendi. 385.9,10
Machinatio in mortem coniugis re ipſa ſequuta ab vno ſolo facta interueniente adulterio dirimit matrimonium. ibid.1

Maleficium.

Tam vir quàm fœmina per maleficium poteſt impediri à copula. 426.1
Maleficij impedimentum variis modis poteſt eſſe perpetuum. 417.6
Si ſit maleficium temporale non dirimit matrimonium. ibid.7,8
Nunquam licet ob quemcumque honeſtum finem vti maleficio, ad tollendum quodcumque maleficium, quamuis maleficus ad id paratus ſe eſſe offerat. 4.8.1
Si maleficus ſciat plura media ad ſoluendum maleficium quædam licitam, & quædam illicita licitum eſt ab eo petere vt maleficium ſoluat quamuis conſtet petenti vſurum medio illicito. ibid.2. ad fin.
Nunquam licitum eſt petere à Dæmone vt ſoluat maleficia medio licito. ibid.
Licitum eſt malefico ſigna maleficij tollere, ac deſtruere abſque maleficio vbi inuẽta fuerint. 419.5
Licitum eſt per ſe loquendo ponere alia ſigna quibus poſitis expirat pactum & diabolus deſinit nocere. ibid.6 & ſeq.

Maritus.

Maritus ſi præuideat vxorem eſſe verecundam non audentem exigere, & ſit periculum incontinentiæ, tenetur ex rigore iuſtitiæ præuenire, & petere. 565.3
Maritus ob periculum incontinentiæ ſi nulla eſt vxoris petitio expreſſa vel tacita, non tenetur ex iuſtitia ſpeciali, & ſtricta petere. ibid.4
Maritus nec antea, nec poſt conſummatum matrimonium poteſt ad Ordines ſacros aſcendere abſque ſpontanea vxoris facultate. 622.1
Maritus vt poſſit ſacris initiari præter conſenſum vxoris, requirit vt ipſa etiã caſtitatem profiteatur. ibid.2
Maritus licitè in ſacris ordinatus eodem prorſus modo obligatur voto caſtitatis, ac ſi ante matrimonium ordinatus fuiſſet. ibid.5
Maritus in Epiſcopum promouendus ſimpliciter requirit vt vxor quamuis ſenex religionem profiteatur. 622.2
Marito conſcio adulterij vxoris ceſſante ſcandalo licitum eſt in partes longinquas recedere, vbi matrimonium ignoratur. 626.5

Materia.

Materia ſacramenti matrimonij ſunt conſenſus contrahentium externè expreſſi quatenus ſunt traditio. 236.8

Matrimonium.

Matrimonium in vinculo mutuo ex coniugum mutuo contractu reſultante conſiſtit. 107.4
Matrimonium validum quin conſenſus etiam implicitè feratur in formalem, & proximam obligationem vſus coniugalis. 120.7
Matrimonium formaliter ſumptum eſt coniunctio maritalis. 116.4
Matrimonium eſt verus contractus. 129.1
Eſt contractus oneroſus. 130.4
Anteceſſit cæteros contractus. ibid.5
Materia circa quam matrimonij ſunt corpora contrahentia. ibid.1
Materia intrinſeca contractus matrimonij ſunt mutui conſenſus contrahentium expreſſi, prout habent rationem traditionis corporum. 131.10
Matrimonium nec diuinitus poteſt fieri ſine mutuo contrahentium conſenſu. 138.2
Matrimonium vt contractus exactè definitur. 144.5
Matrimonium vt ſacramentum exactè definitur. 251.6
Matrimonij exacta definitio. 129.4
Matrimonium valide contrahitur per procuratorem etiam vbi eſt receptum Tridentinum. 154.8
Matrimonium validè poteſt contrahi per litteras etiam poſt Tridentinum. 157.4
Matrimonium contractum ſub conditione ſi Papa diſpenſet in his impedimentis in quibus non ſolet diſpenſare, reddit nullum matrimonium. 166.2
Matrimonium contractum ſub conditione diſpenſationis impedimẽti interueniente cauſa iuſta diſpẽſabilis, validũ eſt in ratione cõtractus cõditionati. ib.3
Matrimonium contractum ſub conditione turpi ſerio appoſita ſuſpenditur quouſque talis conditio impleatur. 157.2
Matrimonium contractum ſub conditione, hac poſita non indiget nouo conſenſu. 201.5
Matrimonium metu graui factum non valet vt ſponſalia. 203.11
Matrimonium inualidum ratione metus variatur quoad copulam, non quoad forum conſcientiæ, ſed externum. 203.2
Matrimonium ex metu iuſto contractum non eſt iure naturæ inualidum. 207.1
Matrimonium eſt bonum homini naturale ac licitum. 221.2,5
Matrimonium quodlibet habet aptitudinem, vt ſit ſignum rei ſacræ. 232.3
Matrimonium non in quolibet ſtatu ante legem Euãgelij fuit gratiæ cauſatiuum. 234.11
Matrimonium vniuocè, & genericè conuenit cum reliquis nouæ legis ſacramentis. 235.2
Matrimonium à non baptizato cõtractũ non fit ſacramentũ eo præciſè quod coniuges baptizẽtur. 246.5
Matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum non eſt ſacramentum. 249.3
Matrimonium inter baptizatos per procuratorem contractum eſt propriè ſacramentum. 231.2
Matrimonium præſumptum poſt ſponſalia de futuro re, & verbis iuſus vi copulam indicat. 150.10
Matrimonium licitè contractum duplicem parit obligationem, negatiuam vnam, poſitiuam aliam. 565.1
Matrimonium ratum in lege Euangelica baptizatorum poteſt diſſolui dupliciter quoad vinculũ. 600.2
Matrimonium conſummatum baptizatorum habet omnimodam indiſſolubilitatem. ibid.3 Matrimoniũ legitimum

legitimum infidelium tam tarum, quam conſummatum eſt omnino indiſſolubile. ibid.4
Matrimonium prædictum ob cauſam fidei poteſt diſſolui. ibid.5
Matrimonium conſummatum niſi alter coniux conſentiat prohibet primum ingreſſum ad nouitiatum. 582.2
Matrimonium inter patres,& filios eſt ipſo naturæ iure irritum. 350.3,4
Solum in primo gradu aſcendentium & deſcendentium dirimitur matrimonium iure naturæ, & non in vlterioribus gradibus. 350.1,4
Non omnes gradus Leuitici 18. prohibiti annullant matrimonium iure naturæ. 354.5
Prædicti gradus prohibiti Leuit. 18. non obligant Iudæos infideles, nec irritant matrimonia illorum. ibid.
Matrimonium ex primæua Dei inſtitutione eſt vnius cum vna, ita vt inualidè quis contrahat cum ſecunda priore viuente. 391.1
Ex Chriſti iure diuino matrimonium debet eſſe neceſſariò vnius cum vna. ibid.2,3
Iure Canonico vt ſit validum debet eſſe vniuſcum vna tantum. ibid.4
Non eſt de eſſentia matrimonij & ex natura rei, vt ſit vnius cum vna tantum. 392.4
Poſita Dei inſtitutione matrimonij irritum eſt iure naturæ matrimonium vnius viri cum vxoribus pluribus. 393.6
Qualiter conſtare debeat de prioris coniugis morte, vt quis ad ſecundum matrimonium poſſit tranſire. 31.3,4,5
Matrimonium fidelis, cum infidele non eſt licitum. 396.1
Prædictum matrimonium non eſt irritum iure naturali, nec iure diuino, ſed iure tantum poſitiuo. 397.2,3,4
Inter baptizatum, & catechumenum eſt irritum matrimonium. 398.6
Matrimonium catholici cum hæretica vel ècontra eſt illicitum, eſt tamen validum. Ibid.2 & ſeqq.
Vtrum verò liceat catholici cum hæretico contrahant matrimonium in locis vbi permixti habitant. 399.5,6
Poteſt Papa diſpenſare vt fidelis cum hæretico contrahat, ſicut & fidelis cum infideli non baptizata, ibid.7
Inter infideles verum eſt matrimonium, & tunc eſt validum, quando non adeſt in ipſorum matrimonio impedimentum iure naturæ dirimens, quamuis dirimat iure canonico. 399.1,2,3
Tempore primitiuæ Eccleſiæ non licuit fideli cum infideli non conuerſo non cohabitare etiam ablato animæ,& ſalutis ſpiritualis periculo, ſi ſit aliqua ſpes eius conuerſionis. 400.5,6,9
Non tenetur fidelis illi reddere debitum. ibid.7
Quando vterque infidelis ad fidem conuertitur non poteſt diſſolui prius matrimonium iam conſummatum. 401.1
Si ante matrimonium à fideli contractum tranſeat infidelis ad alias nuptias ſunt irritæ. 404.4
Matrimonium conuerſi cum infideli contractum ante baptiſmum quando non eſt conſummatum diſſoluitur per ſolemnem profeſſionem. 407.2
Diſſoluto matrimonio per tranſitum fidelis ad alias nuptias validè infidelis pertinax in ſua infidelitate ad alias nuptias tranſit, ibid.1
Quid ſit matrimonium ſolemne, & quid ſit ſimpliciter clandeſtinum. 430.5 vſque ad fin.
Matrimonium clandeſtinum nec eſt irritum iure naturæ, nec illicitum. 434.3,4
Eſt illicitum iure eccleſiaſtico. ibid.5
Potuit Eccleſia irritare matrimonium clandeſtinum, tam indirectè, quam directè. 435.1,2
Potuit Eccleſia irritare matrimonium clandeſtinum quatenus eſt ſacramentum non directè, ſed indirectè. 436.3
Meritò Tridentinum de facto irritauit matrimonium clandeſtinum, quæ irritatio non fuit pœna. ibid.4,6
Ante Tridentinum fuerunt prædicta matrimonia prohibita, ſed non irrita. ibid.5
Validum eſt matrimonium clandeſtinum, vbi Tridentinum non eſt prædicatum, vel receptum ibid.1
Quando matrimonium abſque graui incommodo, ſiue in articulo mortis, ſiue extra nequit matrimonium omitti, aut differri,& Parochus nequit haberi, inualidi abſque eo celebratur. 437.4,5
Matrimonium inualidum ob publicum impedimentum, vel quod planè probari poteſt, eſt iterum celebrandum coram parocho,& teſtibus. 438.6,7
Si ſit nullum ob defectum omnino occultum non eſt neceſſaria iterum aſſiſtentia parochi, & teſtium. ibid.10,11
Nullum eſt matrimonium clandeſtinum tametſi contrahentes ignorent inuincibiliter legem Tridentini illud irritantem. 439.5 & ſeqq.
Validè contrahunt clandeſtinè quando contrahentes vadunt ad loca in quibus non obligat lex Tridentini, ſiue mutando domicilium, ſiue per modum hoſpitij, vel tranſitus. ibid.3,4,5
Chriſtiani habitantes in prouinciis infidelium vbi non fuit Tridentinum promulgatum validè contrahunt abſque Parocho,& teſtibus. 441.6
Validè etiam contrahunt captiui apud infideles. ibid.7
Matrimonium debet eſſe conſenſus legitimus. 273.6
Poteſt conſenſus irritari ab Eccleſia. ibid.
Valet matrimonium initum ab excommunicatis. 287.2
Peccat mortaliter excommunicatus contrahens matrimonium. Ibid.

Menſtruum.

Menſtruorum tempore exigere debitum non eſt culpa lethalis, nec venialis ob honeſtum finem, & tenetur mulier reddere. 555.13,14

Metus.

Metus leuis iniuſtè incuſus quem effectum habeat in contractibus tam naturali iure, quàm poſitiuo. 168. vſque ad fin.
Metus reuerentialis præciſè nec iure naturali, nec poſitiuo irritos reddit contractus. 224.1
Metus iniuſtè cadens in virum conſtantem ad extorquendum matrimonium, illud irritat. 198.3,4,5
Metus iniuſtè cadens in virum conſtantem non inualidat matrimonium iure naturæ. 200.3
Metum cadentem in virum conſtantem incutiens poteſt reſilire à matrimonio, vel volente coacto renouate conſenſum. 202.6
Metus legis iniuſtè incuſſus non inualidat matrimonium. 206.2
Metus iuſtè incuſſus cadens in virum conſtantem non inualidat matrimonium. 193.7
Metus cadens in fœminam conſtantem ipſam priuat poteſtate exigendi. 577.4
Qui ex metu graui iniuſto promittit cum iuramento aliquam ductuum obligatur ratione iuramenti ad eam ducendam, 101,8,9

Miniſter

Miniſtri

Mioiſtri proprij ſacramenti matrimonij ſunt contrahentes baptizati. 237.2
Miniſtri ſacramenti matrimonij debent ſaltem habere intentionem virtualem faciendi ſacramentum. ibid.
Miniſtri matrimonij ſunt contrahentes adhuc dum contrahunt per procuratorem. 238.4
Miniſter ſacramenti matrimonij peccat mortaliter ſi illud in mortali conficiat. 239.3

Mulier.

Mulier quæ bona fide nupſit excommunicato, nec communicatione, nec vſu coniugali priuatur. 558.6
Mulier quæ nupſit excommunicato denunciato poteſt licitè communicare, petere & reddere. ibid. 8

N

Notitia.

NOtitia adimpletionis conditionis adhibitæ eſt neceſſaria contrahentibus, vt contractus tranſeat in abſolutum. 167.3

O

Obex.

OBice recedente confert ſacramentum matrimonij effectum gratiæ. 239.2

Obligatio.

Obligatio non cognoſcendi alienum eſt inſeparabilis proprietas matrimonij. 119.3
Obligatio radicalis reddendi debitum neceſſario connotari debet à conſenſibus contrahentium, ad valorem matrimonij. ibid. 5 & 127.1
Obligatio ſeruandi tria bona matrimonij eſt proprietas ab illa inſeparabilis. ibid. 2
Obligatio ſeruandi bonum prolis negatiuè, ſeu non vitandi copulam, vel ſeruandi ſibi fidem, eſt accidens ſeparabile à matrimonio. 118.4
Obligatio proxima, & formalis reddendi debitum non eſt proprietas matrimonij. ibid. 5
Quænam obligationes ex vinculo coniugali fluant. ibid. 7
Obligatio radicalis reddendi debitum eſt paſſio neceſſario conſequens matrimonium. 565.2

Officium.

Officium Vicarij Generalis propriè loquendo nec ſucceſſorem habet, nec perpetuum eſt. 533.4

Ordinarius.

Cum contrahentes ſunt ex diuerſis diœceſibus poteſt quilibet Ordinarius diſpenſare in eorum denuntiationibus cum vtroque contrahente. 476.9, 12, 14
In caſibus in quibus non tenetur Ordinarius diſpenſare, nequeunt denuntiationes propria authoritate omitti 480.7
Si petat Ordinarius à volentibus contrahere an ſint aliquo impedimento ligati, etiamſi ſit occultum tenentur veritatem dicere, tametſi ipſis infamia ſequatur, vel à matrimonio contrahendo deſiſtere. 481.3
Notanda ex hac doctrina conſectaria. ibid. 4, 5, 6, 7
Quid faciendum Ordinario, vel Parocho qui in confeſſione nouit impedimentum volentium contrahere. 481.1, 2, 3, 4
Si ſolus Ordinarius ſciat impedimentum, & nulla viâ probari poteſt, tenetur publicè petenti matrimonium concedere, vel negare, vt appellet ad ſuperiorem, & poſſit ipſe coram ipſo comparere, & exercere officium teſtis. 484.5
Si nullus renunciet impedimentum coram Parocho, vel Ordinario, & ipſis ſolis conſtet de impedimento, ſi conſtet etiam de diſpenſatione pro foro conſcientiæ, poſſunt diſſimulare, & matrimonio aſſiſtere. ibid. 7
Quomodo ſe gerere debeat Ordinarius, & Parochus, cùm ab alio imponitur impedimentum. ibid. 1. vſque ad fin.
Quid nomine Ordinarij intelligatur in decreto Tridentini. 442.1 vſque ad fin.

Ordo.

Per Ordinem ſacrum dirimitur ſubſequens matrimonium. 338.1
Non dirimitur iure naturæ. ibid. 2
Nec iure diuino poſitiuo. ibid. 3
Ordo ſacer tam ratione ſui, quàm ratione voti ſibi annexi dirimit matrimonium iure tantùm Eccleſiaſtico. 339.4, 5
Certò non conſtat quando primùm cœperit hoc votum eſſe ſolemne, & habere hunc effectum irritandi matrimonium, & an ſimul cœperit ſub ratione voti, & ſub ratione ſolemnis. 340.2, 3
Dictum votum fuit ſolemne ante Bonifacium VIII. & ante Innocentium II. ibid. 6
Qui in ſacris tentat matrimonium contrahere, priuandus eſt beneficiis, & penſionibus. 341.4, 5
Incurrit irregularitatem bigamiæ ſimilitudinariæ. ibid. 6
Ordinati in ſacris non obligantur iure naturali ad perpetuam caſtitatem, vel abſtinendi à matrimonio, vel ab vſu eius, ſi antea contraxerant. 327.1
Neque id eſt illis prohibitum iure diuino. ibid. 2
Prædicta obligatio ad caſtitatem eſt ſolo iure Eccleſiaſtico annexa Ordinatis in ſacris. ibid. 3
Quàm antiqua ſit continentiæ lex in Ordinatis in ſacris, præſertim ſubdiaconis. 328.4, 5
Eccleſia obligat Ordinatum in ſacris, vt emittat votum caſtitatis. ibid. 3, 4 & 334.4
Prædictum votum implicitè fit voluntariá ſuſceptione Ordinis ſacri ſecundùm Eccleſiæ leges. ibid. 5
Si quis per ſaltum Diaconatum ſuſciperet, votum caſtitatis implicitum emitteret. ibid. 3
Si quis ſuſciperet Ordinem ſacrum cum expreſſa intentione non promittendi caſtitatem, maneret Ordinatus, peccaret grauiter, nec emitteret votum caſtitatis. ibid. 6
Qui ſic ordinatur, committit ſacrilegium amiſſiuum, & commiſſiuum, & etiam iniuſtitiæ, & manet obligatus ad votum emittendum. 335.7
In eo caſu adhuc manet inhabilis ad matrimonium ex conſtitutione Eccleſiæ. ibid. 8
Obligatio ſeruandi caſtitatem in Clerico in ſacris, & illius inhabilitas ad matrimonium ſubſequens oritur non ſolùm ex voto ſolemni caſtitatis, ſed etiam ex iure Eccleſiaſtico annexo Ordini ſacro. ibid. 9, 10, 11, 12, 13
Inualidè Ordinati non tenentur ſeruare caſtitatem. 331.2
Puer ordinatus in ſacris poſſet reddi inhabilis ad matrimonium. 332.3

De facto tamen non manet obligatus ad ſeruandam caſtitatem, nec redditur inhabilis ad matrimonium, ibid 4
Infaos Ordinatus cum ad annos pubertatis peruenerit, poteſt eligere ſtatum Eccleſiaſticum, vel liberè vxorem ducere. ibid. 5, 6
Puber Ordinatus in ſacris ante legitimam ætatem obligatur voto ſolemni caſtitatis, & etiam impuber. 333. 7, 8, 9
Ignoratus in ſacris cum ignorantia inuincibili obligationis ſeruandi caſtitatem non tenetur ad illam. 332. 6
Cum ignorantia affectata tenetur. 333. 7
Et etiam cum quauis ignorantia vincibili. ibid. 8, 9
Talis nō obligatur ex voto, ſed ex lege Eccleſiæ. ib. 11
Metu graui Ordinatus in ſacris cum expreſſa voluntate non ſeruandi caſtitatem non vouet caſtitatem. 336. 5
Nec peccat iſte nolendo ſe obligare. ibid. 6
Neque illum obligat Eccleſia immediatè ad ſeruandam caſtitatem. ibid. 7
Neque eum inhabilitat ad matrimonium. ibid. 8
Nec reoetur ad Officium recitandum. ibid.
Sic vi Ordinatus nihil cogitans de caſtitate, non obligatur ad continentiam, ſed poteſt eligere, 337. 9
Quid ſi coactè Ordinatus cum intentione ſuſcipiendi Ordinem ſacrum habeat ſimul intentionem ſe obligandi ad caſtitatem. ibid, 10 & ſeq.
Poſt matrimonium viuente vxore poteſt ordinari in ſacris vir ex conſenſu vxoris. 341. 1, 2
Præter conſenſum vxoris neceſſe eſt vt ipſa caſtitatem profiteatur. 342. 3
Si vxor fuerit iuuenis, deſideratur ingreſſus illius in religionem; ſi ſenex nec ſuſpecta de incontinentia ſufficit votū caſtitatis in ſæculo. ibid. 5, 6, 7, 8
Clericus poſt matrimonium in ſacris Ordinatus ſi cognoſcat vxorem peccat contra religionem, non contra caſtitatem. 343. 1
Non datur certa pœna pro tali peccato. ibid. 2
Qui ſine conſenſu vxoris illicitè ordinatur obligatur ad totam caſtitatem ſeruandam, niſi ad reddendum debitum vxori petenti. 344. 3
Quid ſi vir accepit ordinem ſacrum ſciente vxore, & non reclamante. ibid 4
Vir promotus ad Ordinem ſacrum, abſque vxoris licentia eſt irregularis ſi id fecit ex dolo. ibid. 5
Quid ſi matrimonium ſit irritum prædictus coniugatus ad Ordines ſacros promotus incurret hanc irregularitatem. ibid. 6
Si vir ordinetur in ſacris ſciente vxore & non reclamante, neque expreſsè conſentiente, manet irregularis ex tali facto. 345. 7
Non incurrit irregularitatem obtenta vxoris licentia, tametſi ea votum caſtitatis nō emiſerit. ibid 8
Vir promotus ad Ordines minores abſque licentia vxoris nullam irregularitatem, vel cenſuram incurrit, ibid. 4

Oſcula.

Oſcula non impudica licent ſponſis cōditionatis. 113. 3
Impudica non licent. ibid. 4
Etiam adimpleta conditione. ibid. 5
Oſcula in ſignum amicitiæ ſecundum conſuetudinem patriæ licita ſunt. 396. 4

P

Pactum.

PActum inter coniuges iuuenes nunquam cohabitandi irritum eſt. 568. 5

Papa.

Papa ex graui cauſa poteſt diſpenſare in ſponſalibus adimplendis. 105 5
Papa diſpenſare poteſt in matrimonio tantum rato fidelium, ita vt vterque poſſit aliud inire. 267. 2
Poteſt Papa vt Dominus temporalis decernere impedimenta matrimonij ſubditis infidelibus. 274 5
Nulla poteſtas humana etiā pōtificia poteſt diſpenſare in aliquo præcepto iuris naturalis. 593. 5
Si præcepta iuris naturalis pendeant ex conſenſu voluntatis humanæ poteſt Papa diſpenſare. ib. 7
Nullo modo poteſt Papa diſpenſare in impedimēto matrimonij iure naturæ dirimēti. ib. 8 & ſeqq.
Si aliquod omittatur impedimentorum iure diuino ſtatutum, non poteſt Papa in illo diſpenſare. 394. 6 vſque ad 10
Poteſt Papa diſpenſare in omnibus impedimentis iure Canonico dirimentibus. 495. 2
Non poteſt Papa efficere, vt matrimonium quod à principio fuit nullum, reddatur à principio validum. 296. 5
Poteſt Papa prolem illegitimè natam legitimare auferendo omnem inhabilitatē Canonicā. ib. 6, 7
Non poteſt Papa ab illa prole auferre inhabilitates ciuiles, quæ non ſubiacent eius poteſtati. ibid. 8
Non poteſt Papa diſpenſare in radice matrimonij. 497. 9, 10

Parens.

Parentes qui pro filiis promittunt matrimonium cum iuramento tenentur adhibere diligentiam ad illius executionem. 41. 17
Non tenentur ad pœnam ſoluendam ſi debitam diligentiam adhibeant niſi ſe obligent ad pœnam ſi rem non perficiant. ibid. 18

Parochus.

Parochus non peccat mortaliter in lethali aſſiſtens matrimonio. 240. 7
Non poteſt Parochus diſpenſare in denunciationibus. 477. 14
Sintne aliæ ſolemnitates in matrimonio ſeruandæ à Parocho. 487. 10, 11, 12
Si Parocho conſtat extra confeſſionem de impedimento occulto non poteſt publicè petenti matrimonio aſſiſtere. 485. 6
Parochus aſſiſtens matrimonio inito abſque denunciationibus triennio ab officio ſuſpēditur. 188. 1, 2. 3, 4
Dicta pœna non fuit contracta per Tridentinū. ib 5
Quis debeat dici proprius Parochus in ordine ad ſacramentum matrimonij qui & aſſiſtere illi poſſit, & licentiam concedere vt alij aſſiſtat, 444. 1. vſque ad fin.
Parochus non Sacerdos poteſt validè matrimonio aſſiſtere. 44 .3, 4, 5, 6
Licitum eſt Parocho non ſacerdoti aſſiſtere matrimonio. 447 8. 9
Parochus excommunicatus toleratus validè & licitè matrimonio aſſiſtit. ibid 1
Parochus etiam non toleratus validè aſſiſtit 448. 3, 4, 5
Rata etiam eſt benedictio ſolemnis ab ipſo data coniugibus. ibid. 7
Fit tamen irregularis. ibid. 8
Licitè poteſt excōmunicatus non toleratus aſſiſtere matrimonio in articulo mortis contracto. 449 9
Poteſt etiam talis excommunicatus aſſiſtere matrimonio abſolutè nulla vrgente neceſſitate, ſine vlla vi, & metu incuſſo. ibid. 10
Peccaret tamen grauiter benedicendo ſolemni benedictioni. 450. 11
Prædictus excommunicatus non toleratus validè, & licitè confert Sacerdoti, licentiam vt matrimonio aſſiſtat, ibid 13, 14

Geſta

Digitized by Google

Geſta per Parochum habentem titulum coloratum valida ſunt in vtroque foro. 451.1,2
Validum eſt matrimonium ſi aſſiſtat Parochus habens titulum coloratum. 452.3
Si Parochus careat titulo, & eſt intruſus, validè matrimonio non aſſiſtit. 453.5,6,7
Parochus non proprietarius validè poteſt matrimonio aſſiſtere. 454 2
Poteſt quoque licentiam delegare aſſiſtendi matrimonio alteri Sacerdoti. ibid.4
Idem dicito de Vicecuratis delegatis à proprio Parocho. ibid.5
Parochi delegati ad vniuerſitatem cauſarum poſſunt delegare licentiam aſſiſtendi matrimonio, non tamen poſſunt dare illi ſubdelegato facultatem iterum delegandi. ibid.6,7,8,9
Quis verò cenſeatur Parochus vagorum ſeu vagabundorum, vt illos matrimonio cõiungat. ibid.1
Non eſt neceſſarium neceſſitate præcepti grauis vt Parochus in matrimonio aliqua verba proferat. 456.1,2,3
Tenetur ſub mortali per ſe loquendo interrogare contrahentes de mutuo conſenſu. ibid.4
Non verò tenetur interrogare ſi aliquod ſubſit impedimentum. 457.5
Præſentia moralis requiritur in Parocho, & teſtibus ad valorem matrimonij. 458.1
Sufficit ſi Parochus, & teſtes percipiant ſolum conſenſus per interpretem. ibid.2
Non ſufficit in illis intentio virtualis, ſed requiritur actualis. 459.3
Valet matrimonium quamuis Parochus, & teſtes vi detenti interſint, dummodo intelligant conſenſus contrahentium. ibid.5
Valet matrimonium ſi celebretur coram Parocho, teſtibus tranſeuntibus. 450,8,9
Parochus, & teſtes debent aſſiſtere actui ſufficienti ad ſignificandum conſenſum de præſenti. ibid.1
Si aſſiſtant ſponſalibus etiam iuramento firmatis adhuc non valet matrimonium. ibid.2
Neque valet ſi adſint ſponſalibus, & copulæ ſecutæ poſt Tridentin. ibid.3
Idem dic ſi adſint matrimonio de præſenti impuberum, vel puberis cum impubere, ſi malitia non ſupplet ætatem. 461.4
Idem dic ſi præſentes ſint matrimonio conditionato, non verò conditioni. ibid.5
Non ſolum proprius parochus, ſed etiam Sacerdos delegatus validè aſſiſtit matrimonio extra propriam parochiam, vel diœceſim. 464. 2, 3,4
Regulariter non ſolet Parochus velle ſuam licentiam eſſe nullam ſi cauſa allegata falſa ſit. 468.6
Si Parochus exprimeret deficiente veritate talem licentiam non concedere conceſſio inualida eſſet. ibid.7
Parochus vel alter Sacerdos qui cum minori numero teſtium quam duorum matrimonio clandeſtino interfuit, grauiter eſt arbitrio ordinarij puniendus. 471.1
Non vero eſt ſtatuta contra illum pœna ſuſpenſionis triennalis. ibid.3,4,5
Parochus vero alienus, vel Sacerdos qui aſſiſtit matrimonio ſine licentia proprij Parochi ipſo iure manet ſuſpenſus ex Trident. 472.1,2,3,4,5
Non incurrit eam pœnam ſuſpenſionis triennalis. ibid.6
Nec religioſus excommunicationem incurrit qui ſolemnem benedictionem adhibuit ſine licentia poſt Tridentinum. ibid.473.8

Pater.

Patris conſenſus appoſitus matrimonio tanquam conditio, quomodo intelligendus. 15.1. vſque ad fin.
Patris diuturna indignatio ſufficit ad metum cadentem in virum conſtantem. 188. 0
Patres ſine cauſis iuſtis nequeunt compellere filios ad matrimonium. 209.7
Patres poſſunt mediis ſuauibus impedire filij matrimonium. ibid.8
Patres non poſſunt cogere filios ad matrimonium. 151.2

Patrinus.

Non requiritur certa ætas in patrino. 362.6
Modò vnus tantum ſiue vir, ſiue fœmina, & ad ſummum vnus & vna baptizatum de baptiſmo ſuſcipiunt. ibid.2
Non licere maritum, & vxorem alienum puerum de ſacro fonte leuare. ibid.3
Adhibere plures patrinos, v.g. duos viros, & duas fœminas ſimul eſt mortale. ibid 4
Deſignatio patrinorum ſpectat ad parentes, vel ad illos quibus incumbit cura baptizandi. ibid.5
Non omnes tangentes contrahunt, niſi deſignati. 363.6
Si nulli ſint deſignati tangentes non contrahunt. ibid.8,9
Quid ſi plures duobus deſignentur. ibid. 1, & ſeqq. vſque 19
Idem ſtatuit Tridentinum in patrino confirmationis, quod in baptiſmi. 365. 1,2

Peccatum.

Peccatum eſt multiplex ſpecie pro diuerſitate ſpecifica virtutis. 288. ...
Peccatum non eſt contrahere matrimonium optando generationem non ſequi ex iuſto fine. 225.5
Peccatum mortale eſt ſeparare rationem contractus in matrimonio inter baptizatos à ratione ſacramenti. 24 .8
Peccatum non eſt per ſe loquendo matrimonium ſine verbis contrahere etiam in loqui valentibus. 131. 12
Peccatum eſt mortale in contrahentibus excludere prolis propagationes. 22 .3
Peccatum non eſt contrahere matrimonium ob prolis propagationem. 2 4.4
Peccatum vt ſit multiplex ſpecie debet habere multiplicem oppoſitionem cum diuerſis virtutibus ſpecie. 288.4,5

Perſona.

Perſona patiens malum ad iudicandum, attendi debet, do metu cadente in virum conſtantem. 122. ...

Petere.

Petenti mortaliter indebito ſitu reddere mortale eſt. 563.15
Petenti venialiter ſitu non naturali nec veniale eſt reddere. ibid.17
Petenti ſine culpa graui quouis ſitu non ſolum poteſt, ſed tenetur coniux debitum reddere. ibid. 18
Petendi priuatio ſtatim ipſo facto ante omnem ſententiam incurritur. 581.8,9

Pœna.

Pœnarum varia genera, & quando ipſo facto, & quando ſententiam iudicis ſpectent, declaratur. 580. 3,4,5,6,7.

Polygamia.

Polygamia ſeu pluralitas vxorum fuit valida, & licita, antiquis patribus ex diuina conceſſione. 394. 1,2,3

Ante omnem Dei legem prohibentem polygamiam eſt ipſa irrita, & inualida ex non conceſſione. 393.7

Hæc conceſſio non fuit facta populo gentilium. 394.4

Hæc conceſſio ſublata eſt per Chriſtum. ibid.5

Multominus conforme eſt naturæ matrimonij pluralitas virorum reſpectu vnius fœminæ, quam pluralitas fœminarum reſpectu vnius viri. 395.2

Pluralitas maritorum ſimul cum vna vxore poteſt diuina virtute ac conceſſione fieri valida, & licita. ibid.3

Id nequit concedere Summus Pontifex. ibid.4

Neque vlla conſuetudine fieri poteſt licita. ibid.5

Pollutio.

Pollutionem procurare nunquam licet etiam mediis alias licitis. 561.2

Procurare notabilem ſpirituum vitalium generationi, & ſeminis effuſioni deſeruientium commotionem etiam per media licita eo fine aſſumpta lethale eſt. ibid.4

Pollutio per ſe intenta, & procurata eſt peccatum mortiferum. 593.1

Pollutio non ſolum dicitur voluntaria in ſe, ſed etiam in cauſa. 594.2

Pollutio præuiſa in cauſis aliàs licitis neceſſariis, vel vtilibus omni culpa vacat. ibid.

Pollutio præuiſa in actionibus per ſe ad illam tendentibus lethalis eſt cauſam non vitanti. ibid.5

Pollutio præuiſa in cauſis per accidens ad illam ordinatis, culpa vacat lethali. ibid.

Pollutio præuiſa in cauſa in ordine ad luxuriam veniali nullatenus eſt mortalis. ibid.7

Pollutio extraordinaria habita cum tertia perſona dat cauſam diuortio. 602.4

Pontifex.

Vide Papa, & Poteſtas.

Poteſtas.

Poteſtas diſpenſandi commiſſa certa perſonis in certis non extinguitur morte concedentis re integra. 554.1

Poteſtas inſtituendi impedimentum eſt apud Eccleſiam. 272.2

Prædicta poteſtas ſpiritualis eſt, ac ſupernaturalis. ibid.3 & 280.2

Eam poteſtatem contulit Chriſtus. 273.4

Ea poteſtas eſt apud Summum Pontificem. ibid.5

Solus Papa poteſt impedimenta ſtatuere. 275.4

Requiritur iuſta cauſa ea impedimenta ſtatuendi. ibid.2,5

Poſſunt variare impedimenta pro varietate temporis iuſtis de cauſis. ibid.7

Poteſt Papa aſſiſtente cauſa, particulari præcepto certas perſonas inhabiles reddere ad matrimonium contrahendum. ibid.8

Poteſtas ſtatuendi impedimenta matrimonij non eſt in Epiſcopis. 277.7

Eſt in principe infideli ſupremo reſpectu ſuorum infidelium ſubditorum. ibid.1,2

Etiam eſt reſpectu fidelium tali Principi ſubiectorum. ibid.3

Poteſt Princeps fidelis baptizatus ſtatuere impedimenta circa matrimonia infidelium. ibid.4

Non poteſt Princeps fidelis baptizatus impedimenta matrimonij ſtatuere fidelibus baptizatis, non ex defectu poteſtatis, ſed quia eam Eccleſia iure impediuit. 278.5,6,7,8

Poteſt conſuetudo inducere vel tollere impedimenta. ibid.2

Si conſuetudo præualeat ex vi præſcriptionis, non requiritur conſenſus perſonalis Papæ, vel Principis, ſecus ſi non præualeat ex vi præſcriptionis. 279.5,6,7,8

Prædictus conſenſus Principis ſufficit tacitus, & interpretatiuus. ibid.19

Poteſtas Eccleſiæ conſtituendi matrimonij impedimenta ſuperior eſt poteſtate ciuili, & hanc habet ſibi ſubiectam. 280.2

Poteſtas ſtatuendi impedimenta in Eccleſia expediens eſt, & honeſta. ibid.1

Præceptum.

Præceptum poſitiuum quod obligabat Patres tempore diluuij, modo non obligat. 220.6

Præceptum naturale nubendi vrgente neceſſitate obligat ſingulos. 219.2

Preces.

Preces importuniſſimæ metui reuerentiali coniunctæ generant metum cadentem in virum conſtantem. 188.23

Preces ſeorſim conſideratæ non generant metum cadentem in virum conſtantem. 189.25

Priuilegium.

Priuilegium variè accipitur. 531.2

Priuilegium cum grauamine aliorum expirat per non vſum, ſi decennium impleat, quod requirit præſcriptio. 533.3

Priuilegium oneroſum nequit ſine iuſta cauſa reuocari. 533.5

Priuilegio oneroſo ex iuſta cauſa reuocato debetur æquiualens recompenſatio. ibid.6

Priuilegium oneroſum generalis reuocatio non reuocat. ibid.7

Priuilegium remuneratiuum eſt per ſe irreuocabile. ibid.8

Priuilegium conceſſum non ſubdito & ab eo acceptatum, eſt à concedente, & ſucceſſore irreuocabile. ibid.9

Priuilegium & gratia non requirit ad valorem ſcripturam. 537.8

Priuilegium non acceptatum non expirat morte concedentis. 538

Priuilegium extinguitur morte concedentis, ſi addidit in conceſſione: quamdiu vixero. ibid.1

Priuilegium abſolutum niſi concedens tempus deſigniat, per non vſum non euaneſcit. ibid.3

Princeps.

Principes ſupremi poſſunt compellere ſubditos ad ea matrimonia, ad quæ tenentur iure naturæ. 208.1

Principes deficientibus iuſtis cauſis non poſſunt compellere ſubditos ad matrimonium. ibid.

Probabilis.

Probabilis cognitio de damnis imminentibus ſufficit vt iudex in non adimplendis ſponſalibus diſpenſet. 104.4

Probabilis cauſa ſufficit ad ſoluenda ſponſalia, propria auctoritate ſecluſo ſcandalo. 5.7

Procurator.

Procurator debet habere ſpeciale mandatum ad contrahendum matrimonium. 153.1

Procurator per ſe ſolum, & nomine principalis poteſt

poteſt contrahere matrimonium. ibid.
Procurator non contrahit validè matrimonium nomine illius qui reuocauit conſenſum, etiamſi iurauerit ſe non reuocaturum. ibid.3
Procuratori non debet dari mandatum coram Parocho & teſtibus vt validè contrahatur. 154.9

Profeſſio.

Profeſſio ſolemnis in religione non diſſoluit iure naturæ matrimonium. 22.8
Profeſſio in religione non diſſoluit iure diuino matrimonium ratum. 258.10
Profeſſio ſolemnis religioſa dirimit matrimonium iure Eccleſiæ, ac ſtatuto. 259.11
Profeſſio valida eſt licet non conſummato matrimonio tradiderit vir vxorem alteri adulterandã. 264.3
Profeſſio coniugati ſine licentia alterius matrimonio conſummato ſecluſa lege Eccleſiaſtica non eſt ex ſe nulla. 616.5
Profeſſio iſta Eccleſiaſtico iure nulla eſt. ibid.7
Profeſſio iſta quæ lege Eccleſiaſtica nulla eſt manet valida quoad votum ſimplex caſtitatis. 617.9
Profeſſio hæc irrita nullam retinet vim quoad alia vota. ibid 10
Profeſſio ſine licentia alterius coniugis inualida non reualidatur ex conſenſu ſuperueniente. ibid.11
Profeſſio ab vno coniuge facta de licentia alterius valida eſt ex natura rei, & ex iure Canonico. 618.1
Profeſſio vnius regulariter requirit præter licentiam vt alius etiam religionem ingrediatur. ibid.2
Profeſſio coniugis de licentia alterius valida eſt, licet alius non velit neque religionem ingredi ſi iuuenis eſt, neque votum caſtitatis emittere ſi ſenex eſt. 619.8
Profeſſio coniugis in Societate IESV niſi ſeruatis conditionibus præſcriptis à iudice eſt omnino irrita. 620.13
Profeſſio vxoris valida eſt quæ falſo credens iuſtè celebratum diuortium profeſſa eſt, viro iam profeſſo, vel ordinato. 628.4

Proles.

Proles quot modis euitari poſſit ab ineuntibus matrimonium. 121.2
Prolis vitandæ poſitiuè conditio inualidum reddit matrimonium. ibid.3

Promiſſio.

Adulterium coniugis coniunctum cum promiſſione ducendi eam, cum qua adulteratur, dirimit iure Eccleſiæ matrimonium. 387.1
Requiritur vt ea promiſſio non ſit ficta, & oretenus. 388.2,3
Requiritur quoque vt promiſſio ſit ſaltem virtute abſoluta, nec ſat eſt conditionata, cum non impletur ante mortem coniugis. ibid.5
Debet etiam ea promiſſio eſſe exterius manifeſtata. 389.2
Debet etiam ea promiſſio eſſe ab altero adultero acceptata. ibid.3
Non ſufficit quod alius taceat. ibid.4
Non requiritur repromiſſio formalis. ibid.5,6
Nec requiritur promiſſio iuramento firmata. 390.8
Illicita eſt, & inualida promiſſio qua vnus coniux promittit alicui ſe contracturum matrimonium cum eo poſt mortem ſui coniugis adhuc viui. ibid.9
Promiſſio matrimonij gratuita ex ſe obligat ſub mortali, ſi non limitetur ex intentione promittentis. 56.5
Poteſt tantum obligare ſub veniali ex intentione promittentis. ibid.6
Dictæ promiſſionis obligatio oritur non ex virtute veracitatis, ſed fidelitatis. ibid.7
Prædicta promiſſio poteſt dici quoque obligare ex iuſtitia, ſed non ſtrictè. 57.8,9,16
Quale ſit diſcrimen inter promiſſionem matrimonij gratuitam, & aliam onéroſam. ibid.10
Quo pacto vtraque dignoſcatur. ibid.12
Ex promiſſione gratuita non oritur impedimentum publicæ honeſtatis. ibid.11
Promiſſio gratuita ante acceptationem non obligat iure ciuili, & Canonico. 57.1,6,7,8
Promiſſio humana vt obliget debet innoteſcere ei cui fit promiſſio. 58 4
In quauis promiſſione voluntas ſe obligandi eſt eadem formaliter cum ipſa voluntate promittendi, nec ratione diſtincta. 59.8,9
Nequit dari vera promiſſio ſi deſit animus ſe obligandi. ibid.12,13,14,15,16
Matrimonij promiſſio debet eſſe externa. 16.1 & 25.1,2
Externa promiſſio debet eſſe coniuncta cum intentione ſaltem virtuali ſe obligandi ad matrimonium. 16.2
Promiſſio hæc debet eſſe mutua. 17.3,5
Vtrum poſſit dari contractus ſponſalitius abſque externa mutua promiſſione. ibid.6. vſque ad fin.
Promiſſionis acceptatio non eſt formaliter repromiſſio. 18.2,3
Bene poteſt intelligi voluntaria promiſſio oretenus ſine animo promittendi facta. 19.3
Promiſſio merè externa cum intentione non promittendi non obligat ex iuſtitia, nec ex fidelitate. 20.4,5,6
Ex promiſſione matrimonij ficta, gratuita tamen nulla oritur obligatio. 21.3
Promittere fictè matrimonium alteri ex animo repromittendi eſt peccatum graue contra iuſtitiam. ibid.4
In eo caſu fictè promittens non tenetur matrimonium contrahere, cum fœmina ſeriò repromittente. ibid 5,6
Fictè promittens matrimonium, & ſub ea ſpe deflorans virginem, non tenetur eam in vxorem ducere, ſed ſatisfacere conſtituendo dotem ſufficientem. 22.1 ad fin.
Si fictè promiſſor nobilis dedit ſigna, quibus fœmina potuiſſet intelligere dolum non tenetur. 23.1
Imo licet fœmina ſtatum inæqualitatis penitus ignoraret, non tenetur fictè promittens eam ducere. ibid.3 & ſeqq.
Promiſſio ficta matrimonium contrahendi etiamſi ſit iuramento firmata valida non eſt. 24.1 ad fin.
Promiſſio matrimonij vera, interna tamen non obligat iure naturæ, nec poſitiuo. 25.3,4

Publica honeſtas.

Publica honeſtas eſt proprietas ex verbis ſponſorum proueniens. 387.2
Duplex eſt ſpecies, alia ex ſponſalibus orta, alia ex ſolo matrimonio rato conſurgens. ibid.3
Impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex matrimonio rato eſſe antiquiſſimum in Eccleſia. ibid 4,5
De impedimento orto ex ſponſalibus de futuro, vide *Sponſalia*.
Prædictum impedimentum perpetuum eſt, & ceſſauit poſt Tridentinum in aliis gradibus vltra primum. 392.2

Impedimentum publicæ hoeſtaris non oritur ex matrimonio rato ſub conditione ſi iſta non ſit impleta. 382.1
Neque oritur ex matrimonio rato inualido ex defectu coóſenſus. ibid.2
Si matrimonium fuerit nullum ex alio capite, pura ex defectu ſolemnitatis vel alterius impedimenti, oritur impedimentum publicæ honeſtatis. ibid.3 & ſeq.
Impedimentum publicæ honeſtatis poteſt concurrere aliquádo cum impedimento affinitatis. 67.9

Pupillus.

Pupilli, curatore pro illis contrahente matrimonium, ſignum dant conſenſus. 152.9

Q

Qualitas.

QValitas, vide *Error.*

R

Raptus.

RAptus antiquitus non erat impedimentum dirimens. 430.1
Modo poſt decretum Tridentini eſt impedimentum dirimens inter raptorem, & raptam, quandiu rapta eſt in poteſtate raptoris, etiamſi libere conſentiat. ibid.2
Raptores, conſilium, auxilium, aut fauorem præbentes ſunt ipſo iure excommunicati ex ipſo Tridentino, ſed non eſt excommunicatio reſeruata. 431.3
Cæteræ pœnæ non incurruntur ante ſeotentias, & delectationem iudicis. ibid.4
Decreto Tridentini non comprehenditur raptus, quo fœmina rapit virum. ibid.1
In eo decreto ſolum fœminarum raptores, cauſa eum eis contrahendi matrimonium, comprehenduntur. ibid.3,4
Raptus, quo fœmina inuitis parẽtibus, ipſa tamẽ libere conſentiente rapitur, nõ dirimit matrimoniũ. 4.2.5
Raptus ſponſæ de futuro ipſa inuita, comprehenditur decreto Tridentini ibid 7
Decretum Tridentini non irritat ſponſalia inter raptorem, & raptam. ibid.8
Raptus & violenta puellæ extractio de domo parentum. 428.1
Raptus eſt quoque ſi fœmina ſub poteſtare parentum, vel turorum conſtitura, omnino libere conſentiens, ipſis inuitis abducatur domo. ibid.2
Specifica malitiæ raptus conſiſtit in hoc, quod homo affectu luxuriæ vim inferat fœminæ, aut iis ſub quorum poteſtare eſt. ibid.3
Et eſt ſpecies iniuſtitiæ. ibid.& ſeq.
Quomodocumque vis fœminæ inferatur ad copulam extorquendam eſt raptus. ibid.5,6,7
Grauiſſimæ pœnæ raptorum, 4 9 1
Quas vt incurrat raptor quatuor deſiderantur. ibid.2,3,4,5,7
Fœminæ virorum raptores non comprehenduntur pœnis raptus. ibid.6

Regula.

Regulæ quatuor Patris Sanchez circa difficultatem: an eodem crimine petentis inquinetur reddens, explicantur, & defenduntur. 570.1 ad 8

Religio.

Religionis ingreſſus nunquam impeditur ſi re ipſa non eſt conſummarum matrimonium. 265.12
Status religioſus eſt ſtatus perfectionis per tria vota caſtitatis, paupertatis & obedientiæ adipiſcendæ. 315.1
Ad ſtatum religioſum hæc tria ſunt eſſentialiter requiſita, & ſufficiunt, ibid.2,3
Per hæc vota religioſus ita Deo traditur vt ſpeciali modo in illum transferat dominium, hæc vero traditio non fit niſi acceptetur à Deo per Eccleſiam. ibid.4
Ad proprium vinculum religioſi ſtatus, requiritur obligatio religioſi ſe dantis Deo, & acceptatio religionis. ibid.5,6
Immobilitas ſtatus religioſi tota prouenit ex donatione, vel traditione. 320.7,8

Repudium.

Repudium nunquam inter Gentiles fuit licitum, nec validum. 598.2
Vide *Libellus.*

Res.

Res tantum in ſacramento matrimonij eſt gratia ab eo collata. 232.4

Reſcriptum.

Reſcriptum gratiæ conceſſum vni in ordine ad effectum gratiæ conſequendum ab alio cui poteſtas diſpenſandi, vel conferendi delegatur ante vſum cenſetur ſtatim ex vi priuilegij facta gratia, ſecus in aliis facultatibus. 536.6

Reſilire.

Reſilire iuſtè à fide matrimonij data abſque alterius culpa non obligat reficere alteri expenſas, ſed æqualiter ab vtroque ſoluendas. 545.3
Reſilire etiam iuſtè poſt contractum tali animo initum cogit integras expenſas ſoluere. ibid.4
Reſiliendi culpabilem alteri cauſam præbens tenetur integras expenſas ſubire ſolus. ibid.5

S

Sacerdos.

SAcerdus nunquam fuit proprius, nec neceſſarius miniſter ſacramenti matrimonij. 273.1

Sacramentum.

Sacramentum matrimonij quando fuerit à Chriſto inſtitutum. 228 4
Sacramentũ quodlibet habet aliquid ſingulare 229.10
Sacramentum matrimonij eſt vnicum tantum ſpecie, in vtroque coniuge. 241.4
Sacramentum collatum à miniſtro in ebrietate exiſtente eſt nullum. 9.9
Miniſter ſacramenti debet agere humano modo, non verò ſuſcipiens, & cur 10.13,14

Semen.

Seminis effuſio ex ſe illicita & cum peccato mortali coniuncta ſolum polluit Eccleſiam. 517.8
Seminis effuſio illicita debet eſſe publica, vt polluat Eccleſiam. ibid.9
Seminis effuſio vt polluat Eccleſiam debet eſſe intra corpus Eccleſiæ ibid.10
Seminis effuſio voluntaria extra vas eſt peccatum mortale. 568.1
Seminis iam elumbis deciſi effuſioni cooperari non licet, quamuis noxia foret retentio. ibid 3
Semen viri in balneo voluntariè excisum, & à matrice fœminæ attractum, non eſt cauſa diuortij. 603.9

Sententia.

Sententia diuortij non tranſit in rem iudicatam in his quæ ſunt in fauorem nocentis, bene verò econtra in fauorem innocentis. 62?.2
Sententia diuortij non tollit ius innocentis circa mutationem ſtatus nocentis. ibid.5
Sententia diuortij ſi condemnatus ſit innocens, vel vterque nocẽs re adhuc integra retractãda eſt. 6?8.1
Sententiæ falſitas ſi cognoſcatur dum coniux innocẽs iam profeſſus eſt, reſtituendus eſt alteri, & tenetur reddere, non tamen poteſt petere. ibid.2
Sententia diuortij lata quamuis poſt illam coniux innocens adulteretur, nullam claudit iniuſtitiã. 629.4

Seruus,

Seruus, & ſeruitus.

Seruitutis error vel ignorantia ſerui in libera ignara ſeruitutis, vel ècontra dirimit matrimonium. 303.2

Matrimonium liberi cum liberta validum eſt. ib. 3,4

Liberi cum ſerua matrimonium validum eſt ſi ſit ei libertas cōceſſa ad tēpus minus ſex mēſibus. ib. 5,6

Non valet matrimonium liberi cum ancilla in foro conſcientiæ, etiamſi per decennium ſe tamquam liberam geſſerit. ibid 7

Apud infideles validum eſt matrimonium ſerui cum libera. 305.7

Validè contrahit ſeruus cum ſerua quam credebat liberam, & ſeruus, vel liber cum libera quam credebat ſeruam. ibid 8

Nec ſeruus ratione iniuriæ illatæ liberæ manet obligatus ad denuo contrahendum cum illa, etiamſi iſta velit. 307.2

Niſi ſequutum ſit damnum extrinſecum quod nequeat aliter reſarciri. ibid.3

Neque ex tali matrimonio nullo ſequitur obligatio aliqua ſponſalium. ibid.4

Detecta ſeruitute alterius coniugis poteſt is qui liber eſt ſeparari ab illa abſque Eccleſiæ iudicio propria auctoritate, ſecluſo ſcandalo. 308.5

Quando tale matrimonium celebratur & per illud dicta ſeruitus amittitur, verè illud ſubſiſtit. ib. 2,3

In quibus caſibus detur libertas mancipio per matrimonium. ibid.4 ad 7

Seruus validè poteſt inuito domino matrimonium contrahere. 309.2

Non ſolum validè, ſed & licitè poteſt. ibid 3

Non licet domino directè impedire matrimonium ſerui, nec poteſt ob id puniri. ibid.4,5 & 310.1

Seruus tenetur per ſe loquendo prius dominorum conſenſum petere antequam nubat. 311.6

Poteſt ſeruus, vel quiuis alius lege humana priuari iure nubendi exiſtente iuſta cauſa. 312.10

Dominus poteſt ſeruum vbi vult vendere, & ad partes remotas ſi vxor libera ſit, & commodè poſſit ſequi virum, etiamſi conſentiente domino fuerit matrimonium contractum. 310.2

Si dominus ſeruo non dedit facultatem contrahendi, non minuitur ius quod habebat in ſeruū. 311.4

Tunc dominus non peccaret contra iuſtitiam, ſi abſque neceſſitate venderet ſeruum in remotis regionibus, & impediret vſum matrimonij, peccaret tamen contra charitatem. ibid.5,6

Si dominus dedit facultatem ſeruo nubendi tenetur ex iuſtitia eum ſine notabili neceſſitate non ita vēdere, vt vſus matrimonij impediatur. ib.7,8

Quid faciendum quando vterque coniux ſeruus pertinet ad diuerſos dominos diuerſa loca inhabitantes. 312.9

Seruus per contractum matrimonij non eximitur ab obſequiis cōſuetis domino pręſtādis 311.8 & 312 1,3

Si matrimonium ſerui fuerit ex domini conſenſu contractum potius eſt ſatisfaciendum coniugi rationabiliter petenti attenta ſeruitute. ibid.4

Si fuit contractum inuito domino potius eſt ſatisfaciendum domino rationabiliter præcipiēti. ib.5

Ius coniugij non eſt potius nec vetuſtius iure domini in ſeruo, qui contraxit prius ſeruitutem quam nupſerit. ibid.6

Vxor inuito viro non poteſt ſe vendere, & talis venditio abſque conſenſu viri facta eſt contra iuſtitiam. 313.1

Peccat mortaliter vir ſic ſe venūdantem abſque iuſta cauſa, & contra iuſtitiam, ſi id faciat in fraudem vxoris, & poteſt reſcindi talis venditio. ibid.4,5,6

Quoad ſeruitutem & libertatem ſequuntur filij conditionem matris. 314.2,3,4

Quoad honores & nobilitatem filius ſequitur conditionem non matris, ſed patris. ibid.1,5

Simultas.

Simultas habitualis conſenſuum ſatis eſt ad valorem matrimonij. 137.6

Simultas virtualis conſenſuum vtriuſque contrahentis non requiritur ad valorem contractus matrimonij. 137.5

Societas.

Societatis vota ſimplicia non diſſoluunt matrimonium ratum. 261.3,4

Societatis Iesv Sacerdotes etiamſi nullo gradu ſint inſigniti, poſſunt diſpenſationem Pœnitentiariæ Doctoribus deſtinatam exſequi ſi à generali per ſe vel per alium deſignentur, vel à locorum Ordinariis reprobentur. 547.2

Vota ſimplicia Societatis Iesv facere verè & propriè religioſum. 315.1

Hæc vota emittuntur coram habente poteſtatem, & in manibus illius in quodam ſenſu. ibid.2

Hæc vota conſtituunt verum religioſum ab initio approbationis Societatis. ibid.3

Hæc à Deo certa vt prohibeatur ſub excommunicatione, & aliis pœnis illis contradicere. ibid.4

Sodomia.

Sodomia ſiue viri, ſiue vxoris conſummata inſtam præbet cauſam perpetuo diuortio. 602.2

Solubilitas.

Solubilitas matrimonij poſita de inſtitutione eſt contra ius naturæ. 254.6

Sponſa.

Sponſa de præſenti poteſt licitè excommunicare cum ſponſo excommunicato. 558.2

Sponſalia.

Sponſalia iurata iniuſtè implere recuſantem poteſt iudex per ſe loquendo cogere cenſuris. 104 2

Sponſalia validè poſſunt ſæpe ſine iudicij ſententia diſſolui. 105.1

Sponſalia in foro interno licitè diſſoluuntur qualibet probatione impedimenti moraliter certa. 106.4

Sponſalia conditionata impleta conditione tranſeunt in pura. 107.2

Sponſalia ſub conditione de futuro contingenti fallibili non impediunt valorem matrimonij contracti cum altero. ibid.3

Sponſalia per conditionem procurandi ſterilitatem ante matrimonium irritantur. 108.8

Sponſalia per ſe loquendo ſub conditione impoſſibili ſunt inualida. 110.5

Sponſalia ſub conditione turpi fiunt abſolutè valida adimpleta conditione. 1.1.4

Sponſalia conditionata per copulam habitam ante conditionis impletionem tranſeunt in abſolutā. ib.3

Sponſalia iurata recuſantem per ſe poteſt iudex cogere cenſuris. 105.

Ad ſponſalia non tantum verba, ſed ſufficiunt etiam externa ſigna. 32.1

Ad ſponſalia ſufficiunt verba quæ ſufficienter partim exprimunt internum conſenſum. ibid.2

Si ſponſalium verba ſint ambigua, nihil illis efficitur. 33.3

Si ſponſalium verba dubia ſint & intentio, non ſunt valida ſponſalia. ibid.5

Verbis de præſenti affirmatiuis non contrahuntur ſponſalia. ibid.1

Verbis illis: *Volo te habere in vxorem*; attentis circunſtantiis fieri poſſunt ſponſalia, & etiam matrimonium. 34.3,4,5

Idem dic de illis aliis: *Volo te vxorem meam.* ibid.6

Sponſalia contrahontur verbis de futuro ſimpliciter prolatis. ibid. 1
Eadem contrahuotur his verbis: *Nunc te accipiam in meam.* ibid. 2
Illis verbis: *Ex nunc tractabo te ſicut vxorem*: non contrahuntur ſpooſalia, ſed matrimonium. ibid 4
Verbis autem illis: *Habebo te in meam*, aut *eris mea* aut *tractabo te ſicut vxorem*, vel *prouidebo tibi vt vxori*, contrahuntur ſponſalia, non matrimonium. 35.6 vſque ad fin.
His verbis: *Nunquam aliam à te ducam*, oon fit contractus ſponſalitius, nec matrimooij. 36,1
Hæc verba: *Non aliam, ſed te ducam*, inducunt ſponſalia. ibid. 2
His verbis: *Ducam, & non aliam niſi te*, contrahuntur ſponſalia. ibid. 3
His verbis: *Non duco aliam niſi te, non contrahe matrimonium niſi tecum, nolo aliam niſi te, vxorem non habeo aliam niſi te, vel præter te*, his omnibus modis perficitur matrimonium. ibid. 6
Illis verbis: *Non ducam niſi te*, non contrahuntur ſponſalia. 37.7
De verbis quæ reſpiciunt tempus futurum aliter eſt iudicandum, ac de verbis quæ reſpiciunt tempus præſens, aut præteritum. ibid. 8,10
His verbis: *Tantum te ducam*, vel *tantum tecum contraham*, fiunt ſponſalia. ibid. 9
Verba illa: *Nullam aliam quàm te ducam*, vel *nullam aliam ducam præter te*, continent promiſſionem cõditionalem, ac idem important, quod, *niſi*. 36.2
Ex verbis illis, quæ dicit Petrus pluribus fœminis præſentibus: *Promitto me ducturum aliquam ex vobis*, etiamſi illæ repromittaot non cooſurgunt ſponſalia, ſed ſolum obligatio ducendi voam ex illis. 38.1
Sponſalia incerta oon ſunt propriè, & perfectè ſponſalia. ibid. 2
Sponſalia prædicta incerta ſunt ſponſalia conditionata. ibid. 3
Sponſalia ſub diſiunctione contracta redduntur certa, & determinata per copulam ſubſequẽtem. 39.10
Sponſalia contrahi poſſunt inter abſentes per procuratores, per nuncium, & litteras, ſicut & matrimonium. 41.19
Sponſalia quinque modis contrahi poſſuot. ibid. 10
Ad ſponſalia contrahenda inhabilis eſt habens impedimentum perpetuum dirimens. 42.1,2
Idem dic de impedimento perpetuo, ſi ſit verè impediens ſub culpâ. ibid. 3
Sponſalia clandeſtina valida ſuot. 21.4
Sponſalia clandeſtina licita ſunt. ibid. 5
Spooſalia valida ſunt inter contrahentes diſparitatis cõſcios, niſi ſcãdalũ magnũ iode oriatur. 44.2,3,4,5
Sponſalia fieri debent inter determinatam perſonam. 45.1,2,3
Non ſunt ſponſalia cum quis promittit matrimooium cum ea filiâ, quam pater elegerit. ibid 4
Sponſalia diſiunctiua non ſunt propriè ſponſalia ibid. 5 & ſeqq.
Ad ſponſalia ſufficit ille ratiooiſ vſus, qui ad lethale peccatum ſufficiet. ibid. 4
Sponſalia contrahere ante ætatem à iure præſcriptam, ſi malitia ſupplet ætatem, licitum eſt. 48.2,3,4
Spõſalia valida obligã: ſub culpâ mortali. 49.1 & ſeqq.
Obligatio ſponſalium non oritur ex virtute veracitatis. 50.1
Sponſalium obligatio eſt ex verâ, & perfectâ iuſtitiâ. ibid 4 & ſeqq.
Sponſalia nequeunt obligare tantum ſub veniali ex intentione coottahentium. 59.8 & ſeq.
Sponſi obligantur ad ea omnia, quæ à coniuge facta eſſent contra fidem matrimonij. 53.1
Spooſi teoeotur non ſe reddere ineptos ad matrimooium contrahendum. 55.9
Si reddautur inepti, contrahuot nouam ſpeciem iniuſtitiæ. ibid. 11
Talis ineptitudo eſt circunſtaotia oeceſſariò fatenda in confeſſione. ibid. 12
Sponſalibus pœnam appoſitam oon tenetur ſoluere iuſtè reſiliens. 61.5
In ſponſalibus licitè poteſt apponi pœna iuſtè reſilientibus. 62.6
Sponſalibus pœnam appoſitam ſoluere tenetor iniuſtè reſiliens nouo titulo religionis, ſi ad id ſe obligarit ſub iuramento. ibid. 7,10
Sponſalibus appoſitio pœnæ non opponitur bono publico. 11
Pœnam pecuniariam ſolutam à iuſtè reſiliente à ſponſalibus, oon poteſt alter in conſcientia retioere. 63.12
In ſponſalibus licitum eſt tradi arrhas amittendas ab iniuſtè reſiliente, & in qoacunque quantitate. ibid. 3,4,5
In ſponſalibus validè poſſunt arrhæ conſtitui ab vtroque cootrahente. ibid. 6
Quid verò circa arrhas iure ſtatutum ſit. 64.7
Si matrimonium fiat, arrhæ debent redire ad eum qui eas tradidit, idem eſt ſi ob iuſtam cauſam non fiat. ibid. 8
A ſponſalibus iniuſtè reſiliens tenetur ſoluere ante omnem exactiooem partis totum intereſſe lucri ceſſantis vel damni emergentis ortum ex diſſolutione contractus. ibid. 12,13
Pœna dupli debet ſolui ab iniuſtè reſiliente ab ſponſalibus ante petitionem partis. ibid. 15
Idem dic de pœna conuectionali tripli, vel quadrupli. ibid. 15,16
Sponſalibus adiici poſſunt fideiuſſores. 65.1
Sponſalibus adiici poteſt pactum cohabitandi perpetuo in aliquo loco. ibid. 2,3
Sponſalibus addi poteſt pactum ne quis poſſit ingredi in aliquam ciuitatem ibid. 4
Sponſalia gignunt impedimentum publicæ honeſtatis, non iure naturæ, ſed iure Eccleſiaſtico. 65.1,2
Ex ſponſalibus validis oritur tale impedimentum in primo tantum gradu. 66.3
Ex ſponſalibus contractis inter illos inter quos nequit contrahi matrimonium, non oritur dictum impedimentum. ibid. 4
Neque oritur ex ſponſalibus celebratis cum perſooa incerta. ibid. 5
Neque ex ſponſalibus cootractis ante ſeptenoium. ibid. 6
Ex ſponſalibus non oritur publica honeſtas, niſi cum conſanguineis alterius ſponſi infra primum gradum, non verò cum affinibus. ibid. 7
Ex ſponſalibus contractis inter infideles non oritur tale impedimentum. ibid. 8
Sponſalia cum diſſoluuntur per mortem alterius, præfatum impedimentum manet perpetuum. 67.3
Spooſalia cum diſſoluuntur mutuo cooſenſu contrahentium, adhuc non ceſſat dictum impedimentum. ibid. 4,5
Ex ſponſalibus validis ortum tale impedimentum ſemper eſt perpetuũ adhuc illis diſſolutis. 68 6
Sponſalia exteriùs facta abſque cooſenſu interiori nullum gignunt publicæ hooeſtatis impedimentum. ibid. 4,5,6
Omnia ſponſalia quacumque ratione irrita non inducunt impedimentũ publicæ houeſtatis. ib. 69.7
Sponſa

Sponſalium vim habet matrimonium clandeſtinum ex natura rei. 70.4
Eandem vim habet ſponſalium in locis vbi Tridentinum eſt receptum, & ex illis conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis. ibid.5
Vim ſponſalitij habet matrimonium irritum inter impuberes gignens impedimentum publicæ honeſtatis. 71.11,12,13
Qua ratione ſit effectus ſponſalium, vt ea tranſeant in matrimonium per copulam inter ſponſos habitam. 71.1.vſque ad fin.
Sponſis de futuro licita ſunt oſcula, amplexus, aliique tactus non impudici. 72.1,4,5
Dictis ſponſis illiciti ſunt tactus impudici proximiores copulæ. ibid 6
Sponſis dictis ſunt quoque illicita oſcula, amplexus, & tactus etiam non impudici ſi fiant cauſa delectationis libidinoſæ. ibid.7
Cauſæ ſponſalia diſſoluentes duodecim ſunt. 73. in proœm.
Sponſalia puberum ſolo mutuo ipſorum conſenſu diſſoluuntur. ibid.1,3
Non ſufficit vnius conſenſus. 74 4
Diſſoluuntur licitè ſponſalia mutuo conſenſu. ib.5
Si ſponſalia ſint iurata, & iuramentũ præſtitum ſit in partis fauoré, mutuo cõſenſu diſſolui poſſunt ib.6
Sponſalia iurata certæ, & determinatæ perſonæ intuitu Dei verè diſſoluuntur per talis perſonæ remiſſionem. ibid.10
Sponſalia impuberum ſolũ mutuo conſenſu poſt impubertaté, non in ea diſſolui poſſunt. 75.1,2,3,4,5,6
Idem dic de ſponſalibus iuratis infra pubertatem. -6.8.9,10
Sponſalia diſſoluuntur per profeſſionem. ibid.1
Etiam diſſoluuntur per ſimplicia vota religionis Societatis Iesv. ibid.2
Nullo iure ſtatutum eſt vt ſponſalia diſſoluantur per ingreſſum ad nouitiatum. 77.6
Ex natura rei ſponſus qui remanſit in ſæculo ſolutus eſt à ſponſalium obligatione. ibid.7
Ingrediens nouitiatum non manet eo ipſo liber ac ſolutus à ſponſalium obligatione ex natura rei. ibid.8
Si vterque ſponſus ingrediatur religionem vtrinque ſponſalia diſſoluuntur. ibid.78.9
Sponſalia iurata non obligant ad contrahendum matrimoniũ prius, ſi quis velit religioné ingredi. 78.4,2
Sponſus nequit ſine graui culpa poſt ſponſalia iurata matrimonium inire animo ingrediendi religionem, niſi in aliquibus caſibus. ibid.3,4
Sponſus iuratus ſub ſpe matrimonij virginem deſflorans non poteſt ingredi religionem, ſed tenetur matrimonium contrahere. ibid.5
Sponſalia non diſſoluit ex parte vouentis votum ingrediendi religionem ſubſequens ad ſponſalia. 79 2
Sponſalia præcedentia diſſoluit votum profitendi religionem. 80.3,4
Sponſalia non diſſoluuntur per votum caſtitatis. ibid. 8,9,10,11,12
Non diſſoluit ſponſalia præcedentia ex parte vouentis votum, vel ſuſceptio Ordinis ſacri. 81.1
Sponſalia diſſoluuntur per ſacri Ordinis ſuſceptionem, non minorum ordinum. 81.2,3
Qui poſt ſponſalia ſuſcipit Ordinem ſacrum ſine conſenſu partis peccat mortaliter. 5,6
Sponſalia præcedentia diſſoluuntur per matrimonium ſubſequens cum alia perſona. 83.1,2
Sponſalium obligatio non extinguitur per matrimonium ſubſequens, ſed ſuſpendit caſu quo alter velit, & expectet, ibid.4,5,6,7,8,9,10
Priora ſponſalia non diſſoluũtur per poſteriora. 85.1
Sponſus contrahens ſecũda ſponſalia dat ſufficientem cauſam ſponſæ, vt licitè reſiliat à ſponſalibus. ibid.2
Priora ſponſalia non diſſoluuntur per poſteriora etiam iurata. ibid.3
Si priora ſponſalia diſſoluantur non obligant poſteriora ſponſalia facta determinata ad ſtatum, ſecus ſi ſint abſolutè pro quouis tempore facta. ibid.6,7,8,10
In dubio de intentione poſteriorum ſponſalium, ſunt inualida iudicanda. 86.9
An priora ſponſalia diſſoluantur per poſteriora copula ſecuta cũ ſecunda fœmina. ibid.11.ad finẽ.
Diſſoluuntur ſponſalia per diſceſſum ſponſi in remotas terras animo nõ redeundi. 87.1,2,3,4,5,6
Si conſenſus abſit de conſenſu ſponſæ, tenetur expectare toto eo tempore quo conuenerũt. 88.8
Si ſponſus ſe transferat in terras longinquas abſque alterius conſenſu, poteſt iſte aliud matrimonium inire etiamſi ſponſalia ſint iurata. ibid.9,11
In ſponſalibus baptizatorum ſtandum iuri Canonico. ibid.10
Diſſoluuntur ſponſalia etiam iurata tranſacto termino præfixo finiente obligationem. 89.1,2,3
Quomodo autem iudicandum ſit ſi verba præfixi termini ambigua ſint. ibid.5,6,7
Sponſalia poſſunt diſſolui per moram, & dilationem alterius nullo termino præfixo. 90 8
Quando vero teneatur ſponſus, vel ſponſa implere ſponſalia nullo præfixo tempore. ibid.9
Sponſalia diſſoluuntur aliqua notabili mutatione superueniente. ibid.1.ad 10.
Quid ſi poſt ſponſalia veniat ingens diuitiarum copia, vel parentes renuant dare promiſſam dotem. 91.10,11
Quando poſt contracta ſponſalia etiam iurata superuenerit inconueniens notabile, vel noua cauſa quæ à principio exiſtens impediret contractum, datur diſſoluendi cauſa iuſta. ibid.13,14
Diſſoluit ſponſalia præcedentia quoduis impedimentum dirimens. 92.4,5
Non diſſoluuntur ſponſalia ex parte eius, cuius cauſa contractum eſt, ſed ſuſpenduntur ſi ſit impedimentum iure Canonico dirimens. ibid.6
Vtrum verò ſponſus qui poſt ſponſalia contraxit tale impedimentum dirimens teneatur impetrare diſpenſationem, altera parte id exigente. 93.7.ad fin.
Quo pacto vox publica, ſeu fama de impedimento, licet vera non ſit, dirimat ſponſalia 94.10.ad fin.
Sponſi fornicatio præcedens ſponſalia & poſt ipſa ſponſalia ſponſæ cognita non dat ſponſæ ius à ſponſalibus reſiliendi. ibid.1
Sponſalia poſſunt ex parte ſponſi diſſolui ob fornicationem ab ſponſa exiſtimata virgine ante ſponſalia commiſſam, & poſt ſponſalia à ſponſo cognitã. 95.3
Sponſalia etiam iurata poſſunt diſſolui ex parte ſponſi innocentis propter fornicationem ſponſæ. ibid.1,3
Idem etiamſi ſponſa vi, & coactione comprimatur ad fornicandum. ibid.2
Sponſalia poſſunt diſſolui à ſponſa innocente, ſi poſt ipſa ſponſalia ſponſus fornicetur. 96.5,6
Nequeunt diſſolui ſponſalia ex parte ſponſæ ob fornicationem ſponſi per vim ſibi illatam. ibid.7
Impenſi tactus impudici cum alia non ſunt cauſa ſufficiens vt ſponſa diſſoluat ſponſalia. ibid.8
Non licet ab ſponſalibus reſilire quando vterque fornicationem commiſit poſt ſponſalia. 97.2,3
Vtrum autem ſponſus conſcius cauſæ ſufficientis fornicationis ſponſæ ad ſponſalium diſſolutionem,

Digitized by Google

nem, amittat ius reſiliendi ſi accedat ad ſponſam. ibid.1.ad fin.
Cauſæ iuſtæ quæ quando ſuperueniunt ſponſalibus, ſufficiunt ad eorum diſſolutionem, ſufficiunt quoque quando præceſſerunt, & tunc fuerunt ignotæ. 98.1
Sponſalitius contractus in prædicto euentu, etiamſi dolus det cauſam contractui, non eſt iure naturæ irritus. 99.3
Neque eſt iure Canonico, nec ciuili irritus. ibid 4,5
Poteſt tamen irritari pro arbitrio eius qui deceptus eſt. ibid.6
Nec tenetur deceptus implere contractum ſponſalitium, ſimul ac cognouit ſubeſſe aliquid quod ſi ab initio ſciuiſſet noluiſſet contrahere. ibid.7
Vtrum autem laborans occulto defectu, poſſit cum illius ignaro ſponſalia contrahere, & eum cogere in conſcientia vt contracta ſponſalia impleat, quin illi talem defectum aperiat. 100.1 ad fin.
Sponſalia metu leui iniuſtè facta valida ſunt. 101.2
Valida etiam ſunt iure naturæ etiam metu graui iniuſtè facta. ibid.3
Neque ſunt nulla iure poſitiuo, & ita abſolutè valida. 102.6
In prædictis ſponſalibus perſona coacta poteſt proprii authoritate reſilire. ibid.7
Quid ſponſalium nomine intelligatur. 1.1 vſque ad fin.
Sponſalium definitiones variæ. 3.1
Verior: *Promiſſio mutua matrimonij futuri.* 4.3,4,6
Ad ſponſalia eſſentialiter non requiruntur arrhæ, nec ſponſalitia largitas, nec iuramentum. ibid.3
Sponſalium contractus præuius matrimonio. ibid.7
Sponſalia, ſicut & matrimonia facta in furia, & ebrietate ſunt nulla. 6.9
Quo ſigno diſcerni poſſit an ſponſalia ſubito facta ſint valida, vel inualida ex perturbatione, vel inconſideratione. ibid.11
Ad contractum ſponſalitium non ſufficit propoſitum contrahendi ſponſalia. 10.1
In contractu ſponſalium eſt eſſentialis voluntas promittendi. 11.6
Voluntas ſe obligandi eſt etiam eſſentialis contractui ſponſalium. ibid.7
Ad contractum ſponſalitium ſufficit intentio virtualis ſe obligandi. ibid.10
Vt ſponſalia honeſtè fiant requiritur voluntas ea exequendi, ſed hæc non eſt illis eſſentialis. 14.2,3
Nullus actus intellectus eſt cauſa efficax ſponſaliũ, ſed ſola intentio efficax ſe obligandi. 15 3,4,5
Sponſalia efficit ſignum manifeſtatiuum promiſſionis mutuæ. 39.1
Signum eſt æquiuocum, nec ſufficiens ex ſe ad ſponſalia contrahenda ſubarrhatio, vel annuli donatio, ſeu receptio, niſi aliud conſtet ex conſuetudine, & circunſtantiis. ibid.2,3
Signum poteſt eſſe ſufficiens porrectio manuũ. ib.4.
Signum eſt taciturnitas. ibid. 5
Signum eſt taciturnitas filiorum quando parentes contrahunt pro filiis præſentibus. ibid.6,7
Idem dic ſi tutores, curatores, & alij, qui loco parentum curam pupillorum aut minorum gerunt. ibid.10
Si alij vel extranei, vel cognati, quorum curæ pupilli, vel minores non ſunt, contrahant ipſis præſentibus, non fiunt ſponſalia. ibid.11
Si parentes contrahant illis abſentibus fiunt ſponſalia, ſi taceant, cum illis quæ acta ſunt ipſis proponuntur. 41.15,16
Vide alia verb. *Tempus.*

Suadens.
Suadens copulam coniugalem inter amentes mortaliter peccat. 560.2

Subdelegare.
Subdelegari nequit ab officiali diſpenſatio, legitimatio prolis, abſolutio, impoſitio, pœnitentia ſeu commutatio in pia opera. 544.5
Subdelegari poteſt veritatis indagatio ac teſtium examinatio, etiamſi perſonæ determinatæ commiſſio fiat. 545.6

Superior,
In dubio ſuperiori parendum. 275.6
Cum probabili cauſa iuſtè præcipit ſuperior, etiamſi oppoſitum probabile quoque ſit, eſt obediendum ſuperiori. ib.d.

Suſpenſus.
Vide *Parochus.*

T

Tactus.

TActus non impudici licent ſponſis conditionatis. 112.1 & ſeqq.
Tactus inter coniuges aliàs liciti, habiti coram aliis, ſunt illiciti. 556.3
Tactus etiam inhoneſti ad copulam coniugalem ordinati omni culpâ vacant. 591.3
Tactus ad maiorem voluptatem relati venialiter tantùm inquinant. 592.4,5
Tactus coniugis in ſe ipſum ad maiorem voluptatem captandam, ſolùm eſt culpa venialis. ibid.6
Tactus impudicè etiam cum periculo pollutionis non ſunt mortales in coniuge reddente. 595.4
Tactus cum periculo pollutionis in coniuge petente non ſunt ſemper mortales. ibid.5
Tactus impudici partium vicinarum verendis, vel ipſorum verendorum abſque neceſſitate habiti inter perſonas diſtincti ſexûs, mortales ſunt. 596.3
Tactus libidinoſi animo perueniendi ad adulterium habiti, eo non ſecuto carent ſufficienti cauſa diuortij. 602.7

Tempus.
Tempus contrahendi matrimonium in ſponſalibus aſſignatum ſuſpendit contractum quouſque impleatur. 112.2
Tempus quid operetur quando apponitur conſenſui maritali. 181.3
Tempus conceſſum ad ingreſſum religionis ante conſummationem matrimonij non eſt expreſſum in iure. 262.4
Tempus duorum menſium ad ingreſſum religionis ante conſummationem matrimonij poteſt dici aſſignatum à iure, & quaſi ius commune. ibid.5
Temporis feriati impedimentum prohibet ſolemnitatem nuptiarum. 488 1
Non prohibetur eo tempore matrimonium contrahere. ibid.2
Niſi obſtet conſuetudo. ibid.3
Feriato tempore prohibentur benedictiones nuptiarum ſub graui culpâ. ibid.
Hoc tempore Sacerdos benedicens graui pœnâ arbitrariâ punitur. ibid.4
Tempore feriato traductio ſponſæ in ſponſi domum licita eſt ſi fiat moderatè, & ex conſuetudine. ibid.5
Prohibitis ad tempus nuptiis valida ſunt ſponſalia, ſecus in perpetuum. 285.2
Non redduntur irrita ſponſalia ex ſimplici Papæ prohibitione ad tempus. ibid.3
Secus ſi prohibeantur in perpetuum. 286.4,8
Sponſalia inita inter Catholicum & hæreticum, vel Apoſtatam, vel Atheiſtam nulla ſunt. 398.1

Teſtis.

Teſtes

Teſtes duo omni acceptione maiores requiruntur ad diſſoluenda ſponſalia ob defectum aliquem ex ſufficientibus ad diſſolutionē in foro externo. 106.6
Ad valorem matrimonij præter Parochum requiruntur duo teſtes. 457.1.2.3
Non requiritur ad valorem matrimonij vt ſint teſtes omni exceptione maiores. ibid.4.5
Teſtes aſſiſtentes matrimonio clandeſtino abſque Parocho, puniuntur à Tridentino arbitrio Ordinarij; vnde non incurrunt pœnam ſuſpenſionis, poſitam in cap.fin.de cland.deſponſ. 470.1,2

Traductio.

Traductio ſponſæ in domum ſponſi non eſt ſignum matrimonij ex iure Canonico, ſed eſſe poteſt ex loci conſuetudine. 148.3

Tutior.

Axioma illud: Tutior pars eſt eligenda quomodo intelligendum ſit explicatur. 589.12

V

Verba.

VErba non ſunt neceſſaria iure diuino ad contractum matrimoniale. 145.5
Verba iure naturæ non ſunt neceſſaria ad validitatem matrimonij. ibid.4
Verba turpia ob veneream rei turpis cogitatæ delectationem, quæ cogitatio excitatur, & fouetur verbis illis mortalia ſunt. 596.6
Verba turpia ex quadam leuitate non gratia delectationis venereæ, ſed vani ſolatij captandi ſolum ſunt venialia. ibid.7

Vicarius.

Vicarius Capitnli ſede vacante poteſt diſpenſationes impedimentorum exequi. 533.6
Vicarius Prælati habentis iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſua diœceſi nulli Epiſcopo ſubdita capax eſt commiſſionis Pontificiæ. 534.7
Vicario Epiſcopi confirmati nondum conſecrati committi poteſt diſpenſatio. ibid.8

Vidua.

Vidua relicta mortuo coniuge ipſius conſenſit expreſſo, vel tacito ordinaro alteri non poteſt iure nubere. 625.4
Viduæ huiuſmodi matrimonium contractum irritum eſt. ibid.5
Vidua poſt obitum coniugis Ordinati ipſa reluctante, vel inſcia poteſt alteri nubere. ibid 6
Vidua quæ nec expreſſè conſenſerat, nec diſſenſerat, ſed conſcia promotionis viri ad ſacros Ordines diſſimulauit, non habet impedimentum nubendi mortuo viro. 626.7
Vidua quæ conſenſum præſtitit promotioni viri inhabilis eſt ad aliud matrimonium, tametſi nullum emittat caſtitatis votum. ibid 8
Vidua hæc impedita manet quamuis pro ea tali ignorantia valeat ius eam reddere inhabilem. ibid.9

Vinculum.

Vinculum matrimoniale non eſt relatio rationis. 115.2
Relatio realis. ibid.3
Vinculum eſt denominatio extrinſeca moralis qua coniuges denominantur inſeparabiliter initi à conſenſibus quibus mutuo corpora tradiderunt prouenienſ. 116.4
Vinculum huiuſmodi conſiſtit eſſentialiter in mutuo iure, & dominio corporum radicali. ibid.1
Vinculum matrimonij manet inter coniugatos adhuc poſt profeſſionem in religione. ibid.1,5
Vinculum matrimonij poteſt connotare copulam perpetuo impeditam. 118.7

Vir.

Vir nolens ſeminare abſque cauſa vrgenti vxore inuita committit peccatum iniuſtitiæ. 556.6
Viro ſeminante deſiſtens à copula, fœmina ante proprij ſeminis effuſionem, vel data opera nitens non ſeminare non committit mortalem culpam, ſed venialem. 557.7

Virgo Maria.

Virgo ante Annunciationem de ſeruanda virginitate votum emiſit. 116.5
Virgo huiuſmodi votum emiſit antequam deſponſaretur Ioſepho. ibid.4
Virgo contraxit matrimonium ſeruandæ virginitatis. 117.5
Virgo conſenſit in obligationem aptitudinalem ſiue radicalem ad carnalem copulam etiam ſublata obligatione actuali ad illam. ibid.

Virginitas.

Virginitas non eſt contra inclinationem naturæ. 215.8

Votum.

Votum ſolemne caſtitatis, Ordinis ſacri non dirimit matrimonium ratum. 261.6
Votum caſtitatis etiam infidelem emittentem prohibet petitionem debiti. 574.4
Votum virginitatis etiam interdicit coniugij petitionem. ibid.5
Votum caſtitatis præcedens, per ſubſequens matrimonium non extinguitur. ibid.7
Voto caſtitatis ligatus poteſt aliquando ſe offerre vxori ad vſum coniugalem, & petere gratia complacendi vxori. ibid.1
Voto impetito viro licitum eſt petere cum non audet petere præ verecundia vxor. ibid.2
Voto caſtitatis adſtrictæ vxori non licet ob dictam cauſam aliquando petere. 575.3
Voto coniux interdictus ſi periculum incontinentiæ in alio ſentiret poteſt ab illo debitum exigere. ib.4
Voto ligatus, etiamſi agitetur tentationibus vehementibus non poteſt ſibi petere. ibid.5
Voto caſtitatis impedito licet ſignificare alteri coniugi ſuum impedimentum. ibid.6
Voto eodem irretito coniugi non licet prouocare non impeditum, vt petat, nec econtra. ibid.7
Voto ligatus poſt ſponſalia de futuro non tenetur religionem ingredi. 576 5
Votum emiſſum poſt matrimonium non conſummatum animo ingrediendi religionem validum eſt, & obligat ad non reddendum priori bimeſtri. 577.1
Votum caſtitatis abſolutum poſt matrimonium conſummatum factum ſine licentia coniugis validum eſt. ibid.3
Vouens caſtitatem poſt matrimonium conſummatum, licet intendat abſolutè, non intendit omnes eius actus per modum vnius rei indiuiſibilis. ibid.4
Vouens eiuſmodi colligitur ex materia voti. 578 5
Vouens ſi maneat de huiuſmodi intentione dubius obligatur ad id quod poſſibile eſt. ibid.6
Votum caſtitatis eſt licitum poſt conſummationem, abſque alterius licentia obligat ad non petendum. ibid.7
Votum prædictum ſolum non obligat ad non reddendum, quando debitum ex iuſtitia exigitur. ib.8
Voto religionis impeditus tenetur ante conſummationem ingredi. 579.1
Voto religionis adſtrictus in prima conſummatione, ſiue petendo, ſiue reddendo mortaliter delinquit. ibid.2
Votum religionis conſummato matrimonio nec reddere, nec petere impedit. ibid.3
Votum Religionis, diſſoluto per mortem coniugis matrimonio, adſtrictum obligat ad ingreſſum. ib.4
Votum Religionis inter coniuges mutuum ante conſumma

ſumma

Digitized by Google

ſummationem poſito quod vterque verè vouerit ſtatim tranſit in abſolutum. 580.7
Voto huiuſmodi ligati coniuges ſi conſûment peccât. ibid.8
Vouentes coniuges religionem ante conſummationem dummodo vterque ingrediatur, ſi cõſummant non peccant. ibid.9
Votum Religionis poſt conſummationem inter coniuges emiſſum, nec petere, nec reddere prohibet quamdiu non ingrediuntur. ibid.10
Votum prædictum vtrumque liberat obligatione reddendi. ibid.11
Votum eiuſmodi altero nolente ingredi non obligat alium ad ingreſſum. ibid.12
Voto aſſumendi ſacros Ordines adſtrictus ſi duxit vxorem, non tenetur religionem ingredi vt votum obſeruet. 580.1
Voto dicto impeditus mortuo coniuge, vel adulterante, vel volente ingredi religionem tenetur votum implere. ibid.3
Votum huiuſmodi poſt conſummationem factum obligat pro tempore ſoluti matrimonij. ibid.4
Voto ligatus non contrahendi, licet contrahendo peccet, non peccat conſummando. 581.7,8
Vouens hoc modo ſi dubitet an intenderit ſimul non conſummare, ſtandum eſt pro libertate vouentis. ibid 9
Voto eodem impeditus poſt conſummationem licitè poteſt petere, & reddere. ibid.10
Voti non contrahendi reus mortuo coniuge tenetur aliis nuptiis abſtinere. ibid.12
Votum non petendi debitum validum eſt & coniugem vouentem obligat. ibid.14
Votum non petendi aliquando, licet validum poteſt eſſe illicitum. ibid.15
Voto caſtitatis vel Religionis adſtrictus, non peccat ſi contrahat cum expreſſa conditione non conſummandi. 190 5,8
Qui ſcienter contrahunt cum obligatis voto caſtitatis peccant mortaliter. 191.11,12
Votum ſolemne in profeſſione Religionis emiſſum irritat matrimonium poſtea inhibitum. 324.1
Solo iure Eccleſiæ id ſtatutum eſt. ibid.2,3
Votum caſtitatis ſimplex in Societate ante Greg.XIII. ſolum impediebat, non irritabat matrimonium ſubſequens. 326.1
Poſt decretum Gregorij XIII. hoc votum in Societate quandiu durat reddit perſonam inhabilem ad contrahendum. 340.2
Prædictum decretum ſtatim habuit effectum circa perſonas quæ iam antea vouerant in Societate caſtitatem. 341.3
Votum non fit ſolemne ratione alicuius ſacræ benedictionis, vel contentionis. 317.7
In voto res diſtincta eſt promiſſio à traditione 318 11
Votum ſolemne, & ſimplex conueniunt, & differunt, & quo pacto. 316.1,2
Voti ſolemnis caſtitatis duplex moralis effectus. 317.4
Votum ſubſtantialiter ſolemne habet vim inhabilitandi matrimonium. 318.8, & ſeq.
Ad faciendum ſolemne votum caſtitatis traditio non eſt per ſe ſufficiens. 319.5
In votis ſimplicibus Societatis Iesv eſt vera traditio, & perpetuitas ex parte perſonarum ſe tradentium. ibid.& ſeq.
Solemnitas ſubſtantialis voti caſtitatis conſiſtens in virtute, & efficacia irritandi matrimonium ſubſequens perpetuò, & irreuocabiliter eſt ſola conſtitutione Eccleſiæ inducta. 320.5
Votum ſolemne caſtitatis in fieri eſt actualis obligatio perſonæ ad illam ſeruandam, inducendo perpetuam inhabilitatem ad validè contrahendum. 321.3
Iſta vis, & efficacia inhabilitandi non conuenit traditioni religioſæ in fieri. ibid.4
Traditio ipſa non eſt effectus voti ſolemnis caſtitatis, ſed ſolum eſt quaſi componens cum illo profeſſionem religioſam. ibid.5
Votum ſolemne caſtitatis in facto eſſe formaliter perſonam inhabilitat perpetuo, & irreuocabiliter ad matrimonium. 312.6
Solemnitas voti caſtitatis ſolo iure Eccleſiaſtico eſt inſtituta, & non ex natura rei. ibid.7
Votum poteſt fieri ex ſolemni ſimplex, & ex ſimplici ſolemne per extrinſecam mutationem independenter à voluntate vouentis. ibid.8
Votum ſimplex & ſolemne non differunt ſpecie, ſed ſolum accidentario. ibid.9
Qualiter conueniant, & differant votum ſolemne caſtitatis ſacri Ordinis, aut religionis. ibid.10
Votum ſolemne caſtitatis adæquatè diuiditur in votum ſacri Ordinis, & profeſſionis religioſæ. ibid.11
Votum paupertatis ſimplex & ſolemne in quo differant, & conueniant. ibid.1,2
Solemnitas ſubſtantialis voti paupertatis conſiſtit in efficacia inducendi inhabilitatem perpetuam dominij, idque non ex iure naturæ, neque diuino, ſed ſolo Eccleſiaſtico. 323.3,4,5,6,7
Votum ſolemne obedientiæ conſiſtit in efficacia ſe ſubdendi voluntati alterius cum vinculo, & obligatione perpetua, ac irreuocabili. ibid.8
Votum nequit fieri ſine conſenſu vouentis implicito, vel explicito. 319.6

Vſus.

Vſus coniugalis non debet neceſſariò intendi à contrahente matrimonium. 124.2
Vſus coniugalis ex ſe eſt licitus, & poteſt ſine culpâ exerceri 551.2
Vſus coniugij poteſt eſſe meritorius ex opere operantis. 541.1
Vſus coniugalis ob finem vitandæ propriæ incontinentiæ, eſt etiam à culpâ veniali immunis. 553.2
Vſus coniugalis ob ſanitatem corporalem, vel alium finem honeſtum extrinſecum, licitus eſt. ibid.4
Vſum coniugalem poteſt Eccleſia cenſuris impedire. 558.4
Vſus coniugalis inter fatuos licitus eſt. 5.0.1
Vti coniugio, licet coniugibus non omnino amentibus. ibid.2,3

Vxor.

Vxor licitè cohabitat cum viro excommunicato. 557.1
Vxore renitente vir non poteſt etiam ex voto longas peregrinationes aggredi. 568 6
Vxor tenetur ab abſtinentiis deſiſtere, ſi illis reddatur deformis, & odioſa marito. ibid.7
Vxor tenetur deſiſtere à ieiunio Eccleſiæ ob præceptum mariti, ſi notabiles diſcordiæ oriantur. ibid.5
Nec vxori nec viro licitum eſt reddere cum notabili ſuæ ſalutis detrimento. 569 5
Vxor, & maritus circa diuortium ratione adulterij ſunt omnino pares. 601.2
Vxoris licentia ad ſacros Ordines mariti neceſſaria eſt, niſi ipſa ſuâ culpâ dederit cauſam diuortio. ibid.4
Vxor, ni ſit ſexagenaria, debet religionem profiteri, vt maritus ordinetur. ibid.6

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

6-2-3

Digitized by Google